del collegio de granada costaron 22 ℔. de la compañia de Jesus. B.a
R/18570

CATENA

# IN EXODVM EX AVctoribus ecclesiasticis plus minvs sexaginta, iisqve partim Græcis, partim Latinis, connexa, Auctore Aloysio Lippomano Metonẽsi episcopo, coadiutoréq; Veronensi.

*Habes hìc studiose lector penuarium ita copiosum adeóque refertum, ut nihil eorum quæ ad explanationem Exodi faciant, seu historiam, seu mysticam intelligentiam spectes, desiderare queas.*

Accessit præterea index quadruplex, videlicet rerum memorabilium, Hebræarum Græcarúmque dictionum, Auctoritatum postremò sacræ scripturæ obiter explicatarum.

PARISIIS,

*Apud Carolam Guillard, viduam Claudij Cheuallonij, sub Sole aureo, & Gulielmum Desboys sub Cruce alba, via ad diuum Iacobum.*

M. D. L.

Cum priuilegio.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

i 11834596

del collegio de granada costaron 22 ℔. de la compañia de Jesus. B.R.
R/8570

CATENA

# IN EXODVM EX AVctoribus ecclesiasticis plus minvs sexaginta, iisqve partim Græcis, partim Latinis, connexa, Auctore Aloysio Lippomano Metonẽsi episcopo, coadiutoréq; Veronensi.

*Habes hìc studiose lector penuarium ita copiosum adeóque refertum, ut nihil eorum quæ ad explanationem Exodi faciant, seu historiam, seu mysticam intelligentiam spectes, desiderare queas.*

Accessit præterea index quadruplex, videlicet rerum memorabilium, Hebræarum Græcarúmque dictionum, Auctoritatum postremò sacræ scripturæ obiter explicatarum.

PARISIIS,

*Apud Carolam Guillard, viduam Claudij Cheuallonij, sub Sole aureo, & Gulielmum Desboys sub Cruce alba, via ad diuum Iacobum.*

M. D. L.

Cum priuilegio.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA



# Aloysius Lippomanus episcopus Methonensis & coadIVTOR VERONENSIS SERENISSIMO *domino* Ioanni *tertio Lusitaniæ & Algarbiorum* Regi *inuictissimo* S. D.

CVM adhuc apud te Apostolicæ legationis munere fungens,serenissime atque inuictissime Rex,moram traherem, semélque inchoatam super veteri testamẽto sanctorũ patrum Catenam(quantùm mihi per occupationes licebat)prosequerer,eò rem deduxi,vt Exodũ ante meum istinc discessum totam absoluerim. In qua postea polienda in Italiam reuersus,totum annum,præsertim Tridẽti, vbi concilij Oecumenici gratia commorabar,consumpsi.Denique cùm pro captu virium satis expolitam putarem,déque ea inuulganda ad communem hominum vtilitatem imprimendáque cogitarem, quod antea in altera Catena super Genesi feceramus,quam quò tutiùs prodiret,Pauli tertij pontificis maximi augustissimo numini dicaramus, aliquod huic quoque validissimum parandum præsidiũ fuit,quo protecta obtrectatorum aculeos non timeret.Nec in eo quærendo diutiùs laboraui.Statim enim istinc vsque veluti clarissimum sidus tu meis oculis affulsisti,cui quicquid est hoc muneris nuncuparem. Cùm(vt illa interim nil me ratio moueret,quod tam magnum huic libro defensorem paro)ob singularẽ illam tuam erga me beneuolentiam,quæ & semper fouit præsentem, & in absentem tãtùm abest vt deferbuerit extinctáque sit,vt facta auctior longè ampliórque videatur, adeò vt (si vera mihi referuntur) palàm omnibus profitearis, neminem istuc põtificium nuncium accessisse,qui tibi(quæ tua summa humanitas est,non meritum nostrum) æquè atque nos fuerit charus. Tum quia Catena eadẽ tuo istic in regno contexta est à nobis & cusa,vt nescio quo pacto suamet sponte mihi è manu elaberetur,gestirétque istuc vbi orta est,veluti in patriã reuerti.Demum & illud(quod præcipuè me mouisse fateor) accesit, eximia illa tua in deum pietas & religio, qua sola sicut mortales reliquos omni virtutum genere excellis,ita ipsas cunctas quæ te exornant virtutes, permaximè superas.Cui enim iustiùs sancta hæc, quàm tibi corpore & mente sancto mitti dicaríque oporteat? Alius forsitan hîc scholæ memor,inclytæ memoriæ Emanuelem regem patrẽ tuum diuino penitus & non humano præsidio ad regni solium euectum proferret in medium, diceret eius prælia, & inuictum in rebus maximis peragendis animum describeret, pérque tanti culminis gradum te veniſſe iactaret.Alius(ne quod in radice fuit, in virga defuisse crederetur)ingentes tuas contra Christi nominis hostes (cum his enim duntaxat, non autem cum fidelibus bellum tibi perpetuum est)& è cœlo partas victorias recenseret, & quo pacto procul à tuis regionibus, ínque alio ferè orbe terrarum,ignoto atque intentato apud seculum prius prælia domini præliaris, vtq; per tuas illic inuictissimas legiones, imperio & auspicio tuo non vicos,non oppida,sed regna amplissima Christo & opulentissima subiicis,vexillúmque illic sanctissimæ crucis defigis, & adorandum proponis. Pacem alius regni tui solidam & pacatissimam extolleret, ob quam etiam in veri Salomonis similitudinem, regis pacifici nomen meritò consecutus esse diceris,& magnificatus super omnes reges vniuersæ terræ. Fui ego in regno tuo mẽses circiter septem supra biẽnium, Deum testor,nullum me buccinæ sonitum,aut tubarum, nullum toto illo tempore tormentorum strepitum exaudisse, nullum armatum, vel qui præiret (quod vulgò faciunt)vel qui latus tegeret aspexisse.Vbi verò à tuis finibus recessi,& ad alia regna perueni,ecce tanquã in orbem alium egresso, omnia illico ardere,omnia miſceri,omnia armorum tumultu perstrepere visa sunt.Direpta ac combusta vbique oppida occurrebãt,viæ grassatoribus obsidebantur, cædes vbique fiebant.Quid verbis opus est? vestigio dimoueri sine præsenti exitio non licebat. Bone Iesu, nonne regnum istud tuum in quo vera pax, veráque religio sedes perpetuas fixerunt, non regnum huius mundi,sed cœleste potiùs & diuinum dicendum est,in quo Angeli pacis deo summo omnium regi cum timore & reuerentia humiliter inseruiunt?Vbi obsecro,in regno tuo seditio & discordia? vbi comes,marchio,dux,& omnis post regiam principalis dignitas non tuo nutui in omnibus obtemperans,ac pedum tuorum scabellum,non te suppliciter adorans? Alius denique animi tui clementiam & benignitatem qua cunctis parcis, nemini noces, omnibus prodes, laudibus prosequeretur: & quomodo qui vnus omnibus præsis, æquè adiri te à cunctis sinis,ac si illorum sis vnus omnino & priuatus.Castissimum prædicaret tuum & serenissimæ vxoris Catherinæ connubium, quo ita inuicem iuncti estis,vt non coniuges, sed fidei calore amantissimi in Christo frater & soror esse videamini. Adderet illustrissimorum fratrum & sororis eximiam erga te reuerentiam, vt post deum ipsum, te vnum suspiciant, colant,venerentur. His etiam subnecteret nusquam à religione abhorrentem, sed verè Christianam tui filij principis educationem,vt puer tenellulus adhuc deum maturo & senili iam studio colat,bellum acerrimum cum vitiis gerat,illustres regiásque virtutes toto animo amplexetur(quod regum pueri facere non semper solent) vt è cœlo lapsus,non in terris natus esse videatur.Adiungeret præterea animi tui tẽperantiam & fortitudinem,& quàm constanter,quàm moderatè,tot fratrum,tot filiorum funera perpessus sis,vt penè non senseris dolorem orbitatis tuæ licet acerbissimum,qui regnum vniuersum exanimarat, quod sanctissimam filiam tuam Hispaniarũ principissam, immò sidus illorum populorum, immatura morte nouissimè præreptam, non quasi mortuam, sed quasi proficiscentem defleueris. Hæc(inquam)omnia alius ingentibus præconiis extolleret. Ego autem domini mei Iesu Christi eiúsque gloriæ amator,Christianum regẽ non nisi ex iis quæ Christiani principis maximè propria sunt, quæq; ipse vidi, sensi, & expertus sum,laudari per me velim. Quæret aliquis, quæ nam illa sunt?Præcipuus dei cultus,eiúsque religionis propagandæ studiũ vix credibile,cura deinde in subleuandis egenis immensa quædam & ardentissima. Nempe quis alter diuinis laudibus persoluendis rege meo feruẽtior?Quis ecclesiasticorũ rituũ diligẽtior,obseruator aut peritus magis?adeò vt ne transuersum quidẽ (vtdicitur)vnguẽ, sacerdotes in eius cõspectu à statis sibi regulis discedere audeant, & penè in adagium abierit

iſtic,adeſſe cæremoniarum magiſtrum,cùm rex in templo adeſt.Quis malarum beſtiarum quæ vineam domini ſabaoth demoliuntur,hæreticorum videlicet, inſectator ac confector acerbior? Quis clericorum & monachorum greges vſque in terras vltimas ingentioribus ſumptibus traiiciendos curauit,ad veram illic pietatem Chriſtique euangelium diſſeminandum? Quæ templa,quæ xenodochia ampliſsima non eius pecuniis extructa? Qui ſacri virorum & mulierum cœtus non illius opibus ſuſtentati ſunt? Quis clericorum, virginum, orphanorum, viduarum pauperúmque nobilium non eius liberalitate ſubleuatus? Quem nudum & clinicum non regis veſtimenta texerunt?In quorum ſe indigentiam non effudit prompta & feſtina largitio? Anguſta miſericordiæ eius tota quãta eſt Luſitania fuit,vnde & ad exteras quoque exire & erumpere nationes compulſa eſt. Nam & Romæ mons pietatis quem vocant,qui gratis pauperibus mutuatur,eius liberalitate auctus eſt,& Compoſtellanum diui Iacobi celeberrimum templum,& Deiparæ montisferrati virginis nominatiſsimæ in Hiſpaniis ædes, transmiſſa per viros ſanctos & fideles pro lampadibus in eis cõtinuè arſuris munificẽtia,eius largitate exornatæ ſunt. Quid illos referre opus eſt, qui in ſtudiis literarum Conimbricæ quo in loco florentiſsima nuper vniuerſitas ab eo inſtituta eſt,Compluti,Salamanticæ,Parrhiſiis & vbique terrarum eius ſubſidiis nutriuntur? Tempus me omnino deficeret,ſi eius omnes in hoc genere virtutes euoluere & recenſere voluero. Quæ ſummæ & illuſtres per ſe,eare præcipuè illuſtrantur,quòd & ſeipſum prius totum deo viuam & placentem hoſtiã obtulit. Quid enim prodeſt ſanctorum vſibus miniſtrare,monachorum & ſacrarum virginum fouere collegia, Eccleſiis offerre quamplurima,ſibi autem ſemet reſeruare?& quod deus à nobis in primis quærit,cor ſcilicet,id vnum dare nolle,ſibi id habere?Hoc eſt(vt Ambroſius inquit)verè ſacrificium primitiuum, quando vnuſquiſque ſe offert hoſtiam, & à ſe incipit,vt poſtea munus ſuum poſsit offerre.Hic eſt verus enimuero principatus,hoc ſolium ſupremum,hoc aurum, hæc purpura nobilis eſt. Hæc regium diadema plus gemmis ab India petitis inſigniunt & exornant. Laudent igitur alij quæ fors aliqua ex parte cum regibus & principibus aliis illi poſſunt eſſe communia,hęc ego quæ ipſius ita ſunt peculiaria vt alterius eſſe non videantur,ſemper laudabo.Et dum vitæ huius fruar aura,ſpondeo, promitto,polliceor,illum mea lingua reſonabit,illi mei dedicabuntur labores,illi meum ſudabit ingenium.Illũ meo animo inhærentem penitúſque defixum,legent reges,legent ſacerdotes,monachi,virgines,viduæ,orphani, ſimúlque in vnum diues & pauper,vt qui cum Chriſto perpetuò victurus eſt in cœlis,in terris quoque dum licet, in ore mortalium diutiùs viuat.Habeto interim benigniſsime rex hanc noſtram Catenam pignus & arrabonem noſtræ in te propenſiſsimæ voluntatis,& ex hoc tenui ſatis humilíque principio,quid in poſterum ſubſequuturũ ſit perpendito.In ea quo ſpiritu locuti ſint ſancti illi patres qui priſcis temporibus floruerunt,cognoſcere poteris noſtrorum tenuium collatione.Sed fortaſſè non ita commodè plenóque hauſtu ſumi illa grandia potuiſſent, ni noſtra hæc exilia ſubnexuiſſem.Verùm & alia ratione non futilem(vt opinor) hunc noſtrum laborem aut inanẽ putabis. Diuerſa quidem interpretatio (vt teſtatur Auguſtinus) plus adiuuit intelligentiam quàm impediuit, ſi modò legentes non ſint negligentes. Et nonnullas obſcuriores ſentẽtias plurium codicum ſæpe manifeſtauit inſpectio. Vale inuictiſsime & magnanime rex,etiam atque etiam vale,quem dominus noſter Ieſus Chriſtus cui per fidem & bona opera gratiſsimus es,ſoſpitem in hoc ſeculo ad omnium vtilitatem & incolumẽ diutiùs ſeruet.Demum ab regno hoc caduco & mortali,ad æterni illius gloriã poſt longam ſenectam feliciſsimè trãsferat.

Datum Tridenti nono Calendas Ianuarij,Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto.



QVia eadem nobis in hoc opere eſt intentio, quæ etiam in Geneſi fuit, iſdẽmque modus & ordo qui ibi, & hîc ſeruatus eſt, ideo ad ea prælegenda te candidiſsime lector mittimus, quæ ad ſanctiſsimum dominum noſtrum Paulum Romanum pontificem,& ad lectorem ante Geneſis expoſitionem ſcripta ſunt.Quę cùm aliquatenus prælibaueris,ad ſacrã hanc Exodum legendam ſecurus accedere poteris. Noluimus enim omnia illa hîc repetendo, & moras tibi innectere,& faſtidium non mediocre parere.

Id nobis vnũ duntaxat neceſſe eſſe hoc in loco viſum eſt, indicaſſe ſcilicet,qui & quot ſint ſancti patres & doctores illi,tum Græci tum Latini,ex quibus quæ in Exodo inſeruimus,deſumpta fuere. Sunt autem qui hîc inferiùs recenſentur.

| Ex Latinis, | Ex Græcis, |
|---|---|
| Cyprianus | Philo Iudæus |
| Zeno epiſcopus Veronenſis | Dionyſius Areopagita |
| Hilarius | Irenæus epiſcopus Lugdunenſis |
| Ambroſius | Ioſephus |
| Hieronymus | Origenes |
| Auguſtinus | Antonius abbas |
| Gregorius magnus | Athanaſius |
| Leo papa | Baſilius |
| Iſidorus epiſcopus Hiſpalenſis | Gregorius Nazianzenus |
| Maximus epiſcopus Taurinenſis | Gregorius Nyſſenus |
| Iſychius | Chryſoſtomus |
| Proſper Aquitanenſis epiſcopus | Cyrillus |
| Eucherius | Euſebius Cæſarienſis |
| Beda | Euſebius Emeſenus |
| Strabus | Theodoretus |
| Gilbertus | Acacius |
| Alcuinus | Damaſcenus |
| Sixtus papa | Diodorus |
| Bernardus | Epiphanius |
| Gillebertus de Hollandia | Hirenæus Antiochenus |
| Guerricus abbas Igniacenſis | Euthymius monachus Zigabonus |
| Ioannes abbas Caſemarij | Collationes patrum |
| Hugo de ſancto Victore | Philo epiſcopus |
| Rupertus | Dionyſius alter |
| Rabanus | Seuerus Antiochenus epiſcopus |
| Ordinaria | Seuerus alter |
| Interlinearis | Seuerianus |
| Thomas Aquinas | Oecumenius |
| Caietanus | Sexta Synodus |
| Auctor catenæ. | Iſidorus Peluſiota |
| | Græcus incertus auctor. |

Scias autem (quod & in Geneſi admonuimus)cùm Baſilium,Chryſoſtomum,Cyrillum,vel ex Græcis alium quempiam ſacrorum doctorum ſine loci in quo illa dicit aſsignatione in medium afferimus, nos ex Græca Catena Latinos factos, ita vt reperimus adduxiſſe. Vbi verò ex noſtra ſententia alicubi eos loquentes induximus, nunquam ſine libri & loci in codice præſignatione, vbi quæ dicuntur inueniri poſsint, prout in Latinis ſcriptoribus fecimus,reperientur.

# INDEX COPIOSISSIMUS insigniorum rerum per Catenam in Exodum passim selectarum.


Aaron Paulum figurauit 33.K
Aarō quomodo dicitur Propheta Moysi. 51.I.K
Aaron an in cōstatione vituli veniat excusandꝰ. 319.L.M. 320.B.C.& seq.
Aaron octo vel nouē vestibus ornatus asscritur. 294.H.295.B.G.296.A.B.C.& quid significent.296.A.& seq.
Aaron stupenda tentatio. 320.E
Aaron excusatio à fabrica vituli insufficiens est. 326.F.G
Aaron populum multiplici malo inuoluit. 327.G
Aaronis habitus militaris propemodum fuit. 293.H
Abagarus desiderauit faciem & figuram Christi videre. 170.K.L
Abel per insitam sibi legem cognouit aliquid esse deo offerendum. 163.K
Abominabilis est superbis humilitas, & iniustis iustitia. 63.C
Abominationes Aegyptiorum quales fuerunt. 63.A.B.& seq.
Abraham & Ioseph fuerunt Christiani. 177.E.F
Acceptio rei alienæ potest tripliciter se habere. 211.A
Actus Apostolorum non suscipiunt Manichæi. 228.G.H
Adam quamdiu iciunauit in paradiso fuit. 239.B
Adam non pro quantitate morsus sui peccauit. 135.M
Adiutorem diaboli quomodo se quisque agnoscat. 5.E
Adonai septimum nomen diuinum.46.E.& seq. 47.A
Adonai dominus Hebræis dicitur. 264.G
Adorationem imaginū ad earum exemplar referimus. 170.D
Adoratores diaboli corpus ipsius facti sunt. 326.L
Aduentum postremum deus mediæ nocti comparauit. 90.I
Adulter non potest solus adulterium committere. 171.F
Adulter & adultera quomodo peccant contra præceptum, Non mœchaberis. 185.K.L
Adulterorum quàm graue damnationis periculum.186. K.L. quod tam viris quàm mulieribus prohibetur.
Adulterium graue est,& naturæ iniuria.186.G. & ex concupiscentia nascitur.I. quæ mater est adulterij. Ibidem.
Adulterium viri & vxoris par peccatū est. 185. M.186.A.B.& seq.187.F
Adulterium & fornicatio propter multa prohibetur. 187.I.K
Adulterium non est naturalis appetitus. 190.C
Aegyptus hunc mundum figurat. 2.F
Aegyptus seculi forma est. 57.E
Aegyptus aduentu Christi misericordiam consecuta est. 122.G.H
Aegyptus dicitur domus seruitutis. 175.I
In Aegyptum quidam feliciter descenderūt, alij infeliciter. 149.F.G
Aegyptium in se occidere quid. 114.C.D
Aegyptij prima plaga maris rubri triplex incurrerunt malum. 112.F
Aegyptij cur ad tot prodigia non fuerunt territi ac moti. 67.B
Aer appellatione cœlorum aliquando comprehēditur. 195.M
Aetates hominis quomodo dirigendæ. 101.H.I
Aeternum quomodo accipiendum sit in sacra scriptura. 87.A
Aeternum tēporis longitudo, quam noster intuitus permetiri non potest. 122.C
Aeternum quid sit. 199.H
Aethiopissa quam Moyses duxit vxorem gentilis erat.15.G. quæ ecclesiam ex gentibus congregandam à Christo figurabat. Ibidem.
Affectus hominis est duplex. 225.M
Afflictiones quomodo decet tolerare. 13.K.L.M
Afflictiones à domino prædicantur affligendis. 26.G.H.I
Afflictos dominus intuetur si sui sint, & clament ad eum. 21.I
Agnus immolatus Christi figura fuit innocentis. 82.C.& quomodo sine macula sumendus. F
Agnus cur sumendus erat ab ouibus & capris. 82.H.I
Agnus futuri agni fuit typus, sicut & sanguis. 89.M.90.A
Agnus integer assandus in vna domo, & in eadem totus edendus. 96.E
Agnus quare decima die accipiebatur quartadecima occidendus. 81.B.C
Agnus vespertinus & matutinus oblati quotidie à Iudæis quid significabant. 305.E.F
Agni edendi conditiones. 80. K. L. & significatio.L.M
Agni immolatio subsequente primogenitorum morte quid figurabat. 81.E.F
Agni immaculati conditiones. 82.G
Agni paschalis sacramentum celeberrimum erat inter cætera sacramenta. 82.C
Agnum crudum Iudæi comedunt, hæretici verò coctum aqua. 85.C
Alæ aquilarum duo designant testamenta. 155.E
Alienigenæ respectu Hebræorum qui dicebantur.96. C. & qui poterant comedere pascha. H.97.A
Allegoria quid sit. 151.A
Allegoria sola in sacro eloquio, historia sola interdum, vtraque verò simul seruanda est. 194.I
Altare primùm à Moyse ædificatum. 143.M
Altare exterius, & interius quid figurant. 274.M
Altare de terra quomodo fieri præcipitur, cùm factum fuerit æneum. 196. H. de cuius constructione duplex præceptum. Ibidem.
Altare de terra facere quid sit. 197.I.198.C
Altare prius iussum est de terra, secundum de lignis & ære. 272. E. F. Tertium lapideum. G
Altaris Moysi varia descriptio. 273. A. & sequen.
Altaria duo in populo Israel constituta. 307.E. F.& quid figurarent.G.& seq.
Amalech erat de semine Esau. 143. C. qui primus Israel post egressum impugnauit. Ibidē.
Amalechitæ quomodo tantam pœnā & vindictam meruerint. 145.E.F
Amalechites regio in deserto ad meridiem Iudæ. 142.M
Amare securè quid sit. 259.A
Ambitionem nostram deus recidere facit. 343.H
Amicus legis amicus quoque dei est. 329.B
Amicus diu quæritur, vix inuenitur,difficilè seruatur. 336.D
Amicitia vera in amore dei est. 336.E
Amicitiæ fomentum est subuentio in necessitatibus. 211.K
Anagoge quid sit. 251.A
Ancillarum Hebræarum conditiones. 200.H.I. K.201.A.& seq.
Angelus quomodo dictus est deus Abrahā &c. 16.G.H
Angelus dicitur Christus, verbum,filius dei.17. A.& seq.18.A.& seq.
Angelus diuersis speciebus apparuisse dicitur, qui tamen deus erat. 17. A. & sequen. 18. A.& seq.
Angelus non est missus in rubum vt loqueretur, sed ad duo alia officia. 19.G
Angelus cur Moysen in via ad Aegyptum occidere voluit. 37. K. & sequen. 38. A. & sequen.
Angelus quodammodo hominis frater est. 40.E
Angelus custos nobis diuinitùs datus est. 40.F
Angelus malus Aegyptios percussit. 89.C.D
Angelus qui populū Israel præcedebat à columna differebat. 109.M
Angelus in cœlo qui noluit panem verum comedere, cecidit, & factus est diabolus. 129.G
Angelus dicitur Christus ac redemptor noster. 239.M.231.A
Angelus dicitur Ioannes Baptista. 231.A
Angelus vel angelo similis deum videre potest. 346.G.H
Angeli ante Christi incarnationem sub persona domini apparuerunt,& locuti sunt. 347.M
Angeli sciunt peccata quæ facimus. 355.I.K
Angelos Græcè nuncios vocamus.227.F.231.A
Angelica natura homine prius creata est. 329.C
Angelica natura carnalibus oculis videri non potest. 347.M
Angelicæ virtutes nostris calamitatibus commouentur. 331.A
Anima nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno vastatur. 4.M
Anima in erroribus & ignorātia viuēs, in Aegypto viuit. 92.L
Anima quæ ad tenebras ducitur, non in die sed in nocte repetitur. 158.M
Anima dæmonibꝰ prostituta plurimos habet amatores. 171.A
Anima nostra quæ deo vult appropinquare eleuet se à corpore. 360. G. quæ si ad carnalia reflectatur, in vitia labitur plurima.H
Anima fatigatur sicut & corpus. 321.B.C
Anima ad deum appetendum facta est. 138.B
Anima potentiam habet promerēdi naturaliter. 344.H
Anima duo exigit vt mereatur. 344.H
Anima terrenis absoluta cupiditatibus sursum fertur. 350.I
Anima postquam semel osculata est verbum dei, semélque





semélq, gustauit,cupit attrahi vt sequi possit. 360.E.F
Anima in arbitrio suo creata est.190.D. ideo potest non irasci, & non concupiscere si vult. Ibidem.
Anima pro diuersis actionibus diuersa nomina sortitur. 388.F
Animam quærere in bonum & in malum dicitur. 34.E
Anima si currus est, vide ne equus caro sit. 116.M
Animæ pro hominibus ponuntur. 2.B
Animæ per concupiscentiam fornicantur. 190.E
Animæ substantia solet in scripturis triplici distantia comprehendi. 265.L
Animæ principale secundum Platonem est in cerebro, secundum Christum verò in corde. 301.L
Animarum solus deus creator est. 214.C
Animarum rectores qualiter præesse & prodesse possunt. 329.H
Animas generare & parturire. 2.A
Animus nimis intētus humanis actionibus deo minus intendit. 150.E
Animus non ingemiscit quamdiu peccatū in mortali nostro corpore regnat. 16.D
Animalia immunda lex à sacrificio separauit. 100.B
Animalia bruta cur occidantur si quem hominē occiderint. 206.L.M.207.A.B
Animalia cornuta munda sola reputabantur. 307.M
Annus Solaris & annus Lunaris in quo differunt. 79.K.L.M
Annus communis & annus emboliſmalis. 79.L
Appetitus rationalis liber arbitrio est sub potestate habens irrationales passiones. 190.K
Appetitus carnalis est appetitus noster. 191.H
Apostoli & doctores pugnāt aduersus hostes filiorum Israel. 5.B
Apostoli sine scripto plurima tradiderunt. 170. K.L
Apostoli figurabant episcopos sicut discipuli domini simplices sacerdotes. 291.E.F
Apostoli sunt radix credentium omnium. 2.F
Apostoli viderunt Christum in ipsa carnis veritate,sed fide intus viderunt. 340.C
Appropinquare deo nemo potest,qui prius sordes animi sui non eluerit. 19.K
Appropinquare deo qui prohibentur. 158.B
Aqua est signum vitæ. 30.E.F
per Aquam Aegyptij voluerunt perdere Iudæos, sed deus per aquam perdidit Aegyptios. 148.L.M
Aqua fluuiorum Aegypti quomodo conuersa est in sanguinem. 56.H.I
Aqua quotidie in diuersa mutatur. 56.H.I
Aqua in sanguinem versa mundanam significat sapientiam.57.F.& primum decalogi signat præceptum.G
Aqua de petra in Raphidim non est aqua cōtradictionis. 141.D
Aqua sine prædicatione dominicę crucis ad nullos vsus futuræ salutis vtilis est. 126.E
Aquæ populum designant. 120.B.C
Aquæ marinæ amaræ & salsissimę possunt fieri dulces. 124.L.M
Aquarum mutatio diuersa. 141.B
Arbor bona malos fructus facere potest,& mala bonos. 151.E
Arca testimonij fuit Christi figura.245.G.H.& sequen. Et beatæ Mariæ virginis. K.& seq. ecclesiæ sanctæ. 248.K.L
Arca Moysi significat saluatoris nostri incarnationem. 244.F.L.M
Arca testamenti in sancta sanctorum reposita est. 269.F
Arca tria cōtinebat, quæ tria potissima in rebus humanis figurabant. 255.L
Arca Moysi ecclesiam figurabat. 377.A
Arca non continebat nisi duas tabulas mandatorum,& non omnes libros Moysi. 385.M
Arca fuit figura Christi. 387. A. quæ locum dei ducentis tenebat. Ibidem & B
Arcæ & eorum, quæ ad eam spectabant figura & significatio. 247.M.248.A.& sequen.
Arcæ Moysi compositio & mensura. 243.H.& sequen. quæ sedes domini erat, vnde dabat oracula.K
Arcæ dei signa & mirabilia. 244.B.& seq.
Arcæ mensura quid significet. 244. G.& sequen.
Arcæ Noe significatio. 268.D.& seq.
Arcæ duæ fuerunt in veteri lege. 246.C
Argentum & aurum ab Aegyptiis petere. 27. L.M.28.A
Arma inuincibilia quibus deus prostrat tyrannos sunt terror & tremor. 91.C
Arma diaboli gentes erant.92. I. quæ nunc sunt membra Christi.K
Arrabo & pignus differunt. 215.I
Arrogantia ex alto in imum deiicit. 149.F
Artes mechanicæ à deo sunt. 314.I
Artes liberales ab iniustis possessoribus auferēdæ. 92.H
Ascenderūt populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. 103.B.C
Assumitur dei nomen ad multa. 176.E
Assumitur nomē dei in vanū multipliciter. 176. G.& sequen.
Astra cœlestia nō regunt animas vt putant astrologi. 168.D
Attributa dei quę & qualia sunt. 46.L.M
Auaritia in partes rapinæ obtinuit principatū. 107.K
Auaritia votis quatuor trahitur vitiorū. 107.M
Auaritia vincitur liberalitate. 191.B. ob quam Iudas magistrum tradidit. Ibidem.
Auaritiæ studentes deum non timent. 152.E
Auaritiæ studens vermibus consumendus tradetur. 136.F
Auarus diuitias recondens mammonæ seruit. 134.D
Auari non deo seruiunt,sed mammonæ. 231.K
Auari similes sunt Iudæis seruantibus manna in crastinum. 133.I.& seq.
Auditor verbi dei quis dignus esse potest. 157.E
Aurum signat excellentiam sanctitatis. 151.I
Aurum offerre ad tabernaculum quid sit. 370.L
Auxilium dei nunquàm deest in necessariis. 5. G.H.I
Azyma quid Iudæis repræsentabat. 87.I
Azyma præcepta & azyma necessitatis. 91.E


B


Baptismus per mare rubrum figuratur. 111.E.F.G
Baptismus omnia peccata delet. 113. I.114.A
Baptismus qui per aquam conficitur, domini mortem denunciat. 237.B
Baptismus est fundamentum pœnitentiæ. 359.K
Baptismi effectus. 120.H.I
Baptismi aqua quomodo accipiat virtutem sanguinis Christi. 237.A.D
Baptismo purgētur necesse est qui ecclesiæ ianuas ingrediuntur. 310.M
Barba signum virilitatis est.298.F.quo signo natura virum & mulierem distinguit. Ibidem.G
Batus continet tres amphoras. 139.E.F
Beati sunt imitandi.243. B. quia subueniunt miseris. Ibidem.
Beelzebub interpretatur patronus muscarum. 272.G
Bella an sint licita. 144.C.D
Benedicere deum panibus & aquis quid sit. 229.F.sed tam in corporalibus quàm in spiritualibus.G
Benedictio sermonis dei quomodo acquirēda est. 151.C
Benedictio domini olim prolium erat abundantia. 229. K. sicut maledictio sterilitas. Ibidem.
Benedictionem dei spernens facilè à diabolo superatur. 190.G.H
Benedictionem aliquam sancti in hac vita accipiunt. 231.E
Benefacere deus semper paratus est. 217.I
Beneficium dei conferens homini ad salutem est effectus prædestinationis. 345.C
Beneficium maius hominis non est quàm gratiæ præsens. 334.L
Beneficia populo Israel à deo exhibita. 131.C.D. quæ ipsum ad cultum eius prouocabāt. Ibidem. E.F
Beneficia dei in Israelitas exhibita. 145.F
Beneficiorum facilè obliuiscuntur magnates. 3.B
Beneficiis susceptis gratum se præstans dignus est accipiendis. 114.G
Beseleel quomodo fuerit filius Huri filij Hur filij Caleph. 114.G.M
Bitumen quid sit,& eius natura. 9.G
Blasphemantes dominum morte plectebantur. 203.E.G
Blasphemiæ & detractiones &c. prohibentur in falso testimonio. 189.A
Bonitas diuina nos præuenit vt innocentes faciat. 354.A
Bonum causa mali esse non potest. 74.K
Bonum nostrum quid & quale sit. 213.E.F
Bonum & malum à deo sunt. 324.C
Boni patrisfamilias est curare si sedula sit familia in agendis. 15.A
Bonorum omnium radix est vnius dei diligentissima notitia. 230.I
Bona sensibilia sunt connaturalia homini. 321.B
apud Bonos pium ac syncerum est, quod vitiosi oderunt. 63.M
Bos quinque vtilitates habet, ideo fur quinque bones pro vno reddebat. 208.E.H.209.M
Brachium dei dicitur filius dei. 48.E
Brachium dei filius eius dicitur. 116.E
Buccinæ sonus siue tubæ vocem prædicatorum designat. 162. H.I.& veritatis prædicationem. Ibidem.& seq.
Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. 27.H
Byssus linum est tenuissimum & cādidissimum. 241.K
Byssus quomodo fiat. 278.L

C

Ædes solitudo est super vrbē Petram. 124.D
Cæcitatis maius supplicium. 77.A
Cani sunt hominum prudentia & senectus vita immaculata. 253.G
Caiphas iniquè iudicauit, quia iniquus pontifex erat. 297.H
Calami septem candelabri, septem designabant planetas. 256.B
Calceamenta Moysi deposita. 18.H.& seq. 20.G. & seq. 21.B.& seq.
Calceamenta in pedibus habere in comestione agni quid figurat. 85.G.H.I.86.E.F.I
Campsores multa furta committunt. 188.E
Candelabrum Moysi sculptum Romæ in hodiernum diem videtur. 252.B
Candelabrum Moysi Christum figurabat incarnandum. 253.C. & seq. eius verò partes fidei athletas. D.E.F. vel præsentem ecclesiam designat. H
Candelabrum Christum designabat. 387.C.D
Candelabrum septem ramorum spiritus sancti gerebat imaginem. 378.F. vel Christum. G
Cantici Moysi præconia. 115.B.C
Cantica fidelium quatuor sunt. 114.G
Caput subiectorū sunt cuncti qui præsunt. 151.H
Carmen aliquando in bono aliquando in malo accipitur. 114.I
Carmina plerique in sacris scripturis cecinisse referuntur. 114.I.K.& seq.
Caro misera vsque adeò vitiata est peccato vt nō posset via regia incedere. 48.G
Carnes agni quomodo edendæ. 84.I.& seq.
Caro non carnes pro homine. 132.M
Caro in omnibus fuit subdita animæ, quandiu anima fuit subdita deo. 164.F.G
Caro per ieiunium debilitatur. 192.E
Caro animæ fraterno copulatur consortio. 329.E
Carnis resuscitatæ conditio ad animam. 348.F
Castitatis puritas præstātissima est omnium virtutum. 97.K
Castitatis nomen dupliciter accipitur. 357. D.E
Causa prima cognoscendo se cognoscit omnes causas secundas. 338.E
Cæremoniæ significationes & figuræ sunt futurorum. 89.F
Cęremoniæ quare populo Israeli fuerunt propositæ. 232.I
Cæremoniæ à patriarchis & lege Moysi derivatæ sunt ad gentes. 310.E
Cæremonias veteres obseruare tanquam necessarias hæreticum est. 198.F
Cæremoniæ sunt pædagogus ad vlteriorem cultum qui fide, spe, & charitate deo exhibetur. 374.D
Cæremonias Iudæorum odiuit anima domini. 337.F
Cęremonialia veteris legis erant quatuor. 87.B
Chanaan terra multa figurabat. 47.G.H
Chanaan fuit filius Cham à quo tota Palestina à Sidone vsque ad Gazam. 121.D
Chananæorum interpretatio. 27.G
Charitas proximi initium est salutis, conseruatio iustitiæ, & odium iniquitatis. 12.C
Charitas omnibus præceptis negatiuis conformis est. 175.G
Charitas plenitudo legis est. 258.G. quomodo autem vera sit. M
Charitas probari solet per solam odij aduersitatem. 259.A. quæ est vestis nuptialis. Ibid.
Charitas deum simul & proximū diligit. 284.E
Charitas Moysi erga populum suum delinquentem. 330.F
per Charitatē fraternam ascenditur ad dei dilectionem. 259.L
Charitas perfecta est, & plenitudo legis. 360.H
Charitatis duo sunt præcepta. 30.K
Charitatis oblationes primitiæ domino sunt. 241.D
Charitatem dei seruare volens à deo custoditur. 13.G
Charitate frigescente cor à bonis silet. 109.E
Cherub vniuersale nomen ad omnem figuram. 257.F
Cherubim nomen est angelicarum virtutum. 246. F. & singulariter dicitur Cherub. Ibid. & G.H.& seq.& eorum figuræ. L.M
Cherubim super arcam quid figurabant. 247.M. 248.A.& seq.G.& seq.
Cherubim non fecit Salomon iuxta descriptionem Moysi hic mandatam. 247.A.B
Chirographum peccati deleuit Christus. 120.H
Chore figura fuit hæreticorum. 50.A
Chorus quid sit. 122.H.123.M
Christus radix est Apostolorum. 2.F
Christi passione exactor tributorum cessauit 5.F
Christus an apparuerit Moysi in rubo, an angelus. 16.G.& seq.
Christus dei sapientia est, initium operum dei est. 17.L.M
Christus est, & semper est, quia est, qui est. 23.D. qui & commune substantiæ nomē sibi proprium vendicat. E
Christus per humilitatem suscitauit quæ per superbiam corruerant. 41.B.C
Christus tam ex tribu Iuda quàm ex tribu Leui ortus est. 49.H.L.M
Christus notus est pluribus modis. 50.M
Christus cur se tentare permisit. 54.A
Christus quare passus est post æquinoctium vernale. 81.H.I
Christi passio per legem antiquam præfiguratur. 82.B
Christus nouissimis temporibus veniens plenitudinem legis consummauit. 88.B
Christus in cœna figuram agni implenit. 90. C.D
Christus solus ineffabiliter conceptus. 98.E.F
Christus quomodo columna ignis, & columna nubis dicitur. 104.L.M.105.A.B
Christus præsens adest in susceptione sacramentorum. 111.C
Christus quomodo glorificatus est. 116. I.K.& quomodo glorioſè glorificatur. K
Christus pater noster est qui nos genuit, & fecit. 117.F
Christus cur missus est in Ægyptum fugiens Herodem 122.G
Christus quomodo acquisiuit quos ipse creauerat. 123.B.C
Christus est manna intelligibile, sensibile verò rudior legis disciplina. 129.D
Christus cœlestia terrenis coniunxit. 129.G
Christus quanto plura in Iudæos conferebat beneficia, tanto pluribus eum afficiebāt iniuriis. 141.H.I.& seq.
Christus in monte legem domini docuit discipulos & in descensu plebem. 141.H
Christus vera petra percussus aquas noui testamēti produxit. 141.M.142.A.E.F
Christus & spiritus sanctus suauem nobis legem fecerunt. 146.F.G
Christiano instantiùs orandū est. 146.L. qui orādo pro seipso & contra diabolū pugnat. Ibid.
Christus solus legem perfectissimè impleuit. 155.I
Christus est matri suæ vnigenitus sicut & primogenitus. 100.F. qui est primogenitus omnium creaturarum. 101.C
Christus sua gesta secundū veritatem operatus est. 170.H.I
Christus est lauacrum quo solo fideles mundantur in ecclesia, & mortem euadunt. 211.G
Christus in carne visus est & passus. 235.H
Christus quadraginta diebus ieiunans de diaboli tentationibus triumphauit. 239.A
Christus potest dici frater Moysi. 281.H
Christus dictus est lapis angularis & lapis fundamentalis. 284.B
Christus à carne existendi initium non habuit 293.C
Christus qualis est rex tales facit suos. 243.G
Christus multis typis adumbratur. 309. A. qui pro ecclesia semper orat. Ibidem.
Chrisma conficitur quo sacerdotes vnguntur. 312.L
Christorum in veteri testamento quot sunt genera. 312.L
Christus non potuit sanguinem suum fundere donec fieret homo. 236.H. quo fuso tam Iudæorum quàm Gentilium sacrificia abrogata sunt. I
Christus cum ecclesia sua est vsque ad consummationem seculi. 337.L
Christus pro inimicis oranit, Stephanus, Paulus. 330.G. Moyses. H.I
Christus Paulo cùm ecclesiam persequeretur reuelatus est. 339.D
Christus potest dici descendisse cum Moyse sicut & angelus. 353.G
Christus per singula tabernaculi membra designatus. 253.F.G.& seq.
Christus caput est ecclesiæ tanquam propitiatorii. 377.F
Christus per euangelicam doctrinam vniuersas diaboli vires euertit. 387.B
Christus totus integritate tabernaculi designatus. 386.& ipsa arca. 387.A.B
Christus per sanctos viros portatur. 387.B. qui Iudæis propter maiores suos & legem debebatur. C
Christus dicitur agnus, pastor, & ostium. 388.E.F
Christi ministrum qualiter se quisque agnoscat & gaudeat. 5.E
Christi passio & resurrectio figurabatur in immolatione agni, & transitu Israelis, & submersione Pharaonis. 81.E.F
Christi passio nostra redemptio est, mors eius vita nostra est. 146.A
Christi per humilitatem incarnatio. 196.F
Christum qui sequūtur præparent se ad pugnam. 145.I
Christum plures audierunt ex quo prudentiores facti sunt. 151.D
Christiani hominis gressus à Christo diriguntur. 104.M
Christianorum mysteria anteriora sunt quàm Iudæorū. 135.F.& diuiniora sacramenta quàm Iudæorum. Ibidem.& G
Cibus & infantium & grandium. 138.D.E
Cinamomi calamus est virgultum duorum cubitorum in India & Aethiopia. 311.L

Circumcisio





Circūcisio spiritualis qualis sit. 39.D
Circuncisio & sabbati obseruatio an iustificarēt hominem. 316.M
Circumcisionis vtilitas. 96. I. & eius differentia à baptismate. Ibid.
Circūcisionem deus Abrahæ præcepit. 179.L
Ciuitas cœlestis ante Christi ascensionem ex solis creditur extitisse angelis, postea verò ex magna animarum copia. 243.A
Ciuitates refugij tam filiis Israel quàm aduenis constitutæ sunt. 202.D
Clamat ad dominum pupilla oculi interdū quādo lingua silet. 108.M.109.A
Clamare in toto corde quid sit. 109.B
Clamet spiritu quisquis desiderat clamorem suū ad deum peruenire. 109.H
Clamor in scripturis non vocis sed cordis est. 108.M.109.A
Clamor si fiat corde, etiam silente corporis voce, deum non latet. 109.A.B
Clamor vocis inanis est, si non fiat intento corde ad dominum. 109.A
Clamor orantis quid sit. 109.D. qui aliquādo in bona, aliquando in mala significatione capitur. E
Clamat iustus, clamat & impius. 109.E
Clerici alienis locupletantur laboribus. 320.L
Clericorum insolentia turbat & molestat ecclesiam. 320.
Colere deum non solum minis, sed & præmiis aliciuntur homines. 177.H
Colere aliud est, aliud adorare. 169.B
Cœlibes cur talem vitam eligant. 263.F
Cœlum in crucis modum disponitur. 146.B
Cogitatio in peccatum luxuriæ est perfectum peccatum. 186.G.H
Cogitationes immundæ, quæ ad luxuriam, inuidiam, & vanam gloriam pertinent. 191.I
Cogitationum tria sunt genera. 191.G.& seq.
Cogitatus hominum in manu dei sunt. 10.K
Cognitio dei sine dilectione non sufficit ad inhabitationem dei. 242.G
Cognitio dei per quamcūque similitudinem creatam non est visio essentiæ ipsius. 348.H
Coluber mortem Christi præfigurabat. 29.I
Columna Iudæis exeuntibus Ægyptum vice solis & lunæ erat. 104.A. & seq. & quid figurabat. H.I.K.L
Colūna nubis & columna lucis quid significent. 111.H.I.112.A. quæ vnica fuit. B
Commixtio piorum cum impiis exigit in hac vita magistratum & gladium. 13.C
Commodare contingit dupliciter. 211.M. 212.A
Communio alicuius personæ interdicitur fidelibus dupliciter. 357.C
Concupiscentia mala quid deterius. 76.K
Concupiscentia est propria passio mulierum. 187.F
Concupiscere rem proximi non est furari in pluribus, furari verò est concupiscere rem proximi. 188.B
Concupiscere aliud est, aliud velle. 190.E
Concupiscentia velut ignis incēditur. 190.B. quæ data est ad liberorum procreationem, non ad adulterium, scortationem & lasciuias. C
Concupiscentia carnis, & concupiscentia animæ in quo differunt. 190.C.D
Concupiscentia sola non damnat, nisi consentiat voluntas. 190.E
Concupiscentia homicidij cur non prohibetur sicut luxuriæ & furti. 191.K.L
Concupiscentia dupliciter capi potest. 191.K
Concupiscentia rei alienæ propter multa prohibetur. 191.L.M.192.A.& seq.
Concupiscentia sensualitatis non est contra præcepta decalogi. 191.K
Concupiscentia multiplex. 192.H.I
Concupiscentiæ remedium. 190.E.F
Cōcupiscēntia in nobis operatur iniquitatem, ira verò destruit. 190.I
Concupiscentia quandocūque adest, vel cum veniali vel cum mortali adest. 192.B
Concupiscentiam humanam deus erga duo postremo præcepta refrenat. 189.I
Confessio non sit ficta. 63.H.I
Confessio Pharaonis mera fuit hypocrisis. 70.B
Confessio non quælibet oris vera est. 70.C
Confessio duplex est. Ibid.
Confessio peccatorum cum fictione etiam sæpius iterata non prodest. 74.E
Confessio fidei latroni paradisum aperuit. 109.C
Confidendum est domino, qui & eximit suos, & consolatur in se sperantes. 11.A
Confugiendum est ad deum in aduersis. 41.K
Confusionem incidēt qui in ciuitatibus & diuitiis spem habent. 281.E
Conscientia quomodo examinanda. 5.E
Conscientia bona in opere dei affert gaudium. 33.F
Consilij diuini rationes nobis perueſtigare non licet. 75.K
Cōsilij natura, non personarum consulentiū qualitas attendenda est. 153.A
Consilio plerique carere malunt, quàm admonitione peccatum emendare. 152.M
Consilia patrum & superiorum non sunt contemnenda. 153.A.B
Consilia duo afferenda ad legem. Ibid.
Constantia piis necessaria est. 45.E
Constantinus recusauit iudicare episcopos coram illo accusatos. 216.K
Consuetudo res difficilis quæ vix abstrahi potest. 176.D
Contemptor dei per superbiam peccat. 72.F
Contemptus præcepti dei quantum sit malum. 65.E
Contemptus mandati dei est causa grandinis, & aliarum afflictionum. 69.C
Contentio & rixa in quo differunt. 203.H
Continentia sanctificatio appellatur. 186.K
Contraria vitia præceptorū legis omnes clamant esse mala. 164.B.C
Contumelia in parentes punitur morte. 203.G
Cor Pharaonis cur dicitur induratum. 51.M 52.C
Cor regis etiam impiissimi in manu dei est. 57.B
Cor durum quid sit. 65.D. sed & quod nec deum timet, nec hominem reueretur. Ibidem
Cor peccatoris reprobum quale sit. 71.G
Cor Pharaonis diuersis modis se habuit in decē plagis Ægypti. 66.G.H
Cor eius qui deum ore non honorat, prope deum esse non potest. 151.B
Cor speculationis loco poni videtur. 383. G. & brachia operationis. ibid.
Corripimur hic à domino, vt in futuro requiem consequamur. 171.I.K
Corpus Christi cibus est. 135.A.B.& seq.
Corpus Christi conficit ecclesia exiguis panibus, & sanguinem modico vino. 136.A
Corporis sessio tranquillitatis mentis indicium est. 150.A
Corpus est indumentum animæ. 157.F
Corpus Christi nos omnes sumus. 253.D.E
Corpus erit particeps visionis diuinæ post resurrectionem. 348.G
Corpore Christi ad vitam æternam omnes aluntur. 387.C
Corona arcæ non erat rotunda, ideo propriè dicebatur limbus. 243.L
Corona decoris quid sit. 384.E.F
Coturnix quomodo legem denotabat. 129.E
Creatio à deo solo. 167.H
Creationis memoria septima quaque die, septimo quoque mēse, septimo quoque anno Iudæis inculcatur. 223.G.K.L
Creatoris virtutem per creaturarum pulchritudinem conspicimus. 347.F
Creatores non dicuntur dęmones faciētes res mirabiles. 53.E.F. sicut nec patres generantes filios. H. nec agricolæ producentes fruges. H. nec boni angeli, quantūuis accelerent fructū. Ibid. sed nec Magici. I
Creatura cuncta dei pugnat cōtra impios pro fidelibus. 75.H
Creaturæ omnes domino obediūt præter impios. 58.C
Credere in deum conditorem nemo potest, nisi crediderit prius de sanctis eius vera esse quæ scripta sunt. 113.E
Crimen apud deum & homines infame est percutere parentes. 203.B
Crucifixi imaginem quare licet sibi fingere. 169.M.170.A
Crux ipsa funda est qua Dauid Goliath prostrauit. 142.A. figurata per signum Thau. Ibid. & per multas alias figuras. Ibid.& B.C
Crux Christi per aratrum figuratur. 146.B. per cœlum. Ibid. per malum nauis. A. per incessum hominis. B
Crux domini salutem generi contulit humano. 145.M
Crucis virtus & efficacia. 142.B.C
Crucis signo scinditur mare, terra colitur, cœlum regitur, homines conseruantur, inferna reserantur. 146.B
Crucem Christi quomodo adoramus. 170.K
Culpa quo maior est, eo maiora sunt quærenda suffragia. 330.A
Culpantur plura in bellis. 144.B.C
Cultellus lapideus non erat de necessitate circūcisionis. 38.E
Cultus generaliter pertinebat ad populum, specialiter ad sacerdotes. 96.A.B
Cultus idoli non solum interiori signo, sed & exteriori prohibetur. 169.I
Cultus dei & idolorum differentia. 196.B.C
Cultus dei duo respicit. 257.A
Cultus prohibiti, stellarum, elementorum, hominū, auium, suiipsius. 168.C.& seq.
Cultus deorum primò absque simulachris, deinde cum simulachris. 169.G
Cultus exterior signū est cultus interioris. 214.F
Cultus disparitas non caret periculo. 357.I
Cupidi semper soliciti sunt acquirere, & acquisita custodire. 191.M
Cupiditas cur in primo præcepto non prohibetur, cum sit radix omnium malorum. 175.F
Cupiditas quando est peccatum mortale. 192.B
Cupiditates animi quatenus fugiendæ. 190.H
Curiosus nemo sit in rebus diuinis. 157.M
Curiositas periculosum vitium est. 162.L
Cyathus & phyala in quo differunt. 249.K
Cyniphes muscæ exiguæ aculeis permolestæ. 60. H. & seq. quas quidam fuisse credunt pediculos. I.K
Cyrus adhuc puer gesta rege digna gerebat. 12.M

Daniel

D

Daniel & si immenis leonũ ora cõstrinxit, dracones cõfregit, &c.143.A
Daniel tres hebdomadas cõsummauit ieiunus.178.B
Daniel ieiunio leones ieiunare docuit. 361.G
Dauid Uriæ coniugem ideo concupiuit quia incautè respexit.190.A
Dauid in monte Moria sacrificauit ante templi ædificationem.196.M.197.A
Dauid à Beseleel fertur traxisse originẽ. 314.G
Dæmones quantumuis res mirabiles faciant, non dicuntur creatores.53.E.F.
Dæmones possunt humores interiorum & exteriorum sensuum commouere.54.I
Dæmones habent potestatem supra corpora, & supra æstimationem hominum.212.M
Dæmonum inuocatio coniuncta est infidelitati. 213.B
Dæmonibus in operibus carnis seruire nihil durius.48.M
Dæmonum vehicula modò homines sunt, modò eorum affectus.123.K
Debitum rationis duplex est. 215.M
Decalogus exeunti populo de Aegypto lex prima data est.182.C.D
Decalogus vnica potuit inscribi tabula. 325.D
Decalogi verba decem ad legem naturæ pertinent.163.H
Decalogi diuisio in decem. 165. D. & seq. Et antria sint ad deum vel quatuor. Ibidem.
Decem plagæ Aegyptiorum comparantur castigationi nostræ. 92.L.M. 93.A. Calamitatibus Christianorum.B. Persecutionibus tyrannorum.B. & seq.
Decem præcepta legis promulgauit deus per seipsum.164.K
Decimam partem dare nolentibus deus nouem partes aufert.217.H
Decimam reddat qui peccatorũ suorum desiderat indulgentiam promereri.217.K
Decimæ ex debito requiruntur. 217.K. quas qui dare noluerit, res alienas inuasit. Ibidem.
Decimæ nobis magis q̃ deo proficiunt. 217.F.G quę de omnibus laboribus debẽtur.G. & seq.
Decimæ & primitiæ non sunt propriè sacrificia. 218.I
Decimę nec sunt sacrificia nec oblationes. 370.F
Decimarum determinatio introducta est institutiõe diuina.218.D. quia iudicialis erat. Ibid.
Decimarum persolutio quandam significat perfectionem. 218.E. & ex instituto ecclesiæ obligat.E.F
Decimas fraudantes quæ pœna puniantur domino.217.C. & seq.
Decimas dando non solum abundantiam fructuum, sed & corporis sanitatem consequeris.217.G
Decimas soluere tenẽtur homines partim iure naturali partim institutione ecclesię.218.F
Decimum præceptum decimæ plagæ comparatur. 92.C.D
Defendens se potest esse sine peccato, & cum peccato veniali, & cum mortali.203.H.I
Deleri de libro viuentium est anathema fieri à deo.330.C
Deleri de libro vitæ an quis possit. 331. K.L.M. 332.L
Delitiæ admissæ sunt posteaquam desiit perfectio.361.C
Denarius numerus secunda est vnitas triangula. 259.B. & vnam trinitatis vnicæ fidem significat. Ibidem.
Depositarius non tenetur ad restitutionem, si res deposita absq; sua culpa subtrahatur.211.B.I
Depositum potest perdi dupliciter. 211.L
Deprecatio iusti non prodest his qui nolunt pœnitere.334.L
Deprecatio Moysi præstitit vitam cœlicolis similem.353.D
Descendere in mundum q̃o quis dicitur. 21.F.I
Desperandum non est de alicuius salute ante mortem.74.F
Desperatio sequitur ex multitudine peccatorum 34.L.M.35.E
Desperatio nulla cadit in sacerdotem deo dignũ. 329.L
Desyderium humanum totum impletur ex dei visione.344.H. & est multiplex. Ibidem.
Detractiones Iudæorum in Christum. 339.K.L
Detractores quàm iniustè agant. 189.C. qui nisi famam restituant saluari non possunt. Ibidẽ.
Deuotio mentis quæritur ad petendam dei misericordiam.109.B
Deus cur voluit Israel descendere in Aegyptum qui nihil sine ratione vult aut iubet. 1.H
Deus prouidentiæ suæ opera æquè per mulieres exequitur atque viros.10.H
Deus habet ministros suos per quos agit omne quod bonum est.5.D.E
Deus an Moysi in rubo apparuerit, an angelus. 17.B.C
Deus cur illo tempore in flamma ignis apparuit Moysi.17.G.H
Deus multipliciter ignis dicitur. 18. D. & seq. 21.C
Deus non nisi se auctore cognoscitur. 19.A
Deus in mundum descendere dicitur quando nouum in creatura operatur. 21. F. Cum iuuare & exaudire nos incipit. I. Cùm afflictos liberat de manibus affligentium. K. Cum carnem in virgine sumpsit.22.A
Deus quomodo veritas est. 20.M.21.A
Deus agit per homines quod per se agere posset. 21.M
Deus sui origo est, nec aliunde habet principium. 23.E
Deus speciatim in se credentium deus est. 22.M. 23.A
Deus tantũ est, nõ nouit fuisse, & futurum esse nõ nouit.23.L. qui est sine præterito & futuro.M
Deus largiendo terrena suadet ad cœlestia. 21.G
Deus est primum mouens, à quo cætera omnia mouentur.24.F
Deus nihil operatur contra naturam. 26.M. nec præcipere quid potest contra virtutem. Ibid.
Deus reuelat iudicium & seueritatem suam aduersus eos qui aliis inferũt iniuriam. 27.D.E
Deus si iusserit aliena bona rapere, aut furari nõ committitur rapina aut furtum. 27.C. nec homicidium, si iusserit occidere. Ibidem.D
Deus & os sanctorum aperit. 32. A. & aures. Ibid. & oculos. Ibid. & B.
Deus non deserit hominem nisi prius ab homine deseratur.34.L
Deus quomodo sit causa indurationis.36.G
Deus cur aliquos indurari permittit. 35.C
Deus per prophetas omnia sapienter agit. 41.I
Deus partitur suarum gratiarum dona. 50.I
Deus multipharia dicit. 50.M.51.A.B. & seq.
Deus aliquando nuncupatiuè, aliquando essentialiter.51.D.E.
Deus vtitur cordibus malis ad id quod facturus est bonis.51.L
Deus quare non vocauit Pharaonem ad pœnitentiam.60.D
Deus non est auctor peccati. 65.E
Deus nemini malorum auctor est.66.K. quomodo ergo Pharaonem induraſſe dicatur. Ibidem.L
Deus variis modis suam potentiam & virtutem ostendit.66.B.C. quamuis omnia scipso perficere posset.C
Deus in homine non causat malitiam, sed super iusto iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates.68.A
Deus quid facit erga reprobos.67. M. quia iniquitatem reprobis non facit.68.A
Deus hominis voluntatem inclinat ad bonum & ad malum diuerso modo.68.A.B.C
Deus qui Iudæorum erat, factus est Christianorum.67.H
Deus vtitur creatura sua secundum eius merita ad gloriam suam. 68.C. qui malitiã ordinat, sed non causat.D
Deus quare tandiu impium & obduratum tolerauit Pharaonem.68.F
Deus cor Pharaonis obdurauit, quia misericordiam emollire noluit.71.B
Deus Aegyptios modò verbis modò plagis castigabat. Ibidem.
Deus cum præcedẽtibus peccatis irascitur, permittit vt cęcata mens etiã in alia labatur.71.B.C
Deus quomodo est causa excæcationis & obdurationis, & quomodo non.71.D.E.F. & seq.
Deus est causa vniuersalis illuminationis animarum.71.D.E
Deus proprio iudicio lumen non immittit his in quibus obstaculum inuenit.71.E. quomodo nõ apponit gratiam. Ibidem.
Deus specialiter dicitur esse deus Iustorũ tripliciter.72.E
Deus dicitur aliquibus esse causa peccati quia non confert eis auxilium ad vitandum peccatum. 74.L. Vel dum negat eis gratiã ad corda eorum immutanda.M
Deus quomodo transire dicitur.84.A.D
Deus percutit impios non per seipsum, sed per angelos malos.84.C
Deus pronior inuenitur ad beneficia quàm nos ad precationes.87.D
Deus cum loquitur fidelis est, cuius sermo sacramentum est.101.D
Deus quos scit non credituros reliquit in tenebris quas ipsi sibi elegerunt.105.K.L
Deus quomodo Pharaonem & seruos eius induraſſe dicatur.105.I.K.L.106.K.L
Deus laboribus tentando probat quos beneficio afficit.107.C
Deus diuinum suis mittit adiutorium, vbi humanum deficit auxilium.108.I
Deus non includitur loco. 109.D
Deus quomodo respicere dicatur. 111.M
Deus dicitur vir belli, vir bellorum, vel vir bellicosus.115.K.L
Deus masuetissimus vitiis nostris ad iracundiam prouocatur. 118.C. nec alias habet passiones. Ibidem.
Deus redemit populum suum ex Aegypto, non pecunia, sed miraculis.119.K
Deus exaudit impias Iudæorum murmurationes. 128.E
Deus non statim punit, sed pœnitentiam nostræ conuersionis expectat.131.B
Deus cur tantam vindictam exercet in Amalechitas.145.E.F
Deus an bellum possit inbere. 144.D.E
Deus non minus voluntatem habet tribuendi quàm tu petendi.147.A

Deus





Deus multis familiaris fuit prophetis, sed non sicut Moysi. 152.K
Deus dona sua vnicuique pro sua voluntate distribuit. 152.G
Deus quomodo dicatur habere alas. 154.E
Deus venit ad hominem, quando illi sua beneficia largitur. 155.L. recedit verò quãdo beneficia sua subtrahit. Ibid.
Deus descẽdere in mundũ quomodo dicit. 156.F
Deus multipliciter dicitur ignis. 159.B.C
Deus multis modis loqui dicitur. 159.L.M. 160. A. & seq.
Deus quomodo dicitur in montem Sinai descendisse. 159.E.160.I
Deus non vult vt eius essentiã in hoc seculo inuestigemus.161.A. sed eius voluntatem. Ibid.
Deus cur in caligine Iudæis apparuit. 162.C
Deus hominem creans, omnẽ naturaliter ei scientiam legis inseruit. 163.I
Deus quomodo sit solus colendus. 165.K.L.M
Deus flagella mittit nõ solũ in homines, sed & in agros eorum propter peccata. 165.M.166.A. & sequen.
Deus quomodo dicitur iustus. 166.E
Deus quomodo vnus est sibi. 167.M. qui nihil in se habet nisi se. Ibid.
Deus dicitur à videndo. 168.E.F
Deus animæ fornicanti dat libellum repudij. 171.B.C
Deus indignari se dicit & irasci, quando vult misereri. 171.D
Deus animam quam sibi despondit in fide, non vult in peccato remanere. 171.H.I
Deus zelotes quid significat. 173.E
Deus per ipsam essentiam est ipsa bonitas. 174.F quam nullus odio habere potest. G
Deus tantæ seueritatis est, vt puniat impietatem in septima generatione. 174.M.175.A
Deus nõ finit malos impunitos. 174.M. benignior tamen in pios, quàm seuerus in impios. Ibid.
Deum venerari debemus primò corde, secundò ore, tertiò opere. 178.G
Deus solus omnium animarum sanctarum pater est. 182.M
Deus per angelos loquebatur populo Israel. 193.L.M
Deus tentat metaphoricè. 194.F
Deus quatenus est cognoscibilis. 195.D.E.F
Deus nulla re indiget. 214.C
Deus quasdã creaturas suo nomine dignatus est. 216.L.M.217.B
Deus per minuta admodum animantia suis auxiliatur. 229.M
Deus cur non omnes terras promissas cõcessit Hebræis. 230.G
Deus nullo continetur loco. 234.F
Deus natura inuisibilis est. 235.B
Deus visus est à patribus, sed in aliena forma. 235.D. per quasdam imagines. E.F
Deus in templo manufacto habitat. 242.D.E. & in domo sacrata per spiritualem cultum. E
Deus quomodo specialius dicatur esse in templo, quàm in aliis locis. 242.G.H
Deus habitat in omnibus per fidem, quæ per dilectionem operatur. 242.F
Deus inhabitat in omnib⁹ creaturis per essentiã, potẽtiam, & præsentiam. 242.F. spiritualiter tamen in sanctis. Ibid. sed & in pueris baptizatis. Ibid.
Deus quomodo est in omnibus rebus per essentiã, potẽtiam, & præsentiam. 304.H. sed vltra est in rationali creatura tanquam habitans in templo suo. I

Deus forma corporis definitus non est. 317.F
Deus cur legem populo Iudæorum & tot beneficia contulit. 317.L
Deus cur potius decalogum in tabulis lapideis, quàm ligneis &c. 318.D
Deus ostẽdit se teneri posse ne faciat quod minatus est. 322.F. & licet summus, vnius iusti preces admittit. G.H
Deus non hominibus, sed vitiis irascitur. 324.B
Deus est omnia sanctis. 327.H
Deus populum peccantem non vocat suum. 333. K.L.M. 334.C
Deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent. 338.C. Sic humiles nouit, superbos autem ignorat. Ibid.
Deus quatenus in patria videri potest. 234.G.H & sequen.
Deus omnium vniuersalium & singularium cognitionem habet. 338.D
Deus cognoscit res quomodo esse rebus tradidit. 338.F. qui immediatè operatur in rebus omnibus. G
Deus cur huic & non illi confert gratiam, quam neuter posit promereri. 344.F
Deus in hac vita videri non potest, sicuti in vita æterna videri potest. 346.D. quia in natura sua videri nõ potest. E
Deus infigurabilis omnino est. 247.B
Deus non apparuit Moysi in specie quam videre cupiebat. 347.K
Deus à nullo potest hic videri sicuti est. 348.C. sed sicut ipse vult. D. & seq.
Deus cur dicitur inuisibilis. 348.I. & quomodo videatur à beatis. Ibid.
Deus ab homine puro per essentiã videri non potest. 348.G.349.E.F
Deus est inuisibilis & inenarrabilis ab omnib⁹ quæ ab eo facta sunt, non tamen incognitus. 349.I
Deus in hoc videtur, vt nunquam desinas ad eũ respicere. 350.L
Deus misericordia sua vincit peccata mortaliũ. 353.C
Deus non pugnat aduersus leges suas. 353.L
Deus segetem cordis nostri illuminans, auget nos & multiplicat. 355.M
Dei cultores plures præter Iudæos fuerunt. 17.C
Dei auxilia iustis proxima. 5.G.H
Dei est mentem vitiosam emollire. 36.G
Dei maior est benignitas, quàm humana fragilitas. 48.K. cuius non minor est clementia. Ibid.
Dei cognitio etiam apud gentes olim erat. 148.K
Dei præsentia commouentur corda ad dei timorem. 162.K
Dei nomen assumere in vanũ dilectioni dei omnino aduersum est. 175.M
in Deum nõ credit, nisi qui scripta patriarcharũ & prophetarum credat. 113.E.F
Dei potentiam serui preces impediunt. 322.F. sicut dei sententia sanctorum precibus frangitur. Ibidem
Dei nomina duodecim dei proprietates ostendentia. 355.A.B
Deo nil magis proprium quàm esse intelligitur. 23.B. cuius in substantia essentia est. C
ex Deo est quicquid charitati prodest & fidei inter homines. 150.M
Deo nõ placet laudari sine timore. 119.F. cui propriũ est ꝑ sola laudabilia opera timeri. Ibid.
Deo & electis seruiunt omnia. 202.I
Deo magis familiaris & amicus est, in quo plus operum suorum inesse perspexerit. 336.C
Deum esse quinque viis probari potest. 241.E & sequen.
Deum videre simpliciter bonũ, curiosè verò velle videre, malum. 156.H
Deum dari & deum esse differunt. 51.A
Deum fide cognoscimus. 265.L
Deum aliquem ex nomine cognoscere quàm sit grande. 314.K.L
Deum patrem audiamus, quem videre non possimus. 234.G
Deum nemo vidit vnquam. 346.D.E
Deum nulli mortaliũ apparere in sua essentia Iudei dicunt, citra mortis discrimen. 348.M
Deum nemo ita videre potest, vt videndi desinat desyderium. 350.L
Dij dicũtur angeli, pphetæ, sacerdotes. 51.D.E.F
Dij multi & domini multi appellãtur. 165. G.H.I
virga Dei postea dicitur, quę prius dicta est virga Aaron & virga Moysi. 143.A
Dij alieni qui dicuntur. 175.L
Dij vocantur sacerdotes. 199.I
Dij aliquando viri sublimes, & sapientes. 216.I aliquando electi prædicatores. Ibid. aliquando sacerdotes, aliquãdo angeli. Ibid. aliquãdo iudices. 217.A
Deorum nomina à vitiis imposita. 196.E
Deos quosdam cœlestes, alios terrestres, & alios subterraneos Aegyptij existimabant. 68.K
Dextera patris dicitur filius dei. 116.E
Dextera domini quæ sit. 117.L.M
Diabolus quare dicitur rex Aegypti, & quę sint eius opera. 5. A
Diabolus maximè persequitur bonos, malos verò rarò, quia amici eius sunt. 5. D. & bonos per malos persequitur. Ibid.
Diabolus scit nõ posse nutriri fœminas, nisi prius mares occidantur. 8.I.K
Diabolus os susurronũ, & detractorum aperit. 31.L.M
Diabolus & ministri eius semper volunt mala opera fieri. 44.H. nec nos sinunt ad cœlũ oculos leuare. Ibid. sed diuersis ac grauibus comprimunt tentationibus. K
Diabolus quomodo aggrediendus & vincendus est. 56.C.D.E
Diabolus antonomaticè dicitur inimicus. 120.D
Diabolus mercat plurimos pecunia sua. 123.C.D
Diabolus pater sceleris est quo Christus est crucifixus. 171.F
Diabolus aliam legem super legem naturæ seminauit. 164.F
Diaboli ministri q̃ diuersi sunt à ministris dei. 5. D. & eorum varia opera. Ibid. & seq.
Diaboli tot sunt seruitutis iuga quot vitia, tot onera quot peccata. 5.F
Diaboli castra non sunt timenda. 5.G.H
Diaboli potestas in humano genere maximè per luxuriam præualuit. 85.F
Diaboli arma gentes erant. 92.I. vas diaboli, caro peccatoris. Ibid. quam Christus vas fecit electionis. Ibid.
Diabolo tradimur, cùm deserimur à deo. 52.B
Diabolo quo ordine resistendum est. 45.I.K.L
Diabolũ contra se pugnantẽ tãdiu quisq; nõ sentiet, q̃diu opera illius exercere voluerit. 145.I
Dicta sapientũ à Gẽtilib⁹ nõ sunt sperneda. 152.H
Dies & menses secundum lunæ cursum Iudæi cõputant. 81.B
Dies septem solennitatis Paschæ quid signant. 88.E.F
Dies tertius tertij mensis quinquagesimus fuit à paschate Iudæorum. 158.G.161.I
Dies quomodo obseruare licet. 226.F
Difficultas multa est in actib⁹ & in fide. 105.M

Dignitates

*Dignitates & temporales & spirituales vendens furtum committit.188.E.F.*
*Digitus dei, manus dei, & brachium dei.60.M. 61.A.& seq.sed & digiti dei.D*
*Digitus dei appellatus est spiritus sanctus. 116.C.D*
*Digitus dei spiritus dei intelligitur. 250.I*
*Diligere mundū & ea quę in mundo sunt, Aegyptius languor est.126.D*
*Diligere parentes post deum pietas est. 182.M*
*Diligere omnes debemus, sed non omnibus benefacere possumus.183.D*
*Dilectio ficta non durat in aduersis. 107.A*
*Dilectio in deum perfecta nō est quę in ministros eius odio tenuatur.113.E*
*Dilectio proximi certus gradus est ad dilectionem dei.182.G*
*Dilectio proximi per misericordiæ cōpassionem commendatur.214.G*
*Dilectio proximi in duob⁹ præceptis subdiuiditur.258.M*
*Discere tutius est quàm docere, & tacere quàm loqui.22.C*
*Disciplina quænis bona, & laudabilis consuetudo apud gentes à lege dei sumpsit exordium. 310.E*
*Disciplina & misericordia se comitantur. 327.L*
*Disciplinæ Philosophorum non sunt omnino reiicendæ.28.A.B*
*Discipuli Christi & discipuli synagogæ in quo differunt.95.B*
*Diuites in quibus differant ab auaris. 133.K.L. 134.A.& seq.*
*Diuitiæ spiritualiter prosunt ad eleemosynas & sacrificia.188.G*
*Diuitiæ & bona temporalia vix bona fide tractantur.211.H*
*Diuina essentia est actus purus. 195.D*
*Diuina sunt magna discretione scrutanda.162.L*
*Diuinatores peccant contra primum præceptum. 168.F*
*Doctor à deo discere debet quod doceat ecclesiā. 195.F*
*Doctor se debet infirmitati audientium contrahere.251.G.H*
*Doctores sancti vicenario numero exprimuntur. 266.B*
*Doctrina spiritus coronans animam, in fine securus ad tribunal Christi accedit.353.B*
*Doctrinæ quas gētes possident à Christianis sunt auferendæ.92.H*
*Dominus se deum Hebræorum nūcupare dignatus est.64.G*
*Dominus quomodo cor peccatoris obdurare dicitur.71.C*
*Dominus præsens est fidelibus & piis. 73.C*
*Dominus quamuis omnipotens in puniendis malis, aliquādo vult habere cooperatores.73.M*
*Dominus impios humiliat & superbos. 91.A*
*Dominus pugnat pro fidelibus. 112.G*
*Dominus sua munera largitur, quando, & quibus voluerit.137.F*
*Dominus conseruat eos qui seruant legem eius in perpetuam felicitatem.175.B*
*Dominus non ea tantum quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium.233.B*
*Dominus nouit conditiones fragilitatis humanę. 356.H*
*Domino, apparente plurimi Iudæi occæcati sunt gentes verò illuminatæ sunt.35.L*
*Dominationes nihil aliud sunt quàm ordo quidam & multitudo dominorum. 165.H*
*Dominica die primò data est Israeli mānа. 128. K.& in Sabbato non pluit.Ibidem.*
*Dominica dies in deserto sub figura prælata est sabbato.128.K*
*Dominicæ diei obseruatio ex consuetudine est ecclesiæ.179.E.nec in ea ita arcta est prohibitio sicut in die sabbati olim fuit.Ibid.180.K*
*Dominico die corpus lauare peccatū nō est.181.E & quæ opera illo die fieri debeāt.Ibid. &.F*
*Domus pro familia interdum sumitur. 6.M. 7.D.E*
*Domus sacrata dicitur templum. 242.F*
*Domos ædificare spirituales quid. 8.A*
*Donatio mala furtum est. 188.D*
*Donum sancti spiritus pignus dicitur. 219.E*
*Dona dei sanctis per spiritum sanctum diuidumtur.317.G*
*Duodecim patriarchæ figurabant. 12. Apostolos.2.F*
*Duodecim fontes in Helim duodecim figurant Apostolos.126.H.I.&c.vel doctores.M*
*Duodecim maris rubri diuisiōes. 110.E.G.111.E*
*Duodenarij numeri ratio. 126.M.*

*E*

*Ebrietas dominum non recipit, spiritum sanctū expellit.362.E. Quod ebrietas perdiderat inedia reperit. 362.F*
*Ecclesia piorum velut castrorum acies terribilis est impiis.3.F*
*Ecclesia per filiā Pharaonis designatur, & diaboli filia intelligitur.11.G*
*Ecclesia dei quotannis solennem ritum immolationis agni obseruat.81.M.82.A*
*Ecclesia sine cruce stare non potest. 146.A*
*Ecclesia mane visitanda. 151.C*
*Ecclesia non est sine præsidibus vel custodibus sufficientibus relinquenda.238.C*
*Ecclesia sancta locus est Christi. 259.A*
*Ecclesia hoc per spiritū agnoscit quod per literam Synagoga prius agnoscere non potuit.365.F*
*in Ecclesia stare propriè, extra quam nemo stat. 20.H.I*
*Ecclesia per tabernaculum Moysi figurata est. 376. A.E.F.G.cuius columnę fuerunt Apostoli & doctores.G*
*Ecclesia quasi aurum radiare debet.376.M.quæ per quatuor mundi partes tenditur.377.A*
*Ecclesia vna est electorum præcedentium & seq. 278.B*
*Ecclesia Christi figurata est per talarem tunicam pontificis.383.K*
*Ecclesia constructa est primo mēse.386.G.& seq.*
*Ecclesiæ per totum orbem ad fundendas deo preces ædificantur.7.L.M*
*Ecclesiæ ad asyla publicè deputantur. 202.I*
*Ecclesiæ sola vnitas deum videre meretur.233.F*
*Ecclesiæ prepositorum cura. 263.A.B*
*Ecclesiæ mysteria vulgata sunt per totum orbem terrarum.276.M*
*Ecclesiæ longitudo & latitudo. 277.K.L*
*Ecclesiam ex gentibus congregatam Aethiopissa Moysi vxor figurabat.15.G.H*
*Editio Latina nec à Græcis nec ab hæreticis vituperanda est.65.B*
*Edom terra est in qua habitauit Esau. 121.C*
*Ego sum qui sum nomen naturæ diuinæ est.23.M 24.A.& seq.*
*Electorum omnium eadem erunt præmia, sed pro diuersis differentia meritis.288.F*
*Eleemosyna si ob laudem fiat, inanis est gloria. 388.L*
*Eleemosynam si de superfluo non dederimus, res alienas inuasimus.217.L*
*Elegit dominis senes ad imperium, & summum sacerdotium.52.I*
*Elementa etiam contra naturam suam deus sibi obtemperantibus seruire compellit.110.E*
*Ephi continet tres modios. 139.E.F*
*Ephod vestis humeralis. 242.C.D*
*Ephod præcipuum erat summi sacerdotis ornamentum.282.C.& duplex fuit Hebræis.E*
*Ephod quid sit. 382.E*
*Episcopi non sunt temere reprehendendi.130.I.K*
*Episcoporum negligentia mater est insolentiæ clericorum.320.K.L*
*Equus Iudam figurat.116.L. peccatorem.117.C. mundum.D*
*Equi dicuntur qui bonos persequūtur.116.L.sed & qui ascensorem habent diabolum.Ibidem. 117.C*
*Errata aliena quando licet reprehendere.150.H*
*Error Porphyrij circa beatitudinē aīæ.348.F.G*
*Errores Arij & Eunomij circa filium. 166.K*
*Errores multorum circa trinitatem. 166.K.L*
*Eruditio omnium rerum nil nobis prodest, nisi scientia dei coronemur.293.I*
*Esaias quomodo viderit deum. 235.C.D*
*Esaias fertur occisus quia dicebat se vidisse deum. 346. L. M.licet Moyses dicitur vidisse.Ibidem.*
*Esaiam interfectum ob duas causas Iudæi dicunt.339.C*
*Essentia diuina per naturas rerum materialium videri non potest.348.G*
*Esse nomen est incommutabilitatis.23.E.& seq. cui nostrum esse comparatum, non esse est.L*
*Etham desertum magnum. 113.A.& seq.*
*Ethnici debitores sunt Christianis. 91.L*
*Euangelium cum lege consonat. 105.M*
*Euangelium quomodo per paucos in orbem vniuersum dispersum.239.G.& seq.*
*Euangelij sacramentum eius spiritus sancti descē su completur.161.I*
*Euangelia docent qualiter Christi charitas sit seruanda.259.C*
*Euangelicus sermo & trinitatis fides semper sit in pectore eius qui vult pontificatū gerere.369.B*
*Eucharistiæ sacramenti figura. 84.H.& seq.*
*Eucharistiæ sacramenti institutio. 90.C.D*
*Eucharistiæ sacramentum quomodo diiucādum sit.129.K.L.M.130.A.B*
*Eucharistiæ sacramentum multipliciter est figuratum.304.M.305.A.& seq.*
*Eutrapelia virtus est circa ludos. 321.E*
*Excommunicationis sententia in quos sit ferenda.357.C.D.*
*Excusationis mos in peccatis. 326.F*
*Exercitus domini contra Pharaonem & seruos eius.74.C*
*Exercitium honestissimum est curare pecora.14.I*
*Exodus vnde dicitur. 1.D*
*Exodus præsentis ecclesiæ omnia sacramenta exprimit.1.B.Cui⁹ necessaria est meditatio. Ibi.*
*Exodus inter quinque libros Moysi excellit. 389.F*
*Expiationis dies erat decimus Decēbris.307.D*

*F*

*Facere pro sacrificare ponitur. 303.F*
*Factor non factura adorandus est. 169.K*
*Facies non semper dicitur hominis. 132.C*
*Facies dei cognitio diuinitatis eius. 341.A.& inuisibilis essentia diuinitatis filij dei. Ibid. respectus gratiæ dei.B. vel notitia.Ibid.*
*Facies dei præsentiam diuinam significat. 72.F*
*Faciem dei homo videre non potest. 339.D*
*Falsum testimonium habet triplicem deformitatem.188.M.189.A. quod etiam extra iudicium prohibetur.Ibid.& B*
*Falsum testimonium habet triplicem deformitatem. 220.C*
*Fama est homini super omnia chara. 189.C*
*Fames audiēdi verbum dei multos compellit intrare Aegyptum. 43.D*
*si Fames & egestas opprimant mūdum hoc fit ex ira dei propter contemptum pauperum, & decimarum. 217.E*
*Fermentum nulla ratione Græci sacramento Eucharistiæ admiscent. 84.L.M*
*Ferrum ad instrumenta sacrificiis opportuna non admittebatur. 272.I*
*Festum Paschæ, quomodo celebrandum.83.E.& cur fugientibus Iudæis celebrandum præcipitur. E.F*
*Festum paschæ primum omnium institutū est propter custodienda republica Israelis. 86.M*
*Festum tabernaculorum cur faciebant Iudęi mēse septimo. 96.K.L*
*Festo die quid agendum sit. 137.B.G.H*
*Festa Hebræorum & eorum causæ. 223.D.E*
*Festa duobus modis celebrare debemus. 178.M. 179.A*
*Festorum Hebræorum figuralis ratio. 226.H.I*
*Festis dieb⁹ circa tria occupari debem⁹.179.B.C*
*Festis tribus apparebat omne masculinum coram domino. 358.K.359.A.B*
*Festiuitates præcipuę tres per annum iubētur obseruari Iudæis. 224.D.& seq.*
*Fides & humilitas à domino exauditur in sanctis. 59.K*
*Fides passionis Christi ab Israelitis exigebatur. 81.F.G*
*Fides virtutum & operū primogenita est. 92.D*
*Fides partus sit nostер, nutrimenta nostra præcepta sint naturæ. 101.H*
*Fides Iethro de deo tot auditis miraculis.149.A*
*Fides vna, deus vnus, vna ecclesia gentium & Iudæorum. 155.H*
*Fides rectæ pietatis firmissima basis est. 176.A*
*Fides vera præstigia repudiat dæmonum.212.M*
*Fides & opera ex fide sunt ornamenta fidelium. 335.G*
*Fidem violantibus non est violanda fides. 64.F*
*Fidem in deum & in omnes sanctos eius habere quomodo possibile est. 113.D. quæ in deum perfecta non est, si in ministros eius infidelitate tenuatur.E*
*Fidelis mens nunquā certius auxilium inuenit, q̄ si ad deum in tribulatione recurrat. 45.G*
*Fideles omnes intra corpus ecclesiæ constituti, alij sancti, alij peccatores. 375.F*
*Fidelium & infidelium differentia in aduersis. 107.C*
*Fidelium animæ per charitatem coniunctæ sunt. 260.A*
*Figura nouarum rerum erant vetera. 142.D.E*
*Figura & res figurata non sunt idem. 129.I*
*Figuræ multæ passionis Christi apud prophetas. 81.F*
*Filia Pharaonis ecclesiam ex gentibus cōgregatam designabat.11.D.& seq. sed etiam gratiam.12.A*
*Filiam vendere quibuscūque rationibus impium est. 201.C*
*Filius dei in rubo Moysi locutus est. 18.F.19.A*
*Filius damnationis post tot portenta, & tot clades non fit melior. 74.M*
*Filius dei est manna verū de cœlo datū.126.C.D*
*Filius iniquus iniqui patris non solum pro suis, sed & p paternis punietur peccatis. 173.B.C*
*Filius dei visibilis est in homine, & cōtrectabilis deus. 350.E*
*Filius dei dicitur dextera dei patris. 116.E.& brachium.Ibidem.*
*Filius dei quomodo visus sit à patribus.346.H. scilicet Abrahæ & Iacob.Ibid.& Moysi.I*
*Filij Israel in Aegypto suspirābant ad terram sibi promissam. 3.C*
*Filij dei qui dicuntur, & quomodo. 36.L.M*
*Filij fidelium ad timorem dei nutriri debent. 71.K.L*
*Filij paruuli cur sæpius à dæmonibus arripiuntur.173.C.sed & proiectiores.Ibid.*
*Filij hæreditario malo puniuntur pro patribus. 174.A.B.pœna verò temporali.175.B*
*Filij in parentum peccatis nutriti proniores sunt ad peccandum. 174.F*
*Filij quomodo puniuntur pro parentibus in tertiam & quartam generationem. 354. D.E. L.M.355.A*
*Filii emendati non portabunt iniquitatem patrū impiorum. 355.A*
*Filii qui pro parentum peccatis puniūtur in tertiam & quartam generationem. 353.I.K.L*
*Filiorum pœna pro delicto parentum dicitur de filiis natis post delicta parentum. 174.C*
*Filiorum peccata separata sunt à peccatis parentum. 175.C*
*Filios Israel cur deus in Aegypto affligi permisit. 3.D*
*Finis beatitudinis hominis est adhærere deo. 213.G*
*Finis vniuscuiusque deo prægnitus est ante ortum. 331.A*
*Finis dicitur propter quem fiunt omnia quæcūq; aliquo fiunt officio. 365.E*
*Finem vituperabilem præscientia dei ignorare non potest. 331.A*
*Flagella diuina quantum prosunt. 41.A.B*
*Flumen Aegyptium quare vertitur in sanguinē. 56.G.H.&c.*
*Fœlicitas piorum odium auget impiorum. 3.E*
*Fœlicitas magna homini, si beneficiis respondet creatoris. 147.A*
*Fœlicitatis futuræ meminit Moyses. 348.K.L*
*Fœmina in sacris scripturis quid significet. 8.H: & sequen.*
*Fœminarum Hebræarum castitas & misericordia. 6.E.F*
*Formido de futuris, pauor de præsentib⁹. 123.A*
*Fornicātio impossibile est intrare in regnū cœlorum.186.K. etiam si innumera bona opera fecerit.Ibidem.*
*Fornicatio animæ quid sit. 172.I*
*Fornicatio simplex an prohibeatur per decalogum. 185.K.L.186.C.& seq.*
*Fornicatio quædam spiritualis dicitur. 357.E*
*Fornicatio etiā extenditur ad quæuis genera superstitionū.187.B.C.& ad heresim.C.D.G.H*
*Fornicationis pugna violenta est. 146.H. quam vincere nequeunt qui aliis virtutibus non muniuntur.I*
*Fornicationem simplicem asserere non esse peccatum mortale, hæresis est. 187.G.H*
*Fortitudo & sanctitas in deo in quo differunt. 120.I.K*
*Fraudes in mercationibus furta sunt. 188.D.E*
*Fugit Moyses, fugit Iacob, fugit Dauid, fugit Christus, fugit Paulus. 13.H.I*
*Fugit à facie dei, q̄ ūdignⁿ est cōspectu dei. 149.I*
*Fur nocturnus nō pertinet ad homicidium, secus de fure diurno. 209.A.B.& seq.*
*Fur quare plus de bōbus & ouib⁹ reddere tenebatur, quàm de aliis rebus. 208.E.H.K.L.M*
*Fur suspēdēdus nō desperet de salute sua. 208.M*
*Fur dicitur hæreticus. 210.A.& seq.*
*Fur nō solùm in maioribus, sed & in minoribus indicatur. 188.A*
*Furis pœna habentis adhuc furtum apud se & non habentis diuersa. 209.F*
*Fures sunt tyranni, Simoniaci. 188.E*
*Furor contra parentes, indicium est corruptissimi animi. 203.B*
*Furtum non fuit Iudæis tollere spolia Aegyptiorum. 26.L.M.27.A*
*Furtū dicit̄ q̄cquid alterius dāno q̄ritur. 187.M*
*per Furtum quod contra dei præceptum subducis, de cœlo perdes. 188.B*
*Furtum multis committitur modis. 188.C.& seq.*
*Furtum punitur pœna lege taxata. 208.L*
*Furti plures sunt differentiæ. 70.K*
*Furti peccatum cæteris periculosius. 188.F. quia non facilè de illo satisfit.Ibid.*
*Furti nomine rapina quantò deterior, tantò magis prohibetur. 188.H*

*G.*

*Galbanus ferulæ succus esse dicitur. 313.E.F*
*Gedeon quomodo peccauit faciēs Ephod i ciuitate sua.282.A.et seq.*
*Generatio quarta à Iacob terminatur ad Moysen. 49.F*
*Generatio tertia & quarta quibus filios pro delictis parentum punit deus, potest septima intelligi. 174.M*
*Generationum spiritalium quædam masculinæ sunt, aliæ fœminæ. 101.G.& seq.*
*Gentes eiecto Israel, assumptæ sunt in ius primogenituræ. 37.F*
*Gentes quæ dominum penitus contempserunt, per vnius obedientiam iustificatæ sunt. 232.E*
*Gentes colebant cœlestia corpora, &c. 229.B.C*
*Gentilibus nihil est insipientius. 152.L*
*Gloria dei exaltata est per totum orbem propter plagas Aegyptiorum. 71.H*
*Gloria dei dupliciter dicitur. 131.A*
*Gloria senum cani sunt. 233.G*
*Gloria dei viuens homo est. 349.K*
*Gloria multipliciter dicitur. 388.I. & præcipuè in sacris scripturis. Ibid.&.K.L*
*Glorificari; & glorioſe glorificari differunt. 116.I.K*
*Gomor siue Gomer quid sit. 133.A.& seq.*
*Gomor, Gomer, vel Homer quid sit. 139.F*
*Gomer siue Homer; qui & Chorus dicitur, quid sit. 303.L*
*Gradus in trinitate faciunt qui per gradus ad altare ascendunt. 197.L*
*Grandines generātur ex naturalibus causis, quas deus administrat prout vult. 69.C*
*Gratia de cœlo ad Iudæos in sabbato suo nō descendit, in dominica autem descendit. 128.K*
*Gratia dei murmurantibus manna de cœlo & aquam de terra produxit. 142.H.I*
*Gratia euāgelij firmauit legem infirmam. 146.F*
*Gratia sine libero arbitrio hominis non vult neque currit. 345.F*
*Gratiæ vsus à deo est. 345.D*

*Gratia dei nostrum liberum excitat arbitrium.* 343.*L.gratia quidem præueniens, quod comitatur cooperans. Ibidem.*
*Gratiæ conferēdæ opiniones variæ.* 344.*F.G.& quidam errores. Ibidem.*
*Gratiæ deo quales referri debeant.* 115.B
*Gratiam resipiscentiæ deus non largitur nisi petatur.* 63.K
*Gratitudo & beneficentia sectanda.* 3.C
*Gratitudinem duplicem exigit deus pro beneficio redemptionis.* 98.M
*Gratitudinem testari opus est deo acceptissimum.* 101.B

H

*Hæresis Pelagianorum circa merita.* 345.B
*Hæresis Cherinthi circa initiū Christi.* 360.B
*Hæretica turpitudine nihil turpius.* 198.B
*Hæreticus quisq; nomē dei assumit in vanū.* 58.K
*Hæreticus ascendit equos per superbiam.* 107.I
*Hæreticus vel schismaticus alienus est à populo dei.* 201.M
*Hæreticus vel schismaticus aliquem excutiēs de gremio ecclesiæ grauissimè peccat.* 206.H.I
*Hæretici assumentes sacram scripturam ad sensum suum, non deum verum habent.* 197.H
*Hæretici per dolum aliquem seducentes morte digni sunt.* 204.C
*Hæretici vocantur fures.* 210.*A.B.C*
*Hæretici sunt occidendi.* 215.F
*Hæreticorum opiniones lapides quidā sunt.* 194.*L. quibus hæretici obruuntur. Ibidem.*
*Hebræi minus quàm aliæ gentes norunt historias & rerum naturas.* 241.L
*Hebræi aduersus Amalechitas armis Ægyptiorum submersorum ad littus eiectis.* 143.C
*Hebræi ante legem datā literas habuerunt.* 152.I
*Hebræi pro suo more mensuræ genera per ona explicant.* 303.L
*Hebræis mos erat libros suos vocare à primis illius libri dictionibus.* 1.D
*Helias virgo fuit.* 147.L
*Helias in monte Carmeli altare ædificauit.* 197.*A. De duodecim lapidibus.* C
*Helias post quadraginta dierum ieiunia curru igneo ad superna cœlorū translatus est.* 239.*A*
*Herodes ad eadem crudelitatis conuersus est cum Pharaone argumenta.* 11.E
*Hieroboam descendēs in Aegyptū accepit vxorem à Susachim rege Aegypti.* 149.G
*Historia quid sit.* 250.M
*Holocaustum domino gratum erat ex parte operantis, & non operis operati.* 299.I
*Holocausti sacrificium à tribus commendatur.* 299.G.H
*Homerus deos suos mutabiles dixit.* 322.H
*Homicida per industriam, insidias, vel dolum designatur.* 203.
*Homicida est diabolus, & qui fratri suo mala persuadet.* 184.G.M
*Homicidam nolentem cur dominus fugere iubet.* 202.C
*Homicidæ sunt non solum qui gladio occidunt, sed qui odiosē viuunt.* 65.H
*Homicidium diaboli inuentum est.* 184.*I. quod maius est malū quod possit inferri proximo.* K
*Homicidium ex ira generatur.* 184.*H. licet aliquando opportunè fiat.* I
*Homicidiū iniustam boīs occisionē sonat.* 185.H
*Homicidium repentinum dei iudicio scriptura attribuit.* 202.F
*Homicidium nullū sit sine dei prouidentia.* 202.I
*interdū in bonū occisi, interdū occisoris. Ibid.*
*Homicidij crudelitas obnoxia sit morti diuino iudicio.* 206.M
*Homicidia quo odio deus vlciscatur.* 206.L.M
*Homo propositus est quasi medius inter iustitiam & iniustitiam, luxuriam atque modestiā. &c.* 14.E
*Homo quamuis imperitus mutis animalibus comparatus dicitur eloquens.* 30.H
*Homo penes appetitum sensitiuum pecoribus comparatur.* 65.G
*Homo indebitè occidi non potest quauis lege posita.* 77.H
*Homo peccato suo seipsū vēdit diabolo.* 123.C.D
*Homo quomodo sit iniquus.* 144.K.*& quomodo iustus.* L
*Homo aut deū patrē habet aut diabolū.* 171.E.F
*Homo conditus est vt rationalis omnis irrationalis creaturæ rex.* 190.L
*Homo ante legem de duobus superbiebat.* 317.M 318.*A*
*Homo plhibetur de suis meritis gloriari.* 342.M
*Hominis natura libertatem maximè amat.* 5.C
*Hominis perfectio consistit in honore dei & proximi.* 183.C
*Hominī naturale est per sensus duci in notitiam intelligibilium.* 33.H
*Homini nihil est anima sua coniunctius.* 182.L
*Homines submersi nō naturaliter natant vsquequo crepuerit fel.* 119.K
*Honestas decet maxima sacerdotes domini virtutum.* 197.G
*Honor parentū in suo gradu seruandus est.* 182.G
*Honor debitus parētibus qualis est.* 181.M.182.*A. contra quem Scribæ & Pharisæi decreuerant. Ibidem.* B
*Honor parentum vitā meretur diuturnam.* 203.B
*percussio autem immaturam mortem. Ibidem.*
*Honorem diuinum aliis exhibere dignum est pœna mortis.* 314.D
*Horeb mons dei in regione Madian.* 16.G
*Horeb seu Chorcb mons est in regione Madian.* 140.M
*Hostis dū oras pmitur, dū cessas erigitur.* 146.L
*Humanitatis Christi ad superbiam diaboli collatio.* 41.B.C
*Humilitas gloriosa virtutum regina.* 50.L
*Hur dicitur à Iudæis filius Mariæ & Caleph, ab aliis maritus eius.* 238.G
*Hypocritarum fides fragilis est.* 107.*A*

I

*Idolum quomodo nihil est.* 168.M. 169.F
*Idolum facere sibi, & Idolum facere differunt.* 168.M.169.H
*Idolum vnum pluraliter deos appellat.* 318.M. 319.*A*
*Idola Ægyptiorum.* 63.B.65.F
*Idolorum detestatio.* 196.C.*& seq.* 213.D.*& seq.*
*Idololatrarum fatuitas.* 196.C.*& seq.*
*Idololatris non facilè est deum ignoscere.* 332.H
*Idololatria est fornicatio spiritualis & scortatio.* 357.I
*Idololatriæ & sacrilegia Iudæorum.* 169.D.E.F
*Iecur concupiscentiæ instrumētum.* 300.D.301.L
*Ieiunare frequenter in nobis virtutum portio dei est.* 336.C
*Ieiunat Moyses qui non peccarat, & ignoscitur peccantibus.* 360.L
*Ieiunemus vt ad paradisum reuertamur, à quo eiecti sumus quia non ieiunauimus.* 361.*A*
*Ieiunauerunt Moyses, Helias & ipse Saluator quadraginta diebus.* 362.E.F.364.C
*Ieiunante Moysē populus fatur Idola fabricabat.* 325.I
*Ieiunium quantum sit bonum.* 239.B
*per Ieiunium mandata dei digito in tabulis conscripta Moyses suscepit.* 361.C
*Ieiunium reducat nos in paradisum, à quo nos eiecit cibus.* 239.B
*Ieiunium Moysi quantum profuit populo Israel. Ibidem.*
*Ieiuniū Christi duplicē testē prius habuit.* 240.L
*Ieiunium vetustum munus est.* 360.L.*& lege antiquius. Ibidem.*
*Ieiunium detulit Iudæis legem de monte.* 360.L
*Ieiunium Heliam magnæ visionis spectatorem reddidit.* 361.E. *tres pueros in fornace seruauit.* F.G. *Danielem à leonibus defendit. Ibid.*
*Ieiunium contra dæmonum exercitum sunt arma.* 362.B
*Ieiunij numerus quadragenarius est legitimus.* 239.*A. quod custodire debemus.* B
*Ieiunij efficacia.* 324.K
*Ieiunij quadragesimalis vtilitas.* 139.L.M
*Ieiunij quædam est imago paradisi commoratio.* 360.M
*Ieiunij vetustas à patribus ad nos vsque per filios conseruata est.* 361.B.C
*Ieiunij & abstinentiæ decus antiquissimum est.* 361.C
*Ieiunij vires & effectus plurimi.* 361. C. D. *& sequent. & præconia multa.* G. *& sequen.* 362.*A. & sequen.*
*Ieiunij Christi & Moysi differentia.* 362. H. *& cur Christus esuriit, & non Moyses. I. & seq.*
*Ieiunio Samuel conceptus est, Samson fortissimus factus, prophetæ geniti.* 361.D.E
*Ieiuniorum vtilitas temporibus Christianis clarius patuit.* 238.L
*Ieiuniorum gratia proximum Moysen diuinitatis consortio faciebat.* 336.C
*Ieiuniorum excusationes nimis leues & debiles.* 361.*A. & seq.*
*Iephte an iustè occiderit filiam.* 184.F
*Ierusalem & Iudæa domus est libertatis.* 175.I
*Iesus non corporalibus sed spiritualibus oculis videt.* 193.B. *ideo Iudæi eū nō viderūt. Ibid.*
*Iesus quando videtur & quando non.* 193.B.C
*Iesus secundum quod verbum est, non corporalibus, sed spiritualibus oculis videtur.* 234.F
*Iethro an sacerdos fuerit, an princeps populi nescitur, vnū tamen dei cultor credit.* 14.I.15.B
*Iethro pietas erga Moysen vnde profecta est.* 15.B.C
*Iethro socer Moysi veri dei cultor erat.* 17.C
*Iethro multis effertur nominibus.* 34.C
*Iethro obtulit ex fide sacrificia deo.* 149.*A.B*
*Iethro non in Raphidim, sed iuxta mōtem Sinai visitauit generum suum Moysen.* 148.E
*Iethro quomodo potuit consulere Moysen generum suum cùm esset summus propheta.* 150.E
*Iethro non frustra venit ad Moysen.* 151.*A. cui dedit vtile consilium. Ibidem.* L
*Iethro an deum verum coluerit, & illi sacrificauerit.* 152.E
*Iethro quantumuis barbarus Moysen deo plenū docuit.* 152.L.M
*Ignis multipliciter attribuit deo.* 18.D.*et seq.* 19.I
*Ignis quomodo prohibebatur Iudæis accendi.* 366.I.K


*Ignis*




*Ignis natura & virtus duplex.* 371.F.G
*Illusio qua deus illusit Ægyptios qualis fuit.* 71.H.I
*Imago plura significat.* 169.K
*Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* 170.G.*& seq.*
*Imagines non sunt tollendæ ab ecclesia.* 169.K.L. *quarum vsus maximè vtilis.* 170.*A*
*Imagines quare venerandæ.* 170.*A. & sequen. quarum vsus ab Apostolis ad hæc tempora continuatus.* B.C
*Imagines præcipuè his qui ignorant literas, seruiunt.* 170.D.E.F
*Imagines venerabiles Christiani non deos appellant.* 170.L
*Imaginum institutio in ecclesia triplex fuit.* 170.L
*Immolatio agni paschalis signat immolationem Christi.* 86.H
*Impedimenta transitus ad vitam quæ sunt.* 20.E.F
*Impietas Israelitarum in Moysen & Aaron.* 45.*A.B*
*Impietas malo præsente deum iustum fateri cogitur.* 69.L
*Impietas fidei inimica.* 108.*A*
*Impietates tyrannorum fert dominus ad exercitium sanctorum.* 76.G
*Impius in deum non potest in homines esse pius.* 41.E
*Impius sæpe punitur vt aliis exemplo sit, & vtilitati.* 67.E.F
*Impij reges dominum non reuerentur.* 41.E
*Impij tandem coguntur cognoscere iustitiam dei atque potentiam.* 52.F
*Impij propter flagitia fiunt deteriores.* 57.D
*Impij tolerantur vt habeāt spatium pœnitentiæ.* 68.F
*Impij vexati multa vouere solent, quæ liberati nō soluunt.* 70.B
*Impiorum studia velint nolint conuertuntur contra quod intendunt.* 10.H
*Impiorum obduratio in gloriam dei redundat.* 52.D. *qui nec miraculis emendantur. Ibidem.*
*Impiorum orationes temporalibus nonnunquam remunerantur.* 63.K
*Impiorum inobedientia deus bene vtitur.* 79.B. C. *& hoc ad multa.* C
*Impiorum malus exitus.* 112.G
*Impios mentiri & ridere dei cultum & fideles nō est rarum.* 73.D
*Impios ob impietatem suam deus sæpe molestat.* 77.G
*Impios potius pœnitet pietatis quàm impietatis.* 106.F. *quia bonum iudicant malum. Ibidem.*
*Improbi flagellati nō emendantur.* 65.E. *sed sunt piis exemplum ad iustitiam sectandam. Ibid.*
*Impudentiæ est dicere Moysen veneficiis miracula fecisse.* 54.*A*
*Incolumitas animæ quàm corporis magis cogitanda est.* 35.F
*Induere Christum nudum quid sit.* 82.B
*Indurare dicitur deus cor Pharaonis.* 34.L.M
*Indurare Pharaonem quomodo dicitur deus.* 52.*A. & sequen.*
*Induratio est impiis mala, deo autem & electis bona.* 36.H
*Induratio cordis dupliciter considerāda.* 36.I.K
*Induratio cordium nō est actio dei positiua.* 71.F
*Infidelitas præter cætera peccata maximè separat & elongat à deo.* 326.B
*Ingratitudo hominum huius seculi.* 3.C
*Ingratitudo Israelitarū in Moysen.* 13.C.D. *in quo Christum ipse figurauit.* D
*Ingratitudo perpetua populi Iudaici.* 124.H
*Ingrauatur cor à malitia.* 35.H
*Inimicus familiaris vincitur quatuor modis.* 192.C.*& seq.*
*Inimici nullius esse debemus quantū in nobis est.* 227.L.228.H.*& seq.*
*Iniquitas in deo non est in eo quòd ab æterno reprobat malos.* 67.M.68.C
*Iniquitas sola iure damnatur eorum quæ humana infirmitas timet.* 144.K
*Iniquitates patrum portant qui imitatores eorū in nequitia sunt.* 171.K.L.172.*A.*L.173.B.C. G.H.174.*A*
*Iniquis tādiu subiecti sumus, quamdiu in ignorantia dei persistimus.* 16.D
*Iniuria oppressus expectet diuinā vindictā.* 27.F
*Iniuriam proximi in lege sua dominus præcipuè prohibet.* 188.C
*Iniuriari proximo in iudicio prohibetur tribus modis.* 189.B
*Innocēs probatus nocens an sit occidendus.* 222.E
*Inobedientia est dei iussionem pro sua libidine mutare.* 62.M
*Insurgentes in deum & in seruos eius, tandem à deo confunduntur, conterantur, & consumuntur.* 116.H
*Instrumenta opportuna sacrificiis.* 272.I.*& seq.*
*Intellectus dupliciter potest attingere cognitionem naturæ alicuius.* 195.D.*& seq.*
*Intellectus mentem hominis super hæc omnia rapit.* 348.*A*
*Inuadens aliquē iniustè peccat mortaliter.* 203.H
*Inuidiæ vel odij proprium.* 36.C.D
*Inuidiæ motus in deo non est.* 174. H. *nec quæuis animi passio. Ibidem.*
*Inuisibilis deus inuisibiliter videtur.* 234.F
*Inuisibile dicitur aliquid dupliciter.* 195.E
*Ioab profugus in tabernaculum cur non gaudebat immunitate.* 202.L.M
*Ioannes Baptista vnigenitus fuit, & primogenitus.* 90.G
*Iochabeth mater Moysi erat soror carnalis Caath.* 49.F.G. *quæ figurabat Ecclesiam.* M
*Ioseph pro salute fratrum premissus in Aegyptū, quem secuti sunt fratres.* 1.F.G
*Ioseph.* 12. *mensibus seruiuit Putiphar, & 12. annis in vinculis fuit & mortuus est primus omnium fratrum* 2.M
*Ioseph in plurimis Christum figurauit.* 3.G
*Ioseph in patria terra venditus solus ex fratribus in illam reuectus est.* 103.K.L.104.E
*Iosue erat de tribu Ephraim.* 143.B
*Iosue an quadraginta diebus ieiunauerit.* 325.E
*Irascitur deus piis quando corripit, & meliores reddit.* 33.E
*Irasci naturæ est, exequi autem iracundiam voluntatis.* 205.F
*Irasci deus quomodo dicitur.* 323. E.F.324.B.C
*Ira quædam modesti est, & quædam stulti.* 78. M.79.*A*
*Ira à deo missa in peccatores est pœna à deo illata.* 118.D. *quæ comparatur igni, & peccatores stipulæ. Ibidem.*
*Ira dei non perturbatio mentis est.* 166.E
*Ira cauenda est quinque modis.* 185.B.*& seq.& est ira triplex.* C.D.*& seq.*
*Ira cadit in sapientem, sed moderata.* 185.C. *& aliquādo est virt°, aliquando non. Ibid.* D
*Ira aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale.* 185.D
*Ira quid sit.* 185.D. *& in quo differt ab odio.* E.F
*Ira mater est homicidij, sicut cōcupiscētia adulterij.* 186.I
*Ira & concupiscentia inimici nostri sunt.* 190.I
*Ira dei vindicta ipsius est.* 214.M
*Ira qua moderatione tractanda.* 327.I.K
*Ira ex ratione dispēsata fortitudinē patientiámq; & constantiam parit.* 327.H.I.K
*Ira dei grauis est, & importabilis indignatio, si destituat sua gratia.* 335.*A*
*Iræ dei an quis resistere possit.* 322.I.K
*Iræ dei restitit Moyses, Aarō.* 322.K. *Phinees, Dauid, Helias. Ibidem.*
*Iram dei non esse naturalem perspicuum est.* 118.C
*Irreuerentia magna deo irrogatur afferendo eum in testem falsi.* 177.*A*
*Israel carnalis intrauit in Aegyptum, à qua exiuit dei gratia liberatus.* 1.I
*Israel cur descenderit in Aegyptum.* 1.H
*Israel ob suam culpam in exilium missus est, qui ideo in iustitia profecit.* 1.H.I
*Israel multa Idololatriæ accepit vulnera.* 319.K
*Israel duplex est, secundum carnem & secundum spiritum.* 317.*A*
*Israelitæ deo offerunt quod abominantur Aegyptij.* 64.B
*Israelitæ primus dei populus, quorum primogeniturā gentes acceperunt.* 90.H
*Israelitæ primum sacerdotium in Aegypto, secundum in eremo obtulerunt.* 102.K
*Israelitarū varij i Aegypto labores.* 4.D.*& seq.*
*Israelitis afflictio non accidit viuēte Ioseph.* 2.I
*Iudas quomodo equus erat.* 116.L
*Iudas arbor quondam bona fecit tandē fructus malos.* 151.E
*Iudas proditor quibus diaboli armis est superatus.* 190.H
*Iudaicus populus duo mala commisit.* 140.E
*Iudaicus populus incipit esse popul⁹ Moysi ex pec c.to.* 322.C
*Iudaicum excidium siue exilium nunc passim videtur.* 335.C
*Iudæi spiritui sancto semp rebelles fuerūt.* 19.H.I
*Iudæi veteres sperando Christum futurum redemptorem Christiani erant.* 67.H
*Iudæi an licitè spoliauerint Aegyptum.* 77. E.F. G. *Et quomodo.* F.G.*& seq.*
*Iudæi circa deum omnium bonorum largitorem fuerunt contumaces.* 89.I
*Iudæi multam prædam ex Aegypto asportauerūt.* 91.H. *& hoc pro mercede qua Aegyptiis seruierant.* I.K.*& seq.*
*Iudæi adhuc sedent ad aquas Marath, quibus nondum monstratum est lignum.* 126.H.I
*Iudæi à domino in deserto in tribus tentati, infidi reperti sunt.* 133.D
*Iudæi negatores patris & filij.* 233.F
*Iudæi multas excellentias à deo concessas propter peccata sua amiserunt.* 247.I.*& seq.*
*Iudæi frustra gloriantur de obseruatione legali sabbati.* 316.M.*& quòd soli legem à deo acceperint.* 317.E
*Iudæi vanè se iactant non descendisse ab iis qui Idololatriæ dediti non fuerint.* 319.K.L
*Iudæi semper fecerunt quæ dei placitis aduersata sunt.* 321.M
*Iudæorū crudelitas & persecutio in patriarchas & prophetas.* 14.C
*Iudæorū errores & sacrilegia in deserto.* 233.*A.B*
*Iudæorum excidium nō solum ab hominibus, sed etiam à deo factum est.* 247.I.*& seq.*
*Iudæorum peccata gentilium peccatis conformia erant.* 321.H
*Iudæis quomodo ignotus Christus.* 386.M. *& eorum improperia in eum. Ibidem.*
*Iudex vice dei tria exerceat in populo.* 150. K.


*quibus*

quibus quartum addere potest.150.Ibid.
Iudicum piorum conditiones. 150.D
Iudicum bonorum conditiones. 152.D.E
Iudicum diligentia in iudicandis pauperum causis. 221.A.B
Iudicium & iudicia in quo differunt. 198.G
Iudicij dei vltio & ira. 120.D
Iudicialia præcepta in lege noua non obligant. 198.F
Iuge sacrificiũ à sex cõmendatur.303.M.304.A
Iumentum tangens montem quare occidebatur. 156.I
Iurare dominus dicitur, sicut irasci, dormire vel vigilare. 99.C.D
Iurat deus non ideo quòd fide credẽtis indigeat. 101.D.sed ne nostra claudicet fides.E
Iurat falsò tam qui iurat falsum cognitum, quàm qui dubium. 176.M
Iurat quis falsum, non autem falso. 176.M
Iurare permittit deus per nomen suum. 224.A. sed per nomen deorũ & idolorũ prohibet.B.C
Iurans pro peccato faciendo assumit nomẽ dei in vanum.176.H.& sic iurans periurus est.I
Iurans non facere bonum contra iustitiam facit. 176.I
Iurans dubius assertiuè, periurus est. 176.M
Iurantem deum sæpius scriptura describit.99.C. 101.D.E
Iuramentum dei ad patres irritari non potuit. 16.A
Iuramentum est sicut medicina. 176.H
Iuramẽtum est mortale ex proprio genere. 177.A
Iuramentum quantum sit detestãdum. 177.C.D. & cui pœnæ obnoxium.E.F
Iuramentum in iudicio quomodo præstandum & exigendum. 211.H
Iuramentum quãto studio prohibetur. 176.A.B. & quare priscis concessum.D
Iuramenti frequentia inducit periurium. 176.M
Iuramenta quædam legitima sunt. 177.E.F
Iusiurandum habet comites veritatem, iudicium, & iustitiam. 224.B
Iustificatio incipit à timore. 164.G.H
Iustificatur qui propriũ peccatum confitetur.59.F
Iustificationes dicuntur præmia quædã obseruãtium legẽ, vel pœnæ transgredientium. 215.L. M. vel omnia præcepta legis.216.A
Iustificationes populi Iudaici cur ita dicebãtur. 232.E
Iustitia dei Israel Aegyptũ seruiturus intrauit, gratia dei inde illum eduxit. 1.I
Iustitia dei nostra est. 143.A
Iustitiæ partes sunt facere bonum, & dimittere malum. 176.H
Iustus & mundus differunt. 222.A.B
Iter ad virtutes difficile est. 105.M.106.A. quod non agitur sine tentationum fluctibus. Ibid.& B.

L.

LActucę cũ quibº comedebatur agnus erãt commemoratio amaritudinis seruitutis in Aegypto. 82.M.83. A.G.84.M
Lætitia inepta est filia gulæ. 321.G
Lamina aurea maximũ erat põtificis decº.293.C
Languores Aegyptij plurimi sunt. 126.D.E
Lapides preciosi pectoralis siue rationalis. 285. D.& seq.G.& seq.
Lapidum preciosorum nomina & vsus. 288.A. & seq.quid designant & figurant.Ibid.
Lasciuia semper iuncta est saturitati. 239.B
Latria seruitus deo debita. 213.E.216.F
Lectis dormire eburneis quam delectationem affert. 181.G
Leuare manus ad dominum quid sit. 145.L.M
Leuitarum officium erat transferendi tabernaculi. 381.A
Leuitica tribus tota dicata est deo. 328.L
Legislator habeat apud populum suum authoritatem & fidem. 156.A
Legũlatorum errores.158.K.L. & quantum à vera pietate abfuerunt.158.L
Lex spiritalis est, & spiritaliter intelligẽda. 7.H
Lex Moysi primò paruula, iuncta verò ecclesiæ fortior fit. 11.G.& seq.
Lex virtutis est in depellenda iniuria.12.D. quã qui non depellit si potest, tã est in vitio, quàm ille qui facit.Ibid.
Lex si secundum literam accipiatur, satis amara est. 126.A.B.C
Lex non sola annunciat Christum. 142.A
Lex data est vt pugnare doceret. 146.E
Lex quomodo per Christum temperata est. 146.F
Lex Moysi data est quinquagesimo à Paschate die, sicut noua lex. 162.B
Lex non mundum, sed Christus sua passione mũdum à laqueo mortis liberauit. 27.I
Lex domini sit semper in ore fidelium. 99.I.K.L
Lex dei est voluntatis dei cognitio. 153.E
Lex dei Iudæis data est cum timore & portentis horrendis.159.D.Christianis verò cum consolationibus, spe, & charitate.Ibid.
Lex quãuis bona, tumultum excitat in conscientia peccatorum. 159.E
Lex bona à bono deo data est. 164.D
Lex ad quid data est. 164.E.F
Lex quadruplex inuenitur. 164.F.& seq.
Lex naturæ quid sit.164.F.& quomodo non excusatur per ignorantiam.Ibidem.
Lex naturæ per legem concupiscentiæ destructa erat. 164.G
Lex euangelica lex est amoris. 164.H
Lex omnium bonorum futurorum vmbram continet. 177.H
Lex seruitutis impleta est crucifixo Christo. 178.D
Lex naturalis per se discitur. 180.E
Lex mundana indicat dicta & facta, sed diuina etiam cogitata. 191.L.192.E
Lex vetus, lex timoris dicitur. 194.C
Lex est quædam ars humanæ vitæ instituendæ. 198.L
Lex vetus in grauioribus criminibus pœnã mortis inflixit. 199.I.K
Lex talionis in veteri lege. 204.G.H.I.& seq.
Lex furti distincta est in quinq; partes. 208.I.K
Lex vetus duplex erat. 239.K
Lex vetus cur soli Moysi committitur, lex autem euangelii duodecim Apostolis. 239.F.G
Lex dei in arca posita erat. 244.A.& seq.
Lex per Moysen data, infirma est sine Christo. 281.G
Lex cur non antiquis patribus sed tantum Moysi data est. 317.B
Lex gemina est, naturalis & scripta. 317.D
Lex vetº homines dupliciter ordinabat ad Christum. 317.H
Lex vetus cur potius populo Iudæorum data sit, quàm cæteris populis. 317.K. & hoc per angelos.I
Lex duobus hominum generibus imponitur.317. M. & cõuenientissimè data est tempore Moysi.Ibidem.
Lex & euangelium familiare & consonum habent colloquium. 337.F
Lex decem præceptorum de fide in deum, & de charitate in proximum proponitur populo. 353.E
Lex spiritalis aurum requirit ad tabernaculum quod intra nos est. 370.L
Legis figuræ aduentu Christi cessarunt. 129.D
Legis timoris & amoris triplex differentia. 164.H
Legis vtilitas quanta sit. 189.L.M.190.A
Legis Mosaicæ vtilitas. 268.A.B
Legis veteris radix à ieiunio cœpit. 360.L
Legem naturæ patres prisci nouerunt. 163.K.L. & custodierunt per singula præcepta decalogi.Ibidem.
Legem naturalem totus etiam orbis terrarum accepit.164.A.B.sed legere noluit.B.C
ante Legem Moysi primogeniti erant sacerdotes, & duplicem accipiebant portionem. 218.F
Legem Moyses scripsit, sed deus mandata. 238.B
Legem non implet nisi charitas. 317.G
Legem veterem oportuit dari inter legem naturæ, & legem gratiæ. 318.A
Leges diuinitus hominibus præscriptę habẽt differentiam. 198.B
Leges sunt domini dei. 158.K
in Lege nil nisi Christus annunciatur. 237.G
Liber vitæ Exodus dici potest. 2.F
Liber vitæ in deo dicitur metaphoricè. 331.K.qui dicitur prædestinatorum conscriptio.L.M
Liber vitæ est conscriptio ordinatorum in vitam æternam. 331.M. & firma notitia de prædestinatis.332.L
Libri sunt conscientiæ nostræ. 355.I.K
Liberos arbitrio nos fecit dominus. 191.A
Libertas voluntatis ostenditur in Pharaone. 35.I.K
Liberum arbitrium tanquam virtutis constitutiuum habemus. 190.M
Liberum arbitrium lædi non debet, licet omnia dei sint. 343.F.G
Liberum arbitrium præuenitur gratia, comitatur gratia, & sine illa nihil peragit diuinum. 343.M
Liberum arbitrium nostrum cum gratia bonum agit. 353.M
Liberum arbitrium nostrum gratiam dei sequitur. 354.A
Libero arbitrio humana prædita est natura. 35.K
Libero arbitrio vti & passionibus dominari irrationalibus virtus est. 191.A
Libido tendentibus ad viam perfectionis arma voluptatis obicit. 146.G
Lignum missum in Marath cuius virtutis erat. 124.I.& seq.
Lignum in aquas Marath missum, lignũ crucis figurabat. 126.E.F.G.& seq.
per Lignum à secundo Adam victus est serpens, qui primum Adam per lignũ vicerat.142.A
Ligna Sethim igne vicino non cremantur. 273.G
Ligna Sethim imputribilia. 163.I
Limbi mensæ vel coronæ siue labij descriptio. 249.A.& seq.
Literæ Hebraæ quando cœperint esse. 152.I
Literæ nudæ insistere impium est. 173.G
Lucernæ septem candelabri septem signant dona spiritus sancti. 254.I.K.156.D
Locus triplex vbi semen verbi dei cadit & deperit. 117.I
Locus hominis ipse conditor est. 138.C.D
Locus deputatus sacrificiis, in Silo, Nobe, Gabaõ, & tandem Ierusalem. 197.A
Locusta





Locusta multa singulariter plus sonat quàm locustæ multæ. 72.G
Locusta parvulum animal est.73.M. eius natura. Ibidem.& 74.A
Locusta regem non habet.75.A.quæ linguam adulantium figurat.Ibidem. & B. vel mendacium hæreticorum.C
Locustæ populum Iudæorum significant.232.G.H
Locutio dei ad Moysen fuit interna. 34.F
Locutio dei tribus modis accipitur. 46.C
Locutio diuina duobus modis distinguitur. 159. H.& seq.
Locutiones dei factæ Moysi, duę fuerunt.161.E.F
Loquentes contra creatorem vani sunt. 32.B.C
Luctus Iudæorum in quibus cõsistebat. 335.F.G
in Ludo excessus est peccatum mortale. 321.F
Ludi inordinatè sumpti à diabolo dantur.321.E
in Ludis an possit esse aliqua virt°.321.B.& seq.
in Ludis tria sunt præcipuè cauenda. 321.D
Lumen gloriæ dupliciter menti infunditur.340.F
Lumen intellectuale excedens lumẽ naturalis rationis requiritur ad prophetiam. 351.L
Lumen dupliciter alicui ineſſe potest. 351.L
Luna quartadecima feria quinta cõtigit in tempore comestionis agni. 88.B.C
Lupus non comedit carnem lupi. 184.M
Luto immũdo melius est pollui q̃ peccatis.343.I.K
Lux in sensibilibus est principiũ videndi.195.D
Luxuriari vbi quis cœperit, incipit deuiare à fide vera. 320.G
Luxuria omni immunditiæ & turpitudini carnis præest. 107.K. cuius quadrigæ multis subest vitiis.L.M
Luxuriosam terra deuorat. 120.K.L
Luxuriosi vt plurimum sunt largi. 107.M

M

MAdiam vrbs est trans Arabiam. 13.F
Magdalus ciuitas Aegypti. 105.F
Magistratus ciuilis potest ad explorandam veritatem exigere iuramentũ. 211.H
Magi Pharaonis diuina potentia superãtur.53.D
Magi Pharaonis quomodo aquam in sanguinem, vertere potuerint, cùm omnes aquas Moyses vertisset. 56.L.M.57.A
Magi Pharaonis cur defecerunt in tertia plaga. 61.B.C
Magi Pharaonis dicẽtes, Digitus dei est hic, typum hæreticorum habuerunt. 61.H
Magi viso vnico signo cœlesti dei filio crediderunt. 122.G.H
Maiores honore, ætate, & cura, cum reuerentia suscipiendi sunt. 148.G
Maledictio in patrem & matrem multipliciter fit.203.F.& hoc per modum cõtumeliæ. Ibid.
Maledicta in hominẽ redundant in deum.130.L
Malefici arte dæmonum res mirabiles subito faciunt. 54.B.E.F
Malefici Pharaonis à Moyse tertio victi sũt.66.D
Malefici, magi, ĩcãtatores, & mathematici. 212.L
Malefici qui dicuntur. 212.L.M
Malitia nihil aliud est nisi peccatum, & abusus, & inobedientia legis dei. 191.A
Man vnde causam & nomen sumpserit. 137.K
Mandatum vnum & idem si seruetur, vitam: si nõ seruetur, generat mortem. 126.D
Mandatum Christi legem in se tenet inclusam, sed non lex, mandatum Christi. 184.G.H
Mandato dei de expolianda Aegypto quomodo obediendum erat. 26.K.L.M
Mandata dei Moyses nõ audiuit priusquam veniret ad montem Sinai. 175.K
Mãdata domini operibus iustis exequutus, diuina protectione dignus est.240.B. post quæ requiem dominus promittit æternam.C
Mandatorum dei prima vox de libertate profertur. 175.K
in Mandatis dei ambulet fideliter qui vult aduersariis suis terribilis fieri. 76.I
Mandatis perfectis ad dilectionem dei crescitur 182.G.in qua est tota perfectio. Ibidem.
Manichæi nõ verẽtur plures adorare deos.166.D
Manichæi credunt inimicos etiam dæmones virtute præcepti diuini, esse diligendos. 227.M
Manna non pluit in die qua primum pascha fit, pluit quando secundum fit. 128.M
Manna sensibile, intelligibile figurabat. 129.D
Mãna panis nomine appellatur.131.B.sed & panis angelorum. 132.B
Manna etiam nunc in plerisque locis super virgulta colligitur. 132.M
Manna Christus dicitur 134.M.135.A. & verbum dei.H.I.quo nihil dulcius. Ibidem.
Manna Syrorum lingua significat quid est hoc. 135.E.F.H
Manna seruatum in diem sabbati non putrescebat, sed quare aliis diebus seruatum. 136.B
Mãna si verbũ Christi est, quomodo vermes facit. 136.C.D
Manna Maria virgo dicitur. 136.D
Manna an panis dicatur, & quomodo panis angelorum, & cur non redderet hominem incorruptibilem. 139.A.B
Manna calore solis liquefiebat, ignis autem calorem sustentabat. 139.A
Manna quomodo in aere & ex qua materia potuerit generari. 139.C
Manna Christum figurabat.139.G.H.vel Eucharistiæ sacramentũ.139.H.quod est æterna dominicæ passionis memoria.Ibid.
Mannæ sapor ex tribus constabat. 137.I
Mannæ deserti forma & figura.132.F.G.& seq. & quare sic vocatum.I.K
Mansio Iudæorum in Aegypto. 430. annorum, computandorum à promissione facta Abrahæ. 94.B.& seq.
Mansio duodecima. 153.M. in qua media pars Exodi, totus Leuiticus liber, & Numerorum præcepta descripta sunt.Ibid.
Manus Moysi leprosa & postea sana synagogam & ecclesiam figurabat. 30.C.D
Manus dei patris eius filius accipitur. 64.H. eius potestas.Ibid. eius flagellum.Ibid. & I.
Manus in cœlum per elecmosynam leuans ingiter in cœlo thesaurizat. 145.L
Mara, vel Marath fluuius cuius aquæ amaræ erant, sed per ligni iectionẽ factæ sunt dulces. 124.D.& seq.
Marath intellige aquas occidentis literæ. 126.E cuius aquæ legem veterem significant.F
Mare rubrũ in diuisiones diuisum est quot erant tribus Israel. 110.E.G.111.E
Mare rubrum à Græcis dicitur, ab Hebræis autem mare cannæ.116.B. vel caricosum à caricibus, vel papyrosum.Ibid.
Maria virgo per rubum ardentem designata.20. A.B.M.21.B.C
Maria apud Græcos & Latinos dicitur, Miriam diß yllabum apud Hebræos. 122.I.& seq.
Maria quia Moysi propter vxorem detraxit, percussa est lepra. 130.I
Maria virgo per arcã Moysi figurata. 245.K. & seq.246.A.& seq.
Mariæ virginitatis præconia. 98.E
Martyris fidei finis. 263.K
Martyres super tyrannos victores enascrunt. 120.A.B
Matutina custodia. 113.G.H.& vigilia.H.I
Melchisedech fuit initiũ sacramenti Eucharistiæ. 135.G
Mendacium quoduis cauendum est. 6.I.K
Mendaciũ quoduis an sit cõtra præceptũ Nõ loqueris contra proximum falsum testimonium. 188.I.K.189.H
Mendacium quoduis iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium. 221.E
Mendacium est malum ex genere.221.M. quod tamen triplex est. Ibid.& 222.A
Mendacij vens est, qui non restituit aliena suæ fidei commissa. 92.H
Mẽdacia obstetricum an deus remunerauit. 6.G. & seq.quæ fuerunt venialia. M.7.A.& seq.
Mendaciorum multa sunt genera. 221.K.quorum quodlibet veritati aduersatur. Ibidem.
Mensa pacis & fidei typum ecclesiæ gerebat. 378.A
Mensæ & quæ ad eam pertinebant descriptio. 249.A.& seq.
Mẽsis primus apud Hebræos vocatur Nisan.79. I.K.quem nos Aprilem dicimus.K.80.B.C.D
Mensis Martius apud Hebræos dicitur Adar. 79.L
Mẽse primo erexit Moyses tabernaculum. 385.K. sed secundi anni.386.G. quo ecclesiæ significat constructionem. Ibidem.& H
Mensium ordinatio est in repub. necessaria. 80.D
Mensura communis edendi omnibus esse debet. 135.K
Mentiuntur aliqui pro seipsis multipliciter. 189. F.& sequen.
Mercenarius quis dicitur. 97.B
Merces iustorum felicitas perpetua, impiorum, fremitus, dolor parturientium, &c. 123.L
Mercedem suã recepit, qui pro opere gloriã quærit ab hominibus. 241.D.E
Mercurius Trismegistus dicitur fuisse Iethro socer Moysi. 13.I
Meritum importat quandam æqualitatem iustitiæ. 208.E
Meritum à deo est si & voluntas. 344.E
ob Merita patrum sæpe meruerunt Israelitæ liberari. 19.D
Merita martyrum & opera iustorum apud deum multum valent. 332.E
Merita quæ nobis mediante gratia & libero arbitrio eueniunt. 344.B.& seq.
Merita nostra spei quædã sunt seminaria, charitatis incentiua, prædestinationis indicia, &c. 344.E
Merita bona sunt à deo, & sunt prædestinationis effectus. 345.B
Merita consequentia gratiam non sunt ratio miserendi vel prædestinandi, sed sola dei voluntas. 345.D
Messiæ aduentus probatur præteritus.83.K.L.M
Milites an iustè bellare possint. 144.D.E
Milites Ioannis sequantur consilium. 389.K
Minæ quantumlibet graues, reprobos non conuertunt. 64.I
Ministeria nostra absq; cooperatione spiritus sancti parum conducunt ad conuertendũ impiũ. 73.G
Ministri nouæ legis maioris sunt perfectionis q̃ ministri veteris legis. 218.F
Ministrorum verbi officium quale sit. 162.K
in Ministrorum cultus diuini institutione tria siebant. 305.G.H




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE

*Mirabilia in transitu maris rubri.* 110.I.L.M
*Mirabilia facta dei an possint humanis verbis compensari.* 115.B
*Mirabilia in morte domini.* 269.M
*Miraculum duplex fuit in grandine in Aegypto.* 69.E.G
*Miracula, signa, ostenta, & iudicia in quo differunt.* 52.C.D
*Miracula cur magicis artibus fiant.* 53.E.L
*Miracula vera non possunt fieri nisi virtute diuina.* 54.C
*Miracula nemo præsumat nisi domino inspirante.* 53.C
*Miracula an fieri possint à dæmonibus.* 54.D
*Miracula quomodo fieri possint à malis.* 58.F.G
*Miracula præcipua duo in liberatione Israel de Aegypto.* 98.C. *pro quorum memoria duas grauissimas constituit leges.D*
*Miracula quædam in Aegyptios facta sunt à solo deo, quædam ab eodem mediante Moyse vel Aaronc.* 69.C.D.E.74.M.75.E
*Miracula impiis perniciem inducunt, & duplo damnant perfidos & ingratos.*113.D.*sed piis ad salutem prosunt.* Ibidem.
*Miraculorum quædam sunt vera, quædam fantastica.* 54.C
*Misereri cui dignum est potest intelligi dupliciter.* 345.B
*Misericordia dei quosdam indurari non permittit.* 35.B
*Misericordia quæ miserum cor faciat dolentis miseria aliena.* 166.F
*Misericordia sola diligentibus deum posita est.* 171.K.L
*Misericordia verum sacrificium est.* 213.L
*Misericordia etiam homo afficitur circa animalia.* 225.M.226.A
*Misericordia dei gratuita & spontanea est omnibus.* 343.K
*Misericordia dei sola liberat.*345.E.*quæ secundum tria attenditur.* Ibidem.& seq.
*Misericordia diuina non meritis sed soli diuinæ voluntati ascribitur.* 345.F
*Misericordiæ signum est pœnam differre peccati.* 172.A
*Misericordiæ affectus vnde consurgit.* 225.M
*Mitræ seu tiaræ figura.* 292.G.& seq.
*Mœchari & concupiscere vxorem proximi in quo differunt.* 185.I. Item & fornicatio & Mœchia.K
*Mœchiæ etiam fornicatio simplex dicitur.* 185.L
*Mœchiæ nomine prohibetur omnis illicitus concubitus.* 187.L. & *omnis illegitimus illorum membrorum vsus.* Ibidem.
*Moab vrbs Arabiæ ab vno filiorum Lot.*121.C. *quæ nunc Areopolis dicitur.D*
*Monachi & virgines ad faciem ministrant domino suo.* 336.F. *seculares verò tanquam qui sunt in agro famuli.G*
*Mons hæreditatis domini in quo plantauit tabernaculum suum, qualis sit.*123.H.*qui significat statum gloriæ beatorum.I.vel ipsum cœlum.K*
*Mons hæreditatis domini est mons Sion.* 121.M
*Mons dei dictus est mons Sinai.* 148.E
*Montis sublimitas legis Moysi perfectionem indicabat.* 240.A.B
*Morbi plurimi ex repletione procedunt, nulli ex ieiunio.* 361.A.B
*Mores idololatrarum sequuntur plerique Christiani.* 321.G.H
*Mouere est educere aliquid de potētia ad actum.* 24.E
*Moyses expositus noluit vbera nisi matris fugere* 9.H. *diuina pietate in salutem populi seruatus.L.* 10.A
*Moyses expositus matris vberibus restituitur lactandus.* 11.A
*Moyses vnde dicatur.* 11.B. *qui Græcè Monios, Hebraicè verò Mose.C. Circa quem quæcunque contigerunt, non humanæ, sed diuinæ mentis fuerunt.F*
*Moyses fratrem iniuriam perpetientem vindicauit.* 12.F.G.& seq.
*Moyses occidendo Aegyptium an peccauerit.*12.G.& sequen.
*Moyses quare fugit Aegyptum.* 13.H.I
*Moyses in multis Christum figurabat.* 14.A.B. & sequen.
*Moyses quadragenarius erat cùm fugit ad Iethro in Madiam.* 14.M
*Moyses pauit oues Iethro quadraginta annis.*16.H. 20.B. *cuius vita in tres partes diuiditur æquales.* Ibidem.
*Moyses cur iussus sit calceamēta soluere.*18.G.H
*Moyses pastor in multis Christum figurabat.* 20.K.L
*Moyses agnoscendo suam insufficientiam fit domino donante sufficiens.* 22.D
*Moyses cur mittitur à domino ad Pharaonē.* 27.I
*Moyses cur cum miraculis ad Pharaonem est missus & ad populum Israel.* 28.H.& seq.
*Moyses prius eloquens cum deum loquentem audiuit, tunc linguæ suæ imbecillitatem cognouit.* 30.K.M.31.A.C
*Moyses an sacerdos esset an laicus.*33.G. *qui & virga sua miracula fecit.H*
*Moyses missus ad populum Israel in multis Christum figurabat.* 33.I.K
*Moyses in via ad Aegyptum vxorem suam remisit ad socerum.* 37.K.L. *Quam illi socer in desertum reduxit.* Ibidem.
*Moyses an sit excellentissimus prophetarum.* 46.E
*Moyses octogesimo ætatis suæ anno stetit coram Pharaone.* 52.G.& seq.
*Moyses & Aaron fratres quare simul à deo mittuntur.* 52.I.*qui pauco tempore ita egerunt.K*
*Moyses à Pharaone rogatus dominum orat, licet sciret Pharaonem non seruaturum promissum.* 63.I
*Moyses præsentibus idololatris noluit præces fundere.* 62.I
*Moyses non omnia signa virga effecit, sed manu & verbo.* 75.G
*Moyses legem domini in monte Sina acceptam docuit populum Israel.* 141.H
*Moyses cum Aaron & Hur orat in monte cum bellantibus.*143.D.E.*non armis sed precibus pugnans.* Ibidem.
*Moyses bella gessisse calumniosè reprehenditur.* 144.K
*Moyses orans elevatis manibus in monte Christum figurabat.* 145.M
*Moyses ex quo prophetare cœpit, vxorē suam non cognouit.* 148.B
*Moyses in omni difficultate graui consulebat deum.* 150.A.B.C
*Moyses audiuit socerum inferiorem, & sapiētior redditus est.* 151.D
*Moyses propheta summus, & omni sapiētia præditus, consilium accepit à Iethro.* 152.H
*Moyses ab extraneo cum mansuetudine consiliū accepit.* 152.M
*Moyses non erubescit argui à socero, & doceri.* 153.A.B
*Moyses omnium prophetarū prudentissimus fuit.* 153.B. *qui habebat legem dei in corde suo scriptam.E*
*Moyses mediator inter deum & populum.*155.L. 158.A
*Moyses non est conferendus cum cæteris legumlatoribus.* 158.K
*Moyses eruditus in omni sapientia Aegyptiorum.* 169.A
*Moyses quadraginta diebus, & iterū aliis quadraginta diebus ieiunauit.* 178.A.B
*Moyses ter ad dominū in montem ascēdit.*235.K
*Moyses viso deo ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* 236.E
*Moyses legē accepturus quadraginta dies & noctes absque cibo potúque transegit.*239.A.B
*Moyses quare quadraginta diebus māsit in monte cum domino.* 240.F. & *totidem ieiunauit.K.L*
*Moyses quomodo prius deum in lumine vidit & postea in caligine.* 240.G.& seq.
*Moyses quamuis iram dei repressit non caruit zelo bono.* 328.C
*Moyses de ieiunio legem dedit, de vino non dedit.*324.I.*cui ieiunanti lex datur.K*
*Moyses cur fregit tabulas decalogi.* 325.I.K.L. 326.I
*Moyses & Iosue immunes fuerunt à peccato populi.* 337.A
*Moyses vidit deum per essentiam.*340.G.341.I. 342.H
*Moyses desyderans deum videre docetur quomodo deus potest videri.* 351.D
*Moyses an fuerit cornutus.* 363.B.C.& sequen.
*Moyses in lege solam faciem habet glorificatam.* 364.H
*Moyses quibus mensibus in montem ascendit, stetit, & descendit.* 385.K.L
*Moyses Christi figura erat.* 387.F
*Moyses cur tabernaculum propter nubem ingredi non potuit, qui nubem cum domino in monte ingressus est.* 388.H.I
*Moysi parentes & cognatio.* 8.M. 9. A. & seq. *Eius educatio.D.& seq. Cui magis profuerūt Insidiæ quàm nocuerint.* Ibidem.
*Moysi multa acciderunt quæ derelinquētibus impietatem accidere solent.* 13.I.K
*Moysi modestia erga socerum suum.* 34.C.& seq.
*Moysi vita sub compendio.* 35.K.L
*Moysi genealogia.* 103.E.F
*Moysi virtutes & eminentiæ.* 152.K.L
*Moysi vltio in idololatras.* 327.H.& seq.
*Moysi promissa quotidie complentur in mysteriis ecclesiæ Christi.* 346.B
*Moysen quare non eiecerit Pharao ex Aegypto tanquam seditiosum.* 76.H.I
*Moysen quomodo sciebat deus.*338.B.C.& *propter quas virtutes.C*
*In Moyse tria acta nostro mediatori comparanda reperiuntur.* 9.M.10.A
*Mulier à mollitie dicta est.* 124.A
*Mundana sapientia vel Philosophia fide trinitatis vincitur.* 61.I
*Mundanorum auctorū propè omnis cura de verbis est.* 166.G
*Munditiem internam non solum quærit deus, sed & externam.* 310.F
*Munditia quantum necessaria sit.* 312.C
*Mundities vitæ pietatis pars non parua est.* 105.A
*Munera accipere quid sit.*222.F.*quorum tres sunt acceptiones.* Ibidem.& K
*Munera oblata ad constructionem tabernaculi.* 241.H.I.& 241.H.I.& *quid significent.*242.K.L.M
*Murmur Iudæorum contra deum & Moysen.* 127.G.H
*Murmurabant Iudæi in deserto contra deum, nūc passim & vbique murmurant contrà Christū.* 129.A.B
*Murmurantes contra dei seruos, & eis contradicentes, tandem à deo puniuntur.* 130.F
*Murmurantibus nonnunquam dat deus quæ cupiunt, sed eorum malo.* 132.A
*Musca nulla visa est vbi fundebatur sanguis sacrificiorum Hebræorum.* 272.G
*Muscæ animalia dæmoniaca sunt.* 272.H
*Mutuum & depositum in quo differunt.* 211.H
*Myrrha arbor in Arabia quinque cubitorum.* 311.K
*Mysteria noui testamenti in veteri per ænigmata sunt descripta.* 14.D.E
*Mysteria Christianorum prius fuerunt quàm Iudæorum.* 111.I
*Mysteria ostensa Iudæis ad correctionem, scripta sunt propter nos.* 127.H


## N


*Naason ex tribu Iuda ortus frater Elisabeth vxoris Aaron.* 49.I
*Nascimur in libertate, morimur in seruitute.* 146.C
*Nathan arguit Dauid de peccato.* 147.M.& *ob hoc pœnituit, quia sciebat grauiter se peccasse.* 148.A
*Natura simplex multiplici antefertur.* 167.K
*Natura diuina potest considerari dupliciter.* 229.B
*Natura ipsa boni operis magistra est.* 317.D.E
*Natura diuina inuisibilis vbique tota est.* 339.E
*Naturæ opera perfecta absolutáque sunt.* 197.C
*Negligentia cauenda est diebus festis.* 179.A
*Nemo ex omni parte fœlix & perfectus.* 50.I
*Nemo existimet se omnia consecutū, etiamsi multis donis sit præditus* 152.G
*Neomenia denotat saluatoris aduentum.* 386.K. & *illius mysteria.Ibid.& seq.*
*Nisan cur primus Iudæorum constituitur mensis.* 80.A.& seq.
*Nisan primus mensis est Hebræorum.*99.A.*partim Aprili partim Martio respondens.Ibid.*
*Nisan Hebræis, Xanticus Græcis, Aprilis verò Latinis dicitur.* 224.G
*Nobilitas in Ecclesia non ex genere, sed ex gratia & donis spiritalibus censenda est.* 153.C
*Nocumenta quæ proximo inferuntur ad quatuor reducuntur.* 184.C.D
*Nocumenta in proximum includuntur in tribus præceptis.* 189.A
*Noe scientia naturali cognouit quid mūdum vel immundum animal.* 163.K
*Nomen dei Tetragrāmaton idē est quod, Qui est.* 25.C.D
*Nomen dei tetragrammaton.* 46.I.K.M
*Nomen dei assumunt in vanum poetæ.* 58.H.I
*Nomen dei narrari in omni terra quid sit.* 68.E
*Nomen dei quomodo nominandum.* 176.A. & seq.
*Nomen dei quomodo inuocandum est.* 176. C.D & *quomodo non inuocandum.C*
*Nomen dei sumitur ad quinque.* 176.I
*Nomine dei sermone quotidiano abuti est contra hoc præceptum de non iurando.* 177.C.D
*Nomine suo cognosci à deo quàm bonū sit.*314.L
*Nomine suo Moyses quomodo à deo cognoscitur.* 341.K.& seq.342.A
*Nomina Patriarcharum sepius in scriptura inculcantur.* 1.K.L
*Nomina rebus quare imponantur.* 23.A
*Nomina locorum antiquitate mutata sunt.* 139.E
*Nomina noua fingenda sunt rebus nouis.* 388.K
*Nominum impositio multipliciter fit.* 11.C
*Nouum præceptum nouæ plagæ cōparatur.* 76.K
*Noui testamēti gratia in veteri velabatur.*144.H
*Nouit vbique suos deus, & seruat.* 78.K
*Nocte media consistit qui est in summo peccati.* 92.B
*Numeratio prima populi Israel primo anno exitus Aegypti.* 381.F
*Numerus vicenarius vtriusque testamenti coniunctionem significat.* 310.B


## O


*Obdurare per iustitiam quomodo dicitur deus.* 35.F
*Obduratio sequitur ex desperatione.* 34.L.M.*nec dei potentia compellante perficitur.M.35.A.& seq.*
*Obduratio impiorū in gloriā dei redundat.*52.D
*Obduratio & excæcatio duo important.* 71.D
*Obdurationis causa non est deus, sed homo.* 76.E. *nisi priuatiuè non impartiendo gratiam.F*
*Obedientia & fide vincunt fideles.* 112.L
*Obedientiam duplicem requirit deus.* 154.I. *pro quatuor promittit præmia.* K.& seq.
*Obediendum est præpositis.*130.G.H.*quia eorum detractio ad Christum refertur & pertinet. Ibidem.& I.*
*Oblatio de melioribus fieri debet.* 102.D.E
*Oblatio dicitur cùm deo aliquid offertur.*370.F
*Obstetrices quomodo duæ solum ponantur.*5.C.L. M.6.B.& *earum pietas in pueros, & timor in deum.Ibid.D*
*Obstetrices Aegyptiæ an fuerint mentitæ.*6.E.F. G.& *an pro mendacio vel misericordia deus eis benefecit.G.& seq.*7.C
*Obstetrices Aegyptiæ possunt excusari à mendacio.* 7.F
*Occidunt quidam corpus, quidam animam, quidam vtrūque.* 185.A.& seq.
*Occidere tyrannū aut magistratum an liceat alicui pro sua libertate.* 40.M.41.A
*Occidere hominem contingit multipliciter.* 184. M.185.A
*Occidēs hominē lege naturali occidatur.* 202.H
*Occidentes plerique ab homicidio liberantur.* 203.A
*Ocium quantū sit in sabbato vitandū.* 179.A.B
*Ocio inerti indulgere, vacare tantū ab opere, cultus dei non est.* 137.B
*Ociosum verbum quid sit.* 222.C
*Octauum præceptum octauæ plagæ Aegyptiorū comparatur.* 75.B
*Octaua mansio filiorum Israel in Sin.* 128.K.L
*Oculo nequam nihil tenebrosius.* 76.L.M
*Oculis mentis beati possunt videre deum.* 234. H.I.K.& seq.
*Odium & amor dei in corde sunt.* 192.F
*Odio dignus est si aliud quàm profitetur exercet.* 147.A
*Odio ne habetur deus ab homine.* 174.F.G
*Offerātur deo & sensus & sermo & vox.*371.A
*Offerentis conditiones duæ sunt.* 241.E
*Offerentium bona voluntas, non oblationū quātitas facit gratas primitias.* 241.G
*Officium & finis in quo differunt.* 365.E
*Officia publica sua temeritate nemo inuadat, sed dei vocationem expectet.* 22.K.
*Omnipotentia dei in cæde primogenitorum reuelatur.* 92.A
*Omnipotentia dei demonstratur, ex eo quod est deus exercituum.* 233.A
*Onus animæ vel pondus est peccatum.* 179.A
*Onyx gemma candoris vngnis humani.* 282.L
*Operatio hominis interior nō est principaliter hominis, sed deo attribuenda.* 345.G
*Opertum nihil est quod non reueletur, neque occultum quod non sciatur.* 13.F
*Opes collectę p impostūras maledictę sunt.*134.G
*Optimi semper inter pessimos periclitātur.* 13.F
*Opus seruile est opus corporale.*178.M. *sed opus liberum est opus animæ.Ibid.*
*Opera bona ex gratia pertinent, quæ ex fide pendent.* 102.A
*Opera nostra ad deum dirigamus, & eius nobis aspiret fauor.* 102.F
*Opera bona reconduntur vt fiant cibus in vitā æterna.* 129.B.C
*Opera bona manus nostras eleuāt ad dominum.* 145.L
*Opera misericordiæ ab omnibus naturaliter laudantur.* 164.C.D
*Opera corporalia possunt fieri in sabbato propter quatuor.* 178.M.179.H.I.180.B.C
*Opera sunt necessaria post baptismi gratiā.*284. A.*quæ ratione indigent sicut ratio operibus. Ibid.& B.*
*Opera artificialia an spiritui sancto tribuenda sint.* 314.G
*Opera domini cuncta in sapientia fiunt.* 374.E
*Operum fructus duntaxat nobiscum in futuram vitam portabimus.* 136.G.H
*Operibus bonis in hoc seculo instantes, in requiē à domino ducuntur æternam.* 162.A
*Oraculi triplex genus apud Hebræos.* 242.C
*Orandum nobis est vt dignetur dominus aperire os nostrum.* 32.C
*Orandum est etiam pro impiis si petant.* 63.K
*Orandum pro inimicis.* 330.F.G.& seq.
*Orandum est vbicūque fuerimus.* 109.C
*Orando ad dominū corde clamandū est.* 109.A
*Orari vult deus etiam à sanctis.* 109.I
*Orare elevatis manibus præcipimur.* 146.B
*Orare non minus obligamur, quàm edere vel bibere.* 146.M
*Orare pro inimicis melius est, quàm pro amicis.* 330.K
*Orando Moyses populum in impietatem prolapsum seruauit.* 353.D
*Orans Moyses pro populo non impetrauit.* 332. F.G.*nec Hieremias.G.nec Noe. Daniel, Iob. Ezechiel.G*
*Orantes ad dominū sicut Moyses facile à domino ab insidiis hostium liberantur.* 113.L.M
*Oratio pro peccatoribus eam postulantibus non est neganda.* 74.E
*Oratio quantū plerisque meruit, & omnibus meriti potest.* 109.B.C.D
*Oratio digna exauditione diuina.* 109.E.F.& *quæ vera est & deo gratissima.I*
*Oratio in tribulatione aut tentatione non inaniter fit ad deum.* 125.B
*Oratio in vltionem inimici dirigitur.* 143.E.F
*Oratio ingis, infirmitas hostis.* 146.M
*Orationis veræ virtus.* 140.I
*Orationis virtus & effectus.* 143.D.& seq.
*Orationis instantia & virtus.* 146.H.& seq. 147.A.& seq.
*Orationis assiduitas tandem meretur exaudiri.* 214.K

Orationi insistentes facilè tentationes vincunt & tribulationes. 145.L.M
Orationes quæ non tantùm voce sed & corde fiũt raræ sunt, sed vtiles. 109.B
Orationes agendæ etiam in ecclesia, quòd oratio multorum feruentior sit & exaudibilior. 143.D
Orationibus quanto affectu indulgendum est. 151.C
Ordinatum à deo ita certum est ac si iam adimpletum. 120.A
Ordo in ecclesia dei seruandus. 39.K
Orygometra idem quod coturnix. 138.M
Os quod aperit diabolus, & quod aperit deus nõ est facile discernere. 31.M
Ouis quatuor habet vtilitates, ideo fur quatuor oues pro vna reddebat. 208.E.H.209.M

P

Pactum in Mara cum antiquis patribus factum deus renouauit. 125.D.E
Pala est pars anuli plana & latior. 283.F
Panis nomine omnis ciborum dicitur apparatus. 15.B
Panis angelorum cur manna dicitur. 139.B.C
Panes azymos comedere. 84.I
Panes propositionis ipsi sacerdotes fercre, demetere, molere & coquere debebãt. 249.K. nec dabantur nisi mundis. Ibidem. & renouabantur singulis sabbatis. M.150.D
Panes azymos & non fermentatos cur Iudæi iubebantur offerre. 226.M.227.A
Panes propositionis doctores spirituales designãt, vel Christum. 251.H.I. & in quo differunt. I
Panibus domini mane repleri quid. 131.E.F
Paradisi appellationes variæ. 351.B
Parentes dant filio tria. 183.D.E
Parentes honorantibus quinque desiderabilia promittuntur. 183.F.G
Parentes honorandos esse Christus nos in cruce docuit. 203.E
Parentum doctrina & monitio ad filios. 15.E.F
Parentum bonorum facta iuuant sæpe merita filiorum. 19.D
Parẽtibus quid debeatur vi quarti præcepti. 183. A. & seq.
Parentibus maledicentes maledicuntur à deo. 183.G. & iniuriantes illis mortem acquirunt. Ibidem. H
Parentibus spiritualibus etiam honor debetur sicut & carnalibus. 183.H.I
Parentibus à filiis debita. 203.B
Parentibus negligentibus imputantur peccata filiorum. 207.D
Pars domini quomodo efficiamur. 169.B
Particularia quomodo cognoscuntur in suis singularibus. 338.E.F
Participatio dei est videre deum, & frui benignitate eius. 349.G
Parυulus quid est nisi humilis & infirmus. 164. D.E
Pascha in quo tempore & mense obseruari debet. 79.I. & seq.
Pascha Christianum celebrandum est dominica prima post pascha Iudæorum. 80.A
Phascha vnde dicatur. 82.C.83.H
Pascha domini celebrare perpetuũ quid sit. 88.H
Pascha Iudaicum vmbra erat nostri. 90.A
Pascha comedere quis dignus est. 97.B. & seq.
Pascha propter occisionem ouis pertinet ad fidem Christi. 102.A
Pascha verum facientes azyma cum amaritudinibus comedunt. 125.L
Pascha secundum faciebant immundi, cùm cœpit manna pluere. 128.L.M
Pascha primum Iudæorum fuit, secundum Christianorum. 128.M
Pascha celebrandum est cum azyma synceritatis & veritatis. 360.A
Paschę solennitas cuius sit virtutis. 84.E.F
Paschę solennitas quo ritu celebrabatur antiquitùs. 87.A. & seq.
Paschæ obseruatio fuit prima omnium lex Israelitarum. 98.C
Paschæ præconia. 102.L
Paschæ alia solennitas, alia azymorum. 224.F
Paschalis obseruatio memoriale erat liberationis ex Aegypto. 96.E
Phase qui licitè comedere possint. 96.A
Phase pascha, id est, transitus. 83. & seq.
Phase celebratio cur fuerit instituta. 315.L
Passio Christi à prophetis præuisa est. 81.F
Passio Christi est semper nobis memorãda. 84.H
Passionis dominicæ sacramentum oblatione panis & vini celebramus. 259.F
per Passionem Christi omnia mysteria legis & prophetarum aperta fuerunt. 271.F
Passiones non omnes virtuti contrariantur. 185.C
Passiones irrationales subordinantur rationi. 190.K. & quæ & quales sunt. L.
Pastores erant Aegyptiis abominabiles. 63.L.M
Pater & filius & spiritus sanctus tres dici possunt. 42.A
Pater innascibilis nunquam sine verbo est. 51.B
Pater deus nunquam potuit esse sine filio. 167. E. F.G. & seq.
Pater peccati diabolus est. 171.F
Pater in seipso & in filiis sepissimè punit. 173.C
Pater non nisi filio visibilis est. 350.E
Patris & filij & spiritus sancti vna deitas & dominatio. 353.H
Patrem nullus vidit nisi filius. 160.I.K
Patrem nemo vidit, nisi qui ex patre natus est. 347.E
Patres sancti plures filios & paucas aut nullas filias genuerunt. 148.D
Patres prisci non solùm præcepta naturæ, sed & multa euangelica cognouerunt. 163.L.M
Patres veteris testamẽti deum viderunt per quasdam imagines. 235.E.F. & seq.
Patientia dei quibusdam vtilis est, quibusdã inutilis. 60.A
Patiẽtia vera & rationabilis quæ dicitur. 368.K
cum Patientia dei malus fiebat obstinatior Pharaonis animus. 71.B
Patienter ferendum est si dominus nostris orationibus non assurgit. 238.K
Patriarchæ quatuor ordinibus in scripturis numerantur. 1.L
Paulus ad tertium cœlum raptus audiuit Christũ, & sapientior factus est. 151.D
Paulus & Moyses eadẽ charitate petũt anathema fieri pro populo. 331.E.332.C.D
Pauli in raptu mens illustrata fuit per modũ passionis transeuntis. 340.G
Pauperis causa non semper ex clementia iudicanda est. 220.M
Pauperum oppressio est peccatum clamans in cœlum. 15.M
Pauperum oppressio clamat in cœlum, & à deo dissimulari non potest. 21.I
Pax significat sanitatem, incolumitatem, & valetudinem. 196.I
Pax transitoria vestigium pacis æternæ. 328.A
Pace nihil præstantius. 14.B
Peccare solum possumus per dicta, facta, vel cogitata. 42.B.C. & seq.
Peccare aliquos deum facere impossibile est. 74.K
Peccans venialiter in sabbato non violat sabbatum. 380.B
Peccatum opus seruile est. 179.A.M.18.B
Peccatum originale à parentibus trahimus. 173.B
Peccatum Iudæorũ circa vitulum maximum fuit, quod vix adhuc sit expiatum. 321.H
Peccatũ quoduis formaliter cõsistit in auersione à deo. 326.B
Peccatum infidelitatis maius est omnibus peccatis. 326. præcipuè quæ contingunt in peruersitate morum. Ibidem.
Peccatum Aaronis in vitulum non remansit impunitum. 327.C
Peccatum Idololatriæ Iudæorum quando punitum est. 333.B.C.D.335.A
Peccatum nullum superat diuinam propitiationẽ. 354.D
circa Peccati quantitatẽ quadruplex gradus attendendus est. 208. & seq.
Peccata sua non redimens, morti sempiternæ semetipsum addicit. 102.H
Peccata parentum in ramis, non in radice puniuntur. 172.D. & seq.
Peccata carnalia maioris sunt infamiæ & minoris culpæ quàm spiritualia. 187.K
Peccata filiorum quomodo patribus nõ nocent & peccata patrum filiis. 174.B
Peccata quædam ad damnum pertinent, non ad interitum. 206.B
Peccata maiora maiori pœna digna sunt. 208.E
Peccata contra naturam penes quæ attendantur. 213.B
Peccata ex gula procedentia. 320.G. & seq.
Peccatorum tria sunt genera. 354.C
Peccatorum nostrorum memoria toties erudimur, quoties aduersis premimur. 125.F
Peccatorum maximum est colere dæmonia. 168.C. quo tamen peccãt qui diuinationibus & sortilegiis intendunt. Ibidem. & seq.
Peccatis suis vnusquisque venditur, & à creatore suo discedit. 123.C
Peccator quisque quadriga est diaboli. 107.I
Peccator à conspectu dei fugit. 149.I
Peccator quisque sæuit in deum peccando. 172.F
Peccatores persequuntur studiosos. 5.D.E
Peccatores respiscant si non velint grauioribus suppliciis obiici. 63.H
Peccatores quosdam deus non conuertit, non tamẽ eos ad peccandum inducit. 74.I
Peccatores nascuntur filij diaboli per peccatum. 171.E.F
Peccatores puniuntur in quartam generationem, diligentes verò deum præmiantur in mille generationes. 172.M.174.H.I.M.175.C.D
Pectorale ornamentum in pectore summi sacerdotis. 242.C
Pecunia diaboli homicidium, adulterium, furtũ, &c. 123.C.D
Pelagiani nolunt primitias suas deo offerre. 242.I
Pelagianorum error circa dei gratiam. 274.H.I
Pentecostes festum quare institutum. 156.E
Pentecostes præ cæteris venerabilis festum. 162. B. tempus futuræ resurrectionis indicat. Ibidem.
Pentecostes solennitas. 161.I







Pẽtecostes festum quinquagesima die post Pascha celebrari iubetur. 224.K.L.M.225.D
Pentecostes solennitas dicitur hebdomadarum. 358.I. in memoriam datæ legis in monte Sinai. Ibidem.
Percutiens principem vel personam in dignitate constitutam morte plectendus est. 204.M
Percussio sola patris aut matris morte punitur. 203.B
Periurium in decalogo cur prohibetur, & non blasphemia. 176.E.F
Periurium quibus verbis prohibetur. 177.A
Periurus iniuriatur deo, crudelis est sibi, & noxius hominibus. 176.G.H
Permissio dei communiter eius actio vocatur. 36.G
Perseuerantia omnes virtutes in horreum domini congregat. 359.M
Persecutiones in hoc mundo non sunt timendæ. 5.G. & quare. Ibid. & seq.
Persecutiones bonis etiam maximè cooperantur in bonum. 4.F.G.L
Persecutores Christianorum figurabat Pharao. 107.H.I
Petra Christi nomen adepta est. 142.E. cuius figuræ multæ præcesserunt. Ibid. & F.
Petra Christus est super quam dominus fundauit ecclesiam. 351.E.G.H
Petræ cum virga percussio est Christi in sua passione exaltatio. 142.A
Petræ foramen oculus fidei dicitur. 351.F
Petrus media nocte dominum negauit, luce adueniente fleuit amarè. 92.B
Petrus post peccatum percussionis gladij factus est pastor ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Aegyptium rector synagogæ. 12.G
Petrus quare permissus est tentari. 104.E
Petrus à petra quæ Christus est, sortitus est nomen. 351.E
Petrus peccans diabolo inspirante, postquam illum dominus respexit, fleuit amare. 355.M
Pharao in omnib⁹ plagis quàm variè se habuit. 69.L.M
Pharao tria scelera occidendo pueros commisit. 8.D
Pharao fuit sibiipsi causa indurationis, & non deus. 52.D.E
Pharao imago est omnium qui in impietate sua obdurati sunt. 60.E
Pharao nomen regum Aegyptiorum, sicut Augustus Romanorum. 67.H
Pharao cur persequitur Iudæos fugientes. 106.F. G.H
Pharao cum seruis quomodo intrabat mare rubrum viso miraculo. 110.M
Pharao decem plagis admonitus, ad extremum maris rubri fluctibus est obrutus. 112.L
Pharao non humana sed diuina virtute periit. 116.F
Pharaonis cor in decem plagis Aegypti variis modis induratum est. 66.G. & seq.
Pharaonis crudelitas & tyrannis in pueros etiã nondum natos. 5.L.6.D.E.8.E.C.D
Pharaonis duricies non ex deo, sed ex ipso Pharaone ortum traxit. 61.F
Pharaonis cor quomodo deus indurauit. 71.G
Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia induranit. 34.M.35.A. & seq. & diuina clementia & benignitas obstinatũ reddidit. F.36.B
Pharaonem pœnitet obsecutum esse diuinæ voluntati. 106.F
Pharaones dicebantur reges Aegyptiorum. 3.A
à Phares ad Naason generationes quinque numerantur. 103.F
Philistiim terra nunc dicitur Ascalon. 103.B
Philosophia moralis & naturalis coniungi potest. 39.E
Philosophi si qua fortè vera fidei nostræ accommoda dixerunt, tanquam iniusti possessores spoliandi sunt. 27.M.28.A
Phinees an peccauerit occidendo Madianitam. 12.H.L
Pietas ac religio est, quicquid in gratiam dei fit. 12.H
Pietas vera etiam in prosperis deum iustũ agnoscit. 69.L
Pietas superna agit in nobis aliquid sine nobis. 353.M
Pietas vera præponit diuina humanis. 327.H
Pietas vera non stat in artificioso eloquio. 388.B
Pietate misericordiæ nihil est omnium virtutum dignitate præstantius. 97.K
Pignus quatenus proximo reddendum. 215. I.K
Pignus donum spiritus sancti, peccati confessio. 219.E.F
Pij cum timore & reuerentia de deo cogitant, impij cum blasphemia. 19.H
Pij inter calamitates huius mundi patri misericordiarum adhærent. 78.K
Piorum & impiorum discrimina. 3.F
Piis hominibus nihil grauius, quàm blasphemia in deum. 323.H
Plagæ Aegyptiorum eruditio sunt totius orbis terrarum. 71.H
Plagæ diuinitùs irrogantur, & tamen nullus dei metus. 166.A.B
Plenilunium in quo Christus immolatus est, plenitudinem temporis significat. 81.H
Plenitudo sabbati erit in requie sempiterna. 367.M
Pluuia siue grando non potest in Aegypto generari. 69.F
Pœna grauis non solùm pro grauitate culpæ, sed propter alias causas infligitur. 208.C
Pœna vnius alter punitur. 174.D.E
Pœnæ eorum qui persequuntur fideles, qui nolunt audire prophetas. 109.L
Pœnæ spirituales non sunt medicinales tantùm. 174.D
Pœnæ comminatio in duobus solùm primis præceptis est. 176.L.M
Pœnæ quæ in veteri lege pro criminibus infligebantur. 199.I.K
Pœnas à deo inflictas miramur, non tamen peccata pro quibus infliguntur. 166.B.C
Pœnitentia ficta impiorum non est omnino contemnenda. 59.L.M
Pœnitentia Pharaonis etiam ficta, à domino aliquomodo respecta est. 59. L.M. etsi non ad præmia æterna, tamen ad temporalia. Ibid.
Pœnitentia vera constat vera agnitione peccatorum, & vera emendatione vitæ. 60.E
Pœnitentia vnius plus deus commouetur, quàm iustorum merito delectetur. 147.A
Pœnitentia gentium, ruina est Iudæorum. 330.E
Pœnitentia citra iciunium vana est. 360.M
Pœnitentiæ vires & vtilitas. 147.A.B
Ponderum nomina & valores. 381.E
Pontificis duo sunt opera. 147.C
Pontificis conditiones. 369.A. & seq.
Pontificis vox tanquam buccina intelligitur. 387.B
Pontifices debent quatuor habere. 296.D.E
Pontifices summi Israelitæ induti Ephod & rationali sciscitabantur oracula. 287.H.I
Pontificum consecratio quomodo olim fiebat. 305.H
Populus diaboli persequitur populum Christi. 5.E
Populus dei qui est in ecclesia multa patitur. 44.G.H
Populus Israeliticus quo ordine liberatus sit ex Aegypto. 44.L
Populus qui deum sequitur, accipit sabbatum. 137.K
Populus Israel cur non ascendit cum Moyse in mõtem ad deum. 154.D. & quomodo electus est in dei populum. E.F. & seq.
Populus dei vel peculium eius qui sunt. 154.H.I
Populus legem accepturus nõ solùm sanctificari, sed & vestimenta lauare debet. 156.C. 157. A.B
Populus Israel stabat certo ordine circa montem Sinai. 159.B
Populus Iudaicus semper promptus fuit ad idololatriam. 321.G
Portare iniquitatem alterius quid sit. 175.C
Portentum non fit virtute naturæ. 34.K
Potentia maiestatis dei à nulla potest creatura cõprehendi. 240.D
Præceptum secundum legis contrariatur secundæ plagæ Aegyptiorum. 58.I.K.L
Præceptum sabbati, & iudiciale quando data sint. 125.B. & seq.
Præceptum primum tres actiones exteriores prohibet. 169.I. & integratur quatuor negationibus. Ibidem.
Præceptum primum decalogi. 165.D.G. & seq. 166.H. & seq.
Præceptum primum obseruare quinque nos inducunt rationes. 168.E.F
Præceptum secundum quid prohibeat. 176.D.E
Præceptum secundum ad filiũ dei pertinet. 177.F
Præceptum tertium exterior est dei cultus per signum communis beneficij. 177.G. & sequen. 178.G
Præceptum de sanctificatione sabbati partim morale, partim cæremoniale est. 178.E.F.G
Præceptum tertium habetur quinque rationibus. 178.G.H. & seq.
Præceptum de obseruando sabbato ad spiritum sanctum pertinet. 181.H
Præceptum de non occidendo non extenditur ad feras, aues, altilia, bestias, pisces & herbas, vt putãt Manichæi. 184.D.E.K. sed ad seipsum. E.F.L.M
Præceptum de furto multis rationibus cauendum est. 188.F
Præceptum aliquod dupliciter est figurale. 198.K
Præceptum decimarũ partim morale, partim iudiciale erat. 218.C.F
Præcepti primi sensus. 175.D.E
Præcepti tertij determinatio est cæremonialis, non moralis. 180.H.I. & seq.
Præcepti primi replicatio. 196.G
Præcepto de honore parentum cur additur promissio. 183.K.L.184.A.B
Præcepta decalogi aliquomodo mutabilia sunt, aliquomodo immutabilia. 77.I
Præcepta quatuor circa præcepta celebrandum. 87.E.K.L
Præcepta diuina nullam humanam recipiunt dispensationem. 91.L. dominus tamen quando vult soluit. Ibidem.
Præcepta vel consilia vel etiam permissa pro temporum diuersitate mutantur. 144.I

Præcepta quo ordine populo tradenda. 155.C
Præcepta decalogi ordinatur ad dilectionem dei & proximi. 175.H.quę prima ratio est seruãdi omnia præcepta. Ibid.
Præcepta libero populo dantur. 180.D
Præcepta moralia in quo differant à cęremonialibus. 180.H
Præcepta legis quæ per figuram dicta post Christi aduentum seruari non possunt. 181.C.D
Præcepta ad deum, tria: ad proximum, septẽ. 181.K. 182.H. quamuis ad deum quatuor, & sex ad proximum. Ibid. & seq.
Præcepta quæ sunt erga proximum legem adiuuant naturalem. 181.K. sed absque dilectione dei ad vitam non profuerunt æternam. Ibid.
Præcepta priora dantur in ordine ad deum, posteriora in ordine ad proximum. 183.L.M
contra Præceptum de non occidendo tripliciter est erratum. 184.K
Præcepta negatiua magis vniuersalia quàm affirmatiua, quantùm ad tempora & personas. 187.K.L
Præcepta duo sunt: Non mœchaberis, & Nõ concupisces vxorem proximi tui. 189.L
Præcepta cæremonialia, iudicialia, & moralia quomodo differant. 195.H
Præcepta iudicialia & cæremonialia per legem nouam euacuata sunt. 198.E.F
Præcepta sunt de his quæ sunt agenda. 215.L.ad quorum implectionem ex duobus homo inducitur. Ibid. & M.
Præcepta iudicialia aliquid significabant futurum. 218.D
Præcepta cæremonialia & iudicialia in quo differunt. 218.E
Præcepta cæremonialia quia erant signum futuri ideo præsente figura cessauerunt. 218.H
Præcepta duo iunguntur populo relatiuè ad angelum. 227.G
Præcepta euangelica custodire iussit Esaias. 221.B.C
Præcepta cęremonialia à deo per Moysen sunt data populo. 315.H
Præcepta legis vel sunt moralia, cęremonialia, vel iudicialia. 216.A
Præcepta à populo Israel obseruanda, à paschali solennitate incipiunt. 359.K
Præceptorum genus duplex in veteri lege. 164.I
Præceptorum moralium triplex est gradus. 195.H
Præceptorum decalogi succinctus epilogus. 192.I.K.L.195.H. & seq.
Præceptorum quædam obligant, & quædam nõ. 198.I.K
Præceptis diuinis obsequendum est, etiam si mundus contranitatur. 6.D
in Præceptis iustitia est, in mandatis charitas. 215.M
Præceptis dei laudandi sumus. 297.M
Præcipiens dominus ad animam loquitur. 190.D.E
Precatio ingenium etiam malum facilè ad misericordiam & clementiam pertrahit. 353.C
Preconis officium sumit qui ad sacerdotium ascẽdit. 290.K
Preces piorum pro impiis etiam exaudiuntur. 59.L.M
Prædestinatio est ordinatio sanctorum ad vitam æternam. 332.L
Prædestinati eliguntur à deo ad vitam æternam habendam. 331.L.332.L.M. & hoc dupliciter. Ibidem.
Prædicatio verbi dei res magna est, & functio prophetica. 28.G
Prædicationis officium quomodo appetendum, & quomodo declinandum. 30.K.L
Prædicationem euangelij sequitur persecutio. 45.E
Prædicatorum conditio difficilis. 45.F.F
Prædicatorum sermo secundum auditorum intellectum formari debet. 162.H
Prælatorum error subditos errare facit. 151.F
Præparari omnes oportet qui deo coniũgi student. 157.F.G
Præparatio quę requiritur ad percipienda sacramenta. 311.A. & seq.
Præpositis obediendum est vice dei, sed non contra deum. 217.B
Præscientia sola dominus neminem punire sustinet. 36.A
Præscinit deus Pharaonis incredulitatẽ, nec propterea eum antea puniit. 36.A
Præuaricatio non est vbi lex non est. 44.G
Primitiæ ad quoddam genus oblationum pertinent. 218.G. & seq. & ideo obligant ex instituto & consuetudine ecclesiæ. I
Primitiæ non solùm segetum, sed & pecuniarum offeruntur domino. 241.B.C.D
Primitiæ sunt oblationes & non sacrificia. 370.F
Primitias nostras quomodo deo offeramus. 217.M.218.A. & seq.
Primogenitus quomodo dicitur Israel. 36.L.M. 37.A.B.C. & quomodo eiectus est à iure primogenituræ. F
Primogenitus est non tantùm post quẽ & alij, sed ante quem nullus. 90.E.F
Primogenitus dicitur etiã si nullus ipsum sequatur frater. 90.G. & seq.
Primogeniti non semper accipiunt hæreditatem. 37.B
Primogeniti patriarcharum vt plurimum à iure primogenituræ excluſi sunt. 92.D
Primogenita Aegypti cur deus occidivoluit. 90.H. & cur nocte & non die. H.I. & cur media nocte. I.K. & an in qualibet domo. K.L.M. 91.A
Primogenita hominum deus redimi iubet. 100.D.E
Primogenita quæ dicuntur. 218.M
Primogenita masculina non fœminina offerebãtur domino. 358.C
Primogenita asini quo mutare quid. 359.L
Primogenitorum Aegyptiorum mors quid figurabat. 86.B.C. & seq.
Primogenitorum cędes quid designat. 92.B.C. & sequen.
in Primogenitorum Aegyptiorũ cæde agnoscitur dei omniscientia. 91.M. omnipotentia. 92.A. seueritas erga impœnitentes, clementia & misericordia, & veritas verbi dei. Ibidem.
Primogenitorum Israelis sanctificatio. 98.E. & seq.G. & seq. quorum masculi soli sanctificabantur. Ibidem.
Primogenitis leguntur secundò geniti sæpe prælecti. 358.D
Prima lex à deo data Iudæis est de paschali solennitate. 99.H
Primo præcepto addit minas, & promissiones, pœnas & præmium. 174.M
Primi fieri velimus vbi cuncta sunt veneranda & splendida. 389.L
Princeps mundi per exaltationem Christi in crucẽ eiectus est foras. 142.A
Principis virtus prima est timor dei. 151.M
Principis conditiones quatuor. 152.A
Principes antiqui non educarunt filios ad delitias. 14.K
Principes populi quales oportet esse. 151.A
Principes pagani honorem sacerdotibus impendere nouerunt. 216.K
Principibus siue magistratibus negligentibus imputantur peccata subditorum. 207.D
Principia omnium bonorum ascribe deo, & non tibi. 360.B
Promissa quatuor desiderabilia seruantibus dei præcepta. 229.F.G
Promissa à deo conceduntur seruantibus mãdata eius. 230.G
Promissio dei in aduersis fidem conseruat & desperationem fugat. 107.H
Promissiones à deo factæ Iudæis habebant conditiones. 155.B
Propheta duobus modis dicitur. 51.H.I
Prophetæ insserunt bella gerere, quæ Apostoli prohibent. 144.I
Prophetæ non solum sermone sed & visione, & actibus prophetabant. 349.K. sed & Christum hominem videbant. Ibidem. & L. non tamen faciem domini manifestè viderunt. M. 350.A
Prophetales visiones quæ & quot sunt. 342.C. & seq. & differentia earum ad alias visiones. Ibidem.
Prophetia duplicem potest habere interpretationẽ. 342.C.D
Prophetia pertinet ad cognitionem. 351.L
Propitiatorium tabella quædam super arcam. 246.E
Propitiatorium Moysi dominum Saluatorem significat. 248.D. & seq.G
Propitiatorium dicitur Christus dei & hominum mediator. 377.E
Prouidentia dei quanta erga suos. 139.D
Prouidentiæ diuinæ opera qualia sunt. 43.B.C
Prouidentiam diuinã per hæc infima philosophi cognouerunt. 244.D
Pseudoprophetæ etiam fures dicuntur. 187.M
Pudicitiam solam nouit conscientia, cæteras virtutes cæteri. 295.G
Punire malos non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. 184.D.L. sicut & bella gerere. F
Punitio peccatorum in bonis temporalibus. 166.A. & seq.
Pusillus est qui scandalizari potest. 206.F
Pythagoras de genere Iudæorum fertur natus. 281.C. qui docuit discipulos multa Moysi dogmata. Ibidem.


Q


Quadragenarius numerus cõuenit peccatoribus & ieiunio & orationi, & sacco &c. 362.F
Quadragenarij numeri ratio. 139.K.L. sed bonus ille numerus qui cœlum aperit. Ibidem.
Quadragesimæ obseruatione & iustificamur & pascimur. 139.L
Quadragesimæ ieiunium in quibus figuratũ est. 139.K.L
Quadragesimæ supputatione operum nostrorum decimas deo offerimus. 217.L.M
Quadragesimæ ostenditur nobis sacramentum per Moysi & Heliæ ieiunium. 238.L.239.A
Quadragesimæ ieiunium cur per quadraginta dierum numerum custoditur. 239.B.C
Quadraginta dies mysticum numerum designant 238.M
238.M. & eius rationes. Ibidem.
Quadraginta anni deserti, & quadraginta mansiones populi mysticè quadragesimę tempus figurant. 239.C
Quadraginta dies ieiunauit Moyses, Helias & Christus. 239.A.B.C. & seq.
Quadraginta dierum noctiumq; ieiunio Moyses meruit cum deo loqui, & legem recipere. 336.B.C
Quadraginta dierum ieiuniis reconciliatur deus. 336.C. aperiuntur cœli, inferna referantur. Ibid.
Quadraginta dierum noctiumq; ieiunio Christus virtutes suas dedicauit. 336.C
Quadraginta numerus semper afflictionis & pœnitentiæ est. 362.E.F
Quadruplex ordo in aliquo præcepto inueniri potest. 198.L.M
Quærere animã in bonum & in malum dicitur. 34.E.G
Qualiter obduratur qui ad correctionem castigari à domino non meretur. 35.A.B
Quartadecima dies immolationis agni decalogi legem & quatuor euãgelia figurabat. 82.B.C
Quartadecima mensis comederũt pascha in Ramesse, quintadecima die venerunt in Sochoth filij Israel. 98.M
Quartum supplicium Pharaonis & Aegyptiorũ. 61.I.M.62.A. & seq.
Quarta mansio filiorum Israel Phihahiroth. 105.F. quæ Israelitis periculo fuit. H
Quatuor ordinibus patriarchæ in scripturis numerantur. I.L
Quatuor ordines quibus patriarchæ numerãtur, Apostolis conueniunt 2.F
Quatuor prima signa Aegypti facta sũt ab Aaron duo sequentia à deo, quatuor postrema à Moyse. 75.E
Quatuor castra reperiuntur circa tabernaculũ domini posita. 141.F
Quatuor apparuerunt super montem Sinai. 158.H. 160.H
Quatuor ætates quibus deus punit filios in tertiã & quartam generationem. 172.F.G
Quatuor climata terræ promissionis ad quatuor mundi partes. 230.F
Quatuor circuli arcæ Moysi quatuor sunt euangelia per quatuor mundi angulos prædicãda. 245.A. & seq.
Quatuor sensus literales. 250.M. 251.A
Quatuor virtutes cardinales & earum proprietates. 270.B
Quatuor colores vestium pontificis quatuor figurant elementa. 296.E
Qui est, nomẽ est æternitatis. 23.G. rem nõ nomẽ significat. I. deo patri & filio, & spiritui sancto commune. K. nomen proprium dei. 24.I. & sequen.
Quies est animæ delectatio. 321.C
Quietes tres animæ ante supremam. 179.D.E
Quinquagenarius numerus, iubileum, & æternã requiem significat. 259.M
Quinquagenarius numerus ad remissionem peccatorum pertinet. 276.E
Quinque genera hominum peccãt contra hoc præceptum de falso testimonio. 189.C. & seq.
Quinque libri Moysi continent principium mundi, medium & consummationem. 389.F
Quinta generatione ascenderunt Israelitæ ex Aegypto. 143.C
Quinta generatione ascenderũt filij Israel de terra Aegypti. 103.G
Quintum præceptum quintæ plagæ comparatur. 65.G




R


Raab an excusetur à mendacio. 6.F. G.7.A.B
Radix patriarcharum Iacob: Apostolorum, Christus: omnium credẽtium, Apostoli. 2.F.
Ramesse vrbs quam ædificauerunt Israelitæ in Aegypto. 93.G.H. quam quidam Thebaida dicunt. I
Ranæ carmina poetarum figurant. 58.H.I. vel etiam ipsos poetas. I
Ranarum tria sunt genera. 58.G
Raphidim locus in deserto iuxta montem Horeb. 140.C
Ratiocinari & intelligere hominum est. 65.G
Ratio quæ præsidet inferiores motus frænare debet. 65.G
Ratio operibus, & opera ratione indigẽt. 284.B
Rationale dicitur כֹּהֵן Hebræis, & λόγιον Græcis. 383.C. sermonem figurat euangelicum. E.F. & duplex est. Ibidem.
Rationale quid sit, & quæ eius forma & figura. 285.A.B. quod & pectorale. B.C
Rationale in medio pectore positũ terram in medio elementorum sitam designat. 287.M. quod duplex est. 288.F.I
Reconciliatio talis sequi debet, qualis præcessit offensa. 205.F
Rector semper cogitatione sit mundus. 289.F
Rectores summa cogitare, inferiores inferiora gerere debent. 151.H
Redemptor noster purus homo nõ est. 85.B. sed est Alpha & ω. C
Redemptor humani generis per propitiatoriũ designatur. 248.A
Reddendũ est proximo si quid nostra vel nostrorum opera ipsum læsimus. 209.I
Refugium vltimum iustorum in angustiis est clamare ad dominum. 140.K
Regnauerunt Patriarchæ & Prophetæ, sed non Apostoli & martyres. 144.G.I
Religio est quæ debitum deo reddit famulatum. 312.D
Religio præferenda est necessitudini. 327.H
Religionis præcipuum impedimentum. 169.G
Remedia contra concupiscentias. 192.C. & seq.
Renes prima sunt concupiscentiæ officia. 300.F
Reprobatio peccatorũ vnde causam habeat. 331.A.B. & seq.
Reprobi sibi sunt causa damnationis. 67.M.68.A. & seq.
Requies, vita æterna. 341.B. vel terra promissionis. Ibidem.
Rebus corporeis insunt quædam seminariæ rationes. 53.D.E
Respublica quomodo gubernanda. 153.E.F
Respublicæ quomodo conseruãtur incolumes. 3.F
Respublicæ diuinitus constituuntur. 158.K
Respiscentiam meditamur & pollicemur donec præsens malum effugerimus. 74.F
Resurrectio prima est remissio peccatorum. 95.I. Secunda verò, est corporum resurrectio. Ibid.
Resurrectio Christi cur dilata est in diem tertium. 157.H
Retis sinæ craticulæ altaris varia descriptio. 273.A. & seq.
Reges ignorare non debent quæ statum suum decent. 3.B
Reges & principes vi quarti præcepti sunt honorandi. 183.I.K
Reges & principes violenter furantur. 188.C.D
Romani diu sine simulachris deos coluerunt. 169.G
Rubus dicebatur ardere in igne, & non comburi 17.A. & seq.G. & seq. 19.I
Rubus ardens incombustius potest ecclesiam designare. 20.F.G
Rubus ardens quare non combustus sit. 17.G. 19.L. 20.A
Rubo ardẽte & incõbusto Iudaicus populus designatur. 19.L.20.B


S


Sabbath & sabbatizare significat & quiescere. 137.H
Sabbatizat dignè qui ab opere malo cessat. 181.G. aliàs culpabiliter sabbatizat. Ibidem. & H
Sabbatismus quid significat. 177.K.L
Sabbatum qua veneratione sanctificandum. 61.F.G
Sabbati præceptum quando datum est. 125.B
Sabbatum septima dies obtinuit. 177.M
Sabbatum vacatione operum à deo honoratũ est. 179.K. cuius obseruationis duæ rationes sunt. Ibidem.
Sabbatum obseruare quilibet tenetur. 179.M. in cuius obseruatione duo sunt considerãda. Ibidẽ.
Sabbatũ cur deus benedixit & sanctificauit & nõ alios dies. 180.G
Sabbatum iuxta literam obseruare impossibile est. 181.A. sed quomodo possit seruari. A.B.C
Sabbati violatio cur deo displicet. 137.F.G. & quid die sabbati agendum. G.H.L.M
Sabbati obseruatio fit in spe quietis futuræ. 180.L.M. & spiritualiter obseruandum præcipitur. M. abstinens ab opere seruili. Ibidem. à peccato. Ibidem.
Sabbati obseruatio. 223.K.L.M
Sabbati sanctificatio partim cæremonialis, partim moralis erat. 315.H. & est primum in lege mandatum. M
Sabbati instituendi & obseruãdi rationes. 315.M. 316.A. & seq.H
Sabbata quatuor memorantur in sacra scriptura. 178.E
Sabbata perseuerantiam totius diei erga deum edocebant. 316.K. per quæ non iustificabatur homo. Ibidem. & L
Sacerdos est vt populus. 151.H
Sacerdos magis peccat quàm laicus, & episcopus quàm sacerdos. 187.G
Sacerdos prædicationis nescius est tanquàm præco mutus. 290.K
Sacerdos summus apud Iudæos Christum figurabat. 270.A
Sacerdotis perfectio tota in operibus & doctrina veritatis consistit. 291.C.
Sacerdotis virtutes & perfectiones ex vestibus Aaronis desumuntur. 298.A. & seq.
Sacerdoti impingitur populi in deum præuaricatio. 326.B
Sacerdotes maximè decet hospitalitas & beneficentia. 15.A
Sacerdotes populi Israel qui dicebantur ante legem datam. 161.C.H
Sacerdotes qui appropinquant deo, sanctificentur. 156.D
Sacerdotes decẽtibus vtantur vestibus. 280.G
Sacerdotum est legem dei & voluntatem annunciare populo. 130.M
Sacerdotum maiorum & minorum consecratio quomodo fiebat. 305.H.I

*In sacerdotibus nihil plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine.* 281.C
*Sacerdotalis dignitas quanta sit.* 281.C.D
*Sacerdotium primogenitorum erat in Christo repositum.* 102.I
*Sacerdotium nemo sibi ambire debet.* 280.F
*Sacerdotium vicarium positum est in Leui donec verum veniret sacerdotium.* 102.I.K
*in Sacerdotio Christi duo possunt considerari.* 305.D
*Sacramẽtum corporis & sanguinis Christi quàm necessarium sit.* 81.I. *sine quo & baptismo non profuisset passio eius. Ibid.*
*Sacramenta quibus præsens ecclesia instituitur, in Exodo exprimuntur.* 1.B.C
*Sacramenta veteris legis erant tria.* 87.B
*Sacramenta veteris legis quæ erant.* 96.A
*Sacramenta Christianorum anteriora sunt sacramentis Iudæorum.* 135.F.G
*Sacramentis veteris legis tria erant necessaria.* 96.B.C
*Sacra eloquia qualitates exprimunt earum.* 158.L.M
*Sacra multa erant in lege veteri ad solennitatem pertinentia.* 223.D.E
*Sacra quæ deus à nobis exigit.* 311.G.H
*Sacrificare de fermento laudem.* 84.K
*Sacrificare dicitur multipliciter.* 170.H
*Sacrificare alteri à deo, & furari honorem dei.* 214.F
*Sacrificium offerre deo nihil aliud est quàm deũ colere.* 55.L
*Sacrificium verum non est quando fit extra Ecclesiæ vnitatem.* 97.D
*Sacrificium corporis & sanguinis sui dominus per semetipsum tradidit.* 131.H
*Sacrificium soli deo debetur.* 213. G.H. *quod offertur ad aliquid significandum.* 214.C.D
*Sacrificium purum esse debet.* 360.A
*Sacrificia animalium vnigeniti mortem designabant.* 78.C
*Sacrificia spiritaliter possunt, quæ modo carnaliter non possunt.* 153.I
*Sacrificia quæ deo specialiter fiebant.* 218.I
*Sacrificia propriè dicuntur quando circa res deo oblatas aliquid fit.* 370.E
*Salomon sapientiam nõ perseueraturus nocte accepit.* 159.A
*Salus Iudæorum sine sanguine esse non potcrat.* 84.E
*Salus volentis & currentis, est dei miserentis & fauentis.* 346.C
*Samson an fuerit sui homicida.* 184.F
*Sanctificare quid sit.* 98.K
*Sanctificare & consecrare montem.* 161.E
*Sanctificare in diem tertium.* 157.I.158.A
*Sanctificari est etiam abstinere à licitis.* 157. B. *Sed & ab vxoribus. Ibidem. & C.D.* 158.C
*Sanctificari quæ dicuntur.* 179.M
*Sãctificatio sacerdotum, regum & vasorum quare fiebat per vnctionem.* 297.F.298.E
*Sanctificatio & animi & corporis mundatio est.* 156.E.F. *vel ad illa admonitio.* M
*Sanctitas eadem domino & seruis debetur.* 113.F
*Sanctitas est propria deo.* 291.K.L
*Sanctitatis nomen duo videtur importare.* 312.B. *quæ attribuitur his qui diuino cultui applicãtur.* C.D
*Sanctum accipitur duobus modis.* 178.L.M
*Sanctus est omnis locus in quo Christus fuerit.* 19.K
*Sanctus non quærit requiem, sed tribulationem.* 125.L
*Sancti pennas habent aquilæ, & pennas columbæ.* 115.M
*Sancti sine voce clamant ad dominum.* 108.I
*Sancti non agnoscunt excellentiam suam.* 366.C
*Sanctorũ opus proprium est pascere oues, prodesse multis, &c.* 17.C
*Sanctorum obedientia & deuotio in gloriam dei redundat.* 52.D
*Sanctis cohabitare quantum bonum sit.* 59.K.L. *qui non nisi ad gloriam dei orare consueuerunt.* L
*Sanctuarium vel sanctimonium dicitur tabernaculum dei vel templum.* 121.M
*Sanctuarium cur sibi dominus fieri iubet.* 242.H
*Sanguis euangelij auro legis preciosior est.* 293.K
*Sanguinis agni immolati notæ tres.* 84.G.H.I
*Sanguine agni immolati cur liniebantur postes & superliminaria domorum.* 82.L.M
*absque Sanguine nihil penè in veteri testamento emundabatur.* 236.G
*Sapientia incomprehensibilis in scripturis latet.* 139.H
*Sapientia deus est omnium viuentium oculis occulta.* 235.D
*Sapientia dei Christus est.* 237.F
*Sapientia in corde hominis à domino est.* 315.C
*Sapiẽtia dei quomodo pro hac vita videri potest.* 339.M
*Sapientia Beseleelis & cæterorum artificum donum dei est.* 372.I
*Sapiẽtiæ huius mũdi conditiones.* 64.A. *quibus ascitur. Ibidem.*
*Sapientia iustorum conditiones.* 64.A.B
*Sapientiæ amator extitit Salomon.* 151.C
*Sapientiam quæ deus est, nemo vidit qui adhuc carnaliter viuit.* 347.G
*Satanas quomodo vincendus.* 45.I.K.L
*Satanas deo permittente fortis est, resistente verò impotentissimus.* 60.M
*Satanas primus est inter dæmones.* 123.K
*Satanas quibus cautelis & armis nos aggrediatur.* 190.G.H
*Saturitas nequitiæ probríque initium est.* 362.B
*Saturno dicatum sabbatum gentiles dicebant.* 179.L
*Saulus ecclesiam persequens de cœlis vocatus.* 12.F
*Saulus arbor quãdam mala fecit fructus bonos.* 151.E
*Scandalizari non est perfectorum.* 206.F
*Scandalum est pedis impactio quod hominem cadere facit.* 72.L
*Scandalum quantum sit vitandum.* 204.B 206.A.B
*propter Scandalum Pharisæorum Christus nõ dimisit prædicationem.* 208.A
*Scientia spiritualium patrum creuit per incrementa temporum.* 46.E
*Scientia qua motus corporum cœlestium traduntur, probatur à sacra scriptura.* 80.D
*Scientia dei longè differt à scientia nostra.* 338.F
*Scientia nostra non est penitùs vniuoca cum scientia dei.* 338. F. *Ideo secundum quid imitatur scientiam dei. Ibidem.*
*Scimus cùm necesse nõ est, in necessitate nescimus.* 21.G
*Scire dei probare, sed nescire est reprobare.* 341.I
*Scirpus genus aquosæ geneſtæ.* 9.G
*Scribi in libro vitæ aut deleri dupliciter intelligitur.* 331.K.332.L.M
*Scriptura sancta, historia, moralitate, & allegoria constans, nullis hæreticorum dogmatibus potest dirumpi.* 380.I
*Scripturæ sacræ mater lingua Hebræa est.* 11.M
*Scripturam sacram ausus temerare æterna morte morietur.* 157.K
*Seculum totum vitæ spacium significat.* 89.G.H
*Seculum longitudinem dicit temporis, sed cuius est aliquis finis.* 122. B. *sicut in seculum seculi, & in secula seculorum. Ibidem.*
*Seculum præsens figuraliter Aegyptus appellatur.* 175.H
*Seculum, seculum seculi, & secula seculorũ in qua differunt.* 199.G
*Secunda lex data Iudæis est de offerendis primogenitis.* 99.M.101.B.C
*Semen verbi dei triplici loco deperit.* 117.I
*Senario numero perfectio operum, septenario requies designatur animarum.* 226.D
*Sentire sublimè de se nemo debet.* 153.A
*Separationem filij à patre corporalem dominus non iubet, sed spiritualem.* 182.L
*Sephora typum tenet ecclesiæ.* 39.C.D
*Septem peccata mortalia de superbia tãquam de radice oriuntur.* 231.C
*Septenarius numerus omne præsens tempus ostendit.* 178.D
*Septenarius ex ternario animæ, & quaternario corporis constat.* 182.I
*Septenarius numerus sanctus vocatur.* 223. K.L. *quod & philosophi & medici probant. Ibid.*
*Septima dies mortuorum ætas intelligitur.* 136.G
*Septimum mandatũ dei comparatur septimæ plagæ Aegypti.* 70.I.K.L
*Septuaginta animæ Aegyptum ingressæ prædicatores designabant.* 2.G
*Septuaginta fontes in Helim septuaginta figurabant discipulos.* 126. H.I. *&c. vel martyres.* 127.A
*Sequi deum ducem quid sit.* 351.D
*Sequentes Christum necesse est ad pugnam procedere.* 145.I
*Sermo diuinus optimè cultus crescit in immẽsum.* 2.E
*Sermo legis habet scientiæ gloriam, sed secatam.* 365.M
*Serpens qui per lignum primum vicerat Adam, per lignum à secundo Adam victus est.* 142.A
*Seruile opus quod ad carnis pertinet voluptatem.* 87.F
*Seruire deo quomodo oportet.* 41.L.M
*Seruitus deo debita in quo consistat.* 213.G
*Seruitus triplex est.* 179.M.180.A.B
*Seruitia coacta deus non vult.* 369.E
*Seruus Iudæus non erat simpliciter seruus.* 200.G
*Seruum domini esse quanta sit dignitas.* 336.F.G
*Seruorum Hebræorũ conditiones.* 199.A. *&c.*
*Sethim interpretantur spinæ.* 263.I
*Sex dies in lege populus operari, septima quiescere sex annis arare, septimo iussus est quiescere.* 161.M.162.A
*Sex ciuitates refugij quæ sint.* 202.D
*Sexto præcepto sexta dei plaga opponitur.* 66. L.M. *cui meritum pœnam præsagit.* 66.M
*Sexta mansio in Helim.* 126.I
*Sexta dies parasceue dicitur.* 136.G. *quæ est sexta in qua nunc sumus ætas.* H. *in qua duplum colligendum est. Ibidem.* 137.B
*Siclus secundum siclum sanctuarij viginti oboli sunt.* 90.F
*Siclus templi quatuor habebat drachmas, & drachma quinque obolos.* 309.F.G
*Signa quæ fecit dominus Iudæis.* 356.E.F
*Similitudo in quo differt ad Idolo.* 169.A.F
*Sinai mons deserti Madian iunctus Horeb.* K. 16.G.L.M
*Sinai mons nomen à rubo accepit.* 17.B
*Sinai interpretatur rubi, Sin, rubus.* 161.I. *& significat Ecclesiam.* 162.C
*Sinai mons Sion montem figurauit.* 162.L.M
*Singulare pro plurali sæpe ponitur in sacris literis.* 78.L
*Sinus dei patris quid est.* 346.E
*Sitiunt iusti, sitiunt peccatores.* 141.L.M
*Socboth prima mansio Iudæorum.* 93.H.95.B
*Socoth inter Aegyptum & confinia Eremi situs.* 103.M
*Sol est causa vniuersalis illuminationis corporũ.* 71.E
*Solennitates domini cur seruandæ sunt.* 73.B
*Solennitates fidelium nil aliud sunt quàm memoriæ diuinorum beneficiorum.* 87.C
*Solennitates septem temporales & vna continua in veteri lege erant.* 225.C. *& seq.*
*Solennitates veteris legis institutæ sunt in cõmemorationem alicuius diuini beneficij.* 315.K.L
*Sortes Pythonésque consulens ecclesiam dei relinquit.* 322.D
*Sortilegarum miseria dolenda.* 213.A
*Spiritus sanctus digitus dei dicitur.* 116.C.D. *& sempiterna patris diuinitas.* E
*Spiritus sanctus multotiens exprimit scripturas.* 118.L
*Spiritus dei, & spiritus iræ dei.* 118.L.M
*Spiritus sanctus in dei natura consitendus est.* 167.A.B
*Spiritus sanctus est deus per cuius inhabitationẽ fideles dicuntur templum dei.* 242.F
*Spiritus sanctus spiritus sapientiæ est, spiritus cognitionis.* 314.F
*Spiritus sanctus digitus dei dicitur.* 317.H. *ideo lex dei digito dei scripta dicitur. Ibidem.*
*Spiritus vnus est prophetarum & idem apostolorum, idem & artificum, &c.* 372.G.H
*Spiritualia cum terrenis in hoc permixto mundo currunt.* 27.G.H
*Spolia Aegyptiorum tollere quid sit.* 27.L.M. 28.A
*Spolia ab Aegyptiis non sunt furto sublata, sed merces est reddita.* 91. L. *& quid significent.* 92.G
*Stacte gũmi est arboris myrrhę.* 311.K.L.313.D.E
*Stadium est vita præsens hominis.* 35.L
*Stagnum sulphuris diabolo & angelis eius præparatum est in perpetuum.* 120.D
*Stare quis propriè dicatur.* 20.H.I
*Stare, sedere, iacere, ambulare, &c. quomodo homines dicuntur.* 355.H.I. *& quomodo deus. Ibidem.* K
*Status quisque ex domesticis fructificet deo.* 389.I.K
*Sterilitas mulierum & animalium sæpe contingit propter peccata hominum.* 229.H
*Studium scripturarum melius est inter cæteras occupationes.* 192.E
*Studia quæ in hac vita suscipimus vestes sunt.* 158.D
*Subditorum vita torpescit quando prælatorum vita languet.* 151.F
*Subuentionis facilitas in lege multipliciter instituitur.* 211.K. *& seq.*
*Superbam diaboli contumaciam Pharao suo seruo exprimit.* 41.D
*Superbia radix cuncti mali.* 231.C
*Superbiæ effectus.* 41. A. *quæ est principium morborum.* B.E
*Superstitiones omnes procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus inito.* 168.B
*Superstitiones quantum vitandæ.* 175.E
*Superstitiones auguriorum, & obseruationis temporum &c. prohibentur per præceptum, Non mœchaberis.* 187.B.C
*Supplicium humanum non sufficit deo pro peccato in iudicio dei satisfacere.* 208.M
*Supplicia externa iurum possunt pro tempore augeri.* 208.D.E
*Sur desertum est vbi angelus inuenit Agar ancillam Saræ.* 124.D
*Synagoga quid mercedis ab ecclesia accepit.* 11.I
*Synagoga Iudæorum noluns conuerti, cõdignam recepit vltionem.* 332.I.K


## T


*Tabernaculum verum dei exemplar fuit tabernaculi Moysi.* 241.A *Tabernaculum in duas partes diuidebatur.* 271.I.K
*Tabernaculum Moysi primo factũ deinde cætera per ordinem.* 368.A. *& seq.*
*Tabernaculum Moysi Ecclesia est in huius vitæ eremo constituta.* 375.E
*Tabernaculum in ecclesiæ typum factum est.* 376. A.E.F.G. *& totum vniuersum.* 385.C
*Tabernaculum mense primo quo mundus est conditus, erectum est.* 385.K.386.I.K. *& sequen.* 387.I. *& seq.*
*Tabernaculum ecclesiam præsentem significat.* 389.E.F
*Tabernaculum terrenum exemplum erat cœlestis.* 389.H
*Tabernaculi Moysi constructio.* 257.D. *& seq.*
*Tabernaculi & templi ratio literalis & figuralis erat.* 271.G.H
*Tabernaculi erectio, & partium eius ordinatio.* 387.H. *& seq.* 388.A. *& seq.*
*In Tabernaculo Moysi tria continebantur.* 255. I.K. *per quæ designantur tria quæ sunt in cœlesti seculo.* K
*Tabulæ decem præceptorum appellãtur testificatio.* 306.G
*Tabulæ lapideæ Moysi cur fractæ sint.* 324.M
*Tabulæ quas fregit Moyses à deo erant, posteriores verò ab homine diu mãsuræ.* 363.M.364. A. *& quid significent.* 364.A. *& seq.*
*Tabularum fractio figura est noui testamenti.* 326.G.H
*Tabularum conscriptio secunda absque ieiunio non potuit impetrari.* 362.F
*Tabulas quas Moyses dei digito conscriptas accepit ieiunio, has ebrietas contudit.* 361.D
*Talaris tunica typus erat carnis Christi.* 290.H *vel virtutẽ in sacerdote à capite ad pedes.* M
*Talentum vulgare cõtinet sexaginta libras.* 253. A. *maximum verò centum librarum.* H
*Talẽtum duplex, commune & sanctuarij.* 281.E
*Templum dei dici potest omne illud in quo deus habitat.* 242.E
*Templum de ratione sua est quod sit habitaculum dei. Ibidem.*
*Templũ deo institutũ est propter duo.* 257.A.B
*Templi Salomonis & tabernaculi Moysi comparatio.* 256.G. *& seq.*
*Templi vel tabernaculi vnitas, dei vel ecclesiæ vnitas.* 271.I
*Templi ignominia est vnde recessit spiritus sanctus.* 269.M
*Templa omnia & idola Aegyptiorum ceciderunt in nocte exitus Israel de Aegypto.* 84. A.B
*Tenebræ quomodo dicuntur palpabiles.* 75.F
*Tentat deus, sed non nisi metaphoricè.* 125.C
*Tentando & murmurãdo populus Iudaicus peccauit.* 129.L.M
*Tentare veritatem dei perfidiæ crimen est.* 137.G
*Tentare deum quid sit.* 140.E
*Tentauit populus dominum ad petram Horeb.* 141.E
*Tentare solet diabolus piorum corda prauis cogitationibus.* 190.G. *nostris affectibus quasi armis vsus. Ibidem.* E H
*Tentat deus, homo, diabolus.* 194.D
*Tentatur homo à deo, vt diaboli tentatoris fraudes vincat.* 129.M.130.A
*Tentãtur aliter plati & aliter subditi.* 130.G.H
*Tentatur pastor fidelis à deo.* 333.I
*Tentatio Iudæorum in deum peccatum fuit.* 127.I. *& triplex.* K
*Tentatio tertia in quam inciderunt filij Israel.* 137.E.F
*Tentatio sæpe per oculos trahitur.* 190.A
*Tentatio & probatio in quo differunt.* 194.D
*Tentationis triplici generi opus est triplex munimentum.* 191.D
*Tentationi perfectæ tria cõcurrũt.* 127.M.128.A
*In Tentationibus sine cessatione orandum.* 143.I
*Tentatus est homo à diabolo, & victus est: tentatur homo à deo, & vincit.* 129.M
*Tentati in præceptis domini non inueniuntur fideles.* 126.C
*Tentati Iudæi fame, siti, & aliis calamitatibus manifestant corda sua plena esse impietate.* 128.G
*Tentorium distinguitur à tabernaculo diuino.* 384.I. *& seq.* 385.L
*Terra promissionis cur primo possessa fuit à Chananæis maledictis.* 27.G
*Terra promissionis appellatur habitaculum sanctum dei.* 120.A
*Terra promissionis à tribus nominatur.* 122.A
*Terrã promissionis à mõtibus denominat.* 121.L
*Terrenum terra deuorat.* 120.K
*Tertia mansio Israelis Etham.* 104.H
*Tertio præcepto decalogi contrariatur tertia plaga.* 61.F
*Testamentum vetus timorem exigebat & seruitutem.* 100.H. *nouum verò spiritus libertatem & amorem. Ibidem.*
*Testamentum nouum nomine Iesu significatur.* 239.K.L.M
*Testamentum vetus in nouo dilucidatum.* 266.C
*Testis falsus quis dicitur.* 188.L. *& qualis eius pœna.* 189.B.C
*Thermothe filia Pharaonis Moysen nutriri curauit.* 9.G.H. *alter Thermut.* 10.G
*Thomæ miraculum cùm maledixisset percussori.* 228.B
*Thymiama quid significat.* 314.A. *&c. seq.*
*Thymiama incensum preciosum.* 378.K. *quod ex quatuor fiebat odoribus.* L
*Thurificatio vetus cæremonia quare in lege noua obseruatur.* 198.F
*Timere pœnam non est deum timere.* 70.E
*Timor dei quantum prosit.* 7.L.M
*Timor dei præseruat à malis.* 68.L. *etiam si fuerit seruilis. Ibidem.*
*Timor si-*

*Timor filialis in mediis etiam malis exercetur & proficit.* 106.L
*Timor seruilis impiorum non diutius durat quàm sensus plagarum.* 106.L
*Timor humanus in animo iudicis multarum est causa iniuriarum.* 151.M
*Timor ad vetus testamentum, sicut dilectio ad nouum pertinet.* 193.I
*Timor & amor duæ sunt differentiæ veteris & noui testamenti.* 228.C
*Tintinabula in fimbria vestis sacerdotalis linguas per ecclesiam vniuersalem dispersas signabant.* 290.L.M
*Tonitrua appellantur voces dei.* 70.C
*Transfiguratio Christi figurata est in Moyse cùm legem acciperet.* 240.F
*Transire ad vitam qua via oportet.* 20.C.& seq.
*Tres dies quid mystice designet.* 41.M.42.A.B & sequen.
*Tres dies profectus Moyses.* 104.G
*Tribus regia & sacerdotalis in Aaron coniunctæ sunt.* 49.M
*Tribuni dicuntur quòd tribui præsint.* 151.B
*Trinitas est deus.* 168.A.& vnus deus. *Ibidem.* Et numerus absque numero. *Ibidem.* B
*Trinitas sancta oculis mentis videri potest.* 234.K. nec tantum inuisibilis natura, sed & incõmutabilis. 235.B
*Trinitatis discretio.* 166.L.M.167.A.& seq.
*Trinitatis mysterium in constructione tabernaculi ostenditur.* 315.F. sicut in baptismo & transfiguratione. *Ibidem.*
*Trinitatem substantialem confessi sunt Moyses & prophetæ.* 353.I
*Tunicam talarè ecclesia Christi repræsentat.* 383.H.& mentis ad cœlestia eleuatio. 384.B
*Tympanum quid sit.* 122.H.123.M
*Tyrannorum semper crescit improbitas.* 4.L
*Tyrannorum excidium redemptio sit piorũ.* 15.L

*V*

*VAcandum est deo primùm & posteà seculo.* 151.C
*Vanum dicitur tripliciter.* 176.G.H
*Vasa iræ cur permittantur à deo.* 67.I.& sequen.
*Vasa misericordiæ quæ sunt.* 67.I.K.L
*Velamen faciei Moysi est adhuc super cor Iudæorum.* 365.K.M
*Velamina tria in tabernaculo expandebantur.* 388.F
*Velum duplex erat in templo Iudæorum, sicut in tabernaculo.* 271.E. quæ duplicem velationem designabant. *Ibidem.*
*Veniam consequitur delictorum & spem vitæ æternæ, qui pœnitẽtiam agit peccatorum.* 353.H
*Venire ad deum quomodo possibile sit.* 155.A.B
*Verbera quædam dicitur Aaron inferre Pharaoni, quædam Moyses, & quædam dominus.* 69.C.D
*Verbum dei dicitur angelus qui Moysi apparuit.* 17.C.D.K.19.K
*Verbum dei falsitas est iudicio impiorum.* 42.B
*Verbum dei habens Iudæorum spolia habet.* 92.H.I.K
*Verbum dei dicitur panis, caro, & lac.* 131.F
*Verbũ dei visum est apostolis & auditũ, non solũ secundũ corpus, sed secundũ verbum.* 193.A
*Verbum dispensatum paternæ gratiæ factus est ad vtilitatem hominum.* 349.I
*Verbum dei plerique gustauerunt, & tunc dissolui cupierunt.* 360.E.F
*Verbum vnum multa sunt, & multa verba vnũ verbum est.* 372.G
*Verbum est iustitiæ, verbum castitatis, verbum prudentiæ &c.* 372.G
*Verbi appellatio in dei filio de sacramento natiuitatis est mysterium.* 51.B
*Verbi dei virtus & efficacia.* 138.E
*Verba dei festis diebus audienda.* 179.C.D
*Verba iocosa vel facta ludicra sunt.* 321.F.& possunt secundum rationem dirigi. *Ibidem.*
*Veritas turbationes animi repellit.* 20.M.& est intellectio eius quod verè est. 21.A
*Veritas Christi mendacium Antichristi deuorabit, sicut virga Moysi virgas Magorũ.* 55.G
*Veritas potest pro loco & tempore reticeri.* 76.E
*Veritas prima non est nisi à deo.* 176.I
*Veritas ex sola ecclesia conspicitur.* 351.H
*Veritatis auditorum diuersitas.* 57.E.F
*Veritatis testimoniũ extorquere ab inuitis est potentiæ diuinæ proprium.* 61.E
*Veritatis oppositum tenebræ est.* 194.L
*Veris initio pascha celebratur, in quo deus cœlum & terram fecit.* 79.I
*Vermes fiunt in nobis ex verbo dei.* 136.D
*Vespera præsentis seculi ætas nouissima.* 82.I
*Vespera quartidecimi dici in qua pascha celebratum est & agnus immolatus quid significant.* 88.F.G
*Vespere veterem vitam mane nouã figurat.* 131.I
*Vestimenta pontificis.* 383.I.K.& eorum significatio. *L.M.* 384.C.D.G.385.G
*Vestis nuptialis est charitas.* 259.A
*Vestes sacerdotales.* 280.K
*Vestibus mundis in plena congregatione & publica incedendum est.* 156.F
*Via trium dierũ qualis sit.* 27.K.L.41.M.42.A
*Via peccandi triplex est.* 117.H.& triplex bene agendi. I
*Via seculi quàm periculosa.* 281.E
*Via dei est omnis actio, quam incarnata sapientia gessit temporaliter.* 340.M
*Via quam Iudei peccantes deseruerunt, via dei, & via vitæ est.* 322.C
*Viator quis dicitur.* 20.C.D
*Victoriam Moyses non suæ fidei, sed diuinę bonitati refert acceptam.* 114.G
*Videre deum quid sit.* 193.B.C. qui viderũt eum, & qui non viderunt. *Ibidem.*
*Videre pro generali sensu poni solet, non solũ corporis, sed etiam animi.* 193.D.E
*Videre deum cupientes quomodo præparari debent.* 235.A
*Videre deum pro hac vita quomodo sit possibile.* 336.H.& seq.339.A.& sequen.
*Vidit Abraham deum, vidit & Iob, Moyses, Esaias, Ezechiel, Daniel.* 339.H. sed aliter & aliter. *Ibidem.* I.340.C
*Videre deum quomodo potuerunt Iacob, Moyses, & Esaias.* 346.D.E. & quæ requiruntur ad deum videndum. G.H
*Videre deum verè.* 346.L.& quomodo possibile sit eum videre. 347.A.B.C
*Videre deum homini impossibile est.* 349.M
*Videre deum est ipsum sequi corde ac animo sem per quocunque ducat.* 351.D
*Viduis succurrendum est.* 214.I.& seq.
*Vindicta peccantium quanto serior tanto iustior.* 112.L
*Vindictam infert deus cum trãquillitate.* 215.A
*Vinum à Noe inuentum primò illum læsit.* 361.C
*Vini abstinentia matrem Samsonis fœcundauit.* 324.K
*Vir sanguinum crudelitatis & homicidiorum triste carnificium significat.* 38.H
*Vir veritatis qui sectatur veritatem.* 151.M
*Vir & vxor pari peccato peccant si aliis miscentur.* 185.M.186.A.& seq.
*Viri & vxoris commixtionem dicere esse peccatum mortale, hæreticum est.* 187.H
*Viri non minus peccant mœchando quàm vxores propter tria.* 187.F.G.L
*Virga Moysi crucem domini præfigurabat.* 29.E.F. vel est diuinitatis potestas. F. Vel Christus. G.H. Vel eius humanitas. I.K.L. Vel genus humanum. 30.B
*Virga Moysi præcepta dei significat.* 33.K.L
*Virga Moysi qualiter edebat miracula.* 33.H.I. quæ etiam virga dei dicebatur. 34.G
*Virga dei, virga Moysi, & virga Aaron eadem.* 53.A.B
*Virga Moysi verus serpẽs erat, non autem virgæ Magorum Pharaonis.* 54.B.C.K.L
*Virga qua Pharao cum tota Ægypto superatur, crux Christi est.* 55.A. per quam mundus hic vincitur, & princeps eius superatur. *Ibidem.* & B.K
*Virga Moysi an vim quandam habuerit efficiendi miracula.* 55.E
*Virga Moysi crucẽ signat, quę si eleuata non fuisset populus dei periisset.* 111.A.B
*Virga Moysi cuius virtutis erat, & à quo illam habebat.* 124.I.& seq.
*Virgas opera dæmonum verti in serpentes non est impossibile.* 54.F.G.& seq.
*Virginitas inter ecclesię membra eximium tenet locum.* 263.D
*Virtus spiritus sancti in discipulis figurata fuit in Moysẽ.* 161.I.K.L.M
*Virtus moralis est habitus secundum rationem operans.* 321.E
*Virtus summa est mereri esse seruum dei.* 336.F
*Virtutis cogitatio iocunda est.* 10.C.D
*Virtutis opus detestatur luxuriosus helluo.* 63.M
*Virtutes quædam sinistræ contrariæq; sunt.* 89.C. *Quædam verò dextræ. Ibidem.*
*Virtutes non possunt cum vitiis pariter morari.* 231.C.D
*Virtutes sunt tres quibus ecclesiæ perfectio consistit.* 266.B.F
*Virtutes comparantur ornamentis tabernaculi.* 368.I.& seq. per quas ornatur ecclesia. *Ibid.*
*Virtutum omnium dei cognitio fundamentum est.* 176.A
*Visio dei quanto esset desiderio Moysi & sanctis patribus.* 339.A.& seq.
*Visio dei triplex.* 340.C.D.E
*Visio bona quam paracletus adueniens inducit.* 340.E
*Visio dei per essentiã fit per lumen gloriæ.* 340.F
*Visio qualiter se habet ad propheriam, & de multiplici visione.* 342.C.& seq.
*Visio dei præmium est laboris nostri.* 347.I
*Visionis dei multæ excellentiæ.* 344.I.K.L
*Visionis corporalis per lumen corporale, & intellectualis per intellectuale manifestatur.* 351.K
*Visioni contemplationis sufficit lumen naturale.* 342.F
*Visionem dei cęteris anteponens laudandus est.* 339.K
*Visitat dominus peccatores dum punit eos.* 333.A
*Visitatio dei multiplex.* 39.L.M
*Vita humana mutationi semper exposita est.* 10.C *quæ fluctus aquarum dicitur.* D
*Vita iusti dies, peccatoris verò nox accipitur.* 104.K


*Vita præ-*




*Vita præsens præparationis dies est, in qua præparandum est necessarium ad futuram.* 136.G
*Vita filiorum à parentum amicitia sumit exordium.* 182.H
*Vita longior aliquando est causa mortis corporalis & spiritualis.* 183.G
*Vita actiua & cõtemplatiua ex dei sunt gratia.* 201.F. quarum altera est necessaria ad vitam beatam, altera vtilis. *Ibid.*
*Vita æterna omnibus est promissa iustis.* 250.K
*Vita contemplantium veritatem nihil adeò est similius felicitati æternæ.* 344.M
*Vita hominis visio dei est.* 349.K
*Vitæ actiuæ alij prodesse cupiunt, alij contemplatiuæ.* 30.K.L
*Vitæ longitudo an sit desideranda.* 182.D.E.F
*Vitæ terminus certus an definitus sit.* 229.I
*Vitam perfectã quærenti melius est in itinere mori, quàm viam non ingredi.* 108.D
*Vitam longam obedientibus sibi pollicetur deus, sicut intempestiuam mortem non obedientibus.* 229.H.I
*ad Vitam æternam ordinatur quis vel ex prædestinatione, vel ex gratia.* 331.M. primi nunquã delentur de libro vitæ, secus de aliis. 332.A
*Vitã præbere nõ potest, quod vita non est.* 346.K
*omne Vitæ nostræ tempus stadium quoddam debemus putare virtutum.* 239.A
*Vitium quodque habet in corde nostro propriam stationem.* 231.C
*Vitia vnde præcipuè originem sumunt.* 191.C.& sequen.
*Vitiis omnibus quomodo dominari debemus.* 114.A.& seq.
*Viuenti bene & iustè, nihil terribile imminet.* 66.D
*Vlcio diuina ira vel furor dei dicitur.* 323.F
*Vnctiones multiplices.* 313.A.& simul multiplices vncti. *Ibid.*
*Vndecima mansio Israelis in Raphidim.* 140.C
*Vnguenta quibus vngebantur pontifices, reges, & prophetæ habebant mysteria sua diuersa.* 298.F
*Vnguẽtorum quot genera sint in veteri testamento.* 312.L.313.A
*omnis Vnigenitus est primogenitus, non contrà.* 90.E.F.& seq.
*Vnitas reproborum pernicioſa est probis.* 111.I.K
*Vnitas bonorum malis obest. Ibidem*
*Vnitas operationis est sicut vnitas diuinitatis.* 118.I
*Vocatio hominis est duplex.* 26.A
*Vocatio diuina talis est qualis vocatio Israelitici populi ex Ægypto.* 44.K.L.& quomodo sectanda. L.M
*Vocationem dei sequũtur multa pericula, quæ nõ propterea contemnenda est.* 13.I.& seq.
*Voluntas humana quomodo diuinæ conformari debet, & eius sequi imperium.* 26.M
*Voluntas solummodo deuotæ mentis opus.* 109.C
*Voluntas legi dei subiecta omnes animales motus facilè sibi subiicit.* 190.M
*Voluntas apud deum pro facto reputatur.* 191.L. 192.C
*Volũtas in auxilium, auxilium reputatur in meritum.* 344.E
*Volũtas hominis mouetur à deo ad bonũ.* 345.G
*Voluntatis iustæ & iniustæ diuersum meritum.* 208.E.F
*in Voluntate hominis est origo vitiorum.* 63.K
*Voluntates duas habemus sicut duas naturas.* 190.C
*Voluptas atque luxuria amaritudine terminantur.* 125.L
*Voluptas & concupiscentia consistunt in iecore.* 301.L
*Voluptas penè semper comitatur epulas.* 320.I.& sequen.
*Voluptatibus diditi mares occidũt, fœminas vinificant.* 7.H.& seq.
*Vox dei super montem Sinai æquè à distantibus atque propinquis audiebatur.* 164.L
*Vox quid sit.* 193.F.& vox domini quid. *Ibid.* & G.
*Vocem cordis potius quàm oris deus exaudit.* 109.G.H
*Vrim & Tummim, iudicium & veritas.* 287.D.& seq.G.& seq.
*Vsura quibus modis fiat.* 188.E
*Vsura cauenda est.* 215.C.& seq.
*Vulgi perpetua instabilitas.* 45.E
*Vultus Moysi fulgor est legis, non in litera, sed in intellectu.* 365.C
*Vxor mœchando committit tria grauia peccata.* 187.D.E.& maximum furtum cõmittit. 187.E.F.& ideo est sacrilega, proditrix, & furatrix. F
*Vxor alienigena ducebatur in matrimonium, si idololatriæ cultum dimittere vellet.* 357.H
*Vxorem Moyses habuit.* 147.L. Petrus. *Ibid.*
*Vxores alienigenas acceperũt Moyses, Iudas, Ioseph, & Booz.* 148.D

*Z.*

*ZElare qualiter dicitur deus.* 172.I
*Zelans quomodo dicitur dominus.* 170.M.171.A.& seq.& auertere à nobis zelum suum. D.E.F
*Zelotes quomodo dicitur dominus.* 174.M.& quomodo fenerus. *Ibid.*
*Zelotes siue zelans aut zelator quare & quomodo dicitur deus.* 356.K.& seq.357.A
*Zelus dei pro gentibus ignorãtibus prius legem.* 120.B
*Zelus dei nõ est cruciatus animi quo maritus cruciatur erga vxorem.* 166.E
*Zelus hominis in quo differt à zelo dei.* 166.E.F
*Zelus viri coniugati vnde oritur.* 170.M.171.A
*Zelus dei in peccatores quid sit.* 172.H.I
*Zelus domini quomodo discedit ab aliquo.* 171.C.D
*Zelus dei in nos charitatẽ suam declarat.* 173.F
*Zelus quidam est motus animi.* 356.M
*Zelus est amor intensus nõ patiens consortium in amato.* 356.M
*Zodiaco & nominibꝰ signorũ eius vtimur, prout à gentibus habemus.* 287.M.288.A


*Finis Indicis Sententiarum.*

## AVCTORITATES EX veteri testamento.


Gene.2.
*Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* 2.B
Gene.3.
*Cùm audisset vocem domini deambulantis, &c.* 159.M.160.A
Gene.15.
*Scito quòd peregrinum futurum sit semẽ tuũ, &c.* 94.E.G.H.103.E.F
4.Reg.2.
*Pater mi, pater mi currus Israel, & auriga eius.* 116.M
Iob.42.
*Non estis locuti coram me rectum, &c.* 31.A.B
Psal.4.
*Irascimini & nolite peccare.* 327.I
Psal.4.
*Signatum est super nos lumen vultus tui domine.* 164.F
Psal.8.
*Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* 61.D
Psal.18.
*Cœli enarrant gloriam dei.* 195.B.C
Psal.28.
*Afferte domino filij dei, afferte domino filios arietum.* 263.C
Psal.37.
*Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* 35.H
Psal.44.
*Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, &c.* 298.G
Psal.77.
*Et tentauerunt deum in cordibus suis, vt peterẽt escas animabus suis.* 127.I
Psal.79.
*Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros dei.* 123.F
Psal.83.
*Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum.* 241.A
Psal.86.
*Fundamenta eius in montibus sanctis, &c.* 37.I
Psal.88.
*Tu humiliasti sicut vulneratum superbũ.* 92.E.F
Psal.104.
*Conuertit cor eorum vt odirent populum suũ.* 4.F
Psal.115.
*Calicem salutaris accipiam, &c.* 344.A.B
Psal.118.
*Quomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea est.* 46.E
Psal.122.
*Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.* 298.F.G
Psal.129.
*A custodia matutina vsque ad noctem speret Israel in domino.* 113.G
Psal.135.
*Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* 110.E.G
Prouerb.9.
*Sapientia ædificauit sibi domum, &c.* 265.G
Prouerb.18.
*Peccator cùm venerit in profundum malorum cõtemnit.* 34.M.35.E
Cantic.1.
*Nigra sum, & formosa.* 15.H
Esaiæ.6.
*Ecce ego mitte me.* 30.K.31.A
Esa.3.
*Mundamini qui fertis vasa domini.* 289.F
Esa.6. Luc.4.
*Spiritus domini sup me, eo quòd vnxerit me, &c.* 82.F.G
Esa.18.
*Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Aethiopiæ, &c.* 10.B
Esa.26.
*In vtero accepimus & parturiuimus spiritum salutis.* 101.G.H
Esa.66.
*Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum*

*dum meorum.* 242.D

Hiere.1.

*A.a.a.domine deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* 30.K.31.A.H

Hiere.13.

*Sana me, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero &c.* 344.A

Thren.2.

*Non taceat pupilla oculi tui.* 109.A

Thren.4.

*Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* 151.I

Ezechiel.18.

*Anima quę peccauerit ipsa morietur.* 174.B

Ezechiel.19.

*Filius non portabit iniquitatẽ patris &c.* 353.L

Abac.3.

*Ascende super equos tuos, & equitatus eius salus.* 117.A

## AVCTORITATES EX nouo testamento.

Matth.5.

*Si quis te percusserit in maxillã tuã dextrã, &c.* 145.B

*Ibidem.*

*Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.* 185.E

Matth.6.

*Nolite soliciti esse in crastinum.* 134.G

Matth.13.

*Omnis scriba doctꝰ in regno cœlorũ, &c.* 129.E

Matth.26.

*Reconde gladium in vaginam: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet.* 12.F

Matth.vlti.

*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* 111.C

Marc.7.

*Relinquentes mandata dei vt traditionem vestram seruetis.* 164.I

Luc.1.

*Et virtus altißimi obumbrabit tibi.* 315.F

Luc.2.

*Tulerunt eum in Ierusalem, vt sisterent eum domino.* 100.F.102.I

Luc.4.

*Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, &c.* 144.C

Luc.10.

*In hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* 341.L

*Ibidem.*

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* 344.M

Luc.11.

*Si autem ego in digito dei ciicio dæmonia, &c.* 60.M.61.A

Luc.12.

*Hac nocte repetent animam tuam abs te.* 158.M

*Ibibem.*

*Sint lumbi vestri præcincti &c.* 250.F

Luc.15.

*Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente &c.* 147.A

Luc.16.

*Recepisti bona in vita tua.* 118.A

*Ibidem.*

*Habent Moysen & prophetas.* 162.D

Ioan.1.&1.Ioan.4.

*Deum nemo vidit vnquam.* 194.M.336.H

Ioan.5.

*Est qui accusat vos Moyses.* 326.H

Ioan.6.

*Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt.* 129.L

Ioan.8.

*Abraham vidit diem meum, vidit & gauisus est.* 193.B

Ioan.14.

*Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* 339.I.K.340.B.C

*Ibidem.*

*Tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me, &c.* 162.H

*Ibidem.*

*Philippe qui videt me videt & patrem.* 193.C

Ioan.17.

*Pater clarifica filium tuum &c.* 162.F.G

*Ibidem.*

*Et ego pro eis sanctifico meipsum.* 157.H

Ioan.vlti.

*Quia vidisti me Thoma, credidisti.* 193.E

Rom.2.

*Secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurisas tibi iram &c.* 71.D

Rom.7.

*Inuenio aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 164.G

Rom.8.

*Quis poterit nos à charitate Christi separare, &c.* 162.E

Rom.9.

*Nec volentis, nec currentis, sed miserentis est dei.* 343.G.H.M

*Ibidem.*

*Si autem deus volens ostendere iram, & demonstrare patientiam suam, &c.* 67.I.& seq.

*Ibidem.*

*Optabam anathema esse à Christo.* 330.C

Rom.10.

*Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* 22.A

1.Corinth.6.

*Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia &c.* 153.C

1.Corinth.10.

*Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, &c.* 129.H.I

1.Corinth.11.

*Hæc in figura contingebant illis.* 111.H

*Ibidem.*

*Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* 219.M

2.Corinth.2.

*Christi bonus odor sumus.* 60.A.B

2.Corinth.9.

*Qui parcè seminat parcè & metet, &c.* 241.D.E

Galat.4.

*At vbi venit plenitudo temporis misit deus filium suum vnigenitum &c.* 81.H

Philip.1.

*Coarctor enim duobus, desyderium habens dissolui & esse cum Christo.* 3.I

Hebr.6.

*Non rursum iacientes fundamentum pœnitentię.* 359.K

Hebr.11.

*Fide dereliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis.* 13.G

Hebr.12.

*Sed accessistis ad Sion montem, &c.* 162.L.M

Act.2.

*Factus est repentè de cœlo sonus &c.* 159.I

Act.20.

*Vos autem posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam domini &c.* 155.H

1.Pet.2.

*Vos autẽ genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* *Ibidem.*G

*Ibidem.*

*Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, &c.* 125.I

1.Io.3.

*Qui odit fratrem suum homicida est.* 65.H

Apoc.6.

*Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, &c.* 244.M

## VOCES GRAECAE passim explicatæ.

ἀγκύλαι, ansulæ, uncini. 258.B

ἀμίαντον, lignum incremabile. 273.H

ἀποσκευὴ, substantia, supellex. 93.H.I.K

αὐλαία, aulęa, tapeta. 275.B.C

αὐλὴ, atrium, aula. *Ibidem.*

ἀφαίρεμα, demptio. 369.K

βασιλεὺς, rex apud Græcos. 264.G

ἔνδειξις, dicitur manifestè. 339.E

δήλωσις & ἀλήθεια, manifestatio & doctrina seu veritas. 287.M.288.G. quæ Heb. dicuntur Vrim & Tummim, Iudicium & veritas. 287.D.& seq.

δικαιώματα, iustificationes vocant. 232.E

δυσέα, debetur deo tanquam domino. 230.I

ἐγκωμιαστικὸν, hoc est laudatorium. 115.C

ἐπωμὶς, superhumeralis vestis. 280.I. quæ & ἔνδυμα. Hebraicè verò Ephod.

ἐπωμὶς, superhumeralis vestis. 242.C

ἐτάκησαν, dissoluti sunt, liquefacti sunt. 121.G

κρεάγρα, fuscinula siue tridens. 272.L.274.E

λατρεία non debetur nisi deo tanquã deo. 230.I

λόγος, verbum dei validum & acutum. 237.G

λόγος, ambiguum est, verbum vel rationem significans. 285.A. inde λόγιον, & λογικὸν. *Ibid.*

λυχνία, peluis, luter. 310.F

μικρόκοσμος, id est minor mundus, homo dicitur. 296.F

μονογενὴς, vnigenitus. 218.M

ὀπὴ, foramen, caucrna. 349.A

πάσχειν, pati dicitur, à quo pascha. 83.I

ποδήρης, vestis talaris. 242.C.280.L

πρωτογενήματα, primitiæ dicuntur. 219.B

πρωτογενὴς, primus à patre genitus. 218.M

πρωτότοκος, primus ex matre natus. 218.M

πρωτότοκα, primitiui animalium fœtus. 218.M. 219.B

ὑάλη, vitrum, vnde phyala. 249.K

## HEBRAEAE VOCES suis locis explicatæ.

א

אֹהֶל tabernaculum, operimentum, & tentorium. 260.K

אָבִיב nouas fruges adhuc virescentes significat. 99.B

אָבִיב est maturitas. 224.H

אַבְנֵט cingulum, baltheum, vel zonam dicere possumus. 292.I. quod est septimum sacerdotis ornamentum. L

אֲדָנִים bases, fulcimenta, sustentacula, fundamenta. 264.G

אָבְנַיִם sedes parturientis. 5.M

אוֹר illuminare seu lucere. à quo אוּרִים vrim illuminationes. 287.E

אֵל primum dei nomen quod septuaginta θεὸν. 115.G. qui dicitur à fortitudine G.H

אֲפֵלָה caligo, horror. 75.G.H

אֱמוּנָה fidem, veritatem, credulitatem, & stabilitatem indeficientem significat. 143.H

אָנָה causare, occasionem præbere, fortuito occurrere, aut euenire. 202.G

אֹסֶף collectio siue congregatio redditur. 225.B.C

אָצַל separare significat. 236.C

אַף furor & nares. 118.E

אֶפֹד Heb. ἐπωμὶς, Græc. superhumerale appellatur. 281.L. forma & figura eius. *Ibid.* & M. 282.D

אָרַר maledicere, & execrari. 217.B.

אֲרֻבָּה loculta. 72.G

אִתִּי id est, mecum, vel coram me. 196.G

ב

בָּעַר pascere, demetere, & lędere significat. 209.G

בָּרַח fugere propriè dicitur. 267.F

בְּרִיחִם vectes significat. 267.D

בָּשַׁע auaritia, cupiditas, lucrum, & rapina. 152.B

ג

גֹּרֶן solarium, tectum 378.I

גּוּר habitare, à quo גֵּרִים habitans, dicitur. 27.B

ד

דָּבָר verbum, rem, negotium significat. 13.E

דָּבָר pro quacunque re etiam tantilla accipitur. 64.L

דִּמְעָה lachrymæ. 218.K.L

דְּרוֹר libertatem & electionem significat. 311.L

דֶּרֶךְ viam significat. 340.K

דֶּשֶׁן cinis, à quo דָּשַׁן colligere cineres. 272.I

ה

הָלַם percutere, quassare, excidere. 285.G

הָמַם occidere significat. 230.A

הָרַס destruere, dissipare, conterere, & deponere. 116.G

ו

וָהַם interfecit, conturbauit, perturbauit signat. (112.D

וָרָה docere, ostendere. 125.A

ז

זָכַר recordari, meminisse, seu memorari significat. 224.D

זָחַח leuare & separare. 287.A

זִיז labium, coronam siue limbum significat. 243.M.249.D

זֵר circulus, limbus, labiũ. 376.M. corona. 377.I

זָרָה ζara, alienum siue externum. 307.A

ח

חָגַג & sacrificare & festum celebrare significat. 40.L

חָתַר fodere, siue perfodere significat. 209.C

חָזָה videre, aspicere, contemplari significat. 236.F

חֵעוּת testimonium. 138.K

חַיִל robur, fortitudo, & virtus. 152.B

חָכָם sapiens fuit, sapuit. 3.E

חָכְמָה sapientiam significat. 280.H

חָמַד concupiscere, & desiderare. 359.A

חֲמֻשִׁים quid significet. 103.G.& seq.

חֹק pactum, præceptum, statutum, legitimum, ritũ, &c. 125.D

חֻקָּת ritus, cultus, statutum, legitimum, præceptũ. 87.I

חֻקָּה cultum, pactum, statutum, ritum, & legem significat. 99.K

חַרְטֻמִּים magos, maleficos, præstigiatores, incantatores, & ariolos significat. 58.H

חָשַׁב cogitare significat. 257.G. Inde participiũ חֹשֵׁב cogitans, vel opus plumarium. *Ibid.*

חֹשֶׁן Heb. Græcè λόγιον, Latinè rationale. 284.M

חֹתֵן cognatũ & socerũ significat. 147.K.150.A

ט

טַף substantia, suppellex. 93.K

י

יָאַל iurare, placere, acquiescere, & consentire significat. 15.B

יָדוֹת manus, vel incastraturæ. 264.A. vel anguli. F

יֹבֵל Iobel, cornu, aut buccina, vel sonus ab illis. 156.L.M

יה octauum nomen dei. 115.D

יְהוָה trinitatis mysterium continet. 287.F.293.B.C

יְהוָה nomen dei tetragrammaton. 115.I. quod est nomen dei propriißimum. K

יָם mare significat. 74.G. sed pro occidẽte & parte occidentali sæpius ponitur. *Ibidem.*

יגה contristare, affligere, decipere, spoliare. 214.H

יָסַד fundare, fundamenta iacere, & constituere, vnde יְסוֹד fundamentum, basis. 299.B

יָעַד conuenire, statuere, & constituere. 247.F

יָעָה afferre siue remouere. Inde יָעִים forcipes vel palæ, aut scopæ. 272.K

יָצָא egredi significat. 78.F

יָרָה proiicere, & iaculari significat. 115.L

יָרֵךְ id est, latus siue hastile 251.M

יָרַק spargere, aspergere, dispergere, fundere, effundere. 272.L

יָרַשׁ depauperare. 118.H

יְרִיעוֹת tentoria, cortinæ, aulæa. 257.H

כ

כָּבֵד honor, gloria. 342.G

כָּבוֹד gloriam & honorem significat. 238.H

כֹּהֵן significat sacerdotem, magistratum populi. 14.H

כָּתֵף humerus, latus. 382.F

כִּי significat quoniam vel quia, &c. 174.I

כִּיּוֹר concha, labrum, aut solium, vel lauachrum. 310.F

כֵּר talentum, vel massa. 253.A

כֶּסֶף argentum, pecunia, moneta. 210.I

כַּף manus, palma, vola. 352.C

כָּפַר remouit iram, placauit, cõdonauit iniquitatem vel peccatum. 246.E.F

כַּפֹּרֶת tegmen, operimentum, vel amen, vel cœlum. 246.E

כַּפֹּרֶת tegumentũ, vel cælum. 377.C. propitiatorũ.

ל

לֵב cor, medium animalis. 17.A

לֵב cor significat 287.K

לָחַץ arctare, coarctare, opprimere, affligere, atteree, tribulare. 214.H.223.B

לְעֻמַּת subter, è regione, ex aduerso, aut contra significat. 249.H

מ

מְאָדָם ruffæ, rubentes. 241.L

מָכוֹן firmitas, basis, habitatio, sedes. 121.M

מָלֵא initiare, implere, & consecrare significat. 298.M

מָלֵא spica frumento plena. 218.K.L

מִכְבָּר cribrum, craticula, rete, cancellus. 273.E

מִכְנָסֵי Heb. Græc. περισκελῆ, Latinè feminalia vel braccæ. 296.B

מָחָר hoc est cras. 143.B

מַחְתֶּרֶת fossio, effossio, & fossa. 209.C

מָלֵא implere significat. 285.F

מִנְחָה Latinè sacrificia, Græcè θυσίαν, Chaldaicè munus 388.D

מַסְגֵּרוֹת thesauros significat & munitiones.

מִקְדָּשׁ sanctuarium, tabernaculum, templum. 242.G

מִקְרָא vocatio, conuocatio, lectio. 87.G

מִקְשָׁה ductile metallum, vel percussum malleo. 246.K

מִקְשָׁה ductile, malleatum. 377.D

מִצְנֶפֶת mitra, tiara, galerus. 292.B.G. quæ & cidaris dicitur. 293.C.E. 297.F

מְעִיל vestis talaris, tertium sacerdotis indumentum. 289.K. vestis superhumeralis, quæ & dalmatica dicitur. M

מוֹפְתִים prodigia & portenta. 34.K

מָשַׁךְ substrahere & abstrahere significat. 156.M

מְשַׁכֵּלָה infœcundum, abortientem, siue abortum facientem sonat. 229.K

מָתְנַיִם lumbi, renes. 295.C

מָתֹכֶת numerus, mensura, & compositio. 42.M

נ

נָבֵל defluere, decidere, cadere, euanescere, & stultum esse significat. 150.F

נָגַע tangere. 89.B

נָדַב voluntariè seu sponte offerre vltroneum affert seu liberalem esse significat. 241.F

נָגַשׁ accedere seu appropinquare dicitur. 232.D

נָחַל hæreditare, & possidere significat. 355.F

נָחַל hæreditare & possidere. 323.M

נָטַף stacte, quod sonat stillam vel guttam. 313.E

נוּעַ mouere, commouere, concutere, agitare, vagari & expauescere significat. 194.C

נֵכָר alienigena, extraneus. 96.C.D

נָמֹגוּ defluxerunt, dissoluti sunt. 121.G

נֶפֶשׁ refrigerare, requiescere, recreari, & respirare significat. 223.M

נוֹשֶׁבֶת habitabilem, habitandam, & habitatã significat. 139.D

נָשָׂא nasa sumere seu iurare signat. 177.B

נָתַן dare, sinere, vel permittere. 89.E

ס

סֵבֶל ferre, pati, sustinere. 12.C

סְגֻלָּה peculium, peculiare, &c. 154.M

סוּר recedere, declinare, & diuertere est. 17.I

סוּס tam equum, quàm equũ cum ascẽsore signat. 122.F. siue ipsum equitatum. *Ibid.*

סִין octaua est mansio. 127.D.E.F

סְנֶה rubus, arbor sterilis & senticosa. 17.B

סַף limen, peluim, & craterem significat. 89.A

ע

עָבַד diuinum cultum significat. 22.G

עֲבוֹדָה seruitus, opus, cultus, ministerium. 281.A

עֻגַת subcineritius panis. 94.A

עָזַב relinquere seu dimittere, & adiuuare seu subleuare significat. 221.D

עָלָה adducere & offerre significat. 233.D

עוֹלָם semper, in seculum, in æternum, & in perpetuum. 323.M

עוֹלָם æternum vel seculum significat. 89.G. aliquando æternitatem, aliquando quinquaginta annos. 199.G

עוּז fortitudo mea. 115.E

עַל in, super. 273.E

עָלַל facere, operari, deuastare, illudere, vindemiare significat. 71.K

עָמַד stare significat. 141.A

עָמַד stare, subsistere, sustentare, & statuere significat. 68.D

עָנָה & respondere & testificari significat. 189.H

עֹלָה holocaustum. 299.I

עִנָּה

עָנָה cantare, vociferare. 325.H
עֲקָרָה sterilem significat. 229.K
עָצַם valuit, seu fortis fuit. 2.K
עֵרֶב mixtura seu turba, &c. 62.C
עֵרֶב mixtio hominũ vel diuersarum rerũ. 93.M
עָרַף excerebrare, excruciare. 100.C
עָרַף decruciare, cruricem seu cerebrum cædere, vel confringere. 358.E
עָשָׂה celebrare & colere significat. 333.G
עָתַר impẽsè, forti, denotoq; spiritu precari. 70.B

פ

פְּדוּת redemptio, liberatio. 62.E
פָּלָה separare, diuidere, mirificare, & mirabile facere. 341.F
פָּלָה separare & mirificare significat. 62.E
פָּסַל dolare, præcidere, sculpere. 352.H
פֶּסֶל sculptile, idolum, simulachrum, imago, statua dicitur. 169.K
פֶּתֶר apertio, aperiens, vel primogenitum. 100.A
פָּקַד censere, numerare, cõputare, precipere. 380.M
פָּרִים id est, tauros, vitulos, aut boues significat. 233.D
פֶּרֶךְ duritia, sæuitia, rigor. 4.I
פָּרַע vacare, & ociosum esse significat. 41.L
פָּרַע vacare, dissipare, ociosum esse. 327.F
פָּרַק diuidere, lacerare, & excutere. 326.F
פָּרַק confringere, diuidere, separare, dissoluere, dilacerare, & excutere significat. 319.F
פָּרַץ percutere, dirnere, & dissipare. 161.B
פָּקַד non solùm visitare, sed recordari significat. 25.I
פֶּשַׁח pascha, id est, transitus. 83.I.& seq.
פְּתִיל fascia, vitta, vel filum. 292.B

צ

צָבָא militare, exercitum ducere, ad bellum procedere, excubare. 379.H
צָדָה venari, & insidiari. 202.G
צִיּוֹן trigesimaseptima mansio. 127.F. quæ & Cades dicitur. Ibidem.
צָפַן cooperire, tegere. 249.I
צָפַן operire significat. 377.I
צֹר petram significat, aliquando gladium. 38.F

ק

קָדַד verticem capitis demittere. 40.A
קֹדֶשׁ sanctitas, sanctificatio aut sanctũ. 366.H
קָדְקֹד verticem capitis significat. 40.A
קָלַל maledicere, despicere, vilipendere, inhonorare. 217.A.B
קָמִים aduersarij, hostes, inimici. 116.G
קִנְאָה affectus inter amantes, zelus, & affectus circa iniurias & contumelias. 174.K
קָנָה possidere, acquirere. 121.K
קְצָה extremitas, finis, summitas. 377.D
קָרָא occurrere, vocare, & innocare significat. 41.H
קֶרֶן cornu significat 363.E.C
קְרָנַיִם radians. 363.B
קְרָסִי circuli, uncini, fibulæ. 258.E

ר

רַב multum, magnum, fortem significat. 3.D
רֵעַ socius, sodalis, amicus, vel proximus dicitur.
רֵעַ proximum, socium, & amicũ significat. 203.I
רוּם leuare, eleuare, & separare significat. 301.F
רָפָא & dominum & medicum significat. 125.G
רָפָה otio torpere, vacare, ociosum esse. 42.M
רַק tantum seu tantummodo significat. 74.F
רָקִיק placenta, crustula, laganum, id est, panis tenuis. 296.M
רָקַם variegare, polymitare. 270.I
רָשָׁע impium, improbum, iniquum, violẽtum, & reum significat. 13.B

ש

שֵׁשׁ byssum significat. 241.K
שֹׁהַם smaragdus, vel onyx. 282.L
שָׁוְא saue, aliquando vanum, frustra, inane, vacuum, siue gratis significat. 177.B
שָׁחָה adorare, & incuruare se significat. 148.F
שָׁחַת perdere, dispersere, delere, & corrumpere significat. 205.H
שָׁחַת corrumpere, dissipare, perdere, dispersere & peccare significat. 322.B
שָׁלַב coniungere & connectere significat. 264.A
שָׁלַח extendere, mittere & propriè manũ. 26.K
שָׁמָּה & שָׁמַע in quo differunt. 39.M.41.E
שָׁמַע audire, & obedire significat. 234.C
שָׁעַר portam significat. 277.B
שָׂפַת littus riui, vel labium fluminis. 55.K
שָׁרַץ pro creari in morem reptilium. 2.K
שָׁרַץ in modum piscium & reptilium multiplicari. 58.B

ת

תֵּבָה arca dicitur. 9.I
תֹּלְדוֹת tam generationes quàm cognationes significat. 49.F
תְּלָאָה laborem, tribulationem, molestiã. 148.H
תָּמַם complere, perficere, immaculatum esse. 287.E. à quo תֻּמִּים Tummim, veritas, perfectio. Ibidem.
תָּמִיד iugiter, semper. 287.B
תָּמִים immaculatum & integrũ significat. 80.L
תְּרוּמָה oblatio, eleuatio, vel anathema. 241.C. & aliquando pro primitiis, pro ritu oblationis, pro donatione vel cõtributione, & pro liberali dono. Ibidem. à verbo רוּם exaltare, eleuare. D
תָּצַף tegere & cooperire significat. 267.K


FINIS.

A

# In nomine ſanctiſſimæ & indiui-

DVAE TRINITATIS, PATRIS, ET
*Filij & Spiritus ſancti, Amen.*

## ALOISII LIPPOMANI EPISCOPI METONEN-

B

**ſis, & coadiutoris Veronenſis, ſanctorum Patrum tam Græ-corum quàm Latinorum ſuper ſacram Exodum Catena.**

*PRAEFATIO.*

RABANVS IN EXODVM.

C

INter cæteras ſcripturas quas Pentateucus legis continet, meritò liber Exodi eminet, in quo penè omnia ſacramenta quibus præſens eccleſia inſtituitur, nutritur, & regitur, ſingulariter exprimũtur. Nam ibi per corporalem exitum filiorũ Iſraël de Aegypto terreſtri, noſter exitus de ſpirituali Aegypto demonſtratur. Ibi per tranſitum maris rubri, & Pharaonis atque Aegyptiorum ſummerſionem, baptiſmi myſterium, & ſpiritualiũ hoſtium interitus figuratur. Ibi typici agni immolatio, & Paſchæ celebratio, veri agni paſſionem, ac noſtram redemptionem inſinuant. Ibi manna de cœlis, & potus de petra egenti populo dantur, vt doceat nos cœleſtem panem & potum vitæ deſiderare. Ibi præcepta atque iudicia populo dei in monte tradũtur, vt diſcamus ſupernis ſubiici diſciplinis. Ibi tabernaculi conſtructio, atque vaſorum eius ſimul cum cultu & ſacrificiis fieri iubetur, vt ſanctæ eccleſiæ mirabilis ornatus, & ſpiritualium ſacrificiorum ritus in hoc inſinuetur. Ibi ſpiritualis vnctionis & thymiamatis odoramenta conficiuntur, vt ſanctificatio ſpiritus ſancti, & orationum ſacrarum myſterium nobis commendetur. Hæc enim omnia non ſolùm præcedentium patrum dictis ita explicata inuenimus, verùm ipſorum Apoſtolorum traditione ac ſcripturis certiſsimè percepimus. Nam Paulus ad Corinthios ſcribens, ita ait: Nolo autem vos ignorare fratres, quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Sic & Ioannes euangeliſta, cùm in euangelio ſuo dominicam paſsionem deſcriberet, vbi ad illum locum peruentum eſt, quo in cruce pendentium latronũ crura frangerentur, hinc teſtimonium ſumens, ait: Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et paulopoſt, Facta ſunt, inquit, hæc, vt ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Quapropter videtur mihi huius libri neceſſaria eſſe meditatio, in quo ſacramentorum atque myſteriorum cœleſtium tanta vis exiſtit, vt non ſolùm euãgelicis, ſed etiam legalibus ad Chriſti cultum pleniter inſtruamur traditionib⁹.

*1.Cor.10.*

*Ioan.19.*

D

AVCTOR CATENAE. Hic autem liber Græcè ἔξοδος, Exodus, quod exitus Latinè ſonat, nuncupatur. Quod nomen ab inſigni illo & ſtupendo miraculo habet, quo filij Iſraël egreſsi ſunt ex Aegypto, & priſtinam diúque expectatam libertatem recuperauerunt, de quo in prima eiuſdem voluminis parte agitur. Ab Hebræis autem וְאֵלֶּה שְׁמוֹת Veelle ſemoth, id eſt, Et hæc nomina, dicitur, accipientibus ſcilicet à primis ipſius libri dictionibus appellationem. Qui mos eſt pleriſque aliis locis ſeruatus, nam & Geneſis appellatur Bereſith, id eſt,

E

In principio, & Leuiticus Vaicra, id eſt, Et vocauit, & cætera. Incipit autem liber iſte in Hebræo à coniunctione copulatiua et, quòd ad priorem pendeat librum, & in eo continuetur hiſtoria filiorum Iſraël, poſtquam deſcenderunt in Aegyptum, quam in præcedenti libro Moyſes deſcribere cœpit.

EIVSDEM IN LIBRVM EXODI PERIOCHA.

In Exodo de multiplicatione, afflictione, & egreſſu agitur filiorum Iſraël ex Aegypto, de decem plagis, de decalogo, de arca fœderis, tabernaculo, altari, ac veſtibus Aaron.

EIVSDEM IN PRIMVM EXODI CAPVT ARGVMENTVM.

Iſraëlis multiplicationem nouus Pharao onerum impoſitione, maſculorum cæde & ſubmerſione, niſi obſtetricum induſtria obſtitiſſet, impedire ſatagit.

CAPVT PRIMVM.

F

*HAec ſunt nomina filiorum Iſraël, qui ingreſsi ſunt in Aegyptũ cum Iacob. Singuli cum domibus ſuis introierunt. Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Iſachar, Zabulon, & Beniamin, Dan, & Neptalim, Gad, & Aſer. Erant igitur omnes animæ eorum qui egreſsi ſunt de femore Iacob, Septuaginta. Ioſeph autem in Aegypto erat.*

*Lectio prima.*

RVPERTVS SVPER EXODVM. Qua cauſa vel quo ordine intrauerit Iſraël in Aegyptum, & Iacob accola factus ſit in terra Cham, præcedentis libri Geneſeos extrema parte narratum eſt, ſcilicet quia vocauit dominus famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit. Sed præmiſit ante eos virum, non pro meritis ipſorum: nam in ſeruum venundatus eſt Ioſeph, & humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrumq; pertranſiit animam eius, patienter ſuſtinẽtis, ſpemq; ſuam in deo ponentis, donec veniret verbum eius. Tandem venit, & eloquium domini inflammauit eum tanquam lucernam celſo candelabro dignam, lumenq; eius clareſcere cœpit ab interpretatione ſomniorum

*Lectio prima. Pſal.104.*

rum.Proinde misit rex & soluit eum, misit princeps populorum, & de carcere dimisit eum,de cõpedibus ex- G
pediuit eum.Dicensq;,num inuenire potuimus virum qui spiritu dei plenus sit?constituit eum dominum do-
mus suæ,& principem omnis possessionis suæ,vt erudiret principes eius sicut semetipsum,& senes eius prudẽ-
tiam doceret,deinde iuxta cõiectoris veritatem,vocauit dominus(vt iam dictum est)famem super terram, &
ob hoc intrauit Israël in Aegyptum, & habitauit in terra Gessen,& possedit eam, auctusq; est & multiplicatus
nimis.Hæc(inquam)præcedentis libri extrema parte narrata sunt. Deinceps sequentis huius libri Exodi pri-
mæ partes illud continent,quia conuertit cor eorum vt odirent populum eius,& dolum facerent in seruos e-
ius,& quia misit Moysem seruum suum, Aaron quem elegit ipsum,posuit in eis verba signorum suorum. Vni-
uerso igitur Israëli, beatę genti,& populo quem elegit dominus in hæreditatem sibi, primum iustitiæ ac salu-
tis instrumentum est, scire & confiteri quòd suam ob culpam in hoc exilium proiectus sit, procul à facie dei, H
longè à terra viuentium,in qua debuit videre bona domini, per solam autem gratiam fieri, quòd quandoque
eripitur de præsenti seculo nequam, & transfertur in regnum filij dilectionis dei. Verùm huius confessionis
scientiam Israël idem non apprehendisset,nisi similitudinis extrinsecus accidentis introductione ad intelle-
ctum iustitiæ profeciisset.Vt ergo similitudo idonea paruulis introducendis non deesset,factum est,vt ille par-
ticularis siue carnalis Israël intraret in Aegyptum,tali causa vel ordine, vt suæ culpæ fuerit quatenus intraret,
dei autem gratiæ,quatenus inde liberatus exiret. Ecce enim quærenti cur factum sit, vt intraret ille in Aegy-
ptum,si respondeas, quia deus ita fieri voluit, verum quidem est quod dicis, sed minus quàm veritas habet,
responsum tuum comprehẽdit.Restat enim adhuc quæri,cur ita voluerit deus.Deus nempe iustus est, & nihil
est quod sine ratione velit,aut iubeat fieri.Prosequente ergo rationis inquisitione, responderi oportet,idcirco
deum hoc voluisse,quia domus Israël peccauit,fratrem enim suum in seruum vendidit. Ob hoc iustè deus il-
lud voluit,propter hoc famem vocauit,& illi tanquam duro exactori reos suos iustè tradidit, vt abigeret in I
Aegyptum, in illud ergastulum, quo præmiserant fratrem suum. Sanè pater Israël liber fuit à culpa, idcirco
pereũte ac subsequente consolatione intrauit.Audiuit enim deum patris sui Isaac per visionem nocte vocã-
Gene.46. tem se, & dicentem sibi, Ego sum fortissimus deus patris tui. Noli timere, & descende in Aegyptum, quia in
gentem magnam faciam te ibi.Ioseph quoque ponet manum suam super oculos tuos. Ita ille quia sine culpa,
idcirco cum gratia intrauit, domus autem eius quia culpam admisit, sub virga districtionis coërcenda, iustè
ad ergastulum nesciens ambulauit. Itaque dei iustitiæ fuit, quòd populus ille seruiturus in Aegyptum in-
trauit,gratiæ verò (vt prædictum est) quòd illum deus eduxit. His itaque præmissis, deinceps liberatricis
gratiæ mysteria secundum scripturæ huius ordinem sunt pertractanda. *Hæc* igitur (inquit) *sunt nomina filiorum*
*Israel qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob: singuli cum domibus suis introierunt.* BEDA SVPER EXODVM. Quod
ait cum domibus suis,pro animantibus intelligendum est,siue pro viris ac mulieribus. AVCTOR CATE-
NAE. Idem autem est quod in Hebræo habetur: אִישׁ וּבֵיתוֹ בָּאוּ Is vbetho bau, Quisque cum domo sua ingres- K
sus est.Ponitur igitur domus pro familia.Vnde & Chaldaica editio habet, singuli cũ viris domus suæ introi-
erunt.Gloriosum itaque ac admirabilem exitũ filiorũ Israël de Aegyptiaca durissima seruitute describit Moy-
ses in hoc secundo libro diuinæ legis,& tractare incipit quo ordine, quàue virtute & magnificentia deus prę-
stiterit ea locupletissimè quæ promiserat iandudum Abrahæ & semini eius,Geneſis cap. quintodecimo. Re-
petit autem paucis quę de ingressu Israëlis in Aegyptũ scripta sunt, vt hac orationis figura paret sibi viam ad
describendum exitum illius è captiuitate. Ait ergo. *Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon, & Beniamin, Dan,*
*& Neptalim, Gad, & Aser.* RVPERTVS. Hoc libri principium & si ad solam literam spectes, periti histo-
riographi laudem egregiam possidet,qui quod in precedenti libro latius dixerat,hoc ipsum breuiter hîc repe-
tere idoneum ratus est.Poterat enim ab eo quod infra sequitur ordiri sic: Ioseph mortuo,& vniuersis fratribus
eius,omnique cognatione sua,filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis
impleuerunt terrã.Essetq; huiusmodi principium fini præcedentis libri satis cohærens atq; contiguũ. Sed vo-
luit libri huius corpus exhibere integrum,idcirco caput præmisit eximium,nominibus scilicet filiorum Israël L
qui introierunt in Aegyptum,veluti quibusdam stellis illustratum. Hæc planè capitis illustratio, tam pro hi-
storiæ,quàm pro allegoriæ digna expectatione valet,quia videlicet quorum,siue secundum literam, siue secũ-
dum spiritum in hoc libro continetur exitus de Aegypto,rectè eorundem introitus præsentatur in principio.
BEDA. Quatuor autem ordinibus Patriarchæ in scripturis numerantur. Primo natiuitatis, vt in Geneſi,v-
bi illorum natiuitas narratur.Secundo benedictionis,vt in eodem capite quadragesimonono.Tertio liberta-
tis,vt erga tabernaculum fuerunt. Quarto narrando, vt hîc in Exodo, qui tres supradictos non seruat. AV-
CTOR CATENAE. Nam primo ponuntur,Ruben,Simeon,Leui,Iudas,Isachar,Zabulon, quos genuit Ia-
cob ex Lia,eo quo hîc ponuntur ordine,deinde Beniamin,quem ex Rachele suscepit:Posteà Dan,& Neptalim,
quos ex Bala ancilla Rachelis:demùm Gad,& Aser,quos ex Zelpha Liæ famula. Præponitur igitur Beniamin
Dan & aliis,non quòd esset maior natu,sed quoniam ij essent filij ancillarũ. Vel ideo vt instruat nos,ne in or-
dine natiuitatum & nominum curiosi simus, cùm qui certè vltimus fuit filiorum Iacob & ipsius Rachelis, M
multis primitus genitis anteferatur.Frequenter autem in scriptura Patriarcharum nomina è quibus Israëliti-
cum genus descendit,inculcantur,partim vt conseruetur distinctio tribuum, cuius obseruatio necessaria fuit
in republica Israëlitica,propter diuisionem terræ,& propter regnum ac sacerdotium:partim vt maneret certi-
tudo eius gẽtis,quam deus elegit, vt in ea conseruarentur Decalogus & promissiones de Christo,ex qua Chri-
stus nasciturus erat secundum carnem.Postremo,vt(quod est præcipuum)declaretur,quàm firma & quàm in-
uiolata sit veritas diuinarum promissionũ. Dominus enim deus noster promisit Abrahæ tãtam seminis mul
tiplicationem,quanta est arena maris,& multitudo stellarum in cœlo. Suspice(inquit) cœlum, & numera stel-
las, si potes.Sic erit semen tuum. Hæc autem promissio videri potuisset vana infirmioribus, cùm vnus esset
Abraham,vnus Isaac,in quo vocabatur semen Abrahæ. Vnus & Iacob, cui promissio Abrahæ dicta applica-
batur.At in Iacob cœpit quidem promissio dei caput suum parumper attollere. Habuit enim is duodecim fi-
lios



A lios,ex quib° familia Iacob vsque ad septuaginta animas aucta est.Ad gloriam igitur dei pertinet, & ad fidem
promissorum eius,nominum designatio,duodecim filiorum Iacob,qui cum nepotibus multis & vxoribus in-
gressi sunt Aegyptum, ex quibus tantus postea numerus processit, vt cum sexies centenis milibus egressi sint,
præter paruulos & vxores.Erat itaque iam tunc vnicuique filiorum Israël propria domus ac familia,seruorum
nimirùm & ancillarum cum illorum vxoribus. Quorum omnium vnicus Patriarcha erat,& felix auus tantæ
posteritatis. *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta.* ORIGENES SVPER
EXODVM. Secundum aliam literam, erant omnes animæ egressæ de femore Iacob septuaginta. Ego *Homil.1.*
autem non puto quòd quilibet hominum possit animam gignere,nisi siquis fortè talis sit, qualis ille qui dice-
bat,Nam & si multa milia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per
euangelium ego vos genui.Isti tales sunt qui generant animas, & parturiunt eas,sicut & alibi dicit,Filioli mei
B quos iterum parturio,donec formetur Christus in vobis.Alij enim huiusmodi generationis curam, aut nolũt
habere, aut nequeũt.Denique statim in initiis ipse Adam qui dicit,Hoc nũc os de ossibus meis,& caro de car- *Genes.2.*
ne mea:nec tamẽ addidit,& anima de anima mea.Sed velim mihi diceres ô Adam,si os de tuis ossibus agno-
uisti,& carnem de tua carne sensisti,cur non intellexisti etiam animam de tua anima processisse? Si enim om-
nia quæ in te erant tradidisti,cur non etiam animæ facis cum cæteris mentionem, quæ melior totius hominis
pars est?Sed videtur per hæc intelligentibus indicium dare,quod cùm dicit,os de ossibus meis,& caro de car-
ne mea,quæ de terra sunt,sua esse profiteri,non audere verò sua dicere,quæ scit non esse de terra. Sed & Laban
similiter cùm dicit ad Iacob, Quoniam os meum & caro mea es tu: nec ipse amplius aliquid videtur audere
suum dicere,nisi quod terrenæ consanguinitatis agnoscit.Quid ergo hic dicemus fratres,nisi quòd in vsu esse
creditur,animas pro hominibus appellari? GRAECVS. Eos autẽ qui Aegyptũ ingressi sunt,enumerat,vt cũ
tot milia gentis Israëliticæ in sequẽtibus legeris,diuinæ benedictionis quæ Abrahæ facta est, muneri ascribas.
C CAIETANVS SVPER EXODVM. Erant igitur omnes animæ eorũ qui egressi sunt de femore Iacob, a-
nimæ septuaginta. Intellige vt exposuimus superius in capitulo Geneſis quadragesimo sexto,hunc numerum,
quoniam repetitio est intelligenda secundum prius dicta. AVCTOR CATENAE. Sensum ex verbis He-
braicis clarum reddidit doctus Interpres,transferens hoc in loco,Omnes animæ eorum qui egressi sunt ex fe-
more Iacob.Nam apud illos sic legitur וַיְהִי כָּל נֶפֶשׁ יֹצְאֵי יֶרֶךְ יַעֲקֹב שִׁבְעִים נָפֶשׁ Vaihi col nephes ioze ierech Iaakob
sibim naphes:id est, Fuerunt autem omnes animæ egressæ de femore Iacob,septuaginta animæ.Chaldaica etiã
sic, Erantq; omnes animæ egredientium de femore Iacob, septuaginta animæ. Computantur autem hoc in
numero nõ tantũ filij quos ipse Iacob genuit,sed etiam eius nepotes,hoc est filij filiorũ. Nec hîc dicitur septua-
ginta ingressas animas Aegyptũ,sed egressas de lũbis Iacob:quo fit vt septuaginta numerentur,exclusis duabus
fœminis Dina & Sara filia Aser,cõnumeratis autem mortuis in terra Chanaam duobus filiis Iuda,& genitis in
Aegypto duobus filiis Ioseph,deniq; & ipso Iacob.Sic enim numerãdo, inuenitur summa numeri septuaginta.
D In Geneſis autem quadragesimo sexto capite, sexaginta sex intrasse Aegyptum cum patre Iacob scribuntur:id
quomodo intelligendũ,ibidem vide,vt videas nulla contradictione laborare sacram scripturam. Eadem autẽ
diuersitas in numero hîc apud Septuaginta Interpretes reperitur,quę & superius.Nam hi huic numero addunt
quinque.Græcè igitur sic legitur hîc,ἅπασαι δὲ αἱ ψυχαὶ αἱ ἐξελθοῦσαι ἐξ ἰακὼβ, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. Erant autẽ
omnes animę quæ egressæ sunt ex Iacob, quinque & septuaginta. Sed de hoc vide in Geneſi. *Ioseph autem in Ae-*
*gypto erat.* Quasi dicat, causa descensus eorum in Aegyptum, fuit Ioseph, quod is gratia valeret apud regem
Aegypti.Quo etiã in loco populus Israël breui in immẽsum auctus est, in persecutionibus etiam atrocissimis,
diuino munere & miraculo,vt discamus non desperare in aduersitatibus à domino immissis fidelibus,quę si-
gna esse consueuerũt fauoris diuini,& proximæ redemptionis & gratiæ.
ORIGENES. Videtur mihi vnusquisque sermo scripturæ diuinæ similis esse alicui seminum, cuius natu *Mystice.*
ra hęc est,vt cùm iactum fuerit in terram,regeneratum in spicam,vel in quancunque aliam sui generis speci-
E em,multipliciter diffundatur,& tanto cumulatius, quanto vel peritus agricola plus seminibus laboris impen-
derit,vel beneficium terræ fœcundioris indulserit.Sic ergo efficitur,vt culturæ diligentia,exiguũ semen (ver-
bi causa)sinapis,quod est minimum omnium,efficiatur maius omnibus oleribus, & fiat arbor, ita vt veniant
volatilia cœli,& habitent in ramis eius.Ita & hic sermo qui nunc nobis ex diuinis voluminibus recitatus est,
si peritum inueniat,& diligentem colonum,cùm primo attactu videatur exiguus & breuis, vt cœperit excoli,
& spiritualiter retractari,crescit in arborem,in ramos,& in virgulta diffunditur,ita vt possint venire disputa-
tores,& rhetores huius mundi,qui velut aues cœli leuibus pennis, verborum duntaxat pompa, excelsa sectã-
tur & ardua,& rationibus capti,velint habitare in ramis istis, in quibus non loquendi decor est, sed ratio vi-
uendi. Videamus ergo quid statim in initiis Exodi lectio cõtineat, & qua possumus breuitate,quantum ad æ-
dificationem auditorum sufficit,persequamur.Si tamen precibus vestris iuuetis, vt adsit nobis sermo dei, &
ipse dux nostri dignetur esse sermonis. BEDA. Primùm igitur titulus iste,Hęc sunt nomina,radix verbi po-
F test dici.Verbum autem volumẽ vsque ad finem.Mos est autem scripturæ diuinæ, radicem verbi plantare an-
tequam indicet mysteria.Iacob etiam filiorum suorum dicitur radix, filiique plebis, sic Christus Apostolorum
radix est,Apostolique omnium credentium.Hęc autem sententia euangelicam sententiam significat,qua dici-
tur,Hæc sunt nomina duodecim Apostolorum. Sed & præsens recapitulata sententia, qua hîc duodecim Pa-
triarchæ,sicut & in Geneſi nominãtur,significat duodecim Prophetas in veteri,& duodecim Apostolos in no-
uo testamento.Idcirco verò filij Israël hîc primò dicuntur ante patrem suum, quia illis plebs proprior erit quã
Israël.Hic autem liber vitæ dici potest,quo etiam totus canon vocari vocabulo dicitur, eorum scilicet, quo-
rum nomina scripta sunt in libro vitæ. IDEM, ISIDORVS SVPER EXODVM, RABANVS, IN-
TERLINEARIS, ET ORDINARIA. Vndecim ergo filij Iacob qui ingressi sunt cum eo in Aegy-
ptum,siue magis duodecim,addito videlicet Ioseph,significant Apostolorum ordinem,de quibus saluator ip-
se ait,Sicut misit me pater,& ego misi vos in mundum. Aegyptus enim hic mũdus esse figuraliter multis pro-

phetarum vocibus approbatur. Hi enim ſinguli cum domibus ſuis mundũ hunc ingreſsi ſunt, id eſt, cum imi- G
tatoribus actuum, vel cogitationum, vel virtutum. Sed & ordines quatuor quibus Patriarchæ numerãtur, Apoſtolis ipſis conueniunt. Primo natiuitatis, id eſt, vocationis à Chriſto, vt Petrus, & Andreas. Secundo, liberalitatis, vt de Petro dicitur: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Tertio, benedictionis, vt Ioanni competit in præmiis. Quarto, narrandi, id eſt, quomodocunque commixtim numerantur. Septuaginta verò animæ quæ ſimul in Aegyptum cum prædicto Patriarcha introiſſe deſcribuntur, prædicatorũ ordinem typicè deſignant, quia ſeptuaginta duos diſcipulos ad prædicandum dei verbum in toto orbe ſaluator miſerat, vt Pentateuchum legis ſpiritualiter ſeruandum docerent. Aliter, hæ ſeptuaginta animæ quæ in Aegyptum ingreſſæ ſunt, myſticè in numero remiſsionis accipiuntur, ſcilicet vt huic ſeculo quod per Aegyptum figurabatur, poſt tanta peccata & ſacrilegia, donaretur remiſsio peccatorum. Ioſeph autem erat in Aegypto. Et de redemptore noſtro Ioannes ſcripſit, quia in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus H
*Ioan.1.* eum non cognouit.

2 *VIuo mortuo, & uniuerſis fratribus eius, omníque cognatione ſua, filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis, impleuerũt terram. Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph. Et ait ad populum ſuum, Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatíſque nobis, egrediatur de terra.*

RVPERTVS. Digné in foribus collaudato fabricæ architecto, iam gradiamur intus, & hãc domum perſpiciamus ſcripturæ latiſsimæ, quam extruxit, refertam theſauris cœleſtibus. *Quo* igitur, inquit, *mortuo, & uniuerſis fratribus eius, omníque cognatione ſua, filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram.*

CAIETANVS. Hyperbole eſt, magnam eorum multiplicationem ſignificans, tanquam vſque adeò creue- I
rint, vt repleta ſit terra Aegypti illis Hebræis. AVCTOR CATENAE. Quod dicitur omni cognatione ſua, idem eſt quod apud Hebræos habetur: וְכֹל הַדּוֹר הַהוּא vecol hador hau, Atque tota generatio illa. Sic & Septuaginta & Chaldaica, ſiue atque totum hoc ſeculum, ſcilicet mortuum eſt, id eſt, homines illius ætatis. Quod dicit, vt oſtendat afflictionem non accidiſſe Iſraëliticis viuente Ioſeph. Deinde nec diſcrepant ab Hebraica lectione quæ ponuntur ad deſignandum Iſraëlis multiplicationem in Aegypto, poſtquam Iacob & filij eius mortui ſunt, vt ſcriptura vix inueniat ſatis verborum, quib⁹ hanc multiplicationem explicet. Nam quod in noſtra litera dicitur, Græca & Chaldaica, filij Iſraël creuerunt, Hebraicè eſt פָּרוּ paru, germinauerunt, hoc eſt, ita fructiferi fuerunt, quemadmodum arbores fructus ferunt, ſiue inſtar ſeminum in terra proiectorum, vel herbarum vltro ex ea naſcentium. Et quod apud nos eſt, Et quaſi germinantes multiplicati ſunt, ibi eſt וַיִּשְׁרְצוּ וַיִּרְבּוּ vaiſrezu vairbu, hoc eſt, & ebullierunt (in morem ſcilicet reptilium aut aquatilium) & multiplicati ſunt magna copia. Vel ſecundũ alios, vermiúmque more ſcaturiebant, aucti in immẽſum. Aut, Nati ſunt in multitudine: ſiue, K
generatione aucti ſunt, & multiplicati ſunt. Eſt nanque שָׁרַץ Saraz verbum, procreari in morem reptilium, vt ſunt ranæ, formicæ, & locuſtæ, quæ ſemper in maximo producuntur numero. Vel in morem piſcium, qui fœtũ edunt multiplicem & numeroſum. Sic filij Iſraël, qui cum ſeptuaginta animabus deſcẽderunt in Aegyptum, creuerunt in ducentis annis in multa centena milia hominum. Septuaginta, καὶ ἐπληθύνθησαν, καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο, Et multiplicati ſunt, & abundantes fuerunt. Chaldaica, Et nati ſunt in multitudinem. Quæ omnia magnã eorum copiam ſignificant. Sic & quod ſequitur, Ac roborati nimis, ibi eſt (vt omnino innumerabilis multiplicatio ſignificetur) וַיַּעַצְמוּ בִּמְאֹד מְאֹד vaiáazmu bimod meod, Et roborati ſunt ingenti fortitudine valde nimis. vel, Et roborati ſupra modum, hoc eſt, vehementiſsimè. Eſt enim verbum עָצַם hazam, quod valuit, ſiue fortis fuit ſignificat, Vnde etiam hazum, fortis atque robuſtus deſcendit. Septuaginta, καὶ κατίσχυον σφόδρα σφόδρα, & inualuerunt valde nimis. Chaldaica, Et roborati ſunt vehemẽter nimis. Roborati autem nimis dicuntur, quia perſonarum pluralitas, virium quoque potentiam affert, animorum quoque conſenſu & affinitate, fortior fit L
neceſsitudo familiarũ. Denique quod in noſtra lectione eſt, impleuerunt terram, idem eſt quod in Hebræo habetur: וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ אֹתָם vatimmale haárez otham, & impleta eſt terra ab eis, ſiue ex eis. Sic & Chaldaica, vel ſecundum alios, vt terra ipſis impleretur. Septuaginta autem actiuè interpretati ſunt, videlicet ἐπλήθυνε δὲ ἡ γῆ αὐτούς, Multiplicauit autem terra illos. Terram autem illam intellige, in qua filij Iſraël habitabant. Rectiſsimè ergo locum vertit interpres. Hac igitur verborũ copia nihil aliud vult ſcriptura, quàm vt commendet & inculcet nobis veritatem diuinarum promiſsionum. Vbi autem commendatur veritas dei, ibi admonemur nos ad habendam fidem promiſsionibus dei, & ad perdurãdum in fide & bonis operibus in omnibus afflictionibus. Quando verò Ioſeph poſt patrem obierit, facilè ſupputatur, ſi mora Iacob in Aegypto cum ipſius ætate cũ ingrederetur, centum & triginta annorum, cum ætate Ioſeph ſupputẽtur, qui triginta annorũ tunc erat, mortuus eſt autem ætatis ſuæ anno centeſimo decimo. Omnes autem fratres Ioſeph in Aegypto mortuos & ſepultos ſcriptura commemorat, ne extra patriam mori grauiter ferant, qui in patriã cœleſtem regenerantur per dei M
gratiam, in qua ciues dei conſtituuntur. Tota quoque generatio obiit. Ea ſcilicet hominum ætas finita eſt, & annorum vitæ finis qui cum Iacob ingreſsi fuerant, vt eorum nemo prorſus ſuperuiueret. Tanto tempore in Aegypto exularunt filij promiſsionum, vt longanimitatem diſcamus ad diſpenſationes diuinas nobis promiſſas, nemo iam de ſeculo quod Ioſeph vixerat ſuperet, qui de viſis Ioſeph geſtis quidpiam narrare poſſet. Vt verò quæ ad hanc hiſtoriam pertinent certiùs noſcas, ſcribunt Hebræi, Ioſeph duodecim menſibus ſeruiſſe in domo Pothiphera, & duodecim annis in vinculis fuiſſe: nam trigeſimo ætatis ſuæ anno productus eſt ad Pharaonem, quo anno obiit Iſaac auus eius. Succeſſerunt ſeptem anni ſaturitatis, deinde anno ſecundo, poſtquam fames inualuit, venit ad eum Iacob in Aegyptum, quando ſcilicet fuit trigintanouem annorum. Mortuus verò eſt ipſe Ioſeph primus omnium fratrum ſuorum, cùm ſcriptura dicat, Mortuus eſt Ioſeph, & fratres eius, fuitq;, cùm moreretur, centum & decem annorum. Breuiorem itaque habuit vitã, quàm ſinguli fratres ſui. Leui verò longiſ-



A longiſſimè vixit, quippe qui centeſimũ trigeſimum ſeptimũ attigit annum, nec afflicti ſunt filij Iſraël quandiu ille vixit. Effluxerunt autem à morte Leui vſque ad exitum de Aegypto, cẽtum & ſedecim anni, à principio verò mundi vſque ad exitum de Aegypto, fluxerunt duo milia annorum, & quadringẽti quadraginta octo anni, fuerúntque filij Iſraël in Aegypto ducentis & decẽ annis. *Surrexit interea rex nouus ſuper Aegyptum, qui ignorabat Ioſeph.*

RABANVS. In chronicis Euſebij & Hieronymi legimus, quod poſt ingreſſum Iacob in Aegyptum, primus Amoſis regnauerit annis vigintiquinque. Poſt quem Nebron annis tredecim. Dehinc Aenomphis annis viginti & vno. Poſt hũc Mephres annis duodecim. Poſt quem Miſpharmuruſis annis viginti ſex. Poſt eum Tithimoris annis nouem. Deinde Amonaphis annis triginta vno, ſub quo Amram genuit Moyſen, cum eſſet annorum ſeptuaginta. ORDINARIA. Omnes autẽ reges Aegyptiorum, Pharaones prius appellabantur, ſicut nunc Ptolemæi, & Arſacidæ reges Perſarum, & Cæſares Auguſti Romanorum, habebãt tamen propria vo-
B cabula, ſicut ille ſub quo Ioſeph in Aegypto fuit, Mephres vocatus fuit, à quo vſque ad Cẽchren, qui filios Iſraël afflixit, & in mari rubro periit, multi Pharaones fuerunt. CAIETANVS. Si Ioſepho creditur, ideo nouus dicitur rex iſte, quia ex alia familia ortus erat. Ex eo tamen quod ignoraſſe dicitur Ioſeph, videtur quod non Aegyptius fuerit, nam Ioſeph notus fuerat familiis omnibus Aegyptiorum. Præferunt autem verba Eſaiæ capite quinquageſimo ſecundo quòd fuerit Aſſyrius: nam dicit, in Aegyptum deſcendit populus meus à principio, & Aſſur abſq; cauſa calumniatus eſt eum. Hic enim rex nouus eſt, qui oppreſsit abſq; vlla culpa populum Iſraël. AVCTOR CATENAE. Surrexit interea rex, &c. Nouus rex nouam inducit faciẽ regno cum legibus nouis, & rarò meliora ſequuntur. Facilè beneficiorũ obliuiſcuntur magnates. Aliquot iam ſeculis obierat Ioſeph, vt de facie eum rex nouus nouiſſe non potuerit. Magis autem ingratitudo notatur regis & ſtultitia, imprudentiáque earum rerum quæ reges ſcire debent. Non ſolum futura, ſed & præterita non ignorare oportet mundi rectores & magnos principes. In hoc igitur rege, qui non nouerat Ioſeph, id eſt, beneficia quæ Ioſeph cõ
C tulerat in Aegyptios, qui longè diſsimilimus ei Pharaoni ſub quo Ioſeph vixit, deſcribitur, obſeruandi veniunt mores huius ſeculi, in quo maxima inuenitur hominũ ingratitudo. In rebus enim humanis fere fieri ſolet quod Pindarus in Iſthmiis ait, Vetus beneficium obliuioni, & quaſi ſomno traditur. Quid ergo? num quia ſic ſe habent mores hominum, approbandi ſunt & imitandi, vt & veterum beneficiorum quæ in nos collata ſunt, obliuiſcamur, & propter hominum ingratitudinem nihil cuiquam boni præſtemus? Abſit. Scriptura enim non cõmemorat hos hominum mores, vt commendet, ſed vt deteſtetur ipſos, & admoneat nos, quo ſinamus mundũ cum malis ſuis moribus valere, ſectemur autem gratitudinem & beneficentiam, vt faciamus nos hominibus, quod volum⁹ vt faciãt homines nobis. Hæc enim (inquit Chriſtus) eſt lex & Prophetæ. *Et ait ad populum ſuum, ecce populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt. Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatíſque nobis egrediatur de terra.* RVPERTVS. Hic nempe ſi prudẽter legas, neceſſario ſubintelligis filios Iſraël ſolitos fuiſſe ſuſpirare ad terram quæ patribus eorum repromiſſa fuerat. Hoc au-
D ditum à patribus venientibus filiis, ſpem verboſam auſcultantibus, Aegyptiis iracundam excitabat inuidiam. Bene ergo rem aperit, dum præmiſſo, ne ſi ingruerit cõtra nos bellum, non addidit, expugnatis nobis obtineat terram, ſed egrediatur è terra. GRAECVS. Sapienter opprimamus eum, hoc eſt, arte ac fallacia eum affligamus, neque enim Hebræos manifeſtè angere poterãt, cùm nullam huiuſce rei vel leuiſsimam cauſam haberẽt. Cæterùm deus Iſraëlem affligi permiſit, vt & Aegyptiorum deos odio haberent, atque alacrius ex Aegypto egrederentur, quod æquo animo non feciſſent, ſi in Aegypto victum, tranquillámque vitam habuiſſent. AVCTOR CATENAE. Ecce populus filiorum Iſraël multus & fortior nobis eſt. Parui refert quod dictione Hebraicam רַב Rab aliqui maior verterunt, vt dicant, Maior & fortior. Nam & multum & magnum, ac copioſum ſignificat. Eleganter etiam apud nos redditum eſt, venite, ſapienter opprimamus eum, quod Hebraicè eſt הָבָה נִתְחַכְּמָה לוֹ Haba nithchacema lo, Eia callide agamus contra eum: vel, agite ſapiẽtes ſimus propter eum: aut, ſapientiores ſimus illo: ſiue, agite, caliide circunueniamus eum. Eſt enim in hithpael הִתְחַכֵּם à חָכַם chacham ver-
E bo, quod ſapiẽs fuit, ſiue ſapuit ſignificat. Vnde Chaldaica, Venite, ſapiẽter agamus cõtra eos. Et eſt ſenſus, inueniamus rationem aliquam callidam & ſubtilem, qua opprimere poſsimus illum ne multiplicetur. Septuaginta, Δεῦτε οὖν κατασοφισώμεθα αὐτούς. venite, ſapienter opprimamus eos. Quod etiã ſequitur, expugnatiſque nobis egrediatur de terra, nõ diſtat in ſenſu ab Hebræo, quod eſt huiuſmodi, וְנִלְחַם בָּנוּ וְעָלָה מִן הָאָרֶץ Venilcham bánu vehala min haárez, Et pugnet contra nos, aſcendátque de terra. Vel, atque nos oppugnet, & hinc abeat: ſiue ſecundum alios, fieret enim ſi nobis bellum ingruat, vt iunctus hoſtibus contra nos pugnaret, atque ex terra migraret. Quæ tamen omnia idem innuunt. Chaldaica etiam, & inient contra nos bellum, & aſcendent de terra. Septuaginta verò vt apud nos legunt. Sic igitur piorum felicitas odium auget impiorum. Iámque eam gẽtem ex qua tanta ſalus Aegyptiis fuit, tam immaniter affligere nefas erat. Nũquam nobis excidere ſinamus quæ vel dominus ipſe, vel per homines nobis fecit. Fortior quoque fit populus Iſraël ob mediocres labores & lacticinia, dum interim libidine & luxu Aegyptij eneruantur, & molliores exiſtunt. Venite, ſapienter, & cætera. Con-
F filium capiunt nocendi peregrinis. Callide conſultant, aſtutéque circunueniunt filij huius ſeculi, & ſapientiores ad malum ſunt ſemper filiis Dei. Suis ſemper ſolent velle rebus conſulere per fas & nefas. Mutuum ſeſe exhortantur, ad praua ſtudia & ad crimina conſentientes. Piorum eccleſia velut caſtrorum acies terribilis eſt impiis, ſemper ſibi timent impij, præſumit ſemper ſæua perturbata conſcientia, molitur & inſidias ex mendacio permota, timet vbi non timendum. Impij affligere ſemper conſueuerunt pios, non contra. Pij enim in bono vincunt malum, & illorum patientia abutentes impij, theſaurizant ſibi iram Dei in diem iræ & iuſti iudicij. Vide igitur crudelis & impij tyranni mentem malam. Timens enim ne multiplicatis Iſraëlitis ipſe opprimatur, & illi liberi euadant, vt impius eſt, ita impias etiam rationes ſectatur, quibus ſperat ſe euaſurum pericula. At contra pius quiſpiam rex, pia etiam conſilia ſectatus eſſet ad cauenda pericula, videlicet inſtituiſſet moderatam imperij adminiſtrationem, & gubernaſſet ſubditos in iudicio & iuſtitia. Hæc enim ſunt quibus conſeruantur imperia, & quibus Reſpublicæ incolumes conſiſtunt. Sed impius Pharao longè alia conſilia cogitat.

*Mystice. Ser.84.* ORIGENES, ET AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Audiuimus in lectione quæ lecta est fratres dilectissimi, quòd mortuo Ioseph, filij Israël creuerũt, & multiplicati sunt nimis, & quasi herba germinauerunt. Quid est hoc fratres? Donec viueret Ioseph non referuntur creuisse filij Israël, nec quòd multiplicati sunt nimis, nec aliquid omnino in his de augmentis & numerositate memoratur. Sed posteaquam mortuus est, germinasse dicuntur, cùm vtique sub patrocinio & defensione Ioseph magis debuerãt crescere & multiplicari. Ego credens verbis domini mei Iesu Christi, in lege & Prophetis iota quidem vnum, aut vnum apicem non puto esse mysteriis vacuum, nec puto aliquid horum transire posse, donec omnia fiant. Verùm quoniam exiguæ capacitatis sumus, ea nunc tantùm pulsemus, quibus tutius incedamus. Quæ ergo in illo Ioseph figurata sunt, in nostro Ioseph, id est, domino Christo in veritate completa sunt. Prius enim quàm moreretur ille qui distractus est triginta argenteis ab vno ex fratribus suis Iuda, id est, antequam crucifigeretur Ioseph noster, pauci in eum crediderunt. Postquam verò pro omnibus gustauit mortem, per quã destruxit eum H qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & resurrexit, in vniuerso mundo multiplicati sunt & creuerũt Israëlitæ, id est, populi Christiani. Sic & ipse dominus in euangelio dixit: Nisi granum frumenti cadens in terra *Ioan.12.* mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Postea verò quàm passione pretiosum granum frumenti mortuum est & sepultum, per vniuersum mundum de illo vno grano, messis Ecclesiæ pullulauit, & in omnem terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum: nam per ipsos sicut scriptum est, Verbum domini crescebat, & multiplicabatur. Non enim sicut antea in Iudæa tantùm notus est deus, *Psal.75.* nec solùm in Israël nomen eius colitur, sed à solis ortu vsque ad occasum nomen illius collaudatur. ORIGENES. Hæc quantum ad mysticum pertinet intellectum. Sed & moralem in his non omittamus locum: ædificat enim animas auditorum. Igitur & in te si moriatur Ioseph, id est, si mortificationem Christi in corpore tuo suscipias, & mortifices membra tua peccato, tunc in te multiplicabũtur filij Israël. Filij Israël sensus boni & spirituales accipiuntur. Si ergo sensus carnis mortificentur, sensus spiritus crescunt, & I quotidie emoriẽtibus in te vitiis, virtutum numerus augetur. Sed & terra te multiplicat in operibus bonis, quæ per officium corporis ministrantur. Verùm si vis vt ostendam tibi de scripturis quis est quem terra multiplicauerit, intuere Apostolum Paulum quomodo dicit: Si autem viuere in carne, hic mihi fructus operis est, & *Philip. c.1.* quid eligam ignoro. Coarctor enim ex duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo enim melius, permanere autem in carne magis necessarium propter vos. Vides quomodo hæc terra multiplicat? Dum enim manet in terra, id est, in carne sua, multiplicatur condendo ecclesias, multiplicatur acquirendo populum deo, & ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum, dei euangelium prædicando. Sed videamus quid additur in consequẽtibus. Surrexit autem (inquit) rex alius in Aegypto, qui nesciebat Ioseph, & dixit genti suæ: Ecce gens filiorum Israël grandis multitudo est, & valet super nos. Si de hoc altius sentiendum est, potest videri rex iste qui nescit Ioseph, diabolus insipiens ille qui dixit in corde suo non est deus, genti suæ, hoc est, apostaticis angelis colloqui, & dicere, Ecce genus filiorum Israël magna multitudo est, de his scilicet qui possunt K mente deum videre, & potentior est nobis. Venite itaque, circunscribamus illos, ne fortè increscant, & cum acciderit nobis bellum, consentiant & hi cum aduersariis, & expugnantes nos, exibunt de terra nostra. Sed vnde hoc sentit diabolus? vnde intelligit quia magna gens sit Israël, & ipso fortior, nisi quia sæpe congressus est, sæpe habuit luctamen, & sæpe superatus est? Scit enim & ipsum Iacob luctatum esse, & adiutorio angeli obtinuisse aduersarium, & inualuisse cum deo. Non dubito quin & aliorum sanctorũ senserit luctamen, & spiritalia pertulerit sæpe certamina, & inde dicit, quia gens filiorum Israël magna est valde, & valet super nos. Sed & illud quod timet, nequando eueniat eis bellum, & consentiant aduersariis eius, & deuictis eis discedant de terra sua, videtur mihi ex his quæ sanctis Patriarchis & Prophetis de aduẽtu Christi nonnunquã indicata fuerant præsensisse, & inde scire quod sibi immineat bellum. Sentit venturum qui exuat principatus eius & potestates, & cum fiducia triumphet eos, & affigat in ligno crucis suæ, sentit se derelinquendum à filiis Israël, & quia cõsentient aduersario eius, & adiicientur ad dominum. In his ergo præuenit, in his occupat mẽtes, quæ ad hoc factæ L sunt, vt videant deum. Et conuocata omni gente sua, circunuenire & circunscribere cupit in hominibus rationabilem sensum, qui nunc figuraliter dicitur Israël. Prospicit tamẽ vt dictum est, imminere sibi bellum, & maturum gentis suæ affuturum sentit exitium. Ideo dicit, quia gens Israël valet super nos. Vtinam & de nobis hoc dicat, sentiat nos valere super se. Quomodo sentire hoc poterit? si cùm mihi cogitationes iniicit malas & concupiscentias pessimas, ego non suscipiam, sed iacula eius ignita scuto fidei repellam, si in omnibus quæcunque suggerit menti meæ, ego memor Christi mei domini, dicam: Vade retro Satana, scriptum est, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. RABANVS. Nos etiam si de substantia nostra gratias agamus omnium bonorum largitori, & misericordiam de illa impendamus in proximos nostros egentes, iungamúrque per obedientiam prædicatoribus veritatis, dicet de nobis spiritualis Pharao, filij Israël præualuerunt nimis super nos, & iunguntur inimicis nostris, quia præualebimus illi, & eo inuito pergimus de terra sua, deponentes veterem hominem cum actibus eius, atque relinquentes imaginem terreni parẽtis nostri, induemus nos imaginem cœ- M lestis redemptoris. RVPERTVS. Nouus igitur spiritualiter Aegypti rex, qui sic sollicitus est, & sic loquitur, diabolus est, rex Aegypti, id est, tenebrarum princeps, rex (inquam) Aegyptiorum, id est, omnium superborum, domino ad beatum Iob dicente, quia ipse est rex super omnes filios superbiæ. Ecce (inquit) populus multiplica- *Iob.41.* tus, & fortior nobis est, & cætera. Hoc iratus dixit, quia vidit & doluit, per fraudem suam non perire benedictionem potuisse creatoris, qua in electorum prædestinatione primis parentibus nostris benedicens (inquit) *Gen. 1.* Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam. Nam de reproborum luxuriante propagine, post- *Gen.3.* modum dixit ad mulierem seductam, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Verùm quantacunque inuidia locutus sis ô diabole, hoc verum dixeris, & hoc sine mẽdacio locuti sunt omnes Aegyptij satellites tui, quia multiplicati, & fortior vobis populus sumus, & si ingruerit, imò dudum ingruit, contra vos bellum, principe belli Christo filio dei, suæ crucis attollente vexillum, addimur inimicis vestris, scilicet sanctis ac beatis angelis



A angelis, quibus fortioribus caduca terga vertistis fugiendo, expugnatisque vobis egredimur è terra, quia cœlum nos expectat.

*PRæposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus. Aedificauerúntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom & Rameſſes. Quantóque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant. Oderántque filios Israel Aegyptij, & affligebant, illudentes eis & inuidentes, atque ad amaritudinem perducebant uitam eorum operibus duris luti & lateris omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* 3

*Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus.* RVPERTVS. Subauditur, vt non liberet eis coniu- 3
B gales complexus inire, filiosq; procreare, labore vel iniuria voluptatis obliuionem afferente. AVCTOR CATENAE. Præposuit itaque eis magistros operum. Pro hoc est in Hebræo וַיָּשִׂימוּ עָלָיו שָׂרֵי מִסִּים Vaiazimu halaf sare misim, Et posuerunt super eum (nempe populum Israël) principes tributorum. Vel constituerunt igitur super illum principes, tributa exigentes. Septuaginta, ἐπέστατας τῶν ἔργων, præfectos operum. Per magistros itaque seu præfectos operum, hos exactores intellexit interpres. Chaldaica, Et constituerunt supęr eos principes malefacientes, vt affligerent eos in operibus suis. Tributis igitur onerabãt Aegyptij Israëlem, & insuper laboribus assiduis conficiebant ad eneruandum vires populi, & extenuandum vim generandi proles, omnibus modis annitendo, vt neque numero, neque diuitiis augerentur, sed labore & ferendis oneribus affligerentur ad maciem, & animorum angustias. *Aedificauerúntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom & Rameſſes.* PHILO. Sic Iudæi ad vrbes, domos, mœniáque ædificanda à rege delegati sunt. RVPERTVS. Hoc ægebat naturæ hostis demens & inefficax, qui quasi sole æstiuo radices arborum ne in flores aut poma prorumperent, exurere certa-
C bat. Aestu nãque laboris operosi, naturæ radix nõ arescit, sed potius post laborẽ, cibi, potúsque, ac somni auidior fit, quibus rebus voluptas non emori solet, sed refota gliscere & prorumpere gestit. Frustra igitur sic inuidia pugnabat, præsertim vbi cœli ros & terrę pinguedo, id est, dei & patrum benedictio, sterilem esse Israëlem non sinebat. HVGO DE SANCTO VICTORE IN ANNOTATIONIBVS SVPER EXODVM. Aedificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom & Rameſſes. In Hebræo vbi nos habemus tabernaculorum, est quidem sermo qui transpositione puncti modo ad dexteram, modo ad sinistram, vel sonat in voce miscenoth, & significat pauperũ: vel sonat mischenot, & significat positionum: & secundum hoc quod prior vox subinnuit, vrbes pauperum ædificatas intelligitur, vrbes prius debiles, & pauperum mansiones, operatione Hebræorum fortiores effectas. Secundum hoc autem quòd mischenot significat positionum, intelligitur ita fortes vrbes cõpositas, quòd thesauri regis reponerẽtur ibi in custodia pro firmitudine loci, siue ante fuerint ibi vrbes, siue non. CAIETANVS. Quod hic legitur, ædificauerunt vrbes tabernaculorum, iuxta He-
D braum habetur, vrbes munitionum, hoc est, ad seruanda ea quæ pro munimine patriæ recõdenda sunt. AVCTOR CATENAE. In Hebræo est dictio מִסְכְּנוֹת Mischenoth, quæ thesauros significat, vel loca in quib⁹ reponũtur triticum, oleum, vina & huiusmodi, nam & thesaurus idem est quod reconditorium. Vnde Chaldaica legit, vrbes thesaurorũ: Alij verò, vrbes pro opibus reponendis: & aliqui, quæ essent repositoria transtulerũt. Eadem dictio etiam munitiones significat, vt sunt arces ac præsidia, quæ ab Hebræis etiã tabernacula nuncupantur. Quod potissimum intellexerunt Septuaginta, vertentes hic πόλεις ἰσχυράς, ciuitates munitas. Quam sententiam secutus est & alibi Interpres. Nam præter alia loca Paralipomenon capite octauo, quod hic vertit vrbes tabernaculorũ, ibi ciuitates munitissimas interpretatus est. Dũ ergo vertit Interpres ciuitates tabernaculorum, id indicat, quod Hebræi ad labores & onera coacti, arces munitissimas, tutissimáque præsidia ædificarunt Pharaoni. Quem morem etiam hodie seruant principes, rusticos ad construendum mœnia ac propugnacula cogẽtes. Sic igitur miseri Israëlitæ non tam vrbes extruere, quàm extructas roborare arcibus, turribus, ac
E propugnaculis pro thesauris reponendis, & milite seruando, ad prouinciæ totius oppressionem compellebantur. Granaria etiam, ac rerum repositoria extruere voluit rex sibi in vrbibus ad suam libidinem, non ad prouinciæ & regni solatium vel tutelam. Abundant autem apud Septuaginta post dictiones Phitom & Rameſſes, verba multa quæ non sunt in Hebræo, videlicet καὶ ὦμ, ἥ ἐστιν ἡλιούπολις, & On, quæ est Heliopolis. Et hoc sæpe reperies apud Septuaginta, quod ex vno loco facilè in alterum sententię trãsponuntur, vbi aliqua arriserit similitudo. Itaque quod erat superius positum in Genesi capite quadragesimo primo de vrbe Heliopoleos, & hic transpositum est. Verùm Pharao impia sua tyrannide adiuuabat potius contra suam ipsius voluntatem, quàm impediebat multiplicationem seminis Abrahæ, nam sequitur. *Quantóque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.* Et continuò. *Oderántque filios Israel Aegyptij, & affligebant, illudentes eis & inuidentes, atque ad amaritudinem perducebant uitam eorum operibus duris luti & lateris omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* PHILO IVDAEVS. Alij siquidẽ lateres ex humo formabãt, alij vndiq; paleas afferebant, eo quod eæ aptę ad solidandos lateres sint.
F AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Consumi præcepit rex impius Hebræos luto, latere, paleis denegatis, vt tandem afflicti si bellum contingeret Aegyptiis, non valerent resistere ciuitati. Leuantur ergo machinæ vsque ad cœlum, turres eminent, & aptissimè construunt fabricam, non quod deessent ędificia ciuitati, sed populum perire quærebat, qui diuino fauore pollebat. Augetur populus dum opprimitur, & dum putat minui, quotidie crescit. Plus insequitur, quasi posset vincere, quos diuina maiestas prędixerat esse victores. RVPERTVS. Notandum verò valde est, quid de hoc Psalmista senserit. Nam cùm dixisset, Et auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius, ita subiunxit, Conuertit cor *Psal.104.* eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Quid enim? Nunquid hoc dicendo, odientes Aegyptios iustificat, aut odium eorum excusat? Non vtique. Sed nimium peccatores fuisse indicat, quos tales deus inueniret, vt ex conspectis beneficiis suis cor eorum in odium seruorum suorum conuerteret. Non enim sic intelligendum est, quòd cor eorum de bono conuerterit in malum, quòd de corde bono cor

 fecerit

fecerit malũ,sed sic, conuertit cor eorũ in odiũ,quemadmodũ sol molle lutũ cõuertit in durũ.Sed de hoc alias, G
vbi deus loquitur,ego indurabo cor Pharaonis & seruorũ eius.Hic illud dixisse sufficiat, quòd lutosam illorũ
gratiã,in qua dudũ Israël exceperant propter Ioseph,feliciũ aduenarũ ita splẽdor vsit,vt in odij duritiẽ cõuerteret,& vnã & meritam illis pœnã deus retribueret,vt quia non solũ non cõpatiendo,verùm etiã illudendo,affligebant eos,idcirco quemadmodũ illa luti & lateris opera prius mollia, deinde coquẽte igni fiebant dura, sic eorũ corda paulatim æterna indurarentur impœnitentia. CAIETANVS. Quod dicitur,& affligebant illudẽtes eis & inuidentes,iuxta Hebreũ habetur, Et fecerũt seruire Aegyptij filios Israël in fractione. Et est sensus, quòd fecerunt eos seruire vsque ad confractionem virium. Ita quòd duo præmittit, & quòd exosos haberent tanquam abominabiles filios Israel (quod antiquus Interpres appellauit odium)& quòd supra vires grauabant eos. Quod autem sequitur, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omníque famulatu,quo in terræ operibus premebãtur.Appellatione terræ intellige agrum siue campum, quoniam sic sonat textus Hebraicus. Manifestat enim quòd nõ solùm in his quæ ad ædificiũ spectabant, sed etiam H
in iis quæ ad campũ spectabant, cogebantur seruire. AVCTOR CATENAE. Pulchrè Interpres hic expressit,Oderántque filios Israël Aegyptij,quod in Hebręo habetur: וַיָּקֻצוּ מִפְּנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל vaiacúzu mipene bene Israël,Et nauseam habuerunt à facie filiorum Israël.Ex odio enim magno ad nauseam alicuius deuenitur.Alij verterũt, Vt nauseam cõciperent à filiis Israël.Alij,& tędio afficiebantur, seu & angustias patiebantur propter filios Israël. Nonnulli,Ita vt molestia afficerentur,vel tędebat eos vitę propter filios Israël, visa scilicet prosperitate Israëlitarum.Nec desunt qui edisserant, & stomachabantur in filios Israël. Chaldaica verò,Et tribulatio erat Aegyptiis propter filios Israël. Septuaginta, καὶ ἐβδελύσσοντο οἱ αἰγύπτιοι ἀπὸ προσώπου υἱῶν ἰσραήλ, Et abominationem habuerunt Aegyptij à filiis Israël.Quæ omnia eundem sensum habent. Quod verò apud nos sequitur, Et affligebãt,illudentes eis & inuidẽtes,ita est in Hebręo, וַיַּעֲבִדוּ מִצְרַיִם אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל בְּפָרֶךְ vaiahabídu mizráim eth bene Israël bephárech. Et fecerũt seruire Aegyptij filios Israël cum tyrannide,siue in duritia,vel per violentiam,vel durè.Sic & Chaldaica.Alij,in seruitutem itaque redegerunt Aegyptij filios Israël,idque cum sæuitia, I
• dixerunt. Nam dictio פָּרֶךְ duritiam, sęuitiam & rigorem significat. Estq; sensus, quod Aegyptij compulerunt Israëlitas eis seruire durissimè,citra vllam clementiam & misericordiam.Septuaginta etiam, καὶ κατεδυνάστευον οἱ αἰγύπτιοι τοὺς υἱοὺς ἰσραὴλ βίᾳ,Et oppressérunt Aegyptij filios Israël vi.Denique quod Latinus interpres ponit, Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur, non deuiat ab Hebraico, quod est huiusmodi, וַיְמָרְרוּ אֶת חַיֵּיהֶם בַּעֲבֹדָה קָשָׁה בְּחֹמֶר וּבִלְבֵנִים וּבְכָל עֲבֹדָה בַּשָּׂדֶה אֵת כָּל עֲבֹדָתָם אֲשֶׁר עָבְדוּ בָהֶם בְּפָרֶךְ Vaimararu eth chaiehem banaboda casa bechómer vbilbenim vbcol haboda basade,eth col habodatham aser hábdu bahem bephárech. Vnde amara facta est illis vita eorum, in seruitute illa dura, in cemento & in lateribus, atque in omni ministerio rurali:nam omnis seruitus illorum quam illis seruiebant,erat tyrannica.Alij,Hinc facta est illis vita amara,in seruitute illa graui ac dura,nempe luto & lateribus,omníque seruitio ruris.In summa,omnis seruitus qua illos premebant,sęuissima erat.Alij,Et amaritudine affecerunt vitam illorum seruitute inclementi, in luto(subintellige parando)lateribúsque,& in omni opere rustico,fuítque omnis eorum seruitus qua seruierunt ipsis,dura, vel citra misericordiam,& inhumana.Demum alij,& amaritudinibus affecerũt vitam eorum opere duro, in luto,& in lateribus, & in omni opere in agro,cum omni opere eorum,quibus operati sunt durè,vel quo seruiebant cum violentia, verterũt. Chaldaica legit,Et ad amaritudinẽ perduxerunt vitam eorũ in seruitute dura, in luto & in lateribus, & in omni seruitute in agro, in omnibus operibus suis, quibus eos grauiter seruire fecerunt. Septuaginta etiã, καὶ κατωδύων αὐτῶν τὴν ζωὴν ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς σκληροῖς,ἐν τῷ πηλῷ καὶ ἐν πάσῃ τοῖς ἔργοις τοῖς ἐν τοῖς πεδίοις κατὰ πάντα τὰ ἔργα, ὧν κατεδουλοῦντο αὐτούς. Et afflixerunt eorum vitam in operibus duris, in luto & lateritio, & omnibus operibus quæ in agris,secundum omnia opera, quibus in seruitutem redegerunt eos.Quorum omniũ vna eadẽmque sententia est.Nempe quòd afferre ex agris cogebantur paleas,lapides & cementum,aquam & reliqua ad ędificia comportare. Iudęi dicunt etiam stercora ex vrbibus coactos exportare ac fęces. Dicat igitur sanctus Propheta,Quo magis affligebat Hebræos Pharao,hoc magis diuina clementia crescebant, dilatabãtur L
& erumpebant.Bonis nãque persequutiones etiam maximæ cooperantur in bonum,impij autem homines etiã beneficiis suis insidiantur,mala rependunt,crudelia machinantur, quæ tamen à domino moderantur, & prosperantur electis. Aegyptij abominantur & detestantur Israëlitas, pro fastu & superbia odiunt & conculcant. Ad grauissima autem quæq; opera, improba sęuitia sua, & violenter protrudebãt,non equidem in vniuersum perdendo,sed atterendo vires,premebant corpora laboribus,& substantiam tributo exhauriebant.Sic enim tyrannorum semper crescit improbitas ex licentia in subiectos,vt quod iure possunt violenta sæuitia prosequãtur.Ita autem adimebant Aegyptij Israëlitis omnem vitæ iucunditatem, ac perpetua vexatione obruebant, vt maluerint mori,quàm tam miserrimè viuere.

*Mysticè. Vbi supra ser.84. 1.Cor.10.*

AVGVSTINVS. Hęc fratres secundũ quod dicit Apostolus in figura contingebant populo Iudæorum, scripta sunt autem propter nos. Quod in illis carnaliter figurabatur,in nobis spiritualiter adimpletur. Et nos ergo si diligẽter attẽdimus,intus in nobis in homine interiori hęc fieri frequẽter agnoscimus.Anima enim no- M
stra aut à legitimo rege regitur,aut à tyranno vastatur. Si enim deo adiuuante piè viuimus,si de charitate,de misericordia,& de patientia atque pœnitentia, cętęrísque his similibus cogitamus,licet adhuc in Aegypto, id est,in carne simus, tamen à Christo rege gubernamur, & ipse regit nos in luto & latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis, vel nimiis sollicitudinibus atterit & affligit.Si verò anima nostra cœperit declinare à deo,& ea quæ sunt turpia & inhonesta sectari, tunc prudentia carnis quæ inimica est deo,repudiato rege Christo,subdit infelicia colla tyrãno. Quod cum fuerit factum,alloquitur gentẽ suam,id est,corporis voluptates,& vitiorum ducibus ad consilium cõuocatis, initur deliberatio aduersus filios Israël,id est,aduersus cogitationes sanctas,& acceptabiles deo, quomodo circunueniantur,quomodo opprimantur, vt luto & lateribus affligantur. Non nobis hæc ad historiam tantum scripta sunt,nec putandum est diuinos libros, Aegyptiorum gesta narrare



A rare,sed quæ scripta sunt,sicut Apostolus ait, ad nostram doctrinam & commonitionem scripta sunt,vt tu qui *Rom.15.*
hæc audis,& gratiam baptismi iam consequutus es, & annumeratus es inter filios Israël, & suscepisti in regem Christum,si post hoc declinare volueris,& pro cupiditate opera seculi agere,actus terrę & luti, id est,luxuriosa explere ministeria,agnoscas & intelligas,quia surrexit in te rex alius qui nescit Ioseph.Rex Aegypti ipse diabolus,te cogit ad opera sua,non iustitiæ,sed iniquitati seruire.Ipse facit laterem sibi operari & lutum. Ipse te sub præpositis,magistris,& compulsoribus ad opera terrena & luxuriosa plagis & verberibus agit.Ipse est qui te facit discurrere per seculum,maris ac terrę elementis pro cupiditate turbari.Ipse est rex Aegypti,qui te forũ pulsare litibus facit,& pro exiguo terræ cespite propinquos iurgiis fatigare. Ipse est qui te persuadet luxuria castitati insidiari,decipere innocentiam,in domum tuam quę sunt fœda,foris quę sunt crudelia,intra cõscientiam quę sunt flagitiosa committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Aegypti militare,id est, non Christi,sed diaboli spiritu agi. ORIGENES. Propterea ergo Pharao statuit magistros operum qui nos artes
B suas doceant,qui nos artifices malitię faciant,qui nobis magisterium malorum prębeant. Qui nos Phitom & Ramesses ciuitates ędificare compellãt,quarum altera os defectionis,vel os abyssi: altera,commotio tineę interpretatur. Vides quales sibi ciuitates ędificari pręcepit Pharao:Os(inquit)deficiens, deficit. Nanq; os cũ mẽdacium loquitur,à veritate & probationibus deficit. Ille enim ab initio mendax fuit, & ideo tales sibi ciuitates ędificari vult:vel etiam os abyssi,quia abyssus perditionis & interitus est locus.Et alia eius ciuitas commotio tineę est.Omnes enim qui eum sequuntur, ibi congregant thesauros suos,vbi tinea exterminat,& vbi fures effodiunt & furantur.Et quia multi sunt isti magistri & doctores malitię, quos pręfecit Pharao, & est ingens multitudo huiusce modi compulsorum, qui omnes exigunt, imperant, & extorquent opera terrena,ideo veniens dominus Iesus Christus,fecit alios magistros & doctores,qui pugnantes aduersum illos, & subiicientes omnes eorum principatus,& potestates, & virtutes, defendant à violentiis eorum filios Israël,& doceant nos opera Israëlitica,& rursum doceant nos mente deum videre,& relinquere opera Pharaonis, exire de terra Ae-
C gypti, abiicere Aegyptios & barbaros mores,deponere totum veterem hominem cum actibus suis, & induere nouum qui secundum deum creatus est, renouari semper de die in diem,in imaginem eius qui fecit nos in laudem & gloriam suam. CYRILLVS. Postquam graui atque exitiali domino subiecti sumus, Satanam dico, luto ac laterum coctione contriti sumus, hoc est, noxiis circa terram studiis non sine sudore impensis. Neque enim à laboribus liber est,qui huiusce vitę studiis, vanis licet atque inutilibus, distractus est. Operum verò prefectos,eorum videlicet quę sibi maxime placent,Satanã & impuros dęmones cõstituit, qui variis animi affectibus mentem eorum qui terrena sapiunt,aggrauent,verentes (vt opinor) ne otiosi ab operibus, mentis oculum ad deum leuantes,à Satanę iugo collum eximant. Hominis enim natura libertatem maximè amat. Quod verò Satanas cętęrique immundi spiritus in glorię ac diuitiarum loco habeant,distractionem hanc vanam,studiáque ac labores circa ea quę ad carnem pertinent, quodam propemodum ęnigmate vel illud satis indicarit,quod populus Israël lutóque ac lateribus coquendis contritus, Pharaoni vrbes ędificauit. AVGV- *Vbi supra ser.85.*
D STINVS. Certissimum est etiam fratres charissimi, quia quomodo tunc Aegyptij filios Israël multis tribulationibus ad amaritudinem perducebant, luto & lateribus eos affligentes, & in hoc tempore diabolus & angeli eius,fideles Christianos, & bonis operibus deditos,impugnare vel inquietare nõ cessant.Hoc tamen scitote, quia diabolus non persequitur nisi bonos. Malos enim,luxuriosos,cupidos, & superbos,persequi diabolus non consueuit.Amici enim sunt sui, & semper voluntates illius faciunt. Et in tantum eos non persequitur, vt etiam per illos alios persequatur. Malos enim homines diabolus quasi malleos vel flagella habere consueuit. Denique non persequitur bonos,nisi per malos.Habet ergo deus ministros suos, habet & diabolus adiutores suos. Deus enim per homines bonos tanquam per ministros suos, agit omne quod bonum est: diabolus verò per homines malos velut per satellites suos, exercet omne quod malum est. Diabolus per malorum auaritiam vestitos expoliat,Deus per homines bonos vestit nudos.Diabolus per impios & superbos, etiam & eos qui pacem habere videntur,ad scandala vel lites instigat: Deus per pios & humiles, discordes quoque pacificat.Et
E quoniam longum est ire per singula,vt pro certo cognoscat & intelligat charitas vestra, quia sicut omne quod bonum est,per bonos homines agit deus,ita omne quod est crudele & impium, per malos homines consueuit exercere diabolus.Denique considerate fratres, & corporalibus etiã oculis videbitis, quomodo populus diaboli persequitur populum Christi,dum adulteri persequuntur castos, infectantur sobriòs ebriosi, humilibus insidiantur superbi,benignos inuidi,largos cupidi,& eos qui mansuetudinem vel patientiam retinent, affligere non desinunt iracundi. Et ideo consideret vnusquisque conscientiam suam, & si se videt & in cogitatione & in opere semper quod bonum est diligere,& quod honestum est ingiter exercere, ministrum se dei esse cognoscat & gaudeat. Qui verò seipsum interrogans, viderit quod malum est non solum cogitare, sed etiam dicere vel exercere,adiutorem diaboli se esse intelligat simul & dicat, & dum adhuc peccatrix anima in corpore suo tenetur inclusa,cum dei adiutorio de potestate diaboli se conetur eruere. RVPERTVS. Sed & nos de illo Pharaone & illis Aegyptiis,aliquid dicamus,de quibus nos Christi gratia liberauit. Cuius sapientis & sapien-
F ter opprimentis,quàm grauia sint onera quibus humanum genus afflixit,iandudum persentiscere cœpimus, ex quo vocem audiuimus in euangelio suo sic dicentis liberatoris, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati *Matth.11.*
estis,& ego reficiam vos.Tollite iugum meum super vos,quia mitis sum & humilis corde,& inuenietis requiẽ animabus vestris.Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Nam antequam hoc dixisset, nos laborem nostrum nesciebamus,imò peccati oneribus delectabamur, sub quibus & animę sensum vitę expirauerant, & corpora nostra instante mortalitate languebãt. Tot autem iuga sunt seruitutis illius,quot vitia:tot onera, quot peccata,quę persequi nimis longum & difficile,imò impossibile est.Hoc tantum dixerim,quia ex quo intrauit Israël in Aegyptum,vsque ad vespertinam immolationem agni,id est, ex quo Adam de paradiso cecidit, vsq; ad passionem Christi filij dei,non cessauit ille exactor,non quieuit tributum, non solutum est iugum dominantium. Nam ex tunc facta est pax, reddita libertas,nec enim vt antè, ita nunc agit quicquam pro imperio,

veruntamen

veruntamen vt latro insidiosus post nos incedit,& inuidus insectatur liberatos vacuas esse gemens vrbes,quas G
ædificauimus illi,Phitom,id est,os abysi,vnde nos Christus eduxit:& Ramesse,id est, tineam, à qua medicus
*Cap.10.* ille capita nostra purgauit. CYPRIANVS DE EXHORTATIONE MARTYRII. Sed & ex hoc lo-
co alia nobis perquā necessaria trāditur admonitio,nēpe timendas nō esse iniurias & pœnas persequutionum:&
ne expauescat quis ad pressuras & persecutiones quas patitur in hoc mundo, quia maior est dominus ad prote-
*1. Ioan.4.* gendum,quàm zabulus ad impugnandum, Ioannes in epistola sua ponit & dicit, Maior est qui in nobis est,
*Psal.117.* quàm qui in isto mundo.Item in psalmo, Non metuam quid faciat mihi homo, dominus mihi auxiliator est.
*& 19.* Et iterum,Isti in equis,nos autem in nomine domini dei nostri magnificabimus.Ipsi obligati sunt & ceciderūt,
nos autem surreximus,& erecti sumus.Et adhuc fortius docens & ostendens spiritus sanctus castra zabuli non
timenda, & si bellum nobis hostis indixerit , in ipso magis bello spem nostram consistere, & congressione illa
*Psal.26.* iustos ad diuinę sedis & salutis æternę præmium peruenire,in psalmo ponit & dicit,Si directa in me fuerint ca- H
stra,non timebit cor meum.Et si exurrexerit super me bellum,in illud ego sperabo.Vnam petij à domino,hanc
requiram,vt inhabitem in domo domini per omnes dies vitæ meę . Item in Exodo declarat scriptura diuina,
pressuris multiplicari nos potius & augeri,dicens, Quantóque eos deprimebant, tantò plures fiebant, & inua-
*Apoc.2.* lescebant magis.Et in Apocalypsi protectio diuina promittitur in passionibus nostris. Nihil(inquit)horum ti-
meas,quę passurus es.Nec alius securitatem nobis pollicetur & protectionem, quàm qui & per Esaiam prophe-
*Esa.43.* tam loquitur , dicens , Noli timere, quia ego te redemi , & vocaui te in nomine tuo , meus es tu . Et si per-
transieris per aquam,tecum sum,& flumina te non inundabunt.Et si pertransieris per ignem, ignis non com-
*Matth.10.* buret te,quoniā ego dominus deus tuus sum,qui te saluū facio.Qui & in euangelio promittit auxiliū diuinum
dei seruis in persecutionibus non defuturum, dicens, Cum autem vos tradiderint , nolite cogitare quomodo
*Marc.13.* aut quid loquamini,dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini:nō enim vos estis qui loquimini,sed spiri I
*Luc.21.* tus patris vestri qui loquitur in vobis.Et iterum,Ponite in cordibus vestris nō præmeditari excusare: ego enim
*Exod.4.* dabo vobis os & sapientiam,cui non poterunt resistere aduersarij vestri. Sic & in Exodo ad Moysem contan-
tem,& ad populum trepidantem deus loquitur,dicens,Quis dedit os homini?& quis fecit mutum?& quis sur-
dum?& quis videntem & cęcum?nónne ego dominus deus?Et nunc perge,& ego aperiam os tuum,& instruam
te quid loquaris. Nec difficile est deo aperire os hominis deuoti sibi, & confessori suo inspirare constantiam &
*Num.22.* fiduciam loquēdi,qui in Numeris aduersus Balaam prophetam etiam asinam fecit loqui . Quare in persecutio-
nibus nemo cogitet quòd periculum diabolus importet, sed consideret quòd auxilium deus prestet , nec men-
tem labefaciat humana infestatio,sed corroboret fidem diuina protectio , quando vnusquisque secundum do-
minica promissa & fidei suę merita,tantum accipiat de dei ope, quātum se credit accipere , nec sit quod omni-
potens prestare non possit,nisi accipientis fides caduca defecerit.

4. Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebræorum,quarum una uocabatur Sephora,altera Phua,præci- K
piens eis,Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit , si masculus fuerit , interficite
illum:si fœmina,reseruate. Timuerunt autem obstetrices deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis
Aegypti,sed conseruabant mares.Quibus accersitis ad se,rex ait,Quidnam est hoc quod facere uoluistis,ut pue-
ros seruaretis?Quæ responderunt, Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres : ipsæ enim obstetricandi habent
scientiam,& priusquam ueniamus ad eas,pariunt.Bene ergo fecit deus obstetricibus, & creuit populus , confor-
tatúsque est nimis:& quia timuerunt obstetrices deum,ædificauit eis domos.

4. ORIGENES. Multa quidem aduersum gentem dei molitur rex iste , qui non nouit Ioseph, & artes no-
*Homil.2.* cendi nouas semper inquirit . Verùm nunc calliditas eius supereminet modum , cùm obstetricum ministerio
sobolem gentis conatur extinguere, quarum arte solet vita seruari , Quid enim dixit? *Dixit autem* (inquit) *rex*
*Aegypti obstetricibus Hebræorum,quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis, Quando obstetricabitis Hebræas , & partus* L
*tempus aduenerit, si masculus fuerit , interficite illum: si fœmina , reseruate.* AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE
*Ser.89.* TEMPORE. O prodiga furoris audacia.Necdum natis pœna mandatur, & ante principium vitæ periculum
concitatur. Cohibe nefarie homo insaniam tuam, quos necdum vides insequeris ? Quid scelestius? nondum
natos occidis?seruet ordinem feritas tua,nascantur antè quos punias. HVGO DE SANCTO VICTO-
RE. Quidam dicunt istas duas fuisse Hebræas,vnde maluerunt infantes seruare,Alij potiùs Aegyptias.Vnde
commendabilior fuit earum pietas . Sed quæritur quomodo duæ tātùm obstetrices potuerint sufficere toti re-
gno? Ad quod respondetur has duas esse prælatas , & multas sub se habere subiectas obstetrices. CAIETA-
NVS. Meo iudicio nō est perspicuum an duæ istæ obstetrices vice omnium obstetricum vocatæ fuerint tan-
quàm præcipuæ,ac à quibus aliæ pendebant,an solæ istę fuerint nominatæ ad extinguendos filios Hebręorum
nobilium & artificum,qui non affligebantur in propriis personis ad huiusmodi vilia seruitia. Hoc enim secun
dum magis quadrat communi consuetudini , non enim solita est inter obstetrices præsidentia , vt aliç quibus- M
dam sint subditę: sed quadrat vt quemadmodum viliores Hebręorum afflixit rex operibus vilibus , ita aduer-
sus nobiles & vrbanos Hebręos,excogitauerit extinctionem per istas obstetrices. AVCTOR CATENAE.
Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebręorum, & cętera. Parum est quod loco eius quod apud nos est,
Prępiens eis,in Hebręo habetur וַיֹּאמֶר Vaiómer,Et dixit,siue dixit inquā. Vitauit enim interpres verbi repeti-
tionem,& vim eius magis expresit. Quod verò dicitur,& partus tempus aduenerit , si masculus fuerit , in He-
bręo est , וּרְאִיתֶן עַל הָאָבְנַיִם אִם בֵּן Vrithen hal haabnáim im ben,& videritis in ipsis sellis quod sit filius.Capitur
enim dictio abnáim, pro sede magna super qua mulier parturit,vt sit à radice ben,cū littera aleph heemāthica,
vel à בָּנָה quod est ędificare , & pueros gignere,prępositione aleph.Familiare enim est Hebręis filiorum procrea-
tionē nominare ędificationem. Alij sedem esse dicūt in qua recipitur fœtus,dum cadit ex vtero matris.Nec de-
sunt qui dicāt vocem hanc significare vuluam, & per vuluam significari fœtum, quasi dicat, cùm videritis fœ-
tum qui



A tū qui egredietur ex vtero matris.Aliqui locū ita vertūt,Et videritis super sellas,si filius est. Aliqui,Et videbitis iuxta parturiētiū sedes,si masculus fuerit.Demū alij,Videritisq; eas in partu,filiū parturire.Chaldaica habet,Vi debitis in partu si filius fuerit . Septuaginta, ὐὴ ὦσι πρὸς δ τίκτῃ μ,ἐὰμ ᾖ ἄρσεν ἢ.Et fuerit ad pariendū,siquidē masculus fuerit.Quæ omnia sensum Latini interpretis nō immutāt.Deniq; quod is ait,Si fœmina,reseruate,idē est quod Hebraicè legitur: הִוא וְחָיָה Hi vachaía,illa viuet,vel tum viuet.Chaldaica,Reseruabitis eā . Septuaginta, περιποιήσασθε ἀυτὸ, Reseruate illā;refert enim הִלָּה præcedēs. Quia igitur consiliū regis de opprimēdis Israēlitis
• per exactores operū parū proceserat , Quantò enim plus opprimebantur Israēlitæ,tanto magis multiplicabantur,rex alia aggreditur via.Ac vocatis duabus obstetricibus mandat crudeliter,vt tempore partus in ipsis sellulis super quibus mulieres pariunt, masculos Hebræorum clam interficiant, ac fingant ipsos ita mortuos natos,fœminas autem de quibus defectionem minimè dubitabat, & quibus ad libidinem, seruitium vel artifi-
B cium vti volebat, reseruent. Duarum autem tantùm obstetricum meminit,cùm permultæ aliæ essent,quia secundum aliquos hæ præfectæ omnibus regni obstetricibus erant, & locum principem obtinebant inter alias, quas Aegyptias potius quàm Hebræas extitisse verisimilius est . Impudentissima autem & maximè execranda tyranni crudelitas intelligitur,quòd fœminarum quoque officio tunc obesse conatur, cùm maximè illis necessaria est fides & commiseratio. *Timuerunt autem obstetrices deum,& non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabant mares.Quibus accersitis ad se,rex ait,Quidnam est hoc quod facere voluistis,vt pueros seruaretis? Quæ responderunt, Non sunt Hebræę sicut Aegyptiæ mulieres:ipsæ enim obstetricandi habent scientiam,& priusquàm veniamus ad eas,pariunt.* AVGVSTINVS. *Vbi supra.*
Præstiterunt contra regis imperium partum ministræ, noluerunt exercere ad perniciem quod didicerant ad salutem, facilius Hebræas mulieres quàm Agyptias parere dicentes:nec illis obstetricum ministeria sunt necessaria,quibus deus prouenit ad animas liberandas.O magnum humanitatis ingenium, & pium pro salute mendacium.Tantum timuerunt obstetrices deum,vt præcepta regis contemnerent,& mulierum sacraria conserua-
C rent. CAIETANVS. Vbi Latinus interpres ait, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam,iuxta Hebræum habetur,Quia viuaces ipsæ,& priusquam veniamus ad eas, pariunt. Nihil dicitur de scientia, sed de robore, quod sunt adeo viuidæ, vt prius pariant, quàm obstetrix adueniat. AVCTOR CATENAE. Sed conseruabant mares,subaudi in vita. Sic & in Chaldaica : est enim in Hebræo, וְתַחֲיֶיוּן אֶת הַיְלָדִים Vatechaiéna eth hailadim,Conseruauerúntque filios in vita.Vel viuificauerúntque pueros:seu,pro vt habent Septuaginta,mares, id est, seruauerunt mares natos,dederunt operam vt incolumes mares æditi in lucem, seruarentur. Et Hebraismus est. Alij, seruarúntque filios viuos, verterunt. Sed omnium idem est sensus. Quod verò sequitur,ipsæ enim obstetricandi habent scientiam,Hebraicè legitur כִּי חָיוֹת הֵנָּה Chi chaioth hénna,Quoniam viuaces illæ, vel sunt enim viuaces, vel vegetæ. Vel secundum alios,Viuaciores,aut robustiores, Quasi dicat,Id accidit quòd seruati sint mares,quoniam mulieres Hebrææ viuaciores ac fortiores sunt , neque ope nostra indigent, nam priusquàm veniat ad eas obstetrix, pariunt.Chaldaicus autem Interpres quem Latinus sequutus est, ver-
D tit,Quia ipsæ sapientes sunt.Id est nouerunt artē obstetricandi, & obstetrices non expectant. Septuaginta verò neutrum commemorant,neque obstetricandi peritiam,neque robur ac fortitudinem. Habent enim ὐχ ὡς ἂι γυναῖκες ἀ γύπτιαι,ἀι ἔβραῖαι,τίκτουσι γὰρ πρὶν ἢ εἰσελθεῖν πρὸς ἀυτὰς τὰς μαίας,καὶ ἔτικτον , Non sicut mulieres Aegyptiæ Hebręæ,pariunt enim priusquàm ingrediātur ad eas obstetrices, & pepererūt. Sic igitur obstetrices magis metuerunt illum,qui potest & animam & corpus perdere in gehēna,quàm eum qui corpus tantū,non item animam occidere potest.Et plus obedierunt præcepto dei,quàm principis sui cōtraria iubētis, & masculos conseruauerūt.Sic obsequendū diuinis præceptis,etiā si mundus contrà nitatur,cuius gubernator est omnipotens. Videshīc quoq; vt semper aliàs,quomodo dominus infirma mundi eligit, vt confundat fortia. Fœminæ enim istæ virili animo resistunt tyrannidi, cùm tot centena milia virorū dissimulant, domino sic disponente.Sciebat enim iam tunc deo magis obediendū quàm hominibus,& in re tam crudeli nullum habere locum quālibet potestatē.Vocatis igitur ad se obstetricibus rex ait,Quidnā est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis?
E Vitio dat virtutem & timorem dei , sęque contemptum impius rex conqueritur . Quid autem immanius cogitari potuit,quàm infantes occidere,paruulos necare,innocentibus qui nec dum lucem aspexerant , vitam eripere & lucem?Audet tamen hæc sceleratus rex tenebrarum,duntaxat propter tyrannicam libidinem regnandi, tentare & vrgere,quę cùm ipsum quoque aggredi pudet,manum fœminę perficere cogit , & non obedientem audet culpare:vult enim infantes perdere per eas,per quas seruari solent,& publicam tyrānidem occultare crudelitate occulta,vix ęstimanda nequitia,interim tamen cupit bonus palàm videri,qui clam est pessimus. Cùm verò propter hanc causam increparentur à rege, & ad supplicium vocarentur obstetrices, excusant se dicentes, Mulieres Hebręorum superare fortitudine vel scientia pariendi mulieres Aegyptiacas,& ideo parere sine obstetricibus.Hebręorum enim fœminę sicut castiores erant,sic & in partu fortunatiores,domino promouente opus suum in fidelibus.Viuidiores esse dicuntur, quia à maritis suis religiosius amatę , & tractatę castius. Non sunt (inquiunt)Hebręę sicut Aegyptię.Nam vt sunt fortes & viuaces,pręueniunt nos,vt nostra ope non indigeant.
F *Bene ergo fecit deus obstetricibus,& creuit populus, cōfortatúsque est nimis.* CAIETANVS. Quemadmodum de vulgo Hebręo afflicto operibus,dixerat,quod inter afflictiones multiplicabatur, ita de vrbanis Hebręis dicit quòd inter istos conatus regios creuit populus valde. AVCTOR CATENAE. Bene fecit ergo deus obstetricibus, &c. Pietas ad omnia valet,remuneratione expectat,& experitur in presenti & in futuro . Quid ni domino placuisset misericordia fœminarum,quæ plus valet quàm sacrificium,& à sanguine innocentum custodisse manus, & adiuuisse opus dei,ad gloriam ipsius & electorum salutem ? Nullum sinit dominus irremuneratum bonum ex fide opus.Hac via adauctus est dei populus,& numero roboratus & gratia,pluríque valuit fœminarum pietas, quàm obfuerit domino miserante tyranni malignitas. *Et quia timuerunt obstetrices deum,ædificauit illis domos.* AVGV-
STINVS CONTRA MENDACIVM. Quādo nobis de scripturis sanctis mētiendi proponuntur exem- *Cap.15.*
pla,aut mendacia non sunt,sed putantur esse dum non intelliguntur , aut si mendacia sunt,imitanda non sunt quia iusta esse nō possunt.Nam quod scriptum est benefecisse deū obstetricibus,& cum Raab Hiericuntina me-
retrice,

retrice,non ideo factum est,quia mentitę sunt,sed quia in homines dei misericordes fuerunt. Non est itaque in G eis remunerata fallacia,sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdúmque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala, deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere, ita mirandum non est, quòd vno tempore,in vna causa, deus vtrunque conspiciens, id est, factum misericorditer, factúmque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum, malum illud ignouit.Restat itaque vt intelligamus,illis mulieribus vel in Aegypto, vel in Hierico pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem, vtique temporalem, quę quidem & ipsa ęternum aliquod etiam illis ne-
*Cap.17.* scientibus,prophetica significatione figuraret. Sed dicet aliquis,ergó ne obstetrices illæ atque Raab melius fecissent,si nullam misericordiam prestitissent,nolendo mentiri?Immo verò illæ mulieres Hebrææ, si essent tales de qualibus quærimus, vtrum sit eis aliquando mentiendum, ne aliquid falsi dicerent, & fœda ministeria de paruulis occidendis liberrimè recusarent.Sed inquies,ipsæ morerentur. At vide quid sequatur, Morerentur e- H nim futuræ in æterna felicitate,mortem perpessæ pro innocentissima veritate. IDEM IN QVAESTIONI-
*Quæst.1.* BVS SVPER EXODVM. De obstetricum mendacio quo fefellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israëlitas quando nascebantur, dicentes non ita parere mulieres Hebræas sicut pariebant Aegyptiæ, Quæri solet vtrum talia mendacia approbata sunt auctoritate diuina, quandoquidem scriptum est, deum benefeciisse obstetricibus,sed vtrum pro misericordia ignoscebat mendacio, an & ipsum mendacium dignum præmio iudicabat,incertum est.Aliud enim faciebant obstetrices viuificando infantes paruulos, aliud Pharaoni mętiendo.Nam in illis viuificandis opus misericordiæ fuit,mendacio verò illo pro se vtebantur,ne noceret illis Pharao,quod potuit non ad laudem,sed ad veniam pertinere.Neque hîc auctoritatem ad mentiendum esse propo-
*Apoc.14.* sitam mihi videtur eis de quibus dictum est, Et non est inuentum in ore eorum mędacium.Quorundam enim
*Philip.3.* vita longè inferior à professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, prouectu ipso & indole feruntur,præsertim si beneficia nondum norunt expectare cœlestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita I viuunt,vt eorum conuersatio sicut dicit Apostolus,in cœlis sit,non eos existimo linguæ suæ modum,quantum ad veritatem promendam attinet,falsitatémq; vitandam, exemplo illo obstetricum debere formare. IDEM
*Locution.1.* IN LIBRO DE LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Et quia timuerunt obstetrices deum,ædificauit illis domos.Nunquid antea domos non habebant,an ad diuitias hoc verbum pertinet,vel potius ad aliquas rei familiaris idoneas facultates?Simile enim huic videtur quod ait Iacob socero suo volenti eum adhuc apud se tenere, Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum. Dixerat enim quòd creuerant pecora Laban sub illo,sicut & ipse Laban cófessus fuerat,dicens,Benedixit mihi deus in introitu tuo.Cùm ergo dicit, quando faciam & ego mihi domum,subintelligitur, sicut & tu: hoc enim videtur valere quod ait, & ego, vt ad ipsam domum faciendam pertinere videatur,quòd consequenter à Laban merces ipsa statuenda proponitur. GRE-
*Cap.2.& 3.* GORIVS DECIMO OCTAVO MORALIVM. Summoperè cauendum est omne mendacium, quam-
*Sap.1* uis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quisquam vitam præstando mentitur. Sed quia K
*Psal.5.* scriptum est,os quod mentitur occidit animam,Et perdes omnes qui loquuntur mendacium:hoc quoque mendacij genus perfecti viri summoperè fugiunt,vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant,dum præstare vitam carni nituntur alienæ, quanquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari.Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? Nonnulli verò de obstetricum fallacia conantur asserere, hoc mendacij genus non esse peccatum,maximè quòd illis mentientibus scriptum est, quia ædificauit illis dominus domos.In qua magis recompensatione cognoscitur quid mędacij culpa mereatur.Nam benignitatis earum merces quæ eis in æterna potuit vita retribui,pro admissa culpa mendacij, in terrenam est recompensationem declinata, vt in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona reciperent, & vlterius quod expectarent mercedis suæ præmium,non haberent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt,non intentione mercedis.Parcendo quippe conatæ sunt infantiũ vitam tegere,mentiendo suam. L Et licet in testamento veteri nonnulla possint talia reperiri,penè nunquam tamen hoc vel tale genus mendacij à perfectis admissum studiosus ibi lector inueniet, quanuis mendacium quandam tenere veritatis imaginem videatur,& sub veteri forsitan testamento minoris culpæ esse potuit, in quo per taurorum, hircorúmque victimas,sacrificium non fuit ipsa veritas,sed vmbra veritatis. Nam in testamento nouo præceptis altioribus manifestata per carnem veritate proficimus, iustúmque est vt facta quædam quæ in illo populo vmbræ veritatis deseruierant,deseramus.Siquis verò per testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit,dicat necesse esse,rerum alienarum raptum,dicat retributionem iniuriæ(quæ infirmis illic concessa sunt)sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet quanta animaduersione veritas insequitur,quæ nobis iam significationis suæ vmbra postposita,in vera carne declaratur. THEODORETVS. Ae-
dificauit illis domos: vel,secundum aliam literam,Fecerunt sibi domos.Pharaone iubente vt mares perderent ob pietatem legi nefariæ haud quaquam obtemperare voluerunt, quamobrem illas deus remunerans, bono- M rum affluentiam illis elargitus est. GRAECVS. Domos non manu factas appellat,sed quales ait Dauid,Domus Israël benedicite domino. & Esaias, Audite ergo domus Dauid, cognationes ac familias domos vocans. Auxit ergo illis deus cognationes ac genus, atque in celebres familias diffusæ sunt. EVSEBIVS CAESARIENSIS. Domos non manu factas, sed in cœlis sitas, tales enim ædificant hi qui deo placent. Vel aliter, Quia Israëlis genus seruarunt, illarum genus deus multiplicauit.Vel aliter,Fecerunt sibi domos,videlicet extra vrbem,ne ingressæ masculorum cædem patrare cogerentur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Mentitæ sunt quidem obstetrices,sed propter pietatem veniale fuit earum mendacium. Misericordiam exhibuerũt infantibns,sed propter mendacium diminutum est meritum,& cõuersum in temporale præmium, & ita vtrunque quodam modo minuit alterum,& reducit ad mediocritatem,id est, tam culpa mendacij meritum pietatis, quàm pietas damnationem mendacij.Aedificauit illis domos,abundantiam tribuendo vel filios.Aliter,Aedificauit



A ficauit illis, scilicet Hebræis ædificauit Pharao domos,quia eos qui fuerant in Gessen collecti, voluit vt sparsim in Aegypto habitarent quatinus facilius masculi geniti opprimerentur ab Aegyptiis. RVPERTVS. Hic importunè nimis de mendacio disputatur,quòd non iustificari possint obstetrices mentiendo, dicentes, Non sunt Hebręæ mulieres sicut Aegyptiæ:ipsę enim obstetricandi habent scientiã,& priusquàm veniamus ad eas, pariunt.In tempore nanque parientibus aderant,de quibus dictum est, quia cõseruabant mares.Quòd si quis-
*Iosue.2.* quis procul ea obiicit,restat vt Raab meretricem mędacij redarguat,quæ tollens duos exploratores quos Iosue miserat,abscondit, & quærentibus ait, Fateor venerunt ad me,sed ego nesciebam vnde essent:cúmque porta claderetur in tenebris,& illi pariter exierunt,nescio quò abierunt: persequimini citò,& comprehendetis eos. Ergo qui obstetrices pro tot infantibus seruandis mentientes accusant, consequitur vt multo magis pro duobus hominibus liberandis mentientem non iustificent Raab, quam & prophetica simul & euangelica iustificat
B auctoritas.In euangelio nanque,Christi mater assumitur,& parens veritatis,quæ Christus ipse est,quia sic men-
*Matth.1.* tita est Raab,Salmon quippe genuit Booz de Raab. Et Propheta de eadẽ in typum ecclesiæ de gentibus præci-
*Psal.86.* nit,Memor ero Raab & Babylonis.Apostolus autem vsque adeò nullam omnino veritatem charitati præponit, vt optet ipse anathema esse à Christo, qui subauditur veritas, pro charitate,id est, pro fratribus suis, qui sunt cognati eius secundum carnem, qui sunt Israëlitæ. Prædixerat enim quia neque mors, neque vita,neque
*Rom.9.* angeli, neque principatus, neque potestates,neque virtutes,neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo,neque profundum,neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei. Nullas igitur quasi mendacij tenebras ascribamus lucido charitatis operi, vbi sic homicidam impium fefellerunt,vt vitam reseruarent hominum,præsertim cùm deus hoc ipsum laude & remuneratione dignum duxerit, scriptura continuò dicente,Bene igitur fecit deus obstetricibus, & quia timuerunt obstetrices deum, ædificauit illis domos, subauditur,æternas. Aeternum quippe est,quod deus ædificat. THOMAS. Mendacium obstetricum potest
C dupliciter considerari. Vno modo quantũ ad affectum beniuolentiæ in ludæos,& quantũ ad reuerentiam di- *2.2. q. 110. ar.4. in.4. respon.* uini timoris,ex quibus commendatur in eis indoles virtutis,& sic debetur eis remuneratio æterna. Vnde Hieronymus exponit quod deus ædificauit illis domos spirituales. Alio modo considerari potest, quantum ad ipsum exteriorem actum mendacij, quo quidem non potuerunt æternam remunerationem mereri,sed fortè aliquam remunerationem temporalem, cuius merito non repugnabat deformitas illius mendacij, sicut repugnabat merito remunerationis æternæ,sic intelligenda sunt verba Gręgorij,nõ quòd per illud mendaciũ mererentur amittere remunerationem æternam,quam iam ex præcedenti affectu meruerant. CAIETANVS. Et quia timuerunt, & cætera. Hic meritum apud summum iudicem manifestatur, non mendacium officiosum(quod peccatum fuit veniale) sed timor dei iudicis vniuersalis. Præmium autem quantum litera sonat, temporale describitur,nam ædificatio domus, aut materiale ædificium, aut fœcunditatẽ successiuam qua cõstruitur progenies,significare cõsueuit,propriè loquendo.Si tamẽ transferatur ad significandũ cõstructionẽ opulentiæ, vel
D ad constructionem domorum spiritualium pro vita futura,nullus error est. AVCTOR CATENAE. Et quia timuerunt obstetrices deum, ædificauit eis domos. Pro hoc est in Hebræo: וַיַּעַשׂ לָהֶם בָּתִּים Vaiáas Lahem battim,Et fecit eis domos,ita & Chaldaicus Interpres, sed idem est cum sensu Latino. Vario modo locus iste exponitur.Aliqui enim sic edisserunt:Quandoquidem obstetrices deũ timuerũt, & nõ occiderunt pueros, contigit ampliari Israëlitas, & eorum familias multiplicari, vt ex eis processerint regiæ & læuiticæ prosapiæ. Quod ita exponunt, quia hoc loco habetur relatiuum לָהֶם id est, eis, masculinum, & non fœmininum, quasi referat Israëlitas, non autem obstetrices. Alij quoniam hoc relatiuum quandoque & ad fœminas refertur, & ם pro כ accipitur, vbi circunstantia literæ id ipsum manifestè permittit.Proinde & ad Aegyptiacas obstetrices referũt relatiuum masculinum,pro mascula earum fortitudine & dexteritate,pro qua eas & misceri Israëli deus voluerit,& illustrari earum familiam, ac honore præcipuo inter alias numerari.Domus enim vt Germanica,& Italica,ita & Hebraica phrasi significat nobilem familiam,vt secundo Regum septimo, Prædicit tibi dominus
E quod faciat tibi domum. Tertij dicunt quod deus fecit illis domos, id est, familias, hoc est, reddidit illas fœcundas ex viris suis, ac numerosissima donauit prole, & propterea vsus est Moyses relatiuo masculino, quia nomen à viris accipiunt familiæ. Volunt nonnulli Hebraismum esse, cuius superius facta mentio est,hoc est, auxit deus earum rem familiarem, fortunásque ac diuitias multiplicauit.Nec desunt qui dicant posuisse deum in corde Israëlitarum, vt extruerent obstetricibus domos fortes, in quibus tutæ essent à malorum incursu. Septuaginta autem in antiqua editione non vertunt deum eis domos ædificasse,sed eas sibi.Quod & à Theodoro virǫ Græco doctissimo reprehenditur, qui cum editione Aquilæ, Symmachi, ac Theodotionis emendauit codices Septuaginta. Ait enim, clarius interpretati sunt alij interpretes.Nõ enim obstetrices fecerunt sibi domos, sed deus fecit eis domos,non quidem manu factas, sed quales ait Dauid, Domus Israël benedicite dominum. Quare hodie lectura Septuaginta in Complutensi editione,ab Hebraico & à nostra litera non dissidet:Habet enim, ἐποίησεν ἑαυταῖς δόμους, Fecit(nempe deus quem prius dixerat obstetrices timuisse) sibi ipsis
F domos. An autem Aegyptiæ obstetrices verè mentitæ sint coram Pharaone, dicentes, Hebrææ mulieres pariunt, priusquàm venerit ad eas obstetrix,quæritur,& si sunt mentitæ, quomodo deus compenset mendacium beneficiis.Et respõdetur. Potest fortasis ita factum esse, vt obstetrices clàm significauerint mulieribꝰ Hebræis, quid ipsis à rege demandatum sit, ac iusserint eas non prius vocare obstetrices, quàm pepererint. Si ergo hoc factum est, obstetrices non sunt mentitę coram rege,sed id tantùm celauerunt, quod non necessario coram rege confitendum erat.Et hoc est prudentiæ.Quod si verò in partu Hebræarum præsto adfuerunt,& dixerunt coram rege se non præsto adfuisse,tale certè mendaciũ est,quod nec est iustificandum,nec in exemplum mentiendi trahendum,sed sentiendum est,obstetrices mendacio suo verè peccasse,& infirmiores fuisse coram Pharaone,quàm par sit.Perfectæ enim fidei fuisset, ingenuè detrectare impium mãdatum regis,& veritatem confiteri. Sed rex(inquies) occidisset eas. Esto sanè,non occidisset tamen animam, sed tantũ corpus, imò ne corpus quidem occidisset, sed aliquot tantùm annos vitæ corporalis abstulisset,interim verò tam corpus quàm ani-

mam

mam in æternam felicitatem conseruata fuissent. Peccatum autem,ac præsertim mendacium, occidit animã. G Anima occisa & perdita,quid reliquum est,nisi vt vel tandem corpus etiam occidatur & pereat? Cur ergo dicitur deus benefeciſſe obstetricibus? Benefecit non propter mendacium, sed quia obedierunt magis deo quàm regi, in conseruandis masculis. Ac deus peccatum mendacij misericorditer obstetricibus ignouit, quia & ipsæ crediderunt in semen Abrahæ promissum,ex qua etiam fide conseruarunt masculos. Obedientiam autem fidei in conseruandis masculis liberaliter remunerauit.

*Mysticè.* ORIGENES. Si secundum historiæ narrationẽ susciperida essent quæ scripta sunt,videretur hoc quod dicit scriptura: quia nõ fecerunt obstetrices secundũ quod præcepit eis rex Aegypti,stare non posse. Nõ enim inueniũtur obstetrices nõ viuificasse fœminas,quas præcepit rex Aegypti viuificari. Sic enim ait,siquidẽ masculus est,occidite illũ: si fœmina,viuificate. Et si nõ fecerunt obstetrices sicut præceperat rex Aegypti, debuerãt vtique sicut masculos viuificabant cõtra præceptũ regis,ita fœminas occidere,vt & hoc esset cõtra præceptũ regis. Nam fœminas viuificasse,secundũ præceptũ est fecisse Pharaonis. Hęc interim propter eos qui amici sunt literę,& nõ H putant legem spiritalẽ esse,& spiritaliter intelligendã. Sed nos qui omnia quæ scripta sunt,nõ pro narrationibus antiquitatũ,sed pro disciplina & vtilitate nostra didicimus scripta,hæc quæ legũtur,etiã nunc fieri, non solũ in hoc mũdo,qui Aegyptus figuraliter dicitur, sed in vno quoq; nostrũ deprehẽdimus. Requiramus ergo quomodo rex Aegypti,qui est princeps huius mũdi,viuificari mares nõ vult,fœminas vult. Si meministi,sæpe ostendimus disputantes, quod in fœminis caro, & affectus carnis designetur, vir autem rationabilis sensus, & intelle- &tualis sit spiritus. Sensum autem rationabilem, qui potest cœlestia sapere, qui potest intelligere deum, & quæ sursum sunt quærere. Hunc odit Pharao rex & princeps Aegypti, hunc necari cupit & interimi. Cupit autem quęcunque carnis sunt viuere,& quæ ad materiam pertinent corporalem, hæc non solùm viuere,sed & augeri, & excoli cupit. Vult enim vt omnes carnalia sapiant,temporalia desiderent,quæ supra terrã sunt quęrant,nemo eleuet ad cœlum oculos suos,nemo requirat vnde huc venerit,nemo patriam paradisum recordetur. Cùm ergo videris homines in voluptatibus & deliciis vitam ducere,luxu fluitare,epulis,vino,conuiuiis,cubilibus,& im- I pudicitiis operã dare,in istis scias,quod rex Aegypti masculos necat, & viuificat fœminas. Si verò rarũ quemque videas vnum ex mille ad dominum conuerti,oculos sursum erigere,quæ perpetua sunt & æterna quærere, contemplari non ea quæ videntur,sed quæ non videntur,odisse delicias,amare continentiam,luxuriam fugere, excolere virtutes,istum quasi masculum,quasi virum necari cupit Pharao, persequitur,infectatur,mille aduersus eum machinis pugnat. Odit tales,viuere eos in Aegypto non sinit. Inde ergo est,quòd in hoc mũdo serui dei, & omnes qui deum quærunt, despectui habentur & contemptui. Inde contumeliis expositi sunt,inde replentur opprobriis, inde odia in eos & persecutiones agitantur,quia odit eos Pharao, huiusmodi mares odit, qui fœminas amat. Iste etiam obstetrices corrumpere aggreditur, & per ipsas implere quod desiderat, quarum etiam nomina nobis per prouisionem spiritus sancti,qui hæc scribi voluit,indicãtur. Sephora(inquit)vna,quæ interpretatur passer: & Phua,quæ apud nos, vel rubens, vel verecunda dici potest. Per has igitur necari mares, & viuificare solas fœminas quærit. Sed quid dicit scriptura? Et timebant(inquit)obstetrices deum,& non fece- K runt sicut præcepit eis rex Aegypti. Istas obstetrices dixerũt ante nos quidam rationabilis eruditionis formam tenere. Obstetrices enim mediæ quædam sunt,& tam masculos nascentes,quàm fœminas fouent. Eruditio ergo ista communis rationabilis scientiæ,ad omnem propemodum peruenit sensum, omnes instruit, omnes fouet. Siquis in ea virilis animi fuerit, & voluerit cœlestia quærere, & diuina sectari, veluti medicatus & fotus per huiusmodi eruditiones,ad diuinorum intelligentiam paratior veniet. Est enim vna velut passer, quæ celsiora docet, & rationabilibus doctrinæ pennis in altum volare prouocat animos. Alia quæ rubens est,vel verecunda,moralis est,mores componit,verecundiam docet, instituit honestatem. Mihi tamen quoniam dicit de his Scriptura,quia timebant deum,& non fecerunt præcepta regis Aegypti,videtur obstetrices istæ duæ vtriusque testamenti figuram seruare,& Sephora quæ passer interpretatur,Legi quæ spiritualis est, posse cõferri: Phua verò quæ rubens,vel verecunda est,indicare euangelia, quæ Christi sanguine rubent, & per vniuersum mundum passionis eius rutilant cruore. Ab his ergo animæ quæ nascuntur in Ecclesia, velut obstetricibus me- L dicantur,quia ex scripturarum lectione cuncta in ea eruditionis medicina confertur. Tentat tamen Pharao per hæc necare Ecclesiæ masculos, cùm studiosis quibusque in scripturis diuinis hæreticos sensus, & peruersa dogmata suggerit,sed stat immobile fundamentum dei. Timent enim obstetrices deum,id est, timorem dei docẽt,quia initiũ sapiẽtię timor domini. Sic denique cõpetentiùs aptari puto, & illud quod in posterioribus scriptum est,vbi dicit,Quia timebant obstetrices deum,fecerunt sibi domos. Quod dictum nullam consequẽtiam secundum literam habere potest. Quis enim ordo est,vt dicat,quia timebant obstetrices deum, fecerũt sibi domos? quasi propterea domus fiat,quia timetur deus. Hoc si ita accipiatur vt scriptum est, non solùm nihil consequentiæ,sed & inanitatis plurimum habere videbitur. Sin autem videas quomodo Scripturę noui ac veteris testamenti timorem dei docentes, domos Ecclesiæ faciant, & vniuersum orbem terræ orationum domibus repleant, tunc quod scriptum est, rationabiliter scriptum videbitur. Sic ergo istæ obstetrices,quia timent deum, & timorem dei docent,non faciũt præceptum regis Aegypti, sed viuificant masculos suos, nec tamen dicitur M quia paruerint præcepto regis Aegypti,vt viuificarent fœminas. Ego confidenter audeo dicere secundum Scripturæ sensus, obstetrices istæ non viuificant fœminas. Neque enim vitia docentur in Ecclesiis, aut luxuria prædicatur,aut peccata nutriuntur,hoc enim vult Pharao,cùm viuificari fœminas iubet, sed sola virtus excolitur, & ipsa sola nutritur. Verùm hæc ad vnumquemque nostrum referamus. Et tu si times deum, non facis præceptum regis Aegypti. Ille enim tibi præcipit, vt in deliciis viuas, vt diligas præsens seculum, vt præsentia concupiscas. Tu si deum times, & exhibes obstetricis officium animæ tuæ, si ei salutem cõferre cupis, non facis hæc, sed viuificas masculum qui in te est, interiorem tuum hominem medicaris & foues, & ipsi per actus aut intellectus bonos,vitam conquiris æternam. AMBROSIVS DE FVGA SECVLI. Quod autem de *Cap.8.* Hebræis mulieribus habes, quia Hebrææ prius pariunt quàm veniant obstetrices, ideo dicitur, eo quòd animæ





A iustorum non expectent artes & disciplinas propter inuentionum genera, nec requirant adiumenta generandi, sed sponte partus suos fundant, expectationémque præueniant. HIERONYMVS SVPER ESAIAM. *Cap.65.* Domus in quibus habitaturi sunt qui ædificant eas,vel virtutes intelligendæ sunt,vel diuersæ mansiones apud patrem, quas iugiter possidebit, qui eas ædificauerit. Quales sibi ædificasse, & obstetrices dicuntur in Exodo; quæ timebant deum,licet scriptum sit in Hebraico,à deo eis ædificatas domos, quia timuerunt eum. Et Iacob quia simplex erat,siue vt Græcè dicitur ἄπλαστος, id est, nequaquam fictus,nec talis quales in Petri epistola con- *2.Petri 2.* demnãtur, de quibus ait: In auaritia fictis sermonibus de vobis negociãtur. Idcirco habitabat in domo, quam Esau qui feris delectabatur & syluis,possidere non potuit. Talem domum & saluatoris in Euangelio verba de- *Matth.7.* scribunt: Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos & facit eos, similis erit viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram,& reliqua.

B *DRæcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens, Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen pro- 5*
*iicite: quicquid fœminini,reseruate.*

ORIGENES. Vbi vidit Pharao quod per obstetrices non posset necare masculos Israël. *Præcepit omni* 5
*populo suo,dicens,Quicquid masculini sexus natum fuerit,in flumen proiicite:quicquid fœminini, reseruate.* AVGVSTINVS IN *Serm.86.*
SERMONIBVS DE TEMPORE. Incredulus Pharao hîc in alterum se nocendi aditum vertit, vt quod occultè antea tentauerat,in populis palàm faceret,omnem Hebræam masculinam prolem iusit occidi. Quod vbi ad aures matrum rumor aduexit,pulsatum est planctibus cœlum, & cùm ab ipsis vberibus auulsa proles raperetur ad mortem, succedebat dolor vincens parturientis dolorem. Nulla tamen mater infelicior fuerat,nisi quæ fœcundior erat. Optabant omnes steriles esse, quàm fœcundæ parerent. Quid impie insanis? quid crudeli- C ter sæuis? licet plurimis insontium mortes acerbas inferas, & animas miserorum crudeliter cremes, tibi necis augetur, & pœnę non detrahitur meritum. Audistis nefariam, crudelissimámque vocem durissimi Pharaonis, masculos in amnem proiicite, fœminas viuificate? Iubet hostis in flumen paruulos proiici, iubet innocentes crudeli morte necari. Non prohibet nasci,dum natos decernit occidi. Quos enim necdum viuere natura concesserat,eos sentẽtia iã sustinet ad pœnã. O noua & inaudita crudelitas. Antè iudiciũ celebratur, quàm reus ipse dãnetur. Antè sentẽtia profertur,quàm obnoxius sentẽtiæ demonstretur. Vtique reorũ mos est, vt reatus sui sen- tentiã expectare soleant. Nec enim reus potest antè dãnari,quàm eius culpa cœperit manifestari. Hi verò nec rei nati,nec reatus sui sentẽtię merito mancipati. Nascebãtur enim nõ vt vitę salutis perciperent fructũ,sed vt esset quos crudelitas seculo faceret luctũ. Nunc præcipis,quod factũ deberes vlcisci. Nõ natorum pietas, non parentũ dolor te flectit, qui inter infantium mortem parentúmque dolorem, sæuitię tuæ expleri sententiam gaudes. O parentum vota crudelia, lætitia luctibus immutata,ad facinus profuit, quicquid in eorum felicitate proces- D sit. Gaudebat lætissimus hostis inter madentes omnium fletus. Quantæ perierunt dolentium preces, quantæ incassum effusæ sunt lachrymę, quanti gemitus vlulatúsque multorum, cùm parentes manibus natos exponi viderent, qui simile nihilominus mox facturi fuissent? Suos iam casus in aliis alij cernebant, alij continentes filios suos, cùm iam celare non possent, exponebant: alij mox editos exposuerunt, ne quanto retinerent tardius, tantò emitterent crudelius. Quanti pro filiis optauerunt mori, quanti sententiam contemnere voluerunt tyrãni? Satiemus (inquiũt)eum, & nostro mœrore eius sæuitiam repleamus. RVPERTVS. Tria scelera subsequenter commisit Pharao. Primum, quod hoc intendit opprimendo filios Israël, quatinus voluptate generandi emortua, filij non procrearentur. Secundum, quòd obstetricum dolo agere nisus est, vt nati paruuli clam interimerentur. Tertium,cùm aperta sęuiens persecutione, præcepit omni populo suo, vt masculos in flumen proiicerent,fœminas autem viuificarent. AVCTOR CATENAE. Quicquid masculini sexus, &c. Hîc aduerte quòd litera Hebraica est, תַּשְׁלִיכֻהוּ taslichúhu,Exponite,seu abiicite, vel proiicite eum, de flu- E mine autem nulla mentio. Interpres autem Chaldaicam & Septuaginta sequutus, qui & ipsi habent, in flumen proiicite eum, illud addidit. Quòd fortè ita facere eis congruum visum est, ob id quod Moysi contigit. Vide autem vt impius princeps semper in peius proficiat. Non successerat consilium eius per obstetrices in occidẽdis infantibus. Sæuit igitur nunc publicè in masculos Hebręorum, Aegyptiúsque liberam potestatem concedit proiiciendi eos, & submergendi in aquis. Quid hac sæuitia crudelius dici potest? Hîc vidisses miserrimam conditionem Israëlitarum. Quid ergo Pharao hac crudelitate conficit? num extirpat genus Hebræorum radicitùs? Minimè omnium, non enim est consilium aduersus dominum. Voluit dominus Hebræos multiplicari. Et hanc voluntatem declarauit multis promissionibus. Multiplicabo (inquit) semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Pharao autem voluit Hebræos deleri. Et hanc voluntatem declarat tot impiis mandatis. Vter ergo inter hos præualuit? certè domini voluntas ita promouit, vt Pharao longè aliud agens adiuuerit potius voluntatem dei tyrannide sua,quàm impedierit. Creuit enim(inquit Scriptura) populus, F & confortatus est nimis. Sic igitur per gradus aucta sæuitia,signum fuit instantis salutis,non enim permittit dominus suos diuexari supra quàm ferre possunt. Perspiciens impiissimus tyrannus non se clam posse satis malorum inferre piis, hypocrisim abiicit, & manifestè se quàm crudelis sit, explicat. Edictúmque nefandum,quod obstetricibus solis iniunxerat, procedere non videns, pro duabus fœminis, totum suum impiissimum substituit populum, impio regi consentaneum in crimine, vt complex tandem fiat in perditione. Claret enim populi odium & crudelitas, qui obsequi tam feralibus iussis non dubitat, nec refragatur. Sed vrgebat pariter omnes iudicium dei, vt Sodomorum more consciscerent sibi perniciem vniuersalem. Filios abiicere iubentur, & filias seruare ad libidinem impiissimorum. Ad cacumen igitur iam peruenerat atrocitas humana,ideo statim opportunè adest pietas diuina.

PROSPER DE PROMISSIONIBVS ET PRAEDICTIONIBVS DEI. Quod creuit plebs *Mysticè.*
Israël, & multiplicata est in Aegypto, factum est mysticè per fidem seminis Abrahæ, vt in Christo multiplice-

*Par.1. cap.32.* tur,ſicut promiſſum eſt,tanquam arena maris.Licet Pharao diabolus ſæuiens pœnas exquirat,quibus interficiat G innocentes necandos in fluuio, quòd multiplicari videt, minuendos arbitrans, ne populus augeatur. Augetur tamen dei iuſſu moriendo populus,fruſtata potentia ſæuientis,quod etiam noſtris prouenit martyribus,& maximè paruulis,qui pro Chriſto ab Herode occiſi, pretioſa grana dum ſata ſunt, fidei ſeges multa ſurrexit Eccleſiæ. ORIGENES. Præcepit Pharao omni populo ſuo,dicés:Omne maſculinum quodcunque natum fuerit Hebræis,in flumen proiicite,& omne fœmininum viuificate.Videte quid princeps huius mũdi præcipit ſuis, vt infantes noſtros rapiant,& in flumen proiiciant, primæ ſtatim natiuitati noſtrorum inſidiantes continuò,vt cùm vbera Eccleſię prima contigerint,irruant,diripiant,perſequantur,vndis & fluctibus huius ſeculi abſorbeãt. Videte quid audiatis,ſapientia dei per Salomonem dicit,Intelligibiliter intellige quæ apponuntur tibi.Videſta tim vt natus, immo vt renatus fueris,quid tibi imminet.Hoc illud eſt quod in Euangelio legis, quia Ieſus ſtatim vt aſcendit de baptiſmo,ductus eſt à ſpiritu in deſertum, vt tentaretur à diabolo . Hoc ergo eſt quod & in H hoc loco Pharao præcepit populo ſuo, Hebræos infantes ſtatim vt nati fuerint, inuadant, diripiant, aquis ſubmergant.Hoc fortaſsis eſt quod & per Prophetam dicitur,Quia intrauerũt aquæ vſque ad animam meam. Defixus ſum in limo profundi,& non eſt ſubſtantia. Sed propterea Chriſtus ſuperauit & vicit, vt tibi vincẽdi iter aperiret . Propterea ieiunans vicit, vt & tu ſcias huiuſmodi genus dæmoniorum ieiuniis & orationibus ſuperandum. Propterea & oblata ſibi omnia regna mundi, & gloriam eorum contemnit, vt & tu contemnens gloriam mundi, poſsis ſuperare tentantem. Aegyptij ergo quibus Pharao dedit præcepta, fœminas tantùm viuificant, oderunt maſculos. Oderunt nanque virtutes, vitia tantùm & voluptates nutriunt. HIERONY-

*Cap.2.* MVS IN ECCLESIASTEN. Vbicunque ergo in Scripturis fœmina legitur & ſexus fragilior, ad materiæ intelligentiam transferamus. Vnde & Pharao non vult maſculos viuificari, ſed tantùm fœminas quæ ma-

*Num.25.* teriæ ſunt vicinæ . Et econtrario nullus ſanctorum niſi perrarò fœminas genuiſſe narratur.Solúſque Salphaath

*Gen.30.* qui in peccatis mortuus eſt, omnes filias genuit. Iacob inter duodecim Patriarchas, vnius filiæ pater eſt,& ob I ipſam periclitatur. GRAECVS. Quicquid maſculini ſexus,&c. Hoc præcipitur, quia humani generis ty-

*Cap.3.* ranno fœmininus ſexus, hoc eſt,mens humanis atque inanibus affectionibus prædita, amica eſt: virtutis verò conſtantia aĕ tenor,non item. HIERONYMVS IN NAHVM PROPHETAM. Quis non dicat ſpecioſam Niniuem,animam naturà pulchram, luxuria & voluptatibus huius ſeculi delinitam, in muliebres delicias peruenisſe, & virilitate perdita elanguiſſe in fœminam ? Si enim iuſti anima in perfectum virum veniens, & conditionis ſuæ ſeruans rigorem, adhærénſque deo, vnus cum eo efficitur ſpiritus: cur non econtrario anima quæ amat mundum vnum cum mundo fiat, & in mollitiem redacta fœmineam, virilem perdiderit rigorem ? Ego puto ob hanc cauſam in Exodo præcipere Pharaonem, vt omne maſculinum quod natum eſt Hebræis, mittatur in fluuium, & omne fœmineum viuificetur . Neque enim poterat rex Aegyptius qui dicit alibi,

*Exech.29.* Mea ſunt flumina, & ego feci ea, quicquam aliud niſi hoc iubere, vt quodcunque eſt Hebræorum,& eorum qui per ſeculum iſtud tranſeunt, forte & virile mittatur in aquas, & per fluenta earum deferatur in mare.Et econ- K trario quicquid fœmineum & molle formoſum videretur in ſeculo, hoc viuificetur, adoleſcat & generet . Simúlque conſidera quod Aegyptius Imperator viros Hebræorum non poſsit occidere, nec eos qui iam egreſsi ſunt de infantia, ſed quorum ætas adhuc tenera eſt, & molle corpus , & profectus incipiens , ſcit non poſſe nutriri fœminas,niſi interfecti fuerint maſculi.Vult itaque in Hebræis quicquid forte eſt & virile, hoc gurgite ſui fluminis ſuffocare, vt quæ fœminea ſunt,liberius ſola ſuccreſcant. CYRILLVS. Ante etiam domini ſaluatoris aduentum, mas ille animus ac virilis, in mundo non erat , ſed in mundanis voluptatibus velut in cœno volutabatur . At poſtquam Emanuel nobiſcum eſſe, atque inter eos qui bello Satanæ infeſtabantur, enumerari voluit, reuera maſculus (neque enim ad peccandum vnquam emolliri potuit) ab initio huiuſce ſeculi principem latuit.

## IN CAPVT SECVNDVM EXODI ARGVMENTVM. L

*Auctoris Catenæ.* *Moyſes aquis expoſitus & inde extractus, in aula regia à matre ſua enutritus, propter homicidium in Madiã fugit, vbi duxit vxorem. Torquentur interim Iſraelitæ,& anxiè ad deum clamant.*

*Lectio prima.* EGreſſus eſt poſt hæc uir de domo Leui. Et accepit uxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit & peperit filium, & uidens eum elegantem, abſcondit tribus menſibus . Cúmque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, poſuítque intus infantulũ , & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis, ſtante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei.

*Lectio 1.* *Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui.Et accepit vxorem ſtirpis ſuæ.* INTERLINEARIS. Quia M patruelis, id eſt,amita ipſius. RVPERTVS. Notandum,quòd vbi obſtetrices deum timentes in ſancta ſcriptura nominatas eſſe iure voluit, pro eo quòd charitatem vtilem præpoſuere vero inutili, dixit enim,quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua,illic patrem & matrem Moyſes nominibus ſuis non expreſsit, ita dixiſſe contentus: Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui, accepta vxore ſtirpis ſuæ. Veruntamen alibi non quidem amota hac humilitate, ſed obſeruata lege hiſtoriæ, & nomen patris Amram, & matris nomen ponit Iochabeth, quæ peperit ei, inquit Aaron, Moyſen, & Mariam. Ex hoc autem principio di-

*Exod.6.* cendum, quia non factum eſt de omnibus impium regis imperium, dicentis: quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite: quicquid fœminei, reſeruate. Alioquin quomodo alius ante hunc elegantem infantulum,ſcilicet Aaron euaſit,triennio natus antè eum ? Nempe cùm dictum ſit quia poſt hæc, ſubauditur impia regis edicta, vir ille de domo Leui egreſſus eſt, & accepit vxorem, ſine dubio & Aaron poſt hæc, eadem natus fuit



A fuit. Siquidem vna eadémque vxor illi(vt dictũ eſt)peperit Aaron, Moyſen,& Mariam. Quòd autem triennio ſenior Moyſe Aaron fuerit,manifeſtiùs poſtmodum ſcriptum eſt,hoc modo,Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta triũ, quando loquuti ſunt ad Pharaonem. Sed & paruulos, & viginti annorum iu- *Exod.7.* uenculos in exitu ſuo filij Iſraël habuerũt. Claret igitur quòd non impletum eſt vniuerſum nequam regis præceptum, alioquin non fuiſſet in exitu Iſraël de Aegypto, vir inter eos infra ætatem octoginta annorum, neque ante Moyſen quidem,ſed tamen poſt illud regis præceptum euaſiſſet Aaron. CAIETANVS. Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui.Iuxta Hebræum non habetur,Poſt hęc,ſed abſolutè legitur,Et iuit vir de domo Leui.Quando autem iuerit,textus non dicit,ſed ex eo quòd iſta eadem mulier antequã cõciperet Moyſen,genuerat Aaron & Mariam, narrat Moyſes factum longè antè. Et accepit vxorem ſtirpis ſuæ . Iuxta Hebræum habetur,Et accepit filiam Leui. Niſi in capitulo ſexto apertè diceretur , quòd accepit amitam ſuam , poſſet admitti ſenſ⁹ Interpretis antiqui,vt appellaretur filia Leui,eo quòd eſſet de ſtirpe Leui.Sed ex eo quòd dicitur amita,inſinuatur quòd verè erat ſoror Caath patris iſtius viri,& filia immediatè Leui Patriarchę.Non tamen intelligas

B hanc fuiſſe genitam à Leui ante ingreſſum vel in ingreſſu Aegypti , ſed longè pòſt, nam Leui quinquagenarius ad ſummum erat in ingreſſu Aegypti,& vixit annis centum triginta ſeptem , vt inferius patet,ac per hoc longè pòſt potuit generare hãc filiam,& genuit in Aegypto,vt inferius ſcribitur. AVCTOR CATENAE. Verum quidem eſt quòd in litera noſtra abundant dictiones duæ, videlicet,Poſt hæc,quæ non ſunt in Hebræo.Et quod apud nos eſt,Et accepit vxorem ſtirpis ſuæ,ibi legitur: וַיִּקַּח אֶת בַּת לֵוִי Vaikkach eth bath Leui,Et accepit,ſeu tulit,vel duxit filiã Leui:ſubaudi vxorem. Sic & Chaldaica. Septuaginta verò,καὶ ἔλαβεν ἐκ τῶν θυγατέρων λευΐ,καὶ ἔσχεν ἀυτήν,Et accepit de filiabus Leui,& habuit eam:ſupple & hîc,vxorem.Hic autem Leuita,fuit Amram, qui amitam ſuam,patris ſui ſororem duxit in vxorem,nempe Iochabeth. Filiam autem Leui, vel mulierem de ſtirpe Leui intellige, prout etiam Interpres noſter intellexit, & Septuaginta, vel propriè, natam ſcilicet ex Leui. Nam Iochabeth filiã fuiſſe Patriarchæ Leui clarè Numeri vigeſimo ſexto habetur, vbi dicitur, At verò Caath (quem paulò ſuprà filium dixerat Leui) genuit Amram: qui habuit vxorem Iochabeth filiam Leui , quæ nata eſt ei in

C Aegypto.Hæc genuit viro ſuo Amram filios,Aaron,& Moyſen, & Mariam ſororem eorum . Videmus ergo iterum iuſtos ante legem ſeruaſſe,id quod poſtea lege conſtituendum erat, vt matrimonia intra tribus contraherentur,exemplóque Patriarcharum affinitates cum conſanguineis iungerẽtur,intra tamen non prohibitos gradus,& ſeruata honeſtate publica. *Quæ concepit & peperit filium,& videns eum elegantem, abſcondit tribus menſibus.* PHILO IVDAEVS. Natus infans,mox vrbaniorem præ ſe ferebat vultum,quàm quis de priuato homine ſuſpicari poſſet, adeò vt parentes quantum poſſent tyranni edicta facilè paruipenderent. CHRYSOSTOMVS IN ACTA APOSTOLORVM HOMILIA XVI. Itaque mirabile hoc eſt.Hic circunueniens genus noſtrum,afflixit patres noſtros vt exponerent infantes ſuos,ne eſſent fœtus eorum vitales. Circunueniẽs, inquit, inſinuando clandeſtinam cædem:ideo & ſubdidit hoc dicens,Vt exponerent infantes ſuos. Quo tempore natus eſt Moſes,& ἀστεῖον,id eſt,gratus erat deo.Hoc mirabile,quòd futurus præfectus,neque poſt hæc, neque ante hoc, ſed in ipſo medio furore naſcitur, & educatur menſibus tribus in domo patris: quando igitur humana ſpem o-

D mnem negant,etiam abiecerunt illum,tunc diuina diſpenſatio clarè fulſit.Expoſitum autem illum ſuſtulit filia Pharaonis,& eum nutriuit ſibi pro filio.Nuſquam templum,nuſquam ſacrificium, quum tantæ diſpenſationes factæ ſunt.Et enutritus eſt in domo barbarica, & inſtitutus eſt Moſes in omni ſapientia Aegyptiorum : erat autem potens in verbis ac operibus. IDEM CHRYSOST. HOMILIA LIIII. Hoc enim mirabile eſt, quòd non per ea quæ videntur ſecuritatis eſſe,ſed planè per contraria,omnia pro nobis fiunt.Et vt diſcas, iuſsit *Exod.1.* Pharao in flumen proiici pueros : niſi proiecti fuiſſent pueri , non fuiſſet ſeruatus Moſes , non in aula educatus fuiſſet. Quando ſeruabatur, non erat in honore : quando expoſitus eſt , tunc factus eſt in honore . Hoc faciebat deus declarans ſuam omnipotentiam ac ſapientiam,quàm facilè ei ſit ſeruare. Minatus eſt illi Iudæus dicens, Nunquid me occidere tu vis?& hoc illi profuit, ſingulariq; diſpenſatione factum , ita vt ipſe videret viſionem illam,quæ eſt in ſolitudine,& vt conuenienti tempore impleatur, vtq; philoſopharetur in ſolitudine, ac ſecurè viueret.Et in omnibus Iudæorum contra illum inſidiis idem fit.Tunc clarior prodit , vt quum inſurgerẽt con-

E tra eum & Aaronem, clariorem eum fecerunt, vt indubitata fieret eius ordinatio , & ita etiam in poſterum laminæ æreæ admiratione factæ ſunt.Scitis enim opinor hiſtoriam,& ideo narrationem prætercurro. RVPERTVS. Litera præſens diligẽtiùs intuenda eſt,hic enim videtur ſignificare,quòd cùm omnes infantuli proiicerentur,mater huius propter elegantiam ſtudioſior facta , tribus eum abſonderit menſibus , vt ſaltem hic ſeruaretur aliis pereuntibus.Verùm huic ſenſui, quæ prædicta eſt, euidentiſsima ratio refragatur. Potius ergo illud conſtat,ne propter elegantiam eius,quæ iam ardere cœperat,magis inflammaretur inuidia,etenim breuiter quidem & parcè de ſemetipſo loquens Moyſes, dixit, infantem ſe eſſe elegantem , ſed reuerà tanta fuit elegantia, quanta diuinum illum ſplendorem præſignari decuit , quo poſtea facies eius ex collocutione dei ſplendida facta eſt.Neque enim elegantia ſtudioſa nato mox infantulo ineſſe potuit. AVCTOR CATENAE. Quæ concepit & peperit filium,& cætera. Naſcitur tunc ſalutis auctor , dum maximè gloriatur perditionis crudelitas.Et vbi ſpes omnis deſinit & humanum auxilium,tunc incipit diuinum . Filius naſcitur mortis,qui morti

F expoſitus viuificet morituros . Elegantia formæ non rarò fauorem conciliat , maximè verò filiorum ad matres.Pietatis affectus in fœmina ſalutem inſtituit plurimorum.Sic domino omnia famulantur,etiam naturales affectus.Tametſi pars aliqua puerorum fuerit fortaſsis interempta,multi tamen ſeruabantur,alius alia via. Veriſimile tamen eſt prouidentia dei ordinatum, vt pauci admodum occiſi ſint , domino ſuam clementiã citiùs, & manum adiutricem in tempore porrigente. Tribus menſibus ſeruat & non amplius , quia fortaſsis regis ſcrutiniũ per domos ſingulas inſtabat,quod tribus quibuſque menſibus fieri conſueuerat.Alij dicunt tribus menſibus,id eſt,tandiu quandiu potuit,non potuit autẽ diutiùs. *Cunq; iam celare non poſſet , ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice,poſuítque intus infantulum,& expoſuit eum in carecto ripæ fluminis,ſtante procul ſorore eius, & cõſideráte euentum rei.*

RVPERTVS. Quantum ad literam fugitiua matris pietas,& dolenda inſinuatur ſedulitas, veruntamen G non ſine fide & ſpe, qua tutori deo pupillum ſuum committebat, in quo gratiæ eius elegantia præfulgebat, magnum quidem cœli ciuem, ſed in terra nimiè peregrinantem. Scirpus nanque genus aquoſæ geneſtæ eſt, ſine nodo, papyrus leuis canna, de qua Lucanus ſic inquit, Cùm tenet omnia Nilus, conferitur bibula memphitis cymba papyro. Bitumen autem contra ſentinam aquæ tenaciſsimum præſidium eſt. RABANVS. Natura nanque bituminis eſt, vt in viminalibus vaſculis poſita, acceſſum poſsit aquæ coërcere. Illic ergo mittentes infantem,& circa fluuium ponentes, eius ſalutem deo reliquerunt. Thermothe igitur erat filia regis. Hæc dum luderet circa littus fluminis, portari à fluuio illud vas conſpiciens, præcepit vt adſe ille alueus portaretur. Venientibus autem qui ad hoc fuerant deſtinati cum alueo, videns infantem, valde gauiſa eſt propter magnitudinem & ſpeciem eius. Tanto enim ſtudio deus circa Moyſen vſus eſt, vt ab ipſis qui propter eius natiuitatem decreuerant interimere omne genus Hebræorum, alimento & cura dignus haberetur. Iuſsítque mulierem adduci H Thermothe regis filia, quæ daret infanti mamillam. Quo non accedente ad illius vbera, ſed euitante, & hoc in multis mulieribus faciente, Maria aſsiſtens his quæ fiebant, non quaſi videretur ex operibus ei inter alios aſtare, ait, Fruſtra ô regina has mulieres ad nutrimentum infantis vocas, quæ nullam ad eum cognationem habent. Si verò quandam Hebraicarum mulierum adduci præceperis, puto tanquam contribulis ſuæ poterit vbera accipere. Cúmque putaretur bene dixiſſe, iuſsit hanc ire, vt aliquam quæ lactare eum poſſet, adduceret. Illa verò accepta huiuſmodi poteſtate, reuerſa eſt agens matrem nulli cognitam: infansq; gratè quodammodo eius acceſsit ad vbera: & ſupplicante regina, commiſſum eſt ei cum omni diligentia pueri nutrimentum: cui ſecundum euentum rerum, nomen impoſitum eſt, eo quod de flumine ſit leuatus. RVPERTVS. Hoc ergo fatégit quantum potuit, quantumuis infans ſcirpeo cophino ſuauiter cubaret, vt leui papyro conſerta, cymba, ſine pondere ſupernataret,& bituminata ſentinam omnem aquæ excluderet. AVCTOR CATENAE. Pro eo quod apud nos eſt, ſumpſit fiſcellã ſcirpeã, Hebraicè eſt וַתִּקַּח לוֹ תֵּבַת גֹּמֶא Vatíkkach lo tébath góme, Et tulit ei I arcã arundineã, ſiue iunceã, id eſt, quæ puero apta eſſet. Alij, Et accepit ſibi nauiculã, ſiue arculã ſcirpeã verterũt. Sed idem eſt ſenſus cum litera noſtra. Chaldaica, Et accepit ei arcam ſcirpeam. LXX. prout habetur in editione Complutenſi, ἔλαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θήκην, Accepit illi mater eius arculam. Nec dicitur ſcirpeam, ſiue papyream, licet fortè in antiquis aliquibus exemplaribus reperiatur. Et fortè veriſimilius quod ex papyro eſſet, eo quòd propria illius fluminis ſit, at ſcirpus ſiue iuncus etiam reliquorum. Sciendum verò Origenis & Auguſtini temporibus apud LXX. non θήκην ſed θίβην legi, inuſitatum apud Græcos nomen. Vnde Auguſtinus ait in locutionibus ſuper Exodum. Quid ſit thibin ideo difficile eſt noſſe, quia nec Græcus Interpres ex Hebræo nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, ſed tranſtulit vt inuenit. Hæc ille. Nam in Hebræo thebath arca dicitur, quam (vt dicunt aliqui) exprimere volentes LXX. ipſam vocem non immutarunt, ſed θίβην protulerunt. Et licet dicat Origenes thibin eſſe tegimen ex papyro contextum, patet non eſſe verum, nam thebath ſignificat omnem arcam, ſiue papyream, ſiue ligneam. Arca enim Noe theba vocatur, quæ tamen non erat ſcirpea. K Nos verò potius ſcriptoris vitium fuiſſe crediderimus (hoc enim vt alias ſæpe monuimus, crebro inoleuit, vt vna litera in dictione pro alia ponatur) & apud viros doctos LXX. fuiſſe primo θήκην, id eſt, arculam ſcriptum, prout eſt modò in Complutenſi editione. At tranſcribentis ex exemplari errore factum, vt pro κ ſumpto β, & primo η in ι commutato (cuius facilis mutatio cùm ſonus idem remaneat) & θίβιμ pro θήκην redditum fuiſſe, cuius ſignificationem ad noſcendum difficile eſſe dicit Auguſtinus. Sed iam ſatis de re non multi momenti. Quidam inter Hebræos doctiſsimus dicit vocem Hebræam gome, ſignificare lignum admodum leue, qualis eſt arundo marina. Quod etiam dicitur, Stante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei, idem eſt quod in Hebræo dicitur: וַתִּתְצַב אֲחֹתוֹ מֵרָחֹק לָדַעַת מַה יֵּעָשֶׂה לוֹ Vatêthazzab achotho merachok, ledeha ma iéhaſe lo. Et collocauit ſe ſoror eius à longè, vt cognoſceret quid illi fieret. Vel, ſtabat autem ſoror eius à longè, vt ſciret quid accideret ei. Chaldaica, Et ſtetit ſoror eius procul, vt ſciret quid fieret de eo. LXX. καὶ κατεσκόπευεν ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ μακρόθεν, μαθεῖν, τί τὸ ἀποβησόμενον αὐτῷ, Et ſpeculabatur ſoror eius de longè, vt diſceret quid L accideret illi. Et hæc dicitur fuiſſe Maria. Vides ergo non omittendum ingenij & artis obſequium, vbi etiam ſperatur dei affuturum auxilium. Leui & vili fiſcella fertur & ſeruatur totius populi dei ſalus, & diuinæ miſericordiæ feliciſsimum vaſculum. Quodcunque inuenerit manus ſerui dei ad pietatis officium opportunum, inſtanter operetur ad gloriam & proximorum ſalutem. Omni diligentia incumbunt, vt tuto reponatur infantulus exponendus. Non minori fide quàm olim Noe arcam quoque ſuam diſpoſuit, nihil omittendo eorum quæ fieri poterant, reliquum diuinæ prouidentiæ commendando, cui & omnium operum noſtrorum euentus eſt committendus. Proſpiciebant omnia pro ſalute pueri, Eſcam tantùm domino committebant qui eam dat omni carni, etiam pullis coruorum inuocantibus eum. Sic Iſmaël ſeruatus eſt, ſic Helias & Prophetæ, non derelinquitur iuſtus. Arcam autem parauerunt ſcirpeam, ſiue de papyro, quæ propria fortaſsis eſt Nili, vnde commodiſsimè conficiuntur etiam naues. Arculam ergo reponunt cum puero in locum caricum plenum, quaſi ſyluam papyrorum ad littus fluminis. Stante (inquit) procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei. Expoſititius infantulus curæ quidem dei committitur, ſed tamen interim non ceſſat humana ſedulitas M inſtinctu diuino, qui vt finem decreuerit operis, ſic ad finem media ordinare non omittit. Non ſemper miraculis opus eſt, ſed admodum rarò. Non eſt tentanda bonitas & potentia dei. Affectus carnales, quales hîc in ſorore, piorum ſeruiunt ſaluti, & non rarò quoque religioni.

*Lucanus lib. 4.*

*Myſtic. Par. 1. ca. 33*

PROSPER. Figuræ ſuccedunt figuris, dum tamen omnes actiones Chriſtum Eccleſiamq; ſignificent. Tria igitur quædam in iſto Moyſe acta noſtro mediatori comparanda reperiuntur, futurum ſcilicet in carne ſacerdotem, aquam fluminis in baptiſmo, lignum etiam quo pepẽdit in cruce. GRAECVS. Moyſes igitur infans Chriſtum ob diuinitatis innocentiam ſignificat, cuius patris nomen ſilentio prætermittitur, cùm tamen nominari potuiſſet, quia & Chriſtus ſecundum carnem patrem reuerà non habuit: putabatur enim (ait Euangeliſta) filius Ioſeph. Elegans verò, quia & de domino ſcriptũ eſt, Speciosus forma præ filiis hominũ. CYRILLVS.

Mater



A Mater filiũ Moyſen in fiſcella concluſit, quia & ſynagoga Chriſtũ ex ſe ſecũdum carnem natum in monumẽto cõcluſit. Mater Moyſen expoſuit, & ſynagoga Chriſtum tãquã à ſe alienũ ſegregauit: ſed Pharaonis filia, hoc eſt, Eccleſia è gentibus congregata illum ſuſcepit, ídque apud aquas, baptiſmi videlicet myſteriũ innuens, ibi enim Chriſtus inuenitur. Deinde è fiſcella educitur, quia Chriſtus in ſepulchro, & inter mortuos liber fuit. RABANVS. Parentes quoque Moyſi quorum fidem & opera lex naturalis decorabat, Patriarchæ ſunt, à quibus ipſe Moyſes,& illi qui legem literæ acceperunt, nati ſunt. Tribus ergo menſibus Moyſes in domo parentum natus occultatur, cùm lex vetus tribus temporibus in Iudaica plebe, ante aduentum Chriſti lateret, hoc eſt, ſub iudicibus, ſub regibus, ſub ſacerdotibus, donec venit ipſe qui legem dedit, & per totam mundi latitudinem ſpiritualiter eam obſeruandam gentibus tradidit. RVPERTVS. Sed & aliter. Totum myſticè adminiſtran-

B dæ per Moyſen ſcripturæ præſagium eſt. Elegans quippè infantulus vili ſcirpo collocatur, quia futurum erat eo ſcribente, vt elegantia ſpiritus, vilitate literæ tegeretur. Ipſe papyrio ſcriptoris eiuſdem futuri calamum præſignat, ituri cum impetu fluminis, qui lætificat ciuitatem dei, contra illa vaſa papyri, id eſt, vaſa ſcriptorum falſitatis, de quibus per Prophetam dicitur, Væ terræ cymbalò alarum, quæ eſt trans flumina Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos ſuos in vaſis papyri ſuper aquas. Nec enim terra illa, ſcilicet Diabolus, ſiue Antichriſtus, in terreno corpore futurus (qui propter ſuperbiam dicitur cymbalum alarum, id eſt, accentus blaſphemiarum) aliud mittit quàm mendacium per legatos ſuos paganos, ſuos hæreticos in mare huius ſeculi in ſuis vaſis papyri, id eſt ſcriptoribus ſuæ partis, vnde aduerſus deum conſiſtit, quo contra per hunc elegantem infantulum miſſurus erat deus elegantiam veritatis. GREGORIVS NYSENVS DE VITA MOYSI. Conſiderandum etiam quòd cùm maſculinam Iudæorum prolem tyranni lex occidendam ſtatuit, tunc Moyſes naſcitur: Quó nam igitur pacto dicet quiſpiam, ſi tunc fortè à tyrãno lex aduerſus infantes lata eſt, cùm Moyſes in matris ventre ferebatur, huiuſmodi ego partum imitari potero? Nec enim in poteſtate hominis eſt, cùm voluerit

C naſci. Sed hoc literalis ſenſus hiſtoriæ eſt, quæ vt ad mores accommodetur, altius intelligẽda. Cuncta ergo quæ in mutatione ac fluxu poſita ſunt, nunquam firma manent, ſed alterum ex altero gignitur,& aut ad melius, aut ad peius ſemper exitus fit. In hominibus autem carnalis hæc & perturbationum plena diſpoſitio, quæ tyranno ac hoſti humani generis placet, ac ideo eam fouet, vitáque donat, per muliebrem ſexum oſtenditur. Virilis verò partus hoſti cõtrarius, ac ſuſpectus, virtuoſam vitam ſignificat. Eſt autem vita humana mutationi ſemper ſuppoſita. Quare oportet, cùm non ſit æterna, & immutabilis, ſemper naſci. Sic autem naſci non aliena fit appetitione, nec extrinſecus, vt in corporali natiuitate, ſed electione propria vnuſquiſque naſcitur. Vnde fit vt nos ipſi patres ſimus noſtri, qualeſcunque nos volumus electione gignentes, & aut marem aut fœminam, vitij aut virtutis ratione fingentes. Itaque licet nobis profectò, cùm audiamus quanta hoſtis noſter afficitur mœſtitia maſculinæ prolis, id eſt, virtuoſi viri natiuitate, licet (inquam) nobis mares nos ipſos gignere, ac parentibus noſtris, cogitationibus ſcilicet bonis, quæ virtutem pariunt afferre: iocunda enim eſt cogitatio virtutis. Quæ

D voluptas facilè facit, vt in virtute perſeueremus, vt contra tyrannicas etiam leges atque inſtituta viuamus. Id igitur ænigmate hiſtoriæ veritas nos docet, vt omni diligentia ſtudeamus in hoc partu qui in nobis eſt, ita naſci, vt hoſti noſtro partus noſter moleſtus ſit: nemo enim hoſtis mœſtitiam affert, niſi ea ſigna oſtendat, quibus ille victum ſe poſsit cognoſcere. Eſt autem eiuſdem voluntatis maſculam edere prolem, ac eam conuenienter nutrire,& quomodo in aquis ſaluari poſsit prouidere. Nam qui hoſti partus ſuos interficiendos condonant, hi nudos filios fluctibus exponunt. Fluctum autem aquarum hanc vitam dico, in qua perturbationibus alternis multi obruuntur. At verò cogitationes rectæ rationesq;, virilis partus parentes, fiſcella muniunt quos genuerũt ne vndarum impetu confringantur, atque ſubmergantur. Eſt autem veluti virgulis diuerſis compacta fiſcella, doctrina (vt arbitror) ea, quæ multis atque variis diſciplinis in vnum collecta, ſuper fluctus huius vitæ fert, neque immergi patitur, ſed impetu exagitata, tandem ad ripam extra huius vitæ turbationes animum educit. Natura quidem ipſarum rerum ita fieri crediderim. Videmus enim re ipſa, ſi quis turbini ac procellis humanæ

E vitæ reſiſtit, nec ſe obrui patitur, eum à corrupta hominum ſocietate ac vita, tanquam onus graue reiici atque repelli: quam qui effugit, vagitũ imitetur Moyſi, nec lachrymis parcat. Lachryma enim fidelis quædam cuſtos eorum eſt, qui veram quærunt virtutem. ORIGENES. Sed & nunc inſidiantur Aegyptij, ſi fortè Hebræis naſcatur aliquis maſculus, vt ſtatim perſequantur & interficiant, niſi caueant, niſi obſeruent, & occultent germen maſculinum: denique refert ſcriptura, quòd de tribu Leui quædam genuit maſculinum, & videns infantem eſſe elegantem, occultauit eum menſibus tribus. Vide ſi non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iuſtitiam noſtram coram hominibus faciamus, ſed vt clauſo oſtio oremus patrem in occulto, & quod facit dextera noſtra, neſciat ſiniſtra. Niſi enim in occulto fuerit, diripietur ab Aegyptiis, inuadetur, in flumen iactabitur, vndis & fluctibus ſubmergetur. Ergo ſi facio eleemoſynam, quia opus dei eſt, maſculum genero. Sed ſi ita faciam, vt hominibus innoteſcat, & ab hominibus laudem quæram, & non eam occultauero, rapta eſt ab Aegyptiis eleemoſyna mea, & in flumen demerſa eſt, & tãto labore tantóque ſtudio Aegyptiis maſculum genui. Propterea ô vos populus dei qui hæc auditis, nolite putare (vt ſæpe iam diximus) veterum

F vobis fabulas recitari, ſed doceri vos per hæc, vt agnoſcatis ordinem vitæ, inſtituta morum, fidei virtutíſque certamina. Videntes ergo iſti de tribu Leui elegantem eſſe infantem, celauerunt eum menſibus tribus.

*Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis ut lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm uidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit unam è famulabus ſuis, & allatã aperiẽs, cernénſque in ea paruulum uagientem, miſerta eius, ait, De infantibus Hebræorum eſt hic. Cui ſoror pueri, Vis (inquit) ut uadam, & uocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire poſsit infantulũ? Reſpondit, Vade. Perrexit puella, & uocauit matrem ſuam. Ad quam locuta filia Pharaonis, Accipe (ait) puerum iſtum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suſcepit mulier & nutriuit puerum, adultúmque tra-* 1

 *didit filiæ*

*didit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, & uocauit nomen eius Moyses, dicens, quia de aqua tuli* G
*eum.*

*Ecce autem descẽdebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei.* RABANVS. Thermut hanc vocatam fuisse dicunt proprio nomine. AVCTOR CATENAE. Ecce autem descendebat. Nihil refert quòd in Hebræo legitur, וַתֵּרֶד בַּת פַּרְעֹה Vatéred bath Paro, Descendit autem filia Pharaonis, nempe ex palatio quod in alto erat situm, ad flumen. Et puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei, id est, deambulabant per concauitatem ripæ fluminis, quod in Hebræo legitur, וְנַעֲרֹתֶיהָ הֹלְכוֹת עַל יַד הַיְאֹר, Venaharothéa hólchoth hal iad haior, Et puellæ eius deambulabant, seu gradiebantur iuxta ripam fluminis, hic & Chaldaica: vel, in littore fluminis. Vel secundum alios, Et puellæ eius ibant iuxta locum fluminis. Septuaginta, καὶ αἱ ἀβρότεραι αὐτῆς παρεπορεύοντο ἐπὶ τὸν ποταμόν, Et ancillæ eius gradiebantur super flumen. Quasi dicat, sola remansit cum vna ex ancillis in illo loco vt se se lauaret, reliquæ verò expatiabantur super ripam fluminis, qui Nilus fuisse dicitur, quem H
Gion esse tenemus ab horto voluptatis egredientem. Deus itaque prouidentiæ suæ opera æquè per mulieres exequitur atque viros. Fœminæ non rarò causa sunt magnæ salutis, sicut & pernitiei. Lotionis casualis, & carnalis instituti opus quis credidisset in operis diuini promotionem futurũ? Quem rex pater persequitur ad mortem, illum dominus per filiam nutriendum destinat. Sic solent studia impiorum, velint nolint, cõuerti cõtra quàm intendant: non est consilium contra dominum. Vt rumpantur tibi ilia Pharao, tu in tua aula nutrire & educare cogeris eum, qui saluaturus est eos quos tu persequeris, & te digna morte puniturus, dum in peccatorum abyssum peruenies satis deum irritaueris. *Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernensq; in ea parvulũ vagientẽ, miserta eius, ait, De infantibus Hebræorum est hic.* THEODORETVS. Sed vnde Pha- I
raonis filia Moysen Hebræum esse deprehendit? Infantis circũcisio id illi declarauit, atque hinc manifestè colligitur, Aegyptios per id tempus adhuc circumcisionem non admisisse, sed postmodum ad Hebræorum imitationem circumcisionis legem statuisse, vnde per Hieremiam vniuersorum deus loquitur, Visitabo super omnes circuncisos præputium suum, super Aegyptum, & super filios Edom, & cætera. CAIETANVS. Locum autem quem prius appellauit carectũ, appellat modò Interpres papyrionem, incertus fortè, an caricibus an papyris abundaret locus ille. Referentibus autem puellis gradientibus in ripa, quod infra papyros seu iuncos esset arcula, direxit oculos filia Pharaonis in iuncetum, seu papyrionem, & vidit ibidem esse arculam, & misit pro ea. Et aperta, vidit infantulum plorantem ac circuncisum, & inde cognouit infantem Hebræorum esse. AVCTOR CATENAE. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, & cætera. Eadem est sententia in Hebræo videlicet: וַתֵּרֶא אֶת הַתֵּבָה בְּתוֹךְ הַסּוּף וַתִּשְׁלַח אֶת אֲמָתָהּ וַתִּקָּחֶהָ Vatère eth hateba bethoch hasuph, vatiślach eth amatha vatikkacheha, Et vidit arculam in medio carecti vel iunceti, & misit famulam suam (scilicet cuius opera in lauando vtebatur, vt tolleret illam, siue, & accepit eam. Alij vertunt, Et misit brachium suum, & accepit eam. Cui versioni assentitur & Chaldaicus Interpres, habens, Et vidit arcam in medio carecti, & extendit brachium suum, & tulit eam. Nam & suph scirpus est, carex, iuncus & papyrus, quandoq; autem & carectum signi- K
ficat, id est, locum caricum plenum, quem hic Interpres papyrionem vocauit, sepem scilicet, & quasi syluam papyrorum, & ama ancilla, siue cubitus reddi potest. Septuaginta aliquanto dissimilius vertunt, καὶ ἐδούσα τὴν δέκαν ἐν τῷ ἕλει, Et videns arculam in palude, sed sententia eadem omnium est. Fletus itaque iste infantis commiserationis fit occasio fœminæ, reuera autem diuinæ opis imploratio erat. Crudelitati patris obstitit filiæ clementia, vt sunt cogitatus & voluntates hominum in manu dei. Cognitus est autem Moyses à filia Pharaonis quòd esset ex pueris Hebræorum, non solùm quia scire poterat de edicto patris circa occisionem puerorum, sed quia circuncisum conspexit, quam eo tempore nondum vt postea, Aegyptios suscepisse credibile est. *Cui soror pueri, Vis* (inquit) *vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire possit infantulum? Respondit, Vade. perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis. Accipe (ait) puerum istum, & nutri mihi, ego tibi dabo mercedem tuam, suscepit mulier & nutriuit puerum, adultumq; tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij.* AVGVSTINVS. Cùm passim paruu-
lorum corpuscula deiicerentur in flumine, Moysen manus excepit humana, quem pro totius vindictæ causa L
*Vbi supra.* quærebant. Nam cùm Pharaonis filia viridanti in ripa tremula posceret fluenti lauacra, inuenit in loculo quem pater non posset nutrire supplicio. Ad quem educandum in nutricem mater adducitur, ad alendum occasio coniũxit affectum, quem regis diuiserat metus. Nouum miraculum, genus fecit misericordiæ filia parricidæ. Nam dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitiæ eius sceleris erat, vt filiæ prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. Competens processit diuina vindicta, vt suis affectibus puniretur, & Moyses pro aliis eruendis crueretur. CAIETANVS. Quem illa adoptauit in locum filij. Hinc Moyses eruditus fuit in omni sapientia Aegyptiorum, vt Stephanus dixit Actorum septimo. Consentaneum enim est rationi, vt filia Pharaonis prouiderit vt adoptiuus filius eruditetur, cùm esset ei tam charus, vt putaretur eius filius, vt ad Hebræos dicitur capite vndecimo. AVCTOR CATENAE. Et vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire possit infantulum? Idem sensus est in Hebræo, videlicet, וְאֶקְרָאתִי לָךְ אִשָּׁה מֵינֶקֶת מִן הָעִבְרִיֹּת Vekaráthi lach issa menèketh min hahibriioth, vethenik lach eth haiáled, Vt vocẽ ad te mu- M
lierem nutricẽ ex Hebræis, quæ tibi lactet puellum, siue lactare possit puerum? Vel secundũ alios, & vocabo tibi mulierẽ lactãtem ex Hebræis, & lactabit tibi puerum. Chaldaica, Nunquid ibo & vocabo tibi mulierem nutricẽ de Iudæis, & lactabit tibi puerum? Septuaginta θέλεις καλέσω σοι γυναῖκα τροφεύουσαν ἐκ τῶν ἑβραίων, καὶ θηλάσει σοι τὸ παιδίον, Vis vocem tibi mulierem quæ nutriat ex Hebræis, & lactabit tibi infantulum? Sequitur, respõdit, Vade. Breuitati consulẽs doctus Interpres, tres Hebraicas dictiones sine sententiæ detrimento dimisit, videlicet לְךְ בַּת פַּרְעֹה Labath Paro, hoc est, Respõdit ei filia Pharaonis. Clarius autem Hebræus exprimit quod apud nos legitur, Perrexit puella, & vocauit matrem suã. Nam ibi est: אֶם הַיָּלֶד Em haiáled, Et vocauit matrẽ pueri. Sic & Septuaginta. Chaldaica autẽ habet, eiusdẽ pueri. Quod autẽ dicitur, Adultũq; tradidit filiæ Pharaonis. Quẽ illa adoptauit in locũ filij, nõ discrepat ab Hebræo, quod est huiusmodi, וַיִּגְדַּל הַיֶּלֶד וַתְּבִיאֵהוּ לְבַת פַּרְעֹה וַיְהִי לָהּ לְבֵן Vaigdal haieled vattebiehu le bath Paro váihi la leben: Adoleuit, siue creuit autẽ puer, & aduxit eum ad filiam Pharao-



A Pharaonis, seu tradidit eum filiæ Pharaonis. Et fuit illi in filium, seu factus est ei loco filij. Sic & Chaldaica & Septuaginta. Subordinatione itaque diuina euadit vnicus ille Moyses, contra quem solum fuerat excogitata, & à dæmonẽ suggesta vniuersalis crudelitas: vt discamus vbique cõfidere domino, qui mirabiliter eximit suos & consolatur in se sperantes. Plenam fide fuisse familiam Amram tunc quoque, vel ex Moysi sanctitate coniicitur, pro qua quoque remuneranda etiam in præsenti insigni beneficio affecit eas, vt quem exposuerant prouidentiæ dei, ipsum reciperent cum pace Regis, déque ipsius alimonia non propriis impendiis alẽdum sic, vt matris quoque vberibus restitueretur lactãdus: quo quid erat mirabilius? Sed sic dominus agit cum suis fidelibus. Matrem igitur vocat pueri puella, vt sit illustrius beneficium, & amplior iucunditas domino se se totos credentium, fruiturq; auctoritate filiæ Pharaonis, cui pater negare nihil poterat. Tantúmque abfuit vt Moyses perire potuerit per Regis crudelitatem, vt ipsum quoque intra regiam aulam suam educari oportuerit. Intra aulam
B certè proficere commodiùs potuit scientia rerum multarum ob consortia sapientum, experientia rerum omnium, auctoritate quoque crescere, velut adoptiuus filius reginæ, & potentia rerum agendarum. Sic igitur parabatur à rege contra regem volente deo. Vides ergo quomodo prouidentia dei per homines quasi per media agit. *Et vocauit nomen eius Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum.* RABANVS. Aquam enim Mos Aegyptij vocant, Is, saluatus. Componentes itaque hæc, ex ambobus Moyses ei nomen imposuerunt. AVGVSTINVS. A fluctibus itaque mystica lingua Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit. CAIETANVS. Apud Hebræos autem non Moyses, sed Moses appellatur quasi tractus. Verùm nomen Aegyptium tractum ex aquis significat. AVCTOR CATENAE. Quia de aqua tuli eum. Sic & Septuaginta. Hebraicè est: מְשִׁתִּהוּ Mesithíhu, Extraxi eum, à Mosa verbo, quod extrahere seu educere significat. Ita habet & Chaldaicus Interpres, sed idem est sensus. Mase ergo, Latinè significat extractio. Trãslatiuum autem verbum esse Mose in significato extrahẽdi de lingua Aegyptiaca in Hebræam, verisimile est, quan
C doquidem filia Pharaonis Aegyptium illi nomen non Hebræum indidit, vt videtur. Verùm in linguam sanctam & nomen versum est, & accommodatum ad suum etymon. Et tradit Abenezra, quòd lingua Aegyptiaca vocatus fuerit Monios, quod Hebraicè sonat Mose, idque dicit se habere ex libro quodam Arabico, cuius titulus est, Cultura terræ. Sed siue à masa verbo Hebraico, siue à mos Aegyptiaco descendat Mose, patet corruptè Moyses tam à Græcis quàm à Latinis proferri, cùm Moses dicendum esset, quandoquidem & etymologia ita pronunciandum demonstret, & non alio modo proferatur Hebraicè. Eadémque in hoc nomine corruptela, quæ & in cæteris nominibus. Nec ab re dictum est, quòd Moyses sumptus fuerit ex aquis proueniẽtibus ab illo fonte qui diuiditur in quatuor capita, id est, à nomine magno dei, vt nomen eius indicat. Nam מֹשֶׁה Mose reuolutum, more Hebræorum, dicit הַשֵּׁם Hasem, id est, ipsum nomen, aut virtus eius, quæ peculiariter ei data est. Hinc & ipsi peculiariter ipsum nomen reuelatum est. Sic itaque nomina infantibus imponuntur, non importunè ab euentibus. Et externis rebus aliquid profiguratur à prouidentia dei. Aquis extrahitur qui filios Israël de aquis tribulationis erat liberaturus, & per mare sicco pede educturus.
D ISIDORVS. Moyses (vt vidisti) ad ripam fluminis expositus reperitur, & dominus Iesus cuius Moyses ty- *Mysticè.*
pum induerat, ad flumen lauacri, & ad aquam baptismatis à credentibus inuenitur. Plorabat infans, quia Christus veteris hominis quem induerat, peccata deflebat. Vnde & ad resuscitandum Lazarum fleuit, Iudæorum deplorans perfidiam. Filia Pharaonis descendens ad lauacrum fluminis, collegit infantẽ, Ecclesia ex gẽtibus lauacri salutaris sanctificationem desiderans, excepit Christum à synagoga matre carnali expulsum quasi infantem quia tunc paruulus videbatur, cùm in homine cerneretur. Inuenit illa Moysen inclusum in vasculo tibin, quod ex multis agrestibus virgulis fit: inuenit Christum Ecclesia recõditum in cordibus sanctorum, qui in vnitatem sui contexti, ex multorum fratrum membris, omnes vnum in Christo corpus effecti sunt, & eum religiosa ob-
seruatione suscipientes tuentur. BERNARDVS IN SERMONIBVS. Quod ait Apostolus Ioannes, *Serm. 1. in*
Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine, ad Moysi *octa. pas-*
E differentiam arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit, vt Moyses vocare- *chæ.*
tur. Recolant quibus nota est historia veteris testamẽti, quemadmodum in Aegypto dum paruuli omnes Israëlitici germinis necarentur: expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifestè Christi, & in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempe cùm Pharaone etiam Herodes suspitione laborans, ad eadem conuersus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est & ipse delusus. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum. Vtrobique qui quærebatur euadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis: ita Christum quoque Aegyptus quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia, suscipit conseruandum. Manifestè tamen plusquàm Moyses hic: vt pote qui venerit non in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi. Venit ergo in aqua tantùm, qui congregauit quidem populum, sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de seruitute Aegyptia liberatio, non Moysi, sed agni sanguine facta est: liberandos nos præfigurans à vana nostra conuersatione huius seculi, sanguine agni immaculati Christi Iesu. Hic est verus legifer noster: apud quem copiosa est redemptio. Mortuus est enim non tantùm pro gente: sed vt filios dei qui
F dispersi erant congregaret in vnum. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Sicut *Serm. 86.*
ergo Moyses à matre sua proiicitur, & à Pharaonis filia inuenitur atq; colligitur, sic & Christus dominus à synagoga de qua natus est repudiatur, & ab Ecclesia inuenitur atque susciputur. THEODORETVS. Quòd autem ex Iudæis Christus natus sit cognouit gentium Ecclesia. Mater verò ipsius Moysi cùm Iudæa esset, filium à gentili educandum suscipit, quia Israëlis populus per Ecclesiæ ex gentibus congregatæ prædicationem, fidem Christi in nouissimis temporibus accipiet. EVSEBIVS. Seruatus est igitur Moyses per symbola communis salutis Ecclesiæ. Nam & arca è ligno fuit, & lignum super aquam ferebatur, & quæ eum suscepit, non Iudæa, sed Aegyptia fuit. Quæcunque enim circa Moysen contigerunt, non humanæ sed diuinæ mentis fuerunt. Qui etiam flens in fiscella inuentus est, quia & Iudæorũ immanitatẽ deplorãs Christus ait, Foderunt manus meas, &c. ORIGENES. Singula hæc immẽsis repleta mysteriis, tempus exigũt grãde, & totius diei spatia si in

his consumamus, vix fortasse sufficiat. Breuiter tamen aliqua nobis pro Ecclesiæ ædificatione pulsanda sunt. G Puto & ego filiam Pharaonis Ecclesiam quæ congregatur ex gentibus videri posse, quæ quãuis impium & iniquum habeat patrem, tamen dicitur ad eam, Audi filia & vide, & obliuiscere populũ tuum, & domũ patris tui.

*Psal.44.* *Ioan.8.* AVGVSTINVS. Pharao enim in diaboli typum accipitur, cuius filia Ecclesia intelligitur. Quòd autem pater eius Diabolus antea fuerit, dominus in Euangelio Iudæos increpans, ostendit dicens, Vos ex patre diabolo estis. Qui ergo dicit, Audi filia, pater est. Et ille qui admonetur obliuiscendus, pater nihilominus nominatur. Ac sic deus pater admonet, vt diabolum patrem debeat derelinquere. ORIGENES. Hæc ergo est quæ exiit de domo patris, & venit ad aquas, vt lauaretur à peccatis quæ contraxerat in domo patris sui. Denique statim viscera misericordiæ suscipit, & miseratur infantem. Hæc ergo Ecclesia ex gentibus veniens, in pallude inuenit iacentem Moysen, abiectum à suis & expositum, dat eum nutriri, & nutritur apud suos, ibi agit infantiam. Cùm autem fortior factus est, tunc inducitur ad eam, & adoptatur in filium. Moyses autem quia lex appellatur, in multis locis iam sæpe disertum est. Veniens ergo Ecclesia ad aquas baptismi, suscepit etiam legem, H quæ tamen lex erat intra tibin conclusa, pice & bitumine oblita. Tibis genus est tegminis, ex virgis aut ex papyro contextum, vel etiam ex arborum cortice formatum, intra quod iniectus infans videbatur expositus. Iacebat ergo lex conclusa intra huiusce modi tegmina, & pice ac bitumine oblita, vilibus & terreis Iudæorum sensibus sordebat obsepta, vsque quo Ecclesia veniret ex gentibus, & assumeret eam de luteis & palustribus locis, atque intra veræ sapientiæ aulas & regalia tecta consciscet. Hæc tamen lex infantiam suam apud suos transigit. Apud illos enim qui spiritaliter eam intelligere nesciunt, paruula est & infans, & lactentium habens cibos. Cùm verò ad Ecclesiam venit, cùm Ecclesiæ ingreditur domum, fortior est & validior Moyses. Amoto enim velamine literæ, perfectus in lectione eius cibus, & solidus inuenitur. Quid tamen est quòd & mercedem nutrimentorum à filia percipit Pharaonis, illa apud quam lex & nata est, & nutrita? Quid est quòd synagoga accipit de Ecclesia? Puto illud intelligi posse, quod idem Moyses scribit, dicens, Ego in non gentem, in æmulationem vos inducam: in gentem insipientem, in ira vos concitabo. Et synagoga ergo de Ecclesia istud mercedis accipit, vt vltra idola non colat. Videns enim eos qui ex gentibus sunt, ita ad deum conuersos esse, vt vltra idola nesciant, deum præter vnum neminem venerentur, ipsa erubescit idola vltra iam colere. Istud ergo recipit beneficij de Ecclesia synagoga, quod ei paruulã nutrissẽ visa est legem. Sed & nos etiam si Pharaonem habuimus patrem, etiam si nos in operibus malis genuit princeps huius mundi, cùm venimus ad aquas, assumamus ad nos legem dei, nec nobis sordeat literæ eius vile tegumen & obscurum, quæ parua eius sunt & lactentia, concedamus: quæ perfecta & valida sunt, sumamus, atque hæc intra cordis nostri tecta regalia collocemus. Grandem & validum habeamus Moysen, nihil de eo paruum, nihil humile sentiamus, sed magnificum totum, totum egregium, totum elegãs. Totum enim magnum est, quicquid spiritale, quicquid sublimis intelligentiæ. Et oremus dominum Iesum Christum, vt ipse nobis reuelet, & ostendat quomodo magnus est Moyses,

*Vbi supra.* & quomodo sublimis. Ipse enim reuelat quibus vult, per spiritum sanctum. PROSPER. Aliter. Descendens filia Pharaonis lauari in flumine, cuius noster Moyses per lignum consecrauerat aquas, agnouit quòd de K infantibus Hebræorum esset, Eúmque suscipiens, educauit vt filium. Dum descenderet ad Christum doctrina huius mundi, abluta spiritali vnda, deposuit superbiam: suscipiensq; quasi grandis paruum, per humilem gratiam Ecclesiæ sociata personæ, quæ filia Christi efficitur mater. Propter quod scriptum est, Pro patribus tuis

*Psal.44.* *1.Cor.2.* nati sunt tibi filij. Sic dum erudiendum suscipit, eruditur. Stulta enim mundi elegit deus, per quæ sapientiam mundi euacuet. Omnis etenim Philosophia Christianæ cessit doctrinæ, quam vtiliter expugnans, inimicorum iaculis destruxit inimicos, sicut Moyses ab Aegyptiis eruditus, illico expugnauit Aegyptios, vt in rubro mari tanquam in baptismo, omnis superbia mergeretur. GREGORIVS NYSENVS. Sed & nunc quencunque regis sterilis filia, doctrina videlicet exterior, quæ semper parturit, & nunquam viuum educit partum, quę nullum vnquam tantis laboribus condignum fructum produxit, quæ vterum inflat quasi aliquod viuum prolatura, & tandem imperfecta & inania semper suo abortu edit, in filium adoptauerit, eo vsque se falsæ matris filium vir bonus profitebitur, quousque imperfectior atque tenerior ætas sit. Qui verò ad maiorem iam ætatem L peruenit, eum pudebit eius se falsò filium appellari, quæ naturaliter sterilis atque inanis est, nisi tandem vera foueatur doctrina. Quare tantùm Aegyptiorum assidebit Reginæ, quantum opus erit ad hanc inferiorem doctrinam percipiendam, ne omnino expers humanorum præceptorum esse videatur: deinde ad propriam matrem totus recurret, quam vel quando sterilis reginæ filius putabatur, non omnino reliquerat. Id enim mihi videtur historia nobis significare, cùm asserat matris propriæ lacte Moysen enutritum oportere. Vel cum exterioribus in tenerioribus annis dati sumus, Ecclesiæ lacte nutriri, mores, consuetudines, exquisitámque viuendi normam, quibus altius animus ascendit, perdiscere ac obseruare. RVPERTVS. Vis (inquit) vt vadam, & vocem tibi Hebræam mulierem, quæ nutrire possit infantulum? Respondit ei, Vade, perrexit puella, & vocauit eius matrem, & cætera. Et hoc futuri præsagium, quòd filia Pharaonis infantulum sic inuenit, & tali nutrice altum sibi in filium adoptauit. Futurum erat quidem, vt scholæ gentilium, sanctarum complaceret elegãtia scripturarum. verbi gratia, Ptolemæo Philadelpho, qui cùm omnium scripturarum vtilium studio flagraret, leges M quoque dei per istum conscriptas sibi in Græcum transferri summa instantia deposcens, accepit ab Eleazaro Iudæorum Pontifice septuaginta Seniores, quibus ea interpretantibus, relegens oppidò lætatus est. Nam quod hic egit, simile quodãmodo fuit, quod soror pueri, scilicet Maria, quæ procul stetit, præstolans euentũ rei, matrem eius vocauit, quæ & nutriuit infantem, & adultũ tradidit filiæ Pharaonis. Mater quippe sanctæ scripturę huius, lingua Hebræa est, quam ad interpretãdum vel transferẽdum in Græcum euocare, illa vera Philosophia persuasit, vt prædictum est. Porrò elegans infantulus elegãti prospiciens è cœlo, miserationis occursu exceptus est, vt & matri suæ cui natus fuerat, non periret, & aliam matrem præpotentem adoptandus inueniret, cuius auctoritate omni quoque scientia Aegyptiorum, vt in actibus Apostolorum legimus, eruditus est. HVGO DE SANCTO VICTORE. Sed & iuxta sensum alium, Moyses iuxta flumen, significat quemlibet hominem



A hominem iuxta fluuium præsentis seculi positum, filia regis gratiam designat, quæ quẽlibet ad vitam prædestinatum de fluxu seculi liberat, & in filium adoptat, vt qui prius fuerat filius iræ, deinceps existat filius gratiæ. Quę tradidit eum mulieri Hebrææ, scilicet matri eius Ecclesiæ, vt quẽ gratia regenerauerat, Ecclesia nutriat, quę vide licet sancta Ecclesia, mulier rectè dicitur, quia sponso suo Christo fideliter multos fideles parit & nutrit. Et hæc est Hebræa, id est, transiens, quia non habet hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirit. *In allegor. in Exod. cap.1.*

3. IN *diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus ad fratres suos, uidit afflictionem eorum, & uirum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cúmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse uidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero, cõspexit duos Hebræos rixantes, dixítque ei qui faciebat iniuriam, Quare percutis proximum tuum? Qui respondit, Quis te*

B *constituit principem & iudicem super nos? Num occidere me tu uis sicut heri occidisti Aegyptium? Timuit Moyses, & ait, Quomodo palàm factum est uerbum istud? Audiúitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen. Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.*

3. *In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus ad fratres suos, vidit afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis.* RVPERTVS. Postquam creuerat Moyses hoc factũ est, id est, per annos quadraginta. Sic enim Stephanus protomartyr in concione Iudæorum orationem faciens, loquitur: Cùm autem impleretur *Act.7.* ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios Israël, & vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. CAIETANVS. Moyses nobilis, immo illustris, erat in ciuitate regia habitans, & propterea egressus dicitur ad fratres suos, hoc est, ad Hebræos laborantes & afflictos, tanquam ad fratres suos. Et si Iosepho creditur, ante hunc egressum fuerat Moyses imperator exercitus Aegypti aduersus Aethiopes, erat enim tunc quadragenarius. Vi-

C dit autem (inquit) afflictionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Mon dicit percussurum, vel quòd percusserat, sed actualiter percutientem. Nec dicit quo genere percusionis, an videlicet percusione mortifera, vel castigationis, seu paruæ læsionis. AVCTOR CATENAE. Viditq; afflictionem eorum. In Hebræo legitur בְּסִבְלֹתָ֑ם. Besiblotham, id est, laborem, vel onera, aut sufferentiam laboriosam illorum. Significat enim סָבַל ferre, pati, sustinere, & similia. Chaldaica, & vidit seruitutem illorum. Septuaginta vt apud nos legunt, afflictionem. De pueritia tam Moysi quàm Christi domini pauca scribuntur in sacris. Iam igitur ad gesta transit, quæ in aula regia fecerit constitutus. Creuit autem Moyses corpore, viribus, iustitia, pietate, & zelo. Charitas autem proximi initium fit salutis, conseruatio iustitiæ, & odium iniquitatis. Fratrum amator non in aula vacabat libidini: sed ad fratrum miserias intentus erat, si quomodo consolari posset cõsilio vel opere tantis oppressos laboribus & ærumnis. Saltem ex hoc loco & facto coniectari potest sæuitia inexplebilis Aegyptiorum: quandoquidem hic Aegyptius non contentus miseria oneratorum, sarcinis &

D tributo ac cordis amaritudine, etiam percutiendo impellebat iniquè fratrem & virum bonum: id Moyses ferre non poterat. Vides autem hîc verbum fratris quàm latè pateat, fratres enim dicuntur omnes qui sunt de eadem gente, nec tamen qui ex eodem vtero geniti. *Cúmque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo.* AMBROSIVS PRIMO OFFICIORVM. Non in viribus corporis & lacertis *Cap.36.* tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi, neque in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem, defendit ita vt Aegyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait, Eri- *Pro.24.* pe eum qui ducitur ad mortem. Vnde igitur hoc, vel Tullius vel etiam Panætius, aut ipse Aristoteles transtulerint apertum est satis, quanquam etiam his duobus antiquior dixerit Iob: Saluum feci pauperem de manu potentis, & pupillum cui adiutor non erat, adiuui. Benedictio perituri in me veniebat. AVGVSTINVS VI- *Iob.29.*

E GESIMO SECVNDO CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM. Vt interim omittam, quòd cùm *Cap.70.* percussisset Aegyptiũ quanquã illi deus non præciperet, in persona tamen prophetica ad hoc diuinitùs fieri permissum est, vt futurũ aliquid præsignaret, vnde nũc non ago, sed omnino tanquã nihil significauerint facta illa, discutio: consultaq; illa æterna lege, reperio non debuisse hominem ab illo qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamuis iniurioſum & improbum, occidi. Veruntamen animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittũt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic enim & agricolæ, quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronunciant: & vbi filicem aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt, & quem montem oleastris syluescere aspexerint, oleis esse vtilem, cultura accedente non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem, non obseruato ordine po-

F testatis, inultum esse non pertulit: non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Ipse denique per angelum suum diuinis Moysen vocibus euocauit in monte Sina, per quem liberaretur ex Aegypto populus Israël, eumq; miraculo visionis in rubo flammante & non ardente, verbisq; dominicis ad frugem obedientiæ præparauit: qui etiam Saulum Ecclesiam persequẽtem de cœlo vocauit, prostrauit, erexit, impleuit, tanquam percusit, amputauit, inseruit, fœcundauit. Illa nanque Pauli sæuitia, cùm secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium deo se facere, tanquam syluestre erat vitium, sed magnæ feracitatis indicium. Hinc erat etiam illud Petri cùm euaginato gladio, volens defendere dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factum dominus satis minaciter cohibuit, dicens, Recõde gladium: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet. Ille autem vtitur gladio, qui nulla *Matth.26.* superiori ac legitima potestate vel iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam vtique dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent, sed non iusserat vt ferirent. Quid ergo incongruum, si Petrus post

hoc peccatum factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est rector illius synago G
gæ? Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excesit: vterque o-
dio improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste dominico: licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Resecãdum
hoc vitium vel eradicandum: sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus ex-
Quæst.2. colendũ. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. De facto Moysi cùm occidit Aegy-
ptium ad defendẽdos fratres suos, satis disputauimus in illo opere quod de vita Patriarcharum aduersus Fau-
stum scripsimus. Vtrum indoles in eo laudabilis fuerit qua hoc peccatum admiserit, sicut solet vbertas terræ e-
tiam ante vtilia semina quadam herbarum quamuis inutilium feracitate laudari, an omnino ipsum factum iu-
Act.7. stificandum sit. Quod ideo non videtur quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam diui-
nitùs, nec humana societate ordinatam. Tamen sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelli-
gere fratres suos, quòd per eum deus daret illis salutem, vt per hoc testimonium videatur Moyses iam diuini- H
tùs admonitus, quod scriptura eo loco tacet, hoc audere potuisse. RVPERTVS. Cùm enim hæc dicit Pro-
tomartyr, profectò illud significat, quòd Moyses gentis suæ liberatorem fore se præsciret. At illi, inquit, non in-
tellexerunt, id est, intelligere noluerunt. EVSEBIVS. Interfecit Moyses Aegyptium, non furori cedens, ne-
que ira superatus, sed zelo erga deum inductus. Cæterùm quicquid in gratiam dei fit, pietas ac religio est. Et si
homicidium sit, propter deum iam non est cædes. Nam & Phinees qui duos vna manu occiderat, audiuit, stetit
Phinees & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam. Diuersum enim est interfectoris & piè
agentis propositum. Tantumq; ipsius Phinees præclarum facinus valuit, vt iram dei restingueret: & quod antea
2.2.q.60. ipsius pater Aaron ad altare præstiterat, id Phinees homicidium, immo pietas potuit. THOMAS. Moyses
ar. 6.ad.2. videtur Aegyptium occidisse quasi ex inspiratione diuina auctoritatem adeptus, vt videtur per hoc, quod Act.
7. dicitur, quòd percusso Aegyptio æstimabat Moyses intelligere fratres suos, quoniam dominus per manum I
ipsius daret salutem Israël. Vel potest dici, quòd Moyses occidit Aegyptium defendendo eum, qui iniuriam pa-
tiebatur, cùm moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Ambrosius dicit in libro de officiis, quòd qui non repellit
iniuriam à socio, cùm potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit, & inducit exemplum Moysi. Vel potest dici,
sicut dicit Augustinus in quæstionibus Exodi, quòd sicut terra ante vtilia semina, herbarũ inutilium fertilita-
te laudatur, sic illud Moysi factum vitiosum quidem fuit, sed magnæ fertilitatis signum gerebat, inquantum
scilicet erat signũ virtutis eius, qua populũ liberaturus erat. CAIETANVS. Antiqua quæstio de excusatio-
ne facti huius. Apparet enim ex textu quòd inexcusabile sit. Nam ex eo quòd non defensionis necessitate, sed vl-
tionis gratia occidit Aegyptium (vt testatur circũspectio an aliquis esset testis) officium iudicis superauit Moy-
ses. Et propterea nisi diuina auctoritate excusetur (contra quam militat huiusmodi circunspectio, nam signum
est humanæ cautelæ, non diuinæ inspirationis) nullam video excusationem certam. Quod ideo dico, quia si cer
tum esset quòd Aegyptius ille fuisset præpositus ad affligendum filios Israël, potuisset Moyses causam populi Is-
raël agens, occidere præpositum illum tanquam publicum hostem, vt hoc facto inchoaretur liberatio Israëlis. K
Et hac ratione videtur vsus Stephanus Actuum septimo, dicendo, quòd Moyses putauit filios Israël intelligere
per hoc factum liberandos seipsos à seruitute Aegyptiaca per ipsum Moysen, tanquam agentem causam com-
munem, deo principaliter efficiente. Quòd verò Aegyptius ille fuerit præpositus, innuere videtur verba textus,
dicẽdo, Et vidit afflictionem eorum, siue in oneribus eorum, & vidit virum Aegyptium percutientẽ, & cætera.
Ex eo enim quòd visio onerum præmittitur, signum est quòd exactor onerum erat percutiens Aegyptius. A V-
CTOR CATENAE. Cúnque circunspexisset huc atque illuc, & cætera. Amor iustitiæ, proximi necessitas,
& improba violentia Moysen impulit vt ab iniuria fratrem defenderet. Nemo autem hîc affectibus blãdiatur.
Non sine vrgente & magna causa occidit Aegyptium. Denique singularia facta illa, & cœlitùs destinata fieri à
deo, non debẽt ab hominibus vitiari, sed cum timore recoli. Et primi vehemẽtesq; motus, nonnihil excusatio-
nis habent etiam in humano iure, licet non semper, & pro toto. Nobis ad regulam & legem dei viuendum est.
Prouidentia quoque dei sese semper exerit, & semina quædam futurorum præostẽdit. De eo autem quòd Moy- L
ses occidit Aegyptium, variæ sunt sententiæ. Alius accusat, alius excusat homicidium eius. Nos autem cum plu
ribus sanctis patribus tenemus, quòd nõ temeritate carnis, nec vitiosa radice, sed ardore virtutis, motu spiritus,
& heroico impetu diuinitùs excitato hoc fecerit. Erat enim iam tum in magistratum, ducem & seruatorẽ Israë-
lis, à deo destinatus, nondum quidem publicis miraculis, quemadmodum postea reuelatur, sed certo tamen de-
creto dei. Quos autem deus ad conficiendas res heroicas eligit, in iis operatur etiam priusquã electionem suam
publicè declaret, singulares quosdam & admirabiles animorum impetus, quibus tanquam præuiis testimoniis
significat, eiuscemodi homines ad res maximas gerendas destinatos esse. Sic impulit deus Phinees, nõdum qui-
dem summum sacerdotem, sed tamen ad summum sacerdotium destinatum, vt arrepto pugione transfoderet
virum Israëlitam, publicè cum Madianitico scorto fornicantem. Sic impulit Dauidem, nondum publicum re-
gem, attamen diuina vnctione in regem electum, vt magno animo armatum Goliath inermis aggrederetur,
atque trucidaret. Sic impulit (vt & externum exẽplum attingam) Cyrum adhuc puerũ, & pro filio pastoris ha- M
bitum, in primum tamen Persici regni Monarcham diuinitùs destinatum, vt tãquam rex inter pueros puerilem
institueret Rempublicam, ac inobediẽtes castigaret. Et cùm ea res ad Astyagen delata esset, ac Astyages Cyrum
puerum reprehenderet, quòd ipse serui filius, cæcidisset flagellis ingenuos pueros, respondit Cyrus magna con
stantia, se vt regem fecisse. Qui certè heroicus animus in puero diuinitùs excitatus est, vt statim à pueritia signi
ficaretur, hunc puerum ad gerẽdas magnas res, à deo ordinatum esse. In horum catalogum etiam Moyses refe-
rẽdus est, quem cùm deus ab vtero matris elegisset in ducẽ & seruatorẽ Israëlis ex Aegyptiaca tyrãnide, impulit
etiam occulto spiritus tractu, vt occideret impium Aegyptium. Tantùm igitur abest, vt hoc homicidio pecca-
uerit aduersus deum, vt potius diuinæ vocationi seruierit, ac insinuauerit Israëlitis, se in hoc officiũ diuinitùs
vocatum esse, vt defendat Israëlitas ab iniuria. Atque hoc exemplũ ponendum est, non inter generalia, quę imi-
tanda sunt, sed inter personalia, quæ admiranda sunt, non autem imitanda nisi ei, qui πληροφορίᾳ spiritus, eodem
animi



A animi impetu ad aliquid conficiendum diuinitùs excitatur. *Et egressus die altero, conspexit duos Hebræos rixantes, di-
xitque ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui respondit, Quis te constituit principem & iudicem inter nos? Num oc-
cidere me tu vis sicut heri occidisti Aegyptium?* RVPERTVS. Hanc vnius negationem omnibus Iudæis ascribit Ste-
phanus, dicens, Hic est Moyses, quẽ negauerunt, dicentes, Quis te constituit principem & iudicem? Et rectè.
Nam cunctis profitentibus, vni negare non licuisset, præsertim pro omnibus, quia non dixit, super me, sed super
nos. Amplius autem iniustam negationem exaggerans, inculcat, & replicat, illum principem designans & iudi-
cem. Hunc (inquit) deus principem & redemptorem misit, hic eduxit illos. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël,
Prophetam vobis suscitabit dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. Hic est qui fuit in eccle- *Deut.18.*
sia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei. Porrò talis egressus Moysi ad fratres suos, vt videret afflictio-
nem eorum, illa negatio quam Apostolus in catalogo patrum fide nobilium commemorat, rectè esse dici-
B tur, qui sic ait, Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cũ po- *Hebr.11.*
pulo dei, quàm temporalis habere peccati iocunditatem: maiores diuitias æstimans Thesauro Aegyptiorum,
improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem. AVCTOR CATENAE. Dixitque ei qui fa-
ciebat iniuriam. Vnicum est hîc Hebraicum verbum רָשָׁע Rasaha, quod impium; improbum, iniquum, violen-
tum, & reum significat, vnde diuersi diuerso modo reddiderunt. Nam alij, & ait violento: Alij verò, ad reum, di
xerunt. Caldaica habet, Et ait impio. Septuaginta vt in nostra litera. Sed horum omnium vnus est sensus, quod
dixit ei qui inferebat iniuriam. Sequitur. Quis constituit te principem & iudicem super nos? Parui refert quod
deest vna dictio quæ legitur in Hebræo לְאִישׁ Leis, In virum, vt dicat: Quis constituit te in virum principẽ &
iudicantem super nos? Et ita etiam habet Chaldaica. Deinde, Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegy
ptium? In Hebręo sic legitur, הֲלְהָרְגֵנִי אַתָּה אֹמֵר כַּאֲשֶׁר הָרַגְתָּ אֶת הַמִּצְרִי Halhargeni atha omer caaser haragta eth-
hamizri, Nunquid vt occidas me tu dicis hoc? sicut occidisti Agyptium. Et ita est in Chaldaica. Vel, Nũquid vt
C me occidas tu loqueris, sicut interfecisti Agyptiũ? Septuaginta vt in litera nostra. Et est vnus omniũ sensus, Tu
quęris seu cogitas sicut occidisti illũ, interficere etiã me. Quasi dicat, tu es violẽtus & homicida, idcirco emẽda
teipsum. Videns itaque Moyses prima die necessariã fuisse suam ad populum dei vigilantiã, etiam secundo die
progreditur ad fratrũ salutẽ, & iam Hebræos inuenit fratres litigãtes, quod ęquè ferre iustitiæ zelo ardẽs nõ po-
tuit. Vnicuiq; enim nouerat dominũ mãdasse de pximo suo, iuuãdo scilicet & defendẽdo. Qui respõdit (inquit)
Quis constituit te principẽ, & cætera? Sic impij loquũtur dum impietatẽ defendũt, neminẽ habere volũt iudicẽ
vel magistrũ. Cũ hi soli egeãt magistro, quib⁹ libertas pernicies est tã ipsis quã aliis: iustis enim nõ est posita lex,
& magistratu nõ indigẽt vindicãte, sed protegente. Omnino enim cõmixtio piorũ cũ impiis exigit in hac vita
magistratum & gladium. Sic domesticorũ perfidia periculosior est bonis viris nõ rarò quã extraneorũ: pericula
enim ex falsis fratribus incidũt frequẽter. Obiter quoq; notaẽ hîc ingratitudo Hebraici populi, qui beneficiũ nõ
agnoscit. Eã siquidẽ mercedẽ ex beneficio suo refert Moyses, quã ferè oẽs benefactores ab ingratis, & pacificato
D rẽs ac sequestres à partibus suis referre solẽt. Impius enim Israëlita reiicit Moysen, & accusat ipsum homicidij.
Quis te, inquiens, cõstituit principem & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegy-
ptium? Vide maximam indignitatem & ingratitudinem. Moyses reliquerat regiam aulam propter Israëlitas, vt
significaret ipsis, se ad liberandum ipsos ex Aegyptiaca tyrannide diuinitùs ordinatũ esse. Sed ecce statim reii-
citur ab ipsis, vix dum elementis liberationis inchoatis. Nunquid ergo quem homines reiecerunt, eum etiã Do-
minus deus noster reiecit? Minimè omnium. Hunc Moysen (inquit Stephanus) quem negauerunt dicentes, quis
te constituit principem & iudicem, hunc inquam, Deus principem & redemptorem misérat per manum ange-
li, qui apparuit illi in Rubo. Hic eduxit illos, edens prodigia & signa in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto
annis quadraginta. Quod Moysi contigit, idem etiam contigit domino nostro Iesu Christo, de quo scriptum
est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hæc exempla cùm propter mul-
ta alia tum etiam potissimùm propter hoc nobis proponuntur, vt in ingratitudine hominum & contemptu
E nostri bene confidamus, & in benefaciendo non defatigemur. Et si enim homines nos abiiciunt, non tamen ab-
iicit nos deus: sed potius tantò magis nos agnoscit, quantò turpius homines nos conculcant. Et quanquàm ho
mines ingrati sint, ac immemores beneficiorum, deus tamen gratissimus est, & nec obliuiscitur poculi aquę frigi-
dæ sitienti in nomine suo exhibitæ. *Timuit Moyses, & ait, Quomodo palàm factum est verbum istud?* AVGVSTI-
NVS DE LOCVTIONIBVS IN EXODVM. Septuaginta habẽt, si sic diuulgatum est verbum hoc. *Locution.5.*
Duo sunt in hac locutione attendenda, primo quia pendet sententia, & sic dimissa est. Deinde quia verbum
pro facto posuit. AVCTOR CATENAE. Quomodo palàm factum est verbũ istud? Hebraicè est:
אָכֵן נוֹדַע הַדָּבָר Achen nodaha hadabar, Verè notum factum est verbum. Et ita habet Chaldaica. Nam Achen
dictio, certè, verè, siquidem, ergo, itaque significat. Alij, Certè nota facta est hæc res. Alij, profectò hoc nego-
tium palàm factum est, verterunt, id est, hoc meum factum (nempe quod interfecisset Aegyptium) innotuit.
Dabar enim (vt sæpius dictum) & verbum, & rem siue negotium significat. Sed nulla est inter hos, quod ad sen
F sum attinet, differentia. Nam & litera nostra admirantis est factum fuisse proditum. Timuit igitur Moyses etiã
ex iusto opere propter iniustos homines: semper enim periclitantur inter pessimos optimi. Leuis occasio arripi-
tur contra pios. Sciebat tyrannidem regis grassaturam ob Aegyptium occisum, quãtumlibet indignè liber pla-
nè futurus & tutus ac absque timore, si Israëlitarum plurimos occidisset. Hoc quoque exemplo discimus ni-
hil opertum esse quod non reueletur, & occultum quod non sciatur. Aures habere syluas, & campum oculos.
*Audiuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen. Qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian,
& sedit iuxta puteum.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Madian, vrbs ab vno filio-
rum Abraham ex Cethura, sic vocata. Est autem trans Arabiam ad Meridiem in deserto Saracenorum con-
tra orientem maris rubri, vnde vocantur Madianæi, & Madianæa regio. Legimus & filias Obab soceri Moysi,
filias Madian, sed hæc alia ciuitas ὁμώνυμος eius, iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantũmodo
demonstrantur. EVSEBIVS. E regia egressus, pastor Moyses efficitur in deserto, neque tamen conqueritur.
Si quis

Si quis enim velit charitatem dei ſeruare, ſiue pauper ſit, ſiue in vrbe, ſiue in carcere, à deo cuſtoditur, non indi- G
gnatur, omnia æquo animo fert. Huius rei exempla habes in ſcripturis. RVPERTVS. Qui fugiens de conſpe-
Heb.xi. ctu eius, moratus eſt in terra Madian. Hoc eſt, etiam quod ad Hebræos loquitur Apoſtolus, Fide dereliquit Ae-
gyptum, non veritus animoſitatem regis. Vnde autem hoc, quòd nõ veritus animoſitatem regis? videlicet, quia
fugiens animos regis, non tamen armaturam depoſuit zeli, eadem quippe iuſtitia vel pietate, ſeptem filias ſa-
cerdotis Madian à paſtoribus defendit, & oues earum adaquauit, qua & virum percuſſerat Aegyptium, eo quòd
percuſſiſſet quendã de Hebræis fratribus ſuis, & qua nihilominus altera die Hebræos rixantes conſpiciens, eũ qui
faciebat iniuriã corripuit, vnde inuiſibilẽ quẽ tanq̃ vidẽs ſuſtinuit, videre meruit. AVCTOR CATENAE. Au
diuítque Pharao ſermonẽ hunc, vel rem hãc, ꝙ ſcilicet Moyſes occidiſſet Aegyptiũ, & quærebat occidere Moy-
ſen. Quifugiens de conſpectu eius, moratus eſt, ſeu habitauit in terra Madian & ſedit iuxta puteũ. Midian legũt
Hebræi, nõ Madian, éſtque apud eos dyſſyllabum. Multa autem hîc ſubaudienda ſunt, eiuſmodi: Vbi cùm ali- H
quandiu moratus eſſet, quieuit, & ſedit aliquando iuxta puteum. Specimẽ igitur ingenij Moſaici ſtatim intelle
xit Pharao, ſed opprimere non eſt permiſſus. Aula ergo nutritus ob fratrũ ſaluté, & pro iuſto opere fit paſtor in
eremo. Interim verò circa fontes frequenter fiunt diſpenſationis diuinæ exordia, & numinis familiarior præ-
ſentia, vt patet ex Geneſi. Nõ poterat diu latere homicidiũ Aegyptij. Sed hoc iniquius ꝙ ab Iſraëlitis impio re-
gi defertur, quia fratrum erat fideliſsimus & iuſtus defenſor. Fugit igitur Moyſes, ne citra vocationem dei ma
nifeſtis periculis ſeſe obiiceret, ac deum tẽtaret: fugit, vt voluntati dei, qua perſpicuè tum ex contumelia ab im
pio Iſraëlita allata, tũ ex inſidiis regis, intelligebat ſe in exiliũ diuinitùs extrudi, obſequeretur: fugit, vt interea
temporis de vocatione dei firmiùs certificaretur: fugit, vt opportuniori tempore ad liberãdos Iſraëlitas reuer-
teretur. Sic fugit Iacob fratrem ſuum Eſau è terra promiſsionis. Sic fugit Dauid Saulem. Sic fugit Chriſtus la-
pidaturos ipſum. Sic fugit Paulus præfectum regis Aretæ è Damaſco. Sic & Chriſtus ad Apoſtolos ſuos dixit:
Si perſecuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Fuga igitur Moyſi nõ fuit impietas, ſed obedientia erga I
deum, & patientia, qua Moyſes in incommoda exilij lõgè omnium grauiſsima, ſeſe ꝙuo animo iniecit. Et cùm
exilium in domino patienter ſuſceperit, Dominus deus noſter tanta clementia ipſum complexus eſt, vt fecerit
ipſi exilium non ſolùm tolerabile, verùm etiam iucundum, ac liberauerit ipſum ab exilio, & reduxerit ad popu-
lum ſuum Iſraël honorificentiſsimè, quemadmodum poſtea ſequitur. Sed quò Moyſes fugit, & quo myſterio?
Nónne ad Madianitas fugit, progeniem quippe Abrahæ ex Cetura? Et hoc, vt inde ſumeret vxorem ſibi con-
uenientem, & ex progenie ſua, & vt inde influxum ac robur regionis illius ſuſciperet: & qui omni ſapientia Ae-
gyptiorum (vt Lucas narrat) præditus erat, inſtrueretur quoque doctrina Mercurij Triſmegiſti, qui (vt nonnul-
li viri inſignes affirmant) Iethro fuit, & ſeptinomius. Horum enim doctrina adeò conſimilis fuit, vt Artabã-
nus eandem vtriuſque doctrinam fuiſſe exiſtimauerit: tanquam conuenientem cum diuina, quam ipſe Moyſes
poſtea ſuſcepit. Sed obſerua obſecro in Moyſe, quid accidere ſoleat his, qui derelicta impietate, ſectantur voca-
tionem dei. Moyſes enim dereliquit aulam regiam, in qua videbat ſe non poſſe piè viuere, & coniunxit ſe cum K
Iſraëlitis, vt vocationem dei ſequeretur. Mox igitur cooriuntur in ipſum quaſi collecta manu, paupertas, igno-
minia, contemptus, non ab Aegyptiis tantùm, ſed etiam à ſuis ipſius Iſraëlitis, ad quos liberandos aulam dere-
liquerat, inſidiæ regis, pericula mortis, fuga, exilium, & quicquid eſt huiuſcemodi calamitatum. Solenne au-
tem eſt, vt qui relinquit impietatem, & ſectatur vocationẽ dei, maximis ſtatim periculis & calamitatibus obii-
ciatur. Vnde Chriſtus emiſſurus Apoſtolos ad prædicandum euangelium quod erat mandatum dei: Ecce ego,
inquit, mitto vos ſicut oues in medio luporum. Tradent vos in concilia, & eritis odio habiti ab omnibus pro-
pter nomen meum. Non enim eſt diſcipulus ſupra præceptorem, neque ſeruus ſupra dominum. Si ipſum pa-
trem familiâs vocauerũt Beelzebub, quantò magis domeſticos illius? Quod accidit ei qui ſectatur publicã fun
ctionem à deo mandatam: hoc idem accidit vnicuique priuatam vocationẽ dei ſectanti, vt ſi artifex mechani-
cus abominatur impoſturas, & adminiſtrat artificium ſuum iuſtè ac legitimè, continuò obiicitur periculis pau-
pertatis, famis & aliorum malorum, cùm interim videat eos artifices, qui dant operam impoſturis, magnas opes L
parare. Quid igitur faciemus? Abiiciemús ne vocationem dei, vt vitemus pericula & aduerſitates? Hoc autem
non eſſet pericula vitare, ſed iuxta prouerbium, Pluuiam fugere, & in fluuium incidere: temporalia quædam &
momentanea pericula vitare, perpetuo autem exitio ſeſe obnoxium reddere. Ac Satanæ quidem conſilium eſt,
vt immiſsis afflictionibus deterreat nos à ſectanda vocatione dei, & reuocet ad impietatem. Conſilium autem
dei eſt, vt immiſsis afflictionibus probet ac exerceat fidem noſtrã, & declaret nobis per afflictiones virtutẽ ſuã,
adeóque ſubinde maiores benedictiones per eas conferat. Quare tantò magis perſeuerandum eſt in obedientia
dei, quantò grauiores calamitates in nos exurgunt. Deinde, quòd Moyſes non regerit ingrato maledictum, ſed
conſultat de ſalute ſua, decet nos vt non regeramus maledicta maledictis, ſed potius admoneamur ex aduerſa-
riorum maledictis, vt nobis ſalus noſtra curæ ſit. Et ſi quidem meriti ſumus maledictum, caueamus, & reſipi-
ſcamus: ſi autem immeriti, tantò diligentius innocentiam cõſeruemus, quãtò ſollicitiùs Satan eam impugnat.
Myſticè. AVGVSTINVS VIGESIMO SECVNDO CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM, INTER- M
LINEARIS, ET ISIDORVS. Secundum altiorem autẽ ſenſum, poſtquam creuit Moyſes, egreſſus eſt ad
fratres ſuos, & dominus Ieſus Chriſtus triginta annorum factus, exiuit ad prædicandum Iudæis de quibus di-
cit ipſe, Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Omnes enim in Chriſto fratres ſumus, vnum patrem deum ha-
bemus. GRAECVS. Vel egreſſus dicitur ad fratres ſuos, quia Chriſtus formã ſerui accipiens, & ſemetipſum
exinaniens, non ob carnem tantùm qua indutus erat, ſed & propter animi beneuolum affectũ, Apoſtolos fratres
ſuos vocauit. IIDEM QVI SVPRA. Sic igitur egreſſus dominus noſter vidit afflictionem eorum qui e-
rant in mundo, qui feſtinanter tranſeũt viam huius ſeculi, ac miſertus eſt. Denique ab Aegyptio iniuriam per-
petientem inultum eſſe non perferens Moyſes, fratrem defendit, & eundem Aegyptium occidit. Cuius hoc
in loco facillimè occurrit, iniuriоſum nobis in hac peregrinatione diabolum, à domino Chriſto per mortem
ſuam nobis defenſis occidi. Hoc tamen prius cum circunſpectione factum, quia diſcretè omnia proſpiciens
ſaluator



A ſaluator noſter, non potẽtia, ſed ſapiẽtia vicit ſuperbũ humani generis hoſtẽ. Quod verò in ſabulo arenæ obruit
interemptum, manifeſtum eſt eius iam morticinam præſentiam in eis latere, quibus fluxę & aridæ ſunt mentes,
nec ſtabile habent fundamentum. Vnde & Eccleſiam dominus in petra ædificat, & eos qui audiunt verbum
eius, & faciunt, cõparat prudenti viro, qui ædificat domum ſuam ſupra petram, ne tentationibus cedat & cor-
ruat. Illos autem qui audiunt, & non faciunt comparat ſtulto ædificanti ſuper arenam, cuius tentata domus
ruinam efficit magnã. PROSPER. Occidit ergo Aegyptium Moyſes, eúmque obruit arena, & hoc agit Moy- *Par. 1. cap.*
• ſes noſter Mediator Chriſtus, eruens animas de poteſtate tenebrarum, in illa multitudine ſpiritalis ſeminis A- *33. & 34.*
brahæ, quæ creuit vt arena maris. Obruit Aegyptium, dum clamant dæmonia expulſa, Quid nobis & tibi Ieſu
fili Dauid? veniſti ante tempus perdere nos. Vidit etiam Moyſes alia die ſecum Hebræos altercantes, cœpítque *Mar. 1.*
eos componere ad pacem, dicẽs, Viri fratres vt quid alterutrum nocetis? Dixítque ille qui alteri iniuriam facie-
B bat: Quis te ſtatuit iudicem vel principem nobis? Nunquid & me vis occidere, quemadmodum occidiſti heſter
na die Aegyptium? Et noſter Moyſes mediator Chriſtus clamat per Dauid, Cum his qui oderunt pacẽ eram pa- *Pſal. 119.*
cificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Et alibi, Retribuebant mihi mala pro bonis. RABANVS. *Pſalm. 47.*
vel in eo quòd rixãtes duos Hebræos Moyſes pacificare voluit, eiuſdem Chriſti domini typum tenet, qui duo-
rum populorum diſcordiam pacificare ſtudens in ſemetipſo, angulari videlicet lapide, conſociauit atque co-
adunauit. GRAECVS. Moyſes igitur pacem ac concordiam inter fratres Hebræos conciliabat, quia profe-
ctò pace atque vnanimitate nihil præſtantius, aut melius dici poteſt. Idq; & verus Moyſes Chriſtus fecit, qui
fuit pax noſtra, qui dicebat, Pacem meam do vobis. RABANVS. Qui verò iniuriam fecit proximo, & recon- *Pſalm. 47.*
ciliatorem inhoneſtè ſpernens repulit, Iudaicum populum demonſtrat, qui prædicationem Chriſti, verbum re-
conciliationis ingratè ſuſcepit. Hoſtíſque verus credentis populi ſemper fuit, ſicut in Euangelio legitur, quòd
cæco nato à Chriſto illuminato, maledixerunt, ita dicẽtes, Tu diſcipulus eius ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſu-
C mus. Et alibi, Nolumus (inquiunt) hunc regnare ſuper nos. RVPERTVS. Vnde & ſanctus Protomartyr po- *Ioan. 9.*
puli ſui infatuatam malitiã in eo quo ſupra diximus loco nouiſsima exclamatione cõdemnat, Dura (inquiens)
ceruice & incircũciſis cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, & vos. Quem
Prophetarũ non ſunt perſecuti patres veſtri? Nẽpe ſubauditur, Moyſen negauerunt, Samuelẽ abiecerunt, Dauid
de regno exturbauerunt, alios lapidauerũt, alios ſecuerunt, alios in occiſione gladij interfecerunt. Tandem ita
concludit, Et occiderunt eos, qui pronunciabãt de aduentu iuſti, cuius nunc vos proditores & homicidę fui-
ſtis. Igitur Moyſes in exemplum huius negatus eſt à dicẽtibus, Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper
nos? Videlicet quemadmodum negãdus erat iuſtus à dicentibus, Non habemus regem niſi Cæſarem: & quem- *Ioan. 19.*
admodum hic negatus à ſuis, abiit acquirere ſibi Eccleſiam de gentibus, ſic Moyſes negatus fugit ſuos, & vxo-
rem accepit alienigenam, de filiabus ſacerdotis Madian. PROSPER. Quòd & per Prophetam de ipſo domi- *Vbi. 5. cap.*
no prædictum dudum antè fuerat, videlicet, Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. RABANVS. Fu- *34.*
D ga igitur Moyſi qua ab Aegypto recedens, migrauit in terrã Madian, ſignificat quod Redemptor noſter deſerẽs *Pſalm. 54.*
ciuitatem Iudaici populi, migrauit in Apoſtolis ad gentes conuocandas, vbi contradictionẽ primitùs inuenit,
poſteà deuotam obedientiam, quod bene exprimunt ipſa nomina. Aegyptus enim quæ interpretatur tenebræ,
ſignificat tenebras mentium infidelium. Madian autem contradictio vel reſponſio, demonſtrans gentes primùm
contradicentes euangelicæ prædicationi. Vnde & Simeon de Chriſto in euangelio ad Mariam dixiſſe legitur, *Luc. 2.*
Iſte erit in ruinam & in reſurrectionẽ multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Poſteà pia deuotione
& bonis operibus reſpondentes ſibi. PHILO EPISCOPVS. Eum qui interfectus eſt, vnũ ex præfectis Ae-
gyptijs fuiſſe tradunt. Cæterùm Iudæi Moyſen relegant, quem tamen Aegyptij ſeruarũt, illúmque ob beneficia
in eos collata relegant. Quo iam confugiat? Aegyptij non ſuſcipiunt, Iſraëlitæ perſequuntur, quo inquàm con-
fugiat, niſi ad gentes? Vides myſteria noui teſtamenti in veteri per ænigmata deſcripta. Tranſit igitur Moyſes
ex Aegypto in Madian, & Chriſtus ex Iudæa in Galilæã. BEDA. Sed & per Moyſi timorẽ timor Chriſti ex par-
E te carnis pronunciatur, vt eſt, Si poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et per hanc fugam, Chriſti per Mariam &
Ioſeph fuga in Aegyptũ à poteſtate Herodis, vt Moyſi à Pharaone. GREGORIVS NYSENVS. Sed & in
ſenſu alio inimici duo inter ſe colluctantes, Hebræus atque Aegyptius, inter quos medius factus Moyſes, cùm
eos conciliare non potuiſſet, Aegyptium interfecit, Pietas atque impietas. Primam ſcripturæ ſacræ per Hebræũ
ſignificatæ inſtituunt, alteram ſecularis ac exterior doctrina nugis ſuis inſinuat, quam qui Moyſen imitatur,
vno ictu reluctantem occidit, nec aduerſus piiſsimam fidem inſurgere ipſam patitur: quãquam etiam latiùs id
accipere pro omni virtute ac vitio poſsimus. Eſt enim quaſi medius inter iuſtitiam ac iniuſtitiã, luxuriam at-
que modeſtiam, humilitatem atque ſuperbiam, cæteráque huiuſmodi propoſitus homo. Docet igitur nos exẽ-
plo ſuo Moyſes radicitùs tollenda eſſe vitia, virtutem autem tanquam naturæ noſtræ conſentaneam ample-
ctendam eſſe atque fouendam. Rixa verò quæ inter Iudæos facta ſedari à Moyſe non potuit, noſtrorum ſunt
de dogmatibus Eccleſiæ colluctationes: quas ſi ſic ſedare nõ poſsimus vt iniuriantẽ deprimamus, fugiendum
F protinus ad ſublimiorem, ſacramentalémque doctrinam, ac alienigenæ rurſus, ſi res ita cogit, id eſt, ſeculari
doctrinæ parumper cohabitandũ: vt prauos paſtores à puteis expellamus, verſutos videlicet hos, malignóſque
doctrinæ profeſſores, qui rerum ſcientia ad ignorationem creatoris abutuntur. AVCTOR CATENAE. In
eo itaque quod Moyſes percuſsit Aegyptium, & eum ſub ſabulo ſepeliuit, docemur occidendum eſſe ac ſepe-
liendum animalem hominem, antequàm rerũ diuinarũ negotia pertractẽtur. An fortè (vt altiùs conſcẽdamus)
quia deus data illa virtute vt dictum eſt, iuſsit vt periculum faceret de virtute Aegyptiaca, magica prorſus ac
dæmoniaca: vt per hunc occiſum ac ſepultum in ſabulo indicaretur, quòd ſuperare & collidere debebat omne
robur Aegyptiorum, & tradere ipſum ſepulturæ in arena maris, loco quippe huiuſmodi poteſtatibus conue-
nienti. Hinc à peritis ſolent expulſi dæmones ad deſerta & arida loco relegari, cuius operis faciendi aliud in-
dicium fuit, quando virga Aaron virgas magorum Aegyptiorum deuorauit.

*Erant*

4 ERant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ quæ uenerant ad hauriendam aquam,& impletis canalibus G adaquare cupiebant greges patris ſui. Superuenere paſtores,& eiecerunt eas. Surrexítque Moyſes, & defenſis puellis adaquauit oues earum. Quæ cum reuertiſſent ad Iethro patrẽ ſuũ,dixit ad eas: Cur uelocius uenistis ſolito? Reſponderunt: uir Aegyptius liberauit nos de manu paſtorum. Inſuper & hauſit aquã nobiſcum, potúmque dedit ouibus. At ille,ubi eſt inquit? Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum ut comedat panem. Iurauit ergo Moyſes quod habitaret cum eo. Accepítque Sephoram filiam eius, quæ peperit ei filium quem uocauit Gerſan, dicens, Aduena fui in terra aliena. Alterum uerò peperit quem uocauit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus,& eripuit me de manu Pharaonis.

4 GREGORIVS NYSENVS. Ciuitatũ turbationibus omnino relictis, & ſecũ viuere volenti, quid con H tigerit Moyſi, auſcultа. *Erant autem* (inquit) *ſacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerant ad hauriendum aquam,& impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.* AVCTOR CATENAE. Primo ſciendum, dictionem לֹחֵן Chohen Hebraicam, quandoque miniſtrum dei, id eſt, ſacerdotem, quandoque magiſtratum populi, & in rebus temporalibus prælatum ac principem ſignificare? Et hinc factum, quod hoc in loco aliqui, Erant ſacerdoti Madian ſeptem filiæ vt Septuaginta. Aliqui, Principi Madian, vt Chaldaica, verterũt. Habet enim ipſa editio וּלְרַבָּא Vlrabba, quod principem ſignificat. Deinde quod ſequitur, Quæ venerãt ad hauriendam aquam, & cætera. Non deuiat ab Hebræo vbi legitur: וַתָּבֹאנָה וַתְּרַלֶּנָּה וַתְּמַלֶּאנָה אֶת הָרְהָטִים לְהַשְׁקוֹת צֹאן אֲבִיהֶן Vatabóna vatidlêna vatemallêna eth hárhatim, lehaskoth zon abihen, Et venerunt, & hauſerunt, impleuerúntque canales, vt potarent oues patris ſui, Vel potum darent pecudibus patris ſui. Alij vertunt, Quæ venerant hauſtum, vt implerent canales, adaquarèntque oues patris ſui. Chaldaica. Et veniebãt, & hauriebant, & implebant canales vt adaquarent oues patris ſui. Apud Septuaginta primo abundãt hæc omnia verba poſt, Erãt autẽ ſacerdoti Madian ſeptẽ filiæ I ποιμαίνουσαι τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν Ἰοθόρ, paſcẽtes oues patris ſui Iethro. Deinde legĩt παραγενόμεναι δὲ ἤντλουν ἕως ἐπλησαν τὰς δεξαμένας, ὥστε σαι τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτῶν Ἰοθόρ. Cum veniſſent autẽ, hauriebant quoad impleuerunt canales, vt adaquarent oues patris ſui Iethro. De quo tamen nomine hoc in loco nulla mẽtio fit in Hebræo. Hunc autem ſiue ſacerdotem, ſiue principem Madianitarum, ſiue vtrumque, veriſimile eſt fuiſſe cultorem vnius dei omnipotẽtis, vnici ac veri. Virgines olim iam ſæpè legimus ouiũ paſtores, id quod arguit inſignem caſtimoniam illorum temporum ac hominum. Nec mirum ſi magnorum virorum filiæ alendorum gregum curam haberent, cùm iſtę eſſent antiquorum diuitiæ. Exercitium ergo honeſtiſsimum & ſacroſanctum eſt curare pecora, & ex illis victitare. An autem verè ſacerdos fuerit Madian, an princeps regionis illius, incertum eſt, nam (vt dictum eſt) ſacerdos quandoque pro principe ponitur, vt ſecundo Regum octauo dicitur, filij autẽ Dauid ſacerdotes erãt. *Superuenere paſtores & eiecerunt eas. Surrexí que Moyſes,& defenſis puellis, ad aquauit oues earum.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Conſtat per hoc negocium quod ab vno fieri non potuit, K Moyſen non fuiſſe ſolum, ſed comites duxiſſe ſecum. AVCTOR CATENAE. Quod apud nos legitur, Et defenſis puellis, adaquauit oues earum, idem eſt quod habetur in Hebræo: וַיּוֹשִׁעָן וַיַּשְׁקְ אֶת צֹאנָם Vaiôſian, vaiâsk eth zonam, Et liberauit eas, & adaquauit oues earum. Ita & Septuaginta & Chaldaica. Eſt enim verbum יָשַׁע Iaſaha quod ſeruare, adiuuare, adeſſe, & liberare ſignificat. Moyſes igitur imbelles propugnat virgines, memor geſtorũ Eliezer & Iacob. Charitas nõ eſt otioſa, vbique reperit & ſemper occaſionem conſulendi tam viris quàm fœminis, tam foris quàm domi, tam proximis quàm alienis, omnes enim vbique gentium fratres agnoſcit,& debitricem ſe nouit omnium. Obſerua hîc quoque in filiabus iſtis veterum principum conſuetudinẽ. Hi enim educarunt liberos ſuos nõ ad delicias, ſed ad labores. Et tanto honeſtius ſibi duxerunt laborare, quanto id ordinationi diuinæ, & naturæ humanæ magis q̃ otio indulgere conuenit. Deinde vide iniquitatem paſtorum. Reiiciunt enim nulla legitima cauſa, ſed mera tantùm laſciuia & petulantia puellas à potandis gregibus ſuis, vel quòd puellæ propter imbecillitatem virium ſuarum iniuriæ facilè paterent, vel quòd pa- L ſtores vt homines impij, ſacerdotem patrem puellarum oderant. Fortè conſuetudo erat, vt priùs congregarentur greges omnes antequàm biberẽt, ſicut Geneſis vigeſimo nono dicitur, ſed quia ad horam hauriẽdi aquam venerant puellæ, ideo à paſtoribus eas defendit Moyſes. *Quæ cũ reuertiſſent ad Iethro patrem ſuum, dixit ad eas, Cur velocius uenistis ſolito?* INTERLINEARIS. Iſte Iethro Raguel, & Cinæus dicitur. AVCTOR CATENAE. Quæ cũ reuertiſſent ad Iethro patrem ſuũ. Emendatiores antiqui codices habẽt Raguel nõ Iethro, eſt enim in Hebræo אֶל רְעוּאֵל El Rehauel, ad Raguel. Et ita eſt Græcè & Chaldaicè. Quod verò ſequitur, cur velocius veniſtis ſolito? Sub aliis verbis idẽ eſt ſenſus in Hebræo, videlicet מַדּוּעַ מְהַרְתֶּן בֹּא הַיּוֹם Madduah miharten bo haiom: Cur feſtinaſtis venire hodie? Alij vertũt, Quare tã feſtinãter veniſtis, ſeu rediiſtis hodie? Chaldaica, Quid eſt hoc q̃ velocius ſolito hodie veniſtis? Eſt enim מָהַר Mahar verbum, quod feſtinare, accelerare & citò venire ſignificat. Et Septuaginta, τίότι ἐταχύνατε τοῦ παραγενέσθαι σήμερον, Quare feſtinauiſtis aduenìendo hodie? Is autem Raguel ſecundũ aliquos nõ fuit Iethro, ſed pater ipſius, auus virginũ. Iethro autẽ etiã alio nomine Hobab dicitur, & ſo- M cer Moyſi, nec rarũ eſt in diuinis ſcripturis, patrem dici qui auus ſit. Alij eundem eſſe volunt Iethro & Raguelem, Hobab & Cynæum, vt non ſolùm binominis, ſed etiam quadrinominis fuerit. Erat autem ſacerdos Madian, ſiue Iethro intelligas ſiue Raguelem: ſuccedebant enim etiam digni filij in ſacerdotio apud gentes, ſicut & apud Iudæos. Quadragenarius verò erat Moyſes cùm ad hunc ſacerdotem profugit. Elapſis autem ſecundum Iudæos quadraginta annis, deus illi apparuit,& ad tam præclarum ducatum elegit iam octogenarium, ſapientia & vitiorum omnium victoria conſummatũ. *Reſponderunt, vir Aegyptius liberauit nos de manu paſtorum. Inſuper & hauſit aquàm nobiſcum, potúmque dedit ouibus. At ille, vbi eſt inquit? Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, vt comedat panem.* Eleganter expreſsit doctus Interpres Hebraicum, Inſuper & hauſit aquam nobiſcum, nam ibi eſt וְגַם דָּלֹה Vegam dalo dala lánu, Et inſuper hauriens, ſiue hauriẽdo hauſit nobis. Et Hebraiſmus eſt. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta, καὶ ἤντλησεν ἡμῖν, Et hauſit aquam nobis. Quod autem ſequitur, At ille, in Hebræo eſt

*In annot. in Exodũ.*



A eſt וְאֶל בְּנֹתָיו Vaiômer el benothaf, Et dixit filiabus ſuis. Ita habet Chaldaica & Septuaginta: ſed more ſuo breuitati ſtuduit Interpres. Aegyptius videbatur ex habitu Moyſes, & ſtrenuus propugnator virginum iniuriam paſſarum, qui liberauerat eas de manu paſtorum, & citiùs eas domum remiſerat, vt pater quoque miraretur: vnde & quærebat qua ratione ſic reditum feſtinaſſent. Boni enim patrisfamiliâs eſt curare ſi ſedula ſit familia in agendis, morarum quoque cauſas inquirere, maximè filiarum, quas decet promptitudo, & in mandatis diligentia. Hauriendo (inquiunt) hauſit nobis: hoc eſt, diligenter & magna cum fide, multóque ſudore. Et dixit ad filias ſuas, vbi eſt? Quare dimiſiſtis hominẽ, & cætera. Sacerdotes maximè & ſuam familiam decet hoſpitalitas & beneficentia, & vt nullius operam gratis accipiant, ſed liberales ſint & benefici, etiam ignotis, maximè autẽ peregrinis: & his præcipuè, quos impigros, ac ad labores honeſtos alacres conſpicimus, non paſsim otioſe circum vagantibus. Interim tamen decorum ſeruatur, quia aſsuetæ non erant domum ducere ignotos. Patris
B autem erat gratiam referre beneficio. Mos autem eſt ſcripturæ, panem, omnem ciborum nuncupare apparatum, & ita hoc in loco accipitur. *Iurauit ergo Moyſes quòd habitaret cum eo.* EVSEBIVS. Nuſquam ſcriptura Iethro idolorum ſacerdotem fuiſſe tradit, ſed gentis. Nonnulli dixere ex Abraham progenitum fuiſſe, ideóque religioſum ac pium extitiſſe, qua ex re Moyſes quoque ad eum confugit. Madian nanque Abrahæ & Cethuræ filius fuit, vnde Madianitæ ortum traxerunt, vt ait ſcriptura. HVGO DE SANCTO VICTORE. Iurauit ergo Moyſes quòd habitaret cum eo, id eſt, pactum iniuit poſt multa verba habita ad inuicem, de aliis antequàm ad pactũ accederent, quæ tamen tacentur. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, Et voluit Moyſes habitare cum eo. Nulla eſt mentio iuramenti, ſed liberæ voluntatis. AVCTOR CATENAE. Quanquã maior pars recentiorum, & quidem eruditorum virorum, cum Chaldaica editione quæ habet hoc in loco, Et voluit Moyſes habitare cum eo, conueniant, & verbum reddant, & conſenſit, ſeu acquieuit, aut cœpit Moyſes vel placuit Moyſi habitare cum viro illo, tamen Hebraicum verbum יָאַל Iaal vltra prædicta omnia etiam iurare ſignificat. Vnde non male vertit Interpres, Et iurauit. Iuramento enim potuit ſe obſtringere Moyſes ſacer-
C doti, vt non diſcederet citra illius conſenſum. Potuit etiã in animo ſuo firmiter decernere habitare cũ eo iuxta dictum Prophetæ, Iuraui & ſtatui, & cætera. Septuaginta autem habent, κατῳκίσθη, Et habitauit Moyſes, vel collocatus eſt. Sic eadem ſententia à diuerſis per diuerſa verba exprimitur. Placuit igitur Moyſi habitare cum viro tam hoſpitali, qui honeſtè ipſum ignotum ſuſcepiſſet. GREGORIVS NYSENVS. Tanta autem fuit ſacerdos iſte ad pernoſcenda ingenia hominum, moreſque comprehendendos prudentia præditus, vt vnica re geſta, quam Moyſes aduerſus paſtorum vim magno animo fecerat, adoleſcentis virtutem conſpexerit, quod non proprio lucro, aut laude commotus, pro iuſtitia pugnauerit, ſed iuſtum ipſum, per ſe ac natura ſua honeſtum iu dicans, paſtores qui nihil in ſe ipſum peccarunt, caſtigauit, eorúmque iniuriam repulit. Quapropter virtutem Moyſi admiratus, præſtantiorem ipſam aliorum diuitiis exiſtimans, filiam ei tradidit in vxorem, facultatémque fecit, vt ipſe quãcumque viuendi rationem vellet, eligeret. *Accepítque Sephoram filiam eius, quæ peperit ei filium quem vocauit Gerſan, dicens, Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor*
D *meus,& eripuit me de manu Pharaonis.* CAIETANVS. Tota iſta particula de hoc ſecũdo filio ſuperflua eſt, nõ enim habetur in textu Hebraico aliquid de hoc ſecũdo filio, aut de nomine, aut de ratione nominis eius, ſed poſt illa verba, Aduena fui in terra aliena, immediatè ſubiungitur, poſt multum verò temporis mortuus eſt rex Aegypti. AVCTOR CATENAE. Primùm, quod in noſtra litera eſt, Accepítque Sephoram filiam eius vxorem, idem eſt quod in Hebræo ſub aliis verbis dicitur וַיִּתֵּן אֶת צִפֹּרָה בִּתּוֹ לְמֹשֶׁה Vaitten eth zippora bitto le Moſe, Et dedit Sephoram filiam ſuam Moyſi, ſubintellige vxorem. Ita habent Septuaginta & Chaldaica. Quem vocauit Gerſan. Verùm eius Hebraicum nomen eſt גֵּרְשֹׁם Gerſom. Quod verò ſequitur, Alterum verò peperit, quẽ vocauit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis, non eſt in canone Hebraico, nec habetur in Chaldaica, ſed tantùm apud Septuaginta. De hoc ſecundo filio infra decimo octauo fit mentio, & ponuntur ibi eadem verba quæ hîc habẽtur, è quo loco Græci & Latini illa huc tranſpoſuerũt. Gratiam igitur promeruerat honeſtas morum, iuſtitia & beneficentia vtrinque, & morum æquabilitas intan-
E tum conciliauerat animos vtrorumque, vt Iethro non dubitauerit filiam dare extraneo nuper primùm recogni to. Diſcimus filias non niſi dignis & probatæ honeſtatis viris elocandas. Quæ peperit ei filium, quem vocauit Gerſan, & cætera. Vt nomine filij admoneatur diuinæ clementiæ, qua deus ipſum in exilio ita complexus eſt, vt non ſolùm reddiderit ipſi propitios homines ignotos, verùm etiam dederit ipſi in terra aliena vxorem, filiam ſacerdotis, & liberos. גֵּר enim ſignificat peregrinũ, & שָׁם illic. vnde nomen Gerſom deriuatum eſt, quia (inquit) peregrinus fui in terra aliena. Secundum verò filium vocauit Eliezer, vt & hoc nomine admoneatur de diuinis beneficiis, quæ ipſi in exilio contigerunt. Eliezer enim ſignificat, Deus adiutor meus, אֵל enim ſignificat deum, עֵזֶר adiutorem, quia (inquit) deus patris mei adiutor meus, & eripuit me de gladio Pharaonis. Hoc exemplo primùm admonentur parentes, vt liberos ſuos aſpiciant, non, vt impij, tanquam irritamenta auaritiæ, ſed tanquã monumenta diuinæ beneficentiæ, & excitentur ad gratiarum actionem, & obedientiam deo præ-
F ſtandam. Deinde monentur omnes exules, vt exilia ſua, & alia aduerſa fortiter ferant, & bene confidant. Domini enim eſt terra & plenitudo eius, qui & in Moyſe declarauit, quòd confidentes in ipſum, in medio etiam exilio conſeruet, ac magnis beneficiis afficiat, adeóque nunquam ſinat ipſos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed faciat vna cum tentatione prouentum, vt poſsint ſufferre. Sancti itaque ſciunt ſe aduenas & peregrinos in hoc ſeculo, beneficiorum dei memoriam perennem inſtituunt ſibi nominibus filiorum. Vt quandocunque liberos aſpicerent vel vocarent, diuinorum beneficiorum recordatione permouerentur ex nomine, contra Chriſtianos, quorum nonnulli non ſanctorum, ſed gentilium nomina filiis imponunt, vel quorum ſignificationes non intelligunt.

RABANVS. Myſticè autem, ſedit Moyſes iuxta puteum, ad quem venerant ſeptem filiæ ſacerdotis Ma- *Myſticè.*
dian ad hauriendas aquas, vt adaquarent greges patris ſui. Quibus aduerſabantur paſtores, ſed Moyſes defenſis puellis, adaquauit oues earum. Sic & redemptor noſter ſcientiæ legis, ſeu mundanæ ſapientiæ præſidens venientibus

G nientibus ad se septem ecclesiis de domo diaboli, spiritualem doctrinam impendit, quas possent sensus cordis sui refocillare, & sibi obedientibus potum vitæ tribuere, falsósque pastores, hoc est, Philosophos, seu idolorum sacerdotes à læsione earum compescuit. Quòd autem Raguel admiratus est filias suas velociùs solito venisse, stuporem diaboli de veloci conuersione gentium ad fidem Christi significat, quia promptiores fuerunt ad obedientiam Euangelij, pro qua etiam mori paratæ erant, quàm vnquam in eius cultu vel idolatria existerent.

*Serm.86.* AVGVSTINVS. IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Sed & in eo quòd Moyses abiit in regionem longinquam, & accepit Aethiopissam vxorem, Agnoscite fratres non paruum esse mysterium. Aethiopissa illa ex gentibus erat, quam beatus Moyses duxit vxorem, quia & Christus ex gentibus sibi sociaturus erat Ecclesiam. Moyses dereliquit populum suum in longinquis regionibus, & Aethiopissę coniungitur: & Christus relicto populo Iudæorum, de extremis regionibus Ecclesiæ sociatur, illi vtique quæ dicit in Psalmis, A finibus

*Psal.60.* terræ ad te clamaui. Audi ex persona Ecclesiæ in Canticis canticorum. Ait Ecclesia, Nigra sum, & formosa. H Quid est, Nigra sum, & formosa, nisi nigra per naturam, formosa per gratiam? Nigra originali peccato, formo-

*Cantic.1.* sa baptismi sacramento. RABANVS. Peperit autem Sephora Moysi duos filios, quorum alter Gersan, alter verò dictus est Eliezer. Cùm enim redemptor noster de Gentili populo Ecclesiam septiformem spirituali con-

*Cantic.6.* iugio sibi copulauit, quæ licet munere spiritus sancti septiformis sit, tamen vna est in fide catholica, de qua in Cantica canticorum dicit, Vna est Columba mea, electa genitricis suæ. Hæc vnum genuit filium qui vocatur aduena, & alterum qui vocatur dei adiutorium, quæ nomina bene conueniunt populo Christiano, ex circuncisione & præputio conuocato. Aduenæ enim sunt, qui in incolatu istius mundi à cœlesti patria modò peregrinantur, sed tamen dei adiutorio nunquam carebunt. THEODORETVS. Moyses ergo qui alienigenam in vxorem duxit, Christum præfigurat, qui Ecclesiam ex gentibus congregatam, sibi in fide sponsam copulauit & nominauit. CYRILLVS. Sed contemplare quæso, quòd vna Leui filia sacrum Moysen genuit, filiæ verò Iethro plures genuerunt: vna enim est Iudæorũ multitudo, ex qua Christus secundum carnem natus I est, Multæ autẽ Gentium filiæ, hoc est, multitudines in mũdo degentiũ. Relicta igitur Christus synagoga vnde natus erat, ad multos Gentiũ greges se se cõtulit, quos peruersi pastores infestabãt, hoc est, huius mundi rectores ac principatus, quos tamen greges Christus seruauit. Nec tantùm seruauit, sed & pastor quemadmodum & Moyses fuit, falsorum pastorum, imò luporum rabiem vlciscens, & greges suos aqua in vitam saliente, hoc est, cœlesti prædicatione & gratia potans. GREGORIVS NYSENVS. Sed & tropologicè. Cùm versutos hos malignæ doctrinæ professores, à puteis repulerimus, sic viuemus, vt pugnantibus non misceamur, nec perturbemur reluctatione multorum. Sed motus animi omnes tanquam oues pastori, sic rationi obtemperantes gubernabimus: qua quidem in norma viuendi perseuerantibus, mirabili suo veritas splendore nobis apparebit, animíque oculos subaperiet atque illuminabit.

K *POst multum verò temporis mortuus est rex Aegypti. Et ingemiscentes filij Israël propter opera uocise rati sunt. Ascẽditque clamor eorũ ad deum ab operibus, & audiuit gemitũ eorũ, ac recordatus est fœderis quod pepigerat cũ Abraham, Isaac, & Iacob. Et respexit dominus filios Israël, & cognouit eos.*

*Post multum verò temporis mortuus est Rex Aegypti. Et ingemiscentes filij Israel, propter opera vociferati sunt.* INTERLINEARIS. Corde scilicet & ore. RVPERTVS. Quare dum viueret Pharao nõ ingemuerũt, nõ vociferati sunt fi-

L lij Israël ad dominũ? videlicet quia nimietas oppressionis ingemiscere non sinebat, vociferari prohibebat. Hoc nanque habet violenta tyrannorũ vis, vt eis quos opprimunt, liberationẽ optare, pro crimine audaciæ vel cõtumaciæ sit. Et quidẽ gemebant priùs afflicti Aegyptijs illudẽtibus, atque ad amaritudinẽ vitam illorũ perducẽtibus, sed differt, vtrũ quis clanculo gemat, tacitoq; gemitu dolorẽ sub pectore cõsumat, an publico conuentu, in auditu quorũlibet, clamosam in altũ depromat querelã. Vnde cuidã victo sub victoris potentia dictũ est fauendo, O miseri quorũ gemitus edidere dolorẽ. Qui te nõ pleno pariter planxere theatro. Ergo & antè filij Israël gemebant quidẽ, sed nõ audebant gemere palã, nunc autẽ quia mortuus est Pharao rex Aegypti, publicis cõuenti- L bus gemuerunt, gemitumq; in cœlum sustulerunt. CAIETANVS. Aduerte hic diuinæ prouidentiæ suauem dispositionẽ. Quando enim vult exaudire, excitat peccatores, excitat homines grauatos tẽporalibus malis vt recurrant ad ipsum. AVCTOR CATENAE. Post multũ verò temporis, idem est quod in Hebræo habetur, וַיְהִי בַיָּמִים הָרַבִּים הָהֵם Vaihi baiamim hárabbim hahem, Et fuit post dies multos hos, sic & Septuaginta. Chaldaica quoq;, Et factũ est post multos dies, annos scilicet quadraginta secundũ nonnullos Hebræorũ. Quod autem dicitur, propter opera vociferati sunt, Chaldaica exponens hoc quid sit, ait, Ingemuerũt filij Israël propter duram seruitutem quæ erat super eos. Igitur tyrannorum excidium redemptio fit piorum, nisi malo peior succedat, nondum completis peccatis subditorum. Solent oppressi semper meliora sperare ex morte præsidentium, rarò autem sentire. Hîc autẽ mortuo rege nihil laboris & onerum minuitur filiis Israël. Clamant ergo ad dominũ: & vexatio dat intellectum. Mala enim quæ nos hîc premunt, ad deum confugere cogunt. *Ascenditque clamor eorum ad deũ ab operibus.* INTERLINEARIS, Id est, pro operibus. CAIETANVS. Priùs descripsit M quòd suspirarunt & clamarunt filij Israël oppressi ab oneribus, modò describit quòd clamor tantę fuit vis, vt ascenderet ad deũ ex seruitiis. Decet nanq; vt afflictio tam crudelis seruitutis, vires præbuerit clamori ad perue niẽdũ ad aures summi iudicis. AVCTOR CATENAE. Ascẽditq; clamor eorũ ad deum ab operibus, id est, exaudiuit eos deus propter seruitutẽ illã. Et Hebraismus est. Oratio siquidẽ humiliatorum & indignè afflictorum, nubes penetrat. Est enim pauperum oppressio, peccatum clamans in cœlum. *Et audiuit gemitum eorum.* CAIETANVS. Significatur consequenter, quòd clamor laborum perueniens ad summum iudicem, ad similitudinem excitãtis, prouocauit eum ad auscultandũ clamorẽ personarũ, hoc est, quid ipsi volunt. AVCTOR CATENAE. Loquitur scriptura de deo humano more. Tunc enim vulgo aliquem dicimus clamorẽ alicuius audire, cũ ei opem ferre incipit. Hîc tandẽ orasse leguntur filij Israël, quia liberandi describuntur. *Ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob.* RVPERTVS. Id est, nõ oblitum se esse ostendit. CAIETANVS. Con-



A Consequenter adhuc humano more loquendo, audito desiderio Hebræorũ recordatus est, hoc est, ad similitudinem recordati, cõtulit Israëlitarũ clamorẽ cum fœdere inito cũ Patriarchis de liberatione eorũ. AVCTOR CATENAE. Maxima spes incessit pios, dum superabundat impietas eo, vt se ipsam tandẽ ferre non possit, sed suo ipsius pondere collabatur. Iuramentũ quoq; dei ad patres irritari non potuit, licet iam diutius dilatũ fuisset. *Et respexit dominus filios Israel.* CAIETANVS. Tandẽ iustus dominus in omnibus verbis suis, memor promissionis suæ, respexit miserationis oculis filios Israël, Isaac, & Abrahæ, propter merita patrũ respexit illos. AVCTOR CATENAE. Et respexit deus filios Israël, id est, vidit quomodo palã & publicè affligerentur, cognouit præterea cogitationes Aegyptiorũ, quomodo scilicet illos perdere volebant. Vnde hîc Chaldaica, Et nota fuit corã domino subectio filiorum Israël. Vel vidit filios Israël, hoc est, misertus est eis. Sic & dominus cũ esset in atrio principis sacerdotum, & Petrus deorsum illũ ter negasset, conuersus respexit eum, hoc est, misericordiæ suæ ocu-

B lis intuitus est, & à peccato relenauit. Interim autẽ tolerãtia & longanimitas docetur, dum nõ resistit tantus populus durissimo scilicet seruitio pressus, non se violenter eripit, non effugit. *Et cognouit eos.* AVGVSTINVS *Locut.6.* IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Vel secundum aliã literam, Et innotuit illis pro eo repositum est innotuit, quod egit in eis, quibus dei curam erga se intelligerent. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, & cognouit deus, nec aliquod est pronomen: propterea ad causam refertur notitia. Ita quod post miseridos oculos erga afflictos, humano more describitur, quòd summus iudex cognouit merita causæ, ex qua cognitione processit (vt infra scribitur) deliberatio descensus ad liberãdum Israël afflictum iniustè. AVCTOR CATENAE. In Hebręo est: וַיֵּדַע אֱלֹהִים Vaiẽdaha elohim, Et cognouit eos, id est, ad cognoscẽtis similitudinẽ sese habuit erga eos maximæ dilectionis signa exhibendo, vt in consequentibus palã fiet. Ad dominum igitur clamat ac suspirat populus, qui ipsos cognoscere incipit, id est se clementẽ ostendit, liberatorem mittens. Vnde & Chaldaicã hoc in loco declarans quid sit cognoscere dei, ait, Et dixit in verbo suo vt liberaret eos. Quod autem est

C apud Septuaginta, καὶ ἐπεγνώσθη αὐτοῖς, id est, Et cognitus est eis, iuxta superiorem sensum intelligitur, videlicet quòd liberando eos mirabili modo deus, egit vt ab eis cognosceretur pro deo suo, sicut dicit Moyses in Cantico, Iste deus meus, & glorificabo eum, deus patris mei, & exaltabo eum. Item quis similis tui in fortibus domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Agnoscit autem maximè deus, & certò exaudit eos, quos feruenter orare donauerit.

RABANVS. Sed & spiritaliter, postquàm Moyses in terra Madian vxorem susceperit, mortuus est rex Aegypti, quia postquàm Christus in toto orbe terrarum per Euangelium gentes ad fidem conuocauit, destructus ac minoratus est principatus Diaboli, qui per idololatriam captiuum anteà tenebat mundum. Et ingemiscentes filij Israël, propter opera vociferantur, cùm credentes ex carnis corruptione dolent, & ex peccati contagione lachrymas pœnitentiæ ad pias aures conditoris emittunt. De quibus meritò dicitur, quòd ascendit clamor eorum ad deum ab operibus, & audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, quia oculi domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, & ex omnibus tribulationi- *Mystice.*

D bus eorum liberauit eos. ORDINARIA. Sed & in te nisi moriatur rex Aegypti, non cognoscis te opprimi seruitute Aegypti, & operibus luti & latẽris, nec corde ingemiscis nec vociferaris ad dominum, vt liberet te. RVPERTVS. Iuxta ergo Anagogen morale est, quod præsenti loco scriptura intendit. Quandiu viuit Pharao, id est, quandiu regnat peccatum in mortali nostro corpore, non ingemiscit animus, neque ad dominum vociferatur, sed libens, & seruitutis pessimæ laborem, vel contraria onera sentiens, subigitur operibus duris luti ac lateris, omníque famulatui quo in terræ operibus premitur. Gemit quidem vtcunque & suspirat, interdum etiam plorat. Sed differt vtrum quis gemendo & plorando lutum lauet, an luti operibus abiectis, melius propositum arripiat, & pro auxilio dei fortiter in cœlum clamet. Et si moriatur impius rex Aegypti, si iuxta Prophetam computrescat iugum à facie olei, cessetque amor peccandi vera confessione spiritus sancti, tunc ingemiscit Israël, & liberè vociferatur, ascenditque ad dominum clamor eius, & audit liberator gemitum eius. CYRILLVS. Quãdiu ergo in ignorantia dei perstitimus, tandiu iniquis subiecti sumus, & peccati volu-

E tabris inuoluimur, accerbos atque immites horum præfectos habentes impuros dęmones. Quum autem deum cognouerimus, libertatis gratia nos sequetur.

## AVCTORIS CATENAE IN CAPVT EXODI TERTIVM, ARGVMENTVM.

*Moyses pascit oues, videt deum in rubo, Mittitur ad filios Israel & Pharaonem oppressorem.*

## CAPVT TERTIVM.

F *MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian. Cúnque minasset gregem ad interiora deserti, uenit ad montem dei Horeb. Apparuítque ei dominus in flamma ignis de medio rubi, & uidebat quòd rubus arderet, & non comburetur. Dixit ergo Moyses, Vadam & uidebo uisionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem dominus quòd pergeret ad uidendum, uocauit eum de medio rubi, & ait, Moyses Moyses. Qui respondit, Adsum. At ille, Ne appropies (inquit) huc, solue calciamentum de pedibus tuis: Locus enim in quo stas, Terra sancta est. Et ait, Ego sum deus patris tui, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra deum.* *Lectio.1.*

GRE-

Lectio.1. GREGORIVS NYSENVS. Montanam ac ſolitariam vitam Moyſes elegerat, vbi à turbatione pro- G cul remotus,in ouium cura ſibi in deſerto attendebat. Quo in genere vitæ non paruo tranſacto ſpatio,mirabilem, dicit hæc hiſtoria ipſum vidiſſe viſionem. Ea verò fuit huiuſmodi. *Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian. Cúnque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem dei Horeb. Apparuítque ei dominus in flamma ignis de medio rubi.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Choreb mons dei in regione Madian, iuxta montem Sina ſupra Arabiam in deſerto, cui iungitur mons & deſertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quòd duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Choreb vocetur. AVGV-
Cap.13. STINVS SECVNDO DE TRINITATE. Apparuítque ei dominus, vel ſecundum aliam literam, Angelus in flamma ignis,& cætera. Et hic primo Angelus domini dictus eſt,deinde deus.Nunquid ergo Angelus eſt deus Abraham, & deus Iſaac,& deus Iacob? Poteſt ergo rectè intelligi ipſe ſaluator, de quo dicit Apo-
Rom.9. ſtolus, Quorum patres,& ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſe- H cula. Qui ergo ſuper omnia eſt deus benedictus in ſecula, non abſurdè etiam hic ipſe intelligitur deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob. Sed cur prius Angelus domini dictus eſt, cùm de rubo in flamma ignis apparuit, vtrum quia vnus ex multis angelis erat, ſed per diſpenſationem perſonam domini ſui gerebat, an aſſumptum erat aliquid creaturæ, quod ad præſens negocium viſibiliter appareret, & inde voces ſenſibiliter ederentur, quibus præſentia domini per ſubiectã creaturam corporeis etiam ſenſibus hominis ſicut oportebat, exhiberetur? Si enim vnus ex Angelis erat, quis facilè affirmare poſsit vtrum ei filij perſona nunquam impoſita fuerit, an ſpiritus ſancti, an dei patris, an ipſius omnino Trinitatis, quæ eſt vnus & ſolus deus, vt diceret, Ego ſum deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob? Neque enim poſſumus dicere deum Abraham,& deum Iſaac,& deum Iacob,filium dei eſſe,& patrem non eſſe aut ſpiritum ſanctũ,aut ipſam Trinitatem quam credimus & intelligimus vnum deum, audebit aliquis negare deum Abraham & deũ Iſaac & deum Iacob? Ille enim non eſt illorum patrum deus, qui non eſt deus. Porrò ſi non ſolùm pater deus I eſt, ſicut etiam omnes hæretici concedunt, ſed etiam filius, quod velint nolint coguntur fateri, dicente Apoſtolo, Qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula,& ſpiritusſanctus dicente ipſo Apoſtolo,Clarificate ergo
Rom.9. deum in corpore veſtro, cùm ſupra diceretur, Neſcitis quoniam corpora veſtra templum in vobis eſt ſpirituſ-
1.Cor.6. ſancti, quẽ habetis à deo,& hi tres vnus deus, ſicut catholica ſanitas credit, non ſatis elucet quam in Trinitate perſonam, & vtrum aliquam, an ipſius Trinitatis gerebat ipſe Angelus, ſi vnus ex cæteris angelis erat. Si autem in vſum rei præſentis aſſumpta creatura eſt, quæ & humanis oculis appareret, & auribus inſonaret, & appellaretur Angelus domini, & dominus & deus, non poteſt hic deus pater intelligi,ſed aut filius, aut ſpiritus ſanctus, quanquam ſpiritum ſanctum alicubi Angelum dictum non recolam, ſed ex opere poſsit intelligi. Dictum enim de illo eſt, Quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Et vtique Angelus Græcè, Latinè nuntius interpretatur. De domino autem Ieſu Chriſto euidentiſsimè legimus apud Prophetam, quòd magni conſilij angelus dictus ſit, cùm & ſpiritus ſanctus & dei filius ſit deus & dominus angelorum. PHILO IVDAEVS. K Cùm igitur eduxiſſet Moyſes gregem in locum aquis irriguũ & floridum, vbi multa pecudibus herbarum exhibebatur copia, et in conuallem iam deueniſſet, videt hic prodigioſum ſpectaculum. Et quantum quis ſuſpicari poſſet, erat ea viſio atque preſentia eius qui eſt, vocetur autem angelus, eo quòd quæ ventura eſſent, denunciabat. EVSEBIVS. Pauit autem Moyſes oues quadraginta annis. Huius enim vita in tres æquales numeros diuiſa eſt. Quum quadraginta annorum eſſet, fratres ſuos inuiſit, & perſequutionem paſſus eſt. Quadraginta annos natus, paſtor efficitur. Quadraginta annos populo præſidet, vt Aegyptiorum doctrinam per quadraginta annos ediſceret, quæ verò ad paſtorem ouium pertinent, quadraginta annorum numero doceretur, propterea quòd per quadraginta annos oues ratione præditæ illi credendæ erant. At omnis quidem principatus ac præfectura moleſtia non caret, ouium dico atque equorum, atque huiuſcemodi animantium, non æquè tamen vt ouium rationalium, cùm eiuſdem cum præfecto honoris atque naturæ conſortes ſint. ISIDORVS. Hic Hebræi dicunt,propterea in rubo apparuiſſe deum Moyſi nõ in alio ligno, ne fortè L exculperent in eodem Iudæi idolum.Semper enim deus abſtulit occaſionem idololatriæ. RVPERTVS. Eſt autem hic ordo verborum, Filij Iſraël ingemiſcentes propter opera vociferati ſunt ad dominum, dominus autem audiẽs gemitũ eorũ,apparuit Moyſi in flãma ignis de medio rubi,vbi paſcebat oues Iethro ſoceri ſui Madian ſacerdotis. CAIETANVS. Iuxta Hebræum loco verborum, ad interiora deſerti, habetur, retro deſertum. Et quoniam antè & retro opponuntur, relatiuè ad Madian deſcriptum videtur retro. Mons autem Sinai appellatur mons dei, eo quòd ibidem deus legiſlator apparuit, & à nomine poſtea impoſito prænominauit illum Moyſes. Et quoniam non in quamcunque partem montis Sinai, ſed in illam quæ appellatur Choreb, venit Moyſes, Ideo ad ſignificandum in ſpecie partem montis Sinai(quæ pars habet formam cuiuſdam parui montis) appoſuit ad Choreb. Quod autem in vulgata editione ſcribitur, Apparuítque ei dominus in flamma ignis, iuxta Hebræum habetur,Et fuit viſus Angelus dei ipſi. Ita quòd non deus, ſed angelus eius viſus deſcribitur. Et in qua etiam ſpecie viſus fuerit ei Angelus oſtenditur, in ſpecie ſcilicet flammæ ignis, ex interioribus M ruborum naſcentis, tanquàm ex lignis,ex quibus nutriri ſolet flamma ignis. AVCTOR CATENAE. Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui. Rectè redditum eſt verbum Hebraicum חֹתְנוֹ Chóthno, Soceri ſui. Nam licet חֹתֵן affinem etiam, & quemlibet cognatum ſignificet,hic propriè ſocerum reddit,vt Chaldaica quoque editio, & omnes recentiores docti verterunt. Septuaginta etiam habentes, πενθεροῦ ἑαυτοῦ, ſoceri ſui. Cúnque minaſſet gregem ad interiora deſerti. Hebraicè eſt: וַיִּנְהַג אֶת הַצֹּאן אַחַר הַמִּדְבָּר Vainhag eth hazon achar hãmidbar, Et duxit oues poſt deſertum,hoc eſt,in penitiſsimam partem deſerti, quod Latinus interpres expreſsit, dicens, Ad interiora deſerti. Septuaginta, ἐις ἔρημον, in deſertum dixerunt. Chaldaica, Et minauit oues ad locum optimi paſtus in deſerto. Sequitur, Venit ad montem dei Horeb. Nempe hoc per anticipationem dictum eſt, nondum enim mons dei appellabatur. Sic autẽ dictus poſteà, quia illic deus reuelatus ſit Moyſi, & dederit in eo legem & præcepta. Vnde Chaldaica, Et venit in montem Horeb, vbi reuelata eſt gloria dei,

habet



A habet. Aut fortè quia mons ingens fuerit, ſicut aliàs exercitus dei dicitur, exercitus magnus. Denique quod ait, Apparuítque ei dominus in flamma ignis de medio rubi,Hebraicè eſt מַלְאַךְ יְהוָה Malach iehoua, Angelus domini. Sic & apud omnes editiones habetur. Dicunt autem quidam per Angelum domini intelligi verbum dei, alij ipſum Angelum deum repreſentantem, & in eius perſona loquentem, qui & poſtea dicetur dominus. Dicuntur enim Angeli de nomine mittentis. Quia ergo Interpres ſentit deum Angelũ illum fuiſſe,vt etiam ex toto capite colligitur, ſequutus eſt non verbum, ſed ſententiam, & apparuit ei deus, non Angelus tranſtulit. Vbi verò habemus, In flamma ignis, Hebraicè eſt בְּלַבַּת אֵשׁ Belabbath es. Et volũt nonnulli Labbath hîc idem eſſe quod לֵב Leb,id eſt, cor, vt dicatur, de corde ignis, id eſt, de medio ignis. Quia enim cor in animantibus
B Hebræo eſt סְנֶה Sene. medium locum obtinet, ideo cor accipitur pro medio cuiuſcunque rei. Alij dicunt vocem Hebræam Labbath ſignificare flammam,vt ſit in flãma ignea,vel ignis,vt vertit Interpres.Denique quæ apud nos rubus dicitur, in Eſt autem arbor ſterilis & ſenticoſa, quam auis citra deplumationem intrare non poteſt, vt Hebræi dicũt, creſcens in deſerto,à quo nomine & arbore mons Sinai nomen acceperit,ſiue quòd in eo loco ruborũ magna copia fuerit,vel quòd ibi rubus extiterit,in qua dominus Moyſi apparere dignatus eſt. An autẽ qui Moyſi hîc apparuit,& cũ eo locutus eſt,verè angelus vel deus fuerit,queſtio eſt.Et potuit quidẽ fieri, vt ſub preſentia Angeli deus ſeſe oſtẽderet,& tamẽ per ea quę fierẽt,eſſe deus cognoſceretur,vt habetur hoc libro capite vigeſimotertio.Vbi deus alloquitur populũ,Ecce ego mitto Angelũ meũ,obſerua eũ, quia in medio eius ſum. Deum enim vti eſt,nemo vidit vnquã.Qui ne nominari quidẽ poteſt,nedũ videri.Videmus autẽ hîc eundẽ appellari angelũ & deum,idq; nomine illo tetragrãmaton quod in ſolũ deum poteſt cõpetere.Nã vbi dicitur, cernens autẽ dominus quòd pergeret ad videndũ, Hebraicè eſt nomen tetragrãmaton.Sciendũ tamen huiuſmodi dei apparitionẽ Moyſi factã,per creaturã ſubiectã extitiſſe,quia in Angelo & per Angelũ apparebat ei, & loquebatur. Sed nec ipſe Angelus in forma ſenſibili & humana, aut viſibilis in propria perſona ei oſtenſus eſt. Vnde
C nec Moyſes Angelũ ſciuit eſſe iuxta rubum,vel in igne quẽ vidit,quando primitùs ignẽ ipſum cõſpexit.Verùm ſicut Angelus in humana forma quãdoque apparet, ita nunc in ignis ſpecie, quemadmodum & Apoſtolis ſpiritus ſanctus in igneis linguis apparuit. Sanctorum igitur opus proprium eſt paſcere oues, prodeſſe multis, obſequi & inſeruire, manuum labore comparare victum & amictum, quibus & contenti ſunt, idque ſine proximorum iniuria. Rependit ſocero gratiam diligenter pecora cuſtodiendo. Madianitarum ſacerdos erat, veri dei cultor, vt videamus,etiã Iudæorum teſtimonio, præter Iudæos fuiſſe complures veri dei cultores. Solitudinis interiora loca, hoc eſt, poſteriora penetrando adiit, ne alteri paſtori præriperet commoda paſcuorum. Vtq; tutior eſſet ab hoſtibus, quò & mente quietiore quæ dei erant meditaretur homo ſanctus, à deo electus, & oraret commodiùs deum pro populo captiuo, & afflictiſsimis fratribus. Iſtis ſanè mediis peruenitur ad montem dei, ad locum exauditionis. Horeb mons ficcus, pluuiis deſtitutus, ouibus aptior & orationi: dum enim premimur egeſtate, confugere cogimur ad panem vitæ. Angelus domini apparuiſſe hîc ſcribitur Moyſi,
D qui & ipſe dominus deus omnipotens eſſe multipliciter oſtenditur. Verbum ſcilicet dei, quod in principio erat apud deum, & per quod facta ſunt omnia, per quod locutus eſt deus Patriarchis & Prophetis multiphariam multíſque modis, quandoquidem ipſum verbum, & deus benedictus in ſecula, in propria ſubſtantia videri non poteſt. Dicitur quoque Angelus magni conſilij, per quem quæ ventura eſſent, & patris conſilia circa humanum genus, hominibus reuelauit, proptèrque beneficium ſalutis electorum deſcendit ad homines, & annunciauit quæcunque pater vellet, verbum ſcilicet caro factum, & inter homines conuerſatum, plenúmque gratiæ & veritatis. *Et videbat quod rubus arderet, & non comburetur.* THEODORETVS. Rubus qui ardebat neque tamen comburebatur, dei potentiam benignitatẽmque declarat, quòd videlicet ignis rubum qui facilè cremari ſolet, non conſumeret. Cæterùm mea quidem ſententia aliud quoque ſignificatur, Iſraëlem ab Aegyptiis inimicis atque infeſtatoribus haudquaquam conſumendum fore. Non deſunt qui dixerint deum in rubo apparuiſſe, propterea quòd nemo deum ex rubo ſculpere poſsit, neque enim à veroſi-
E mili abeſt id quoque Iudæos auſuros fuiſſe, ſi deum in alia planta viſum eſſe cognouiſſent. EVSEBIVS. Moyſes quæ ad exercendam vitam pertinent impleuit, Aegyptij quod crudelitatis eſt, Iſraëlitæ quod humilitatis atque afflictionis, Deus quod veracis ad Abraham promiſsionis. Moyſes quidem paſcebat, Deus autem apparuit. Ignis longè apparebat in rubo pugnans: Natura ipſa freno coercita ignis erat in rubo, & rubus ignem habebat in ſinu,& non comburebatur.Admirabile erat viſum,& prẽter naturam ſpectaculum. PHILO IVDAEVS. Erat ibi rubus,plantula videlicet ſpinoſa ac debiliſsima,atq; ea,à nemine admoto igne,repentè tota accendi viſa eſt. Quam cùm ignis radicitùs occupaſſet, & ingenti flamma omnes ramos ac cacumen teneret,ea tamen perinde manebat illeſa,ac ſi ſuperne fons delaberetur,incendiúmq; reprimeret,& quaſi materia incorruptibilis eſſet, non ea eſſet igni pabulũ,ſed cõtrà ea nutriretur ab igne.In media verò flamma,forma præſtantiſsima viſa eſt,quæ nulli harũ rerum quæ videntur eſſet ſimilis,Diuiniſsimũ ſimulacrũ. CAIETANVS. Mirabile verè fuit,quod multitudo ruborũ,&(vt arbitror) virentibusfoliis ardebat flãma ignea, & tamẽ nihil perde-
F bat ſuæ viriditatis. AVCTOR CATENAE. Et videbat quod rubus arderet, idẽ quod in Hebręo dicitur וְהַסְּנֶה בֹּעֵר בָּאֵשׁ Vehinne haſene boher baes,Et ecce rubus ardebat in igne,vel igni,vt habẽt Chaldaica & Septuaginta.Moyſi igitur in rubo apparuit deus,vel Angelus in perſona dei,dumoſa ſcilicet & ſpinoſa,quę admota igni ſine humano opere,repẽte tota accẽdi viſa eſt,quam cũ ignis corripuiſſet ingẽti flãma,illeſa tamẽ manebat, quaſi incorruptibili eſſet materia, & ab igne potiùs nutriretur. Ea autẽ forma dominus amicis ſuis apparet, vnde opportunè ſignificetur id quod intẽdit.De fornace enim crudeliſsimę ſeruitutis liberandi erant filij Iſraël in qua cremabãtur,ſed non conſumebãtur.Ideo in rubo ardente Moyſi apparet,ſed non cõbuſto. Deus ſuos vri ſinit,ſed nõ cõbuſtos abſumi. GREGORIVS NYSSENVS. Cũ igitur in medio claróq; die alia preſtãtior quàm ſolaris lux,circa oculos ſuos effulſiſſet, cuius rei inſolentia cũ reſpexiſſet ad mõtem, arbuſtũ ardens ſcribitur aſpexiſſe,cuius rami cum arderent, quaſi continua irrigatione vireſcebant, admiratus ſecũ *Dixit Moyſes, Vadã & videbo viſionẽ hanc magnã, quare nõ cõburatur rubus.* ne videlicet oculos ſolũ,verũ etiã(quod mirabilius eſt)au-

ditum

ditum radiis eius lucis illuminaret. Natura enim lucis illius, veluti in duorum obiecta sensuum diuisa, vt in G
oculos splendore radiorum fulgebat, sic in auditum immortale dogmatũ intonabat. RVPERTVS. Ma-
gnam (inquit) visionem videbo. Verè magna fuit illa visio, & cunctorum per fidem videntium vocibus præ-
dicatur hactenus in toto mundo. Et huius causa visionis, si deo illustrante animaduersa fuerit, declaratio est
operis subsequentis, & ipsa intellectum dat paruulis. Hoc ergo primùm quærimus, cur eo tempore tali pro
causa deus apparens homini, potiùs in flamma ignis quàm in alia aliqua qualibet specie videri voluerit? Dein-
de quare rubus ardens non combustus sit? Deus inuisibilis, qui nec loco circunscribitur, nec vllis sensibus
corporis percipitur, quotiens visibiliter hominibus apparet, rebus ipsis congruam assumit speciem, pro-
pter quas apparere dignatur. Quis autem visionis huius magnæ subsequentes effectus fortissimos atque cla-
rissimos fuisse nesciat? Nam & si tunc non fuimus, attamen potentiæ vel virtutis dei, quam tunc notam fe-
cit, claritas magna lucet nobis, & terribiliũ eius miraculorum memoria mirabilis in oculis nostris est. Vnde & H
*Exod.15.* hodiéque mirãtes dicimus, Quis similis tui in fortibus domine, quis similis tui? magnificus in sanctitate, ter-
ribilis atque laudabilis, & faciés mirabilia? Item dextera tua domine magnificata est in fortitudine. Et his simi-
lia. Rectè igitur in igne, quod elementum forte ac lucidum est, deus hîc apparuit, fortitudinem suam quodam-
modo præparans, cum dicit, Ego scio quòd non dimittet vos Pharao rex Aegypti vt eatis, nisi per manum va-
*Exod.9.* lidam. Item ad Pharaonem, Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen
meum in omni terra. CAIETANVS. Literalis ergo ratio, quare in tali specie apparitionem hanc elegerit
deus, est vt talem se exhiberet deus in huiusmodi apparitione, qualis futurus erat in populo Israël, liberando
ipsum de Aegypto. Nam descensus iste (vt ipse deus testatur) fuit ad liberandum Israël de Aegypto. Perspicuum
est autem, quòd deus liberando Israël de Aegypto, fuit in ipso populo tanquam ignea flamma, lucens multitu-
dine prodigiorum, & ardens in eorum cordibus ad exeundum de Aegypto, ita vt nullus remaneret. Sic tamen
in eis ardebat, vt nihil eorum consumeret, vsque adeò, vt cum infantibus, mulieribus, pecoribus, & vniuersis fa- I
cultatibus, & demum sanitate corporis (ita quòd nullus in tanta multitudine erat æger) adduxerit eos. Dixit
ergo Moyses, Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Viso effectu (hoc est,
rubos ardentes non lædi ab igne) deliberauit Moyses ire ad videndum causam quare rubi non consumeren-
tur. AVCTOR CATENAE. Vadam & videbo. In Hebræo est אסורה נא Asúra na, hoc est, Rece-
dam, siue declinabo nunc, & videbo, & cætera, id est, recedam de loco isto, in quo sto, & vadam ad videndũ vi-
sionem hanc: סור Sur enim verbum, recedere, declinare, & diuertere est. Vnde & Chaldaica hoc in loco habet,
Declinabo nunc, & videbo, &c. Septuaginta autem, παρεκθῶμ ὄψομαι, Accedens videbo. Non temerè euulgan-
da sunt spectra, sed antea diligentiùs exploranda, ne subsit error ac deceptio. Dicere autem Moysi, est cogita-
re & proponere. Secedere volebat à pecore, & accedere propiùs locum rubi ardentis. Ingens enim sibi in solitu-
dine miraculum videbatur, non comburi rubum tanto igne inuasum, & multo tempore. Opus domini ar-
bitrabatur, & portentum aliquod minimè sibi negligendum: Non enim frustra deus miracula edit. Et in- K
super vir dei diuino spiritu impellebatur ad opus quod dominus destinauerat. *Cernens autem dominus quòd per-*
*geret ad videndum, vocauit eum de medio rubi.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXO-
*Quæst.3.* DVM. Dominus in angelo, an dominus angelus, ille qui dictus est, Magni consilij Angelus, & intelligi-
*Esa.9.* tur Christus. Supra enim dixit, Apparuit illi angelus domini in flãma ignis in rubo. HILARIVS QVAR-
TO DE TRINITATE. Videamus an etiam alibi præterquam ad Agar hic Angelus dei deus esse sit co-
gnitus. Cognitus planè est. Neque solùm deus, sed etiam deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob repertus.
Angelus enim domini Moysi de rubo apparuit, dominus de rubo loquitur, vocem eius intelligendam existi-
mas, vtrum eius qui visus est, an alicuius alterius? Hic mendacij locus nullus est. Ait enim scriptura, Appa-
ruit autem illi Angelus domini in flamma ignis de rubo. Et rursum, Vocauit eum dominus de rubo, Moyses
Moyses. Et respondit, Quid est? Et dixit dominus, Ne accesseris huc, solue calciamentum de pedibus tuis, lo-
cus enim in quo stas, terra sancta est. Et dixit ei, Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Qui ap- L
paruit in rubo, de rubo loquitur, & visionis locus vnus & vocis est, neque alius quàm qui est visus auditur.
Quia qui Angelus dei est cum videtur, idem rursum cum auditur est dominus, ipse verò qui auditur, domi-
nus deus est. Deinde Abrahæ, Isaac, & Iacob, deus esse cognoscitur. Cùm Angelus dei dicitur, non proprius
sibi ac solitarius esse monstratur. Etenim dei Angelus cùm dominus & deus nuncupatur, in honore naturæ suæ
& nomine prædicatur. Habes ergo Angelum qui de rubo apparuit, & dominum & deum. IDEM LI-
*Vbi supra.* BRO DVODECIMO. Christus cùm dei sapientia sit, dicitur in Scriptura quòd ipse sit initium ope-
rum viæ dei. Nec, vt opinor, ambigitur, ait enim, Ego sum via, & nemo vadit ad patrem, nisi per me. Via est,
dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas, & quædam nescitarum ac desideratarum rerum
magistra. Ergo viarum initium, & in opera dei creatur, quia & via est, & deducit ad patrem. Sed creationis
huius quæ à seculis est, ratio quærenda est. Nam vltimæ dispensationis sacramentum est, quòd etiam creatus
in corpore, viam se dei operum est professus. Creatus autem est in via dei à seculo, cùm ad conspicabilem M
speciem subditus creaturæ, habitum creationis assumpsit. Videamus itaque in quas dei vias, & in quæ dei ope-
ra à seculis creata sit nata ante secula ex deo sapientia. Vocem deambulantis in Paradiso Adam audiuit. Pu-
tás ne deambulantis incessum, nisi in specie assumptæ creationis auditum, vt in aliqua creatione consisteret, qui inambulat fuerit auditus? Non requiro qualis ad Cain, & Abel, & Noe locutus sit, & benedicens
quoque Enoch qualis affuerit. Angelus ad Agar loquitur, & vtique idem deus est. Nunquid speciei eiusdem
est, cùm Angelus videtur, cùm est in ea natura qua deus est? Certè species Angeli ostenditur, vbi posteà dei
natura memoratur. Sed quid de Angelo dicam? Homo ad Abraham venit. Nunquid secundum ho-
minem in creationis istius habitu Christus talis assistit, qualis & deus est? Sed homo loquitur, & cor-
pore ásistit, & cibo alitur, veruntamen deus adoratur. Certè qui antè Angelus, nunc etiam homo est, ne
naturalem hanc esse dei speciem diuersitas huius ipsius assumptæ creationis pateretur intelligi. Adest autem ad

Iacob



A Iacob etiam vsque ad luctæ complexum in habitu humano, & manum conserit, & membris nititur, & late-
ribus inflectitur, & in omni motu nostro inceſsúque consistit. Sed idem postea & Moysi esse ignis ostenditur,
vt naturæ creatæ tum potiùs ad speciem, quàm ad substantiam naturæ fidem disceres. Habuit tum in se pote-
statem conflagrandi, nec tamen naturalem susciṕiens vrendi necessitatem, quia sine rubi damno conflagra-
tio ignis apparuit. Curre per tempora, & intellige qualis visus sit, vel Iesu Naue nominis sui Prophetæ, vel
Esaiæ etiam cum Euangelico testimonio visum prædicanti, vel Ezechieli vsque ad conscientiam resurrectio-
nis assumpto, vel Danieli, hominis filium in æternorum seculorum sempiternitate confitenti, & cæteris aliis
quibus se in habitu variæ creationis ingessit, in viis dei & in opera dei, ad cognitionem scilicet dei, & nostræ
æternitatis profectum. GREGORIVS IN PRAEFATIONE MORALIVM. Angelus qui Moysi *Cap.2.*
apparuisse describitur, modò Angelus, modò dominus memoratur, Angelus videlicet propter hoc quod ex-
B terius loquendo seruiebat, Dominus autem dicitur, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat.
Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem dominus nomina-
tur. SEVERVS. Quanam ratione idem est Angelus domini & dominus. Dominus enim impropriè iis
quæ extra deum sunt ascribitur, propriè verò soli deo. Canit enim propheta Dauid, Cognoscant quia nomen
tibi dominus, tu solus altissimus super omnem terram. GRAECVS. Visus quidem est Moysi non domi-
nus, sed Angelus, vocauit verò illum non Angelus, sed dominus. Dominus enim ordinabat, Angelus verò di-
uinis verbis ministrabat. Sed ne semel quidem in sacris literis facilè inuenias deum aut dominum Moysi vi-
sum esse, quod de tribus tantùm Patriarchis Abraham, Isaac, & Iacob, vt eximium quoddam legere licet. Vt
ex hac re vel manifestè colligi possit, vniuersam legem iis qui in deserto degebant, per Angelos tanquam ru-
dium atque infantium ac paruulorum Pædagogos datam esse. IDEM. Obseruãdum est autem, quòd ignis
in rubo Moysi non loquitur, neque ignis populo in monte legem tulit, Sed deus in igne. Quare cùm infra Moy-
C ses dicit, Ignis consumens est dominus deus, causam continuò subdit, Deus zelotes. Zelus igitur dei, vel pro
nobis, vel contra nos vehemens, ignis consumens est. AVCTOR CATENAE. Cernens autem domi-
nus quòd pergeret ad videndum. Hic apud Hebraicum fontem est nomen domini tetragrammaton, videlicet
יהוה quod soli deo vero competit. Est autem eadem dictio סַר Sar quæ & supra, vt dicatur, Cernens autem do-
minus quod diuerteret seu declinaret ad videndum, ita habet & Chaldaica. Quod igitur Scriptura antea di-
xit, Angelum domini apparuisse in flammeo incendio rubi, nunc autem dicat ipsum dominum ex rubo cla-
masse ad Moysen, non pugnat secum. Domini enim dei nostri est auctoritas & magisterium, Angelorum au-
tem est ministerium, qui, nomine, præsentia, & mandato domini agunt quod agunt. Vnde & in psalmo dici-
tur, Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Proposuit autem deus Moysi ob oculos
miraculum ardentis rubi, vt hoc cœlesti testimonio certificet Moysen, hanc vocationem quæ sequitur, esse
verè diuinam, & vt Moyses hoc miraculo persuasus, certissimè credat, vocem ex rubo acclamantem, non
D hominis aut spectri alicuius, sed veri dei per Angelum voluntatem suam annunciantis, vocem esse. THO- *Cap.10.*
MAS SVPER ESAIAM. Non mirum autem videri debet si dominus deus in flamma ignis seruo suo *in fine.*
apparuerit, cùm ipse ignis dicatur, primo quia subtilis. Et quantum ad hoc primo dicitur subtilis quantum
ad substantiam, quia dicitur spiritus, Ioannis quarto, Spiritus est deus. Secundo quantum ad scientiam, quia
penetrabilis, Hebræorum quarto, Viuus est sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Ter-
tio quantum ad apparentiam, quia inuisibilis, Iob vicesimo octauo, Vnde ergo sapientia? & infra eodem, Ab-
scondita est ab oculis omnium viuentium. Secundo quia lucidus. Quòd autem sit lucidus patet, Primo quia
manifestat quantum ad intellectum psalmus, In lumine tuo videbimus lumen. Secundo quia delectat quan-
tum ad affectum, Tobiæ quinto, Quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Ter-
tio quia dirigit quantum ad actum, Esaiæ sexagesimo, Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splen-
dore ortus tui. Tertio quia calidus. Et hoc primo quia viuificat, Iob trigesimo nono, Tu forsitan in puluere
E calefacies ea: Threnorum primo, De excelsis misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Secundo quia purgat,
Ecclesiastici trigesimo octauo, Vapor ignis vrit carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Tertio quia deua-
stat, Deuteronomium trigesimo secundo, Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni no-
uissima. Quarto quia leuis. Et hoc primo propter motum, quia vniuersa propter semetipsum operatus est
dominus, Prouerbiorum sextodecimo. Secundo propter situm, quia in altis habitat, Psalmo centesimo duo-
decimo. Tertio propter incommistionis modum, Sapientiæ octauo, Attingit autem vbique propter mundi-
tiam suam. Vapor est enim virtutis dei. IDEM SVPER EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Hoc *Cap.12.*
autem quod deus dicitur ignis, non dicitur secundum Dionysium propter hoc quod sit aliquid corporeum, *Lect.5.*
sed quia intelligibilia designantur per sensibilia, inter quæ ignem reperimus habere maiorem nobilitatem, & *infine.*
maiorem claritatem, item maiorem actiuitatem, item maiorem altitudinem in situ. Item est magis purgati-
uus & consumptiuus. Ideo deus præcipuè nominatur ignis propter eius claritatem, quia lucem habitat inac-
F cessibilem, prima ad Timotheum sexto. Item quia maximè actiuus, Esaiæ vicesimo sexto, Omnia opera nostra
operatus es in nobis. Item altior est in situ, Psalmo cẽtesimo duodecimo, Excelsus super omnes gentes dominus
&c. Item purgat peccata & quasi cõsumit. Vnde dicitur hîc quod est ignis cõsumens, scilicet peccata, Malachiæ
tertio, Ipse enim quasi ignis conflans. Et sequitur, & purgabit filios Leui. Supra primo, Purgationem peccatorum
faciens. Itẽ consumit peccatores puniendo, Supra quarto, Terribilis est quædã expectatio & ignis æmulatio, quæ
consumptura est aduersarios. Et ideo quia ista nobis promissa sunt, Esaiæ decimo, Erit lumen Israël in igne, &
sanctus eius in flãma, Et Psalmista ait, Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius, debe-
mus studere ad seruiendũ & placendum deo. *Et air, Moyses Moyses.* AMBROSIVS LIBRO PRIMO DE *Cap.5.*
FIDE. Non pater in rubo, non pater in eremo, sed filius Moysi locutus est. Denique de ipso Stephanus
dixit, Hic est qui fuit in Ecclesia in eremo. Hic est ergo qui legem dedit, ipse qui locutus est Moysi, dicens, Ego
sum deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Hic est deus Patriarcharum, hic est deus Prophetarum. CAIE-

TANVS. Et ait, Moyſes Moyſes, Excitantis eſt conduplicatio. AVCTOR CATENAE. Vel G
replicata nominis vocatio, gratiam teſtatur dei & clementiam, ſicut & olim ad Abraham. Quòd etiam
nomine ſuo vocat, manifeſtè indicat ſummam dei curam erga homines, quippe quod ipſos etiam ex no-
mine ſuo, quod minimum homini eſt, nouerit, quemadmodum aliàs Chriſtus dicit, etiam capillos capitis no-
mine ſuo, quod minimum homini eſt, nouerit, quemadmodum aliàs Chriſtus dicit, etiam capillos capitis no-
ſtri apud deum numeratos eſſe. *Qui reſpondit, Adſum.* CAIETANVS. Promptitudinis eſt. AVCTOR
CATENAE. Sancti vt diuinam intelligunt voluntatem, ſtatim obſequuntur, ſponte & vltro ſe permittunt
prouidentiæ dei, reſignati ad omnia, dicendo, Ecce adſum, præſto ſum, iubeas quæ velis. *At ille, Ne appropies (in-*
*quit) huc, Solue calciamẽtum de pedibus tuis, Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* GREGORIVS NYSSENVS. Vetat
ad montem calceorum pondere preſſum accedere, ſolueréque iuſsit calciamenta, ac demum nudo pede terram
illã attingere, quæ diuina luce reſplẽdebat. THEODORETVS. Nõnulli tradiderunt Moyſen iuſſum fuiſſe
vt calciamenta ſolueret, hoc eſt, vt huius vitæ curas, atque ſolicitudines deponeret. Quidam vt nudis pedibus H
locum ſanctum eſſe declararet. Mihi verò neutrum horum probatur. Primùm quidem nondum in Pontificem,
aut Prophetam creatus erat, Deinde iam deus ipſe locum illum conſecrauerat, ideóque terram ſanctam appel-
lat. Superuacaneum verò mihi videtur dicere, Moyſen pedibus ſuis locum ſanctificare. Duas igitur res hoc lo-
co ſignificare mihi videtur. Primo ipſum magis ac magis religioſum ac reuerentem his verbis dominus Moy-
ſen reddit, vt cum tremore mandata auribus accipiat. Tum etiam iam nunc eruditur, qua ratione ſacerdotes
in tabernaculo deo miniſtrent. Nudis enim pedibus ſacerdotale munus obibant. DIODORVS. Qui-
dam dixerunt, ideo Moyſi iuſſum fuiſſe vt calciamenta ſolueret, ne vxorem accipiens in Aegyptum deſcen-
deret, cùm populum ex Aegypto educturus eſſet. Alij verò vt Moyſi legem daret, Sacerdotes ſine calciamentis
officio ſuo fungi debere in tabernaculo. Hi mihi parùm conſideraſſe videri ſolent, aliàs longè maiora magiſque
neceſſaria Moyſi prædocenda fuiſſe, quæ tamen hoc loco ſilentio prætermiſſa ſunt. Quid? quòd hoc idem Ioſue
præceptum eſt, cùm tamen nihil horum illi declarandum aut mandandum eſſet. Reliquum itaque eſt vt cau- I
ſam afferamus quare id iuſſum fuerit. Benedictus es (inquit) & benedicis & ſanctificas locum ſuper quem inceſ-
ſeris, cùm ſis ſacerdos ac ſpiritu plenus. Solue igitur calciamentum pedum tuorum, vt nudis pedibus terram in
qua ſtas ſanctifices. EVSEBIVS. Num igitur calciamentum terram inquinabat? Eſto, ſoluit Moyſes cal-
ciamenta, nónne ſuper terram illa depoſuit? Nimirum illud ſibi vult, Moyſen attendere vbi ſit, quis præſens,
quis locum ſanctificans. Vt igitur diſceret dei præſentiam ibi eſſe, neque ignem ſecundum naturam ſuam ru-
bum comburere, terram ſanctam vocat, vt à loco præſente agnoſcat. HVGO DE SANCTO VICTORE.
Locus igitur in quo ſtas terra ſancta eſt. Non propter aliud niſi propter diuinam præſentiam. CAIETA-
NVS. Prima ergo actio congruens deo relatiuè ad Moyſen, eſt inhibitio appropinquandi, adiuncto man-
dato reuerendi etiam locum, quia ſanctus eſt, & non calcandus opertis, ſed nudis pedibus in ſignum reueren-
tiæ. Ad deum enim curam omnium habentem ſpectat mandare ea quæ ſunt reuerentiæ. Sanctus autem locus
ille dicitur, eo quòd diuina electione dicatus eſt mõs ipſe ad apparitiones diuinas. AVCTOR CATENAE. K
Ne appropies (inquit) huc. Solue, &c. Calciamentorum depoſitio neceſſaria erat, quia eam dominus præcipie-
bat, idque non ſine cauſa. Nam certè ad legis reuerentiam ibi dandæ ſeruire debebat, & ad prouocandam deuo-
tionem & attentionem cum animi humilitate, qua ſuſcipiendum erat dei mandatum. Nam vt ſubdit, *lo-*
*cus ille erat ſanctus*, ſcilicet propter eius præſentiam, in quo dominus ſeſe reuelabat, & ex quo Moyſen mittebat
ad liberandum Iſraëlem, in quo populus illi erat ſacrificaturus, & legem ſuſcepturus, & dominus cum ſuo ele-
cto plurima locuturus & acturus, ac nouam Rempublicam eccleſiaſticam & ciuilem in populo Iſraël inſtaura-
turus, ideo auguſtum haberi & ſacroſanctum volebat. Fortè quid propriè velit ſecundum literam ſibi hoc præ-
ceptum de exuendis calceis, videtur petendum eſſe è duodecimo capite huius libri. Ibi enim mandat domi-
nus, vt veſcentes agno paſchali habeant calciamenta in pedibus, quibus admoneantur, ſibi abeundum, & in
aliam regionem proficiſcendum eſſe, & vt poſtea in celebratione agni paſchalis reuocent, ſibi hac calciamen-
torum cerimonia in memoriam, profectionem & liberationem ex Aegypto. Quòd ſi indumentum calceorum L
ſignificat profectionem ex loco, certè exutio calciamentorum ſignificabit manſionem in loco. Dominus igi-
tur iubet Moyſen calciamenta exuere, vt hac cerimonia admoneat ipſum, ne vltra pergat, ſed ſiſtat gradum &
attendat, quid ipſi mandetur. Quaſi dicat, Ne appropies huc ad rubum, ſed ſiſte gradum, & animaduerte magna
diligentia, quid te velim, & quid iubeam. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt, hoc eſt, in hoc loco mandabo
tibi rem ſanctiſsimam, videlicet, vt Iſraëlem ex Aegypto liberes, & ad hũc locum ducas, in quo & ipſam ſan-
ctam legem daturus ſum. Poteſt etiam expoſitio huius loci peti ex quarto capitulo libelli Ruth, vbi ſic legitur.
Hic erat mos antiquitùs in Iſraël inter propinquos, vt ſi quando alter alteri ſuo iuri cedebat, vt eſſet firma con-
ceſsio, ſoluebat homo calciamentum ſuum, & dabat propinquo ſuo. Hoc erat teſtimonium ceſsionis in Iſraël.
Ex hoc igitur loco notabis, ſoluere calciamentum ſignificare ceſsionem de ſuo iure, & facilè iudicabis, quid ſibi
velit dominus, quòd iubeat Moyſen calciamentum ſuum ſoluere. Nam Moyſes tradiderat ſeſe iam totum in
functionem paſtoralis officij, & noctes atque dies hoc vnum agebat, vt paſceret gregem fidei ſuæ commiſſum. M
Præterea minauerat gregem in deſertum Sinai, non vt illic aliquid diuini quæreret, iudicabat enim eſſe locum
prophaniſsimum, quippe qui ardore ſolis ſterilis reddebatur, ſed vt quæreret gregibus ſuis paſcua. Poſtquam
igitur veniſſet ad montem Horeb, apparet ipſi dominus è flammeo incendio rubi, & iubet ipſum calceos exue-
re, vt hac cerimonia admoneat eum, quo de paſtorali officio tanquam de iure ſuo cedat, & ſectetur eam vo-
cationem, ad quam nunc ipſum ordinaturus ſit. Solue (inquit) calciamentum de pedibus tuis, quia volo vt
non amplius agas paſtorem ouium, ſed vt de hoc officio cedas, & reſignes te totum meæ vocationi, ad quam
nunc te ordinabo. Non paſces amplius oues affinis tui, ſed paſces Iſraëlem populum meum, & liberabis eum
ex Aegypto. Præterea exiſtimas hunc locum deſertum nullis diuinis rebus aptum, Ego autem volo vt de hac
opinione cedas. Hæc enim terra ſancta eſt, quia in hoc loco ego memetipſum verum dominum, & deum Abra-
ham, Iſaac, & Iacob, tibi reuelo, & ex hoc loco mitto te ad liberandum Iſraëlem. In hoc ſimiliter loco daturus

ſum



A ſum legem meam ſanctam, & inſtaurabo nouam rempublicam in populo meo ſancto. In horum omnium
teſtimonium, volo vt ſoluas calciamenta de pedibus tuis, & audias, quid tibi præcipiam. *Et ait, Ego ſum deus*
*patris tui, deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob.* HILARIVS QVINTO DE TRINITATE. Non eſt de
deo humanis iudiciis ſentiendum. Neque enim nobis ea natura eſt, vt ſe in cœleſtem cognitionem ſuis vi-
ribus efferat. A deo diſcendum eſt, quid de deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe auctore cognoſcitur. Ad-
ſit licet ſecularis doctrinæ elaborata inſtitutio, adſit vitæ innocentia, hæc quidem proficient ad con-
ſcientiæ gratulationem, non tamen cognitionem dei conſequentur. Moyſes in Reginæ filium adoptatus, &
omnibus Aegyptiorum doctrinis eruditus, cùm vtique ex naturæ affectu Hebræi iniuriam morte Aegy-
ptij vltus eſſet, deum tamen paternarum benedictionum neſciebat. Nanque ob metum cædis proditæ
Aegyptum derelinquens, cum in terra Madian paſtor ouium eſſet, ignem in rubo ſine concremationе ru-
B bi contuens, deum audiuit, & nomen interrogauit, & naturam cognouit. Neque enim hæc de deo niſi per
deum cognita eſſe potuiſſent. Loquendum ergo non aliter de deo eſt, quàm vt ipſe ad intelligentiam no-
ſtram de ſe locutus eſt. Angelus dei eſt qui in igne de rubo apparuit, & de rubo in igne deus loquitur,
habes diſpenſationem in angelo, quia in angelo officium eſt non natura, habes in naturæ nomine deum,
qua angelus dei deus eſt. Sed fortè non verus eſt. Nunquid non verus eſt deus Abrahæ, & deus Iſaac, &
deus Iacob? Horum enim angelus de rubo loquens, deus in æternum eſt. Et ne adoptiui nominis vtereris
occaſione, loquitur ad Moyſen deus ille qui eſt. Ita enim ſcriptum eſt, Dixit autem dominus ad Moyſen,
Ego ſum qui ſum. Et dixit, Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos. Cœptus ab angelo dei ſermo eſt,
vt ſacramentum intelligatur humanæ ſalutis in filio. Idem deus Abrahæ, & deus Iſaac, & deus Iacob eſt,
vt ei naturæ ſuæ nomen ſit. Mittit deinde ad Iſraël deus qui eſt, vt verè intelligeretur eſſe quod deus eſt.
Quid ad hæc inefficax hæreticæ impietatis ſtultitia væſano ſpiritu mentiris, & contra tantorum Patriar-
C charum ſcientiam generoſi ſeminis tritico vrendam zizaniam ſator nocturnus interſeris? Sed ſi Moyſi cre-
deres, crederes & deo dei filio, niſi fortè negabis quòd de deo Moyſes locutus ſit. Qui cùm negare volue-
ris, audies verbis dei, Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Arguit
te planè, arguit ille toto legis volumine, quam manu mediatoris per angelos diſpoſitam ſuſcepit. Et quære
an qui legem dederit, deus verus ſit, cum vtique mediator ſit ille qui dederit. HIERONYMVS IN
EPISTOLAM AD GALATAS. In omni veteri teſtamento vbi angelus primùm viſus refertur, *Cap.3.*
& poſtea quaſi deus loquens inducitur, angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicunque ſit viſus, ſed
in illo mediator loquitur qui dicit, Ego ſum deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob. Nec mirum ſi deus lo-
quatur in angelis, cùm etiam per angelos qui in hominibus ſunt, loquatur deus in Prophetis, dicente Aggeo,
Et ait angelus qui loquebatur in me: ac deinceps inferente, Hæc dicit dominus omnipotens. Neque enim
angelus qui eſſe dictus fuerat in Propheta, ex ſua perſona audebat loqui, Hæc dicit dominus omnipotens.
D BERNARDVS SVPER CANTICA. Ego ſum deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob. Cur- *Ser.15.*
rite gentes, ad manum eſt ſalus: effuſum eſt nomen, quod quicunque inuocauerit, ſaluus erit. Angelorum
deus etiam hominum deum ſe nominat. RABANVS. Hinc autem oſtenditur quòd præcedentia facta
bonorum parentum ſæpe adiuuant merita filiorum, quia amor quem ipſi fide & bonus operibus à deo pro-
meruerunt, redundat in filios. Vnde Iſraëlitæ ſæpe de anguſtiis ob merita patrum meruerunt liberari, & in
libro Regum, ſeu Paralipomenon eſt ſcriptum, quòd dominus dixerit Salomoni peccanti, Quia habuiſti hoc *1.Para.9.*
apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum
tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. De
manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Da-
uid ſeruum meum, & Hieruſalem quam elegi. Item Ezechiæ duci populi mei, Hæc dicit dominus deus pa- *4.Reg.20.*
triſ tui Dauid, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, ecce ſanaui te, &c. CAIETANVS.
E Ego ſum deus patris tui, deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob. Poſtquam docuit Moyſen ea quæ
erant reuerentiæ, tum cauſæ apparentis miraculi, tum loci, manifeſtat eidem quis ipſe loquens eſt, di-
cendo, Ego, non qui videtur, ſed qui loquor (qui enim videbatur erat angelus in ſpecie flammæ, qui autem
loquebatur erat deus) ego (inquam) qui loquor deus patris tui. Hebræo more primùm ſummariè, deinde
per partes idem dicit, dicendo, deus patris tui, non alios patres intelligit quàm Abraham, Iſaac, & Iacob,
ſed primùm omnes tres ſub communi ratione patris Moyſi ſigillatim nominat, vt ſe eſſe illum deum mani-
feſtet, qui tot promiſit Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cui hæreditario iure tenetur Moyſes cultum exhibere imi-
tando patres ſuos. Manifeſtare dignatus eſt dominus Ieſus in Euangelio in his verbis contineri myſterium
reſurrectionis, quatenus continetur in eis immortalitas animarum Abrahæ, Iſaac, & Iacob, quia non eſt
deus mortuorum, ſed viuorum, hoc eſt, quia deus non dicitur deus alicuius niſi viui. Nam dicendo deus
Abrahæ, ſignificatur deus qui veneratur ab Abraham: conſtat autem deum non venerari à mortuis, ſed à
F viuis. AVCTOR CATENAE. Ego ſum deus patris tui, &c. Omnipotens conditor & rector omnium,
qui tunc nominari volebat, deus Abraham: deus Iſaac, & deus Iacob, ob ipſorum fidem & obedientiam,
Is hodie dicitur vnus, ſolus, & verus omnium gentium deus, omnium qui ſunt ſecundum fidem, deuo-
tionem & obedientiam, Abrahæ & ſanctorum filij, & poſteritas longè illis gratior, quàm ſecundum car-
nem nati, & ſemper ſpiritui dei reſiſtentes, Prophetarum interfectores, hi veri dei cultores nunc ſunt vt
arena maris innumerabiles. Hic eſt autem vnus de præcipuis locis qui præ aliis in hoc ſecundo libro Moy-
ſi obſeruandi veniunt. Nam ex hoc loco probat ſaluator noſter reſurrectionem mortuorum aduerſus
Sadducæos, Non eſſe (inquiens) mortuorum deum, ſed viuentium. EVSEBIVS. Horruit autem
Moyſes ad illud ſpectaculum, horribilis fuit auditus, & non ſine perturbatione voluptas, ob id reueri-
tus faciem ſuam auertit. Vnde ſequitur. *Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra deum.*

CAIETANVS. Non solùm fecit iussa desistendo à cœpta appropinquatione & excalciando se, G sed tegmine nescio quo abscondit faciem suam. Et ratio subditur, quia timebat respicere contra deum. Audita præsentia dei, timuit oculos suos versus flammam illam in qua loquebatur deus dirigere, & propterea ad cautelam ne respiceret, faciem suam texit. Et meritò, nam summo iudici debetur timor reuerentialis ab hominibus. Si quæris quorsum apparuit angelus, si deus ipse loquitur ac cognoscitur loquens: respondetur, quòd angelus non est missus ad hoc, vt loqueretur (in cuius signum non est missus in specie hominis, aut cuiuscunque habentis instrumenta loquendi, sed in forma flammæ ignis quæ suapte natura mutat est) sed missus est ad duo officia. Alterum est, nunciandi facto tempus diuini mysterij, & hoc effecit apparitione in flamma ardente & non consumente rubos: hoc enim miraculo excitauit Moysen ad quærendam causam, ac per hoc ad audiendum diuini consilij mysterium. Alterum est, formandi voces sermonis diuini ad Moysen. Ille enim sermo fuit angeli, vt formantis voces loco omnium concurrentium in nobis ad for- H mandum sermonem, & fuit dei vt loquentis. AVCTOR CATENAE. Quod dicitur apud nos, Abscondit Moyses faciem suam, id quomodo fecerit exponit Chaldaica, inquiens, Et inclinauit Moyses vultum suum. Quod verò sequitur, Non enim audebat aspicere contra deum, in Hebræo habetur כִּי יָרֵא מֵהַבִּיט Chi iare mehabbit, Quoniam timebat respicere, &c. Sed hoc nihil est. Vultum autem abscondit Moyses, præ timore aspiciendi eum qui lucem habitat inaccessibilem & inuisibilem creaturæ, à cuius maiestate pertimescunt & reuerentur omnia. Pij homines cum timore de deo cogitant & reuerentia, Impij cum blasphemia cordis. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos, etiam in intimis solitudinibus.

*Mysticè.* AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Mysticè autem Rubus ille, genus est
*Vbi supra.* spinarum. Ardebat enim & non consumebatur. In rubo significata est synagoga Iudæorum. Multo enim tempore in eis feruor & flamma sancti spiritus fuit, & tamen ita contra dei gratiam rebelles semper spiritui sancto restiterunt, vt eorum peccata vel sacrilegia igne sancti spiritus consumi non possent. CYRILLVS. Rubus spinosa admodum planta, significat diuinum lumen, humanæ naturæ quæ ob transgressionem propemodum spinosa erat, particeps futurum. IDEM. Diuinam naturam sacræ literæ igni assimilant, propterea quòd viribus polleat, & facilè huc illúcque discurrat: ligno autem & herbis, hominem è terra formatum. Itaque ait, Deus noster ignis consumens est, Et homo sicut fœnum dies eius, sicut flos agri sic efflorescet. Sed quemadmodum ignem rubus ferre non potest, ita neque humanitas diuinitatem. In Christo tamen hæc duo conuenerunt: habitauit enim in illo plenitudo diuinitatis corporaliter, sicut scriptum est. Et qui lucem inaccessam habitat deus, in templo è virgine sumpto habitauit, seipsum (vt ita dicam) demittens & contrahens, vt ab humana natura capi posset. Quòd autem carnem suam aptam natam corrumpi, corruptione superiorem reddiderit, quasi quodam ænigmate rubo ab igne minimè cremato declarauit. Habitauit etiam in nos verbum patris non pœnas exigens, sed summa benignitate refulgens. Terram autem sanctam vocat quæ rubis referta erat, quia omnis locus in quo Christus fuerit, sanctus est. Quin etiam re- K ctè admodum in deserto visus est, quod Ecclesiam è gentibus collectam figurat, ad quam ipse loquitur, Lætare sterilis sitiens. Moyses etiam calciamenta soluere iubetur, quæ interitum sine dubio significant, quòd è pellibus mortuorum confecta sunt, quia vtique Christus inaccessus est iis, qui sub lege & pædagogo sunt. Atque etiam eum qui ad contemplandum deum accedit, necesse est vt se à mortuis carnalibúsque phantasiis absoluat. GRAECVS. Nemo enim deo appropinquare potest, qui priùs sordes animi sui non eluerit, atque ita fiet, vt & deo proximus sit, & alios seruare ac liberare idoneus fiat. SEVERVS. Vbi sunt qui dicunt, quî fieri potest vt deus carni copulatus sit, quo pacto corporis expers corpori coniunctum est? Hoc rubi ignísque miraculum, totum illud mysterium graphicè describit. CHRYSOSTOMVS. Quemadmodum etiam rubus ardebat, neque tamen comburebatur, eadem ratione corpus illud mortuum quidem est, sed à morte nequaquam perpetuò detineri potuit. SEVERVS. Dei filius qui & angelus dictus est, quia consilium æterni patris enunciauit, in rubo apparuit, in figuram beatæ virginis. Quemadmodum enim ignem L rubus ferre ac tolerare non potest, ita & humanitas diuinitatem. THEODORETVS. Quod autem rubus arderet & non consumeretur, indicabat vnicum dei filium hominem factum, & virginalem vterum inhabitantem, matri suæ virginitatem integram conseruaturum. GREGORIVS SVPER EZECHIE-
*Hom.3.* LEM. Moyses cum de ardenti rubo vocatus fuisset, accesit propiùs vt videret visum, & ecce rubus ardebat & non consumebatur. Magnum est hoc miraculum. Si solam in eo historiam requiras, est vnde legentis nutriatur animus, vt videas quod in ligno ignis ardeat & non consumat. At verò si typicam intelligentiam quæras, quid flamma nisi legem de qua scriptum est, In dextera eius ignea lex? Et quid rubus ille, nisi Iudaicum populum designauit, peccatorum suorum spinis obsitum? Sed rubus ardens consumi non potuit, quia Iudaicus populus & ignem quidem legis accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, nec eius vitia diuini sermonis flamma concremauit. Fortasse in hoc facto alius maiora per typum contemplari desiderat. Huius quia sensus excrescit, eleuantur pariter & rotæ. Inter homines enim perfectus ho- M mo factus est vnicus dei filius, qui sua peccata non habuit, sed spinas nostræ nequitiæ suscepit, atque vsque ad passionem pro nobis humiliari dignatus est, & in semetipso ignem tribulationis nostræ susciperé. Sed arsit, & non arsit, quia ex humanitate est mortuus, & tamen immortalis ex diuinitate permansit. Suscepit à nobis vnde sacrificium fieret pro nobis, & tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis, vt
*Sermone de sancta Maria.* nos commutaret à nostris. BERNARDVS IN SERMONIBVS. Amplectamur igitur Mariæ vestigia fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim, nempe vellus est medium inter rorem & aream, mulier inter solem & lunam, Maria inter Christum & Ecclesiam constituta. Sed fortè miraris non tam vellus opertum rore, quàm amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis & mulieris



A lieris. Quomodo enim in tam vehementi feruore, tam fragilis natura subsistit? Meritò quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras intueri. Veruntamen solue calciamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. Vado (inquit) & videbo visionem hãc magnam. Magna planè visio, rubus ardens sine combustione: magnum signum, mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum, non mulieris potentia vt sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem: sublimior quædam necessaria est. Spiritus sanctus (inquit) superueniet in te. IDEM SVPER MISSVS EST. Quid igitur rubus iste Mosaicus portẽ- *Hom.1.*
debat, flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi Mariam pariẽtem, & dolorẽ non sentientem? CHRYSOSTOMVS. O ergò rube quam vidit Moyses in monte ardentem & minimè combustã, virgo Maria quæ genuisti, neque tamẽ corruptione passa es. EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Ru-
B bus, vt quidam opinantur, Mariæ virginis præfiguratio est, eo quòd quasi de humani corporis rubo, saluatorẽ tanquam rosam emiserit, aut quòd vim diuini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit. In Exodo, Apparuítq; dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Aliàs rubus ardens nec consumptus, Iudaicum populum signauit, quòd & legis dei flammam præcepit, & tamen peccati pœnã nequaquam vitauit. GREGORIVS VIGESIMOTERTIO MORALIVM. Moyses admixtus Aegy *Cap.26.*
ptiis, quasi vigilabat mũdo, ideo vocem domini in Aegypto positus nõ audiebat. Sed extincto Aegyptio postquàm in desertum fugit, dum illic quadraginta annis deguit, quasi ab inquietis terrenorũ desideriorũ tumultibus obdormiuit, & ideo diuinam vocem percipere meruit. Cùm enim mẽs ab exterioribus sopitur, verbum dei penetratur veracius. Aurem quippe cordis turba terrenarum cogitationum perstrepens claudit. Non enim perfectè homo sufficit ad vtraque diuisus, quia si exterius auditum aperit, interius obsurdescit. IDEM VIGE-
SIMO OCTAVO MORALIVM. Sæpe verò simul & terrenis & cœlestibus substantiis per angelos loqui- *Cap.5.*
C tur deus, sicut ad Moysen in monte cùm visionis suæ verba edidit, ignem rubúmque sociauit, atque aliud superius, aliud inferius iunxit. Quod tamen tunc solùm agitur, cùm ex ipsa aliquid coniunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostenditur, nisi quòd eius populi ductor fieret, qui & legis flãmam perciperet, & tamen peccati spinam nequaquam vitaret. Vel quòd ex illo populo exiret qui in igne deitatis, carnis nostræ dolores quasi rubi spinas susciperet, & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret. IDEM QVINTODECIMO MORALIVM. Sed & in eo quod ait *Cap.27.*
Moyses, Vadam & videbo visionem hanc magnam, quod iuxta Septuaginta, Transibo & videbo, legitur, magnum nobis mysterium indicatur. Viator quippe dicitur, qui præsentem vitam, viam sibi esse, & nõ patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis seculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Qui enim in hac vita viator esse non appetit, huius vitæ prospera minimè contemnit, & ea quę ipse desiderat, cùm abundare aliis viderit, miratur. Vnde Dauid propheta quoniã à dilectione præsen-
D tis seculi iam corde transierat, iniqui gloriam describens, dicebat, Vidi impium superexaltatum & eleuatum si- *Psal.36.*
cut cedros libani. Sed quia cor huic mundo non subdidit, hunc iure despexit, dicens, transiui, & ecce non erat. Esset quippe aliquid in eius æstimatione impius, si ipse ab hoc seculo per intentionem minimè transisset. Sed is qui non transeunti magnum aliquid esset, transeunti animo quàm nihil esset apparuit, quia dum æterna retributio cogitatur, præsens gloria quàm sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses cùm supernæ contemplationis gloriam quæreret, dixit, Transiens videbo visionem. Nisi gressum cordis à seculi amore remouisset, nequaquam intelligere superna potuisset. Hinc Hieremias propheta luctum cordis sui cõsiderari deposcẽs ait, O vos omnes *Thren.1.*
qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus: qui enim præsentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt. Illos ergo vt dolorem suum considerent exquirit, quos in hoc mundo contigit animum non fixisse. AMBROSIVS LIBRO *Cap.14.*
PRIMO DE POENITENTIA. Et ideo transeamus ignem adolescentiæ, ardorémque iuuenilis ætatis, transeamus aquam, non remaneamus in aqua, ne flumina nos profunda concludant. Transeamus magis, vt &
E nos dicamus, Torrentem pertransiuit anima nostra. Qui enim transit, saluus est. Denique dominus sic ait, Si *Psal.123.*
transeas per aquam, flumina te non concludent. Et Propheta dicit, Vidi impium superexaltatum vltra cedros *Esa.43.*
libani, & transiui, & ecce non erat. Transi secularia, & cecidisse aspicies altitudines impiorum. Moyses quo- *Psal.36.*
que transiens secularia flumina, vidit visum magnum, & ait, Transiens videbo hoc visum. Si enim fuisset in corporis vitiis, & seculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria. Trãseamus ergo & nos ignem hunc libidinis quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat vt iam non timeret sibi, dicit nobis, Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis *1.Cor.6.*
sequitur. Nosmetipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerunque fugere, sed non penitùs eam de nostro excutimus animo. Tollimus eam magis quàm relinquimus. Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur, Ambulate in igne flammæ vestræ quam accendistis, *Esa.50.*
F quoniam sicut ille qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburet: sic qui ambulat super ignem, pedes comburat necesse est: quoniam scriptum est, Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? *Prouer.6.*
Grauis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. HIERONYMVS SVPER PSALMOS. *Psal.141.*
Transiens videbo hanc visionem magnam. Si non transierit, hoc est, omnia vitia: non potest videre magnam visionem. Magna autem visio: quia rubus ardebat, & non incendebatur. Ardebant spinæ, hoc est, peccata. Hoc igne mundatur & Esaias: iste est enim carbo qui tetigit labia eius, qui erat super altare. *Esa.6.*
Huius carbonis meminit & propheta Dauid, Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Iste car- *Psal.119.*
bo desolator est, solitudinem facit, & peccatorem purgat. IDEM. Sic & Rebecca abiit interrogare, non *Psal.36.*
de loco ad locum, sed de vita ad vitam: & Moyses solutis vinculis pedum, transiuit videre rubum. Et tu *Gen.24.*
si apponas animum, vt transeas à morte ad vitam, non pedum gressibus, sed animi virtute, diriguntur à domino gressus tui. ISIDORVS. Alij in rubo flammante, & non vrente, Ecclesiam in-

 telligunt

telligunt inflammari persequutionibus,& eam loquẽte in illa domino,non perire. Quod verò dominus Moysi G
in eodem rubo apparuisse legitur, ostendit non alibi quàm in Ecclesia eum credentibus apparere, quia nullus
dignè consistere,vel demùm videre potest,nisi qui cuncta terrena & mortalia deposuerit vitia, quod significa-
*Cap.10.* bant illa Moysi calciamenta deposita. AMBROSIVS LIBRO SEPTIMO SVPER LVCAM. Calcia-
menta nanque de corio mortui animãtis confici solent,nihil autem in nobis dominus mortale vult esse. Mor-
tale igitur atque terrenum calciamentum iubetur soluere cùm mitteretur ad populum liberãdum. Huius enim
minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari. Ipse enim cùm defensio-
nem fratrum, hoc est, Iudæorum, voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab incepto, & fugit ex
Aegypto. Et ideo cùm dominus affectum eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi eius
mentisque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. Id ergo huius iniunctione præcepti significabat
dominus,vt vocaturus populũ ad dei regnũ,prius carnis exuuias deponeret,& nudo spiritu vestigióque mentis H
incederet. IDEM IN PSALMVM CXVII. Vtamur ergo corpore tanquam calciamento ad inferiora o-
pera virtutis,ad ministerium, non ad precipitium, ad obsequium, non ad delectationem, ad obedientiam,
non dissentionem, & in via sapientiæ vestigium collocemus, ne gressus nostros vis torrentis aliqua con-
cludat.Ideo ad Moysen dictum est, solue calciamentum. Dictum est & ad Iesum Naue: de Christo autem di-
*Matth.3.* ctum non est,sed magis scriptũ est, dicente Baptista,Post me venit vir,cuius non sum dignus calciamenta por-
tare,quia illi bene admonentur,vt soluant calciamentum suum,qui sine peccato esse non poterant. Hic autem
non solùm calciamentũ nõ soluit,sed etiã calciamenta aliorũ absoluit,quia nõ solùm corpus suũ à peccatis im-
*Epist.82.* mune seruauit,sed etiã omniũ dedit indulgẽtiã peccatorũ. IDEM EPISTOLARVM LIBRO DECIMO.
State igitur in corde vestro,ne quis vos subruat, ne quis possit subuertere. Docuit nos Apostolus quid sit stare,
*Deut.5.* hoc est, quod Moysi dictũ est,Locus enim in quo stas terra sancta est. Nemo enim stat,nisi qui fide stat,nisi qui
fixus stat sui cordis sentẽtia.Alibi quoque legimus, Tu autem hîc sta mecũ.Vtrũque ad Moysen à domino dictũ I
est,vbi tu stas terra sancta est, & hîc sta mecum, hoc est, mecum stas, si stes in Ecclesia. Ipse enim locus est san-
ctus,ipsa terra fœcunda sanctitatis, & opima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia, sta vbi tibi apparui, ibi
ego tecum sum.Vbi est Ecclesia,ibi firmissima statio tuæ mentis est,ibi fundamentum animi tui,vbi tibi de ru-
bo apparui.Tu rubus,ego ignis in rubo: ego in carne propterea ignis,vt tibi luceam,vt tuas spinas,& tua pecca-
ta consumam,& meam tibi demonstrem gratiam. ISIDORVS. Habet & aliam figuram id quod Moyses
excalceari iubetur.Veterum nanque consuetudo erat,vt si sponsa sponsum repudiare vellet,discalcearetur ille,
& hoc esset signum repudij.Proinde Moyses excalceari iubetur, ne ad Ecclesiã quæ in rubo significabatur,quasi
sponsus calceatus accederet.Hæc enim Christo seruabatur,qui verus sponsus erat.De quo dicit Ioannes, cuius
non sum dignus corrigiam soluere calceamenti,vtique sicut dictum est Iosue & Moysi. AMBROSIVS DE
*Cap.4.* BENEDICTIONIBVS PATRIARCHARVM. Saluator noster expectatio gentium dicitur, eo quòd
omnis spes Ecclesiæ in ipso recumbat.Ideo dicitur Moysi solue calciamentum pedum tuorum,ne ipse sponsus K
Ecclesiæ crederetur,qui dux plebis eligebatur.Ideo soluit calciamentũ suum Iesus Naue,vt venturo tanti mu-
*Luc.3.* neris gratiam & ipse seruaret. Ideo dicit Ioannes, Post me venit vir, cuius non sum dignus soluere corrigiam
*Ioan.3.* calciamentorum eius. Ideo dicit,Qui habet sponsam sponsus est,amicus autem sponsi qui stat & audit eum,&
gaudio gaudet, hoc est, ipse solus vir est Ecclesiæ, hic est expectatio gentium, huic deferentes copulæ gratiam
nuptialis calciamentum suum soluerunt Prophetæ.Hic sponsus est,ego amicus sponsi,gaudeo quia venit,quia
vocem audio nuptialem, quia iam non dura peccatorum supplicia, dura legis tormenta, sed remissionem cri-
*Vbi supra.* minum,vocem lætitiæ,sonum iocunditatis,exultationem festi nuptialis audimus. PROSPER. Sed & ali-
*Ioan.10.* ter.Pascebat Moyses oues Iethri soceri sui in eremo. Et noster mediator Christus pascens oues dicit, Pastor bo-
nus animam suam ponit pro ouibus suis. Terribili visione motus Moyses, pergit videre cur ignis in montem
*Luc.12.* descenderat,rubum minimè concremaret. Noster Moyses testatur ignem se venisse mittere in terram, quẽ vti-
liter vult amplius inflammari.Ipse enim dicit,Ego sum ignis,vitia,non homines consumens. Vocatus Moyses L
dum pergit in montem conscendere,dicitur ei, solue calciamenta de pedibus tuis, vt sint liberi & speciosi pe-
*Cap.16.* des mediatoris annunciantis bona. AMBROSIVS PRIMO DE SPIRITV SANCTO. Deus etiam
ignis consumens est,sicut Moyses dicit.Vidit enim ipse in rubo ignem, & audierat deum tunc quando vox fa-
cta est de flamma ignis ad eum dicens,Ego sum deus Abraham,& deus Isaac, & deus Iacob. Vox ergo de flam-
ma,& in rubo flamma,& flamma non noxia.Vrebatur enim rubus,& non exurebatur,eo quòd illo mysterio do
minus figuraret,quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret,nec consumpturus ærumnosos, sed miti-
gaturus ærumnas,qui baptizaret in spiritu sancto & igni,vt gratiam tribueret, peccata cõsumeret. Ergo in spe-
cie ignis deus seruato proposito. In actibus quoque Apostolorum cùm supra fideles Spiritus sanctus descẽdis-
*Act.2.* set,ignis species videbatur.Sic enim habes, Et factus est subitò de cœlo sonus tanquam vi magna spiritus ferre-
tur,& repleuit totam domum vbi erant sedentes, & visæ sunt illis dispersæ linguæ tanquã ignis.Vnde & illud,
*Iudic.7.* Quando Gedeon superaturus Madian,trecentos viros iussit hydrias sumere,& in hydriis faces accensas habe- M
re, & in dextris tenere tubas.Ita nostri acceptũ ab Apostolis seruauere maiores,quod hydriæ sint corpora nostra
figurata de limo,quæ timere non norunt,si feruore gratiæ spiritalis ignescant,& Iesu domini passionem cano-
ræ vocis confessione testentur. GREGORIVS NYSENVS. Deus veritas est,quæ tũc in vepribus Moysi
visa est, ad quam nos adducit rectè viuendi ratio, & perturbationum animi propter veritatem repulsio. Quæ
quidem veritas non de cælo illucescit,ne à stellis defluxa lux videatur,sed à rubo,ipsoq; spinoso, ab humanita-
te,videlicet saluatoris effulgens, ad cognitionem sui per euangelicam nos tubam reuocat. Hinc etiam myste-
rium illud virginis figuratum esse, quis non viderit? Ab ea nanque deitatis lux assumpta carne illuxit homi-
nibus, eámque omni modo incorruptam seruauit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata. Quæ quidẽ
lux cùm nobis illuxerit, primo docebit quid faciendum sit, vt posimus ad veritatis radios accedere. Quòd
calcei soluendi, eiicienduſque sit vndique omnis amictus pelliceus, ac terrestris & sordidus passionum æstus,
vt ipsius



A vt ipsius qui est,cognitio possit suscipi,quæ opiniones de eo qui non est, falsas penitùs repellit. Hæc enim est(vt
ego sentio)veritatis diffinitio,firma eius qui est intellectio: falsitas enim est phantastica quædam circa id quod
non est comprehensio,quasi subsistat quod non est. Veritas autem est eius quod verè est firma intellectio. Longis
autem spaciis temporum altiori per quietem animo meditari oportet, vt firmiter intelligere possis,quid sit quod
verè est,quod natura sua est,quid quod non est, quod solum esse videtur, cùm per se atque naturam suam mini-
mè subsistat. Mihi enim videtur magnus ille Moyses ea in visione didicisse, nihil earum rerum, quæ aut sensu
comprehenduntur,aut mente perspiciuntur,præter supremam essentiam,quæ omnium causa est,& à qua omnia
dependent,verè subsistere.In nullo enim cæterorum impendentia perspici potest, ita quod absque participatio-
ne veri entis possit esse.Solum in eodem modo semper se habet,nunquam augetur, nunquam minuitur, æqua-
liter ad omnem mutationem,tam ad peius,quàm ad melius immutabile: peius enim ibi aut malum nõ est, me-
lius inueniri non potest. Quare solus nulla re alia indiget,& sõlius cuncta indigent,solum cuncta appetunt, so-
B lo cuncta participant, & quæ participant per participationem, & sunt, & bene sunt. Quod autem participatur,
nunquam imminuitur.Id igitur profectò est, quod verè est, & huius veri entis intellectio, ad quam tunc acces-
serit Moyses,& nunc quicunque,sicuti ille à terrestri se ac pellicio absoluit amictu,diuinam ex rubo lucem pro-
spiciens,quæ videlicet ex carne nos illuminauit, quæ est lux vera,& ipsa veritas, vt euangelium dicit, tunc talis
efficitur, vt alios quoque in libertatem vendicare, tyrannidis iniustum principatum deponere, seruientes deni-
que ipsos in terram repromissionis reducere possit. RVPERTVS. Quare rubus non comburitur,& Moy-
ses tanquam comburendus appropinquare prohibetur,nisi soluat calciamentum de pedibus suis? Hoc enim ni-
mirum ita dixit,tanquam continuò cõburi potuisset appropiando, nisi soluisset calciamentũ de pedibus suis.
At certè rubus non comburebatur,& virgultis quorum de medio lucebat sanctus ignis, erat innoxius. Quid er-
go hoc sibi vult?Illud nempe,quia deus noster ignis quidem consumens est, veruntamen igni elementario mul- *Deut.4.*
tum dissimilis iste ignis est.Ignis nãque corporeus,quo in corporalibus administrationibus vtimur,quod quar-
C tum mundi elementum dicimus,res ipsas comburit,quibus continetur, procul autem positis innoxius est. Deus
autem noster verus & perpetuus ignis,suam è contrario naturam vel potentiam exerit.Nam illis intra quos est,
non solùm innoxius, verùm etiam salutaris & clementissimus est, longè autem positis, & dignè appropinquare
nolentibus,nimium damnosus existit,de qualibus Psalmista dicit, Sicut fluit cera à facie ignis,sic pereãt pecca- *Psal.67.*
tores à facie dei.Quod in beata virgine Maria clarius atque conspicabilius est. Totus enim hic ignis, subaudi-
tur nouem in vtero eius mensibus habitauit, & leuem carnis,vel animæ eius stipulam, siue fœnum, non solùm
non combusit,verùm etiam maiore cum virginitatis honore,gratiáque formati exinde hominis,quem assum-
psit perenniter illustrauit.Et ad illud templum ignis æterni quantò quis per fidem propiùs accedit,tantò decen-
tius illo igne fulgescit.Nam è contrario quantò longiùs,siue Iudæus, siue Paganus, siue hæreticus absistit, tantò
citius vt cæra liquescit,cùm ignis ille apparuerit.Hoc interim appropinquãtibus nobis agendum est, vt calcia-
mẽta nõ habeamus in pedibus quę fiunt de mortuorũ animaliũ pellibus,id est,vt mortuorũ mortifera,& in pec-
D catis suis morientiũ exempla nõ imitemur.Nã ille quidem corporaliter nudis pedibus accedere iussus est,quod
est solẽne humilitatis instrumentũ,nobis autẽ hoc spiritualiter ita vt prædiximus agendũ est,scientes quia deus
noster,ad quẽ accedimus,nõ est mortuorũ,sed viuentiũ. CYRILLVS. Sed vide legis Mosaycę imbecillitatẽ.
Vniuersorũ deus manifestũ se facit, faciẽ tamen atque oculos Moyses auertit, vt vel ex hoc manifestè intelligi
possit,filios Israël gloriã filij dei cõtra intueri nõ sustinuisse. BERNARDVS SVPER CANTICA CAN-
TICORVM. Crediderim ego quoque abscondisse Moysen faciem suam etiam in hac parte fulgentem, eo
quòd illo adhuc in tempore nemo aut rarus erat, qui reuelata facie gloriam istam speculari sustineret. AM- *1.ad Thess.*
BROSIVS SVPER EPISTOLAS PAVLI. Et accedens (inquit scriptura) Moyses auertit se, quia non *cap.5.*
potuit considerare seu respicere in faciem dei.Deus ergo est,quia filius dei verus est.

E *VI ait dominus,Vidi afflictionem populi mei in Aegypto,& clamorem eius audiui,propter duritiam* 2
*eorum qui præsunt operibus,& sciens dolorem eius,descendi ut liberem eum de manibus Aegyptiorũ,*
*& educam de terra illa in terram bonam & spaciosam,in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Cha*
*nanæi,& Hethæi,& Ammorræi,& Pherezæi,& Heuæi,& Iebusæi. Clamor ergo filiorum Israël uenit ad me*
*uidíque afflictionem eorum qua ab Aegyptiis opprimuntur. Sed ueni,& mittam te ad Pharaonem, ut educas po*
*pulum meum filios Israël de Aegypto.*

*Cui ait dominus,Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus, &* 2
*sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam & spaciosam, in terram*
*quæ fluit lacte & melle,ad loca Chananæi,& Hethæi,& Ammorræi,& Pherezæi,& Heuæi,& Iebusæi.* INTERLINEARIS. Vi-
di afflictionem,&c.id est,misertus sum vt liberem. BEDA IN HOMILIIS. Vidit(inquit Matthęus euã- *Homilia in*
gelista) Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi,sequere me. Vidit autem non tam *die sancti*
F corporeis intuitibus,quàm internis miserationis aspectibus, quibus & Petrum negantem vt reatum suum co- *Matthæi.*
gnoscere ac deflere posset,respicere dignatus est. Quibus populum suum Aegyptia seruitute depressum, vt eri-
peret aspexit, dicẽs ad Moysen,Vidẽs vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto,& gemitum eius audiui,
& descendi liberare eum. EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Descẽdere autem di-
citur deus in mundum, quando aliquid nouum quod anteà non fuerat, in creatura humana operatur. AV-
GVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod verò ait, In terram fluentem lac & *Quæstio.42.*
mel,quæritur vtrum spiritualiter accipere debeamus, quia secundum proprietatem non hoc erat illa terra quæ
data est populo Israël, an locutionis est, qua id ad laudem vbertatis & suauitatis referatur. GREGORIVS *Hom.32.*
IN HOMILIIS. Israëlitico enim populo ex Aegypti terra liberãdo,repromissionis terra promittitur, & cũ
vocandus esset ad dona cœlestia,terrenis promissionibus suadetur. Cur hoc? Vt dum esset aliquid quod de vi-
cino

cino perciperet,illud iam fidelius crederet,quod de longinquo audire potuisset.Carnalis enim populus si par- G
ua non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo deus largiendo terrena, suadet ad cœlestia, vt percipiens quod videret,sperare disceret quod minimè videbat.Et tãtò solidior de inuisibilibus fieret,quantò eum
Psal. 104. ad spei certitudinem visibilia promissa fulcirent. Vnde rectè quoque per Psalmistam dicitur, Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. BERNARDVS SECVNDO DE CONSIDERATIONE. Rem dico ignotam nemini, & nunc memini notam.Nempe sic se habent mortalium corda,quod scimus cùm necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Aegypti,meliorem illis iuxta verbum domini pollicitus est terram.Nam quando ipsum aliter sequeretur populus solam sapiens terram? CAIETANVS. Vidi afflictionem, &c. Quatuor dicit,vidisse afflictionem,audisse clamorem,sciuisse dolorem, & descendisse ad liberandum. Rationem sui descensus ad loquendum in illa flamma, ad apparendum Moysi per flammam in rubo, reddit deus ex parte cognitionis,& ex parte intentionis,tum liberandi à termino à quo,tum ducendi ad terminum ad quem, H
terram scilicet lacte & melle manantem. Et est sermo metaphoricus, ad significandum benignitatem terræ ad fructus & delicias. AVCTOR CATENAE. Vidi afflictionem,&c.In Hebræo est רָאֹה רָאִיתִי Rao raithi,Videndo seu videns,vidi, ita & apud Septuaginta.Quod aliqui declarant, vertentes, Omnino vidi. Deest autem,Qui est,nã in Hebræo est אֲשֶׁר בְּמִצְרָיִם Aser bemizráim, Qui in Aegypto, & ita apud Septuaginta habetur.Chaldaica,Reuelata est coram me subiectio populi mei qui est in Aegypto.Sed hæc parua sunt quæ annotentur.Quod verò sequitur,propter duritiam eorum qui præsunt operibus, rectè expressit Interpres noster Hebraicum מִפְּנֵי נגשיו Miphne nógsaf. A facie exactorum eius,id est,propter exactores eius, & ita habet Chaldaica. Septuaginta uerò,ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν,propter operum præfectos.Et sciens dolorẽ eius.In Hebræo hæc clausula coniuncta est superiori,& ita legitur,כִּי יָדַעְתִּי אֶת מַכְאֹבָיו Chi iadáeti eth machobaf, Quoniam cognoui dolorem eius,seu dolores eorum.Sic & Chaldaica,Quoniam reuelati sunt coram me dolores eorum . Septuaginta, ὅτι οἶδα γὰρ πάντα ὀδύνας αὐτῶν,Scio enim dolorem eorum.Sed hæc sensum non immutãt. Descendi וָאֵרֵד I
est in Hebræo,id est,& descendi , & in omnibus editionibus. Et educã de terra illa,ibi est וְלְהַעֲלֹתוֹ מִן הָאָרֶץ הַהִוא Vlhahalotho min haárez hahi,Et ascendere eum,siue eos faciam de terra hac,seu ista.Ita habet Chaldaica. Septuaginta autem prout apud nos.Sed & hæc leuia sunt. Dicat igitur dominus,Videndo vidi afflictionem populi mei:qua verborum geminatione, vehementia, certitudo,& celeritas significatur. Nemo ergo dum premitur,cogitet deum sui oblitum,vel nescire suos.Afflictos precipuè intuetur,si tamen populus suus sint & esse cupiant,in cœlum clamẽt ad deum,non ad humanum brachium.Clamat in cœlum pauperum oppressio, & à deo dissimulari non potest, Quæ & tantò magis domino displicet,quantò minus ipsi se vindicare volunt vel possunt. Et descendi.Descendere deus dicitur, cùm iuuare & exaudire nos incipit, nam omne auxilium de cœlo est.Is ascendere facit de angustiis ad promissam quietem,ad terram fluentem lacte & melle, id est, optimis quibusque fructibus,& rebus delicatissimis abundantem.Quia enim populum suum in manu valida & robusta:in signis & portentis mirabilibus erat liberaturus dominus, ideo descendi ait, vt idem sit descendere, & quod se- K
quitur liberare eum de manibus Aegyptiorum. Chananæorum, & reliquorum impiissimorum hominum peccata iam ferè completa erant,tempúsque appetebat à domino constitutum, & iam exercitatio fidei piorum absoluta erat.Iam loco cessuri impij erant,& expellendi à fidelibus.Iam promissiones dei complendæ, & fidei fructus maturuerant.Satis maturè deus admonuerat impios in scelere pergentes semper,non potest deus non punire qui iustus est.Pessimi Chananæi erant,quibus expulsis,terram eorum Hebræis possidendam tradidit. Qui dum non perstant in mandatis dei, & ipsi à gentibus affliguntur, & captiui abducuntur . Tacentur autem hîc Gergezæi populi,quia(vt dicunt Hebræi) non contenderunt bello aduersus filios Israël, sed è terra ante eorum ingressum sponte recesserunt. Vel ideo omittuntur, quòd illi populi gentibus cæteris minores fuerint . Sciendum quoque,quòd omnes hæ septem gentes propagatæ sunt à Chananæo, atque ideo nõ rarò in Scriptura vno nomine Chananæi vocantur.Pherezæi autem putantur fuisse Sidonij. *Clamor ergo filiorũ Israel venit ad me, videque afflictionem eorum qua ab Aegyptiis opprimuntur.* RVPERTVS. Notandum quòd cùm dixisset, clamor filiorum L
Israël venit ad me,addidit secundum aliam literam, vndique, vt subaudias tam ab Aegyptiis opprimentibus, quàm à filiis Israël ingemiscentibus.Vtrinque enim venit clamor,sed modo valde diuerso . Nam clamor filio-
*Quæstio. 5.* rum Israël,tãquam defensorem vel iudicem ad irã prouocantium ascendit ad dominum. AVGVSTINVS Aegyptiorum autem, sicut clamor Sodomorum, quo iniquitas sine timore & verecũdia significatur. CAIETANVS. Reddita ergo ratione sui descensus in specie sensibili visu & auditu,reddit rationẽ mittendi Moysen ad exequendum intentionem iam dictã, propterea enim easdẽ repetit causas. AVCTOR CATENAE. Clamor ergo filiorum,&c. In Hebręo est וְעַתָּה הִנֵּה צַעֲקַת Vehatta hinne zahakath,Et nunc ecce clamor,&c. Ita & in Chaldaica & apud Septuaginta,quasi dicat,Iam iam habiturus sum rationem clamoris eorum. *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem,vt educas populum meum filios Israel de Aegypto.* RVPERTVS. Prius veni,deinde mittam te,dixit. Hoc non leue est in ore dei præsenti ac corporaliter astanti dixisse, veni . Non(inquam) leue est, neque deinceps leuiter actum,vt qui corpore deo præsens aderat,animo quoque ad obediendum parato adesset. Palã M
est ex subsequentibus, quia nondum venerat quo totiens ire iussus fuerat. AVCTOR CATENAE. Sed veni. Deest dictio nunc, Est enim in Hebræo וְעַתָּה לְכָה Vehatta lecha,Et nunc veni. Sic & apud Septuaginta & Chaldaicam.Poterat vno verbo vel occidere Pharaonẽ cùm toto exercitu vna nocte,sicut primogenitos Aegyptiorum & exercitum Sennacherib, vel etiam trãsferre momẽto totum populum, sed per homines agit quod vult,& quando vult,cui obsequendum sit ab omni creatura,& in omnibus.

*Mystice.* PROSPER. Iubetur Moyses pergere ad filios Israël,& ad Pharaonem regem Aegypti,vt populum dei(quorum clamor duræ seruitutis ascenderat)dimitteret ex terra sua,mediationémque futuram susciperet . Per Matthæum euangelistam dicit noster mediator dominus Iesus, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. SEVERVS. Sed quid ait dominus? Videns vidi afflictionem populi mei in Aegypto,Ipse & in nouissimis



A uissimis temporibus super omne genus nostrum misericorditer flexus est,quòd ab acerbis operum exactoribus, Dæmonibus videlicet vexabatur. Velocitêrque per Esaiæ prophetiam seipsum festinantem exhibuit, vt auferret ab iniquo spolia, quæ nos miseri mortales eramus. HESYCHIVS. Et sciens dolorem eius descendi. Hoc quidem loco de Iudæis hæc dici videntur, de vniuersa tamen humana natura dicuntur, pro qua & carnẽ sumere descendit,quod sanè temporibus Moysi non fuit: sed postmodum inter homines peregrinante dei filio factũ est. IRENAEVS LIBRO QVARTO ADVERSVS HAERESES. Ait diuinus Apostolus, Finis *Cap.20.*
legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et quomodo finis legis Christus,si nõ initium eius esset? Qui enim finem intulit,hic & initium operatus est.Ipse est qui dicit Moysi,Videns vidi vexationem populi mei qui est in Aegypto, & descendi vt eruam eos, ab initio assuetus verbum dei ascendere & descendere propter salutem eorum,qui male haberent.

B *Dixítque Moyses ad deum,Quis sum ego,ut uadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Aegypto? 3*
*Qui dixit ei, Ego ero tecum, & hoc habebis signum quòd miserim te. Cùm eduxeris populum meum de Aegypto,immolabis deo super montem istum. Ait Moyses ad deum, Ecce ego uadam ad filios Israël,& dicam eis,Deus patrum uestrorum misit me ad uos. Si dixerint mihi quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit dominus ad Moysen, Ego sum qui sum . Ait, sic dices ad filios Israël , Qui est,misit me ad uos. Dixítque iterum deus ad Moysen,Hæc dices filiis Israël:Dominus deus patrum uestrorum,deus Abrahã, & deus Isaac, & deus Iacob,misit me ad uos. Hoc nomen mihi est in æternum,& hoc memoriale meum in generatione & generationẽ.*
RVPERTVS. Primum dicenti, veni, *Dixit Moyses ad deum, Quis sum ego , vt vadam ad Pharaonem, & educam filios* 3
*Israel de Aegypto?* INTERLINEARIS. Quasi dicat,dei est non hominis hoc facere. RVPERTVS. Bonum quidem & imitatione dignum humilitatis exemplum est,deo vocanti ad tantum támque glorioſum mi-
C nisterium dicere, Quis ego sum? vt pro conscientia vel æstimatione ipsius, subaudiatur nullus. BERNARDVS DE ORDINE VITAE. Moyses hic sicut & Hieremias, quod poterat per gratiam, excusabat per verecundiam.Tutius enim est discere quàm docere,tacere quàm loqui. CAIETANVS. Prima igitur excusatio Moysi ex agnitione propria se tenet . Longè enim imparem se agnoscit ad vtrũque officium, videlicet eundi ad Pharaonem,& educendi filios Israël de Aegypto. AVCTOR CATENAE. Vide quomodo Moyses hanc vocationem excipiat. Quis sum ego (inquit)vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Aegypto? Hæc non est vox inobedientiæ,sed est agnitio & confessio suæ imbecillitatis.Pastor sum,& vix oues à bestiis defendo,quomodo igitur possem Israëlitas à Pharaone omnibus bestiis sæuiore defendere? Nec arma mihi sunt,nec exercitus militaris.Et regnum Aegypti potẽtissimum est,populus autem Israël planè imbellis & oppressus. Et accedit huc,quod non pateat mihi liber reditus ad Aegyptum propter homicidium,qua igitur fiducia inflatus, tantum facinus auderem? Quanquam autem ipsa imbecillitas obsequendi vocationi dei, sit
D pœna peccati,tamen agnoscere hanc imbecillitatem non est peccatum, sed est primus gradus ad veram iustitiã, & placet deo.Dum igitur Moyses agnoscit suam insufficientiam, fit domino donante sufficiens. Prophetandi & regendi populum arduum munus cum tremore & humilitate suscipiendum est & cunctanter. RVPERTVS. Quapropter talem velut ex abrupto salientem eius percunctationem , placido vultu suscipiens dominus deus *Dixit ei, Ego ero tecum, & hoc habebis signum quod miserim te.Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis deo super montem istum.* Ac si dicat,Et si tu nullus es,Ego dominus,qui deus patris tui,deus Abraham,deus Isaac,& deus Iacob sum,ego(inquam)ero tecum,in ore tuo verba proferens, & in manu tua signa faciens,ex hoc(inquam)significabitur omnibus quod miserim te,sine quo non potest homo quicquam facere.Proinde cum eduxeris populum meum de Aegypto,Tu præsenti non ingratus visioni,sed agendarũ memor gratiarum, immolabis deo super montem istum.Bonum(inquam)hoc,& imitandum placidæ humilitatis exemplum est.Veruntamen nec illud contemnendum,quòd quidam eiusdem,id est,prophetalis ordinis vir, magnam & ipse videns visionem,
E scilicet deum sedentem super solium excelsum & eleuatum,& ea quæ sub ipso erant implẽtia templum,Eidem domino percunctanti ac dicenti,quem mittam,&c.Continuò & alacriter se offerens dixit, Ecce ego,mitte me. Cum igitur quis ad hoc vocatur à spiritu sancto, vt mittatur contra Pharaonẽ,id est,contra diabolum,scilicet vt aliquo fungatur ministerio salutis animarum, sic inter hos viam teneat regiam, vt nõ declinet ad dexteram siue ad sinistrã, videlicet vt nec nimius sit in recusando nec preceps in acceptãdo. Nam hinc pertinaciæ, illinc præsumptionis cauendum est vitium. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et hoc habebis signũ,Cum eduxeris.Quomodo posset esse signum quod futurũ remotum erat,rei quam nuper facturus fuit?Dicimus itaq;, Habebis signũ hoc,scilicet quod miserim, id est, quod mitto te, sit tibi signũ quod educes filios Israël de Aegypto,vt hoc,scilicet cũ eduxeris,sit principiũ alterius narrationis. CAIETANVS. Ego ero tecum.Omnia supplet,dicẽdo,ego ero tecum.Et hoc habebis signum quòd miserim te.Aduerte prudens lector,quòd quia occul-
F tus est literalis sensus huius particulæ,oportet exactè intueri textũ.Est itaque germanus sensus,quòd pronomen hoc,demonstrat subiunctum opus tam populi quàm dei. Et est sermo de signo quo cognoscetur quòd Moyses est missus à deo.Ac si apertius fuisset dictum,& hoc quod subiungam,erit signum tibi,erit velut character tuus, erit signum quo cognosceris ab habentibus mundos oculos, quòd ego misi te, quòd non malis artibus aggressus fueris opus eductionis filiorũ Israël de Aegypto.Sciebat enim deus non defuturos, qui diceret Moysen magicis artibus miracula fecisse,quibus eduxit filios Israël de Aegypto,& propterea præuenit dando signum,quòd ab habẽtibus oculos nõ ægros,cognosceretur Moyses missus à deo.Cũ eduxeris populum meũ ex Aegypto, immolabis deo super montem istum.Iuxta Hebræum habetur,seruietis deo super montem istum. Et particula super montem istum, non refertur ad seruietis, sed ad deum , nunquam enim populus super montem illum seruiuit , cùm nunquam illuc ascenderit:sed deus legem dans, apparuit super montem illum,& apparenti deo super illum montem, exiens populus de Aegypto, seruiuit commorando iuxta montem. Ipsa itaque seruitus deo

apparenti

apparenti super montem Sinai legislatori, exhibita tam à Moyse quàm ab aliis, signum est quòd Moyses non G
malis artibus, sed à deo missus eduxit populum de Aegypto. Malæ enim artes non ducunt ducem populi simul
cum populo ad seruitutem veri ac supremi iudicis, cui peccata omnia displicent, cuius seruituti peccata omnia
aduersantur, & propterea significanter dixit, seruietis, comprehendēdo cum populo ipsum Moysen. Ita quòd si-
gnum hoc vires habet vtrinque, & ex parte communis seruitutis deo, & ex parte futuræ apparitionis diuinæ su-
per montem illum, dando legem. AVCTOR CATENAE. Cum eduxeris populum meum. Pronomen
meum nō legitur Hebraicè, sed apud Septuaginta. Est enim הָעָם Haham populum. Siue populum illum, vel
istum. Immolabis deo, Hebraicè est תַּעַבְדוּן tahabdun, coletis, seu seruietis. Ita est in Chaldaica, & apud Septua-
ginta, vel adorabitis deum iuxta hunc montem, in quo post mensem vobis daturus sum legem. Nam habad He-
braicè, omnem diuinum cultum significat, non tantùm immolationē. Sed hæc parua sunt. Prædicit ergo deus
fore, vt omnis Hebræorum multitudo Aegypto egressa, eum ad montem illum adoratura sit. Cum igitur Moy- H
ses agnosceret se imbecilliorem, quàm vt posset tantam vocationem exequi, addit deus clementissimam pro-
missionem suam, qua nil maius, excellentius, fortius, aut armatius extimari potest. Ex cuius fide satis virium cō-
cíperet ad exequendam vocationem dei. Domino nanque adiuuante & præcipiente, nihil fit impossibile, quā-
tumlibet arduum. Signa dei alterius sunt generis quàm humana, quia quæ futura dominus prædicit, impediri
non possunt. Ista enim fidem præexigunt, hæc præcedunt. Est autem sensus, Hoc erit tibi signum, tu oculis vi-
debis, réque ipsa comperies, te à me missum esse liberatorem Israëlis, quum tu & populus stabitis hac in regio-
ne mihi sacrificaturi. Iosephus intelligit signum pro gratiarum actione, vt sit sensus, Offeres pro gratiarū actio-
ne cum eduxeris populum istum, sacrificium in hoc monte. Sunt qui referant hoc signum ad rubum ardentem,
sed si probè expēdas hæc verba, nihil aliud sunt quàm assecuratio, & quasi cōfirmatio prioris promissi per pro-
phetiam, vt sit sensus, Ego non solùm promitto tibi auxilium meum in liberando Israële ex Aegypto, sed etiam
prædico tibi, quòd Israëlem liberatum & saluum ad hunc montem perduces, vt in hoc mōte & holocausta of- I
feratis, & institutionem nouæ Reipublicæ in Israële accipiatis. Quare confide, & vocationem meam obedien-
ter capesse. Addit autē dominus hanc prophetiam de seruiendo aut sacrificando ipsi in monte Horeb, non tan-
tùm hoc nomine, vt prior promissio, Ego ero tecum, vehementius inculcaretur, sed etiam vt Moyses haberet
quod apud Pharaonem prætexeret, ad arripiendam occasionem liberandi Israëlis. Sic enim postea dicit Domi-
nus ad Moysen, Dices ad Pharaonem, Dominus deus Hebræorum vocauit nos. Ibimus viam trium dierum in
desertum, vt immolemus domino deo nostro. Ad eundem modum additur etiam prophetia pro signo & con-
firmatione ei promissioni, quam prædicauit Esaias regi Ezechiæ, Quarto regum decimonono. Promittit enim
dominus Ezechiæ liberationem ab exercitu Sēnacherib, & quò ea promissio vehementius inculcaretur, addit,
Tibi Ezechia, hoc erit signum, comede hoc anno quæ repereris, in secundo autem anno quæ sponte nascuntur,
porrò in tertio anno seminate & metite, plantate vineas, & comedite fructus earum. Hoc signū nihil aliud est,
quàm prophetia, qua prior promissio asseueratur, adeóque quodammodo apertiùs explicatur. Et est vulgaris ho K
minum consuetudo, quòd promissionibus suis futura quædam, tanquam signa asseuerandi gratia adiiciant, vt
pater dicit filio, Promitto tibi hæreditatem omnium bonorum meorum, atque adeò quò magis fidem verbis
meis adhibeas, prædico tibi, quòd in hac ipsa domo habitaturus sis, in qua ego nunc habito. Et sic etiam in aliis
promissionibus hominum fieri solet, nam hoc de patre exem pli tantùm gratia recitaui, vt videas non esse in-
usitatum quòd dominus addat promissioni Moysi rem futuram pro signo, & asseueratione promissionis. Ha-
bet nunc vocationem Moysi ad ducatū Israëlis, & promissionem quæ adiecta est vocationi. Ex qua re nos ad-
monemur, vt nullus inuadat publica officia, priuata sua temeritate, sed expectet vocationem dei, & interea tē-
poris præsenti vocationi diligenter seruiat. Nemo enim existimare debet, quòd si dominus velit ipsum ad ma-
iora & clariora officia quàm nunc fungatur, vocare, non possit ipsum in humili & abiecto vitæ genere inue-
nire. Vides enim hoc loco, quòd dominus inuenerit Moysen in officio pastorali, & in deserto, ac vocauerit
ipsum ad ducatum Israëlis. Inuenit & Saulem in quærendis asinabus patris sui, & elegit eum in regem Israël. L
Inuenit & Dauidem post fœtantes, vt psalmus ait, & vnxit ipsum in regem, pro Saule. Inuenit & Ionam pro-
phetam in ventre cœti in medio maris, & coëgit cœtum vt euomeret ipsum, quo mitteretur Ecclesiastes ad
Niniuitas. Quare non est opus vt malis artibus cōtendas ad ampliora & clariora officia, sed sectare diligenter
præsentem vocationem, & age ea, quæ sunt iusta & legitima, & si placueris domino, certè magna diligentia ef-
ficiet, vt audias, Euge serue bone & fidelis, supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. RVPER-
TVS. Interim faciem suam abscondebat Moyses, id est, stabat demisso capite, sed sic absconditus inueniri,
sic demissus magis merebatur à domino subleuari. Nam accrescente paulatim gratiæ fiducia, Ait ad deum
*Ecce ego, vadam ad filios Israel, & dicam eis, Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi quod est nomen eius? quid dicā eis?*
Videlicet quia nomen dei fanaticus error commune fecerat multis, idcirco proprium quærebat vocabulū hu-
ius dei qui loquebatur sibi. Nam & si sunt (inquit Apostolus) qui prædicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, si-
quidem sunt dij multi & domini multi, nobis tamen vnus deus pater. HIRENAEVS ANTIOCHE- 1.Cor.6.
NVS. In me ipsum intuens ait Moyses, dubius animi sum, & consilij inops, cùm dicturus sim ad vniuersum M
populum, Deus patrum misit me ad vos. Verborū pondera cum mea imbecillitate conferens, anxius admodū
sum. Statim enim illi ad me dicent, Deum patrum nostrorum ad nos te allegasse dicis, Nomen ipsius, si ita est,
nobis explica. EVSEBIVS. Vides ergo Moysen legationem recusantem, idque maximè ob Israëlitas, &
illorum incredulitatem declinantem. CAIETANVS. Interrogationis autem necessitatem demonstrat
ex parte petentis populi. Nec audet petere proprium nomen, sed quærit quid ipse responsurus sit petentibus ab
eo proprium nomen dei, cōmunia enim nomina iam nota erant. AVCTOR CATENAE. Ecce ego va-
dam, &c. Quomodo de te (inquit) filiis Israël loquar, déque mandatis tuis persuadebo, cuius ego nomen igno-
ro? Indica ergo mihi quo voceris nomine, ne me irrideat populus, si eius ad se præcepta iactem, cuius ne no-
men quidem teneam. Nihil enim prædicandum sine verbo dei, cui populus fidelium credere obligatur. Ingens
autem



A autem Israëlitarum dignitas notatur, quòd omnium creator speciatim ipsorum deus dici voluit, hoc est,
fidelium, toto sibi corde fidentium. Vt autem probè intelligamus quid sibi Moyses hac interrogatione velit,
obseruandum est, quòd nomina rebus in hoc imponantur, vt res ipsæ per nomina significentur, explicentur
& cognoscantur. Cùm igitur Moyses inquirit hoc loco nomen dei, inquirit non literas tantùm & syllabas,
sed multo magis inquirit tam manifestam dei reuelationem & cognitionem, vt possit Israëlitas ad creden-
dum vocationi dei sibi mandatæ, non aliter persuadere, quàm si deum ipsum personaliter & visibiliter con-
spiciendum, ac manibus palpandum proponeret. Et est sententia, Quod ad me quidem attinet, certus sum
nunc, me diuinitùs ad liberandum Israëlem vocatum, sed non video, quomodo possim Israëlem inducere,
vt credat me ad hoc officium destinatum. Dicent dominum non apparuisse mihi, dicent me narrare somnia
capitis mei. Quare si vis, vt vadam ad educendum Israëlem ex Aegypto, necesse est, vt maiestatem tuam ita mi-
B hi reueles, & cognitam tradas, vt possim eam Israëlitis manifestè ob oculos ponere, & incredulis sensibiliter
obtrudere. Prima ergo vt vides, Moysi excusatio fuit ex imparitate sua, secunda ex nominis dei ignoratione.
EVSEBIVS. Sed quæris nomen dei ô Moyses, Et quis illum denominauit? Quis enim prius illo fuit, vt
appellationem discas? Quis verò illi similis fuit, vt id faceret? Eius qui nullo nomine explicari potest, nomen
quæris. Sed vide domini responsionem. *Dixit dominus ad Moysen, Ego sum qui sum. Ait, Sic dices ad filios Israel, Qui est, misit me ad vos. Dixítque iterum deus ad Moysen, Hæc dices filiis Israel, Dominus deus patrum vestrorum, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* HIERO-
NYMVS AD MARCELLAM. Sextum nomen dei est, Aser Ehie, quod in Exodo legitur, Qui est, mi-
sit me. HILARIVS PRIMO DE TRINITATE. Admiratus sum planè tam absolutam de deo si-
gnificationem, quæ naturæ diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam
sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis deo quàm esse intelligitur, quia id ipsum quod est, ne-
C que desinentis est aliquando, neque cœpti, & id quod incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non
potuit aut poterit aliquando non esse. Quia diuinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium est,
& cum in nullo à se dei desit æternitas, dignè hoc solum quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æter-
nitatis ostendit. AMBROSIVS DE FIDE CONTRA ARRIANOS. Bene quod de deo legis, scri- *Cap.4.*
ptum, Ego sum qui sum, & qui est misit me, Et ipse saluator dominus, Hæc est (inquit) vita æterna, vt cogno- *Ioan.17.*
scant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. Est ergo in substantia essentia sua deus, cuius
cognitio vita æterna est, qui & tantus est, quantum dici non potest. Qui tunc dignè æstimatur, cùm inæsti-
mabilis dicitur, vtique velis, an nolis. Ergo ipsum quod est, hoc est, substantiæ huius rei quæ esse defendi-
tur, quod tamen iam dictum est quantum & quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo de-
finiri potest, dummodo constet esse quod esse creditur, vt de eo ipso quod deus est, inde sit filius, vt verus sit
filius, & verus sit pater in filio, & filius in patre. Hoc erit homousion, id est, vnius substantiæ cum patre. Si-
D cut ipse dominus ait, Ego in patre, & pater in me. Ego & pater vnum sumus, Et ego de patre exiui. Et qui me *Ioan.14.*
videt, videt & patrē. Non immeritò quia filius dei de deo patre natus est, & ideo de vnitate substantiæ, & de *Ioan.10.*
maiestate deitatis vnū sunt. Sicuti & Hieremias prophetauit, Quis stabit in substantia domini, & videbit ver-
bum domini? Et iterum, Si stetissent in substantia mea, & si audissent verba mea, auertissem eos ab studiis
eorum pessimis. Et apud Salomonem, Substantia mea dulcedo mea est. IDEM LIBRO QVINTO DE *Cap.2.*
FIDE. Est Christus, & est semper. Qui enim semper est, est: Christus autem semper est, de quo dicit Moy-
ses, Qui est, misit me. Erat vtique Gabriel, erat Raphaël, erant Angeli, sed semper esse qui aliquando non fue-
rint, nequaquam pari ratione dicuntur. In Christo autem sicut legimus, non fuit est, & non: sed est in illo
fuit, vnde verè dei solius est esse, qui semper est. IDEM OCTAVO EPISTOLARVM. Interrogabat *Epist.63.*
Moyses, Quid dicam illis si requirant quis est dominus qui misit te, & quod est nomen illi? Dixit dominus,
Ego sum qui sum. Dices, qui est, misit me. Hoc est verum nomen dei esse semper. Vnde & Apostolus de Chri- *2.Cor.1.*
E sto, dei enim filius Christus qui in nobis est, qui per nos prædicatus est per me, & Syluanum, & Timotheum, non
fuit in illo (inquit) est & nō, sed est in illo fuit. HIERONYMVS SVPER EPISTOLAM AD EPHE- *Cap.3.*
SIOS. Loquitur in Exodo dominus, Ego sum qui sum. Et hæc dices filiis Israël, Qui est misit me ad vos.
Nunquid solus deus erat, & cętera non erāt? Vtique Angeli, cœlum, terra, vel maria, & ipse Moyses cui dominus
loquebatur, & Israël & Aegyptij ad quos & contra quos princeps & aduersarius mittebatur, erant. Et quomo-
do nomen commune substantiæ sibi proprium vendicat deus? Illa vt diximus causa, quia cætera vt sint dei
sumpsere beneficio, Deus verò qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suæq; causa
substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit: nam & in igni, aliud est calidum, aliud calefa-
ctum. Ignis absque calore intelligi non potest: cætera quæ ex ignī calefiunt, calorem illius mutuantur, &
paulatim si ignis abscesserit, calore tenuato, redeunt in naturam suam, & nequaquam calida nuncupantur.
IDEM SVPER SECVNDAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS. Qui est misit me. Ille enim *Cap.3.*
F verè est, qui semper idem est. IDEM SVPER EZECHIELEM. In tantum populus Israël in Aegypto *Cap.20.*
constitutus ignorabat deum, vt missus ad eos Moyses. Si interrogauerint, ait, me, quis misit te? quid dicam
eis? Dic (inquit) ad eos, Qui est misit me. In Aegypto igitur notus factus est populo & semini domus Iacob:
quando leuauit manum suam pro eis contra Aegyptios, & dixit, Ego sum dominus deus vester, & elegit eos,
vt educeret de terra Aegypti, ad terram fluentem lacte & melle. Necdum enim capere poterant solidum ci-
bum, sed quasi paruuli atque lactentes, melle & lacte indigebant infantiæ. AVGVSTINVS DE EO
QVOD DICTVM EST A DEO AD MOYSEN EGO SVM QVI SVM. Esse, nomen est incom-
mutabilitatis. Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, & incipiunt esse quod non erant. Esse
verum, esse syncerum, esse germanum, non habet nisi qui non mutatur. Ille habet esse cui dicitur, Muta-
bis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es. Quid est, Ego sum qui sum, nisi æternus sum? Quid est, ego *Psal.101.*
sum qui sum, nisi mutari non possum? Nulla creatura, non cœlum, non terra, non Angelus, non virtus,
non

non ſedes, non dominationes, non poteſtates. Cùm ergo ſit hoc nomen æternitatis, plus eſt quod dignatus G
eſt habere nomen miſericordiæ. Ego ſum deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob, illud in ſe, hoc ad nos.
Si enim hoc ſolũ eſſe vellet, quod eſt in ſe, quid eſſemus nos? Si intellexit immo quia intellexit Moyſes cùm ei di
ceretur, Ego ſum qui ſum, Qui eſt, miſit me, multũ hoc credidit eſſe ad homines, multũ hoc vidit diſtare ab ho-
minibus. Qui enim hoc quod eſt, & verè eſt intellexerit dignè, & qualitercunque lumine veraciſsimæ eſſentiæ
vel ſtrictè ſicut coruſcatione afflatus fuerit, longè ſe videt infra, longè remotiſsimum, longè diſsimillimum,
*Pſal.30.* ſicut ille ait, Ego dixi in ecſtaſi mea. Aſſumpta enim mente vidit, neſcio quid, quod plus ad illum erat, hoc
erat quod verum erat. Dixi (inquit) in ecſtaſi mea. Quid? Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Cùm ergo
ad id quod dicebatur, non ad id quod videbatur, longè ſe imparem videret Moyſes, & quaſi minus capacem,
vnde inflammatus ipſo deſiderio videndi quod eſt, dicebat deo cum quo loquebatur, Oſtende mihi temet-
ipſum, quaſi verò ab illa excellentia eſſentiæ longè diſsimilis deſperaret, erigit deſperantem, quoniam vi-
dit timentem, tanquam diceret, Quoniam dixi, Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me, intellexiſti quid ſit H
eſſe, & deſperaſti te capere, erige ſpem: Ego ſum deus Abraham, Iſaac, & Iacob, ſic ſum quod ſum, ſic ſum
ipſum eſſe, ſic ſum cum ipſo eſſe, vt nolim hominibus deeſſe. Si quomodo poſſumus dominum quærere &
*Act.17.* inueſtigare eum qui eſt, & quidem non longè poſitum ab vnoquoque noſtrum, in illo enim viuimus & mo-
uemur & ſumus. Laudemus ergo ineffabiliter eius eſſentiam, & amemus miſericordiam. IDEM DVO-
*Cap.11.* DECIMO DE CIVITATE DEI. Ego ſum qui ſum. Cùm enim deus ſumma eſſentia ſit, hoc eſt, ſum-
mè ſit, & ideo immutabilis ſit, rebus quas ex nihilo creauit eſſe dedit, ſed non ſummè eſſe ſicut ipſe eſt, & aliis
dedit eſſe amplius, aliis minus, atque ita naturas eſſentiarum gradibus ordinauit. GREGORIVS NYS-
SENVS. Deus fuit quidem ſemper, eſtque, & erit. Immo verò ſemper eſt. Nam fuit aut erit, diuiſiones ſunt
fluxæ naturæ, & temporis cui ſubiicimur nos, At deus ſemper eſt. Quo nomine ipſe ſeipſum appellauit, cùm
Moyſen alloqueretur in monte. Totum enim in ſeipſum eſſe complectitur, quod neque cœpit vnquam, ne-
que deſinet quaſi quoddam eſſentiæ pelagus infinitum & immenſum, omnem & naturæ, & temporis rationem I
tranſcendens. DIONYSIVS. Appellauit ſeipſum qui eſt, non enim ſecundum aliquam quantitatem ac
dimenſionem eſt, ſed ſimpliciter & interminabiliter, totum eſſe in ſe comprehendens. PHILO IVDAEVS.
Dixit Moyſes, At ſi percunctati ex me fuerint quod nomen ei ſit qui me miſerit, eíſque dixero, ne me quidem
poſſe hoc explicare, nónne eos circunuenire ac fallere videbor? Tum deus, Reſponde (inquit) quod ego ſum
ille qui eſt, vt intelligant quantum inter eum qui eſt & qui non eſt interſit, doceantur inſuper nullum mihi
propriè nomen conuenire, qui ſolus habeo ipſum eſſe. BASILIVS. Ego ſum qui ſum. Id ex perſo-
na dei dictum fuiſſe nemo inficiari poteſt. Nam iſtud qui ſum, vnam eandemque, ac communem eſſen-
tiam ſignificat. Deus verò Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob, cum articuli additione dictum eſt, vt
vnius cuiuſque perſonæ diuiſionem declararet. EVSEBIVS. Propterea quod dictio quæ nominis ex-
pertem explicaret, inueniri non potuit, dic (inquit) qui eſt, Nam vox illa qui eſt, rem non nomen dei ſigni-
ficat. Qui eſt, hoc eſt, qui per ſe eſt, qui à nullo eſſe habet. SEVERVS. Quum omnium deus non tan- K
tum Abraham, Iſaac, & Iacob, deus fuerit, ſed etiam Ioſeph, ob inſignem eius pietatem ac virtutem, trium
tamen ſe deum eſſe fatetur, vt ſanctiſsimam Trinitatem innueret, idque ita eſſe articuli additio ter repetita
manifeſtiſsimè declarat. Nam cùm nominum Monadem præmiſiſſet, videlicet qui eſt, Dominus, & deus,
ſtatim tertiam hypoſtaſeon ſignificantiam ſubiunxit. Qui eſt enim, & de patre, & filio, & ſpiritu ſancto æquè
dicitur. Eadem ratione Dominus, & pater, & filius, & ſpiritus ſanctus dicuntur eſſe. Similiter dei nomen pa-
tri, & filio, & ſpiritui ſancto aſcribitur. GREGORIVS DECIMOOCTAVO MORALIVM. Ad
*Cap.33.* Moyſen dicitur, Ego ſum qui ſum: & dices filiis Iſraël, Qui eſt miſit me ad vos. Solus quippe veraciter eſt,
qui ſolus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modò ſic & modò aliter eſt, iuxta non eſſe eſt: per-
manere enim in ſtatu ſuio non poteſt. Atque aliquo modo ad non eſſe itur, dum ab eo quod fuerat, ſemper ad
aliud per momenta temporum ducitur: vt ergo in participatione illius eſſentiæ aliquid ſimus, cognoſcamus L
*Hom.2.* noſmetipſos, quia prope nihil ſumus. IDEM SVPER EZECHIELEM. Eſſe enim dei, eſt æternum
hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, deſinit eſſe quod fuit, & incipit eſſe quod
non fuit: Dei verò eſſe, eſt diſsimiliter nunquam eſſe. Vnde ad Moyſen dicitur, Ego ſum qui ſum, & dices filiis
*Iacobi.1.* Iſraël, Qui eſt miſit me ad vos. Iacobus quoque ait, Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis ob-
umbratio. RABANVS. Deus ſolus qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenuit, & hoc enim
nomen ad ſanctum Moyſen per Angelum eſt delatum. Tanquam in eius comparatione qui verè eſt, eo quòd
incommutabilis eſt, ea quæ commutabilia facta ſunt, quaſi non ſint. Quod enim dicitur fuit, non eſt, &
quod dicitur erit, nondum eſt. Deus autem tantùm eſt, non nouit fuiſſe, & futurum eſſe non nouit. Solus
autem pater cum filio & ſpiritu ſancto veraciter eſt, cuius eſſentiæ comparatum eſſe noſtrum, non eſſe eſt.
Vnde & in colloquio dicimus, Viuit deus, qui eſſentia vitæ viuit, quam mors non habet. INTERLI-
NEARIS. Ego ſum qui ſum, &c. Quaſi dicat, qui propriè & immutabiliter ſum, ſtabiliſque manens do M
cuncta moueri. Qui non recèns ſum deus, cui atteſtantur tres probati & examinati teſtes, quorum teſtimo-
nium verum eſt. Et quia hi teſtes viuunt in æternum, ideo hoc memoriale meum in generatione & genera-
tionem. BEDA. Ego ſum, id eſt, qui cum patribus veſtris fui, qui ſum, id eſt, vobiſcum. Vel ego ſum
qui ſum, id eſt, ſine præterito & futuro. RVPERTVS. Ego ſum qui ſum, &c. Ad vnam percunctatio-
nem duo reddidit, quia fortis erat inquiſitor, qui pulſabat, fortis (inquam) vera fortitudine, quæ eſt virtus
*Exod.32.* humilitatis, quæ & vſu vel exercitio diuinæ collocutionis, in tantum robur excreuit, vt fortem & iratum
deum poſtmodum tenere poſſet, ſtans in conſpectu eius in confractione cordis. Duo (inquam) nomina ſua
deprompſit, quorum alterum, ſcilicet Ego ſum qui ſum, naturæ eſt: alterum verò gratiæ vel dignationis, vi-
delicet Deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob, quod nomen mihi (inquit) eſt in æternum. Et hoc quia gra-
tiæ eſt, idcirco iam ſuprà non interrogatus vltro protulerat, dicendo, Solue calciamentum de pedibus tuis,

locus



A locus in quo ſtas, terra ſancta eſt, Ego ſum deus patris tui, deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob. Verùm hîc
addidit quod illic non dixerat, hoc nomen mihi eſt in æternum, ſcilicet propter dignè nominandam fidem
illorum vel obedientiam illorum, in qua peregrinos & hoſpites ſe eſſe confeſsi ſunt ſuper terram, meliorem
expectantes patriam, id eſt, cœleſtem. Ideo enim (inquit Apoſtolus) non confunditur eorum vocari deus. Hoc *Heb.11.*
ergo (inquit) nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum, ſubauditur ſecundum ea quæ opera-
tus, vel operaturus ſum in illis adoratoribus meis, & in ſemine eorum. His duobus ſumptis, Ego ſum qui
ſum, ſic dices filiis Iſraël, qui eſt, miſit me ad vos, iterúmque hæc dices filiis Iſraël, dominus deus patrum
veſtrorum, deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob, miſit me ad vos. Ergo non eſſe deos conſequitur
eos, quos neſciuit Abraham, quos Iſaac ignorauit, quos Iacob non cognouit. Et hoc pro tempore & re hîc
opportunè reſponſum eſt, ſcilicet vt ceſſent filij Iſraël quaſi pro multitudine deorum proprium dei ſui quæ-
B rere vocabulum, hoc tantùm ſcire contenti, quòd iſte qui mittit ad eos Moyſen, non vt cæteri, falsò dicitur
deus, ſed eſt. Præterea non ſolùm multitudini illorum qui non ſunt, ſed & omni numeroſitati creaturа-
rum ſe eximit creator, dicendo ego ſum. Quid enim? Nunquid aliquid eorum quæ creata ſunt, ſimpli-
citer vel abſolutè eſſe dicendum eſt? Non vtique, quia nihil eorum ſimplex, vel incompoſitum eſt. Quic-
quid enim præter deum eſt, ex materia ſimul & forma conſtare dicitur, vt manifeſtum eſt. Verbi gratia, ſta-
tua cuius eſt materia æs, forma autem quælibet effigies quam finxit artifex, vt puta Iouis aut Serapis. Proin-
de quod ſtatuam vocamus, non eſt quod eſt, nam non vnum idémque aut ſimplum eſt. Sed nec ipſum
quidem æs, ſimplum quid eſt, quippe cuius materia terra eſt, ab ipſa multùm differens æris ſpecie. Terræ
quoque nomen à forma tractum eſt, dicitur enim terra, quod ſit grauis & ſicca, ſuúmque eſſe ſumpſit ex
hyle, quam materiam creatam eſſe conſtat informem. At verò dei ſubſtantia, forma ſimplex eſt ſine mate-
ria vlla, ac proinde eſt quod eſt, nec enim poteſt illi quicquam ineſſe, præter id quod ſubſtantialiter eſt:
C nec enim poteſt hoc eſſe ſubiectum, nec ab aliquo accidente quemlibet motum ſiue mutationem admit-
tit, videlicet cum ſit forma carens materia, vnde pateretur accidentia? Denique quod formata quælibet, ho-
mo ſiue iumentum, & cætera vicibus permutantur, hoc illis ipſorum materia fert. Inde homo quaſi flos *Iob.13.*
egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Inde eſt quod ſicut *Pſal.89.*
herba mane tranſit, mane floret, veſpere decidit, indurat ac areſcit. Igitur deus qui non formatus, ſed
forma tantùm eſt, rectè tam diis, qui dicuntur quidem, ſed non ſunt, quàm creaturis omnibus, quarum
diuerſiſsimæ formationes, vel naturæ ſunt, ſolum ſe excipiens, ſuum edixit proprium vocabulum, dicendo,
Ego ſum qui ſum, & hæc dices filiis Iſraël, qui eſt, miſit me ad vos. BERNARDVS QVINTO DE
CONSIDERATIONE. Nunc iam tranſi ſpiritus iſtos, ſi fortè cum ſponſa dicere poſsis & tu, Paululum
cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Quis eſt? Non ſanè occurrit melius quàm qui eſt. Hoc *Cant.3.*
ipſe de ſe voluit reſponderi, hoc docuit, dicente Moyſe ad populum, ipſo quidem iniungente, Qui eſt, miſit
D me ad vos. Meritò quidem. Nil competentius æternitati, quæ deus eſt. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi
ſapientem, vel quicquid tale de eo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt, eſt. Nempe hoc eſt ei eſſe,
quod hæc omnia eſſe. Si & centum talia addas, non receſsiſti ab eſſe. Si ea dixeris, nihil addidiſti. Si non
dixeris, nihil minuiſti. Iam ſi vidiſti hoc tam ſingulare, tam ſummum eſſe, nónne in comparatione huius
quicquid hoc non eſt, iudicas potiùs non eſſe quàm eſſe? Quid item deus? ſine quo nihil eſt. Tam nihil eſſe *Ioan.8.*
ſine ipſo, quàm nec ipſe, ſine ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt. Ac per hoc quodammodo ſolus eſt ipſe, qui
ſuum ipſius eſt & omnium eſſe. IDEM IN SERMONE DE NATIVITATE DOMINI. Loqui-
tur dominus ad Moyſen de liberatione Iſraëlis, & poſt multam dei & Moyſi confabulationem, Propheta ſub-
tiliter inquirit nomen eius. Et dominus dicit, Ego ſum qui ſum, hoc eſt, nomen meum in æternum. Hæc
dices filiis Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos. Perterritus Moyſes inextricabilis auctoritate vocabuli, ac ſi di-
ceret, hoc excedit intellectum meum, non poſſum capere niſi effundatur, audiat à maieſtate, Ego ſum deus
E Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob. Vides effuſionem, Ecce deus angelorum vocat ſe deum hominum.
HVGO DE SANCTO VICTORE. Ego ſum qui ſum. Ac ſi diceret, nomen meum non dicam eis, qui
ſcilicet nomen meum ſcire deberent, & eſt ironicè dictum. Quaſi diceret, nomen meum ignoratur? Vel ſic:
Ne diffidas quid loquaris, & quid dicas ei, quia ego ſum qui tecum ſum, id eſt, quo iuuante facies illa mi-
racula. Vel aliter. Ego ſum qui immutabiliter ſum, cuius nomen proprium eſt ens. THOMAS. Deum *1. par. q. 2. ar. 3. per totum.*
eſſe quinque viis probari poteſt. Prima autem & manifeſtior via eſt, quæ ſumitur ex parte motus, certum eſt
enim, & ſenſu conſtat aliqua moueri in hoc mundo. Omne autem quod mouetur, ab alio mouetur. Nihil
enim mouetur, niſi ſecundum quod eſt in potentia ad illud ad quod mouetur. Mouet autem aliquid ſecun-
dum quod eſt actu. Mouere enim nihil aliud eſt, quàm educere aliquid de potentia in actum. De potentia
autem non poteſt aliquid reduci in actum, niſi per aliquod ens actu, ſicut calidum in actu, vt ignis facit li-
gnum quod eſt calidum in potentia, eſſe actu calidum, & per hoc mouet & alterat ipſum. Non autem eſt
F poſsibile, vt idem ſit ſimul in actu, & potentia ſecundum idem, ſed ſolùm ſecundum diuerſa. Quod enim
eſt calidum in actu, non poteſt ſimul eſſe calidum in potentia, ſed eſt ſimul frigidum in potentia. Impoſ-
ſibile eſt ergo quod ſecundum idem & eodem modo aliquid ſit mouens & motum, vel quod moueat ſeip-
ſum. Omne ergo quod mouetur, oportet ab alio moueri. Si ergo id à quo mouetur, moueatur, oportet &
ipſum ab alio moueri, & illud ab alio, hîc autem non eſt procedere in infinitum, quia ſic non eſſet aliquod
primum mouens, & per conſequens nec aliquod aliud mouens, quia mouentia ſecunda non mouent, ni-
ſi per hoc quod ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouet, niſi per hoc quod eſt motus à
manu. Ergo neceſſe eſt deuenire ad aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur, & hoc omnes in-
telligunt deum. Secunda via eſt ex ratione cauſæ efficientis. Inuenimus enim in iſtis ſenſibilibus eſſe or-
dinem cauſarum efficientium, nec tamen inuenitur, nec eſt poſsibile, quòd aliquid ſit cauſa efficiens

ſui

sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod est impossibile, non autem est possibile quòd in causis efficientibus G
procedatur in infinitum, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum est causa medij, & medium
est causa vltimi, siue media sint plura, siue vnũ tantùm: remota autẽ causa remouetur effectus. Ergo si non fuerit
primũ in causis efficientibus, non erit vltimũ nec mediũ. Sed si procedatur in infinitũ in causis efficientibus, nõ
erit prima causa efficiẽs, & sic nõ erit nec effectus vltimus, nec causæ efficiẽtes medię, quod patet esse falsum. Er-
go est necesse ponere aliquã causam efficientẽ primam, quam omnes deũ nominãt. Tertia via est sumpta ex pos-
sibili & necessario, quæ talis est. Inuenimus enim in rebus quędã quæ sunt possibilia esse & nõ esse, cùm quędam
inueniãtur generari & corrũpi, & per consequẽs possibilia esse & nõ esse. Impossibile est autẽ omnia quę sunt ta
lia, semper esse, quia quod possibile est nõ esse, quandoq; nõ est. Si igitur omnia sunt possibilia nõ esse, aliquãdo
nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiã nunc nihil esset, quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid
quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quòd aliquid inciperet esse, & sic modò nihil esset, quod patet
esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus, omne autem H
necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet: non est autem possibile quod proce-
datur in infinitum in necessariis quæ habent causam suæ necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, vt
probatum est. Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis
aliunde: sed quod est causa necessitatis aliis, quod omnes dicunt deum. Quarta via sumitur ex gradibus qui
in rebus inueniuntur. Inuenitur enim in rebus aliquid magis & minus bonum, & verũ & nobile, & sic de aliis
huiusmodi: sed magis & minus dicuntur de diuersis, secundum quod appropinquant diuersimodè ad ali-
quid quod maximè est, sicut magis calidum est, quòd magis appropinquat maximè calido. Est igitur ali-
quid quod est verissimũ & optimũ & nobilissimũ, & per consequẽs maximè ens. Nã quę sunt maximè vera, sunt
maximè entia, vt dicitur secundo Metaphysicorũ. Quod autem dicitur maximè tale in aliquo genere, est cau-
sa omnium quæ sunt illius generis, sicut ignis qui est maximè calidus, est causa omnium calidorum, vt in
eodem libro dicitur. Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse & bonitatis & cuiuslibet perfe- I
ctionis, & hoc dicimus deum. Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. Videmus enim quòd aliqua quæ
cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem, quod apparet ex hoc, quod semper
aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id quod est optimum. Vnde patet quòd non à casu
sed ex intentione perueniunt ad finem. Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi
directa ab aliquo cognoscente & intelligente, sicut sagitta à sagittante. Ergo est aliquid intelligens, à quo
omnes res naturales ordinantur ad finem, & hoc dicimus deum. IDEM. Hoc autem nomen, qui est, tri-
*Vbi supra q.13. ar.11. in cor.qu.c.* plici ratione est maximè proprium nomen dei. Primo quidem propter sui significationem: non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse, vnde cùm esse dei sit ipsa eius essentia, & hoc nulli alij conueniat vt su-
pra ostensum est, manifestum est quòd inter alia nomina hoc maximè propriè nominat deum. Vnumquod-
que enim denominatur à sua forma. Secundo propter eius vniuersalitatem. Omnia enim alia nomina, vel
sunt minùs communia, vel si conuertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum ratio- K
nem. Vnde quodammodo informant & determinant ipsum. Intellectus autem noster non potest ipsam dei
essentiam cognoscere in statu viæ secundum quod in se est, sed quemcunque modum determinet circa id
quod de deo intelligit, deficit à modo quod deus in se est. Et ideo quanto aliqua nomina sunt minùs determi-
nata, & magis communia & absoluta, tantò magis propriè dicuntur de deo à nobis. Vnde & Damascenus di-
cit quod principalius omnibus quæ de deo dicuntur nominibus, est Qui est, totum enim in seipso compre-
hendens velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & indeterminatum, quolibet enim alio nomine deter-
minatur aliquis modus substantiæ rei, sed hoc nomen qui est, nullum modum essendi determinat, sed se ha-
bet indeterminatè ad omnes, & ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum. Tertio verò ex eius signi-
ficatione, significat enim esse in præsenti, & hoc maximè propriè de deo dicitur, cuius esse non nouit præ-
teritum vel futurũ, vt dicit Augustinus in quinto de Trinitate. CHRYSOSTOMVS IN CAPVT IOAN-
*Hom.14.* NIS PRIMVM. Hoc nanque dilectissimi filij tantùm est, qui multùm genitori suo fidit, neque ipso vlla ex L
parte sit inferior, æqua hoc cognitio significat. Vis & sempiternum intelligere? audi Mosen quid de patre lo-
quatur. Nam cùm peteret si interrogaretur à Iudæis, quis ipsum miserit, quid iuberet respondere: Dic, inquit,
Qui est misit me. Hoc enim verbum, Qui est, sempiternum & sine principio, & verè, & propriè esse significat.
AVCTOR CATENAE. Dixit deus ad Moysen, Ego sum qui sum. Hebraicè ita legitur locus iste אֶהְיֶה אֲשֶׁר
אֶהְיֶה Ehie aser ehie, Ero qui ero, & ita etiam habet Chaldaica, pro ero, ac si dicat, is sum qui ero. Orationem esse
concisam ostendit Thara accentus Hebraicus qui ponitur in Ehie. Alij vertũt, Ero quia ero, pro ero, ero enim.
Vt aser sit coniunctio, non relatiuũ. Hoc est, qui est, qui fuit, & erit, futurũ enim tria tempora comprehẽdit, quasi
dicat deus æternus. Alij dicunt hanc esse loci sententiam. Ego ô Moyses, sicut ero tecum, ita ero cum Israëlitis,
vt educam eos ex Aegypto. Vel ego ero cum ipsis in hac afflictione, quemadmodũ ero cum ipsis in alia afflictio-
ne. Dicunt quidam id cum maiestate quadam dixisse deũ, nolentem exprimere quis esset. Nec desunt qui locum
simpliciùs exponant, hoc modo videlicet, Supra dixit dominus ad Moysen, Ero tecũ, idem verbum, & eandem M
promissionem repetit nunc deus, & inculcat eam Moysi, vt reuocet ipsum à curiosa inquisitione arcanæ naturę
dei, ad obseruationẽ reuelatæ promissionis, & manifestati verbi dei, vt sit sensus: Dixi antea, Ero tecũ, Quò ver-
bo manifestè promisi, me præsentaneo meo auxilio adfuturũ tibi, & impleturũ promissiones, quas Patriarchis
pollicitus sum. Vade igitur, & sis hac manifesta promissione contẽtus. Sufficit tibi & populo meo, vt cognosca-
tis voluntatẽ meam reuelatione verbi mei, Ero qui ero. Reuelaui tibi voluntatẽ meam promissione, quę est, Ero
tecũ, pręter hũc reuelãdi modũ qui est per verbũ meũ, aliũ nõ assumã. Hic modus satis vnicuiq; sufficiet ad saluté,
donec futurũ seculũ reuelatũ fuerit. Tũc enim vnusquisq; cognoscet deũ, sicut nũc ipse à deo cognoscitur. In pre-
senti autẽ seculo sufficit vobis (inquit dominus) verbũ promissionis meę, intra quẽ reuelãdi modũ me cõtinebo.

Quare



A Quare volo vt hanc promissionem meam, adeóque veritatem omnium promissionum quas Patriarchis pol-
licitus sum, populo Israël inculces, & dicas, Ero, misit me ad vos, hoc est, deus qui promisit Patriarchis
omnem benedictionem in semine Abrahæ, qui est deus verax, & seruat quod promisit, is, inquam, Deus mi-
sit me, vt educam, vos ex Aegypto. Verùm hæc quidem omnia secundum Hebræorum expositiones. Sed
quoniam futura pro præsentibus ac præteritis solent vsurpari in Hebræa lingua sicut & lingua Italica, & aliis
quamplurimis, dicimus Latinum interpretem rectè vertisse, Sum qui sum, sicut & Septuaginta fecerunt,
habentes ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Ne autem somnia ex nostro capite afferre dicamur, quòd futura pro præsentibus
Hebraicè vsurpentur, duo tantùm ad præsens afferentur exempla. Primum est Geneseos capite trigesimo septi-
mo, vbi Latinè dicitur de Ioseph, inuenisse eum errantem, quendam virum, qui eum hoc modo interroga-
uit: מָה תְּבַקֵּשׁ Ma tebakkes, quod si Latinè reddas, dices, quid quæres? quid vestigabis? patet tamen de
B præsenti fieri interrogationem. Secundum est Iob capite primo, vbi in nostra editione habetur, vnde ve-
nis, Hebraicè est: מֵאַיִן תָּבֹא Meáin tabo, quæ si Latinè reddenda sunt, dicendum esset vnde venies, quo nihil
esset absurdius, etiam apud Hebræos. Innumerabiliáque alia dimittuntur exempla, ne in re manifesta tem-
pus conteratur. Rectè igitur hoc in loco vertit interpres, Ego sum qui sum, quod nil aliud est, quàm
quod in Hebræo legitur, Ero qui ero. Dei autem nomen esse, quia est, ideo dicitur, eo quòd à seipso sit sem-
per, & omnibus quæ sunt gratis esse præbeat, & in esse conseruet. Quod non solùm Christiani docent ac
sentiunt, sed etiam Platonici, dicentes, Deum omnis essentiæ, omnísque vitæ plenitudinem esse, id ipsum
tam illi quàm etiam Aegyptij ipsi ab hoc loco didicisse creduntur. In quorum templis scriptum erat de Deo
optimo maximo, Ego sum quod fuit, quod est, quódque futurum est. Velum meum nemo vnquam reue-
lauit, hoc est, imperscrutabilis est abyssus perfectionum mearum, vt qui perscrutator esse præsumat diuinæ
maiestatis, opprimendus sit ab illius gloria. Totum enim ipsum esse complectitur in se, quod neque cœpit vn-
C quam, neque desinet, sed est quasi quoddam essentiæ pelagus infinitum & immensum, omnem & naturæ &
temporis rationem transcendens. Præstátque & excellit omnia quæ quoquomodo bonum participant, quod
primo bonum est, & quod non est aliud quàm ipsum bonum. Vbi autem hîc scribitur, Qui est, misit me ad
vos, in Hebræo sicut & antea scribitur אֶהְיֶה ehie, Ero. Vox eadem est futuri substantiui à verbo הָיָה hoc
est fuit. Et quidam etiam hîc verterunt, Ero, quasi dicat, Deus cuius nomen est, Ero, misit me ad vos. Vn-
de & Chaldaica habet, Qui ero. Alius vertit, sum misit me ad vos. Sed & quod vertit Interpres, bene vertit,
idem est enim dicere, qui est, & sum. Instruit enim hîc deus Moysen de dicendis ad populum quæ aptiùs sub
tertia quàm sub prima persona illi referẽda erant. Vnde & Septuaginta hîc habent ὁ ὤν, qui est. Dicit ergo, Qui
est, vel qui erit semper, nusquam & nunquam defuturus, misit me ad vos. Sciendum autem, quòd nomen tetra-
grãmaton quod proprium dei nomẽ esse existimatur, & quod apud Hebræos quasi proferri non potest, non est
alia vox, non aliud nomen, quàm id de quo disseritur hîc, id est, qui est, quod Græcè melius ὁ ὤν. Est enim vox
futuri tẽporis verbi substantiui. Nam prima vox eius verbi est: הָיָה hoc est, fuit, cui in futuro tertiæ personæ ad-
D ditur iod, fitq; יִהְיֶה, id est, erit, atque ipsum est nomen tetragrãmaton duntaxat protracta iod, vt fiat vau. Puta-
músque olim loco eius quod nũc est vau, fuisse iod, facilisq; est à iod, ad vau transitus, propter maximã affinita-
tem. Atque ex hoc Exodi loco natũ putamus nomen tetragrãmaton. Nomen scilicet, quo seipsam diuinitas ap-
pellauit, ab essendo, quanquam eo, in libro Geneseos vsus sit Moyses. Vtq; hoc clarius percipias, vbi in nostra edi
tione habetur, Dixitque iterum dominus ad Moysen, Dominus deus patrum vestrorum, deus Abraham, deus
Isaac, & cætera, Hebraicè in ipso exordio ponitur. יְהוָה hoc est, nomen tetragrãmaton, id est, qui est deus patrum
vestrorum, deinde subdit, hoc nomen mihi est in æternum. Neque de alio nomine intelligit, quàm eo, quod ex-
posuerat Moysi, scilicet, qui est. Nomen ergo tetragrãmaton tempus futurum est verbi substantiui, sub ea forma
quam exposuimus. Atque idem est, vbi dixit ero qui ero, & ipsum nomen quadriliterum. Nam si ipsum inter-
pretari voluerimus, dicemus, qui est vel erit, sine relatiuo, quod fit secundum idioma Hebræorum, in quo rela-
tiua sæpe dimittuntur. Hæc dicimus non ignorantes diuum Hieronymum tanquam duo diuersa nomina po-
E nere nomina tetragrãmaton, & qui est: sed siquis prudentissimè cõsiderarit, inueniet hęc vera esse, consentiente
etiam Theodoreto apud Græcos, qui Syriacè & Hebraicè erat peritissimus. Sequitur. Hæc dices filiis Israël,
Dominus deus patrum vestrorum, deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob, misit me ad vos. Hoc nomen sci-
licet Ehie, mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem, id est, istud erit mihi
nomen æternum, siue istud nomen meum est, per quod homines recordabuntur mei. Et Hebraismus est. Pa-
làm hîc se à potentia & maiestate dominum appellat, qui se paulò antè ab essentia appellauerat deum esse. Do-
mini autem nomen nonnihil seueritatis præsefert, non enim solùm bonus est deus, sed iustus etiam & potens,
qui vt omnibus exponit bonitatem suam, ita & malorum vindex est iustissimus. Talis haberi vult semper &
ab omnibus, quin & post hanc quoque vitam erit deus, eo fruentur electi, impij quoque potentem & iustis-
simum experientur.

F INTERLINEARIS. Quod deus præcipit Moysi vt sibi in monte immolet, id spiritualiter *Mystice.*
nobis indicat, quòd in eminentia virtutum debet esse qui deo vult immolare. AVGVSTINVS. Sed
& quod dicit deus Moysi, Ego sum, qui sum: &, Qui est, misit me ad vos, diuinitatis substantiam signat. Cùm
autem dicit, Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & cætera, mysterium susceptæ incarnationis insinuat, quia
de illis secundum carnem generatus agnoscereturet.

VAde, & congrega seniores Israël, & dices ad eos: Dominus deus patrum uestrorum apparuit 4
mihi, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob, dicens, Visitans uisitaui uos, & uidi omnia quæ
acciderunt uobis in Aegypto, & dixi ut educam uos de afflictione Aegypti in terram Chana-

*næi & Hethæi, & Ammorræi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & mel-* G
*le, & audient uocem tuam. Ingredieríſque tu & ſeniores Iſraël ad Regem Aegypti, & dices ad eum, Dominus deus Hebræorum uocauit nos. Ibimus uiam trium dierum in ſolitudinem, ut immolemus domino deo noſtro. Sed ego ſcio quòd non dimittet uos Rex Aegypti ut eatis, niſi per manum ualidam. Extendámque manum meam, & percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus ſum in medio eorum, Poſt hæc dimittet uos. Dabóque gratiam populo huic coram Aegyptiis, & cum egrediemini, non exibitis uacui, ſed poſtulabit mulier à uicina ſua, & ab hoſpita ſua, uaſa argentea & au-*
*rea, ac ueſtes, ponetíſque eas ſuper filios & filias ueſtras, & ſpoliabitis Aegyptum.* H

4 CAIETANVS. Finita interlocutoria reſponſione, redit deus ad iniungendam legationem manifeſtando modum quo Moyſes hac legatione fungi debet, videlicet vt priùs congreget ſenes Iſraël. Ait ergo, *Vade & congrega ſeniores Iſrael.* Intelligo autem per ſenes, eos qui habebantur in populo primates ad decernendum ea quæ contingebant, quorum conſilio & auctoritate res populi gubernabantur, ſiue eſſent iudices electi, ſiue non. AVCTOR CATENAE. Quæ enim ad populum vniuerſum attinent ardua negocia, primùm ſenioribus ſunt proponenda*, non ſtatim promiſcuæ multitudini non ſemper meliora ſentienti, ſed inſtruenda prius eſt & præparanda ſapienter, alioqui non eſt tuta vulgi ſententia, ſed magis periculoſa, etiam conſentientis. Prudentium eſt iudicare proponenda, eorum ſcilicet, qui ætate & exercitatione longæua ſapientiam nacti ſunt. *Et dices ad eos: Dominus deus patrum veſtrorum apparuit mihi, deus Abraham, & deus Iſaac, & deus Iacob, dicens.* INTERLINEARIS. Deus vtique ab- I
ſconditus à ſeculis & generationibus. CAIETANVS. Eadem dei nomina repetuntur, eiſdem rationibus manifeſtanda ſenibus, quibus manifeſtanda dicta ſunt populo. AVCTOR CATENAE. Nouerant ſiquidem ſeniores promiſsiones Patriarchis factas à domino, qui poſteris narrauerunt quæ futura illis, & dominum deum patrum ſuorum inuocabant, qui vt veritas eſſet & bonitas, certiſsimè completurus eſſet benedictiones promiſſas, licet neſcirent quando & quomodo. *Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto, & dixi vt educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Ammorræi, & Pherezæi, & Heuæi & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle, & audient vocem tuam.* INTERLINEARIS. Viſitans viſitaui vos. Geminatio verbi, confirmatio eſt. Et audient vocem tuam, id eſt, obedientes erunt. CAIETANVS. Prædicit enim Moyſi deus fructum fidei in ſenibus Iſraël, vt confidentius vadat. AVCTOR CATENAE. Quoniam פָּקֹד pakad apud Hebræos non ſolùm viſitare, ſed recordari ſignificat, hinc factum eſt quòd ipſi hîc ſicut & in multis aliis locis, accipiant pro recordari, di- K
cúntque, Recordans recordatus ſum veſtri. Et ita etiam habet Chaldaica. Et eſt ſenſus, Tandem recordatus ſum veſtræ afflictionis, qua ab Aegyptiis opprimimini. Septuaginta habent prout in noſtra editione. Sed tamen idem eſt ſenſus vtrobique. Pari modo quod ſequitur, Et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto, non diſcrepat ab Hebræo: וְאֵת הֶעָשׂוּי לָכֶם בְּמִצְרָיִם Veeth hehaſui lachem bemizráim, Et eius quod factum eſt vobis in Aegypto, vel vt habet Chaldaica, Et omnium quæ facta ſunt vobis in Aegypto, ſubauditur recordatus ſum. Aut ſi legis, Viſitans viſitaui vos, ſubaudi, Vidi, vel ſcio. Sic & quod dicitur, Et dixi vt educam vos de afflictione Aegypti, non diſſentit ab eo quod eſt in Hebræo, אַעֲלֶה áhale, Et dixi, Aſcendere faciam vos, ſic & Chaldaica, hoc eſt, decreui educere vos de ſubiectione Aegyptiorum. Et hæc eſt recordatio domini, ſiue viſitatio prædicta. Tunc enim noſtri recordatur, ſeu nos viſitat, cum de tribulatione liberat. Septuaginta, καὶ εἶπα, ἀναβιβάσω ὑμᾶς, & dixi, Reducam vos, & cætera, Quod idem eſt. Hic igitur alloquitur Moyſen deus, diſtuliſſe quidem iram ſuam contra Aegy- L
ptios, ſed nunc malitiam ipſorum tanto durius & grauius puniendam. Viſitans viſitaui (inquit) vos, hoc eſt, viſitando viſitabo (vtitur enim præterito pro futuro propter rei certitudinem adimplendæ) vos meos filios, & dignè compenſabo quicquid indignè contra vos præſumitur ab Aegyptiis. De afflictione autem Aegypti educere vult, non de ea quam patiebantur Aegyptij, ſed de ea qua filij Iſraël ab Aegyptiis affligebantur. Sæpe autem nominantur nomina ſex gentium, & terræ eorum, quia impenſiſsimè eam deſiderabant filij Iſraël, ſepulturæ locum parentum ſuorum, & hæreditatis iure illis debitam, quia promiſſam à domino. Non ſolùm verò facta hominum, ſed & voluntatum conſenſus, & diſſenſiones domino prænota ſunt. Prædicit enim hîc deus quid ſeniores & populus tam fidelium quàm Aegyptiorum facturi ſint & conſulturi. Nam de populo Iſraël ait, Et audient vocem tuam. Credent (inquit) & acquieſcent tibi. Seniores enim illi prudentes erant, promiſsiones Patriarchis de liberatione eorum poſteritatis ex Aegypto, introductionéque in terram Chanaam factas nouerant. Et quoniam deus ad Abraham M
dixerat, Generatione quarta reuertentur huc, tempus à deo præfixum ex numero generationum adimpletum
*Gene.50.* eſſe cernebant per annorum decurſus. Vide autem dei optimi maximi ſapientiam. Quia moriens Ioſeph ſic prædixerat, Poſt mortem meam deus viſitabit vos, & aſcendere faciet de terra iſta, vt in memoriam ſuggerat eis prædictionem illam, ac tempus de quo loquutus fuerat Patriarcha impletum doceat, ait ad Moyſen, Viſitans viſitaui vos, & dixi vt educam vos, ſeu aſcendere faciam de afflictione Aegypti, & cætera. Sciendum verò viſitationem dei hîc accipi pro miſericordia & gratuito eius auxilio, ſicut & in Pſalmo centeſimo quinto,
*Luc.1.* Viſita nos in ſalutari tuo. Et in cantico Zachariæ, Viſitauit nos oriens ex alto. Aliàs autem frequenter
*Soph.1.* pro diuina caſtigatione ſumitur, prout dominus per Sophoniam conteſtatur, Viſitabo ſuper omnem qui
*Pſalm.88.* arroganter ingreditur. Et in pſalmo, Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum



A rum. *Ingredieríſque tu & ſeniores Iſrael ad Regem Aegypti, & dices ad eum, Dominus deus Hebræorum vocauit nos.* THOMAS SVPER EPISTOLAM AD ROMANOS. Vocatio hominis eſt duplex, *Ca.8.lect.6*
vna exterior quæ fit ore prædicatoris, Prouerbiorum nono, Miſit ancillas ſuas vt vocaret ad arcem. Hoc modo deus vocauit Petrum & Andream, vt dicitur Matthæi quarto. Alia verò vocatio eſt interior, quæ nihil eſt aliud quàm quidam mentis inſtinctus, quo cor hominis mouetur à deo ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei vel virtutis. Eſaiæ Quadrageſimoprimo, Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum, & vocauit eum vt ſequeretur ſe? Et hæc vocatio neceſſaria eſt, quia cor noſtrum non ſe ad deum conuerteret, niſi ipſe deus nos ad ſe traheret. Ioannis ſexto, Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum. Threnorum quarto, Conuerte nos domine ad te, & conuertemur. Et etiam hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia huiuſmodi vocationi aſſentiunt. Ioannis ſexto, Omnis qui audit à pa-
B tre meo & didicit, venit ad me. IDEM SVPER EPISTOLAM AD GALATAS: *Ca.1.lect.4*
Eſt autem duplex vocatio. Vna exterior, qua & Apoſtolus vocatus fuit ex cœleſti voce. Actorum nono, Saule Saule quid me perſequeris? Item ibidem, Vade in ciuitatem, & cætera. Sic etiam dominus alios Apoſtolos vocauit, & Moyſen ac ſeniores Iſraël. Alia eſt interior, quando deus vocat per quendam inſtinctum interiorem, quò deus per gratiam tangit cor vt conuertatur ad ipſum. Et ſic vocat à mala via in bonam, & hoc per gratiam ſuam non noſtris meritis. Romanorum octauo, Quos prædeſtinauit, hos & vocauit. Eſaiæ quadrageſimo quinto, Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam. Amos quinto, Qui vocat aquas maris, & cætera. CAIETANVS. Inſtruit legatum ſuum deus quid propoſiturus ſit Regi, auctoritatem legantis ex proprio nomine, & ex cultu Hebræorum proponendam docet, vt ex proprio nomine præeminens omnibus cognoſcatur: ex cultu verò Hebræorum perpendatur, quòd eius intereſt curare vt ſibi ſacrificetur ab Hebræis. AVCTOR CATENAE. Et dices ad eum. In Hebræo eſt
C in plurali, videlicet וַאֲמַרְתֶּם Vaamartem, Et dicetis. Sic & Chaldaica. Sed interpres Septuaginta ſequutus, in ſingulari reddidit, vt ſubaudias, tu cum ſenioribus. Sequitur, Dominus deus Hebræorum vocauit nos. Iuxta Hebræum ſic habetur נִקְרָה עָלֵינוּ Nikra halénu, occurrit, apparuit, obuius factus eſt nobis. Eſt enim paſsiuum à קָרָה. Verùm quoniam ſimillima ſunt apud Hebræos קָרָא vocandi verbum, & קָרָה quod ſignificat occurrere. Quin imò infra eodem capite quinto vbi eadem quæ hîc ponuntur, recenſentur, verbum נִקְרָא ſcribitur per א. ideo interpres Septuaginta ſequutus, qui & ipſi προσκέκληται ἡμᾶς, id eſt, vocauit nos, habent, eodem modo vertit. Sed hoc parum eſt. Chaldaica editio legit, Dominus deus Iudæorum inuocatus eſt ſuper nos. Moyſes igitur coram Pharaone non ſolus, ſed ſeniorum præſentia & auctoritate comparere iubetur, & inſtare diligenter pro receſſu. Maioris enim auctoritatis fuit ire cum antiquioribus populi, quàm ſi ſolus profectus fuiſſet. Eſt ſiquidem ſenum præſentia veneranda. *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus domino deo noſtro.* RVPERTS. Hoc ita factum eſt.
D Tranſito nanque mari rubro, cùm ceciniſſet Moyſes & filij Iſraël carmen hoc domino, dicentes, Cãtemus *Exod.15.*
domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare. Ingreſsi ſunt (inquit) in deſertum Sur, ambulauerúntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam, & venerunt in Marath. Ecce qualem viam Hebræis exituris de Aegypto, & ad terram promiſsionis ituris, dominus deus ipſorum coram Pharaone profiteri imperat. CAIETANVS. Aduerte prudens lector, quòd deus mandat Moyſi vt proponat Pharaoni non integrum negocium intentum, ſed minimam eius partem, ſed principium eius, videlicet ire in deſertum itinere trium dierum ad ſacrificandum deo.
AVCTOR CATENAE. Ibimus viam trium dierum. Parum eſt quod in Hebræo eſt וְעַתָּה נֵלְכָה נָא Vehatta nêlcha na, Et nunc ibimus obſecro. Vel vt habet Chaldaica, Et nunc eamus obſecro. Septuaginta, πορευσόμεθα οὖν, Ibimus igitur, & cætera, quaſi dicat, proinde per te nobis liceat ire per deſer-
E tum itinere trium dierum, vt immolemus domino, deus enim Hebræorum vult à nobis coli extra Aegyptum. Ideo autem tam breue petere temporis ſpacium iubetur, vt Pharao ad id concedendum moueretur, & ipſis non immineret periculum à perſequutione Aegyptiorum, nam ſi longius tempus peteret, excuſaretur ille non concedens, tanquam qui de fuga Iſraëlitarum iure ſuſpicaretur. Sed dicet aliquis, Docét ne deus Moyſen mentiri, & fingere quod non eſt verum? Abſit. Aliud eſt diſsimulare, aliud mentiri. Diſsimulare eſt hominum prudentum: Mentiri autem eſt hominum vanorum & impoſtorum. Iubet igitur dominus Moyſen diſsimulare coram Pharaone profectionem in terram Chanaan. Quid enim ad Pharaonem, quòd populus dei poſſeſsurus erat terram Chanaan, patribus ipſorum à deo promiſſam? Et interim iubet eum prætexere immolationem in deſerto. Hoc autem non erat mendacium, ſed veritas rei. Supra enim dixit, Seruietis deo ſuper monte iſto. Et poſtea in Exodo vigeſimo quarto, obtulerunt in eo loco holocauſta, & immolauerunt ſacrificia & victimas pacificas Domino de bobus. Quare nemo poteſt mendaciis ſuis ex hoc loco patrocinium quærere. Vel dic ſimplicius, quòd mons
F Sinai verè triduano itinere diſtat ab Aegypti finibus, quò pergere iubentur à domino, Nihil dolo agit diuina veritas & iuſtitia, omnium dominus eſt, nemini facit iniuriam. Tempus aderat vltionis diuinæ de impio rege & regno. Summa tamen manſuetudine tyrannum atrocem aggreditur, quam cum contemnit impietas, non accuſabitur dei iuſtitia, nec impiorum excuſabitur peruicacia & impietas. *Sed ego ſcio quod non dimittet vos Rex Aegypti vt eatis niſi per manum validam.* INTERLINEARIS. Quaſi dicat, Meum tamen eſt monere, vt ille inexcuſabilis ſit. Manum autem validam, apertam intelligit potentiam. CAIETANVS. Non ſolùm inſtituit Legatum ſuum deus de principio legationis, ſed etiam de vniuerſo progreſſu, tum ex parte Pharaonis non dimiſſuri, tum ex parte ipſius dei mirabilia facturi. AVCTOR CATENAE. Niſi per manum validam. Hebraicè eſt: וְלֹא בְיָד חֲזָקָה Velo biiad chazaka, Niſi in manu valida. Septuaginta, μετὰ χειρὸς κραταιᾶς, cum manu valida. Chaldaica, Niſi per Timorem fortem, hoc eſt,

nisi per magna & stupenda miracula. Sunt autem qui pro nisi, vertant neque, vt sit sensus, neque si vi-G derit manum dei potentem & miracula stupenda, & confessus fuerit digitum dei esse, hoc est, diuinitùs ea fieri, permittet vos abire. In quo notatur impiorum infidelitas, qui non conuertuntur quibuscunque miraculis. Dicat itaque dominus, Noui ego quòd nisi prius maximis conspectis prodigiis dimissurus sit vos, nisi Angelo dei ab Aegyptiis protegente, & inuoluente hostes calamitatibus maximis & multis. Denique non prius quàm robur meum concludat impium & comprehendat. Hoc autem vaticinio reuelat deus Moysi indurationem Pharaonis, ex qua Israëlitæ plurimum affligentur, priusquàm dimittantur ab Aegypto. Est autem domino deo nostro solenne vt prædicat futuras afflictiones & calamitates his, qui vocationem dei sectaturi sunt. Sic Apostolis ad prædicandum Euangelium missis prædicitur, Tradent vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. Et iterum, Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Absque synagogis facient vos. Et veniet tempus, vt quisquis interficiat vos, arbitretur se obsequium H præstare deo. Sic cùm Paulus vocaretur ad Apostolatum, dicitur, Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quid ergo causæ est, quòd afflictiones prædicuntur? Primùm prædicuntur, vt sciamus eas non euenire nesciente aut negligente, sed maximè sciente & permittente deo. Nihil autem permittit deus accidere suis, nisi quod ipsis in bonum cedit. Quare prædicit eis futuras afflictiones, vt postquàm euenerint, sciant eas adiumento esse ipsis in bonum. Deinde prædicuntur, vt pij præparent & muniant se se fide ad tentationes, ne postquàm euenerunt afflictiones, offendantur, & vocationem dei desperati abiiciant. Vnde & Christus postquàm prædixisset afflictiones Apostolis futuras, addit, Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, vt cùm venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Postremò prædicuntur, vt hac occasione deus maiores addat promissiones, & fidem nostram fortiùs confirmet, ac gloriam suam magis conspicuam reddat. Non enim prædicit deus futuras afflictiones, quòd velit his perdere ambulantes in vocatione dei, sed quòd velit eos seruare, & magnitu- I dinem maiestatis suæ in ipsis seruandis reuelare. Vnde cùm Christus Apostolis prædiceret, Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contristabimini, mox addit: Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et confidite, quia ego vici mundum. Sic & hoc loco cùm deus prædixisset Moysi futuras calamitates in Aegypto, addit magnificas promissiones, dicens, *Extendámque manum meam, & percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, post hæc dimittet vos.* RVPERTVS. Ad hoc autem & manum validam exerit, ad hoc (inquam) vt eant, non per viam terræ Philistiim, quæ vicina est sed per solitudinem, ad hoc tantùm vt immolent domino deo suo. INTERLINEARIS. Exeram ergo manum meam ad feriendum Aegyptios plagis, & signis tot quæ nemo alius fecit, vt omnes videant, ne possint excusari, vt tunc demum victi flagellis, dimittant vos. CAIETANVS. Summariè pertransitur, nam subiuncta inferius, innuunt quòd deus vniuersa mirabilia decem plagarum Aegypti prædixit Moysi. AVCTORK CATENAE. Extendámque, seu mittam manum meam, vtrumque enim significat verbum שָׁלַח Salach. Quod declarans Chaldaica, ait: Mittámque statim plagam fortitudinis meæ. Sequitur, Et percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, id est, omnibus operibus meis mirandis, hoc est, miraculis meis æditis. *Dabóque gratiam populo huic coram Aegyptiis, & cùm egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetísque eas super filios & filias vestras, Et spoliabitis Aegyptum.* AVGVSTINVS DE LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM.

*Locut.10.* Alia litera habet, poscet mulier à vicina, ab inquilina sua, vasa argentea & aurea, & vestem. Græcus autem habet συνοίκου, à cohibitatrice sua, hoc est, quod Latini aliqui interpretati sunt, à concellaria. IDEM DE

*Quæst.6.* QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod verò mandauit dominus Hebræis vt acciperent ab Aegyptiis vasa argentea & aurea, & vestem, atque addidit, & prædabimini eos, mandati huius non potest esse iniustum iudicium. Mandatum enim dei est, de quo non iudicandum, sed ei ob- L temperandum fuit. Ille enim nouit quàm iustè mandauerit, ad seruum pertinet obedienter facere quod mandauit. RVPERTVS. Sed non iniusta præceptio. Aegyptij nanque violenter subegerant Israël, qui non erat vernaculus aut emptitius, illudentes ei, & affligentes operibus luti ac lateris. Iusta ergo vice spoliare habebant oppressores suos, veluti non dominorum direptores, sed vt verè hostium victores, quatenus dolore auri & argenti sui, nimium concitati persequerentur abeuntes, & ita perirent in mari, transeunte ad salutem Israël. HVGO DE SANCTO VICTORE. Tradunt Hebræi, quòd tantam gratiam habuerint à domino filij Israël coram Aegyptiis, vt dono postularent eo-

*2.2.q.66. art.5.ad.1.* rum vasa, & ipsi darent. Nostri verò expositores dicunt verisimilius, mutuo accepisse. THOMAS. Accipere rem alienam, vel occultè vel manifestè auctoritate iudicis hoc decernentis, non est furtum, quia iam fit sibi debitum per hoc quod sententialiter sibi est adiudicatum. Vnde multominus furtum fuit quòd filij Israël tulerunt spolia Aegyptiorum de præcepto domini hoc decernentis, pro affli- M ctionibus quibus Aegyptij eos sine causa afflixerunt, & ideo signanter dicitur, Iusti tulerunt spolia impio-

*Vbi sup. q. 104. art.4. ad 2. Osee.* rum, Sapientiæ decimo. IDEM. Nec obstat si dicatur, Nullus tenetur aliquid facere contra virtutem, sed inueniuntur aliqua præcepta dei contra virtutem, sicut præcepit Abrahæ, quòd occideret filium innocentem, vt habetur Geneseos vigesimo secundo, Et Iudæis vt furarentur res Aegyptiorum, vt habetur Exodi duodecimo, quæ sunt contra iustitiam: & Oseæ, quòd acciperet mulierem adulteram, quod est contra castitatem, ergo non in omnibus est obediendum deo. Quia respondetur, quòd sicut deus nihil operatur contra naturam, quia hoc est natura cuiuscunque rei, quod in ea deus operatur, operatur tamen aliquid contra solitum cursum naturæ. Ita etiam deus nihil potest præcipere contra virtutem, quia in hoc principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quòd dei voluntati conformetur, & eius sequatur imperium, quanuis



A quanuis sit contra consuetum virtutis modum. Secundum hoc ergo, præceptum Abrahæ factum quòd filium innocentem occideret, non fuit contra iustitiam, quia deus est auctor mortis, & vitæ. Similiter nec fuit contra iustitiam, quòd mandauit Iudæis, vt res Aegyptiorum acciperent, quia eius sunt omnia, & cui voluerit dat illa. Similiter etiam non fuit contra castitatem præceptum Oseæ factum, vt mulierem adulteram acciperet, quia ipse deus est humanæ generationis ordinator, & ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem deus instituit, vnde patet, quòd prædicti nec obediendo deo, nec obedire volendo, peccauerunt. CAIETANVS. Non oportet ergo solicitum esse de furti crimine in eo quod diuina iussione fit, cùm ipse sit dominus rerum & personarum, quanuis etiam humana ratione liceat publicos hostes spoliare. Egressus igitur promittitur Hebræis, non solùm pace, sed diuitiis donandus.

AVCTOR CATENAE. Daboque gratiam populo huic coram Aegyptiis, id est, reddámque popu-
B lum hunc gratissimum Aegyptiis. Chaldaica, Et dabo populum hunc in gratiam in oculis Aegyptiorum. Et Hebraismus est. Septuaginta, pro vt apud nos habent. Sequitur, Et ab hospita sua, idem est quod Hebraicè legitur וּמִגָּרַת בֵּיתָהּ Vmigarath betha. Quo loco Chaldaica habet, A propinqua domus suæ. Alij verò, ab habitante in domo sua: & alij, à cohabitatrice domus suæ verterunt. Sed vna omnium est sententia. Est enim גָּרַת participium fœmininum à verbo גּוּר, quod habitare, aduenam esse, siue incolere significat, vbi ה propter regimen migrauit in thau, ם hæmantico præcedente. Septuaginta vt est in Complutensi editione, in genere masculino reddunt, παρὰ γείτονος καὶ συσκήνου αὐτῆς, A vicino & cohabitatore, seu domestico suo. Velint igitur nolint impij, domino volente mitescere coguntur in pios, & benefacere vel inuiti, maximè inimicis, & hostiliter exosis. Dei omnia sunt quæ creata sunt, & cui voluerit ea donat sine cuiuscunque iniuria. Seruire compulsi fuerant gratis in grauissimo iugo seruitutis Israëlitæ & variis insuper exactionibus depauperati, quibus nunc iussu dei merces redditur abundanter. Non
C peccat qui quod dominus iubet exequitur, qualiacunque iubeat, quia nihil nisi sanctum & iustum vult ac præcipit. Eóque ipso iustum fit quod dominus mandat, etiam si ab homine ignoretur. Non aliena sed propria abstulerunt Israëlitæ. Sine dei præcepto nihil volenti proximo rapiendum, qui debita non reddit, amittet propria. Lex quidem domini iubet, Ne fureris: sed dominus legem dat, non accipit. Est enim supra omnem legem. Quare si iusserit aliena bona rapere aut furari, non iam committitur rapina aut furtum, sed præstatur mandato dei obedientia. An non omnia Aegyptiorum bona, domini erant? Potuit igitur ea dominus auferre Aegyptiis, & aliis tradere. An non aliàs dominus iubet Israëlitas occidere Chananæos & Iebusæos? Et quanquam generale præceptum est, Non occidas, tamen Israëlitæ occidendo Chananæos non peccarunt, sed obedierunt vocationi dei. Sic & in hoc loco potuisset deus mandare, vt Israëlitæ Aegyptios prorsus trucidarent, & si Israëlitæ fecissent, non incurrissent peccatum homicidij, sed præstitissent deo obedientiam. Cùm igitur iubeat eos spoliare Aegyptios, & ipsi obsequantur,
D quemadmodum postea capite duodecimo scriptum est, non commiserunt rapinam lege domini prohibitam, sed fecerunt opus obedientiæ, ad quod manifesto verbo dei vocabantur, manente interim illæsa auctoritate & seueritate eius legis, quæ naturali rationi insculpta est, & postea reuelatur & confirmatur diuinitùs, Non fureris, propterea quòd prærogatiuæ paucorum non aboleant generales leges & præcepta personalia, nec ad exemplum trahi debeant, nec personam transgrediantur. Noluit ergo deus quòd populus Israëliticus ex Aegypto vacuus egrederetur, sed cum argento & auro. Siue in præmium laboris, quem mul- *Exod.12.*
tum frustra filij Israël Aegyptiis impenderant, Siue quia Aegyptij ob proteruiam & rebellionem ipsorum in deum, meruerunt bonis mobilibus spoliari, Siue vt amota sede Mammonæ, seu Iouis Ammonij Aegypto præsidentis, faciliùs ipse collideretur. Cæterùm quòd deus promittit Israëlitis thesauros Aegyptiorum, primùm reuelat iudicium & seueritatem suam aduersus eos, qui inferunt aliis iniuriam. Deinde reuelat clementiam suam erga sufferentes iniuriam, & confirmat fidem eorum, adeóque monet ip-
E sos ad patientiam inferendis iniuriis. Nam Aegyptij affecerunt multo iam tempore Israëlitas maximis iniuriis, & oppresserunt eos crudelissima tyrannide. Nunc autem promittit deus Israëlitis vasa argentea & aurea, ac vestes Aegyptiorum, & quod promittit, præstat etiam ipsis. Dicit enim Moyses postea, Petierunt ab Aegyptiis vasa argentea & aurea, vestémque plurimam, & dominus dedit gratiam populo coram Aegyptiis vt commodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios. Hoc enim exemplo declarauit deus, quòd thesauri eorum, qui ex alienis iniuriis ditescunt, obnoxij sint spoliis & rapinis, & quòd pij qui afficiuntur iniuria fruantur, tandem illorum thesauris, qui ipsos iniustè oppresserunt. Vnde Esaias Quartodecimo dicit, Erunt capientes eos qui se ceperant, & subiicient exactores suos. Sic Dauid restitutus est in regnum Saulis, è quo Saul Dauidem nondum publicè in regem electum, per iniuriam expulerat. Sic Mardocheus ordinatus est in locum Aman, à quo ad suspendium quærebatur, quemadmodum scribitur in libro Esther. Sic Daniel liberatus est à lacu leonum, & constitutus est in eorum honorem & ma-
F iestatem, quorum calumniis & falsis accusationibus ad leones damnatus fuerat, vt est in Daniele, capite sexto. Quare etiamsi iniuria opprimaris, noli tamen animum despondere, & nomen dei conuiciis incessere, ac iniuriam iniuria rependere, sed perseuera in obedientia dei, expecta dominum, & compensabit damnum tuũ, multo maiori commodo, quàm vnquam optaueris.

BEDA. Primùm congregatio seniorum significat, quia similia similibus congregari debent. Senex enim sermonem senibus nunciare debet. Spiritualiter quoque à domino legi dicitur, sanctos in vni- *Mysticè.*
tate pacis congregare. Visitans visitaui vos. Visitans in veteri testamento impletur, visitaui verò in nouo. Et audient vocem tuam. Hoc dominus ad legem loqui intelligitur, quòd viri Israël, id est, iusti, verba legis audiunt. RVPERTVS. Iam verò locis aliis dictum est, quòd terræ viuentium figuram gestauerit terra quam repromittit dominus, & quæ reuerà riuis fluit lactis & mellis. Etenim si-

cut populum illum à Pharaonis seruitute liberatum, in illam terram dominus induxit, sic vniuersam electorum multitudinem, à iugo Diaboli solutam, supernæ patriæ restituit, de qua malignos spiritus sub his nominibus intelligendos expulit. Chananæus nanque posidens, Ammorræus amarus, Gergezæus colonum eiiciens, Iebusæus calathus, Hethæus formidans, Pherezæus separans, Heuæus ferus interpretatur: quæ cuncta in malo accipi, & malignis spiritibus valent vtiliter ascribi. AVCTOR CATENAE. Si ergo quæritur cur terra promisionis seu visionis possessa primo fuerit à Chananæis maledictis, Respondetur, Quia communiter anima imagine dei fulgens, à corpore & carne posidetur, antequàm ipsa caro siue corpus in seruitutem spiritus redigatur. Sic fuit populus dei sub seruitute Aegyptiaca, antequàm legem susciperet. Pari modo Christus fuit potestati perfidorum Pharisæorum ac Gentilium obnoxius, & à Diabolo (teste Matthæo) assumptus, antequàm regnum vniuersorum adipisceretur. Sic quoque fuit totum genus humanum priùs sub peccato, deinde sub gratia. Hac enim serie spiritualia cum terrenis in hoc permixto mundo currunt, iuxta illud Apostoli, Priùs quod animale, deinde quod spiritale. Sed & cùm terra illà patribus promissa peculiari dono dicitur fluere lacte & melle, non de lacte caprarum aut ouium, & melle apum est sermo, nam multæ aliæ regiones in huiusmodi fertiliores sunt. Sed (vt communiter sapientes asserunt) per lac intelligitur sapientia rerum diuinarum, per mel verò gustus ipsarum. Et cùm huiusmodi lacte & melle præcipuè cibatus fuerit Christus, hinc de ipso scriptum est, Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Nec enim per butyrum pecudum, vel mel apum quis vnquam discet bonum à malo secernere. Lacti autem comparatur, & ab eo denominatur hæc sapientia, quia pascit illos de quibus dicitur, Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quo lacte abundauit terra illa, quia inde venit Euangelium, Prophetia, & Lex quantumuis in Sina data fuerit. Cùm Sina (teste Apostolo) iungatur Hierusalem coniunctione videlicet superna. RABANVS. Quod autem dominus Moysen ad Pharaonem misit ad castigandam contumaciam eius, & postremò ad interfectionem illius, significat dominum legem suis se missurum ad destruendum principatum diaboli, & humanum genus à cultura eius abstrahendum. Et sicut non Moyses, sed dominus populum liberauit de seruitute Aegyptiorum, sic non lex mundum, sed Christus sua passione & resurrectione, à laqueo mortis liberauit. GREGORIVS. Tunc nanque Moyses ad vocandum dei populum missus est, cùm iam Pharao duris operibus ad opprimendum fuerat exercitus, vt Israëlitarum mentes Aegypto deformiter inhærentes, alius dum vocaret quasi traheret, alius impelleret dum sæuiret, & plebs in seruitio turpiter fixa, vel prouocata bonis, vel malis impulsa, moueretur. Hoc quotidie agitur, dum de prædicatis cœlestibus præmiis, sæuire in electos reprobi permittuntur, vt si ad promisionis terram vocati exire negligimus, pressuris saltem sæuientibus impellamur, atque hæc Aegyptus, videlicet vita præsens, quæ nos oppresserat blandiens, adiuuet premens, & quæ dum fouens seruitutis iugum contriuit, libertatis viam dum cruciat ostendat. Hæc itaque causa est, quod ab iniustis iusti permittuntur affligi, vt scilicet dum futura audiunt bona quæ cupiant, patientur etiam mala præsentia quæ perhorrescant, atque ad faciliorem exitum dum amor prouocat, cruciatus impellat. RVPERTVS. Quòd autem viam trium dierum in solitudinem ire, & deo sacrificare præcepit dominus, id nobis indicat, quòd quisquis Hebræum, id est, transitorem se esse, & de Aegypto exisse profitetur, vt transeat opus est secundum nomen Hebræorum, quorum dominus deus, ad patriam cœlestem, non habens hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirens, hanc viam teneat, solitarius incedat, id est, remotus tam ab Aegyptiis, quàm à Philistiim. Aegyptij nanque tenebrosi, Philistiim portione cadentes interpretantur. Et talium vtique societas illi cauenda est, qui ad hæreditatem dei peruenire, qui domino deo suo immolare cupit victimas iustitiæ. BERNARDVS IN SERMONIBVS. Viam etiam trium dierum eas necesse est in deserto, si gratum deo tuo offerre volueris sacrificium, & triduo sustineas Saluatorem, si miraculi panibus desideras satiari. Prima est dies timoris, dies (inquam) declarans & illuminans tenebras tuas, interiores scilicet, & horrendum gehennæ supplicium demonstrans, in quo sunt tenebræ exteriores: huiuscemodi siquidem cogitatio sicut ipsi nostis, nostræ solet exercere primordia conuersionis. Secunda est pietatis dies, qua respiramus in luce miserationum dei. Tertia dies est rationis, in qua veritas innotescit, vt tanquam ex debito quodam naturæ sine aliqua contradictione creatori subiecta sit creatura, seruus seruiat redemptori. AMBROSIVS DE ABRAHAM PATRIARCHA. Salutaris quoque hic numerus, & conueniens sacrificaturis. Rectè enim tertio die celebratur Trinitatis sacrificium. RVPERTVS. Dabóque populo huic gratiam coram Aegyptiis, Et cùm egrediemini non exibitis vacui, sed postulabit mulier, & cætera. nos iuxta anagogen egredientes (vt dictum est) omni auro & argento, cunctisque pretiosis vestibus spoliare debemus Aegyptum, vt siue aurei Dialecticorum circuli, siue argenteæ Rhetorum phaleræ sint, siue quarumlibet artium philosophicarum telæ, ac vestes, quibus Aegyptus male vtens mendacium ornat ac vestit, non remaneat horum quicquam, quin cum huiusmodi Hebræis transeat in seruitium verbi dei, ad ornatum veritatis, ad famulatum dominæ nostræ sapientiæ cœlestis. Is ipse Moyses cùm dicuntur hæc, primus hoc modo spoliauit Aegyptum. Fuit enim (vt iam superiùs dictum est) eruditus omni sapientia Aegyptiorum, sed eadem spolia contulit (vt hæc scriptura testatur) in thesaurum domini dei sui. Hæc (inquit) ponetis super filios vestros & super filias vestras, id est, docebitis eos tollere quæ huiusmodi sunt Aegypti spolia, vt sciant omnia probare, quod bonum est tenere, ab omni specie mala se abstinere. ORDINARIA. Argentum ergo & aurum ab Aegyptiis petimus, vnde tabernaculum deo fabricemus, cùm Poëtas & Philosophos legimus vt diuinam scripturam sapientiùs & facundiùs legamus. AVGVSTINVS SECVNDO DE DOCTRINA CHRISTIANA. Philosophi siquidem qui vocantur, siqua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non

*Matth.4.* *1.Cor.15.* *Esai.7.* *Matth.18.* *Gal.4.* *Heb.11.* *Serm.de.7. panibus.* *1.Thes.5.* *Cap.40.*



A non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiàm tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Aegypti non solùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestem quæ ille populus exiens de Aegypto, sibi potius tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto dei ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene vtebantur. Sic doctrinæ omnes gentilium, non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauésque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare, sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, déque ipso vno deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo perB uerse atque iniuriose ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum, nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nónne aspicimus quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus? Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam, Quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerat omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus viris superstitiosa gentium consuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Christi iugum decutiens, Christianos persequebatur, disciplinas quas vtiles habebat, nunquam cómodaret, si eas in vsum vnius dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur conuersum iri suspicaretur. Sed dederunt aurum & argentum, & vestem suam exeunti poC pulo dei de Aegypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratũ est, vt hoc præsignaret, quòd sine præiudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.

## IN QVARTVM EXODI CAPVT ARGVMENTVM.

*Moyses tribus signis à deo acceptis in Aegyptum cum vxore & liberis proficiscitur, Vxor verò eius circunciso primogenito discedit à Moyse, Aaron frater illi occurrit.*

D

## CAPVT QVARTVM.

*Lectio.i.* RESpondens Moyses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi dominus. Dixit ergo ad eum, Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, Virga. Dixítque dominus, Proiice eam in terram. Proiecit, & uersa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixítque Dominus, Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, uersáque est in uirgam. Vt credant (inquit) quòd apparuerit tibi dominus deus patrum suorum, deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Dixítque dominus rursum, Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm miE sisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint (inquit) tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent uerbo signi sequentis. Quòd si nec duobus quidem bis signis crediderint, neque audierint uocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quicquid hauseris de fluuio, uertetur in sanguinem.

*Lectio.ii.* AVCTOR CATENAE. Quia ingenium Israëlitarum non ignorabat Moyses, quòd dura ceruice & increduli essent, & quoniam etiam piorum more qui temerarij & præsumptuosi non sunt, nihil de se magni præsumebat, ideo diuinum implorare auxilium deliberat, vnde. *Respondens Moyses ait, Non credent mihi, neque audient vocem meam, Sed dicent, non apparuit tibi dominus.* RVPERTVS. Iusta dei expectatio, nam veridiF ca est, & sana hæc hominis oppositio. Non credent (inquit) mihi, subauditur, nisi signa viderint. Nam vsque hodie Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam inquirunt. CAIETANVS. Sed occurrit quæstio, quónam pacto licitè responderit Moyses, non credent mihi, cùm deus prædixerit ei, audient vocem tuam. Si enim Moyses credidit deo, non erat locus respondendi non credent mihi: si verò non credidit deo, peccauit. Solutio est, quòd verbum dei, audient vocem tuam, de senibus Israël est: verbum autem Moysi, non credent mihi, incredulitatem populi obiicit. Ac si apertiùs dixisset, quamuis senes credant mihi populus tamen non credet quòd tu mihi apparuisti, ac me miseris, & cætera, dicendo non apparuit tibi deus, directè negantes deum nominatum à Moyse, visum fuisse à Moyse. AVCTOR CATENAE. Ecce non credent mihi, neque audient vocem meam, hoc est, non parebunt mandatis meis. Quasi dicat, Ego nunc certus sum me diuinitùs vocatum ad liberandum Israëlem, & satis eruditus sum quid eis concionari, quásque promissiones dei ipsis inculcare debeam. Et quanquam seniores (vt promittis) crediturí sint, propter

*1.Cor.i.*

promissiones ad Patriarchas dictas,non tamen fortasse populus,nec ꝙ me dominus & non alium vocauerit,vt ꝺ liberem eum ex Aegypto. Cur igitur vanum laborem, & mihi longè omnium periculosissimum suscipiam? Et profectò res magna est prædicatio verbi dei, & functio prophetica. Quis enim facilè credat alicui dicenti,dominum sibi apparuisse, hócque & illud loquutum fuisse? Sunt siquidem non negligenter spíritus probandi si ex deo sint. Vt interim taceatur ducatus tãti, & tam inobediẽtis populi. Tertia igitur Moysi excusatio est ex populi incredulitate. RVPERTVS. Ergo dominus hæc opponentẽ placidè sustinens, *Dixit ad eum:Quid est quod tenes in manu tua?* CAIETANVS. Estq; nomen domini tetragrammaton, hoc est, Iehouah in Hebræo, quo frequenter vtitur in hac materia legationis & liberationis, tum vt nouiter manifestatum nomen magnificetur, tum vt ab ipso omnia pendere discamus. AVCTOR CATENAE. Cùm necessario subintelligatur dictio illa Dominus,consultò ab interprete Latino dimitti potuit. Rectè autem vertit, Quid est quod tenes in manu tua? Est enim Hebraicè מַוֶּה בְיָדֶךָ Maze biiadecha,Quid hoc in manu tua? Et מַוֶּה Maze idem est H quòd מָה זֶּה Ma ze. Interrogat autem dominus, non quidem ignorans, sed occasionem præstans responsionis, quæ faceret ad rem quæ instituebatur. Vel sicut dominus in Euangelio saturaturus tot millia hominum,priùs interrogat discipulos,quot panes haberent, vt postea recordati exiguum fuisse numerum panum, meliùs intelligerent miraculi magnitudinem:ita nunc ob eandem causam interrogat dominus, quid sit quod in manu habeat: consueuit enim repentina nouitas obliuionem inducere. Virga autem fuit pastoralis, de qua Iudæi miseri fabulãtur quædam necromantica, omnia leuiùs credentes, & sibiipsis persuadentes, quàm ea quorum fide saluarentur. *Respondit, virga. Dixítque dominus, Proiice eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* GRAECVS. Timebat Moyses ne apud filios Israël mendax & vaniloquus haberetur, cùm deum sibi apparuisse diceret,propterà miracula facere iubetur,mutante deo virgam in serpentẽ,vt posthac non sponte venisse, sed dei iussu crederetur. BEDA. Quod verò ad historiam pertinet,Virga quæ in manu Moysi fuerat, & in colubrum versa est,significat vt Moyses dei potestati crederet,& plebs Moysi,& Moyses Pharaonem non time- I ret. Aliter,virga versa in colubrum,plagam à deo significat quæ Aegyptiis,noceret,& Israëli non noceret. Fuga quoque Moysi,fugam populi à facie Pharaonis, vel Moysi infidelitatem designat. THEODORETVS. Vel primum signum dedit deus, virgæ in serpentem mutationem,quia cùm Pharao rationis particeps esset, crudelitatem aduersus Iudæos exercuerat, & speciem suam ad imaginem dei factam, ferinam ostenderat, virgam qua illum flagellauit, in serpentem mutari iussit, vt illius feritatem argueret, & inimicitias declararet. Nam in serpentem dictum erat, Inimicitias ponam inter te & inter mulierem. AVCTOR CATENAE. Et Versa est in colubrũ,ita vt fugeret Moyses. Sententia eadem retenta est:ita enim apud Hebræum legitur וַיְהִי לְנָחָשׁ וַיָּנָס מֹשֶׁה מִפָּנָיו Vaihi lenachas, vaiánas Mose miphanaf, Et fuit, siue factus est coluber,& fugit Moyses à facie eius. Chaldaica, & versa est in colubrum, & fugit Moyses à facie eiꝰ. Septuaginta, καὶ ἐγένετο ὄφις, καὶ ἔφυγε μωϋσῆς ἀπ' αὐτοῦ, Et facta est coluber, & fugit Moyses ab eo. Quod igitur fugerit Moyses à facie serpentis, indicat veritatem miraculi. Nec enim ignorasset ille siqua naturalis virtus fuisset in virga,nec fugisset nisi ex inopinato K terrore serpentis. Virtutem autem faciendi signa miraculosa deus promittit hîc, & concedit Moysi ad gloriam dei, & ad populi redemptionem. Vt sic armatus procedat contra hostes fideliũ, sicut & Christus Apostolos hisce armis instruxit, Marci vltimo. *Dixítque dominus,extẽde manum tuam,& apprehende caudã eius.Extendit,& tenuit,versáque est in virgam.* GREGORIVS NYSSENVS. Vt disceret Moyses quanta diuinitùs virtus sibi præstaretur,ita deo iubente huiusce modi periculo vsus est. Virga manu in terram proiecta, in colubrum vertitur,rursúsque recepta, vt virga priùs erat subitò facta est. BEDA. Colubri autem in virgam resolutio, Plebis de seruitute Aegyptiorum resolutionem designat. AVCTOR CATENAE: Extendit, & tenuit,versáque est in virgam. Breuitati studens interpres,sensum tenuit,verba autẽ plura sunt in Hebræo: וַיִּשְׁלַח יָדוֹ וַיַּחֲזֵק בּוֹ וַיְהִי לְמַטֵּה בְכַפּוֹ Vaiślach iado vaiachazek bo, vaihi lematte becapo, Et misit, siue extendit manum suam,& tenuit,siue apprehendit illum, scilicet colubrum,vel illam, caudam nempe, factúsque est virga in manu eius. Vel sicut habet Chaldaica,Versáque est in virgam in manu eius, subaudi, cauda colubri. Sic & Septuaginta. Vide hîc Moysi L obedientiam. Quicquid deus præcipit, ipse statim sine cunctatione exequitur. Hæc igitur signa non edidit deus ad suscitandam fidem in Moyse iam fideli, sed vt doceret quibus modis portenta exhibiturus esset populo persuadendo. Infidelibus per miracula consulitur non fidelibus, & eis ad salutem tantùm prosunt, quos sine miraculis trahere consueuit clementia dei & electio. Iam viderat signũ rubi ardentis & non combusti. In signum ergo sacrarum rerum faciẽdarum data fuit Moysi conuersio virgæ in serpentem,& è conuerso,vt indicaretur quòd prouincia quæ difficilis videbatur, facilis foret,vbi diuina virtus assisteret. Vel vt via quæ videbatur horrida, & propter Pharaonis duritiem, fugienda, tandem demonstraretur suauis. *Vt credant (inquit)quòd apparuerit tibi dominus deus patrum suorum, deus Abraham,deus Isaac & deus Iacob.* Vt credant inquit. Abundat inquit & additũ est ab interprete.Hebraicè enim legitur לְמַעַן יַאֲמִינוּ Lemáhan iaamínu,Vt credant. Sic habent omnes editiones. Alij autẽ verterunt, ob eam rem, siue propterea credent,& subaudiendum est, cùm feceris hoc signũ, Et hæc etiam versio stare potest, nam dictio lemáhan, & propterea, & vt significat. Sed & secundum editio- M nem nostram subaudiri debent nõnulla, velut, Istud facies coram filiis Israël,vt credant,& cætera. Vel,hoc feci coram te, vel, præcepi tibi vt facias, vt credant. Aut denique, proiice vt credant, id est, vt videntes tale miraculum credant. Populus igitur etiam post signa exhibita à Moyse non credebat, sicut & Pharao, & omnes impij. Nihilominus tamen hæc dominus præsciens signa fieri ordinat, vt perfidi spectatores omni careant excusatione, & iustitia condemnationis clarior eluceſcat. *Dixítque dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Vbi nos habemus leprosam, Chaldaica habet albam: est enim quędã lepræ species valde candida. *Retrahe (ait)manum tuam in sinum tuum. Retraxit,& protulit iterum & erat similis carni reliquæ.* GREGORIVS NYSSENVS. Vt adhuc diuinam clariùs secum nosceret esse virtutem, manus in sinu recondita, in niueum candorem immutatur: & iterum in eundem sinum immissa, in pristinam rediit naturam. CYRILLVS. Manum autem Moysi leprosam in integrum deus restituit, vt

scirent



A scirent nihil esse quod à deo fieri nõ possit,& facile illi esse eos ex Aegyptiaca seruitute ac morbo eripere. Aliud quoque hæc nobis significant. Hebræi nanque in Aegypto commorantes à maiorum suorum religione ac pietate exciderant,& ad omne propemodum immunditiæ genus delapsi erant, & iámque illorum mens non animata sed extincta erat:immunditiæ enim & mortis lepra signum est. Ex hac etiam re Moyses à deo edoctus est, immunditiam omnem ac sordes Iudæorum facilè elui posse, quotiensçunque deus illos ad se admitteret, & quasi in sinu suo iterum eos reconderet. THEODORETVS. Genus Iacob religiose educatum, Aegyptum intrauit,ibíque Aegyptiorum impuritatem didicit. Verùm ab illa seruitute liberatus,vniuersorum deum cognouit. Per immutationem itaque manus leprã populi Israelitici declarauit, itémque eiusdem curationem. Ad hæc aliud quoddam dominus deus dispensauit. Quia enim legem de leprosis positurus erat, eósque immundos appellaturus, nihil autem quod voluntarium non sit immundum est, legislatoris manum leprosam
B reddidit,hac ratione perfectos docens,nihil huiusmodi immundum esse: manus enim illa quæ tot rerum miracula effecit,cùm priùs lepra infecta esset,postea tamen diuinis signis summinístrauit, atque elemẽta commutauit. Simul etiam ipsum legislatorem admonuit ne elatè de se sentiret, sed per leprosam manum naturæ suæ imbecillitatem agnosceret, ac memoria teneret. RVPERTVS. Quia ratio consentit, vt in ore duorum aut (vt multum) trium testium stet omne verbum, idcirco duo hæc signa pro testibus dextra leuaq; cõposuit. *Deut.19.*

AVCTOR CATENAE. Retraxit & protulit iterum, & cætera. Ex hoc loco sicut ex multis aliis videre licet,quàm prudens & elegans fuerit Latinus Interpres,qui multa Hebraica,in pauca Latina verba,sensu tamen semper seruato,redegit,vt repetitionum laboré, & Hebraismos euitaret. Sic enim est apud Hebræum וַיָּשָׁב יָדוֹ אֶל חֵיקוֹ וַיּוֹצִאֶהָ מֵחֵיקוֹ וְהִנֵּה שָׁבָה כִּבְשָׂרוֹ: Vaiáseb iado el cheko, vaiózia mécheko vehinne sába chibsaro, Et reduxit manum suam in sinum suum. Et protulit,seu eduxit eam de sinu suo, & ecce reuersa seu restituta est sicut caro eius,id est,in formam carnis reliquæ. Sic est in Chaldaica. Septuaginta, καὶ πάλιν ἀπεκατεστάθη εἰς τὴν χροὰν
C τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Et rursus restituta est in colorem carnis suæ. Sicut ergo lepra à solo deo curatur, faciléque est deo,modò velit,vt facillimum est de sinu manum exponere: sic solus deus populum suum quãtumuis depressum & afflictum liberabit & educet,sæuiat licet & renitatur tyrãnus. *Si non crediderint* (inquit)*tibi neque audierint sermonem signi prioris,credent verbo signi sequentis.* RVPERTVS. Addit & tertium tanquam à tergo consequentem testem,eos qui duobus testimoniis non crediderint,quasi sanguinea mortis pœna condẽnantem. AVCTOR CATENAE. Parui refert quòd dictionem קֹל kol bis positam,quæ vocem significat,Latinus Interpres semel sermonem,deinde verbum reddiderit, nam sensus est, quod si non paruerint Israëlitæ sermonibus tuis, si non crediderint verbis tuis quæ confirmaueris priore miraculo,certè credent cùm posteriore illis fidem feceris. Signis igitur & vocibus referat fidelibus deus voluntatem suam, humanóque loquendi modo vbique scriptura loquitur,& deus cum hominibus sermonem habet:agit & ludit veluti pater cum infantulo, vt nunc vno,nunc altero signo alliciat ad confidentiã & amorem suum,& vt nunciis suis fidem astruat, non quòd is quoquomo-
D do nostra fide indigeat, sed ad nostrum prouentum duntaxat. *Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam,sume*(inquit)*aquam fluminis,& effunde eam super aridam, & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem.*

EVSEBIVS. Vide quomodo proponuntur signa Israëlitis vt pote infidelibus. CAIETANVS. Deficiunt hîc duæ dictiones. Legendum est, Vertetur in sanguinem in sicco. Significatur enim quòd effusa in terram siccam aqua,vertetur in sanguinem. AVCTOR CATENAE. Et hic effugit Interpres phrasim Hebraicam,nihil tamen de sensu omittens. Est enim apud Hebræum: וְהָיוּ הַמַּיִם אֲשֶׁר תִּקַּח מִן הַיְאֹר וְהָיוּ לְדָם בַּיַּבָּשֶׁת Vehaiu hamáim aser tikkach min haior, vehaiu ledam baiabbáseth, Et erunt aquæ illæ quas tuleris de flumine, erunt(inquam)seu fient sanguis in arida,siue in sicca humo. Sic & Chaldaica, Et aquæ quas tuleris de flumine, vertentur in sanguinem in arida. Septuaginta etiam, καὶ ἔσαι τὸ ὕδωρ ὃ ἂν λάβῃς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ αἷμα ἐπὶ τοῦ ξηροῦ, Et erit aqua quam accipies à flumine,sanguis super aridã. Sed hoc idem cum Latina editione. Est ergo sensus, Si non crediderint sermonibus tuis quos prioribus duobus signis confirmaueris, tunc fac & tertium signum
E istud,& credent. Tertium ergo signum instruit de aquis vertendis in sanguinem, quo signo indicatur ventura Aegyptiis internetio, si prioribus signis Moyses nihil promouerit,idque nõ absque sanguinis effusione, quod & tandem in primogenitorum occisione, & exercitus submersione experti sunt. Loquitur ergo deus nobis per miracula quotidiana,siquidem animum aduertere voluerimus.

INTERLINEARIS. Et hæc quidem iuxta literam. Quod verò dixit Moyses ad dominum, Non credent mihi,neque audient vocem meam, id nobis secundum spiritum indicat, quòd Christo non erant credituri Iudæi, vnde per vnum ex Prophetis dicitur, Domine quis credidit auditui nostro? AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Dixit dominus ad Moysen, Quid est quod tenes in manu tua? Respondit,Virga. Virga illa(fratres charissimi)crucis mysterium præferebat. Sicut enim per virgam Aegyptus decem plagis percutitur,ita & per crucem totus mundus humiliatur & vincitur. Et sicut Pharao & populus eius per virgæ sacramentum affligitur, vt ad seruiendum deo dimittat populum Iudæorum, ita diabolus & angeli
F eius per crucis mysterium fatigantur & premuntur, vt à dei seruitio reuocare non possint populum Christianum. Quòd autem virga proiecta in terram, versa est in serpentem, quid significet videamus. Serpens pro sapientia reputatur,sicut dominus in euangelio,Estote(inquit)prudentes sicut serpentes. Virgam crucem diximus figurasse. Crux ergo quæ infidelibus stultitia esse creditur,sicut dicit Apostolus,Gentibus stultitia, posteaquam in terram missa est,id est,ad passionem domini,præparata, versa est in serpentem, hoc est, in sapientiam: & in tantam sapientiam, quæ omnem mundi istius sapientiam deuoraret: denique omnes serpentes quos magi incantationibus suis fecerant deglutiuit. Per virgam ergo Aegyptus flagellatur, & per crucem mundus vincitur, & diabolus superatur. GREGORIVS. Vel Moyses Iudaicus populus, virga diuinitatis potestas, serpens Christi mortalitas: quia enim per serpentem mors, per serpentem mortalitas signatur. Vel quia scriptum est, Matthæi decimo,Estote prudentes sicut serpentes: & quia summa prudentia,dei incarnata est,verè eius mortalitas in serpente figuratur. Vnde Ioannis tertio dicitur,Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exalta- *Mysticè.* *Serm.86.* *Matth. 10.* *1. Cor.1*

ri oportet

ri oportet filium hominis.Moyſes virgam tenuit, quia Iudaicus populus ante redemptionis aduentum in dei G
poteſtate confiſus eſt.In terram proiecit,quia per Patriarchas & Prophetas deum incarnandum nunciauit.Virga in colubrum vertitur,quia Chriſtus deus in ſe permanens, mortalis eſt in homine factus. Sed & Moyſes colubrum conſpiciens, pertimuit & fugit, quia Iudaicus populus dum Chriſtum mortalem vidit, deum credere expauit.Cui iubetur vt caudam teneat,quia populus qui modò credere recuſat, in extrema corporis dominici parte,id eſt,poſteriori tempore Eccleſiæ,ſcilicet in fine mundi, ſeſe ad fidem colliget, colubri caudam tenens, quia eum quem mortalem ante deſpexerat, in vltima parte Eccleſiæ redemptorem ſuum confitebitur.Mox ſerpens in virgam redit,quia vt Iudaicus populus in Chriſtum crediderit,mox ad iudicium in poteſtate diuinitatis ſuæ apparebit, vt iam ſerpens virga ſit, quia qui in terra homo deſpectus eſt, de cœlo veniens ſuper angelos videbitur deus. CYRILLVS. Omnis ferè animantis principium caput eſt, cauda verò finis. Agedum igitur vniuerſum genus humanum in præſentia pro vno aliquo animali habeatur.Apprehendit itaque caudam H
Chriſtus,quia in nouiſsimis temporibus ad nos tanquam caudam acceſsit,& ad ipſum vſque caput. Adamum peruenit. ISIDORVS. Virga in ſerpente,Chriſtus in morte, & tamen expauit & fugit Moyſes. Quid eſt ab illo ſerpente fugiſſe Moyſen, niſi quòd legitur in Euangelio factum, mortuus eſt Chriſtus, & expauerunt diſcipuli,& ab illa ſpe in qua fuerunt,receſſerunt?Sed quid dictum eſt? Apprehẽde caudam eius. Quid eſt cauda, niſi poſteriora?Hoc ſignificauit,Poſteriora mea videbis.Primo enim factus eſt ſerpens,ſed cauda apprehenſa facta eſt virga,quia primo occiſus eſt,poſteà peractis omnibus,ad id quod fuerat,reſurgendo reuerſus eſt, vbi per vitæ reparationem morte conſumpta, nihil in eo ſerpentis apparuit. Eſt etiam in cauda ſerpentis ſeculi finis, quia ſic mortalitas Eccleſiæ per lubrica temporum voluitur, alij eunt, alij veniunt. Per mortem tanquam per ſerpentem,mors ſeminata eſt.Sed fine nouiſsimo velut cauda ſeculi,redibimus ad manum dei,atque apprehenſi reparabimur,& nouiſsima inimica morte deſtructa,reſurgentes in dextera dei virga regni erimus. RVPERTVS. Poſtquàm ſuperius horum teſtium veritatem,ſiue teſtimoniorum conſtantiam literalem omnes agnouimus,myſticam iam & nos auctoritatem requiramus.Nam ſicut populus in Aegypto ſeruiens,vniuerſam pro- I
culdubio multitudinem electorum in hoc mundo peregrinantium, ſic ſigna hæc per quæ debuit vel potuit agnoſcere tempus viſitationis ſuæ ſignificare debuerunt alia ſigna meliora, per quæ debuit aut potuit cognoſcere tempus eius (quæ per Chriſtum facta eſt)redemptionis ſuæ.Quid igitur virga hæc, niſi illam ſignificat humanitatem Chriſti filij dei,quæ de radice Ieſſe ſumpta eſt? Tunc enim veraciter in terram proiecta eſt, atque in colubrum verſa,ita vt fugeret Moyſes, quãdo vnigenitus dei filius per aſſumptionem humanitatis in hunc mundum venire,& mortem ſubire dignatus eſt, ita vt in eum credere fugiat ille carnalis Iſraël. Hoc facto extende (inquit)manum tuam, & apprehende caudam eius, ſcilicet vt iterum vertatur in virgam, quia videlicet poſtquàm omnia conſummata ſunt,qui mortuus fuerat,iterum rediit in vitam.Et bene per colubrum mors Chriſti præfigurata eſt,quia per aſtutiam colubri mors euenit humano generi, quam in corpore ſuo Chriſtus veraciter ſuſcepit.Moyſes ergo caudam colubri apprehẽdit,& coluber in virgam rediit, quia fides electorum paſsionem K
vel mortem Chriſti conſecuta eſt,qui reſurgens ex mortuis,iam non moritur,mors illi vltra non dominabitur.
*Rom.6.*
AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Quis igitur tãtus,vt aperiat oculos, & legis videat ſacramẽta, niſi ei Chriſtus demõſtret?Non Moyſes tãtus.Deniq; iubẽte domino, virgam proiecit,& facta eſt ſerpens,& fugit ab ea,apprehendit caudam ſerpentis,& facta eſt virga,& adhuc non cognoſcebat myſterium,quo declarabatur deſcenſurum in terras dominum Ieſum,qui cùm ſe exinaniſſet,poni in crucem,& deponi pateretur in tumulum,quaſi ſerpens de virga factus,quia in tumulum proiectus,de quo ſecundum oracula legis reſurgens, in gloriam dei diuinæq; ſedis regale conſortium, de ſerpente remearet. Apprehendamus ergo & nos caudam ſerpentis illius crucifixi, vt poteſtatem eius regiam poſsimus agnoſcere.

IDEM IN LIBRO DE SALOMONE. Sic igitur Moyſes virgam proiecit in terram, quæ in ſimi-
litudinem eſt comparata ſerpentis,quæ & ipſa imago erat corporis domini. Ideo omnium Aegyptiorum poteſtatem is,quia tantæ virtutis in ſe typum gerebat,abſorbuit. GREGORIVS NYSSENVS. Virgæ igitur L
in ſerpentem conuerſio, neminem Chriſtianorum conturbet, quoniam ad incarnationem verbi etiam à nobis accommodatur. Nam & animal id quamuis parum accommodari ſacris myſteriis poſſe videatur, ipſa tamen euãgelica veritas hanc imaginẽ non omnino contemnit,cùm dicat,ſicut Moyſes exaltauit ſerpentẽ in deſerto, ſic filiũ hominis exaltari oportet. Cuius ratio patet, nam cùm diuinæ literæ peccati patrem ſerpẽtem nominẽt, profectò quod à ſerpente natum eſt, ſerpens eſt. Quam ob rem peccatum parentis ſui nomen meritò ſuſcepit, ſerpensq; iure appellatur.At verò dominum propter nos peccatum eſſe factum Apoſtolicus ſermo teſtatur: ſuſcepit enim mortalitatem noſtram,qui peccando mortales facti ſumus.Si peccatum ſerpens eſt,dominus autem peccatum factus eſt, patet quòd ſequitur, nam qui peccatum factus eſt, ſerpens factus eſt. Et id propter nos, vt Aegyptios ſerpentes,qui per magos viuificari videntur,conſumat & deſtruat, quo facto rurſus in virgam vertitur,qua delinquentes caſtigantur & conſolantur,qui arduam ac difficilem virtutis peragunt viam,baculo fidei optima ſpe innixi.Eſt enim fides rerum quas ſperamus ſubſiſtentia, quas quicunque mente concepit, quaſi deus M
eorum ſit,qui veritati reſiſtentes,carni ac falſis rebus attendunt,quibus inane quoddam eſſe videtur, eum audire qui eſt.Ait enim Pharao,quis eſt cuius vocem exaudiam?nõ cognoſco dominum, ſolum autem putatur honorabile ac iocundum, quod terreſtre atque carnale eſt, quódque corporis ſenſus nimia voluptate titillat. Qui verò lucis ſplendore corroboratus eſt,ingentéſque hinc vires & auctoritatem in aduerſarios cepit, is ſicuti athleta ſatis exercitatus, confidenter ac magno animo in hoſtem deſcendit, Virgam illam in manu retinens, fidei videlicet enſem,quo ſerpentes Aegyptiorum confodiet atque vincet. CYRILLVS. Diuina ſcriptura dei verbum virgæ aſsimilare conſueuit,propterea quòd omnes per illud confirmari ſolent.Verbo enim domini cœli firmati ſunt.Et,Confirmat autem iuſtos dominus.Aliter quoque,virga regni indicium eſt,regnat autem per filium vniuerſorum deus & pater.Ipſe eſt virga de radice Ieſſe, quæ nos omnes conſolatur, vti ſcriptum eſt, Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga itaque & filius eſt. Sed quandiu fuit (vt ita dicam) in manu



A manu patris, & in diuinitatis excelſitatem, nondum ſimilis nobis factus, tandiu errabamus rebus creatis cultum exhibentes,& poſtquam propriæ gloriæ excelſitatem,vt ſic dixerim,dereliquit, & qui manus patris dicitur, nobis aſsimilari voluit,quos ipſemet malos vocat cùm ait,Si igitur vos cùm mali ſitis, noſtis bona data dare filiis veſtris,ipſum quodammodo in ſerpentem conuerſum eſſe dicimus. Malus quippe ſerpens homo eſt, ſi cum diuina manſuetudine comparetur.Mutata eſt igitur virga in ſerpentem.Vnicus enim dei filius homo factus eſt, & inter iniquos computari non recuſauit.Quem tamen Iudæi minimè dilexerũt, ſed ab eo aufugerunt, hoc eſt enim quòd Moyſes à facie ſerpentis fugit. Sed tamen Iſraël tandem aliquando Chriſtum apprehendet, & tunc cognoſcet Chriſtum non malum, ſed bonum fuiſſe, illúmque eſſe veram omnium virgam, hoc eſt, firmamentum. IDEM. Timor verò propter veterem tranſgreſsionem deterrebat Moyſen, præceptum verò fiduciam præſtabat vt ſerpentem in manus ſumeret, qui de integro in lignum conuerſus eſt, vt oſtenderetur, ſerpentem
B illum per lignum in corpore humano morti ceſſurum,& initium ſignorum à ligno inchoandum. AVCTOR CATENAE. An in virga illa demonſtrabatur quòd genus humanum arbor & virga, in horto delitiarum plantata, cedens diabolo & ſerpenti, diabolica & mortifera effecta fuit, ſed per verum liberatorem Chriſtum à conditionibus ſerpentinis erui debebat,ac reduci in priſtinam virgæ formam? Cuius myſterij Moyſes in familia illa particulari,typum geſsit.An generaliter docebamur,quòd omne opus diuinum in terram proiectum, id eſt,viribus terrenis derelictum,horridum apparet,ſed iuſſu ac fauore diuino reſumptum,ſuaue redditur? ISIDORVS. Datur poſteà aliud ſignum Moyſi. Mitte (inquit) manum tuam in ſinum tuum. Et miſit. Produc (inquit)eam,& produxit,& inuenta eſt alba,id eſt,immunda, hoc eſt leproſa. Albor enim in cute, lepra eſt non candor.Ipſa enim hæreditas dei,id eſt,populus eius foras ab eo miſſus, immundus factus eſt, ſicũt ſcriptum eſt de ea,Vt quid auertis faciem tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo? Sed quid ille ait? Reuocã eam in ſi- *Pſal.73.*
C num tuum.Reuocauit & reuerſa eſt ad colorem ſuum. Sic & plebs Iudæa nunc aliena eſt à ſinu dei, & foris immunda remanſit,ſed reuocat eam,& redit ad priſtinum colorem,dum agnouerit dominum ſaluatorem. Nunc enim cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intrauerit, & ſic omnis Iſraël ſaluus fiat.

RVPERTVS. Poſt primum ergo ſignum, pars maxima Iudaicæ gentis reſilit, & credere renuit. Cui ergo comparabitur?Mitte(inquit dominus) manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam,albam inſtar niuis. Nempe manus protracta de ſinu leproſa, ſynagoga eſt à gratia dei proiecta, Ex quo latus ſaluatoris ſui lancea rupit,retracta eſt manus illa de ſinu eius,peccatorum ſuorum lepra candente perfuſa. Quod longè Propheta præuidens,gemebundus ait, Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio *Pſal.73.*
ſinu tuo in finem?Ecce videmus populũ illum à caſtris dei ſegregatum,& ad arbitrium ſummi ſacerdotis haud dubiè lepræ condemnatum,habentem veſtimenta diſſuta,caput nudum,os veſte contectum,clamantem,id eſt, diffiteri non valentem contaminatum ſe ac ſordidum.Nuda eſt lepra, facies autem velamine perfidiæ cõtecta.

AVGVSTINVS. Quòd itaque miſit Moyſes manum ſuam in ſinum ſuum, & protulit eam leproſam, &
D iterum miſit, & protulit ſanam, & carni reliquæ ſimilem, non ocioſe debemus accipere. In manu illa typus ſynagogæ vel Eccleſiæ gerebatur. Sicut prior fuit populus Iudæorum, poſterior gentium,ita antè fuit ſynagoga quàm Eccleſia.Sed quia Eccleſia eligitur,& ſynagoga repudiatur,ideo in primis manus Moyſi leproſa efficitur, & poſteà carni reliquæ ſimilis redditur, ac ſic ſynagoga propter infidelitatem leproſa relinquitur. Eccleſia autem quaſi manus ſana ad omne opus apta præeligitur. GREGORIVS NYSSENVS. Nos verò commutationem dexteræ fidem incarnationis verbi accipimus. Nam ſi Moyſes his nixus miraculis, à ſeruitute tyranni Hebræos liberauit,non iniuria incarnationis myſterium,quo & diabolus depoſitus,& humana natura liberata eſt,per hæc arbitrantur ſignificari, præſertim cùm tam prophetica, quàm euangelica auctoritas ad hanc nos inducant ſententiam.Propheta enim dicit, Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi. Nam & ſi natura diuina nullo pacto mutari queat,in eo tamen quòd ad aſſumendum hominem deſcendit, imbecillitatémque noſtram verè ſuſcepit,commutata dicitur,& ſicut Moyſi manus è ſinu educta viſa eſt commutata,rurſumq; in ſinum reducta
E in naturam ſuam reducta eſt. Simili quoque modo vnigenitus dei filius cùm in ſinu patris eſt, dextera excelſi eſt:cùm verò è ſinu patris ad nos viſitandos deſcendit,ſecundum nos factus,quanuis immutabilis ſit ipſe natura,commutatus tamen dicitur.At verò poſtquam morbos noſtros ſanauit, naturámque noſtram in ſinum ſuum reduxit(ſinus autem filij pater eſt)tunc ipſe non mutatus, quippe qui impaſsibilis atque incõmutabilis eſt, mortalem hanc & corruptibilem naturam,in immortalitatem atque immutabilitatem conuertit. ISIDORVS. Deinde aquæ miſſæ in terram à Moyſe vertuntur in ſanguinem,id eſt,populi in ſanguinis Chriſti fidem.Aquæ enim ait Apocalypſis quas vidiſti, populi ſunt & gentes. CYRILLVS. Aliter.Vitæ quidem ſignum eſt aqua,reuerà nanque cùm neceſſaria eſt, tum maximè vſui his qui in terra degunt. Filius igitur è patre tanquam in flumine quod omnibus vitam præſtat,natus eſt: quòd autem filius non externæ ſit à patre ſubſtantiæ, ſed ex ipſo patre ſecundum naturam exiſtat,Moyſes edocebatur,quin potius & nos ipſi. Capies(inquit)ex aqua fluminis,& effundes in terram. Id enim ænigmate quodam myſterium incarnationis filij inſinuat. Vnicus enim dei
F filius cùm vita ſit, & tanquam ex flumine deo & patre, modo quodam qui explicari non poteſt natus, quodam modo humanitati quæ ex terra conſtat,ſeſe miſcuit,quemadmodum aqua terræ. IDEM. Et vide quòd niſi Moyſes aquam in terram fudiſſet,neutiquam in ſanguinem mutata eſſet, quod planè domini mortis indicium eſt.Verbum enim è deo genitum,ſi abſque humanæ carnis indumento conſideretur, vita & auctoritate præſens eſt.At poſtquã in carne habitauit,tunc planè tunc ſecundum hominem quem aſſumpſit, mortuum eſſe dicitur.

RVPERTVS. Vel his duobus ſignis atteſtantibus,quiſquis non credit, quòd qui mittendus erat iam venerit, iſque ſit Ieſus Chriſtus, qui ſolus à Pharaone ſpirituali, ſcilicet diabolo, liberare nos potuit, reſtat vt tertium contra illum impleatur ſignũ,ſcilicet,vt quicquid hauſerit de fluuio, vertatur in ſanguinem, id eſt, quicquid attingere tentauerit,de ſcripturarum fluentis,male neceſſariò intelligat ad ſuam damnationem.

*Ait Moyſes,*

2 *Dixit Moyses, Obsecro domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Dixit dominus ad eum, Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, uidentem & cæcum? Nonne ego? perge igitur, & ego ero in ore tuo, docébóque te quid loquaris. At ille: Obsecro domine (inquit) mitte quem missurus es. Iratus dominus in Moysen, ait, Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit. Ecce ipse egredietur in occursum tuum, uidénsque te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone uerba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam uobis quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*

2 ORIGENES. Donec esset Moyses in Aegypto, & eruditur omni sapientia Aegyptiorum, non erat gra- H
Homil.3. cili voce, nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem. Erat enim quantum ad Aegyptios, & sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis. Vbi autem cœpit audire vocem dei, & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem & gracilem vocem suam, tardámque & impeditam esse suam intelligit linguam, tunc se pronunciat mutum, cùm cœpit agnoscere verum illud verbum, quod erat in principio apud deum. Sed quò facilius quod dicimus possit aduerti, vtamur huiusmodi similitudine. Mutis animalibus, quanuis sit imperitus & indoctus, rationabilis homo si comparetur, videbitur eloquens ad comparationem eorum quæ & rationis & vocis expertia sunt: Si verò eruditis & eloquentibus viris, atque in omni sapientia probatissimis conferatur, ineloquens & mutus videbitur. At si ipsum quis contempletur diuinum verbum, ipsamq; diuinam respiciat sapientiam, quantæuis sit eruditionis & quantæcunque sapientiæ, multo amplius quàm apud nos sunt pecudes, ipse apud deum mutum se animal profitebitur. Hoc nimirum erat Moyses, quod & beatus Dauid intuens, & tali ordine semetipsum ad diuinam sapientiam librans, dicebat, Vt iumentum factus sum apud te. Secundum hoc ergo & Pro- I
phetarum maximus in præsenti lectione *Ait Moyses, Obsecro domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Omnes enim homines ad comparationem verbi diuini,
Cap. 1. non solùm ineloquentes, sed & muti putandi sunt. HIERONYMVS SVPER HIEREMIAM. Detestatur Propheta officium quod pro ætate non potest sustinere: eadem verecundia qua & Moyses tenuis & gracilis vocis esse se dicit. Sed ille quasi magnæ robustæq; ætatis corripitur, huic pueritiæ datur venia, quæ verecundia & pudore decoratur. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM.
Quæst.7. Quod ait Moyses ad dominum, precor domine, non sum eloquens ante hesternum, neque ante nudius tertianum diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo, intelligitur credere, posse fieri dei voluntate subitò eloquentem, cùm dicit, Neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo, tanquam ostendens fieri potuisse, vt ante hesternum & nudius tertianum diem, qui eloquens non fuisset, repentè fieret, ex quo cùm illo dominus loqui cœpit.
BASILIVS. Ad illam vsque horam Moyses quanuis omni Aegyptiorum sapientia præditus esset, mini- K
mè celeri lingua se esse cognouerat, at postquam deum loquentem audiuit, tunc linguæ suæ imbecillitatem a-
1.Par. ca.7 gnouit, quæ nulla ratione magnitudinem ac pondus mandatorum sustinere posset. GREGORIVS IN PASTORALI. Nonnunquam prædicationis officium & nonnulli laudabiliter appetunt, & ad hoc non-
nulli laudabiliter coacti pertrahuntur, quod liquido cognoscimus, si duorum Prophetarum facta pensamus,
quorum vnus vt ad prædicandum mitti debuisset sponte se præbuit, quò tamen alter pergere cum pauore re-
Esa.6. cusauit. Esaias quippe domino quærenti quem mitteret, vltro se obtulit, dicens: Ecce ego, mitte me. Hieremias
Hierem.1. autem mittitur, & tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens: A, a, a, domine deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. En ab vtrisque exteriùs diuersa vox prodiit, sed non à diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo quippe sunt præcepta charitatis, dei videlicet amor, & proximi. Per actiuam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias, officium prædicationis appetit. Per contemplatiuam verò Hieremias amori conditoris sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat cõtradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetiit, L
hoc laudabiliter alter expauit. Iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in vtrisque est subtiliter intuendum, quia & is qui recusauit, plenè non restitit: & is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit: ne aut non purgatus adire quisque ministeria sacra audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbè contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutiùs declinatur, nec tamen declinari (vt diximus) pertinaciter debet: cùm ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Quod Moyses vtrũque miro opere expleuit: qui præesse tantæ multitudini & noluit, & obediuit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet: & rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret. Vtrobique ergo humilis, vtrobique subiectus, & præesse populis semetipsum metiendo noluit, &
tamen de imperantis viribus præsumendo consensit. Hinc ergo quique præcipites colligant, cum quanta culpa
ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt: si sancti viri plebium ducatum suscipere deo etiam iubente M
timuerunt. Moyses suadente domino trepidat: & infirmus quisque vt honoris onus suscipiat anhelat: & qui ad
casum valde vrgetur ex propriis, humerum libenter opprimendum ponderibus submittit alienis: quæ egit fer-
Homil.8. re non valet, & auget quæ portet. IDEM SVPER EZECHIELEM. Occulta atque profunda dei iudicia cogitare, quid est aliud quàm alas deponere, id est, de nulla iam virtute confidere, sed sub magno timore trepidare? Siue enim omnipotentis dei naturam considerent, siue eius iudicia perpendant, trepident, pertimescant. Eis ergò quasi alas deponere, est virtutes quas habent humiliare. Sic Abraham alas deposuit, qui quando
Gene.18. loqui cum deo cœpit, puluerem & cinerem se esse cognouit, dicens: Loquar ad dominum meum cùm sim puluis & cinis. Sic Moyses alas deposuit, qui eruditus omni scientia Aegyptiorum, mox vt verba domini audiuit, verba se non habere deprehendit, dicens: Obsecro domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius. Ex quo enim loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Ac si apertè diceret: Postquam à te verba



A verba vitæ audio, confusum me in verbis prioribus agnosco. Sic Esaias, cuius vita domino ad prædicandum placuerat, cùm eundem dominum cõtemplatus, carbone de altari in ore tactus est, ait: Væ mihi quia tacui, quia *Esa.6.*
vir pollutus labiis ego sum. Ecce ad superiora subleuatus sibimetipsi de labiorũ pollutione displicuit. Nisi enim cœlestis munditiæ alta conspiceret, esse se iudicabilem non inueniret. Sic loquente domino Hieremias clamat, A, a, a, domine deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Iuxta enim ea verba quæ audiebat, verba se non habe- *Hierem.1.*
re cognouerat. Sic Daniel sublimem visionem videns: per plurimos dies elanguit & ægrotauit. Quia & hi qui *Dan.8.*
in virtutibus fortes sunt, cùm altiora dei conspiciunt, in sua sibimet estimatione infirmi atque imbecilles fiunt. Sic beatus Iob de quo dominus amicis illius dixit, Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob, *Iob.42.*
cùm verba dei colloquentis audiret, respondit, dicens: Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam. Et paulopost: Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Qui enim *Ibidem.*
B quantum ad homines sapienter loquutus fuerat, loquentem sibi deum audiens, insipienter se locutum fuisse reprehendit, quia in contemplatione veræ sapientiæ sua ei sapientia viluit. Ad vocem ergo desuper venientem animalia alas deponunt, quia virtutem dei siue in natura sua contemplari requiramus, siue in occultis iudiciis inuestigare cogitemus, pro eo quòd eius alta nobis impenetrabilia sunt, nostra nobis siqua inesse bona credebantur, vilescunt. Et qui in quantulacunque scientia volare credebamur, inuisibilem super nos naturam, & impenetrabilia eius iudicia perpendentes, submissis alis humiliter stamus. THEODORETVS. Sed qua de causa vniuersorũ deus cùm Moyse ministro vteretur, eum & exili voce, & tardiore lingua esse voluit? Quia hac ratione diuinam potentiam clarius indicabat. Quemadmodum enim & piscatores, & publicanos, & coriarium veritatis præcones, & Euãgelicæ pietatis ministros elegit, eadem ratione per hominem exilis vocis, & tardioris linguæ, Aegyptiorum sapientes rubore cõfudit. GRAECVS. Septuaginta verò Interpretes οὐχ ἔυλα-
C λος, hoc est, facilis ad loquendum transtulerunt, quia Moyses non velox, sed tardus erat ad loquendum, atque ita se assuefecerat, vt tutius cautiúsque loqueretur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Non sum eloquens ab heri & nudius tertius. Nota quòd per interualla temporum loquebatur deus ad Moysen. Vnde dicit ab heri & nudius tertius non sum eloquens in comparatione dei. Quidam dicunt Moysen propterea non esse eloquentem, quia diu moratus fuerat in terra Madian, vnde oblitus erat aliquantulum linguæ Aegyptiæ. Aaron autem semper in Aegypto morabatur, quare datur ipse Interpres ad Pharaonem. RVPERTVS. Claret igitur ex hoc loco, quia cuncta hæc non vno die dicta vel acta sunt, ex eo videlicet quòd ait, ab heri & nudius tertius, & cætera. Nempe nudius tertius idem est, ac si dicas, nunc dies est tertius, Ex quo (inquit) locutus es ad seruum tuum. Ac si diceret, Antequam loquereris ad seruum tuum, videbar mihi eloquens, & velocis linguæ & expeditæ: nunc autem, ex quo loqui cœpisti, & occulta sapientiæ tuæ manifestare mihi, hoc de me didici & sensi, quòd eloquens non sim, neque tam expeditæ linguæ, vt ea quæ nunc agenda intelligo, dignè valeam coram hominibus eloqui. Moyses nanque propheta esse incipiens, & illa intus flamma illustratus, quam foris vi-
D derat, tanta sibi imponi mysteria sentiebat, quantis administrandis indignum se & imparem rectè & laudabiliter se iudicare poterat. CAIETANVS. Textus hic sic habetur iuxta Hebræum, Obsecro Adonai, non vir verborum ego, etiam ab heri, etiam à nudius tertius, etiam ex quo loqui tuum ad seruum tuum, quoniam grauis ore, & grauis lingua ego. Adonai numeri est pluralis, significans domini mei. Et cùm manifestè habeat suum singulare, & debuisset dici Adoni, hoc est, domine mi, dicendo domini mei, insinuat cõsuetudinem fuisse apud Hebræos quæ nunc est in vulgari Italico, vt magnates alloquamur in numero plurali. Dicendo autem non vir verborum ego, significat quòd est homo paucorum verborum, cuius contrarium exigitur ad legatum persuasiuum, mittebatur enim ad persuadendum populo. Hæc autem paucitas sermonis, non noua sed antiqua erat Moysi, & propterea dixit, etiam ab heri, etiam à nudius tertius, ac si apertius dixisset, paucitas verborum naturali consuetudine mecum est. Quòd autem subdit, etiam ex quo sermo tuus ad seruum tuum, sufficienter verificatur intelligendo, quòd ex quo locutus es ad seruum tuum, non cessauit ista paucitas verborum, sed perseuerat
E mecum, ad significandum, quòd locutio dei non abstulit à Moyse huiusmodi impedimentum. Ratio autem talis consuetudinis redditur, tum ex parte oris, tum ex parte linguæ. In qua ratione relucet prudẽtia Moysi, quòd cum videret habere se impedimenta ad pulchrè loquendum, sermonis parcum seipsum reddidit, consuetudine parùm loquendi. Et cùm grauitas linguæ & oris, tarditatem pariat, non oportet balbutiẽtem intelligere Moysen. Sed organa sermonis habuisse tarda, vt defectus potius opponatur facundiæ, quàm locutioni. Hic enim defectus sufficiebat ad excusationem Moysi ne mitteretur. AVCTOR CATENAE. Non sum eloquens & cætera. Sensum ex verbis elicuit Interpres, quæ huiusmodi sunt in Hebræo לֹא אִישׁ דְּבָרִים אָנֹכִי Lo is debarim anóchi, Non vir verborum, siue sermonum ego, id est, eloquẽs & disertus non sum. Et Hebraismus est. Sententia autem est inabsoluta, deest enim, Ne mittas me, quasi dicat, Obsecro domine, ne mittas me, nõ enim sum eloquens, quales oportet esse eos qui verba apud principem facturi sunt. Chaldaica & Septuaginta prout apud nos. In eo verò quod sequitur, Ab heri & nudius tertius, est dictio, etiam, bis posita in Hebræo, videlicet גַּם, vt
F dicatur, etiam ab heri, etiam à nudius tertius. Et Hebraismus est, pro nunquam fui eloquens. Chaldaica etiam, ab heri & nudius tertius. Septuaginta, οὐχ ἔυλαλός εἰμι πρὸ τῆς ἐχθὲς οὐδὲ πρὸ τῆς τρίτης ἡμέρας, Non eloquẽs sum ante heri, neq; ante tertiã diem. Sequitur, & ex quo locutus es ad seruũ tuum. Hebraice est גַּם מֵאָז דַּבֶּרְךָ אֶל עַבְדֶּךָ Gam meaz dabbercha el abdécha, Sed &, vel, etiam, seu, & ex tũc verbi tui ad seruum tuum, hoc est, ex eo tempore quo locutus es mihi seruo tuo, subauditur, Nosti me non esse eloquentem. Chaldaica, Et ex tempore quo locutus fuisti cum seruo tuo. Septuaginta, οὐδὲ ἀφ' οὗ ἤρξω λαλεῖν τῷ δούλῳ σου, Neque ex quo cœpisti loqui seruo tuo. Demum quod dicitur, Impeditioris & tardioris linguæ sum, Hebraicè legitur, כִּי כְבַד פֶּה וּכְבַד לָשׁוֹן אָנֹכִי Chi chebad pe vchbad lasón anóchi, Quia grauis oris, & grauis linguę ego. Seu grauis ore, & grauis lingua ego, id est, tardus sum ad loquendum, & lingua impedita: Hebraismus. Alii, Quia os graue, & lingua grauis est mihi verterunt. Hoc est, postquam verba vitæ à te audio, confusum me in prioribus verbis agnosco. Chaldaica verò, Quoniam grauis loquelæ, & linguæ profundæ ego sum. Septuaginta, ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι, Gracili voce

cili voce,& tarda lingua ego sum. Quæ omnia à sententia nostræ editionis non dissentiunt. Et est quarta Moysi excusatio ex impeditiori lingua. Dicat igitur Moyses, Exonera me quæso domine hac vocatione. Ad confiG ciendam enim tantam rem quam iubes, maximè omnium necessaria est eloquentia. Ego autem non sum præditus dono eloquentiæ, non solùm ab heri & nudius tertius, hoc est, superioribus annis, quibus ego egi pastorem ouium, & magis balatum ouium, quàm studium eloquentiæ obseruaui, sed etiam ab eo tempore, quo te mihi reuelasti, & mecum collocutus es, videor mihi videre me factum esse multo grauioris, impeditioris & tardioris linguæ ac sermonis, quàm antea, tãtum abest, vt sentiam me ex colloquio tuo magis idoneum ad capessendam hanc vocationem factum esse. Quare aut exonera me (vt dixi) hac tua vocatione, aut exorna me etiam dono eloquẽtiæ. Tametsi igitur Moyses pius vir erat, fragilitate tamen carnis metuit ac resilit, detrectat officium, grauatim acceptat iussa dei coniuncta periculo. Ex animo liberationem populi cupit vir fidelis, reclamat tamen pro carnis imbecillitate. Sed & queritur se ex eo tempore quo secum dominus loqui nuper cœperit, sic stuH pidum factum esse, vt iam planè loqui nesciat, quo enim magis mens humana in deum eleuatur, hoc magis extra serapitur. Stupet ad alloquiũ dei caro, vehemens est & efficax sermo domini. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Despectus igitur erat Moyses, nec sibi idoneus videbatur, cùm ad liberandum Hebræorum populum mitteretur. Despectus erat Hieremias, qui dicebat, Dominator domine, ecce nescio loqui, quia iuuenis sum ego. Sed facilius iste despectus eligitur. Denique dicitur ei, Noli dicere quia iuuenis sum ego, quia ad omnes quoscunque misero te, abibis, & omnia quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum dicit dominus, vt liberem te. Despectus erat ille publicanus, qui oculos ad cœlum non audebat leuare, & ideo facilius quàm ille pharisæus exaudiebatur. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. ORIGENES. Quia igitur in id intelligentiæ profecit, vt agnosceret semetipsum, in quo est pars maxima sapientiæ, remunerat eum diuina dignatio. Audi quàm opimis magnificísque muneribus. *Dixit* (inquit) *dominus ad eum, Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est* I *mutum & surdum, videntem & cæcum? Nonne ego?* RVPERTVS. Sine dubio subaudiendum, quòd is qui hæc omnia fecit, ipse linguam paulò ante hebetiorem, citò acuere possit. Obiectionem enim Moysi tanquam rectitudinem amplectens dominus, hæc respondit ei. INTERLINEARIS. Et perinde est ac si dicat, qui hęc feci, tibi vsum horum dare possum. HIERONYMVS IN ECCLESIASTEN. Disce opera dei quia nemo poterit corrigere quod ille imminuit, id est, sufficit tibi de scripturis sanctis, siue ex ipsa cõtemplatione elementorum scire & intelligere quæ facta sunt, non tamen causas rationésque perquirere, quare vnumquodque sic factum sit, vel aliter fieri debuisse quàm factum est. Verbi gratia, siquis velit quærere cur Moysi ita loquatur deus: Quis fecit mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego dominus deus? Et dicat, Cur cæcus & surdus, & mutus ita creati sunt, & cætera his similia. CYRILLVS. Ego (inquit) deus, vt omnium rerum opifex facilè opera mea corrigere atque emendare possum. Eadem ratione ille qui cæcus natus fuerat, non ob aliquod parentum suorum peccatum ita editus in lucem fuerat, sed vt inde per gloriam accresceret. HVGO DE SANK CTO VICTORE. Quis fecit os hominis? quasi dicat, Qui os do, verba dare possum. Quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? His instrumentum dedi, alteri instrumentum, alteri cum instrumento officium. Qui ergo oculo dedi visum, & ori verbum dare possum. Perge igitur. AVGVSTINVS. Sunt verò qui deo calumniantur, vel scripturæ potius veteris testamenti, quia dixerat deus, quòd ipse fecerat cæcum & mutum. Quid ergo dicunt de domino Iesu Christo apertè in euangelio dicente, Ego veni, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant? Quis autem nisi insipiens crediderit, aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere, quod deus nolit? sed eum iustè totum velle nemo ambigit. CAIETANVS. Verbum dominus, in Hebræo legitur, Nonne ego iehouah. Testatur enim ipse deus quòd ipse fons essendi est ita fons essendi, quod est etiam causa non essendi. Priuationes enim significatæ per surdum & mutum, sunt species non essendi. Et per hoc respondetur Moysi, monstrando quòd in potestate sua est, & facere, & tollere, & supplere omnia impedimenta quantuncunque naturalia. AVCTOR CATENAE. Quis fecit os hominis, & cætera. L Pulchrè vertit Interpres verbum שׂם sum bis hîc positum, quod ponere significat, semel fecit, deinde fabricatus est. Vnde Chaldaica, Quis posuit (habet) os homini, aut quis posuit mutum, aut surdum, aut videntem, aut cæcum? Sed idem est sensus. Quasi dicat, Quis donauit hominem facultate loquendi? Scio (inquit) qualis sis, cùm ego vsum sensuum, & dem & adimam, mihi ergo fidere debes, non tuas apud te vires metiri. Nec enim humana membra ipsa, nec horum vsus dei euadunt prouidentiam, omnia enim dominus moderatur quæ condidit.

*Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris.* ORIGENES. Vel secundum aliam literam, Aperiam os tuum, & instruam te quæ oporteat loqui. Beati sunt quorum deus aperit os, vt loquantur. Prophetis deus aperit os, & replet illud eloquio suo, sicut in præsenti dicit Moysi. Sed & per Dauid dicit deus, Dilata os tuum, & replebo illud. Similiter & Paulus dicit, Vt detur mihi sermo in adapertionem oris mei. Eorum ergo qui verba dei loquuntur, os deus aperit. Vereor autem ne sint aliqui, quorum è contrariò os diabolus aperiat. Nam qui loquitur mendacium, certum est quia diabolus aperiat os eius, vt mendacium loqueretur. Qui falsum testimoM nium dicit, qui scurrilitates ac turpitudines, & cætera huiusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Vereor ne & susurronum, & detractorum os diabolus aperiat, sed & eorum qui ociosa verba proferunt, pro quibus reddenda in die Iudicij ratio est. Iam verò qui iniquitatem in excelso loquuntur, qui negant dominum meum Iesum Christum in carne venisse, vel qui spiritum sanctum blasphemant, quibus neque in præsenti, neque in futuro seculo remittetur, quis dubitet quòd os eorum diabolus aperiat? Vis tibi & hoc de scripturis ostendam, quomodo huiusmodi hominibus, qui aduersum Christum loquuntur, os diabolus aperit? Vide quid scriptum est de Iuda, quomodo refertur, Quia introiuit in illum Satanas, & quia misit in cor eius diabolus, vt traderet dominum. Ipse ergo aperuit os eius, vt loqueretur cum principibus & pharisæis, quomodo eum traderet accepta pecunia. Vnde mihi videtur non esse paruæ gratiæ intelligere os quod aperit deus, & intelligere os quod aperit diabolus. Non est sine sancti spiritus gratia huiusmodi os, & verba discernere. Et ideo in diuisionibus spi-

*Hierem.1.*

*Lucæ.18.*

*Cap.7.*

*Quæst.8.*



A nibus spiritalium gratiarum additur etiam hoc, quòd datur quibusdam discretio spirituum. Ergo spiritalis est gratia, per quam spiritus discernitur, sicut & alibi dicit Apostolus, Probate spiritus qui ex deo sunt. Sed sicut deus aperit os sanctorum, ita puto quòd & aures sanctorum deus aperiat, ad audienda diuina verba. Sic enim dicit Esaias propheta, Dominus mihi aperuit aurem, vt sciam quando oporteat dici verbum. Sic & oculos aperit dominus, sicut aperuit oculos Agar, & vidit puteum aquæ viuæ. Sed & Helisæus propheta dicit, Aperi domine oculos pueri, vt videat, quia plures nobiscum sunt quàm cum aduersariis. Et aperuit (inquit) dominus oculos pueri, & ecce totus mons plenus erat equitibus, & curribus, auxiliísque cœlestibus. Circumdat enim angelus domini in circuitu timentium eum, vt eripiat eos. Aperit ergo (vt diximus) deus & os, & aures, & oculos, vt vel loquamur, vel cernamus, vel audiamus quæ dei sunt. Sed & illud non ociose accipio, quod dicit Propheta, Eruditio (inquit) domini, aperuit mihi aurem: hoc mihi videtur ad nos, id est, communiter ad omnem dei EcB clesiam pertinere. Si enim in domini eruditione versemur, aperit & nobis aurem domini eruditio. Auris verò quæ per eruditionem domini aperitur, non semper aperta est, sed aliquando aperta, aliquando clausa est. Audi legislatorem dicentem, Ne respexeris auditum vanum. Si quando ergo vana dicuntur, si quãdo inania, inepta, turpia, prophana, scelesta proferuntur, qui nouit domini eruditionem, claudit aures, & auertit auditum, & dicit, Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus, qui non aperuit os suum. Si verò ad vtilitatem animæ pertinent quæ dicuntur, si de deo sermo est, si mores docet, virtutes inuitat, vitia resecat, patere debent aures huiusmodi eloquiis, & non solùm aures, sed & cor, & mens, & tota ad huiusmodi auditum, animæ ianua pandenda est. Summa tamen moderatione præcepti vsa est lex, vt non diceret, non audies auditum vanum, sed non recipies. Nam vana frequenter audimus. Marcion quæ loquitur vana sunt. Valentinus quæ loquitur vana sunt, & omnes qui contra creatorem deum loquuntur, vana sunt quæ loquuntur. Sed tamen frequenter nos audimus ea, vt aduersum ea respondere possimus, ne fortè subripiant simplicioribus quibusque fratrum nostroC rum per sermonis ornatum. Audimus ergo hæc, sed non recipimus. Dicta sunt enim de ore illo quod diabolus aperuit. Et ideo orandum nobis est, vt dignetur dominus aperire os nostrum, vt possimus & contradictores reuincere, & obturare os quod diabolus aperuit. Hæc de eo quod scriptum est, Ego aperiã os tuum, & instruam te quæ oporteat loqui. AVGVSTINVS. Quod dominus ad Moysen dicit, Sed nũc vade tu, & ego aperiam *Quæst.9.* os tuum, & instruam te quæ locuturus es, satis hîc apparet, non tantùm instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait, Tu aperi os tuum, & ego instruam te, sed vtrumque ipse promisit, aperiam & instruam. Alibi autem dicit in Psalmo, Dilata os tuum, & adimplebo illud. *Psal.80.* Vbi significat in homine voluntatem accipiendi quod deus donat volenti, vt ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum: ad dei autem gratiam, & adimplebo illud. Hîc verò & aperiam os tuum, & instruam te.

IDEM IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Et ideo, fratres charissimi, auxiliante domino bona iugiter cogitemus, vt os nostrum non crudelis aduersarius, sed deus pius aperiat. Ex abundantia enim cordis D os loquitur. Vnusquisque nostrum cuius præsentiam susceperit in corde, ipsius verba proferre consueuit ex ore. Nostrum autem cor aperiatur Christo, & claudatur diabolo, vt in nobis impleatur illud quod de domino & populo sancto scriptum est, Et habitabo (inquit) in eis, & inambulabo. Et iterum, Ego & pater veniemus, & man- *Leuit.26.* sionem apud eum faciemus. Qui semper quod iustum est loquitur, & deus in illo habitat, & ipse in deo. AMBROSIVS LIBRO PRIMO EPISTOLARVM. Sed & ipse dominus dicebat Apostolis os suum aperiens, Accipite spiritum sanctum, quo declarauit se esse qui Moysi dixerat, Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Ergo hæc sapientia diuina inenarrabilis, impermixta, atque incorrupta, sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognationem reuelat, vt speculentur eius gloriam. CAIETANVS. Ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris. Vtrumque defectum suppleturum se pollicetur deus. Et defectum quidem naturalium organorum, dicendo, Et ego ero cum ore tuo: defectum verò verborum ex consuetudine parùm loquendi, dicendo, Et docebo te quid loquaris. AVCTOR CATENAE. Perge igitur, siue & nunc vade, E Et ego ero in, siue cum ore tuo. Est enim dictio עִם Im, quæ vtrumque significat. Id est, adero ori tuo, & te facundum reddam. Chaldaica, Et nunc vade, & verbum meum erit in ore tuo: loco cuius Septuaginta dixerunt, καὶ ἐγὼ ἀνοίξω τὸ στόμα σου, & ego aperiam os tuum. Vide quomodo promittit se deus affuturum ori eius. Nos enim in diuinis rebus muti sumus. Sed admonemur ne cogitemus qualiter aut quid loquamur, ipse enim dominus dat os & sapientiam, vbi oportet ad gloriã dei loqui. INTERLINEARIS. At Moyses humiliter adhuc se excusans, & digniorem se mitti desiderans, *Obsecro* (*inquit*) *domine, mitte quem missurus es.* EVSEBIVS. Moyses quantum ad liberationem Israëlis, ex Aegypto pertinebat, prompto animo mãdatum dei non recusabat, quantum verò ad populi sui, vt beneficium dei libenti atque alacri animo susciperet, persuasionem attinebat, id verò inuitus recusabat. CYRILLVS. Nunquam defuerunt, neque nunc desunt qui humanam gloriam præsentémque splendorem magno opere sectentur, at non talis Moyses fuit, sed cùm esset maximè diuino dicto auscultans, ad populum tamen mittendus, Obsecro (inquit) domine, mitte alium quem missurus es. Qua ex re (vt F ita dicam) deum contentiosum aduersum se reddidit, suæ videlicet imbecillitatis confessione, & honorificæ legationis recusatione. Quare bene se illud sapientis habet, Ne quæras fieri iudex, ne fortè non possis peccata auferre. GREGORIVS TRICESIMO QVINTO MORALIVM. Debet obedientia & in aduer- *Cap.13.* sis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus & in aduersis tanto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiam ex desiderio iungitur, & in prosperis tanto sit verior, quanto à præsenti ipsa quã diuinitùs percipit gloria, funditùs ex mente separatur. Sed hoc virtutis pondus melius ostendimus, si cœlestis patriæ duorum hominum facta memoremus. Moyses nanque cùm in deserto oues pasceret, domino per angelum in igne loquente, vocatus est vt eripiendæ omni Israëlitarum multitudini præesset, sed quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit, móxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicẽs: Obsecrò domine non sum eloquens, ab heri enim & nudius tertius ex quo cœpisti loqui ad seruum tuum, tardioris & impeditioris linguæ sum factus. Et se postposito, alium deposcit dicẽs, Mitte

quem

quem missurus es. Ecce cùm auctore linguæ loquitur, & ne tanti regiminis potestatem suscipiat, elinguem se esse causatur. Paulus quoque diuinitùs fuerat, vt in Hierusalem debuisset ascendere admonitus, sicut ipse Galatis dicit, Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam, assumpto Barnaba & Tito; ascendi autem secundum reuelationem. Isq; in itinere cùm prophetam Agabum reperisset, quanta se aduersitas in Hierosolymis maneret audiuit. Scriptum quippe est, quòd idem Agabus zonam Pauli suis pedibus inserens dixit, Virum cuius hæc zona est, sic alligabunt in Hierusalem. A Paulo autem protinus respondetur: Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Iesu, neque enim preciosiorem facio animam meam quàm me. Præceptione igitur reuelationis Hierosolymam pergens, aduersa cognoscit, & tamen hæc libèter appetit, audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia præcibus renititur, ne Israëliticæ plebi præferatur. Paulus ad aduersa etiam ex suo voto ducitur, quia malorum imminentium cognitionem percipit, sed deuotione spiritus etiam ad acriora feruescit. Ille præsentis potestatis gloriam deo voluit iubente declinare, iste deo aspera & dura disponẽte, se studuit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumque ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius seculi ex solà iusione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus. CAIETANVS.

*Galata.*

Germanus sensus est, quòd cùm Moyses quatuor obiectiones seu excusationes attulisset, ne mitteretur legatus ad huiusmodi liberationem populi, primam ex imparitate sua, secundam ex ignoto nomine dei, tertiam ex incredulitate populi, & quartam ex negata facundia, cùm videret quòd huiusmodi excusationes non acceptarentur à deo, conuertit se demum ad humiliter supplicandum, vt non mitteretur ipse sed alius, non hic vel ille, sed quem deus elegerit mittendum. Ita quòd supplicatio hæc principaliter tendit ad hoc, vt ipse Moyses non mittatur. Sed ne videatur impedimentum petere tanti boni (liberationis videlicet populi) format supplicationem petendo vt mittat alium sibi beneplacentem. AVCTOR CATENAE. Mitte quem missurus es. Sententia eadem est in Hebræo, videlicet, שְׁלַח נָא בְיַד תִּשְׁלָח Sélach na biiad tiſlach, Mitte nunc per manum quem I mittes, siue illius quem missurus es. Quasi dicat, Mitte quemcunque volueris magis idoneum iuxta beneplacitum tuum, modò ne me mittas minus idoneũ ad hoc munus. Deficit autem hîc relatiuum אֲשֶׁר vt vides, quod est vnum de tribus vocabulis quæ frequenter apud Hebræos non exprimuntur, sed subticentur in sacra scriptura. Alij vertunt, & nunc mitte per manum illius quem soles mittere. Dicúntque deum ante Moysen alios etiam misisse Prophetas, qui populum Israël erudirent, atque ex his quempiam voluisse hîc intelligere Moysen. Alij de Aaron fratre Moysi intelligunt, qui posset & sciret loqui, sicut Septuaginta sentire videntur, προχείρισαι ἄνπερ μενον ἄλλον, ὃν ἀποστελῇς, Elige potentem alium, quem mittas. Editio quoque Chaldaica, & ipsa fere in eandem sententiam, obsecro domine mitte nunc per manum illius qui dignus est vt mittatur. Nobis videtur magnus Propheta allusisse ad verum & vniuersalem omnium redemptorem, ignorans quòd ipsum præcedere deberet typicus & figuratiuus redemptor. Nam ipsum vniuersalem redemptorem Moyses diuino lumine illustratus, venturum prænouerat, nec tamen se in ipsius figuram præcessurum sciebat. An id dixit, indignum se tanto negocio existimans? Quod facere solent prudentiores viri, minus quàm possint, de se præsumentes. Cuius contrarium temerarij & arrogantes efficiunt. Alij locum hunc ita vertunt, Mitte quæso in manu cuius mittes, hoc est, citò mitte quem missurus es. Vt in manu mittere, idiotismo Hebraico sicut & germanico, sit sine dilatione mittere, hoc est, expeditè & subitò. Quod intelligunt etiam ipsi de Christo statim mittendo, qui ab exordio mundi fuerit expectatus à sanctis, veluti perfectus liberator futurus fidelium, quod latere Moysen non potuit, quem statim voluisset perfecta redemptione occurrere, si domino placuisset. *Iratus dominus in Moysen, ait, Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit. Ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidénsque te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad popu'um, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad deum pertinent.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM.

*Quæſt.10.*

Quemadmodum possit intelligi irascens deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est vbi tale aliquid scriptura dicit, ne de hoc eadem sæpe dicenda sint. Sed meritò quæritur, L cur hîc iratus de fratre Moysi dixerit, quòd illi ipse loqueretur ad populum: videtur enim tanquam diffidenti non dedisse facultatem, quam daturus erat, & per duos agi voluisse, quod etiam per vnum posset, si credidisset. Veruntamen eadem verba omnia diligentius considerata, non significant iratum dominum pro vindicta dedisse Aaron. Sic enim dicit, Nonne ecce Aaron frater tuus Leuites, scio quia eloquens est, loquetur ipse. Quibus verbis ostenditur deus increpasse potius eum, qui timeret ire quòd ipse esset minus idoneus, cùm haberet fratrem per quem posset ad populum loqui quod vellet, quoniam ipse erat gracilis vocis, & linguæ tardioris, quanquam de deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quæ paulò antè promiserat, & posteaquam iratus est, dicit. Dixerat enim, Aperiam os tuum, & instruam te: nũc autem dicit, Aperiam os tuum & os eius, & instruam vos quæ faciatis: sed quoniam addidit, & loquetur ipse tibi ad populum, videtur oris apertio præstita, propter quod diçit Moyses linguæ se tardioris. De vocis autem gracilitate nihil ei dominus præstare voluit, sed propter hoc, adiutorium fratris adiunxit, qui posset ea vti voce, quæ populo docendo sufficeret. Deinde quod paulopost M ait, Et loquetur ipse tibi ad populum & ipse erit os tuum, & sic subauditur ad populum. Et cùm dicit, Tibi loquetur ad populum, satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Deinde quod ait, Tu autem illi eris in iis quæ ad deum, Magnum hîc fortasis perscrutandum est sacramentum, cuius figuram gerat, velut medius Moyses inter dominum & Aaron, & medius Aaron inter Moysen & populum. ORIGENES. Non solùm igitur Moysi promittitur os aperiri à domino, sed & Aaron. Dicitur enim & de ipso, Ego aperiam os tuum, & os illius, & instruam vos quæ faciatis. CAIETANVS. Iuxta verò Hebræum habetur iste textus, Et iratus est furor domini in Moysen, & dixit. Ira dei testatur Moysen petiisse vt non mitteretur: si culpa vacasset petitio Moysi, nequaquam iratus fuisset deus, sed eo ipso quòd iratus describitur, manifestatur culpa Moysi, nam ira dei iustitia est punitiua. Et verè culpa fuit, post omnes excusationes suppletas, adhuc instare vt non mitteretur, cognita siquidem sufficienter diuina voluntate, non est fas etiam humiliter supplicando, petere





A oppositum. Verùm quòd leuis culpa fuerit, testatur litera, dicendo non quòd iratus est deus, sed quòd iratus est furor dei, vt more humano significaretur ira per modum passionis repentinæ, ac si de homine loquendo diceremus, quòd accensa est cholera eius, tanquam non ipse ex proposito sit iratus, sed cholera eius. Pari siquidem similitudine describitur furor dei iratus, tanquam non ipse deus, sed repentinus furor iratus fuerit, culpa siquidem Moysi deum more humano exigit scribi tanquam repentè excandescentem. Et nominatur ipse fons essendi, in quo nulla est passio aut propassio, vt intelligamus quòd ipse summus essendi fons curam habet horum minimorum. Aaron frater tuus Leuites scio quòd eloquens sit. Iuxta Hebræum habetur, An non Aaron frater tuus Leuites sciui quòd loquendo loquetur ipse? Quemadmodum culpam Moysi testatur ira dei, ita rationem culpæ manifestat hæc dei sententia. Nam ex hac sententia habetur, tum quòd Moyses nimis ponderauit defectum suæ facundiæ, tum quòd minus circunspectus fuit

B non considerando facundiam fratris sui, & quòd in promptu erat vti fratre suo facundo ad persuadendum populo. Huc enim tendit sententia ista, dicendo, an non sciui? Ac si apertiùs dixisset, cur non considerasti quòd ego sciui facundiam fratris tui, & ipsum darem tibi vt organum tuum ad persuadendum populo? Ecce ipse egredietur in occursum tuum. Notitiæ propriæ de Aaron facundia, adiungit promptitudinem Aaron ad idem, vt vndique culpa Moysi appareat. Quod autem subiicit, ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in iis quæ ad deum pertinent, id indicat, quòd ipse Aaron fungetur officio oris tui relatiuè ad populum, tu autem fungeris officio oris dei relatiuè ad Aaron. Moyses enim reuelabat diuina, & dirigebat Aaron, Aaron verò communicabat ea populo persuadendo. AVCTOR CATENAE. Iratus dominus in Moysen. Idem est quòd in Hebræo legitur וַיִּחַר אַף יְהוָה. Vaíchar aph iehoua, Iratus est furor domini: sic & Chaldaica. Septuaginta autem, καὶ θυμωθεὶς ὀργῇ κύριος, Et iratus ira dominus. Locutio est. Sequitur, Aaron frater tuus Leuites, scio quòd, e-

C loquens sit. Succinctius loquutus est Interpres quàm Hebraicum, ibi enim est הֲלֹא אַהֲרֹן אָחִיךָ הַלֵּוִי יָדַעְתִּי כִּי דַבֵּר יְדַבֵּר הוּא Halo Aharon achicha haleui, iadaétti chi dabber iedabber hu, Nonne Aaron fratrem tuum Leuitam noui, quòd loquendo loquetur ipse? Quasi dicat, scio necesse esse vt vtaris opera Aaron fratris tui, illéque pro te loquatur, cùm sis impedito ore. Alij vertunt, An non Aaron frater tuus Leuita? Scio quòd loquens loquetur ipse. Quasi dicat, scio quòd frater tuus loquetur pro te, vel, nonne noui fratrem tuum Leuitam locuturum pro te? Chaldaica, Ecce Aaron frater tuus Leuita: notum est coram me quòd ipse loquens loquetur. Septuaginta, ἰδοὺ ἀαρὼν ὁ ἀδελφός σου ὁ λευίτης, ἑπίσταμαι, ὅτι λαλῶν λαλήσει αὐτὸς σοι. Non ecce Aaron frater tuus Leuita, scio quòd loquens loquetur ipse tibi, hoc est, pro te. Idem autem dicunt, quòd & Latina innuit editio. Additur deinde, Ecce ipse egredietur. Verbum יָצָא, Ioze, aliqui in præsenti reddunt, dicentes, Etiam ecce ipse egreditur in occursum tuum. Sed hoc nihil est. Sequitur, Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. Verba דִּבַּרְתָּ dibbarta, & שַׂמְתָּ samta, quoniam præcedit litera ו Vau, ali-

D qui futura reddiderunt, & dictionem עִם im, cum, verterunt: item הוֹרֵיתִי horethi, docebo, ita vt dicant, Et loqueris cum eo, & pones sermones, vel verba ista in ore suo, & ego ero cum ore tuo, & cum ore eius, & docebo vos quid acturi estis, seu quid agere debeatis. Sed sensus est idem cum litera nostra, id est, Narra ei legationem istam, vel doce eum quæ ego dixi tibi esse dicenda, & moderator ero oris, siue sermonis vestri. Id quod pro magno concedi sibi orauit Apostolus, inquiens, Vt detur mihi sermo in appertione oris mei. Et sancta Esther dominum exorauit, Da in ore meo sermonem benesonantem. Vnde in pro- *Ephe.6.* uerbiis legitur, Cor hominis disponit viam suam, sed domini est gubernare linguam. Demùm quod a- *Esther.14.* pud nos est, Et erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad deum pertinent, sic in Hebræo legitur, וְהָיָה הוּא יִהְיֶה לְךָ לְפֶה וְאַתָּה תִּהְיֶה לּוֹ לֵאלֹהִים Vehaia hu íhie lecha lephe, veatta tíhie lo lelohim, Et erit, *Pro.16.*

E ipse erit tibi in os, siue pro ore, vel vice oris, & tu eris ei in deum, siue pro deo, vel vice dei. Id est, vteris eo interprete, tu verò narrabis ei quæ ego dixero tibi, & te consulet tanquam me. Vel elohim capitur hîc pro duce, seu principe, magistro & præceptore, sicut Phe pro Interprete. Vnde Chaldaica more suo difficilia explicans, habet, Et ipse erit interpres tuus, & tu eris ei in principem, hoc est dux verbi. Septuaginta habent vt in nostra editione, quæ fortasse modestiæ causa noluit sequi textum Hebraicum, vt diceret, Et eris ei in deum. Quid igitur deus ad hanc inobedientiam Moysi? Vide summam & inexplicabilem clementiam domini. Irascitur tantùm illi, non tamen abiicit, non ferit fulmine, quassatum calamum non confringit, linum fumigans non extinguit, sed maiori cura & diligentia imbecillem & meticulosum hominem ad obedientiam inuitat. Irascitur autem deus piis, dum corripit, & meliores reddit, & non pro voto carnis exaudit, dum non patitur moras necti in opere suo, non autem irrationabili perturbatione sicut homo. Ac primùm, ne desperet Moyses propter ineloquentiam suam, non mutat quidem ditatem linguæ eius. Non enim vni dat cuncta, sed adiungit illi Aaron fratrem, virum eloquentissimum,

F quem dominus æquè iam promouerat animo ad opus diuinum vt Moysen, sed alia via, inspiratione scilicet interna. Variæ enim sunt vocationes seruorum dei ad ministerium electorum. Leuites autem Aaron dicitur, addito cognationis nomine, quia fortè alij erant in populo qui Aaron appellabantur, vel quia eximius doctor & Propheta illo tempore nominatus in Israël. Is (inquam) cùm sit disertus & eloquens, pro te loquetur, ecce enim veniet tibi obuiam, têque cùm viderit, valde lætabitur in corde suo. Vterque ad opus dei, & salutem fratrum alacer extitit. Bona conscientia in opere dei affert gaudium, & est quasi iuge cõuiuium, Loquere (ait) ad eum, & pone verba mea in ore eius, & cætera. Posuit quidẽ Moyses sermones dei in ore Aaron, cùm omne negocium illi commisit ad populum alloquendum. In negociis dei quantumuis infirma sit caro, non tamen cõcidendum est. Adest enim suis dominus, & rebus consulit etiam desperatissimis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his quæ ad deum pertinent, siue in deum. Officio (ait) oratoris

fungetur Aaron, pro te loquetur, & erit tibi interpres. Tu autem eris eius magister, quoniam voluntatem domini G
ei patefacies, qui licet pro te loquuturus sit, non tamen eum tibi, sed te ei præficiam. Quòd autem nostri tempo-
ris male sentientes homines, ex hoc loco ansam sibi assumunt dicendi, etiam sacerdotes tametsi ex eorum ore
lex dei cunctis requirēda sit, subditos tamen esse in illorum foro secularibus magistratibus, sicut Aaron ex man
dato domini Moysi subditus fuit, duabus rationibus inefficacissimum est argumentum. Primùm quidem, quia
Aaron cùm hæc dicta sunt, nondum erat sacris initiatus, nec summi sacerdotij honore decoratus, & cuncta quę
hîc pro populi liberatione Pharaoni & Israëlitis dicenda proponuntur, ante Aaron ordinationem peracta fuisse
constat. Secundò, quia & si Aaron fuerit inunctus sacerdos à Moyse, illíque subditus factus, Moyses tamen non
fuit princeps secularis, siue magistratus laicus vt præsumitur ex aduerso, sed etiam ipse sacerdos iuxta illud psal
mi, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & vbique is legitur sacerdotali functus officio. Quinimmo totā scri-
pturam rectè intuēti clarè patebit, Sacerdotale munus maiestati regiæ, ducibus & principibus seculi, magistrum H
& præceptorem extitisse, illósque in omnibus agendis direxisse. Sed hæc cursim delibata tantùm sufficiant pro
illorum ostendenda vanitate, qui huiusmodi errores in populis disseminant. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Non solùm ea quæ fecit ad Israël, sed & illa
quæ fecit coram Pharaone, quæ omnia videtur hîc distinxisse, sed scriptura præterit hic, ne bis narret. CAIE-
TANVS. Poterat deus conferre Moysi vt sine virga faceret miracula, sed maluit quòd mediante virga mi-
racula faceret, ad hoc vt sensibiliter cognoscerent homines, quòd ipse Moyses faceret miracula, videndo quòd
eleuata seu applicata virga per manum Moysi, sequebantur statim miracula. Naturale siquidem est homini, per
sensus duci in notitiam intelligibilium. AVCTOR CATENAE. Virgam quoque hanc sume in manu
tua. Fortè exprimere volentes de qua virga intelligeret dominus, Septuaginta Interpretes addiderunt τὴν σφενδόνην εἰς ὄφιν, versam in serpentem. Sed non est in Hebræo. Virga autem Moysi aliquando dei dicitur, qui sua
virtute miracula edidit, non naturalibus viribus virgæ, sed tamen signum auctoritatis diuinæ erat, quam & ad I
significandum dei potentiam dominus instituerat, Moysíq; auctoritatem populo terribilem, præ se ferre debe-
bat. Sic enim vulgo prodest regius apparatus, & virgæ imperialis terror, vt faces olim Romani præsidis. Alio-
qui nulla edebat portenta Moysi virga vel baculus, sed virtus altissimi.

*Mysticè. Par. 1. cap. 34.* PROSPER. Sed altiùs nos sacræ scripturæ verba speculantes, dicamus, quòd sicut iubetur Moyses
pergere ad filios Israël, & ad Pharaonem regem Aegypti, vt populum dei (quorum clamor duræ seruitutis
ascenderat) dimitteret ex terra sua, mediationémque futuram susciperet, sic per Matthæum dicit noster Me-
*Matth. 15.* diator, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Excusat Moyses, quòd sit impeditus lin-
*Ioan. 8.* gua & gracili voce. Dicit etiam idem mediator noster Iudæis, Sermo meus non capit in vobis. Rursum instanti
deo vt pergeret, omni ex parte excusat Moyses, dicens: Domine prouide alium quem mittas, vt vox media-
*Matth. 26.* toris nostri infirmitatis humanæ susceptæ, signaretur dicentis, Pater si fieri potest transeat à me calix iste. K
Dicitur Moysi vt sibi socíet Aaron fratrem suum, ipsęque ad deum agenda suscipiat, ille ad populum,
*Psal. 2.* Et quæ signa & prodigia in manu & in virga traduntur. Dicitur etiam nostro Mediatori, Dabo tibi
gentes hæreditatem, & possessionem tuam fines terræ, reges eos in virga ferrea. Paulum verò electum
qui loqueretur ad populum, per Aaron significatum possumus intelligere, de quo Mediator noster in
*Act. 9.* deum, ipse ostendit, Ananiæ dicens, Vas est mihi electionis homo iste, vt ferat nomen meum coram
gentibus & regibus, & filiis Israël. CHRYSOSTOMVS IN ILLVD PSAL. QVIS EXVRGET, & c. Virgæ intelliguntur præcepta legis, dicente Apostolo: Quid vultis, in virga veniam ad vos? Et, Reges
eos in virga ferrea. Et alio loco: Virgam virtutis suæ emittet dominus ex Sion. Et ipse Moses virgam fere-
bat quam ante Pharaonem proiiciebat. Intelligitur in virga, vt dixi, vigor legis. Præfigurabat eccle-
siam vbique diffusam. RVPERTVS. Tandem aperuit quid vellet, quò tenderet totiens
excusando Moyses. Mitte (inquit) domine, quem missurus es. Quem enim dominus missurus erat cùm L
hæc diceret, nisi illum qui nunc missus est, quem Patriarcha Iacob annunciauerat, expectationem fore
*Gene. 49.* gentium, desiderium collium æternorum? Non ergo ex diffidentia, salutari imperio ministrare recusa-
bat, sed sciens quòd ministerium suum nihil ad perfectum duceret, audebat vrgere dominum, vt mit-
teret eum qui mittendus, & perfectam salutem operaturus erat. Iratus dominus in Moysen, ait, Aaron
frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit, & cætera. Iratus (inquit) dominus in Moysen. Multum ira-
sci visus est, quia tenerum pietatis desiderium valde afflixit, in eo quòd ad postulata non respondit.
Præ ira (inquit) humano generi debita, Christum suum differens, de illo siluit, & hæc & hæc alia pro
aliis dixit. Hos geminos ire iussit, Moysen tanquam legem, Aaron tanquam sacerdotium, sed vterque
homo, & neuter deus & homo, & proinde nihil ad perfectum adduci poterat eorum ministerio. Quid
enim magnum erat educere populum de loco in locum, de Aegypto in terram Chanaam, scribere occi-
*2. Cor. 3.* dentem literam, & non viuificantem conferre gratiam? offerre pro populo sanguinem hircorum, aut M
*Heb. 9.* vitulorum, & non saluum facere populum à peccatis eorum? Nempe hoc vnum erat illi necessarium, e-
duci vel transire de peccato ad iustitiam, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de hoste ad domi-
num, de diabolo ad deum, quod per solum faciendum erat, & nunc factum est, filium dei vnigenitum,
deum & hominem Iesum Christum. Iratus igitur in Moysen est, inquit, id est, non ita propitius fuit
Moysi, vt non differret complere desiderium obsecrantis, vt dicenti, mitte quem missurus es, saltem
diceret, mittam post tot annos, vel illo tempore, indignum eum arbitratus scire tempora vel momenta,
quæ posuisset in sua potestate. CYRILLVS. Et ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardio-
ris linguæ factus sum. Lex vetus quodammodo tardæ linguæ fuit, & dei voluntatem balbutiens. Os verò Moysi
bene sonās, fuit Christus, qui figuras in veritatem trāstulit. AMBROSIVS LIBRO DE ABRAHAM
PATRIAR-



APATRIARCHA. Denique Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorum, sed abiecit, eam præfe-
rens Aegyptiche sauris opprobrium pro Christi nomine. Nam si illam iudicasset alicuius momēti esse sapiētiam,
non vtique dixisset, Precor domine non sum dignus ante hesternam & nudius tertianam diem, neque ex
quo cœpisti loqui seruo tuo. Gracili enim collocutione, & tardiore lingua ego sum. Denique quasi incruditò
respondetur ei, quòd erudiretur à domino, Ego aperiam os tuum, & instruam te, quod debeas loqui. Præcla-
rum autem mysterium, quòd lex non satis plena erat vt persuaderet populis, & gentes vocaret, vel quia clau-
sa foret vsque ad Christi aduentum. Qui exponens nobis prophetica oracula, & proferens lectionis veteris
testimonia, veluti quoddam os legis aperuit, vt fidei clamor in totum peruenīret orbem. CYRILLVS.
Ait deinde Moyses, Obsecro domine, mitte quem missurus es. Veniat (inquit) legislator verus ille Chri-
stus. Sed quia nondum plenitudo temporis aduenerat, propterea minimè exauditus est. Neque enim lex sa-
B tis virium habebat, vt vniuersam terram seruare posset, hominémque è diaboli tyrannide liberare. 3

*Abiit Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum. Dixítque ei, Vadam & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, ut uideam si adhuc uiuant. Cui ait Iethro, Vade in pace. Dixit ergo dominus ad Moysen in Madian, Vade, & reuertere in Aegyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersúsque est in Aegyptum, portans uirgam dei in manu sua. Dixítque ei dominus reuertenti in Aegyptum, Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone. Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dicésque ad eum: Hæc dicit dominus, Filius meus primogenitus Israël. Dixi tibi, Dimitte filium meum ut seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.*

C *Abiit Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum.* RVPERTVS. Vel secundum aliam literam, Cognatum 3
suum, quem sic appellat propter filiam eius, quam vxorem duxerat, id est, socerum suum. GRAECVS.
Celat autem Moyses socerum suum Iethro legationem suam, ne fortè in suspicionem veniens id Moysen
odio inductum facere, eum detineat, ne populum suum inuisere possit. AVCTOR CATENAE. Obse-
quitur tandem Moyses vocationi diuinæ, & accingit se itineri. Vide autem virtutem Moysi. Non inflatur vo-
catione sua, non iactat dignitatem suam aduersus affines, sed tanto modestius sese gerit, tam erga affines quàm
vxorem, quanto digniorem reuelationem dei habeat. Ac primum, non discedit ex Madian, nisi salutato prius
Iethro socero, vel vt quidam interpretantur, affine suo. Exemplum modestiæ est. Quam modestiam obser-
uasset etiam Iacob discessurus è Mesopotamia, erga socerum suum Laban, nisi multis argumentis sensisset
Laban hac virtute magis efferari quàm mitigari. Hic autem socer Moysi septem fertur habuisse nomina,
Raguel siue Rehuel, Iether, Iethro, Cinæus, Hobab, Heber, Phutiel. Quanquam quidam putent, Rehuel esse
D nomen patris eius. *Dixítque ei, Vadam & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant. Cui ait Iethro, Vade in pace.* RVPERTVS. Non dixit ei Moyses, vadam vt fratres meos educam de Aegypto iuxta dei mei
imperium, qui mihi apparuit, eo quòd viderit afflictionem, & audierit clamorem eorum, sed secretum hoc te-
nuit, Vadam (inquiens) ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant. Non enim suam sed dei
gloriam quærebat, quam ille satis opportuno tempore sine præcurrente vocis suæ nuncio visurus erat. Igi-
tur quicunque hic est, quicunque hunc imitatur, huic superfluum sit propalare gratiam sibi collatam coram
hominibus vt videatur ab eis, sed opportunum tempus expectet, donec vltro claresçat secretum dei, & oppor-
tunè lucescat lux eius coram hominibus, vt videant & glorificent patrem deum qui in cœlis est. AVCTOR *Matth. 5*
CATENAE. A domino missus Moyses fratribus liberandis, & amicus dei electus, & tantorum miraculo-
rum gratia sublimatus, socerum suum non negligit, sed ipsius consensum exposcit, à quo & dimittitur non
sine iactura pecoris interim & familiæ. Qui licet extranei essent populi sacerdos vel prælatus, patitur tamen
E absentiam tanti viri, zelantis honorifico zelo pro sua gēte, & amicitiæ officiis incumbentis. *Dixit ergo dominus ad Moysen in Madian, Vade, & reuertere in Aegyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* AVGVSTINVS
IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera habet, Vade, perge in Aegyptum, & cætera. *Loc. 19.*
Multa in his verbis genera locutionum notanda sunt. Primo vade, perge in Aegyptum, tanquam non suffi-
ceret tantùm vade, vel tantùm perge. Deinde mortui sunt omnes, qui quærebant animam tuam, cùm solum
regem Aegypti scriptura dixerit mortuum, & de solo antea dictum fuerit, quòd Moysen quærebat occide-
re. An ipse post alios inimicos vltimus mortuus est? Quod si ita est, non locutio sed sensus est. Item qui quæ-
rebant animam tuam, non in malo tantùm, sed etiam in bono dici solet in scripturis. Nam sicut hîc in ma-
lo dictum est, sic etiam in psalmis, Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. In bono, Pe- *Psal. 39.*
riit fuga à me, & non est qui requirat animam meam. Nisi fortè aliquid distare dicitur inter quærentes & re- *Psal. 141.*
quirentes, vt illud in malo, hoc in bono intelligendum sit. RVPERTVS. Mortuus igitur fuerat ille Pha-
F rao, qui audiuit quòd occidisset Aegyptium, & quærebat occidere Moysen, & hic post multum tempus, vt
supradictum est, id est, post alios quadraginta annos, sicut Stephanus protomartyr in actibus Apostolorum
testatur, mortuus fuerat. HVGO DE SANCTO VICTORE. Iste Pharao qui modò regnabat, non
fuit ille quem Moyses fugit pergens in Madian. CAIETANVS. Modus autem quo hæc Moysi dicta sunt
à deo, ex eo quòd non est limitatus, intelligendus est internus, solitò scilicet modo alloquēdi Prophetas interna
reuelatione. Facta est autem hæc reuelatio non solùm ad prosequendum cœpta, sed principaliter ad excutien-
dum timorem ab animo Moysi, vt securus reuerteretur in Aegyptum. AVCTOR CATENAE. Scien-
dum quòd apud Septuaginta hîc abundant multa verba, quæ non sunt in canone Hebræo. Nam postquàm dixe-
rūt, βάδισε ὑγιαίνων, Vade sanus. Addūt, μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας τὰς πολλὰς ἐκείνας, ἐτελεύτησεν ὁ βασιλεὺς Αἰγύπτου, Post
autem dies multos illos, mortuus est rex Aegypti. Credimus autē ex fine secundi capituli huiusmet libri hoc de-
sumptum, & huc aduectum, cuiusmodi multa sunt in editione Septuaginta. Dixit ergo dominus ad Moysen

in Madian. Iam verò dixerat. Dicunt nanque Hebræi, ordinem non esse requirendum in sacris literis. G
Mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam, id est, qui volebant te occidere. Hebraismus. Vnde
Chaldaica habet, Quia mortui sunt omnes viri qui quærebant interficere te. Voluntas itaque & facultas obten-
ta eundi in Moyse, citiùs scribitur, quàm præceptio dei. Iubetur autem à domino vt redeat in Aegyptum, &
consolatur de morte hostium, quo confidentius redeat, sicut & Ioseph cum Christo & beata Virgine ex Aegy-
pto vocatur per angelum. *Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusq; est in Aegy-*
*ptum, portans virgam dei in manu sua.* CAIETANVS. Ne intelligas vnum duntaxat, sed Hebræo more multi-
tudo asinorum appellatur asinus. AVCTOR CATENAE. Virga verò dei appellatur, per quam deus
facturus erat miracula, siue per quam iam fecerat. Accepit itaque Moyses vxorem suam & filios, quia marito
non sine vxore viuendum, nec proles negligenda, si tamen ab opere dei non remoretur, & à domino inspiran-
te permoueatur. Filij quoque eius in plurali hîc describuntur, cum in superioribus vnus tantùm Gerson fue-
rit nominatus. Moyses cum virga dei, hoc est, signo apostolatus & ducatus pergit, etiam cum vxore & filiis. H
Non enim torus immaculatus, & casta generatio præiudicat, vel impedit gratiam diuini spiritus, & collo-
quia dei in sanctis, quibus omnia sancta sunt & munda. Sed quid hæc (inquies) res tanti momenti est, vt com-
memoretur à scriptura? Nihil est otiose additum. Scriptura enim vult indicare, quàm fidelis & prudens pa-
ter familiâs fuerit Moyses, vt mariti habeant exemplum administrandæ familiæ suæ fideliter & prudenter.
Moyses enim, & si in maximum officium à deo vocatus est, non tamen prius dereliquit vxorem & liberos,
quàm fuerint impedimento vocationi suæ, quemadmodum mox sequitur. Dixit enim dominus, Propter hoc
relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et quod deus coniunxit, homo non separet. Qua-
re vxor legitima nunquam est derelinquenda, nisi certa & specialis vocatio dei aliud iusserit. Ad hæc vides
etiam in Moyse prudentiam, quòd non cogat vxorem & liberos, tantum iter pedibus facere, sed auehat eos
asino. Hoc est quod Petrus docet, Viri (inquiens) cohabitent secundum scientiam, velut infirmiori vasi mu-
liebri, impartientes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, & cætera. *Dixitque ei dominus reuertenti I*
*in Aegyptum. Vide vt omnia ostenta quæ posui in manu tua facias coram Pharaone.* CAIETANVS. Interpres vniuit di-
uersas sententias. Iuxta Hebræum habetur, Et dixit dominus ad Moysen, In ire tuo ad reuertendum in Aegy-
ptum, vide omnia prodigia quæ posui in manu tua, & facies ea coram Pharaone. Vbi clarè patet quod in litera
non dicitur tempus istius allocutionis diuinæ fuisse quando reuertebatur Moyses, sed litera sonat potius quod
prius fuerit ista allocutio, eo quòd monet vt in ipso itinere consideret Moyses omnia mirabilia posita in po-
testate ipsius Moysi. Et hoc ex textu habetur, quòd deus iam reuelauerat Moysi omnia mirabilia quæ facturus
erat in Aegypto. AVCTOR CATENAE. Dixítque ei dominus reuertenti in Aegyptum. Hebraicè
ita legitur hic locus, וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל מֹשֶׁה בְּלֶכְתְּךָ לָשׁוּב מִצְרַיְמָה Vaiómer iehoua el Mose, belechtecha lasub
mizráima. Et dixit, seu, dixerat autem dominus ad Moysen, Cùm ieris, seu perrexeris vt reuertaris in Aegy-
ptum. Et ita habet Chaldaica. Alij vertunt, cùm reuersus fueris in Aegyptum. Alij cùm ingressus fueris atque
reuersus in Aegyptum. Nonnulli, dum redeundo ieris in Aegyptum, vide, & cætera. Sic & Septuaginta, Εἶπε δὲ Κ
ύριος πρὸς μωϋσῆν, πορευομένῳ σοι καὶ ἀποστρέφοντος εἰς Αἴγυπτον, ὅρα. Dixit autem dominus ad Moysen, Abeunte
te & reuertente in Aegyptum, vide, & cætera. Quorum omnium vna est sententia, dixisse dominum ad Moy-
sen hæc verba, non dum reuerteretur in Aegyptum, sed quòd consideraret omnia portenta posita in manu sua,
vt faceret ea coram Pharaone, postquàm ipse ingressus fuisset Aegyptum. Verùm hoc parum est. Ostenta au-
tem dicuntur quæ Hebraicè sunt. מֹפְתִים Mophthim, hoc est, prodigia, vel portenta, & sunt mira quæ sua ma-
gnitudine portendunt. Est autem מוֹפֵת mopheth, idem ferè quod אוֹת oth, nisi quòd signum latiùs sese exten-
dit, quàm prodigium. Dicimus enim signum fœderis, signum vexilli, sed prodigium tantùm se extendit ad
portentum, quod non fit virtute naturæ. Quæ posui (inquit) in manu tua, id est, in potestate tua, & quæ pote-
ris cùm voles facere. Reuelatur igitur iterum deus Moysi, & renouat mandatum suum, de edendis miracu-
lis in Aegypto coram Pharaone, vt illud tenaciùs memoria teneat, nihílque prætermittat de his quæ sibi à do-
mino fuerint iussa, ad ipsius gloriam & magnificentiam in omnes gentes manifestandam. *Ego indurabo cor* L
*eius, & non dimittet populum.* AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Quotiens
*Serm. 88.* lectio ista recitatur fratres charissimi, in qua frequenter audimus cor Pharaonis dominum induratum esse, non so-
lum laicis, sed etiam aliquibus clericis solet scrupulum generare. Dicunt enim aliqui inter se. Cur enim ini-
quitas illa Pharaoni imputatur, cùm dominus cor illius obdurasse referatur? Et quia de hac re immundissi-
mi Manichæi sacrilego furore scripturam veteris testamenti reprehendere solent, Rogo vos fratres charissimi
diligenter attendite, quia etsi non quantum debemus, certè vel quantum possumus, breuiter volumus chari-
tati vestræ suggerere qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Primo hoc fideliter & firmiter credat
dilectio vestra, quia nunquam prius deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cùm enim & se-
mel, & secundo, & tertio, vnusquisque grauia peccata commiserit, expectat tamen illum deus, sicut per Pro-
phetam dicit, vt conuertatur & viuat. Cùm verò in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine pecca-
*Ezech. 33.* torum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes imprimis despi- M
ciunt peccata sua, quia parua sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum
*Prouer. 18.* faciunt, & demergunt. Quod cùm factum fuerit, impletur hoc quod scriptum est, Peccator cùm venerit in
*Rom. 12.* profundum malorum, contemnit. De talibus & Apostolus dicit, Ignoras quod patientia dei ad pœnitentiam
te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die
*Eccle. 30.* iræ. Et de tali obduratione etiam alibi legimus, Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit
*Vbi supra.* præceps. Et iterum de corrigendo filio scriptura loquitur. Vnde ait, Tunde latera filij tui dum infans est,
ne induret, & non consentiat tibi. Ista enim testimonia scripturarum ideo charitati vestræ insinuare volui,
vt intelligatis quòd & obduratio non dei potentia compellente perficitur, sed dei remissione vel indulgen-
tia generatur, ac sic Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse. Denique
quotiens



A quotiens eum dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At vbi ei remissio diuina indulgentiam dedit, iterum se
in superbiam elatus erexit. Hoc ergo diffinitissimè credite fratres, & hoc intelligite, quia quotiens dominus
dixit, Ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi ego (inquit) suspendo plagas meas & flagella,
vnde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed fortè aliquis dicat, Quare illum deus
parcendo indurari fecerit, & quare flagella remouerit? Hoc loco securus ego respondeo. Ideo deus totiens fla-
gella remouit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum non tanquam filius ad emendationem
meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. Tantæ enim illius iniquitates præcesserunt, & deum
totiens sacrilego ausu contempserunt, vt in illo impleretur quod de talibus spiritus sanctus dixit, In labore
hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & *Psal. 72.*
impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem castigari
B à domino non meretur. De illis autem quos indurari dei misericordia non permittit, Scriptum est, Flagellat *Heb. 12.*
deus omnem filium quem recipit. Et iterum, Ego quos amo, arguo & castigo. Et iterum, Quem enim diligit *Apoc. 3.*
dominus, corripit. De hac obduratione etiam Propheta ex persona populi ad dominum clamat, dicens, Indu- *Prouerb. 3.*
rasti cor nostrum, ne timeremus te. Quod vtique non est aliud, nisi deseruisti cor nostrum, ne conuerteremur *Esa. 63.*
ad te. Quam rem multis præcedentibus sacrilegiis in populo Iudæorum impletam esse cognouimus. Nemo
ergo cum Paganis aut Manichæis dei iustitiam reprehendere aut culpare præsumat, sed certissimè credat, quòd
Pharaonem non dei violentia, sed propria iniquitas, & indomabilis superbia contra dei præcepta totiens fe-
cerit obdurari. Quid est autem quod dixit, Ego indurabo cor eius, nisi cùm abfuerit gratia mea, obduret illum
nequitia sua? Et vt hoc euidentius possit agnosci, aliquam similitudinem de rebus visibilibus charitati vestræ
præponimus. Sicut enim quotiens nimio frigore aqua constringitur, solis calore superueniente resoluitur, &
discedente eodem sole, iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas multorum, &
C velut glacies obdurantur, & cùm eis iterum calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur. Ille vtique
calor, de quo scriptum est, Non est qui se abscondat à calore eius. Quod etiam erga Pharaonem impletum esse *Psal. 18.*
cognoscimus, à quo quotiens flagella remota sunt, contra deum se obduratus erexit, quotiens verò afflictus est,
humiliter supplicauit. Quare autem deus noster non omnes ita misericorditer flagellat, vt nullum contra se
obdurari permittat? Aut illorum iniquitati qui obdurari merentur, ascribendum est, aut ad inscrutabilia dei
iudicia referendum, quæ plerunque sunt occulta, nunquam tamen iniusta. Nobis ergo sufficiat piè & humi-
liter credere illud quod Apostolus dixit, Nunquid iniquitas apud deum? Absit. Et illud quod in cantico con- *Rom. 9.*
fueuimus psallere, Deus fidelis, in quo non est iniquitas. Vnde sicut iam superius suggessi de Pharaone, hoc *Deut. 32.*
sine aliqua dubitatione credamus, quòd eum non tam dei potentia, quàm dei patientia fecerit obdurari. Quan
rem etiam ipso confitente euidenter agnoscimus. Sic enim ipse cùm castigaretur, iustitia compellente pro-
fessus est, Dominus iustus, ego autem & populus meus impij. Qua ergo conscientia Christianus deum iniustum *Exod. 9.*
D esse conqueritur? Nam & in tantum non eum deus irreuocabiliter obdurauit, vt post decem plagas populum
dei non solùm dimitteret, sed etiam exire compelleret. Quod enim decem plagis percussus fecisse legitur, post
primam castigationem implere potuisse cognoscitur. Quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere con-
sueuimus, quos nimis delicatè, aut satis remissè nutriuimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus.
Cùm enim peiores de ipsa remissione redduntur, solemus ex his exprobrantes dicere, Ego te talem feci, ego
tibi parcendo proteruiam tuam negligentiámque nutriui. Et hæc non dicimus, quod ex voluntate nostra in
tantam sint superbiam deuoluti, sed quia magis de bonitate vel indulgentia nostra fuerint obdurati. Ita &
deus de Pharaone fecisse dignoscitur, dum ab illo pro ineffabili bonitate plagas suspendit, ille obdurato cor-
de contra deum superbus erigitur. Ego vobis fratres charissimi hæc suggerendo, quasi indicula quædam dire-
cta & obscura insinuare curaui. Vos verò si pio & fideli animo sicut cosuestis, scripturæ diuinæ sacramenta
percipitis, domino donante plenius quod rei veritas habeat, cognoscitis. Nos verò fratres charissimi, qui in ve-
E ritate agnoscimus, quòd ex multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione obduratio gene-
ratur, secundum illud quod supra dictum est, Peccator cùm venerit in profundum malorum contemnit, *Pro. 18.*
quotiens nobis aliqua peccata surrepserint, sine vlla mora medicamentum eleemosynæ vel pœnitentiæ festine-
mus animarum nostrarum vulneribus prouidere. Vtiliter enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus
apponitur, & citò ad sanitatem vulnus reducitur, quod putrescere longa abusione non sinitur. Et ideo quo-
tienscunque delinquitur, peccata nostra iudices nos sentiant, non patronos, accusatores suos, & non defenso-
res esse cognoscant, secundum illud quod scriptum est, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum *Psal. 50*
contra me est semper. Tu agnosce, & deus ignoscit. Nam quo pacto deus dignetur ignoscere, quod in se homo
dedignatur agnoscere? Quomodo enim si aliqua plaga, aut aliquod vulnus in corpore nostro superuenerit,
sine aliqua mora medicamenta quærimus, & medicamenta apponere festinamus: ita & in animæ vulneribus
exercere debemus, ne fortè si plus de corporibus quàm de animæ salute solliciti fumus, iniusto iudicio ancil-
F lam dominæ præferentes, increpationem propheticam mereamur excipere, Homo (inquit) cùm in honore esset *Psal. 48.*
non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc enim nobis oportet, vt plus
de animæ quàm de corporis incolumitate cogitemus, & imaginem dei ita in nobis studeamus excolere, vt
ante tribunal æterni iudicis sine confusione venire possimus. GREGORIVS VNDECIMO MO- *Cap. 5.*
RALIVM. Ego indurabo cor eius. Obdurare quippe per iustitiam dicitur deus, quando cor reprobum per
gratiam non emollit. DIODORVS. Ego indurabo cor Pharaonis. Ab adhortatione incœpit deus, dein-
de postquam Pharao credere, eique obtemperare recusauit, mediocres in illum plagas induxit. Sic igitur
dum parcit deus, indurat, idque Moyse precante vt à flagellis temperaret. Nam & Moysen à deo exaudi-
ri par erat, vt ostenderetur Moysen maximum prophetam à deo missum. Quod tamen Pharaonem ma-
gis ac magis durum reddidit. Increduli nanque dum castigantur, sese remittunt, dum verò à flagellis li-
beri fiunt, in duritia sua persistunt. Deus itaque sua clementia ac benignitate Pharaonem obstinatum reddidit.

Neque tamen deum à flagellis incipere operæpretium erat, ne durus atque immitis videretur. Satius enim G fuit Pharaonis incredulitatem dei benignitate declarari, quàm nimia ſeueritate illius miſereri, ſed deum calumniari quòd à benignitate non cœpiſſet. THEODORETVS. Facillimum deo erat poſt primam Pharaonis contumaciam atque incredulitatem funditùs illum perdere, Verùm ineffabili longanimitate vſus mediocri illum caſtigatione ad ſanitatem redigere volebat. Hæc verò illum magis renitentem reddebat. Dum enim deum nullis maioribus plagis vti poſſe exiſtimat, mediocria iſta flagella contemnit. Atque hæc ita ſeſe habere hiſtoria manifeſtè declarat. Primo enim cùm diuina illa verba audiſſet, Emitte populum meum vt mihi ſacrificent in deſerto, ſuſcipiens ait, Quis eſt dominus? non audiam vocem illius. Non noui dominum, & Iſraëlem non dimittam. Deinde virga in ſerpentem mutata, ait diuina ſcriptura, Et confirmauit ſe cor Pharaonis, & non exaudiuit eos, ſicut locutus fuerat dominus. Et ſtatim ſubdit, Dixit autem dominus ad Moyſen, Ingrauatum eſt cor Pharaonis vt non emittat populum. Vtraque verò voluntatem li- H beram declarant. Corroboratum eſt videlicet cor Pharaonis, & ingrauatum eſt cor Pharaonis. Ingrauatur quippe cor à malitia. Idq; nos admodum manifeſtè Dauid edocet, dicens, Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Zacharias quoque iniquitatem vidit plumbi talentum in ore ferentem. Cor verò contumacia præditum corroborari atque inualeſcere dicitur, dum deo obſiſtit, & illius potentiam ſuperare nititur. Contra verò cor pium deo ſeſe ſubiicit, propheticam adhortationem ſecutus, Subditus eſto domino, & ora eum. Reſiſtens verò & lapideum obdureſcit. Vnde vniuerſorum deus per Moyſen victorem cantum canens de Pharaone ex Aegyptiis, ait, Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Et rurſus, Deſcenderunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Nam quia cor ſuum grauauerunt, deſcenderunt quaſi lapis, quoniam verò obdurauerunt, deſcenderunt in profundum quaſi lapis. Cæterùm quòd deo aduerſari, & duri cordis eſſe, iram atque vltionem diuinam incurrat, teſtatur Apoſtolus, dicens, An ignoras quòd benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiem tuam atque impœnitentiam the- I ſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis & iuſti iudicij dei, qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. Ad hæc illud conſiderandum eſt, quòd ſi naturâ malus Pharao fuiſſet, neutiquã ſententiam mutaſſet. At verò videmus illum flagellis emolliri, longanimitate verò obdureſcere. Caſtigatus enim legiſlatori ſupplicabat, Orate pro me, dicens: & rurſus, Dominus iuſtus, Ego verò & populus meus impius. Vltione autem ceſſante, indurabatur & aggrauabatur, & mandatis diuinis contradicebat. Ac rurſus cùm omne muſcarum genus Aegyptum inuaſiſſet, vt in deſertum proficiſcerentur, deóque ſacrificarent conceſsit, Moyſe verò precante cùm muſcarum plaga ceſſaſſet, ſtatim cor illius ingrauatum eſt. Idem etiam in iumentorum interitu atque aliis plagis fecit, in his omnibus voluntatem ſuam liberam eſſe oſtendens, idque cùm etiam ipſius Magi diuinam potentiam confeſsi eſſent. Quod verò dictum eſt, Et induratum eſt cor Pharaonis ſicut locutus eſt dominus Moyſi, dei præſcientiam declarat, perinde quaſi diceret, Nihil horum latebat vniuerſorum deum, ſed id omne à principio prædixit. Hæc à me dicta ſunt, vt oſtenderem & Pharaonem liberæ voluntatis fuiſſe, & deum haudqua- K quam Pharaonis cor induraſſe. Vt verò hæc ſimilitudine quadam à nobis explicentur, Sol iſte caloris ſui vi ceram quidem humidam, lutum verò ſiccum reddit, & hanc mollem, illud durum efficit. Quemadmodum igitur hic ſol vna atque eadem vi, contraria inter ſe efficit: conſimiliter ex dei longanimitate alij vtilitatem ac fructum, alij detrimentum damnúmque accipiunt. Itémque hi emolliuntur, illi obdureſcunt. Id ipſum & dominus in euangeliis declarauit, In iudicium (inquit) veni in mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Hoc verò neutiquam dei propoſitum eſſe ſignificat, neque enim huiuſce rei gratia venit, ſed id quod erat oſtendit: Ipſe enim omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Verùm quia humana natura libero arbitrio prædita eſt, qui crediderunt, ſalutem conſequuti ſunt, qui ſecus à ſalute hoſpites atque alieni effecti ſunt. Hac ratione Iudas quum prius cerneret, Apoſtolus enim erat, poſtmodum oculos mentis amiſit. Contrà diuinus Paulus quum priùs cæcus eſſet, poſteà lumen recepit. Atque ita factum eſt, vt domino apparente, plurimi Iudæorum occæcati ſint, Gentes verò illuminatæ ſint. Neque verò, quia futurum L erat, vt multi minimè crederent, ideo dominum hominem aſſumere non debuiſſe, id enim totum orbem terrarum ſalute priuaſſet. Ad hunc modum & diuiniſsimus ille Simeon ait, Ecce iſte poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur. Illud quoque ſciendum eſt, quòd præſentem vitam vniuerſorum deus ſtadium eſſe hominibus oſtendit, vt in hoc ſtadio certantes proprium vnuſquiſque propoſitum declaret. At verò deus ipſe in futuro ſeculo cùm iuſtum iudicium fecerit, hos quidem vt victores athletas coronabit, hos verò ſupplicio ſempiterno condemnabit, vtpote qui vitam male atque peruerſe egerint. Sed quoniam non omnes futuram vitam fore credunt, ſapienter admodum vniuerſorum deus & quoſdam male viuentes hoc in ſeculo punit, quorundam verò è contrario virtutes pietatémque teſtificatur. Huiuſce rei cauſa diuiniſsimus Apoſtolus alios vaſa iræ, alios vaſa miſericordiæ nominauit, quia & illos puniendo iuſtitiam ſuam deus declarat, hos verò cura ſua ac prouidentia gubernando, miſericordiam ſuam manifeſtè declarat, vt qui in virtutis ſtadio ſeſe diligenter atque legitimè exercuerint. Quin etiam cuique facile M videre licet, Medicos cùm ſectione aut aduſtione vtũtur, occultos humores, & difficiles morbos ſummouente atque educente, & latẽtes effectus aperire: Eadem ratione vniuerſorũ deus cogitationes malas in lucem profert, dum caſtigat, hoc enim in Deuteronomio ad Iſraëlem dicit, Et recordaberis cũcti itineris per quod adduxit te dominus deus tuus quadraginta annis per deſertũ, vt affligeret te, atque tẽtaret, & nota fierẽt quæ in tuo animo verſabantur, vtrũ cuſtodires mãdata illius an non. Rurſus quemadmodũ Medici eos qui immedicabili morbo vexantur, coram multis ſecare ſolent, non tantũ vt iis auxiliũ atque opem aliquã ferant, optimè enim morbum illorum inſanabilem eſſe ſciunt, ſed vt diſcipulis ſuis medendi rationem hoc pacto oſtendant. Sic Pharaonem immaniſsima atque ferina mente præditum, deus variis atque omnigenis ſuppliciis ac plagis affecit, vniuerſos hac ratione homines docens, ſe illũ vnum eſſe qui hominem à ſe creatum dirigat atque gubernet, iiſque qui iniuria afficiuntur, opẽ iuſtè ferat, itemq; eos qui iniurij ſunt, iuſtè vlciſcatur. Hoc enim & ad ipſum Pharaonẽ ait,

Idcirco



A Idcirco ſeruatus es, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuerſa terra. Quòd verò rerum circa Pharaonem à deo geſtarum fama in omnem terram emanauerit, teſtatur Raab meretrix quæ exploratoribus ait, Timor veſter, & tremor veſter cecidit ſuper nos. Audiuimus enim quemadmodum dominus deus veſter rubrum mare exiccauerit ante vos. Teſtãtur & Philiſtiim, qui cùm arcam longè cernerent, clamabant, Væ nobis Philiſtiim, hic eſt deus qui percuſsit Aegyptum. Sed quæritur cùm deus Pharaonis incredulitatem præſcierit, cur illum antea non puniuit? Quòd enim præſcierit, declarat, cùm ait, Noui enim quòd non dimittet vos Pharao rex Aegypti niſi per manum validam, extendénſque manũ percutiã Aegyptios. Pius tamen ac bonus dominus neminem ex ſola præſcientia punire ſuſtinet, ſed rerum finem expectat, iuſtitiámque vltionis diuinæ omnibus indicat. Atque etiam illius malitiam prius exercitam fuiſſe, quàm puniretur, iuſtitiam dei vel maximè commendat. Nam ſi antequam illum argueret vltus eſſet, & crudelis & iniuſtus
B quibuſdam videri potuiſſet. At verò nunc & dei æquanimitas, & illius feritas atque impietas conuicta eſt. RABANVS. Quomodo hîc dominus dicit, Indurabo cor eius, & non dimittet populum, cùm Apoſtolus taliter de eo referat, dicens, Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire? Indurare ergo dominus Pharaonem dicitur, non quòd ipſe eum durabilem & inobedientem faciat, ſed quòd induratum, ne eum corrigat, iuſto iudicio derelinquat. INTERLINEARIS. Et perinde eſt dicere, ego indurabo cor eius, ac ſi diceret, indurari permittam. RVPERTVS. Homini qualem ignorat Apoſtolus, imò qui in Apoſtolo loquitur Chriſtus, dicens, O homo tu quis es qui reſpondeas deo, nunquid dicit figmen- *Rom.9.*
tum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? & cætera. Homini (inquam) id eſt, ſecundum carnem ſapienti, ſcrupulum fecit & ſuſpitionem generauit hic locus, vbi cùm dixiſſet deus, Vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua facias coram Pharaone, continuò ſubiunxit, Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dicit enim, Quid ergo adhuc queritur? Voluntati eius quis reſiſtit? Verùm hic talis idcirco offendit, quia flammæ eiuſ-
C dem quæ illic apparuit Moyſi, diuinam lucem non attendit, vt ſciat quid ſibi deſit. Deeſt enim quod quærat, prius quàm ſuam, quæ prædicta eſt, querelam proferat, videlicet vt quando dicit deus, Ego indurabo, modum indurationis non penitùs ignoret homo, id eſt, quid agente deo duratus fuerit Pharao. Quid enim? Nunquid iniquitas apud dominum? Nunquid gloriam ſuam quærens deus, cor Pharaonis, quod prius tenerum fuerit, induraſſe putabitur, vt per occaſionem duritiæ eius, ipſe mirabilia faciendo glorificaretur? Abſit. Non hoc ſenſu accipiat homo dixiſſe deum, indurabo. Sed enim ille oderat filios Iſraël, omnéſque Aegyptij vt ſuprà dictum fuit, & ipſum odium ſurrexerat ex inuidia dicentium, Ecce populus filiorum Iſraël multus & fortior nobis eſt; *Exod.1.*
& cætera. Nec enim aliter iuxta Pſalmiſtam, Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, niſi dum benedicit, & multiplicat populum ſuum, cor eorum inuidens profecit. Immo conuerſum eſt in aſperum odium. Eſt *Pſal. 104.*
autem inuidiæ vel odij proprium, vt quanto eis, quibus inuidetur, maiora conferuntur beneficia, tanto magis ipſa inuidia vel odium confirmetur. Siquidem quo amplius ſplendeſcit cui inuidetur, tanto magis indureſcit,
D atque vritur inuidus. Plena ſunt libri talium exemplis. Veruntamen vel vnum proferamus exemplum. Pulſatus deus eſt à propheta dicente, Quare feciſti nos domine errare à viis tuis, & quare cor noſtrum induraſti, ne *Eſa.63.*
timeremus te? Primùm hoc modo reſpondet eidem prophetæ, Quæſierunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt me, qui non quæſierunt. Deinde dicit & patri filius dei, Ecce ego, ecce ego ad gentem quæ non in- *Ibidem.65.*
uocabat nomen meum. Nempe idem eſt, ac ſi dicat, In eo feci vos ô Iudæi de viis meis errare, & in eo cor veſtrum induraui ne timeretis me. In eo (inquam) quòd non à quærentibus me gentibus inueniri volui, quarum ſalutem vos odio habetis. Nam propter odium illorum vos indurati eſtis, & eos in via ſocios habere non ferentes, auerſi eſtis. Ita licet aliud intendens, ego vos errare feci de viis meis, & cor veſtrum induraui. Igitur dum dicit deus, Ego indurabo cor Pharaonis, ſubaudiendum eſt, non eum corrumpendo, ſed filios Iſraël quos iniquè odit ipſe, compatienti charitate viſitando. Hoc enim ego quidem facio intentione charitatis, ſed illi inuidenti proficiet ad duritiem cordis, ad incrementum odij. Sic vno eodémque ſolis iucundo lumine, & gla-
E cies dura liqueſcit, & lutum molle dureſcit. Idcirco ſæpius quidem ſic dicitur in ſequentibus, Indurauítque dominus cor Pharaonis, & non dimiſit populum, ſed & nonnunquam ſic habes, quia ipſe Pharao indurauit cor *Cap.9.*
ſuum. THOMAS SVPER EPISTOLAM AD ROMANOS. Ego indurabo cor Pharaonis. *lect. 3. circa finem.*
Circa hanc indurationem videtur eſſe duplex dubitatio, primò quidem, quia duritia cordis ad culpam pertinere videtur, ſecundum illud Eccleſiaſtici tertio, Cor durum male habebit in nouiſsimo. Si ergo deus indurat, ſequitur quòd ſit auctor culpæ. Contra quod dicitur Iacobi primo, Deus intentator malorum eſt. Ad quod dicendum, quòd deus non dicitur indurare aliquos directè, quaſi in eis cauſet maliciam, ſed indirectè, in quantum ſcilicet ex his quæ facit in homine intus vel extra, homo ſumit occaſionem peccati, & hoc ipſe deus permittit. Vnde non dicitur indurare quaſi immittendo maliciam, ſed non apponendo gratiam. Secunda dubitatio eſt, quia ipſa obduratio non videtur diuinæ voluntati poſſe aſcribi, cùm ſcriptum ſit prima ad Theſſalonicenſes quarto, Hæc eſt voluntas dei, ſanctificatio veſtra. Et prima ad Timotheum ſecundo, Qui vult om-
F nes homines ſaluos fieri. Ad quod dicendum eſt, quòd tam miſericordia quàm iuſtitia diſpoſitionem voluntatis important: vnde ſicut miſeratio attribuitur diuinæ voluntati, ita & id quod eſt iuſtitiæ. Sic ergo intelligendum eſt cui vult miſeretur, ſcilicet per ſuam miſericordiam, & quem vult indurat, per ſuam iuſtitiam. Quia illi quos indurat, hoc merentur, vt indurentur ab ipſo. IDEM SVPER EPISTOLAM AD *Cap.3. lect. 2. poſt principium.*
HEBRAEOS. Cor durum ſonat in malum. Durum eſt quod non cedit, ſed reſiſtit impellenti. Et ſic dicitur cor hominis durum, quando non cedit diuinæ iuſsioni, Eccleſiaſtici tertio, Cor durum male habebit in nouiſsimo, Romanorum ſecundo, Secundum duritiam tuam & cor tuum impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ. Hæc autem induratio ex duobus cauſatur. Ex vno quaſi negatiuè, ſcilicet ex deo non apponente gratiam, Romanorum nono, Cuius vult deus miſeretur, & quem vult indurat. Ex alio verò poſitiuè, & hoc modo indurat ſe ipſum, non obediẽdo deo, & non aperiendo cor ſuum gratiæ, Zachariæ ſeptimo, Cor ſuum poſuerũt vt adamantem, ne audirẽt legẽ, & verba quæ miſit dominus exercituũ ſpiritu ſuo per manũ prophetarũ priorum.

CAIETANVS. Ego indurabo cor eius. Relinquendo ipsum sibi ipsi. Sic enim deus indurat animum, non G positiuè sed negatiuè. AVCTOR CATENAE. Solenne est in sacris literis, permissionem dei, actionem illius vocare, ita vt illa quæ deus permittit, eundem agere dicas, præsertim quando oppositum fieri non valet, nec res illa vitari potest nisi deo auxiliante. Itaque deus est causa indurationis & obstinationis, non directè influendo malitiam, aut culpam causando, sed indirectè, & quasi per accidens, inquantum iusto iudicio gratiam subtrahit, aut non confert. Quemadmodum sol recedendo ab hemisphærio nostro est causa frigoris & corruptionis, & nauta per suam absentiam est causa periclitationis nauigantium. Etenim dei solius est, mentem vitiosam ad pœnitentiam emollire, conuertere & saluare. Iuxta hunc modum loquendi Psalmista loquitur, Declinasti semitas nostras à via tua. Esaias quoque dicit deo, Quare nos errare fecisti à viis tuis, indurasti corda nostra, ne timeremus te? Sed in Ezechiele dominus protestatur, Propheta cùm errauerit, ego dominus decepi prophetam illum. Per quem loquendi modum innuitur, quòd sine opere & gratia dei nil boni habemus aut possumus. Id ergo est dicere, Indurabo cor Pharaonis, videlicet subtraham ab eo gratiam meam, quæ mollificare solet cor hominis. Vel ab obduratione in qua est, non liberabo, quod ipsum quidem & ad gloriam dei, & in bonum fidelium cedit. Mala quidem est pernicioſaque induratio impiis, sed bona deo & vtilis electis, cuius voluntatis diuinæ ratio imperscrutabilis est. Vt autem hæc melius intelligamus, Pharao erat homo impius, & peccatorum fascibus depressus. Vbi autem impio quem spiritus dei non immutat, nec eius gratia illuminat, proponitur verbum dei & miracula eius, ibi ille subinde magis ac magis impius redditur, idque non vitio verbi dei & miraculorum eius, sed vitio impietatis, quæ est in impio, & non potest ferre bona pietatis. Nam quemadmodum cæcutiens, quanto certiùs oculos suos in radios solis intendit, tanto magis excæcatur, non solis, sed imbecillium oculorum vitio: ita quanto maiora bona impio, qui spiritu dei intrinsecùs non immutatur, obiceris, tanto peior efficitur, non vitio bonorum, sed vitio impietatis suæ. Quare cùm dominus dicat, Ego indurabo cor Pharaonis, non habet hanc sententiam, Ego faciam Pharaonem peccare, sed ego obiiciam Pharaoni verbum meum & miracula mea, ex quibus ille cùm sit impius, magis ac magis indurabitur, sed hac induratione | ego bene vtar in gloriam nominis mei, vt illustrioribus miraculis vos ex Aegypto liberem. Confidite igitur, & nolite Pharaonis induratione moueri, quo minus vocationem meam sectemini. Dices autem, si deus nouit naturalem impietatem Pharaonis, & præuidit indurationem eius, cur non immutauit animum eius, vt verbo dei obsequeretur? Hæc quæstio nihil ad nos pertinet, sed reiicienda est ad imperscrutabilem maiestatem dei. Et audiendus est Paulus, Cui vult (inquiens) miseretur, & quem vult indurat. Et, ô homo tu quis es, qui ex aduerso respondes deo? Num dicit figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? An non habet potestatem figulus luti, vt ex eadem massa fingat, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Est & cum ipso exclamandum, O profunditatem diuitiarum & sapientiæ, & cognitionis dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Sciendum autem quòd induratio cordis dupliciter considerari potest. Vno modo inquantum est peccatum, Altero inquantum est quædam pœna peccati. Inquantum est peccatum deus non est eius causa, vt dictum est, sed liberum hominis arbitrium. Inquantum verò est pœna peccati, K quoniam in perpetrati peccati pœnam iustè subtrahit deus gratiam suam, cuius est cor molle reddere, qua subtracta humani cordis induratio sequitur in malo suo, deus est causa indurationis prædictæ. Cæterùm animus noster ex hoc loco in aduersis confirmandus est, ne auocemur aduersis à vocatione dei ad inobedientiam. Nam quemadmodum deus prædicit Moysi & Israëlitis, quæ mala ipsis euentura sint priusquam ex Aegypto egrediantur, & prædicit ea, non vt deterreat ipsos à vocatione dei, sed potius vt retineantur in ea, & meminerint hæc mala non nisi permittente deo euenire, vt gloria dei illustrior, & salus ipsorum nobilior reddatur: ita quæcunque aduersa accidunt nobis ambulantibus in via dei, non accidunt nobis ignorante deo, non enim cadit capillus de capite nostro sine voluntate patris: sed accidunt deo optimè sciente, & beneuolenter permittente, vt quo maiora sunt aduersa, eo gloriosior sit liberatio. Sequitur, & non dimittet populum. Subaudi nisi post multas plagas & flagella ei per me inflicta. Alij esse Hebraismum dicunt, ac &, poni pro vt. Essèque sensum, ex L hac induratione fiet, vt non dimittat populum Pharao. *Dicésque ad eum, Hæc dicit dominus, Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* HILARIVS DVODECIMO DE TRINITATE. Nunquid pictori pictura filius, aut gladius fabro filius, aut architecto domus filius? Hæc enim opera efficientium sunt, at verò patri solus qui ex eo nascitur, filius est. Et nos quidem filij deo, sed per facturam filij. Fuimus enim aliquando filij iracundiæ. Sed filij deo per spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potius, quàm nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit, nos cùm filij non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filij non eramus, sed postquam meruimus hoc, sumus. Sumus autem non nati, sed facti, neque generati, sed acquisiti. Acquisiuit enim sibi deus populum, & per hoc genuit. Genuisse autem deum filios, nunquam cum proprietatis significatione cognoscimus. Non enim ait, filios meos genui & exaltaui, sed hoc tantum, filios genui & exaltaui. Nisi fortè in eo quod ait, Filius primogenitus meus Israël, quisquam hoc quod primogenitus meus dixit, ad detrahendam filio proprietatem M generationis intelliget, vt quia & de Israël dixerit meus, assumptio factorum filiorum pro natiuitatis proprietate vsurpata sit. Et idcirco non sit natiuitati dei proprium, quod de eo dictum est, Hic est filius meus dilectus, cùm meus etiam illis proprium esse dicatur, quos non natos esse manifestum est. Non natos autem esse, licet nati esse dicantur, vel eo docetur, cùm dicitur, Populus qui nascetur, quem fecit dominus. Ergo populus Israël nascetur vt fiat. Neque per id quod nasci dicitur, non intelligitur & fieri. Ex adoptione enim est filius, non ex generatione, neque ei proprietas, sed nuncupatio est. Nam licet primogenitus meus de eo scriptum sit, longè tamen multúmque differt, filius meus dilectus, & filius primogenitus meus. Vbi enim natiuitas est, ibi filius meus dilectus. Vbi verò electio ex gentibus est, & adoptio per voluntatem est, ibi filius primogenitus meus. Hîc quod suus est, ad primogenitum est, illic quod suus est, ad filium est: & in natiuitate filij primũ suus est, & sic dilectus. In electione primùm primogenitus, & sic postea suus. Vt adoptato ex omnibus populis filio Israël, proprium

*Psal.43. Esa.63. Ezech. 14.*



A proprium esset, quod primogenitus est. Nato verò vnigenito deo, manifestum sit, proprium esse quòd filius sit. Non est itaque vera & perfecta natiuitas, vbi deputatur magis quàm generatur, quia non ambiguum est eum populum qui in filium nascatur, & fieri. Quod autem fit, cùm non fuisset, & per id quod factum est, dicitur nasci, non est in eo vera natiuitas, qui antè aliud quàm natum est fuerit. Et idcirco fuit antequàm nasceretur, id est, antequàm fieret, quia qui ex gentibus filius est, gens est, antequàm filius est, ac per id non verè filius, quia non semper filius. Vnigenitus autem deus, neque fuit aliquando non filius, neque fuit aliquid antequàm filius, neque quicquam aliud ipse nisi filius. Atque ita qui semper est filius, non reliquit id de se intelligentiæ, ne aliquando non fuerit. HIERONYMVS SVPER ESAIAM. Filius primogenitus meus Israël. Populum Israël quos seruos communi lege condiderat, in filios vertit. Denique & dominus in Euangelio apostolis repromittit, quòd si fecerint voluntatem eius, iam non appellet eos seruos, sed amicos. Quòd si superbierit Israël, audiens se esse primogenitum, intelligat primogenitum idcirco se dici, quia secundi filij significetur ex gentibus. Non enim appellatur vnigenitus, qui excludat cæteros fratres: sed primogenitus, vt monstret & alios sequuturos: & tamen iuxta mysteria scripturarum, non primogeniti accipiunt hæreditatem, sed secundi. Primogenitus fuit Cain, sed Abel munera placuerunt deo. Primogenitus Ismaël, sed Isaac accepit hæreditatem. Primogenitus Esau, sed benedictionem patris Iacob supplantator præripuit. Primogenitus Ruben, sed tamen benedictio seminis Christi transfertur ad Iudam. Itaque illi iuxta vocationis ordinem primi fuerunt, & appellabantur caput: nos secundi qui dicebamur cauda, versi sumus in caput, & dei appellamur filij. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Nec accepimus spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater, quia perfecta dilectio foras mittit timorẽ. RABANVS. Filium primogenitum Israël vocat, quia in Patriarchis primus electus est, ad vnius dei fidem, & notitiam, ac legem literæ percipiendam, postea quidem per Euangelium Gentes ad fidem Christi conuocandæ erãt. INTERLINEARIS. Et quia primitiua Ecclesia de Iudæis. RVPERTVS. Cùm (inquit) omnia ostenta quæ posui in manu tua feceris coram Pharaone, & ille indurato corde non dimiserit populum, tandem dices ad eum, Filius meus primogenitus Israël, & cætera. Quanuis etiam si solus esset dei populus ille Israël, posset tamen dici primogenitus, sed non è conuerso, Omnis primogenitus vnigenitus. Hoc quod dicit, filius meus primogenitus Israël, minoris filij, scilicet respectu gentilis populi dictum oportet intelligi. Et iusta quidem comparatione populo illi pro parte electorum concedimus omne priuilegium primogeniti, quibus (vt Apostolus dicit) credita sunt eloquia dei, quorum est adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in secula. Verùm vbi primogenitus iste iuniori fratri inuidet, & odio eius cæcatus, offendit in lapidem offensionis & petram scandali, intrare non vult in domum patris, pro eo quòd frater suus venit, & pater lætus vitulum saginatum occidit illi: vbi (inquam) sic agit primogenitus, talem illum fatemur primogenitum, qualis fuit Cain, qualis Ismaël, qualis Esau. Notandum quippe, quòd præter Sem primogenitum Noe, cunctos fere Patriarcharum primogenitos, aut propria nequitia destruxit, aut diuina auctoritas iunioribus postposuit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Dicésque ad eum, Hæc dicit dominus, & cætera. Hæc sunt ea quæ Moyses dixit Pharaoni in vltima plaga, vnde ponit hîc verba præteriti temporis, quibus significatur præcessisse alias comminationes, vt est, dixi tibi, & noluisti. His verbis in vltima plaga exprobrat ei contemptum dei in præcedentibus admonitionibus. CAIETANVS. Filius quidem adoptione, primogenitus autem inter populos. Nullum enim populum adoptauit deus ante adoptionem populi Israël. Dicit tamen genitum, eo quòd non prius fuit populus, & deinde adoptatus in filium, sed adoptio populi facta est adhuc populo existente in patrum lumbis, Abrahæ, Isaac, & Iacob, & propterea populus, genitus est iam adoptatus in filium, & recto ordine dicitur filius meus, primogenitus meus Israël Ex eo autem quod ait, Ego interficiam filium tuum primogenitum, clarè apparet, quòd terminum legationis reuelat ac docet. Postremus enim sermo Moysi ad Pharaonem fuit de morte primogenitorum. Et reuelauit hæc, ad manifestandum quòd induratio Pharaonis ad dimittendum populum, perseuerabit vsque ad cladem primogenitorum. AVCTOR CATENAE. Filius meus primogenitus Israël. Ac si dicat, ex omnibus mortalibus hunc mihi delegi populum, qui dignior cunctis est, & cui maiora bona reseruantur. Respicit autem ad promissionem Abrahæ dictam, Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim deus tuus & seminis tui post te. Et mox, Ero deus eorum. Fideles autem, & fideliũ filij, & nepotes, primogeniti dei dicuntur, quia apud deum electi ante mundi constitutionem, & benedicti, quorum etiam specialem deus curam agere videtur. A quibus amari vult amore filiali. Quos qui offendit, pupillam domini offendit. In quos collata beneficia quasi deo exhibita munerabũtur, & qui spernit eos, deũ spernit. Dixi tibi, dimitte filiũ meũ, & cætera. Tibi refertur non ad Moysen, sed ad Pharaonem, cui iterum atq; iterũ deus mãdat Israëlitici populi manumissionem, vt fiat induratus & inobediens domino, tanto inexcusabilior. Maximam plagam inobedientiæ quam illaturus erat primum comminatur, quo magis terreat, & tam clementia dei, quàm Pharaonis improbitas clarior appareat. Quod etiam dicitur, Dixi tibi, dimitte, aliqui sic exponunt, Ego dico tibi vt dimittas filium meum, & si nolueris, occidam primogenitum tuum. Hoc autem postea impletum est, non tantùm in primogenito Pharaonis, sed etiam in omnibus primogenitis Aegypti, quemadmodum scribitur capite vndecimo. Significat autem se hoc miraculo (cùm opponit inter se ex antitheſi Israëlem & Aegyptios) manifestè declaraturum, ac tanquam cœlesti signaculo comprobaturum quòd non Aegyptius, sed Israël sit populus dei electus, & quòd ad Israëlem pertineant iura cœlestis primogenituræ. Ac talis quidem populus fuit Israël ante aduẽtum Iesu Christi, postquàm autem venit Christus, & Euangelium eius in toto orbe terrarum reuelatum est, Israël electus est è iure primogenituræ, & gentes incircunciſæ assumptæ sunt in populum dei, & in ius primogenituræ, quemadmodum Prophetæ vaticinati sunt, & Paulus ad Romanos capite nono, decimo & vndecimo, copiosè explicat.

*Cap.1. Ioan.15.*

*Gene.4.*

*Ioan.1. Rom.8.*

*Rom.3.*

*Luc.15.*

Alij

Alij interficiam primogenitum tuum, exponunt, id est, electa, præcipua, & pretiosa tua omnia perdam. Occi- G sio autem primogenitorum vltima fuit & maxima, præter submersionem in mari rubro.

*Mysticè.* GRAECVS. Quod ait, Vade, mortui sunt enim qui quærebant animam tuam, Hoc & beato Ioseph beatæ Mariæ viro Angelus dixit. Ex quibus omnibus satis ostenditur, Moysen Christi typum fuisse. INTERLINEARIS. In eo verò quod Moyses tulit vxorem suam & filios, ac super asinum imposuit, spiritaliter dominum nostrum figurat Iesum Christum, qui Ecclesiam & singulos sanctos, super seipsum qui est asinus fortis, qui peccata nostra portauit, vt stultitiam & lasciuiam carnis suæ opprimerent, imposuit.

4 *VMque esset in itinere in diuersorio, occurrit ei dominus, & uolebat occidere eum. Tulit ilico Sephora acutißimam petram, & circuncidit præputium filij sui. Tetigítque pedes eius, & ait, Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquàm dixerat, sponsus sanguinum tu mihi es* H *ob circuncisionem.*

4 GREGORIVS NYSSENVS. Descendente Moyse in Aegyptum, adducentéque secum vxorem alienigenam, & liberos sibi ex ea natos, Angelus obuiam factus, timorem mortis ei intulisse fertur. Quem mulier circuncisionis filij sanguine facilè placauit. Vnde sequitur sacra dei historia. *Cùm esset in itinere in diuersorio, occurrit ei dominus, & volebat occidere eum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER

*Quæst.21.* EXODVM. Alia litera habet, Et factum est in via ad refectionem obuiauit ei Angelus, & quærebat eum occidere. Primùm quæritur, quem volebat Angelus occidere, vtrum Moysen, quia dictum est, occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere. Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi qui vniuerso suorum comitatui præfuit, & à quo cæteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui mater circuncidendo subuenit, vt ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circuncisus, atque ita sancire præceptum circun- I cisionis, seueritate vindictæ? Quod si ita est, incertũ est prius, de quo dixerit, quærebat eum occidere, quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus reperiatur, mira sanè locutione & inusitata, vt prius diceret, occurrit ei, &

*Psalm. 86.* quærebat eum occidere, de quo nihil antea dixerat. Sed talis est in Psalmo, Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit dominus portas Sion. Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo vel de illa dixerat, cuius fundamenta voluit intelligi, dicens, Fundaméta eius in montibus sanctis. Sed quia sequitur, Diligit dominus portas Sion, fundamenta vel Domini vel Sion, & ad facilioré sensum magis Sion, vt fundamenta ciuitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est eius, genus ambiguum est, Omnis enim generis est hoc pronomen, id est, & masculini, & fœminini, & neutri: in Græco autẽ in fœminino genere dicitur αὐτῆς, & habet codex Græcus αὐτοῦ, cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta domini, id est, quæ constituit dominus, de quo dictum est, ædificãs Hierusalẽ dñs. Nec Sion tamen, nec dominũ antea nominauerat, cùm diceret, Funda- K menta eius in montibus sanctis, sic & hîc nondum nominato infante, dictum est, Occurrit ei, & quærebat eum occidere, vt de quo dixerit, in consequentibus agnoscamus, quanquam & si de Moyse accipere quisquam vo-

*Serm.86.* luerit, non est magnoperè resistendum. IDEM IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Forsitan enim in hoc loco possumus intelligere, quòd displicuerit deo quare Moyses tanta mirabilia facturus, vxoris impedimentum secum ducere vellet in Aegyptum. Vnde datur intelligi, quòd ex illo loco remiserit vxorem suam ad socerum suum. Nam in tantum sine illa descendit in Aegyptum, vt postea iam in eremo constituto Moysi, ipsam vxorem suam (sicut legimus) Iethro cognatus suus adduxerit. INTERLINEARIS. Quod ergo ait, occurrit ei dominus, & voluit occidere eum, vel de Moyse, vel de infante incircunciso intelligitur. THEODORETVS. Angelus Moysen interficere volebat. Vxor verò Moysi suspicata huiusce iræ causam esse, quòd filium alterum è filiis suis incircuncisum reliquisset, legémque Hebræorum præuaricata fuisset, confestim filium suum circuncidit. Nonnulli verò tradunt in causa fuisse, quòd cùm ad li- L berandos sui generis ac gentes homines missus esset, comitem itineris sui vxorem habere voluerit. Hi sibi considerandum esse existiment, id Moysen necessariò fecisse, ne videlicet socer eius in suspitionem veniret, aliam vxorem in matrimonium sibi copulare velle, priorémque contemptui habere, sed sciret Moysen sine contemptione vxoris suæ diuino mandato obtemperare, statim igitur sumpta Angeli occasione, vxorem suam domum patris sui remeare iussit. Quódque hæc ita se se habeant, manifestè historia docet. Nam post egressionem ex Aegypto, quum mare rubrum transissent, atque in Sina montem peruenissent, Socer Moysi ad illum vnà cum filia sua ipsius vxore aduenit. Aliquid ergo aliud sibi Angelus volens, gladium nudatum ostendit. Nam quia magnus Moyses Pharaonem formidabat, ac sæpenumero formidinem hanc declarauerat, modò dicens, Quis sum ego vt eam ad Pharaonem regem Aegypti? modò, Mitte alium quem missurus es: & rursus, Tenui voce tardáque lingua ego sum, idcirco supplicium illi Angelus comminatur, timore timorem expellens, itémque maiori minorem. Perinde quasi per nudatum gladium diceret, Pharaonem times, magis me time, qui nemine cernente, plagam tibi facilè inferre possum. ISIDO- M RVS PELVSIOTA. Angelus Moysi in Aegyptum descẽdenti obuiã factus, illúmque interficere volens, non vt homicidium quod iam antea ab illo patratum fuerat vlciscetur, gladium aduersum illum intendit, sed vt illum in crimen vocans quod legem transgressus esset. Nam cùm à deo in latorem legis electus esset, illámque omni diligentia seruare deberet, illam primus transgressus est, incircuncisos liberos in Aegyptum ferens, idque mandatum illud euacuans, quo solo Iudæi à cæteris gentibus distinguebantur. Postquàm autem vxor eius Sephora peccati velut conscia lapide accepto filium circuncidit, & ad Angeli pedes procidit, statímque ipse discesit, illud diuinę indignationis causam fuisse arbitratus est, quòd vxoris fides coniecerat. DIO- DORVS. Non video quo pacto Angelus Moysen occidere voluerit. Nonnulli existimant Moysen id ab Angelo fieri putasse, quòd negligenter se gereret in eductione populi Israël ex Aegypto, secúmque impedimenta, hoc est, vxorem liberósque asportaret, atque ideo illam cum liberis domum suam remisisse, vxorem verò Sephoram



A phoram aliam huius indignationis causam suspicatam fuisse, quia scilicet Moyses liberos suos non circunci- disset, quam suspicionem Angelus confirmasse videri potest, qui auditis verbis Sephoræ, Stetit sanguis circunciſi filij mei, continuò discesit. Enimuero si id verum est, quod Sephoræ in suspicionem venit, non video qua ratione Angelus altero filio non circuncisо discesserit. Ad hæc si hac de causa Moyses occidendus erat, quòd filios non circuncidisset, quamobrem filios Hebræorum in deserto natos non circuncidit? Sed nimirum id totum, ea de causa factum est, vt Moyses qui Pharaonis timore correptus erat, adeò vt mittenti se deo diceret, Obsecro domine mitte alium quem missurus es, tanquam ab Angelo interficiendus, mortis suę discrimen quod euaserat secum in mente circunferret, & timor vehemens quem illi Angelus incusserat, Pharaonis timorem vt clauus clauum truderet. Neque verò mirum cuiquam videri debet, causam hanc ab Angelo

B ga Balaam Angelus fecit, primò quidem cùm à Balac accersitus esset proficisci verens, postquàm verò in petitione Balac perstabat, vt abiret promisit quidem, sed cùm in via esset, illum gladio educto quasi occidere vellet, timore perculsit, non vt illum occideret, sed vt à muneribus ac voluntate regis Balac alienum atque auersum efficeret, & ad obtemperandum deo promptiorem redderet, & per causam alinæ quæ de via declinauerat, ait Angelus se illum non occidisse, cùm tamen illum occidere minimè in animo haberet, sed tantummodo illi diuinum timorem incutere. EVSEBIVS. Propterea Angelus Moysen interficere volebat, quòd secum vxorem ac liberos ferret, quasi egressionem ex Aegypto minimè crederet, sed auditis Angeli comminationibus ad socerum illam remisit. Quòd verò hac de causa id factum sit, non quia filios non circunciderat, hinc liquidò colligi potest, quòd eos qui in deserto nati sunt, incircuncisos reliquit. Non est igitur cur de circunciſione Iudæi se magnificè iactent. EVSEBIVS EMESENVS. Hoc loco exultat Iudæus, &

C ait, Circuncidit mulier filium, neque tamen Moyses occisus est, tantum circuncisio potest. Verù ô Iudæi, si vnius filij circuncisio patris corpus seruauit, quare factum est, vt alterius præputium patrem non læserit? Nam si circuncisio in causa fuisset vt propheta non occideretur, nulla profectò ratione in deserto natos incircuncisos reliquisset, sed hanc causam fuisse vxor ipsa coniecit, sed id factum est, quia secum vxorem cum filiis ferebat, quare & illam ad socerum remisit. RVPERTVS. Et volebat (inquit) occidere eum. Quare? Quia filios suos non circunciderat. Verùm hoc obsistente vxore alienigena facere nequiuerat in terra alienigena, in terra non sua. Igitur videns Sephora volebat dominus occidere eum, vt qua ratione noluerat adduci, præsentia periculi cognosceret salutare esse semini Abrahæ, omne masculinum eius circuncidi. CAIETA- NVS. Cúmque esset in itinere in diuersorio occurrit ei dominus, & volebat occidere eum. Nomen est tetragrammaton, ad contestandum quòd quanuis summus sit, ad ima tamen in sensibili specie hominis armati tanquam quærentis occidere Moysen, descendere non aspernatur. AVCTOR CATENAE. Licet textus habeat vt vertit Interpres וַיִּפְגְּשֵׁהוּ יְהוָה Vaiphgeſehu iehoua, Et occurrit illi dominus, Septuaginta ta-

D men alio modo verterunt, συνήντησεν αὐτῷ ἄγγελος κυρίου, occurrit illi Angelus domini, quod & Chaldaica habet editio. Nam promiscuè loquũtur sacræ literæ, eodem nomine tum deum, tum angelos appellantes. Et tolerari potest, vt Angelus sumpta viri forma minaretur Moysi, quod fortè de deo non posset une perturbatione cogitari. Et hoc modo exponunt ferè omnes Hebræi, dicúntque Moysen grauissimo morbo fuisse correptum propter omissam filij circuncisionem quem ex Madianitide muliere susceperat, saltem cum peruenisset in diuersorium. Cæteri verò interpretes alij deum, alij angelum verterunt, & causam occisionis afferunt, quòd secum vxorem duceret & filios, cùm ad tantum dei opus pergeret, qui sibi impedimento omnino essent futuri. Vel quia cum timore magno ad Pharaonem proficiscebatur. Cùm igitur esset Moyses in diuersorio in itinere cùm vxore & liberis, contigit vt ei occurreret dominus, seu Angelus domini ab eo missus, & dei per-

E sonam referens sicut & alibi, iratus contra Moysen, & quærens occidere eum. RVPERTVS, ET IN- TERLINEARIS. Nihil ergo cunctata, quid potius eligeret, viri necem, an filiorum circuncisionem, & quasi cognoscens quare dominus vellet Moysen interficere, *Tulit ilico Sephora acutißimam petram, & circuncidit præputium filij sui.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Quare non dicit filiorum? Quia forsitan mater vnum sibi, videlicet maiorem natu, propriũ & incircuncisum retinuerat. Alterum verò Moyses qui circuncisus erat, quasi suum circunciderat, quod etiam innuitur ex interpretationibus nominum. Vel forsitan solum maiorem filium secum ducebant, & minorem apud auum reliquerant. THOMAS. Cultellus autem lapideus *3.par.q.70 art.3. ad secundum.* non erat de necessitate circuncisionis, vnde non inuenitur tale instrumentum præcepto diuino determinatum, neque etiam communiter tali instrumento Iudæi vtebantur ad circuncidendum, sicut neque modò vtuntur. Leguntur tamen aliquæ circuncisiones famosæ cultello lapideo factæ, sicut legitur Exodi quarto, Quod tulit Sephora acutisimam petram, & circuncidit præputium filij sui. Et Iosue quinto dicitur, Fac tibi cultellos lapideos, & circuncide secundò filios Israël, per quod figurabatur circuncisionẽ spiritualem esse fiendã per Chri-

F stum, de quo dicitur prima Corinthiorum decimo, Petra autem erat Christus. CAIETANVS. Tulit ilico Sephora, & cætera. Hinc habetur, quòd apparitio ista sensibilis fuit communis etiam vxori Moysi, & quòd interceſsit sermo sensibilis de incircuncisо filio. Ita quòd dicendo, & quæliuit interficere eum, breuissimè significatur, quod in specie illa hominis apparẽs armatus, & motu, & actione, & verbis præ se ferebat se quę- rere Moysen, vt occideret eum, quia filius eius erat incircuncisus. Et propterea vxor cauens marito, circuncidit filium. Sed superest dubium, quare vnus tantùm filius narratur circuncisus, cùm clarè testetur litera, quòd Moyses ducebat secum vxorem & filios. Solutio est, quòd Sephora circuncidit omnes filios, sed scriptura quemadmodum dixit, super asinum, significando omnes asinos super quos equitabant, ita dicit filij sui, significando omnes filios suos. AVCTOR CATENAE. Tulit ilico Sephora acutisimam petram. צֹר Zor habetur in Hebræo, quod quandoque significat petram acutissimam vt gladius, in tantum vt quandoque accipiatur pro ipso gladio. Vnde non male vertit Interpres, licet nec Chaldaica nec Septuaginta habeant dictionem durissimam. Mulier itaque cuius consilio fortè opus neglectum vel vetitum erat, intelligens

ob eam

ob eam causam iratum dominum, mox temerè saxum arripiens, puerum circuncidit, ne quid mali pateretur G
maritus. *Tetigítque pedes eius, & ait, Sponsus sanguinum tu mihi es.* INTERLINEARIS Tetigítque pedes eius, id est, Sephora pedes Angeli. Vel sanguis effluens pedes pueri, Dixítque, sponsus sanguinum tu mihi es. Angelo hoc blandiendo dicit Sephora, quasi sicut carnaliter nupsi Moysi, ita tibi effusione sanguinis filij mei. RABANVS. Vel mater gentilis nouitatem rei admirans, ignara præcepti quod Abraham datum est de circuncisione, ad Moysen dicere potuit, Sponsus sanguinum tu mihi es, ac si diceret, ritus gentis tuæ cogit me sanguinem fundere filij mei ob circuncisionem, quod aliis gentibus moris non est facere. RVPERTVS. Tetigítque pedes eius, videlicet mariti Moysi. Vt quid autem tetigit pedes eius? Videlicet vt dimitteretur. Nam protinus sequitur, Et dimisit eum postquàm dixit, sponsus sanguinum tu mihi es, ob circuncisionem. Idcirco tetigit pedes, id est, importunè supplicauit, ne illum longius sequi compelleretur, exterrita vel imparata tantis visionibus, vtpote quibus gentiliter viuens, nondum interesse merebatur. Tangens ergo pedes eius, di- H
xit, Sponsus sanguinum tu mihi es. Non dixit vir sanguinum, ne coniugij, sed crudelitatis respectu hoc dixisse putaretur. Siquidem vir sanguinum, crudelitatis & homicidiorum in communi vsu significat, triste carnificium. Melius ergo (quanuis impropriè) dictum est, sponsus sanguinum, id est, quanuis sponsus non consueuerit dici, nisi dum est in celebratione nuptiarum. CAIETANVS. Tetigítque pedes eius. Sephora vt seruaret Moysen, non solùm circuncidit filium, sed etiam iecit se ad pedes domini inuadentis Moysen, vt etiam sic placaret eum. Intelligimus enim hinc, quòd apparens dominus etiam post circuncisum puerum non desistebat à comminatione Moysi, & propterea Sephora tetigit pedes domini persequentis Moysen, Et dixit, sponsus sanguinum tu mihi es. Ad complendum facta & dicta à Sephora, subiungit præoccupando Moyses hæc verba Sephoræ ad maritum, vt ipsemet Moyses testatur. Creditur itaque quòd dominus instabat persequendo Moysen, donec Sephora circuncidit omnes filios, & adhuc expectauit vt illa iaceret se ad pedes eius, rogando vt desisteret. Si enim alter filius circuncisus antè fuisset, non dixisset nunc Sephora propter circuncisionem, Moysi, sponsus sanguinum tu mihi. Hæc enim verba nunc dicta insinuant, quòd I
tunc incœpit effundi sanguis filiorum eius in circuncisione. AVCTOR CATENAE. Tetigítque pedes eius, scilicet Moysi, secundum Hebræos, proiecit enim præputium præcisum filij sui ad pedes mariti, ac sanguine illos tinxit. Apertè autem verbo וַתִּגַּע Vatagaha fœminini generis indicatur, Sephoram proiecisse præputium, quod Latinè indicari per verbum non potuit. Commoditas est autem non modica Hebræis vsus generis vtriusq; in verbis, qua carent etiam Græci. Et ait, sponsus sanguinum tu mihi es, Id est, Tu qui es sponsus meus occidendus eras, propter omissam filij tui circuncisionem. Quasi dicat, Angelus dei te interfecisset, nisi circuncidissem filium tuum Eleazarum. Quidam putant hoc dictum à matre ægreferente filium circuncidi, & arguente maritum inclementiæ, quasi dicat, Non abhorres à fundendo sanguine filij tui, dum iubes illum circuncidi? erat enim Madianitis, huius cærimoniæ insolens. Quod tamen vltimum non ita omnibus placet, quia dicunt Madianitas non fuisse Gentiles, cùm de stir- K
pe essent Abrahæ, nec ignaros circuncisionis. Alij exponunt sponsus sanguinum tu mihi es, id est, quasi denuo desponsata in sanguine, qui ipsum Moysen à morte præseruauerat, diceret, Iam mihi ob hanc circuncisionem, quasi nouus factus es sponsus, quem Angelus domini per mortem mihi ferè subtraxerat. Sunt & qui dicant, Propter te qui es sponsus meus, ne te Angelus occideret, sanguis filij mei effusus est. Alius quidam ita ediderit: Video me multa passuram pericula tecum, vt mihi sponsus sanguinis futurus sis. Omnes enim qui piè volunt viuere, & ad seruitium dei se se accingunt, crucem ferre & persecutiones cogentur. Sponsi itaque sanguinum sunt & dicuntur prophetæ, prædicatores, fideliúmque prælati, pro continuis eorum periculis, quibus cum familia inuoluuntur ob veritatem & ingratitudinem. Non desunt autem qui dicant, Sephoram cum circuncideret præputium filij petra, vulnerasse etiam pedes filij, Quódque dixit, sponsus sanguinum tu mihi es, blandientis voce ad eundem filium protulisse, moríque fuisse mulieribus Hebræis vocare circuncisos pueros, sponsos suos, & ideo eam alloqui hoc loco filium suum, O fili sponsus es mihi, L
tinctus sanguine non cædis, sed circuncisionis. Quasi dicat, propter te morietur maritus meus, quod die octauo non circuncideris te. Demum nonnulli hæc omnia ad Angelum domini referunt, quasi proiecerit Sephora præputium filij sui domino, quod tanta indignatione exigere subitò videbatur. Quódque ait, sponsus sanguinum tu mihi es, ita dictum intelligunt, Domine deus per sanguinem filij mei quem tantopere zelas effundi, sponsus meus à te mihi condonetur. Cui expositioni & si duriuscula videatur, fauet tamen illi mirum in modum Chaldaica editio, difficilium locorum enodatrix, ita inquiens, & obtulit coram eo (nempe Angelo) abscissum filij præputium, & ait, Propter sanguinem circuncisionis huius detur mihi sponsus meus. Id innuunt & Septuaginta, apud quos ita legitur, καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἔιπεμ, ἔση τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου, Et procidit ad pedes suos (subaudi Sephora ad pedes Angeli) & dixit, Stetit sanguis circucisionis filij mei, supple ad placandũ te infensum marito meo. Ita tota hęc narratio variè à doctoribus explicatur. *Et dimisit eum, postquàm dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es ob circuncisionem.* AVGVSTINVS IN M
*Vbi supra.* QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, & recessit ab eo, propter quod dixit, Stetit sanguis circuncisionis. Intelligatur ergo hoc si fieri potest, quid sibi velit, ideo recessisse Angelum ab interfectione cuiuslibet eorum, quia dixit mulier, stetit sanguis circuncisionis infantis. Non enim ait, recessit ab eo propter quod circuncidit infantem, sed quia stetit sanguis circuncisionis, non quia cucurrit, sed quia stetit, magno nisi fallor sacramento. INTERLINEARIS. Vel irata Sephora circunciso puero, reuersa est in Ma-
*Vbi supra. Quæst.13.* dian ad patrem suum cum paruulis. Vnde postea legitur quod Iethro occurrerit Moysi in deserto, dicens, Ego & vxor tua, & pueri tui. AVGVSTINVS. Nam quidam putauerunt propter hoc Angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerij quod diuinitùs impositum Moyses gerebat, fœmineus sexus comitaretur. CAIETANVS. Et dimisit eum. Hîc faciendus est punctus. Et quoniam dimisit seu recessit masculini generis est apud Hebræos, manifestè patet, quòd non ad Sephoram, sed ad dominum refertur. Et est planus sensus



A sensus quòd dominus persequens Moysen, postquam Sephora tetigit pedes domini, cessauit à persecutione Moysi, & recessit ab eo (scilicet Moyse) tanquàm placatus. Postquàm dixerat. Iuxta Hebræum habetur, Tunc dixit, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circuncisionem. Ecce ipse Moyses testatur, quòd vbi dominus cessauit à persecutione Moysi, Sephora versa ad maritum, dixit illa verba, sponsus sanguinum tu mihi. Et exponit Moyses quare dixerit Sponsus sanguinum, videlicet propter circuncisionem, quæ cum effusione sanguinis fit. AVCTOR CATENAE. Et dimisit eũ, nempe Angelus, Moysen. Est enim. וַיֶּרֶף Vaireph, futurum masculinum à רָפָה Rapha, quod propter vau fit præteritum, & nullo modo ad Sephoram accommodari potest. Vnde & Septuaginta, καὶ ἀπῆλθεμ ἀπ' αὐτοῦ ὁ ἄγγελος, Et abiit ab eo Angelus. Destitit (inquit) hoc facto Angelus à persequendo Moysen ad mortem, iam sanguine circuncisi placatus, quem exigere videbatur signum fidei à pergente iam obedire dei verbo, & accincto ad opus domini. Alij verò ex-
B ponunt, Et dimisit eum, subaudi morbus, id est, recessit à Moyse ægritudo quæ eum apprehenderat, & restitutus est sanitati, postquàm filius eius circuncisus est. Tertij dicunt, quod Moyses dimiserit filium suum, & remiserit eum vnà cum matre & altero filio ad patriam Madian. Postquàm (inquit) dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es ob circuncisionem. In Hebræo est: אָז אָמְרָה חֲתַן דָּמִים לַמּוּלוֹת Az ámra chathan damim lamuloth. Tunc dixit (scilicet Sephora, est enim præteritum fœmininum) Sponsus sanguinum ob, siue propter circuncisionem, id est, occidendus eras propter omissam filij tui circuncisionem. Aut vertendum, Illa autem dixerat, sponsus sanguinum es ob circuncisionem, id est, propterea quòd vidisset paruuli filij sui sanguinem fundi. Vel dic vt supra, ne eadem totiens inculcentur. Cùm ergo discesisit Angelus à Moyse, tunc Sephora dixit hæc verba. Vel & prius dixit, quando puerum circuncidit, & tunc quando recessit Angelus à Moyse. Vide autem quomodo Chaldaica legat hunc locum, & cum dimisisset eum, tunc dixit, Nisi propter sanguinem circuncisionis huius condemnatus erat ad mortem sponsus meus. Declarat enim quid im-
C portent verba illa, sponsus sanguinum tu mihi es. Septuaginta verò habent, Διότι ἔιπεμ, ἔση τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Quoniam dixit, stetit sanguis circuncisionis filij mei, Et est sensus, quòd Angelus abiit à Moyse, propterea quia Sephora protulit hæc verba. Quæ omnia à Latina lectione non deuiant, quod ad sententiam attinet.

RABANVS. Et hæc quidem secundum historiam. Secundum mysterium verò, Sephora typum te- *Mysticè.*
net Ecclesiæ de gentibus, quæ præputium filij sui, id est, populi gentilis, acutissima petra, hoc est doctrina spiritussancti, siue illa petra de qua dicit Apostolus, Petra autem erat Christus, docet expoliationem vete- *1.Cor.10.*
ris hominis cum actibus eius, vt mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. Tunc enim stat sanguis circuncisionis, quando absorbebitur id quod mortale est à vita, & corruptibile hoc induerit incorruptionem. Tunc enim veraciter circuncisionis sacramentum finitur, quando vltra iam non licebit peccare, nec pugnam carnis refragantis sustinere. RVPER-
D TVS. Cæterum & quotidie filios suos mater Ecclesia circuncidit circuncisione spirituali, ne fides Christi moriatur in illis, tangítque pedes eius, dicítque inter circuncidendum filiis suis, Christus passus est pro *1.Pet.2.*
nobis, vobis relinquens exempla, vt sequamini vestigia eius, & his similia. Sed & quod discesserit Sephora à Moyse, & postea ad eum reuersa sit cum filiis suis, à mysterio non vacat. Alienigena quippe vxor Moysi Sephora, quod interpretatur pulchritudo siue placens, alienigenam (vt superius dictum est) gentium significat Ecclesiam. At illa non interfuit victoriæ quam vir eius Christus de principe tenebrarum diabolo moriendo consummauit, sed solus vir ille pugnauit, solus triumphauit. Postquàm autem antiquorum populum sanctorum de tenebris inferni per suum sanguinem eripuit, tunc & ipsa accesit, tunc adducta est in equis & quadrigis Euangelicis, & victoriæ sacramentum in baptismate susceptit. CYRILLVS. Figura igitur hæc manifestè explicat, quòd per sanguinem Christi mors superata est, ipsáque sanctorum patrum multitudo seruata est, imò verò vniuersum genus quod Christum dominum ætate præcesit. Pro omnibus nã-
E que mortuus est, omniúmque in ipso mors soluta est. GREGORIVS NYSSENVS. Sed & Moysen sequitur coniunx alienigena, hæc videlicet est iuxta alium sensum humana eruditio, cuius sunt nonnulla ad liberorum procreationem vtilia. Moralis enim naturalísque philosophia coniungi potest, profecto sublimiori vitæ, charisimáque coniunx eius ac socia fieri, dum eius partus nihil alienigeni sceleris secum adducat. Quod nisi quis circuncidat atque auferat, mortis periculum Angelus obuiam factus incutiet, quem vxor Moysi tunc placauit, cùm ablatione præputij, quo alienigenæ cognoscuntur atque contaminantur, mundum filium suum effecerit. Quod quidem ænigma historiæ facilè quis per ea, quæ dicta sunt, ad Christianæ virtutis, pietatísque incrementum adaptare poterit. Habet enim Philosophia seculi, partus, humanáque disciplina carnale quoddam præputium, quo circunciso quod relinquitur, Israëliticæ inuenitur esse nobilitatis, vt exempli causa, immortalem esse animum Philosophi perhibent, id pium est. De corporibus in corpora transire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem transilire nonnulli asserunt, hæc quasi
F præputium circuncidenda sunt, procúlque omnino abiicienda. Deum esse non negant, creatorémque omnium à quo cuncta dependeant verè asseuerant, ac rationibus quantum fieri potest demonstrant, sed creatori materiam veluti egenti artifici supponunt multáque alia huiusmodi sunt veris excogitata rationibus, sed absurdis atque falsis oppositionibus maculata, quæ si tollemus, propitius nobis dei Angelus fiet horum dogmatum partu, tanquam non diuino, & ab Ecclesia Christiana alieno, exultans.

*Dixítque dominus ad Aaron, Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in* 5
*montem dei, & osculatus est eum. Narrauítque Moyses Aaron omnia uerba domini pro quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. Venerúntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israël. Locutúsque est Aaron omnia uerba quæ dixerat dominus ad Moysen, & fecit signa*

*coram*

*coram populo, & credidit populus. Audierúntque quod uiſitáſſet dominus filios Iſraël, & quod reſpexiſ-* G
*ſet afflictionem eorum, & proni adorauerunt.*

GREGORIVS NYSSENVS. Cum iam omni numero virtutis, longáque præmeditatione exercitationéque ac demum diuinæ lucis viſione à terrenis in altiora fuit eleuatus Moyſes, placabilis & optata fratris ſibi occurſatio facta eſt, diuinitùs vt ei obuiam veniret excitati. De qua nunc fit ſermo. *Dixítque dominus ad Aaron, Vade in occurſum Moyſi in deſertum.* INTERLINEARIS. Vel hæc dixit dominus Aaron interius inſpirando, vel per aliquem exterius monendo. AVCTOR CATENAE. Et hinc eſt quòd primo Regum ſecundo dicitur ad Heli ſacerdotem domini qui de Aaron deſcendit, Nunquid non apertè reuelatus ſum domui patris tui cum eſſet in Aegypto? *Qui perrexit obuiam ei in montem dei, & oſculatus eſt eum.* CAIETANVS. De monte Sinai eſt ſermo, qui mons dei dicitur, eo quòd ibi apparuit deus legiſlator. Moyſes enim nominat montem nomine ſolito in populo Iſraël poſt acceptam legem. Scripſit enim hæc poſt datam legem. AVCTOR CATENAE. Declarat hîc Chaldai- H
ca de quo monte intelligat Moyſes, nempe Horeb, qui idem eſt cum Sina, vt aliàs dictum eſt, inquiens, Et occurrit ei in monte vbi reuelata fuerat gloria dei. Sic igitur Moyſes & Aaron ambo in ſolitudine initiantur, vt præſint populo dei per verbum. Idq; fit ad montem dei, vt ſemper deum præ oculis teneant. Verbo & ſignis doctrina ſcilicet & operum exemplis præſint commiſſæ plebi. Idipſum quoque conſentiente charitate concordes, & in votis proficiendi eccleſiæ conſentaneis, hoc enim oſculum ſignificare videtur. *Narrauit itaque Moyſes Aaron omnia verba domini pro quibus miſerat eum & ſigna quæ mandauerat.* Vbi apud nos legitur, pro quibus miſerat eum, alij vertunt, Qui miſerat eum. Et vtroque modo reddi poteſt, Eſt enim in Hebræo אֲשֶׁר שְׁלָחוֹ Aſer ſelacho. Et tam ad verba, quàm ad dominum relatio referri poteſt. Aſer ſiquidem dictio relatiua, prout eſt omnis generis, ſic eſt omnium caſuum, & vtriuſque numeri. Chaldaica quidem ad verba refert, ſicut & noſtra habet editio. Septuaginta etiam, apud quos eſt, οὺς ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν, Quos (videlicet ſermones) miſit ad eum, ſcilicet Moyſen, deus. Quod au- I
tem ſequitur, & ſigna quæ mandauerat, in Hebræo eſt: וְאֵת כָּל הָאֹתֹת אֲשֶׁר צִוָּהוּ Veeth col haothoth aſer ziuáhu. Et cuncta, ſiue omnia ſigna quæ mandauerat ei. Sed hoc parum eſt. Quid itaque dominus ab vtriſque exigeret officij ad fratres, & ob quæ mitteret ambos dominus neſcienti Aaron, & credulo Moyſes narrat, & inſtruit, paratúmque inuenit, & ad ſalutem fratrum propenſum, fidémque firmat ex miraculis tam iam exactis quàm patrandis. Commendatur autem hoc loco externum miniſterium verbi dei. Dominus reuelat ſe ſe Aaron, non tamen indicat ipſi negocium liberationis, ſed remittit ipſum ad Moyſen, vt ex eo diſcat, quid agendum ſit. Sic Paulus rapitur in tertium cœlum, non autem baptizatur illic, ſed mittitur ad ipſum Ananias. Sic angelus apparet Cornelio centurioni, non tamen prædicat ipſi Euangelium de Chriſto, ſed iubet ipſum vocare Petrum, vt ex eo audiat, quid ad ſalutem ipſius neceſſarium ſit. Hæc exempla confirmant auctoritatem miniſtrorum dei, videlicet ſacerdotum eius, à quibus & non ab K
aliis, diſpenſationem verborum legis accipere debemus, nec nouas de cœlo reuelationes expectare. Habemus hoc in loco etiam exemplum veritatis diuinarum promiſsionum. Supra enim dixit deus Moyſi & Aaron, Ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, & cætera. Quod ergo deus promiſit, hoc nunc præſtitit. *Venerúntque ſimul, & congregauerunt cunctos ſeniores filiorum Iſrael.* INTERLINEARIS, Quorum ſcilicet vigebat conſilium & ſapientia, vt res maioris eſſet auctoritatis. AVCTOR CATENAE. Seniores in primis colliguntur ad mandatum domini, quia populi maxima multitudo non potuit. Senatoribus ergo populus obediat, ſed tamen & ipſi quoque prophetis, & à domino miſsis apoſtolis qui verbo dei crediderint, obſequantur. Sic enim decet ſeruari ordinem in Eccleſia dei. *Locutúſque eſt Aaron omnia verba quæ dixerat dominus ad Moyſen.* CAIETANVS. Ecce Aaron eſt os Moyſi alloquendo ſenes Iſraël, & manifeſtando quæ dicta fuerant à deo Moyſi. AVCTOR CATENAE. Et quia in aliquibus exemplaribus inuenimus hoc in loco ita ſcriptum, Locutúſque eſt ad Aaron omnia verba, & cætera ſciendum præpoſitionem, Ad, neque in Hebræo, neque in Chaldaica, neque apud Septuaginta, neque demum in L
antiquis Latinis exemplaribus inueniri. *Et fecit ſigna coram populo.* CAIETANVS. Vide progreſſum. Primùm congregat vterque ſenes Iſraël, & Aaron loquitur coram ſenibus, deinde Moyſes fecit ſigna non coram ſenibus duntaxat, ſed coram populo. Ad Moyſen ſiquidem immediatè ante nominatum, refertur verbum fecit. Et eſt ſermo de tribus ſignis, quorum mentio facta eſt in principio huius Capituli. *Et credidit populus.* Ecce pluſquàm promiſſum fuerat. Nam non ſolùm ſenes populi, ſed etiam populus credidit Moyſen miſſum eſſe à deo ad liberandum populum. *Audierúntque quod viſitaſſet dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem eorum, & proni adorauerunt.* INTERLINEARIS. Humiles, videlicet corde & corpore. THOMAS SVPER ESAIAM. Nota verò quòd eſt viſitatio domini multiplex. Prima condemnationis. Hieremiæ octauo, In tempore viſitationis ſuæ corruent. Secunda correptionis. Pſalmus, Viſitabo in virga iniquitates eorum. Tertia conſolationis. Lucæ primo, Viſitauit nos oriens ex alto. Et de hac ſermo eſt Exodi quarto, Audierúntque quòd viſitaſſet dominus filios Iſraël. M

*Cap. 8. in fine.*

CAIETANVS. Rationem reddit Moyſes honoris exhibiti deo à populo. Audiendo enim quod deus viſitaſſet eos, mittendo prophetam Moyſen, & quod prouidiſſet de Redemptore eorum, incuruauerunt ſe, & adorauerunt deum gratias agentes ei. AVCTOR CATENAE. Audierúntque quod viſitaſſet dominus, id eſt, intellexerunt & cognouerunt, quod recordatus fuiſſet dominus filiorum Iſraël, ſic enim Et Chaldaica habet, loco verbi viſitaſſet, ſed idem eſt cum noſtra editione. Septuaginta autem hoc in loco non וַיִּשְׁמְעוּ Vaiſmehau, Et audierunt, Sed וַיִּשְׂמְחוּ Vaiſmehu, id eſt, Et lætati ſunt, legiſſe videntur, eo quòd loco, audierunt, ἔχαρη ὁ λαὸς verterunt, hoc eſt, Et lætatus eſt populus. Eſtq; inter vtrumque verbum, non mediocris ſimilitudo. Nam שָׂמַח quod lætari ſignificat, ſimillimum eſt huic שָׁמַע id eſt, audiuit vnde



A vnde alterum pro altero legiſſe videntur. Quod autem ſequitur, Et proni adorauerunt, id eſt quòd Hebraicè legitur וַיִּקְּדוּ וַיִּשְׁתַּחֲווּ Vaikkedu vaiſtachauu. Et inclinauerunt, ſeu incuruauerunt ſe, vel verticem, & adorauerunt. Alij, Et vertice inclinato adorauerunt, verterunt. Chaldaica, & incuruati ſunt, & adorauerunt. Septuaginta, κύψας δὲ ὁ λαὸς προσεκύνησαν, Inclinatus autem populus adorauerunt. Quæ omnia idem dicunt. Et ſecundum quidem Hebræos ſignificat prædicta dictio קָדַד Kadad, verticem capitis terræ demittere: & dicunt quòd deriuatur à dictione קדקד Kodkod, quæ ſignificat verticem capitis. Ad populum igitur conuenientem loquuntur Moyſes & Aaron verba domini, miraculorum ſignis perſuadent, non ab alio ſe miſſos quàm à domino deo patrum ſuorum, qui dudum promiſſa iam nunc explere beneficia ſtatuiſſet, & ideo gratias agunt Iſraëlitæ dominum adorando.

INTERLINEARIS. Sed & quibuſlibet ſanctis qui membra ſunt ſummi ſacerdotis, dicitur *Myſticè.*
B quòd vadent in occurſum Moyſi in deſertum, quoniam in ſolitudine melius intelligitur legis myſterium.
ORIGENES. Occurrit autem Aaron Moyſi. Vbi ei occurrit? in quali loco? Intereſt enim vbi occurrat Moyſi is, cuius os aperiendum eſt à deo. Occurrit enim (inquit) in montem dei. Vides quia meritò aperitur os eius, qui poteſt occurrere in montem dei? Petrus & Iacobus & Ioannes montem dei aſcenderunt, vt transformatum Ieſum videre mererentur, & Moyſen cum ipſo, atque Heliam viderent in gloria. Et tu ergo niſi aſcenderis ad montem dei, & ibi occurreris Moyſi, id eſt, niſi excelſum legis aſcenderis ſenſum, niſi ad ſpiritalis intelligentiæ cacumen euaſeris, non eſt os tuum apertum à domino. Si in humili loco literæ ſteteris, & hiſtoriæ textum iudaicis narrationibus innectas, non occurriſti Moyſi in montem dei, nec os tuum aperuit deus, neque inſtruxit te, quæ oporteat te loqui. Niſi ergo Aaron occurriſſet Moyſi in monte, niſi eius ſenſum ſublimem vidiſſet & arduum, niſi excelſam eius intelligentiam perſpexiſſet, nunquàm ei loquutus fuiſſet verba dei, neque virtutem ſignorum prodigiorúmque tradidiſ-
C ſet, neque participem eum tanti myſterij conſciuiſſet.

PROSPER, INTERLINEARIS, ET AVCTOR CATENAE. Sicut autem Moyſes & Aaron Hebræo populo prædicantes, miſſos ſe à deo, vt eos ex Aegypto eruerent, firmauerunt, quos audiens populus ingeniculans adorauit, quibus & ſigna facientibus credidit, Sic prædicantibus Apoſtolis & Paulo gentibus ac Iudæis, & ſalutem animarum per Chriſtum fiducialiter promittentibus, ac domino cooperante, & ſermonem eorum confirmante, dum ſigna innumerabilia facerent, ad agnitionem dei populum mira celeritate conuerterunt, ipſóſque auditores ſuos ex futuro dei iudicio eruerunt.

GREGORIVS NYSSENVS. Sed & id quod Aaron frater Moyſi diuinitùs monitus obuiam illi prodiit, & paulò pòſt in concionem ab vtriſque populus conuocatur, libertáſque tam laborioſæ ſeruituti præponitur, ſi tropologicè accipiamus, tunc manifeſtè diuinum ad virtutem nobis patrocinium concedi reperiemus, cùm virtuoſe iam ac piè vixerimus. Quod quidem patrocinium prima
D generatione & creatione noſtra antiquius eſt, priùs enim creatum, ſed tunc apertiſsimè apparet, cùm nos ipſos attentione ac cura meliori vitæ tradiderimus, ac pro zelo fidei & virtutis certamina ſuſcipimus grauiora. Verùm ne ænigma hiſtoriæ per ænigmata exponi videatur, latiùs quod ſentio explanandum eſt. Occultior quædam traditio eſt, verus ſermo ad nos vſque deſcendit, quo creditur poſtea, quàm in peccatum natura noſtra lapſa eſt, non omnino à clementia diuina neglectam, neque abſque ſuo patrocinio dimiſsam, ſed Angelorum qui natura incorporei ſunt, aliquem in adminiculum cuique conſtitutum fuiſſe, naturæq; noſtræ corruptorem in omnibus contra annitentem, prauum aliquem atque maleficum dæmona ad male viuendum homines impellentem, ad ſingulos deſtinaſſe. Horum autem medium factum hominem, quorum alter virtutis præmia (quæ ſpe atque fide præparantur) cogitationibus offert, alter titillationes & voluptates carnis ſuggerit, animúmque ſuum, quaſi ſpeculum bonorum, quæ firmæ ſpei noſtræ propoſita ſunt, effecerit, ita vt mentis oculo oblatas diuina gratia virtutis ſpecies queat reci-
E pere. Tunc ei manifeſtius fratris adminicula vndique apparent, ſecum aduerſus hoſtes armati, frater enim quodammodo hominis animo Angelus eſt, rationali quippe aç intellectuali natura ſecum annectuntur, qui tum maximè nobis aſsiſtere videtur, cùm Pharaoni appropinquamus. Nemo autem hiſtoriæ veritatem per omnia nos cogat ad propoſitum accommodare, nec ſi quid non conſentaneum huic tropologiæ in hiſtoria veniat, idcirco vniuerſam hanc intelligendæ ſcripturæ viam aſpernetur atque contemnat, ſed recordetur ab initio ſtatim nos dixiſſe magnorum virorum vitas ad exemplum, & imitationem diuinitùs nobis eſſe propoſitas. Itaque cum per eandem rerum ſeriem, per eoſdem vitæ caſus, aut materiem minimè poſsimus eos imitari, quomodo enim iterum in Aegypto eo pacto erit populus? aut quomodo tyrannus maſculiebrem prolem viuificare, maſculinam occidere reperiet? cæteráque omnia quæ hiſtoria conſcribit, vbi quis inueniet? nullibi profectò. Quare quoniam eiſdem in rebus beatos viros imitari non poſſumus, ad moralem vitam ab hiſtorica ſerie omnia traducamus, quæ bene viuendi rationibus congruunt.
F Potuit enim profectò deus ad poſteriorem perfectionem priſcorum vitam in exemplum altiùs intellectam accommodare. Quare ſi quid hiſtoriæ dictum non omnino propoſito conuenit, id prætermittentes, ne ſeries expoſitionis intercidatur, quæ idonea ſunt coniũgemus. Hæc dixi ne quis mihi obiiciat, congruè quidem hîc, pro Aaron fratre Moyſi maiore, Angelum cuſtodem nobis diuinitùs datum nos ſubintellexiſſe, nam & prior natura angelica eſt, & intellectuali ac incorporali, cum humano videretur animo conuenire, nec dubitare ſe auxilio nobis maximè tunc eſſe, cùm aduerſus incorporales hoſtes inſurgimus, non tamen rectè pro hoc, quaſi fratre nobis Angelo ſemper Aaron capi poſſe. Nam cùm Aaron dux Hebræis ad idololatriam fuiſſe videtur, vt hiſtoria tradit, quomodo eum pro duce pietatis Angelo poſitum ab hiſtoria credendum eſt? Hoc igitur prætermittendum forſan erit, ſi omnino accommodari non poſſit, quanuis Angeli quoque nomen, vt & fratris, ad vtramque partem à ſcriptura poſitum inueniamus, non enim dei ſolùm, verùm etiam Satanæ angelum dicimus, nec bonum tantùm, ſed etiam prauum fratrem nomi-

nominamus. Fratres enim (inquit scriptura) sint in necessitatibus vtiles, in meliorem hîc partem fratris G nomen accipiens: in peiorem autem accipit, cùm dicit, omnis frater calcaneo supplantabit. verùm exquisitiùs hæc in loco suo considerabimus. Qui autem visione diuinæ lucis seipsum corroborauit ac talem fratrem adeptus sit, qui sibi adesse in periculis non timeat, is iam confidenter populum alloquatur, & in memoriam paternæ nobilitatis adducat, sententiámque dicat, quomodo simum ac lateres, aliósque seruiles labores effugere poterit. Sed diligenter aduertendum oro, ne nos fugiat, quod apertissimè historia ipsa prædicat. Videmus enim Moysen antea, quàm perfectiore se virtute firmauerit, duos inter se contendentes homines conciliare nequiuisse. Postea verò cùm sibi ipsi longo temporum spacio vacauerit, à multis hominum millibus facilè in protectorem recipi. Magna igitur voce scripturæ auctoritas clamare videtur, non insiliendum esse ad docendum instituendámque multitudinem nisi prius magna diligentia, magnísque laboribus eam fueris auctoritatem adeptus, vt auditores verbis tuis facilè acquiescant.

H

## IN CAPVT QVINTVM EXODI ARGVMENTVM.

*Moyses & Aaron apud Pharaonem dei legatione funguntur, quam contemnens grauiùs premit Israelitas ad dominum conquerentes. Incusantur à populo Moyses & Aaron.*

## CAPVT QVINTVM.

Lectio. 1.

POst hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, Hæc dicit dominus deus Israël: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est dominus ut audiam uocem eius, & dimittam Israël? Nescio dominum, & Israël non dimittam: Dixerúntque, Deus Hebræorum uocauit nos, ut eamus uiam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus domino deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius. Ait ad eos Rex Aegypti: Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera uestra.

Lectio. 1.

ORIGENES. Videamus nunc ingressi ad Pharaonem Moyses & Aaron quid dicunt. *Post hæc* (inquit) *ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, Hæc dicit dominus deus Israel: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in de-* K *serto.* CAIETANVS. Nulla fit mentio seniorum, cùm tamen dominus ordinauerit capitulo tertio, Ingredieris tu & seniores Israël ad Regem Aegypti. Solutio est, vel quòd senes comitati sunt, nec aliter exprimuntur quàm in istis duobus præcipuis, vel quòd illud mandatum intelligitur mutatum quando datus est Aaron coadiutor Moysi, nam mandatum illud factum fuerat prius, & quasi loco seniorum surrogatus est Aaron quo ad legationem. Subiuncta tamen verba Pharaonis (ite ad onera vestra) innuunt senes Israël affuisse, & ad eos dictum esse, ite ad onera vestra. Nomen autem proprium veri dei proponunt Pharaoni, tùm ob auctoritatem, tum ob veritatem. Adiungunt autem, deus Israël, ad significandum quòd quia colitur ab Israël vt deus iudex, eius interest cura populi Israël. Propter quod appellat ipsum populum meum, Dimitte (inquiens) populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. AVCTOR CATENAE. Vt sacrificet mihi in deserto. Verbum חָגַג Chagag, & sacrificare, & festum celebrare significat. Vnde aliqui L hîc transtulerunt, Vt festum diem, siue festa celebrent mihi in deserto. Alij, Vt diebus festis mihi sacrificent in deserto. Sed eadem vbique est sententia. Chaldaica est cum Latina interpretatione. Septuaginta ἵνα ἑορτάσωσι, vt festum agant. Moyses igitur primùm grauatim subit prouinciam agendi cum mundi principibus, sed postquàm subiit, strenuè omnia agit, exemplum magnanimitatis, fortitudinis & constantiæ. Vt sacrificet (inquit) mihi in deserto, hoc est, oblationes & hostias offerat, quod fit in festiuitatibus. Habes hîc in Moyse & Aaron primum clarissmum obedientiæ exemplum. Et si enim sciebãt hoc negocium constare maximo vitæ suæ periculo, quippe quod à rege tanquàm auctores seditionis excipiendi essent, neglectis tamen omnibus periculis obediunt vocationi dei, & intercedunt pro Israëlitis, vt dimittantur ad sacrificandum domino. Deinde obseruandum est etiam in Moyse & Aaron exemplum charitatis erga proximos suos. Moyses enim potuisset iustam sibi imaginari causam negligendi Israëlitas, propterea quòd antea reiectus fue- M rat ab ipsis, sed tanta charitate complectitur eos, vt maluerit vnà cum fratre suo Aaron extrema quæque pericula perferre, quàm saluti ipsorum deesse. Egregium charitatis exemplar, quod & in Christo nobis imitandum proponitur. Hoc (inquit Christus) est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt quis animam suam ponat pro amicis suis. Postremò habes quoque in Moyse & Aaron præclarum exemplum modestiæ. Hi enim tametsi habebant mandatum liberandi Israëlitas à tyrannide Pharaonis, & Pharao erat rex longè omnium impiissimus, atque à domino manifestis verbis condemnatus, non tamen armant Israëlitas suos aduersus regem, legitimum magistratum in Aegypto, non trucidant tyrannum gladio, sed continent se se intra teminos suæ vocationis, & obsecrant Pharaonem obedienter, iuxta mandatum domini, & iuxta officium subditorum, vt dimittat Israëlem. Dominus enim non dixit, Ingredere ad Pharaonem, & trucida eum, tanquàm rabidum canem, sed ait: Ingredieris tu & seniores Israël ad regem



A regem Aegypti, & dices, Dominus deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus domino deo nostro. Quòd si non licuit Moysi & Aaron trucidare Pharaonem, vt liberarent Israëlitas suos à tyrannide eius, cui obsecro nunc liceret absque expresso & manifesto verbo dei, gladium aduersus legitimum magistratum suum accipere, & se se violenter in libertatem vindicare? *At ille respondit, Quis est dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio dominum, & Israel non dimittam.* ORIGENES. Vides quid agit cruda superbia? donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulo pòst quantum proficit in flagellis, quantò melior verberatus efficitur. Iste qui modò dicit, nescio dominum, postea cùm vim senserit verberum, dicturus est, orate pro me dominum, & non solùm hoc, sed etiam contestantibus Magis fatebitur, quia digitus dei est in virtute signorum. Nemo ergo ita ineruditus diuinæ sit disciplinæ, vt flagella diuina perniciem putet, vt
B verbera domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera dominum nescit, verberatus supplicari pro se dominum rogat. Est profectus in pœnis, hoc ipsum agnoscere, quòd merueris pœnam. CYRILLVS. Contumeliose admodum loquitur Pharao, & aduersus dei gloriam audacter insurgit, Et quis hic dominus sit se nescire profitetur, neque se populum Israëliticum dimissurum arroganter iactat: neque tamen Moyses his verbis commotus à legatione cessat: sed diuinam voluntatem perfici debere contendit. EX COLLATIONIBVS PATRVM. Ideo autem vni- *Lib.11. de*
uersitatis creator & medicus deus causam principiúmque morborum superbiam esse cognoscens: contrariis *spiritu*
sanare contraria procurauit, vt ea scilicet quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille *superb.c.8.*
nanque dicit, In cœlum conscendam: hic dicit, Humiliata est in terra anima mea. Ille dicit, Et ero similis altissimo: hic cùm esset in forma dei, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: humiliauítque se factus *Esa.14.*
obediens vsque ad mortem. Ille dicit, Super astra dei exaltabo solium meum. Iste dicit, Discite à me quia *Philip.2.*
C mitis sum & humilis corde. Ille dicit, Nescio dominum, & Israël non dimittam: Iste dicit, Si dixero quia *Esa.14,*
non noui eum, ero similis vobis mendax, sed noui eum: & mandata eius seruo. Ille dicit, Mea sunt flu- *Matth.11.*
mina, & ego feci ea. Iste dicit, Non possum ego à me ipso facere quicquam, sed pater meus in me manens, *Ioan.7.*
ipse facit opera. Ille dicit, Mea sunt omnia regna mundi & gloria eorum: & cui voluero do ea. Iste cùm di- *Ioan.14.*
ues esset, pauper effectus est, vt eius inopia nos diuites redderemur. Ille dicit, Sicut colliguntur oua quæ de- *Luc.4.*
relicta sunt: sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & apperiret os, & ganni- *2.Cor.8.*
ret. Iste dicit, Similis factus sum pellicano solitario, vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. *Esa.10.*
Ille dicit, Exiccaui vestigio pedum meorum omnes riuos aggerum: hic dicit, Nunquid non possum rogare *Psal.101.*
patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim millia legiones angelorum? Si principalis ruinæ *Esa.37.*
causam & salutis nostræ fundamenta perspeximus, à quo & qualiter vel ista iacta sint, vel illa emerserint, *Matth.26.*
quemadmodum deuitare tam atrocem mortem superbię debeamus, vel illius ruina, vel huius doceamur exem-
D plo. RABANVS. Superbam diaboli contumaciam, Pharao suo sermone exprimit: qui subdi deo noluit, sed æqualem dixit se esse altissimo: quia nisi per tormenta coactus, deo non vult impendere, vnde in Euangelio cùm deum tentaret, quasi dubitans de eius diuinitate ait, Si filius dei es, dic vt lapides isti, panes fiant. Sed postea quasi ab ipso verberatus, quodammodo supplicationis vocem emittit: quam nisi coactus nequaquam expenderet. CAIETANVS. Quis est dominus, vt audiam, &c. Non quærit scire quis est deus absolutè, sed quis relatiuè ad ipsum Pharaonem, ad hoc vt pareat ei ad dimittendum Israël. Contemptum verò admiscet dicendo, non noui deum, & Israël non dimittam. Si animo inquirendi notitiam veritatis formasset quæstionem, non intulisset ex sua insciticia detentionem populi Israël, sed cùm verè nesciret deum tam absolutè quàm relatiuè ad ipsum (hoc enim raris hominibus concessum est) nec crederet summum deum curare quod ipse Pharao dimittat Israël, contempsit mandatum diuinum, allegando insciticiam propriam. Ex hoc autem colloquio clarè apparet, quòd nomen domini tetragrámaton proferri potest, & prolatum est à Moy-
E se & Aaron coram Pharaone, & repetitum ab ipso Pharaone. AVCTOR CATENAE. Quia verbum שָׁמַע Samaha, & audire & obedire, seu parere significat, hinc est quòd aliqui hoc in loco, pro, vt audiam, reddunt, vt obediam, vel paream voci eius. Vnde Chaldaica, Vt obediam verbo eius. Septuaginta habent sicut & nos. Sed idem sensus est vtrobique. Impij itaque reges dominum non reuerentur, sed rerum se dominos non dei seruos arbitrantur. Quum non alia ratione præfecti sint populis, quàm vt ipsi domino obedientes, ipsius voluntatem doceant, inculcent & manuteneant in subditis suis. Impius in deum, non potest in homines esse pius. Quis (inquit Pharao) tam potens est, vt rex Aegypti eum audiat, id est, obsequatur. Vide autem quo se extendat cæca superbia, vt naturalem etiam rationem deum esse noscentem obnubilet penitùs & extinguat, *Psal 13.52.*
iuxta id quod scriptum est, Dixit insipiés in corde suo, non est deus. Et in Iudith libro Holofernes ait ad Achior, *Iudith.6.*
Ostendam tibi quòd non sit deus nisi Nabuchodonosor. *Dixerunt, Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium*
F *dierum in solitudinem, & sacrificemus domino deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur, quomodo populo dicatur, quòd mandauit deus eiecturum se eos de Aegypto in terram Chanaan, Pharaoni autem dicatur, quòd trium dierum iter exire vellent in desertum, & immolare deo suo ex mandato eius. Sed intelligendum est, quamuis deus sciret quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primò dictum esse quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret, vt enim sic fierent omnia, quemadmodum consequẽs scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit & suorum. Neque enim mendaciter deus iubet quod scit non facturum cui iubetur, vt iustum iudicium consequatur. GRAECVS. Et sacrificemus domino deo nostro. Ac si dicant, Neque enim ô Aegyptij deum diis vestris similem colimus ac veneramur, Vitulum videlicet, aut suem, aut capram, aut hominis simulachrum, aut volucrum adumbratam imaginem, aut denique repętium imagines in ficubus collocatas, sed à nobis Hebræis deus ac dominus inuocatur, hoc vniuersum fabrefactus est. Magnus

itaque, & qui diis Aegyptiorum nulla ratione conferendus sit, quíque omnes res creatas infinitè excellat, est He- G
brærorum deus, qui in desertum nos vocat, vt placitum illi sacrificiũ illuc afferamus. CAIETANVS. Deus Hebræorum vocauit nos, &c. Iuxta Hebræum autem sic legitur, Deus Hebræorum fuit obuius super nos, ibimus obsecrò viam triũ dierum in solitudinẽ, vt sacrificemus domino deo nostro, ne quando occurrat nobis in peste aut in gladio. Ad ipsum enim deum refertur occursus cum peste aut bello, non enim casui, sed diuinæ prouidentiæ, plaga pestis aut belli attribuitur. Respondent itaque quæsito, manifestando modum quo deus se habere curam dimissionis eorum manifestauit, & vbi dixerant, deus Israël, nunc dicunt, deus Hebræorum, altiùs repetendo quis relatiuè ad homines est deus, videlicet quòd non nouus est deus Israël, sed ab antiquo fuit deus Hebræorum filiorum Heber, cuius tempore diuisæ sunt linguæ. Cultum itaque ab antiquo exhibitum deo ab Hebræis priusquam Israël gigneretur commemorant, vt notum ac veneratum antiquissimis patribus deum manifestent, & quòd ipse deus non quæsitus fuit obuius ipsis Israëlitis, occurrendo de supernis, vt hinc H
discat Pharao diuinam curam populi Israël compertam esse in tali occursu. Et est sermo de apparitione in flamma ruborum. Et exponendo mitigant petitionem. Petierant enim dimitti populum, mitigando declarant peti vt dimittatur populus ad eundum in desertum itinere trium dierum ad sacrificandum deo. Sic enim præceperat deus proponi petitionem apud Pharaonem, vt omnino inexcusabilis esset, qui enim negat hoc, multo magis negaret absolutè dimissionem populi Israël. Nec mendacium, sed silentium interuenit integræ veritatis. Ituri enim erant itinere trium dierum, & longiore itinere, sed hoc tacuerunt, sacrificaturi deo ituri erant, & hoc dixerunt. AVCTOR CATENAE. Deus Hebræorum vocauit nos. Quia verbum קָרָא occurrere, vocare & inuocare significat, ideo hîc aliqui vertunt vt Latina editio, & Septuaginta, προσκέκληται, vocauit. Chaldaica inuocatus est super nos, Et alij, occurrit, vel apparuit nobis. Sed non est diuersitas in sensu. Quod etiam sequitur, Vt eamus, Hebraicè est נֵלְכָה נָּא Nélcha na, Eamus, vel ibimus nunc, siue quæso. Quasi dicat, oramus liceat nobis per te ire viam trium dierum, &c. Et sacrificemus. Et prout positum est, nam ad hoc di- I
cunt velle ire vt sacrificent. Ne fortè accidat nobis pestis aut gladius. In Hebræo est פֶּן יִפְגָּעֵנוּ בַדֶּבֶר אוֹ בֶחָרֶב Pen iphgahénu badéber ô bechâreb, Ne fortè occurrat nobis, seu irruat in nos (scilicet deus) cum, siue in pestilentia aut gladio, id est, interficiat si non peruerimus, peste aut bello. Chaldaica, Ne fortè accidat nobis mors aut occisio. Septuaginta, μή ποτε σωαντήσῃ ἡμῖν θάνατος ἢ φόνος, Ne fortè occurrat nobis mors vel cædes. Sed hæc idem cum litera nostra. Dicant ergo Moyses & Aaron, deus Hebræorum inuocatur super nos, illius nos cultores sumus, & hunc profitemur, qui patribus nostris beneficiis commendatus est, & nobis promissis, qui nunc euocat nos ad suum cultum. Liceat per te igitur nobis viam conficere tridui in solitudinem, vt sacrificemus domino deo nostro. Hic status est & summa orationis. Non autem totam profectionem regi proponunt, idque non sine legitima causa: omnia enim deus per Prophetas sapienter agit, & imperscrutabili consilio, & interim non fallit qui non omnia prædicit hosti crudeli, qui gloriam dei, & fratrum piorum & oppressorum salutem intendit. Deum autem occurrere fidelibus, est succurrere. Precibus & sacrificiis cordis amolienda sunt K
seculi incommoda. In aduersis confugiendum est ad deum. Sunt qui per tres dies, tres hîc menses intelligant, nam mense ab exitu de Aegypto tertio, venerunt filij Israël ad montem Sinai, & ibi domino sacrificauerunt, vt infra decimo nono capitulo habetur. In sacra enim scriptura sicut diem quandoque pro anno (vt Ezechielis quarto legitur) ita hîc diem pro mense poni asserũt. *Ait ad eos rex Aegypti. Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.* INTERLINEARIS. Terreni videlicet laboris. CAIETANVS. Dictio interpretata sollicitatis, sonat, facitis vacare, & hoc consonat adiunctis operibus. Arguit Pharao Moysen & Aaron, quòd occasionem dent populo cessandi ab operibus in seruitium regis. Et nominat Moysen & Aaron tanquam personas sibi notas, & capita huius petitionis, immo tanquam confictores diuinæ apparitionis ad leuandum populum. Huc enim tendit reprehensio quòd faciant vacare populum ab operibus suis, Ite ad onera vestra. Priùs allocutus est Moysen & Aaron capita, deinde alloquitur comites eorum, dicendo, Ite ad onera vestra. AVCTOR CATENAE. Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis, id est, L
vacare, seu cessare facitis, prout habet Chaldaica, vel auertitis, iuxta Septuaginta. Est enim verbum פָּרַע pharaha, quod vacare, & otiosum esse significat. Et est sensus, Quare populum subleuatis, & falsis persuasionibus imbuitis? interímque opera intermittuntur, pendent machinæ interruptæ, conaminíque eum ab hoc seruitio auocare? Sic igitur occasiones perquiruntur ab impiis contra ministros dei mendaciter & per calumnias, quum veritas prædicatur, & vitia taxantur tyrannorum, qui se malunt coli & reuereri, quàm deum. Otio resolui populum criminatur & distrahi, qui nimios labores & importabilia tantùm onera recusat, quasi idem sit otio resolui, & onera mediocria ferre?

*Mystice.* ORIGENES. Dixerunt Moyses & Aaron Pharaoni, Hæc dicit dominus, Dimitte populum meum vt seruiant mihi in eremo. Non vult Moyses vt populus in Aegypto positus seruiat domino, sed vt exeat in desertum, & ibi seruiat domino. Hoc est, sine dubio quod ostendit, quia donec quis in tenebris secularibus manet, & in negociorum obscuritate versatur, non potest seruire domino. Non enim potest duobus dominis M
seruire, non potest domino seruire & Mammonæ. Exeundum nobis igitur est de Aegypto, relinquendus est mundus, si volumus deo seruire. Relinquendus autem dico, non loco, sed animo, non itinere proficiscendi, sed fide proficiendo. Audi hæc eadem Ioannem dicentem, Filioli nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quoniam omne quod est in mundo, desiderium carnis est, & desiderium oculorum. Et quid tamen dicit? Quomodo, vel quatenus proficisci iubet ex Aegypto, videamus. Viam (inquit) trium dierum ibimus in Eremo, & ibi immolabimus domino deo nostro. Quæ est via trium dierum quę nobis incedenda est, vt exeũtes de Aegypto, peruenire possimus ad locũ in quo immolare debeamus? Ego viã, illũ intelligo qui dixit, Ego sum via, veritas & vita. Hæc via triduo nobis incedenda est. Qui enim confessus fuerit in ore suo dominum Iesum, & crediderit in corde suo quod deus illũ suscitauit à mortuis tertia die, saluus erit. Hæc ergo est triduí via per quam



A per quam peruenitur in locum, in quo domino immoletur, & reddatur sacrificium laudis. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Viam trium dierum ibimus in solitudinẽ, &c. Hęc quidem vo- *Ser. 90.*
lebat Moyses, sed contradicebat Pharao, & nõ volebat filios Israël à se longè discedere. Nõ volebat princeps huius mundi exercitũ domini trium dierũ sacramenta cognoscere, illa vtiq; sacramẽta, de quibus Propheta dixit, Viuificabit nos post duos dies, in die tertio suscitabit nos. Prima dies passio domini saluatoris est. Secunda qua dẽscẽndit ad infernum. Tertia autem resurrectionis est dies. Et ideo in die tertia deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autem in columna ignis, ducitúrque populus per mare rubrum. Tres enim dies non incongruè possumus dicere, patrem & filium & spiritum sanctum, quia & pater dies est, & filius dies est, & spiritus sanctus dies est, & hi tres vnus dies. ORIGENES. Et hæc quantum ad mysticum pertinet intellectum. Si verò etiam moralem, qui nobis perutilis est, requirimus locum, iter tridui de Aegypto proficiscimur, si
B ita nos ab omni inquinamento animæ & corporis, ac spiritus conseruemus, vt quemadmodum dixit Apostolus, integer spiritus noster, & anima & corpus in die Iesu Christi seruetur. Tridui iter proficiscimur de Aegypto, si rationalem, naturalem, moralem sapientiam de rebus mundanis auferentes, ad statuta diuina conuertimus. Tridui iter de Aegypto proficiscimur, si purificantes in nobis dicta, facta, vel cogitata (Tria sunt enim hæc, per quæ peccare homines possunt) efficiamur mundi corde, vt possimus deum videre. Vis autem videre quòd huiusmodi sunt, quæ in scripturis indicat spiritus sanctus? Pharao hic, qui est princeps Aegypti, vbi se videt vehementius perurgeri vt dimittat populum dei, secundo locò hoc cupit impetrare, ne longiùs abeant, ne totum triduum proficiscantur, & dicit, non longè abeatis. Non vult longe à se fieri populum dei? vult eum si non in facto, vel in sermone peccare: si non in sermone, vel in cogitatione delinquere. Non vult vt totum à se triduum proficiscantur: vult in nobis vel vnum diem suum habere, in aliis duos, in aliis totum triduum ipse possidet. Sed illi beati, qui integrum triduum ab eo secedunt, & nullam in eis suam possidet diem. AVGV- *Vbi supra*
C STINVS. Via igitur trium dierum potest intelligi, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et re vera qui hoc agit, & tota animi virtute custodit, non in nocte, sed in die ambulat, nec filius tenebrarum, sed filius lucis efficitur, & impletur in illo illud quod Apostolus dicit, Fuistis aliquando tenebrę, nunc autem lux in domino, vt *Ephes. 5.*
filij lucis ambulate. Quando fuimus tenebræ fratres? vtique quando vias noctis ambulauimus, id est, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati sumus. Postea verò venientes ad Christum, per ipsius gratiam relinquamus opera tenebrarum, & bene cogitando, bene loquendo, bene operando viam lucis currere festinemus. Istæ ergo sunt tres viæ per quas peruenitur ad cœlum, sicut & illæ tres aliæ sunt per quas amatores mundi perueniunt in infernum, hoc est, malum cogitare, malum dicere, malum facere. Ista est lata & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & per istas vias diues purpuratus descendit in infernum, per illas verò alias Lazarus ad Abrahæ peruenire meruit sinum. Istas tres vias obsidet inimicus, sicut de Pharaonis exercitu *Exod. 14.*
legimus, Electos ascensores ternos stantes demersit in mare rubrum. Qui sunt isti electi ascensores? Electi vti-
D que à diabolo ad luxuriam, ad malitiam, ad omnium malorum caput superbiam. Et hi ergo terni stantes, istas tres obsident vias vt ille aut hominem ad opera mala subuertat, aut ille sermonem malum eliciat, aut ille cogitationem iniquam extorqueat. Sed felix est qui totas tres istas vias deo adiuuante deuitãs, per totum triduum de Pharaonis societate discedit, ita vt nullum ille diem subtrahat inimicus, nec splendorem fidei eius vertat in noctem. Et ideo fratres, faciamus illud quod scriptum est: omni custodia serua cor tuum. Considere- *Prou. 4.*
remus cum dei adiutorio, & custodiamus corda simul & conscientias nostras. Et si est quisquam in nobis cui cogitationem malam inimicus eliciat, quantum potest laboret, vt vel in sermone non peccet, vt si eum diabolus vnum diem rapuit, & conuertit in noctem, vel secundum diem in illo obtinere non possit. Si verò & hoc subtilitate callidissima potuerit obtinere, vt malum & corde cogitemus, & ore loquamur, si iam duos dies perdidimus, vel vnum diem cum dei adiutorio conseruemus, ne etiam nos vsque ad opera mala possit nequitia inimici subuertere. Si verò & hoc factum est, non tamen de misericordia desperemus, sed
E citò per pœnitentiam de luto fecis pedes animæ nostræ excutere festinemus. ORIGENES. Non autem putetis, quia tunc tantummodo eduxit Moyses populum de Aegypto. Et nunc Moyses quem habemus nobiscum (habemus enim Moysen & Prophetas) id est, lex dei vult te educere de Aegypto, si audiamus eam, vult te longè facere à Pharaone, eruere te cupit de opere luti & palearum, si tamen audias legem dei, & spiritualiter intelligas. Non vult te in carnis, & tenebrarum actibus permanere, sed exire ad eremum, venire ad locum perturbationibus & fluctibus seculi vacuum, venire ad quietem silentij. Verba enim sapientiæ in silentio & quiete discuntur. Ad hunc ergo locum quietis cùm veneris, ibi poteris immolare domino, ibi legem dei, & virtutem diuinæ vocis agnoscere. Propterea ergo cupit te Moyses eruere de medio fluctuantium negociorum, & de medio perstrepentium populorum, propterea cupit te exire de Aegypto, id est, de tenebris ignorantiæ, vt legem dei audias & lucem scientiæ capias. Sed obsistit Pharao, relaxare te non vult rector tenebrarum harum, non vult te abstrahi de tenebris suis, & ad scientiæ lumen adduci, & audi quid dicit, Quis est domi-
F nus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio dominum, & Israël non dimittam. Audi quid respondet princeps huius mundi, Nescire se deum dicit. Sed vide in Euangeliis, quomodo verberatus emendet hanc vocem, scriptum est enim quia clamauerunt dæmones ad dominum, & dixerunt, Quid venisti ante tẽpus torquere nos? Scimus te qui sis, tu es filius dei viui. Vbi torméta senserunt, sciunt dominũ. Ante flagella dicit, nescio dominũ, & Israël non dimitto, sed postea Israël dimittit, & non solùm dimittit, sed ipse perurgebit eũ exire. Nulla enim societas lucis ad tenebras, nulla pars fideli cum infideli. Sed quid adhuc addit in respõsis suis? Quare (inquit) Moyses & Aaron peruertitis populum ab operibus? Discedite vnusquisque ad opus vestrũ. Donec secũ est populus, & lutum operatur ac laterem, donec in paleis occupatus est, nõ putat eũ esse peruersum, sed recto itinere incedere. Si verò dicat, volo ire viam triũ dierum, & seruire domino, peruerti populum dicit per Moysen & Aarõ. Hoc quidẽ dicebatur antiquis. Sed & hodie si Moyses & Aaron, id est, propheticus & sacerdotalis sermo animã sollicitet ad seruitiũ dei, inuitétq; eã exire de seculo, renũciare omnibus quę possidet, operam

dare diuinæ legi, & ſequi verbum dei, continuò audies dici ab his qui Pharaoni vnanimes & amici ſunt, Videte quomodo ſeducuntur homines, & peruertuntur, quales adoleſcentes ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis proſit, relictis rebus neceſſariis & vtilibus ineptias ſectantur & otium. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius & familiares loquuntur. GRAECVS. Aegyptus tenebræ interpretatur. Par eſt igitur ac neceſſarium, nos qui ſpirituales ſumus, ſpiritualiter his quæ vmbris ac figuris circũuelata ſunt, operam noſtram conferre. Oportet enim nos ab omni tenebricoſa re diſcedere ac reſilire, regionẽmque à tyranno Satana hactenus dominatam relinquere, viámque non dæmonibus ſubiectam inſiſtere, ſed legitimum viuendi genus aggredi, atque ita fiet vt iuſtitiæ fructus domino ſacrificare valeamus.

2 *DIxítque Pharao: Multus eſt populus terræ. Videtis quòd turba ſuccreuerit, quantò magis ſi dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens, Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut priùs, ſed ipſi uadant & colligant ſtipulas, & menſuras laterum quos priùs faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quicquam. Vacant enim, & idcirco uociferantur, dicentes, Eamus & ſacrificemus deo noſtro. Opprimantur operibus, & expleant ea, ut non acquieſcant uerbis mendacibus.*

2 GREGORIVS NYSSENVS. Poſtquam dei famuli Moyſes & Aaron, cum tyranno de libertate populi ex dei mandato locuti ſunt, ille magis irritatur, imperat duriora, vt non ſolùm luto, ſed paleis ſtipuliſque colligendis afflicti Iudæi contabeſcãt. Ait ergo: *Dixítque Pharao, Multus eſt populus terræ.* CAIETANVS. Quãuis non exprimatur quibus dixerit, ſubiuncta tamen manifeſtant, quòd dixerit illis quibus incumbebat cura operis Hebræorum. Et hinc apparet, quòd edictum de exponendis infantibus abrogatum fuerat, alioquin non rediret Pharao ad primum remedium opprimendi populum oneribus, nec tam multiplicatum teſtaretur. *Videtis quòd turba ſuccreuerit, quantò magis ſi dederitis eis requiem ab operibus?* INTERLINEARIS. Id eſt, ſi non exerceatis eos in operibus terrenis. CAIETANVS. Horrentis eſt negligentiã præfectorum concedentem otium Iſraëlitis. AVCTOR CATENAE. Videtis quòd turba ſuccreuerit, & cętera. Hebraica litera eſt huiuſmodi: וְהִשְׁבַּתֶּם אֹתָם מִסִּבְלֹתָם Vehisbattem otham miſiblotham, Et ceſſare ſeu quieſcere facitis eos ab operibus ſuis. Ita habet & Chaldaica. Vel ceſſare feciſtis, aut facietis ab oneribus, ſeu laboribus ſuis. Hoc eſt, populus tam multus eſt, & eis otij copiam datis, & ipſi freti multitudine, intermittunt opus, & cogitant de rebellando. Vel cùm multus ſit nũc populus iſte, reuocabitis ne eos à laboribus eorum? Quaſi dicat minimè. Et hunc ſenſum fortè ſequũtur Septuaginta habentes, *μὴ οὖν καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ ἔργου μου*, Non igitur ceſſare faciamus eos ab operibus. Dicit igitur Pharao, Si laboribus tantis ac ærumnis oppreſsi, tantoperè tamen creſcunt & multiplicantur in noſtrã perniciem, & ad ſuam libertatem, quantò magis ſi otio vacent, & molliter viuere permittantur? *Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens.* CAIETANVS. Priùs rationẽ propoſuit ex multiplicatione Iſraëlitarum, deinde præceptum adiunxit. Non ſunt autem iſti præfecti, illi qui inferius referuntur flagellati ſeu percuſsi. Iſti enim præfecti erant à Pharaone, & præerant exactoribus: illi autem Hebræi erant, & inſtituti ab exactoribus. AVCTOR CATENAE. Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi. Hebraicè eſt הַנֹּגְשִׂים בָּעָם וְאֶת שֹׁטְרָיו Hanogſim baham veeth ſotraf, Exactoribus qui erãt in populo, & præfectis eius. Dicúntque exactores eſſe publicorum operum, qui ex aula Pharaonis inſtituti, demenſum præſcribebãt pro perſonis & temporibus exhibendum in laboribus. Quibus ſuberant ex filiis Iſraël ſelecti, qui præfecti populi dicebantur, & illum ad opus vrgebant, quos Hebræi præcones & ſollicitatores pro ſingulis operibus vocabãt, rationem exactoribus reddituri. Alij è contrà, præfectos populi, anguſtiatores eius ex domo Pharaonis fuiſſe dicũt, exactores autem, ſollicitatores ex Hebræis, qui præfectis Aegyptiis rationem operum reddebant. Chaldaica ferè vt apud nos legit, videlicet, Et præcepit Pharao in die illo præfectis populi, & exactoribus eius. Septuaginta, *τοῖς ἐργοδιώκταις τοῦ λαοῦ καὶ τοῖς γραμματεῦσι*, præfectis operum & ſcribis. *Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ſicut priùs, ſed ipſi uadant & colligant ſtipulas, & menſuras laterum quos priùs faciebant, imponetis ſuper eos, nec minuetis quicquam.* INTERLINEARIS. Paleæ dabantur, vt admixtione earum tenacius fieret opus, vel vt ex eis lateres coquerentur, ideo autem maximè in Aegypto lateres fiebant, vt inde ciuitates fierent, quia ibi lapides non abundant. CAIETANVS. Dictio interpretata conficiendum, ſi Latinus ſermo admitteret, interpretanda eſſet laterandum, perinde enim in Hebræo habetur, ac ſi diceremus ad laterãdum lateres. Quod ideo dixerim, vt percipiatur neceſsitas ſeu vtilitas paleę ſeu fœni ad lateres. Hinc enim inſinuatur, quo ad ipſam cõpoſitionem laterum cõferebant. AVCTOR CATENAE. Vtitur profectò hic Hebraiſmus nomine & verbo ab eadem radice formatis, ſcilicet לִלְבֹּן הַלְּבֵנִים Lilbon halebenim, ad laterificãdos lateres, ſeu vt laterificent lateres, id quod rectè noſtra editio vertit & Chaldaica, Ad conficiẽdos lateres. Septuaginta etiam, *εἰς τὸν πλινθουργίαν*, In laterificium. Quod etiam ſequitur hîc & paulò inferius, ſicut priùs, egregiè vertit Interpres Hebraiſmum כְּתֹכֶל שִׁלְשֹׁם Chithmol ſilſom, Sicut heri & nudius tertius, quem tamen retinent Chaldaica & Septuaginta. Sed & quod ſubiungitur, Et menſuram laterum, quia dictio מָתְכֶּנֶת Mathechóneth, ſignificat numerũ, menſuram, & compoſitionem, hinc eſt quod aliqui hîc habent, Et numerum laterum, vt eſt in Chaldaica. Aliqui, Et conſtructionem laterum, vt vertunt Septuaginta *τὸν σῶρα αὐτῶν*. Aliqui, Et ſummam. ſed vbique eſt idem ſenſus. Præſcriptum ergo iamdudum fuerat operis demenſum per dies ſingulos, hoc ſic cõtinuari præcipitur, vt tamen ſtipulas antea præbitas à præfectis, nunc quoque ipſimet corradere & conſtipulare cogantur, vt non ſolùm numerum totum reddant quotidie laterum, ſed inſuper paleas ſibi conquirant. *Vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes, Eamus & ſacrificemus deo noſtro.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Pigri ipſi. Pigritiæ attribuitur religio. AVCTOR CATENAE. Vacant enim, id quod Hebraicè legitur רָפִים הֵם Chi nirpim hem, Quoniã otio torpent vel vacãt, ſiue otioſi ſunt: Aut, ſunt enim remiſſo animo. Quæ omnia ſignificat verbum רָפָה Rapha, vt ſit ſenſus, diſſoluti ſeu laxati ſunt ab opere & labore. Eſt autem nirpim participium



A ticipium paſsiuum primæ, à dicto verbo deriuatum. *Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquieſcant verbis mendacibus.* INTERLINEARIS. Vide quomodo princeps Aegypti quicquid contra ſe dicitur, mendacium dicit. GRAECVS. Obſeruandum etiam reges Aegypti eiuſdem animi ac ſententiæ aduerſum Hebræos fuiſſe, vt propemodum mentem hanc per manus inter ſe tradiderint. CAIETANVS. Ex hoc autem loco clarè apparet quòd Pharao exiſtimabat Moyſen & Aaron finxiſſe diuinã apparitionem. AVCTOR CATENAE. Opprimantur operibus. Succinctè collegit Interpres Hebraicũ, ibi enim eſt: תִּכְבַּד הָעֲבֹדָה עַל הָאֲנָשִׁים Tichbad hahaboda hal haanaſim, Aggrauetur ſeruitus, ſeu opus ſuper viros. Sic & Chaldaica. Septuaginta verò, *βαρυνέσθωσαν τὰ ἔργα τοῦ ἀνθρώπου τούτου*, Aggrauentur opera horum hominum. Quod eſt idem, Quod verò ſequitur, Et expleant ea, ibi legitur וְיַעֲשׂוּ בָהּ Veiahaſu ba, Et occupentur in eo, ſcilicet opere, & ita habet Chaldaica, vel, Et faciant in eo, aut expleant illud: ſiue, qua (nempe ſeruitute) ſe ſe exerceãt. Septuaginta, *καὶ μεριμνάτωσαν ταῦτα*, Et curent hæc. Sed omnia iſta vnum ſignificant. Demum quod dicitur, vt non acquieſcant verbis mendacibus, Hebræum habet: וְאַל יִשְׁעוּ בִּדְבָרֵי שָׁקֶר Veal iſau bedibre ſáker, Et non aſpiciant, ſiue aduertãt verba mẽdacij. Vel, Et non reſpiciant ad verba vana, ſiue res vanas. Seu, Et ne confidant in verbis mendacij. Aut, Vt non attendant verbis fallacibus. Chaldaica, Et non occupentur in verbis otioſis. Septuaginta, *καὶ μὴ μεριμνάτωσαν ἐν λόγοις κενοῖς*, Et non curent in rebus vanis. Et eadem ſunt cum litera noſtra. verba autem vana & fallacia, ſiue mendacia, appellat verba Moyſi & Aaron, quibus fallere & decipere dicebat populum Iſraëlitarum. Vide quomodo mendacium habetur quicquid pauperes pro ſe allegant. Et quomodo verbum dei falſitas eſt iudicio impiorum. Cultus dei ſtultitia illis eſt, vanitas ac riſus. Tyrannorum profectò hîc mores deſcribuntur, & ferocitatis exempla, qui dum deus populum è ſeruitute & captiuitate vocat, indurati grauiùs premunt. Interim ſeruos ſuos deus maiori exponit periculo, & inuidiam maiorem erga Pharaonem conflat. Sed ſic regere debent qui iudicio diuino propediem regno pellendi ſunt. Talia ſunt opera prouidentiæ diuinæ, ita initia ſancta, grauia ſunt

B C & difficilia: laborandum tamen eſt ſudandúmque verbi miniſtris. Nemo ad ſummam requiem ſine ſummo labore vnquam contendit. Sic igitur libertati viam aperit atque parat grauato populo nimia crudelitas exactionũ

INTERLINEARIS. Pharao dicens, Multus eſt populus terræ, Diaboli typum ſignificat inuidẽtis quòd dei populus creſcat. Præcipit etiam præfectis operum & exactoribus populi, hoc eſt, dęmonibus qui præſunt diuerſis vitiis, vt populo non dent paleas, id eſt, fidelibus vilem & paruum victum ſubtrahant, vt ipſi vndecunque illum acquirant, & tamen opera mala non minus faciant, ſicut prodigo filio eueniſſe legimus, ad hoc vt operibus ſuis opprimantur. Vacant enim (inquit) & idcirco vociferantur, dicentes, Eamus ſacrificemus deo noſtro, gratis enim victualia habentes recedere à nobis volunt: non enim deo ſeruire poſſunt & Mammonæ. Opprimantur operibus, luti videlicet & carnis, vt obliuiſcantur deum ſuum. Sæpe etiam vi mala facere dæmones compellunt, ſi blanditiis nequeunt. BERNARDVS IN SERMONIBVS PARVIS. Hiſtoriam hanc ſummatim delibantes, mortalitatis fructus decerpamus. Fames coegit Iſraël intrare in Aegyptum: ſtatim reD perit ibi nouum dominum: & de libero ſeruus efficitur, ex illius regionis inhabitatione redigitur ſub poteſtate Pharaonis, qui maſculos præcepit interfici, fœminas reſeruari. Iſraël operibus luti & lateris duriter affligitur, Pharao paleas miniſtrat laborantibus. Fames coëgit, non fames panis, neque ſitis aquæ, ſed audiendi verbum dei, compellit multos intrare Aegyptum, hoc verbum dei eſt lux vera quæ illuminat omnem hominen venientem in hunc mundum. Vnde Pſalmiſta, Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Qui hanc lucem ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ. De luce præceptorum tranſitur ad lumen præmiorum. Qui huius diuini verbi patitur egeſtatem cogitur intrare Aegyptum, id eſt, tenebras. Inuoluitur enim tenebris ignorantiæ: & ſubiacet dominio Pharaonis, id eſt, diaboli, qui princeps eſt Aegypti, hoc eſt, tenebrarum: iuxta illud Apoſtoli, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates: aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Sub iugo Pha-

E raonis fiunt lutea opera, id eſt, diſſoluta & ſordida. Ab ipſo dantur paleæ, id eſt, leues cogitationes. Palearum eſt leuiter accendi, & in momento conſumi. Sic & malæ cogitationes à diabolo immiſſæ, citò in mentibus noſtris accenduntur carnis mollitie conſentiente. Sed ſi viriliter ſtudeamus reſiſtere, deo iuuante protinus extinguuntur. Paleis accenſis coquebatur lutum & ſolidabatur in lateres, & prauæ cogitationes quæ ſunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cùm tranſeunt in actum, tunc decoquuntur: cum verò ducuntur in conſuetudinem, tunc ſolidantur. EX COLLATIONIBVS PATRVM. Nec hoc quidem prætereundum putamus, quòd frequentiſsimè ſeniores noſtri idcirco ſacris Quadrageſimæ diebus maximè impuF gnari omne monachorum genus antiqua inimicæ gentis conſuetudine teſtabantur, & ad tranſmigrandum de ſuis ſedibus acriùs perurgeri, eo quòd ſecundum illam ſimilitudinem qua tunc Aegyptij filios Iſraël violentis afflictionibus opprimebant: nunc quoque verum Iſraël, id eſt, monachorum plebem intellectuales Aegyptij duris ac lutulentis operibus incuruare conentur, ne per amicam deo quietem, terram Aegyptiam deſerentes, ad eremum virtutum ſalubriter trãſeamus. Ita vt aduerſum nos Pharao infremens dicat, otioſi ſunt, & idcirco vociferantur, dicentes, Eamus & ſacrificemus domino deo noſtro: opprimantur laboribus, & ſolliciti ſint in operibus ſuis: & non ſint ſolliciti in verbis vanis. Nam vtique vanitas impiorũ ſanctum domini ſacrificiũ quod non niſi in eremo liberi cordis offertur, ſummam eſſe aſtruit vanitatem. Abominatio eſt enim peccatori religio.

*Mystice.*

*Ser. 34.*
*Gen. 42. & 43.*
*Exod. 1.*
*Ioan. 1.*
*Pſal. 18.*
*Epheſ. 6.*
*Coll. 21. Cap. 28.*
*Exod. 5.*

3 *EGitur egreſsi præfecti operum & exactores ad populum, dixerunt: Sic dicit Pharao, Non do uobis paleas. Ite & colligite ſicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere ueſtro. Diſperſúſque eſt populus per omnem terram Aegypti ad colligẽdas paleas. Præfecti quoque operum inſtabant, dicentes, Complete opus ueſtrum quotidie, ut prius facere ſolebatis, quando dabantur uobis paleæ. Flagellatique ſunt qui præerant operibus filiorum Iſraël, ab exactoribus Pharaonis dicẽtibus: Quare non impletis menſuram laterum ſicut prius, nec heri, nec hodie? Veneruntque præpoſiti filiorum Iſraël, & uociferati ſunt ad Pharaonem, dicen-*

*tes, Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum. Qui ait, Vacatis otio, idcirco dicitis, Eamus & sacrificemus domino. Ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur uobis, & reddetis consuetum numerum laterum. Videbántque se præpositi filiorum Israël in malum, eo quòd diceretur eis, Non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies.*

AVCTOR CATENAE. Post narrata domini mandata ad regem, opprimit ille Israëlitas multo grauio-
3 ri tyrannide quàm antea. Vetat ne paleæ dentur ad conficiendos lateres, sed vt ipsi paleas colligant. Mandat vt nihilominus conficiant statutum numerum laterum, perinde ac si adhuc darentur ipsis paleæ. Et cùm Israëlitæ non possent illud præstare, percutiuntur præpositi eorum vsque adeò vt iam tum primùm inciperent res Israëlitarum in peiori statu esse quàm vnquam in Aegypto fuerint, & videretur prorsus conclamatum esse de salute H ipsorum. Id ergo nunc sacra prosequitur historia, inquiens. *Igitur egressi præfecti operum & exactores ad populum, dixerunt, sic dicit Pharao, Non do vobis paleas.* Sicut & superius, in omnibus editionibus præterquam Septuaginta legitur, præfecti populi & exactores eius. De quibus etiam dic vt supra, Nõ do vobis paleas. Hebraismus est, pro non daturus sum vobis posthac paleas, quæ de regia domo seu publicis impensis dari consueuerant. Vnde Chaldaica habet, Non ego dabo vobis paleas. Sic igitur ad calamitatem laborum in corpore adiicitur mẽtium quoque perturbatio, quum audiunt nullam ipsis haberi commiserationem vel gratiam. Augerique crudelitatem eorum quos præfectos acceperant operum, vt adigantur ad extremam desperationem, vt dominum etiam deum suum dubitent sibi propitium & clementem, de cuius iam pietate in se Prophetas audierant, hos nunc mentitos credere incipiunt, tentatione adacti prævalida. *Ite & colligite sicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere vestro.* Impossibilia imbecillis imperantur à tyrannis. Non enim ostenditur modus & locus inueniendi paleas, sed iu-I bentur quærere alicubi, si apud aliquem valeant inueniri, quasi dicãt, siue contingat inuenire vos paleas, siue minùs, curabitur tamen à vobis decretus quotidie numerus laterum sine clementia. *Dispersúsque est populus per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes, Complete opus vestrum quotidie, vt priùs facere solebatis quando dabantur vobis paleæ.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et exactores vrgentes, dicentes. Præfecti enim maiores erant. AVCTOR CATENAE. Ad colligendas paleas. In Hebræo est: לְקַשׁ קַשׁ לַתֶּבֶן Lekoses kas latében, Ad colligendas stipulas, seu quisquilias pro paleis, id est, quibus palearum vice vterentur. Chaldaica, Ad colligẽdas stipulas & paleas. Septuaginta, σαναγαγεῖν καλάμην εἰς ἄχυρα, Vt congregaret stipulam in paleas, id est, ad vsum palearum. Quod autem sequitur, Præfecti quoque operum instabant, Hebraicè legitur וְהַנֹּגְשִׂים אָצִים Vehanogsim azim, Et exactores vrgebant. Sed idem cum litera nostra. Quod verò subiungitur, Complete opus vestrum quotidie, vt priùs facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ, idem est quod ibi legitur: כַּלּוּ מַעֲשֵׂיכֶם דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ כַּאֲשֶׁר בִּהְיוֹת הַתֶּבֶן Callu mahasechem debar iom biiomo, caaser bihioth hatében, Implete opus vestrum rem de die in diem, siue rem diei in die suo, perinde ac si adessent paleę. Alij reddunt, per-K ficite opera vestra per singulos dies, quemadmodum cùm erat palea. Alij, perficite opus vestrum, cuiusque diei demensum suum, perinde ac dum erant vobis paleæ. Hoc est, facite vt reddatis pensum diurnum in tẽpore suo, quemadmodum faciebatis cum dabatur vobis palea. Chaldaica ferè habet vt in litera nostra: Septuaginta, σωτελεῖτε τὰ ἔργα τὰ καθήκοντα καθ' ἡμέραν, καθάπερ καὶ ὅτε τὸ ἄχυρον ἐδίδοτο ὑμῖν, Complete opera pertinẽtia per die, sicut & quando palea dabatur vobis. Coacti sunt itaque Israëlitæ labore multo colligere paleas, & contrahere ex tota Aegypto pro lateribus conficiendis, ex non vna aliqua terra, sed circunfusi vndique non sine grandi fatigatione vsque ad ludibrium impiorum. Quis tunc credidisset hunc populum tam afflictum habere deum clementem & potentissimum, qui in extremam miseriam protruderet cultores suos? Non hæc fieri poterant sine fidei tentatione in piis, & sine blasphemiis irridentium deum Israëlis. Sic ergo tum maximè populus dei affligitur, cùm propinqua est salus ac liberatio. His autem (inquit dominus) fieri incipientibus, suspicite atque attollite capita vestra, ecce enim appropinquat redemptio vestra. *Flagellatúque sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exL Ectoribus Pharaonis, dicentibus, Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri nec hodie?* HVGO DE SANCTO VICTORE. Nota quòd diuersi erant præpositi, quidam de Hebræis qui verberabantur, quidam de Aegyptiis qui verberabant illos, & violenter exigebant opera ab ipsis præpositis Hebræis. CAIETANVS. Hinc clarè apparet discretio præfectorum quam suprà diximus. AVCTOR CATENAE. Ab exactoribus Pharaonis, dicentibus. Summat doctus Interpres quæ multis verbis habentur in Hebræo אֲשֶׁר שָׂמוּ עֲלֵהֶם נגשׂי פַּרְעֹה לֵאמֹר Aser Sámu halehem nogse pharho lemor, Quos constituerãt, seu posuerunt super eos exactores, seu præfecti Pharaonis, dicentes. Ita habet Chaldaica, ita & Septuaginta. Et est sensus, quòd præpositi operum filiorum Israël percussi, erant constituti ab exactoribus Pharaonis, vt præessent Israëlitis, & vrgerent eos ad opera. Quod verò positum est, Mensuram laterum, Hebraicè est חֻקְּכֶם לְלִבֵן chakchem lilbon, quod & pensum, & demensum, & statutum, & præceptum vestrum lateritium, aut in lateribus conficiendis, seu, vt laterificaretis, verti potest. Chaldaica numerum vestrũ vt conficeretis lateres dicit. Septuaginta, σωτάξεως ὑμῶν τῆς πλινθίας, cõstructiones M vestras lateritij. Deinde more solito Interpres Hebraismũ restringens, scitè vertit, sicut prius, nec heri, nec hodie. Loco cuius est ibi: כְּתִמּוֹל שִׁלְשֹׁם גַּם תְּמוֹל גַּם הַיּוֹם Chithmol silsom gam temol gam haiom. Sicut heri & nudiꝰ tertius, etiã heri, etiã hodie, Vel sicut iã pridẽ, sic hodie. Et est sensus prout in litera nostra. Chaldaica, Vt cõficeretis lateres sicut nudius tertius, nec heri, nec hodie Septuaginta, καθάπερ καὶ ἐκθὲς ἢ τρίτην ἡμέραν, καὶ τὸ τῆς σήμερον, Sicut & heri & tertia die, & quod hodie. Cędebãtur itaq; nõ solũ ij qui laborabãt, sed sollicitatores & prẽcones operum de filiis Israël instituti vapulabãt, si quando numerũ integrum laterum, pensum diurnum non obtulissent prẽfectis regiis, qui Aegyptij erãt. Contra rationẽ & omnẽ humanitatẽ de industria exigebãt opus factu nõ possibile, vt occasio haberetur eos durissimè affligẽdi. *Venerúntque præpositi filiorũ Israel, & vociferati sunt ad Pharaonẽ, dicẽtes, Cur ita agis cõtra seruos tuos? Paleæ nũ dãtur nobis, & lateres similiter imperãtur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur cõtra populũ tuum*



A *tuum.* CAIETANVS. proponunt pœnam illatam, proponunt & culpam nullam; eo quòd impossibile exigatur, vt hinc iniustitia manifesta appareat. AVCTOR CATENAE. Et lateres similiter imperantur, idẽ est quod Hebraicè legitur וּלְבֵנִים אֹכְרִים לָנוּ עָשׂוּ Vlbenim omrim lánu hasu, Et lateres, seu lateritium dicunt nobis facite. Sic & Chaldaica & Septuaginta. Quod verò apud nos est, Et iniustè agitur contra populum tuum, in Hebræo legitur וְחַטָּאת עַמֶּךָ Vechatath hammẽcha. Quod variis modis exponitur. Alij nanque reddunt, Et peccabit populus tuus, dicúntque futurum esse pro præsenti, id est, peccat, quasi dicat, peccati reus iudicatur, Vel pũnitur perinde quasi peccarit in regiam maiestatem detrectando mandatũ regis. Vt חַטָּאת sit sicut חַטָּאָה, Et Thau ponitur vice He, & Aleph quiescit. Alij exponunt, Et peccatum populi tui, scilicet Aegyptij est, iniustè nos afB fligendo, vel peccatum populi tui, scilicet super te est, qui iniustè nos percutit, siue peccatum est populi tui quia sic sæuitur in populum tuum Hebræum, quasi in peccatorem. Vertunt nonnulli, Et punitur populus tuus. Chaldaica, Et peccat super eos populus tuus. Septuaginta, ἀδικήσεις οὖν ἐν λαῷ σου, Iniuria ergo afficies populum tuum. Coguntur itaque miseri Hebræorum præcones, sollicitatores & scribæ Regem accedere, & conqueri præfectorum insolentiam & crudelitatem, sed vanè omnia. Iniustè inquiunt, agitur contra populum tuum. Peccatum populo tuo imputas, quasi dicant: Nos quidem cædimur, at peccatum & culpa non nostra est, sed populi non potentis absoluere opus quod iniungitur, aliena culpa cædimur, & ad impossibile miseri compellimur. Non sunt autem iuxta Latinam editionem ausi apertè dicere, iniustè agis contra populum tuum, ne Regem offenderent, & vt honori deferrent regio, sed iniustè agitur, scilicet ab exactoribus tuis, & contra intentionem tuam, nec tamen propter hoc remissionem aliquam inuenerunt. *Qui ait, Vacatis otio, idcirco dicitis, eamus, & sacrificemus domino.* INTERLINEARIS. Tanquam dicat, beneficium subtraho, quia non agnoscitis. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, pigri vos, pigri. Pigritiam imponit exaggerando, & attribuendo illi religionem eorum. AVCTOR CATENAE. Qui ait, Vacatis otio. Hebraicè est
C נִרְפִּים אַתֶּם נִרְפִּים Nirpim attem nirpim, Otiosi vos, siue estis otiosi. Ita habet & Chaldaica: siue, Remissi, remissi estis, vel cessatis vos, cessatis. Aut, otio torpetis vos, & vacatis: siue, vacatis, vacatis. Est enim eadem dictio Nirpim, de qua supra. Septuaginta, σχολάζετε, σχολασαὶ ἐστὲ, Vacatis, otiosi estis. Quod autem sequitur, Eamus, & sacrificemus, alij verterunt, Ibimus, & sacrificabimus. Sunt enim eędem dictiones de quibus dictum est supra hoc eodem capite. Et ponuntur pro, liceat nobis ire & sacrificare. Indignantis itaque, & crudelissimi tyranni sæuitia exprimitur conduplicatione sermonis, quum dicit, Vacando vos vacantes estis, & remittitis operas otiosi; alioqui non loqueremini de instituto festiuitatis celebrandæ deo vestro in solitudine, falsa fingentes *Ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Vbi sperassent clementiam impetrandam, scilicet apud regem, qui vt plurimum præfectis solent esse clementiores, ibi acerbius mandatum inueniunt. Iubentur id ipsum subire onus sine indulgentia, quod causati vt grauissimum fuerant. *Videbántque se præpositi filiorum Israel in malum, eo quòd diceretur eis, Non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies.* Egregiè locum hunc ver-
D tit, & clarũ reddidit Interpres. Et sic etiam habetur in Chaldaica editione. Et est sensus, quòd prępositi filiorum Israël deprehenderunt se ipsos in malo esse, hoc est, in grauissimis angustiis constitutos, quòd Septuaginta dicunt ἐν κακοῖς, in malis. Vel viderunt secum male agi. In quibusdam etiam Latinis codicibus non in malum, sed in malo legitur, quod tamen sensum non mutat. Eo quòd diceretur eis, non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies. Hoc idem est quod Hebraicè legitur, לֹא תִגְרְעוּ מִלִּבְנֵיכֶם דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ Lemor lo thigrehau milibnechem debar iom biiomo, Eo quòd diceretur eis, subaudi à rege, Vel dicendo (supple ipsi præpositi secum, hæc dicit Pharao) Non minuetur de lateribus vestris de re diei in die suo. Hoc est, non minuetur quicquã de summa vobis imposita, de penso vestro diurno laterum, quin illud reddatis tempore suo. Alij vertunt, Demensum scilicet vniuscuiusque diei. Alij simpliciùs, Non minuetis, seu minuatis quicquam de lateribus vestris per singulos dies, & ita habet Chaldaica. Demum nonnulli, Nihil minuetis de lateribus vestris rem diei in die suo. Septuaginta verò οὐκ ἀπολείψετε ἀπὸ τῆς πλινθίας δ' καθ' ἡμέρα, Non relinquetis à lateritio
E quod pertinet ad diem. Sed omnium horum sensus idem cum litera nostra. Sic ergo viderunt se afflictos & pressos Israëlitici præpositi, malèque propitios tam Aegyptios quàm regem experiebantur. Tota Aegyptus iniuriarum rea fieri debuit, quæ vnà cum suo rege tota in mari rubro submergenda erat.

RVPERTVS. Et hæc quidem secundum literam plana sunt. Porrò sub litera fulgidus allegoriæ sensus *Mysticè.* hic est. Pharao quod interpretatur dissipans, diabolus est, & regnum eius mors. Regnauit (inquit Apostolus) ab *Rom.5.* Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ: vsque ad Moysen regnauit (inquit) mors, id est, peccatum, per quod mors in hunc mundum introiuit, nullam ante legem ex præceptis iustitiæ contradictionem habuit, cunctis in anima mortuis, & çorpore morientibus. Moyses nanque & Aaron contra Pharaonem agentes, legem significant, & legis sacerdotium, per quæ iustitia contra diabolum ad destructionem peccati, & mortis vocem aliquam habere cœpit. At vbi venit mandatum legis, regnans peccatum & mors infremuit. Quid ergo dicemus, inquit idem Apostolus, Lex peccatum? Absit. Sed pecca-
F tum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Occasio- *Rom.7.* ne autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Hæc quia melius ex singulis hominibus cognoscitur, continuò sequitur, Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit, &c. Quando enim sine lege viuit homo? tunc videlicet, quando adhuc sine timore peccat, quando nullum adhuc propositum habet vt peccato resistat, sicut verbi gratia, iuuẽculus aut adolescentula vaga. Quando autẽ venit mandatũ? tũc profectò, quando metu pœnę futurę veterẽ proponit consuetudinem relinquere, & propter mandatũ iustitiam tenere. Illic pugna est. Nã caro cõcupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem, & hæc sibi inuicẽ aduersantur, vt non *Gal.5.* quęcunq; volumus, illa faciamus. Talis homo postmodũ in eodẽ Apostolo dicit, Cõdelector legi dei secundum *Rom.7.* interiorẽ hominẽ. Videó autẽ aliam legẽ in mẽbris meis, repugnãtem legi mentis meę, & captiuantẽ me in legẽ peccati, quæ est in membris meis. Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per

Iesum Christum dominum nostrum. Quando liberat ista dei gratia: tunc videlicet, quando bellicosus animus G post tentationes carnis adhuc in corpore manens, consolationis spiritu dimulcetur, & post colaphos stimulantis Satanæ, aurea libertatis torque donatur. Sic vnus homo, sic triplici statu totus proficit mundus. Antequam lex subintraret, regnabat quidem mors, & ille fortis armatus custodiebat atrium suum, erántque in pace omnia
*Matth. 12. Luc. 11.* quæ possidebat. Veruntamen peccatum non adeò imputabatur, vt & præuaricatio nuncuparetur, vbi enim non est lex, ibi nec præuaricatio, & idcirco lentiùs grassabatur in subditos ille tyrannus. At vbi lex subintrauit, & fortis, illius munitiones explorare venit, ille hoc præsentiens, infrendens fremuit, & tandem captiuorum libertatem suspirantium colla conscidit, donec fortior superueniens vinceret eum, & spolia eius diriperet, cantantibus eis quos liberauit, quia per Moysen lex data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. ORIGENES. Sed & aliter. Non solùm verbis cõtra seruos dei res agitur, sequuntur & verbera. Flagellare iubet Pharao scribas Hebræorum, paleas non dari, opus exigi. Hæc pertulerunt patres, ad quorum figuram sæpe etiam populus dei qui est in Ecclesia patitur. Inuenies enim si consideres eos qui se ex integro principi huius mundi tra- H
*Ioan. 1.* diderunt, prosperis successibus agere, omnia eis vt ipsi putant, feliciter euenire, seruis autem dei sæpe nec hæc quidem humani victus humilia & parua succedere. Istas enim puto videri paleas, quæ à Pharaone ministrãtur. Fit ergo sæpe vt deum timentes, vili hoc etiam, & paleis simili indigeant victu. Sæpe etiam persecutiones sustinent tyrannorum, perferunt cruciatus & sæua tormenta, ita vt fatigati nonnulli dicant ad Pharaonem, Vt quid tu affligis populum tuum, Superati nanque verberibus nonnulli à fide decidunt, & confitentur se esse populum Pharaonis. Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ, nec quia sunt semen, sunt omnes & filij. INTERLINEARIS. In eo autem quòd nihil minui vult Pharao de statuto laterum numero, indicatur nobis, quòd continuè vult diabolus & ministri eius opera mala fieri, vt vsu & consuetudine trahatur quisque GREGORIVS NYSSENVS. Tyrannus enim ac hostis noster, humanę naturę deprauator, semper studet, ne ad cœlũ oculos eleuare possimus, sed in terram continuò inclinati, lateres in ea ex luto faciamus. Nam quicquid in hac vita inuenitur, quo quis materialiter ac sensualiter fruatur, id aut ex terra est, aut ex aqua, siue ad ventrẽ, siue ad I
diuitias pertinens. Horum autem elementorum mixtura lutum fit, quo repleti, qui ad lutosas has inhiant voluptates, nunquam se plenos retinere possunt, sed quamuis semper se impleant, semper tamen vacui sunt. Nam quemadmodum laterum fictor aliud atque aliud lutum formæ qua lateres figurat imponit, adeò vt forma plena semper, & vacua semper luti dici possit, quoniam cùm hoc receperit atque firmauerit, nullus amplius vsus ipsius ad hoc est, sed ad aliud ad quod vacua est. Sic appetendi vis si quis eam his terrenis cupiditatibus replere studeat, & si quod indies cupit assequatur, eóque se repleat, vacua tamen semper est, cùm ea quæ habuit respuat, & in aliud atque aliud continuè feratur. Nec finis miserrimi ardoris cupiditatum esse potest, nisi quis carnalem vitam repellat. Paleæ verò quas lateribus immiscere coguntur, iam à sacratissimo Euangelio, & diuina Apostoli tuba quid significent expositum est. Materiam enim ignis per culmos & paleas ostendi confirmãt, quam quidem materiam ignis is sibi preparat, qui terrenis obruitur voluptatibus. Cùm igitur sententiam Moysi populus comprobasset, libertatísque desiderio exarsisset, incitatur tunc hostis, & maiore labore ipsum comprimere conatur. K
Quod re ipsa hodie fieri videmus. Nam multi, ne omnes dicam, eorum qui sermonem de libertate receperunt, ac prædicationi euangelicæ paruerunt, ad hunc vsque diem à tyranno ac hoste humani generis multis ac grauibus tentationibus comprimuntur, quibus multi meliores firmioréque in fide facti sunt tanquam aurum igne, sic doloribus comprobati. Nonnulli verò (piget dicere) franguntur aduersis, maluisséq; dicunt non audisse veritatis & libertatis sermonem, quàm ea de causa tam multis laboribus incidisse. Id ipsum tunc quoque fiebat Hebræis ex pusillanimitate, libertatis ministros accusantibus: sed non cessabit ideo prædicatio ad libertatem & veritatem nos reuocã>, etiam si multi quasi pueri atque infantes tentationes pertimescant. AVCTOR CATENAE. Sed & deus in hoc populo Israëlitico, & præcipuè in forma liberationis eius ex Aegypto, publicum proposuit spectaculum, exemplar, & imaginem toti orbi terrarum, vt discamus talem esse rationem omniũ diuinarum vocationum qualis est ratio vocationis populi Israëlitici ex Aegypto. Hæc enim (inquit Paulus) figuræ L
nostri fuerunt, & in figura contigerunt illis. Scripta verò sunt ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Populus igitur Israëliticus hoc ordine, hac forma, & his gradibus vocatus est ex Aegypto. Primùm reuelatur eis per Moysen & Aaron subsecutura liberatio, & cõfirmatur miraculis. Deinde postquam fidem adhibent reuelationi, longè crudelius affliguntur quàm antea, cùm adhuc seruirent diis Aegyptiacis, & non requirerent promissiones patriarchis dictas. Postremò autem liberantur ex Aegypto maximis & stupendis miraculis. Idem planè ordo, & iidem gradus in omnibus tam publicis quàm priuatis vocationibus obseruandi sunt. Primo gradu proponuntur nobis promissiones Euangelij dei ad vocationem eius. Pòst, cùm incipimus ex fide Euangelij, vocationem dei sectari, tunc cooriuntur in nos maiores afflictiones, quàm antea, quum sectaremur vocationem Satanæ in incredulitate: & hic est secundus gradus. Ad extremũ tamen contingit nobis tantò clarior salus, quantò grauiores fuerunt afflictiones. Et hic est tertius gradus. Quisquis igitur voluerit sectari vocationem dei, & salutem consequi, necesse habebit sese ad hunc rerum ordinem comparare, vt coortis afflictio- M
nibus non despondeat animum, sed potiùs confirmet ex afflictionibus, videlicet, quod versetur in eo ordine, quem deus vocationibus suis præscripsit, & cùm iam secundum gradum, qui est afflictionum attigerit, certissimus sit, quod sit etiam ad tertium gradum, qui est salutis, magna gloria ascensurus.

4 *Ccurrérúntque Moysi & Aaron, qui stabant exaduerso egredientes à Pharaone, & dixerunt ad eos, Videat dominus & iudicet, quoniam fœtêre fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium ut occideret nos.* Reuersúsq; est *Moyses ad dominum, & ait: Domine cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.*

AVCTOR



A AVCTOR CATENAE. Præfecti Israëlis, qui & ipsi erant Israëlitæ, ab exactoribus Pharaonis ordinati, postquam supplicationibus suis apud regem non impetrauerunt onerum remissionem, sed potiùs audiuerũt, se ideo opprimi, quia petierunt potestatem abeundi in desertum ad sacrificandum domino, non agnoscunt impietatem & indurationem Pharaonis, nec meminerũt verborum domini, quæ Moyses concionatus est, Ego inquiens, indurabo Pharaonem, & non dimittet vos, nisi per manum validã: sed inuehuntur in Moysen & Aa- 4
ron, & reiiciunt omnem afflictionum culpam in ipsos, qui & si pro salute Israëlitarum vitam suam extremis periculis exposuerunt, tamen nũc necesse habent multo plura aduersa à suis ipsorum Israëlitis, quàm ab ipso Pharaone sufferre. Exemplum impietatis. Impium enim est quòd Israëlitæ transferant culpam maledictionis in eos qui erant ministri benedictionis & liberationis ex Aegypto. Ac non est, vt existimes Moysen & Aaron hoc tantùm loco, in principio huius negocij, à suis Israëlitis audire, trucidatores Israëlis. Dicũt enim, Præbuistis eis gla-
B dium, vt occiderent nos, sed & in processu negotij, quoties aliqua calamitas incidit, toties habentur à suis auctores calamitatis, vt interdum parum absit quin obruantur lapidibus. Sed agè quid sacra hæc lectio dicat videamus. *Occurrérúntque Moysi & Aaron, qui stabant exaduerso egredientes à Pharaone.* CAIETANVS. Ipsi præpositi referuntur manifestè. AVCTOR CATENAE. Qui stabant exaduerso. Idem quòd innuit Hebraicum נִצָּבִים לִקְרָאתָם Nizabim likratham, Stãtium, seu qui stabant in occursum eorum, vel in cõspectu eorum, vt habet Chaldaica. Septuaginta ἐξεχομένοις εἰς συνάντησιν αὐτοῖς, Venientibus (scilicet Moysi & Aaron) in occursum eis. Quod etiam sequitur, Egredientes à Pharaone, intelligitur de ipsis præfectis, non autem de Moyse & Aaron, nam in Hebræo est: בְּצֵאתָם מֵאֵת פַּרְעֹה Bezetham meeth Parho. Quando egrediebãtur, seu cum egrederentur ipsi (nempe præfecti) à Pharaone. Ita & Chaldaica, quod & Septuaginta dixerunt, ἐκ προσδομώμων αὐτῶν ἀπὸ φαραώ. Exeũtibus illis à Pharaone. Et est sensus, quòd ipsi præpositi dum egrederẽtur à Pharaone, occurrerunt Moysi & Aaron, qui stabãt è regione eorum. Apparet igitur Moysen & Aaron aliquo in loco expectasse regressum exacto-
C rum à Rege, vt intelligerent quidnam cum eis esset actum. *Et dixerunt ad eos, Videat dominus & iudicet, quoniam fœtêre fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium vt occideret nos.* INTERLINEARIS Ac si dicant, odiosos nos fecistis, & causam occasionis ei præstitistis. HIERONYMVS SVPER ESAIAM. *Cap. 66.* Gladius quo omnis caro est iudicanda, ille accipiendus est: de quo & priùs diximus, & nunc dicemus ex parte, *Psal. 7.* Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Hunc gladium punitorem carnis peccatricis omniúmque vitiorum, Israëlitæ in manu Pharaonis datum querũtur: Dicúntque Moysi & Aaron, Videat deus vos & iudicet, quia abominabilem fecistis odorem nostrum coram Pharaone, vt daretur gladius in manus eius & interficeret nos. De hoc gladio & in Amos scriptum est, Gladio interibunt omnes peccatores populi: cum vtique & alia sint genera pœnarum. Quicquid ergo pungit & percutit & torquet & cruciat, in scripturis sanctis, gladius appellatur: quo gladio vulnerabuntur siue interficientur, qui dei non fecerint voluntatem: & omisso lumine veritatis, tene- *Amos. 9.*
bris se erroris inuoluerint. De quibus scriptum est in Hieremia: Si mutabit Aethiops pellem suam. Et in Sopho- *Hiere. 13.*
D nia, Et vos Aethiopes vulnerati siue interfecti gladio meo eritis. BERNARDVS SVPER CANTICA. *Soph. 2.*
Fœtêre fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius. Hoc dicunt isti de opinione. Habent enim & mores colores suos, habent & odores. Neque enim in spiritibus id ipsum est color & odor, non magis quàm in corporibus. Ergo de colore conscientia consultetur, de odore fama. CAIETANVS. Summum autẽ deum appellant vltorem, vtentes solitis loquendi modis metaphoricis, tum similitudine fœtoris, tum similitudine ensis. Nihil enim horum secundum proprietatem, sed secundum Metaphoram valde consuetam hîc dicitur ab afflictis, & à Pharaone desperatis. AVCTOR CATENAE. Videat dominus, & iudicet. In Hebræo est dictio עֲלֵיכֶם halechem, super vos. Vt dicatur, Videat dominus super vos, & iudicet. Ac si dicant, Deus cognita causa iudicet de vobis. Quod dictum declarans Chaldaica, inquit, Appareat dominus super vos, & vindictam sumat. Quia vel qui (אֲשֶׁר afer enim hîc vtroque modo reddi potest) fœtêre fecistis odorem nostrum corã Pha-
E raone & seruis eius, id est, abominabiles reddidistis nos vestris nugis. Et præbuistis ei gladium. Hebraicè est לָתֵת חֶרֶב בְּיָדָם Látheth chéreb biadam, Dando, vel, Vt daretis gladium in manibus eorum, vel, suis. Ita in Chaldaica. Septuaginta, Vt in nostra litera, δοῦναι ῥομφαίαν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, Dare gladium in manus eius. Sed hęc minima sunt. Viles (aiunt) reddidistis & abominabiles nos regi, qui nobis nunc magis irascitur. Huius indignationis vos estis auctores. Gladium dedistis in manum, alioqui furioli occasionem & ansam præbuistis nos occidendi, magísque grassandi. Ecce quomodo vulgi perpetua instabilitas, & ingratitudo est in eos qui ei maximè consulere pergunt. Semper veritatis & fidei prædicationem atque adeò Euangelij subsequitur persecutio, quæ tamen perseuerantibus in tentatione felici successu absoluitur. Euangeliũ quoddam fuit prædicatio Moysi, quia promissio instantis libertatis. Cui tunc quoque à multis contradicebatur, multi cunctabãtur. E fit tunc quoque scandalum impiis, salus autem credentibus & electis. Constãtia ergo piis necessaria est, ne ob querelas infirmorum concidant, aut cessent in opere dei Euangelistæ, etiam si tumultuentur impij. Sed difficilis omnino conditio prædicatorũ, cùm populum asserere cupiunt à tyrannide, periclitantur vtrinque consolari non possunt op-
F pressos, & regi non obsequi, pernicies habetur. Ita igitur Moyses & Aaron, ita præfecti Israëlitarum, ita demum infelix populus exercebantur, & omniũ fides probabatur *Reuersúsque est Moyses ad dominum, & ait.* CAIETANVS. Ad ipsum fontem essendi reuertitur, mente orando & supplicando, vt pote à quo missus fuerat. *Domine cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Non contu- *Quæst. 14.*
maciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis & orationis. Quod ex his apparet quæ illi dominus respõdit. Non enim arguit infidelitatẽ eius, sed quid sit facturus aperuit. CAIETANVS. Non prædixerat deus Moysi afflictionem populi augendam absolutè, nec ex legatione sua. Et propterea Moyses orãdo vtrumque admiratur, & quare noua hæc afflictio populi à deo, & quare legauerit ipsum cum tam malo euentu. Nec dicit quare Pharao afflixit populũ, sed quare tu fecisti malum pœnæ hoc populo. Et similiter quare misisti me? Deinde declarat modum quo deus malũ fecit populo, infligente illud Pharaone. Et cõstitit modus in hoc, quòd non

liberauit

liberauit populũ ab huiuſmodi afflictione,quòd nõ ſuccurrit ne affligeretur. AVCTOR CATENAE. Do- G
mine,cur afflixiſti.Idẽ quod eſt in Hebræo הֲרֵעֹתָה Harehótha,id eſt,Malefeciſti.Et ita habet Chaldaica.Septua-
ginta,vt apud nos.Alij,Tam iniquè agis cum hoc populo.Alij,Affligis populum iſtum,verterunt.Sed eadem eſt
ſententia apud omnes. Et hoc eſt dicere, Afflixiſti populum iſtum, id eſt, affligere Pharaonem permiſiſti. Sic &
quod ſequitur,Afflixit populum tuum,Idem habet verbum הֲרַע Heraha,hoc eſt,malefecit populo huic. Et non
liberaſti eos.Hebraiſmum præteriuit Interpres,eſt enim iuxta Hebreũ וְהַצֵּל לֹא־הִצַּלְתָּ אֶת עַמֶּךָ Vehazzel lo hizzalta eth hammécha, Et liberando,ſiue liberans,non liberaſti populum tuum,ſicut habet & Chaldaica. Septua-
ginta,ſicut apud nos. Alij, Et eruendo non eruiſti populum tuum. Fidelis mens nuſquam certius auxilium in-
uenit,quàm ſi ad deum in tribulatione recurrat. Hunc Moyſes anxius adit, murmurationem populi cum affli-
ctione exponit,& piè cum eo expoſtulat.Liberando(inquit)non liberaſti: quaſi dicat, Domine promiſiſti te nos
liberaturum, & ecce non præſtas, ſed indies magis magíſque exaſperatur in nos tyrannus, grauiúſque premit. H
Ecce, ab eo tempore quo loqui cum Pharaone cœpimus, non ſolùm violentiæ nihil decedit, ſed magis etiam
ingraueſcit.

*Myſticè.* ORIGENES. Sed & ſpiritaliter iſti qui dubij ſunt, & in tribulationibus fatigantur, etiam contra Moy-
ſen & Aaron loquuntur,& dicunt,Ex qua die intraſtis, & exiſtis vos ad Pharaonem, execrabilem feciſtis odorẽ
noſtrum coram eo.Verum dicunt iſti, licet ignorent fortaſſe quod dicunt, ſicut & Caiphas ille verum dicebat,
Quia expedit vobis,vt moriatur vnus pro populo:ſed quid diceret,neſciebat. Nam(vt Apoſtolus dicit)Chriſti
bonus odor ſumus. Sed aliis(inquit)odor de vita in vitam, aliis autem odor de morte in mortem. Ita & pro-
pheticus ſermo ſuauis odor eſt credentibus, dubiis verò, & incredulis, & his qui ſe populum confitentur eſſe
Pharaonis, odor execrabilis efficitur. Sed & ipſe Moyſes dicit ad dominum, Quia ex quo loquutus ſum cum
Pharaone,afflixit populum tuum. Certum eſt enim, quia antequam ſermo dei audiatur, antequam prædicatio
diuina noſcatur,non eſt tribulatio,non eſt tentatio,Quia niſi buccinet tuba, nõ committitur bellum.Vbi verò I
ſignum belli tuba prædicationis oſtenderit, ibi(inquit)ſequitur afflictio, ibi omnis tribulationum pugna con-
ſurgit. Ex quo ergo loqui cœpit Moyſes & Aaron ad Pharaonem, affligitur populus dei. Ex quo in animã tuam
ſermo dei perlatus eſt,neceſſariò certamen intra te virtutibus aduerſum vitia ſuſcitatur.Prius verò quàm veni-
ret ſermo qui argueret vitia intra te,in pace durabãt. Sed vbi ſermo dei facere cœpit vnius cuiuſque diſcrimen,
tum perturbatio magna conſurgit, & ſine fœdere naſcitur bellum. Cum iniuſtitia enim quando poteſt conue-
nire iuſtitia? impudicitia cum ſobrietate?cum veritate mendacium?Et ideo non magnoperè perturbemur,ſi vi-
detur odor noſter execrabilis eſſe Pharaoni. Execrationi namque,& vitiis ducitur virtus.Quin potius vt in po-
ſterioribus dicit, quia ſtetit Moyſes ante Pharaonem, ſtemus etiam nos contra Pharaonem, & non flectamur,
ſed ſtemus ſuccincti lumbos noſtros in veritate,& calceati pedes in præparatione euangelij pacis. Sic enim nos
hortatur Apoſtolus,dicens,ſtate ergo & nolite iterum iugo ſeruitutis inhærere. Iterum dicit, In quo ſtamus, &
gloriamur in ſpe gloriæ dei. Stamus autem confidenter, ſi dominum deprecemur, vt ſtatuat pedes noſtros ſu- K
per petram,ne nobis illud eueniat,quod idem Propheta dicit, Mei autem paulominus moti ſunt pedes, & pau-
lominus effuſi ſunt greſſus mei. Stemus ergo ante Pharaonem, id eſt,obſiſtamus ei in certamine,ſicut & Petrus
Apoſtolus dicit,cui reſiſtite fortes in fide.Sed & Paulus nihilominus dicit,State in fide,& viriliter agite.Si enim
fortiter ſteterimus,conſequetur illud quod orabat Paulus pro diſcipulis, dicens, Quia deus conteret Satanã ſub
pedibus veſtris velociter.Quantò enim nos conſtantius & fortius ſteterimus,tantò infirmior, & inualidior erit
Pharao.Si autem nos vel infirmi cœperimus eſſe,vel dubij,ille aduerſum nos validior & conſtantior fiet. Et ve-
rè illud impletur in nobis,in quo Moyſes dedit figuram. Cùm enim ipſe eleuaret manus, vincebatur Amalech,
ſi verò velut laſſas deiiceret, & brachia infirma deponeret, inualeſcebat Amalech. Ita ergo etiam nos,in virtute
crucis Chriſti extollamus brachia, & eleuemus in oratione ſanctas manus in omni loco ſine ira & diſceptatio-
ne, vt domini mereamur auxilium. Hoc idem namque & Iacobus Apoſtolus cohortatur, dicens, Reſiſtite au-
tem diabolo,& fugiet à vobis. Agamus ergo omni fide, vt non ſolùm fugiat à nobis, ſed & conteratur Satanas L
ſub pedibus noſtris,ſicut & Pharao demerſus eſt in mare,& in profundo abyſsi extinctus. Nos autem ſi rece-
damus de Aegypto vitiorum, fluctus ſeculi tanquam iter ſolidum euademus. GREGORIVS VIGESIMO
*Cap.14.* NONO MORALIVM Cùm lux diuina cor humanum illuſtrat,mox à diabolo ſuccreſcunt tentamenta,vt
plus tentationibus ſe vrgeri ſentiant, quàm cùm lucis internæ radios non videbant.Vnde Iſraëlitæ poſtquam
vocati ſunt,contra Moyſen & Aaron de creſcente labore conqueruntur,dicentes,Videat dominus, &c. Volen-
tibus enim ex Aegypto diſcedere,paleas Pharao ſubtraxerat, & eiuſdem menſuræ opera requirebat. Quaſi ergo
contra legem mens ſubmurmurat, poſt cuius cognitionem tentationum ſtimulos acriores portat, & in eo quod
aduerſario diſplicet, videns ſibi creſcere labores, quaſi fœtêre ſe in oculis Pharaonis dolet. RVPERTVS.
Sed & ſecundum priorem ſenſum, rectè illi ingemiſcunt ac dicunt, quoniam fœtêre feciſtis odorem noſtrum
coram Pharaone & ſeruis eius, & præbuiſtis ei gladium vt occideret nos, quia videlicet cùm veniſſet mandatum(inquit Apoſtolus)peccatum reuixit,ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat M
*Rom.7.* ad vitam,hoc eſſe ad mortem.Nam peccatum occaſione accepta per mãdatum ſeduxit me,& per illud occidit.

IN



A IN CAPVT EXODI SEXTVM, ARGVMENTVM.

*Conſolatur deus Iſraelitas terræ Chanaan promiſsione,recenſétque Simeonis,Ruben,& Leui genealogiam vſque ad Moyſen.*

CAPVT. VI.

B *Dixítque dominus ad Moyſen:Nunc uidebis quæ facturus ſum Pharaoni.Per manum enim fortem dimittet eos,& in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua. Locutúſque eſt dominus ad Moyſen,dicens: Ego dominus qui apparui Abraham, & Iſaac, & Iacob in deo omnipotente,& nomen meum Adonai non indicaui eis. Pepigíque fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Iſraël,quo Aegyptij oppreſſerunt eos,& recordatus ſum pacti mei.Ideo dic filiis Iſraël: Ego dominus qui educam uos de ergaſtulo Aegyptiorum, & eruam de ſeruitute,ac redimam in brachio excelſo,& iudiciis magnis,& aſſumam uos mihi in populum,& ero ueſter deus. Et ſcietis quòd ego ſum dominus deus ueſter,qui eduxerim uos de ergaſtulo Aegyptiorum, & induxerim in terram ſuper quam leuaui manum meam, ut darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob, dabóque illam poſsidendam uobis,Ego dominus.* *Lectio prima.*

*Dixítque dominus ad Moyſen.* EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Hîc nobis illud *Lectio ii.*
primùm occurrit, quòd loqui dei eſt, inuiſibiliter ſine ſono vocis, vel quolibet ſtrepitu, occultè mentibus
ſanctorum voluntatem ſuam atque rectum intellectum inſpirare,ſeu futura(ſicut in ſanctis Prophetis)reuelare.
C Quæ locutio dei(vt quidam volunt)tribus modis accipitur. Primò nanque modo per ſubiectam creaturã, ſicut
ad Moyſen in rubo apparuit.Vel ſicut ad Abrahã atque Iacob,& cæteris ſanctis,quibus in Angelis apparere di-
gnatus eſt.Secundo verò modo in ſomnis,ſicut Iacob,& Zachariæ prophetæ,& Ioſeph ſponſo Marię,& ſanctis
aliis,quibus ſecretum ſuum reuelare voluit.Tertio autem modo,cùm neque per creaturã viſibilẽ, neque per ho-
minem,ſed occulta tãtùm inſpiratione inuiſibiliter corda ſuorum tangendo,loquentes efficit,quemadmodum
in libris Prophetarum ſcriptum eſt,cùm ipſi Prophetæ ſubitò afflati ſpiritu diuino,exclamabant, Hæc dicit do-
minus. *Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni. Per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua.*
CAIETANVS. Non Pharaonis,ſed dei robuſta manus ſignificatur, qua occidit primogenitos, ex qua clade
Pharao non ſolùm dimiſit, ſed eiecit compellendo Iſraëlitas vt exirent ex Aegypto.Mutationem itaque talem
ac tantam pollicetur Pharaonis, vt conſoletur populos. Affli&tis ergo reſpondet deus, non tardari ſuccurſum,
quoniam nunc abſque dilatione, videbis mirabilia mea. AVCTOR CATENAE. Et in manu robuſta
D eiiciet illos de terra ſua. Et hîc eſt in Hebræo ſicut ſupra וּבְיָד חֲזָקָה Vbiad chazaka,Et in manu forti, valida, ſeu
robuſta.Et ponitur præpoſitio in,pro per,ſeu propter.Et verti etiam poſſet,ſicut fecit paulo ſuprà Interpres, Per
manum validã,ſicut habet Chaldaica.Et eſt ſenſus,quòd coactus Pharao à domino,manu forti, magna vi, pla-
gis magnis & ingẽtibus, dimiſſurus eſſet Hebræos,& non aliter.Tardè autem pro opinione fidelium deus exau-
dire videtur,promiſsáque amicis differt,vnde perfidia creſcit impiorum,& credẽtium deo fiducia augetur.Lo-
quitur autem more humano deus,ſtatim iam nunc futura promittens optima,cùm omnia cernuntur exulcera-
tiſsima,& iudicio humano impoſsibilia.Dicit itaque, Ego potentiã meam & fortem manum ſic in Pharaonem
exercebo,vt tandem feſtinatò cogat abſcedere,quos nullo pacto voluit dimittere precantes. *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen,dicens,Ego dominus qui apparui Abraham,Iſaac,& Iacob,in deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.*
INTERLINEARIS. Subauditur ſicut tibi.Antiquæ autem promiſsionis facit mentionem,tanquã in pro-
ximo completurus. HIERONYMVS MARCELLAE. Septimum dei nomen ex decem apud Hebræos
E eſt Adonai, quem nos dominum generaliter appellamus. RABANVS. Eo quòd dominetur cunctæ crea-
turæ, vel quòd creatura omnis dominatui eius deſeruiat. Dominus ergo & deus dicitur, eo quòd dominetur
omnibus,vel quòd timeatur à cunctis. GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Hoc autẽ nobis ſciẽ-
dum eſt,quia & per incrementa temporum creuit ſcientia ſpiritualium patrum.Plus nãque Moyſes quàm Abra *Hom.16.*
ham,plus Prophetæ quàm Moyſes, plus Apoſtoli quàm Prophetæ in omnipotentis dei ſciẽtia eruditi ſunt. Fal-
lor ſi hæc ipſa ſcriptura non loquitur: Pertranſibunt plurimi,& multiplex erit ſcientia. Sed hæc eadem quæ de *Dan.12.*
Abrahã,Moyſe,Prophẽtis & Apoſtolis diximus,& eiuſdem ſcripturæ verbis ſi poſſumus, oſtẽdamus. Quis enim
neſciat,quia Abraham cum deo locutus eſt? & tamen ad Moyſen dominus dicit, Ego ſum deus Abraham,deus
Iſaac,& deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Ecce plus Moyſi quàm Abrahæ innotuerat, qui
illud de ſe Moyſi indicat,quod ſe Abrahæ non indicaſſe narrabat. Sed videamus ſi Prophetæ pluſquam Moyſes
diuinam ſcientiam apprehendere potuerunt. Certè Pſalmiſta dicit,Quomodo dilexi legem tuam domine? to- *Pſal.118.*
F ta die meditatio mea eſt. Atque ſubiunxit: Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio
mea eſt. Et iterum,Super ſeniores intellexi. Qui ergo legem meditari ſe memorat, & ſuper omnes docentes ſe, *Ibidem.*
ac ſuper ſeniores intellexiſſe teſtatur,quia diuinam ſcientiam pluſquam Moyſes acceperat,manifeſtat.Quomo-
do autem oſtenſuri ſumus,quia plus ſancti Apoſtoli edocti ſunt quàm Prophetæ? Certè veritas dicit, Multi re- *Luc.10.*
ges & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis, & audire quæ auditis,ſed non viderũt. Plus ergo quàm Prophe-
tæ de diuina ſcientia nouerunt, quia quod illi ſolo ſpiritu viderant, ipſi etiam corporaliter videbant. Impleta
itaque eſt ea quam ſuperius diximus, Danielis ſententia, quia pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. *Dan.12.*
RABANVS. Sed quomodo nomen hoc eis quibus in deo omnipotente apparuit,non ſe indicaſſe aſſerit?Pri-
mùm ad Abrahã dicit,Ego dominus omnipotens,ambula coram me,& eſto perfectus. Ponámque fœdus meum *Gen.17.*
inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. Eccè hîc, & dominum & deum omnipotentem, quod eſt
Adonai, palàm ſe nuncupauit. Deinde quomodo Iſaac nomen eius non eſt indicatum, ad quem ipſe dominus

ait,

ait,Ego ero tecum,& benedicã tibi:Tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has,& benedicentur in ſe- G
mine tuo omnes gentes terræ? Aut quomodo latuit nomen domini Iacob,qui dixit,Vidi dominũ facie ad faciẽ,
*Gen.32.* & ſalua facta eſt anima mea? Sed ſi ſecundum veritatẽ ſcripturã inſpicimus, agnoſcemus aliquid Moyſi reuela-
tum eſſe,quod anterioribus patribus non eſt intimatum. Quantò enim ipſius veritatis appropinquauit aduentus
in carne,tantò manifeſtius reuelata ſunt ſacramenta patribus, quia ipſa dominicæ incarnationis tẽpora naſcen-
do & moriendo præueniebãt. Inde nunc ad Moyſen dicitur,Egò dominus qui apparui Abraham,& Iſaac,& Ia-
*Pſal.118.* cob in deo omnipotente,& nomen meum Adonai non indicaui eis. Vnde & Dauid dicit,Super omnes docẽtes
*Matth.13.* me intellexi,Et dominus in Euãgelio ad Apoſtolos ait,Beati oculi qui vident,quæ vos videtis. Dico enim vo-
bis,quia multi Prophetæ & iuſti voluerũt videre quæ vos videtis,& non viderunt, & audire quæ auditis, & nõ
audierũt. RVPERTVS. Vel quod hîc dicit, Non indicaui,ſic accipiendum eſt,vt ſubaudias quantæ eſſet
potentiæ vel virtutis. Magnalia nanque & terribilia facturus,hæc loquitur, ad oſtenſionem gloriæ nominis ſui, H
qualia non fecit in diebus Abrahã,Iſaac,& Iacob,quibus tamen in deo omnipotẽte apparuit, quíque hoc ipſum
quòd omnipotens eſſet,non quæſierunt miraculis explorare,ratione contenti. Vnde & fides eorum gloriolior ac
maioris habetur meriti. E contra Pharaonis duritia quæ faciẽdorum cauſa fuit ſignorum, deteſtabilior extitit,
& quantò plura facta ſunt,tantò iuſtius æternum contemptor incurrit intentum. Hoc(inquam)cùm dicit,& no
men meum Adonai non indicaui eis, ſubaudiendum eſt, quod iam nunc poſcente cauſa, indicabo tibi,quàm
glorioſum & quàm terribile ſit. Nam & paulò antè dixit, nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni,& poſtmo-
*Exod.9.* dum dicturus eidem Pharaoni,Idcirco autem poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam. Sanè illud ſcien-
dum,quia nomen domini tetragrammaton quod ineffabile dicitur,vbicunque ſcriptum eſt, Hebræus Adonai,
*Pſal.104.* & Latinus dominũ dicit, vt verbi gratia, Cõfitemini domino,& inuocate nomen eius,lætetur cor quærentium
dominum quærite dominum & confirmamini. CYRILLVS. Et nomen meum Adonai non indicaui
eis. Hoc eſt,nomen meum tetragrãmaton,quod deum ſemper viuere ſignificat,Patriarchis non indicaui,neque I
ſigillatim ipſi Iacob,interroganti,Quod eſt nomen tuum, idque hac ratione à me factum eſt, quia quum pleni
fide eſſent,hac re non indigebãt, ſed totum poſteris declaratum eſt,quorum fidei imbecillitas vitulum ſibi in
deum factura erat. THEODORETVS. Docet deus Moyſen quanta illum & beneuolentia & honore
dignum habuerit: Nomen enim quod Patriarchis non declarauit,hoc illi patefecit. Ait nãque ad eum, Ego ſum
qui ſum. Hoc autem apud Hebræos ineffabile habetur,illis nanque lege cautum eſt,ne lingua pronũtient. Qua-
tuor verò literis ſcribitur,quamobrem & tetragrammaton dicitur:id & in lamina aurea inſcribebatur,quæ fiõ-
ti Pontificis imponebatur,teniis capitis colligatum. Samaritæ illud Meniame nominant,Iudei verò Aia. Qua-
tuor autem literæ quibus ſcribitur,hæ ſunt,iod,he,vau,he. Nomen verò hoc quatuor literarum eſt, quod deum
ſemper viuere atque æternum eſſe ſignificat. Hoc itaque nomen meum neque ipſi Abraham indicaui,neque cę-
teris Patriarchis,quia nondum tempus aduenerat nominis illius explicandi, quod deum verum ab Idolis diui-
dit,atque ſecernit. Nam quia & dæmones dij,& domini nuncupati ſunt à cultoribus ſuis, quatuor literarum no K
men dedit deus fidelibus ſuis,quod tamen proferri non liceret. GRAECVS. Vel,Et nomen meum non in-
dicaui eis,hoc eſt,manifeſtum & perſpicuum non feci nomen patris,& filij,& ſpiritus ſancti, ſed quaſi per ænĩ-
gmata notum feci. BEDA. Ego dominus qui apparui, &c. Ac ſi dicat, ſicut patres veſtri cognouerunt vir-
tutem meam, cùm de inimicis illorum me vindicarem, ſic & vos cognoſcetis in vindicta inimicorum veſtro-
rum. Et nomen meũ Adonai,&c. quod omnipotens,vel dominus exercituum interpretatur. Et hoc ſic eſt intel-
ligendum,quaſi dixiſſet,non indicaui? vtique indicaui illis,& ſic vobis indicabo. Vel quoniam illi mihi placue-
runt, tamen illis non indicaui hoc nomen ſicut vobis. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et nomen
meum Adonai,&c. Quaſi dicat,quamuis ego qui ſum omnipotens, apparuerim eis,tamen fortitudinem & po-
tentiam meam ad quam pertinet hoc nomen meum Adonai,non indicaui eis, ſed pietatem aut ſapientiam in-
dicaui,ad quas pertinet El & Eloim. Aut ſic,Nomen Adonai nõ indicaui eis,quod modò indicabo,dans terram
promiſsionis filiis Iſraël. Qui ergo hactenus omnipotentem me dixi,nondum me dominum eſſe oſtendi, ſicut L
modò faciam,vt ſciant iure ſe poſsidere, quod me tribuente accipiũt. CAIETANVS. Non eſt hîc ſer-
mo de notitia nominis quantum ad ipſam vocem & quid nominis, & confuſam notitiam, quod eſt proprium
nomen dei(quo ad hæc enim notum fuiſſe patribus nomen dei non aduerſatur præſenti textui) Sed eſt hîc ſer-
mo de notitia diſtincta rationis nominis. Talem enim notitiam patres non habuerunt, ſed illam docuit deus
Moyſen,& per Moyſen filios Iſraël,quãdo è rubo dixit,Ero qui ero,vt declaratum eſt in capitulo tertio. Et con-
ſiſtit ſententia in hoc,quòd patribus manifeſtauit attributa ſua(fortitudinem,potentiã,ſapientiam, bonitatem,
& huiuſmodi) & non manifeſtauit eſſentiam ſuam. Patribus manifeſtauit communia ſibi & creaturis, & non
manifeſtauit quod ſibi ſoli propriũ eſt. Nam tam El, quàm Saddai,attributa ſunt communia deo & aliis: nomẽ
autem meum Iehoua (ſic enim hîc apud Hebręum legitur)mihi proprium eſt,& propterea meum. Sed quorſum
hæc in hoc loco dicuntur,quia non videntur ad propoſitum? Sunt quidem, quia deus manifeſtat per hæc verba
quòd pluris quodammodo facit Moyſen & filios Iſraël modernos,quàm patres antiquos,dum eis communicat M
notitiã ſui quam patribus negauit. Et fuit valde opportuna hæc comparatio,vt afflicti Iſraëlitæ, ex perceptione
tanti doni ſperarent firmiter futurã liberationem. Quod autem ſuprà dicitur,Qui apparui Abrahã, Iſaac, & Ia-
cob in deo omnipotẽte,iuxta Hebræum habetur, in El Saddai,hoc eſt,in forti victore. Et eſt ſenſus,quòd mani-
feſtauit ſe deus patribus,quatenus ſignificatur tam nomine El,quàm nomine Saddai,hoc eſt,quòd manifeſtauit
eis ſe fortem & victorem, manifeſtauit autem aduerſus omnes nocere eis volentes, vt hiſtoria Geneſis teſtatur.
AVCTOR CATENAE. Ego dominus qui apparui,Hebraicè eſt אֲנִי יְהוָה וָאֵרָא Ani Iehoua, vaera, Ego do-
minus(ſubaudi ſum)Reuelatúſque fui,&c. Et ita habet Chaldaica,ſeu viſus autẽ ſum. Septuaginta vt apud nos.
Eſt autem Iehoua nomen dei,ab eo dictum, quòd ille eſſe facit quod promiſit, id eſt, quia opere complet quod
pollicitus eſt. יְהוָה enim deducitur à radice הָיָה haia,quę ſignificat, fuit. Vnde Iehoua ſignificat eũ qui eſt,& ali-
quid eſſe facit. Quod nomen ſecretiores Theologi trũcum & radicem omniũ diuinorum nominum exiſtimãt

Quaſi



A Quaſi dicat Moyſi,Ego ſum verax,qui opere completurus ſum quod pollicitus ſum Abrahæ,& cæteris Patriar-
chis. Sequitur,in deo omnipotẽte. Hebraiſmus eſt,pro in diuina omnipotentia mea. Eſt enim Hebraicè אֵל שַׁדָּי
Beel Saddai. Et ſunt duo dei nomina,quæ ſi Latinè velles trãsferre, diceres,In deo deo. Verùm doctus Interpres
vt repetitionem vitet,alterum transfert deum, alterum per nominis eiuſdem ſignificationem & virtutem deſi-
gnat. Septuaginta alio modo vertunt,Θεὸς ὢν ἀυτῶν,Deus exiſtens eorum. Et nomen(inquit)meum Adonai non
indicaui eis, ſic habet & Chaldaica. In Hebræo autẽ legitur: וְשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם Vſmi Iehoua lo nodaetti
Iahem, Et nomen meum Iehoua non indicaui eis. Vel, At in nomine meo Iehoua non fui notus,vel non ſum co-
gnitus illis. Non eſt autem (vt vides) nomen Adonai in Hebræo, ſed Interpres Hebræorum morem ſecutus eſt,
qui nomen illud diuinum tetragrammaton,non ſua voce ob illius reuerentiam,ſed aliena pronunciãt, ſcilicet
Adonai. Ideo etiã Septuaginta per aliud nomen ipſum expreſſerũt,ſcilicet κύριος,id eſt,dominus. Dicitur autem
B nomen hoc dei Iehoua,ſacrum & ineffabile, non quòd vox ipſa exprimi non poſsit, cùm certis conſtet literis &
vocalibus & à Pharaone homine iniquiſsimo expreſſa fuerit,ſed quod dei natura maximè per ipſum nomen ſi-
gnificata,à nulla creatura exprimi poſsit,cùm ſit infinita,atque ob id ineffabilis. Tot autem tãtáque hîc tam ab
Hebræis quàm à Latinis & Græcis,tam veteribus,quàm recentioribus,pro loci huius enodatione conferũtur, vt
valde ſit difficile paucis illa recenſere. Nos tamen pro ingenij noſtri imbecillitate,eorũ dicta reſtringẽtes,tribus
modis verba hæc diſſeremus. Aliqui enim dicunt ita intelligi debere, In nomine meo Iehoua nõ fui notus an-
tiquis patribus,ſeu non indicaui eis nomen hoc,ſed in deo omnipotente illis apparui,id eſt,omnipotentem me
eſſe illis declaraui,& mihi abũdè eſſe diuitiarum,vt illos diuites redderem, verũ opere non compleui quod illis
ſum pollicitus. Hoc eſt,promittentem quidem me illis terrã Chananæorum, audierunt & crediderũt, ſed opere
promiſſa complentem non viderunt, quemadmodum tu & tui tẽporis homines viſuri ſunt. Tibi igitur in no-
mine Iehoua cognitus ero,id eſt, videbis me id facere,quod nomen meum ſonat,nempe veracem eſſe,faciẽtem
C eſſe,hoc eſt,quod pollicitus ſum præſtantem, Quódque hic ſit literæ ſenſus, confirmãt ea quæ hoc loco ſequun-
tur, Pepigíque fœdus cum eis,vt darem illis terram Chanaam,& cętera,quæ ſunt velut explicatio horum verbo-
rum,Ego dominus qui apparui Abrahã,&c. Sed quo magis quæ dicta ſunt intelligantur,noſti dominum deum
patribus ſub nomine omnipotentis reuelatum,nam Geneſis decimo ſeptimo dixit ad Abrahã, Ego ſum domi-
nus deus omnipotens,ambula coràm me,& eſto perfectus. Sic & Iſaac benedicens Iacob ait, Deus meus omnipo-
tens benedicat tibi. Alio etiã loco dominus ad Iacob locutus eſt,Ego ſum fortiſsimus deus patris tui. Dicit etiã *Gen.28.*
alibi pater Abraham,Leuo manum meã ad dominum deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ. Sic & Noe ſe-
uerum iudicem deum in deuaſtatione orbis terrarum per diluuium, & Loth in incendio Sodomæ & Gomor- *Gen.6.*
ræ experti ſunt: vterque autem etiam miſericordem,dum ambos ab exterminio reſeruauit. Deus igitur antiquis *Gen.14.*
patribus per omnipotentiam,creationem,ſeueritatem,atque clementiam reuelatus eſt, non tamen reuelauit ſe
ipſis per impletionem earum promiſsionum quas dixit ad Abraham. Nunc ergo(inquit)notificabo me nomine
D יְהוָה reuelabo me præſenti & manifeſta impletione promiſsionum mearum,reuelabo me iuxta ſignificationem
nominis mei יְהוָה Sicut enim antea promiſi,ita nunc erit, & implebitur, & confirmabo nomen meũ, quod ſim
deus verax,& ſeruans promiſsi. Educam enim vos de terra Aegypti,& introducam in terrã Chanaam. Et quem-
admodum antea vocatus ſum deus omnipotens,deus altiſsimus, qui creauit cœlum & terrã, ita nunc vocabor,
dominus deus,qui eduxi vos de terra Aegypti. Hunc titulum,hoc epitheton,hoc cognomen parabo mihi nunc
impletione promiſsionum mearum,quas dedi Patriarchis. Hæc videtur eſſe ſimpliciſsima ſententia huius loci.
Ego apparui patribus in deo omnipotente, &c. Nec huic intelligentiæ obſtat ſi dicatur, deus non impleuit has
promiſsiones vitæ Moyſi tempore,cùm ipſe ante ingreſſum filiorum Iſraël in terram promiſsionis, mortuus ſit,
quia ſatis eſt quòd Moyſes viderit omnia ad ingreſſum prędambula adimpleta,imò terrã ipſam ante oculos po-
ſitam,& iam iam per filios Iſraël occupandam, vt clarè patet Deuteronomij vltimo. Ipſe quoque Ioſue ſucceſſo-
ri ſuo prædixit,& apertè teſtificatus eſt,quòd erat introducturus populum in terram illam, Deuteronomij tri-
E geſimo primo. Eſto quoque quòd Moyſes ingreſſum populi in terram illam oculis propriis non viderit, vidit
tamen promiſsionis impletionem ſtatim poſt mortem ſuam in ſuis poſteris, & mundus totus tunc cognouit,
deum promiſſa ad Patriarchas facta in omnibus & per omnia compleuiſſe. Alij dicunt diſtinctã & apertam di-
uinæ eſſentiæ notitiam,quam nudè & ſimpliciter hoc ſanctum nomen deſignat, non tam copioſe & euidenter
Abrahæ,Iſaac & Iacob,fuiſſe reuelatam ſicut Moyſi. Vnde ſupradixit ei dominus,Ego ſum qui ſum,per quod ſi-
gnificatur neceſsitas & ſtabilitas eſſendi, & plenitudo ipſius eſſe, ac quoddam infinitum ſubſtantiæ pelagus, vt
ait Damaſcenus. Item ait deus Numerorum duodecimo de Moyſe,Si quis fuerit inter vos Propheta domini,in
viſione apparebo ei,vel per ſomnium loquar ad illum. At nõ talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea
fideliſsimus eſt: ore enim ad os loquor ei, palàm & non per ænigmata & figuras deũ videt. Et alibi dicit ſcriptu-
ra,quòd loquebatur Moyſes cum deo facie ad faciem, ſicut loquitur amicus cum amico ſuo. Qui etiam diui-
nam eſſentiam in petra poſitus,eo modo vidit, quo ab homine in humana carne viuenti videri poteſt, certè eo
F modo,quo alius patrum prędecedentium vidit nemo. Ferunt autem diſtinctã notitiam huius ſancti nominis,pri-
mùm innotuiſſe Moyſi. Obſeruãdum quoque eſt hoc loco,notitiã huius nominis dei habere ſua incrementa,ſi-
cut hîc manifeſtè dicitur, maiorem cõtigiſſe Moyſi, quàm patribus: quam Paulus aduentu Chriſti adeò auctam
eſſe dicit,vt principum & poteſtatum cœleſtium de deo cognitionem auxerit, & in nobis quoque conſummandam confidimus,quando dominum videbimus facie ad faciem. Atque hoc eſt, quod toties in Pſalmis dicitur,
Cantate domino Canticum nouum,tanquam dicat: aſsiduè nobis ſuppeditat dominus noua cantandi argumẽ-
ta. Tertij de virtute nominis intelligunt,hoc eſt,de poteſtate miracula faciendi, quæ in virtute diuini nominis
Moyſes tot & tanta fecit, quot & quanta nullus vnquam Patriarcharum. Fuit autem Moyſi data poteſtas huiuſ-
modi,quia tota lex ab ipſo deo emanãs,erat per illum publicãda,ideo vt à deo crederetur data lex, meritò vir-
tus nominis huius ipſi Moyſi concedenda erat. Vel vt nõnulli aſſerunt,cùm diaboli poteſtas in Iouis Ammonij
figura Aegyptiis præſidentis per Moyſen collidenda eſſet,danda ipſi erat tanta virtus,qua illã comprimere poſ-

ſet

set. Quæ quidē virtus in hoc nomine quadrilitero ipsi Moysi reuelato, vt harū rerum gnari affirmāt, erat soldm G
reposita. Hinc Moyses ipsum nomen explicauit, quādo amoto Aegypti tutore diabolo, totum robur Aegyptiorum in mari collisit. Sunt autē ex nostris qui putent ab hoc nomine Gentiles Iouis nomen pro deo suo mutuasse. Parce candide lector prolixitati, est enim locus valde difficilis, & ab omnibus locupletissimè pertractatus. *Pepigíque fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ.* RVPERTVS. Ordo verborum est, Abrahā, Isaac, & Iacob in deo omnipotēte apparui, & pepigi cum eis fœdus, vt darem illis terram Chanaan. Porrò illud sciendum, non hoc esse totum fœdus, vel fœderis causam, dare illis terram Chanaan,
*Gen.22.* sed partem fœderis pro toto posuit. Summa nanque fœderis est in hoc sermone, Atque in te benedicētur omnes cognationes terræ, in quo Christi filij dei incarnatio promittitur manifestè. AVCTOR CATENAE. Non frustrantur piorum sancta desideria quantumlibet diutius differantur, tamen tempore suo vberrimè consolantur. Terra Chanaan Patriarchis fuit peregrinatio, prophetis patria, impiis pernicies, fidelibus omnibus figura futuræ beatitudinis. RVPERTVS. Hac autem propositione data, pepigi cū eis fœdus vt darem eis ter- H
ram Chanaan, nūc promissi debitorem se iure teneri consentiens, sumit & dicit, *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegyptij oppressérunt eos, & recordatus sum pacti mei.* Recordatus sum (inquit) id est, non oblitum me esse ostendi, subauditur, cùm te misi seruū meum, & Aaron, & posui in vobis verba signorū meorum. INTERLINEARIS. Dum autem pacti se recordatū dicit, promissionis intellige. CAIETANVS. Ne Abraham, Isaac, & Iacob ex negata eis notitia antedicta minus reputarentur, subiungit deus quòd pepigit fœdus cum eis, & ad similitudinem recordati descendit nunc visa afflictione populi, vt intelligant quòd ratione patrum priscorum miseretur modernorum filiorum. AVCTOR CATENAE. Quo Aegyptij oppresserunt eos. Non immutat sensum quod Hebraicè legitur אֲשֶׁר מִצְרַיִם מַעֲבִרִים Aser Mizráim mahabidim, Quos Aegyptij seruire faciūt. Nam propter hoc Israëlitæ ab eis opprimebantur. Chaldaica, Eo quòd Aegyptij seruire faciunt eos. Septuaginta, οἱ ἄιγύπτιοι κατεδουλοῦντο αὐτούς, Aegyptij in seruitutem redegerunt eos. Gemitus piorum sunt efficacissimæ orationes apud deum, maximè autem pauperum & oppressorum. Audire autem dei, est exaudire & gratificari orā- I
tibus. Nulla cadit in deum obliuio, sed ad modum obliuiscentis se habere videtur afflictis, cùm eis non subuenit. Obserua autem, quòd deus in consolando Moyse veteres promissiones patribus factas repetit duntaxat, & nihil nouarū rerum addit, quo auocet nos à curiositate, ne nouas subinde reuelationes de cœlo postulemus, sed vt assuefiamus contenti esse verbo dei semel reuelato, & suis miraculis confirmato. Sic Moyse, cùm semel proposuisset Israëlitis suis hanc legis suæ summam: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & confirmasset eam certissimis miraculis, subinde ita repetit & inculcat, vt iubeat etiam hæc verba suspendere pro signo in manibus, & suspendere inter oculos. Sic & Christus, cùm Euangeliū suum (videlicet quod ipse sit expiator peccatorum, & reconciliet hominibus patrem) annunciasset discipulis, & confirmasset cœlestibus testimoniis, ita sollicitè illud repetit, vt etiam post resurrectionem suam subinde iteret. Hæc, inquiens, sunt verba quæ locutus sum ad vos cùm adhuc essem vobiscum, quòd necesse foret impleri omnia. Ac mox: Sic oportebat Christum pa- K
ti, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Et cū K
promitteret spiritum sanctum, non dixit ipsum noua docturum, sed suggeret (inquit) vobis omnia. Quæ? num noua? Minimè, sed quęcunque dixero vobis. Continuò autem concludit sic, *Ideo dic filiis Israel: Ego dominus qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso & iudiciis magnis, & assumam vos mihi in populum, & ero vester deus.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum ita habetur. Ego dominus. Et educam vos de ergastulo, &c. Vbi nomen domini est tetragrammaton, & vox affirmantis, immo ad similitudinem iurantis, ac si dixisset, loquor in auctoritate & veracitate quæ conuenit mihi qui sum deus. Propter quod aptè subiūgit, Et educā vos de ergastulo Aegyptiorū, & assumam vos mihi in populum, & ero vester deus. Sensus germanus est, ego efficiam vos populum meum, hoc est, dignos vos reddam, vt nomine & cura peculiari sitis meus populus, vobis autem ego ero deus, hoc est, vos coletis me vt iudicem, vt gubernatorem vestrum. Collige prudens lector, quot, quanta & qualia promittit deus tanquam sub iuramento ad consolationem afflictorū. AVCTOR CATE- L
NAE. Qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, id quod in Hebræo est, מִתַּחֹת סִבְלֹת מִצְרַיִם Mitáhath sibloth mizráim, Desubter oneribus, Vel de sub oneribus Aegyptiorum, quæ scilicet imposuerunt vobis Aegyptij. Quod Chaldaica declarans, ait, Et educam vos de medio tribulationis seruitutis Aegyptiorum, sic & Septuaginta, ἀπὸ δουλείας, A seruitute. Dicitur autē ergastulum, quod & vox sabal significat, id est, operatorium, locus vbi captiui laborare & operari coguntur, ad cuius similitudinem locum vbi filij Israël in luto & latere operari compellebātur, meritò vocauit ergastulum. Quod verò sequitur, Ac redimam in brachio excelso, & ita habetur in omnibus editionibus, Hebraicè est נְטוּיָה Netuia, id est, extenso vel extento, à Natà verbo quod extendere significat, Id est, magna vi, vel brachio extento ad percutiendum aduersarios. Hebraismus. Alij intelligunt, extento brachio à cœlo ad terram. Sunt & qui, In brachio exerto vertant, id est, aperta potentia, & toti mundo propalanda. Sed hæc omnia vnum in sensu sunt cum litera nostra. Deinde addit, In iudiciis magnis, id est, signis quæ faciam inter Aegyptios, vel supplicium grauissimum sumendo de illis. Toties igitur libertatem donādam promittit, vt perfidiæ crimen clarius elucescat, & dei iustitia æquitásque in improbos. In tanta autem animorum M
perturbatione necessaria erat certitudo instantis solatij, & amoliendorum onerum promissio inculcanda, cuius fide exercerentur ad impetrandum promissa. Iudicia autem dei magna dicuntur & fiunt, cùm improbitas & perfidia dignè traducitur, & publicè punitur à domino. Suscepit verò Israëlitas deus sibi in populum libera electione & bonitate sua, ad Patriarcharum magis fidem ardentē attendens, quàm ad istorum merita. Fuerūt enim in plurimis horum opera mala. Assumpturus alioquin ex lapidibus filios Abrahæ, ea parte qua domino placuit Abraham, quo & iustificatus est, per fidem scilicet viuam, qua domino placent quicunque placēt: sicut & abiecti Iudæi iam dudum sunt, qui verbo domini, eiúsque prædicatoribus Prophetis credere contempserunt. Pactum autem dei cum fidelibus, hoc est, vt eorum futurus sit deus, vtq; coram eo innocenter fideles ambulent, deum suum esse credant, auxiliatorem, protectorem, & saluatorem. *Et scietis.* INTERLINEARIS. Id est, experimento



A mento cognoscetis, *quòd ego sum dominus deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum.* CAIETANVS. De tempore eductionis loquitur, quo occisis primogenitis, & submerso Pharaone in mari rubro, cognouerunt ipsum deum summum, cultum ab eis, eductorem eorum esse. AVCTOR CATENAE. Qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum. Hebraicè est eadem dictio סִבְלֹת sibloth, de qua paulò antè, quam nunc Septuaginta transferunt, ἐκ τῆς δουλείας ἄιγυπτίων, De potentia Aegyptiorum. *Et induxerim in terram super quam leuaui manum meam vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob.* RVPERTVS. Per hæc verba palàm facit ad quid dixerit, & nomen meum Adonai non indicaui eis, videlicet eo quòd nunc leuando manum suam, illud indicari velit, in brachio excelso & iudiciis magnis. HVGO DE SANCTO VICTORE. Consuetudo autem est iurantis eleuare manum ad sacra, vt per ea confirmet quod iurat, ita & deus dicitur leuasse manum suam propter illam terram, vt confirmaret eam in hæreditatem. CAIETANVS. Quod verò ait, Et induxerim vos in terram, &
B cætera, intellige quantum est ex parte mea, hoc est, secūdum præsentem iustitiam. Nam secus euenit propter impedimentum incredulitatis eorum, duo enim tātùm viri ex istis venerūt in terram illam, vt inferius narratur. Super quam leuaui manum meam vt darem, &c. More principum iurantium eleuatione manus loquitur deus, commemorans se iuramento adhibito promisisse Abrahæ, Isaac, & Iacob, terram Chanaan. Et quamuis iuramētum hoc non inueniatur scriptum alibi (quod videlicet fuerit exhibitum singulis, Abrahæ, Isaac, & Iacob) auctoritas tamen huius commemorationis sufficit. Licet exactius perspectus textus, nō sonet iuramentum exhibitum singulis, sed iuramentum adhibitum ad dandum terram illam illis tribus, Abrahæ, Isaac, & Iacob, ad cuius verificationem sufficit semel iuratum esse quòd daret terram illis. Ad quod sufficit iuramentum scriptum Genesis vigesimo secundo, in quo & si non explicitè, implicitè tamen significatur etiam Iacob, vt postea deus ipse explicauit, apparendo Iacob, nam de Isaac præsente iuramēto nulla est ambiguitas, cum in ipso promissum iam esset nomen seminis Abrahæ. AVCTOR CATENAE. Et induxerim vos. Hebraicè est, וְהֵבֵאתִי אֶתְכֶם Ve-
C hebethi ethchem. Et introducam seu inducam vos, sic Septuaginta & Chaldaica. Sed hoc parum est. Quod autem sequitur, super quam seu pro qua leuaui manum meam, vt darem, pro iurare positum est, id est, quam sublata manu iurauit me daturum Abrahæ, &c. Hebraismus. *Dabóque illam vobis possidendam ego dominus.* INTERLINEARIS. Ac si dicat, facere possum quod promitto. CAIETANVS. Iurauit dare patribus, affirmat se daturum istis. Et tamen non patribus nec istis dedit in seipsis, sed in filiis, vt sensus intentus à deo per facta manifestetur. Verùm aduerte quod in Hebræo habetur, Dabo vobis in hæreditatem, vbi vulgata editio habet possidendam. Modus siquidem manifestatur, videlicet tanquam hæredibus meis, quod ad magnam dignitatem filiorum Israël spectat. Et repetit seipsum sub proprio nomine adimpleturū, vt sub proprio nomine quo omnibus diis præstat, veneretur ab Israëlitis, quos nouerat pronos ad idololatriā. AVCTOR CATENAE. Dabóque illam possidendā vobis. Quia dictio Hebraica מוֹרָשָׁה Morasaha, à iaras verbo descendit, quod tam hæreditare, quàm possidere significat: hinc factum, quòd Interpres possidendam: alij vt etiam Chaldaica, in hæ-
D reditatem verterunt. Septuaginta ἐν κλήρῳ, id est, in sorte, dixerunt. Sed idem vbique est sensus. Repetit ergo se daturum dominus terram toties promissam, vt bono animo sint, & durent in afflictionibus, quo eorū meritum indies augescat. Ego (inquit) dominus. Solus haberi vult deus, & coli omnipotens, honoremque suum alteri non cedit. A se vult impetrari, etiā si ad sanctos prudēter recurras, omne bonū, ipse inuocari tanquā pater luminū, & omniū donorū largitor optimus. Semper autē se deum esse piis inculcat, vt crescat fides, spes eorum, & charitas.
BEDA. Quod ait dominus Moysi, Et nomen meum Adonai non indicaui eis, sic mysticè potest intelligi, *Mysticè.* quasi dixerit, in veteri Testamento nō indicaui sicut in nouo, vel in nouo nō indicaui sicut in die iudicij. Quod verò dicit, Audiui gemitum filiorum Israël, Et recordatus sum pacti mei, intelligitur, quòd dominus recordatus sit contra diabolum de oppressione sanctorum. An fortè ideo dictum, quia vt secretiores Theologi docent, tanta est coniunctio & vnio orationis cum fœdere, vt facta oratione, & effuso gemitu corā deo, ipse recordetur fœderis, quod habet cum creaturis: parcendi videlicet, redimendi, saluandi & remunerandi. Nam licet homo
E fœdus per peccatum fregerit: tamen si pœnitentia ductus ad deum reuertatur, omnium peccatorum oblitus ipse deus, fœderisque sui recordatus, dolentem & orantem saluat, sicut ipsemet deus in Ezechiele apertè testatur.
RABANVS ET INTERLINEARIS. Ergastulum autem Aegyptiorum, tētationes huius mundi quibus tribulantur sancti, vel corpus humanum, quod cuique animæ carcer est, significat. Liberat autem dominus filios Israël in brachio excelso, hoc est, in potestate magna & virtute, siue in incarnato filio, & precioso eius sanguine, per quem fecit omnia. Qui propter effectum virtutum brachium dei dicitur, cum sanctos suos de potestate diaboli & seruitute peccatorum eruat, & introducat in terram spiritualem cœlestis patriæ, pro qua iurauit, id est, firmiter promisit patribus nostris, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, vt daret eam illis in possessionē, & semini eorum, hoc est, omnibus qui fidem & opera eorū fideliter secuti sunt, vt possideant illam in sempiternum. Vel omnibus synceram fidem habentibus, rectam spem tenentibus, & ardentem charitatem amplectentibus, quæ in Abraham, Isaac, & Iacob significantur.

F *Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israël, qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus* 2
*durissimū. Locutúsque est dominus ad Moysen, dicens, ingredere, & loquere ad Pharaonē regē Aegypti, ut dimittat filios Israël de terra sua. Respondit Moyses coram domino: Ecce filii Israël non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cū sim incircūcisus labus? Locutúsque est dominus ad Moysen & Aarō, & dedit mandatū ad filios Israël, & ad Pharaonem regē Aegypti, ut educeret filios Israël de terra Aegypti.*
INTERLINEARIS. Medius inter deū & populum. *Narrauit Moyses omnia filiis Israel.* Omnia dicit, quia 2
nihil de mandatis dei prętermittendū est. AVCTOR CATENAE. Loco dictionis omnia, in Hebræo est כֵּן Chen, id est, sic, vel in hunc modū. Sed idē est in sententia, videlicet, Hęc dixit filiis Israël. Vbi habemus magnum in Moyse obediētiæ exemplū. Et si enim detrectauerat priùs obedientiā, cùm videret Pharaonē ad petitionē suā

Israëlitas

Iſraëlitas grauius affligere, verbo tamen dei nunc iterũ animatus & cõfirmatus, obſequitur deo, & repetit Iſraëlitis promiſsiones dei, vt credant & ſequantur vocationem eius. *Qui non acquieuerunt ei propter angustiã ſpiritus & opus duriſſimũ.* RVPERTVS. Hæc videlicet à domino pro conſolatione dicta, vel mandata fuerant. At illi perfectæ fidei ſpem non habẽtes firmam, gemebãt ſub afflictione inimicorũ, & idcirco non acquieuerunt. AVCTOR CATENAE. Qui non acquieuerunt (inquit) ei propter anguſtiã ſpiritus, adeò enim affligebãtur, vt vix poſſent ſpiritũ trahere. Et opus duriſsimũ. Idẽ eſt quod Hebraicè habetur וּמֵעֲבֹדָה קָשָׁה Vmehaboda kaſa, Et propter ſeruitutẽ durã, Et ita habet Chaldaica. Septuaginta verò ἀπὸ ὀλιγοψυχίας, καὶ ἀπὸ τῆς ἐργασίας σκληρᾶς. Prę puſillanimitate, & prę operibus duris. Nõ igitur acquieſcebãt monitis Iſraëlitę. Excuſatur tamẽ aliquãtiſper rebellio & perfidia, quia anguſtia ſpiritus ex oneribus remorabãtur. Sic miſera caro peccato in tantũ vitiata eſt, vt nunquã poſſit regia via incedere. In proſpero rerũ ſucceſſu viuit ſecuriſsimè, nullo penè timore dei. In afflictionibus autẽ ita deſperat, vt nullã prorſus conſolationẽ verbi dei admittat, quia diuerſum iuxta externã rerũ ſpeciem ſentit. Vel fortè de cõmuni tantùm populo, qui imminentẽ laboris afflictionẽ, magiſq; verba Moyſi cõſolantis attendebãt, non autẽ de ſenioribus, nõ acquieuiſſe Moyſi intelligi poteſt. *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens: Ingredere, & loquere ad Pharaonẽ regẽ Aegypti, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua.* Vide quot laboribus, & quãto negocio opus ſit, ſi quis iuſſa dei cõplere velit, nulla quies, dilatio, excuſatio, cõſternatio datur Moyſi. Sic ſemper & fortiter perſeuerantérque dei miniſtros perſtare oportet, & vrgere opus dei. *Reſpõdit Moyſes corã domino, Ecce filii Iſrael non audiũt me, & quomodo audiet Pharao, præſertim cùm ſim incircũciſus labiis?* INTERLINEARIS. Qui debent me tanquã filij dei audire, non audiũt, quomodo audiet ille qui ſemper aduerſatur? HIERONYMVS SVPER EZECHIELEM. In Exodo locutus eſt Moyſes in cõſpectu domini, dicẽs: Ecce filij Iſraël non audierũt me, & quomodo audiet me Pharao? Ego autẽ ſum tardi ſermonis: p quo Septuaginta dixere, ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι, quod melius habetur in Hebręo: Ego autẽ in circũciſus ſum labiis. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia
*Quæſt. 16.* litera, Ecce ego gracili voce ſum, & quomodo exaudiet me Pharao? Nõ videtur tantũ propter magnitudinẽ populi excuſare de vocis gracilitate, verumetiã propter vnũ hominẽ. Mirũ autẽ ſi tam gracilis, vt nec ab vno homine poſſet audiri. An fortè regius faſtus nõ eos permittebat de proximo loqui? CAIETANVS. Non tertiũ defectũ ſeu impedimentũ intelligo (videlicet oris, linguę, & labiorũ) ſed illud idẽ impedimentũ oris repeti & explicari in labiis, ita quod & ex linguæ, & ex labiorũ mala diſpoſitiõe clauſus ſic reddebatur Moyſes ad loquẽdũ, vt oporteret cũ tardę eſſe locutionis. Et dixit hoc accumulãdo argumenta aduerſus ſui legationẽ ad Pharaonẽ. Quod autẽ Moyſes hęc dixiſſe refertur corã domino, id indicat, q ipſe eſſendi fons per ſeipſum audit vota noſtra. AVCTOR CATENAE. Reſpõdit Moyſes corã domino. Hebraiſmus eſt, pro, Reſpõdit Moyſes domino. Ecce filij Iſraël nõ audiũt me. verbũ שָׁמְעוּ Sámau, aliqui reddiderũt, audierũt, ſeu obtẽperarunt, vt ſit prętęritũ. Vnde & Chaldaica habet, Non acquieuerunt mihi. Septuaginta quoq; οὐκ εἰσήκουσάν μου, Nõ audierũt me. Sed hoc parũ eſt. Pręſertim cùm incircunciſus ſim labiis. Hebraiſmus eſt, id eſt, cũ ſim linguæ impeditioris, Vel cùm habeã labia parũ expedita ad orationis prolationẽ. Quod etiã Chaldaica innuit, habẽs, Et ego ſum grauis loquelæ. Septuaginta ἐγὼ ὁ ἄλογός εἰμι, Ego autẽ balbus, Vel ſine ſermone ſum, id eſt, careo verbis, deſunt mihi ſermones, & labia mea ſunt pinguia, non eſt caro execta, quæ orationem impedit. Quãtò igitur ſe minus idoneum putat Moyſes, tantò fit domino promouẽte & volente aptior. Humilibus enim gratiã largitur, & ſuper humiles requieſcit ſpiritus, & ſuper trementes ad verbum dei. Forti argumento nititur Moyſes. Si filij (inquit) Iſraël populus tuus nõ audierũt me, quantò minus rex impiiſsimus? ſi filij nequeunt patri credere, quomodo hoſtes ex profeſſo acquieſcent? Sed maior eſt dei benignitas quàm humana fragilitas. Credit qui à deo patre trahitur. Iterum quoque allegat Moyſes imbecillitatẽ ex lingua vel labiis, quæ habere conqueritur incircunciſa quia infacundus ſit ore, & ruſticus loquela, ſine elegãtia & ſplendore orationis, imperitus ſermone, nõ ſic ſciẽtia, quomodo & Paulus putabat. *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen & Aarõ, & dedit mandatũ ad filios Iſrael, & ad Pharaonẽ regẽ Aegypti, vt educerẽt filios Iſrael de terra Aegypti.* ORDINARIA. Nota dei clementiã. Nõ creditur ei à filiis Iſraël, & tamẽ monere nõ ceſſat. Contẽnitur à Pharaone, & lõganimiter expectat. CAIETANVS. Locutúſq; eſt dñs ad Moyſen, &c. Nomẽ L
eſt tetragrãmaton, ad ſignificandũ quòd illemet mittit vtrũq; qui miſerat Moyſen. Tanquã legatio ſimplex minoris haberetur, adiũgitur iuſsio cogẽs Moyſen & Aarõ ad legationẽ exequendã, tum ad filios Iſraël, qui ob afflictionẽ renuebãt audire, tum ad Pharaonẽ peiora molientẽ. AVCTOR CATENAE. Et dedit mandatum ſubauditur eis. Sic enim eſt Hebraicè וַיְצַוֵּם Vaizauem, Et dedit eis mandatum. Sic eſt in omnibus editionibus, & eſt epilogus breuiſsimus omnium præſcriptorum, & ſumma rerum hactenus geſtarum & gerendarum.

*Myſticè.* RVPERTVS. Sic nimirũ iuxta Anagogen vbi exacerbatũ pro cõtradictione legis (vt ſupra dictũ eſt) regnũ
*3. Reg. 21.* peccati populũ dei ſub ſuo ſeruitio curuauit (vt ſępe factũ eſt) ita vt diceret, eamus & ſeruiam⁹ diis alienis, fruſtra
*Rom. 7.* lex & Prophetæ locuti ſunt, nõ enim eos audierũt. Sic nihilominus nõnunquã in hominẽ qui cõdelectatur quidẽ legi dei ſecundũ interiorẽ hominẽ, ſed aliã patitur legẽ in mẽbris ſuis, repugnantẽ legi mentis ſuæ fruſtra ad horam redargutio fit, proximus enim eſt deſperationi. INTERLINEARIS. In eo etiã quod nõ acquieuerũt filij Iſraël verbis Moyſi propter anguſtiã ſpiritus & opus duriſsimũ, nobis indicatur, quòd nihil durius quàm dæ- M
monibus in operibus carnis ſeruire. Sed & quod Moyſes reſpõdet coram domino, ſignat quòd ſancti corã deo loquũtur, alij retro, quia nõ audiũtur. Locutus autẽ dominus dicitur ad Moyſen & Aaron, & dediſſe eis mandatum ad filios Iſraël & Pharaonẽ, quia lex & Prophetę docẽt populũ quæ faciẽda vel fugiẽda ſunt, & increpãt diabolum. AVCTOR CATENAE. In quo & bon⁹ prelatus inſtruitur ne taceat, neq; quę ſubditorũ cõcernunt
*2. ad Tim. 4.* ſalutem omittat, etiã ſi in principio eũ non audiãt, fortè enim pòſt audituri ſunt. Vnde Apoſtolus ad diſcipulũ ſcribẽs, ait, Prædica verbum, inſta opportunè importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.

3 *Hi ſunt principes domorũ per familias ſuas. Filij Rubẽ primogeniti Iſraëlis, Enoch & Phallu, Eſron & Charmi. Hæ cognationes Ruben. Filii Simeon, Iamuël, & Iamin, & Abod, & Iachin, & Sober, & Saul filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon. Et hæc nomina filiorũ Leui per cognationes ſuas, Gerſon, & Caath*



A *Caath, & Merari. Anni autẽ uitæ Leui fuerunt centũ triginta ſeptẽ. Filii Gerſon, Lobni & Semei, per cognationes ſuas. Filii Caath, Amrã &, Iſuar, & Hebron, & Oziel. Anni quoque uitæ Caath, centũ triginta tres. Filii Merari, Moli & Muſi. Hæ cognationes Leui per familias ſuas. Accepit autẽ Amrã uxorẽ Iochabeth patruelẽ ſuã, quæ peperit ei Aarõ, & Moyſen, & Mariã. Fuerúntque anni uitæ Amrã centũ triginta ſeptẽ. Filii quoque Iſuar, Chore, & Napheg, & Zechri. Filii quoq; Oziel, Miſabel, & Eliſaphã, & Sechri. Accepit autẽ Aarõ uxorẽ Eliſabeth filiã Aminadab, ſororẽ Naaſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Filii quoq; Chore, Aſer, & Helchana, & Abiaſab. Hæ ſunt cognationes Choritarũ. At uerò Eleazar filius Aarõ accepit uxorẽ de filiabus Phutiel, quæ peperit ei Phinees. Hi ſunt principes familiarum Leuiticarum per cognationes ſuas.*

B RVPERTVS. Poſtquàm incuſationis ſuæ narratiunculam ingreſſus eſt Moyſes, qua dicit ſę incircunciſum labiis, repentè digreſsionem facit huiuſmodi, *Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas.* Cur hoc? Videlicet ob comprobandam veritatem dei qui ad Abraham de hac ſeruitute, & ſubſequenti liberatione filiorum Iſraël antè locutus, cùm dixiſſet, ſcito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiiciẽt *Gene. 15.* eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis, ita præfiniuit dicens, Generatione autem quarta reuertentur huc. Vt ergo tempus à deo præfinitum aduentaſſe appareat, generationem filiorum Iſraël intexere incipit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Nota verò quòd non ponit hîc omnes duodecim tribus, ſed tres tantũ, vt ad Leui qui tertius fuit, veniat, & vt ab eo oſtendat prouenìſſe Moyſen & Aarõ, de quibus in præſenti agitur, pro quibus totum hoc dicit. AVCTOR CATENAE. Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas. Nõ diſcrepat ab Hebraico in ſententia ita habente, אֵלֶּה רָאשֵׁי בֵית אֲבֹתָם Elle raſe beth abotham, Iſti ſunt principes,
C vel, iſta ſunt capita (Dictio enim raſe vtrumque ſignificat) domus patrum ſuorum. Sic habet & Chaldaica, id eſt, qui præerant familiis maiorum ſuorum. Vnde & Septuaginta, οἱ ἀρχηγοὶ οἴκων πατριῶν αὐτῶν, id eſt, principes domorum familiarum eorum, verterunt. Catalogus patrum quorundam hîc cõſcribitur vt principalium perſonarum illius temporis, & præteriti merita æternæ memoriæ cõſecrentur, Moyſi ſcilicet, & Aaron, & Phinees, vt appareat vnde nati ſint iſti, per quos ingens hoc negotium redemptionis Iſraëliticæ gentis tantæ deus ipſe perfecerit. Deducitur autẽ proſapia Iacob hîc non niſi ad Leuiticam ſobolem, quæ qualiter profecerit vſque ad Moyſi tempora, per cognationum capita hîc deſcribitur. *Filij Ruben primogeniti Iſraelis, Enoch & Phallu, Eſron & Charmi. Hæ cognationes Ruben. Filij Simeon Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soher, & Saul filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon.* AV- *Quæſt. 14.*
GVSTINVS. Sacramenti locum eſſe dubium non eſt, quòd ſcriptura volens originem Moyſi demonſtrare, quod eius actio iam expetebat, à primogenito Iacob, id eſt, Ruben progenies cœpit, inde ad Simeon, inde ad Leui, vltra progreſſa non eſt, quoniam ex Leui Moyſes. Hi autem commemorantur, qui iam commemorati fue-
D rant in illis Septuaginta quinque in quibus Iſraël intrauit in Aegyptum. Non enim primam, neque ſecundam, ſed tertiam tribum, id eſt, Leuiticam deus eſſe voluit ſacerdotalem. CAIETANVS. Sed mirum videtur, cùm ad manifeſtandum ex origine omnibus poſteris de quo Moyſe & de quo Aaron eſſet ſermo hîc, potuiſſet ſolius Leui tribum per capita recenſere vſque ad Aaron & Moyſen, cur meminerit duarum tribuum Ruben & Simeon, & non aliarũ? Solutio eſt, quòd Moyſes non ſolius tribus Leui capita recẽſuit, ne putaretur quòd illos ſolos magnipenderet tanquam ſoli eſſent principes. Meminit autem potius Ruben & Simeon quàm aliorum, quia ambo erant prius nati quàm Leui, vt commemorando capita priorum tribuum, manifeſtet quòd non reputat capita filiorum Leui præeminere aliis capitibus aliarũ tribuum. AVCTOR CATENAE. Et Saul filius Chananitidis, hoc eſt, quem ſuſtulit ex Chananitide. Septuaginta autem habent, ὁ ἐκ τῆς φοινίσσης, Qui ex Phœniſſa, ſubauditur, genitus eſt. Lege vigeſimum nonum caput Geneſis, & videbis quæ dixerit pater Iacob mala de tribus his tribubus, & quæ bona de reliquis. Ne autem quis crederet propter hoc tribus iſtas à deo re-
E probatas, & infœcundas redditas, ideo generationem earum deſcribit, non vltra autem progreditur, quia non vero erat ſimile alias tribus ſteriles eſſe, de quibus mira tot prædixerat. Sequitur. *Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes ſuas, Gerſon, & Caath, & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta ſeptem.* Aetas Leui filij Iacob tertij, notatur centum annorum & triginta ſeptem fuiſſe, cuius primus filius Gerſon dicitur, cùm tamẽ Moyſi primogenitus Gerſon ſcribatur. Sic igitur Leui inter duodecim Patriarchas vltimus mortuus eſt. Deſcribuntur autem hîc anni vitæ ſuæ vt innuatur, quandiu duraſſet, afflictio Hebræorum in Aegypto. Familiæ autem duæ prodierunt ex Gerſon per duos ipſius filios, Lobni dictos & Semei, de quibus ſubdit, *Filij Gerſon, Lobni & Semei, per generationes ſuas. Filij Caath, Amram, & Iſuar, & Hebron, & Oziel. Anni quoque vitæ Caath centum triginta tres.* Per generationes ſuas, Dictio Hebraica לִמְשְׁפְּחֹתָם Lemiſpechotham, & per cognationes, & per familias ſuas reddi poteſt, vtrumque enim ſignificat. Et eſt ſenſus quòd à Gerſon genus duxerunt Lobni & Semei vnà cum
F familiis. *Filij Merari, Mooli & Muſi. Hæ cognationes Leui per familias ſuas.* Verterunt hîc nonnulli, Hæ familiæ Leui per generationes ſuas. Et vtroque modo ſtare poteſt. Nam pluralis dictio תולדת Tholdoth, tam generationes quàm cognationes ſignificat. Et vult dicere: Hi ſunt qui genus ſuum duxerunt à Leui, vnà cum illis quos & ipſi genuerunt. *Accepit autem Amram vxorem Iochabeth patruelem ſuam, quæ peperit ei Aaron, Moyſen, & Mariam.* RVPERTVS. Claret hîc (vt dixi) quartam eſſe generationem. Leui nanque genuit Caath, genuit autem Caath Amram, Amram genuit Aaron, & Moyſen, & Mariam. Idcirco iterum ac tertiò repetendo, in ſequentibus deſignat, dicens, Iſte eſt Aaron & Moyſes, hi ſunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Aegypti, Iſte Moyſes & Aaron in die qua locutus eſt dominus ad Moyſen in terra Aegypti, vt ſubaudias, qui in generatione ſua quarti ſunt à Leui. Porrò vt ſupradictam digreſſionem pro ſe factam, & idcirco in ſe terminatam ſurſum, à Ruben ſcilicet inciperet, humilitatis prudentia cautum eſt, videlicet ne in tribubus duodecim, ſuæ ſolius, id eſt Leuiticæ, meminiſſe videretur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum hîc habetur, Et accepit Amram vxorem Iochabeth amitam ſuã, quæ peperit ei Aaron & Moyſen. Ita quòd ma-

ter Moysi & Aaron erat soror carnalis Caath, patris mariti proprij. Et hinc patet quòd coniugium cũ amita non ſit contra ius naturæ, ex eo quòd erat licitum in populo dei nulla neceſsitate cogente ante legem Moysi, quę prohibuit tale coniugium. AVCTOR CATENAE. Accepit autẽ Amram vxorem Iochabeth patruelem ſuã. Hebraicè eſt דֹּדָתוֹ Dódatho. Dictio autẽ Dod, accipitur quandoq; pro patruo, quãdoque pro patruele. Vnde hîc aliqui reddiderũt, Amitam ſuã, id eſt, ſororem patris ſui. Dicuntq; Leui genuiſſe Caath filiũ, & Iochabeth filiã. Caath autẽ genuiſſe Amram, qui patris ſui ſororem Iochabeth duxit in vxorẽ, filiã ſcilicet Leui, vt ſupra Capitulo ſecundo quoque dicitur. Fuit igitur ſecundũ hanc cõputationem Moyſes propter matrem nepos Leui, & propter patrem abnepos eius. Alij filiam ſororis patris extitiſſe dicunt, cuius ſententiæ eſt Chaldaica, habẽs, filiã ſororis patris ſui. Quidã fuiſſe volũt filiã patrui: vnde Septuaginta, Θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, dicunt, id eſt, filiã fratris patris ſui. Demum non deſunt qui velint ipſius patrui ſororẽ eſſe. Verè autẽ matertera fuit Iochabet marito ſuo, quia, vt in Numeris habetur, ſoror erat Caath patris Amrã. Quod autẽ ſequitur, Et Mariã, ex H Septuaginta Interpretibus ſumptũ eſt, habẽtibus, καὶ μαριάμ τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν, Et Mariam ſororẽ eorũ. Nam tam in Hebræo quàm Chaldaico codice deſideratur. *Fuerunt autem anni vitæ Amram centum triginta ſeptem. Filij quoque Iſuar, Chore, & Napheg, & Zechri. Filij quoque Oriel, Miſahel, & Eliſaphan, & Sechri. Accepit autem Aaron vxorẽ Eliſabeth filiam Aminadab, ſororem Naaſon, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.* THEODORETVS. Vxoris Aaron non tantũ nomen, ſed & fratrem nobis indicauit. Accepit nanque Aaron Eliſabeth filiam Aminadab, Naaſon verò ſororẽ in vxorem, peperitq; illi Nadab & Abiu, & Eleazar. Et ipſa Thamar regiæ ac Leuiticæ tribus inter ſe mixtionẽ ſatis docet. Naaſon nempe filius Aminadab, Aminadab verò Aran, Aran ipſius Eſron, Eſron Phares, Phares Iudæ. Hic verò Naaſon princeps fuit tribus Iudæ: ex his dominus noſter ſecundũ carnem natus eſt. Non itaque ſine cauſa vtriuſque tribus cõmixtionem nos docet, vt dominũ Chriſtum, qui ſecundũ hominẽ aſſumptũ, & Rex & ſacerdos eſt, ex vtraque ortũ eſſe declarent. STRABVS. Naaſon igitur iſte princeps fuit tribus Iudæ in deſerto. Nõdum enim præceptum erat vt quiſque de tribu ſua vxorẽ acciperet. AVCTOR CATENAE. Non legimus I Moyſen ſtudioſum aſsignatorẽ propriæ familiæ ſuæ, quia filiorũ ſuorũ hîc nõ meminit, nec alicubi nepotũ ſuorum, quos plurimos habuiſſe non eſt incredibile. Diligentior eſt autẽ in fratris ſui Aaron familiis annotandis, qui ſibi vxorẽ de ſtirpe Iuda deſumpſit nomine Eliſabeth filiam Aminadab ſororem Naaſon, qui ambo fuerunt principes in tribu Iuda. Ex qua ſuſtulit Aaron quatuor filios, quorũ vltimi duo ſucceſſerũt primis in ſummo ſacerdotio, reliquis ſuo tẽpore à dño occiſis. *Filij quoque Chore, Aſer & Helchana, & Abiaſab. Hæ ſunt cognationes Choritarum.* Chore filius Iſuar, quos genuerit filios deſcribitur, ob ſpeciale negociũ Choritarũ cõtra Aaron & Moyſen, ſchiſmatis ſcilicet, & inde ſubſequutę vltionis. *At verò Eleazar filius Aaron, accepit vxorem de filiabus Phuthiel, quæ peperit ei Phinees. Hi ſunt principes familiarum Leuiticarum, per cognationes ſuas.* GRAECVS. Cur hoc loco genealogiam ab ipſo Ruben contexens, in Leui deſinit? Ea nẽpe de cauſa genus contexit, vt & Leui ortum explicaret, & de Moyſe & Aaron diceret, Hi ſunt qui loquuntur ad Pharaonẽ regem Aegypti, & cætera. Et quũ ſupra dicit, Quarta autem generatione reuertentur huc, à tribu Leui inchoandũ eſt, vt pote quæ principatum obtinuerit. Quum autem dicet K quinta generatione aſcẽderunt filij Iſraël ex Aegypto, à Iacob incipere debemus, propterea quòd magna ac perdifficilis quæſtio mouetur, quomodo de ipſe quartã generationẽ dicat, Moyſes verò quintã: quinta nanq; in deſerto & cecidit, & iacuit: ſexta verò terrã promiſsionis intrauit. Quintã igitur ab ipſo Iacob intelligas neceſſe eſt. AVCTOR CATENAE. Hi ſunt principes familiarũ, & cætera. Rectè Hebraicũ vertit interpres אֵלֶּה רָאשֵׁי אֲבוֹת הַלֵּוִיִּם לְמִשְׁפְּחֹתָם: Elle raſe aboth haluiim lemiſpechotham, Hæc ſunt capita, ſiue hi ſunt principes patrum Leuitarũ per, ſiue ſecundũ familias, ſeu cognationes ſuas. Et ita habet Chaldaica. Septuaginta ἕνται δὲ αἱ ἀρχαὶ πατριῶν λευιτῶν, κατὰ γενέσεις αὐτῶν, Hi principatus familiæ Leuitarum per generationes eorũ. Et eſt ſenſus, iſti ſunt qui principẽ locũ tenuerunt inter patres Leuitarũ vnà cũ familiis ſuis. Non erat autẽ omittenda genealogia fortiſsimi nepotis Aaron ex Eeleazar, Phinees, cuius in ſequẽtibus honorifica maximè cõmemoratio erit. Sed notandum quòd neceſſariũ fuit inter Iſraëlitas diſtinctionẽ tribuũ & familiarũ conſeruare, principiò propter hãc cauſam, quòd terra Chanaan inter ſingulas trib⁹ diſtribuenda erat. Deinde quòd ſacerdotium & adminiſtratio L diuinorum cultuũ, ſoli tribui Leui cõmendanda erant. Ad hæc propter benedictiones Iacob, quarũ aliæ aliis tribubus promiſſæ erãt. Poſtremò ad conſeruandã certitudinem promiſsionis de Meſsia, hoc eſt, Ieſu Chriſto, quem Iacob vaticinatus eſt venturũ de tribu Iuda. Nos autem quia Chriſtus iam aduenit, & nõ habemus rempublicam ad formã Moſaicæ legis inſtitutã, non indigemus exacta enumeratione noſtrarum familiarũ, ſed hoc tantũ nobis ad ſalutem neceſſarium eſt, vt ſciamus nos genus noſtrũ ſpirituale ducere à Chriſto Ieſu per fidẽ, qui cũ fecerit oẽs in ipſum credentes, reges & ſacerdotes, ſpiritales tamen hoſtias offerentes, danda nobis eſt ſumma opera ne tantam nobilitatẽ & dignitatẽ peccatis noſtris amittamus, ſed gratitudine & obedientia cõſeruemus.

*Myſticè.* GILBERTVS. Vidiſti quõ nõ primã tribũ vel ſecundã, ſed tertiã elegit deus in ſacerdotiũ, quia in nomine ſanctæ Trinitatis cõſecrati ſunt ſacerdotes, vt fidẽ trinitatis in ſe ſeruare, & alios ſtudeant docere. BEDA. Numerus autẽ annorũ Leui, myſterium ſignificat, qp à magno vſq; ad paruũ ſurgit plebs in humilitatẽ deſcendens: ſed Centũ ſpecialiter perfectionẽ ſignificat. Triginta verò, fidem Trinitatis. Septem, ſeptiformẽ ſpiritus ſancti M gratiã. Et ſicut in hac genealogia principes maximi cõmemorãtur, ſic & in Eccleſia maximè principatũ tenẽtes & ab ipſis ſecundi. Ruben autẽ & Simeon quorũ anni nõ numerãtur, figurã pœnitentiũ tenent, Leui autẽ & filij illius quorũ numerantur, perfectorum. STRABVS. Amram verò qui Iochabeth accepit vxorẽ, interpretatur populus excelſus, qui ſignificat Chriſtũ: Iochabet, dei gratia, quæ deſignat Eccleſiam. Ex Chriſto igitur & Eccleſia naſcitur Moyſes, id eſt, lex ſpiritualis, & Aarõ ſcilicet verũ ſacerdotium. RVPERTVS. Illud quoq; prętereundum non eſt, quia primus legis ſacerdos Aaron, ex ea tribu accepit vxorem cui verũ in Chriſto ſacerdotium debebatur. STRABVS. Ideo enim hæ tribus, id eſt, Leuitica & regalis iam tunc coniungebantur, vt intelligeretur Chriſtus rex & ſacerdos futurus ex eis. RABANVS. Aminadab autem filius Eſrom fuit, filij Phares, filij Iuda. Vnde apparet quod regalis & ſacerdotalis proſapia, ſtatim in principio legis commixta eſt, & ideo nequaquam eſt dubitandum, quin redemptor noſter ſecundũ Euangelij fidẽ, & de regali & de ſacerdotali ſtirpe

progenitus



A progenitus ſit. STRABVS. Quæritur verò cur Chore quẽ pro iniquitate terra viuum abſorbuit, in genealogia iuſtorum ſcriptus ſit? Nempe quia hęreticos cũ catholicis in Eccleſia ſignificat futuros. BEDA. Sicut ergo Leui, Caath, Amram, Aaron, & Eleazar, ſancti filios ſanctos gignentes, doctores eccleſiæ ſignificant, qui doctores parturiunt: ſic Iſaar & Chore figura ſunt hęreticorum, hęreticos alios parturientium.

*Iſte eſt Aaron & Moyſes quibus præcepit dominus ut educerent filios Iſraël de terra Aegypti per turmas ſuas. Hi ſunt qui loquuntur ad Pharaonẽ regẽ Aegypti, ut educant filios Iſraël de Aegypto. Iſte eſt Moyſes & Aaron, in die qua locutus eſt dominus ad Moyſen in terra Aegypti.* 4

*Iſte eſt Aaron & Moyſes quibus præcepit dominus vt educerent filios Iſrael de terra Aegypti per turmas ſuas.* STRABVS. Hoc ex ſuo addidit Eſdras, qui omnẽ bibliothecam poſt captiuitatẽ Babylonicam cunctis libris à Nabuchdonoſor B ſuccenſis reparauit. Vel ipſe Moyſes de ſe tanquã de alio loquitur. RVPERTVS. Notandũ autem, quia primo ſic dicit, Iſti ſunt Aaron & Moyſes, deinde paulò inferius præpoſterat, Iſte Moyſes & Aaron. Natiuitatis nanque ordine, Aaron: vocatione autẽ, vel adminiſtrationis priuilegio, Moyſes prior eſt apud deum. CAIETANVS. Poſtq; autẽ ſuprà deſcripti ſunt ab origine, deſcribuntur nũc à legatione diuina, ad educendũ filios Iſraël de Aegypto. AVCTOR CATENAE. Quibus præcepit dñs vt educerent. Hebraicũ verbum הוֹצִיאוּ Hozíu, imperatiuum Hiphil à יָצָא, aliqui vertunt, Educite: & ſic eſt in Chaldaica. Septuaginta vt apud nos habent. Sic & quod ſequitur, per turmas ſuas, quod Hebraicè eſt עַל צִבְאֹתָם Hal zibotham, reddunt, per exercitus eorũ, vel ſecundum exercitus ſuos. Sic & Septuaginta, σὺν δυνάμει αὐτῶν, Cũ exercitu eorum. Chaldaica, vt in litera noſtra: Sed vtroq; modo legi poteſt. Hîc ergo ratio notatur deſcriptę Leuitarũ genealogiæ, quia ex eis orti ſunt ſanctiſſimi amici dei Moyſes & Aaron, liberatores totius Iſraëlis, quibus loquutus eſt Dñs. Præmittitur autem Aaron, C Moyſi, vt ſenior ætate, & de Maria non fit hîc memoria, quia fœminei ſexus fragilitas ſacris literis non niſi raras ob cauſas inducitur. Iſtis autẽ duobus præcepit deus dicendo, Educite filios Iſraël de terra Aegypti ſecundũ exercitus ſuos. Nõ neceſſe eſt hos verſus tribuere Eſdrę, quaſi reſipiat arrogantiã, ſi de ſe Moyſes hæc ſcripſerit: quũ non tam ſibi ipſi ad laudẽ, quàm ad humiliationẽ & infelicitatẽ maximã carnis hæc illi deus agenda & loquẽda iniunxerit, cũ infinitis perſequutionibus, & ingratitudine maxima populi: cui vellet nollet præfectus eſt, non ad ipſius gloriã, ſed omnipotentis dei, & ad ſalutẽ populi. Qui nihil tale aggredi tentaſſet vnq;, niſi à dño iuſſus & cõpulſus. Felicius carni ſuæ fuiſſet aulã regis Aegypti ſectari, & infeliciſsimorum fratrum ſuorũ ſortem miſerrimam negligere & vitare. Non vitio danda eſt omnis gloriatio, ſed ea tantùm quæ proprias iactat vires, & quæ ſua ſunt quærit: non ea quæ vera eſt, & in gloriã dei proficit decantata & gratiam. *Hi ſunt qui loquũtur ad Pharaonem regem Aegypti, vt educant filios Iſrael de Aegypto.* CAIETANVS. Hîc deſcribũtur à magnanimitate alloquendi Pharaonem ad educendũ filios Iſraël de Aegypto. AVCTOR CATENAE. Hi ſunt qui loquuntur, Hebraicè eſt הֵם הַמְדַבְּרִים Hem hámdabberim, Ipſi ſunt qui loquebãtur, vel qui loquiti ſunt. Sic habetur & in Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Sed vtroque modo reddi poteſt. Quaſi dicat, iſti Moyſes & Aaron, ſunt homines illi qui miſſi fuerunt à deo legati ad Pharaonem, vt educerent filios Iſraël. *Iſte eſt Moyſes & Aaron, in die qua locutus eſt dominus ad Moyſen in terra Aegypti.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Ne æquiuocatione horum nominum de aliis & aliis intelligatur, determinat de illis qui fuerunt in die illa qua locutus eſt dominus ad eos de educendo populo ex Aegypto. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et fuit in die locutionis domini ad Moyſen in terra Aegypti. Hîc deberet incipere Capitulũ ſeptimũ. Nã de ſcriptis perſonis Moyſi & Aaron, redit Moyſes ad ordinem hiſtoriæ ab allocutione diuina in terra Aegypti exhibita, quam cœperat narrare. Ad continuandũ ſiquidem hiſtoriã repetit illam allocutionẽ, narrando quid fuit in illo allocutionis tempore poſt afflictionem populi grauatã. Et nominatur nomẽ dñi tetragrãmaton, vt ipſe ſcilicet fons eſſendi per ſe ipſum curare hæc noſtra intelligatur. AVCTOR CATENAE. Iſte eſt Moyſes & Aaron. Sciendum hæc verba in Hebræo non accõmodari cũ ſequentibus, videlicet, in die qua locutus eſt dñs, & cætera, ſed ſtatim ſubE ſequi ſuperiora, hoc modo videlicet, Vt educãt filios Iſraël de Aegypto, Iſte, ſiue is eſt Moyſes, & Aaron. Et tunc eſt poſitum colũ, quod Hebræi vocant Soph paſuk, id eſt, duo puncta, quæ ſolent ipſi in fine omniũ clauſularũ ponere. Et licet Aben Eſdra fateatur ſe ignorare, quomodo & ob quam cauſam paſuk iſte in hũc locũ relatus ſit, nos dicimus vel phraſim eſſe Hebraicã ita quandoq; loquendi, vt infra eodẽ ſeptimo dicitur, Fecit itaq; Moyſes & Aaron ſicut præcepit dñs, ita egerũt: aut aliquod latere occultum, quod hactenus forſan non eſt reuelatũ. Nec enim apicem vnum in lege ſuperfluum eſſe credimus. Deinde ſequitur וַיְהִי בְּיוֹם דִּבֶּר יְהוָה אֶל מֹשֶׁה בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם Vaihi biiom dibber iehoua el Moſe beérez mizráim, Et fuit ſeu accidit, vel factũ eſt in die qua locutus eſt dns cum Moyſe, vel ad Moyſen in terra Aegypti. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Eſt autem genus dicendi Hebraicum, pro accidit autẽ quo die locutus eſt dominus ad Moyſen in terra Aegypti, vt loqueretur illi ad hunc modũ & diceret, Ego dominus, & cætera. Tandem etiam ſe Aaron fratri præponit hîc Moyſes, quia primus à domino vocatus, & dux populi conſtitutus, à quo & ſacerdotij ſui omnem honorem eſſet conſequuF turus Aaron, & ex cuius verbis & mandatis pendere videbatur à domino.

BEDA. Iſte eſt Aarõ & Moyſes, & cętera. Quod hîc Aarõ ꝓpter ſenectutẽ præponit Moyſi, figuraliter cõue- *Myſticè.* nit Chriſto, is enim cui⁹ Aarõ nũc typũ tenet, lege ſenior eſt. Vbi autẽ inferi⁹ & alibi Moyſes ante Aarõ memorat, ſignificat, quòd lex ſpeciẽ ſuã ante ſacerdotiũ oſtẽdit. Eductio autẽ filiorũ Iſraël ꝑ Moyſen & Aarõ de Aegypto & manu Pharaonis, vbicũq; in hoc libro dicit, eductionẽ hoim de mũdo, & de poteſtate diaboli, príncipe tenebrarũ harũ, ad regnũ cœleſte ꝑ legẽ & ſacerdotiũ ſignificat. INTELINEARIS. In eo verò ꝙ dicit, in die qua locut⁹ eſt dñs ad Moyſen, & Aarõ myſteriũ eſt, ꝙ ſeruis ſuis loquit de⁹ in die nõ i nocte, quia in eo tenebrę nõ ſunt vllę.

*ET loquutus eſt dominus ad Moyſen, dicens, Ego dominus loquere ad Pharaonem Regem Aegypti, ſ omnia quæ ego loquor tibi. Et ait Moyſes coram domino, En incircunciſus labiis ſum quomodo audiet me Pharao?*

5 *Et locutus est dominus ad Moysen, dicens, Ego dominus.* INTERLINEARIS. Ac si dicat, cuius dicere facere ꝺ est, cui nemo resistere potest. CAIETANVS. Narratur verò ipsa allocutio dei ad Moysen in Aegypto superius inchoata. Et tanquam superius imcompletè retulerit sermonem dei ad Moysen, repetèdo refert ex integro, inchoans, Ego dominus. AVCTOR CATENAE. Cũ (inquit) loquutus est dominus ad Moysen, sic loquutus est. Vnde aliqui ex recentioribus volentes superioribus dictis hunc locum accómodare, sic verterunt, loquutus (inquã) est Dominus ad Moysen, dicendo, Ego dominus. Alij, loquebatur ad Moysen in hunc modum, Ego dominus. Et tunc optimè cum superioribus hæc dicta copulabuntur. *Loquere ad Pharaonem regem Aegypti, omnia quæ ego loquor tibi.* CAIETANVS. Auctoritatis sunt verba, proponit enim deus auctoritatem suam Moysi, vt reuereatur illam, & absque dilatione exequatur quod præcipit. *Et ait Moyses coram domino.* Nomen est tetragrammaton, & est repetitio superius datæ responsionis deo à Moyse. *Ecce incircuncisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?*

*Locut.27.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Vel secundum Septuaginta, Ecce ego gracili voce sum, & quomodo exaudiet me Pharao? Et notandum, quòd exaudiet dixit, non audiet. RVPERTVS. Post prædictam digressionem illud quod supra dicere prosequitur. Nam quod illic dixerat, præsertim cùm incircuncisis labiis sum, hîc idcirco repetit, vt adiiciat quídnam dominus ad hoc respóderit. CAIETANVS. Est ergo repetitio impedimenti recitata, non dicta coram deo. Nam Moyses bis narrat ad continuandam historiam quòd semel à Moyse responsum est deo. AVCTOR CATENAE. Ecce incircuncisus labiis sum, hoc est impeditæ linguæ, vel labia habeo gratia & inexpedita ad pronunciandum verba, ac demum rudis in loquendo sum & ineptus. Quod verò sequitur, Quomodo audiet me Pharao? id quemadmodum intelligatur, declarat Chaldaica, inquiens, Et quomodo acquiesceret mihi Pharao? Vt audire sit auribus cordis, videlicet deo obtemperare, & populum dimittere. Nihil autem prohibet dicere, tertio iussum à domino subire populi ducatum, tertio suam allegare Moysen loquelæ imbecillitatẽ, sed non mereri adimi eam, & naturæ tam modicũ defectum emendari, cui tanta miraculorum gratia data est: quin potius Aaronis officio resarciri ordinatur prouidentia dei. Sic deus partitur gratiarum suarum dona, vt nemo sit omni ex parte felix & perfectus. Vni datur gratia hæc, alteri alia, nulli omnes nisi soli domino nostro Iesu Christo.

*Mysticè.* IDEM. Quod toties Moyses replicat, En incircuncisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao? Nónne tibi videtur in persona antiquæ legis dictum, Ego quidem notifico, non adimo peccata, pugno contra diabolũ, sed non vinco? Veniat ille qui auferat peccata mundi, qui affigens chirographum decreti quod aduersus nos est, cruci suæ, traducat principatus omnes & potestates tenebrarum, cunctósque fideles suos in æterna felicitate Israëlitas faciat, scilicet deum videntes.

## IN CAPVT SEPTIMVM EXODI, ARGVMENTVM.

*Signa vt cognoscatur deus. Virga Moysi coram Pharaone vertitur in colubrum. Aquæ vertuntur in sanguinem. Idem tentant etiam Magi* K *Pharaonis, qui ob id induratur, & populum Israel dimittere non vult.*

## CAPVT SEPTIMVM.

*Lectio.1.* *Dixítque dominus ad Moysen: Ecce constitui te deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël de terra sua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet uos. Immittámque manũ meã super Aegyptum, & ducã exercitum & populũ meũ filios Israël de terra Aegypti per iudicia maxima. Et scient Aegyptij quia ego sum dominus, qui extenderim manũ meam super Aegyptũ, & eduxerim filios Israël de medio eorũ. Fecit itaque Moyses & Aarõ sicut præceperat dominus, ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locum* L *sunt ad Pharaonem.*

*Lectio.1.* . RVPERTVS. Gloriosa virtutum regina humilitas, quæ in cœlum volare cõsueuit locuta est in Moyse, dicente se incircuncisum esse labiis, & idcirco dignũ, ac pro sua reuerentia magnificũ accepit responsum, vt audiret homo priuatus, regnãtis hominis se esse deũ. Ait ergo scriptura, *Dixitq; dominus ad Moysen, Ecce constitui te deũ Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Non dixit deus auctor deorũ, Ecce constituã, sed ecce constitui te deum Pharaonis, subaudit, à cõstitutione mũdi, nec enim ille deorũ nouo quicq; cõsilio cõstituit, aut destituit. Ac si dicat, Quoniã tu mitissimus virorũ, pro tam glorioso negotio, cũ Pharaone dimicare, & cũ regibus cõfligere te, dignũ ducis, atq; hoc modo vsq; ad nouissima terræ te deprimis, ecce ego sustollã te sup altitudinẽ nubiũ, faciáq; te deum, non quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis pro potestate dei, vt ranas crees, vt imperes terræ ac cineri, faciasq; in rege & in exercitu ei⁹ cyniphes & vesicas, imperes aëri, vt pestẽ valde M grauem generet, imperes igni, vt cũ grandine mixtus feratur super peccatores. Ita imperãdo elementis, deus eris Pharaonis. Et quia Pharao saltem cum huiusmodi deo loqui nõ est dignus, Aaron frater tuus erit propheta tuus, plagas quas tu facies pronunciaturus, siue tanq; minister illaturus. Ergo sunt dij in quorum synagoga (iuxta Psalmistam) stetit deus, quos in medio diiudicat, quibus loquitur, Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Non enim
*Psal.81.* solus hic est, quo Pharao non erat dignus, sed & alij plures, quales cùm commemorasset Apostolus, ita con-
*Hebr.11.* clusit, dicens, Quibus dignus non erat mundus. HILARIVS SEPTIMO DE TRINITATE. Deum dominum nostrum Iesum Christum his modis nouimus, nomine, natiuitate, natura, potestate, professione: sed de nomine nihil puto ambiguitatis remãsisse. Legimus enim: In principio erat verbũ, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Quid calumniæ est, quur non sit quod nuncupatur? Aut nunquid nomen non naturæ significatio est? Et quia contradictio omnis ex causa est, nunc hîc negandi dei quæro causam.

Simplex



A Simplex nanque nuncupatio est, & caret offendiculo adiectionis alienæ. Verbum enim quod caro factum est, nihil aliud quàm deus est. Non est hîc deputatæ aut assumptæ nuncupationis relicta suspicio, vt ei quod deus est, non ex natura sit nomen. Respice ad cæteras aut deputatiuas, aut assumptiuas appellationes. Ad Moysen dictum est, Dedi te deum Pharaoni. Sed nunquid nõ adiecta nominis causa est cùm dicitur, Deum Pharaoni? Aut nunquid dei naturã ei intulit, & non potius in eum qui metueret terrorem, cùm dracones magicos draco Moysi mox virga manens, deuorat? cùm cynomyiam quam immiserat abigit? cùm grandinem potestate qua euocauerat auertit? cùm locustas ea virtute qua inuexerat repulit? cùm in operationibus eius Magi confitentur digitum dei esse? Sic Moyses Pharaoni deus datus est, dum timetur, dũ oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud est, deum dari, aliud est deum esse. In Pharaonẽ enim deus datus est, cæterũ nò ei est & natura, & nomen vt deus sit. Memini quoq; & alterius nuncupationis, vbi dicitur: Ego dixi, dij estis. Sed in eo indulti nominis significatiõ
B est: & vbi refertur, ego dixi, loquentis est potius sermo, q̃ rei nomen, quia rei nomen intelligentiam rei affert: cæterùm voluntas appellationis ex alio est. Et vbi se nuncupationis autor ostendit, ibi per sermonem autoris est nuncupatio, non naturale nomen in genere. At verò hîc verbum deus est, res existit in verbo, verbi res enunciatur in nomine. Verbi enim appellatio in dei filio, de sacramento natiuitatis est mysterium, sicuti sapientiæ & virtutis est nomen, quæ cùm in dei filium cum substantia veræ natiuitatis extiterint, deo tamen vt sua propria, quanuis ex deo in deum sint nata, non desunt. Non enim sicut, frequenter dictum à nobis est, dei naturam diuisam esse asserimus in filio, sed natiuitatis sacramentum prædicamus. Nec separatio fuit imperfecta, sed progenies perfecta, quia natiuitas non habet detrimentum generandi, cùm profectum teneat nascendi. Et idcirco earum rerum vnigenito deo aptata cognomina sunt, quæ cùm eum subsistentem ex natiuitate consumẽt, tamen patri non desint exinde mutabilis virtute naturæ. Vnigenitus enim deus & verbum est, sed innascibilis pater nunquam omnino sine verbo est. Non quòd prolatio vocis natura sit filij, sed ex deo deus, cum veri-
C tate natiuitatis subsistens, vt à patre proprius, & per naturæ indifferentiam inseparabilis doceretur, significatus in verbo est. Sicut Christus sapientia & virtus est dei, non ille (vt intelligi solet) internæ potestatis, aut sensus efficax motus, sed natura tenens per natiuitatem substantiæ veritatem, his internarum rerum significata nominibus est. Non enim id quod nascendo subsistit, potest id ipsum videri esse quod vnicuique semper internũ est. Sed ex æterno deo patre vnigenitus filius in subsistentem deum natus, vt non alienus esse à natura paternæ diuinitatis posset intelligi, per hæc proprietatum nomina subsistens ostensus est, quibus, ex quo substiterat, non carebat. Deus igitur qui est, non est aliud quàm deus. Nam cũ audio, Et deus erat verbum, non dictum solùm audio verbum, sed demonstratum intelligo esse quod est, quia non sicuti superius in Moyse deo, & in cognominatis diis per appellationem nomen adiectum sit. Hîc autem res significata à substantia est, cùm dicitur: Deus erat. Ecce enim non est accidens nomen, sed subsistens veritas, & manens causa, & naturalis generis proprietas.

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Notandum, quòd cũ ad popu- *Quæst.17.*
D lum mitteretur Moyses, non ei dictum est, Ecce dedi te deum populo, & frater tuus erit tuus propheta: sed frater tuus (inquit) loquetur tibi ad populum. Dictum est etiam erit os tuum, & tu illi quæ ad deum, non dictum est, tu illi deus. Pharaoni autem dicitur Moyses datus deus, & secundum analogiam propheta Moysi Aaron, sed ad Pharaonẽ. Hîc insinuatur nobis, ea loqui Prophetas dei quæ audiũt ab eo, nihílque aliud esse prophetam dei nisi enunciatorẽ verborũ dei hominibus, qui deũ vel non possunt vel nõ merẽtur audire. GREGORIVS *Hom.8.*
SVPER EZECHIELEM. In scriptura sacra aliquando deus nuncupatiuè, aliquando verò essentialiter dicitur. Nuncupatiuè enim dicitur, sicut scriptum est, Ecce constitui te deum Pharaonis. Et sicut Moyses ait, *Exo.22. &*
Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, videlicet ad sacerdotes. Qui rursum dicit, Diis non detra- *12.*
hes, id est, sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait, Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. *Ibidem.*
Essentialiter autem deus dicitur, sicut ad Moysen dicitur, Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac, *Psal.31.*
& deus Iacob. Vnde Paulus Apostolus volens nuncupatiuũ dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore *Exod.3.*
E nostro locutus est, dicens, Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnẽ, qui est super omnia deus benedi- *Rom.9.*
ctus in secula. Qui enim nuncupatiuè dicitur, deus inter omnia: qui verò essentialiter, deus super omnia est. Vt ergo ostenderet Christũ naturaliter deum, non hunc deũ tantũmodò, sed deũ super omnia esse memorauit; quia & electus quisque sicut præmissimus, vel in exemplo iustitiæ prærogando positus, dici deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupatiuè deus. Christus autem deus est super omnia, quia naturaliter deus. IDEM SVPER *lib.3. cap.8*
PRIMVM LIBRVM REGVM. Per deos quandoq; sublimes & sapientes viri designantur. Nã & ad Moysen dominus dicit, Posui te in deum Pharaonis. Et in legis etiã mandato præcipitur, Diis nõ detrahes. THEODORETVS. Moyses Pharaonis deus factus est, quemadmodum deus mandauit Moysi, ita & Moyses ipsi Aaroni, quamobrem & Aaron Moysi propheta nuncupatus est. ACACIVS. Quemadmodum deus per Prophetas loquitur hominibus, ita & Moyses per Aaronẽ Pharaoni, quare & sermonis sui mentẽ interpretatur, dicens, &
Aaron frater tu⁹ erit tibi in prophetã. INTERLINEARIS. Ecce cõstitui te deũ Pharaonis. Vt scilicet quic-
F quid volueris præcipias ei, sicut deus imperat creaturæ suæ. Sancti enim adoptione dij sunt, quãuis non natura. *Ca.1.lect.1.*
Et Aaron frater tuus erit ꝓpheta tuus, id est, interpres. THOMAS SVPER EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Sciendum quòd licet sit tantũ vnus deus naturaliter, tamen participatiuè & in cœlo & in terra sunt dij multi, Prima Corinthiorum octauo, Sunt quidem dij multi, & domini multi. Dicuntur enim Angeli dij. Nam Iob primo & secundo dicuntur filij dei. Item Exodi septimo, Cõstitui te deum Pharaonis dicitur ad Moysen. Item ad sacerdotes, Exodi vigesimo secundo, Diis non detrahes. Item ibi, Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos. Angeli igitur dicuntur dij propter abundantissimam refulgẽtiam diuinæ claritatis. Iob vigesimo quinto, super quem non fulget lumen illius? Prophetæ verò dicuntur dij, quia ad ipsos sermo dei factus est, Ioannis decimo, Sacerdotes verò, quia dei ministri, Esaiæ sexagesimo primo, Vos sacerdotes domini vocabimini. CAIETANVS. Ecce constitui te deum Pharaonis. Iuxta Hebræum habetur, Vide, dedi te deũ Pharaoni. Excusauerat se Moyses ab officio legationis prosequẽdæ, tum quòd Pharao non esset eum auditurus, tum

quòd ipse esset clausus labiis. Respondet deus quo ad primum, vide, attende, & perpende in quali quātóque gra
du constitui te. Nam dedi te vt officio dei fungaris erga Pharaonem. Magnanimus esto, quia loco mei consti-
tui te relatiuè ad Pharaonem, non ibis tanquam inferior, sed tanquam superior eo, vt pote agens deum iudicem
Pharaonis. Et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Quemadmodum ego per Prophetas loquor Pharaoni & po-
pulis, ita tu per prophetam Aaron loqueris ad Pharaonem, ita quòd tu officio dei, Aaron verò officio prophe
tæ fungetur. Vide lector, quantum eleuet deus impedimentum loquelæ in Moyse. Respondendo enim ad im-
pedimentum labiorum, dat ei Aaron, non interpretem, quemadmodum dederat eundem relatiuè ad Israëlitas,
sed eleuat eum in prophetam medium inter Moysen & Pharaonem. AVCTOR CATENAE. Ec-
ce constitui te deum Pharaonis. Hebraicè legitur רְאֵה נְתַתִּיךָ אֱלֹהִים לְפַרְעֹה Ree nethatticha elohim lepharho,
Vide posui seu dedi, vel constitui te deum Pharaoni, id est, vice dei Pharaoni, hoc est, dices nomine meo, & ver-
bis meis Pharaoni quid ego velim. Vel, diuinam quandam prætteferes dignitatem. Sunt qui reddant, Constitui
te iudicem Pharaoni. Alij, magistrum & dominū super Pharaonem. Et hoc quia Moyses adeò domino plenus H
fuit, vt contra Pharaonem & omne robur immundorum spirituum, qui Pharaoni & Aegyptiis fauebant, præ-
ualuerit. Hinc ipsius Pharaonis Magi coacti fuerunt palàm cōfiteri, quòd digitus, id est, virtus dei esset in Moy-
se. Qui quidem Moyses ideo dictus fuit plenus deo, quia tot prodigia in Aegyptios exercuit, quæ fieri non po-
tuissent nisi à deo. Alij, quia dictio Elohim etiam angelū significat, reddiderūt: Constitui te angelum Pharaonis,
hoc est, reputaberis in oculis Pharaonis iuxta angelicā dignitatē. Chaldaica dixit, Vide quod constituì te princi-
pē Pharaoni. Septuaginta, vt apud nos. Et Aaron frater tuus erit ꝓpheta tuus, id est, interpres tuus, vt habet Chal-
daica, hoc est, exponet voluntatem meam quam à te audiet. Verbisque sequentibus seipsum declarat, cū dicit,
Tu loqueris ei omnia quæ mandabo tibi, Et ille loquetur ad Pharaonem, & cætera. Hoc autem fuit, quia ipse
Moyses blæsus & elinguis effectus fuerat. Propheta siquidem duobus accipitur modis. Propriè, & ad hoc requi-
ritur, quòd reuelationem habeat à domino, Vnde primo Regum nono dicitur, Qui hodie dicitur propheta,
olim appellabatur videns. Aliquando verò accipitur impropriè, pro eo videlicet, qui verba dei denunciat vel
exponit, licet ea non habeat à deo immediatè. Et hoc modo apud Apostolum accipitur quod dicitur, Itaque fra
1.ad Co.14 tres æmulamini ꝓphetare, & loqui linguis nolite prohibere. Talis hoc in loco dicitur futurus Aaron ipsi Moy-
si, hoc est, interpres & prolocutor. Propter quod dixit propheta tuus, non autē propheta meus. Sic igitur Moy-
ses constituitur à deo deus Pharaonis, quia à deo per Moysen compulsus est dimittere Israëlem. Variis & ma-
gnis miraculis puniuit eius perfidiam. Occidit eum primo in suo primogenito, deinde cum suo exercitu. Co-
actus est per manū domini reuereri Moysen, & toties intercessorem inuocare. Aaron autē propheta dicitur, quia
interpres ad populum voluntatis diuinæ quam à fratre audiebat, verbi dei prædicator, cui diuina secreta reue-
lantur à domino, & cuius officium sit orare pro populo. Distribuit ergo dominus officia seruis suis. *Tu loqueris*
*ei omnia quæ mandabo tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israel de terra sua.* RVPERTVS. Et superius di-
Exod.4. xerat, Ipse loquetur ad populum pro te, & erit os tuum. Tu autem eris ei in his quæ ad dominum pertinent. Et
est sensus, sicuti si diceretur: Tu deus Pharaonis constitutus, cui ego deus deorum loquor facie ad faciem, vti
loqui solet homo ad amicum suum, non dignaberis multa loqui, vel orationem protelare cum rege Aegypti,
vel faciem tuam aperire popularibus ineruditis, sed loqueris prophetæ tuo Aaron, & contra Pharaonem, & ad
populum tuum, exemplo mei, qui nec verborum indiciis ago cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter
appareo mortalibus filiis hominū, sed ꝓ prophetas meos mando quæ illi audire merentur, vel quod facturus sim
iudicium. Porrò tu illi eris in his quæ ad deum pertinent. De te enim loquente pariter & audiente, ille accipiet
quid loquatur. Et isti duo homines pauco tēpore ita egerunt, alter potestatem in sermone habens, alter potestati
in faciendis corā Pharaone signis obtēperans, vsq; ad immolationē paschalis agni. AVCTOR CATENAE.
Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, subaudi ipsi Aaron. Ita est in Chaldaica, & apud Septuaginta. Verū quo-
niam verbū אַצַוְּךָ Azauecha, futurum est, verterunt nonnulli hîc, Mandabo seu mādauero tibi. sed hoc parū est.
Assigno (inquit) tibi fratrem, qui poterit & faciet quę tu recusas obire munia, contra regem quantumlibet seue-
rum & atrocem. Certò enim noueris dimissurum aliquando populum, vtcūque recalcitret, & furia agatur. Hæc I
autē dixit dominus, vt posthac non opus habeat Moyses se se quoquomodo excusare impeditioris linguæ ob-
staculo, etiam ad regem. CAIETANVS. Verùm quia dimissio populi non statim erat fienda, sed median-
tibus multis signis mirabilibus & iudiciis, ideo subiungit indurationem Pharaonis futuram, & hæc multipli-
canda. *Sed ego indurabo cor eius & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos. Immittamq; manū meam super*
*Aegyptū, & educam exercitū & populū meum filios Israel de terra Aegypti per iudicia maxima.* AVGVSTINVS IN QVAE-
Quæst. 18. STIONIBVS SVPER EXODVM. Assiduè deus dicit, indurabo cor Pharaonis, & velut causam infert
cur hoc faciat, Et implebo signa mea & portenta mea in Aegypto, tanquā necessaria fuerit obduratio cordis Pha
raonis, vt signa dei multiplicarentur vel implerentur in Aegypto. Vtitur ergo deus bene cordibus malis, ad id
quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis. Et quāuis vniuscuiusq; cordis in malitia qualitas, id est,
quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, ea tamen qualitate mala vt huc
vel illuc moueatur, cū siue huc siue illuc male moueatur, causis fit, quibus animus propellitur, quæ causæ vt exi- M
stant vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta prouidentia, iustissima planè & sa-
pientissima, vniuersum quod creauit disponentis & administrantis dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod
patientia dei nō moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit. Quod verò facta sunt ea,
quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus dei, hoc est enim quod dicitur, induratum, quia
non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, dispensationis fuit diuinę, qua tali cordi non so-
lùm iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, ver-
bi gratia, propter quod homicidium cōmittatur, aliter auarus, aliter pecuniæ contemptor mouetur. Ille scilicet
ad facinus perpetrandū, ille ad cauendū, ipsius tamē lucri propositio in alicuius illorū nō fuit potestate. Ita cause
veniūt hominibus malis, quæ nō sunt quidē in eorū potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos inuenerint iam
factos



A factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sanè est, vtrum etiam sic accipi possit. Ego indurabo, tanquàm diceret, quàm durum sit demonstrabo. THEODORETVS. Indurare dicitur deus Pharaonem di uinis mandatis & nuntiis rebellem, & (vt ita dicam) durum in quo characteres diuinæ voluntatis imprimeren tur, vt pote qui bonitatem præcipietis nihili faceret, atque etiam bonitatem ipsam adulationē imbecillitatémque interpretaretur, & bonitas Dei quę illum vt pœniteret adhortabatur, obdurationis occasionem dedit. Quū ergo ait, Ego indurabo cor Pharaonis, vult dicere, Ego voluntatem Pharaonis duram, offirmatam, pertinacémque esse ostendam. CHRYSOSTOMVS SVPER IOANNEM. Sed ego indurabo cor eius. Ecce aliā *Cap.12.*
quæstionem. Non est tamen, si rectè considerabimus. Quemadmodum enim sol debilem oculorum aciem per- *Hom.67.*
stringit, non natura sua: ita vsu venit in his, qui diuino non attendunt sermoni, ita & Pharaonis cor indurauis-
B se dicitur, ita his accidit, qui dei verbum oppugnant. Proprium hoc scripturæ: vt illud, Et tradidit eos in repro-
bum sensum. Et iterum, Abiit à gentibus, hoc est, secesit, eas dimisit. Non enim hæc à deo, sed ab aliorum ma-
litia prouenire ostendit. Cum deserimur à deo, tradimur diabolo: in cuius potestatem redacti, innumeris malis
afficimur. Vt ergo auditorem perterreat, inquit, indurauit, & tradidit. Quòd enim ipse non solùm non tradat,
sed ne derelinquat quidem, nisi velimus, audi quid dicat? Nónne peccata vestra diuidunt me à vobis? Et iterū:
Qui longè discedūt à te pereunt. Oseæ autem dicit: Oblitus es legis dei tui, & ego tui obliuiscar. Et ipse in Euan- *Oseæ.4.*
gelio: Quoties volui congregare filios vestros, & noluistis? Et iterum Esaias: veni, & non erat homo: vocaui, & *Esa.50.*
non erat qui audiret. Hæc autem dicit, vt nostra causa deseri nos, & nobis ipsis perditionis nostræ autores de-
monstret: deus autem non modò nos derelinquere, & punire vult, sed quoties punit inuitus punit. Nolo (inquit) *Ezech.18.*
mortem peccatoris. Christus autem cùm peritura esset Hierusalem, etiam lachrymatus est, quod nos in amicis fa
cimus. GREGORIVS TRIGESIMO PRIMO MORALIVM. Pharaonis cor dominus obdura- *Cap.11.*
se describitur, non quòd ipse duritiam contulit, sed quòd exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi ti-
C moris sensibilitate molliuit. EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Indurare deus dici-
tur quorundam malorum corda, sicut de Pharaone rege Aegypti scriptum est: non quòd omnipotens deus per
potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere, sed exigētibus eorum culpis, cùm duritiam
cordis qua ipsi omnia mala perpetrando inuertunt, non aufert, quasi illos induret, quos iusto iudicio indurari
sinit. BEDA. Et multiplicabo signa & ostenta. Per signa plagæ intelliguntur, per ostenta, quod in mari fecit.
CAIETANVS. Vel appellat signa ea quæ etiam Magi Pharaonis fecerunt, ostenta verò ea miracula quæ
non potuerunt Magi efficere. Iudicia autem eadem miracula, quatenus fuerunt punitiones Aegyptiorum.
AVCTOR CATENAE. Immittámque manum meam super Aegyptum. Nil differt quod Hebraicè legi-
tur וְנָתַתִּי אֶת יָדִי בְּמִצְרָיִם Venathatti eth iadi bemizráim, Et ponam, siue extendam manum meam in Aegypto,
siue contra, vel super Aegyptum. Quem sensum etiam Interpres retinuit. Septuaginta, καὶ ἐπιβαλῶ τὴν χεῖρά μου
ἐπ' Αἴγυπτον, Et iniiciam manum meam in Aegyptum. Chaldaica, Et ponam plagam fortitudinis meæ super Ae
D gyptum. Declarat enim quid sit extendere seu ponere manum super Aegyptum, videlicet percutere eam plagis.
Per iudicia (inquit) maxima siue in iudiciis magnis, id est, puniendo Aegyptios. Hebraismus. Quod & Septua-
ginta clarius expresserūt, σὺν ἐκδικήσει μεγάλῃ, cū vltione magna. Chaldaica, per iudicia magna. Impiorū itaque
obduratio in gloriam dei redundat, sicut & sanctorum obedientia & deuotio. Vbi verò multa eduntur miracu-
la, ibi deprehenditur parum loci fidem habuisse. Impij autem miraculis non emendantur, sed obstinatiores eua
dunt, flagitiis enim suis merentur vt excęcentur & indurentur in gloriam dei & bonum electorum. Sancti autē
dicuntur exercitus dei, populus dei, & filij Israël. Iudicia dei magna, dicuntur vindictæ publicæ & insignes in
manifestè impios, & iustitiæ diuinæ edita mundo exempla. Manum mittere in Aegyptios, est percutere & affli-
gere plagis magnis. Sed quæritur, Cū dominus sit iustus & rectus, & non peruertat iudicium, quomodo dicitur
induratse cor Pharaonis, & deinde obstinatum variis afflixisse plagis? Et respondetur, Pharao fuit sibi ipsi causa
E indurationis, & non deus. Fuit quidem deus occasio, verùm haud aliter quàm lapis in via, qui prætereuntibus
iter ostendit, in quem incircunspectus impingit. Noluit enim Pharao cognoscere dominum, & dum æum deus
patiēter sustineret, obstinatior fiebat malus eius animus, atque hoc ipso sibi ipsi fuit causa suæ perditionis, iuxta
illud Prophetæ, Perditio tua Israël, in me tantummodo auxilium tuum. Alij dicunt, quia Pharao voluit impiè *Oseæ.13.*
agere, & deum irritare, in pœnam suorum præcedentium delictorum, sic diuina exigente iustitia, haud dignus
fuit vt spiritus domini, hoc est, gratia eius descenderet in eum, & daret illi cor tractabile atque perfectum. Non
igitur illi deus duritiam contulit, sed exigentibus illius meritis, nulla cor eius desuper infusi timoris sensibili-
tate molliuit. Dicunt aliqui dominum indurasse cor Pharaonis, per multa illa signa quæ fecit in Aegypto, vn-
de ille nō melior, sed peior redditus, etiam cùm apertam dei sentiret virtutem, noluit ei dare gloriam debitam,
eo videlicet modo, quo & sapientes mundi qui cùm cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut *Rom.1.*
gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Propterea tradi-
dit illos deus in reprobum sensum, & in passiones ignominiæ. Vide Apostolum ad Romanos primo capite. *Et*
F *scient Aegyptij quia ego sum dominus, qui extenderim manum meam super Aegyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum.* IN-
TERLINEARIS. Vt experimento, ait, sciant Aegyptij, me potentiam meam quam diu cōtraxeram, ex-
tendisse, & liberasse populum meum de manu eorum. Quasi misericordia sit quod putatur ira, vt sciant, inquit,
Aegyptij, quia ego sum dominus. CAIETANVS. Directè respondetur tum ad id quod dixerat Moy-
ses, Pharao afflixit populum tuum ex quo loquutus sum, & non liberasti eos. Tum ad id quod dixerat Pharao,
Nescio deum, & Israël nō dimittam. Scient (inquit) tunc Aegyptij, quòd ego deus in extensione manus meæ su-
per Aegyptum. Hoc enim spectat ad tempus vltimæ plagæ. AVCTOR CATENAE. Qui extenderim
manum meam super Aegyptum, & eduxerim, & cætera. Aliqui hîc verba Hebraica בִּנְטֹתִי & הוֹצֵאתִי Bintothi &
Hozethi, Cū extendero seu leuauero, & eduxero verterūt. Sic habet & Chaldaica. Vt sit sensus, Tunc cognoscent
Aegyptij me esse dominū, cū hæc omnia fecero. Sed & hunc eundē sensum habet litera nostra. Sic igit impij vel
tandē cogūtur agnoscere iustitiā dei atq; potētiā, dū quod omniū minimè volūt, cōficit: & afflicti admittere co-

gũtur,quod ſani recuſabãt. Tuncq; primũ dei cognitionẽ aſſequuntur,cũ ipſis ea prodeſſe nõ poteſt: ſicut & dæmones Chriſtum agnouerũt ad ſuam perditionẽ. *Fecit itaque Moyſes & Aaron ſicut præceperat dominus,ita egerunt.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. *Locu.28.* Quid deeſſet,ſi nõ diceretur,ita egerunt? Sed locutio eſt. AVCTOR CATENAE. Hebraico igitur more hæc dicuntur, ſatis enim erat, Fecit Moyſes & Aaron ſicut præceperat illis dominus. Iam pariter obſequuntur fratres domino,& diligenter ac fortiter pro fratrum ſalute diſcrimini ſe committunt,arduam prouinciam aggredientes. *Erat autẽ Moyſes octoginta annorum,& Aaron octoginta trium,quando locuti ſunt ad Pharaonem.* RVPERTVS. *Act.9.* Hanc primam octogenariam ætatem Moyſi,Stephanus protomartyr in actibus Apoſtolorũ ita diſtinguit:Cũ autem impleretur ei quadraginta annorum tempus,aſcendit in cor eius vt viſitaret fratres ſuos filios Iſraël. Et cum vidiſſet quendam iniuriã patiẽtem, vindicauit eum: Et poſt pauca,Et expletis annis quadraginta,apparuit illi in deſerto mõtis Sina angelus in igne flammæ rubi. Porrò vtrumque, ſcilicet Aaron & Moyſen natum conſtat poſt illud impij Pharaonis edictum, dicentis: Quicquid natũ fuerit maſculini ſexus, in flumen proiicite,quicquid fœminei, reſeruate. Poſt hæc enim ſcriptura inquit,id eſt,poſt iſta Pharaonis edicta & acta, egreſſus eſt vir de domo Leui,accepta vxore ſtirpis ſuæ. Cum igitur & Aaron,qui de illa vxore triennio ante Moyſen natus eſt, ſeruatus fuerit,& in exitu Iſraël de Aegypto,quamplurimi paruuli atque infra viginti annos adoleſcentuli extiterunt, claret, quia tale nequã regis edictum non præualuit, & vt nato Moyſi timeretur, magis elegantia eius de qua ſuperius dictum fuit,cauſa erat. Quando loquuti ſunt, inquit,ad Pharaonem Moyſes & Aron, Moyſes octoginta annorum erat. Porrò cũ in deſerto præfuiſſet populo quadraginta annis, mortuus eſt, erátque non pluſquàm centum viginti annorum. Non ergo relinquitur opinabili licentiæ locus, vt vel dubitare liceat, multo an pauco tempore corã Pharaone ſteterint in faciendis prodigiis. Nam ne ante quadrageſimum annum egreſſionis ex Aegypto obiiſſe illum ſuſpicari vacet, moriturus ipſe in Deuteronomio dicit, En quadrageſimus annus eſt, vt recogites in corde tuo,ſicut homo erudit filium ſuum,ſic dominus erudiuit te, & cætera. *Deut.8.* Additi autem quadraginta prioribus octoginta annis, ſine dubio fiunt centum viginti omnes anni Moyſi, ſicut in Deuteronomio ſcriptum eſt, *Deut.34.* Quia Moyſes, centum viginti annorum erat,quando mortuus eſt. Igitur octogeſimo primo ætatis ſuæ anno in initio anni,id eſt,verno tempore,Moyſes ſtetit coram Pharaone,& peractis ſignis,eodem tempore anni eduxit filios Iſraël de terra Aegypti. AVCTOR CATENAE. Elegit dominus ſenes ad imperium & ſummum ſacerdotium, qui non ſolùm annis,ſed ſapientia quoque, & virtutum omnium conſummatione promouerint, ne ſi iuuenes fuiſſent,in tanto negocio multorum hominum ludibrio paterent.

*Myſticè.* IDEM. Fratres duo Moyſes & Aaron, quorum vltimus alterius interpres dicitur,à deo ſimul mittuntur, ne confunderetur in vno ſolo duplex dignitas, regia videlicet ac ſacerdotalis, quam deus populo illi tribuere ſtatuerat. Regis enim erat,& vicem dei tenentis, vel dei in humano corpore latitãtis,dare legem: ſacerdotis autem,ipſam interpretari. Iuxta illud Aggæi,Interroga ſacerdotem legem, & reſpõdebit tibi. Et ſic tradita fuit bifariam lex (vt antiqui Theologi dicunt) ſcripto videlicet per Moyſen & legiſlatorẽ, & ore tenus ſiue coram,per ſacerdotem,vel alium interpretem declarata. RVPERTVS. Sicut autem duo homines iſti pauco tempore ita egerunt,ita lex quæ per Moyſen data eſt,& ſacerdotium quo primus Aaron functus eſt,eadem differentia egerunt,vſque ad immolationem paſchalis veri agni, ſcilicet Chriſti filij dei. Nam poſtea neque Moyſes ſtat pro illo populo contra ſpiritualem Pharaonem,id eſt,diabolum,ſed potius accuſat eũdem populum, & de medio ſublatum eſt ſacerdotium Aaron,non iam habens altare vel templum. Antea cum legeretur Moyſes erãt ſacerdotes de genere Aaron,in his quæ ad dominũ pertinent. Formidabant enim Moyſen lectione ſua, vt faceret ſacrificia ſecundũ exemplar quod in monte viderat,& illi pro populo loquebantur contra Pharaonẽ,id eſt,diabolum: nunc autem remotis ſacerdotibus illis,& ſtatuto ſacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech, populo illi os ſuum clauſit,& faciem ſuam velauit, ad iſtum conuerſus Moyſes. RABANVS. Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octoginta trium,quando locuti ſunt ad Pharaonem. Quid ſignificat hic numerus ætatis legiſlatoris,& primi ſacerdotis ſecundum legẽ,niſi ſacramentũ legis ac ſacerdotij? Quando enim Moyſes & Aaron locuti ſunt ad Pharaonẽ,ætas Moyſi octoginta erat annorũ, & Aaron octoginta triũ, quia lex quando ad ſalutẽ Gentibus per ſanctos doctores oblata eſt,circũciſionem ſpiritualem perfectè docuit,nec non & ipſi ſancti prædicatores perfectè ſtudebant ſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus mundos ſeruare,& ſic fidem ſanctæ Trinitatis perfectè aliis prædicare. STRABVS. Propter circunciſionem igitur quæ octaua die celebrari iuſſa eſt, numerus iſte poſitus eſt. Eandem enim ſignificationem habet octogenarius, quam & octonarius infra eum minor.

2 *Dixítque dominus ad Moyſen & Aaron: Cùm dixerit uobis Pharao, Oſtendite ſigna, dices ad Aaron: Tolle uirgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac uertatur in colubrum. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat dominus. Tulítque Aaron uirgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ uerſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Aegyptias & arcana quædam, ſimiliter. Proiecerúntque ſinguli uirgas ſuas, quæ uerſæ ſunt in dracones. Sed deuorauit uirga Aaron uirgas eorum. Induratúmque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut præceperat dominus.*

2 ORIGENES. Hiſtoria quidem famoſiſsima nobis recitata eſt,& quæ pro ſui magnitudine vniuerſo mũdo ſit cognita,per quam deſignatur,quòd in gentibus ſignorum ac prodigiorum verberibus Aegyptus cũ Pharaone rege caſtigata ſit,vt Hebræorum populum quem ex liberis patribus natum violenter in ſeruitutem redegerat, ingenitæ redderet libertati. Ait igitur ſancta dei ſcriptura. *Hom.4.* *Dixítque dominus ad Moyſen & Aaron, Cùm dixerit vobis Pharao, oſtendite ſigna, dices ad Aaron, Tolle virgam tuam, & proiice coram Pharaone, ac vertatur in colubrum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæſt.19.* Hîc certè non miniſterio vocis erat



A erat opus,cùm videbatur-velut ex neceſsitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moyſi,ſed virga erat proiicienda, vt draco fieret. Cur ergo Moyſes ipſe non fecit, niſi quia iſta mediatio ipſius Aaron inter Moyſen & Pharaonem, alicuius magnæ rei figuram gerit? CAIETANVS. Virga dei, eadémque virga Moyſi, nunc primum appellatur virga Aaron,eo quòd in prophetam eleuatus fuerit,& virga illa prophetæ ad faciendum ſigna erat à deo inſtituta. Et conſiderandum, quòd vult deus vt non incipiant facere miracula niſi rogati. Ait enim, Cùm dixerit vobis Pharao, Oſtendite ſigna, dices ad Aaron, & cætera. AVCTOR CATENAE.

Oſtendite ſigna,ſic & Hebraicè,eſt enim ibi תְּנוּ לָכֶם מוֹפֵת Tenu lachem mopheth, Date, ſeu ponite vobis,id eſt,pro vobis,portẽtum,ſiue prodigium. Hoc eſt,vt probetis verba veſtra eſſe vera, facite ſignum aliquod. Chaldaica,Date ſignum,legit. Septuaginta, Δότε ἡμῖν σημεῖον ἢ τέρας, Date nobis ſignum vel portentum. Ac vertatur in colubrum. Idem etiam Hebraicè dicitur: יְהִי לְתַנִּין Iehi letannin, Vt fiat ſerpens,vel,& fiet draco,vel,erit in
B draconem. Chaldaica, Et vertetur in colubrum. Septuaginta, καὶ ἔσται δράκων, Et erit draco. Cùm itaque dixerit vobis Pharao,& cætera. Ecce quomodo nouit futura dominus,tam verba,quàm facta, antequam fiant. Vél ſi legis,Si dixerit vobis Pharao(nam dictio Hebræa כִּי chi,& cùm,& ſi,reddi poteſt,prout nonnulli etiam reddiderunt)non intelligas quòd dubitet dominus quid futurum ſit vt loquatur,ſed pro more hominum præcepta dat, & liberum ſeruat arbitrium. Virga autem nunc dicitur Aaron, quòd ipſam ad mãdatum Moyſi geſtaret manu, & portentis edendis vteretur, quæ cùm alibi dicitur virga dei, ideo eſt, quia per eam ſigna diuinæ poteſtatis oſtenſiua fiebant: cùm autem Moyſi,quia illam is geſtabat manu,quando in monte illi dominus apparere dignatus eſt, & quoniam ipſe etiam virtutes multas in illa fecit ad domini præceptum. *Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat dominus. Tulítque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.*

AVGVSTINVS. Alia litera habet,Et proiecit Aarõ virgam ſuam. Si fortè dixiſſet,proiecit virgam, nulla eſſet quæſtio. Quod verò addidit,ſuam,cùm eam Moyſes dederit, non fruſtra forſitan dictum eſt. An erat v- *Quæſt.20.*
C trique illa virga communis,vt cuiuſlibet eorum diceretur,verum diceretur? PROSPER DE PROMISSIONIBVS ET PRAEDICTIONIBVS DEI. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, non tantum iuſſione diuina,verba quæ audierunt narrauerunt,quantum ſigna quæ data fuerant exhibuerunt. Virga nanque quam manu Moyſes portabat,coram Pharaone proiecta,effecta eſt ſerpẽs. AVCTOR CATENAE. Tulítque Aaron virgam. Hebraicè eſt וַיַּשְׁלֵךְ אַהֲרֹן אֶת מַטֵּהוּ Vaiaſlech Aharon eth mattéhu,Et abiecit ſeu proiecit Aaron virgam ſuam. Sic & Chaldaica, ſic & Septuaginta. Quem ſenſum innuit etiam Interpres. Pharao itaque iamdudum cõtemptor domini,quem & noluerat ſcire vel colere,iam nunc incipit exigere ſigna & portenta,ac in ſuam damnationem ſuſcipit. Non quia dignus haberetur, ſed vt deus ſuam potentiam manifeſtaret mundo. Miracula nemo præſumat,niſi domino imperante,& ſuo ſpiritu non dubio inſpirante. Cuius ſolius eſt naturæ ordinem inuertere ad gloriam ſuam,qui condidit & ordinauit vniuerſa. *Par.1. cap. 35.* *Vocauit autem Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Aegyptias & arcana quædam, ſimiliter: proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ conuerſæ*
D *ſunt in dracones.* PROSPER. Vt magi Pharaonis diuina potentia ſuperarẽtur,talia ſigna facere permiſi ſunt, inde proiicientes virgas ſuas, etiam ipſæ ſerpentum ſpecies oſtenderunt. AVGVSTINVS. Quid dicendum de virgis Magorum, vtrum & ipſæ veri dracones factæ fuerint, An potius videbantur eſſe quod non erant,ludificatione venefica? Cur ergo ex vtraque parte & virgæ dicuntur & dracones, vt de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonſtrare difficile eſt, quomodo etiam ſi veri dracones facti ſunt è virgis Magorum,non fuerint tamen creatores draconum,nec Magi, nec Angeli mali, quibus miniſtris illa operabantur. Inſunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ ſeminariæ rationes,quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis atque cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus. Et ſic non dicũtur angeli qui iſta faciunt,animalium creatores, ſicut nec agricolæ ſegetum vel arborum, vel quoruncunque in terra gignentium creatores dicendi ſunt, quamuis nouerint præbere quaſdam viſibiles opportunitates & cauſas,vt illa naſcantur. Quod autem iſti faciunt viſibiliter,hoc angeli inuiſibiliter, deus verò ſolus verus *Vbi ſupra.* *Quæſt.21.*
E creator eſt, qui cauſas ipſas & rationes ſeminarias rebus ipſis inſeruit. Res breuiter dicta eſt, quæ ſi exemplis & copioſa diſputatione explicetur,vt facilius intelligatur,longo ſermone opus eſſet, à quo ſe ratio noſtræ feſtinationis excuſat. IDEM TERTIO DE TRINITATE. Hîc video quid infirmæ cogitationi poſsit occurrere,cur ſcilicet iſta miracula etiam magicis artibus fiant? Nam & magi Pharaonis ſimiliter ſerpentes fecerunt, & alia ſimilia. Sed illud amplius eſt admirandum, quomodo magorum illa potentia, quæ ſerpentes facere potuit, vbi ad muſcas minutiſsimas ventum eſt, omnino defecit: cyniphes enim muſculæ ſunt breuiſsimæ,qua tertia plaga, ſuperbus populus Aegyptiorum cædebatur. Ibi certè deficientes magi, dixerunt: Digitus dei eſt hîc. Vnde intelligi datur,ne ipſos quidem tranſgreſſores angelos & aëreas poteſtates,in imam iſtam caliginem tanquam in ſui generis carcerem,ab illius ſublimis ætereæ puritatis habitatione detruſas, per quas magicæ artes poſſunt quicquid poſſunt, valere aliquid niſi data deſuper poteſtate. Datur autem, vel ad fallendos fallaces, ſicut in Aegyptios, & in ipſos etiam magos data eſt, vt in eorum ſpirituum ſeductione viderentur ad- *Cap.7.& 8*
F mirandi à quibus fiebant,à dei veritate damnandi,vel ad admonẽdos fideles, ne tale aliquid facere pro magno deſiderent,propter quod etiam nobis ſcripturæ authoritate ſunt prodita: vel ad exercendam, probandam, manifeſtandámque iuſtorum patientiam. Neque enim parua viſibilium miraculorum potentia. Iob cuncta quæ habebat amiſit,& filios & ipſam corporis ſanitatem. Nec ideo putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam, ſed deo potius, à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi & ſpiritali ſede incommutabilis iudicat. Nam & damnatis iniquis etiam in metallo ſeruiũt aqua & ignis & terra, vt faciant inde quod volunt,ſed quantum ſinitur,nec ſanè creatores illi mali angeli dicendi ſunt, quia per illos magi reſiſtentes famulo dei ranas & ſerpentes fecerunt. Non enim ipſi eas creauerunt. Omnium quippe rerum quæ corporaliter viſibilitérque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent. Alia ſunt enim hæc iam conſpicua oculis noſtris ex fructibus & animãtibus, alia verò illa occulta iſtorum ſeminum ſemina. Vnde iubente creatore produxit aqua prima natatilia & volatilia. Terra autem prima ſui generis ger-

neris germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc huiuscemodi fœtus ita producti sunt, vt in eis G
quæ producta sunt, vis illa consumpta sit, sed plerunque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus
erumpant & species suas peragant. Ecce enim breuissimus surculus semen est, nam conuenienter mandatus ter-
ræ arborem facit. Huius autem surculi subtilius semen aliquod eiusdem generis granum est, & hucusque nobis
visibile. Iam verò huius etiam grani semen, quamuis oculis videre nequeamus, ratione tamen coniicere possu-
mus: quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerunque nascerentur ex terra quæ ibi seminata non
essent, nec animalia tam multa nulla marium fœminarúmque commixtione præcedente, siue in terra, siue in a-
qua, quæ tamen crescunt & coëundo alia pariunt, cùm illa nullis coëuntibus parentibus orta sint. Et certè apes
semina filiorum non coëundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligunt. Inuisibilium enim semi-
num creator ipse, creator est omniũ rerum, quoniam quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis
seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incremẽta debitæ magnitudinis, distinctionẽsque formarum H
ab originalibus tanquam regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas
creatores frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda dei virtus interius operetur. Ita
non solùm malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina
rerum istarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt,
atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc nisi
quantum deus iubet, nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quantum iustè ipse permittit. Nam iniqui malitia volun-
tatem habent iniustam, potestatem autem non nisi iustè accipiunt, siue ad pœnam suam, siue ad aliorum, vel pœ-
nam malorum, vel laudem bonorum. Itaque Apostolus Paulus discernens interius deum creantem atque for-
mantem, ab operibus creaturæ quæ admouentur extrinsecùs, & de agricultura similitudinem assumens, ait:
1.Cor.3. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Sicut ergo in ipsa vita nostram mentem iustifican-
do formare non potest nisi deus, prædicare autem Euangelium extrinsecùs & homines possunt, non solùm boni I
per veritatẽm, sed etiam mali per occasionem, ita creationem rerum visibilium deus interius operatur, exterio-
res autem operationes siue bonorum siue malorum, vel angelorum vel hominum, siue etiam quoruncunque a-
nimalium, secundum imperium suum, & à se impertitas distributiones potestatum, & appetitiones commodi-
tatum, ita rerum naturæ adhibet in qua creat omnia, quemadmodum terræ agriculturam. Quapropter, ita non
possum dicere angelos malos magicis artibus euocatos, creatores fuisse ranarum atque serpentium, sicut non
possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam video exortam. Sicut nec Iacob
creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus variatas virgas quas intuerentur ap-
posuit. Sed nec ipsæ pecudes creatrices fuerunt varietatis prolis suæ, quia inhæserat animæ illarũ discolor phan-
tasia ex contuitu variarum virgarum per oculos impressa, quæ non potuit nisi corpus quod sic affecto spiritu a-
nimabatur ex compassione cõmixtionis afficere, vnde teneris fœtum primordiis colore tenus aspergeretur, vt
enim sic ex semetiplis afficiantur, vel anima ex corpore, vel corpus ex anima, congruentiæ rationis id faciunt, K
quæ incommutabiliter viuunt in ipsa summa dei sapientia: quam nulla spatia locorum capiunt, & cùm ipsa sit
incommutabilis, nihil eorum quæ commutabiliter sunt deserit, quia nihil eorum nisi per ipsam creatum est. Vt
enim de pecoribus non virgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis & inuisibilis ratio sapiẽtiæ dei,
per quam creata sunt omnia. Vt autem de varietate virgarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret,
fecit hoc anima grauidæ pecudis per oculos affecta forinsecus, & interius secum pro suo modulo formandi re-
gulam trahens, quam de intima potentia sui creatoris accepit. Sed quanta sit vis animæ ad afficiendam atque
mutãdam materiam corporalem, cùm tamen creatrix corporis dici non possit: quia omnis causa mutabilis sen-
sibilísque substantiæ, omníque modus & numerus & pondus eius vnde efficitur vt sit, & natura ita vel ita sit, ab
intelligibili & incommutabili vita, quæ super omnia est, existit & peruenit vsque ad extrema atque terrena mul
tus ser.no est, neque nunc necessarius. Verùm propterea factum Iacob de pecoribus commemorandum arbitra-
tus sum, vt intelligeretur si homo qui virgas illas sic posuit, dici non potest creator colorum in agnis & hœdis, L
nec ipsæ matrum animæ, quæ conceptam per oculos corporis phantasiam varietatis, seminibus carne cõceptis,
quantum natura passa est, asperserũt: multo minus dici posse ranarum serpentiúmque creatores angelos malos,
per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt. IDEM IN LIBRO VIGINTIVNIVS SENTEN-
2.Senten.4. TIARVM. Non oportet moueri cùm magicis artibus miracula fiunt, plerunque similia miraculis quæ fiunt
per sanctos dei seruos: sicut scriptum est in Exodo, quòd magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter sicut fecit
Moyses. Non ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt etiam per inferiores potestates aëris hu-
ius, non absurdè fieri posse creduntur. Sed hoc interest, quòd cùm sancti talia faciant, in nomine dei domini
omnium rerum de sublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ: Cùm autem mali homines magicis
artibus operantur similia, in manus suas dãtur cùm exaudiuntur à dæmonibus. Digni sunt enim qui tali exau-
ditione decipiantur, vt pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cùm eis exhibent quasi priua-
tim aëreæ potestates quædam miracula, vt eos habeant subiugatos, permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro M
meritis animarũ sua cuiq; tribuantur. CYRILLVS. Vocauit autẽ Pharao sapientes & maleficos, & cætera.
Vt qui Moysen carperet magos adduxit, perinde quasi diceret, Non vos soli miracula facitis, sed & magi qui a-
pud nos sunt. GRAECVS. Præstigiæ pro miraculis habebantur. Efficacia tamen impostura coarguit,
quòd virgæ nihil præter speciem haberent, quæ insipientũ oculos facilè decipere posset. THEODORETVS.
Sunt adhuc nonnulli eorum qui impiè viuunt, qui diuinum Moysen præstigiis mira perpetrasse dicant. Id-
circo deus veneficos vt quædam mira facerent permisit, vt quanta inter illos ac Moysen esset differentia decla-
raret. Mutarunt quidem & ipsi virgas in serpentes, sed Moysi virga virgas illorum deglutiuit. Mutarunt & illi
aquam in sanguinem, sed in pristinam naturam illam conuertere non valuerũt. Idem de Ranis dici potest. Nam
quia à deo punitus Pharao plagis diuinitùs inflictis minimè castigabatur, Deus veneficos Pharaonis vltionem
augere mandauit, quasi diceret: Propterea quòd propemodum flagellis delectaris, & per meos ministros te casti-
go, &



A go, & per tuos supplicio te afficio. Videns autem deus Pharaonem magis ac magis obdurescere, veneficorum efficaciam repressit, quíque maius animal, ranas videlicet, è terra eduxerant, cyniphes minimum animal educere non potuerunt, verùm dei digitum plagam illam appellarunt. Et vlcera quidem etiam Magorum corpori inflixit, vt & illi vel ex hoc discerent, quòd non solùm à deo immissas plagas prohibere non possent, sed & ipsi vnà cum aliis punirentur. Impudentiæ igitur est, dicere Moysen veneficiis aut cantionibus miracula fecisse, clamantibus Magis diuinæ virtutis signa esse. Nam si ea quæ à Moyse fiebant, præstigiæ erant, debuerãt Magi Moysen præstigiarum conuincere & coarguere, nunc verò manifestè digitum dei esse vociferantur. CHRYSOSTOMVS. Poterat vtique deus Magos ab initio prohibere, sed id facere recusauit, quia longè illustrior est illa victoria, quum qui ex aduerso pugnam ineant non defuerint. Idcirco & diabolum vt se tentaret permisit, vt eum deuictũ cerneres, contraq; homines ipsos aduersus illum coronam adeptos. ORDINARIA. Sciẽ-
B dum quia vel diabolicis figmentis spectantium oculos deludebant Magi, vt res in sua natura manentes, aliud viderentur. Vel dæmones quamuis mali, naturam suam non amiserunt. Ideo dum per incantationem eorum malefici aliquid efficere conantur, discurrunt per mundum, & subitò semina eorum de quibus hoc agitur, afferunt. Sicque ex illis permittente deo nouas rerum species producunt. RVPERTVS. Quod fecit Moyses tanquam deus Pharaonis, solius diuinæ potestatis est, virgam scilicet inanimatam in verum animal conuertit, videlicet quia transformauit in colubrum. Magorum autem virgæ erant quod fuerant, sed per incantationes Aegyptias, & arcana quædam fascinauerant Magi oculos hominum, vt virgæ viderentur eis speciem habere draconum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos. Et in hoc & in aliis sequentibus miraculis semper Pharao recurrit ad Magos suos tentans si possint eadem facere quę & Moyses faciebat. Non enim putabat ea fieri diuina potestate & voluntate, sed artificio & maleficio Moysi, & ita si facerent eadem, tunc propter hoc videbatur ei se non debere dimittere populum. Proiecerunt singuli vir-
C gas suas, quæ versæ sunt, & cætera. Totum hoc faciebant dæmones, siue in veritate formas rerum mutantes, sicut videbatur, siue potius visum hominum decipientes, & Magis illis famulantes: & sic se cogi per incantationes eorum deceptorie simulantes. De illo verò serpente quem fecit Moyses, non est dubitandum quin verus fuerit, & sibi alios deuoratos incorporauerit. THOMAS. Miraculorum aliqua sunt non vera, sed fantastica facta, quibus scilicet ludificatur homo, vt videatur ei aliquid, quod non est: quædam verò sunt vera facta, sed non verè habent rationem miraculi, quæ fiunt virtute aliquarum naturalium causarum, & hæc duo possunt fieri per dæmones, & talia fuerunt miracula Magorum Pharaonis. Si ergo veras ranas & veros serpentes produxerunt, non propter hoc habuerunt veram rationem miraculi, quia virtute naturaliũ causarum facta extiterunt. Sed vera miracula non possunt fieri nisi virtute diuina, operatur enim ea deus ad hominum vtilitatem, & hoc dupliciter. Vno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem. Alio, ad demonstrationem sanctitatis alicuius, quam deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. IDEM SVPER MATTHAEVM. 2.2.q.17. ar.2. in cor. quæst. Ibidem ar. 1. in resp̃. Vbi supra. Cap.24. col.11.
D Est quæstio, Nunquid dæmones possint facere miracula, dicẽdum quòd non, si propriè sumatur miraculum. Quia miraculum propriè non est quod fit præter ordinem alicuius causæ particularis, sed quando præter ordinem totius creaturæ, & hoc fit per solam virtutem diuinam. Sed bene possibile est, quòd creatura superior non contineatur in ordine creaturæ inferioris. Vnde aliquid fit per virtutem superiorum, quod non fit per virtutem elementorum. Sic in hominibus aliquis facit per artificium aliquid, quod mirum videtur aliis. Sic de dæmonibus, quia subtilioris sunt intelligentię. Ideo sicut artifices aliqui aliquid faciunt, quod videtur mirum aliis: sic & dæmones aliqua faciunt naturaliter, quæ videntur nobis mira. Sed quomodo fiat istud: opinio fuit Auicenæ, quòd natura corporalis obedit ad nutum intelligentiis. Vnde ad apprehensionem immutatur corpus. Sed Augustinus istud amouet, quia non obedit ad nutum alicuius creaturæ, sed solius dei. Ideo dicendum, quòd in rebus naturalibus sunt virtutes determinatæ ad procreandum aliqua vt ranas, & huiusmodi. Istas virtutes nouerunt melius dæmones quàm alij. Et hoc probat Augustinus, quia ignis qui descendit super oues Iob, fuit natura-
E lis. Potest enim excitare corpora, & congregare, vt faciant talia miracula. Illa verò miracula quæ non procedunt ex virtute alicuius rei naturalis, hæc non possunt facere, scilicet vt mortuus suscitetur. Vnde talia non faciunt nisi in præstigiis, vt Simon Magus fecit mouere caput. Vnde ista quæ non fiunt ex virtute naturæ, non possunt. CAIETANVS. Tota hæc sententia seruatur in Hebræo, dictio tamen interpretata arcana, sonat sermonem secretum. Huiusmodi enim locutioni solent vti illi quos vocamus Magos, nam tales incantatores in Hebræo significantur, qui fortè nominati sunt Iannes & Mambres secunda ad Timothæum tertio. Dico autem fortè, quia nescio an inter sapientes an inter magos supputandi sint, vtrosque enim textus iste dicit vocatos à Pharaone. Proiecerúntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Non est vertendum in dubium, virgas Magorum versas in serpentes fuisse, cùm textus eisdem verbis vtatur, narrando transmutationem virgæ Aaron, & transmutationem virgarum Magorum, verè enim mutatæ sunt virgæ in serpentes, quemadmodum verè mutata est aqua in sanguinem, & verè productæ sunt ranæ. Quod etiam ex eo patet, quòd Magi impoten-
F tes narrantur in textu ad faciendum quartum signum, hæc enim impotentia testatur, quòd non ad apparentias, sed ad res ipsas faciendas dabant operam Magi. Nec est impossibile opera dæmonum applicantium actiua passiuis verti citò virgas in serpentes, nã videmus aërem verti in aquam statim cùm aqua frigida ponitur in phiala vitrea æstiuo tempore, cùm aparet tãquam sudor extra phialam. Intercesserit etiam multum temporis spatium à vocatione Magorum vsque ad proiectionem virgarum coram Pharaone, in quo tempore operabãtur dæmones, disponendo virgas per naturalia agentia, & sic mutando, vt postea proiectæ verterentur in serpentes. Et hoc tantò possibilius est, quantò naturalia agentia plus possunt, quatenus sunt instrumenta substantiarum spiritualium, quàm possint virtutibus propriis, vt de motu cœli Philosophi tradunt. AVCTOR CATENAE. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos. Istud, &, secundum aliquos exponit quid significet sapiẽtes, nempe incantatores & maleficos. Alij dicunt per sapientes intelligi Astrologos, per maleficos siue incantatores, præstigiatores qui rem sub oculis intuentium immutant, per Magos, eos qui ex secretis naturæ mira agere possunt.

Et fecerunt

Et fecerunt etiam ipsi per incãtationes Aegyptiacas & arcana quædam, similiter. Idem est sensus in Hebræo, sed G verba paulò diuersa sunt, videlicet: וַיַּעֲשׂוּ גַם הֵם חַרְטֻמֵי מִצְרַיִם בְּלָהֲטֵיהֶם כֵּן Vaiaasu gam hem chartumme Mizráim belahatehem chen, Et fecerunt etiam ipli malefici Aegyptiorum, siue Magi Aegypti incantationibus suis sic, vel per incantationes suas similiter, & ita habet Chaldaica. Alij verterunt, susurrationibus suis, id est, verbis secretò prolatis sicut isti Magi proferre solent. Septuaginta in vniuersum omnem incantationem & præstigium intellexerunt, τοῖς φαρμακίοις αὐτῶν ὡσάυτως, quæ vox sonat præstigium & veneficium. Dicitur autem Hebræa dictio לָהַם lahat propriè flamma, & subinde fulgorem lanceæ & gladij significat, & demum ad incantationes extenditur, eo quòd magicæ artes, nedum nominibus & execrationibus fieri soleant, verùm etiam per instrumenta quædam, puta gladios, lanceas, enses, & forbices. Sapientes igitur Pharaonis, nimirum omnes superstitiosis imbuti artibus, quibus Aegptus semper præ aliis omnibus nationibus insaniuit, intelliguntur communiter. Deinde nominantur malefici & præstigiatores hominum sensibus illudentes, magicísque imbuti, abutentes secretorum naturæ viribus ad hominum deceptionem, & qui secreta hominum reuelare præsumunt, vt furta & H euentus futurorum, incantationibus suis. Hi impij omnes conantur similia signis Mosaicis, & fidem tentãt piorum, perstringúntque impios conatus Pharaonis, vt malitia excæcetur, & non credat dei seruis, non credat miraculis dei, videns ea æquè fieri à maleficis, non quidem verè, sed præstigiatorum more falsò & apparenter, cùm dei creaturas homo commutare hoc pacto non possit verbis quibuscunque, quæ verbo dei facta sunt. Potuit igitur conuersio prædicta secundum apparentiam fieri. Licet enim corporalis materia non subiiciatur angelicæ virtuti quantum ad transmutationem ipsius ad formam, subiicitur tamen ei quantum ad localem motum. Dæmones ergo propria virtute dimissi, virgas à Magis proiectas, per localem motum imperceptibiliter humano sensui tollere potuerunt, & earum loco serpentes aliunde delatos, vel ibidem, non dæmonum, sed agentis naturalis virtute genitos, supponere. Videmus enim Mimos quosdam per agilitatem manuum & localem motum aliqua sic transmutare, quòd homines non percipiunt, multò melius dæmones, quorum subtilitas & celeritas in motu locali maior est, incomparabiliter hoc possunt, & multò maiora. Item quia abeuntibus sensibili- I bus, fantasiæ & imaginationes (vt dicitur secundo de anima) remanent, inde est, quòd ex motu locali formarum sensibilium remanentium in virtute fantastica cum humoribus in quibus sunt vt in subiecto, apparent aliqua quæ non sunt. Vnde dicit Philosophus libro secũdo de somno & vigilia, quòd descẽdente plurimo sanguine ad principium sensitiuum, simul descendunt formæ imaginatæ, & sic videntur aliqua quæ non sunt, sicut accidit somniantibus, & hoc modo possunt dæmones humores interiorum & exteriorum sensuum commouere, & ad organa sensuum aliquas formas reducere, ac si venirent ab extra, non solùm in dormientibus, sed etiam in vigilantibus, & sic aliqua esse extra eis videntur, quæ tamen non sunt. Et hoc modo poterãt facere dæmones quòd viderentur virgæ conuersæ in dracones, & tamen de hoc nihil esset extra secundum veritatem. Sunt & qui dicunt quòd dæmones per motum localem actiua naturalia passiuis applicare possunt, & sic frequenter effectus producere naturales, sicut applicatis lignis ad ignem per manum hominis, generatur ignis in materia lignorum. Illa tamen generatio est ab igne sicut ab agente proprio, ab applicante ligna, ministerialiter tantùm. Quod K licet sit verum, tamen hîc locum non videtur habere, quia licet ex virgis possent generari serpentes per agens naturale, hoc tamen esset per multas transmutationes, & longo tempore, & non ita subitò. Poterant tamen dæmones materiam existentem in propinqua dispositione ad formam serpentis, supponere proprio actiuo, & sic citò generarentur, & in loco virgarum per dæmones supponerẽtur. GREGORIVS NYSSENVS. Cùm verò ad inaudita signa, miraculáque Moyses versus esset, corámque ipsis Aegyptiis virgam suam in colubrum vertisset, Pharao Magorum ineptiis fretus, magis resistebat, hi enim virgas similiter suas in terram proiectas, in dracones mutasse videbantur. Sed qui ex virga Moysi verè animatus erat, Magorum virgas re ligna, visus deceptione dracones, facilè deuorauit. Ait itaque, *Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* PHILO IVDAEVS.

Serpens ex virga Moysi effectus, in sublime se extollens, & pectus dilatans, os verò aperiens, serpentes Magorum deglutiuit, vt nemo præstigiis, hominum magnifica dei opera ascribere auderet, sed diuiniorem quandam potentiam homini signorum causam esse confiteretur, cui nihil vnquã difficile factu fuit. AVGVSTINVS L IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæst.21.* Si dictum esset absorbuit draco Aaron virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron, phantastica illa figmenta non absorbuisse, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse videbantur, & non erant. Sed quoniam dixit, absorbuit virga Aaron virgas illorum, draco vtique potuit virgas absorbere, non virga. Sed eo nomine appellata res, vnde versa est, non in quo versa est, quia in id etiam reuersa est, ideo hoc vocari debebat, quod principaliter erat. RVPERTVS. Deuorari ergo, & non deuorare potuerunt, quæ deuoratrices esse videbantur, & non erant. CAIETANVS.

Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. In serpentes mutatas esse virgas tam Aaron quàm Magorum hæc verba literæ testantur. Nam cùm essent in forma serpentium nominantur virgæ, ad significandum, quòd verè virga serpẽs, deuorauit virgas serpẽtes, hic enim est planus literæ sensus. AVCTOR CATENAE. Thanninim ab Hebræis dracones & colubri exponuntur, qui deuorati omnes à virga Aaronis dicuntur. Virga vna virgas plures absorbuit, verus draco phantasticos vicit, hoc enim quod verè erat, deuorare poterat quod tantùm M *Quæst.22.* apparebat. *Induratúmque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præceperat dominus.* AVGVSTINVS. Cùm hæc dicuntur, videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia & incantatores Aegyptiorum similia fecerũt, sed consequentia docebunt quanta fuerit illa obduratio, etiam cùm incãtatores deficerent. CAIETANVS.

Humana autem indurationis ratio in promptu est, quia signum factum non excedebat vires secundarum causarum. Et non audiuit eos sicut præceperat dominus. Iuxta Hebræum habetur, sicut locutus est dominus. Et potest referri, vel ad significandam indurationem Pharaonis non affuisse ex improuiso, sed prædictam à deo, vel ad significandum quòd roboratum est cor Pharaonis ad non exequendum dimissionem populi quam dixerat deus. AVCTOR CATENAE. Et non audiuit eos sicut præceperat dominus, subaudi Pharaoni per Moysen vt obtemperaret. Hebraicè legitur hic locus hoc modo: וְלֹא שָׁמַע אֲלֵהֶם כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה Velo samaha alehem



A alehem, caaser dibber iehoua, Et nõn audiuit eos: seu, Non acquieuit eis, sicut locutus fuerat dominus. Ita est & Græcè & Chaldaicè. Hoc igitur secundo miraculo deuorationis auxit Pharao impius, & iam abiectus, damnatúsque diuino iudicio, incredulitatem per mirabilia suorum incantatorum, quos in hoc nutriuit, vt ab illis deciperetur, vt sic ad gloriam dei indurar etur, quod futurum deus prædixerat. De induratione autem hac vide in superioribus.

ORIGENES. Verùm interiora sanctæ scripturæ speculantes, Puto ego (vt sentire possum) quòd Moyses *Mysticè.* in Aegyptum veniens, & deferens virgam, qua castigat & verberat Aegyptum decem plagis, lex dei sit, quæ data est huic mundo, vt eum decem plagis, id est, decem mãdatis quæ in decalogo continentur, corripiat & emendet. Virga verò per quam geruntur hæc omnia, per quam Aegyptus subiicitur, & Pharao superatur, crux Christi sit, per quam mundus hic vincitur, & princeps huius mundi cum principatibus & potestatibus triumphatur.

B Quòd autem virga proiecta fit draco, vel serpens, & deuorat Aegyptiorum Magorum serpentes, qui id similiter fecerant, serpentem pro sapientia poni vel prudentia indicat euangelicus sermo, cùm dicit, Estote prudentes tanquam serpentes. Et alibi, Serpens erat prudentior omnibus animalibus, & bestiis, quæ erant in paradiso. Crux ergo Christi cuius prædicatio stultitia videbatur, quam Moyses, id est, lex continet, sicut dominus dixit, De me enim ille scripsit. Hæc inquam crux de qua Moyses scripsit, postquam in terra proiecta est, id est, postquam ad credulitatem, & fidem hominum venit, conuersa est in sapientiam, & tãtam sapientiam, quæ omnem Aegyptiorum, id est, huius mundi sapientiam deuoraret. Intuere ergo quomodo stultam fecit deus sapiẽtiam huius mundi, posteaquam manifestauit Christum, qui crucifixus est, dei virtutem esse & dei sapientiam, & vniuersus iam mundus comprehensus est ab eo qui dicit, Comprehendens comprehendam sapientes in astutia eorum. AMBROSIVS LIBRO TERTIO OFFICIORVM. *Cap.14.* Sed & aliter proiecit Moyses virgam coram Pharaone, & serpens facta, deuorauit serpentes Aegyptiorum: significãs, quod verbum caro, fieret, quæ serpentis diri ve-

C nena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga enim est verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne imperii. Virga serpens facta est, quoniam qui erat filius dei, ex deo patre natus, filius hominis factus est, natus ex Virgine, qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Vnde & ipse dominus ait, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. HIERONYMVS IN EZECHIELEM. *Cap.29.* Vt scire valeamus qui sit baculus arũdineus super quo domus Israël confidere non debeat, ex contrario baculo & virga domini intelligere poterimus, de qua ad dominum dicitur, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Hanc virgam habuit & Aaron, quæ dracones Aegyptios de- *Psal.22.* uorauit, & quando percussit aggeres Nili, & cyniphes in tota Aegypto generatæ sunt. Moyses quoque iuxta Septuaginta extendit hanc virgam, & leuauit in cœlum, & dominus induxit ventum austrum super terram toto illo die & tota nocte, & mane leuauit vẽtus, & adduxit locustas super omnem terram Aegypti. De hac puto virga scribi & in Numerorũ libro, quod floruerit, & nuces siue amygdalas germinarit. Hãc habebat & Apostolus, *Num.17.*

D cùm dicebat, Quid vultis, in virga veniam ad vos? Et qui pascha celebrabant, baculos tenebant manibus, sine *1.Cor.4.* quibus imbecillitatem humani corporis sustentantibus, carnes agni comedere non poterant. Hæc est virga de radice Iesse, super quam septem spiritus requieuerunt. Sed non talis Pharao, nec baculus Aegypti, & virga arundinea quæ decipit apprehendentes se, & lacerat humeros eorum, id est, fortitudinem, & quicunque fuerit super eam innixus, dissoluũtur lumbi eius, & stare non potest, nec accinctus renibus, pascha celebrare. Quod his congruit, quorum scrutatur corda & renes deus. GREGORIVS NYSSENVS. Quando aliquis eorum qui virtutis præstantia excellunt, à seruitute ad libertatem subm ersos in vitiis homines vendicare conatur, tunc cauillator is, qui variis, ut Apostolus ait, aduersus animas nostras vtitur viis, cõtra diuinam institutionem cauillationes fraudulentas inducit. Hæc dico ad Aegyptios dracones respiciens, qui varias fraudes artis diabolicæ ad perniciem hominum excogitatas significant, quas virga Moysi destruit atque consumit, incarnatio videlicet verbi, sicuti iam diximus. Qui autem hanc virtutis ac fidei virgam habet, quæ cum virga veritatis sit, diaboli

E fraudulentas virgas consumit: via recta cõsequenter ad maiora procedit miracula, quæ quidem miracula, non vt terreant audientes, sed vt prosint credentibus fiunt. Nam eisdem miraculis hostes expugnantur, fideles muniuntur, deiiciuntur alieni, eriguntur nostri, illi comminuuntur, nos augemur. SEVERVS. Virgam ferre Moyses iubetur, vt per illam miraculorum vim declararet, vt inde discamus, virgam non aliunde vim miracula efficiendi habuisse, quàm ob latentem in ea preciosæ crucis figuram, atque sine illa quæ crucis signum fuit, nihil admiratione dignum Moyses fecit. ISIDORVS. Virga Moysi in draconem conuersa, Magorum absorbuit virgas: & Christus postposita gloriæ suæ dignitate, factus est obediens vsque ad mortem, & per ipsam mortem carnis, consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta: Ero mors tua ô mors: ero morsus tuus inferne. Indurauit autem dominus cor Pharaonis, scilicet quia diabolum sic indurauit post peccatum, vt pœnitentiæ compunctione nunquam emolliatur, sicut in Iob de eo scriptum est, Cor eius indurabitur quasi lapis. RVPERTVS. Mysticè etiam hic digitus dei clarè præostendit, primum eorum quæ scripturus ipse erat in tabu-

F lis lapideis, Non habebis deos alienos coram me. Virga nãque Moysi versa in colubrum, in mysterio est omnipotens sermo dei, qui missus est in terram in similitudinem carnis peccati. Porrò virgæ Magorum, fallacię sunt dæmonum, qui se pro diis coli fecerunt. At ille, scilicet sermo dei, carne indutus, deos gentium dæmonia esse conuincens, vt solus ipse adoraretur, cunctos fallaces deos deuorauit, dicens publica prædicatione, cum summa potestate, Non habebis deos alienos coram me: volentibus quidem, sed non valentibus operariis mẽdacij contra veritatem stare, quorum illi Magi Pharaonis patres, vel exemplaria prima fuerunt. Quemadmodum enim (inquit Apostolus) Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines mente corrupti, re- *2.Timoth.3* probi circa fidem, sed vltra non proficient. Insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum.

PROSPER. Deuorauit etiam serpens Moysi, Magorum serpentes, vt nostri ducis Christi virga doctrinæ, omnium paganorum hæreticorúmque dogmata, diuina virtute consumpsit: non tantum vt hac actione figurata signarent, quãtum etiam Prophetæ Dauid præconia resonarent, dicentis: Virgam virtutis tuę emittet dominus ex

minus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. HIERONYMVS. Demum quemadmodum G signis dei quæ operabatur per Moysen, Magi suis restitere mẽdaciis,& virga Moysi deuorauit virgas eorum: ita mendacium Antichristi,Christi veritas deuorabit.

3 *Dixit autem dominus ad Moysen, Ingrauatum est cor Pharaonis,& non uult dimittere populum: Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripam fluminis, & uirgam quæ conuersa est in draconem,tolles in manu tua,dicésque ad eum,Dominus deus Hebræorum misit me ad te, dicens,Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto,& usque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit dominus, In hoc scies quòd sim dominus,ecce percutiam uirga quæ in manu mea est,aquam fluminis, & uertetur in sanguinem,pisces quoque qui sunt in fluuio morientur,& computrescent aquæ, & affligentur· Aegyptij bi-* H *bentes aquam fluminis. Dixit quoque dominus ad Moysen,Dic & Aaron: Tolle uirgam tuam,& extende manum tuam super aquas Aegypti,& super fluuios eorum,& riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut uertantur in sanguinem,& sit cruor in omni terra Aegypti,tam in ligneis uasis quàm in saxeis.*

3 GREGORIVS NYSSENVS. Cùm consentientes tyranno Aegyptios omnes vidisset in vniuersam eorum gẽtem,nemine omnino excepto,per manum serui sui Moysi intolerabilia infert vulnera. Commouebantur autem iussu eius elementa ipsa. Terra scilicet, ignis,aër, aqua,ad impietatem enim tyranni actiones suas facilè commutabant.Eodem quoque tempore,eodem in loco,Iudæi ab officio non recedentes,nil mali sentiebãt. Aegyptij verò perperam & cogitantes & agentes, acriter plectebantur. Nam aqua per vniuersam Aegyptum in sanguinem iubente Moyse conuersa est,vt vel pisces ipsi crassitudine aquarum carnea morerentur. Iudæis solis sanguis aqua erat limpidior. Hinc necessitate rerum coacti Aegyptij, aquæ quæ apud Hebræos inueniebatur I permixtione, sanguineam aquam suam mitigabant. De hac igitur prima plaga agit nunc sanctus Propheta,inquiens, *Dixit autem dominus ad Moysen.* CAIETANVS. Nomen est tetragrammaton,& vtitur Moyses in hac miraculorum & plagarum materia hoc nomine frequenter, quia nomen nouiter manifestatum, quia primum essendi principium curam habet horum infimorum per singula sigillatim,quia ipse fons essendi est auctor etiam pœnarum, & mutationum omnium ad libitum. *Ingrauatum est cor Pharaonis, & non vult dimittere populum.* INTERLINEARIS. Cùm videlicet deberet emolliri. AVCTOR CATENAE. Et non vult dimittere populum.Coniunctio,Et,nec est in Hebræo,nec in Chaldaica, nec in multis vetustis codicibus Latinis, sed hoc parum est. Graue est itaque(ait dominus)cor Pharaonis, durum, & ad veritatis impressionem & fidei in deum inemollibile. Non vult acquiescere mandatis dei, donec virtutem eius sentiat suo damno. Nemo ad bonam mentem conuertere potest, quos deus semel reprobatos abiecerit. *Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripam fluminis,& virgam quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua.* HVGO DE SANCTO K VICTORE. Ecce egredietur ad aquas, causa scilicet spatiandi. Et stabis in occursum eius super ripam fluminis, nempe Nili. AVCTOR CATENAE. Ecce egredietur. verbum Hebraicum יֹצֵא Ioze, quod est participium præsens, vertunt hîc nonnulli, egredietur, sicut & Septuaginta, ἐκπορεύεται. Verùm nulli dubium quòd præsens hîc ponitur pro futuro:nam deus non de hodierno,sed de crastino loquebatur Pharaonis egressu, ad quem doctus interpres respexit,& vertit,Egredietur: sicut & Chaldaica. Vide autem dei præscientiam, indicat nanque Moysi quid crastino facturus sit Pharao,vt dum interim aliud is agit ac cogitat,locuturo Moysi occurrat, & verbum domini audiat.Labium autem fluminis, quod propriè significat שְׂפַת sephath dicitur littus riui de Nilo. Voluit autem gestari virgam in manu Moysi, cùm in diuinæ potestatis & auctoritatis indicium, tum in futurorum typum,nempe quia per crucem Christi mirabilia omnia complenda erant,fortè etiam vt intentum incantationibus superstitiosum regem illuderet. Sic enim aliâs mendacio deus occurrit per spiritum, qui etiam mendacio suo egit negocium dei, vt videbat Micheas. Puniuntur siquidem impij per ea quibus pec- L cant.Non quòd Moyses deceperit,sed veris signis mediante virga perpetratis,falsa oppresserit. *Dicésque ad eum, Dominus deus Hebræorum misit me ad te, dicens,Dimitte populum meum vt sacrificet mihi in deserto, & vsque ad præsens audire noluisti.*

INTERLINEARIS. Quasi dicat,in arbitrio tuo fuit,vel tenere,vel dimittere. AVCTOR CATENAE. Vt sacrificet mihi in deserto, idem quod Hebraicè legitur וְיַעַבְדֻנִי Veiahabdúni,Vt seruiant mihi, sic & Chaldaica, & Septuaginta, λατρεύσωσί μοι, Nam sacrificium offerre deo, nil aliud est quàm deum colere, & illi seruire.Et vsque ad præsens audire noluisti,id est,noluisti acquiescere, renuisti obtemperare. Improperat igitur primùm culpam,deinde pœnam dignam interminatur contemnenti, alio signo puniendum denuncians, propterea subiungit. *Hæc igitur dicit dominus, In hoc scies quòd sim dominus.* INTERLINEARIS. Cui resistere nemo potest. CAIETANVS. Quia enim dixerat Pharao,nescio dominum,ideo dicitur ei,in hoc scies(hoc est scire poteris)quòd ego sum dominus. *Ecce percutiam virga quæ in manu mea est,aquam fluminis,& vertetur in sanguinem.*

Mirabilis loquendi modus, nam nec Moysi nec deo quadrant hæc verba simul. Nam nec Moyses percussit M virga aquas,nec virga erat in manu dei,sed Moysi. Contextus tamen sonat, quòd sunt verba dei, ita quòd manum Moysi apellat deus manum propriam, quia iam constituerat Moysen deum Pharaonis. AVCTOR CATENAE. Ecce percutiam, siue percutio (nam hoc quoque modo transferunt aliqui verbum מַכֶּה Macce) virga quæ in manu mea est aquam fluminis,vel super aquã fluminis (est enim Hebraicè עַל הַיְמִים Hal hamáim) quasi dicat, ego dominus iubebo fluuium percuti hac virga quæ in mea est potestate, siue ego Moyses ex parte dei præcipiam, vt Aaron hac virga quam nunc teneo in manibus, percutiat flumen. *Pisces quoque qui sunt in fluuio morientur,& computrescent aquæ,& affligentur Aegyptij bibentes aquam fluminis.* INTERLINEARIS. In qua enecauerunt paruulos Hebræorum, vt bibant sanguinem quem fuderunt. CAIETANVS. Ad literam significatur quòd fatigabuntur Aegyptij cùm non poterunt bibere aquam riui, ex quo soliti sunt haurire aquam.

AVCTOR



A AVCTOR CATENAE. Et computrescent aquæ,& affligentur Aegyptij bibentes aquam fluminis.Sententia eadem est in Hebræo וּבָאַשׁ הַיְאֹר וְנָלְאוּ מִצְרַיִם לִשְׁתּוֹת מַיִם מִן הַיְאֹר Vbaas haior, venilu mizráim listotli máim min haior,Et computrescet fluuius,seu,Et fœtebit flumen. Septuaginta autem ὑποζύσει, id est,feruebit habent.Et laborabunt,seu molestabuntur Aegyptij vt bibant aquam fluminis, vel ad bibendum aquas de flumine. Sic habet & Chaldaica. Et hoc est quod dicit, Non poterunt Aegyptij bibere aquam fluminis, sic enim vertunt Septuaginta. Vel ægrè bibent, aut abhorrebunt à potu aquæ fluminis. Est autem Hebraismus, quem paulopost reddit Interpres, se ipsum declarans. Aqua igitur in sanguinem vertenda prædicitur, piscibus totius fluminis morituris,& Aegyptiis siti laboraturis,vt de flumine bibere non possint nisi sanguinem. *Dixit quoque dominus ad Moysen, Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluuios eorum, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis quàm in saxeis.* INTER-

B LINEARIS. Extende(inquit) manum tuam,id est,extende potentiam. AVCTOR CATENAE. Et super fluuios eorum & riuos. Riui sunt qui fluunt ex piscinis & magnis stagnis. Quod autem sequitur,& omnes lacus aquarum,idem est quod dicitur in Hebræo וְעַל כָּל מִקְוֵה מֵימֵיהֶם Vehal col mikue memehem, Et super omnem collectionem,seu congregationem aquarum eorum, seu quam habent.Vel in plurali, super cunctas collectiones aquarum quas habent. Chaldaica, Et super omnem locum congregationis aquarum eorum. Septuaginta, καὶ ἐπὶ πᾶμ συνεσκόϛ ὕδωϛ αὐτῶμ, Et super omnem congregatam aquam eorum. Quæ omnia idem dicunt. Quod verò dicitur,tam in ligneis vasis quàm in saxeis,optimè additum est,vasis,ab Interprete,nam in Hebræo est: וּבָעֲצִים וּבָאֲבָנִים Vbahezim vbaabanim,Et in lignis & in lapidibus, seu,tam in lignis,quàm in lapidibus,subaudi,in quibus aqua continebitur.Sic & Septuaginta verterunt.At Chaldaica,sicut & apud nos legit, videlicet, In vasis quoque ligneis,& in vasis lapideis. Generalis est ergo præceptio, quæ in vniuersum ad omnes aquarum congregationes se extendit,per quam etiam tam putei quàm fontes & cisternæ intelligi possunt.

C ORIGENES. Quis est ille,quem repleat illo spiritu deus,quo repleuit Moysen & Aaron,cùm hæc prodigia & signa perficerent,vt eodem spiritu illuminatus, possit quæ per illos sunt gesta differere? Aliter enim non arbitror has ingentium rerum varietates ac differentias explanari,nisi eodem spiritu quo gesta sunt, differantur. Quia & Paulus Apostolus dicit quòd spiritus Prophetarum Prophetis subiectus sit.Non ergo quibuscunque ad explanandum dicta Prophetarum, sed Prophetis dicuntur esse subiecta. Verùm quoniam idem beatus Apostolus huius gratiæ,id est,prophetalis doni,tanquam ex parte sit & in potestate nostra,imitatores nos fieri iubet,dicens, Aemulamini autem dona meliora, magis autem vt prophetetis, tentemus & nos æmulationem susçipere bonorum:& si quid est in nobis,à nobis exigere,à domino verò plenitudinem muneris expectare. Pro hoc enim dicitur à domino per Prophetam,Aperi os tuum,& replebo illud. Pro illo verò alia scriptura dicit, Punge oculum, & producit lachrymam: punge cor, & producit sensum. Ne ergo ex desperatione silentio nos tradamus, quod vtique non ædificat Ecclesiam dei,de quibus possumus, & in quantum possumus, breuiter differamus. Ill- D lud quidem primùm nobis non inaniter obseruetur, quòd primò quidem Moyses, non intrare permittitur ad Pharaonem,sed occurrere ei ad aquas.Postmodum verò intrat ad eum:post hoc non intrat, sed accersitus accedit.Et in hoc ita arbitror intelligi posse, quòd siue nobis in verbo dei, & religionis assertione certamen est aduersum Pharaonem, siue etiam obsessas ab eo animas à potestate eius conamur eripere, & est nobis in disputatione luctamen,non statim in prima fronte ingredi debemus ad vltima quæstionum loca, sed occurrẽdum nobis est aduersario,& occurrendum ad aquas eius. Aquæ enim eius, sunt auctores gentilium philosophorum. Ibi ergo nobis primùm disputare volentibus, occurrendum est, vt ipsos arguamus, & ipsos errasse doceamus. Post hoc iam ingrediẽdum nobis est & ad interiora certaminis. Dicit enim dominus, Nisi prius quis alligauerit fortem,non potest introire in domum eius,& vasa eius diripere. Prius ergo nobis alligandus est fortis, & quæstionum vinculis constringendus,& ita introeundum ad diripiendum vasa eius, & liberandas animas, quas deceptionis fraude possederat.Quod cùm sæpius fecerimus,& steterimus contra ipsum: steterimus autem eo modo, E quo Apostolus dicit,State ergo succincti lumbos vestros in veritate.Et iterum,State in domino,& viriliter agite.Cùm ergo hoc modo steterimus aduersum ipsum,ille artifex antiquus & callidus,etiam vinci se simulabit & cedere, si fortè per hoc negligentiores nos efficiat ad certamen. Sed & pœnitentiam simulabit, & deprecabitur nos discedere quidem,sed nõ lõgè discedere.Vult enim nos esse sibi aliqua ex parte vicinos,vult nos à suis finibus non longè discedere, sed nos nisi ab eo longiùs recedamus, & transeamus mare, & dicamus, Quantum interiacet ortus ab occasu, elongabit à nobis iniquitates nostras, salui esse non possumus. Propter quod deprecemur misericordiam domini, vt & nos eripiat de terra Aegypti, de potestate tenebrarum, & Pharaonem cum exercitu suo tanquam plumbum demergat in aquam validissimam. Nos autem liberati, cum gaudio & exultatione hymnum cantemus domino,glorioſe enim honorificatus est.

F *Fecerúntque ita Moyses & Aaron sicut præceperat dominus, & eleuans uirgam percussit aquam fluminis,coram Pharaone & seruis eius. Quæ uersa est in sanguinem.Et pisces qui erãt in flumine mortui* 4 *sunt,computruitque fluuius, & non poterant Aegyptij bibere aquam fluuij, & fuit sanguis in tota terra Aegypti.Fecerúntque similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis.Et induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos,sicut præceperat dominus. Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac uice.Foderunt autem omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam ut biberent,non enim poterant bibere aquam fluminis.Impletíque sunt septem dies,postquam percussit dominus fluuium.*

AVCTOR CATENAE. Hîc primùm describitur supplicium,quo deus punit inobedientiam Pharaonis & Aegyptiorum,& vocat ipsos ad obedientiam.Percussu enim virgæ omnes aquæ in Aegypto tam fluuiales 4 quàm fontales,tam in vasis ligneis quàm lapideis,ita conuertuntur in sanguinem, vt nulli vsui aptæ sint, & ita

compu-

computrescunt, vt etiam pisces in ipsis moriantur. Et quanquam Philosophi Aegyptiaci idem videatur incan- G
tationibus suis facere, ex aqua vel effossa, vel aliunde allata, vanitas tamen ipsorum non constat, miraculum autem per Moysen & Aaron diuina potentia editum septem diebus ita constat, vt Aegyptij necesse habeant aliam aquam fodere, quam biberent. Horrendum non tam miraculum quàm spectaculum. Sed agè videamus quid dicat sancta dei scriptura. *Fecerúntque ita Moyses & Aaron, sicut præceperat dominus.* CAIETANVS. Memento moris Moysi. Nam priùs describit summariè integrum factum, dicendo, & fecerunt Moyses & Aaron sicut præceperat deus, deinde scribit idem, distinguendo factum per partes, & dicendo: *Et eleuans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Et pisces qui erant in flumine mortui sunt, computruítque fluuius, & non poterant Aegyptij bibere aquam fluuij, & fuit sanguis in tota terra Aegypti.* ORIGENES. Quod aquæ fluminis vertuntur in sanguinem, satis conuenienter aptatur, vt is fluuius cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculaue- H
*Cap.18.* rant, potando sentirent. AVGVSTINVS LIBRO PRIMO DE MIRABILIBVS SACRAE SCRIPTVRAE. Primo percussu in sanguinem vertuntur aquæ, ita vt omnes aquæ per totam Aegyptum mutatæ in sanguinem, animantibus quæ in ipsis erant, mortem præstarent, & per interitum sitis hominibus pœnale facerent exitium. Hæc autem primitùs vindicta Aegyptiis cum rege suo conuenienter euenerat, vt qui dei populi infantes in flumen iactare præceperat, eiusdem fluminis aqua in sanguinem versa, exitium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam præstaret. At verò & hoc requirendum est, quod ad præsentis operis propositum respicit, quomodo deus naturæ gubernator naturaliter aquam in sanguinem mutauit. Aqua igitur cuncti liquoris materia, quotidie per ipsarum rerum ministrationes in diuersa mutatur, dum in vniuscuiusque naturæ pastum & refectionem indesinenter & naturaliter contrahitur. Cùm enim per vitis arborem infunditur, in vini saporem & colorem mutatur. Et cùm oliuæ ligni ad excelsas summitates ascédit, eadem aqua olei pinguedinem facit, & cùm ab apibus in fauos congeritur, mellis dulcedinem operatur, & cùm per palmarum robora I
digeritur, dactylos gignit, & ad siceræ suauitatem expressa peruenit: & cùm in animalium diuersorum pastum deputatur, in sanguinis substantias diuersas per eandem carnem distinguitur. Nam & nutriendis fœtibus, albi coloris, & suauissimæ dulcedinis in vberibus lac præparat, & per cuncta reliqua carnis membra rubicundum sanguini colorem fuscat. Multa sunt præterea sanguinis genera per eandem carnem, quæ vsque ad viginti tria physiologi dinumerant, ex quibus vrinam, semen, fel nigrum & rufum, saliuas & lachrymas, & cætera esse denunciant, hæc quotidianis administrationibus naturæ suæ varias per partes aqua præparat. Quid ergo capacibus mentibus obstat, si illud quod per tempus longius facit, in momento per iussum potentissimi gubernatoris naturaliter efficiat? Aqua in sanguinem versa, non contra naturam facit, sed quod aliis rebus per tempus efficeret, iubéte domino in semetipso protinus operatur. EVSEBIVS. Prima plaga sanguinis iustum iudicium. Infantium enim sanguine fluuius repletus, in sanguinem conuersus est. Clamabat enim infantium sanguis, factum est miraculũ. Nõ inueniebatur aqua, totus enim fluuius sanguis erat. AVCTOR CATENAE. Per- K
cussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Doctus Interpres breuitati studens, hîc verborum Hebraicorum repetitionem vitauit, sententiæ tamen integritate seruata. Eiusmodi autem est in Hebræo litera, quæ & in Chaldaica, nempe: Et leuauit virgam (subaudi Aaron) & percussit aquas quæ erant in flumine ante oculos Pharaonis, & ante oculos seruorum eius, & versæ sunt omnes aquæ quæ erant in flumine in sanguinem. Hæc illa. Quod autem sequitur, Computruítque fluuius, idem est quod Hebraicè legitur וַיִּבְאַשׁ הַיְאֹר Vaibas haior, Et fœtuit, seu fœtere cœpit fluuius. Verbum enim Bas, vtrumque significat. Non potuit Aaron manus extẽdere super omnes aquas, sed dum partem aquæ Nili tetigit, omnes aquas Aegypti in sanguinem vertit. Potentia ipsa dei fluuium tetigit, vt non sit Aaronis miraculum, sed dei. Etiam vbi in domibus aquæ erant in vasis ligneis & lapidibus, versæ sunt in sanguinem. Vbi igitur Aaron virga sua vsus est ad mandatum dei, tunc omnes vbique aquæ conuersæ sunt in sanguinem. Afflictique sunt omnes Aegyptij, sanguinem à domino execratum bibere non potentes, & aquam nuspiam inuenientes, sed & pisces mortui sunt, & putredi- L
ne corruperunt aërem. Voluit autem deus hoc miraculo testificari se vnum verum esse deum, voluit & nomen suum glorioſum reddere in toto orbe terrarum. EVSEBIVS. Hoc peracto miraculo, Magos vocat Pharao, vt illud vel hoc pacto vtcunque posset diminueret, vnde ait: *Fecerúntque similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis.* *Quæst.23.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur igitur vnde aquam in sanguinem verterunt, si tota aqua Aegypti in sanguinem conuersa iam fuerat? Vnde intelligẽdum est, regionem vbi filij Israël habitabant, plagis talibus non fuisse percussam, & inde potuerunt incantatores aquam haurire, quam in sanguinem verterent ad solam demonstrationem magicæ potentiæ. Quanquam potuerunt etiam, posteaquam illa compressa sunt, facere, sed scriptura citò narrando coniunxit, quod etiam postea fieri potuit. THEODORETVS. Vel dici potest mare illis proximum fuisse, aquam verò quæ potari potest, tantummodo in sanguinem versam. Marina igitur aqua in regiam domum afferri poterat, atque in sanguinis colorem conuerti, id deo illis permittente. GRAECVS. Vel omnino diuina dispensatione factum est, vt M
nonnihil aquæ reliquum fuerit, quæ ab Aaron in sanguinem non sit commutata. Aut eodem momento quo & Aaron, Magos aquam in sanguinem cõuertisse, aut fortasse à filiis Israël commodatam fuisse. Nec absurdum est si dicamus, Moysen posteaquam aquam in sanguinem commutarit, illam de integro in pristinam naturam conuertisse, vt Aegyptiorum Magi haberent vnde artem suam ostentarent. IDEM. Magi itaque aquam ope dæmonum & dei permissu commutarunt, idque ad tertiam vsque plagam, in quarta demum nihil præterea efficere potuerunt, vt omnibus notum fieret, quòd ne illa quidem, vi sua effecerant. HVGO DE SANCTO VICTORE. Quod dicitur hîc, Fecerúntque similiter malefici Aegyptiorum, intelligitur in aliis aquis.

AVCTOR CATENAE. Quod vertit Interpres, incantationibus suis, & in Hebræo est בְּלָטֵיהֶם Belatehem, aliqui vertunt, susurrationibus suis, quas dicunt secretas esse orationes, quibus dæmones inuocantur. Similia itaque promiserunt malefici, & partim præstiterunt videnti rege. Non poterant autem aquas vertere in sangui-



A sanguinem, quæ iam versæ erant, sed vel pro ostentanda superstitiosa malitia adhuc aquæ quædam diuina permissione extabant, si (vt fieri potest) totũ appelletur à maiori parte, & omnia pro maxima multitudine, vt est scripturæ consuetudo, ne quis friuolè hîc commentetur. Vel dicere potes, ministerio dæmonum fortasse adductas fuisse aquas aliunde, id est, ex terra extra Aegyptum, quod facere potuerunt mira celeritate. Quale autem fuerit hoc Magorum miraculum, dic vt in præcedentibus. *Et induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos sicut præceperat dominus.* In Hebræo est: כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָֹה Caaser dibber Iehoua, sicut dixerat, vel loquutus fuerat dominus: Sic habet & Chaldaica, sic & Septuaginta. Induruit nimirum Pharao, & timorem domini agnitionémque voluntatis suæ non admisit: non acquieuit votis Prophetarum dei, signáque huiusmodi nihil penes eum obtinuerunt: quia sic futurum dominus prædixerat, sic stabat ordo prouisionis diuinæ. *Auertítque se, & ingressus est domum*
B *suam, nec apposuit cor etiam hac vice.* Pro hac vice, est in Hebræo לוֹאת lazoth, hoc est, ad hoc. Sic habet & Chaldaica. Et est sensus, quòd nec mouebat eum tantum periculum: vel non adiecit animum ad huiusmodi factum, nec corde suo expendit tam insigne miraculum, seu non curauit, deceptus scilicet Magorum miraculis & incantationibus. Non tamen sinitur à deo Pharao occidere Prophetas, totum etiam Aegypti regnum affligentes, sic est enim cor regis etiam impiissimi in manu domini. Erat stupenda incredulitas in rege & populo, quam iustitia dei permittebat in impiis ob crudelitatis suæ maximum quoque crimen, vt & ante mortem affligerẽtur, culpam agnoscerent, iusto se damnandos iudicio sentirent. *Foderunt autem omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam vt biberent, non enim poterant bibere aquam fluminis.* CAIETANVS. Quemadmodum inter aquarum parua vasa artificialia, vasa testacea, & siqua erant ærea, exempta fuerunt (quoniam sola lignea & lapidea conuersa sunt in sanguinem) ita puteales aquæ exemptæ fuerunt, illæ quæ erant putei in potentia. Nam expressè hîc dicitur, quòd Aegyptij foderunt circa riuum ad habendum aquas pro potu, quia de aquis riui non poterant bibere. Et quoniam Aegyptiorum tantùm meminit, innuit quòd Israëlitæ non sunt ex hac plaga afflicti. Modus autem quo
C ab hac plaga euaserunt, non est scriptus. AVCTOR CATENAE. Non enim poterant bibere aquam fluminis, idem dicitur in Hebræo, מַמֵּימֵי הַיְאֹר Mimeme haior, De, siue, ex aqua, vel aquis fluminis. Chaldaica, Ex aquis quæ erant in flumine. Septuaginta, πιεῖν ὕδωρ ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, Bibere aquam à flumine. Sed idem vbique sensus. Profundè ergo in terra iuxta fluuium foderunt puteos pro habenda aqua, quoniam ex flumine bibere non valebant. *Impletíque sunt septem dies, postquam percussit dominus fluuium.* CAIETANVS. Quanuis non explicetur, ex præmissa tamen fossione insinuatur, quòd septem isti dies spectant ad sanguinem aquarum. Si enim statim cessasset sanguis, non oportuisset circumcirca fodere pro aqua. AVCTOR CATENAE. Impletíque sunt septem dies, & cætera, id est, durauit hebdomadam vnam sanguis ille, donec reuerteretur in naturam aquæ potabilis. Vide autem hîc euentum diuinorum suppliciorum in impiis & incredulis, dominus enim immittit supplicia, non vt perdat, sed vt sanet. Et sicut parens castigat filium virga sua, non vt penitùs opprimat,
D sed vt erudiat ipsum, ita deus punit peccatores inobedientes virga suppliciorum suorum, non vt prorsus eos conculcet, sed vt ad pœnitentiam reuocet: Vnde & dominus iubet Moysen hæc miracula per virgam edere, vt significaret, ista supplicia virgam esse parentis erudientis, non gladium carnificis trucidantis. In Pharaone autem videmus impios tanto peiores fieri, quanto magis supplicia multiplicantur. Et quò altius deus vocat ipsos per virgam suppliciorum ad pœnitentiam, eò longius recedunt ipsi à pœnitentia. Id quod & Esaias conqueritur, dicens: Populus non est reuersus ad percutientem se. Quare, ne vnà cum ipsis in virga dei, à deo recedamus, summoperè nobis enitendum est, scientibus quòd is semper meminisse solet misericordiæ suæ in virga suppliciorum suorum promittens respiscentibus liberationem ex omnibus angustiis & afflictionibus eorum. EVSEBIVS CAESARIENSIS. Mihi autem videtur quòd sermo diuinus non ait septem diebus transactis aquam rursus in pristinam naturam rediisse, sed post percussum fluuium, septem diebus interim expletis, aliud miraculum à deo inchoatum fuisse.

ORIGENES. Vt autem allegoricis legibus nihil desit, Aquæ vertuntur in sanguinem, & sanguis suus Ae- *Mysticè.*
E gypto propinatur. Aquæ Aegypti, erratica & lubrica Philosophorum sunt dogmata, quæ paruulos quosque sensu, & pueros intelligentia deceperunt. At vbi crux Christi mundo huic veritatis lumen ostendit, neci suorum in pœnas & reatum sanguinis exiguntur. Ita enim & ipse dominus dicit, Quia omnis sanguis qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, requiretur à generatione hac. ISIDORVS. Qui enim in rerum causis carnaliter sentiunt, huiusmodi correptionibus arguuntur, vt ex qualitate pœnarum proprios agnoscant errores. Licet autem illa in Aegypto corporaliter gesta sint, spiritualiter tamen geruntur in nobis. Aegyptus nanque seculi forma est. GREGORIVS NYSSENVS. Generaliter primùm quid hęc miracula intendant, quomódoque fiant perstringamus, deinde facilè singula speculabimur. Veritatis igitur hæc summa doctrina, ad dispositiones hominum, qui eam audiunt commutari videtur. Nam cùm æqualiter omnibus quid appetendum & quid fugiendum sit benignè ostendat, is in luce ambulat, mẽtemq; illuminatam habet, qui auscultat & paret. Qui verò resistit, & veritatis radios ad animã suam non intromittit, is in tenebris igno-
F rantiæ permanet. Quapropter non est incredibile nihil mali sensisse Iudæos, quãuis vnà cum Aegyptiis qui vexabantur habitarẽt: nam id ipsum altius intellectũ, hodie quoq; fieri videre licet. Non enim ignoramus in magnis præsertim ciuitatibus, in cõtrarias de veritate opiniones multitudine diuisa, aliis limpidas aquas atque potabiles esse, quæ quotidianis prędicationibus, scripturæq; vocibus in anima sua scaturiũt. Aliis (quoniã peruersis opinionibus Aegyptiorũ imitãtur malitiã) in sanguinẽ corruptũ Euãgelij atque prędicationis suauissimus potus cõuertitur, & quod peius est sæpenumero fraudulẽta hæc Aegyptiorũ, id est, nõ credentiũ perfidia falsitatis macula in Hebræorũ sanguinẽ potũ, aut cõuertit, aut cõuertere nititur. Conãtur enim friuolis vtẽres, vanisq; ratiũculis nobis ostẽdere limpidas aquas nostras tales nõ esse, sed nunquã id faciẽt. Nã & si aquarũ superficiẽ quasi rubeã apparere cauillationibus efficiãt, bibet tamẽ Israël, id est, dei populus aquã verã, nec & si verisimiliter arguere aduersarij videãtur, cõmouebitur. STRABVS. Aqua in sanguinẽ versa, mũdanã sapiẽtiã significat, in qua omnis qui mãserit, necatur, sicut in sanguine piscis. Mũdana enim sapiẽtia stultũ putat deũ pro hominib⁹ mori:

huic ergo quicunque adhæserit, viuere non poterit. ORDINARIA. Primum etiam præceptum de colendo vno deo, Non erunt tibi dij alij præter me, prima plaga aqua in sanguinem versa. Cõpara primum præceptum primæ plagæ, aqua de qua generantur omnia, significat vnum deum, ex quo omnia: sanguis, carnem mortalem. 1.par.c.1.36 Aqua ergo versa est in sanguinem, quia commutauerunt gloriam dei incorruptibilis, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & hæc quidem commutatio fit in corde impiorum. PROSPER. Qui igitur 1.Cor.15. relicto vno vero deo, diis falsis seruiunt, in carne & in sanguine volutantur, & caro & sanguis regnum dei Psal.105. non hæreditabunt. Corrupti enim mores elementum aquæ corruptum habere meruerunt, ideo aquæ in sanguinem mutantur, quia sacrificantes filios & filias suas dæmoniis, effuderunt sanguinem innocentem, puri Matth.9. liquoris fontem verum deum Christum repudiantes, cuius gratia ex fluxu sanguinis mulier sanata, animam Luc.8. ab idololatriæ fluxu erutam demonstrauit. RABANVS. Quid autem significat, quòd Aegyptij postquam aquæ fluminis versæ sunt in sanguinem, foderunt per circuitum fluminis, quærentes aquam vt biberent, nisi quòd gentilitas confusa de meditatione secularis Philosophiæ, cùm viderit nihil vitale ac salubre Ioan.7. sibi illam præbere, istum studet & inuestigando, ac salubriter tractando vsquequaque quærere sapientiæ haustum, quem tamen veraciter non inuenit, nisi perueniat ad fontem vitæ qui ait, Qui sitit, veniat ad me & bi- Exo.20. bat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. RVPERTVS. Vel aliter. Hæc plaga pœnam significat mandati illius præuaricatoribus debitam, quod dictum, vel in tabulis scriptum est, Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem, non adorabis ea, neque coles. Sequitur enim, Ego sum dominus deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Hoc denique vbi auditum est, & obseruari cœptum, omnes Aegyptiorum aquæ, id est, idololatrarum conscientiæ sanguineæ factæ sunt, mul- Exod.5. tum enim sanguinem sanctorum fuderunt, quemadmodum isti Aegyptij, qui pro eo, quia dixerunt filij Israël, Eamus & sacrificemus deo nostro, crudelius in eos debacchati sunt. Vnde quia masculos eorum in aquam proiecerunt, meritò realiter quoque illis aquæ in sanguinem conuersæ sunt, vt affligerentur bibentes aquam fluminis, & postea persequentes illos in mari rubro submersi sunt. Sic omnibus imitatoribus eorum, adorantibus sculptilia, & in simulachris suis gloriantibus, & propter illa sanguinem fundentibus, sanguinem reddidit fortis zelotes dominus, vt bibant, & bibentes affligantur, non vno aut duobus, sed totis septem diebus, sicut scriptum est, Impleti sunt septem dies, postquam percussit dominus fluuium, quo numero significatur vniuersitas seculorum. Nam in secula seculorum in sanguinem versi permanebunt fontes aquarum, id est, profunditates sapientium, sculptilia facere scientium, & pro illis veri dei adoratores persequentium. Vnde in Apo- Apoc.16. calypsi auditur angelus dicens, Iustus es, qui es, & qui eras sanctus, quia hęc iudicasti, quia sanguinem sanctorum & Prophetarum fuderunt, & sanguinem eis bibere dedisti, vt digni sunt.

## IN OCTAVVM EXODI CAPVT, ARGVMENTVM.

*Pharaonis pertinacia in Aegyptum ranæ, cyniphes & muscæ mittuntur, quæ illam diuexant.*

## CAPVT VIII.

Lectio 1. *DIxit quoque dominus ad Moysen, Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit dominus, Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis, & ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. Dixítque dominus ad Moysen, Dic ad Aaron, Extende manum tuam super fluuios & super riuos ac paludes, & educ ranas super terram Aegypti. Extendit Aaron manum super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operuerúntque terram Aegypti. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerúntque ranas super terram Aegypti.*

Lectio 1. AVCTOR CATENAE. Secundum supplicium describitur, Ranæ, quas flumina & stagna Aegypti ad extensionem manus Aaron, tanta multitudine ebullierunt, vt totam Aegyptum operuerint & infecerint. Quo miraculo deus vocauit iterum Aegyptios ad resipiscentiam, deinde illustrauit nomen suum in toto orbe terrarum, postremo consecrauit etiam ranas, aut id genus similia, qualia sunt mures, talpæ & alia, in publicum supplicium peccatorum, & admonitionem ad resipiscentiam. Sed videamus quid de his sacra habeat lectio quæ in hunc modum exorditur. *Dixit quoque dominus ad Moysen, Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit dominus, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Sic habet Græcus elegantissima locutione, vt ranæ ipsæ plaga intelligatur, qua feritur terra Aegypti. AVCTOR CATENAE. Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Dictio eadem est de qua supra, וְיַעַבְדֻנִי Veiahabduni, vt seruiant mihi. Et sic est in omnibus editionibus. Sed idem est cum litera nostra. Terminos autẽ, seu fines posuit pro regionibus. Pręmonet autem deus verbis & signis ad resipiscentiã impiorũ, quò interim magis sint inexcusabiles, & iustitiæ dei claritas puniẽtis clarior agnoscatur. Stupẽdæ autem bonitatis diuinæ indiciũ est, quòd id fit tam crebrò & vicibus repetitis, cùm diuinæ voci ad primum statim auditum fuerit obsequendum. Ecce ego percutiã ait, vt peccatorũ vindictas nemini quã deo ipsi domino adscribamus. Non est enim in ciuitate malũ quod dominus non fecerit.

*Et ebulliet*



A *Et ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.* AVGVSTINVS. Iuxta aliam literam sic legitur, Et eructabit flumen ranas, & ascendentes intrabunt in domos tuas, & in promptuaria cubiculorum tuorum, super lectos tuos, & in domos seruorum tuorum, & populi tui, & in conspersis tuis, & in clibanis tuis, & super te & super populum tuum, & super seruos tuos ascendent ranæ. Notandum quòd in domos, & cætera, cùm dixisset, accusatiuum casum tenuit, & super lectos, & cætera, vbi dixit super, accusatiuum similiter seruauit. In conspersis autem, & in clibanis, ad ablatiuum se transtulit. Nam & Græcus mutauit præpositionem, quam non mutat Latinus. Ille enim habet, ἐις τοὺς οἴκους in domos, in conspersis autem, ἐν τοῖς φυράμασιν. Vbi mirum si non etiam sensus est, non locutio, vt in conspersionibus & in clibanis exortas ranas foritan velit intelligi, non extrinsecùs ascendisse vel Locu.36.

B irruisse, & quia eas fluuium eructaturum prædicit, inde impleri omnia. CAIETANVS. Et in domos seruorum tuorum, & in populum tuum. Ad domos populi referendum est, & in populum tuum. Nam primum tractat domos Pharaonis & seruorum, hoc est, curialium & populi, deinde tractat de personis, dicendo, & ad te & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos. Et in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum. Iuxta Hebræum habetur, & in pastas tuas. Significatur enim quòd non solùm in habitacula hominum, sed etiam in ipsa vasa tam in quibus fiunt, quàm in quibus coquuntur alimenta, ingredientur ranæ. AVCTOR CATENAE. Et ebulliet fluuius ranas. Verbum שָׁרַץ Saraz significat in modum piscium & reptilium multiplicari. Vnde aliqui verterunt, & scatebit fluuius ranis, id est, reptificabit in maximo numero & multitudine ranas. Quod & Interpres noster intellexit sub verbo ebulliet, hoc est, producet magnum numerum ranarum. Chaldaica habet, Et producet fluuius ranas. Septuaginta, ἐξερεύξεται, Eructabit. Quod verò dicitur, Et in reliquias

C ciborum tuorum, Hebraicè est: וּבְמִשְׁאֲרֹתֶיךָ Vbmisarothecha. Est autem dictio Misaroth, à verbo Saar descendens, quæ & reliquias & cibum significat. Vnde rectè vertit Interpres. Ob quod etiam transferunt quidam, In cibos tuos. Alij, Et in farinam tuam aquis conspersam, Vel in conspersiones tuas. Alij, Et in pastas tuas verterunt. Quibus Septuaginta concordant, dicentes, καὶ ἐν τοῖς φυράμασί σου, Et in masis tuis. Sunt & qui, In pistrina seu panaria tua reddant, & ita etiam habet Chaldaica. Dicúntque Hebraicam vocem Misaroth, locum significare in quo subigitur massa ad conficiendum panem, hoc est, vbi pinsitur & fit panis. Alij loca esse dicunt vbi panis seruatur & reponitur, à שְׁאֵרָה Seera, quod est esca. Deinde quod additur, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ, Hebraicum verbum est וְיַעֲלוּ Iahalu, futurum ab עָלָה Hala, & propriè ascendent redditur, hoc est, adorientur & inuadent te ranæ. Sic habetur in Septuaginta & Chaldaica. Sed sensus est idem cum litera nostra.

D Flumen igitur producturum ranas prædicitur, vt egrediantur & penetrent omnia. Omnes enim creaturæ domino obediunt præter homines impios. Ranis autem omnia complebuntur, etiam intima conseruacula reliquiarum, non tantùm domus, atria, cubilia, & terras ingredientur, quin & lectulum ac stratum regis & aulicorum, inque furnos & cibos omnes. Id stultitiam arguit ludæorum, qui piscium genus grande fabulantur. *Dixit itaque dominus ad Moysen, Dic ad Aaron, Extende manum tuam super fluuium & super riuos ac paludes, & educ ranas super terram Aegypti.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Extende manum tuam in virga tua super fluuios & super riuos ac stagna, & educ ranas super terram Aegypti. Non enim sine virga, plaga hæc facta est per Aaron.

AVCTOR CATENAE. Extende manum tuam. Iuxta Hebræum addendum est, Cum virga tua. Est enim ibi מַטְּךָ Bematthecha. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta etiam, ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου τὴν ῥάβδον σου, Extende manu tua virgam. Quódque dicitur, Et educ ranas, quoniam in Hebræo est וְהַעַל Vehahal, quod est imperatiuum Hiphil ab eodem verbo עָלָה propriè, Et ascendere fac, verti potest, & ita est in Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Sed per hoc non variatur sententia. Aaron igitur & virgæ eius tribuitur productio ranarum ex fluminibus, lacubus & fontibus, quod solius erat diuinæ virtutis & operationis, quæ tamen non nisi per virgam mirabilia hæc fieri decreuerat. *Extendit Aaron manum super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operuerúntque terram Aegypti.*

E AVGVSTINVS. Iuxta Septuaginta. Et extendit Aaron manum super aquam Aegypti, & eduxit ranas, & educta est rana, & operuit terram. Repetitio à plurali ad singularem numerum traiecta est, nam vtique rana pro multitudine ranarum positum est. Nescio quo autem modo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum, sæpe plus videtur quod singulariter, quàm quod pluraliter dicitur. Nam plus accipitur cùm dicitur, verbi causa, est illic miles, quàm sunt illic milites, est illic piscis, quàm sunt illic pisces. EVSEBIVS. Rursum virga sine qua nihil factum est, fluuium percussit. Audi ista, & vide mysteria. Nam quia Pharao Hebræos non tantùm in flumine, sed etiam in terra afflixerat, ideo ex vtrisque deus supplicia in Pharaonem eduxit. Locu.37.

THEODORETVS. Illud quoque obseruatione dignum est, Ranas ex aquis eductas fuisse, cyniphes verò ex puluere, Cynomyam verò vnde voluit deus, vt hinc discerent, quàm facile deo sit etiam absque aquis & terra producere quæcunque velit. Quin etiam huiusce rei causa, plagarum genera prædixit, vt ne illas sponte sua aduenisse confingant, sed à deo immissas vel inuiti fateantur. AVCTOR CATENAE. Extendit Aaron

F manum. Hebraica sunt וַיֵּט אַהֲרֹן אֶת יָדוֹ Vaiet Aharon eth iado, Et extendit, seu extendit ergo, vel & leuauit Aaron manum suam. Sic habet Chaldaica, sic Septuaginta. Sed hæc minima sunt. Quod etiam dicitur, Et ascenderunt ranæ, sensum Interpres sequutus est, sicut & Chaldaica. Nam Hebraicè in singulari est, videlicet וַתַּעַל הַצְפַרְדֵּעַ Vatáhal hazephardeha, Et ascendit rana. Sed singulare pro plurali positum est. Ad extensionem itaque manus & virgæ patratur miraculum, & operitur tota Aegyptus ranis diuina potentia & prouidentia. *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerúntque ranas super terram Aegypti.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Sed quæritur vnde eduxerint ranas malefici, si iam vbique factum erat? Sed similis quæstio est, vnde & aquam in sanguinem verterunt, si tota aqua Aegypti in sanguinem conuersa iam fuerat? Quia ergo suprà quæstionẽ hanc explicauimus, ideo eò lectorẽ mittimus. IDEM IN LIBRO VIGINTIVNIVS SENTENTIARVM. Non autẽ oportet moueri cur magicis artibus miracula fiũt, plerũq; similia miraculis quæ fiũt per sanctos dei seruos, sicut scriptũ est in Exodo, quòd Magi Pharaonis fecerũt Quæst.23. Senten.4.

nonnulla similiter sicut fecit Moyses. Non ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt, etiam per G
inferiores potestates aëris huius non absurdè fieri posse creduntur. Sed hoc interest, quòd cùm sancti talia faciunt, in nomine dei domini omnium rerum de sublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ. Cùm autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur cum exaudiuntur à dæmonibus. Digni sunt enim qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cùm eis exhibent quasi priuatim aëreæ potestates quædam mirácula, vt eos habeant subiugatos, permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro meritis animarum sua cuique tribuantur. STRABVS. Sciendum autem tria esse ranarum genera. Vnum fluuiale & vocale. Alterum minimum quod calamitum dicitur, de quo fertur, quòd si in os latrantis canis proiicitur, statim obmutescit. Tertium maximum, quod rubetum dicitur, pessimum & venenosum, quod vulgo crassantia dicitur. AVCTOR CATENAE. Fecerunt autem & malefici. Dictio תרטמים Chartummim, Magos, Maleficos, Præstigiatores, Incantatores & Ariolos significat. Eduxerúntque ranas, idem est verbum ויעלו Vaiahalu, Et ascendere fecerunt. Grauis hîc tentatio fidelium oriri potuit, & infide- H
lium verisimilis excusatio parari, ex maleficorum & magorum fallis signis, qui per omnia ferè similia diuinis patrabant: sic enim tentat deus electos ad salutem, impios ad excæcationem & obstinatum animum. Si surrexerit (inquit Moyses) in medio tui propheta, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, non audies verba prophetæ illius, quia tentat vos dominus deus vester vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde vestro, & in tota anima vestra.

*Mysticè.* ORIGENES, ET ISIDORVS. Per secundam verò plagam in qua ranæ producuntur, indicari figuraliter arbitror carmina Poëtarum, qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus mundo huic deceptionis fabulas intulerũt. Rana enim est loquacissima vanitas. Ad nihil autem aliud animal illud vtile est, nisi quòd sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit. RVPERTVS. Ter-
*Exo.20.* tium siquidem legis est mandatum, Non assumes nomen domini tui in vanum. Huius mandati præuaricatoribus fœditatis opprobrium in ranis præfiguratum est. Quinam sunt igitur vaniloqui isti qui nomen dei in va- I
num assumunt, nisi maximè loquaces poëtæ, non solùm in fluuiis Aegyptiorum, sed in cæterarum fabulantes atque coaxantes paludibus gentium? Vel qui iustius comparantur fœditati ranarum, quàm poëtæ perstrepentes in theatris ridicula figmenta fabularum? Hi planè assumunt nomen dei in vanum, verbi gratia, cum adultero Ioui, & meretriculæ Veneri nomen diuinitatis ascribunt. Et illæ quidem ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes & ingredientes domum regis, & cubiculum lectuli eius, & super stratum eius, & in domos seruorum eius, & in populum eius, & in furnos eius, & in reliquias ciborum eius, istæ autem ranæ, id est, fabulosi poëtæ corporaliter aures lectitando, & oculos gesticulando, delectauerunt, sed animis exitiales extiterunt. ORDINARIA.

*Exo.20.* Secundum præceptum legis, Non accipies nomen dei tui in vanum. Nomen dei veritas est, ipse enim ait, Ego
*Ioan.14.* sum veritas. Qui loquitur veritatem, de deo loquitur, qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur. Veri-
*Ioan.8.* tem enim loqui, est rationabiliter loqui: vanitatem loqui, strepere est. Secundum ergo præceptum est de dilectione veritatis, cui contraria est dilectio iniquitatis, loquitur veritas, perstrepit vanitas. Huic contraria est se- K
cunda plaga, ranarum abundantia, quarum loquacitas vanitatem significat. Amatores veritatis non accipiunt nomen dei in vanum, quia à veritate in veritatem non recedunt. Qui autem veritati contradicunt, & vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt tædium inferentes auribus, non cibum mentibus. Audi homines rationabiliter lo-
*Psal.11.* quentes, Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Audi ranas, Vana locuti sunt
*Par.1.ca.36* vnusquisque ad proximum suum. PROSPER. Sed & aliter. Secunda plaga Aegyptiorum est scaturiens ranarum multitudo fœtido squalore omnem contaminans Aegyptum. Secundum quoque mandatum in lege
*Exo.20.* est, Non accipies nomen domini in vanum. Non enim mundabit dominus talem. Omnis itaque hæreticus, per-
*Psal.11.* iurus, sacrilegúsque, dum aliud sonat lingua quàm nomen domini, fœtore disputationis suæ, ranarum in similitudinem clamitat contra deum, labia dolosa in corde, & corde loquuntur mala. Nec immerito his animantibus comparantur qui in lacunar rebaptizatorum confectas sordes non abluunt, sed potius cumulant delicta.

GREGORIVS NYSSENVS. Pro ranarum quoque specie deformi atque loquaci, cui dubia vita (nam L
& aquaticum & terrestre id animal est) cuius saltus repens, cuius aspectus turpissimus, cuius è corpore intolerabilis fœtor emittitur, quod domos lectulósque, ipsáque penetralia Aegyptiorum sordidat, & Hebræorum vitam non maculat, varios maliciæ corruptionísque fœtus, qui ex fœtido hominum corde, quasi ex putrido limo nascuntur, intelligimus. Hæc immunda ranarum multitudo, domus eorum qui Aegyptiacè, id est, vitiosè viuere malunt, habitat. In mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in abditis eorum omnibus atque reconditis rebus inuenitur. Verè nanque sordida, luxuriosáque vita ex corrupto fœtidóque limo passionum profecta, dubium quoddam animal est, aquaticum scilicet atque terrestre. Homo natura est qui ita viuit, electione verò pecus, pemines: qui vitam considerat, non homines sed ex brutorum genere nos ipse putabit, cuius quidem bruti signa nimi picturæ, & in vasis sculpturæ impressæ nequitiam prædicant, quibus cogitatio ad cupiditates suas reuo- M
catur, vituperosi spectaculi visione, ad animam vsque passionum æstu perueniente, ne scilicet cupiditatum ardor extinguatur, aut retundatur. Similiter si mensas, si lectos voluptuosi corruptúque hominis considerabis, id ipsum inuenies. Quòd si recondita abditáque hominis huiusmodi, non dico vascula, & capsulas (multis enim patent) nec aliena sunt à turpitudine vitæ, sed occulta mentis & animi perspicere poteris, iam verò accumulatorum ranarum putredinem reperies fœtidam. At modesti hominis etiam oculus mundus est, & hæc quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit. Mensa quoque similiter communis ac tenuis, non magna carnium aut piscium onerata congerie.

2 VOcauit autẽ Pharao Moysen & Aarõ, et dixit eis, Orate dominũ ut auferat ranas à me, et à populo meo & dimittã populũ, ut sacrificet domino. Dixitq; Moyses Pharaoni, Cõstitue mihi quãdo depcer pro te, & pro ser-



A *& pro seruis tuis, & pro populo tuo, ut abigãtur ranæ à te & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tãtũ in flumine remaneãt. Qui respondit, Cras. At ille: Iuxta uerbum tuum (inquit) faciam, ut scias quoniã non est sicut dominus deus noster, & recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remanebunt. Egressíque sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. Fecitque dominus iuxta uerbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus & de uillis, & de agris. Congregauerúntque eas in immensos aggeres, & computruit terra. Videns autem Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat dominus.*

B GREGORIVS NYSSENVS. Ranarum irrepens multitudo, quarum generatio non naturali cursu elementorum, sed coactis (vt ita dicam) elementis, iubente Moyse facta est, solis turpissima Aegyptiis inferebat fastidia. Iudæorum verò vita nihil ex huiusmodi bestiolis incõmodi patiebatur. AVCTOR CATENAE. Et quia Magi Aegyptiaci potuerunt quidem excitare ranas imaginarias, aut etiam veras, pro vt quidam tenuerunt, sed non potuerunt ranarum multitudinem à Moyse & Aaron excitatam tollere. Rex igitur tam horribili supplicio coactus, iubet Moysen & Aaron pro Aegyptiis intercedere apud dominum vt tollantur ranæ, & pollicetur se Israëlem dimissurum. Sed postquam intercessione Moysi ranæ ablatæ fuerunt, reuocauit rex sententiam suam, & non dimisit Israëlem. Ait ergo: *Vocauit autem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis, Orate dominum vt auferat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet domino.* INTERLINEARIS. Flagellatus resipiscit qui antè dicebat, nescio dominum. CAIETANVS. Repleta igitur terra ranis, tam productis per Aaron quàm per Magos, impotentibus Magis extinguere ranas, rogat Pharao Moysen & Aaron, vt placent deum, &
C auferat ranas, promittendo dimittere populum. AVCTOR CATENAE. Pharao impius deum timere incipit, sed seruiliter, & intercessionem postulat non syncerè. Supplex autem nunc fit viris dei, quos maximè odiens perditos voluisset simulator pœnitentiæ, quam statim abiicit dum liberatur à malo. Sic facit impia hypocrisis, dum adesse sentit vindictam dei, promittit etenim ea quæ se non facturam planè nouit & proposuit. Sed quæritur, Cur pro amotione secundæ plagæ non autem primæ vocauit rex Moysen & Aaron? Ad quod respondetur, Quia plaga hæc regi & populo infestior erat, quia etiam diuturnior quàm prima, ideo quanuis superbus, necessitate tamen compulsus, eis sese humiliare non erubuit. *Dixítque Moyses Pharaoni: Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remaneant.* INTERLINEARIS. Ac si dicat Moyses, Vt nostra oratione, non fortuito casu, intelligantur recessisse ranæ ab Aegypto. GRAECVS. Videbat Pharao Magos nihil nisi malum malo addere, neque tamen dicebat, Orate pro me vt cesset plaga, idcirco Moyses Pharaoni ait, Constitue quãdo velis vt pro te deum orem,
D vt ne Magi venientes dicerent, per nos factum est vt plaga cessauerit. CAIETANVS. Quod in vulgata editione legitur, Constitue mihi quãdo deprecer pro te, iuxta Hebræum legitur, Gloriare super me, & dic quando deprecer, & cætera. Auctoritatem siquidem limitandi tempus exequendi petita, tribuit Moyses Pharaoni, & hanc appellat gloriationem super ipsum, quia gloriari poterat Pharao, quòd ipse definiret tempus impetrandi per Moysen à deo miraculum hoc. AVCTOR CATENAE. Constitue mihi quando deprecer pro te. Hebraicè sic legitur iste locus, הִתְפָּאֵר עָלַי לְמָתַי אַעְתִּיר לָךְ Hithpaer halai, lemathai ahettir lecha, Gloriare contra me, seu super me, vel de me, quando orem pro te, id est, tu habeas istam gloriam, & hoc honoris assume, vt eligas tibi tempus, etiam designes illud mihi, quando pro te orem, licet talem gloriam ego deberem habere, scilicet vt eligerem ego tempus ad deprecandum pro te. Alij hunc sensum esse volunt, Tunc gloriari poteris, atque bono esse animo, cùm me orante pro te, auferentur ranæ, hanc spem de tuis Magis & ariolis habere non potes. Septuaginta, τάξαι πρός με πότε ἔυξομαι περὶ σοῦ, Constitue ad me (pro mihi) quando orabo (pro orem) pro te. Chal-
E daica, Constitue tibi tempus, quando deprecer pro te. Quod autem sequitur, Vt abigantur ranæ à te & à domo tua, est quidem in Hebræo: verùm, Et à seruis tuis, & à populo tuo, desideratur, nec in Chaldaica quidem, nec in Latinis antiquis bonis codicibus scriptum reperitur. Dic igitur (inquit) Moyses, mihi clarè, & apertè significa, quando pro te velis orari. Id loquitur ne incantatores & Astrologi causarentur temporis momentum quod illi ex suo horoscopo venabantur, certum scilicet tempus incumbendi Astrologiæ vel Necromantiæ. Miraculo autem ranarum potentiam suam deus ostendit, qui summum regem vilissimis animalibus ita vincit & domat, vt Moysen pro se precari cogatur & orare. *Qui respondit, Cras. At ille, Iuxta verbum tuum (inquit) faciam, vt scias quoniam non est sicut dominus deus noster, & recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remanebunt.*

AMBROSIVS DE CAIN ET ABEL. Pharao qui opinionibus vanis & inanibus studium impen- *Cap.9.*
debat suum, ranis repleta Aegypto sonum inanem rerum & strepitum varium reddentibus, dicenti Moysi: Constitue mihi quando pro te orem, & pro famulis tuis, & pro populo tuo, vt exterminet dominus ranas, cùm de-
F buerit in tanta positus necessitate rogare, vt iam oraret, nec differret, respondit, crastina die, Ociosus & negligés moræ pœnam Aegypti soluturus excidio. Itaque iste vbi impetrabat immemor fiebat gratiæ, & exaltatus mente carnis suæ, obliuiscebatur deum. Humilitas autem commendabat orationem. Siquidem & Pharisæus ille repre- *Luc.18.*
hensus est, qui ieiunia sua velut beneficia enumerabat, & tanquam obiectabat deo, & se criminum memorabat exortem. Publicanus autem prædicatus est, quia longè stans nolebat oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Domine deus propitiare mihi peccatori. Et ideo diuina eum sententia prætulit dicens, Quia descẽdit hic publicanus iustificatus magis quàm pharisæus. Ille enim iustificatur, qui peccatũ proprium confitetur, sicut locutus est ipse dominus, Dic iniquitates tuas vt iustificeris. Et Dauid ait, Sacrificiũ deo spiritus con- *Esa.43.*
tribulatus. Et iterum, Cor cõtritum & humiliatũ deus non spernit. Hieremias quoque ait, Anima in angustiis, & *Psal.50.*
spiritus anxius clamat ad te. Ergo & Pharao & rex Assyrius qui dicebat, Quis deorũ gentiũ istarũ liberabit terrã *Baruch.3.*
suam de manu mea, quomodo liberabit dominꝰ deus tuus Hierusalẽ de manu mea, exaltatione sua deiecti sunt.

THEODORETVS. Pharao cùm scire vellet an Moysi & Aaron preces aliquid apud deum valerent, il- G
los enim per noctem quiescere existimabat, ait, Crastina die, vt ipsemet ad fluuium profectus videret an ranæ cessassent. Quamobrem deus vt Moysi fides haberetur, non tantùm eo ipso tempore quo Moyses constituerat, ranas cessare fecit, sed & eas quæ in terra erant, interire iussit, vt ne easdem rediisse existimarent. CAIETA-
NVS. Noluit in septimum diem differri quemadmodum sanguinem, sed orandi spacium minimum conces-
sit. Eodem siquidem die quo ranæ repleuerunt Aegyptum, hora vespertina credimus sermonem hunc fuisse, ex eo quòd Moyses magnificauit promissionem hanc, subiungendo, At ille iuxta condictum & cætera. Hinc appa-
ret quòd magnum promittebat opus, quod nec Magi poterant efficere, nec natura. De riuo autem est sermo, & de remansione ranarum viuarum, vt etiam ex hoc quòd deus quas vult occidet, & quas vult seruabit, diuinum o-
stendatur opus. AVCTOR CATENAE. Crastinum petit Pharao, ne fortè ante orationem abeant ra-
næ, & appareat non à domino, sed naturæ viribus factum. Dominus est qui mortificat & viuificat, deducit ad H
inferos ac reducit. Promissio autem Moysi de eiiciendis die crastina ranis non fuit tentatio dei, vel indiscreta aut imprudens pollicitatio. Cùm enim à principio dictum ei fuerit à domino, Ego cõstitui te deum Pharaonis, proculbio nouit, quòd quæcunque desiderasset, fierent ad nutum eius, præsertim quæ in dei mittentis illum ce-
debant gloriam. *Egressíque sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad dominum pro sponsione ranarum quam con-
dixerat Pharaoni.* CAIETANVS. Feruor orationis internæ significatur clamore. Non enim externa voce, sed interna supplicatione, magna animi eleuatione in deum, clamasse dicitur. AVCTOR GATENAE.
Pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni, id est, rogauit deum vt tolleret ranas, quemadmodum ipse promiserat Pharaoni. Quod & significãt Hebraica: עַל דְּבַר הַצְפַרְדְּעִים אֲשֶׁר שָׂם לְפַרְעֹה Hal debar hazephar-
dehim aser sam lepharo, Super causa siue negocio ranarum quod proposuerat, seu imposuerat Pharaoni. Et ita est in Chaldaica, id est, pro ranis tollendis, quod se facturum pollicitus fuerat Pharaoni. Alij verterunt, super
verbo ranarum quod posuit, seu constituit, vel promisit Pharaoni. Alij, Propter ipsas ranas, quas posuit propter I
Pharaonem, seu posuerat Pharaoni. Septuaginta, περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων ὡς ἐτάξατο φαραώ, Pro finitione ra-
narum, sicut constituit Pharaoni. Quæ omnia idem dicunt. Non erat autem orationis locus in aula rege præsen-
te impio. Christus in cubiculum mittit religiose precaturum. Nec leuiter orat, sed clamat, non voce, sed affectu
spiritus, quo orant sancti ad dominum pro negocio ranarum auferendo pœnitenti etiam fictè. *Fecítque dominus
iuxta verbum Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Congregauerúntque eas in immensos aggeres, & computruit*
Locu.38. *terra.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta. Et colli-
gebant aceruos aceruos. Hæc repetitio multitudinem aceruorum significat, & est scripturis familiaris. CAIE-
TANVS. Quod Latinè diceremus aceruatim. In multitudinem siquidem aceruorum redegerunt Aegyptij
mortuas ranas. Et quia non combusserunt aceruos ranarum, fœtuit terra putrescentibus ranis. Nulla autem vir-
gæ, nulla manus Moysi vel Aaron operatio interceserit, sed deus ipse solus operator miraculi significatur. AV-
CTOR CATENAE. Fecítque dominus iuxta verbum Moysi, id est, fecit quod petebat Moyses. Hebrais- K
mus est. Et mortuæ sunt ranæ de domibus & de villis. Dictionem חַצֵרוֹת Chazeroth, etiam atria significat, vnde
alij verterunt, de atriis. Et ita habet Chaldaica. Septuaginta, καὶ ἐκ τῶν ἐπαύλεων, Et ex habitationibus. Quod ve-
rò ait, Congregauerúntque eas in immensos aggeres, sapientissimè hoc modo mutauit locutionem Hebraicam
Interpres. Nam cùm Hebræis superlatiua non sint, id loquendi genus suplent per eandem vocem repetitam, vt
est de quo hîc loquimur. Hebraicè siquidem est חֲמָרִים חֲמָרִים Chamarim chamarim, id est, aceruos aceruos, quod
intelligitur sicut vertit ipse Interpres. Septuaginta verò (vt iam dictum) penitùs Hebraicum loquendi morem
sequuti sunt. Sic & Chaldaica, habens, & congregauerunt eas in aggeres aggeres. Quod autem subditur, & com-
putruit terra, idem est verbum בָּאַשׁ Baas de quo supra, quod aliqui, Fœtuit verterunt, Vt dicant, Et fœtuit terra
id est, repleta est fœtore. Septuaginta vt apud nos est, legunt. Chaldaica, non ad terram, sed ad ranas retulit (in-
quiens) & computruerũt super terram. Fides itaque & humilitas à domino exauditur in sanctis, qui omnia pos-
sunt apud sponsum & clementissimum patrem. Tantùm bonum est cohabitare sanctis, & intercessores conse- L
qui, vt iam sæpe didicimus, maximè de Abraham. Nihil enim amicis negat, quia non nisi ad gloriam dei orare
consueuerunt. Moriuntur ranæ, non euanescunt, idque domi & foris, ne quis præstigium fuisse æstimet. Ideo &
in aceruos frequentes coaceruantur, & cum tempore computruisse scribuntur, vt appareat veras extitisse ranas,
non ad illudendum hominibus cõfictas, sed verissimè factas, & perditas virtute dei. Obserua autem hîc ingen-
tem dei clementiam. Et si enim sciebat pœnitentiam Pharaonis fictam esse, aufert tamen ad preces Moysi sup-
plicium, tum vt ipse ostendatur verax in omnibus verbis suis, qui supra dixerat, Ecce constitui te deum Pharao-
nis, quo dicto significauerat, quòd Pharao ad verbum ipsius affligendus sit, & ad preces ipsius iterum ab affli-
ctione liberandus, tum vt nomen domini & eius omnipotentia, non tãtùm in Aegypto, sed etiam in toto mun-
do glorificetur. Quo exemplo confirmatur etiam auctoritas earum precum, quas interdum pij pro impiis in
hoc seculo fundunt. Tales enim preces, & si non seruant obduratos impios ab æterno supplicio, liberant tamen
ipsos interdum à corporali supplicio. Sic seruauit Loth Zoaritas. Sic iubentur Iudæi orare pro pace Babylonis, M
Hieremiæ vicesimo nono, & cætera. Considera etiam hoc in loco, quòd & si pœnitentia Pharaonis fuerit simu-
lata, quia tamen fuit externa quædam honestas, & externa quædam gloria dei, ab ipso aliquo modo respecta est.
Dominus enim deus noster in tantum fauet honestati & commendationi nominis sui, vt etiam si proficiscan-
tur ex ficto & simulato corde hominis, non tamen suis præmiis defraudet eam. Non largitur quidem propter
ipsam æterna præmia, largitur tamẽ bona corporalia & præmia huius seculi. Exẽplum habes hoc in loco in Pha-
raone. Habes & exẽplum in rege Saul, primo Regum capite quintodecimo. Et Christus ait, Hypocritæ præstant
eleemosynã, vt glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperũt mercedem suã, & cætera. Quare & si pij
verã pœnitentiã agũt, vt perpetuũ suppliciũ effugiãt, admonẽtur tamẽ hoc loco indurati impij, vt si omnino nõ
credãt futurã felicitatẽ, aut nõ velint propter eam agere pœnitẽtiã, agãt saltẽ vel fictã pœnitẽtiã peccatorũ vt cõ-
sequantur præmia huius seculi quæ sola ipsi sectãtur. *Videns autem Pharao quòd data esset requies, ingrauauit cor suum, &*
*non audi-*



A *non audiuit eos, sicut præceperat dominus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM.
Iuxta Septuaginta, Et vidit Pharao quoniã facta est refrigeratio, & ingrauatum est cor eius, & non exaudiuit *Quæst.24.*
eos, sicut dixerat dominus. Hic apparet non illas tantùm fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quod in-
cantatores eius similia faciebant, verùm etiam ipsam dei patientiam qua parcebat. Patientia dei secundum cor-
da hominum, quibusdam vtilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum deo, & in malo perseue-
randum, non tamen per seipsam inutilis est, sed secundum cor malum, sicut iam diximus. Hoc & Apostolus
dicit, Ignoras quia patientia dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam cordis tui & im- *Rom.2.*
pœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secun-
dum opera eius. Nam & alibi cùm diceret, Christi bonus odor sumus in omni loco, etiam illud adiunxit,
& in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Non dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salui fiunt, *2.Cor.2.*
B malum autem iis qui pereunt, sed tantùm bonum odorem se dixit. Illi verò tales sunt, vt & bono odore pereant,
secundum sui cordis, vt sæpe dictum est, qualitatem, quæ mundanda est bona voluntate in dei gratiam, vt in-
cipiant ei prodesse iudicia dei, quæ malis cordibus nocent. Vnde ille immutato in melius corde cantabat, Viuet
anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabũt me. Non dixit munera, vel præmia tua, sed iudicia tua. Mul- *Psal.118.*
tum est autem vt syncera fiducia dici posit, Proba me domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum. Et ne *Psal.25.*
sibi aliquid ex suis viribus tribuisse videretur, continuò addidit, Quoniam misericordia tua ante oculos meos
est, & complacui in veritate tua. Factam ergo se commemorat misericordiam, vt complacere posset in veritate,
quoniam vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. GREGORIVS NYSSENVS. Ingrauauit cor
suum. Vides hîc clarè Pharaonem ipsum non deum, cor eius ingrauasse, & obstinatum reddidisse. Quòd si in-
duratum à deo tyrannum fuisse quandoque in scriptura dictum repereris, non te perturbet, neque idcirco ne-
quitiæ suæ pœnas euasisse ipsum putes, quoniam diuina potentia quasi coactus peccaret. Simile namque id ei est,
C quod diuinus Apostolus de iis, qui conuoluuntur in turpissimis nephandissimisque luxuriæ vitiis dicit, Quod
sicut non probauerunt impij deum habere in notitiam, tradidit eos deus in passiones ignominię. Nam & verba
scripturæ, quasi diuinitùs eos impulsos ad libidinem, ac ignominiæ passionibus traditos sonare videntur. Nec
tamen turpitudini deus quenquam tradit, nec Pharao nolens ab ipso deo in duritiem impellitur, nec vita rana-
rum à virtute conformatur. Nam si dei voluntate atque impulsu ita fieret, nec turpitudinis & vituperationis,
hæ passiones appellarentur, nec vlla esset inter virtutem & vitium differentia. Verùm cùm alius hanc, alius il-
lam eligat vitam, & hic virtuose, ille vitiose viuere malit, non iure altiori cuidam necessitati, sed voluntati sin-
gulorum viuendi normam attribuimus. Quomodo igitur vituperationis quisquam passionibus à deo tradatur,
ipse Apostolus apertè docet nos, qui non probauit deum habere in notitiam, is cum à deo non defendatur,
nec gratia eius vnde omne bonum est sustentetur (nec enim defendit deus nolentem cognoscere) is inquam, ab
eo turpitudini tradi dicitur. Nam quemadmodum siquis de homine qui in foueam decidit, quoniam solem
D non vidit, idcirco foueam ipsum incidisse asseueraret, nullo nobis modo in mentem veniret, ab irato sole in fo-
ueam ipsum depulsum, sed statim intelligeremus ideo in foueam lapsum, quoniam cæcitate sua solis lucem a-
spicere non potuit: sic oportuit scripturæ quoque huiusmodi locos accipere. Indurauit igitur deus cor Pharao-
nis, non quia diuina voluntas duritiem in animum eius induxerit, sed quia cùm ipse vitiose viuere maluerit,
non suscepit rationem qua induratum in vitio cor permollitur. AVCTOR CATENAE. Videns au-
tem Pharao quod data esset requies. Rectè vertit locum Interpres. Sic etiam est in Chaldaica. Alij autem He-
braica verba כִּי הָיְתָה הַרְוָחָה Chi hâitha háruacha, Quod facta esset respiratio, siue refrigeratio verterunt. Di-
cúntque dictionem Reuacha, propriè significare liberationem ab aliqua angustia vndique imminenti, ponique
sæpe pro dilatatione & respiratione cordis. Et non audiuit (inquit) eos sicut præceperat dominus. Aut sicut di-
xerat, vel locutus fuerat dominus, vt iam dictum est, Hebraicè, Chaldaicè & Græcè haberi. Potuerat quidem dei
patientia Pharaonem vocasse, & perduxisse ad pœnitentiam, nisi damnatus fuisset iusto diuino iudicio. Ideo
E semper sibi pergit thesaurizare iram, & iusti iudicij damnationem. Exemplum potius factum contumaciæ, quia
mox vt respiratio illi permittitur ad ingenium redit tyrannus, quem non pudet domino datam fidem & ho-
minibus non seruare, sic enim prædixerat de eo dominus. Habes autem hîc exemplum simulatæ pœnitentiæ.
Pharao enim imago est omnium eorum, qui in impietate sua obdurati sunt. Hi præsenti suppliciorum sensu so-
lent esse religiosissimi, & præ se ferunt maximam pietatem. Hoc autem non faciunt ex fide, sed tantum ex dolo-
re supplicij. Liberati enim à suppliciis, nõ tantùm redeunt ad ingenium, sed peiores etiam fiunt, vt & hinc pro-
uerbium Italicum natum sit, Transito puncto deceptus est sanctus. Sed quæ est huius pœnitentiæ vtilitas? Libe-
rat quidem aliquoties ab extremis suppliciis, sed non liberat ab extremo & perpetuo. Quare vera pœnitentia
capessenda est, quæ constat vera agnitione peccatorum, & vera emendatione vitæ, secundum illud, Declina à
malo, & fac bonum. Itémque illud præcursoris domini, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Fructus autem dixit
copiam videlicet bonorum operum designans.
F INTERLINEARIS. Spiritaliter autem, quòd orante Moyse, mortuæ sunt ranæ de domibus, & de vil- *Mysticè.*
lis, & de agris, id nobis indicat, quòd apériente os suum vero legislatore Christo domino, deleta sunt in mundo
figmenta poëtarum. GREGORIVS NYSSENVS. Dicamus autem & iuxta superius cœptum per nos
sensum. Cùm pro Aegyptiis manus Moyses ad deum extenderit, tunc & ipsi ab huiuscemodi abominato rana-
rum morbo liberantur. Hoc ita fieri videmus in hac vniuersi generis hominum à diabolo liberatione, nam qui
prauis cupiditatibus, quasi ranis immundis tabescunt, si ad verum legislatorem Christum respexerint, & eum
manus in cruce extendisse verè crediderint, facilè à cohabitatione ranarum liberantur, mortificato morbo hu-
iusmodi ac putrefacto. Quippe cùm liberatus ab his prauis cupiditatibus homo sit, atque hos serpentinos ani-
mi motus omnino eiecerit, tunc delictorum quæ pestifera cupiditate victus commiserat, acerba nimium ac
fœtida sit recordatio, amaritudinem ex pudore ingentem inferens, vt ad eos Apostolus ait, qui repudiata male
viuendi cõsuetudine, virtutem complexi sunt, quem igitur fructum in his habebatis, quorum nunc vos pudet?

3 *Dixítque dominus ad Moyſen, Loquere ad Aaron: Extende uirgam tuam, & percute puluerem terræ, & G ſint cyniphes in uniuerſa terra Aegypti. Fecerúntque ita. Et extendit Aaron manum uirgam tenens, percuſſítque puluerem terræ, & facti ſunt cyniphes in hominibus & iumentis. Omnis puluis terræ uerſus eſt in cyniphes per totam terram Aegypti. Fecerúntque ſimiliter malefici incãtationibus ſuis, ut educerent cyniphes, & non potuerunt. Erántque cyniphes tam in hominibus quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus dei eſt hic. Induratúmque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos, ſicut præceperat dominus.*

3 PROSPER. Tertia plaga Aegyptiorum eſt, cyniphes toto aëre vibrantes, morſu quoque peſtifero mediis
1.par.ta.36 æſtibus infeſtantes Aegyptios, in qua plaga omnis Magorum doctrina defecit. Profeſsíque ſunt digitum dei eſſe H
in illa, ipſis quoque vexatis, vacua inaníſque eorum remanſit aſtutia. Dicit ergo: *Dixítque dominus ad Moyſen, Loquere ad Aaron, extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & ſint cyniphes in vniuerſa terra Aegypti. Fecerúntque ita. Et extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſítque puluerem terræ, & facti ſunt cyniphes in hominibus & iumentis. Omnis puluis terræ verſus eſt in cyniphes per totam terram Aegypti.* PHILO IVDAEVS. Ea beſtiola tametſi exigua admodum ſit, infeſtiſsima tamen ſolet eſſe. Non ſolùm enim ſummam cutem lædit, pruritum infenſum immittens ac noxium, ſed etiam interiùs penetrat per nares aut aures. Lædit etiam oculos, niſi quis cautus fuerit. ORIGENES. Hoc animal pennis quidem ſuſpenditur, per aëra volitans, ſed ita ſubtile eſt & minutum, vt oculi viſum niſi acutè cernentis, effugiat, corpus tamen cùm inſederit, acerbiſsimo terebrat ſtimulo, ita vt quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem. RVPERTVS. Sunt igitur cyniphes muſcæ minutiſsimæ, aculeis permoleſtæ. GRAECVS. Per hæc autem minima, præſtantem atque inuictam potentiam ſuam deus oſtendit.

CAIETANVS. Dictionem Hebraicam Interpres reliquit intactam, & alij intelligunt quaſdam ſubtiles muſcas, aculeo quaſi terebro lædentes, alij autem pediculos. Et quoniam Hebræorum eſt hic ſecundus ſenſus, & I dictio Hebraica eſt nota etiam mulierculis Hebræis, quoad illius primitiuum Chinna, amplectendus eſt. Pediculorum itaque exuberãtia tanta, vt defenſioni locum non relinqueret, intelligitur in hac tertia plaga, tam hominibus quàm beſtiis. Quæ non ex aquis vt duæ priores, ſed ex terra conſurrexit. Et hæc quoque mediante virga per Aaron facta eſt. AVCTOR CATENAE. Et ſint cyniphes in vniuerſa terra Aegypti. Hebraicè eſt וְהָיָה לְכִנִּים Vehaia lechinnim. Et ſit (ſubaudi terra) in cyniphes, hoc eſt, generentur è terra cyniphes. Et ita legit Chaldaica. Septuaginta, καὶ ἔσονται σκνῖπες, & erunt cyniphes. Alij verterunt, vt ſit, ſiue vertatur, vel conuertetur in pediculos. Dictio autem hæc cyniphes, ab Hebræo deſumpta videtur, additis quibuſdam literis, videlicet à chinna, chinnam, vel chinnaſ, quæ fortè apud alios tum Græcos tum Latinos ſcriptores non reperiatur. Et ideo Septuaginta, & Interpres vocem Hebraicam intactam reliquerunt. Id quid fuerit diuerſa eſt ſcriptorum opinio. Alij enim muſcarum genus exiguum, ſed infeſtiſsimum extitiſſe dicunt, alij pediculos, quidam vermiculos alatos culicibus ſimiles innaſcentes materiis, qui eroſo ligno ſubinde locum mutant. Quicquid autem ſit, hoc ter- K
tio ſupplicio idem ſibi vult deus quod ſuperioribus ſuppliciis, videlicet vt rex Aegyptius ad pœnitentiam vocetur, vt nomen dei illuſtretur, & hoc miraculo multitudo pediculorum, aut culicum, aut pulicum, aut cinnicum, aut teredinum, aut aliorum id genus vermiculorum, conſecretur in publicum ſupplicium vrbium ac regionum. Infligitur autem hæc plaga ex terræ elemento, aptè quidem, Iſraël enim in operibus terrenis, luti & lateris afflixerat, vt per quæ peccauerat, per eadem puniretur. *Fecerúntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent*
Locu.40. *cyniphes, & non potuerunt.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Notandum eſt, fecerunt dictum, pro eo quod eſt conati ſunt facere. Nam vtique ſi fecerunt ſimiliter, proculdubio eduxerũt cyniphes: ſed quia ſequitur, vt educerent, & non potuerunt, non ergo ſimiliter fecerunt, ſed ſimiliter facere conati ſunt. Aut ſi fortè & ipſi quanuis veneficiis agerent, eadem tamen agendi ſpecie virgam extendebant, quod
Cap.8. ſcriptura non expreſsit. IDEM DE CIVITATE DEI LIBRO X. Hæc quæ & quanta ſunt quæ per Moyſen populo dei de iugo ſeruitutis eruendo in Aegypto mirabiliter geſta ſunt, vbi Magi Pharaonis, hoc eſt, L
regis Aegypti, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quędam mira permiſsi ſunt, vt mirabiliùs vincerentur. Illi enim faciebant veneficiis & incantationibus magicis, quibus ſunt mali angeli, hoc eſt,
dæmones dediti. Moyſes autem tanto potentius, quanto iuſtius in nomine dei qui fecit cœlum & terram, ſeruientibus angelis eos facilè ſuperauit. Denique in tertia plaga deficiẽtibus Magis, decem plagæ per Moyſen magna myſteriorum diſpoſitione completæ ſunt, quibus ad dei populum dimittendum, Pharaonis & Aegyptiorum dura corda ceſſerunt. Móxque pœnituit, & cùm abſcedentes Hebræos conſequi conarẽtur, illis diuiſo mari per ſiccum tranſeuntibus, vnda hinc atque hinc in ſeſe redeunte cooperti & oppreſsi ſunt. INTERLINEARIS. Fecerunt itaque ſimiliter malefici, manus ſcilicet extendendo virgas tenentes ſicut Moyſes & Aaron, ſed non potuerunt cyniphes educere. AVCTOR CATENAE. Modus hic loquendi notandus, qui & ſubinde exponitur, prius pro poſteriori ponitur, facere pro ordiri & conari. Duo autem hîc obſeruanda ſunt. Alterum, Satanam cuius operatione malefici priora miracula ediderunt, potentem quidem ſpiritum eſſe ſi per- M
mittat dominus: at ſi dominus potentiæ eius reſtiterit, nihil eſt ipſo impotentius. Vide enim quod hoc loco ne poteſtatem quidem habeat in cyniphes beſtiolam minutiſsimam. Time igitur dominum, & nunquam timebis Satanam. Alterum. Et ſi impij interdum edunt miracula, dominus tamen ſemper ſolet euentum facere, vt electi, ſi animaduerterint, impoſturam Satanæ perſpicuè intelligere queant. Suprà, malefici Pharaonis mutauerunt virgas ſuas in ſerpentes quemadmodum Moyſes, ſed virga Moyſi deuorauit virgas maleficorum. Hoc autem loco conantur quidem educere cyniphes è puluere, ſed non poſſunt. *Erántque cyniphes tam in hominibus quàm in iu-*
Cap.12. *mẽtis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, Digitus dei eſt hîc.* HIERONYMVS SVPER MATTHAEVM. Si autẽ
Luc.11. ego in ſpiritu dei eiicio dæmones. In Luca iſtũ locũ ita ſcriptũ legim⁹, Si autẽ ego in digito dei eiicio dęmones.
Deut.9. Iſte eſt digitus quẽ cõfitẽtur & Magi, qui cõtra Moyſen & Aaró ſigna faciebãt, dicẽtes. Digitus dei eſt iſte, quo tabulæ la-



A bulæ lapideæ ſcriptæ ſunt in monte Sina. Si igitur manus & brachiũ dei filius eſt, & digitus eius ſpiritus ſanctus: patris & filij & ſpiritus ſancti vna ſubſtantia eſt: nõ te ſcandalizet membrorũ inæqualitas, cùm ædificet vnitas corporis. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod dixerũt Ma- *Quæſt.23.*
gi ad Pharaonem, Digitus dei eſt hîc: quoniam non potuerunt educere cyniphes, ſenſerũt profectò cùm artium ſuarum nefariarum ſcirent potentiam, non talibus artibus, velut potentior in eis eſſet Moyſes, ſuos conatus fuiſſe fruſtratos, vt non poſſent educere cyniphes, ſed digito dei, qui vtique operabatur per Moyſen. Digitus autem dei, ſicut Euangeliũ manifeſtiſsimè loquitur, ſpiritus ſanctus intelligitur. Nanque vno Euangeliſta ita nar- *Luc.11.*
rante verba domini, vt diceret, Si ego in digito dei eiicio dæmonia, alius Euangeliſta idipſum narrans expone- *Matt.12.*
re voluit quid ſit digitus dei, & ait, Si ego in ſpiritu dei eiicio dæmonia. Cùm itaque Magi faterentur, quorum Pharao potentia præſidebat, digitum dei eſſe in Moyſe, in quo ſuperabantur, & eorum veneficia fruſtrabantur:
B tamen induratum eſt cor Pharaonis nunc mirabili omnino duritia. Cur autem in tertia iſta plaga Magi defecerunt, nam plagæ cœperunt ex quo aqua in ſanguinem verſa eſt, & ſentire & explicare difficile eſt. Poterant enim & in primo ſigno deficere, vbi in ſerpentem virga conuerſa eſt: & in prima plaga, vbi aqua in ſanguinem commutata eſt: & in ſecunda de ranis, ſi hoc voluiſſet digitus dei, id eſt, ſpiritus ſanctus. Quis enim dementiſsimus dixerit, digitum dei in hoc ſigno potuiſſe conatus Magorum impedire, & in ſuperioribus nequiuiſſe? Omnino ergo certa cauſa eſt, quare illa facere hucuſque permiſsi ſunt. Commendatur enim fortaſſe Trinitas, & quòd verum eſt, ſummi Philoſophi gentium quãtum in eorum literis indagatur, ſine ſpiritu ſancto philoſophati ſunt, quanuis de patre & filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro ſuo meminit, quem ſcripſit de ſpiritu ſancto. GRAECVS. Digitum dei efficaciam dei appellat vt declaret hæc diuina potentia, & non humanis viribus fieri, quæ quidem plagæ paulatim inferebantur, atque ideo digitum dei dixit & non manum, cui tamen digito Magi ipſi ceſſerunt. RVPERTVS, Digitus dei eſt hîc. Supradictum eſt quia fecerunt ſimili-
C ter Malefici incantationibus ſuis, vt verterent aquas in ſanguinem, fecerunt ſimiliter, eduxerúntque ranas ſuper terram Aegypti. In iſto defecerunt, & dixerunt ad Pharaonem, Digitus dei eſt hîc. Hoc dixerunt victi: videlicet ad conſolationem pudoris ſui. Ac ſi dicerent: Siquidem pugnaret contra nos homo, pręualuiſſemus: nunc autem qui pugnat, nõ hominis, ſed dei digitus eſt, & idcirco danda nobis eſt venia, quia vincimur. Quídnam hoc eſt, quòd malefici incantationibus ſuis aquas in ſanguinem vertere, & ranas educere potuerunt, cyniphes autem nõ potuerunt? An cyniphes videri quoque potuerunt, ſed quia moleſtos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter feciſſe conuicti ſunt? Nempe quia ſanguinis horror, & ranarum fœditas comprehenditur ſolo viſu, idcirco præſtigiatores ranas falſiſsimas, & ſanguinem fallacem faſcinatis oculis oſtenderũt. Cyniphes autem quia moleſto quoque aculeo, apertè diiudicantur, idcirco non fecerunt, quia quod verum eſſet, quod veraciter ſentiretur, homines ſine deo creare non potuerunt. Digitus ergo (inquiunt) dei hîc eſt. Notum quidem, & celeberrimũ
apud fidelem dei Eccleſiam eſt ſpiritum ſanctum digitũ dei eſſe, vel dici. Nam & ipſe filius de ſpiritu ſan-
D cti loquens potentia, Si ego (inquit) in digito dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum dei. Sed & *Matth.12. Luc.11.*
plures digiti in eiuſdem ſpiritus ſignificatione dicuntur, quemadmodum & vnus eſt ſpiritus, & tamen ſeptem ſpiritus ante thronum legimus. Vnde & Pſalmiſta, Quoniam videbo (inquit) cœlos tuos opera digitorum tuo- *Pſalm.8.*
rum. Pluraliter dixit digitorum, videlicet ob pluralitatem donorum vnius, eiuſdémque ſpiritus ſancti. Sed nũquid homines mente corrupti, videlicet incantatores & malefici illi, ita ſpiritui proximi erant, vt ſcienter dicerent, digitus dei eſt hîc, id eſt, proprietatem conſiderando eius perſonæ, cauſamq; propter quam diceretur digitus dei? Ergo nec iſti à ſemetipſis locuti ſunt, id eſt, neſcientes quid dicerent, proprietatem nobis confeſſi ſunt ſpiritus ſancti, nihil aliud intendentes, niſi vt dicerent, virtus vel operatio dei hîc eſt. AVCTOR CATENAE. Digitus dei eſt hîc, id eſt, hoc fit virtute diuina, non arte magica. Hebraiſmus. Capitur enim digitus pro potentia, ſicut & manus & brachium, & aliquando pro plaga. Vnde Chaldaica habet, Dixerúntque malefici ad Pharaonem, plaga à facie dei eſt. Confundebantur itaque in minimo Magi, domino ſic volente, cuius
E potentiam cõacti ſunt profiteri nolentes. Potuiſſent non ſolùm in tertio, ſed & in primo ſigno defeciſſe, ſi domino placuiſſet. Nũc in minutula re cyniphium dicere cogũtur, Digitus dei eſt, & deficiunt. Fiunt autẽ hęc, vt piorum fides probetur, impiorum audacia confundatur. Non tamen omnium factorum nobis ad viuum eſt ratio inquirenda. Tales præſtigiatores ſunt, quicunque ſimplicium oculos perſtringunt, & veritatem obſcurant, quorum hypocriſis tandem palàm fiet, vt digitum dei adeſſe, cognoſcant vel inuiti. Vide autem hîc ſummi dei omnipotentiam, cũ malefici ingenuè confitentur miracula Moyſi eſſe vera, & diuina miracula. Et hoc eſt maieſtatis diuinæ potentiæ proprium, extorquere veritatis teſtimonium etiam ab aduerſariis & inuitis. Idem exemplum habes in Balaam. Numeri viceſimo tertio. Quid ergo ad hęc Pharao? Num quia eius Magi & incantatores perhibent teſtimonium veritati miraculorum Moyſi, reſipiſcit, & Iſraëlem dimittit? Nihil minus. Mox enim additur. *Induratúmque eſt cor Pharaonis.* INTERLINEARIS. Praua quidem qualitate infectum, non emendatum, quanuis deficerent Magi. *Et nũ audiuit eos ſicut præceperat dominus.* GRAECVS. Pharao vexatus di-
F miſsionem ludæorum pollicetur, ceſſante plaga indureſcit, ex quo manifeſtè intelligi poteſt, Duritiem Pharaonis non ex deo, ſed ipſo Pharaone ortum traxiſſe, alioqui aut ſemper durus, aut obtemperans eſſe debuiſſet.
AVCTOR CATENAE. Sicut præceperat dominus. Sicut dixerat, vel locutus eſt dominus.

ORIGENES. Spiritualiter autem, hoc animalis genus digniſsimè puto arti dialecticæ comparari, quæ *Myſticè.*
minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animas terebrat, & tãta calliditate circũuenit, vt deceptus nec videat, nec intelligat vt decipiatur. ORDINARIA. Vel tertium præceptum, Memento diem ſabbati ſanctificare. Quo inſinuatur vacatio & tranquillitas mẽtis, quam bona conſcientia facit. Ibi ſanctificatio, quia ibi ſpiritus dei. Vnde ſuper quẽ requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietũ, & cætera? Inquieti ergo à ſpiritu ſancto reſiliunt, prouocatores rixarum, amatores calumniarum, nec admittunt quietem ſabbati ſpiritualis. Eſto ergo manſuetus, non ſit tumultus in corde tuo, volitãtibus per corruptionem fantaſmatibus, & pungentibus te. Audi deum dicentem, Vacate & videte, quoniam ego ſum deus. Tu per inquietudinem vacare non vis, & cæ- *Pſalm. 45.*

catus

catus exigis videre quod non potes. Attende enim contrariam plagam, cyniphes nati sunt in terra Aegypti de li G
mo, muscæ scilicet minutissimæ, inquietissimæ, inordinatè volantes, in oculos ruentes, & negantes hominibus
requiem, dum abiguntur redeunt, sic fantasmata inquietorum. Præceptum tene, plagam fuge. RVPERTVS. Puluerem terræ percutere, & cyniphes facere, est in condemnationem superbiæ hominis qui vtiq; pul-
uis est, talia in scripturis verba facere, quæ sensus audientium quia intelligere digni nõ sunt, à vero repellãt, quẽ-
admodum cyniphes & oculis ne videant, & auribus ne liberè audiant, molestę atque importunę existunt. Verbi
gratia, Quartum legis mandatum est, Memento vt diem sabbati sanctifices. Tali dictione præuentus Aegy-
*Esa. 1.* ptius, qui se dicit Iudæum esse, & non est, nihil aliud hîc imperari arbitratur, nisi sabbatum, qualem odit domi-
nus, testante ipso cum in Propheta dicit, Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Calendas &
solennitates vestras odiuit anima mea. Ita planè præuentus illud sabbatum, illum septimum diem intelligere
*Gen. 2.* non meretur, quo compleuit deus opus suum quod fecerat, in quo requieuit, cui benedixit, & quem sanctifica-
*Ioan. 10.* uit, sicut ipse ait, Quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius dei H
*Psal. 117.* sum. Sine huius reuerentia sabbati, de quo & Psalmista, Hæc est dies (inquit) quam fecit dominus, exultemus &
lætemur in ea. Quid sunt in estimatione Iudæorum sabbata & aliæ festiuitates, nisi quòd in oculis Aegyptiorũ,
importunæ cyniphes, liberũ lucis aspectum prohibentes? Itaque in conuertendo aquas in sanguinem, & educẽ-
do ranas, id est, in prædicando futuras malorum pœnas, & contemnendo loquaces Poëtarum fabulas, inimici
prædicatoribus veritatis vtcunque comparare se possunt, sed vltra non proficient. Non enim quemadmodum
ipsi cæcati sunt, sic versa vice veritatis discipulos per sua sophismata, tanq̃ per cyniphes vagas & volatiles cir-
*Epist. 119.* cunuenire poterunt. AVGVSTINVS AD IANVARIVM, ET ISIDORVS. Quod in tertio
signo Magi accesserunt, dicentes, Hic digitus dei est, typum hæreticorum atque animositatem habuerunt. De-
clarat hoc Apostolus, dicens, Sicut Iannes & Mambres restiterunt Moysi, sic & hi resistunt veritati homines
mente corrupti, & reprobi circa fidem, sed vltra non proficient: Dementia enim eorum manifesta erit omnibus,
sicut & illorum fuit. Hi autem qui per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defece I
runt, fatẽtes sibi aduersum esse spiritum sanctum, qui erat in Moyse. Tertio enim loco ponitur spiritus sanctus,
qui est digitus dei. Vnde & illi deficientes in tertio signo, dixerunt, Digitus dei hic est. Sicut autem cõciliatus &
placatus spiritus sanctus requiem præstat mitibus & humilibus corde: ita contrarius & aduersus, immites ac su
perbos inquietudine exagitat, quam inquietudinem muscæ illæ grauissimæ significauerunt, sub quibus Magi
Pharaonis defecerunt, dicentes, Digitus dei est hîc, ne intelligant vnde decipiantur. EVCHERIVS DE
FORMVLIS SPIRITALIBVS. Nam vt superius quoque dictum est, Digitus dei dicitur spiritus san-
ctus propter partitionem donorum quæ ab eo dãtur vnicuique propria, siue hominum, siue angelorum. In nul-
lis enim membris nostris sic apparet partitio, quàm in digitis. STRABVS. Notandum, quia tertio signo
victi sunt Magi, quia omnis perfidia & mundana sapiẽtia vel philosophia, fide Trinitatis vincitur: cùm enim
Philosophiam inuenerint, & de machina totius mundi disputauerint, ad cognitionem Trinitatis peruenire ne-
quiuerunt. Per digitum spiritus sanctus intelligitur, non quia minor sit patre & filio, sed quia in digito plurimę K
*Cap. 1. Lectio. 6. in fine.* diuisiones sunt, & per spiritum sanctum datur diuisio gratiarũ. THOMAS IN EPISTOLAS PAVLI.
Vel in tertio signo defecisse Magi dicũtur, id est, Philosophi, quia non posuerunt aliquid respondere spiritui san
cto sicut posuerunt aliquid respondere patri, scilicet ipsum primum principium, & aliquid respondere filio, sci-
licet primam mentem creatam quam vocabant primum intellectum, vt Macrobius dicit in libro super som-
nium Scipionis. ORDINARIA. Sanguis est doctrina Philosophorum, Ranæ figmenta Poëtarum, Cy-
niphes sophismata Dialecticorum, quæ omnia mundum deceperunt.

*Dixit quoque dominus ad Moysen: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum: Hæc dicit dominus, Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quòd si non dimiseris eum, Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, L omne genus muscarum, & implebuntur omnes domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & uniuersa terra in qua fuerint. Faciámque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ, ut scias quoniam ego dominus in medio terræ, ponámque diuisionem inter populum meum & populum tuum. Cras erit signum istud. Fecítque dominus ita & uenit musca grauissima in domos Pharaonis & seruorum eius, & in omnem terram Aegypti corruptáque est terra ab huiuscemodi muscis.*

AVCTOR CATENAE. Quartum supplicium quod immittit dominus Pharaoni & Aegyptiis vt in-
uitet eos ad resipiscentiã, & dimittant Israëlem, & quo cognoscant quis sit verus deus, nempe non dij Aegyptio-
rum, sed deus Patriarcharum, videlicet deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, quem Moyses prædicat. Et pro-
fectò miraculo cynomyarum quo manifestissimum discrimen factum est inter Israëlitas & Aegyptios, publicè
manifestatum est quis esset verus deus. Sed agè, quid dicat sacra lectio consideremus. *Dixit quoque dominus ad* M
*Moysen: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum, Hæc dicit dominus: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi.* INTERLINEARIS. Et sta corã Pharaone, scilicet fortis & immobilis. CAIETANVS.
Quanuis parui referat, scito tamẽ interpretẽ sæpe mutare aduerbiũ sic, in pronomen hæc, & similiter seruitutẽ,
in sacrificium. AVCTOR CATENAE. Sunt enim Hebraicę dictiones כה Co, quæ sic, & וְיַעַבְדֻנִי Veia-
habdúni, vt seruiant redduntur, de quibus & in superioribus. Sed hoc idem importat Latini Interpretis ver-
sio. Progressuro igitur Pharaoni ad aquas iubetur Moyses occurrere, qui fortasse vtcunque ingrediendi ad eũ
facultatem non habebat, & hoc quidem mane diluculo. In quo datur intelligi diuina præcepta diligenter & si-
ne dilatione agenda, & resistendum in faciem tyrannis domino id iubente, nullam esse negligendam occasio-
nem pro fratribus iuuandis oppressis. *Quòd si non dimiseris eum, Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & domos*



A *& domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur omnes domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint.*
GRAECVS. Pernitiem futuram Pharaoni deus prædicit, ne qua ignorantiæ excusatione vti possit. ISIDORVS. Septuaginta Interpretes hoc in loco cynomyã, id est, caninam muscã posuerunt. CAIETANVS. Vbicunq; in hac quarta plaga legis omne genus muscarum, seu muscas diuersi generis, seu musca grauissima, &
breuiter muscas, ex officina Interpretum scito legi, nam in Hebręo textu nullũ animal nominatur, sed duntaxat
mixtura. Aiunt Septuaginta interpretes introduxisse genus muscarum, & vitio scriptorum introductas cyno-
myas, hoc est, muscas caninas. Quorum autem animalium mixtura fuerit, non est certum. Hebræi doctores pu-
tant fuisse mixturam animalium syluestrium gresibilium, nos autem in expositione Psalmorum secuti sumus
Græcos & Latinos. Nunc autem perscrutando ex proposito textum proprium ex iis quæ in litera dicuntur, neu-
tram sequimur sententiam. Duo nanque de hac mixtura in litera annotauimus. Alterum, quòd domus Pharao-
B nis & Aegyptiorum implebuntur hac mixtura, & hinc apparet, quòd non fuit mixtura animalium magnorum,
vnus enim Leo sufficit ad euertendam domum vnam. Alterum, quòd terra habitata ab Aegyptiis fuit comesta
ab ista mixtura, & hinc apparet, quòd non fuerunt muscæ, quæ principaliter molestæ sunt personis hominum,
nulla enim hominum lęsio in personis, sed tãtummodo in domibus, seu terra quam habitabant Aegyptij signi-
ficatur. Dixi autem comesta, quoniam vbi editio vulgata habet, corruptáque est terra, iuxta Hebræam habetur
dictio significans in genere destructionem, ruinam, & huiusmodi. Quam ideo ad speciem comestionis traxi-
ximus, quia Dauid in psalmo septuagesimo octauo sic exposuit, dicendo, Misit in eos mixturam, & comedit
eos. Ex quibus omnibus probabilius apparet, quòd fuerit mixtura animalium, agrestium quidem, sed paruorũ,
vt propterea dictum sit in textu Hebraico, & etiam terram, quam ipsi super eam, vbi vulgata editio habet, & vni-
uersa terra in qua fuerint. Ex agrestibus igitur locis in terram habitatam ab Aegyptiis, mixtura animaliũ par-
uorum (de quibus aptè dicitur quòd mixtura eorum implebit domos) comedendo destruentium ea quæ erant
C in domibus & ciuitate, venit. Nec propterea excluduntur ab hac mixtura agrestia volatilia, sed agrestia vene-
nosa, quæ personis hominum nocent. AVCTOR CATENAE. Omne genus muscarum, quod Hebraicè est, עָרֹב Harob, Quam dictionem aliqui, mixturam siue turbam, vel miscellaneam ferarum noxiarum ver-
terunt, Hoc est, tam venenosarum quàm rapacium, vt serpentium, draconum, leonum, luporum, pardorũ, scor-
pionum, & huiusmodi, aspectu quoque horribilium, & morsu nocentium. Quibus mirum in modum Chaldai-
ca fauet editio, habens, mixtionẽ bestiarum. Alij cõmixtionem omnimodam, videlicet tam animalium quàm
muscarum hominibus & iumentis noxiarum, interpretati sunt. Alij infecta reddiderunt. Dicúntque vocabu-
lum Harob, propriè significare mixturam collectam ex variis & multis speciebus bestiolarum seu insectorum.
Vnde aliqui hos sequentes, addiderunt, varij generis insecta. Nonnulli, Ferarum genus verterunt. Quidam o-
mnem muscam, hoc est, omne muscarum genus, quam & in Psalmo Hieronymus omnimodam muscam vo-
cat. Et hi cum Latino Interprete conueniunt. Septuaginta verò caninam muscam interpretati sunt, nempe κυ-
D νόμυιαν, non autem κοινόμυιαν, nam tunc esset communis musca. Sequitur autem, Et implebuntur omnes domus
Aegyptiorum, muscis diuersi generis. Parum est quòd in Hebræo non habetur dictio omnes. Legitur autem ea-
dem dictio Harob, vnde diuersimodè vertitur, sicut iam supradictum est, itidem etiam fiet inferius, vbicunque
eadem vox repetetur. Impletura ergo prædicuntur hæc animalia totam terram in qua Aegyptij habitabant,
id enim indicant ea verba, & ipsa terra in qua fuerint, nempe ipsi Aegyptij. *Faciámque mirabilem in die illa terram*
*Gessen in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ, vt scias quoniam ego dominus in medio terræ ponámque diuisionem inter populum*
*meum & populũ tuũ.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod hîc scri- *Quæst. 26.*
ptura aperuit, ne vbicunque diceret, intelligere debemus & in posterioribus, & in prioribus signis factum esse,
vt terra in qua habitabat populus dei, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit, vt ibi hoc aperte
poneretur, vnde iam incipiunt signa quibus Magi similia nec conati sunt facere, proculdubio enim quia vbiq;
fuerant cyniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, vbi conati sunt Magi similiter facere,
E & minimè potuerunt. Quousque ergo deficerent, nihil de eius terræ segregatione dictum est, sed ex quo cœpe-
runt ea fieri, vbi iam illi similia facere nec conari auderent. CAIETANVS. Dictio interpretata do-
minus, est nomẽ tetragrammaton, & aptissimè, vt cognoscatur quòd ego primùm essendi principium, ego sum-
mus deus sic sum supra omnia vt etiam sim in medio terræ, in qua habitatis, faciendo talem distinctionem in-
ter terram habitatã ab Israëlitis & reliquam. AVCTOR CATENAE. Faciámque mirabilem in die il-
la terrã Gessen. Quia verbum פָּלָה Phala, & separare & mirificare significat, hinc est quòd dictionem וְהִפְלֵיתִי
Vehiphlethi, aliqui verterunt, Et separabo, sic facit & Chaldaica, habens, Diuidámque in die illa terram Gessen.
Septuaginta vt apud nos, καὶ παραδόξάσω ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, Et glorificabo in die illa, & cætera. Vt scias (inquit)
quoniam ego dominus in medio terræ, id est, vt intelligas à me hoc fieri in punitionem peccati tui. Quod etiã
sequitur, Ponámque diuisionem, Hebraicè est, פְּרֻת Pheduth, quod redemptionem, seu liberationem nonnulli
verterunt, legúntque, Et ponam liberationem, id est, liberabo, hoc est, faciam vt populus tuus lædatur à feris no-
F xiis, & populus meus non lædatur. Quod optimè declarat Chaldaica, inquiens, Ponámque redemptionem popu
lo meo, & super populum tuum inducam plagam. Septuaginta vt apud nos, καὶ δώσω διασολήν, Et dabo diui-
sionem. Sed videtur Interpres sensum potius quàm verba sequutus, nam puniri Aegyptios, & liberari Israëlitas,
quid est aliud quàm populum à populo diuidi? Mirabile igitur factum promittit, quo & distinguendi sint fide-
les & impij, vt non sit hæc plaga in terra Gessen, quæ colonia erat Israëlitarũ. Significat autem fortè priores pla-
gas etiam attigisse Hebræos, quandoquidem non scribuntur excepti tunc vsque ad hunc locum, vbi nunc stan-
tes vel habitantes Israëlitæ immunes ab hac plaga scribuntur. Dominum autem esse in medio terræ aliud non
est, quàm principem esse & dominum habitatorem illius terræ. *Cras erit signum istud.* Quasi dicat, prædico ti-
bi hæc futura die crastino. Determinat autem dominus diem, ad ostendendam certitudinem verbi sui. *Fecítque dominus ita.* CAIETANVS. Nomen est, tetragrammaton. Nec per Moysen, nec per Aaron, per quem
factæ sunt tres primæ plagæ, nec mediante virga aut signo aliquo sensibili fecit deus hoc miraculũ, vt texus so-
nat

nat,ad tollendum occasionẽ suspicãdi q̃ in virga esset virtus faciẽdi mirabilia per magicas artes,& nõ ipse deus G
faceret miracula hæc. *Et venit musca grauissima in domos Pharaonis & seruorũ eius,& in omnẽ terram Aegypti,corruptaq; est terra ab huiuscemodi muscis.* RVPERTVS. Grande spectaculum deus vniuerso orbi præstitit, cũ superbiam Aegy-
*Psal.104.* ptiorum non de leonibus & vrsis, sed de ranis domuit & muscis. Dixit (inquit Psalmista) & venit cynomya, id est, canina musca.Dignam quippe illis fecit contumeliam,videlicet caninas sordes,& contumeliosam ipsorum superbiam omni genere muscarum domando. AVCTOR CATENAE. Et venit musca grauissima. Dictio est Harob,quæ variis modis redditur,vnde vide superiorem annotationem,ne sæpiùs idem repetatur.Corruptáque est terra ab huiuscemodi muscis,id est,propter multitudinem muscarum illarum deformata.Et vt Septuaginta habent,destructa.Ob quam etiam plagam credimus habitatores Aegypti pessimè habuisse.Musca autem grauissima hoc in loco secũdum locutionis genus pro multitudine muscarum ponitur.

*Mysticè.* ORIGENES. Quarto in loco Cynomyam Cynicorum sectæ cõparauerim, qui ad reliquas deceptio- H
nes suæ improbitatis,etiam voluptatem & libidinem summũ prædicant bonum. Quoniam igitur per hæc singula priùs deceptus est mundus,aduenies sermo,& lex dei,huiusmodi cũ corruptionibus arguit,vt ex qualitate pœnarum,qualitates proprij agnoscat erroris. ISIDORVS. Nam secundũ Septuaginta(vt diximus)cynomya posita est,per quam canini mores significantur,in quibus humanæ mentis voluptas,& libido carnis arguitur.Potest etiã per muscã caninam,hic locus eloquentiam forensium hominũ significare,qua velut canes alterutrò se
*Cap.28.* lacerant. GREGORIVS DECIMO OCTAVO MORALIVM. Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? aut quid hîc quietius, quàm huius seculi nihil appetere? Hinc est quòd Israëliticus
*Exod.16.* populus custodiam sabbati accipit in munere. Hinc econtra est Aegyptus muscarum multitudine percussa. Populus nanque qui deum sequitur, accipit sabbatum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorũ carnalium appetitu fatigetur. Aegyptus verò quæ huius mundi speciem tenet, muscis percutitur.Musca enim nimis insolens & inquietum animal est,in qua quid aliud quàm insolentes curæ desideriorum carnalium desi- I
gnantur? Vnde aliàs dicitur, Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti, quia cogitationes superfluæ quæ assiduè in animo carnalia cogitante, & nascuntur & deficiunt, eam suauitatem qua vnusquisque intrinsecùs per spiritum vnctus est, perdunt, quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Aegyptus ergo muscis percutitur,quia eorum corda qui terrenam vitam diligunt,dum desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur,turpitudinibus cogitationum carnalium ad ima depressa sunt,vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur. Vnde cùm mira ope pietatis ad cor veritas venit,priùs ab eo cogitationum carnalium æstus eiicit,& pòst
*Matth.9.* in eo virtutum dona disponit. Quod bene nobis sacra Euangelij historia innuit,in qua dum ad resuscitandam filiam Principis inuitatus dominus duceretur,protinus additur,Et cũ eiecta esset turba,intrauit,& tenuit manũ eius,& surrexit puella.Foras ergo turba eiicitur,vt puella suscitetur, quia si non prius à secretioribus cordis expellitur importuna secularium multitudo curarum,anima quæ intrinsecùs iacet mortua, nõ resurgit. Nam dũ se per innumeras terrenorum desideriorum cogitationes spargit, ad cõsiderationem sui sese nullatenus colligit. K
*Par.1. cap.* PROSPER. Aliter. Quarta plaga Aegyptiorum Cynomya,caninæ scilicet muscæ,secretis etiã membris pœ-
*36.* nas morsibus infligentes. Et quartum mandatum in lege est, Honorandos esse parentes.Quod primũ ad homi-
*Matth.12.* nes refertur mandatum,quoniam superiora diuinitati videntur ascripta.Hi verò qui nòn ea honestate venerãtur parentes,qua mandatum est,canibus similes rabiem suæ fœditatis exerentes, longè in terra esse non possunt.
*Matth.7.* Neque talibus sanctum dandum dominus in Euangelio dicit. A quorum consortio Chananæa fide mundata humili pióque latratu,& sibi gratiam,& filiæ salutem nullis præcedentibus meritis impetrauit.

5 VOcaúitque Pharao Moysen & Aaron, & ait eis: *Ite, & sacrificate deo uestro in terra hac.Et ait* Moyses: *Non potest ita fieri. Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro. Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent. Viam* L
*trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus domino deo nostro, sicut præcepit nobis. Dixitque Pharao, Ego dimittam uos ut sacrificetis domino deo uestro in deserto,ueruntamen longiùs ne abeatis. Rogate pro me. Et ait Moyses, Egressus à te orabo dominum, & recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius cras. Veruntamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare domino. Egressúsque Moyses à Pharaone, orauit dominum. Qui fecit iuxta uerbum illius,& abstulit muscas à Pharaone,& à seruis suis & à populo eius. Non superfuit nec una quidem. Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita ut ne hac quidem uice dimitteret populum.*

5 RVPERTVS. Ergo potens & magnus Pharao rex Aegypti, à muscis penè victus est. Nam sequitur
*Vocaúitque Pharao Moysen & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate deo vestro in terra hac.* AVGVSTINVS IN QVAE- M
*Quæst.27.* STIONIBVS SVPER EXODVM. Græcus textus habet hoc loco, Venientes immolate domino deo vestro in terra hac. Nolebat enim eos ire quò dicebant,sed vt illic in Aegypto immolarent,volebat.Hoc ostendunt verba Moysi quæ sequuntur, vbi dicit non posse fieri propter abominationes Aegyptiorum. CAIETANVS. Tentat concedere Pharao partẽ petitionis, videlicet cõmune sacrificium totius populi Israël,infra ne supplicij coactus, permittit quidem Israëlitis vt sacrificent, sed addit, In terra videlicet Aegypti, non in deserto.Hoc autem non est iussioni dei obedire,sed dei iussionẽ pro sua libidine mutare, quod ab inobediẽtia nihil differt. Sic permittunt impij dei cultum,modò priuatis non obsit commodis, & vbi adacti necessitate cum honore subterfugere non datur. *Et ait Moyses, Non potest ita fieri.* Non discrepat ab Hebræo, vbi legitur, לֹא נָכֹן לַעֲשׂוֹת כֵּן Lo nachon lahasoth chen,Non rectum,seu non decet fieri ita:sic habet Chaldaica. Alij, Non conuenit ita



A nit ita facere,siue vt sic agamus.Septuaginta vt apud nos. CAIETANVS. Non igitur tam citat impotentiam, quàm non rectitudinem. Et rationem non rectitudinis subiungit: *Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro. Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* AVGVSTINVS *Quæst.28.*
IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Id est,hæc immolaturi sumus,quę abominantur Aegyptij, & propterea in Aegypto non possumus.Hoc manifestant verba quæ adiungit, & dicit, si enim immolauerimus abominationes Aegyptiorum palam ipsis, lapidabimur. Hoc enim nõ intelligentes quidã Interpretes nõstri, sic interpretati sunt,vt dicerent, Non potest fieri sic, nunquid abominationes Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro, cùm magis hoc scriptura dixerit,quia Aegyptiorum abominationes immolaturi sunt. Alij verò Latini sic habent, Non potest fieri sic,quoniam abominationes Aegyptiorum non immolabimus domino deo nostro: contrarium sensum facit addita particula negatiua, cùm Moyses dixerit, Non potest fieri sic,
B abominationes Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro: & ideo in eremum dicebant se ire velle, vbi Aegyptij non viderent abominationes suas. RABANVS. Abominationes enim, & cætera. Ac si diceret: Non possumus ea animàlia quæ abominantur Aegyptij, præsentibus illis domino deo nostro immolare. Oues enim Aegyptij edere dedignantur.Vnde & in Genesi scriptum est,Omnes pastores ouium detestantur Aegyptij. *Gen.46.*
Quod autem adiecit, Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij corã eis, lapidibus nos obruent. Suggillat ipsos Gentiles,eo quòd animalium figuram pro deo summo colebant,ligno & lapidibus impressam.Nam Ammonem Iouem in ariete venerabantur:Anuben in cane:Apin quoque colentes in tauro, & cætera portenta magis quàm numina, quæ ipsa Aegyptus cultu credebat venerari diuino, ideoq; Moyses & Aaron dicebant se ire velle,vbi Aegyptij non viderent abominationes suas immolari. RVPERTVS. Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro. Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij corã eis, lapidibus nos obruent. Grauis Aegyptiorũ detestatio,& eorum qui veri adoratores vnius dei esse cupiunt,pulchra instru-
C ctio.Primò sciendum,quia de nullo hîc pecore agitur,quòd vel abominandũ,vel colendum sit Aegyptiis,vt domino deo vero mactetur,aut immoletur.Nam per Prophetam ipse loquitur,Holocaustomata vestra addite victimis vestris,& comedite carnes,quia non sum locutus cũ patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi *Hier.7.*
eos de terra Aegypti,de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc præcepi eis, dicens, Audite vocẽ meã, & ero vobis deus,& vos eritis mihi populus,& cætera.Quænam ergo sunt abominationes Aegyptiorum, nisi fides,& omnes animi virtutes?Vel quæ colunt Aegyptij,nisi omnia vitia? Abominabilis nanque est superbis hu- *Psalm.50.*
militas,& iniustis vniuersa iustitia.Dicit autem scriptura: Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despicies. E contrario tumidam ceruicem, & cor crassum Aegyptij colunt: Sed enim hæc primitus mactare debet verus Israël,& tunc demum spiritum contribulatum, & cor offerre contritum atque humiliatum, vt legitimum, & ritè ordinatum sit sacrificium. Igitur abominationes (inquit) Aegyptiorum,id est,veritatem & sanctitatem immolabimus, & ea quæ colunt Aegyptij, scilicet omnem falsitatem,
D omnémque prauitatem,vnum verum deum colendo in nobismetipsis immolabimus.Sed omnes qui hoc ordine volunt immolare,persecutionem patiuntur.Ait ergo,Quòd si mactauerimus ea,quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos obruent. CAIETANVS. Abominationes Aegyptiorũ immolabimus domino deo nostro. Assertiuè legenda est hæc particula.Reddit enim rationẽ non rectitudinis, quia ea quæ abominantur Aegyptij relatiuè ad occisionem(hoc est)quæ abominantur Aegyptij occidi, sunt ea quæ sacrificabimus domino deo nostro.Redditur autẽ deinde ratio non rectitudinis,quia immineret nobis ex loco periculũ lapidationis.Creditur autem quòd ideo abominabile erat Aegyptiis occidi oues,quia colebant ouem seu arietẽ. Abstinebant etiã Romanorum tempore Aegyptij ab esu animalium omniũ lanatorum,iuxta illud,Lanatis animalibus abstinet omnis mensa. AVCTOR CATENAE. Quòd si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij. Sensum verborum optimè elicuit Interpres,ne iterum eadẽ verba repetere cogeretur,sic enim est Hebraice הֵן נְזַבֵּחַ אֶת תּוֹעֲבַת מִצְרַיִם Hen nizbach eth tohabath mizraim, Quòd si immolauerimus abominationem Aegyptiorum. Septuaginta,
E ἐὰν γὰρ θύσωμεν τὰ βδελύγματα τῶν Αἰγυπτίων, Si enim sacrificabimus abominationes Aegyptiorum,& cætera. Sic igitur prima clausula interrogatiuè legitur,& est sensus,si sacrificaremus deo nostro abominationẽ vestrã, vestro scilicet ritu,& more,qui nobis abominabilis est,offenderemus deũ nostrũ.Secunda verò clausula affirmatiuè,& est sensus,Si verò abominationẽ nostram, hoc est,ritu & more nostro, qui Aegyptiis abominatio est,sacrificaremus deo nostro coram Aegyptiis,nos lapidarent. Necesse est ergo vt exeamus de Aegypto, si ritè & rectè domino deo nostro sacrificium volumus offerre.Quidam sic interpretantur,Iumenta Aegyptiorum sunt dij eorum quos ipsi timent,& ex illis nos sacrificabimus domino deo nostro:quasi dicat minimè,nam si hoc faceremus corã Aegyptiis,lapidarent nos.Vocat autẽ sæpe scriptura deos gentiũ abominationes. Colebant verò Aegyptij arietem,ideo ipsi abominabantur pastores ouium,præsertim eos,qui vescebantur carnibus ouium aut caprarũ.Quem posteriorẽ intellectũ hauserunt ex Chaldaico Paraphraste, ita dicente in hoc loco:Dixitq; Moyses, Nõ decet ita fieri, quoniã animal quod Aegyptij colũt,nos immolabimus vt sacrificemus corã dño deo nostro.
F Quòd si immolauerimus animal quod ipsi colũt ipsis vidẽtibus,nónne lapidabunt nos? *Viam triũ dierũ pergemus in solitudinẽ,& sacrificabimus dño deo nostro,sicut præcepit nobis.* Postulabant viam triũ dierũ in solitudinẽ, quod & futurũ ipsis Moyses prædixerat ex ore dñi,quia in,vel iuxta montẽ Horeb essent dno sacrificaturi,quod & cõtigit suo tẽpore nolentibus Aegyptiis, & perditis iam in mari rubro. *Dixitq;Pharao, ego dimittam vos,vt sacrificetis domino deo vestro in deserto, veruntamen longius ne abeatis. Rogate pro me.* Veruntamen longius ne abeatis. Idẽ dicitur in Hebræo רַק הַרְחֵק לֹא תַרְחִיקוּ לָלֶכֶת Rak harchek lo tharchíku lalecheth,Veruntamen longius non elongabitis eundo. Vel longius ne recedatis abeundo.Alij,Veruntamen elongando non elongabitis eundo, vertunt.Et est sensus,Dabo vobis licentiam,ea lege vt non procul recedatis. Hebraismus. Quia ergo inuitus permittit abitum, quantum potest detrahit de officio. Loco siquidem desérti assentit,verbo potius quàm animo,vt facta testantur. Audet tamen hypocrisim abscondere postulatione intercessionis pro se,dum sint sacrificia domino exhibituri. *Et ait Moyses,Egressus à te orabo dominum,& recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius cras. Veruntamen noli vltra fallere, vt*
*non*

Locut.43. *non dimittas populum sacrificare domino.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. G
Quod ait,& exibit cynomya à Pharaone & à seruis eius, quasi alteri diceret, & exeam à te,& de altero Pharaone subsequeretur à quo esset exitura cynomya, locutio est. AVCTOR CATENAE. Veruntamen noli vltra fallere. Id quod Hebraicè dicitur רַק אַל יַקְהַ פַּרְעֹה הַתֵּל Rak al ioseph Parho hathel, Veruntamen ne addat Pharao mentiri,non dimittendo scilicet populum. Hebraismus, pro, Ne tu Pharao amplius fallas. Cùm ergo magnitudo supplicij grauiter Regem affligeret,affirmat tandem Pharao se consensurum abitum in desertum, si modò auferatur plaga. Quid ad hæc Moyses? num quia aliquoties delusus fuit à Pharaone, recusat pro ipso orare? Nequaquam. Etli enim ex multis argumẽtis suspicabatur regem ficta loqui, & mox reuocaturũ sententiã,sicut antea fecerat,nihilominus tamen patitur sibi satisfieri externa confessione Regis, & offert officium suum regi. Primùm quidem pollicetur se oraturum pro salute Regis & Aegyptiorum, id quod etiam statim reipsa præstat. Deinde admonet Regẽ,vt verè ex animo resipiscat. Noli (inquit) vltra fallere, vt non dimittas H
populum sacrificare domino, quasi dicat, Ego quidem tanquam minister dei contentus sum externa tua confessione. Non enim meum est de occultis cordium iudicare,sed vide tu, vt quod verbis affirmas, serio sentias, & opere ipso compleas. Si enim aliud corde celaueris, quàm ore confitearis, me non dominum deum nostrum decipies, qui tanta potentia præditus est,vt etiam si nunc ad tuam confessionem & meam deprecationem auferat supplicium, tamen si non ex animo resipueris, immittere possit vobis longè maiora & grauiora supplicia. Primùm igitur hac Moysi pareneſi admonentur omnes peccatores,vt si non velint subinde grauioribus suppliciis obiici, verè & ex animo resipiscãt.Et si enim effugiunt externum supplicium vel publicum,vel priuatum,& imponũt ministris ecclesiæ ficta sua confessione, non tamen imponent deo,nec effugient iudicium dei. Deinde hoc Moysi exemplo admonentur etiam ministri Ecclesiæ,vt peccatores affirmantes se pœnitentiam acturos, non temerè à sacramẽto arceant, etiamsi optimè sciant ipsos sæpenumero in peccata relapsos,& ex multis con- I
iecturis suspicari queant,non perseueraturos in proposito pœnitentiæ. Etsi enim ministro molestissimũ est, sacramenta porrigere huic qui sæpenumero fictam pœnitentiã professus est,minister tamen non est sapientior domino deo suo,qui nec ludam apparentẽ adhuc coram Apostolis iustum, & excusantem sese vnà cum aliis Apostolis de proditione,à sacramento corporis sui reiecit:nec melior est deo patre nostro cœlesti, qui finit solem suũ oriri super bonos & malos. Sed cur postquã egressus foret à Pharaone Moyses, dominum spondet pro eo se deprecaturũ, nisi quia præsentibus Idololatris noluit preces fundere? *Egressúsque Moyses à Pharaone, orauit dominum.*
Cap.14. *qui fecit iuxta verbum illius,& abstulit muscas à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius. Non superfuit ne vna quidem.* AMBROSIVS LIBRO TERTIO OFFICIORVM. Rogatus Moyses, vt his quoque finem exitiis daret,orauit & impetrauit.In illo prædicandum,quòd à fraudis consortio temperauerit,in hoc mirabile, quoniam diuinitùs intenta supplicia, virtute propria etiam ab hoste detorserit.Verè nimium,sicut scriptum est,mansuetus & mitis, sciebat quòd fidem rex non seruaret promissi,tamen honestum putabat vt rogatus oraret,læsus benediceret, appetitus remitteret. CAIETANVS. Non per viam occisionis, sed per viam ablationis cessa- K
uit mixtura, sic vt nec vnum quidem animal illius mixturæ remanserit ibidem,& hoc ad contestationem miraculi. AVCTOR CATENAE. Qui fecit iuxta verbum illius,id est, exaudiuit dominus deprecationẽ Moysi.Hebraismus.Orandum itaq; est etiam pro impiis si petant,sperandum est enim quandiu pro se orare deũ petierint. Exaudit autem in speciem dominus quandoque vota impiorum ad tempus,sed gratiam respiscentiæ non largitur,quia non petitur,nolunt enim conuerti ad meliora. Temporalia nonnunquam concedit,quæ sola cupiunt & postulant,orãtes magis per alios quàm seipsos, qui gratiam dignè orandi non accipiunt nec desiderant.Interim illis non gaudendum si potiantur cupitis,dum quæ postulantur vicissim non prestant,neque mãdata custodiunt. *Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt ne hac quidem vice dimitteret populum.* AVGVSTINVS IN
Quæst. 29. QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Certè nũc non dictũ est,Ingrauatũ est cor Pharaonis, sed ingrauauit Pharao cor suũ,sic vtique in omnibus plagis.In voluntate quippe hominis est origo vitiorũ,mouentur autem causis corda hominũ,alia sic,alia verò sic,etiam non diuersis causis, sæpe diuerso modo secundum proprias qualitates,quæ ex voluntatibus veniunt. AVCTOR CATENAE. Et ingrauatum est, & cætera.Sententia integrè retenta,Interpres aliquantulum verba variauit.Sic autem sunt hîc hebraica וַיַּכְבֵּד פַּרְעֹה אֶת לִבּוֹ L
גַּם בַּפַּעַם הַזֹּאת וְלֹא שִׁלַּח אֶת הָעָם Vaiachbed Parho eth libbo gam bapáam hazoth, velo sillach, eth haham; Et aggrauauit, seu indurauit Pharao cor suum etiã vice hac,& nõ dimisit populũ,id est,in infidelitate permãsit.Sic habet & Chaldaica.Septuaginta pro hac vice, habent, καὶ ἐπὶ τοῦ καιροῦ τούτου, Et in tempore hoc. Sed idem est. Exauditur itaque Pharao pro reuerentia Moysi à domino,& supplicium immissum ex toto reuocatur,quo fit vt ingratitudine sua duplo sit suo tempore puniendus,& tanto grauiori iudicio obdurandus.

*Mysticè.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod dicit Moyses, Abomi-
*Quæst.28.* nationes Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro,intelligendum est mysticè significari,quod etiam de pastoribus diximus,qui erant Aegyptiis abominabiles,& ideo separatam terrã Israëlitę acceperunt, cũ venerũt in Aegyptum.Sic enim & sacrificia Israëlitarum abominationes sunt Aegyptiis,sicut iniquis vita iustorũ. AM- M
*Epist.4. ad Irenæum.* BROSIVS EPISTOLARVM LIBRO PRIMO. Moueri te significasti mihi,eo quòd legeris,Abominanda apud Aegyptios immolemus deo.Sed habuisti quo istud solueres, quia in Genesi scriptum est, q Aegyptij pastorem pecorum abominabantur.Non vtique propter hominem,sed propter pecora.Illi enim aratro terrã inuertebant.Abraham autem & Iacob,& postea Moyses & Dauid pastores fuerunt,regalem quandã in hoc munere disciplinam induentes.Oderant ergo Aegyptij immolata sacrificia, id est, perfecta studia virtutum & plena disciplinæ.Quod ergo vitiosi oderunt,hoc apud bonos syncerum ac pium est.Opus virtutis detestatur luxuriosus helluo,refugit Aegyptius ita corpus quod illecebras diligit,auersatur animæ virtutes,abominatur imperium,refugit virtutum disciplinas, & omnia opera quæ huiusmodi sunt. Quæ ergo Aegyptius refugit, Aegyptius ille & non homo,hæc tu amplectere,qui habes humanitatis scientiam.Illa autem declina,quę illi sequuntur atque eligunt,quoniam duo sibi ista congruere non possunt,prudentia & insipientia. Itaque sicut iis quæ in quodam



A quodam sensu imprudentiæ atque intemperantiæ sunt,abdicat se prudentia,abdicat continentia,ita eorũ omnis exors insipiens est atque incontinens,quæ in bonis atque in hæreditate sapientis viri sunt & continentis.
GREGORIVS VNDECIMO MORALIVM. Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tege- *Cap.27.*
re,sensum verbis velare,quæ falsa sunt vera ostendere,quæ vera sunt,falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris precio discitur:hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt. Hanc qui nesciunt, subiecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis nomine palliatis, diligitur, dum mentis peruersitas, vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere,irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere,cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contrà sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sen-
B sum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum putatur,& quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid nanque stultius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniuriis contumelias reddere,pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti maxillam, alteram præbere? Vnde bene huius mundi dilectoribus ille egregius dei sapiens dicit, Abominationes Aegyptiorum immolabimus domino deo nostro? Oues quippe Aegyptij edere dedignantur, sed quod abominantur Aegyptij, hoc Israëlitæ deo offerunt, quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti quique velut infimam abiectámque despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, & excolentes recti puritatem ac mansuetudinem, deo immolant, quam abominantes reprobi
C fatuitatem putant. BERNARDVS IN SERMONE DE VERBIS EVANGELII, DIXIT SIMON PETRVS. Oportet itaque nos fratres domare carnem, calcare mundum, vt voluptatem corporis declinantes, caueamus nihilominus seculi vanitatem. Hæ nimirum abominationes Aegyptiorum quas immolamus domino deo nostro. Et totum quod à via vitæ & disciplinæ deterret filios huius seculi, totum quod exercet interim seruos dei, in his duobus est, quæ sub vno versu propheta commendat, Vide inquiens, humilitatem meam, & laborem meum. RVPERTVS. Sed & iuxta anagogen, non auditur Pharao, dicens: Ite, sacrificate domino deo vestro, Sed tantùm in ista terra, cùm dicit apostolica ve- *Psalm. 24.*
ri sacrificij tuba, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis *2.Cor.6.*
autem consensus templo dei cum idolis?

D

## IN NONVM EXODI CAPVT, ARGVMENTVM.

*Aegyptus percutitur peste pecorum, vlceroſis veſicis, tonitru, grandine, & fulgure horribili. Peccatum ſuum agnoſcit Pharao, & annuit liberationi populi. Moyſes pro eo orat, liberatus ille induratur, & renuit.*

## CAPVT IX.

E *Dixit autem dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc* *Lectio.1.*
*dicit dominus deus Hebræorum, Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Quòd si adhuc renuis, & retines eos, ecce manus mea erit super agros tuos, super equos & asinos, & camelos, & oues, & boues, Pestis ualde grauis. Et faciet dominus mirabile inter possessiones Israël & possessiones Aegyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israël. Constituítque dominus tempus,dicens, Cras faciet dominus uerbum istud in terra. Fecit ergo dominus uerbum hoc altera die, mortuáque sunt omnia animantia Aegyptiorum. De animalibus uerò filiorum Israël nihil omnino periit. Et misit Pharao ad uidendum, nec erat quicquam mortuum de his quæ possidebat Israël. Ingrauatúmque*
F *est cor Pharaonis,& non dimisit populum.*

AVCTOR CATENAE. Pharao sæpe quidem hactenus promisit se dimissurum Israëlem,sed idem *Lectio.1.*
etiam sæpe nunc fefellit. Quid igitur Moyses? Alius quispiam concitasset fortasis populum suum ad trucidandum regem toties perfidum, aut publicis saltem maledictis tam varium & mutabilem regem proscidisset. Moyses autem vir longè omnium piissimus, etsi sæpenumero delusus est à Pharaone, non tamen mouet seditionem populi sui aduersus regem, non proscindit ipsum conuiciis, nec immittit ei supplicia suo arbitrio, sed relinquit vltionem domino deo suo, & expectat vocationem dei. Memorabile exemplum, quòd docemur,quid nobis agendum sit erga eos qui fidem nobis datam violant, & promissa non seruant.Vulgaris enim hominum morbus est, quòd fidem violantibus, etiam ipsi fidem violent, ac existiment sibi licere aduersus peccantes peccare. Sed deus vocat nos non ad exempla peccantium,vt peccata ipsorum imitemur,sed

ad verbum

ad verbum ſuum, & iubet bona pro malis rependere, ac ſolam dei vocationem expectare & ſectari. Sed iam ad G
quintam plagam qua dominus percuſsit Aegyptum accedamus. *Dixit autem dominus ad Moyſen, Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit dominus deus Hebræorum, Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi.* Vel vt ſeruiat
mihi, id eſt, colat me. Nulla tam difficilis prouincia prophetæ iniungi poteſt, quam non obeat domino mandante, & fraterna charitate ſuadente. Ad regem ſeueriſsimum ingredi iuſſus, non recuſat, ſed obſequitur
vir fideliſsimus, tam dei ſui ſeruus, quàm fratrum amator. Voluit dominus eruere ſuum populum, quod nondum prætexit, nec labores conqueritur, ne exulceret magis per ſe furioſum, ſed ſuam deus cauſam allegat, coli ſe mandat, & ad hoc euocat fideles, quorum non patitur oppreſsionem, ſed vt ſeipſum oppreſſum vlciſci parat: quod enim minimo ex ſeruis dei malum imponitur, hoc ſibi refert acceptum. Licet autem ſit deus & dominus omnium, deum tamen hîc Hebræorum ſe nuncupare dignatur benignus dominus,
& propter populi veram fidem ac ſpecialem cultum, & vt quantum populum illum diligeret, videret rex H
Aegypti. *Quòd ſi adhuc renuis, & retines eos, ecce manus mea erit ſuper agros tuos, ſuper equos & aſinos, & camelos, & oues, & boues, Peſtis valde grauis.* EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Manus dei patris, eius filius accipitur, pro eo quòd per ipſum facta ſunt omnia, ſicut eſt illud in Eſaia, Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt omnia. Aliter verò manus dei eius poteſtas intelligitur, de qua poteſtate in Hieremiæ libro prophetæ, Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſraël. Item manus domini flagellum accipitur, de cuius percuſsione in Sophonia propheta ſcriptum eſt, Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper habitantes Iſraël, & diſperdam de loco hoc reliquias Balaam, & cætera. Pro qua domini percuſsione beatus Iob de ſemetipſo ait, Manus domini tetigit me. Sic & hoc in loco manus domini, eius flagellum accipitur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Ecce manus domini eſt in pecore tuo quod in campo, in equis, in aſinis, in camelis, in bobus, & in ouibus, peſtis grauis valde. Primùm enim more ſuo Moyſes vniuerſum comprehendit animal in genere, deinde per partes diſtinI
guit. Vbi aduerte, quòd in ſola animalia campeſtria ſæuitura peſtis dicitur. Quinta autem deſcribitur plaga, videlicet mors animantium terreſtrium, quadrupedum, gregalium, ad humanos vſus. AVCTOR CATENAE. Ecce manus mea ſuper agros. Ita accipiendum prout eſt in Hebræo, videlicet בְּמִקְנְךָ אֲשֶׁר בַּשָּׂדֶה Bemiknecha aſer baſade, In pecoribus tuis quæ ſunt in agro, Ita eſt in Chaldaica. Vel ſuper gregem tuum qui eſt in campo. Sic & Septuaginta, ἐν τοῖς κτήνεσί σου τοῖς ἐν τοῖς πεδίοις, In iumentis tuis quæ in campis. Et eſt ſenſus, percutiam pecora & alia animalia peſte grauiſsima. Eſt enim appoſitio, manus mea, peſtis grauis. Hebraiſmus. Nec dicit manus tua, vel Aaron, ſed manus mea, quia plaga iſta ſicut & præcedens, à deo immediatè ſine cuiuſquam miniſterio inflicta eſt. In tribus autem primis, extendiſſe manum legitur Aaron. Minæ igitur quantumlibet graues reprobos non conuertunt, nec reuocant ad meliorem mentem. Manus domini vltio eſt digna rependentis, & flagellantis incredulos, non ſolùm in propriis corporibus, ſed & in pecoribus & iumentis, ſine quibus vita hominum commodè tranſigi non poteſt. Peſtis K
autem grauis comminatur perditio & mortalitas, id eſt, peſtilẽtia, quam tam anxiè homines expaueſcunt, vt vix
nominare in aliquo idiomate audeant: vnde & Hebreis à re & ente nominatur, ac verbo, hoc eſt, דֶּבֶר Déber. *Et faciet dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael & poſſeſſiones Aegyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Iſrael.* Et faciet dominus mirabile, & cætera. Hebraica ſic leguntur וְהִפְלָה יְהוָה בֵּין מִקְנֵה יִשְׂרָאֵל וּבֵין מִקְנֵה מִצְרָיִם Vehiphla iehoua ben mikne Iſraël vben mikne miżraim. Quod & ſicut vertit Interpres reddi poteſt, cùm & Phala verbum mirabile facere, & dictio mikne, poſſeſsionem ſignificet. Verùm quia Phala quandoque eſt diuidere, & mikne pecora, verterunt alij, & diſtinctionem faciet, ſeu diuidet dominus inter pecora Iſraël & inter pecora Aegyptiorum. Sic etiam habet Chaldaica. Septuaginta partim primam, partim ſecundam ſequuntur verſionem, ita enim legunt, καὶ παραδοξάσω ἐγὼ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναμέσον τῶν κτηνῶν τῶν αἰγυπτίων, καὶ ἀνάμεσον τῶν κτηνῶν ἡμῶν ἰσραήλ, Et mirabilia faciam ego in die illa inter iumenta Aegyptiorum, & inter iumenta filiorum Iſraël. Vide autem quàm mirabile, quòd in eiſdem etiam campis (vt nonnulli aſſerunt) animalia Aegyptiorum mortua ſunt, Filiorum autem Iſraël præſeruata. Licet L
enim Aegyptij abſtinerent ab eſu animalium, nutriebant tamen ea propter ſeruitia & lanam. Nihil igitur omnino earum rerum periturum promittitur quæ ad filios Iſraël pertinebant. Parcitur enim fidelibus, vt & in fide proficiant, & ingrati duriùs puniantur. Verbum דָּבָר Dabar, accipitur pro quacunque re etiam minutula, quaſi dicatur, vt ne tantillum quidem, vel minimum quippiam apud fideles ſit periturum. *Conſtituitque dominus tempus, dicens, Cras faciet dominus verbum iſtud in terra*, Id eſt, rem hanc in hac regione. Hebraiſmus. Spacium pœnitentiæ & reſipiſcentiæ, dei clementia prorogat in craſtinum, pronior certè, ad miſerandum quàm puniendum, quam contemnentes, digniùs caſtigari cernuntur. Toties iam admoniti rex & aulici, iandudum iudicium dei extimeſcere debuiſſent. *Fecit ergo dominus verbum hoc altera die, mortuáque ſunt omnia animantia Aegyptiorum. De animalibus verò filiorum Iſrael nihil omnino periit.* INTERLINEARIS. Vt cul-
tores animalium confunderentur, Et qui deum colunt non animalia, lætarentur, inflixit dominus in ani- M
malia hanc plagam. AVCTOR CATENAE. Fecit ergo dominus verbum hoc altera die, hoc eſt, rem hanc poſtero die. In Hebræo eſt מִמָּחֳרָת Mimachorath, A craſtino, quod illis eſt in craſtinum, & Græcis, τῇ ἐπαύριον, Craſtina. Vbi autem apud nos dicitur, Animantia & de animantibus, Hebraicè ſcriptum eſt מִקְנָה Mikne, quòd alij pecora verterunt, ſed eſt idem cum litera noſtra. Denique quod dicitur, Nihil omnino periit, idem eſt quod Hebraicè legitur: לֹא מֵת אֶחָד Lo meth echad, Nec vnum mortuum eſt, Ita etiam habet Chaldaica. Septuaginta, οὐκ ἐτελεύτησεν οὐδὲν, Non mortuum eſt quicquam. Intellige autem omnia animalia mortua quæ erant in agris, non autem quæ domi, vel animalia multa, quæ omnia erant Aegyptiorum. Alias nullum relinqueretur animal ſequentibus plagis afficiendum, & aduerſaretur dicendis infra in ſeptima plaga, vbi commemorantur animantia in agro, & in decima, vbi primogenita



A mogenita animalium referuntur occidenda. Plagam autem inflixit ipſe dominus vt promiſit: nam fideIis in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. In quo etiam diſtinctionem oſtendit inter obedientes ſibi & contemptores, dum pij ſalui ſunt cum ſuis, impiorum autem facultas perit, non tota quidem, ſed magna ex parte. Teſtatur quoque dominus, quòd is ſit verus deus, quem maiores Iſraëlitarum coluerunt, & cuius verbum Moyſes Iſraëlitis prædicat. Conſecratur autem hoc loco, ſicuti ſupplicia quæ ſupra commemorata ſunt, peſtis iumentorum in publicum ſupplicium publicorum ſcelerum, quæ in vrbibus & regionibus deſignari ſolent. Et confirmatur poſtea verbis legis. In Deuteronomio enim dicitur, Si non audieris vocem domini dei tui, maledicta erunt armenta boum tuorum & greges ouium
tuarum. Eſt & hoc ſupplicium in noſtris regionibus, ac noſtris etiam temporibus vulgare. *Et miſit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſrael.* Sic legitur in Hebræo hæc litera, prout ſcilicet eſt in Chaldaica, Miſitque Pharao (ſubaudi nuncios) & ecce de animalibus filiorum Iſraël nec vnum
B quidem mortuum erat. Sed idem eſt prorſus cum litera noſtra. Hoc autem omittitur à Septuaginta, non quidem eorum vitio, ſed temporum. Quod vel ex eo fit manifeſtum. Nam ſubditur in Græcis codicibus, ἰδὼν δὲ φαραὼ, ὅτι οὐκ ἐτελεύτησεν ἀπὸ πάντων κτηνῶν τῶν ὑῶν ἰσραὴλ οὐδὲν, Videns (inquit) Pharao quòd non mortuum eſt à iumentis filiorum Iſraël quicquam. Deſinant igitur Hebræi & Hæretici Latinam hanc noſtram vituperare editionem, qua certè nulla melior & elegantior poteſt inueniri. Illi autem vt ſibi maledicendo gloriolam comparent, & religionem noſtram vtcunque oblaterent & perturbent: hi verò vt à falſis ſuis opinionibus recedere non compellantur, ex qualibet re anſam accipiunt. Sed credant omnes (vt cunctis aduerſariis ilia rumpantur) editionem noſtram inculpatam eſſe. Sed ad inſtitutum noſtrum redeamus. Contraria iuxta ſe poſita clariùs dinoſcuntur. Et amarior eſt felicitas eius quem odimus, viſa, quàm ignorata. Ideo rex edoceri debet de ſuorum plaga, ſalutêque Iſraëlitarum, vt acerbiùs compungatur. Quia verò mirabilius erat quòd ex animalibus Aegyptiorum & Hebræorum in eiſdem campis paſcentibus, quæ
C erant Aegyptiorum, morerentur, & quæ Hebræorum, ſeruarentur, quàm quòd terra Geſſen ab aliqua plaga eſſet immunis, non autem alia terra Aegypti, ideo fortè miſit Pharao ad videndum hoc mirabile, non autem in ſuperioribus plagis. Vel etiam ſuperius potuit miſiſſe, & non tamen ſcriptum fuiſſe, ſicut hîc. Pharao autem nec manifeſtò ſupplicio, nec manifeſtò miraculo, quo diſcrimen factum eſt inter Aegyptios & Iſraëlitas, verum deum agnoſcit, & ad ſanam pœnitentiam inuitatur, ſed econtrà fit deterior, vnde ſubiungitur. *Ingrauatúmque eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quomodo ex contrariis cauſis facta eſt hæc ingrauatio *Quæſt. 30.*
cordis Pharaonis? Si enim & pecora Iſraëlitarum morerentur, tunc videretur cauſa competens qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum deum, tanquam ſi & Magi eius pecora Iſraëlitarum feciſſent mori. Nunc verò vnde debuit ad timendum vel credendum moueri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hîc ingrauatus eſt, id eſt, illa ingrauatio etiam hucuſque progreſſa eſt. BERNARD
D DVS PRIMO DE CONSIDERATIONE. Quæris quid ſit cor durum. Solum eſt cor durum quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas? interroga Pharaonem. Nemo duri cordis, ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi quem fortè miſerans deus, abſtulit ab eo (iuxta Prophetam) cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt cui præteritorum, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla niſi fortè ad vlciſcendum proſpectio ſeu præparatio eſt. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quòd nec deum timet, nec hominem reueretur. AVCTOR CATE-
E NAE. Vides igitur quomodo improbi flagellati non emendentur, piis autem exempli loco ſtatuuntur ad iuſtitiam ſectandam & conſeruandam. Sed quam dicemus nos in Pharaone tanti ſtuporis & indurationis cauſam? num dominum deum noſtrum? Abſit. Deus enim non eſt auctor peccati. Num Magos & Philoſophos Aegyptiorum? Hi quidem nonnihil adiuuerunt ſtuporem regis, attamen ſi ipſi præcipui fuiſſent auctores indurationis, certè impuliſſent antea regem ad pœnitentiam, cùm ingenuè fatebantur, miraculum cyniphium eſſe digitum dei. Relinquitur ergo, ipſum ſolum regem præcipuam fuiſſe cauſam ſuæ indurationis. Ad hanc autem tam ſtupidam & pertinacem indurationem maximè omnium peruenit ex contemptu præcepti dei, quod per Moyſen prædicabatur. Contemptus enim præcepti dei, tantum malum eſt, vt non ſolùm ſecum afferat omnia ſcelerum genera, verùm etiam hominem ita excæcet, vt nec ſuppliciis, nec miraculis conuertatur ad reſipiſcentiam. Vnde apud Eſaiam ad contemptores præcepti dei dicitur, Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures
F eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis ſuis. Et Ioannes de Phariſæis contemnentibus Euangelium Chriſti ait, Cùm Ieſus tam multa ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum. Maxima igitur cura nobis adhibenda eſt, ne contemnamus mandata dei, ne & vnà cum Pharaone & omnibus impiis, tam horribiliter induremur.

ORIGENES. Quod verò quinto in loco animalium nece vel pecudum Aegyptus verberatur, ve- *Myſticè.*
cordia in hoc arguitur, ſtultitiáque mortalium, qui tanquam irrationalia pecora cultum & vocabulum dei diuerſis impoſuerunt figuris, non ſolùm hominum, ſed & pecudum, ligno & lapidibus impreſsis, Hammonem Iouem in Ariete venerantes, & Anubin in cane, Apin quoque colentes in tauro, cætera quoque quæ Agyptus deorum portenta miratur, vt quibus cultum credant ineſſe diuinum, in his viderent miſeranda ſupplicia.

ORDINARIA. Quintum præceptum est, Nō mœchaberis: Quinta plaga, mors in pecoribus. Cōparemus G hæc. Da hominem mœchari volentem, coniugio non contentum. Appetitum carnis deuitare non vult, nobis pecoribúsque communem, coire enim & generare, etiam pecudum est: Ratiocinari & intelligere, hominum est. Ratio ergo quæ præsidet, motus inferiores tanquam regina frenare debet, non immoderatè laxare. Ideo pecoribus in natura datum est, vt certis temporibus tantùm ad coitum moueantur, interim nanque motus ipse torpescit: Homo autem semper moueri potest, quia refrenare motum potest: Tibi dominationem rationis creator dedit, tibi præcepta continentiæ tanquam in bestias inferiores lora concessit. Tenes quod pecus non potest, & speras quod non potest. Laboras in continendo, non pecus. Gaudebis in æternitate, non pecus. Si opus fatigat, merces consolatur. Debes interiorem motum frenare, non tanquam pecus in omnia relaxare. Quòd si contempseris, & imaginem dei quæ in te est, posthabueris, victus cupiditate tanquam dimisso homine, pecus eris, contra illud: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Sed forte eliges libera libidine vagari, nulla lege refrenari. Attende plagam, si pecus es, saltem mori time. PROSPER. Aliter. Quinta plaga Aegyptiorum est, omnium pecorum iumentorúmque repentinus interitus. Et quintum mandatum legis est, Non occides. Non igitur qui gladio tantùm, verùm etiam qui odiosè viuunt, homicidæ sunt. Dicit enim Ioannes Apostolus, Qui odit fratrem suum, homicida est. Tales velut Aegyptia animalia repentino impetu corruunt, Quia omnis homicida non habet in se vitam manentem. RVPERTVS. Hæc igitur peccatorum plaga mandati huiusmodi flagellum illis pronuntiat, Nam & illic dicitur, non occides, & hîc occisoribus infantum filiorum Israël, quos in fluuium proiecerunt, mors in aquis eorum consecutura, eos approximat. Primùm in animalia vindicta grassatur, non repentè irruens, sed paulatim ad ipsos vsque progrediens, ac pedetentim corripiens peccatores, vt inexcusabiles sint. Nam de tali retardatione dei vindictæ Apostolus dicit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Cùm ergo hæc dicit, subaudiendum est, quemadmodum Pharao sibi thesaurizauit, cuius exemplum ex auctoritate præsentis scripturæ cauendum est omni homini, cui qualitercunque peccanti vindicta quasi tardè occurrit, ne cùm venerit, tantò copiosior, quantò tardior obueniat duro atque impœnitenti, quemadmodum & huic, cui magis ac magis induranti cor suum, tandem æternæ iræ totus thesaurus quem congregauit, in mari rubro incubuit.

*Psal.31. 1.part.2. Cap.36. Exod.9. 1.Ioan.3.* *Rom.2.*

2 ET *dixit dominus ad Moysen & Aaron, Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone, sítque puluis super omnem terram Aegypti. Erunt enim in hominibus & iumentis ulcera, & uesicæ turgentes in uniuersa terra Aegypti. Tulerúntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum. Factáque sunt ulcera uesicarum* K *turgentium in hominibus & iumentis, nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti. Indurauitque dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut locutus est dominus ad Moysen.*

2 CAIETANVS. Hîc sexta incipit plaga vlcerum cum inflatione, communis hominibus & iumentis. *Et dixit* (inquit) *dominus ad Moysen, Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone, sítque puluis super omnem terram Aegypti.* PHILO IVDAEVS. Cùm deus tot signis ac prodigiis voluntatem suam declarasset, quæ longè omnibus oraculis manifestiora sunt, grauioribus tamen pœnis & plagarum copia indigebant, propterea quòd insipientes plagis magis quàm verbis castigari solent. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera. Sumite vo- L bis plenas manus fauillæ de fornace, & aspergat Moyses in cœlum coram Pharaone, & coram seruis eius, & fiat puluis in tota terra Aegypti. Signa superiora virga fiebant, quam non Moyses, sed Aaron, vel extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat, nunc verò interpositis duobus signis de cynomya & pecorum mortibus, vbi nec Aaron nec Moyses aliquid operati sunt manu, dicitur vt Moyses fauillam spargat in cœlum de fornace, & hanc ambo sumere iubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cœlum, tanquam Aaron qui datus erat ad populum, terram percutere deberet, Moyses verò de quo dictum est, Erítque tibi in iis quæ ad deum, in cœlum iubetur fauillam spargere. Quid duo illa superiora signa, vbi nec Moyses, nec Aaron manu aliquid operantur? Quid sibi vult ista diuersitas? Neque enim nihil. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Tollite vobis plenos pugillos vestros sufflationis fornacis. Nulla camini fit mentio, nec exprimitur cinis aut fuligo, sed materia illa significatur, quam vis flammæ fornacis eleuat, quasi sufflans, quæ materia cadit extra fornacem, cùm non amplius attingitur ab impetu eleuantis flammæ. Et vi- M detur materia non tam grauis vt cinis, nec tam leuis vt ascendens fumus, sed media. Et idem intellige quotiens inferius in hac plaga repetitur cinis camini. Et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. Ambo incipiunt hoc miraculum, dum vterque iubetur implere pugillum illius materiæ, solus autem Moyses spargendo perficit actionem. Et hoc est, primum signum, in quo Moyses per seipsum immediatè cooperatus est. Sítque puluis super omnem terram Aegypti, & sint in hominibus & iumentis vlcera & vesicæ turgentes in tota terra Aegypti. Duo effectus sequuturi prædicuntur, alter puluerís, non in aliqua parte, sed in tota terra Aegypti: alter vlcerum inflatorum tam in hominibus quàm in iumentis. AVCTOR CATENAE. Tollite plenas manus, &c. Parum est quòd Hebraicè legitur קְחוּ לָכֶם מְלֹא חָפְנֵיכֶם פִּיחַ כִּבְשָׁן Kechu lachem melo chaphnechem píach chibsan, Tollite, seu accipite vobis plenas volas, seu



A seu manus, vel pugillos vestros fauillæ fornacis. Ita & Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Intelligit autem albam illam fauillam nondum planè versam in cinerem, qua semimortui carbones teguntur. Et erit (inquit) puluis. Idem dicitur in Hebræo וְהָיָה לְאַבָּק Vehaia leabak, Erítque in puluerem, sic & Chaldaica, quæ etiam addit tenuissimum, Vel, Et vertetur in puluerem. Septuaginta, καὶ γενηθήτω κονιορτός, Et fiat puluis. Sequitur, Erunt, & cętera, vlcera & vesicæ turgentes. Hoc etiam non discrepat ab Hebræo, לְשַׁחִין פֹּרֵחַ אַבַעְבֻעֹת Lischin poréach abahebbuhoth, In vlcera germinantia vesicas, Vel in scabiem producentem pustulas, aut vesicas turgentes. Sechin enim, & scabiem & vlcus significat. Huic versioni consonat & Chaldaica, habens, Et erit in hominibus & in pecoribus scabies germinans vesicas. Septuaginta, ἕλκη φλυκτίδες ἀναζέουσαι, vlcera vesicæ feruentes. Alij, In vlcus germinans, vel producens inflationes. Alij, Apostema generans vlcera, verterunt. Sed omnium sensus vnus est. Hæc igitur fauilla vel cinis in aërem sparsa, nutu dei vniuersam B superficiem Aegypti in modum puluerís obtexit, & inde sequuta est tam in hominibus, quàm in iumentis & pecoribus pestis quædam tumens & ardens, atque in tetrum crescens virus. Et si dixeris, tamen priùs occisa fuerunt vniuersa pecora Aegypti, quomodo igitur hîc narrantur vlceribus percussa? Respondetur, suprà scribuntur ea pecora interiisse, quæ in campo reperta sunt. Sexta itaque plaga Aegyptiorum describitur, vlcerum scilicet & bullarum aut inflationum, ex feruore & incensione sanguinis & humorum nomen habentium apud Hebræos: cùm calor agit in humorem, quem expellendo velut in arbore gemmas producit, non sine magno dolore, propter actionem caloris in frigidum & humidum: quæ enim feruore carent vlcera, minus dolent. Fuliginem autem proiicit Moyses spectante Pharaone, ne arte aliqua aut incantatione factum suspicari possit, si clam fecisset. Potuisset etiam deus absque fuliginis sparsione immittere has pestes, sed variis modis potentiam ostendit suam & virtutem: nonnunquam solo verbo, aliquando instrumento aliquo & re corporali, vt dum aquam fundi iubet super terram, dum virgam vertit in co- C lubrum, dum hîc fuliginem spargit, vt in omnibus eius potentiam agnoscamus. Quanquam enim omnia seipso perficere possit deus, accommodat se tamen plerunque nostris infirmitatibus exteriora adhibens, nostra causa quibus caro nitatur. *Tulerúntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum. Factáque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis, nec poterant malefici stare coram Moyse propter vulnera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti.* GREGORIVS NYSSENVS. Non decet historiæ literam ita sequi, vt deum putemus cruciatus causam, sed vnumquenque sua electione sibi dolores præparasse ac fecisse credere debemus, vt etiam Apostolus ad huiusmodi hominem dicit, quòd secundum duritiam tuam, quia cor tuum non pœnitet, iram tibi in die iræ ac reuelationis & iusti iudicij dei congregas, qui vnicuique tribuit iuxta suorum operum merita. Nam quemadmodum si praui ac pernitiosi humores in præcordiis ac intestinis lateant, non accusatur medicus quòd eos ipse fecerit, si arte ipsos in cutem vt appareant traxerit, sed effecit quidem illos inordinata diæta, traxit autem in manifestius non imperitus D medicus, sic cùm dolores ac cruciatus hominibus à deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipsis initia & causas earum vexationum fuisse. Qui enim bene vixit, huic non tenebræ, non vermes, non gehenna, non ignis, non aliud vllum, & nomine & re terribile imminet, sicut ipsa quoque testatur historia. Nam cum in eodem simul Hebræi cum Aegyptiis essent loco, cruciabantur Aegyptij, Hebræis nihil sentientibus. Quare manifestum est nihil harum pœnarum absque nostra electione ac voluntate posse consistere. RVPERTVS. Nec poterant, inquit, Malefici stare coram Moyse, &c. Ecce tertiò victi sunt, vnde & deinceps nulla fit mentio maleficorum, periit enim memoria eorum. Primò virgis suis non sine confusione exarmati sunt, quia virga Aaron deuorauit virgas eorum. Secundo confusi, quia non potuerunt cyniphes educere, dixerunt, digitus dei hic est. Hîc iam tertiò sic superati sunt, vt non possent respirare spe vllius victoriæ. Vlceroſi quippe & ipsi, nec iam poterant stare coram Moyse. De simili confusione certi sunt, quicũque resistunt veritati, insipientia enim eorũ (inquit Apostolus) manifesta erit omnibus, sicut & illorum *2.Tim.3.* E fuit. CAIETANVS. Et hinc apparet perseuerantia Magorum aduersus Moysen, & quod forte non credebant ipsum summum deum qui est fons essendi facere hæc mirabilia, sed aliquos dæmones. AVCTOR CATENAE. Tulerúntque cinerem de camino, vel fauillam de fornace. Factáque sunt vlcera vesicarum turgentium. Rectè vertit Interpres, sunt enim dictiones eædem quæ suprà. Alij verò quod Hebraicè legitur וַיְהִי שְׁחִין אַבַעְבֻעֹת פֹּרֵחַ Vaihi sechin abahebbuhoth poréach, Exoríque est scabies producens pustulas, verterunt. Alij, Et facta sunt apostemata germinantia vlcera. Quidam, Et facta sunt vlcera, inflationes producentia. Nonnulli denique, Et fuit vlcus inflationum germinans. Chaldaica, Et fuit scabies & vesicæ multæ. Septuaginta, καὶ ἐγένετο ἕλκη φλυκτίδες ἀναζέουσαι, Et facta sunt vlcera vesicæ feruentes. Aiunt siquidem in hac plaga primò fuisse in hominibus & iumentis vesicas turgentes, id est, calefactionem quandam pungentem continentes, quæ postquam ruptæ sunt, facta sunt vlcera. Sic & quod sequitur, Propter vlcera quæ in illis erant, quia est eadem dictio sichin, aliqui propter scabiem, vt Chaldaica: alij F propter apostemata, Septuaginta vt apud nos est, reddiderunt. Quod verò in nostra editione legitur, Et in omni terra Aegypti, & locutio est, qua continens ponitur pro contento, vt perinde sit ac si diceret, in omnibus hominibus ac iumentis in terra Aegypti consistentibus, Hebraicè secundum aliquos nulla est locutio, sed tantùm, וּבְכָל מִצְרַיִם Vbcol mizráim, Et in omnibus Aegyptiis. Sic habet & Chaldaica. Posset tamen etiam reddi, Et in omni Aegypto, & non discreparet à nostra editione, cui consentiunt etiam Septuaginta. Sic igitur in rebus minutissimis & contemptissimis regum superbam potentiam deus disturbat ac deiicit, vt videant tyranni quàm nihil sit eorum fastus, & quòd non magno exercitu egeat vt eos debellet, qui possit hoc ranis, muscis & cyniphibus efficere. Nec poterant (inquit) malefici stare coram Moyse, &c. Iam nunc etiam aruspices & sortilegi incipiunt plagis affici pustularum, vt consistere non possint coram suo rege. Sic pustulis propediē sese affligendos timeant, qui regibus assistentes, consilio suo pios persequuntur ac perdunt. Est itaque & hoc supplicium consecratum hoc loco, in publicum publicorum scelerum supplicium. Et confirmat illud Moyses

in Deuteronomio vigesimo octauo capitulo. Percutiat te dominus vlcere Aegypti, & partem corporis per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine, ita vt curari nequeas. *Induratúque dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut locutus est dominus ad Moysen.* ORIGENES. In prima nihilominus plaga vbi aqua in sanguinem vertitur, scriptum est quia induratum est cor Pharaonis. Similiter & in secunda cùm ranæ debulliunt, sed & in tertia cùm cyniphes ingruunt. In quarta quoque cùm cynomya educitur, & in quinta vbi manus domini sit super pecora Aegyptiorum, paria super hoc dicuntur & similia. In hac sexta verò vbi sumpsit fauillam de fornace Moyses, & respersit, & facta sunt vlcera & vesicæ feruentes in hominibus, & in quadrupedibus, & iam non poterant stare malefici in conspectu Moysi, non dicitur quia induratum est cor Pharaonis, sed terribilius aliquid dicitur, scriptum est enim, quia indurauit dominus cor Pharaonis, & non audiuit illos, quemadmodum constituit dominus. Rursum in septima cùm grando & ignis Aegyptum vastat vniuersam, induratur quidem cor Pharaonis, sed non à domino: in octaua vbi locusta producitur, dominus dicitur indurare cor Pharaonis. Sed & in nona cùm tenebræ palpabiles fiunt per totam terram Aegypti, Pharaonis cor dominus scribitur indurare. Ad vltimum quoque cùm extinctis primogenitis Aegyptiorum, Hebræus populus discessisset, post multa dicitur, Et indurauit dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & seruorum eius, & insequutus est post filios Israël. Sed & cùm Moyses de terra Madian ad Aegyptum mittitur, & præcipitur ei facere omnia prodigia, quæ dedit dominus in manu eius, additur, Facies (inquit) ea in conspectu Pharaonis. Ego autem indùro cor Pharaonis, & non dimittet populum meum. Sed & vbi enumerati sunt principes Israël, post pauca addit ex persona domini, Ego (inquit) induro cor Pharaonis, & multiplico signa mea. Quòd si credimus diuinas esse has literas, & per spiritum sanctum scriptas, non puto quòd tam indignè de diuino spiritu sentiamus, vt fortuitu in tanto hoc opere facta sit ista varietas, vt nunc quidem dominus dicatur induràsse cor Pharaonis, nunc autem non à domino, sed quasi sponte induratum dicatur. Equidem confiteor me minus idoneum, & minus capacem, qui valeam in huiusmodi varietatibus diuinæ sapientiæ secreta rimari. Paulum tamen Apostolum video, qui propter inhabitantem in se spiritum dei dicere confidenter audebat, Nobis autem reuelauit dominus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta dei. Hunc (inquam) video tanquam intelligentem quid differat induratum esse cor Pharaonis, & indurasse cor Pharaonis dominum dicere. Alibi quidem dicit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quia patientia dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiem autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. Per quod eum sine dubio, qui sponte induratus est, culpat. Alibi verò velut quæstionem super hoc quandam proponens, dicit, Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi, Quid igitur adhuc conqueritur? Voluntati enim eius quis resistit? Addit etiam his, ô homo tu quis es qui contrà respondeas deo? Per quod de eo qui à domino dicitur induratus, non tam quæstionis absolutione, quàm apostolica auctoritate respondit, credo non iudicans dignum pro incapacitate auditorum, chartis & atramento huiusmodi absolutionum secreta committere. Sicut & in alio loco de quibusdam verbis ipse dicit, audisse se quædam, quæ non licet hominibus loqui. Vnde & in consequentibus eum qui non tam studiorum merito quàm sciendi cupiditate secretioribus se quæstionibus curiosus immergit, magnifici doctoris seueritate deterret, cum dicit, O homo tu quis es qui contrà respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? &c. Vnde & nobis hæc obseruasse tantùm & inspexisse sufficiat, atque ostendisse auditoribus quanta sint in lege diuina profundis demersa mysteriis, pro quibus dicere in oratione debeamus, De profundis clamaui ad te domine. GRAECVS. Deus nemini malorum auctor est. Idcóque quòd Pharaonem induràsse dicitur, ita intelligendum est: Ecce dimisi illum facere quod constituerat, hoc est, ludæos affligere, & aduersus illos animum indurare, neque enim deus Pharaonem antequam peccaret occidere debuit, id enim facere deus non solet, vt ne hominis liberam voluntatem tollere videatur. CAIETANVS. In quinque igitur præcedentibus plagis non est nominatus dominus indurans, sed in hac sexta dicitur dominus indurans, ad significandum quòd subtractione gratiæ diuinæ fiebat hæc induratio. Ad similitudinem siquidem roboris duri est, resistere deo loquenti per Prophetas suos, per signa, per plagas, &c. AVCTOR CATENAE. Indurauítque dominus cor Pharaonis. Agnitam dei virtutem spernere, exitio est propinquum.

*Mystice.* ORIGENES. Vlcera autem & vesicæ cum feruore, sexto in verbere producuntur. Et videtur mihi quòd in vlceribus arguatur dolosa & prurulenta malitia, in vesicis verò tumens & inflata superbia, in feruore demum, iræ ac furoris insania. ORDINARIA. Sextum præceptum, Non occides. Sexta plaga pustulæ in corpore: vesicæ bullientes & scatentes incendia vulnerum: & fauillæ fornacis. Ardent enim homicidæ ira & insania. Si posses videre animas homicidarum, plus plangeres eas, quàm putrescentia corpora vlceratorum. *Cap. 36.* PROSPER. Aliter. Sexta plaga Aegyptiorum est, vesicæ ebullientes, vlceráque manantia. Et sextum mandatum legis est, Non mœchaberis. Quid enim mœchi in anima patiuntur, compacta plaga demonstrat. Nisi enim vlcera pessimi amoris, ebulliénsque libido rationem animi perturbarent, adulter vtique non esset, neque vt scriptum est, per inopiam sensus, perditionem animæ suæ acquireret. Et licet huiusmodi puniantur etiam hîc legibus humanis, fornicatores etiam & adulteros, vt Paulus noster dicit, iudicabit deus. *Prouer. 6.* *Heb. 13.* RVPERTVS. Hæc igitur plaga mandato illi, imò ei qui mandati illius transgressor est, meritam pœnam præsagit. Quid autem est adulter combustus libidinis igne sulphureo, nisi cinis de camino? Omnes enim adulterantes (inquit Propheta) quasi clybanus succensus à coquente. *Osee. 7.* Tollitur ergo & spargitur in cœlum cinis de camino, fiúntque vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterij incendio, ad cœleste iudicium, & æterna pœna turgens, totúsque vlcerosus, sempiternum in anima & corpore portat incendium.

*Dixítque*



A *Dixítque dominus ad Moysen, Mane consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit dominus deus Hebræorum, Dimitte populum meum ut sacrificet mihi, quia in hac uice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum, ut scias quòd non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribísque de terra. Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Adhuc retines populum meum, & non uis eum dimittere? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto, à die qua fundata est, usque in præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta, & uniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec*

B *congregata de agris, ceciderítque super ea grando, morientur. Qui timuit uerbum domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos: qui autem neglexit sermonem domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris. Et dixit dominus ad Moysen, Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in uniuersa terra Aegypti super homines & super iumenta, & super omnem herbam agri in terra Aegypti.*

AVCTOR CATENAE. Cur obsecro te, ad tot prodigia non fuerunt territi neque moti Aegyptij? An quia dati erant in reprobum sensum, ob multa iniustè in Hebræos perpetrata? An quia adeò scelus & nequitia ipsorum inualuerat: vt (veluti corpus ab ægritudine valde oppressum) susciperent detrimentum ab omnibus, quæ aliis auxilium & fauorem præstare solent? Hinc de Christo prædixit Simeon, quòd positus erat in ruinam multorum, malè videlicet dispositorum. Quanuis ipse venerit, vt omnibus dispositis salutem & medelam tribuat. Sicut ipsemet Christus (iuxta Esaiæ oraculum) apertè testatus est. Septima igitur describitur plaga, cuius

C tamen ex nimia dei bonitate præmittitur admonitio. *Dixítque dominus ad Moysen: Mane consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit dominus deus Hebræorum, Dimitte populum meum vt sacrificet mihi, quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum, vt scias quòd non sit similis mei in omni terra.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, quia hac vice ego mittens, vt ex præsentis temporis participio, intelligamus significari per hanc vicem, vniuersam hanc aggressionem liberandi Israël de Aegypto, ita quòd comprehendit & præteritas & futuras plagas, tanquam sub vna continuata missione, hoc enim significat ego mittens omnes plagas meas. Non dicit omnes plagas, sed apponit meas, quia non omnes plagas absolutè, sed omnes suas (hoc est, à se decretas) mittit. Super cor tuum (inquit) & super seruos tuos, & super populum tuum. Parui refert quòd in Hebræo non habetur super, sed ad, vel in. Non dicit ad personam tuam, sed ad cor tuum, quoniam nunquam læsit personam Pharaonis, nisi quando demum submersit eum in mari. Et tunc etiam mortem illam misit priùs ad cor eius. Vidit enim Pharao omnes decem plagas, & vidit se & suos sub-

D mergi in mari, & singula affecerunt cor eius tristitia. Vt scias quòd non sit similis mei in omni terra. De scientia experimentali est sermo, vt experimento (inquit) cognoscas, quòd non solùm homo, sed nec deus aliquis alius veneratus in quacunque parte mundi, est sicut ego. AVCTOR CATENAE. Dimitte populum meum vt sacrificet mihi, Vel, vt seruiant mihi. Diximus sæpe, quòd vbi translatio nostra habet hoc verbum sacrificare, Hebræus habet עָבַר Habad, id est, colere, seruire, operari iniunctum opus, quod etiam alicubi sacrificare est, & mactare hostiam. Chaldaica & Septuaginta verbo seruire vtuntur. Quia (inquit) in hac vice mittam omnes plagas meas, &c. Quoniam dictio אֶל el, & super, & in significat, reddi potest sicut vertit Interpres, & sicut etiam Chaldaica, nempe: Quia in hac vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum, (Aut si mauis dicere in medio tui, capitur enim nonnunquam cor pro medio, id est, vel in te, aut super te) & in seruos tuos, & in populum tuum. Et est sensus, Nisi dimittas populum meum, non cessabo alterum post alterum supplicium tibi immittere, donec tu & tota Aegyptus pereant. Non est enim sermo de hac plaga duntaxat, sed etiam de sequentibus, præuidebat enim dominus Pharaonis duritiam, & eius futurum interitum.

E Magnam autem habet emphasim hæc comminatio, Cor tuum tangam plagis meis, vt potentiam meam sentias & agnoscas, quam & ferre cogeris, quantumuis resistas. Talibus ergo vos plagis cædam vt corda contabescant, & summo dolore afficiantur: vt vel in pœnis sentiant me deum & dominum, qui beneficiis non sunt emendati. Omnino enim dominus vniuersorum suspiciendus est, & colendus. Vt (inquit) scias quòd non sit similis mei (videlicet in potestate) in omni terra. Vnde & Chaldaica habet, Quoniam non est similis mei dominator in vniuersa terra. Cùm autem dicit, Mane consurge, & sta coram Pharaone, id nobis indicat, quod maturare opus est, humerum exerere, instare diligenter agendis, hoc Prophetas domini decet in opere dei conficiendo, quod est consulere commendatis sibi gentibus. Consistere autem antè tyrannos, est fortiter perseuerare in proposito sancto, etiam si periculum adsit, si tamen certus sit de domini voluntate. GRAECVS. Notandum autem quòd impius sæpenumero è medio non tollitur, vt dum punitur, aliis exemplo

F atque vtilitati sit. *Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribísque de terra.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Quia nunc misi manum meam, & percussi te & populum tuum in mortalitate, & fuisti deletus è terra. Priùs narrauit se mittentem plagas decem, vt experientia discat Pharao & cætera, modò narrat vltimum supplicium submersionis in mari ipsius Pharaonis & populi eius. Prædicit autem illud non vt futurum, sed vt præteritum, vt factum, propter certitudinem euentus, ad significandum factum iam esse in decreto diuinæ iustitiæ. Et appellauimus submersionem illam mortalitatem, quia carere videmur vocabulo proprio respondente dictioni Hebraicę significāti (vt aiunt) cladem emissam à deo, & istamet dictio scribitur superiùs in quinta plaga, qua mortua sunt cāpestria animalia. AVCTOR CATENAE. Nunc enim extendens manum meam. Hebraicè est, כִּי עַתָּה שָׁלַחְתִּי אֶת יָדִי Chi hatta salàchti eth iadi, Quoniam iam, siue iam enim misi, siue extendi manum meam. Chaldaica, Quoniam nunc propè est coram me, vt mittam plagam fortitudinis meæ. Declarat enim quid sit extendere manum suam. Septuaginta, νῦν γὰρ ἀποστείλας τὴν χεῖρά μου,

Nunc enim mittens manum meam. Sed omnia hæc vnum dicunt. Peribísque de terra. Futurum paſsiuum G
eſt coniugationis piel à חָתַר Chachad verbo, & excinderis, vel deleberis vt Septuaginta, ſeu vt Chaldaica
legit, conſummaberísque reddi poteſt. Sed hæc non deuiant à ſenſu literæ noſtræ. Alij, Et, ſuccíſus es de
terra, verterunt, propter vau quod verbum futurum præcedit, & mutat illud in præteritum, ſicut & de וְאַךְ
Vaach præcedente dixerunt, Et percuſsi. Vehemens itaque comminatio certæ cladis futuræ ad clemen-
tiam pertinet diuinam, qua omnem videtur mouere lapidem, & multipliciter præmonere, vt malum inſtans
impij effugere ſtudeant, & nulla excuſatione ſuam impietatem defendere poſsint in aliquo iudicio. Prædicit
autem quod futurum erat, quando videlicet perſequens filios Iſraël, cùm exercitu ſuo ſubmerſus eſt in mari
rubro, latúsque in profundum. *Idcirco autem poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni*
*Cap.9.* *terra.* AMBROSIVS IN EPISTOLAM AD ROMANOS. Alij codices ſic habent: Ad hoc te ſuſci-
taui, vt oſtendam in te virtutem meam. Siue ſeruaui, ſiue ſuſcitaui, vnus eſt ſenſus. Hoc enim dicit, quia cùm H
Pharao, quod nomen regum erat apud Aegyptios, ſicut & apud Romanos reges Auguſti appellantur. Hic er-
go Pharao, cùm tantis malis eſſet reus, vt viuere non deberet, nunquam futurus bonus, ne ſe aut meritò vi-
uere, aut deum quem ſæpe fallendum cenſebat, ad vindictam dandam impotentem putaret, audit à deo: Ad
hoc te ſeruaui, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt nuncietur nomen meum in vniuerſa terra, vt in hoc
cæteræ gentes addiſcerent non eſſe alium deum præter hunc, qui Iudæorum erat, & factus eſt Chriſtianorum:
quamuis & illi Chriſtiani fuerint, & nos nunc ſimus Iudæi propter Iudam, ex quo Chriſtus eſt ſecundum car-
nem: quia Iudæi veteres ſperando futurum Chriſtum redemptorem, Chriſtiani erant. Nam Raab meretrix
*Ioſuæ.2.* dicit exploratoribus miſsis à Ieſu Naue, qui priùs Auxes dicebatur: Auditæ ſunt hîc virtutes & plagæ, quæ
factæ ſunt in Aegypto à deo veſtro, & conterriti ſunt nimis, timent enim à facie veſtra. Ad hoc enim ſeruа-
tus eſt Pharao, vt multa ſigna & plagæ oſtenderentur in illum, quaſi iam mortuum. Suſcitatus autem di-
ctus eſt, quia cùm apud deum mortuus eſſet, modicum tempus accepit vt viuere videretur: vt eſſet, in cuius I
pœnam & varia tormentorum genera vſque ad mortem, omnes qui ſine deo erant, metu territi, hunc ſolum
deum eſſe cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ ſunt. Hoc etiam genere antiqui medici in
hominibus morte dignis, vel mortis ſententiam conſecutis, requirebant quomodo prodeſſent viuis, quæ
in homine latebant, apertis his cognoſcerent cauſas ægritudinis, vt pœna morientis proficiat ad ſalutem
*Quæſt.32.* viuentis. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Idcirco autem poſui te,
&c. Alia litera. Et propter hoc ipſum conſeruatus es, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuncie-
tur nomen meum in vniuerſa terra. Hæc ſcripturæ verba & Apoſtolus poſuit, cum in eodem loco perdiffi-
*Rom.9.* cili verſaretur. Ibi autem & hoc ait, Si autem volens deus oſtendere iram, & demonſtrare patientiam ſuam,
ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, parcendo vtique iis, quos malos futuros eſſe præſcierat, quæ vaſa di-
cit perfecta in perditionem: Et vt notas (inquit) faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Vnde va-
*Pſal.58.* ſorum miſericordiæ vox eſt in Pſalmis, Deus meus miſericordia eius præueniet me, Deus meus demon- K
ſtrauit mihi bona coram inimicis meis, Nouit ergo deus bene vti malis, in quibus tamen humanam natu-
ram non ad malitiam creat, ſed eos perfert patienter, quouſque ſcit oportere, non inaniter, ſed vtendo
eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim vt annunciaretur nomen dei in vniuerſa ter-
ra, vaſis miſericordiæ vtique prodeſt. Ad eorum itaque vtilitatem Pharao ſeruatus eſt, ſicut & ſcriptura te-
ſtatur, & exitus docet. RVPERTVS. Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, &
*Rom.9.* enarretur nomen meum gentibus in omni terra, &c. Terribilis huius ſententiæ Apoſtolus ita meminit, Igitur
non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt dei: dicit enim ſcriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitaui
te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Protinus quicun-
que eſt proteruus ſcrutator iudiciorum dei, dicendo quid adhuc queritur, voluntati eius quis reſiſtit, rectè
indignantem eundem Apoſtolum audit, O homo, tu quis es qui reſpondeas deo? An non habet poteſtatem
figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Ita ille qui propter L
ſuam proteruiam cognitione dei ſecretorum dignus non eſt, ab auditorio ſuo procul repulſo, conuertitur
ad eum qui mente ſubdita in timore domini, vel exiguam rationis ſtillam, à cœleſti magiſterio depoſcit,
& dicit huic, Quòd ſi volens deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patien-
tia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in glo-
riam, &c. Cùm hæc dicit, profectò deum ab hominum ſuſpitione defendit, ne liceat cuiquam ſuſpicari,
quod idcirco vel Pharao, vel quiſquam alius iram ſibi iniquam theſaurizauit, quia in hoc ipſum deus il-
lum excitauerit. Nam idcirco potius deus Pharaonem excitauit, ſubauditur in regnum, & idcirco ſum-
mam illi poteſtatem contulit, quia vas iræ fuit, & quia iandudum aptus erat in interitum, idcirco corri-
*Eſa.10.* piendis ſuperpoſitus eſt miſericordiæ filiis, vt eſſet virga furoris, & baculus in manu domini ſuper eos, quos
per tribulationem in gloriam transferre præparauit. Igitur cùm dicit, idcirco excitaui te, ſubaudiendum
eſt in regnum, permittendo videlicet non agendo, vt in ſummum aſcenderes imperium, vt haberes pote- M
ſtatem ſecundum nequitiam vel duritiam cordis tui ſæuiendo in populum meum. OECVMENIVS SV-
PER EPISTOLAM AD ROMANOS. Quia in hoc ipſum excitaui te, id eſt, in hoc te regnare per-
*Cap.9.* miſi, vt demonſtretur quàm ſim longanimis. Potentia enim dei longanimitatẽ interpretatur. THOMAS
*Lect.3.* SVPER EPISTOLAM AD ROMANOS. Oſtenſum eſt quòd non eſt iniquitas apud deum quantum
ad hoc quòd ab æterno reprobat malos. Dicit enim ſcriptura ex ore dei Exodi nono, Quia in hoc ipſum excitaui
te, vel ſeruaui te ſecundum aliam literam, vt oſtendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in
vniuerſa terra. Noſtra autem litera ſic habet, Et idcirco poſui te, vt oſtẽdam in te fortitudinem meã, vt enarrem
nomen meũ in omni terra. Vbi primò conſiderandum eſt quid deus circa reprobos faciat, quod oſtẽdit dicens,
In hoc ipſum ſeruaui te, id eſt, dignus eras mori propter mala quæ feceras, ſuprà primo, Qui talia agũt digni ſunt
morte. Sed tamẽ non ſtatim tibi mortẽ induxi, ſed ſeruaui te in vita eo fine quo ſequitur, vt ſcilicet oſtendã, &c.

Et



A Et in hoc etiam ſenſu poteſt legi quod dicitur excitaui te, id eſt, cùm apud me pro tuis meritis mortuus eſſes,
conceſsi tibi vitam, quaſi te excitarem. In quo apparet quòd deus iniquitatem reprobis non facit, cùm ipſi ex
ſuis meritis eſſent digni ſtatim cõſumi. Sed hoc ipſum quòd eos ſeruat in vita, procedit ex nimia ſua bonitate,
Hieremiæ quartodecimo, Corripe me domine, veruntamẽ in iudicio & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum
redigas me. Alio modo poteſt intelligi, Excitaui te in peccatum, vt deterior fias. Quod quidem non eſt intelli-
gendum hoc modo, quòd deus in homine cauſet malitiam. Sed eſt intelligendum permiſsiuè, quia ſcilicet ex
iuſto ſuo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedẽtes iniquitates, ſicut ſuprà primo dictum
eſt, Tradidit eos deus in reprobum ſenſum. Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc eſſe intelligendum, quia
videlicet inſtinctu quodam interiori mouentur homines à deo ad bonum & ad malum, vnde Auguſtinus dicit
in libro de gratia & libero arbitrio, quòd deus operatur in cordibus hominum ad inclinãdas eorum voluntа-
B tes quocunque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum. Vnde & deus di-
citur ſæpius ſuſcitare aliquos ad bonum, ſecũdum illud Danielis tertiodecimo, Suſcitauit deus ſpiritum iunio-
ris. Dicitur etiam ſuſcitare aliquos ad malum faciendum, ſecundum illud Eſaiæ tertiodecimo, Suſcitabo Mæ-
dos, qui ſagittis paruulos interficiant. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum vo
luntates directè & per ſe, tanquam auctor bonorũ, ad malum autẽ dicitur inclinare vel ſuſcitare homines occa-
ſionaliter, inquantũ ſcilicet deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius quod quantũ eſt de ſe, eſt in-
ductiuũ ad bonum. Sed homo propter ſuam malitiã peruerſe vtitur ad malum, ſuprà ſecũdo, Ignoras quoniam
benignitas dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duriciem tuam & cor impœnitens, theſaurizas ti-
bi iram in die iræ. Et Iob vigeſimoquarto, Dedit ei deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur in ſuperbia. Et ſimi-
liter deus quantum eſt de ſe, interius inſtigat hominem ad bonum, puta regem ad defendendum iura regni ſui,
vel ad puniendum rebelles. Sed hoc inſtinctu bono, malus homo abutitur ſecundum malitiam cordis ſui. Et
C hoc patet Eſaiæ decimo, vbi dicitur de Aſſur, Ad gentem fallacem mittam eam, & contra populum furoris
mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, &c. Et pòſt, Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita æſtimabit:
ſed ad conterendum erit cor eius. Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cum à deo excitaretur ad regni
ſui tutelam, abuſus eſt hac excitatione in crudelitatem. Secundo oportet conſiderare quo fine deus iſta par-
tim faciat, & partim permittat. Eſt enim conſiderandum, quòd deus operatur in creaturis ad ſuam manife-
ſtationem, ſecundum illud ſuprà primo, Inuiſibilia dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Vnde
& huiuſmodi excitatio in hoc ipſum ordinatur & quantum ad præſentes, vt oſtendam in te virtutem meam,
Exodi nono, Viderunt filij Iſraël manum magnam quam exercuerat dominus contra Aegyptios, & quantum
ad abſentes, vt annuncietur nomen meum in vniuerſa terra. Pſalmus, Annunciate inter gentes gloriam eius.
Sic igitur patet, quòd quantum ad hoc non eſt iniquitas apud deum, quia vtitur creatura ſua ſecundum
D eius merita ad gloriam ſuam. Et in hoc eodem ſenſu poteſt exponi ſi dicatur, Poſui te, id eſt, ordinaui mali-
tiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, ſed non cauſat. CAIETANVS. Nihil di-
citur de peccato Pharaonis, ſed perſona eius demonſtratur per pronomen te. Non dicit, Feci ſtare peccatum
tuum, aut indurationem tuam, ſed feci ſtare te, vt nullus ſit quæſtioni locus de ordine huius effectus ad finem
vtrumque ſubiunctum. Primus nanque finis eſt, vt Pharao experiendo videat diuinæ potentiæ robur, alter
eſt, vt enarretur nomen dei in vniuerſo terrarum orbe. Et vtrumque impletum videmus. AVCTOR CA-
TENAE. Idcirco autem poſui te, &c. Hebraica hoc in loco ſunt huiuſmodi וְאוּלָם בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ Veu-
lam bahabur zoth hehemadticha. Pro quo ſciendum, verbum Hamad, ſtare, ſubſiſtere, ſubſtentare, & ſta-
tuere ſignificare. Vnde nonnulli hîc verterunt, Et vtique, ſeu profectò ob id feci te ſtare, Vel feci te manere,
id eſt, nolui te illico ob tuam impietatem exterminare, ſeu idcirco feci, vel poſui te regem, &c. Alij, Vtique ob
id conſeruaui te, ſcilicet in vita, & ſuperſtitem volui plagis meis, vertunt. Chaldaica, Veruntamen propter
hoc ſubſtinui te. Septuaginta, καὶ ἕνεκα τούτου διετηρήθης, Et propter hoc ſeruatus es. Quæ non diſſentiunt à litera
E noſtra. Quod etiam ſequitur, Vt oſtendam in te fortitudinem meam, verbum הַרְאֹתְךָ Haróthcha, Vt oſtende-
rem tibi, aliqui: Alij, Vt videre faciam te, vertere voluerunt. Primùm habet Chaldaica. Septuaginta vt apud
nos. Demum quod dicitur, Et narretur. Quoniam verbum סַפֵּר Sapper, eſt infinitiuum piel, Aliqui, Et vt nar-
rent (ſubaudi homines) reddiderunt. Et ſic eſt in Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Sed in his omnibus non
variatur Latina ſententia. Narrari autem nomen dei in omni terra, eſt celebrem enunciari gloriam diuinam,
vbi hactenus veri dei memoria non eſt habita. Eſt igitur totius loci huius ſumma, quaſi dicat deus Pharaoni,
Poſſem quidem hoc ipſo momento extendere manum meam, & tam ſæuam peſtem in te ac populum tuum
immittere, vt ſtatim omnes de terra periretis, ſed ideo poſui, excitaui, conſeruaui, ſtare feci, conſtitui inco-
lumen te hactenus, vt oſtendam in te, ſiue tibi fortitudinem & potentiam meam, multiplicans ſigna & oſten-
ta mea in terra Aegypti. Et quia corrigi non vis, conuertam indurationem tuam in gloriam meam, & ad
extremum demergens te in profundum maris, faciam quòd narretur nomen meum in vniuerſa terra. Habes
F hîc perſpicuam cauſam propter quam deus tam diu tolerauit impium & obduratum Pharaonem, videlicet,
vt quia Pharao omnino impius eſſe voluerit, dominus deus noſter illuſtret in ipſo lumen ſuum, nimirum
quòd ſit deus potens, qui vno verbo poſsit totam regionem affligere, quòd ſi deus induſtrius, qui ſciat reſi-
ſtere tam potenti regi, & viribus eius adhuc firmis permanentibus, populum ſuum liberare, quòd ſit deus
ſeuerus, qui ne regi quidem, & clariſsimis populis peccantibus parcat, quòd ſit etiam deus miſericors, qui
populum tam clementer defendat, vt propter ipſum, potentiſsimos monarchas affligat. Commemorat &
Paulus aliam cauſam propter quam deus impios toleret. An diuitias (inquit) bonitatis dei, & lenitatis
eius contemnis, ignorans quòd bonitas dei, inuitet te ad pœnitentiam? Tolerantur igitur impij, vt ha-
beant ſpacium pœnitentiæ. In Euangelio quoque Matthæi alia recenſetur cauſa. Dicit enim Chriſtus: Non
eradicetis zizania, ne dum colligitis zizania, eradicetis ſimul cum illis & triticum. Quare, ſinite pari-
ter vtraque creſcere vſque ad meſſem, & cętera, hoc eſt tolerantur impij, ne vnà cum ipſis etiam pij affligantur

& pereant. Quicquid igitur bonorum vel malorum experimur, in dei gloriam ordinandum, propter quam & G
omnia fiunt. Cuius ſapientia, bonitas & potentia piis apparent vbique in omnibus creaturis: impij autem nec
verberibus, nec ipſa perditione deum cognoſcunt & colunt. Glorificatur itaque deus velint nolint etiam in im-
piis: Omnia enim ſeruiunt creatori. *Adhuc retines populum meum, & non vis eum dimittere? En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto, à die qua fundata eſt vſque in præſens tempus.* De qua retentione loquatur do-
minus Chaldaica declarat, inquiens, Adhuc tu ſubiectum retines populum meum? Hebraicè igitur legitur locus
iſte עוֹדְךָ מִסְתּוֹלֵל בְּעַמִּי לְבִלְתִּי שַׁלְּחָם Hódcha miſtolel beammi lebilti ſallecham. Et quia verbum Salal, quod hîc
eſt participium in Hithpael, multa ſignificat, ideo variis modis redditur. Nam aliqui ita vertunt, Adhuc calcas
populum meum (id eſt ſubiicis) vt non dimittas eos? Aliqui, Adhuc eleuaris, ſeu eleuas te cõtra populum meum
non dimittendo eum? Quidam, Adhuc tu te aggerem opponis populo meo, &c. Sed idem eſt ſenſus vbique
cum litera noſtra, cui & Septuaginta conſentiunt. Pluam autem grandinem multam nimis, hoc eſt, grauem ad- H
modum, vel, grauiſsimam. Fundari verò terra dicitur, cùm ab hominibus incipit habitari & coli. Quia igitur
adhuc velut cohibens (ait dominus) quis aggere poſito aquas, ne impetu & excurſione erumpentes vagentur li-
berè, ſic populũ meum includis, & nondum manumittere deliberas toties plagis admonitus. En pluam cras hac
ipſa hora, &c. Tempus & horam ſtatuit ad diuinæ prouidentiæ certitudinem, virtutíſque magnitudinem oſtẽ-
dendam, quæ nec in modico impediri poteſt. Pluuiæ autem non aliunde quàm domino volente proficiſcuntur
& depluunt, ſicut & grãdines in ſalutem piorum, cladem autem reproborum. CAIETANVS. Et quia ex-
plicata eſt primò grauitas grandinis ex ſingularitate, quòd nunquam fuerit in Aegypto ſimilis, explicatur dein-
de ex effectu mortis hominum & iumentorum in agro, vnde ſequitur: *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta, & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecidérúque ſuper ea grã-*
*Quæſt. 33.* *do, morientur.* AVGVSTINVS. Quid eſt quod mandauit deus Pharaoni, cùm ſe facturum magnam gran-
dinem minaretur, vt feſtinet congregare pecora ſua, & quæcunque illi eſſent in campo, ne grandine intereant: I
Hoc enim non tam indignanter, quàm miſericorditer videtur admonere. Sed hoc non facit quæſtionem, quòd
deus etiam iraſcens, temperat pœnam. Illud eſt quod meritò mouet, quibus nunc pecoribus conſulatur, ſi omnia
mortua fuerunt plaga ſuperiore, vbi ſcriptum eſt, quòd diſcreuit deus inter pecora Hebræorum & Aegyptiorũ,
ita vt illic nullum moreretur, omnia verò Aegyptiorum pecora morerentur. An eo ſoluitur quæſtio, quòd præ-
dixerat ea moritura quæ in campo fuiſſent, vt hæc accipiantur omnia: intelligantur autem euaſiſſe quæ in do-
mibus erant, quæ potuerunt etiam à dubitantibus colligi, & in domo teneri, ne fortè verum eſſet quod Moyſes
dominum facturum eſſe prædixerat: & ex his eſſe in campis iterum poterant, quæ modò admonet congregari in
domos, ne grandine pereant. Maximè quia ſequitur ſcriptura, & dicit, Qui timuit verbum domini ſeruorum
Pharaonis, congregauit pecora ſua in domos: qui autẽ non intendit mente in verbũ domini, dimiſit pecora ſua
in cãpo. Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus eſt deus, quanquam id ſcriptura tacue-
rit. THEODORETVS. Propterea quòd dominus benignus eſt, idcirco pœnas miſericordia temperat, nã K
& quidam digni ſunt quibus parcatur. Id etiam diuina nos docet ſcriptura, Qui timuit verbum domini de ſer-
uis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos: qui autem neglexit ſermonem domini, dimiſit
ſeruos ſuos & iumenta in agris. Grandinem verò ac cæteras plagas illis inflixit, vt oſtenderet omnium elemen-
torum ſe eſſe dominum. Nam quia & Aegyptij ac cæteræ gentes alios deorum cœleſtes, alios terreſtres, alios ve-
rò ſubterraneos eſſe exiſtimabant: & hos quidem terræ, hos verò maris, alios rurſum montium, alios camporum
dominationem atque imperium habere: Idcirco vniuerſorum deus non tantùm eos per fluuium & terram, ſed
& per mare neceſſariò caſtigandos ac corripiendos eſſe exiſtimauit, hac ratione illos docens, ſe omnium opifi-
cem ac dominatorem eſſe. Id enim & beatus Moyſes ad Pharaonem ait, vt cognoſcas quia domini eſt terra.
AVCTOR CATENAE. Homines enim & iumẽta, &c. Licet locum rectè quo ad ſentẽtiam verterit Inter-
pres, propria tamen Hebraica ſunt iuxta Chaldaicam editionem, videlicet, Omnes homines & iumẽta quæ in-
uenta fuerint in agro, & non fuerint congregata in domum, deſcenderítque ſuper ea grando, morientur. Siue, L
& moriẽtur. Eſt enim, וְיָמֵתוּ Vaméthu. Dominus itaque etiam cùm iraſcitur, non obliuiſcitur miſericordiæ ſuæ.
Semper enim obuiant ſibi dei veritas, id eſt iuſtitia, & clementia. Etiam iam damnatos ad pœnam præmonet &
adhortatur à malis, vt ſibi proſpiciant credentes, & fieri deteriores omittant, ſicq; iudicium ſuum euadent. *Qui timuit verbum domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos & iumenta in domos: qui autem neglexit ſermonem domini, dimiſit ſeruos ſuos & iumenta in agris.* Hebraiſmum hoc loco egregiè reddidit Interpres, eſt enim iuxta Hebraicum וַאֲשֶׁר לֹא
שָׂם לִבּוֹ אֶל דְּבַר יְהוָה Vaaſer lo ſam libbo el debar Iehoua, Et qui nõ poſuit, ſiue appoſuit cor ſuum ad verbum, ſeu
verbo domini, Quod eſt monitis diuinis acquieſcere. Timor igitur dei præſeruat à malis, etiam ſi fuerit ſeruilis
& inſyncerus. In ſeruíſque Pharaonis erant timentes deum, nimirum non omnes ſtupidi ad tam præclara por-
tenta dei, qui abominabantur regis atrociſsima imperia, aulicorum tamen more muti ad patrocinium pro af-
flictis, & blandiores ad tyranni ſæuitiam mitigandum. Præmium autem dignum ſortitur perfidia, & qui corri-
gi vel moneri non vult, ſibi damnum conſciſcet, proprię damnationis reus. Domi & foris infelices ſe ſentient, M
qui dei verbo non obaudiunt. *Et dixit dominus ad Moyſen: Extende manum tuam in cœlum, vt fiat grando in vniuerſa terra*
*Quæſt. 34.* *Aegypti ſuper homines, & ſuper iumenta, & ſuper omnem herbam agri in terra Aegypti.* AVGVSTINVS. Ecce quomodo
iterum Moyſes non in terram, ſed in cœlum manũ iubetur extendere, ſicut ſuperius de fauilla. CAIETA-
NVS. Iuxta Hebræum habetur, ſuper cœlos. Nec ſitus, ſed virtus ſignificatur, ſuper cœlos, hoc eſt, aërem
in quo generantur grandines. Quamuis etiam poſsit intelligi extenſio manus ſuper aërem, ſecundum ſitum,
vt non fuerit extenſio directa ſurſum, ſed directa lateraliter, ſic enim eſſet ſuper aërem ſitualiter. AVCTOR
CATENAE. Extẽde manum tuam in cœlum. Eſt in Hebræo dictio עַל Hal, quæ in, ſuper, & verſus ſignificat.

4 **Extenditque Moyſes uirgam in cœlum, & dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrẽtia fulgura ſuper terram. Pluitque dominus grandinem ſuper terram Aegypti, & grando & ignis mixta pariter**
*ferebantur*



A *ferebantur. Tantæque fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in uniuerſa terra Aegypti, ex quo gens illa condita eſt. Et percuſsit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerũt in agris, ab homine uſq; ad iumentum. Cunctam herbam agri percuſsit grando, & omne lignum regionis confregit. Tãtùm in terra Geſſen, ubi erãt filij Iſraël, grando non cecidit. Miſítque Pharao, & uocauit Moyſen & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nũc. Dominus iuſtus, & ego & populus meus impii. Orate dominum, ut deſinant tonitrua dei, & grando, ut dimittam uos, & nequaquam hìc ultra maneatis. Ait Moyſes: Cùm egreſſus fuero de urbe, extendã palmas meas ad dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit, ut ſcias quia domini eſt terra. Noui autem quòd & tu, & ſerui tui*
*necdum timeatis dominum deum. Linum ergo & hordeum læſum eſt, eo quòd hordeum eſſet uirens, & linum iam*
B *folliculos germinaret. Triticum autem & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant. Egreſsúſque Moyſes à Pharaone ex urbe, tetendit manus ad dominum, & ceſſauerunt tonitrua & grando, nec ultra ſtillauit pluuia ſuper terram. Videns autem Pharao quòd ceſſaſſet pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum eſt cor eius & ſeruorum illius, & induratum nimis, nec dimiſit filios Iſraël, ſicut præceperat dominus per manum Moyſi.*

AVCTOR CATENAE. Septimum ſupplicium, grãdo. De quo idem ſentiendum eſt, quod de ſuperio-
ribus, videlicet, quòd hoc ſupplicio manifeſtetur gloria nominis dei, & quòd Aegyptij admoneantur ad pœni-
tentiam, & quòd grando conſecretur in publicum ſupplicium regionum, vt inuitet peccatores ad reſipiſcẽtiam.
Grando enim non eſt extremum dei ſupplicium, veluti gladius carnificis, ſed eſt tantùm virga paterna, qua in-
obedientes ad pœnitentiam vocantur. Sic enim dicit dominus in Aggæo capite ſecundo, Percuſsi vos vento
C vrente, & aurugine, & grandine, omnia opera manuũ veſtrarum, & nõ fuit in vobis, qui reuerteretur ad me. Qui-
bus verbis perſpicuè ſignificatur, grandinem eſſe organum, quo deus vocat peccatores ad pœnitentiam. Vnde
& ſcriptura ſæpe hoc ſupplicium inculcat, Pſalmo ſeptuageſimo quinto & centeſimo quarto. Quãquam enim
grandines generentur naturalibus cauſis, tamen quia & harum cauſarum deus creator & adminiſtrator eſt, quẽ-
admodum habet Pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus, grandines pro ſuppliciis dei agnoſcendæ ſunt.
Cùm igitur videmus grãdinem in regione noſtra, reuocemus nobis in memoriam, ea peccata, propter quæ Ae-
gyptus grandine afflicta eſt, & ſentiamus quia idem ſupplicium patimur, eadem etiam peccata inter nos graſſa-
ri. Eſt autem Aegyptus afflicta grandine præcipuè propter contemptum mandati dei per Moyſen prædicati, &
propter inobedientiam. Agnoſcamus ergo ex grandine noſtram inobediẽtiam, vt reſipiſcamus. Sed iam lectio-
nem ipſam audiamus. *Extenditque Moyſes virgã in cœlum, & dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſu-*
*per terram.* ORIGENES. Aduertendum quòd quædam verbera Aaron inferre dicitur Pharaoni vel Aegy-
pto, quædam Moyſes, quædam verò ipſe dominus. Nam in prima plaga cùm aquas vertit in ſanguinem, Aaron
D dicitur eleuaſſe virgam, & percuſsiſſe aquam. Sed & in ſecunda, cùm percuſsit aquas, & eduxit ranas, & in tertia
cùm extendit manu ſua virgam, & percuſsit puluerem terræ, & facti ſunt cyniphes. In his tribus verberibus, Aa-
ron miniſteriũ fuit. In quarto verò dominus feciſſe dicitur, vt aduenirent cynomya, & repleret domos Pharao-
nis. Sed & quinto cùm extinguuntur pecora Aegyptiorũ, dominus nihilominus feciſſe dicitur verbum hoc. In
ſexto verò Moyſes aſpergit fauillam de fornace, & fiunt vlcera, & veſicæ cum feruore in hominibus & pecori-
bus. Sed & in ſeptimo Moyſes eleuat manum ſuam in cœlum, & fiunt voces in cœlo, & grando, & diſcurrit ignis
ſuper terram. In octauo quoque idem Moyſes extendit manũ ſuam in cœlum, & dominus induxit ventum tota
die, & tota nocte, & adduxit locuſtas. Sed & in nono idem nihilominus Moyſes extendit manum ſuam in cœ-
lum, & fiunt tenebræ & caligo ſuper omnem terrã Aegypti. In decimo verò finis & perfectio totius operis à do-
mino miniſtratur. Ita enim ſcriptum eſt, Factum eſt enim circa mediã noctem, & dominus percuſsit omne pri-
mogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis qui ſedebat ſuper thronum eius, vſque ad primogenitũ
E captiuæ quæ eſt in lacu, & omne primogenitũ pecoris. CAIETANVS. Extẽdítque Moyſes virgam in cœ-
lum. Et hìc quoque habetur ſuper cœlos. Et habetur pronomen ſuã. Ita quòd Moyſes extẽdit manum cum pro-
pria virga, vt appareat hoc miraculum factum à deo non mediante Aaron, ſed Moyſe, & virga eadem, vt mini-
ſterialis auctoritas Moyſi etiã in ſuperiore aëris regione appareat ſenſibiliter. Et dominus dedit tonitrua. Iuxta
Hebræum habetur, Et dominus dedit voces & grandinem. Procul dubio per voces intelligũtur tonitrua: in He-
bræo tamen in tota iſta plaga non legitur tonitrua, ſed voces. Ac diſcurrentia fulgura ſuper terram. Iuxta He-
bræum habetur, Et iuit ignis ad terram. Omnia more ſuo Moyſes ſummariè prænarrat, grandinem, tonitrua, &
ignẽ vſque ad terram euntem, deinde per partes exequitur. Nec eſt ſermo de igne coruſcante in tonitruo, quo-
niam ille micando ad nos venit, hic autem ignis ipſe veniebat ad terram, & erat procul dubio exhalatio accen-
ſa proiecta ex aëre ad terram, vt ſubiuncta teſtantur. AVCTOR CATENAE. Extendítque Moyſes vir-
F gam in cœlum, ſiue verſus cœlum, vel ſuper cœlum. Omnibus enim modis reddi poteſt dicto עַל Hal. Et domi-
nus (inquit) dedit tonitrua & grandinem. Hebraicè eſt קֹלֹת Koloth, id eſt, voces, ſic & Chaldaica & Septuaginta.
Sed mos eſt Hebræis voces pro tonitruis poni. Quod verò ſequitur, Et diſcurrẽtia fulgura ſuper terram, Hebrai-
cè eſt וַתְּהַלֶּךְ אֵשׁ אַרְצָה Vattialach es árza. Et diſcurrit, ſeu diſcurrebat ignis ſuper terram, ſubaudi de cœlo dela-
tus. Sic & Septuaginta & Chaldaica. Alij verterunt, Et ambulauit, ſiue ibat ignis per terram. Sed hæc non mul-
tum diſcrepant à litera noſtra. Poſt iuſsionem itaque domini, Moyſes virgã erexit in altum, & à domino iuſſus,
ſignum non omiſit, póſtque ſignum, mox euenit promiſsionis effectus. *Pluítque dominus grandinem ſuper terram Ae-*
*gypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur. Tantæq; fuit magnitudinis, quanta nunquam apparuit in vniuerſa terra Aegypti, ex*
*quo gens illa condita eſt.* CAIETANVS. Exequitur Moyſes per partes incipiendo à grandine, apponendo ſu-
per terram Aegypti, in qua non eſt tanta frigiditas, vt poſsit in aëre generari pluuia, multóque minus poteſt ge-
nerari grando. Quod autem dicit, & grando & ignis mixta pariter ferebantur, iuxta Hebræum habetur, Et fuit
grando, & ignis apprehenſus inter grandinem. Duplex miraculum, & quòd talis grando fuerit in Aegypto, &
quòd

quòd ſimul cum grandine fuerit ignis. Et hinc apparet quòd violento motu deſcẽdebat ignis cum grandine ad G terram: ad ſignificãdum enim violentiam motus ignis deorſum,dicitur quòd ignis fuit apprehenſus ſeu captus inter grandines: quamuis nec ſic plenè exprimatur participium Hebraicum à tollendo deductũ. AVCTOR CATENAE. Et grando & ignis mixta pariter ferebantur. Hæc clauſula ita legitur in Hebræo וַיְהִי בָרָד וְאֵשׁ מִתְלַקַּחַת בְּתוֹךְ הַבָּרָד כָּבֵד מְאֹד Vaihi barad, vees mithlakkáchath bethoch habarad cabed meod, Et fuit grando, & ignis aſſumptus, ſiue apprehenſus in medio grandinis, grauis valde. Quod apud nos principium eſt alterius clauſulæ. Eſt autem dictio mithlakkáchath, participium generis fœminini ſingularis, vocis paſsiuę, quartæ coniugationis, à verbo לָקַח Lakach, quoniam ignis apud Hebræos eſt vtriuſque generis, frequentiúſque in fœminino quàm in maſculino genere reperitur. Alij, Et fuit grando atque ignis intra grandinem receptus, grauiſsima quidem, verterunt. Chaldaica, Fuítque grando, & ignis diſcurrens in medio grandinis nimis validus. Et ita validitatem referunt ad ignem, non ad grandinem. Septuaginta, ἦν δὲ ἡ χάλαζα καὶ ὡς πῦρ φλογίζον ἐν τῇ χαλάζῃ, ἦν δὲ H χάλαζα πολλὴ σφόδρα, Erat autem grando, & ignis ardens in grandine, at grando multa valde. Sed hęc non variant à Latina editione. Deinde quod ſequitur, Tantæq; fuit magnitudinis, &c. Doctè quidem Hebraicam phraſin reddidit Interpres, ſic enim apud eos habetur אֲשֶׁר לֹא הָיְתָה כָמֹהוּ בְּכָל אֶרֶץ מִצְרַיִם מֵאָז הָיְתָה לְגוֹי Aſer lo haia chamóhu becol érez mizráim, meaz háitha legoi, Qualis non fuit, ſeu fuerat ſicut ipſa in vniuerſa terra Aegypti, ex eo tempore, ſiue ex quo facta eſt, ſeu fuit in gentẽ, id eſt, ex quo habitari cœpit. Chaldaica, Cuius ſimilis nõ fuit in vniuerſa terra Aegypti à tẽpore quo fuit in ea populus. Septuaginta, ἣ τις τοιαύτη οὐ γέγονεν ἐν αἰγύπτῳ, ἀφ' ἧς γεγένηται ἕως ἀυτῆς ἔθνος, Quæ talis non fuit in Aegypto, ex quo facta fuit in ipſa gens. Narratur itaque hîc adimpletum quod prædixerat dominus. Ignis autem abripiens omnia cum grandine, horribili certè plaga impios abſterrere & corrigere non potuit, tanta vis eſt obſtinatæ impietatis. Antiquiſsima autem eſt, & legitur paſsim Aegyptiorum colonia, vt ipſi ſibi arrogent ſummam & multorum valde milium annorum vetuſtatem, vt eſt apud Diodorum & reliquos. *Et percuſsit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine uſque ad iumentum. Cunctam herbam agri percuſsit grando, & omne lignum regionis confregit.* PHILO IVDAEVS. Cùm Aegyptus in ipſa hyeme ver agat, neque penitus niuem ſentiat, ſubitò tamen aër ille tenuis & temperatus, naturam nouam propemodum induit, vt quæcunque iam vireſcere incœperant, læderentur. AVCTOR CATENAE. Et omne lignum regionis confregit. Hebraicè legitur וְאֵת כָּל עֵץ הַשָּׂדֶה שִׁבֵּר Veeth col hez haſade ſibber, Omnéſque arbores agri confregit, Ita etiã legitur in Chaldaica. Septuaginta, καὶ πάντα τὰ ξύλα τὰ ὧν τοῖς πεδίοις σωέτριψεν, Et omnia ligna quæ in agris confregit. Poteſt etiam verti vt in litera noſtra. Replicatione eiuſdem rei ſignificant Hebræi exceſſum ac inſignem vehementiam aut multitudinem. Herbam virentem accipiunt pro omni eo quod creſcit, vt lignum quoque pro arboribus. Quæ in agro deprehenſa ſunt animalia, occiſa ſunt: plurima tamen etiam ſub tecta reducta erant à multis. *Tantùm in terra Geſsen vbi erant filii Iſrael, grando non cecidit.* Iterum gratia dei prædicatur, qua ſuos nouit, proſequitur & defendit pereuntibus impiis. Iſraëlitis enim nihil in ſua regione incommodatur, nec terræ naſcentibus, nec animantibus, tuta enim illis ſunt omnia. Apparet in tota terra Geſſen nihil cõtigiſſe malorum, quum in ea etiam Aegyptij habitarint, quibus ob conſortia piorum damni nihil contigit. In eo autem quòd deus iterum hîc diſtinguit inter Aegyptios & Iſraëlitas, manifeſtè declaratur, eum deum quem Hebræorum Patriarchæ coluerunt, quem Moyſes prædicabat, & qui Iſraëlitas ex Aegypto per Moyſen vocabat, ſolum verum & viuum deum, in ſecula benedictum eſſe. Feci (inquit dominus apud Ezechielem) propter nomen meum, vt non violaretur coram gentibus, in quarum medio erat, & inter quas apparui eis, vt educerem eos de terra Aegypti. *Miſitq; Pharao, & vocauit Moyſen & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc. Dominus iuſtus, & ego & populus meus impii.* CAIETANVS. Confitetur ſaltem fictè, quòd ipſe fons eſſendi iuſtè punit eum. AVCTOR CATENAE. Peccaui etiam nunc. Dictio הַפָּעַם Hapáham, Et nunc, & hac vice reddi poteſt, ſicut reddidit Chaldaica. Aliud eſt immmentem ſibi pœnam timere, aliud pœnas infligentem dominum. Pharao deum non timet, ſed odit: timet autem malum pœnæ, ſuiipſius amator & cultor, non dei. Inter confitẽdum peccatum perfidiam ſuam prodit, dicẽs, Hac vice peccaui, quaſi prius non æquè peccauerit. Sæpe antè fefellerat: attamen malo præſente deum iuſtum fateri cogitur impietas. Vera autem pietas etiam in proſperis deum bonum agnoſcit ac iuſtum. Inter falſa multa, verum quoque loquitur, ſed ex hypocriſi, ſe & populum ſuum impios nominans potius quàm re vera credens. *Orate dominum vt deſinant tonitrua dei & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltra maneatis.* ORIGENES. Sunt in his plagis permultæ obſeruationes, in quibus ſingulis diuinæ demonſtrantur indicia ſapientiæ. Inuenies enim quòd primo non flectitur Pharao, nec diuinis verberibus cedit, cùm aquæ in ſanguinem verſæ ſunt. In ſecundo verò parum quid molliri videtur. Vocauit enim Moyſen & Aaron, & dixit ad eos, Orate pro me ad dominum, vt tollat ranas à me & à populo meo, & dimittam populum. In tertio Magi cedũt, & dicunt ad Pharaonem, Digitus dei eſt hic. In quarto per cynomyã verberatus dicit, Euntes immolate domino deo veſtro, ſed non longius tendetis iter. Orate igitur pro me ad dominum. In quinto nece pecudum cæditur, & non ſolùm non cedit, ſed & amplius induratur. Similiter & in ſexto ſuper plagas vlcerum facit. In ſeptimo verò cùm grandine vaſtatur & ignibus, Miſit (inquit) Pharao, & vocauit Moyſen & Aaron, & dixit illis, Peccaui, & nunc dominus iuſtus eſt, ego autem & populus meus impij, Orate igitur pro me ad dominum. In octauo cùm locuſtis vrgeretur, Et feſtinauit (inquit) Pharao, & vocauit Moyſen & Aaron, dicens, Peccaui ante dominum deum veſtrum, & in vos, ſuſcipite peccatum meum etiam nunc, & orate pro me ad dominum deum veſtrum. In nono cùm tenebris offunditur, Vocauit (inquit) Pharao Moyſen & Aaron, dicens: Ite, ſeruite domino deo veſtro. Iam verò in decimo cùm primitiua hominum extinguuntur & pecorum, Vocauit (inquit) Pharao Moyſen & Aaron nocte, & dixit illis, ſurgite & exite de populo meo, & vos & filij Iſraël, ite, & ſeruite domino deo veſtro, ſicut dicitis. Oues, & boues veſtros adſumentes, pergite: ſicut dixiſtis. Benedicite autem & me. Et cogebant Aegyptij populum quamcelerrimè exire de terra Aegypti. Dicebant enim, Quoniam omnes nos moriemur. AVCTOR CATENAE. Orate dominum vt deſinant tonitrua & grando. Senſum optimè ex verbis Hebraicis elicuit Interpres hoc in loco, eſt enim ibi: וְרַב מְהוּמֹת קֹלֹת אֱלֹהִים וּבָרָד Verab mihioth koloth elohim



A him vbarad, Et multum eſt, ſeu multum eſt enim vt fuerint voces, ſeu tonitrua dei, & grando. Alij reddunt, Et ſufficiat, ſeu Et abundè ſat (ſubaudi domino) vt non ſint, Vel ſi non fuerint tonitrua & grando, id eſt, ſatis ſit illi tonitrua hæc ingentia, & grandines miſiſſe, vt poſt hac non fiant. Hîque exponunt מ mem literam bachlam negatiuè, ſicut & alij quidam dicentes, Magnum coram me eſt lucrum, quòd non ſint ſuper nos voces illæ execrandæ & grando. Alij verò è contra affirmatiuè, videlicet, Et ſufficiat iam eſſe tonitrua dei & grandinem. Tonitrua autem dei hoc loco, pro magnis & vehementibus tonitruis ponitur, vt alio loco cœli dei, pro cœlis altiſsimis. Chaldaica longioribus vtitur verbis, hoc modo, Orate coram domino, vt ſit à facie eius refrigeriũ multum, & non ſint ſuper nos tonitrua maledictionis huiuſcemodi à facie domini, neque grando. Septuaginta, καὶ παυσάσθω τὸ γενηθῆναι φωνὰς θεοῦ, ἢ χάλαζαν, Et ceſſent fieri voces dei & grando. Quæ omnia idẽ dicunt quod litera noſtra. Quod verò ſequitur, Vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltra maneatis, hîc etiam ſenſum ex He- B braiſmo optimè aſſequutus eſt Interpres, nam ita legitur וַאֲשַׁלְּחָה אֶתְכֶם וְלֹא תֹסִפוּן לַעֲמֹד Vaaſallecha ethchem velo thoſiphun lahamod, Vt dimittam, ſeu & dimittam vos, & non addetis ad manendum. Sic & Septuaginta, Vel nec addetis vt vltra maneatis, ſcilicet in Aegypto. Quod eſt idem cum litera noſtra. Chaldaica, Et dimittam vos, nec vltra retinebo vos. Orate itaque (ait Pharao ad dominum) & multum ſcilicet orate (id enim indicat עָתַר Hathar verbum) hoc eſt, impensè, & forti, deuotóque ſpiritu precemini ne ſint vltra tam tremendæ voces, tam horribilia tonitrua & grandines: quòd ſi impetrabitis, populum illico dimittam, nec ſinam vltra ſubſiſtere & tardare. Sic ſolent impij vexati vouere multa & grandia, quæ liberati non ſeruant. Audacia & hypocriſis quum erumpere non poteſt, in latebras ſuas ſe abſcondit, omnia pollicetur, donec quòd metuit tollatur, tum ad ingenium redit. Quid igitur hac confeſsione magis pium videtur? quis hãc confeſsionem iuxta ſonum verborum non egregiè diuinam iudicaret? Sed hæc confeſsio mera fuit hypocriſis, & profecta eſt non ex ſyncera fide, ſed ex grauitate ſupplicij. Quare ceſſante ſupplicio, ceſſat & confeſsio. Additur enim: Pharao videns quòd C ceſſaſſet grãdo & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum eſt cor eius, & ſeruorum eius. Obſeruabis igitur, non quãuis confeſsionem oris, verè piam eſſe, ſed duplicem eſſe confeſsionem. Alteram per amorem dei, & hæc cõſtat, etiam ſi accedant aut abeant ſupplicia, ſeu aduerſitates. Alteram per timorem pœnarum, Et hæc abit, abeuntibus aduerſitatibus. Quid ergo? Num quia afflictorum cõfeſsio poteſt eſſe hypocritica & mendax, miniſter Eccleſiæ non agnoſcat eam? Imo agnoſcat, idque exemplo Moyſi, qui etſi credebat Pharaonem fallere. Dixit enim, Noui quòd tu & ſerui tui, necdum timeatis dominum deum, nihilominus tamen agnoſcit confeſsionem Pharaonis, & orat dominum, vt deſinant tonitrua & grando. *Ait Moyſes, Cùm egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad dominum, & ceſſabunt tonitrua, & grando non erit, vt ſcias quia domini eſt terra.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Et deſinent voces & grando. Notandum eſt ſcripturam voces ſolere appellare tonitrua, quas voces dei etiam Pharao ſuperius appellauit, dicens, Orate pro me ad dominum, vt deſinant fieri voces dei. Vbi & illa locutio eſt, quòd dixit, deſinant fieri voces. CAIETANVS. Extendam D palmas meas ad dominũ. Conſidera ex hoc loco vſum extendendi manus verſus cœlum orãdo. Vt ſcias (inquit) quoniam domini eſt terra. Significat, quòd deo incumbit cura terræ, ſummi enim dei prouidẽtia circa hæc terrena ſignificatur. AVCTOR CATENAE. Et grãdo non erit. In Hebræo eſt עוֹד Hod, vt dicatur, Et grãdo non erit vltra, ſiue amplius. Sed hoc ſubauditur in Latina litera. Apud Septuaginta verò additum eſt, καὶ ὑετὸς, & pluuia, Et legitur, Et voces ceſſabunt & grando, & pluuia non erit amplius. Porrigere autem palmas ad cœlum, feruentis orationis typus eſt, & mentis eleuationem pariter erigit ac promouet. Fide itaque certus Moyſes de dei clementia, promittit ſe oraturum, ſed extra Eccleſiam malignantium, extra vrbem & aulam tam impiam, & ſe exaudiendum non dubitat ad gloriam dei. Vt ſcias, inquit, quia domini eſt terra: quaſi dicat, Vt tandem videas dominum eſſe dominatorem orbis & terræ tuæ, nõ te, Cui ablatam grandinem acceptam feras, non naturę vel caſui. *Noui autem quòd & tu, & ſerui tui necdum timeatis dominum deum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Cum fragore cœli qui vehemens erat in grandine, Pharao territus, ro- *Quæſt. 37.* E garet Moyſen vt oraret pro illo confitente iniquitatem ſuam & populi ſui, Moyſes ei dixit, Et tu & ſerui tui ſcio quòd nondum timetis dominum. Qualem timorem quærebat, cui timor iſte nondum erat ei domini timor? Facile eſt enim pœnam timere, ſed nõ eſt hoc deum timere, illo ſcilicet domini timore pietatis, quem commemorat Iacob, vbi dicit, Niſi deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adeſſet mihi, nunc me inanem dimiſiſſes. CAIETANVS. Prædicit etiam eis, quòd ceſſante grandine adhuc non timebunt preſentiam ſummi dei iu- *Gen. 31.* dicis, hoc eſt, iudicia plagarum harum exercentis. AVCTOR CATENAE. Noui autem quòd tu & ſerui tui necdum timeatis dominũ deum. Hebraicè eſt, מִפְּנֵי Mipene, hoc eſt, à facie domini dei. Hebraiſmus. Septuaginta, ὅτι οὐδ' ἑπότε φοβεῖσθε τὸν κύριον, Quòd nunquam timetis dominum. Chaldaica, Noui enim quòd & tu & ſerui tui adhuc non humiliamini à facie domini dei. Sed hæc eadem ſunt cum litera noſtra. Hoc (inquit) ſcio, ait Moyſes, quòd nec tu nec ſerui tui adhuc deum timebitis, tametſi iam tot ſigna & portenta vidiſtis, quãquam plura promittatis. Sic plena eſt terra dei prouidentia circa tam impios quàm ſanctos. *Linum ergo & hordeũ læſum* F *eſt, eo quòd hordeum eſſet virens, & linum iam folliculos germinaret. Triticum autem & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant.* CAIETANVS. Quod dicitur, eo quòd hordeum eſſet virens, iuxta Hebręum habetur primitiuum. Redditur enim ratio læſi hordei, eo quòd priùs matureſcit, & iam in ſtatu erat non herbæ, ſed forte plus quàm calami. Nam de lino ſubiungitur quòd etiam læſum eſt, quia erat in ſtatu calami, grando enim frangendo calamos, impediebat vegetationem. Triticum autem & far non ſunt læſa. Nonnulli hîc legunt & ſpelta, ſed parui refert quia ſerotina erant. AVCTOR CATENAE. Eo quòd hordeum eſſet virens. Quia dictio אָבִיב Abib, & virens, & ſpicam ſignificat. Hinc factum quòd aliqui verterunt, Quoniam hordeum maturuerat, ſeu matureſceret, vel in ſpicam creſceret. Aut in ſpica, ſcilicet eſſet. Chaldaica vt apud nos. Septuaginta ἡ γὰρ κριθὴ παρεσκυῶα, Nam hordeum germinauerat. Et linum (inquit) folliculos germinaret. Quia גִּבְעֹל & folliculum, & calamum ſignificat, idcirco nonnulli hîc verterunt, Et linum in calamo, ſubaudi eſſet, vel in calamum creſcebat. Septuaginta ὁ δὲ λίνον σπερματίζον, At linum ſeminificans. Chaldaica vt apud nos. Sequitur. Triticum autem & far non ſunt læſa, quia

quia serotina erant,id est,nondum assurrexerant in calamum,nondum eruperant culmi in nodulos seu folliculos semen continentes,adhuc non apparebant grana,propterea non fuerunt læsa.Et quod natũ de his erat,grandine percussum,cedebat,& non resistebat.Nõ igitur poterant in totum prosterni,sicut si proximè instetisset messis.Vbi verò serotinum legimus, Hebræi aphiloth habent, quasi subobscura, nondum visibilia vel prodeuntia fuerint,sed latentia adhuc sub terra,vel in gramine. Pro fare autem, aliqui verterunt spelta, vel zea, aliqui frumentum,quod idem speltam esse volunt tritico conformem,nisi quòd grana in ipsa arista & extrà,thecis includuntur. *Egressúsque Moyses à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad dominum, & cessauerunt tonitrua & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram. Videns autem Pharao quòd cessasset pluuia,& grando & tonitrua, auxit peccatum, & ingrauatum est cor eius & seruorum illius,& induratum nimis;nec dimisit filios Israel, sicut præceperat dominus per manum Moysi.* CAIETANVS. Hactenus de corde Pharaonis fuit sermo, modò adiungitur & curialium, vt manifestetur culpa cõmunis. AVCTOR CATENAE. Auxit peccatum. Hebraicè est וַיֹּסֶף לַחֲטֹא Vaiósseph lachato, Et addidit, seu adiecit peccare aut ad peccãdum,vel vt peccaret,id est,denuo peccauit.Hebraismus.Et ingrauatum est cor eius, & seruorum illius. Iuxta Hebræum legitur וַיְכַבֵּד לִבּוֹ הוּא וַעֲבָדָיו Vaiachbed libbo hu vahabadaf,Et ingrauauit cor suum ipse & serui eius.Sic est in Chaldaica.Septuaginta vt apud nos.Sed hoc parum est.Et induratum nimis,id est,valde. Cõsultò vitauit hîc repetitionem Interpres Hebraico idiomati propriam, sic enim Hebraicè legitur וַיְחַזֵּק לֵב פַּרְעֹה וְלֹא שִׁלַּח אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Vaiechezak leb Parho velo sillach eth bene Israël,Et obriguit,seu roboratum, vel ingrauatúmque est cor Pharaonis ,& non dimisit filios Israël : sic habetur in omnibus editionibus, sed est idem cum Latina editione.Sicut præceperat,Hebraicè est דִּבֶּר Dibber, dixerat, seu loquutus fuerat. Per manum Moysi, id est,per Moysen.Hebraismus.Septuaginta, καθάπερ ἐλάλησε κύριος ϖρὸς μωϋσῆν, sicut loquutus fuerat dominus Moysi.Satis ex præcedentibus patet obedientia Moysi,pietas,charitas,& constãtia. Sicut & pertinacia regis & seruorum consentaneorum in malo,semper peccata exaggerantium,& cordibus obduratorum,domino volente vlcisci sanguinem innoxium,& oppressorum calamitatibus misereri.

*Mysticè.* ORIGENES. Hucusque per errorum suorum figuras,mundo supplicia temperãtur. Post hæc verò verbera veniunt,de supernis voces (inquit)tonitrui sine dubio,& grando, & ignis discurrens in grandine. Vide temperamentum diuinæ correptionis , non cum silentio verberat, sed dat voces , & doctrinam cœlitùs mittit , per quam possit culpam suam castigatus agnoscere mundus . Dat & grandinem, per quam & tenera adhuc vastantur nascentia vitiorum.Dat & ignem,sciens esse spinas & tribulos,quos debeat ignis ille depascere.De quo dicit dominus,Ignem veni mittere in terram.Per hunc enim incentiua voluptatis & libidinis consumuntur. ORDINARIA. Aliter septimum præceptum,non furaberis.Septima plaga grando in fructibus.Nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno.Dum furaris,acquiris vestem,amittis fidem: lucrum visibile, damnum inuisibile:lucrum de tua cęcitate,damnum de domini nube.Qui enim malo desiderio forinsecus furantur, dei iudicio intrinsecus grandinantur, & ager cordis eorum deuastatur. PROSPER. Septima plaga Aegyptiorum est grando cum igne permixta, non tantum omne animal, quantum etiam arbusta ipsa virgultáque subuertens. Septimúmque mãdatum est,Non furaberis.Comparatio hæc est,fur parietibus domibúsque infert alienis, quod sæuiens grando agit in campis, obnoxiúsque est legi generali, qua dictum est, Quod tibi fieri non vis,alij ne feceris. RVPERTVS. Sanè verò cùm sint plures differentiæ furti,pessimum illud constat furtum esse,quod est veritatem dei in iniustitia detinere . Huic peccato meritam pœnam hæc plaga denunciat quæ de cœlo facta est,vbi grando & nix mixta pariter ferebantur.Reuelatur enim ira dei de cœlo(inquit Apostolus) super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatem dei in iniustitia detinent, quia quod notum est dei manifestum est in illis,deus enim illis reuelauit.Hoc denique quod dixerat,qui veritatem dei in iniustitia detinebant, subsequutus exponit, Quia cum cognouissent deum(inquit)non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt , sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis dei,in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,& volucrum,& quadrupedũ, & serpẽtium. Item quæ sit ira dei,quæ de cœlo super impietatem reuelatur,quæq; hìc per grandinem & ignem designatur,terribiliter exprimit,cùm protinus subdit,Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorum in immundiciam,vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis,&c.Grando hæc & ignis iste,cunctam(inquit)herbã agri percussit,& omne lignum regionis contriuit , quia videlicet hæc quæ prædicta est ignominia secundum Apostolum,cunctam humanæ substantiæ pulchritudinem cœlesti ira in vasis iræ iniecta polluit , vniuersam rationalis creaturæ dignitatem omnino destruxit.

*Vbi supra.*

*Rom.1.*

## IN CAPVT EXODI DECIMVM, ARGVMENTVM.

*Induratur Pharao à deo.Locustæ mittũtur.Orat Moyses pro Pharaone agnoscẽte peccatũ.Postmodum eodẽ renitente tenebræ fiũt palpabiles.*

### CAPVT DECIMVM.

*Lectio prima.*

ET *dixit dominus ad Moysen, Ingredere ad Pharaonẽ, ego enim induraui cor eius & seruorum illius,ut faciam signa mea hæc in eo,& narres in auribus filii tui,& nepotũ tuorum quoties contriuerim Aegyptios,& signa mea fecerim in eis, & sciatis quia ego dominus. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonẽ,& dixerunt ei,Hæc dicit dominus deus Hebræorũ: Vsquequo non uis subiici mihi? Dimitte populũ meũ ut sacrificet mihi. Sinautẽ resistis,& non uis dimittere eũ, ecce ego inducã cras locustã in fines tuos, quæ operiet superficiẽ terræ,ne quicquã eius appareat,sed comedatur quod residuũ fuerit grãdini,corrodet enim omnia ligna quæ germinãt in agris.Et implebunt domos tuas, & seruorũ tuorũ,& omniũ Aegyptiorum,quantã non uiderunt patres tui & aui,ex quo orti sunt super terrã usque in præsentẽ diem. Auertitq; se,& egressus*



*Aegressus est à Pharaone.Dixerũt autem serui Pharaonis ad eũ,Vsquequo patiemur hoc scãdalum? dimitte homines,ut sacrificent domino deo suo.Nónne uides quòd perierit Aegyptus? Reuocauerúntq; Moysen & Aaron ad Pharaonem,qui dixit eis:Ite,sacrificate domino deo uestro.Qui nam sunt qui ituri sunt? Ait Moyses,Cũ paruulis nostris & senioribus pergemus , cum filiis & filiabus, cũ ouibus & armentis. Est enim solennitas domini dei nostri.Et respondit Pharao, Sic dominus sit uobiscum quomodo ego dimittam uos & paruulos uestros: cui dubium est quòd pessimè cogitetis?Non fiat ita,sed ite tantùm uiri,& sacrificate domino, hoc enim & ipsi petistis.Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis.*

*Lect.1.*

B GRAECVS. Deus Aegyptiis vt pote rebus à se creatis parcebat,tametsi Idololatrę essent, vt sibi crederent atq; obtemperarent,quare illos modò verbis,modò diuersis plagarũ generibus castigabat, idipsum,etiã hoc toto capite agit.Ait ergo, *Et dixit dominus ad Moysen.* CAIETANVS. Octaua hinc incipit plaga locustarũ,cui magnũ prẽmittitur monitoriũ videlicet, *Ingredere ad Pharaonẽ,ego enim induraui cor eius & seruorũ illius,vt faciã signa mea hæc in eo.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Tanquã opus habeat deus cuiusquã malitia.Sed sic intelligendũ est , ac si diceret, Ego enim patiẽs fui super eũ & seruos eius, vt nõ eos auferrẽ, vt ordine superueniãt signa mea super eos.Quia cũ patiẽtia dei obstinatior fiebat malus animꝰ,ideo pro eo quod est,patiẽs fui,dicitur,grauaui cor eiꝰ. GREGORIVS VIGESIMO NONO MORALIVM. Semetipsum dominꝰ hãc duritiã gignere perhibet, nõ quò prauorũ mentes ipse ad culpã formet,sed quò à culpa non liberet, sicut hîc scriptũ est, Ego enim obduraui cor Pharaonis. Quod quia misericorditer emollire noluit, profectò districtè se obdurare nũciauit. IDEM SVPER EZECHIELEM. Hoc aũt nobis cũ tremore considerandũ est, quomodo iustus & omnipotẽs deus cũ prẽcedẽtibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiã in aliis la-

C batur.Vnde Moyses ait,Nondũ cõpleta sunt peccata Amorrhęorũ.Dauid quoq; ait,Appone iniquitatẽ super iniquitatẽ ipsorũ,vt nõ intrẽt in iustitiã tuã.Propheta etiã alius dicit,Maledictũ & mendaciũ, & homicidiũ,& furtũ,& adulteriũ inũdauerũt, & sanguis sanguinẽ tetigit.Sãguis enim sanguinẽ tãgit,quãdo peccato peccatũ additur,vt ante dei oculos adiũctis iniquitatibꝰ anima cruẽtetur. Paulus Apostolus ait,Vt implẽat peccata sua semp. Ioãni quoq; per angelũ dicitur,Qui nocet,noceat adhuc,& qui in sordibꝰ est,sordescat adhuc.Vnde nũc etiã dns dicit,Si cõuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatẽ,ponã offendiculũ corã eo. Ac si apertè dicat:Quia videre pœnitẽdo noluit vbi iã impingit, iusto eũ iudicio deserẽs, ponã ei vt & alibi impingat.Quod tamẽ dni ponere, est nequaquã ad peccandũ premere,sed nolle à peccato liberare,sicut & de Pharaone dicitur, Ego indurabo cor eius.Non enim cor peccantis dñs obdurat:sed obdurare dicitur,cũ ab obdu ratione nõ liberat.Misericors enim deus tẽpus nobis ad pœnitentiã relaxat,sed cũ eius gratię patientiã nos ad augmentũ vertimus,culpæ hoc ipsum tẽpus quod ad parcendũ piè disposuit,districtius ad feriendũ vertit,vt quia reuerti quis etiã spatio tẽporis accepto noluerit,per hoc mala sua ad reatum augeat,per quod ea diluere potuit,si cõuerti voluisset.Vnde scriptũ est,

D Ignoras quoniã benignitas dei ad pœnitentiã te adducit? Secundũ duritiã autẽ tuã & cor impœnitẽs, thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei . De benignitate ergo omnipotẽtis dei irã sibi in die irę reprobus thesaurizat,quia dũ ad pœnitendũ tẽpus accipitur,& ad peccandũ exhibetur,ipsum remediũ gratiæ vertit in augmentũ culpæ.Vnde & omnipotẽs deus quia collata remedia cõspicit ad culpę augmentũ trahi, ipsam benignitatẽ quã cõtulit,in iudicij districtionẽ vertit,vt inde post amplius feriat,vnde modò amplius expectat. Et quia homo deserere malũ nõ vult vt viuat,auget vnde moriatur. THOMAS. Ego enim induraui cor eiꝰ, &c.Dicendũ quòd excęcatio & obduratio duo importãt.Quorũ vnũ est motus animi humani inhęrentis malo & auersi à diuino lumine,& quantũ ad hoc deus nõ est causa excęcationis & obdurationis,sicut nõ est causa peccati.Aliud autẽ est subtractio gratiæ:ex qua sequitur quòd mẽs diuinitus nõ illuminetur ad rectè videndũ,& cor hominis nõ emolliatur ad rectè viuendũ,& quantũ ad hoc deus est causa excęcationis & obdurationis. Est autẽ cõsiderãdum,quòd deus est causa vniuersalis illuminationis animarũ,secundũ illud Ioánis primo,Erat lux vera

E quæ illuminat oẽm hominẽ venientẽ in hunc mundũ,sicut sol est vniuersalis causa illuminationis corporũ,aliter tamẽ & aliter.Nã sol agit illuminãdo per necessitatẽ naturæ, deus autẽ agit volũtariè p ordinẽ suæ sapiẽtiæ: sol autẽ licet quãtum est de se oía corpora illuminet,si quod tamẽ impedimẽtum inueniat in aliquo corpore,relinquit illud tenebrosum,sicut patet de domo cuius fenestrę sunt clausę. Sed tamẽ illiꝰ obscurationis nullo modo causa est sol,nõ enim suo iudicio agit vt lumẽ interius nõ immittat,sed causa eius est solũ ille qui claudit fenestrã.Deus autẽ proprio iudicio lumẽ gratiæ nõ immittit illis in quibus obstaculũ inuenit.Vnde causa subtractionis gratię,est nõ solũ ille qui ponit obstaculũ gratię,sed etiã deus,qui suo iudicio gratiã nõ apponit,& p hũc modũ deus est causa excæcationis,& aggrauationis auriũ,& obdurationis cordis, quæ quidẽ distingũtur secundũ effectus gratiæ,quę & perficit intellectũ dono sapiẽtię,& affectũ emollit igne charitatis.Et quia ad cognitionẽ intellectus maximè deseruiũt duo sensus,scilicet visus & auditus,quorũ vnus deseruit inuẽtioni, scilicet vi-

F sus,alius disciplinæ,scilicet auditus:ideo quãtum ad visum ponitur excæcatio,quantũ ad auditũ auriũ aggrauatio,quantũ ad effectũ obduratio. CAIETANVS. Quoniã induratio cordiũ nõ est actio dei positiua,sed est negatio gratiæ diuinę,nihil prohibet huiusmodi negationẽ ordinari ad efficientiã miraculorũ,cũ neutrũ sit malũ,& vtrũq; sit à deo. AVCTOR CATENAE. Ego enim induraui,vel aggrauaui cor eius,&c.Vt faciã signa mea hęc in eo.Rectè quidẽ sensum verborũ edidit Interpres, quæ eiusmodi sunt in Hebræo לְמַעַן שִׁתִי אֹתֹתַי אֵלֶּה בְּקִרְבּוֹ Lemáhã sithi othothai élle bekirbo,Vt ponerẽ siue ponã signa mea hæc in medio eius,id est,in regno eius, vt videlicet eo spectãte ederẽ signa mea in gloriã meã.Chaldaica,Vt ponerẽ signa mea hęc in medio eorum.Septuaginta, ἵνα ἔχῃς ἐπέλθῃ τὰ σημεῖά μου ταῦτα ἐϖ̓ αὐτοὺς,Vt deinceps superueniãt signa mea hæc super eos, sed hæc idẽ dicũt cũ litera nostra. Nõ habẽt impij quod cauillẽtur hoc loco scriptum esse,ego enim induraui cor eius,& seruorũ eius.Itẽ alibi dictũ esse ab Apostolo, Tradidit illos deus in reprobũ sensum,& cętera, & si quæ sunt similes in scripturis figuræ.Certũ est enim,eas Hebraica phrasi significare permissionẽ,non voluntatẽ efficacẽ seu co-

gentem

*Rom.2.*

*1.2.q.79. ar.35.in. cor.*

gentẽ,quemadmodũ oramus,Ne nos inducas in tentationẽ, id eſt,ne ſinas nos induci. Indurauit deus cor Pha- G
raonis,quòd permiſerit Pharaonẽ abuti ſua volũtate,idq; ſecundũ iuſtiſsimũ iudiciũ ſuũ, qui cor peccatoris re-
probũ(quod nec patiẽtia,nec lõganimitate dei ad pœnitentiã emollitur, nec cõpunctione ſcinditur, nec timore
frãgitur,nec emollitur amore)in obduratione ſua perſeuerare permittit, atq; hæc permiſsio ſeu dei patiẽtia, ma-
gis accuſat q̃ excuſat impiũ. Vides enim quot miraculis deus Pharaonẽ ad pœnitentiã inuitarit, adeò vt fractus
malis cœperit reſipiſcere, dũ vocauit Moyſen & Aarõ,dicẽs ad eos:Peccaui etiã nũc,dñs iuſtus,& ego & populus
meus impij. Verũ vbi eũ ſalutaris pœnitẽtiæ iterũ pœnituiſſet,ac populũ dei dimittere noluiſſet, nec tot tantiſq;
miraculis cõmotus ab eorũ perſequutione deſtitiſſet, ſed vindictæ cupidine cæcus, diuiſo mari ſeſe credere eſt
auſus, deus ſumma ſua miſericordia deploratæ malitiæ finẽ impoſiturus, eũ cũ ſuo exercitu in mediis oppreſsit
fluctibus,vt quãdo ſanari nõ poſſet,ſaltẽ citiùs interiret. Atq; hîc diligẽter intuẽda eſt dei incõprehẽſibilis ſapiẽ-
tia ac benignitas,qui adeò malorũ hoĩm impietatẽ nõ probat, vt nõ tantũ impios illorũ conatus penitus fruſtre- H
tur,ſed eiſdẽ etiã ad bonũ & gloriã nominis ſui(vt ita dicam⁹)abutatur,quod nõ ſiluit ſcriptura. In hoc(inquiẽs)
excitaui te,id eſt,permiſi te tua volũtate impia abuti,vt oſtendã in te virtutẽ meã,& vt annũtietur nomẽ meũ in
vniuerſa terra. Quis enim ignorat quæ fuerit gloria dei ex illo memorabili facinore, nõ tantũ apud Iudæos, ſed
& gẽtes illuſtrata? Vt interim Chriſti gloriã, & triũphũ hoc facinore ſignificatũ taceamus. Dãnationẽ itaq; mor-
tis meruerũt Aegyptij nimia crudelitate opprimẽtes Iſraëlitas, ipſorũ autẽ malo vſus eſt dñs ad totius orbis bo-
nũ,vt oĩpotentẽ Iſraëlitarũ deũ diſcerẽt,reuererẽtur ac colerẽt oẽs gẽtes & regna, quod factũ videre licet in glo-
riã dei. Plagę ergo Aegyptiorũ eruditio fiũt nõ ſolũ Iſraëlitarũ,ſed oĩm in toto orbe credentiũ & electorũ. *Et narres in auribus filii tui,& nepotũ tuorũ,quoties cõtriuerim Aegyptios,& ſigna mea fecerim in eis,& ſciatis quia ego dñs.* AVGVST. IN
*Lec.46.* LOCVTIONIBVS. Iuxta Septuaginta, Vt narretis in aurib⁹ filiis veſtris,& filiis filiorũ veſtrorũ, quęcunq; il-
luſi Aegyptiis. Notandũ quẽadmodũ dicatur illuſio,ne fortè ita ſit dictũ, Draco hic quẽ finxiſti ad illudendũ ei.
*Pſal.103.* Et illud in Iob,Hoc eſt initiũ figmẽti dñi,quod fecit illudẽdũ ab angelis eius. CAIETANVS. Ad ſimilitudi- I
*Iob.40.* nẽ igitur illudẽtis manifeſtat deus ſe facere hęc ſigna,hoc eſt, tanquã iocoſo contẽptu Pharaonis feci hęc in Ae-
gypto. Et verè ſigna oĩa vſq; ad mortẽ primogenitorũ excluſiuè,relata ad diuinã omnipotentiã,ſimilitudinẽ ha-
bẽt illuſionis,quaſi nõ ſeriò,ſed iocò afflixerit deus Pharaonẽ & Aegyptios,leuia enim oĩa effecit,modò lędẽdo,
& quaſi ſtatim tollẽdo læſionẽ. Ita quòd & ex parte leuitatis plagarũ,& ex parte ceſſationis,ſimilitudo iocoſæ af-
flictionis potiuſquã rei geſtæ ſeriò à ſummo deo potẽte maximas plagas infligere apparet,& propterea illuſio vo
catur Aegypti. Et manifeſtauit deus hãc illuſionis rationẽ narrandã in ſucceſſu generationũ Iſraël, vt diſcerẽt po
ſteri,quòd nõ ex impotẽtia immiſit deus has plagas paruas,& tot vicibus abſtulit,ſed ex ſapientia volẽtis primò
ignominiã illuſionis exercere in Aegypto,& demũ punire, more principiũ qui nobilẽ aliquẽ aliquãto tẽpore il-
luſoria afflictione afficiũt,& demũ occidunt. Finis autẽ hic eſt, vt populus Iſraël etiã in poſteris ſuis cognoſcat,
quòd ego qui facio hæc ſigna,ſum ipſe fons eſſendi. AVCTOR CAT. Et narres in auribus filij tui & nepo-
tum tuorũ,id eſt,audiẽte filio tuo & nepote tuo. Hic Moyſes ſuſtinet perſonã totius Iſraëlis, quaſi dicat, vt nar- K
rẽt Iſraëlitę filiis ſuis & nepotibus. Sic igitur capitur filius & nepos pro toto populo, ſicut pars pro toto & ecõtrà,
more ſcripturę. Quoties cõtriuerim Agyptios. Hebraica litera eſt אֲשֶׁר הִתְעַלַּלְתִּי בְּמִצְרַיִם Aſer hithhallálti bemiz-
ráim. Verbũ autẽ Halal multa ſignificat,nẽpe facere,operari,deuaſtare,illudere,vindemiare. Vnde factũ,quòd va
ria fuerit huius loci redditio: nã Interpres cepit ꝓ deuaſtare. Chaldaica pro facere,inquit enim: Miracula quæ
feci in Aegypto,id eſt,Aegyptiis in quib⁹ oſtẽdi opera mea terribilia atq; magna. Sic quidã habẽt,quid fecerim,
vel quid operatus ſim in Aegypto. Septuaginta,pro illuſiſti,vt iã dictũ eſt. Alij pro vindemiare,vt dicãt,Quoties
vindemiauerim Aegyptũ. Nõnulli etiã verterunt, Quæ ego tẽtauerim in Aegypto. Quorũ oĩm vnus ſenſus eſt,cũ
verſione noſtra. Et ſigna fecerim in eis. In Hebræo וְאֶת אֹתֹתַי אֲשֶׁר שַׂמְתִּי בָם Veeth othothai aſer ſamti bam. Et ſi-
gna mea quæ poſui in eis. Ita & Chaldaica. Septuaginta, καὶ ἐποίησα, Quæ feci. Sed hæc vnũ ſunt cũ litera noſtra. Fi-
lij igitur & nepotes,hoc eſt,tota poſteritas fideliũ,ad timorẽ dei nutriri debẽt,& à parẽtibus diuinis literis inſti-
tui: verbo prædicationis de dei bonitate ac beneficiis iuſtitia & veritate informãdi. Vult enim in primis domi- L
nus vocari,haberi domin⁹ deus,& prædicari. Vide autẽ dei ſapientiã,quomodo hac impia induratione Pharao-
nis & ſeruorũ eius,ad illuſtrãdum nomẽ ſuũ vtatur. Hac enim occaſione tãta edidit miracula in Aegypto. In quẽ
vſum? Vt narres,inquit,in auribus filij tui & nepotum tuorũ,quid egerim in Aegypto,& ſigna mea quę poſui in-
ter eos,vt ſciatis quia ego ſum domin⁹. Eadẽ habes in Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo, Quãta(inquit)mãdauit pa-
tribus noſtris nota facere ea filiis ſuis,vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcẽtur & exurgẽt, & narrabũt fi-
liis,vt ponãt in deo ſpẽ ſuã,& nõ obliuiſcãtur operũ dei,& mãdata eius exquirãt. *Introierũt ergo Moyſes & Aaron ad*
*Pharaonẽ,& dixerũt ei,Hęc dicit domin⁹ deus Hebręorũ,Vſquequo nõ vis ſubiici mihi.* GREGOR. IN SEPTIMO MORA-
*Cap.22.* LIVM. Libet oculos mẽtis attollere,& electos dei exteri⁹ oppreſſos quãtę intrinſecus arci prędideãt videre. Cũ-
cta quippe quæ foris eminẽt, occultis eorũ obtutibus per deſpectũ iacẽt. Nã ſuper ſe interius rapti,in alto animũ
figũt,& quæq; in hac vita patiũtur,quaſi lõgè infra labẽtia atq; à ſe aliena cõſpiciunt,atque (vt ita dixerim)dum
mẽte extra carnẽ fieri decertãt, penè ipſa quæ tolerãt ignorãt. In horũ profectò oculis quicquid tẽporaliter emi- M
net,altũ nõ eſt,nã velut in magni vertice mõtis ſiti,prędentis vitę plana deſpiciunt,ſeq; ipſos per ſpiritualẽ celſi-
tudinẽ tranſcendẽtes,ſubiecta ſibimet intus vidẽt, quæcunq; per carnalẽ gloriã foris tumẽt. Vnde & nullis cõtra
veritatẽ poteſtatibus parcunt,ſed quos attolli per elationẽ cõſpiciunt, per ſpiritus auctoritatẽ premunt. Hinc eſt
enim,quòd à deſerto Moyſes veniẽs,Aegypti regẽ ex auctoritate aggreditur,dicẽs,Hęc dicit dominus deus He-
*Exod.8.* bręorũ,Vſquequo nõ vis ſubiici mihi? Dimitte populũ meũ,vt ſacrificet mihi. Cui & aliàs dũ plagis preſſus Pha-
rao diceret:Ite,ſacrificate deo veſtro in terra iſta,aucta protinùs auctoritate reſpõdit,Nõ poteſt ita fieri. Abomi-
nationes Aegyptiorum immolabimus domino deo noſtro? Hinc eſt quòd peccantẽ regẽ Nathan aggreditur,cui
priùs ſimilitudinẽ perpetratæ pręuaricationis obiiciens,eumq; reũ per proprij iudicij vocẽ tenens, protinus ad-
*2.Reg.12.* iunxit,dicẽs,Tu es ille vir qui feciſti hãc rem. Hinc eſt quòd vir dei ad deſtruendã idololatriã, Samariã miſſus,
Hieroboã regẽ ſuper altare thura iacientẽ,non regẽ veritus,nõ formidine mortis preſſus, cõtra altare intrepidus
auctoritatem



A auctoritatẽ liberę vocis exercuit,dicẽs, Altare altare,hęc dicit domin⁹ deus:Ecce filius naſcetur domui Dauid,
Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorũ. Hinc eſt quòd Achab ſuperbus idolorũ ſeruitio ſub- *3.Reg.13.*
actus,cũ increpare Heliã præſumeret,dicens: Tu ne es ille vir qui conturbas Iſraël? Helias protinus ſuperbi regis *3.Reg.18.*
ſtultitiã, obiurgationis libera auctoritate percuſsit,dicens:Nõ ego turbaui Iſraël, ſed tu & domus patris tui,qui *Ibidem.*
dereliquiſtis mandata domini,& ſecuti eſtis Baalim. Hinc eſt quòd Heliſeus verã magiſtri celſitudinem ſequẽs,
Ioram filiũ Achab ad ſe cũ Ioſaphat rege venientẽ, ex reatu perfidiæ cõfudit,dicens,Quid mihi & tibi eſt? vade *4Reg 3.*
ad Prophetas patris tui & matris tuæ. Viuit dominus exercituũ,in cuius cõſpectu ſto,quòd ſi non vultũ Ioſaphat
regis Iudæ erubeſcerẽ,nec attendiſſem quidẽ te,nec reſpexiſſem. Hinc eſt quòd idẽ vir,Naaman ad ſe cũ equis & *4.Reg.5.*
curribus venientẽ,ante oſtiũ domus fixit,& talẽtorum copia ac veſtiũ fulto nõ occurrit:nõ ianuã domus aperuit,
ſed vt lauari ſepties in Iordane debuiſſet per nunciũ iuſsit. Vnde & idẽ Naaman iratus recedebat,dicẽs, Putabã
B quòd egrederetur ad me,& ſtãs inuocaret nomẽ dei ſui. Hinc eſt quòd Petrus, cùm eum ſacerdotes ac principes
etiã per flagella ſæuiẽtes,in nomine Ieſu loqui prohiberẽt, cũ magna protinus auctoritate reſpõdit,dicens,Si iu- *Act.4.*
ſtum eſt in cõſpectu dei, vos potius audire quã deum,iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus,
nõ loqui. Hinc eſt quòd Paulus cũ reſiſtentẽ cõtra veritatẽ ſacerdotũ principẽ cerneret,eumq; miniſter illius alla-
pa percuſsiſſet,nõ maledictũ perturbatus intulit,ſed repletus ſpiritu ſancto libera voce prophetauit,dicens: Per- *Act.23.*
cutiet te deus paries dealbate. Et tu ſedẽs iudicas me ſecundũ legẽ,& contra legẽ iubes me percuti? Hinc eſt quòd
Stephanus cõtra vim perſequentiũ auctoritatẽ vocis exercere, nec moriturus expauit,dicẽs, Dura ceruice & in *Act.7.*
circũciſi corde & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri ita & vos. Sed quia ſancti viri *Cap.23.*
ad verba tãtæ altitudinis zelo veritatis,non autẽ vitio elationis exiliũt,ipſi patẽter indicant,qui factis dictiſque
aliis & quãta humilitate polleãt,& erga eos quos redarguũt,quãta charitate ferueãt,manifeſtãt. Superbia quippe
odiũ generat,humilitas amorẽ. Verba itaq; quæ amor exaſperat, profectò ex fonte humilitatis emanãt. Quomo-
C do ergo Stephanus proferre increpationẽ per elationẽ potuit,qui pro eiſdẽ quos increpauerat, ad deteriora cre- *Act.7.*
ſcẽtibus,ſeq; lapidantibus,flexis genibus orauit,dicẽs: Domine,ne ſtatuas illis hoc peccatum? Quomodo Paulus *2.Cor.4.*
cõtra gẽtis ſuæ ſacerdotẽ ac principẽ aſperitatis verba ſuperbiens intulit: qui humilitate ſe etiã diſcipulorũ ſer-
uitio ſubſternit,dicẽs, Nõ enim noſmetipſos prædicamus,ſed dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ,nos autẽ ſeruos ve-
ſtros per Chriſtũ? Quomodo Petrus per elationẽ principibus reſtitit,quorum errori cõpatiens, reatũ velut excu- *Act.3.*
ſat,dicens,Scio quia per ignorantiã feciſtis,ſicut & principes veſtri? Deus autẽ qui prænunciauit per os omnium
prophetarũ pati Chriſtũ ſuũ,impleuit ſic. Quos ad vitã miſericorditer trahit,dicens,Pœnitemini igitur & cõuer- *Ibidem.*
timini,vt deleãtur peccata veſtra. Quomodo Heliſeus videre Naaman ex elatione noluit,qui nõ ſolũ ſe cõſpici,
ſed teneri etiã à muliere permiſit? de qua ſcriptũ eſt,Cũ veniſſet ad virum dei in montẽ, apprehẽdit pedes eius, *4.Reg.4.*
& acceſsit Giezi vt amoueret eam,& ait vir dei,Dimitte eã: anima enim eius in amaritudine eſt. Quomodo He
lias ſupbo regi increpationis verba per tumorẽ intulit, qui ante ei⁹ currũ humiliter cucurrit? ſicut ſcriptũ eſt, Ac- *3. Reg. 18.*
D cinctiſq; lumbis currebat ante Achab. Quomodo vir dei Hieroboam præſentiã ex elatione deſpexit, qui arentẽ
dexterã eius ſaluti priſtinæ, protinus ex pietate reparauit? ſicut ſcriptũ eſt, Cumq; audiſſet rex ſermonẽ hominis *3.Reg.13.*
dei quẽ inclamauerat cõtra altare in Bethel,extendit manũ ſuã de altari,dicẽs: Apprehẽdite eum,& exaruit ma-
nus eius. Et paulo poſt, Orauit vir dei faciẽ domini,& reuerſa eſt manus regis ad eũ,& facta eſt ſicut priùs fuerat.
Quia enim ſuperbia gignere virtutes neſcit: quãta ex humilitate prodiit vox increpationis oſtẽditur, quã ſigna
comitãtur. Quomodo Nathan cõtra Dauid regẽ per verba increpationis tumuit, qui cũ increpãda culpa deeſ-
ſet,in terrã ſe in cõſpectu eius pronus ſtrauit? ſicut ſcriptũ eſt, Nunciauerũt regi,dicẽtes, Ad eſt Nathan propheta, *2.Reg.12.*
Cumq; introiſſet ante conſpectũ regis adorauit eũ pronus in terra. Quomodo Moyſes regi Aegyptio liberè reſi-
ſtẽs,eũ deſpicere potuit,qui deo familiariter colloquẽs,ſequentẽ ſe Iethro cognatũ ſuum humilis adorauit? cuius *Exod.18.*
etiã cõſilio tantã obedientiã præbuit,vt poſt ſecreta dei colloquia, magnũ lucrũ inde duceret, quòd foris ab ore
hominis audiret. Ex aliis ergo ſanctorũ factis diſcimus, quod de aliis pẽſare debeamus. Sãcti etenim viri nec ex
E elatione ſunt liberi,nec ex timore ſubmiſi,ſed cũ rectitudo eos ad libertatẽ vocis erigit, cõſideratio infirmita-
tis proprię in humilitate cuſtodit. Culpas quippe delinquẽtiũ & ſi ex alto increpãtes feriũt,ſemetipſos tamẽ apud
ſe ſubtilius iudicãtes,quaſi in abiectis ponũt,& quo praua in aliis inſequuntur, eo ad reprimendos ſe atrociores
redeunt,rurſusq; quo ſibimet meliora agẽtibus nequaquã parcũt, eo vigilantius aliena facta reprehẽdunt. Quid
enim de humana potẽtia mirari exterius poterũt,qui ſemetipſos quoq; deſpiciunt,etiã cũ intimæ pœnæ iam arcẽ
ſublimitatis apprehẽdunt? Idcirco ergo bene foris diiudicãt altitudinẽ terrenæ celſitudinis, quia intus oculum
nõ grauat põdus tumoris. THOMAS SVPER EPIST. AD ROMANOS. Hæc dicit dominus deus He- *Cap.1.*
bræorũ. Quãuis dominus ſit deus omniũ per creationẽ & gubernationẽ,ſecundum illud infra quarto, dominus *Lect.5.*
omniũ, ſpecialiter tamẽ dicitur eſſe deus iuſtorum tripliciter. Primo quidẽ ſecundũ ſpecialem curam quã de eis
gerit,Pſalmus,Oculi domini ſuper iuſtos. Et alibi dicit,Dominus illuminatio mea. Secũdo per ſpecialẽ cultum,
Exodi decimo quinto,Iſte deus meus & glorificabo eũ. Tertiò quia eorũ prẽmium,Geneſis decimo quinto, Ego
F dominus merces tua magna nimis. CAIETANVS. Parui refert quòd in Hebræo habetur,Vſquequo renui-
ſti ad humiliandũ te à faciebus meis? Humiliauit ſe quidẽ Pharao corã hominibus,& nõ corã deo,qui intuetur
cor, & propterea deus dicit ꝙ renuit humiliare ſeipſum à facie ipſius dei. Et inſinuatur per hoc,quòd humilia-
tio Pharaonis corã Moyſe,nõ ſolũ fuerat ficta, ſed etiã quòd nõ proceſſerat ex timore præſentiæ diuinæ (quã ſi-
gnificat facies dei)ſed aliũde,puta ex timore afflictionũ,quas putabat magicis artib⁹ fieri à Moyſe. AVCTOR
CAT. Vſquequo nõ vis ſubiici mihi? Rectè verſa ſunt Hebraica,quæ ſunt huiuſmodi, עַד־מָתַי מֵאַנְתָּ לֵעָנֹת מִפָּנָי
Had mathai meánta lehanoth mipanai, Vſquequo renuis ſubmittere te mihi,vel deprimere te corã me? Alij ver
tũt,vſq; quo renuiſti vel nõ vis humiliari à facie mea,vel humilis eſſe corã me,& ita habet Chaldaica. Septuagin
ta, ἕως τίνος οὐ βούλει ὑπερασπίσαί με, Vſquequo nõ vis reuereri me? Quę oĩa vnũ ſunt cũ litera noſtra. Cõtẽptor itaq;
dei per ſuperbiã peccat, quæ radix peccati eſt, & proprij ſenſus præſumptio,vnde proficiſcitur inobedientia: qui
contẽptus indulgentiã nõ meretur ęquè vt cõmiſſa per fragilitatẽ humanã. *Dimitte populũ meũ vt ſacrificet mihi. Sin au-*

*tem*

*tem resistis,& nō vis dimittere eū,ecce ego inducā cras locustā in fines tuos,quæ operiet superficiē terræ,ne quicquā eius appareat, sed comedatur* G
*quod residuū fuerit grādini,corrodet enim oīa ligna quę germināt in agris.* AVGVST. IN LOCVT. SVPER EXODVM.

Locut.47. Iuxta Septuaginta, Ecce ego induco hac hora crastino die locustā multā. Ecce quēadmodū superius dixit ranā, vbi diximus,plerūq; plus intelligi cū aliquid huiusmodi singulariter dicitur,quā si pluraliter diceretur. Manifestū est enim plus sonare locustā multā,quā si diceret locustas multas. CAIET. Nec detrahit veritati literæ,vt intelligatur humano more,seu hyperbolicè dictū,quòd nihil terræ apparebit,sat est veritati tā ingēs multitudo, vt totā ferè terrā cooperiret. AVCT. CAT. Dimitte populū meū vt sacrificet,vel seruiat,siue seruiāt mihi.Sin autē resistis,& nō vis dimittere eū.Coactus fuit Interpres vt effugeret eorūdē verborū repetitionē,ita vertere Hebraica,quæ sunt huiusmodi כִּי אִם מָאֵן אַתָּה לְשַׁלַּח אֶת עַמִּי Quòd si renuis, vel recusas, aut nō vis dimittere populū meū.Sed hoc idē est qđ vertit Interpres.Ecce inducā cras locustā in fines tuos.locusta Hebraicè dicit אַרְבֶּה Arbe, à רָבָה Raba verbo quod multiplicare significat,eo q̄ infectū illud semp in immēsum multiplicari soleat numerū.Quę operiet superficiē terræ. Dictionē עַיִן hen quā Interpres superficiē, alij vertūt,aspectū vel colorē terræ.Sed H
hoc parū est. Ne quicquā eius appareat. Sensum ex verbis vertit Interpres.Est enim Hebraicè וְלֹא יוּכַל לִרְאוֹת אֶת הָאָרֶץ,Et nō poterit(subaudi quisquam)videre terrā.Septuaginta,οὐ δυνήσῃ, in 2.psona reddūt,Nō poteris videre terrā.At Chaldaica alio modo habet,Ita vt solis radij nō possint ad eā penetrare. Aliqui,Vt terra videri nō possit,verterūt,prę multitudine.s.locustarū.Totā aūt terrę superficiē,quæ oculus dicitur & aspectus,vel obiectū visus,operitura erat locusta, vt videri terra nō potuerit.Hyppolicē, p more locutionis humanæ,quā sectatur etiā diuinꝰ scriptor, & legislator rudioris populi. Sed comedatur quod residuū fuerit grādini.Paucis exprimit doctꝰ Interpres,quod pluribꝰ verbis scribitur in Hebręo, וְאָכַל אֶת יֶתֶר הַפְּלֵטָה הַשְּׂרִדָה לָכֶם מִן הַבָּרָד Deuorabitq; residuū euasionis relictę vobis à grādine.i.Quicquid remāserit intactū à grādine.Alij,Depascetúrq; residuū quod seruatū,quódq; relictū est vobis à grādine.Alij,Et comedet residuū quod euasit,quod remanet vobis à grādine.Ita ferè & Septuagīta.Chaldaica,Et cōsumet reliqua quę reseruata & relicta fuerāt vobis à grādine. Quę oīa idē dicūt cū I
litera nostra.Quod aūt sequit,Corrodet enim oīa ligna quæ germināt in agris,à Chaldaica declaratur hoc modo,& comedet oēs arbores quę germināt vobis in agro.Oīa deuorāda prędicit,nihil reliquū pmanēte ex his quæ grādinē priorē euaserāt,tam arborū fructus,q̄ segetes in agro.Eodē aūtē anno indicatur facta locustarū plaga,& prior grādinis.Absumpsit enim posterior quod reliquerat prior.Nō sine manifesta virtute dei & miraculo Moyses & Aarō mortē euaserūt,toties affligēdo regē tā cruentū,fortē,& furentē,& populū tam crudelē,& seruos regis. Sic in mediis ignibus seruātur pij,& in aulis regū potentiū,impij volēte dño flagellātur. *Et implebūt domos tuas & seruorū tuorū,& oīm Aegyptiorū,quantā non viderūt patres tui & avi,ex quo orti sunt super terrā,vsq; in præsentē diē.* Dictionē אֲשֶׁר ab
Interprete quantā reddita, nōnulli,quales verterūt,vt dicāt,Quales nō viderūt,&c.Alij,Quod nō viderūt, legūt .i.quiā rē nō viderūt,quibꝰ & Septuaginta cōueniūt, ἃ οὐδέ ποτε ἑωράκασιν,Quæ nunquā viderūt,& cętera,reddētes.Chaldaica nobiscū est,habēs & ipsa,Quantā.Terretur igitur multis verbis rex impiꝰ,sed nihil proficitur dño cor illiꝰ ob demerita per subtractionē gratiæ suę indurāte, & peccata peccatis vindicāte.Prędicūtur implēdę domus locustis,tā regię q̄ seruorū,totiusq; Aegypti,nunquā retroactis tęporibꝰ visa cuiquā molestia locustarū.Sed K
dices,cur ad tot pdigia nō fuit motꝰ,& verē cōuersus Aegyptiꝰ rex?An quia datꝰ erat in repbū sensum, ob multa iniustè in Hebręos ppetrata?An quia adeò sceiꝰ & nequitia ipsius inualuerat,vt veluti corpꝰ ab egritudine valde oppressū, susciperet detrimētū ab oībus quę aliis auxiliū & fauorē prestare solēt?Hic de Christo prædixit Simeō,q̄ positus erat in ruinā multorū,male videlicet dispositorū.Quāuis ipse venerit,vt oībus dispositis salutē & medelā tribuat,sicut ipsemet Christꝰ(iuxta Esaię oraculū)apertè testatus est. *Auertitq; se,& egressus est à Pharaone.* Cū superiora verba dixisset,veluti iracūdus Moyses,toties irritatꝰ pfidia & mēdaciis regis,abiit è cōspectu aulæ.Mirū euadere potuisse eū nisi dño ꝓtectore cōfisum. *Dixerūt aūt serui Pharaonis ad eū, Vsquequo patiemur hoc scādalū? Dimitte homines,vt sacrificēt dño deo suo.Nónne vides q̄ perierit Aegyptus?* CAIET. Afflictiones appellāt scādalū,eo q̄ frequēter velut impingētes Aegyptij cadebāt,modò in iumētis,modò in vlceribꝰ,&c. AVCT. CAT. Vsquequo patiemur hoc scādalū?Hebraicè est עַד מָתַי יִהְיֶה זֶה לָנוּ לְמוֹקֵשׁ Vsq;,siue,Quādiu erit iste nobis offendiculo,seu in offendiculū:siue,Vsquequo erit nobis istud in laqueū?i.quousq; istud quod fit ab istis,nobis dānosum erit? Chaldaica,Vsquequo erit hoc nobis in scādalū?Sic & Septuaginta.Sed hęc idē sunt cū litera nostra.Est autē scādalū ppriè pedis impactio,qđ hoīem cadere facit.Dimitte hoīes,vt sacrificēt dño deo suo.Verbū וְיַעַבְדוּ Vt seruiāt, seu colant reddi potest.Sed hoc sensū Latini Interpres nō immutat,vt toties diximꝰ.Nōne vides q̄ perierit Aegyptus?locus hic variè redditur ab Interpretibꝰ, qui tamen oēs nō recedūt à sentētia Latinę lectionis.Est enim iuxta Hebrāū: הֲטֶרֶם תֵּדַע כִּי אֲבְדָה מִצְרָיִם Nūquid prius vis cognoscere,Aut,Nū ante scire vis q̄ perierit Aegyptꝰ?Alij,Visne priꝰ experiri Aegyptū esse perditā?legūt:quasi dicāt,nūquā dimittes populū hūc,quin tota Aegyptus perierit.Aut dimitte populū istū,alioquin actū est de tota Aegypto.Vertūt aliqui,Nonne antequā scires periit Aegyptus.i.antequā dimitteres eos,voluisti scire q̄ periit Aegyptus?Nōnulli etiā,Nū adhuc ignoras,Vel nondū scis q̄ periit Aegyptus?Capiuntq; dictionē,terē,pro adhuc nō,sicuti & Genesis 2.His Chaldaica assentitur editio,habēs,Nūquid adhuc nescis q̄ perierit Aegyptus? Demū Septuaginta, ἢ εἰδέναι βούλει ὅτι ἀπόλωλεν Αἴγυπτος, An scire vis q̄ periit M
Aegyptus:hoc est,vis tātisper ad hos dimittēdos expectare q̄ Aegyptus pereat?Regē igitur insania percitū serui admonere incipiūt ac audēt.Vsquequo,aiūt,in dorso nostro hęc faba,pcudit?vt rex peccet quidē,sed serui & populꝰ luāt,quāquā nec ipsi quidē sine crimine: quibꝰ nō displicuit,& qui ferre ac videre potuerūt oppressionē peregrinorū & pauperū.scādalū autē nomināt offendiculū,ruinā,& grauissimū casum.Incipiūt autē intercedere seruis pro Israēlitis dimittēdis.sic mutari incipiūt res & negotia fideliū.Cupiūtq; coli deū à suo populo,quisquis tādē esset,proprij saltē cōpendij gratia.Nū(aiūt)nōdū nostri perisse Aegyptū ob tuā inobediētiā,& illorū qui dīm deū suū nō sinūtur colere, vt admonētur? *Reuocauerūtq; Moysen & Aaron ad Pharaonē. Qui dixit eis:Ite, sacrificate dño deo vestro.*
Loc.48. *Quinam sunt, qui ituri sunt?* AVGVSTINVS. IN LOCVT. SVPER GENESIM. Iuxta Septuaginta:Qui aūt,& qui sunt qui ibūt?Quotidie dicimus cōsuetudine familiariore q̄,qui,& qui ibūt? AVCT. CAT. Reuocauerūtq; Moysen & Aaron ad Pharaonē. Verbum mutauit nō sensum Interpres. Sic enim est in Hebræo, וַיּוּשַׁב אֶת מֹשֶׁה וְאֶת אַהֲרֹן אֶל פַּרְעֹה Et reductꝰ est Moyses & Aarō ad Pharaonē.Est enī Iusab futurū passiuū hiphil à radice



A radice Sub,reuersus est,Vnde & Chaldaica,Reductiq; sunt Moyses & Aaron ad Pharaonē.Alij,Et reuocati sunt, alij retracti,verterunt.Septuaginta,καὶ ἀπέστρεψαν, Et reuocauerunt,legunt. Sequitur:Ite,sacrificate, Vel seruite. Qui nam sunt qui ituri sunt?Syncerè vertit Interpres.Est enim in Hebræo: מִי וְהַהֹלְכִים Mi vami hahólchim. Quod aliqui vertunt,Qui verò sunt qui abibunt?Alij,Qui & qui sunt qui eunt?Quibus etiam Septuaginta cōsentiunt.Chaldaica,Qui ituri sunt?Præcipiuntur igitꝰ abire & colere dīm, sed non oēs sinuntur:sed qui abituri sint ad sacrificiū perficiēdum inquiritur:quasi dicat,Qui sunt tandē illi qui ibunt?vel aliter:vnus & alter tantùm abeant,pauci scilicet,nō oēs,tantū vt cultus deo debitus impēdatur. *Aūt Moyse, Cū paruulis nostris & senioribus pergemus,cū filiis & filiabus,cū ouibus & armēntis.Est enim solennitas dīi dei nostri.* CAIETANVS. Ratio additur quare omnes ire debent, ex hoc q̄ imminebat eis festū summi dei.Ad huiusmodi enim festū oportet oēs cōuenire,eo q̄ deus dat esse oībus. AVCTOR CATENAE.Est enim solennitas dīi dei nostri.Parū est quòd in Hebræo tantùm
B habetur כִּי חַג יְהוָה לָנוּ Chi chag iehouah lanu, Quoniā solennitas,seu festum, vel dies festus dīi nobis est,id est,celebraturi sumus solennitatē dīi : & quia nos(inquit)ei sacrificare oportet,nescimꝰ autē quæ vel quot,ideo & animalia ad immolandū,& iumenta ad mulieres & paruulos subuehendū,nobiscum esse cōuenit.Ad ecclesiā igitur Israēlis non solū adulti iam viri pertinebant tunc sicut & nunc,sed etiā paruuli & fœminę,senes cū iunioribus.Ideo cū omni substantia sua abituros se aperiunt tandē,ad solennitatē dño celebrandā,vt iussi erāt à dño. Solēnitates domini seruandæ sunt ad audientiā voluntatis dei ex lege dei, ad gratiarum actionē pro beneficiis præteritis,& ad orationē pro futuris.Haud dubium cum omissione peccatorum in die festo, quibus dīs nō colitur,sed irritatur. *Et respondit Pharao,sic dīs sit vobiscum, quomodo ego dimittā vos & paruulos vestros.* CAIETANVS. Dictio interpretata,quomodo,sonat sicut.Et est sermo imprecatorius mali, videlicet q̄ deus non sit cū eis,loquitur enim Pharao imprecādo, solito imprecādi modo apud vulgares etiā hodie.Et tendit sensus ad hoc, vt quēadmodum ego nō dimittā vos,ita nec deus sit vobiscū.Dicit enim affirmatiuas,intēdēdo negatiuas,quoniā sic est
C mos loquēdi in tali imprecationis modo. AVCTOR CATENAE. Sic dīs sit vobiscū,quomodo ego dimittā,& cætera.Sensus est,ita dīs vobis faueat,sicut ego vos cū paruulis vestris sum dimissurꝰ,quasi dicat nullo modo hoc permittā.Quod autē rectè versum est ab Interprete,alij paulò diuersiùs Hebraicū interpretantur,etiā ipsi nō incōcinnè. Sic enim sunt verba hoc in loco יְהִי כֵן יְהוָה עִמָּכֶם כַּאֲשֶׁר אֲשַׁלַּח אֶתְכֶם וְאֶת טַפְּכֶם Ihi chen iehoua himmachem,caaser asallach ethchem veeth tappechem,Sit ita dīs vobiscū,cū emisero, vel vt,siue sicut dimittā vos & paruulos vestros,id est, Vellē dīm nō maiori animo esse erga vos vt vos iuuet, q̄ sum ego vt vos dimittā cum paruulis vestris.Ac si dicat,Nunq̄ sum vos dimissurus cum paruulis. In hunc autē sensum tendit & Chaldaica inquiēs, sic sit verbum domini in adiutoriū vestrū,sicut dimittā vos & familiā vestrā: Idq; est quodvulgo dicitur,ita te deus adiuuet,sicut faciā hoc,quasi dicat nunq̄ faciā. Non desunt qui reddāt,ita fiet,Vel fiat sic, Dominus vobiscum,dimittā vos,& paruulos vestros,Vel,cùm dimittā vos & pubem vestrā.Et sermo est irrisorius & cum sanna,quasi dicat, minimè sum hoc facturus. Imprecatur autē ironicè illis domini præsentiā & auxiliū,quos econtrà mallet illo penitùs destitui.Reuera autē pręsens est dominus fidelibus & piis,vel inuitis im-
D piis.Non autem rarum est mentiri & ridere impios dei cultum & fideles,sed non sine dignè subsequente vindicta. Septuaginta vt est in litera nostra legunt:sed vbi nos legimꝰ,& paruulos vestros,ipsi τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν,hoc est,supellectilem vestrā semper habent.Verùm omnes loci attestantur id nomen paruulos, nō supellectilē significare.Idq; apertissimū est, & vel ex hoc loco cognoscitur.Mox enim aliquid mali suspicatus est Pharao, vt dixerunt,se suos paruulos secum ducturos,quòd si aliam rem se asportaturos dixissent, nō vsque adeò dubitasset. Præterea repetit Pharao,quæ antè dicta sunt,ac de supellectile nulla mentio exceptis pecoribus siue iumentis: *Cui dubium quòd pessimè cogitetis?* CAIETANVS. Rationem Pharao imprecationis reddit, nitendo conuincere Moysen & Aaron quòd machinantur ad malum, nam in hoc ipso quòd volunt omnes etiā paruulos secum ducere,videre clarè possunt,quòd non ad sacrificandum,sed ad totaliter recedēdum tēdunt,& hoc appellat malū, ad quod directè tēdunt facies eorum. AVCTOR CATENAE. Cui dubiū est quòd pessimè cogitetis?Quasi dicat,sub prætextu sacrificij,recedere vultis à regno meo.Variāt hîc aliquātulum Hebraica in verbis,sed nō in
E sensu,aiunt enim רְאוּ כִּי רָעָה נֶגֶד פְּנֵיכֶם Reu chi raha nęged penechem,Videte quòd,Vel,quia malū est cōtra faciem vestrā,id est,videte q̄ malitia vestra quā cogitatis,reuertetur in vos.Cuius sentētię videtur esse etiā Chaldaica,inquiēs,Videte quomodo malum quod vos putatis facere,cōtra faciē vestrā stat.Alij, Videte q̄ malum est vobis proximum,reddunt:seu,Videte quia malum est corā vobis,quasi dicat, Ex facie vestra malum dignoscit, & dolum subesse.Nōnulli clariùs,Videte an non malum moliamini?Septuaginta etiā ipsi apertè verterunt, ὁρᾶτε, ὅτι πονηρία προόκειται ὑμῖν,Videte quòd nequitia inest seu proposita est vobis,Hoc est,quiuis potest videre,quòd vos aliquid mali moliamini.Quæ omnia idem dicunt quod litera nostra. *Non fiat ita, sed ite tantùm viri, & sacrificate domino,hoc enim & ipsi petistis. Statímque eiecti sunt de conspectu Pharaonis.* CAIETANVS. Occasionem accepit huius petitionis Pharao ex eo,quòd à principio petierant licentiam eundi in desertum itinere trium dierum ad sacrificandum domino. Quia enim paruuli idonei non erant ad sacrificandum,ideo dicit, hoc enim & ipsi
F petistis,interpretando petitionem eorum pro idoneis ad sacrificandum. AVCTOR CATENAE. Non fiat ita:de suo posuit verbum Interpres,vt claram redderet orationem, Nam in Hebræo est לֹא כֵן Lo chen,Non sic. Sed ite tantùm viri, & sacrificate, vel seruite domino,aut colite dominum. Hoc enim & ipsi petistis, siue quæritis.Impudens rex non veretur mentiri,cùm nihil tale petierint vnquam Hebræi. Statímque eiecti sunt de conspectu Pharaonis. Verbum Hebraicum est וַיְגָרֵשׁ אֹתָם Vaigáres otham, Et eiecit, seu expulit eos, & cætera, subaudi eiector, & ille qui eiicit. Sic & Chaldaica. Et vocatur talis loquendi modus, locutio truncata. Alij volunt Hebraismum esse, pro Pharao expulit eos à se. Septuaginta, ἐξέβαλον δὲ αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου φαραώ, Eiecerunt autem eos à facie Pharaonis scilicet ministri Regis, fortè videntes quia non acquiescerent illius placito. Sed hæc non variant à sensu nostræ lectionis. Non solùm igitur verbis iniuriosis, sed & factis dehonestantur viri dei expulsi, & eiecti à facie Pharaonis & seruorum. Dum autem consummatur impietas & contēptus dei in tyrannis, tūc proxima se prodit oppressorum salus & redemptio.Hic deniq; tyrannus

aulicos ſuos & conſultores non audit: exuerat enim omnẽ pudorẽ, omnẽ reuerentiam, tam dei quàm hominum. G Vide autẽ hoc in loco in cõuertenda & emollienda indurata impietate Pharaonis operã & oleũ, quod dicit, perdita eſſe. Non mouetur ad reſipiſcentiã & verã obedientiã dei, nec verbo dei, nec minis dei, nec ſuppliciis dei, nec conſilio & admonitione ſuorũ ſeruorũ, ac cõſiliariorũ. Hoc ergo exemplo primũ admoneamur, ꝙ omnia officia & miniſteria noſtra per ſeſe ſine cooperatione ſpiritus ſancti, & incremento dei, parũ conducant & efficacia ſint, ad cõuertẽdũ vel vnũ impiũ, aut ad qualecũq; bonũ perficiendũ. Quare ſi aliquid boni per noſtra officia & miniſteria fiat, nõ eſt noſtræ induſtriæ aut labori, ſed diuinæ clemẽtiæ adſcribẽdũ. Deinde admoneamur etiã, vt etſi euẽtus nõ reſpondet noſtro labori & miniſterio, nõ tamẽ ceſſemus ab officio noſtro. Indureꝫ ſanè Pharao ſubinde magis, ac magis, & ſordeſcat adhuc, nũ ideo & nos ſorderemus, & correctionẽ debitã derelinqueremus:

2 *Dixit autem dominus ad Moyſen: Extende manum tuã ſuper terrã Aegypti ad Locuſtã, ut aſcendat ſuper eam, & deuoret ommem herbã quæ reſidua fuerit grandini. Et extendit Moyſes uirgã ſuper terram Aegypti, & dominus induxit uentum urentem tota die illa & nocte. Et mane facto uentus urens leuauit locuſtas. Quæ aſcenderunt ſuper uniuerſam terrã Aegypti, & ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec poſteà futuræ ſunt. Operuerúntque uniuerſam ſuperficiem terræ, uaſtantes omnia. Deuorata eſt igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat. Nihil quoque omnino uirens relictum eſt in lignis, & in herbis terræ, in cuncta Aegypto. Quamobrem feſtinus Pharao uocauit Moyſen & Aaron, & dixit eis: Peccaui in dominũ deum ueſtrum, & in uos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac uice, & rogate dominum deum ueſtrum, ut auferat à me mortem iſtam. Egreſſúſque eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis, & orauit dominum. Qui flare fecit uentum ab occidente uehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit in mare rubrum, non remanſit nec una quidem in cunctis finibus Aegypti. Et indurauit dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſraël.* H I

2 AVCTOR CATENAE. Quod ſupra tanto apparatu præmonuerat dominus de miſsione locuſtarũ, hîc tandẽ mirabiliter exequitur, quo ſupplicio non ſolũ manifeſtauit & illuſtrauit nomẽ ſuum in terra Aegypti, ſed etiã deputauit locuſtas in publicũ & generale ſuppliciũ regionum, quo deus reuelat iram ſuã & inobedientiam hominũ punit vt à peccatis reſipiſcãt. Vnde & in Deuteronomio vigeſimo octauo dicit: Si nolueris audire vocem domini dei tui, ſementẽ multã iacies in terram, & modicum cõgregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia. Hæc peſtis tãtum exitiũ infert regionibus, ſi multiplicetur, vt & ab Ethnicis dicatur deorũ ira. Sic igitur de plaga hac loquitur præſens lectio. *Dixit autem dominus ad Moyſen, Extende manum tuã ſuper terrã Aegypti ad Locuſtam, vt aſcendat ſuper eam, & deuoret omnẽ herbam quæ reſidua fuerit grandini.* CAIETANVS. Ex inferiori regione ſignificat ventura locuſta, prædicitur autem quòd non ſolũ vniuerſa herba, ſed etiã quicquid illæſum fuit à grandine, conſumendum eſt à locuſta. AVCTOR CATENAE. Extende manum tuam ſuper terram Aegypti ad locuſtam. Hebraicè eſt בַּארְבֶּה Baarbe, pro locuſta, ſubaudi adducenda, id eſt, pro locuſtis adducẽdis, ſingulare pro plurali, qđ clariùs exprimẽs Chaldaica, habet, Vt veniat locuſta. Verũ quia litera ב Beth, in, & pro, quãdoq; ſignificat, ſunt & qui in locuſta, & qui per locuſtã reddãt. Verũ prior verſio huic loco aptior. Et deuoret omnẽ herbã, deeſt terræ: eſt enim in Hebræo הָאָרֶץ Haárez. Quæ reſidua fuerit grandini. Iuxta Hebræũ legitur אֵת כָּל אֲשֶׁר הִשְׁאִיר הַבָּרָד Eth col aſer hiſir habarad, Et omne quod reſiduũ fuit grãdini. Ita videlicet, vt locuſta nõ tantũ herbã terræ, ſed quicquid euaſit plagã grandinis ſit deuoratura. Alij reddunt, Et omne quod grando reliquum fecit. Chaldaica, omnia quæ reliquit grando. Septuaginta, καὶ πάντα τὸν καρπὸν τῶν ξύλων, ὧν ὑπελίπετο ἡ χάλαζα, Et omnem fructum lignorum, quæ reliquit grando. Superius igitur ſcriptum eſt grandine vaſtata linum & hordeum, nunc autem triticũ, far, gramen, & herbæ virides arrodenda & abſumenda prædicuntur à locuſtis, vt nihil relinquatur pro hominibus & iumentis. *Et extendit Moyſes virgã ſuper terrã Aegypti, & dominus induxit ventũ vrentẽ tota die illa & nocte.* L

*Cap. 2.* HIERONYMVS IN IOEL. Greges locuſtarum magis auſter quàm aquilo conſueuit adducere, id eſt, non ex frigore veniunt, ſed ex calore. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, & induxit dominus ventum orientalem: non ſignificatur quòd à meridie, ſed ab oriente aſcenderunt locuſtæ. Et hãc quoq; plagam per Moyſen mediante ſolita virga effecit deus. AVCTOR CATENAE. Et dominus induxit ventum vrentem, Hebraicè קָדִים בָּצָרְץ Kadim baárez, Ventum orientalem ſuper vel in terram, ſic habet & Chaldaica. Non dubium autem eſt eſſe auſtrum. Quippe qui ſit ventus calidiſsimus, & à zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptiſsimus. Itaque Septuaginta expreſſe auſtrũ verterunt, καὶ κύριος ἐπήγαγεν ἄνεμον νότον, id eſt, Et dominus adduxit ventum notum, qui & auſter. Appellaturq; notus ab humiditate, quæ in rebus omnibus eo flante ſolet contingere. Errarunt ergo fortaſſe, qui non intellexerunt hunc ventum eſſe auſtrum, & dixerunt hîc de vento calido & ſicco ſcribi. Nullus autem ferè eſt ventus calidus, qui ſiccus ſit, cùm in ventis, ex caliditate efficiatur humiditas. Atque hoc eſt quòd locuſtæ flante borea, omnes extinctæ ſunt, & in mare rubrum coniectæ. Moyſes igitur virga terram contigit, & potentia dei ventum concitauit, & adduxit vrentem & pernicioſiſsimum ab oriente, qui & locuſtas adducebat multas nimium. Tota die illa & nocte, cum diluculo ſequentis diei, ſubinde enim augebantur per ventum. Vide autem domini conſilium. Quamuis enim per ſe ipſum omnia poſsit, in puniendis tamen malis aliquando etiam homines vult habere quaſi cooperatores, vt hîc faciendo quòd Moyſes extendat virgam ſuper terram. *Et mane facto ventus vrens leuauit locuſtas. Quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Aegypti, & ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles.* CHRYSOSTOMVS DE PRINCIPIIS EVANGELII SECVNDVM MARCVM. Locuſta animal paruulum eſt, & inter volatile & reptile medium eſt. Neque enim à terra ſatis tollitur, quia ſi paululum eleuatur, non tam volat quàm ſalit. Et cum à terra ſe paululum eleuauerit, iterum pennis deficientibus, cadit in terram. CAIETANVS. Iuxta Hebræum, pro vento vrente ponitur



A nitur orientalis, & pro innumerabilibus, graues valde, nec ad pondus, ſed ad efficaciã refertur grauitas maxima. AVCTOR CATENAE. Et manè facto, ventus vrens, & cętera, eadẽ eſt dictio קָדִים Kadim, id eſt, orientalis, licet aliqui vertant, Eurus. Parũ autem eſt quòd Hebraicè tota hęc clauſula habetur per ſingularẽ numerum prolata, ſicut eſt & in Chaldaica, videlicet, Factóq; mane, vẽtus orietalis leuauit locuſtã. Aſcẽditq; locuſta ſuper vniuerſam terrã Aegypti, & mãſit in vniuerſo termino Aegypti, nimis valida. Quod Hebraicè eſt כָּבֵד מְאֹד Cabed meod, Multa nimis, ſeu grauis nimis. Verũ Interpres ad ſignificatum potius quàm ad verba reſpexit. *Quales ante illud tempus non fuerunt, nec poſtea futuræ ſunt.* CAIETANVS. Intellige in terra Aegypti. AVCTOR CATENAE. Nunquam fuerunt viſæ in tanto numero. Quod prophetico ſpiritu Moyſes protulit, non enim aliter is ſcire potuit quòd tot locuſtæ ſimul non eſſent amplius venturæ in terram. *Operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ, vaſtantes omnia.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et obſcurata eſt terra. Tanta deſcribitur mul-

B titudo, quòd partes aëris propinqui terræ, obſcuratæ ſunt, tanꝙ nube locuſtarum operiente eas. AVCTOR CATENAE. Operueruntq; vniuerſam ſuperficiem terrę, vaſtantes omnia, Hebraicè eſt, וַיְכַס אֶת עֵין הָאָרֶץ Vatechſach haárez, Et obſcurata, ſeu contenebrata eſt terra. Alij, Ita vt tenebreſceret, vel obſcuraretur terra, verterunt. Hoc eſt, radium ſolarem totius terræ Aegypti operuerunt, ita vt prę multitudine earum non potuerit radius ſolis pertingere vſq; ad terrã. Quod etiam Chaldaica exprimit, dicens, Cooperuitq; terram, ita vt radij ſolis non poſſent ad eam peruenire, & obſcurata eſt terra. Septuaginta alium ſenſum habent, videlicet, καὶ ἐφθάρη ἡ γῆ, Et corrupta eſt terra. Quanquam & obtenebrata dici poſsit terra, pro deuaſtata, ac præ frequentia locuſtarum in nigrorem conuerſa, vt ſpecies nulla viroris & florum remãſerit. Exponitur enim conſequenter, per abſumptionem herbarum & foliorum omnium ac fructuum corruptam fuiſſe, vnde ſubdit: *Deuorata eſt igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat. Nihil quoque omnino virens relictum eſt in lignis & in herbis terræ, in cuncta Aegypto.* RVPERTVS. Ecce quales inſtruxit acies, quibus ex ordinibus ſua caſtra compleuit dominus, pu-

C gnando pro Iſraël. Ranæ, Cyniphes, Muſcæ, atq; Locuſtæ, fuerunt caſtrorũ eius acies, & ex huiuſmodi cohortibus totas contra fortes Aegyptios compoſuit legiones. Singuli milites ſecundum ſe breues quidem & infirmi, verũ pro exercitibus Pharaonis ſatis valentes fuere, duce imperio dei. Nempe quòd multus hominum exercitus facere non potuiſſet, iſtæ phalanges locuſtarũ ſtrenua peregêre militia. AVCTOR CATENAE. Deuorata eſt igitur herba terræ, & cætera. Eadẽ eſt ſententia in Hebræo, ſicut & in Chaldaica habetur, Et deuorauit omnẽ herbam terræ, & omnes fructus arboris, quos reliquit grãdo. Pomorũ ſiquidẽ nomine quo Interpres vtitur, fructus omnes deſignantur, quos Hebræi פְּרִי Peri vocant. Nihil quoq; omnino virens relictũ eſt in lignis, & in herbis terræ. Hebraicè eſt בֶּעָץ Bahez. Significat autẽ hez, tam lignũ quã arborẽ, vnde Chaldaica tranſtulit in arboribus, Septuaginta, ἐμ τοῖς ξύλοις, In lignis, ſicut & apud nos. Quódq; dicitur, Et in herbis terræ, vtraq; editio habet, herbis agri. Eſt ſiquidem in Hebræo הַשָּׂדֶה Haſade, Quæ & agrum, & terrã ſignificat. Hæc quãuis minima ſint, & indigna quæ annotari debeant, attamen tacta ſunt, vt fideliſsimũ Interpretem à malignorũ cauillis tueamur, vt pote qui & doctus & prudens fuerit, & nihil quod ad Gręcũ & Hebraicum ſermonẽ attinet, ignorauerit.

D *Quamobrem feſtinus Pharao vocauit Moyſen & Aaron, & dixit eis, peccaui in dominum deum veſtrum & in vos.* RVPERTVS. Vocauit autẽ Pharao tanꝙ ad deditionem Moyſen & Aaron duces tanti exercitus, atq; primates imperatoris eiꝰ dei. Hoc autem & ſupra dixit, Peccaui etiam nũc, dominus iuſtus, ego & populus meus impij. Hoc ergo & illud velut deditítius dixit, ſed vbi data eſt requies, velut refuga, indurauit cor ſuum, nec dimiſit filios Iſraël. Non ergo ſatis eſt cuiquam dixiſſe, peccaui, nec prodeſſe poteſt confeſsio ficta aut coacta. Attamen à locuſta victus eſt fortis rex. Proinde ſatis eleganter cùm dixiſſet quodam loco per Prophetam, Et reddam vobis annos quos co- *Ioel. 2.*
medit locuſta, bruchus, & eruca, continuò addidit, Fortitudo mea magna, quam miſi in vos. Fortitudo (inquit) mea magna, locuſta, bruchus, & eruca, ſubauditur, nõ ſupernarum virtutum & fortitudinum cœleſtium, ſed infirmorum, atque imbecillium comparatione hominum, in infirmitate ſua ſuperbientiũ, qui certicẽ erigunt con tra deum, quam pulici ſubiiciunt. CAIETANVS. Vel verum dicit, ſed non ex corde. Verè enim ſcri-

E ptum eſt, Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. AVCTOR CATENAE. Mox igit neceſsitate coactus Rex, vocauit quos nõ ita dudũ eiecerat. Feſtinauit autẽ, quia periculũ erat in mora. Humilitate autẽ ficta occurrit, qui ſuperbè cõtemperat, Cõfeſsio enim peccatorũ, cũ fictione etiã ſæpius iterata, nõ prodeſt, ſed ipſa vera vnà cũ reſipiſcẽtia & propoſito vitæ melioris. Falſa correctionis vel emendæ promiſsio, auxit recidiuandi pernicię. *Sed nũc dimittite peccatũ mihi etiam hac vice, & rogate dominũ deũ veſtrũ, vt auferat à me mortẽ iſtam.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta. Suſcipite igit delictũ meũ. Hac locutione & ad Ioſeph vſi ſunt fratres eius, vbi dixerũt, Recipe iniquitatẽ ſeruorũ dei patris tui. *Locut. 50.* CAIETANVS. Et rogate dñm deum veſtrum, vt auferat à me mortẽ iſtam. Dixerat ſe peccaſſe deo & vobis, & propterea poſtquã placauit illos, petendo veniã, rogat vt placent deũ. Verè autẽ erat locuſta mors vegetabiliũ. AV- *Gene. 50.*
CTOR CATENAE. Sed nũc dimittite peccatũ mihi, & cætera. Hebraicè legit, וְעַתָּה שָׂא נָא חַטָּאתִי אַךְ הַפָּעַם Vehatta ſa na chathathi ach hapáham, Et nũc dimitte obſecro peccatũ meũ ſaltẽ, vel tãtũmodo hac vice. Ita eſt in

F Chaldaica. Alij vertũt, Et nũc parce peccato meo tantũ, vel verũtamẽ vice hac. Alij, Ignoſce igit quæſo peccato, vel nũc quod eſt idẽ, videlicet, hac tantũmodo vice. Sed & hoc idẽ cũ litera noſtra. Sequitur, Et rogate dominũ deum veſtrũ, vt auferat à me mortem iſtam. In Hebræo adeſt dictio רַק Rak, Quæ tantũ, ſiue tantũmodo ſignificat. Vt dicatur, Vt auferat à me ſolũmodo, ſiue tantũ, vel duntaxat mortem iſtã, id eſt, perniciem hãc, videlicet multitudinẽ locuſtarũ. Huius quoque (inquit) delicti veniã mihi à dño impetrate, nunꝙ poſthac à me offendẽdo. Omnes cùm aduerſa ingruunt, reſipiſcentiam meditamur, pollicemur etiam donec præſens malum effugerimus, at parum eorum præſtamus quæ promittimus, quod & tota vita noſtra teſtatur. Mortem autem nominat, locuſtarũ plagam, quia omnibus terræ fructibus viuentes homines deſtituerat. Non neganda eſt oratio pro peccatoribus eã poſtulãtibus. Neſcitur enim quando & qua ratione impius cõuertendus: neq; ante mortem de alicuius ſalute nobis deſperandum. Clementia dei toties contempta, conuertenda erat in ſeueritatem grauiſsimi iudicij: fit tandẽ furia ſæpe læſa patientia. *Egreſſuſq; eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis, & orauit dñm. Qui flare fecit ventum*



*ab occidente*

*ab occidente, & arreptam locustam proiecit in mare Rubrum, non remansit nec vna quidem in cunctis finibus Aegypti.* Egressusq; est G Moyses de conspectu Pharaonis. Interpres Septuaginta imitatus, addidit Moyses, cũ in Hebræo nomen nõ exiprimatur, sed tantummodo quòd egressus sit à Pharaone, & certũ quòd ambo exierunt. Et orauit (inquit) dominum. Simul vocati fratres, pariter exierunt, & alter eorum Moyses orauit ad dominum. Vide suprà quid dicat scriptura, Dimitte nunc peccatum mihi: Deinde, Et rogate dominũ deum vestrum: Nunc autem, Egressus est, & orauit. Vt scias frequentes esse numerorum & personarum variationes in sacris literis, sicut & in aliis linguis. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum. Hebraicè וַיַּהֲפֹךְ יְהוָה רוּחַ יָם חָזָק מְאֹד Vaiahaphoch Iehoua rúach iam chazak meod. Pro quo sciendum, יָם Iam, mare significare. Et quia mare nostrum mediterraneum est in parte occidentali respectu terræ promissionis, vel respectu Hierusalem, ideo in sacris literis ponitur Iam pro occidente, vel parte occidẽtali. Sic & hoc in loco. Est enim Aegypto idem mediterraneũ mare in quod Nilus septem ostiis se se infert, ab occasu, ac versus septentrionem. Atque ideo flantibus Etesiis, qui venti Aquilonares sunt, cõmoda nauigatio in Alexandriam est. Quæ causa etiam facit, vt intumescat Nilus Etesiis, & per totam Aegyptum sese effundat, ventis illum ex aduersa parte retundentibus. Hoc præmisso, sic redditur locus, Et vertit dominus ventum occidentalem fortissimũ, seu fortem valde, id est, ventum orientalem qui adduxerat locustas, vertit in ventum ab occidente flantem. Interpres & alij vertunt, Flare fecit scilicet ex contraria cœli parte, ventum occidentalem. Chaldaica, Et conuertit dominus ventum occidentalem nimis validum. Septuaginta, καὶ μετέβαλεν κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης σφοδρόν, Et proiecit, vel mutauit dominus ventum à mari vehementem. Sed hæc idem cum litera nostra. Et arreptam locustam proiecit in mare rubrum. Hebraicè est וַיִּתְקָעֵהוּ יָמָּה סוּף Vaithkahéhu iamma suph, Et concussit, seu defixit eas in mare rubrum, vel carectosum, Hoc est, cum magna collisione & fragore deiecit eas in mare rubrum, id enim importat verbum תָּקַע Thakaha. Vocant autem Hebræi mare rubrum, mare suph, hoc est, procellosum vel fruticosum siue algosum. Significat enim suph & procellam, & fruticem seu caricem, & algam. Chaldaica & Septuaginta vt apud nos. Mare igitur rubrum orientale est respectu Aegypti: ideo occidentali vento liberanda à locustis erat necessariò, quæ venerant ab ortu. Eurus locustas adduxerat, Zephyrus iterum tollit. Quod solo verbo dominus potest, instrumento vtitur creaturæ, vt omnia in eius potestate esse videantur. *Et induravit dominus cor Pharaonis, nec dimisit*

*Quæst.37.* *filios Israel.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Beneficium certè dei commemorauit scriptura quo abstulit locustas, & secuta dixit induratum esse dominum cor Pharaonis, beneficio vtique suo, & patientia sua, qua illa fiebat obstinatio, dum ei parceretur, sicut omnia mala corda hominum, pa-

*Cap.162.* tientia dei male vtendo, durescunt. THOMAS TERTIO CONTRA GENTILES. Quãuis quosdam peccatores deus ad se non conuertat sed in peccatis secundum eorum merita eos relinquat, non tamen eos ad peccandum inducit: homines enim peccant per hoc quod deuiant ab ipso qui est vltimus finis. Cùm autem omne agens agat ad proprium finem & sibi conuenientem: impossibile est quòd deo agente, aliqui auertãtur ab vltimo fine qui deus est: impossibile igitur est quòd deus aliquos peccare faciat. Item bonum causa mali esse non K potest: sed peccatum est hominis malum: contrariatur enim proprio hominis bono, quod est viuere secundum rationem: impossibile est igitur quòd deus sit alicui causa peccandi. Præterea, omnis sapientia & bonitas hominis deriuatur à sapientia & bonitate diuina, sicut quædam similitudo ipsius, repugnat autem sapientiæ & bonitati humanæ quòd aliquem peccare faciat: igitur multo magis diuinæ. Adhuc, peccatum omne ex aliquo defectu prouenit proximi agentis, non autem ex influentia primi agentis: sicut peccatum claudicationis prouenit ex indispositione tibiæ, non autem ex virtute motiua: cùm tamen ex ea sit quicquid de perfectione motus in claudicatione apparet: proximum autem agens peccati humani est voluntas: est igitur defectus peccati ex volũtate hominis, non autẽ ex deo qui est primus agens: à quo tamen est quicquid ad perfectionem actionis pertinet in actu peccati. Hinc est quod dicitur Ecclesiastici decimo quinto, Non dicas: ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. Et infra, Nemini mandauit impiè agere: & memini dedit spaciũ peccãdi. Et Iacobi primo dicitur, Nemo cũ tentatur dicat quoniã à deo tentetur: deus enim intentator malorum est. Inue L niuntur tamen quædam in scripturis, ex quibus videtur ꝙ deus sit aliquibus causa peccãdi: dicitur enim Exodi decimo, Ego induraui cor Pharaonis & seruorũ illius. Et Isaiæ sexto, Excęca cor populi huiꝰ: & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur: & sanem eũ. Et Isaiæ sexagesimo tertio, Errare nos fecisti de viis tuis: induraſti cor nostrum ne timeremus te. Et Romanorũ primo dicitur, Tradidit illos deus in reprobũ sensum, vt faciant quæ nõ cõueniunt. Quæ omnia secundum hoc intelligẽda sunt, quòd deus aliquibus non cõfert auxiliũ ad vitandũ peccatum, quod aliis quibusdam confert. Hoc autẽ auxiliũ est nõ solũ infusio gratiæ: sed etiã exterior custodia, per quã occasiones peccandi homini ex diuina prouidentia tolluntur: & prouocantia ad peccatum comprimuntur. Adiuuat etiam deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis & alia naturalia bona, quæ homini confert. Cùm ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit pro merito suæ actionis secundum quod eius iustitia exigit: dicitur eos obdurare, vel excæcare, vel aliquid eorum quæ dicta sunt. CAIETANVS. Indurat igitur dominus cor Pharao- M nis, dum negat gratiam suã ad illud immutandũ. AVCTOR CATENAE. Et indurauit dominus cor Pharaonis, nec dimisit populum, vel vt non dimitteret populum. Dicitur deus cor Pharaonis induraſſe, nõ quòd deus coẽgerit Pharaonem peccare, nec quòd culpa indurationis transferenda sit in deum, qui nec vult, nec operatur iniquitatem, sed quòd deus obtulerit Pharaoni verbum & prodigia sua, per Moysen & Aaronem, ex quibus Pharao propria voluntate malus, & spiritu sancto destitutus, subinde magis ac magis in corde suo indura-

*Mystice.* tus est. Post tot igitur portenta, tot clades, nihil fit melior filius damnationis, cœpta perfidia constat.

RABANVS. Primũ illud considerandũ, quòd quædã prodigia fiunt per Moysen, quędam per Aaron, quędã verò per ipsum dñm, qđ ideo est, vt cognoscamus in quibusdã per sacrificia sacerdotũ, & obsecrationes põtificũ nos esse purgãdos, quos Aarõ persona designat, In quibusdã per scientiã legis emẽdandos, qđ Moysi designat officiũ. In difficilioribus autẽ ipsiꝰ dñi virtute egemꝰ. ORIGENES. Quòd autẽ locustarũ in octauo loco fit mẽtio,

puto



A puto per hoc genus plagæ dissidentis semper à se, & discordantis humani generis inconstantiã confutari. Locusta enim cũ regem non habeat, sicut scriptura dicit, vna acie ordinatum ducit exercitum: homines verò cũ rationales à deo facti sint, neque semetipsos ordinatè regere potuerũt, neq; dei regis patiẽter moderamina pertulere. GREGORIVS TRIGESIMO PRIMO MORALIVM. Vel locustæ nomine hoc in loco lingua adulãtis exprimitur: quod exhibitæ cœlitùs Aegyptiæ plagæ testãtur, quæ exigẽtibus meritis corporaliter semel illatæ sunt: sed quę mala praua mentes quotidie feriant, spiritaliter signauerunt. Scriptũ nãque est, ventus vrens leuabat locustas: quæ ascenderunt super vniuersam terrã Aegypti, operuerúntq; vniuersam facie terræ vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorũ in arboribus fuit. His enim Aegyptus plagis affecta est, in quibus exteriori percussione cõmota, dolensq; perpenderet, quæ deuastationis damna interius negligẽs toleraret: vt dum foris perire minima, sed amplius dilecta cerneret, per eorũ speciem, quę intus pertulerat grauio- B ra sentiret. Quid autẽ per significationẽ locustę portẽdunt, quæ pluſq̃ cætera minima quæq; animantia humanis frugibus nocent: nisi linguas adulantiũ, quæ terrenorum hominũ mentes siquando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatiùs laudando corrumpunt? Fructus quippe Aegyptiorũ est operatio cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes tranſitorias cor operantis inclinant. Herbam verò locustæ comedunt, quando adulatores quique verba loquentium fauoribus extollunt. Poma quoque arborum deuorant, quando vanis laudibus quorundam iam quasi fortium & opera eneruant. ISIDORVS. Alio quoque sensu locustæ per mobilitatem leuitatis accipiendæ sunt, tanq̃ vagæ & salientes animæ in seculi voluptates. ORDINARIA. Octauum præceptum, falsum testimonium non dices, Octaua plaga locusta, animal scilicet dente noxium. Falsus enim testis nocet mordendo, & consumit mentiendo. Vnde Apostolus, *Gal.5.* Si mordetis & consumitis, videte ne ab inuicem consumamini. PROSPER. Locustarum ergo multitudo *1.Par. cap.* vexans omnia, radicitúsque exterminans, falsarius est, multa variáque confingens, qui rodit vt locusta famam, *36.* C vitam actúsque alienos, donec totum aduersus quem falsa confingit, radicitùs exterminet. Sed falsus testis non erit impunitus. RVPERTVS. Verùm hoc maximè hæretici faciunt, & omnes qui loquuntur mendacium. At verò in Apocalypsi Ioannis hæreticorum mendacium & vis per speciem locustarum hoc modo designata est. Et ascendit (inquit) fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo *Apoc.9.* putei, & de fumo exierunt locustæ in terram, & hic ventus vrens leuauit locustam, mysticè idem intelligendum, videlicet quia sicut locustæ proprium non habent volatum, sed vento in perniciem Aegyptiorum sunt leuatæ: sic omnes falsi testes, siue in foro, siue in Ecclesiastico concilio, contra sanguinem proximi, siue contra fidem Christi, falsa de scripturis testimonia proferentes, volare se putant pennis scientię, sed proculdubio per inane tolluntur vento diabolicæ superbiæ, ad subuersionem audientium, ad perditionem sibi consentientium.

D *Dixit autem dominus ad Moysen: Extende manũ tuam in cœlũ, & sint tenebræ super terram Aegypti tam densæ, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in uniuersa terra Aegypti. Tribus diebus nemo uidit fratrẽ suũ, nec mouit se de loco in quo erat. Vbicũque autem habitabant filij Israel, lux erat. Vocaúitque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate domino. Oues tantũ uestræ, & armenta remaneant, paruuli uestri eant uobiscũ. Ait Moyses, Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus domino deo nostro. Cũ ti greges pergent nobiscũ, nõ remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt in cultum domini dei nostri, præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus. Indurauit autẽ dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. Dixítque Pharao ad Moysen: Recede à me, & caue ne ultra uideas faciem meam. Quocunq; die apparueris mihi, morieris. Respondit Moyses, Ita fiat, ut locutus es, non uidebo ultrà faciem tuam.*

E AVCTOR CATENAE. Nonum supplicium, Tenebræ, quæ tribus diebus in Aegypto tam densæ, tamq; horribiles fuerunt, vt nullus Aegyptiorum potuerit his diebus alterum videre, aut cum altero negociari. Et vt superiora, ita & hoc supplicium immissum est Aegyptiis, vt verũ deum agnoscerent, verbo eius obedirent, resipiscerent, ac Israëlitas dimitterent. Sed scripturã ipsam loquẽtem audiamus. *Dixit autem dominus ad Moysen.* CAIETANVS. Et hinc nona incipit plaga tenebrarum, quæ etiam facta est per Moysen. Et si rectè supputatũ fuerit quatuor prima signa facta sunt per Aaron, duo sequentia, à deo sine opere tam Aaron, quàm Moysi, quatuor autem sequentia facta sunt per Moysen. *Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Aegypti tam densæ, vt palpari queant.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Tertio dicitur ad Moy- *Quæst.38.* sen, Extende manum tuam in cœlum, vt fieret etiam plaga tenebrarum. Nunquam autem dictum est ad fratrem eius Aaron, vt extenderet manum in cœlum. Quod ergo dictum est ad Moysen, extende manum tuam super terram Aegypti, & ascendat locusta super terram, credo id significatum, etiam minus posse qui plus potest, non F autem continuò cui minora conceduntur, posse maiora. INTERLINEARIS. Est autem hyperbolica locutio. Tenebræ enim palpari non possunt, sed magnitudinem tenebrarum significauit. AVCTOR CATENAE. Tam densæ vt palpari queant. Rectè vertit Interpres sensum ex Hebraico, vbi dicitur: וְיִמָּשׁ Veiames chosech. Pro quo sciendum verbum Masas duo significare, videlicet tangere, & auferre. Secundum primum significatum ita redditur locus, Et palpabit tenebras, subaudi quilibet vel aliquis. Vel etiam palpabitur tenebra. Est enim in Hebræo tenebra singularis numeri. Cum autem tenebræ nihil sint præter nudam lucis priuationem, quantumlibet densæ, palpari nequeunt, sed ideo dicuntur palpabiles, quia aëre grossis ac densis vaporibus occupato, velut tangibiles viderentur, vel quia homines palpare facerent vel palpitare. Sic & luminaria mundi in plena obedientia dei sunt vt creaturis luceant, quando & quantum domino placet, & quibus fauet deus, fidelibus scilicet. Secundum alium significatum ita redditur locus. Et auferat tenebras, hoc est, illæ tenebræ posteriores expellant priores tenebras noctis, sicut lux maior tol-

lit minorem, id est, sint multò densiores nocturnis tenebris. Cui intellectui fauere videtur etiam Chaldaica, habens, Etiam postquàm recesserit obscuritas noctis. Rectiùs tamen intelligimus palpabiles tenebras, sicut est apud Septuaginta. *Extendíque Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti.* ORIGENES. Notandum, Moysen non omnia signa virga effecisse, sed & manu & verbo, ne virgam magicis artibus factam esse arbitrarentur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et fuit obscuritas caliginosa in tota terra Aegypti. Ex subiuncta caligine apparet sensus, videlicet quòd ipsa obscuritas quæ est priuatio luminis cœlestis, obscurior reddita est, admixta caligine. Constituta est enim plaga hæc non solùm suspensione cœlestis lucis ab actu illuminandi Aegyptum, sed etiam ex adiuncta in aëre caligine. AVCTOR CATENAE. Et factæ sunt tenebræ horribiles. Non dissentit ab Hebraico. Vbi est חֹשֶׁךְ אֲפֵלָה Chósech aphela. Significat autem propriè aphela caliginem. Verùm quia caligo est causa horroris & timoris, ideo ponitur pro horrore. Vnde rectè vertit Interpres, tenebræ horribiles. Alij vertunt, obscurissimæ vel densissimæ, aut caliginosæ. Sed omnia hæc vnum sunt. Septuaginta verò paulò secus, σκότος γνόφος, tenebræ, caligo: deinde additur καὶ θύελλα, Et tempestas aut procella, quod omnino redundat. Ex alio enim loco, huic simili, sumptum est, vt infinita penè eiusmodi apud eos inueniuntur. Ad cœlum igitur leuat manus Moyses, & de æthere plaga accersitur & cœlis, postquàm tot clades in aëre, aquis & terra nihil permouerunt impios. Sic omnis creatura dei pugnat contra insensatos & impios pro fidelibus. *Tribus diebus.* CAIETANVS. Cum præcedenti particula iungẽdæ sunt istę duę dictiones, vt manifestè patet in hebraico textu, repetẽte tres dies in sequenti particula. AVCTOR CATENAE. Est & aliud huius rei indicium, quòd colum punctus, quod Hebræi vocant Soph pasuk, & clausulas à clausulis distinguit, est positum post verba hæc, vt dicatur, Et factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus. Sic habetur in Chaldaica, sic & apud Septuaginta. *Nemo vidit fratrem suũ, nec mouit se de loco in quo erat.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod Latini hîc habent, Et nemo vidit fratrem suum tribus diebus, Græcus noster habet, Et non vidit nemo fratrem suum. Notandum etiam, fratrem hominis, quemlibet hominem dici. INTERLINEARIS. Nec mouit se de loco suo. Non quòd penitùs non moueretur, sed quia de loco in locum migrare non poterant. CAIETANVS. Locus hic iuxta Hebræum habetur, Et non surrexit quisquam de subter se tribus diebus. Nec intelligo tanto rigore hanc literam, vt triduo nullus alterum viderit, nullus comederit, nullus biberit, nisi fortè iuxta se habuerit cibum vel potum, sed intelligo formaliter, videlicet quòd beneficio lucis cœlestis nullus viderit alterum, nullus exierit domum, cum quibus stat quòd beneficio lucernarum domi se cõtinentes comedebant, & bibebant, & coquebant, & cætera. AVCTOR CATENAE. Nemo vidit fratrẽ suũ, id est, non vidit alter alterũ. Nec mouit se de loco in quo erat. Hebraicè וְלֹא קָמוּ אִישׁ מִתַּחְתָּיו שְׁלֹשֶׁת יָמִים Velo kámu is mithachtaf seIóseth iamim, Et non surrexerunt vnusquisq; de loco suo tribus diebus. Alij de domo sua, verterunt, id est, ad faciendum opus, & eundũ foras. Alij, de inferioribus suis, scilicet locis. Nonnulli, de subter se. Quæ omnia non aliter quidem intelligũtur, quàm vt vertit Interpres. At Septuaginta paulò diuersius, ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ, Nemo surrexit de lecto suo: nam de lecto hîc nulla mentio. Chaldaica etiam sese nostræ editioni conformat, inquiens, Neque surrexerunt singuli de locis suis tribus diebus. Omnia fortassis per hyperbolen dicuntur, neque enim immoti stabant homines, sed ad opera & negotia sua nemo exire poterat. Locus hic dicitur, non in quo quisque esset circumscriptus, sed domus aut habitatio in qua manebat. Exteriores tenebras ei offudit deus, quem intus in corde obcæcauerat. Nobis nõ licet diuini cõsilij rationes secretas perquisitigare, quare cynomyia, culicibus, grãdine, locustis, & aliis tyrannum domare voluerit: cùm absque his omnibus Aegyptum funditùs vno verbo euertere potuerit. Sic placuit illi, nihilominus corporalibus vtitur instrumentis, vt potentiam suam nobis plenius ostendat: quòd vilissimis & abiectissimis rebus summa quæque & potentissima mũdi annihilare possit si velit. Legimus enim tota regna, totos populos minutis animalibus vastatos. *Vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat.* GREGORIVS NYSSENVS. Sic igitur aër nullam diei ac noctis faciebat differentiam, Aegyptiis in eadem continuè crassitudine palpitantibus, at Iudæis nihil noui afferebat. Nec tamen decet historiæ literam ita sequi, vt deum putemus cruciatus causam, sed vnumquẽque sua electione sibi dolores præparasse ac fecisse credere debemus, vt etiam Apostolus ad huiuscemodi hominem dicit, quòd secundum duritiem tuam, quia cor tuum non pœnitet, iram tibi in die iræ ac reuelationis & iusti iudicij dei congregas, qui vnicuique tribuit iuxta suorum operum merita. Nam quemadmodum si praui ac pernitiosi humores in præcordiis ac intestinis lateant, non accusatur medicus quòd eos ipse fecerit, si arte ipsos in cutem vt appareant traxerit, sed effecit quidem illos inordinata dięta, traxit autem in manifestius non imperitus medicus: sic cùm dolores ac cruciatus hominibus à deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipsis initia & causas earum vexationem fuisse. Qui enim bene vixit, huic non tenebræ, non vermes, non gehennà, non ignis, non aliud vllum & nomine & re terribile imminet, sicut ipsa quoque testatur historia. Nam cùm in eodem simul Hebræi cum Aegyptiis essent loco, cruciabantur Aegyptij, Hebræis nihil sentientibus. Quare manifestum est nihil harum pœnarum absque nostra electione ac voluntate posse consistere. CAIETANVS. Magnum miraculum, vt tam lux cœlestis, quàm puritas à caligine, inueniretur in domibus filiorum Israël, quarum multitudo non parua inter domos Aegyptiorum inserta erat, ita vt Israëliticæ domus & Aegyptiorum domus alternatim iungerentur, vt subiuncta signa domorum in plaga primogenitorum testantur. Et quòd de domibus sit sermo, apparet manifestè in textu Hebraico sic habente, Et omnibus filiis Israël fuit lux in sedibus eorum, vel in habitaculis eorum. Quod ideo annotauimus, ne intelligeretur quòd in vicis publicis in quibus habitabant Iudæi, fuerit lux. AVCTOR CATENAE. Vbicunque autem habitabant filij Israël lux erat. Sensum vertit ex Hebraico doctus Interpres, sic habente: וּלְכָל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל הָיָה אוֹר בְּכֹושְׁבֹתָם Vlcol bene Israël háia or bemosbotham, Et omnibus filiis Israël fuit, vel erat lux in habitationibus suis. Sic & Chaldaica, quod etiam Septuaginta significant, ἐν πᾶσιν οἷς κατεγίνοντο, In omnibus in quibus erant, seu versabantur. Vide igitur & hîc manifestum inter populum dei & impios illos interstitium, quo probauit se dominus illius



illius verum deum esse. Tali autem supplicio punitæ fuerũt gẽtes idololatræ, quæ nõ homines tantũ, sed etiam ligna & lapides pro diis coluerunt. Tali supplicio animaduersa est illorum cæcitas mentis, & cordis induratio, qui tot cladibus afflicti, ad domini vocem non verè resipiscebant, sed roborabantur magis. Quid ergo supplicio tenebrarum inter Aegyptios, & miraculo lucis inter Israëlitas, effectum est nam Pharao & Aegyptij resipuerũt? Horror tàm stupendi spectaculi adegit quidem eos ad timorem, & extorsit ex ipsis speciẽ duntaxat quãdam externæ resipiscentiæ. *Vocauit enim Pharao Moysen & Aron, & dixit eis: Ite, sacrificate domino.* CAIETANVS. Si quæris quomodo vocatus est à Pharaone Moyses, cũ nullus surrexerit de loco in quo erat, in prõptu est responsio, ꝙ absque pręiudicio veritatis in genere, quod nullus egressus est domũ, verificatur exceptio missi nuncij ad vocãdum Moysen cũ luce ignea: Durantibus enim tenebris fuisse vocationẽ istam, intelligitur ex eo, ꝙ qualibet transacta plaga, semper Pharao induratus est etiã post sepulturam primogenitorum. Ipsa ergo licentiæ ad sacrificandum cõcessio testatur, quòd perseuerabant tenebræ. AVCTOR CATENAE. Ite, sacrificate. עִבְרוּ Hibdu Hebraicè, verti potest, seruite. Sic legitur apud omnes. Sed idẽ est in sensu cũ sacrificate. Cõmuniter dicitur mississe Pharaonem vocatum Moysen & Aron post triduũ peractarum tenebrarũ, quando lux reuersa est super terram, sicut etiam fecit post mortem primogenitorum. Nam nec in litera habetur, quòd petierit Pharao hanc à se plagam auferri, sicut de superioribus legimus. *Oues tantùm vestræ, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Pharao dixit ad Moysen & Aarõ, Ite, & seruite domino deo vestro, præter oues & boues relinquite, sic enim habet Græcus. Valde inusitata locutio est, nisi post distinctionem subinferatur relinquite, & subaudiatur, ista, vt sit sensus, Ite præter oues & boues, & relinquite ista. Solet enim talis Eclipsis fieri crebrò in locutionibus scripturarũ. AVCTOR CATENAE. Quòd si dictionem Græcam πλὴν reddas veruntamen, non autem præter, nihil in sententia erit obscuritatis, tũc enim dicetur, Veruntamẽ oues & boues relinquite. Quod verò sequitur, paruuli quoq; vestri eant vobiscum. Notandum, ꝙ paruuli nomine nonnunquã vtũtur etiã Hebræi pro omni turba imbecilli & imbelli, pro liberis, seruis, & famulitio, planeq; pro his quæ inter sarcinas cẽsentur. Vnde & Chaldaica hoc in loco habet, familia quoq; vestra eat vobiscum. Pro quo apud Septuaginta est ἡ ἀποσκευή, supellex, de qua satis dictum est in superioribus. *Ait Moyses, Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus domino deo nostro.* Hæc sentẽtia ita legitur in Hebræo sicut & in Chaldaica, Tu quoq; dabis in manibus nostris hostias sanctas & holocausta, vt faciamus corã domino deo nostro. Vel tu etiã dabis in manus nostras hostias & sacrificia, quæ faciamus domino deo nostro. Sed idem dicunt quod & litera nostra. Eleganter autem vertit Interpres quod Hebraicè habetur וְעָשִׂינוּ Vehasínu, vt faciamus. Quanquã etiã Latinè, facere, sacrificare significet, sicut & Hebraicè, vt illud, cũ faciã vitulâ, quemadmodũ & paulo pòst, seruire pro sacrificare. Septuaginta verò non mutarunt verbum ἃς ποιήσομεν κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν. Sentiunt autem & ipsi quòd Pharao ducere secum animalia sua eis permittat pro illis domino sacrificandis. Non contentus igitur hominibus Moyses sibi ad abeundũ concessis, etiã pecora & iumenta exigit ad sacrificia & holocausta. Faciemus, inquit, deo nostro, hoc est, sacrificabimº, mactabimus, coquemus, hæc enim pro ratione loci & sententia capiũtur. Alioqui non semper facere sonat sacrificare, sed in loco. *Cuncti greges pergent nobiscum, nõ remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum domini dei nostri, præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locũ perueniamus.* AVGVSTINVS. Et nõ relinquimus vngulã, & cętera, quasi abductis pecoribus posset vngula remanere. Quid enim est aliud, nõ relinquimus vngulã, nisi nec vngulã relinquemus? AVCTOR CATENAE. Nõ remanebit ex eis vngula. Vulgaris est loquendi modus, cui se humiliat sancta scriptura propter imbecillitatem nostrã, capiturq; vngula pro toto pecore. Quẽ Chaldaica optimè declarat, inquiẽs, Nõ dimittemus quicq̃. Sequitur, Quæ necessaria sunt in cultũ dñi dei nostri. Hoc sic iuxta Hebræum legiẽ כִּי מִמֶּנּוּ נִקַּח לַעֲבֹד אֶת יְהוָה אֱלֹהֵינוּ Chi miménnu nikkach lahabod eth iehoua elohénu, Quoniã ex illis, vel eo, nempe pecoribus vel pecore, accipiemus ad seruiendũ, vel vt seruiamº, aut ministremus dño deo nostro. Sic & Septuaginta. Chaldaica etiã, Quoniam ex eis debemus accipere vt seruiamus coram dño deo nostro. Sed hæc sensum Latinæ editionis non variant, sicut nec quæ sequũtur. Præsertim cũ ignoremus quid debeat immolari, loco cuiº est in Hebræo וְאֲנַחְנוּ לֹא נֵדַע מַה נַּעֲבֹד אֶת יְהוָה Vaanáchnu lo nedaha ma nahabod eth iehoua, Et nos non, siue nondũ scimus quid, siue in quo seruituri sumus dño, id est, ex qua specie sacrificaturi vel oblaturi. Sic & Chaldaica & Septuaginta, quæ sunt idem cũ litera nostra. Volebant igitur & intendebãt Aegyptũ relinquere Hebræi, sed nõ necesse erat significare regi. Falsum quidẽ dici nõ debet, sed potest veritas pro loco & tẽpore reticeri. Ignoramus, ait Moyses, quid & quantum domino offerendũ sit donec illò venerimus, prudẽter omnia cauens: potuisset enim dicere Pharao, Tot & illa pecora dabo vobis, reliqua mihi seruabo. *Indurauit autẽ dñs cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.* THOMAS SVPER PRIMVM SENTENTIARVM. Obduratio dicitur quãdoq; actus volũtatis obstinatæ in malũ cui pertinaciter adhæret: & sic cõstat quòd obdurationis causa nõ est deus, sed homo, sicut nec alicuius actus peccati inquantũ deformis est. Quandoq; verò obduratio dicitur ipsa priuatio gratiæ quæ etiã exęcęcatio dicit: quia gratia est quoddã lumẽ animæ, & perfectio quædã habilitãs ipsam ad bonũ. Istũ autẽ carere gratia ex duobus cõtingit. Tum quia ipse nõ vult recipere, Tum quia deº nõ sibi infundit, vel nõ vult sibi infundere. Horũ autẽ duorũ talis est ordo, vt secũdũ nõ sit nisi ex suppositione primi. Cũ enim deus nõ velit nisi bonũ, non vult istũ carere gratia, nisi secundũ quod bonũ est: sed quod iste careat gratia, nõ est bonũ simpliciter. Vnde hoc absolutè cõsideratũ, nõ est volitũ à deo. Et tamẽ bonũ vt careat gratia, si eã habere nõ vult, vel si ad eã habendã negligẽter se prępparat: quia iustũ est: & hoc modo est volitũ à deo. Patet ergo quòd huius defectus absolutè causa prima est ex parte hois, qui gratia caret, sed ex parte dei nõ est causa huius defectus nisi ex suppositione illiº qđ est causa ex parte hominis. Et per hũc modũ inuenitur dici deus quãdoq; causa exęcęcationis vel obdurationis, nõ quidẽ immittendo malitiã, sed nõ impartiẽdo gratiã, ꝙ in ipso est. Si enim nõ necessariò impartiẽ gratiã: in ipso est & nõ impartiri: vnde eiº qđ est nõ impartiri, aliquo modo causa est. Iste autẽ defectus potest dupliciter considerari, sicut etiã quilibet alius, cũ enim defectus incidat ex defectu causæ, secũdæ, & nõ ex defectu causæ primę, quem defectum deus nõ impedit, tamẽ impedire posset ne impedimentum naturæ eedat. Si iste defectus gratię comparetur ad



Locut. 51.

Locut. 52.

Locut. 53.

Dist. 40. q. 4. art. 2. in corp.

voluntatem quæ est sicut causa proxima: inuenitur voluntas habere causalitatẽ ad ipsum: quæ bonum propositũ G
non accipit, cùm accipere possit, & ex hoc est culpabilis & vituperabilis: quia malum cuius principium est volũ-
tas, est huiusmodi. Si autẽ cõparetur ad ipsum deũ, non inuenitur causatus ab ipso, sed tantũ permissus & ordi-
natus: vt scilicet sit in pœnã ipsius volũtatis deficere. Vnde dicit Augustinus in primo cõfessionum, Iussisti dñe,
& sic est, vt omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna: & talis ordinatio à deo est: vnde respectu ipsius defectus
nullam causalitatẽ habet: sed respectu ordinationis tantũ: & hoc significatur cum obdurare dicitur. *Dixitque Pha-*
*Lect. 54.* *rao ad Moysen: Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meã. Quocũque die apparueris mihi, morieris.* AVGVSTINVS. Iuxta
Septuaginta, Attende tibi vltra apponere videre faciẽ meam, pro eo quod est, attende tibi ne vltra videas faciẽ
meam. AVCTOR CATENAE. Impietates tyrannorũ fert dominus ad exercitium sanctorũ aliquousque:
nempe donec extrema moliri cœperint, donec sanguinẽ & mortem intentauerint, tũc autẽ proxima eis solet su-
peruenire pernicies. Sic itaq; Pharao Moysen reiicit, & minatur ipsi mortẽ si redeat. Queret quispiã, quî factũ sit, H
quòd Pharao, tam diu hactenus tolerauerit Moysen in Aegypto, & aut non expulerit eũ ex Aegypto, aut nõ gras-
satus sit in ipsum ferro, præsertim cum habuerit ipsum pro seditioso, & viderit ministerio eius tot mala Aegy-
ptiis accidisse. Ad hoc respõdet scriptura in capite sequẽti, dicẽs: Fuit Moyses vir magnus valde in terra Aegypti
corã seruis Pharaonis & omni populo. Nã Moyses ambulauit in præceptis dei diligẽter & fideliter. Vocat⁹ enim
erat diuinitùs, vt ederet miracula in Aegypto, & educeret Israëlitas ex Aegypto. Qui autẽ ambulat in mandatis
dñi, eũ facit deus aduersariis & hostibus suis tam terribilẽ, vt vix contrà mutire audeant. Sic terror dei inuasit o-
mnes per circuitũ ciuitates, quando Iacob profectus est in Luzan, quia ambulabat in mandatis eius, & sub prote-
ctione illius erat, Genesis trigesimo quinto. Sic immisit dñs terrorem & formidinem in populos qui habitabãt
sub omni cœlo, quando Israëlitæ proficiscebantur ad terrã Chanaan, Deuteronomij secundo. Sic deus terribilẽ
faciebat Ioannẽ Herodi, Matthæi decimo quarto. Et si igitur haberet Moyses Pharaonem infensissimũ hostẽ, tam
terribilis tamen factus est Pharaoni à domino deo nostro, vt nequaquam ausus fuerit ferro in ipsum grassari, ne I
videlicet trucidendo Moysen, concitaret seditionem inter seruos & populum suum, coram quibus Moyses ma-
xima auctoritate præditus erat. Itaq; si & tu volueris aduersariis tuis terribilis fieri, ambula in mandatis dei di-
ligenter & fideliter. Sic enim ne capillus quidem capitis ante legitimum suum tempus, ab aduersariis tuis mo-
ueri poterit. *Respondit Moyses: Ita fiat, vt locutus es: non videbo vltra faciem tuã.* HVGO DE SANCTO VICTORE.
Subaudi nisi me accersieris priùs, quia vidit postea eo accersente. AVCTOR CATENAE. Hebraica sunt
בֵּן דִּבַּרְתָּ לֹא אֹסִף עוֹד רְאוֹת פָּנֶיךָ Chen dibbárta lo osiph hod reoth panécha, Scut, aut verum loquutus es, non
adiiciam amplius videre conspectum tuum. Hebraismus, pro non videbo te amplius. Chaldaica, Rectè loqu-
tus es, non addam vltra videre faciem tuam. Septuaginta, ὄντως εἴρηκας, οὐκ ἔτι ὀφθήσομαί σοι εἰς πρόσωπον, Sicut di
xisti, non amplius apparebo tibi in faciem. Sed hæc vnum sunt cum litera nostra. Verè autem contigit Pharao-
nem non videri à Moyse viuum, sed in littore maris rubri cum exercitu toto mortui pariter, visi sunt. Habet
dominus sibi notam mensuram vitæ & indulgentiæ, quam sibi duram crudelitate sua in fratres ascisc unt con- K
temptores iudiciorum dei, & domino deo rebelles.

*Mystice.* ORIGENES. Nona plaga tenebræ sunt, siue vt mentis eorum cæcitas arguatur, siue vt intelligant diuinę
dispensationis & prouidentiæ obscurissimas esse rationes. Posuit enim deus tenebras latibulum suum, quas illi
audacter, & temerè perscrutari cupientes, & alia ex aliis asserentes, in crassas & palpabiles errorum tenebras de-
uoluti sunt. STRABVS. Vel per tenebras arcanum diuini iudicij significatur, quo iustos misericorditer sal-
uat, impios iustè condemnat. ORDINARIA. Nonum præceptum, Non cõcupisces vxorem proximi tui.
Nona plaga densæ tenebræ. Est enim quædam mœchia etiam in appetendo vxorem alienam: quãdo cuiuis non
*Par. 1. cap.* sufficit sua, etiam alienam tentare. Verè densæ sunt tenebræ. Nihil enim tam dolet patiens: nihil tam nolit pa-
*36.* ti faciens. Qui hoc facit, verè cæcatur furore horribili. PROSPER. Quid ergo deterius est concupiscen-
tia mala, quæ ita totam excæcat mentem, vt non tantum timorem dei, quantum etiam ipsas pœnas legum infa-
mémque mortem obliuioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis, quod non totum occupent ferales tene- L
*Ephes. 5.* bræ? Quos verò ex his gratia liberat, admonet & per Apostolũ, dicens: Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc au
tem lux in domino, sicut filij lucis ambulate. RVPERTVS. Hæc tenebrarum horribiliũ densitas, rectè Ae-
gyptiis secundum nomen & meritum suum illata est. Aegyptij nanque nomine dicuntur & re scilicet inuidia
& odio filiorum Israël, oculi eorum fuerant obtenebrati. Porrò vt ab ipsis Aegyptiorum tenebris teipsum libe-
res, quæ nona plaga est, & aliud legis mandatum tibi audiendum est, scilicet non concupisces domum proximi
tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, nõ asinum, non bouem, nec omnia quæ illius sunt.
Vt (inquam) cum Agyptiis non maneas in tenebris, sed cũ Israël in luce habites, hoc tibi mandatum obseruan-
dum est. Quid enim magis quàm concupiscentiæ oculus totũ hominem obscurat? Lucerna corporis tui (inquit
*Matth. 6.* dominus) est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus tuũ lucidum erit: si autem neq; fuerit, etiam
corpus tuũ tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Quid (inquã) tenebrosius oculo ne-
quam? Verbi gratia, cũ videt mulierem ad concupiscendũ eam, cũ intuetur aliquã rem proximi, vt rapiat eam? M
Nempe hic talis neminem proximũ agnoscit. Si enim agnosceret proximum, non faceret in eo quicquã eorum,
quæ suadet illi cupiditas, radix omniũ malorum. Vnde signãter de Aegyptiis est dictũ, quia tribus diebus nemo
vidit fratrẽ suum. Cupiditate nanque præoccupatus animus, non videt fratrem suum, non agnoscit proximum
suum, eo tantùm intentus, vt loquatur contra illum falsum testimonium, vt furetur, quia concupiuit quæ illius
sunt, vt mœchetur vxorem eius, quia concupiuit eam, quod procul dubio non est videre fratrem, vel agnosce-
re proximum. AVCTOR CATENAE. Per densissimas quoque atque palpabiles tenebras, designan-
tur eorum qui vitiosis consuetudinibus presi sunt, detestabiles & apertissimæ excæcationes interiores, qui
nullam increpationem suscipiunt, nulli informationi acquiescunt, nulla compunctione emolliuntur, nec à
sua prauitate flectuntur, imò in via perditionis, quasi immobiliter stant, infeliciter obdurati, super quos pu-
teus clausit os suũ. Impij nãque cũ in profundũ venerint peccatorum, contemnunt. Pro quibus iugiter est orandũ,
quia



A quia à solo cœlesti omnipotentique medico possunt curari. Hoc est autem cæcitatis supplicium quod Moyses
minatur impiis, & mandatis dei non obedientibus, Deuteronomij capite vigesimo octauo, Percutiet (inquiens)
te dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, &
non dirigas vias tuas. BERNARDVS SVPER CANTICA. Denique quemadmodum olim omni o- *Serm. 72.*
culo caligante per vniuersam Aegyptum solus in mediis tenebris clarè videbat populus videns deum, id est,
populus Israël, dicente scriptura: Quia vbicunque Israël erat, lux erat, sic inter filios tenebrarum in tetra mortis
caligine fulgebunt iusti, & videbunt, eo vtique clariùs, quo exuti corporum vmbris. Nam & hi qui antea non
respirauerunt, nec enim quæsierunt inspirantis dei lumen, & sol iustitiæ non ortus est eis, hi inquam, ibunt de
tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc, & qui vident, videant magis.

B

## IN CAPVT EXODI VNDECIMVM, ARGVMENTVM.

*Dominus iubet spoliare Aegyptios. Mors primogenitorum Aegyptiorum prædicitur Pharaoni.*

## CAPVT XI.

C *ET dixit dominus ad Moysen, Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Aegyptum, & post* *Lectio 1.*
*hæc dimittet uos, & exire compellet. Dices ergo omni plebi ut postulet uir ab amico suo, &*
*mulier à uicina sua, uasa argentea & aurea. Dabit autem dominus gratiam populo suo*
*coram Aegyptiis, fuitque Moyses uir magnus ualde in terra Aegypti coram seruis Pha-*
*raonis, & omni populo.*

AVCTOR CATENAE. Comminatio decimi supplicij in hoc capite describitur, quod est occisio pri- *Lectio 1.*
mogenitorum. Et cùm in fine superioris capitis describatur paucissimis disidium Pharaonis ac Moysi, & di-
scessus Moysi à Pharaone, nunc pluribus per figuram ὕστερον πρότερον explicatur, quid inter Pharaonem & Moysen
actum sit, priusquam is ab eo recederet. Ac primùm reuelat deus Moysi supplicium occisionis primogenito-
rum, & pollicetur se hac plaga adacturum Pharaonem vt non solùm dimittat Israëlem, verùm etiam compel-
lat exire ex Aegypto. Repetit etiam promissionem illam quæ suprà capite tertio dicta est, videlicet, quòd Israë-
litę exituri sint ex Aegypto, non pauperes, sed diuites, idque spoliis Aegyptiacis. Sed iam ipsam loquentem scri-
pturam audiamus. *Et dixit dominus ad Moysen, Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Aegyptum, & post hæc dimittet vos, &*
*exire compellet.* CAIETANVS. Alloquitur deus Moysen antequam recedat à conspectu Pharaonis. Purè er-
go interna fuit hæc allocutio absque abstractione Moysi à sensibus. Reuelat autem ei deus, quòd post vnam pla-
D gam non solùm vos mittet Pharao, sed etiam mittet vos cum vniuersis quæ vestra sunt, & hoc faciet per mo-
dum expellentis. Dixerat enim Pharao quòd remanerent pecora, & propterea reuelatur Moysi, quòd eiectio erit
comprehendens omnia, quemadmodum si Pharao sponte mitteret eos cum omnibus suis. AVCTOR CA-
TENAE. Et post hæc dimittet vos. Addendum ex Hebræo aduerbium, hinc, est enim מִזֶּה Mize. Sed Inter-
pres illud subintellexit. Et exire compellet, Hebraicè est: כְּשַׁלְּחוֹ כָּלָה גָּרֵשׁ יְגָרֵשׁ אֶתְכֶם מִזֶּה Chesallecho cala gares
iegares ethchem mize, Cúmque ille emiserit perfectè, siue consumatè, expellendo expellet vos hinc. Alij legunt,
ceu missione perfecta, vel, Quasi mittat perfectè, repellendo repellet vos hinc. Quidam, omnino vel plenè di-
mittet, & eiiciẽdo eiiciet vos hinc. Quorum omnium idem est sensus sicut in litera nostra, quòd videlicet pror-
sus, sine vllis exceptionibus vel conditionibus, & vt exponit Rabbi Salomon, in vniuersum, & penitus dimittet
vos. Quod optimè significarunt Septuaginta, σὺν πάσῃ ἐκβολῇ, Cum omni eiectione, & expultione, prius enim di-
cebat, Dimittam vos, & cætera, modò ne longius abeatis. Deinde, abite, sacrificate domino, veruntamen greges,
E & cætera. Chaldaica Interpretatio, Cúmque dimiserit, omnino proiiciet vos hinc. Poterat quidem dominus
longè pluribus ac maioribus plagis affecisse Aegyptios, sed decem sufficere decreuit, toties enim commoniti, in-
durati sunt, & omnem excusationis prætextum amiserunt. Vna restat impiis correptio, mors scilicet primogeni-
torum, qua cõtempta, summa ipsa perditionis successit, summersio in mari rubro, qua & funditùs perditi sunt.
Sic ergo tandem omnes dimittet (inquit dominus) vt neminem, & nihil eorum velit relinqui, sed omnia pari-
ter abire permittet, imò & eiiciet, statimque abire compellet. Ita velint nolint, impiorum tyrannis confringitur,
domini voluntas expletur, & sancti consolantur. *Dices ergo omni plebi vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua,*
*vasa argentea & aurea.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Deus dicit *Quæst. 39*
ad Moysen secundum Septuaginta, Alloquere ergo secreto in aures populi, vt petat vnusquisque à proximo, &
mulier à proxima, vasa aurea, argentea, & vestem. Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad ex-
F poliandum isto modo proximum. Hoc enim deus iusit, qui nouerat quid quemque pati oporteret, nec Israë-
litæ furtum fecerunt, sed deo iubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cùm minister iudicis occidit
eum quem iudex iusit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiam si eum occidat, quem scit occidi
à iudice debuisse. Est etiam ista nonnulla quæstio, Si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, vbi nec plagæ
fiebant, quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo quisque petit à proximo vel à proxima aurum, argen-
tum, & vestem, præsertim quia vbi primùm hoc mandatur per Moysen, sic positum est, & mulier à vicina sua, &
concellania vel concellanea, si ita dicendum est, vel cohabitatrice sua? vnde intelligendum est, etiam in terra
Gessen, non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Aegyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potue-
runt meritò Hebræorum etiam illa diuina beneficia peruenire, vt hinc eos & diligerent iidem Aegyptij coha-
bitatores, ac quod petebant, facilè commodarent: nec tamen deus iudicauit ita illos alienos fuisse ab iniuriis &
contritionibus quas populus dei pertulit, vt nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quod terræ illi
parceba-

parcebatur,percusi non erant. IDEM IN LOCVTIONIBVS. Notandum etiam ex hoc loco,& Aegyptios Hebræis proximos dictos. BASILIVS. Bona Hebræorum astutia fuit,qua Aegyptios iniustos sui possessores deceperunt,idque dei consilio ac voluntate.Nam & impios deus ob illorum impietatem sæpenumero molestare cõsueuit, quemadmodum & in Deuteronomij libro scriptum est,Ne dicas in corde tuo,quum deleuerit eos dominus deus tuus in conspectu tuo,propter iustitiam meam introduxit me dominus vt terram hãc possiderem, quum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. THEODORETVS. Longum Hebræi tempus in Aegypto in lateribus,muris,vrbibus faciendis consumpserunt.Dominus igitur deus mercedem aliquam laboris sui illos percipere voluit, ideóque hac illos calliditate vti voluit, nam & Aegyptij regi suo in vexandis Hebræis operam suam ac studium addiderunt. HVGO DE SANCTO VICTORE. Dices ergo omni plebi, & cætera. Per recapitulationem debet intelligi hoc esse dictum, & iam antè nunciatum esse à Moyse omnibus Hebræis, vt in vltima plaga tali die hoc facerent. THOMAS. Occisio hominis prohibetur in decalogo secundum quod habet rationem indebiti. Sic enim præceptum continet ipsam rationem iustitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licitè homo indebitè occidatur, sed malefactores occidi, vel hostes reipublicæ hoc non est indebitum. Vnde hoc non contrariatur præcepto decalogi, nec talis occisio est homicidium quod præcepto decalogi prohibetur, vt Augustinus dicit in primo de libero arbitrio. Et similiter si alicui auferatur quod suum erat, si debitum est quod ipsum amittat, hoc non est furtum vel rapina,quæ præcepto decalogi prohibentur. Et ideo quando filij Israël præcepto dei tulerunt Aegyptiorum spolia, non fuit furtum: quia hoc eis debebatur ex sententia dei. Similiter & Abraam cùm consensit occidere filium, non consensit in homicidium:quia debitum erat eum occidi per mandatum dei,qui est dominus vitæ & mortis. Ipse enim est qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus iustis & iniustis pro peccato primi parentis, cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate diuina,non erit homicida,sicut nec deus.Et similiter etiam Oseæ accedens ad vxorem fornicariam,vel mulierem adulteram, non est mœchatus nec fornicatus, quia accessit ad eam quæ sua erat secundum mandatum diuinum,qui est auctor institutionis matrimonij.Sic igitur præcepta ipsa decalogi quantum ad rationem iustitiæ quam continent, immutabilia sunt: sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (vt scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium,aut non)hoc quidem est mutabile quandoque sola auctoritate diuina,in his scilicet, quæ à solo deo sunt instituta:sicut in matrimonio,& in aliis huiusmodi,quandoque etiam auctoritate humana,sicut in his quę sunt commissa hominum iurisdictioni,quantum enim ad hoc homines gerunt vicem dei,non autem quãtum ad omnia. CAIETANVS. Dices ergo omni plebi.Iuxta Hebræum habetur,Loquere nunc in auribus populi. Reuelat dominus Moysi quòd nunc est tempus exequendi quod olim ei reuelauerat, vt scriptum est in capite tertio.Et dicit in auribus populi,ad insinuandum modum,quo populus instruendus hoc esset, videlicet de aure in aurem, vt postulet, proculdubio non dono, sed mutuo,Vir ab amico suo, & mulier à vicina sua. Iuxta Hebræum habetur eadem dictio fœminini tamen generis, quæ interpretata est ab amico suo,dicendo,vt postulet vir ab amico suo. Quocirca vtrobique est sermo de amicitia, seu societate ab amico suo, vel ab amica sua,à socio suo,à socia sua.Et hæc dixerim,ne fiat vis in verbo vicina.Vasa argẽtea,& aurea,& vestem. Nulla fit mentio vestium in textu Hebraico. AVCTOR CATENAE. Dices ergo omni plebi. Eleganter vertit phrasin Hebraicam דַּבֶּר נָא בְּאָזְנֵי הָעָם Dabber na beazne haham,Loquere, vel dic nunc in auribus populi. Neque significat aliud, quàm quod vertit Interpres noster. Vel, Dic audiente populo. Vnde Chaldaica habet, Loquere nunc coram populo.Septuaginta per loqui in auribus,intelligunt,latenter, & in auricula loqui, vnde verterunt ipsi λάλησον οὖν κρυφῇ εἰς τὰ ὦτα τοῦ λαοῦ, Loquere igitur clam in aures populi. Quod verò sequitur, à vicina sua, Hebraicè est רְעוּתָהּ Rehutha,amica,seu sodali,vel proxima sua. Sed idem intelligit Interpres per vicinam. Non hinc sumendum est exemplum fraudandi proximos, sed non lædendi peregrinos, & obediendi deo, cuius est terra, & quicquid in ea, vt cui voluerit iustè det ea, qui peccare non potest supra legem legislator & conditor. Interim id quoque discamus, cùm aliquis tibi mutuò dat aut commodatò, acceptum hoc deo referas, qui gratum te fecit creditori,cor flexit,& fauore imbuit. Cùm verò negat,id peccatis tuis ascribas, ob quæ te creditori reddit inuisum. *Dabit autem dominus gratiam populo suo coram Aegyptijs.* ORDINARIA. Qui scilicet habitabant cum Hebræis in terra Gessen,& pro ipsis nouem plagis læsi non erant, ideóque eos diligebant. Decima autem plaga afflicti sunt, cùm discessissent Hebræi ab eis. HVGO DE SANCTO VICTORE. Dabit autem dominus gratiam,& cætera.Hinc innuitur verum esse quòd non mutuo,sed dono postulauerint. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Dedítque dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis. Reuelatur gratia iam data,quia iam diffinita erat,& propter certitudinem euentus,quod futurum est,significatur vt factũ. AVCTOR CATENAE. Cùm in Hebræo sit וְיִתֵּן Vaitten, quod est futurum à Nathan, & propter literam Vau præcedentem, fiat præteritum, dicendum poni hîc præteritum pro futuro, quod sæpe fieri in scriptura aliàs diximus.Dabit igitur(inquit)dominus gratiam populo suo coram Aegyptiis,id est, reddet populum suum gratum Aegyptiis. Filiorum hominum corda in manibus dei sunt, vt qui odiose & crudeliter Israëlitas oppressérant,iam sponte pretiosa quæq; concedant rogantibus,& gratiam rependant minimè vulgarem. *Fúitque Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram seruis Pharaonis, & omni populo.* CAIETANVS. Hæc continuatio literæ manifestat,quòd præcedens particula non refertur præcisè ad futuram gratiam populi, petendo vasa aurea & argẽtea,sed absolutè narrat gratiam iam datam populo Israël coram Aegyptiis,hoc enim insinuatur contexendo,etiam Moyses fuit vir magnus valde, vt intelligamus populum quidem Israël gratiosum Aegyptiis,& Moysen venerandum fuisse coram Aegyptiis,& curialibus Pharaonis.Et scriptum est hoc ad reddendam rationem ex causis humanis tantæ magnanimitatis Moysi, tum in tot priùs gestis, tum in subiunctis verbis coram Pharaone & curialibus. AVCTOR CATENAE. Fuítque Moyses vir magnus, vel vt alij vertunt, maximus,in terra Aegypti,& cætera,id est,maximæ auctoritatis apud Pharaonem & seruos eius. Hæc autem verba videntur quidem præcipuè significare causam, propter quam Aegyptij faciles fuerint ad accommodanda Israëli-

*Locut.5.*

*Q.100. in 8.ad.3.*



A Israëlitis vasa argentea & aurea,videlicet, quòd dominus dederit gratiam Israëlitis coram Aegyptiis,tum propter admiranda miracula,quibus Israëlitæ ab Aegyptiis discernebantur,tum propter ipsum Moysen, per quem tanta miracula edebantur,attamen explicant etiam haud obscurè causam, propter quam Pharao non fuerit ausus ferrũ distringere,vel in Israëlitas,vel in Moysen. Cùm enim & Moyses & Israëlitæ gratiosissimi essent apud omnes Aegyptios, timuit Pharao,ne si quicquam mali inferret Moysi & Israëlitis, concitaret inter Aegyptios seditionem, & exponeret seipsum extremo periculo. En tam terribiles facit deus illos, qui ambulant in diuina vocatione. Fuit igitur Moyses vir magnus, & cætera. Moyses coram hominibus quoque & non solùm coram deo magnus erat. Pietate enim sua fratrum suorum fauorem apud Aegyptios procurabat. Quem & rex quoque impius lædere non audebat.Qui ergo verè magni esse cupiunt, pietati & innocentiæ studeant integritate vitæ & morum.

B GREGORIVS VIGESIMO OCTAVO MORALIVM. Hæc diligenter considerandum est,quòd mentes vsui vitæ carnalis inhærentes,euelli ab infimis non possunt,nisi gradatim ducta prædicatione proficiant. Hinc quippe est, quòd in Aegypto positis, pio iustóque moderamine latenti eorum concupiscentiæ condescenditur: & vicinorum suorum vasis aureis argenteísque sublatis, discedere iubentur.Qui ad Sina montem ducti, accepta lege, mox audiunt, Non concupisces rem proximi tui. Hinc etiam in lege oculum pro oculo, dentem pro dente præcipiuntur exigere & quandoque tamen reuelata gratia, percussi in maxillam, alteram iubentur præbere.Quia enim semper plus ira in vindicta exigit, quàm iniuria accepit, dum discunt mala non multiplicius reddere, quandoque discerent ea & multiplicata sponte tolerare. Hinc est quod eundem rudem populum à quibusdam prohibuit, quædam verò ei in vsum pristinum seruauit. Sed hæc ipsa tamen in melioris vitæ figura composuit. Bruta nanque animalia idolis in Aegypto mactabant, éique in vsum postmodum animalium mactationem retinuit,sed idolorum cultum vetuit,vt dum de vsu suo aliquid amitteret, consolaretur eius in- *Mystícè. Cap.17. Exod.3.*

C firmitas per hoc,quod de vsu suo aliquid haberet.Mira autem dispensatione consilij,quod ei dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentius vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium nisi vnigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctionem carnalis vitæ nostræ significant? Vnde ergo imbecillitati populi rudis condescenditur, inde ei per obumbratas allegoriarum species maior fortitudo spiritus nunciatur. AVCTOR CATENAE. Significat etiam spoliatio illa Aegyptiorum,pios homines posse vti eruditione gentilium sapientum in gloriam dei, & ad veritatis declarationem, ac persuasionem honesti.

D *TAit,Hæc dicit dominus:Media nocte ingrediar in Aegyptum,& morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum,à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius,usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam,& omnia primogenita iumentorum.Erítque clamor magnus in uniuersa terra Aegypti,qualis nec antè fuit,nec posteà futurus est.Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis,ab homine usque ad pecus, ut sciatis quanto miraculo diuidat dominus Aegyptios & Israël.Descendéntque omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me,dicentes: Egredere tu,& omnis populus qui subiectus est tibi. Post hæc egrediemur. Et exiuit à Pharaone iratus nimis.*

AVCTOR CATENAE. Quemadmodum peritissimus quispiam medicus,validè & ad mortem vsque
E languentis curationi adhibitus, postquam pharmacis multis variisque medicamentorum vsus generibus, nihil ægrotanti profuit ad sanitatem, sed contrà magis ad morbi incrudescentiam, vnam quampiam ad extremum validissimam sibi reseruat potionem,quam cùm ebiberit ægrotans, obídque nihil melius habuerit,tunc omnino desperat de eius salute,nec posterius vltrà medicam ei adhibere manum dignatur, ita & non aliter, hac vltima plaga erga Pharaonem vsus est benignissimus dominus,quæ cùm nihil ad resipiscentiam ei contulerit, protinus à deo destitutus,in suáque obcæcatione manere permissus est,nec post hac ei correctio alia adhibita. Quo quidem factum, vt in extremum tandem supplicium semetipsum præcipitem dederit, ac in profundum maris viuus(si tamen viuum dicere eum qui ab eo qui vera vita est, penitus sese elongauerit, fas est)quasi lapis descenderit. Ait igitur præsens sancta lectio. *Et ait, Hæc dicit dominus, Media nocte ingrediar in Aegyptum, & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorum.* CAIETANVS. Non dixit media nocte hac, vel immediatè sequente, quoniam multi dies interfuerunt vsque ad mediam noctem quintædecimæ lunæ. Nescitur autem quando fuerit facta reuelatio totius huius plagæ.Superius enim in capitulo quarto legitur reuelata Moysi vna pars istius plagæ, videlicet occisio primogeniti Pharaonis,& fortè tunc ex integro hæc reuelata est, quæ modò manifestatur,quo ad multas particulares conditiones. AVCTOR CATENAE. Et ait, subaudi Moyses. Est enim in Hebræo
F וַיֹּאמֶר מֹשֶׁה Vaiomer Mose,Et ait Moyses,Dixit autem,vel, Adiecit Pharaoni Moyses, antequam scilicet egrederetur à facie ipsius,id est,prædixit illi vltimam plagam.Redit enim ad interruptam historiam quæ est in fine capitis præcedentis.Media nocte ingrediar in Aegyptum.Iuxta Hebręum est כַּחֲצֹת הַלַּיְלָה אֲנִי יוֹצֵא בְּתוֹךְ מִצְרָיִם Cachazoth halâila ani ioze betoch mizrâim,Circa mediam noctem,Vel,cùm medium fuerit noctis,siue,Cum mediauerit nox(est enim infinitiuus bachlam)ego egrediar,siue egredior in medium Aegypti, Vel, ego exibo in ipsam Aegyptum.Est enim verbum יָצָא Iaza,quod egredi significat.Verùm quod ad hunc locum attinet, idem est deum ingredi, siue egredi in medium Aegypti. Est siquidem sermo metaphoricus, significans quòd virtus eius omnipotentissima extendetur per totam Aegyptum ad internetionem primogenitorum.Chaldaica habet, Media nocte ego apparebo in medio Aegypti, subaudi per nouum hunc effectum. Septuaginta vt apud nos. A primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius.Cùm sit יֹשֵׁב Iozeb participium præsentis temporis, verti potest, sedentis super solium suum, vt referatur ad Pharaonem qui sedebat. Potest etiam verti, sedente super solium

eius,vt

eius,vt referatur ad primogenitum sessorem,hoc est,qui iure sessurus erat super solium patris.Cui posteriori sen G
sui magis fauet Chaldaica,habens, A primogenito Pharaonis qui futurus est vt sedeat super solium regni eius.
Septuaginta, ἀπὸ πρωτοτόκου φαραὼ, ὃς κάθηται ἐπὶ θρόνου, A primogenito Pharaonis qui sedet in throno, & tam ad
Pharaonem sedentem,quàm ad primogenitum sessorem,hoc est, sessurum referri potest. Quæ est ad molam,si-
ue,Qui est post molas(vtroque enim modo verti potest)id est, circumagit molam in pistrino.Primogenita ita-
que impiorum occidenda prædicuntur. Nihil natura profert dignum vitâ æterna, omnes enim nascimur filij
iræ. Sanctorum autem omnia opera ex dei bonitate seruiunt & conducunt ad vitam æternam, domino enim
moderante proficiunt ad salutem.Apud deum iustum iudicem non est acceptio personarum, siue regis filius,si-
ue in pistrinum damnatus, in impietate sua perditur domino irato. Nihil tam magnum, nihil tam paruum vel
abiectum, cui pepercerit in illa primogenitorum strage. Iure autem & meritò nocte media Aegyptiis deus pla-
gam decimam minatur, vt eorum primogenita deperirent, quia primogenitum eius populum captiuum deti- H
nebant. *Erítque clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.* Quanto maioris habe-
bantur primogenita quæque, maximè filiorum qui succedebant in potioribus bonis parentum, cæterísque præ-
erant sacrificiis,& duplici portione,vel totali hæreditate,tanto acerbior futurus erat dolor clamantium paren-
tum,tam magno solatio destituendorum vna nocte,vt nemo alterum consolandi otium haberet, vel animum.
Quid enim durius præter mortem accidere posset:sed & morte durior erat futura charissimi,& sæpe vnici hę-
redis præmissio ad sepulchrum. *Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis,ab homine vsque ad pecus,vt sciatis quanto mi-*
Locut.56. *raculo diuidat dominus Aegyptios & filios Israel.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXO-
DVM. Elegantissima locutio est, per canem quippe extremum significauit, vel hominum, vel pecorum, ita
commendauit quanta in Hebræis quies futura esset,Aegyptiis acerba orbitate clamantibus. CAIETANVS.
Iuxta Hebræum habetur, Non mouebit canis linguam suam. Tanta quies, tanta securitas ab exterminatore
progenitorum significatur,tam in hominibus quàm in animalibus Hebræorum, quòd non solùm non mouebi- I
tur canis custos ad latrandum, sed nec linguam suam mouebit idem canis, quam potest quiescens mouere.
AVCTOR CATENAE. Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis,& cætera. Optimè vertit He-
braica Interpres, sunt enim eiusmodi: וּלְכֹל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לֹא יֶחֱרַץ כֶּלֶב לְשֹׁנוֹ לְמֵאִישׁ וְעַד בְּהֵמָה Vicol bene Israël
lo iecheraz cheleb leſono lemeis vehad behema,Apud cunctos,seu in omnes filios Israël non mouebit,vel non
acuet canis linguam suam, ab homine vsque ad pecus,Vel à viro vsque ad animal. Id est, neque hominibus ne-
que iumentis filiorum Israël, allatrabit vllus canis lingua sua, vt aliquem exterreat. Chaldaica, Nullúmque fi-
liorum Israël lædet canis latrans lingua sua ab homine vsque ad iumentum Septuaginta,vt apud nos.Vt sciatis
(inquit)quanto miraculo diuidat dominus Aegyptios & Israël. Iuxta Hebræum legitur: לְמַעַן תֵּדְעוּן אֲשֶׁר יַפְלֶה
יְהוָה בֵּין מִצְרַיִם וּבֵין יִשְׂרָאֵל Lemáhan tédhaun aſer iaphle Iehoua ben mizráim vben Israël, Vt sciatis quod diui-
serit,seu distinctionem fecerit,aut discrimen posuerit dominus inter Aegyptios & inter Israël: sic & Chaldaica.
Vel quale discrimen habeat dominus inter Aegyptios & inter Israëlitas. Septuaginta nostræ versioni fauent, K
habentes, ὅπως εἰδῆτε ὅσα παραδοξάσει κύριος, Vt scias quanta mirificabit dominus,& cætera. Sed hæc omnia vnum
sunt.Nam & distinctio ipsa futura, maximũ erit miraculum. Sic igitur pij etiam intra calamitates huius mun-
di maximas, quietis & tranquillis cordibus patri misericordiarum adhærent, plena fide freti in deum, scientes
omnia ad dei laudem & gloriam,quam vnicè cupiunt,tandem deuolui, nec esse aduersitatem quæ domino ne-
sciente, vel non ordinante incidat.Nouit vbique suos deus,& seruat,omnibus etiam impiis & dæmonibus ipsis
sæuientibus.Magnum quoque interstitium & chaos est inter iustos & impios, domino discernente tam in præ-
senti seculo quàm futuro. *Descendéntque omnes serui tui isti ad me,& adorabunt me, dicentes, Egredere tu, & omnis populus qui*
*subiectus est tibi. Post hæc egrediemur.* CAIETANVS. Apparet ex hoc loco quòd coram Pharaone & curialibus
eius,Moyses magnanimiter hæc dicit,Et adorabunt me,dicentes,signum venerationis curuando seipsos Moy-
si,significatur.Egredere tu,& omnis populus qui subiectus est tibi.Iuxta Hebræum habetur,Qui in pedibus tuis,
hoc est,qui pendet à pedibus tuis,à mora & egressu tuo. Post hæc egrediemur. Iuxta Hebræum habetur, Et post L
sic egrediar, prædicit eis & tempus & modum futuri egressus. AVCTOR CATENAE. Et adorabunt
me וְהִשְׁתַּחֲווּ Vehistachauu,est in Hebræo,id est,adorabunt,proni procumbent,incuruabunt se.Omnia enim hæc
verbum שָׁחָה sacha significat. Chaldaica verò habet, Et rogabunt me, & omnis populus qui subiectus est tibi.
Iuxta Hebræum אֲשֶׁר בְּרַגְלֶיךָ Aſer beraglécha,Qui sub,vel,in pedibus tuis est. Hebraismus est, pro, qui sunt sub
potestate tua,ac vt reddidit Interpres.Vel pro,qui te,& tuum consilium sequitur.Septuaginta, καὶ πᾶς ὁ λαός σου
ὃν σὺ ἄφηγῇ,Et omnis populus quem tu ducis.Chaldaica,Et omnis populus qui tecum est. Sed omnia hæc vnum
dicunt.Et post hæc egrediemur. Parum est quod Hebraicè legitur אֵצֵא Eze, egrediar. Nam & singulare sæpe pro
plurali ponitur in sacris literis.Verba sunt igitur Moysi ad Pharaonem,præpostero ordine hic descripta, dicen-
tis ei ex ore domini qui hæc sibi prædixerat. Sic (inquit) fiet. In ea nocte cùm primogenita omnia occidentur,
quod tu nunc non times, quia non credis, te lugente tuum primogenitum, descendent ad me serui tui omnes,
qui nunc tibi obsequentes,me persequuntur.Illi(inquã)ad me de aula descendent,& reuerentiæ causa, pleni au- M
tem perturbatione,adorabunt me,& suppliciter precabuntur,vt sine mora egrediar cum omni populo meo.Di-
cent enim,Egredere ô Moyses cum omni populo,qui sub tuo est imperio,vel qui tecum est, quorum tu impera-
tor es.Tunc ergo tempus mihi erit & meis egrediendi cum damno tuo ô Rex, quod saluus admittere noluisti.
Hæc autem dicere eo tempore ad regem iustus vir ille potuit, qui deum amicum se habere non dubitauit. Ad-
mirabilis sanè est,& illustris creatura homo iustus.Adorabitur enim tempore iudicij ab omnibus impiis,& col-
laudabitur sors eius. *Et exiuit à Pharaone iratus nimis.* HIERONYMVS IN PROVERBIA SALOMO-
Cap.27. NIS. Quod dicitur, Ira non habet misericordiam, non de omni ira dicitur, nam de mitissimo ac modesto
viro scriptum est,Quia exiit à Pharaone iratus nimis.Sed de ira stulti,cuius in priori versiculo meminerat,quę
vbi excanduerit, mox viscera pietatis amittit, & furori tantùm suo nouit frena laxare. Alioquin de vtili ac ne-
cessaria ira dictum est: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

INTER-



A INTERLINEARIS. Non perturbatione mentis, sed pro duritia Pharaonis, qui tactus tot pœnis non
resipuit, Moyses stupebat & admirabatur. AVCTOR CATENAE. Et exiuit à Pharaone iratus nimis,
id est,valde.Hebraismum reddidit Interpres, Nam apud eos legitur, בְּחֳרִי אַף Bachori aph, Cum, siue,in ira fu-
roris,sic & Chaldaica, id est, vehementissimè iratus. Aliqui reddunt, cum irato vultu. Septuaginta μετὰ θυμοῦ,
cum ira.Quod vt quidam ad Pharaonem referant,videtur tamen ad Moysen referendum potius, quòd his di-
ctis amplius eum non visurus viuum exierit cum stomacho. Est enim sanctorum ira post diuturnam patien-
tiam intolerabilis impiis.Quod enim vni ex minimis dei fit,domino fit,& à domino vindicatur.Cuius quidem
lenta vindicta,sed durior manet in superbos.

B *Dixit autem dominus ad Moysen: Non audiet uos Pharao, ut multa signa fiant in terra Aegypti. Moyses* 3
*autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt,coram Pharaone:& indurauit domi-*
*nus cor Pharaonis,nec dimisit filios Israël de terra sua.*

*Dixit autem dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in terra Aegypti.* AVGVSTINVS IN
QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta, Non exaudiet vos Pharao, vt multipli- 3
cem signa mea & portenta mea in terra Aegypti.Tanquam opus fuerit eius inobedientia, vt signa illa multipli- Quæst.40.
carentur,quæ vtiliter fiebant ad terrendum populum dei,atque ipsa discretione ad pietatem informandum,sed
hoc dei fuit,malitia cordis illius bene vtentis,non Pharaonis,dei patientia male abutentis. CAIETANVS.
Summat Moyses rationem gestorum omnium coram Pharaone, quoniam non amplius redierunt ad Pha-
raonem. Summat autem ad inobedientiam Pharaonis, & multitudinem miraculorum. Et inobedientia Pha-
C raonis vt medium ad finem(multitudinem videlicet miraculorum) significatur, nam dicitur, Non audiet vos
Pharao,vt multa signa fiant in terra Aegypti. Et est sermo de medio sine quo non, inobedientia siquidem Pha-
raonis, non fuit medium per quod deus multiplicauit miracula, sed fuit medium sine quo non multiplicasset
miracula, vt patet in narratione miraculorum superius scripta. AVCTOR CATENAE. Non audiet
vos Pharao,vt multa signa fiãt in terra Aegypti.Hebraicè legitur, לְמַעַן רְבוֹת מוֹפְתָי Lemáhan reboth móphthai,
Vt multiplicentur prodigia mea,siue,Vt multiplicem portenta mea. Sic habet & Chaldaica,sic & Septuaginta,
qui etiam addunt τὰ σημεῖά μου,signa mea,vt suprà visum est.Sic igitur inobedientia impiorum deus bene vtitur
ad suam gloriam, ad mundi salutem, ad solatium credentium. Ideo (inquit dominus) Pharao vos ambos non
audiet,vt multa portenta mea fiant,id est,satis signorum edam, & ostendam potentiam meam in terra Aegypti.
Dictio autem vt,hoc in loco,non ponitur tanquam causa, sed vt consequens. Ex inobedientia enim Pharaonis
consequuta est multitudo prodigiorum istorum, mors scilicet primogenitorum, diuisio maris rubri, nec non
D Aegyptiorum submersio. CAIETANVS. Et quoniam ad hæc duo capita(inobedientiã & multitudinem
miraculorum)summauit Moyses, ideo vtriusque manifestat auctores, & miracula quidem subiungit facta per
Moysen & Aaron coram Pharaone, inobedientiam autem, quia indurauit dominus cor Pharaonis ad non di-
mittendum populum,inquiens. *Moyses autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone, &*
*indurauit dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.* THOMAS SVPER IOB. In sacra scriptura *Cap.7.le.4*
consuetum est dici, quòd deus aliquando indurat vel excæcat, ex hoc quòd gratiam non elargitur, per quam
quis emolliatur & videat. AVCTOR CATENAE. Fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt.
Hebraicè dũtaxat scribitur כָּל הַמֹּפְתִים הָאֵלֶּה Col hamóphthim haélle,Omnia portenta hęc.Sic habet & Chal-
daica, sic& Septuaginta,qui tamen addunt ἐν γῇ Αἰγύπτου, In terra Aegypti. Sed hæc sensum Latini Interpretis
non immutant.Epilogo quodam breui concluditur tractatus iste de decem signis iustitiæ dei,& de obduratio-
ne pessimorum hominum contra creatorem suum,contra dominum deum Israël.Omnia(inquam)quæ coram
E Pharaone vno anno sunt gesta,vel vt videtur aliis non vno, sed pluribus, domino exercente suos, indurante
impios,& clementiam suam cum iustitia suo more exemplis mundo monstrante.

## IN CAPVT EXODI DVODECIMVM, ARGVMENTVM.

*Præceptum & ritus edendi agni paschalis.Azymorum institutio.Filij docendi quid significet pascha.Clades*
*primogenitorum Aegypti.Spoliatio Aegypti.Egressio filiorum Israel.*

## CAPVT XII.

F *Dixit quoque dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti: Mensis iste uobis princi-* *Lectio 1.*
*pium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad uniuersum cœtum filiorum*
*Israël, & dicite eis. Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias &*
*domos suas. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad uescendum agnum, assu-*
*met uicinum suum qui coniunctus est domui eius iuxta numerum animarum quæ sufficere*
*possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus. Iuxta quem*
*ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hu-*
*ius,immolabítque eum uniuersa multitudo filiorum Israël ad uesperam.*

AVCTOR

*Lectio 1.* AVCTOR CATENAE. Quod felix fauſtúmque ſit, in hoc duodecimo capite, Iſraëlitæ antea Aegyptiorum ſerui, in libertatem vindicantur, & publicis legibus, in proprium reipublicæ corpus redigi, ac formari incipiunt. Nam cùm hactenus multis annis in Aegypto vixerint, & Aegyptiis ſeruierint, neceſſe habuerunt etiã publicis Aegyptiorum legibus parere, & alienis ordinationibus obedire. Nunc autem, cùm libertas in propinquo eſt, incipit dominus Rempublicam Iſraëlis per Moyſen publicis legibus & ordinationibus conſtituere, vt in hoc populo non ſolùm publica pax, honeſtas & tranquillitas, verumetiam legitimus dei cultus, vera dei religio, & promiſsiones patribus de benedicto ſemine Abrahæ, ſeu de Meſsia dictæ conſeruarentur. RVPERTVS. Reuocemus ad memoriam quòd ab Abraham, tertiam mundi ſumimus ætatem, tertio mundanæ creationis diei quadam ſimilitudine reſpondentem, & eius qui ſurſum à ſpiritu timoris tertius eſt ſpiritus ſcientiæ, veras
*Gene.1.* diuitias poſsidentem. Tertio nanque die dicente deo, germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, paradiſum voluptatis plantatam eſſe accepimus. Et hac tertia mundi ætate, loquente pariter & ſcribente eodem deo per Moyſen ſanctam ſcripturam conditam nouimus, verè paradiſum voluptatis, verè deliciarum hortum, hortum concluſum, fontem ſignatum, cuius emiſsiones paradiſus malorum punicorum. Hinc enim cæteræ omnes ſcripturæ habent principium. In illo paradiſo
*Can.4.* plantauerat dominus deus omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio eius. In iſto ſcripturæ paradiſo plantauit pulchra ac ſuauia, Patriarcharum plantaria, & in medio eorum ſpecioſa ligni vitæ, id eſt, Chriſti myſteria. Proinde in hac ætate diutius immoramur, pomorum fructibus delectati, dum de ſingulis lignorum aliquid carpere cupimus, noua ſemper pulchritudine oculos inuitante, atque ideo auiditate mentis nunquam contenta repoſitis. Cuncta ſiquidem viſu pulchra, cuncta ſunt ad veſcendum ſuauia, lignum enim vitæ eſt in medio eorum, cuncta enim dicta vel acta, in vitæ auctorem Chriſtum reſpiciunt. Igitur quia ad hoc medium, id eſt, paſchalem agnum peruenimus, libet diutius immorari, dulce eſt enim vitæ myſticis fructibus vberius paſci, ita ergo feliciter incipit præſens ſancta lectio. *Dixit quoque dominus ad Moyſen & Aaron in terra Aegypti: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* AMBROSIVS IN HEXAE-
*Libro primo.cap.4.* MERON. De tempore iſtud accipitur, quia de paſcha domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc etiam principio menſium deus cœlum & terram fecit, quòd inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna temperies. Vt ergo oſtenderet ſcriptura veris tempora in conſtitutione mundi, ait, Menſis hic vobis initium menſium, primus erit in menſibus anni. Primum menſem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium eſſe generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim poſſent tenera rerum exordia, aut aſperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æſtus iniuriam ſuſtinere. RABANVS. Menſem primum vocat Niſan ſecundum Hebræos, in quo creatum eſt cœlum & terra, & mundi extitit exordium. Cuius menſis plenilunium, poſt æquinoctium vernale ſemper debet attendi. In eo & plebs Iſraëlitarum à ſeruitute Aegyptiorum liberata eſt, & genus humanum per Chriſti ſanguinem à poteſtate diaboli ereptum atque tranſlatum eſt. RVPERTVS. Menſis iſte, inquit. Quis iſte menſis? Is videtur quem illi Niſan, nos Aprilem dicimus. Verùm non quomodo apud nos, id eſt, Romanos, ſic & apud illos menſis vel annus computatur. Nam Romani ſolarem annum in menſes placitos per calendas diuiſerunt. Hebræi ſecundum legem ſolos lunares menſes & annos nouerunt. Vnde quotiens in hac ſcriptura ſancta, ſiue in lege, ſiue ante legem, quota die menſis quid factum, quídue dictum ſit indicatur, nihil aliud quàm lunæ ætas ſignificatur. Et alius quidem triginta, alius autem vndetriginta dierum menſis habetur, videlicet quia lunæ curſus viginti nouem diebus ac ſemiſſe, id eſt, duodecim horis perficitur. Iſte igitur menſis, quem lunam Aprilis menſis dicimus, principium ait vobis menſium erit. Signanter dixit vobis, nam Aegyptiis principium erat menſium, menſis qui September nominatur apud Romanos, & apud illos dicitur Thot. Nec contentus dixiſſe principium menſium, addidit, primus erit in menſibus anni. Principium videlicet menſium, pro verni temporalis naturali ordine, primus in menſibus anni, pro paſchali diuinæ auctoritatis feſtiuitate. Primus enim, id eſt, præcipuus, & cæterorum menſium feſtiuum decus vobis (inquit) habebitur. Huius principij menſium, ſiue primi menſis, hic tenor eſt legitimus, vt poſt lunam menſis Martij, qui apud illos dicitur Adar, ſequens luna ſi vel vno die citius ante æquinoctium plena euenerit, non habeatur principium, vel primus menſis in menſibus anni, ſed ſuperioribus duodecim menſibus additus, annum peragat tredecim menſium. Vnde & græcè emboliſmus, id eſt, ſupercreſcens dicitur. Nam duodecim menſium lunarium, annus communis dicitur, quo prolixior eſt ſolaris annus vndenis diebus. Vnde fit vt multiuagus nuſquam certo loco conſiſtat lunæ diſcurſus, & luna menſis Aprilis, quem propter paſchæ rationem quærimus, nunc in Martium menſem, nunc in Aprilem incidat, nunc aliquot dies menſis Maij occupet, rectius tamen Aprili deputetur. In qua eius vagatione nos tamen certa regula dirigimur, vt poſt æquinoctium vernum, vbicunque primum occurrerit plenilunium, is ſine dubio paſchalis ſit terminus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Menſis iſte vobis, & cætera. Quod hîc dixit dominum dixiſſe, totum eſt intelligendum per recapitulationem, & longè antè dominum dediſſe Moyſi præcepta, & per eum cæteris indicaſſe de agno ſiue hœdo accipiendo, decimo die, & ſeruando vſque in quartum decimum diem primi menſis, & tunc immolando, & de ſuperliminari & poſtibus liniendis ſanguine agni, contra angelum percuſſorem qui tranſiturus erat per Aegyptum ad primogenita Aegypti interficienda, eadem decima quarta nocte, & multa alia iſtis adiacentia, quæ neceſſe eſt eos antè ſciuiſſe, vt in iſta nocte ad exeundum eſſent parati. CAIETANVS. Dixit quoque dominus ad Moyſen & Aaron in terra Aegypti. Poſt egreſſum à Pharaone reuelatio iſta deſcribitur, quia tunc facta creditur. Menſis iſte. De menſe lunari eſt ſermo, & demonſtratur lunatio illa, cuius ad ſolem in ariete oppoſitio eſt prima. Et adiungitur prima, pro cautela, ſi euenirent duæ oppoſitiones lunæ ad ſolem in ariete, altera ad ſolem in principio arietis, altera ad ſolem in fine arietis. Alioquin regulariter ſiue communiter loquendo, oppoſitio lunæ ad ſolem in ariete, conſtituit paſcha Iudæorum, conſtituit primum menſem eſſe menſuram illius lunationis inchoatæ ab initio augmenti illius. Hic eſt menſis primus (quocunque vocetur nomine) perſeuerans ſemper primus iuxta hanc certiſsimam & infallibilem regulam, quam



A lam, quam ſi Eccleſiaſtici ſequerentur, nunquã erraret paſcha, quemadmodum errat, & frequenter deuiat. Chriſtianum enim paſcha celebrandum eſt dominica prima poſt paſcha Iudæorum, quia verè Chriſtus reſurrexit dominica prima poſt paſcha Iudæorum. Et cauſa errãdi eſt, quia ingreſſus ſolis in arietem (qui appellatur æquinoctium vernale) in calendario Eccleſiaſtico manet fixus in vigeſima prima die Martij, & in cœlo non figitur, ſed iam eſt inter decimam & vndecimam diem Martij, & tempore Iulij Cæſaris erat vigeſima quinta die Martij, & tempore natiuitatis Chriſti erat inter vigeſimam quartam & vigeſimam quintam diem Martij. Centeſimo nanque quoque anno experiẽtia teſtatur, vnum diem vel circiter, præoccupari ex eo quòd à vigeſima quinta die Martij migrauit ad decimam. Sed hodie videmus etiam Iudæos errantes in tempore ſui paſchatis. Vobis igitur principium menſium, primus erit in menſibus anni. Aptiſsimè, quando filij Iſraël erigebantur in populum liberum, qui nunquam fuerant populus, quoniam antequam deſcenderent in Aegyptum, nec populum nec
B ciuitatem conſtituerant. Poſtquam autem fuerunt in Aegypto, in principio peregrini inter Aegyptios, poſtea vt ſerui fuerunt, modò autem in populum liberum erigebantur, aptiſsimè (inquam) ordinem anni proprium dat eis deus, vt annus eorum incipiat à primo vere, ita quòd primus anni menſis ſit lunatio, cuius oppoſitio eſt ad ſolem in ariete. Et ſi cõſideraueris ſapiens lector, quòd annus naturaliter incipit à principio motus ſolis, & quòd principium motus ſolis eſt ab ariete, quia ſi ſol (inquiunt philoſophantes) inciperet moueri, inciperet ab ariete, conſequenter perpendes, quòd optimè primus anni menſis decretus eſt, menſis lunationis quam primo replet ſol *in* ariete, & videbis veriſsimè deum diſpoſuiſſe populo ſuo & anni & menſium principium naturaliſsimum & meritò, quia ipſe diſponit omnia ſuauiter. AVCTOR CATENAE. Primus erit in menſibus anni. Addendum ex Hebræo vobis. לָכֶם Lachem enim ibi eſt, quaſi dicat, Erit vobis menſis præcipuus inter omnes menſes. Hic eſt menſis qui poſtea Chaldaico vocabulo Niſan eſt appellatus, & plerunque reſpondet Martio noſtro,
C quandoque etiã Aprili. Nam initium eius aliquando præcedit, & aliquando ſequitur æquinoctium vernale, ſecũdum quod annus emboliſmicus propè vel longè fuerit. Initium autem anni Martium fuiſſe olim etiam Romanis, arguit denominatio Septembris, Octobris, & reliquorum. Admoneri autem fideles debent initio anni vel etiam menſis, beneficiorum dei cum gratiarum actione deferenda, corde, verbis, & opere creatori & nutritori domino. Sicut aſpectus iridis longanimitatis diuinæ & miſericordiæ monimentum eſſe debet ſanctis, vt futuræ fertilitatis à domino gratiam impetrare conentur. Ad primam enim & proximam lunationem, vel ſolis cum luna coniunctionem proximam æquinoctio vernali, menſis primus incipit Hebræis, iuſſione diuina, ex hoc loco, qui & illis Niſan dicitur. Sic ergo principium anni habendum eſt initium ſalutis, & beneficiorum dei. Sed eſt hîc obſeruandum, quòd Hebræi duplicem anni computationem habeant. Alteram à principio menſis תִּשְׁרִי thiſri, qui eſt circa æquinoctium autumnale, & reſpondet plerunque noſtro Septembri. Sed & ſcripturæ hunc menſem, ſeptimum vocat, videlicet à menſe Niſan. Et ab hoc menſe incipiunt Hebræi numerare annos ſabbati & iubilei, ac omnium contractuum, qui ſe ad hos annos referunt. Iuſsit enim dominus per Moyſen Le-
D uitici vigeſimo quinto, annum iubilei à menſe ſeptimo numerare. Clanges (inquiens) buccina, menſe ſeptimo, decima die menſis, propiciationis tempore, in vniuerſa terra tua. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & cætera. Alteram computationem anni habent à principio menſis נִיסָן Niſan, qui aliqua ex parte (vt dictum eſt) Martio noſtro reſpondet. Hunc primum anni menſem conſtituit Moyſes, propterea quòd in ipſo liberati ſunt Iſraëlitæ ex Aegypto. Et ab hoc menſe numerantur feſta anni, & reliqua quæ ad feſtorum rationem pertinent. Habent & alias annorum computationes, ſed quæ ad hunc locum nihil pertinent. Eſt autem ordinatio mẽſium anni in republica neceſſaria. Nam cùm reſpublica non poſsit eſſe in religione ſine certis feſtis, in politia ſine certis contractibus, in agricultura ſine certa temporum obſeruatione, neceſſarium eſt, vt annus in certa tempora deſcribatur, quò homines cognoſcant, quid quouis tempore agẽdum ſit. Præterea cùm ſcriptura approbet computationem annorum, & diſtribuat annos in menſes, qui conficiuntur ex motu ſolis & lunæ, manifeſtè etiam approbat eam ſcientiam, qua traduntur motus corporum cœleſtium. *Loquimini ad uniuerſum cœtum filiorum Iſrael,*
E *& dicite eis: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera. Accipiant ſinguli ouem per domos patriarum. Quas dicat patrias, non facile eſt intelligere, vtrum ciuitates in quibus commanebant, an potius numeroſas familias à cuiuſque velut paternitate propagatas. Hoc enim magis in græco ſignificari perhibetur. RVPERTVS. Tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Hoc loco nihil aliud à domo familia differt, niſi quòd à parietibus domus eius habitatores. Per domos (inquit) id eſt, inter domeſticos parietes, & per familias veſtras, id eſt, ſinguli ad eſum familiæ veſtræ tolletis agnum. CAIETANVS. Quot dies præterierint iſtius lunationis, quando dicta ſunt hæc verba, tum dei ad Moyſen & Aaron, tum Moyſi & Aaron ad populum, neſcitur. Hoc tamen ex textu colligitur, quòd in principio lunationis illius hæc fuerunt. Dicẽdo enim menſis iſte, monſtratur inchoatum eſſe menſem, vt pote præſentem. Mandando verò vt moneat filios Iſraël ad habẽdum agnos decima die lunationis illius, inſinuatur, quòd principium menſis erat. AVCTOR CATENAE. Tollat
F vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Hebraicè eſt: וְיִקְחוּ לָהֶם אִישׁ שֵׂה לְבֵית אָבֹת שֵׂה לַבָּיִת Veikchu lahem is ſe lebeth aboth ſe labaith, Tollãt ſibi ſinguli agnum, vel pecudem per, ſiue iuxta domũ patrum, agnum vel pecudem per domum, ſiue pro domo, ſiue per ſingulas domos. Repetitio Hebræis frequens, pro ſibi per ſingulas familias. Domum enim patrum, vocat familiam. Subaudienda præterea dictio, nempe, videlicet, aut ſimilis, in poſteriore parte, hoc pacto, per domum patrum, nempe per ſingulas domos, ſiue familias. Chaldaica, Tollat vnuſquiſque ſibi agnum pro domo paterna, agnum pro domo. Sic & Septuaginta. Quæ tamen idem dicunt cum litera noſtra. Quòd autem aliqui verterunt pecudem, intelligendum eſt de parua pecude, hoc eſt, agno. Nam licet שֶׂה tam agnum quàm hœdum, ac etiam pecudem ſignificet, quia tamen mox ſubditur, agnus anniculus, patet de agno eſſe intelligendum, vt vſus quoque declarat. Fidelis igitur populi Iſraëlitici fidem ſtatim præparat & præinſtruit deus, & præexigit antequam liberentur, dum adhuc ſubſunt tyranno. Proximè ſibi ingruentem redemptionem priùs credi iubet, quàm experiantur: priùs modum gratias repẽdendi inſtituit, quàm beneficium

*Locut.57.*

beneficium largiatur, vt discant credere, sperare in dominum, & amare, vt sciant quibus cerimoniis gratias deo G suo referre debeant, & celebrare panegyricum primum iam redempti. Eligit autem tempus illud, cùm maximè nobis terræ nascentia applaudere primùm incipiunt, & beneficia anni imminẽtis, promittunt ex floribus & graminibus, vt tunc maximè creatorem nostrum agnoscere & collaudare studeamus. Decima itaque die mensis iubetur tollere, hoc est, apparare sibi agnum, vt quartadecima tandem die transitum Phasę exequantur, & solennitatem paschatis celebrent, exituri ea nocte, dum suos primogenitos lamentãtur Aegyptij. Erant autem singulæ duodecim tribuum diuisæ in patrias & familias, familiæ singulæ in domos, in quibus præcipui patres familiarum vocabãtur, & domus patrum. RVPERTVS. Sed fortè familiola tam exigua sit alicubi, vt ad vescendum agnum eadem hora sufficere non possit. Ait ergo: *Si autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum,*

*Loc. eadem.* *assumet vicinum suum qui coniunctus est domui eius, iuxta numerũ animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.* AVGVSTINVS.

Iuxta Septuaginta. Si autem pauci sint qui in domo, ita vt non sint idonei ad ouem, id est, vt ipsa paucitas nõ H sit idonea ad ouem consumendam, assumet secum vicinum proximum suum, hoc est, ipsa domus assumet vicinum. Hominem proximum pro homine posuit, singularem autem pro plurali. Non enim vnum, sed quot sufficiunt. Animas etiam pro hominibus posuit, à parte totum. THEODORETVS. Iussit autem tot ad esum agni conuenire, quantum satis esset, vt fraternum amorem atque erga pauperes misericordiam illos doceret. Ob id hortatur vt quæ superfuerint comburantur, neque in crastinũ diem conseruentur, vt hac ratione cogeret Iudæos, vt ad festi dici cõmunionẽ egẽtes cõuocarent. RVPERTVS. Non (inquit) licebit vt secũdum quantitatem domesticæ familiolæ suæ maiorem quisque vel minorem tollat agnum, sed erit omnibus secundum æqualitatem. Vt autem non desint qui vescãtur, prouidebit, & de vicina domo sumet domũculæ dominus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Assumet vicinũ, ita tamen vt ille assumptus non idcirco dimittat suum immolare. CAIETANVS. Intellige tamen vicinum, non gentilem sed Israëlitã. AVCTOR CATENAE. Sin autẽ minor est numerus vt sufficere possit ad vescendũ agnũ. Hebraica litera est, וְאִם יִמְעַט הַבַּיִת מִהְיוֹת מִשֶּׂה I Veim imhat habáith mihioth mise, Quòd si minor domus, vel familia fuerit ipso agno, hoc est, si pauciores fuerint in domo vna quàm qui pro esu agni necessarij fuerint, vocet alios, & tot, qui sufficere possint. Quod & doctus Interpres reddidit, & Chaldaica etiam habens, Si autem pauci numero fuerint, vt non possint sufficere ad vescendum agnum. Alij vertunt, Et si minor fuerit domus quàm esse agni. Sed idem est. Quod autem dicitur in Latina editione, Assumet vicinum suum, Chaldaica legit, Tollat ipse & vicinus eius qui propinquus est domui suæ, & cætera. Quasi dicat, dominus domus & vicinus eius assumẽt alios secum. Sed hoc etiam in idem recidit. Quę sufficere possunt ad esum agni. Hebraica sunt אִישׁ לְפִי אָכְלוֹ תָּכֻסּוּ עַל הַשֶּׂה Is lephi achlo tachósu hal hase, Singuli pro esu suo numerabitis pro agno. Alij, quantum singuli edant numerabitis ad pecudem, vertunt. Quasi dicat, habita ratione numeri personarum & capitum familiæ, id est, prout numerosa fuerit familia, ita sibi magnam aut paruam familiam adiunget, de viciniori tamen domui suæ. Oportet enim vt agnus ille ambobus sufficiat. Alij, vnumquenque secundum edere eius, vel iuxta esum suum numerabitis super agnum. Nõnulli, singuli secũdum comestionem suam numerabitis ad agnum, id est, habita ratione cibi quem edere possunt, numerabitis personas ad agnum edendum. Quasi dicat, quisque tot sibi assumat personas, quot sibi satis esse possint ad edendum agnum paschalem. Chaldaica, Singuli iuxta quod possint sufficere ad vescendum, numerabimini ad vescendum agnum. Septuaginta, ἕκαστος τὸ ἀρκοῦν αὐτῷ συναριθμηθήσεται εἰς πρόβατον, vnusquisque quod sufficit sibi connumerabit in agnũ. Quæ omnia idem dicunt quod & litera nostra. Quælibet igitur domus vel familia proprium sibi præparet agnum, si ad eius esum sufficiat vna in cœna, sin minus, vicinum sibi socium cœnæ ascíscat.

*Quæst. 42.* *Erit autẽ agnus absque macula, masculus anniculus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Septuaginta. Agnus perfectus, masculus annicul⁹ erit vobis. Mouere potest ista locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ouis enim transferri debuit, quia Græcus πρόβατον habet, sed πρόβατον in græca lingua generis neutri est, & potuerunt quæ sequuntur omnia conuenire, tanquam si diceret, pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis. Potuit enim dici Latinè masculũ pecus, L quomodo dicuntur mascula thura genere neutro, ouis autem masculus dici non posset, quia fœminini generis est ouis. Item ouis mascula si diceretur, esset absurdius, pecus verò si poneretur, etiam aliud intelligeretur, nec seruaretur sacramẽtum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Masculus anniculus. Per duo, n, scribi debet, id est, vnius anni. CAIETANVS. Erit enim agnus absque macula. Etiam iuxta Hebræum habetur perfectus, hoc est, omni ex parte integer, incolumis, atque nõ statim natus masculus, anniculus. AVCTOR CATENAE. Erit autem absque macula. Quoniam dictio תְּמִים thamim, & immaculatũ & integrum significat, verterunt aliqui, Erit autem agnus integer, id est, cui nihil desit, masculus anniculus. Addẽdum ex Hebræo vobis. Legitur enim לָכֶם lachem. Sed hoc parum est. Est enim Hebraismus. Agnus igitur sine macula esse debet, in-

*Vbi supra.* teger, & omnino sanus, masculus, & vnius anni. *Iuxta quem ritum tolletis & hædum.* AVGVSTINVS. Septuaginta aliter habent, nempe, Ab agnis & hœdis accipietis illud. Qua in re vt postea dicetur, Christus significari meritò accipitur. Quanquam conentur Iudæi etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum pascha, & hoc M etiam dictum esse putant ab agnis & hœdis accipi, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hœdis hœdum, si illud desit, sumi oportere. Apparet tamẽ in Christo rebus impletis, quid illo præcepto fuerit figuratũ. THEODORETVS. Præcipit itaque eis vt sumant non solùm ex pecudibus agnos anniculos, verùm etiam ex capris hœdos, non vt eadem ratione tam illi quàm isti sacrificarentur, sed vt qui agni copiam haberent, agnum sacrificarent, qui autem eo carerent, hœdum. Idq; decima die primi mensis fieri iubet, vt ante diem festũ omnia præparentur, quartadecima verò die ad vesperã immolatio fiat. RVPERTVS. Iuxta quem ritum, & cætera. Hoc per anticipationem dictum est. Necdum enim ipsum tollendi agnum, dixerat ritum, & iam dicit, iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Et est sensus: **Siue agnum, siue hœdum tollat quis, pro causa bene erit, dummodo in tollendo, immolando, vescendo, ritum eundem obseruetis.** HVGO DE SANCTO VICTORE. Iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Id est, qui non habebit agnum, saltem hœdum immolet secundum ritum agni.

CAIETA-



A CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ex agnis & ex capris accipietis. Hinc clarè patet, quòd dictio superius interpetrata agn⁹, cõmunis est tã agno q̃ hœdo, ex eo quòd iubetur accipi ex agnis & capris, hoc est, vel ex ouibus vel ex capris. Nã ex vtrisq; simul impossibile erat illũ sumi, nisi medius sumeretur ex ouibus, & medius ex capris. Quod manifestè repugnat præcepto, ꝙ acceptus seruetur viuus vsq; ad quartãdecimã diẽ. AVCTOR CATENAE. Iuxta quẽ ritũ tolletis & hœdũ. Hebraicè מִן הַכְּבָשִׂים וּמִן הָעִזִּים תִּקָּחוּ Min hachbasim vmin hahizzim tikkáchu, Ex ouibus & ex capris tolletis. Et ponitur &, ꝙ aut, quod frequẽtissimũ est apud Hebræos. Vnde a-Jiqui, Quẽ ex ouibus aut ex capris accipietis, verterũt. Chaldaica, De agnis & de filiis caprarũ accipietis. Animal ergo vnũ sumetis, siue de ouili siue caprili, ne quis simul cũ agno hœdũ quoq; mactandũ credat, in quẽ errorẽ aliqui prolapsi sunt, cũ tamẽ alterũ per singulas tantũ familias iubeatur occidi, & mãducari. Potest ergo pascha occidi ex agnis, aut ex capris. Ritũ autẽ seruandũ in huiusmodi cõtinuò subnectit, *Et seruabitis eum vsque ad quartãdeci-*

B *mam diem mẽsis huius.* RVPERTVS. Vt quid verò tãdiu antè tolletis tãto tẽpore seruaturi? videlicet vt dũ ille prẽsto est, causa quoque eius corda vestra sollicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia transeundũ est, dũ ille tot antè diebus de profectione parãda vos admonet. Quoties enim ille balatũ emittit, toties quasi tubæ sonitus, exituras castrorũ acies excitet. INTERLINEARIS. Et seruabitis eum vsque ad quartãdecimã diẽ, hoc est, vsque ad quartãdecimã lunã. Quia Iudæi secũdũ cursum lunę cõputãt dies & mẽses. AVCTOR CATENAE. Et seruabitis eum vsque ad quartãdecimã diẽ. Hebraicè hoc tam de hœdo q̃ de agno dicitur וְהָיָה לָכֶם לְמִשְׁמֶרֶת Vehaia lachem lemismereth, Et erit vobis in custodia, siue ad custodiã, aut in obseruationẽ, vel in reseruationẽ. Neque distinguit quẽ intelligat. Ac sicut superius promiscuè locutus est, vt agnus & hœdus tolleretur, ita & nũc. Hoc idẽ innuũt etiã Septuaginta, καὶ ἔσται ὑμῖν διατετηρημένον, hoc est, Et erit vobis reseruatũ. Et Chaldaica litera, Et erit vobis in custodiã. Vtrũque scilicet. Quatuor igitur diebus seruãdus erat domi agnus vel hœdus immolãdus in paschate, ne perfunctoria esset beneficij redẽptionis memoria, & vt iam tunc primũ certò sciret & crede-

C ret, se post triduũ redimẽdos, ne interim minus necessaria prouideret ac disponerent ad exitũ de Aegypto, occupati nimirũ interim in vasorũ & vestiũ cõfiscationibus à vicinis Aegyptiis ad mãdatũ domini. *Immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorũ Israel ad vesperam.* RVPERTVS. Tot vtique agni vel hœdi erãt, quot in vniuersa multitudine filiorũ Israël domus vel familiæ esse poterãt. Verũtamen rectè immolabit eum, dixit singulariter, non solũ quia plures agni vel plures homines sint (vt Philosophi perhibẽt) participatione speciei, vnus agnus, vel vnus homo, sed quod magis ad rem attinet, quia in omnibus vnitas sacramẽti in cũctis vni⁹ erat futuri, de quo postmodũ dicẽdum erit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorũ Israël, non vt omnes vnũ, sed vt nulla domus careat suo. CAIETANVS. Immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorũ Israël. Intellige iuxta priùs dicta, hoc est, per singulas domos, singulos. Ad vesperã. Iuxta Hebræum habetur, Inter vesperas. Hora occidẽdi statuitur inter vesperas, hoc est, inter occasum solis, & vesperã, hoc est, declinationẽ solis ad occasum, hoc est, per duas horas vel circiter ante solis occasum, vt habeatur tẽpus cõmodum

D ad excoriãdum & ad coquẽdũ, ita vt statim post solis occasum possint comedere illũ. AVCTOR CATENAE. Immolabitq;, & cætera, ad vesperam. Hebraicè legitur: בֵּין הָעַרְבָּיִם ben haharbáim, Inter vesperas, id est, vesperas duplices. Quod hîc & alibi scriptura habet, intelligẽdũ, vnã eam haberi vesperã qua rota solaris iubaris orizõta iam tenet, & aliã cũ nihil iam supereſſe videtur luminis de radiis solaribus quibuscũque, tẽpus scilicet crepusculi, quarũ intercapedo vesperarũ, hora integra durat cũ tertia parte horæ. Infra illud tẽpus exituri erãt de Aegyptiacis habitaculis, & sub illud tẽpus phasę edẽdum erat, & edebatur quotannis. Alij mixturã intelligũt illã diei & noctis, quæ scilicet mox post occasum solis cõtingit. An fortè (quia multa in nocte illa peragẽda erãt quæ tam breui tẽporis spacio cõfici nequaquã poterãt) duæ vesperæ totã noctem cõprehẽdunt, ab occasu scilicet solis vsque ad eius ortũ, iuxta illud, Vespere autẽ sabbati quæ lucescit in prima sabbati. Mactare itaque iubentur omnes Israëlitæ vnũ agnum, & per singulas domos idẽ animal eatenus edebatur, quòd mens eadem erat, eadem fides omnium, & grãtulatio. Tametsi quælibet familia propriam haberet pecudem, vnitas tamen non à rẽ, sed ab

E vno spiritu, vna mente & fide accipitur.

RVPERTVS. Porrò immolatio agni, quã eadẽ nocte subsequuta est mors primogenitorũ Aegypti, & ortus *Mysticè.* est clamor magnus, quid significet, iãdudũ totus nouit Israël dei, quia passionẽ significauit Christi filij dei, ꝙ quã & originale peccatũ, & omnia deleta sunt peccata mũdi. Itaq; iã ab hinc narratio tanti operis dei prosequẽda est in laudẽ & gloriã eiusdẽ agni dei, sancti & immaculati, q sol⁹ tulit peccata mũdi, vna tãtũ plaga crucis suę spiritalẽ tãgẽdo Pharaonẽ, vt salutẽ pficeret populi sui, quã lex decẽ præceptorũ decretis ad perfectũ adducere nõ potuit. Phasę ergo siue pascha nostrũ immolat⁹ est Christus. Illic figura, hîc autẽ veritas. Illic vmbra, hîc autẽ corpus est. At verò (inquis) ꝙ eãdẽ fidẽ saluati sunt illi, ꝙ quã saluamur & nos. Acquiescim⁹, quia per eãdẽ fidẽ, sed nõ per *1. Cor. 5.* eandẽ fidei scietiã, nõ ꝙ eãdẽ fidei cõfessionẽ. Hodie palã exigitur, vt corde credas ad iustitiã, & ore cõfitearis ad *Rom. 10.* salutẽ, quia ver⁹ est agn⁹ Christus filius dei, q nos morte sua redemit de morte, q nos sanguine suo cõsecrauit, & resurrectione sua in vitã reparauit. Et hoc præfiguratũ fuisse in illa immolatione paschalis agni, in illo trãsitu fi-

F liorũ Israël, in illa submersione curruũ, & exercitus Pharaonis, filiis Israël ꝙ mare rubrũ trãseũtibus, manifestũ est. Nũquid iã illi habebãt fidei vel cõfessionis sciẽtiã? Et quidẽ Moyses & Prophetę, alij plùs, alij minùs secũdũ placitũ spiritus sancti diuidẽtis singulis, put vult, sacramẽti hui⁹ habuere notitiã, sed qualiter hoc à populo subtegere deberent, in vno Moyse omnibus significatũ est. Vbi enim cognitionẽ secretorũ cœlestium accepit, facies eius secũdum similitudinẽ mẽtis refulsit, sed splẽdorem eundem nõ valẽtibus sustinere filiis Israël, velamine operuit. Nũquid splendidã faciẽ tantũ operuit, & splẽdoris causam, scilicet sacramẽtorũ Christi filij dei cognitionẽ, pu- *Exod. 34.* blica cũctis prædicatione aperuit? Nõ vtiq;, sed sicut faciẽ tantũ operuit sub velamine, sic secretũ spiritus abscõdit sub tegumento literæ. Sed & Prophetę palàm annunciare prohibiti sunt. Vnde vni illorum dicitur, Liga te- *Esa. 8.* stimonium, signa legem in discipulis meis. Et alij dictum est, Tu ergo signa visionem, quia post dies multos erit. *Dan. 8.* Item vade Daniel, quia clausi signatiq; sunt sermones vsque ad tẽpus prefinitum. Igitur fides quidem exigebatur à populo Israël, scilicet vt crederẽt quòd deus patrum suorum, deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, vnus &

solus verus deus esset,& quod in semine Abrahæ benedicendæ essent omnes gẽtes.Sed illud ab eis exigi non po- G
terat,quod non eis erat annunciatum vt crederent, scilicet quòd hoc modo, vel tali ordine benedictiones illæ
1.Cor.2. implendæ forent in Christo.Si enim cognouissent(inquit Apostolus)nunquam dominum gloriæ crucifixissent.
Quid cognouissent?Sapientiam(inquit)quam loquimur inter perfectos. Sapientiã verò non huius seculi neque
principum huius seculi qui destruuntur,sed loquimur sapientiam dei in mysterio,quæ abscõdita est, quam præ-
destinauit deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principũ huius seculi nouit. Si enim cognouissent,
nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Itaque & hanc immolationem agni paschalis, & cætera quæcunque
(vt ait idem Apostolus)in figura contingebant illis,sic accipimus,& sic legimus, tanquã actuales prophetias vel
promissiones Christi vẽturi,clausas sub sigillis,quę solus aperire posset idem agnus dei,quod & fecit,postquam
Luc.24. resurrexit à mortuis,dicente Euangelista,Quia tunc aperuit illis sensum vt intelligerẽt scripturas. Idcirco verò
passionis eius mysterium in huiusmodi figuris præfiguratum est, quia non caperet mundus,vt sibi iam tunc di- H
ctis manifestis prænũciaretur,nec huiusmodi manifestatio spiritus eo tempore ad vtilitatem daretur. Et in hac
Ioan.1. quidem figura agni(qualis res indita sit)eo maximè clarescit,quòd Ioannes Christum digito demonstrans,Ecce
(inquit)agnus dei,ecce qui tollit peccata mundi. Cùm enim hæc dicit, profectò vt est lucerna ardens & lucens,
illam nobis illustrat vesperam,qua omnis multitudo filiorum Israël istum(de quo diximus)agnum tali ritu im-
molauit,& cuncta quæ illic acta sunt in tenebris,hîc in vero lumine manifesta dicit. Cuncta splendida, cuncta
diuinæ rationis sunt plena.Primum ipsum quo immolatur agnus, plenilunium, mysticè illa plenitudo tẽporis
Gal.4. est,de qua dicit Apostolus,At vbi venit plenitudo temporis,misit deus filium suum,factum ex muliere,factum
sub lege,vt eos qui sub lege erant redimeret,vt adoptionem filiorum reciperemus . In plenitudine nanque tẽpo-
ris,id est,quando multis iam impletus erat electorum numerus apud infernalem Aegyptum,redẽptionem suam
expectantium,tunc venit filius dei,tunc venit agnus dei,tollere peccata mundi.Quid illud quod non antè, sed
post vernum immolatur æquinoctium? Nempe ab æquinoctio verno superare incipit dies noctem, nam ante il- I
lud tempus prolixiores tenebras, breuioremq; habemus lucem. Ergo & in hoc mysterium est, quia videlicet ab
immolatione agni incontaminati & immaculati Christi,cœpit lux iustitiæ peccatorum tenebras superare. Nam
antea longa & profunda peccatorum nox,breuis autem & nubilosa legalis iustitiæ lux erat.Sed & ipsa mẽsis Ni-
san,id est,Aprilis,verna temperies,cùm tellus refloresçit,totusq; post hyemem quasi post senium,rursum iuuene-
scit orbis,nonne sensatum hominem docet,quatenus renouatus spiritu mentis suæ,fide viridis,spe lętus,& cha-
ritate floridus , paschalis agni epulis interfit spiritualibus? Bene ergo verus iste agnus immolationi suæ tempus
ipsum quod typico præscripserat agno,per omnia prouidit.Mense primo,decima die mensis , quo secũdum le-
gem agnus in domos Iudæorum tollebatur,intrauit in sanctam ciuitatem Hierusalem,turbis deducentibus, &
quandiu item secundum legem seruatus est,tandiu & iste circa ciuitatem eãdem, & circa templum demoratus
est,id est,vsque ad quartamdecimam diem mensis eiusdem,sanctæ scripturæ herbam ruminãs, & ad vitæ æter-
næ pascua interim suos auditores iugi balatu inuitans.Tandem quartadecima die ad vesperam, vbi illum pas- K
chæ veteris agnum comedit cum discipulis suis,tunc ipse noui sacrificij agnus,cõtinuò capiendus,& ducendus
ad immolandum,iam in angustia passionis agonizans , priùs propriis manibus deo patri semetipsum immola-
uit , accipiens panem & vinum , & mira atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis &
sanguinis sui sacramẽtum.Nam quòd deinde manibus peccatorum crucifixus & mortuus est idem agnus, præ-
teritorum atque præsentium salus omnium cõtinuò fuit,& ad illos qui in inferiori Aegypto, id est,in infernali-
bus detinebantur tenebris,descendit,quique per quinque retroactas mundi ætates ibidem fuerãt collecti.Vnde
& constat rectè quinque diebus,à decima scilicet vsque ad quartamdecimam mensis,agnum seruari,quia vide-
licet ex quo in typum eiusdem filij dei, primus Abel agnum obtulit,quinque fluxerunt ætates mũdi, quarum in
fine immolandus erat hic verus agnus dei.Continuò(inquam) manibus impiorum occisus est filius dei, de- &
structum est regnum mortis,& soluta captiuitas populi dei,non valentibus eos tenere Aegyptiis,quos ita cum prin-
cipe eorum diabolo mortis præposito, virtus sanguinis Christi obruit , quomodo illos Aegyptios homines, re- L
gemq; eorum Pharaonem cum curribus eius profundũ maris inuoluit.Quod verò manibus suis(vt iam dictum
est)corpus & sanguinem suum sub specie panis ipse summus pontifex obtulit , & hoc facite in meam cõmemo-
rationem dixit,eorum salus est,qui in ista vita detinentur , quibus Aegyptus hic mundus est, quibus vera capti-
uitas sub diabolo mundi principe, ignoratio dei est. Nisi enim hoc sacramentum corporis & sanguinis sui cum
mysterio baptismi,in quo similitudo est mortis eius,instituisset nobis omnibus quicunque nõdum eramus, siue
omnibus qui tunc erant gẽtes,& ad simulachra muta prout tunc ducebãtur euntes,quãdo Christus pro peccatis
nostris semel mortuus est,mors eius nihil profuisset.Solos enim illos in illa hora lauit à peccatis,quos siue mor-
tuos,siue viuos,mors eius fideles inuenit.Ritũ ergo legitimũ manducãdi corpus,& bibendi sanguinem domini
nostri Iesu Christi,de ritu spiritualiter metiamur illius typici agni, in gloriã & honorẽ huius veri agni dei, qui
tollit peccata mundi. AMBROSIVS DE NOE ET ARCA. Primũ illud quod dicitur,Mẽsis iste pri-
mus erit in mẽsibus anni, vide quã bene mysterio de quo agimus cõsonet. Qui enim in gratia primus post peri- M
culũ,hic rectè prærogatiuã primi mẽsis accepit.Ergo beneficij sui deus nõ immemor,memor autẽ nostræ iniqui-
Lib.1.ca.4. tatis,opus suũ eiusdẽ qua cœpit tẽporis quãtitate reparauit. IDEM IN HEXAEMERON. Regeneratis
itaque dicitur, Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni. Derelinquit enim & de-
serit qui abluitur,intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi, dicens, Abrenuncio tibi diabole &
angelis tuis,& operibus tuis,& imperiis tuis.Nec iam seruiet ei, vel terrenis huius corporis passionibus, vel de-
prauatæ mentis erroribus, qui demersa omni malitia, vice plumbi, bonis operibus dextra læuáque mu-
nitus, inoffenso seculi huius freta studet transire vestigio. RVPERTVS. Decima die (inquit)mensis, tol-
lat vnusquisque agnum per familias & domos suas, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem, &
immolabit eum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperam. Hoc agit solenni ritu omnis Israël, id est,
Ecclesia dei, cùm redeunte anni tempore, quo Christus passus est, ante quinque dies sacrosanctæ eius pas-
sionis



A sionis, illum eius ingressum in sanctam ciuitatem, atque occursum puerorum cum ramis palmarum, religiosa
deductione,vel exceptione,laudes canendo imitatur.Ea sola distantia,vt qualicũque feriarum luna eueniat de-
cima,quæ est secundum Hebræos decima dies mensis,siue luna quartadecima,quæ est quartadecima dies mẽsis,
semper tamen in prima hebdomadæ,id est,dominica die,hunc processionis occursum,& in sexta mortẽ, itẽm-
que in prima celebret eiusdem resurrectionem , vt qui morte & qui resurrectione eius semel sacratus est dies ; is
mortis & is resurrectionis memoria per omnes annos sacer perseueret.Cæterùm ad immolationem vel esum a-
gni,non vna vespera, sed totus annus sanctæ Ecclesiæ acceptus est. Quocunque die , quacunque in domo Israël
immolare vel edere libet, scripturæ huius mysterium obseruãdum est. HIERONYMVS IN ESAIAM. Cap.53.
Qui igitur oblatus est Pilato,quia ipse voluit, & non resp̃odit, vt patibulum pro nobis dãnatus ascenderet,ipse
sicut ouis ad occisionem ductus est,& quasi agnus coram tondente obmutuit.Etenim pascha nostrum immola- 1.Cor.5.
tus est Christus,quem Ioannes Baptista monstrabat,dicens: Ecce agnus dei,ecce qui tollit peccata mũdi. Qui &
B in Apocalypsi Ioannis Euangelistæ,agnus occisus sæpe memoratur.Qui de seipso loquitur in Hieremia,Ego au- Hiere.11.
tem sicut agnus innocẽs,& ductus ad victimam,nesciebam. Cùm enim nesciret peccatum, pro nobis peccatum 2.Cor.5.
factus est.Et sicut agnus cùm ducitur ad victimam,non repugnat,sic ille passus est voluntate,vt destrueret eum Hebr.2.
qui mortis habebat imperium,humiliãs se vsque ad mortem,& mortem crucis.Hic agnus est,in cuius typo im- Philipp.2.
molabatur agnus,cuius cruor linitus in postibus,exterminatorem fugabat Aegypti, qui nõ solùm sanguine suo
nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate , sua veste calefaceret , & audiremus Apostolum nobis
loquentem:Quotquot in Christo baptizati estis,Christum induistis.Et in alio loco,Induimini Christo Iesu. Gal.3.
INTERLINEARIS. Singulariter autem agnum nominat,quia cùm vnusquisque tolleret, omnes tamẽ Rom.13.
eum significabant, qui singularis hostia futurus erat. RABANVS. Sed & quòd decima die mensis agnus
tollitur,sed non immolatur vsque ad quartam decimam diem , significat quòd per legem quidem Christi pas-
sio præfigurabatur,tamen non nisi Euangelij coruscante gratia,completur.Denarius enim numerus, propter de-
C calogum ad legem pertinet,& quaternarius propter quatuor Euangelia,nouum exprimit testamẽtum. THO- Cap.5.
MAS SVPER PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS. Inter cætera sacramenta legalia lect.2.
celeberrimum erat agnus paschalis,qui vt præcipitur Exodi duodecimo, immolabatur ab vniuersa multitudi-
ne filiorum Israël in memoriam illius beneficij , quo angelus percutiens primogenita Aegypti , pertransiuit do-
mos Iudæorum,quorum fores linitæ essent sanguine agni , vnde nomen paschæ sumitur secũdum quod ibi di-
citur,Est enim pascha,id est,transitus domini.Et vltimo virtute huius beneficij transiuit populus mare rubrum,
vt dicitur Exodi quartodecimo . Ille enim agnus figura fuit Christi innocentis , de quo dicitur Ioannis primo,
Ecce agnus dei . Sicut ergo ille agnus figuralis immolabatur à filiis Israël , vt populus dei liberaretur ab angelo
percutiente,& vt transirent mare rubrum liberati de seruitute Aegypti, ita Christus est occisus à filiis Israël, per
cuius sanguinem populus dei liberatur à diaboli impugnatione , & seruitute peccati , per baptismum quasi per
mare rubrum . Ille autem agnus figuralis pascha Iudæorum dicebatur , quia in signum transitus immolabatur.
D Vnde dicitur Matthæi vigesimo sexto, Vbi vis paremus tibi comedere paschaid est,agnum paschalem. RV-
PERTVS. Sin autem minor numerus est(inquit)vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum
suum qui iũctus est domui suæ,& cætera.Numerum hîc mysticè sic penè oportet intelligi , quomodo & in psal-
mo cùm Propheta dicit:Notum fac mihi dõmine finem meum,& numerum dierum meorum, quis est,vt sciam Psal.38.
quid desit mihi?Numerus enim hominis(vt secundum præsentem causam loquamur)tunc sufficiens est,quãdo
is qui agnum manducat,mysteria eius penetrare prævalet.Sed ad hæc quis tam idoneus? Quis infantiam tãtùm
supergressus est, tantámque dierum bonorum multitudinem collegit, vt ad capiendum totum cibum tam soli-
dum, nihil sibi desit? Ergo quotiens hunc agnum immolamus, rectè paucitatem nostram confitentes in nobis,
quia totum eius mysterium capere non possumus,assumimus vicinum qui coniunctus est domui nostræ,scilicet
Apostolorum & Martyrum chorum,qui per eandem fidem propinqui sunt familiæ Christianæ.Denique sine il-
lorum inuitatione nunquam comedere præsumimus.Dicimus enim cõmunicantes, & memoriam venerantes,
E imprimis gloriosæ semper virginis dei genitricis Mariæ , sed & beatorũ Apostolorũ & Martyrum tuorũ.Quod
idem est, ac si dicamus, in eadem fide nos immolare & comedere agnum dei , in qua virgo concepit & peperit,
quam Apostoli sancti prædicauerũt, pro qua beati Martyres passi sunt.Ita vicinis assumptis,nos per dei gratiam
ad esum agni sufficimus. Quia videlicet, & si totum eius mysterium comprehendere non valemus, satis tamen
est,quia nihil de illo, quod Apostolicæ fidei sit contrarium, sentimus. RABANVS. Hoc etiam quod vni-
cuique agnum iubet sumere per familias & domos suas, & si minor sit numerus edentium qui non possit agni
carnem consumere,mandat vicinum suum qui iunctus est domui eius assumere, quatenus sufficiẽs sit numerus
ad esum agni , Typicè designat , quòd non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus conuocandi erant ad fidem
Christi,& ad veri agni immolationem. Non enim sola sufficiebat gens Iudæa ad spirituale pascha celebrãdum,
quin etiam gentes quæ vicinæ fuerunt domui Iudæ, adhibendæ erant, quatenus domus dei conuiuantium
numero impleretur, & agni carnes dignè comestæ , fidelibus in pastum vitæ æternæ verterentur. RVPER-
F TVS. Erit autem(inquit)agnus absque macula, masculus , anniculus. Macula peccatum est. At ille peccatum Esa.53.
non fecit,nec inuentus est dolus in ore eius. Erit ergo absque macula, id est, sanctus, innocens, impollutus, se-
gregatus à peccatoribus , in quo nulla est iniquitas . Sed parum haberet gloriæ sola innocentia, si non adesset
fortitudo quoque ad agenda perfectæ iustitiæ opera . Erit ergo (inquit) & masculus . Masculus enim , hoc est,
fortis,quia nihil fœmineum,hoc est,molle vel fluxum admittit . Vnde & in Apocalypsi dicitur de muliere ma- Apoca. 12.
gna quia peperit filium masculum,qui recturus erat gentes in virga ferrea. Additur adhuc, quia erit anniculus.
Anniculus , id est , perfectus , perfectionem enim ab illo consequimur, quemadmodum & ipse in Propheta te- Esa.61.
statur,Spiritus domini super me,eo quòd vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer con- Luc.4.
tritis corde , & prædicarem captiuis indulgentiam , & clausis apertionem , vt prædicarem annum placabilem
domini, & diem vltionis deo nostro.Annum (inquit) placabilem pro his quos ad gloriam præparauit, & diem

vltionis pro his, quos in iram destinauit. Annum quippe placabilem siue acceptabilem, plenam acceptionem G
2.Cor.6. dicit, quam & Apostolus prædicat his verbis, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, & cætera.
Psal.64. De huius anni illius, imò & nostri plenitudine, dicitur ei per os Psalmistæ, Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, subauditur, cùm venerit ad te omnis caro remuneranda in illa dierum æternorum longitudine. ZE-
Li.2.ser.10. NO EPISCOPVS VERONENSIS. Hic est agnus fratres, de quo litare, pascha est domini. Apostolus quoque Paulus, Pascha nostrum (inquit) immolatus est Christus. Cur autem dignatus fuerit immolari, Ioannes Baptista antè prædicauit his verbis, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic itaque dictus est primitiuus, quia paternæ antiquitatis solus est conscius. Hic maturus, quia post illum est nullus. Hic sempiternus, quia occisus est, & inuentus est viuus. Hic immaculatus à peccato, quia solus est mundus. Hic salutaris, quia per ipsum vincimus mortem. Hic masculus, quia dei est virtus. Hic (inquam) agnus perfectus, quia in ipso magnus ille sacerdos pio mysterio sua victima inclusus, hodie deo reddidit hominem quem litauit. AVGV- H
Quæst.42. STINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Denique quod ab agnis & hœdis similiter assumi iubetur, non immeritò in incarnationis Christi mysterio accipitur. Quid enim opus erat vel agnum ab ouibus, vel hœdum à capris accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cuius caro non solùm ex iustis, verùm etiam ex peccatoribus propagata est? GREGORIVS NAZIANZENVS. Vel eligitur non solùm ex agnis, verùm etiam peiore specie, & ex sinistra, quæ hœdis tribuitur in Euangelio, quia non solùm pro iustis, sed etiam peccatoribus sacrificatur. RVPERTVS. Aut quia is qui sua non habuit, aliena peccata portauit, ideo dicit lex, iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Sicut enim propter suam innocentiam, in agno, sic propter iniquitates omnium nostrorum, quas deus posuit in eo, rectè idem figuratur in hœdo. Siue ergo agnus, siue sit hœdus, qui apud illum & illum immolatur, vnus idémque in mysterio est Christus, à suis quia nulla sunt, mundus, pro alienis peccatis offerendus. Vel mala extimatione hominum, hœdus, id est, peccator, vera
Esa.53. autem verisimè similitudine, innocentiæ agnus erit. Quod vtrumque Propheta considerans, Et nos (inquit) I
putauimus eum quasi leprosum, & percussum à deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter delicta nostra, attritus est propter scelera nostra. Et immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam.
1.Cor.10. Vespera præsens seculi ætas nouissima in qua nos sumus, in quos (vt ait Apostolus) fines seculorum deuenerunt, rectè dicitur. Porrò vniuersa multitudo filiorum Israël, vniuersitas credentium est. Quæ quantacunque sit per orbem terrarum diffusa, vnus est agnus quem in tot locis immolat, vnus est panis quem frangit, vnus est Christus, cuius manducat carnem, & sanguinem bibit.

2 ET *sument de sanguine eius, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Non *comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni. Caput cum pedibus eius* K
*& intestinis uorabitis, nec remanebit quicquam ex eo usque mane. Siquid residuum fuerit, igni comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes uestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: Est enim phase, id est, transitus domini. Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine usque ad pecus, & in cunctis diis Aegypti faciam iudicia, ego dominus. Erit autem sanguis uobis in signum in ædibus in quibus eritis, & uidebo sanguinem, & transibo uos, nec erit in uobis plaga dissipans, quando percussero terram Aegypti.*

2 AVCTOR CATENAE. Sicut postea æneus serpens mandato domini in deserto exaltatus, positus fuit pro signo ad quod aspicientes qui vulnerati fuerant à serpentinis morsibus sanabãtur, sic hoc in loco sanguis a- L
gni positus est in signum dominicæ passionis, & ab exterminatore filij Israël liberati sunt, quorum postes intinxit, de quo latè disseritur modò per singula. *Et sument* (inquit) *de sanguine eius ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER
Locut.59. EXODVM. Septuaginta sic habent, In quibus manducabunt illa in eis. Cùm enim dixerit in quibus, dixit etiam in eis, more vsitatissimo. THEODORETVS. Notandum, quòd deus iusserit postes sanguine tingi, vt cùm exterminator transiret vt Aegyptiorum primogenita perderet, sanguinem super postes aspiciens, Hebræorum domos illæsas transiret. Non quia his natura illa corporis expers indigeret, sed vt illi hoc signo docerentur, quanta erga illos esset dei cura ac prouidentia. Vtq; nos qui immaculatum agnum sacrificium deo offerimus, hæc antea in figuram scripta fuisse intelligeremus. CAIETANVS. Non intelligo liniri debere sanguine postes & superum limen aulæ in qua comedebatur agnus, sed postes & superum limen exter- M
næ portæ domus, in qua comedebatur agnus. Alioquin non fuisset signum visibile exterminatori transeunti per vicos ad occidendum primogenitos in domibus non signatis sanguine agni, quod tamen fuisse inferiùs describitur. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* THEODORETVS. Cum lactucis agrestibus edi mandat, vt acerbissimæ in Aegypto seruitutis commonerentur. Per azymos panes non tantùm itineris feruorem designat cibumq; præpropere atque extemporè paratum, sed etiam vt ostenderet Aegyptiacum viuendi institutum, atque rationem minimè obseruãdam esse. Sic enim & dominus in sacris Euan-
1.2.q.102. ar.5.ad.2. geliis interpretatus est, Attẽdite vobis à fermẽto pharisæorum & scribarum. THOMAS. Literalis ratio conuiuij paschalis fuit in cõmemorationẽ beneficij quo deus eduxit filios Israël de Aegypto, vnde per huiusmodi conuiuij celebrationẽ profitebãtur se ad illum populũ pertinere, quem deus sibi assumpserat ex Aegypto. Quãdo enim fuerũt ex Aegypto liberati, præceptũ est eis vt sanguine agni linirẽt superliminaria domorũ, quasi protestãtes se recedere à ritibus Aegyptiorum qui arietem colebãt: vnde & liberati sunt per sanguinis agni aspersionem, vel li-



A vel linitionem in postibus domorum, à periculo exterminij quod imminebat Aegyptiis. In illo autem exitu eorum de Aegypto duo fuerunt, scilicet festinantia ad egrediendum: impellebant enim eos Aegyptij vt exirent velociter, vt habetur Exodi duodecimo. Imminebatque periculum ei qui non festinaret exire cum multitudine, ne remanens occideretur ab Aegyptiis. Festinantia autem designabatur dupliciter. Vno quidem modo, per ea quæ comedebant: præceptum enim eis erat quòd comederent panes azymos, in huius signum quòd non poterant fermentari cogentibus exire Aegyptiis, & quòd comederent assum igni: sic enim velocius præparabatur, & quòd os non comminuerent ex eo: quia in festinantia non vacat ossa frangere. Amaritudo autem quam passi fuerant in Aegypto, significabatur per lactucas agrestes. CAIETANVS. Vide autem differentiam. Iugulatio fiebat inter vesperas, manducatio autem nocte, quia manducatio in initio quintidecimi diei præcipitur: incipit enim dies naturalis apud Hebræos ab initio noctis. Ita quòd manducatio agni paschaB lis, erat cœna quidem quartidecimi diei vsualis, & propterea dicitur vespera quartidecimi diei. Secundum verò festiuitatem, erat sacrificium quintidecimi diei, quia iam incœperat quintusdecimus dies, & propterea Moyses dicit, & comedent carnes nocte illa, cum lactucis agrestibus. AVCTOR CATENAE. Parum est quòd in Hebræo in singulari numero legitur, Et edent carnem illam eadem nocte assam igni. Similiter quòd dicitur, Et azymos panes, Et cum azymis panibus, est enim in Hebræo וּמַצּוֹת Vmazzoth. Loco cuius aliqui verterunt, Et placentas infermentatas. Sed hæc idem dicunt cum litera nostra. Quod verò apud nos est cum lactucis agrestibus, ibi est עַל מְרֹרִים Hal merorim, cum amaris, vel amaritudinibus. Quamobrem volunt hoc esse de omnibus herbis amaris & acribus, atque aspero succo madentibus intelligendum. Cui sensui fauet & Chaldaica, habens, cum amaris herbis. Rabbi autem Salomon, Lactucas agrestes etiam ipse intelligit, secutus fortè nostrum interpretem, à quo multa etiam didicerunt Hebræi, vt sæpe animaduersum est. Septuaginta quoque non vertunt lactucas, quæ græcè appellantur θρίδαξ, siue θριδάκιδ, sed quemadmodum habent Hebraica ἐπὶ πικC ρίδων, hoc est, cum amarulentis, siue subacerbis herbis. Præceptum enim est Hebræis, vt herbas amaras degustarent, quo se eo argumento ab acerba & amarulenta seruitute redemptos cognoscerent. Id enim deus dabat operam, vt sua illis beneficia semper ingereret, quibus ad se diligendum prouocarentur. Eadem fuit ratio, quòd panis azymus comedebatur, quia is non tam suauis est, vt fermentatus. Ex quibus fiebat, vt præteritam suam amaritudinem recolerent, & deum qui ab hac eos redemisset, laudarent, si tamen hoc fecerunt, & non aliud potius. Alij, Cum amarulentis, intellexerunt cum tristitia & amaritudine animi. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni.* CAIETANVS. Aiunt dictionem Arabicam, hîc esse positam, & significare semicoctum. Ita quòd prohibentur non crudum (ferinum siquidem est vesci cruda carne) sed semicoctum, quod multi auidiores comedunt. AVCTOR CATENAE. נָא Na Hebræis & Syris dicitur, quod recens est, & non sufficienter coctum, quod aliàs semicrudum dicitur. Agnus ergò paschalis, non est crudus, id est, semicoctus edendus. Quod autem assum igni, citò paratur, aptum itineri etiam triduano, si lex permisisset.
D *Caput cum pedibus eius & intestinis uorabitis.* CAIETANVS. Superfluit, vorabitis. Ad assationem immediatè antedictam refertur hæc particula, & significatur, quòd agnus non est assandus concisus in plures partes, sed integer, sic quòd caput sit iunctum ventri, & venter pedibus, & vtrumque capiti. De intestinis autem scito, quòd cointelliguntur non extracta ex ventre. Intelligimus enim hinc, quòd euulso felle, & visceribus continentibus fœces iectis, reliqua in ipso agno relicta, & cocta sint. AVCTOR CATENAE. Caput cum pedibus eius. Hebraicè est כְּרָעָיו Cherahaf, Cum cruribus eius. Sed idem est. Et intestinis vorabitis. Hæc vltima dictio Hebraicè non legitur, subintelligenda tamen fuerat aliqua, nempe hæc, vorabitis, vel comedetis. Sic enim habet Chaldaica, Caput eius cum cruribus & intestinis eius vorabitis. Et intellige præter fel & ilia fæces continentia, quæ sunt abiicienda. Significat enim per partes totum, immundam scilicet extorum partem, & esui aptam. Vel dependet à superiori membro, quod & hæc assari debeant. Nam cõma nullum inter hanc & superiorem clausulam positum est, in distinctionis signum. *Nec remanebit quicquam ex eo vsque mane. Si quid residuum fuerit, igni*
E *comburetis.* RVPERTVS. Idcirco secundum literam debet intelligi, quia videlicet qui comedat hoc sacrum mane, Hebræus nullus erit, media nocte cogentibus exire Aegyptiis. AVGVSTINVS IN QVAE- *Quæst. 41.*
STIONIBVS SVPER EXODVM. Quæri potest quomodo aliquid superauit, cùm hoc præmoniti fuerint, vt si domus non habuerit consumendo pecori idoneam multitudinem, vicini assumantur? Sed intelligitur quoniam dictum est, os non conteretis ab eo, remansura vtique fuisse ossa, quæ igni cremarentur.
AVCTOR CATENAE. Siquid residum fuerit, addendum esset ex Hebræo עַד בֹּקֶר Had boker, vsque mane. Sed consultò verborum repetitionem prudens vitauit Interpres, cùm necessariò subaudiretur. Possunt autem etiam hæc de crustulis & neruis, reliquisque quæ edi non possunt, intelligi. THEODORETVS.
Sed quærendum est, cur fugientibus præceperit deus vt festum diem paschæ agerent? Volebat deus salutis, Iudæorum memoriam nulla obliuione deleri: Ob id & cùm legem daret, dicebat, Cúmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens, Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos dominus de terra Aegypti, de
F domo seruitutis. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dominus omne primogenitum in terra Aegypti. Huius rei gratia adhortatur eum qui hunc festum diem celebraturus est vt viatoris habitum & speciem gerat. *Sic autem* (inquit) *comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* RVPERTVS. Potest idcirco factum vel dictum intelligi, vt qua hora fieret clamor in Aegypto, quod mox futurum erat, mortuis omnibus primogenitis, illi essent parati vrgentibus Aegyptiis, & exire compellentibus, nullâmque omnino in proficiscendo moram facere sinentibus. THOMAS. Alio modo designabatur festinantia Israëlitarum, quantum ad modum comeden- *vbi supra.*
di, dicitur enim: Renes vestros accingetis, calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter, quod manifestè designat homines existentes in promptu itineris. Ad idem etiam pertinet quod eis præcipitur: In vna domo comedetis, neque feretis de carnibus eius foras, quia scilicet propter festinantiam non vacabat inuicem mittere xenia. CAIETANVS. Si igitur

literalis ratio cærimoniarum quæritur in promptu est, memoria tanti beneficij. Agnus, siue hœdus illa nocte G
immolandus præcipitur, eo quòd nullum aliud animal tam facilè immolari à singulis domibus poterat cum
communi lætitia. Azyma autem ad memoriam reuocatura erant, quod cogentibus Aegyptiis non fuit
tempus fermentationi. Et similiter amara, amaritudinem Aegyptiacæ seruitutis præseferunt. Assatio autem ce-
leris exitus est testis, & similiter modus comedendi more paratorum ad iter. AVCTOR CATENAE. Sic
autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & cætera. Vt scilicet accincti esse solent renes eorum qui iter
faciunt. Locus hic in Hebræo est prout legitur in Chaldaica, Lumbi vestri sint accincti, calciamenta vestra in
pedibus vestris, & baculi vestri sint in manibus vestris. Et comedetis eum festinanter. Alij dixerunt, Cum festi-
natione, & pro baculi vestri, baculus vester. Sed hæc minima sunt, nec in aliquo deuiant ab editione nostra.

RVPERTVS. Causam autem faciendorum omnium, quæ hîc præcepta sunt, ita subiungit. *Est enim Pha-*
*se, id est, transitus domini.* Idcirco (inquit) postes vestros sanguine agni signabitis, & hoc ritu carnes eius festinantes H
comedetis, quia phase est, id est, transitus domini. Sequitur enim & dicit ipse dominus, Transibo per terram Ae-
*Serm. de pascha.* gypti nocte illa, & cætera. GREGORIVS NAZIANZENVS. Hoc venerabile ac diuinum pascha, ab
Hebræis pascha secundum eorum linguam vocatur, quæ vox significat transitum, historicè quidem, eum quo ex
Aegypto in terram Chananæorum commigrarunt Hebræi: secundum verò spiritum, eum transitum, quo nos ab
his caliginosis locis deuolamus ad superos. Et quod solet sæpe in diuinis literis vsu venire, accidisse etiam hoc
loco comperimus, scilicet transferri aliqua nomina, quæ aut obscura sint, aut horrida, in alia nomina, quæ & il-
lustriora, & venustiora. Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipsam salutarem seruatoris passionem, ad
Græcámque linguam vocem accommodantes, fecerunt ex phasca, pascha. Quod cùm vsus recepisset, iam vehe-
menter inoleuit, assentiētibus ipsis auribus, vt pote sanctiori nomini. HIERONYMVS SVPER MAT-
*Cap. 26.* THAEVM. Pascha quod Hebraicè dicitur פֶּסַח pésach, non à passione, vt plerique arbitrantur, sed à transitu
nominatur, eo quòd exterminator videns sanguinem in foribus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos. I
Vel ipse dominus præbens auxilium populo suo desuper ambulauerit. Lege Exodi librum, de quo plenius si vi-
*In titulo psal. 68.* ta comes fuerit, disputabimus. AVGVSTINVS SVPER PSALMOS. Pascha ipsum Latinè transitus
interpretatur. Non est enim pascha Græcum nomen, sed Hebræum. Resonat quidem in Græca lingua passionem,
quia πάσχειν pati dicitur. Sed consultum Hebræum eloquium, aliud indicat. Quod admonuit etiam Ioannes
Euangelista, qui imminente passione cùm veniret dominus ad cœnam, qua commendauit sacramentum cor-
*Ioan. 13.* poris & sanguinis sui, ita loquitur, Cùm autem veniſſet hora qua transiret Iesus de hoc mundo ad patrem: Ex-
presit ergo transitum paschæ. HVGO DE SANCTO VICTORE. Est enim phase. Non quia erant
transituri filij Israël, sed quia dominus erat transiturus in angelo exterminatore, quod sequens litera innuit, ibi
scilicet, Et transibo. CAIETANVS. Quia igitur ad literam transiuit deus per Aegyptum occidendo pri-
mogenitos Aegyptiorum ad educendos Israëlitas de Aegypto, in memoriam tanti beneficij institutum est hoc
sacrificium ad literam. Et ideo tam ipse agnus, quàm festiuitas, nomen transitus accepit, & vocatur Pesach, quod K
dicimus pascha, & phase. Transitus autem Iudæorum de seruitute in libertatem, effectus est intentus per transi-
tum dei, à quo nominatur pascha. AVCTOR CATENAE. Est enim phase, id est, transitus domini. Hæ
duæ dictiones, id est, transitus, abundant, & additæ sunt à translatore ad designandum quid importet dictio pé-
sach. Ita est in Hebræo: פֶּסַח הוּא לַיהוָה Pésach hu laihoua. Pésach, siue phase est, siue ipsum domini, vel domino.
Sensus autem huius loci est, significat transitum domini imminere, id est, horam qua transiturus est dominus
domos Aegyptiorum. Sequitur enim, Et transibo, & cætera. Vel phase domino, est scilicet ista solennitas, vel etiã
agnus, sic comestus vocabitur phase, sicut & in Euangelio nuncupatur, quando dominus se pascha manducatu-
rum testatur cum Apostolis. Chaldaica, Est enim phase coram domino. Qua dictione & Latini qui ad nos ex
Hebræo transferunt, vtuntur. Septuaginta, πάσχα ἐστὶ κυρίου, Pascha est domini. Huius autem nominis variæ inter-
pretationes inueniuntur. Philo Iudæus vult eo nomine significari διαβατήρια, hoc est, non ipsum transitum, sed
ea sacrificia, quæ libamus transituri. Iosephus autem interpretatur ὑπερβάσια, transgressus vel progressiones. L
Symmachus vertit ὑπέρβασιν, hoc est, transcensum. Theodotion verò ipsam Hebræam vocem non interpreta-
tam reliquit φασέχ Quæ quidem vox quid sonet, clarissimum est, neque est opus tot ambagibus. Est enim no-
men verbale à pasach transiuit, à quo fit pesech, transitus: atque vbi nos habemus, & transibo vos, Hebraicè dici-
tur, vphasacti, à quo factum pesach. Non est autem prætereundum silentio, hunc diem adeò sacrum ac vene-
rabilem visum esse Hebræis, vt in eo multis antè annis, præclarissima multa accidisse commemorent, de quibus
etiam apud nos fit commemoratio. Sed quod est præcipuum, & omnem eorum facilè potest conuincere pertinaciam, sentiunt nobiscum, eadem die redimendum esse populum Israël à Messia, quem venturum expectant.
In libris enim Cabalæ sic scribitur: Et in eadem die, videlicet quinto decimo die mensis Nisan, scilicet Martii,
redimendus est Israël in diebus Messiæ, quemadmodum redempti sunt eo die, de quo scribitur, In diebus egres-
sionis tuæ ex Aegypto, ostendam mirabilia. Ecce refragari gens pertinacissima non potest, quin ille sit verus
Messias quem colimus ipsi, qui ea die vniuersum redemit orbem. Condemnabuntur igitur ipsissmet contrase M
testimonium ferentibus. Cùm igitur Hebraicè pesach dicatur, variis modis id nomen tam apud nos, quàm a-
pud Græcos corruptum est. Græci enim in aliam vocem eius similem, eam immutarunt, scilicet pascha. Quod
nomen quamplurimos decepit, qui putarunt à verbo græco πάσχω duci, quod est patior. Liquet enim non esse
vocem Græcam, sed Hebræam corruptam. *Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum in terra*
*Aegypti ab homine vsque ad pecus.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Quod dicit nocte illa, non ista,
signum est per recapitulationem esse dictum quicquid id præcesit de agno paschali, & cæteris cohærentibus.

RVPERTVS. Porrò transire de loco ad locum, dei non est, quippe qui loco nullo tenetur, sed vbi-
que est. Ergo quod dicit, transibo, secundum figuram temporis illius, pro simili dictum est, id est, egre-
diar ad modum gigantis in fortitudine contra hostem irruentis, & post abscessum suum victoriæ suæ
*Sap. 18.* vestigia plena relinquentis planctibus. Vnde liber sapientiæ dicit, Cùm enim quietum silentium tenerent
omnia



A omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo, à regalibus sedibus
venit. Durus bellator in mediam exterminij terram prosiliit, gladius acutus, insimilatum imperium tuum por-
tans, & stans repleuit omnia morte. CAIETANVS. Et transibo per terram Aegypti, & cætera. Non quòd
mouetur deus localiter, sed quemadmodum dicitur metaphoricè irasci, quia ad similitudinem irati punit, seu
comminatur, ita dicitur transire de loco ad locum, quia ad similitudinem transeuntis facit effectum, occidit
hîc, & illic. AVCTOR CATENAE. Exponit igitur quid Phase significet, transitionem scilicet, & per
transitionem domus vel personæ, qua angelus occisor primogenitorum Aegypti, domos Hebræorum sanguine
agni notatas in postibus & superliminari parcendo præteriit, & redemptioni mox secuturæ reseruauit. Omnia
siquidem nostra facimus, quibus vt fiant auctoritatem & potestatem impartimur. *Et in cunctis diis Aegypti faciam*
*iudicia ego dominus.* HIERONYMVS AD FABIOLAM. Illud Hebræi autumant, quòd nocte qua egres-
sus est populus, omnia in Aegypto templa destructa sunt, siue motu terræ, siue tactu fulminum. CAIETA-
B NVS. Qualia fuerint hæc iudicia non est scriptum, rationi tamen consentaneum est, quòd ceciderint, vel de-
leta, seu comminuta fuerint nocte illa omnia simulachra deorum in Aegypto. Et aptissimè seipsum nominat
deus, supremum deorum, à quo omnia habent esse, à quo omnia pendent in propriis esse, in actione externina-
trice primogenitorum & deorum Aegypti, vt ipsius prouidentia ac iustitia intelligatur. AVCTOR CA-
TENAE. Et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia, ego dominus, id est, sumam pœnas legitimas de idolis
Aegyptiorum. Deiiciam enim eorum idola, vt intelligant me solum deum, quasi dicat, Non solùm ostendam
potentiam meam in primogenitos Aegyptiorum, sed etiam in idolis quæ colunt. Vnde Septuaginta vertunt
hoc in loco καὶ ἐν πᾶσι τοῖς θεοῖς τῶν Αἰγυπτίων ποιήσω τὴν ἐκδίκησιν, Et in omnibus diis Aegyptiorũ, faciã vltionẽ.
*Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens,*
*quando percussero terram Aegypti.* HIERONYMVS IN AMOS. Quomodo in iubente patre & faciente fi- *Cap. 6.*
C lio, facit ipse qui iusit, impleto illo versiculo, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Omnia per *Psal. 148.*
ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Sic & in Aegypto vbi primogenita ab externina- *Ioan. 1.*
tore cædenda referuntur, se dominus facturum testatur. Mandat enim dominus, & ipse percutit per ministros.

RVPERTVS. Non igitur per seipsum percutit, sed potestatem dat angelo percutienti, angelo malo. Sicut
& Psalmista testatur, cùm dicit: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, *Psal. 77.*
immissionem per angelos malos. Ergo nec ipsa subita dei, sed missa in eos ira indignationis eius est, quæ tran-
sit. Et rectè percussori traduntur angelo malo, postquam subiici noluerunt per semetipsum corripienti, & de-
cem plagis ad pœnitentiam inuitanti deo. Porrò quod ait, & videbo, id est, fidem, vel attentam credentium ex-
pectationem approbabo. Non enim obliuiosus est aut errabundus incedit deus, vt nisi signum sanguinis viderit
in postibus, nesciat quibus in domibus sit, aut non sit comestus agnus, & errore deceptus, percutiat pariter iustos
cum peccatoribus. Ita non quidem sanguis agni bibitus est, alio nanque loco scriptura dicit, Omne quod mo- *Genes. 9.*
D uetur & viuit, erit vobis in cibum, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis, sed nihilominus profi-
cit, cùm eius intuitu non sinitur percussor domum ingredi. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et
transiliam super vos. In quo manifestat inter domos Aegyptiorum medias esse domos Hebræorum, quas quasi
transiliendo, non percutiebat occisor primogenitorum. Ecce sanguis visibilis à transeunte, ac per hoc vt dixi-
mus, linitus in exteriori porta domus. AVCTOR CATENAE. Erit autem sanguis, potest addi ille, pro-
pter literam ה he præcedentem. Vobis, id est, in vestram vtilitatem. In signum, subaudi, angelo percutienti. Et
transibo vos, potest reddi, super vos, est enim Hebraicè עֲלֵיכֶם Halechem. Pulchrè autem declarauit Chaldaica
quid innueret hæc metaphora, inquiens, Et miserebor vestri. Vt nihil sit aliud hoc in loco transire dominum
super Israëlitas, quàm eorum misereri. Sic & Septuaginta habent, καὶ σκεπάσω ὑμᾶς, Et protegam vos. Nec erit
in vobis plaga disperdẽs. Dictionem Hebraicam לְמַשְׁחִית Lemaschith, propriè, in perditionem verti debet. Pos-
set etiam reddi, dum percutiam, vt verba hæc, Et videbo, & cætera, legantur per parenthesin, hoc pacto: Erit au-
E tem sanguis vobis in signum in ędibus in quibus eritis (aspiciam enim sanguinem, & trãsibo vos, nec erit in vo-
bis plaga) dum percutiam, quando & cætera, id est, dum angelus quem mitto, percutiet primogenita Aegypti.
Quæcunque autem hîc dicta sunt, nihil penitus à sensu literæ nostræ deuiant. Promittit igitur dominus ea no-
cte se transiturum domos fidelium, cùm vltionem in Aegyptios dei mandato angelus perficiet, immunesque
futuras ipsorum domos à mortuis, & quacunque plaga vastatoris.

CHRYSOSTOMVS. Vides quòd sine sanguine salus esse non poterat, neque iis qui per id tempus, ne- *Mysticè.*
que iis qui in nouissimis temporibus extiterunt. Nam quemadmodum regiæ statuæ quanuis inanimatæ sint,
eos tamen qui ad se confugiunt seruare solent, non quia statuæ sunt, sed quia regem repræsentant: similiter &
agni sanguis homines saluos faciebat, non quia sanguis erat, sed quia sanguinem Christi referebat. GREGO-
RIVS IN HOMILIIS. Sed quæ est ista solennitas, quæ inferni claustra destruxit, & ianuas nobis regni *Hom. 22.*
cœlestis aperuit? Inquiramus subtiliùs nomen eius. Requiratur egregius prædicator. Videamus quid de eius
F æstimatione denunciet. Ait siquidem, Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Si ergo pascha Chri- *1. Cor. 5.*
stus, pensandum nobis est quid de pascha lex loquitur, vt indagemus subtiliùs an de Christo dicta videantur.
Moyses quippe ait, Et sument de sanguine agni ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus do-
morum in quibus comedent illum. Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicimus. Qui
sanguis super vtrumque postem ponitur, quãdo non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtro-
que etenim poste sanguis agni est positus, quãdo sacramẽtũ passionis illius cum ore ad redemptionẽ sumitur, ad
imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic redẽptoris sui sanguinem accipit, vt imitari passio-
nem illius necdũ velit, in vno poste sanguinẽ posuit, qui etiam in superliminaribus domorũ ponẽdus est. Quid
enim spiritualiter domꝰ nisi mẽtes nostras accipimus, in quibus per cogitationẽ inhabitamus? Cuius domus su-
perliminare, est ipsa intẽtio quę prę eminet actioni. Qui ergo intẽtionẽ cogitationis suæ ad imitationẽ dominię
G passionis dirigit, in supliminari domꝰ, agni sanguinẽ ponit. Vel certè domꝰ nostrę ipsa sunt corpora, in quibꝰ

quousque viuimus, habitamus. Et in superliminari domus agni sanguinem ponimus, quia crucem passionis G
illius in fronte portamus. ISIDORVS. Sanguine igitur agni liniuntur Israëlitarum postes, ne vastator
angelus audeat inferre perniciem, signantur signo dominicæ passionis in frontibus fideles populi ad tutelam sa-
lutis, vt hi soli ab interitu liberentur, qui cruore dominicæ passionis corde & fronte signati sunt, qui etiam ope-
re loquuntur, Signatum est super nos lumen vultus tui domine. RVPERTVS. Vel aliter notandum, quia
prius oportet domum signari sanguine agni, & tunc demum carnes eius in illa mãducari. Hoc verè legitimum
& necessarium est, nec aliter dignè fieri potest. Etenim prius oportet quemque baptizari in morte agni, id est,
*Rom.6.* Christi, prius (inquam) complantatum fieri similitudini mortis eius, vt sit & resurrectionis, atque ita consecrata
domo, tunc demum intus mensæ viuificæ participari. Sunt autem notæ sanguinis tres, duæ scilicet in vtroque
poste, tertia in superliminari. In nomine enim patris & filij & spiritus sancti baptizamur, quæ tria nomina, siue
tres personæ sunt, sed vnus deus. Cuius videlicet trini nominis cõfessio, dum fide passionis Christi perornatur, H
vnius ostij duæ postes cum superliminari, agni sanguine titulantur. AVCTOR CATENAE. Quem-
admodum etiam sanguis ille memoriale erat primi agni in postibus, sicut literæ legis in vestibus Iudæorum, fi-
dei quædam attestatio tam foris aspicientibus, quàm intra inclusis cordibus. Sic semper nobis est passio Christi
memoranda, & charitatis maximæ beneficium, quo liberamur à captiuitate vitiorum, siue domum ingredia-
mur, siue exeamus, præcipuum studium nostrum sit dei erga nos beneficia ruminandi, maximè autem redem-
ptionis per agnum dei qui tollit peccata mundi. De fide tali in ipsum, nobis minimè est erubescendum, ideo ad
superliminare, & vtrumque postem sanguis agni ponendus est. GREGORIVS. De quo adhuc agno subditur. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. In nocte quippe agnum
comedimus, quia in sacramento modò dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinuicem nostras con-
scientias non videmus. Quæ tamen carnes agni assandæ sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes quas aqua
coxerit, quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis I
*Psal.21.* passionis illius ad resurrectionem valetiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit. Qui enim ex mor-
te conualuit, profectò carnes illius ab igne durauerunt. Vnde etiam per Psalmistam dicit, Exaruit velut testa vir-
tus mea. Quid nanque est testa ante ignem, nisi molle lutum? sed ei ex igne agitur, vt solidetur. Virtus ergo hu-
manitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis, ad virtutem incorruptionis creuit. Sed sola redempto-
ris nostri percepta sacramenta ad veram solennitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque & bona opera iun-
gantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei peruersis moribus contraire? Vnde be-
ne adhuc ad comedendum subditur, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Panes quippe sine fermento co-
medit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione pecca-
ti exhibet, ne peruerse diripiat, quod quasi rectè dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni
*Amos 4.* miscuerant, quibus Prophetę voce per increpationem dominus dicebat, Venite ad Bethel, & impiè agite. Atque
post pauca, & sacrificate de fermentato laudem. De fermentato nanque laudem immolat, qui deo sacrificium K
de rapina parat. Lactucæ verò agrestes valde amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edẽdæ,
vt cùm corpus redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo
pœnitentiæ, abstergat à mentis stomacho peruersæ humorem vitæ. RVPERTVS. Amplius, carnes agni
eduntur in nocte assæ igni, quia de spiritu sancto qui æternus est ignis, virgo dominum concepit, & ipse per
*Ephes.5.* eundem spiritum sanctum (vt Apostolus ait) obtulit semetipsum hostiam viuam deo viuenti. Eodem igne as-
satur in altari, operatione nanque spiritus sancti panis corpus, vinum fit sanguis Christi. Signata ergo domo
comedimus, quia videlicet per baptismum consecrato cuique, & à macula veteris cibi, per quem periit huma-
num genus, emundato, corpus & sanguis Christi traditur, quo cibo non superbè fieri velit sicut deus, sed humi-
liter in gratiam filiorum dei adoptari mereatur. Et azymos panes cum lactucis agrestibus. Alterum horum, sci-
licet quod de azymis iubetur, tam in re quàm in mysterio obseruamus, vt videlicet azymum panem ad confi-
ciendum Christi corpus habeamus, & mysticè vetus fermentum à nobis, scilicet fermentum malitiæ & nequi-
*1.Cor.5.* tiæ, secundum Apostoli præceptum expurgemus. Alterum verò, id est, quod de lactucis agrestibus præcipitur,
tantùm spiritualiter attendimus, quia videlicet auctor huius sacramenti, non eas corporaliter adhibuit, sed so-
lummodo panem & vinum benedicens, dedit discipulis suis. Vnde mirandum, quo Græcorum consuetudo
auctore tradita inoleuerit, qui fermentatum panem quærunt, & à sacramento Christi azymum reiiciunt, cùm
nulli dubium esse debeat, quòd dominus noster non nisi de azymo illud primitus effecerit. Etenim neque fer-
mentatum nocte illa secundum legis edictum inueniri licebat in cunctis domibus Israël, neque ipse apud se
habendo fermentatum, legitimam porrigere debebat occasionem inimicis suis cùm diceret lex, Qui comede-
rit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Sed de hoc aduer-
sum illos abundèque iamdudum à Romana sede disputatum est. Porrò azyma & lactucas agrestes vt spiritua-
liter edamus, ab ipsis qui primi hoc egerunt. Apostolis euidens exemplum habemus. Etenim in eo vetus fermen-
tum expurgauerunt, & erant noua consperso, epulando in azymis synceritatis & veritatis, quia præsens passio M
*Ioan.13.* Christi mundabat illos ab omnibus peccatis, quibus corruptus homo primus, totam generis sui massam fer-
mentauit. Dixit enim illis in illa cœna sacrosancta hic verus agnus dei, Iam vos mundi estis propter sermonem
quem locutus sum vobis. Nisi enim quia sermonem meum audistis, & credidistis, nequaquam per hanc passio-
nem meam mundaremini. Quasi præteritum dixit, mundi estis, eo videlicet modo, quo postea ibidem ait ad
*Ioan.17.* patrem: Et iam non sum in mundo, cùm nondum peractum, sed agere cœpisset vt transiret ex hoc mundo. La-
ctucas verò agrestes quæ valde amarę sunt, simul comederunt, quia profectò propter illa quæ dicebantur, iam
in summa tristitia erant, & per totum triduum amaritudini passionis eius satis molestè communicauerunt.
Eorum ergo exemplo nos carnes agni cum lactucis agrestibus comedimus, cùm corpus redemptoris acci-
pientes, nosmetipsos (vt dictum est) pro peccatis nostris affligimus. AVCTOR CATENAE. Sed &
agni carnes igne assas illi comedunt, qui charitatis diuinæ liberalitatem, qua in æternum sese redemptos,
piè quo-



A piè quotidie memorantur, agnoscunt, decantant, & toto appretiantur affectu. Panem addũt citò parabilem, san-
ctissimum Eucharistiæ sacramentum repręsentantem viaticum pro inopinato festinatóque recessu, semper ad
pietatis opera ex fide prõpti, & sine fermento malitiæ ac nequitiæ posthac viuere cupientes. Cũ picridibus, siue
amaritudinibus, hoc est, vehemẽti dolore suorũ peccatorũ, perpetuaq; eorum detestatione, siue iugi meditatione,
quia vita fidelium mixta est aduersitatibus & persecutionibus, & cruce continua exercenda. Gaudia siquidẽ hu-
ius vitæ, etiam honestissima, cum timore dei moderanda sunt, exemplo omnium sanctorum & Christi. GRE-
GORIVS. Subditur autem, Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni.
Ecce iam nos ipsa verba historiæ ab intellectu historico repellunt. Nunquid fratres charissimi, Israëliticus ille
populus in Aegypto constitutus, comedere agnum crudum consueuerat, vt ei lex dicat, Non comedetis ex eo
crudum quid? Vbi & additur, Nec coctum aqua. Sed quid aqua, nisi humanã sciẽtiam designat, iuxta hoc quod
B per Salomonem sub hæreticorum voce dicitur, Aquæ furtiuę dulciores sunt? Quid crudę agni carnes, nisi incõ- *Prouerb.9.*
sideratam ac sine reuerentia cogitationis relictam illius bonitatem significant? Omne enim quod subtiliter co-
gitamus, quasi mente coquimus. Sed agni caro nec cruda edenda est, nec aqua cocta, quia Redemptor noster
nec purus homo estimandus est, neque per humanam sapientiam qualiter incarnari deus potuit, cogitandus. O-
mnis enim qui Redemptorem nostrum purum hominem credit, quid iste aliud quàm agni carnes crudas co-
medit, quas videlicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit? Omnis verò qui incarnationis eius
mysteria, iuxta humanam sapientiã discutere conatur, carnes agni aqua vult coquere, id est, dispensationis eius
mysterium, per dissolutam vult scientiam penetrare. Qui ergo paschalis gaudij solennitatem celebrare deside-
rat, agnum neque aqua coquat, nec crudum comedat, vt neque per humanam sapientiam, profunditatem illius
incarnationis penetrare appetat, neque in eum tanquam in hominem purum credat, sed assas igni carnes come-
dat, vt dispensari omnia per sancti spiritus potentiam sciat. IDEM IN PRIMVM REGVM. Cru- *Cap.2.*
C dum autem Iudæi comedunt, aqua coctum hæretici, quia illi eius diuinitatem negant: isti per humanam sapien
tiam, & diuinitatis & humanitatis eius sacramenta euacuant. RVPERTVS. Quia ergo ista non capit hu-
mana sapientia, repellitur illa non tam sapientia, quàm curiositas, dum repetendo dicit, Non comedetis ex eo
crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni. GREGORIVS. De quo adhuc rectè subiungitur.
Caput cũ pedibus eius & intestinis vorabitis. Sicut iam prædiximus fratres, Paulo attestante didicimus, quòd *1.Cor.11.*
caput Christi, deus est, quia Redẽptor noster est alpha & ω, deus videlicet ante secula, & homo in fine seculorũ.
Caput ergo agni vorare, est diuinitatem illius fide percipere. Pedes verò agni vorare, est vestigia humanitatis
eius amando & imitando perquirere. Quid verò sunt intestina, nisi verborum illius occulta & mystica manda-
ta? Quæ tũc voramus, cùm verba vitæ cum auiditate sumimus. In quo deuorationis verbo, quid aliud quàm pi
gritiæ nostræ torpor reprehẽditur, qui eius verba ac mysteria, & per nosmetipsos nõ requirimus, & dicta ab aliis
audimus inuiti? RVPERTVS. Caput cum intestinis vorabitis. Hoc facere omnes communiter possunt,
D singulatim quique adimplere non possunt. In magna nanque & in parua domo, sunt & perfecti, quorum sit soli-
dus cibus, quale est osseum caput, sunt & paruuli quorum infirmo dente vix intestina mollia terãtur. Denique
caput agni vorare, est alta diuinitatis Christi eloquia viriliter capere, verbi gratia quale est, In principio erat ver *Ioannis.1.*
bum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Pedes vorare est, nec illud ignorare, quia verbum caro fa
ctum est. Intestina verò cum pedibus vorare, est singulas infirmitatis eius actiones, siue passiones, in vsum vir- *Hebr.5.*
tutis assumere, verbi gratia, quòd esuriit, quòd fleuit, quòd contristatus est, ad summum quòd tentatus est, pro
similitudine absque peccato. GREGORIVS. Non remanebit ex eo quicquam vsque mane, quia videli-
cet eius dicta magna sunt solicitudine discutienda, quatenus priusquã dies resurrectionis appareat, in hac prę-
sentis vitæ nocte, omnia illius mandata intelligendo, & operando penetrentur. AVCTOR CATENAE.
Totum etiam agnum in solennitate edi, est nihil negligenter agere, diuinis præceptis ad vnguem obsequi, sa-
crosanctum mysterium, designatum huiusmodi dei cerimoniis, cum reuerentia & gratitudine in animum co-
E gitãdo traiicere. Totum Christi fide complecti, corpus scilicet & animam, humanitatem & deitatem, cum do-
ctrina verborum & vitæ, ac miraculorum signis, in profectũ animi suscipere, per fidem & spiritum incorpora-
re. GREGORIVS. Sed quia valde difficile est, vt omne sacrum eloquium possit intelligi, & omne eius
mysterium penetrari, rectè subiungitur, Siquid autem remãserit, igne comburetis. Quod ex agno remanet igne
comburimus, quando hoc quod de mysterio incarnationis eius intelligere & penetrare non possumus, potestati
spiritus sancti humiliter reseruamus, vt nõ superbè quis audeat, vel cõtemnere, vel denunciare quod nõ intelli-
git, sed hoc igni tradit, cũ sancto spiritui reseruat. IDEM VIGESIMO MORALIVM. Quæ plerũque *Cap.9.*
humilitas, ea etiam electorum sensibus aperit, quæ ad intelligendum impossibilia esse videbantur. Nam peruer
sæ hæreticorum mentes, dum sibi superbè intellectum tribuunt, quasi certas dare sententias etiam de incogni-
tis præsumũt, vnde fit vt ipsa eos elatio quæ intus apud semetipsos eleuat, à veritate foras repellat, vixq; in dictis
dei exteriora capiant, qui se secreta spiritualia penetrasse singulariter putabant. At contrà hi qui in sancta Eccle-
F sia veraciter sunt humiles, & veraciter docti, norunt de secretis cœlestibus & quædam considerata intelligere,
& quædam non intellecta venerari, vt & quæ intelligunt, veneranter teneant, & quæ necdum intelligunt,
humiliter expectent. AVCTOR CATENAE. Igne ergo comburenda quæ reliqua fuerint, significat, ni-
hil calcandum vel contemnendum relinquere de mysteriis agni & Christi, nihil verborum dei spernere, quod
non intelligimus, sed sacrificare deo ignorantiam nostram. GREGORIVS IN HOMILIIS. *Vbi suprà.*
Quia verò qualiter edendum sit pascha cognouimus, nunc à qualibus edi debeat, agnoscamus. Sic autem (in-
quit) comedetis illũ, Renes vestros accingetis. Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur? Vnde & Psal-
mista postulat, dicens, Vre renes meos. Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos vri minimè pe- *Psalm.52.*
tiisset, Vnde quia potestas diaboli in humano genere maximè per luxuriã præualuit, de illo voce dominica di-
citur, Potestas eius in lumbis eius. Qui ergo pascha comedit, habere renes accinctos debet, vt qui solennitatem *Iob.40.*
resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni iam per vitia nulla subiaceat, voluptates edomet, car-
nem

nem à luxuria restringat. Neque enim cognouit quæ sit solennitas incorruptionis, qui adhuc per incontinen- G
*Matth. 7.* tiam corruptioni subiacet. Hęc quibusdam dura sunt, sed angusta porta est quę ducit ad vitam. Et habemus iam multa exempla continentium. Vnde bene adhuc subditur, Calciamenta habebitis in pedibus. Qui sunt etenim pedes nostri, nisi opera? Quid verò calciamenta, nisi pelles mortuorum animalium? Calciamenta autem pedes muniunt. Quæ verò sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui patres, qui nos ad æternam patriam præcesserunt? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calciamenta ergo in pedibus habere, est mortuorum vitam cõspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire. Tenentes baculos in manibus. Quid lex per baculum, nisi pastoralem custodiam designat? Et notandum quòd priùs præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere, quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare, vt cùm aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus eneruiter non succumbant. Bene autem subditur, Et comedetis festinanter, quò mandata dei, mysteria Redemptoris, H
cœlestis patriæ gaudia, cũ festinatione cognoscere admonemur, & præcepta vitæ cũ festinatione implere. Quia enim adhuc hodie licet bene agere, scimus: vtrum cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo pascha comedamus, id est, ad solennitatẽ patriæ cœlestis anhelemus. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras ad appetenda studia innectat, sed cœpta perficiat, ne minimè liceat implere quod inchoat. HIE-
*Cap. 11.* RONYMVS IN HIEREMIAM. Pascha igitur facturi, calciamenta iubentur habere in pedibus. Et Apostolus calciatos prædicat pedes eorum qui Euangelio præparantur, ne dum per seculi huius solitudinem gradiuntur, venenatis pateant animantibus, quæ debent euangelico pede calcari & conteri. BERNARDVS DE VIRTVTE OBEDIENTIAE. In eo quoque quòd filiis Israël præcipitur, vt agnum comedant festinanter, festinanter veri agni comestio signatur implenda: quia verba illa quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consumenda. Et tu ergo cũ volũtatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui coniunxeris, adde velocitatem, vt sis (iuxta I
Apostolum Iacobum) velox ad audiendum, & ad implendum velocior. AVCTOR CATENAE. Renes accingi, est libidini frena imponere, ne dominetur rationi & sensibus, cùm domino fuerit agenda solẽnitas, pro omni virili incumbere, & alacriter instare, cùm cultui diuino fuerit inseruiendum. Veris autem Israëlitis erit solennitas iugis, & sabbatum ex sabbato, fide, spe & charitate, sine cessatione sacrificare, semper proficisci ex Aegypto tenebrarũ & perfidiæ, ad patriam promissionis. Calciamenta in pedibus, est non habere hic locum manentem, sed futurum inquirere, procedere semper sine impedimento carnalium affectionum, quibus alioqui nimiũ deferre consueuimus, & incunctanter in via domini ambulare. Baculus in manibus, est subsidium laboris amplecti, fragilitate nó remorari, occasiones retardationis postponere. Comedetis cum festinatione, quæ ex pauore & sollicitudine proueniat. Nihil in via dei negligẽter, sed studiosè agendum, interim tamen semper pauidum esse, ne præsumptione & securitate periclitemur, & remoremur. HIERONYMVS FABIOLAE. Porrò quòd ipsa solennitas appellatur Phase, id est, transitus, id nobis indicat, quòd de peioribus ad meliora pergen- K
tes, tenebrosam Aegyptum derelinquamus. RVPERTVS. Cæterùm transitus ille Hebræorum, alium
*Ioannis. 13.* nobis transitum figurauit, de quo dicit Euangelista sanctus, Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Ille enim verè transitus domini, imò omnium nostrum transitus est. Nam illo transeunte ex hoc mundo ad patrem, transiuimus & nos eiusdem patris gratia, de vinculis ad absolutionem, de tenebris ad oculorum nostrorum reuelationem. Transiuit ille de hoc quidem mundo, qui & ipse quodammodo dicitur Aegyptus, transiuit per Aegyptum inferiorem, id est, infernum, qui secundum nomẽ Aegypti verè tam tenebrosa est, & locus horridus. Et quoscunque inuenit illic dignos filios Israël, signatos fide sanguinis sui, à iusto Abel, qui primùm in typum illius obtulit agnum, vsque ad Iatronem, quem sanguine suo signauit in ipsa hora transitus sui, cunctos liberauit, percutiendo primogenitum Pharaonis, id est, peccatum primæ præuaricationis quod originale dicitur, quod persuasio diaboli generauit. Igitur postes certatim signan-
*Rom. 6.* di, & carnes agni festinanter edendæ sunt, transit enim dominus, vltra non reuersurus. Mortuus enim semel, re- L
surrexit, & iam non moritur, mors illi vltrà non dominatur. Isto transitu eius contenti estote, & postes signate omnes filij Israël, alium enim transitum sperare non licet. Veniet quidem idem dominus, sed per Aegyptum inferni non transibit amplius. Non vltrà pro illis qui nunc è tenebris exire iussi sunt morietur. HIERONYMVS. Et in cunctis diis Aegypti faciam iudicia, Ego dominus. Spiritualiter dicimus, quòd egredientibus nobis ex Aegypto, errorum Idola corruant, & omnis peruersorum dogmatum cultura quatiatur. RABANVS. Erit autem sanguis vobis in signum in ędibus in quibus eritis, & cætera. Sanguis Christi in signum est credentibus, ne noceat eis exterminator, quia maxima tutela, contra hostes est Christianis, memoria passionis Christi. AVCTOR CATENAE. Sicut ergo quotiensçunque Iudæi domum intrantes, aspiciebant sanguinẽ agni in postibus, meminisse debebant cum gratiarum actione beneficij Redemptoris patrum suorum de Aegypto, sic Christianis recordatio sanguinis Christi effusi pro peccatis nostris, indelebiliter imprimẽda est cordibus, vt sem-
*Par. 1. ca. 37* per recẽs sit redemptionis nostræ memoria. PROSPER. Vides ergo quomodo in Paschate, quod est transi- M
tus, omnis actio fidei nostræ, passioníque dominicæ continetur sacramentum. THEODORETVS. Hæc igitur omnia nostrorum mysteriorum sunt ænigmata. Vngimus nanque & nos sanguine agni nostri, non tantũ limen, sed & duos postes, quantum ad id quod oculis cernitur, patet, linguam & labia purgantes ac sanctificantes, quantum verò ad id quod mente tantùm comprehenditur attinet, pro duobus postibus vim illam quæ irascitur & concupiscit. Illud quoque nobis admodum conuenit, quòd non elixas carnes, sed igne tostas comedere præcipit, neque enim literæ tantùm studium nostrum impendimus, sed scriptoris sensa inuestigamus. Neque humanas cogitationes diuinis eloquiis offerimus, nam & Esaias quosdam reprehendit quòd vinum aqua miscerent, sed solo igne diuino vtimur, sancti videlicet spiritus gratia. Quod autem scriptum est, vt nihil carniũ in posterum diem relinqueretur, ita intelligendum est, quòd futura illa vita signis vllis non indiget, in illa enim res ipsas contemplabimur. Ouium verò ossa ij conterunt, qui perperam diuina eloquia interpretantur, atque



A atque ad suam propriam imbecillitatem illa transferre conantur. Quod autem ait non ex ouibus modò sed etiã hœdis immolandum, diuinam rursus benignitatem commendat. Neque enim pro iustis tantùm, verùm etiam pro peccatoribus salutarem sustinuit passionem. Hunc autem sensum ipse nos docuit. Sanctorum enim congregationem agnis comparauit, peccatorum verò cœtum hœdis. Nam & lex hœdum pro peccato offerebat, atque etiam ex iis qui diuinorum mysteriorum participes sunt, nonnulli vt pote perfecta virtute prædíti, tanquã ouẽ sumunt, alij verò vt hœdum, per suorum peccatorum recognitionem, delictorum suorum maculas eluentes. Eadem ratione & seruator noster nõ ex triticeis tãtùm, sed etiã hordeaceis panibus eos qui ad se cõuenerunt satiauit, nobis quoque idem dominus præcepit succinctos lumbos habere, & pedes calciatos, & lucernas accensas, vt domesticos qui dominum suum præstolantur. Sed Hebræi tanquam ab Aegyptiis liberati, atque in terram Chanaan introducti, habitum hunc ac speciem habuerunt: nos verò vt hinc in aliam atque diuersam vitam trãslaB ti. Ob id & diuinus Paulus nos adhortatur, clamans, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Et subiunxit, Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. At mox addidit, Itaq; festũ diem agamus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis. Superius verò vniuersorum deus salutem gẽtium significauit, nam & proselytos ipsius paschatis participes esse iussit, aduenam enim, proselytum vocat: erit enim (inquit) tanquam indigena terrę. Istud etiam, Et in vna domo edetur, seruant fideles in sola dei Ecclesia diuinorum mysteriorum participes, & hæreticorum synagogas abominãtes. GREGORIVS NYSSENVS. Sed & nos hoc in loco aliquid de tantis mysteriis disseramus: Quid ergo hac historiæ figura docemur? quòd oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas radicitùs tollere. Nam qui principia destruxit, is totum nequaquã admisit. Sic & dominus ipse magna voce per Euangelium clamat, primogenita iubens Aegyptiorum interimere, cùm apertè imperet nos expaueſcere adulterij maculam, ac cædis scelus, cupiditate ac ira penitus extinctis: nunquam enim aliquid horum oriri poC test, nisi alterum ex ira, alterum ex cupiditate nascatur. Qui primogenitum interimit, is partum quoque qui ex primogenito nascitur, simul interimit. Sicut in occidẽdo serpente, qui caput oppresit atque percusit, is totum quod à capite trahitur corpus mortificauit: quod minimè vnquam fieri poterit, nisi sanguis in ostiis infundatur qui percussorem facilè repellit. Id ergo vtrumque in vnum complectamur: sic enim rectiùs, ac exquisitiùs expotur. Primogenitorum nece, & postium per sanguinem custodia discimus, & illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum aduersus nos aditum, per verum agnum repellendum esse intelligamus: nõ enim ingressum percussorem eiicere, sed ne omnino subingrediatur cauere lex iubet. Cautio autem & custodia tuta est, vt agni sanguine superliminare simul & postes perungamus: ita per ænigmata nos ea lex instruit, seculi quoque doctrina philosophatur. Nam animam in rationale, cõcupiscibile, ac irascibile Philosophi partiuntur, quorũ duo postrema, irascibile (dico) & concupiscibile, subesse aiunt, ac vtrinque rationale sustinere: rationale verò vtrisque innixum vtraque continere, & ab vtrisque sustineri, vt ad fortiter quidem agendum per iram exD citetur, ac roboretur, ad boni autem fruitionem concupiscentia efferatur. Quousque igitur anima hoc ordine seipsam tutatur, rectis cogitationibus quasi quibusdam clauis, hunc istorum trium ordinem conseruans, alterum ab altero quo ad virtutis cultum coadiuuatur: ratio enim irascendi & cupiendi vim ad bonum dirigit, & ab illis vt diximus, corroboratur. Si verò is ordo conuersus fuerit, & quod superesse debet subiiciatur, & cupiendi ac irascendi vis rationem de loco suo deiectam conculcet, tunc percussor ingreditur, tunc nulla sanguinis vis ipsi resistit: nihil enim fides in Christum his prodest, qui peruersione huius ordinis corrumpuntur. Primò enim superliminare inungendum, deinde vtrumque postem tangendum sanguine iubet. Quomodo igitur poteris rationem primùm Christi fide communire? cùm eum suprà quęrere iubearis, si supra eam in loco suo non inuenies, nullo certè modo. Nec te turbet, quòd primogenitorum cædem Aegyptiis illatam, & sanguinis effusionem atque inunctionem à Iudæis factam in vnum cõtulimus: vnus enim atque idem homo, & Aegyptius & Iudæus varietate viuendi, & varia voluntate ac electione intelligitur. Itaquè si virtuosus esse velit, vitiorum radices enecet necesse est, & aditum sanguine, id est, Christi fide inungat, vt tota virtus perficiatur, ad
E quem quidem spiritualem legis sensum, quæ sequuntur mirificè congruunt. Iubent enim nutrimentũ assumendum esse, id est, corpus vnde sanguis effusus est, quo repellitur Aegyptiorum percussor, si auditus nostros, id est, tres illas animæ vires illo signatas perspexerit. Accedit, ꝙ edendi modum nõ remissum quendã tradit, vt in conuiuiis fieri solet, vbi conuiuæ sedẽt manibus liberis, & pedibus nõ ad iter calceatis, & ad hæc effusis induti vestibus. Sed contrà quasi ad iter pedes iussit comedendo habere duris calceis calceatos, cingulo sustineri ac compri mi, vestem ne effundatur, ac in manibus baculum teneri, quo canes arceãtur. In hac itaque dispositione festinãter agnum comedere iubentur, nõ operosa coquorum arte præparatũ, sed igni vt contigit assum, quod verò comedere non possunt, id quoniam osseũ est, igni tradere iubentur. Ex quibus omnibus manifestũ est altius quoddam, hoc comedendi modo voluisse legislatorem nobis ostendere. Quid enim, si rectus, an sedens? si vt ad iter calceatus, an aliter? si festinanter an maturè? si baculum manibus teneas, an non? Quid (inquam) ad virtutem coF lendam, aut fugienda vitia, quod maximè latores legum respiciunt, hæc afferunt? profectò nihil. Cur igitur ita iussit fieri? nisi spiritalem sensum sequamur, nullam idoneam sufficientémque causam poterimus vnquam inuenire. Quare patet etiam à nomine (transitum enim comestionem illam appellauit) quid illis rerum inuolucris voluerit significare, monet enim per hæc ænigmata, vt considerare ac intelligere velimus, transitum quendam esse hanc vitam nostram. Nam posteaquàm ingressi ad eam sumus, necessitate quadam ad exitum semper cõpellimur, ad quẽ prę paratos nos esse vult pedibus & manibus, reliquóq; ad iter apparatu. Ne igitur spinis in hoc arduo viuendi itinere pedes lædantur, non nudis pedibus, sed durioribus calceis communiti itinerare debemus. Spinæ autem, quæ pedibus infixæ non solùm retinent, retardántque, verùm etiam enecant, peccata sunt, à quibus durities calceorũ defendit, continentissima videlicet, tenuis, ac dura vita, quæ debilitat atque frangit spinarum acumina, quibus à paruo tenuíque principio, ad anteriora vsque peccata sic ingrediuntur, vt penitùs occidant. Ad hanc vitam faciendam, talaris vestis & effusa, id est, voluptuosa & vitiosa viuendi ratio, quæ

tio,quæ latiſsimè patet nimiúmq; effunditur,impedimẽto eſt. Quare cingulo quodã ſurſum trahenda eſt & co- G
artanda,ne huc atque illuc circunfluat.Cingulus verò,modeſtia eſt,& diligens viuendi ratio,quę nos monet ad neceſsitatem,non ad voluptatem rebus vti.Quòd autem pro modeſtia cingulum capiatur,etiam membra corporis,quæ cingulo connectuntur,teſtimonio ſunt. Baculus verò quo & feras repellimus,& nonnunquam ſuſtentamur,ſpes eſt.Hæc enim ſola inducimur, vt labores ſimul & dolores ſufferamus, hac feſſos animos recreamus, hac fit, vt ardentiùs plerunque in latrantes canes,alienas videlicet à veritate beſtias, inſurgamus, hac armati longè illas ab ouibus noſtris arcemus.Ex igne autem ſolùm cibus nobis propoſitus eſt,quoniam fides,quæ per cibum illum ſignificatur ardentiſsima eſſe debet, nihil humidum, aut labile, ac fluens poſsidens, ſed firma ac ſtabilis, ex qua comedemus quantum nobis poſsibile. Oſſeum autem ac durum nobis igni tradimus, quod vt quale ſit inſpiciatur. Illud teneamus,duo eſſe diuinorum præceptorum genera.Nam alia huiuſcemodi ſunt, vt poſsibile nobis ſit ea plenè intelligere, probabilémque de ipſis reddere rationẽ.Hæc nõ ignauiter,nec quaſi coacti pertractare debemus,ſed vt fameſcentes comedunt, cùm deſiderio ſcilicet & libenter, vt ad bonam nobis H
hîc cibus valitudinẽ animæ poſsit prodeſſe.Alia ſic latent, vt duriora ſint,quàm vt vel plenè intelligere,vel reddere rationem queamus,vt ſiquis quæreret, quænam ſit ſubſtantia dei, quæ ſit neceſsitas eorum quæ fiunt, aliáque quamplurima quæ curioſi multi quærunt.Hæc omnia ſpiritui ſancto relinquemus, qui dei profunda inueſtigat & ſcit,vt Apoſtolus ait.Nam ignem pro ſpiritu capi plerunque in ſacris literis, nemo lacte ipſarum nutritus negabit. Hoc eſt etiam quod ſapientia monet,altiora te non quæras,id eſt,noli oſſa Chriſti conterere,non enim eges ſcientia ipſorum. Sic educet ab Aegypto Moyſes populum, & quicunque eius veſtigia ſequitur.

1.2. q. 102. art. 5. ad. 2. Hoc modo ab Aegyptiaci peccati tyrannide omnes liberat, qui ei parent. THOMAS. Per immolationẽ agni paſchalis ſignificabatur immolatio Chriſti,ſecundum illud primæ ad Corinthios quinto, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.Sanguis verò agni liberans ab exterminatore linitis ſuperliminaribus domorum, ſignificat fidem paſsionis Chriſti in corde & ore fidelium,per quam liberemur à peccato & à morte,ſecundum illud primæ Petri primo, Redempti eſtis precioſo ſanguine agni immaculati, comedebantur autem carnes illæ ad ſignificandum eſum corporis Chriſti in ſacramento. Erant autem aſſæ igni,ad ſignificandam paſsionem vel charitatem Chriſti. Comedebantur autem cum azymis panibus,ad ſignificandam puram conuerſationem fidelium ſumentium corpus Chriſti,ſecundum illud primæ ad Corinthios quinto,Epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis.Lactucæ autem agreſtes addebantur in ſignum pœnitentiæ peccatorum,quæ neceſſaria eſt ſumẽtibus corpus Chriſti.Renes autem accingendi ſunt cingulo caſtitatis.Calciamenta autem pedum, ſunt exempla mortuorum patrum. Baculi autem habendi in manibus, ſignificant paſtoralem cuſtodiam. Præcipitur autem quod in vna domo agnus paſchalis comedatur,id eſt,in Eccleſia Catholicorum,non in conuenticulis hæreticorum. CYPRIANVS LIBRO PRIMO CONTRA DEMETRIANVM. Denique, Ecce dies do-

Malach. 4. mini venit ardens velut clybanus ignis, eruntq; omnes alienigenæ, & omnes iniqui vt ſtipula,& ſuccendet illos aduenies dies,dicit dominus.Succẽdi & cremari alienigenas præcinit dominus,id eſt, alienos à diuino gene- K
re & prophanos,ſpiritualiter non renatos,nec dei filios factos.Euadere enim eos ſolos poſſe, qui renati & ſigno Chriſti ſignati fuerint,alio in loco dominus loquitur,quando ad vaſtationem mundi, & interitum generis humani angelos ſuos mittens,grauius in vltimo comminatur,dicens,Ite,& cædite,& nolite parcere oculis veſtris.

Ezech. 9. Nolite miſereri ſenioribus atque iuuenibus,& virgines & mulieres & paruulos interficite, vt deleantur. Omnẽ autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt,ne tetigeritis.Quod autem ſit hoc ſignum,& qua in corporis parte poſitum,manifeſtat alio in loco dominus,dicens, Tranſi mediam Hieruſalem, & notabis ſignum ſuper frontes virorum,qui ingemunt & mœrent propter iniquitates, quæ fiunt in medio ipſorum.Et quod ad paſsionem & ſanguinem Chriſti pertineat hoc ſignum,& ille ſaluus atque incolumis reſeruetur, quiſquis in hoc ſigno inuenitur, item dei teſtimonio comprobatur, dicentis: Et erit ſanguis in ſignum vobis ſuper domos, in quibus eritis.Et videbo ſanguinem,& protegam vos,& non erit in vobis plaga diminutionis, cùm percutiam, & conteram terram Aegypti.Quod autem antè occiſo agno præceſsit in imagine,impletur in Chriſto, ſequuta poſtmodũ ve- L
ritate.Illic percuſſa Aegypto, Iudaicus populus euadere non niſi ſanguine & ſigno agni potuit,ita & cùm vaſtari cœperit mundus & percuti,quiſquis in ſanguine & ſigno Chriſti,inuentus fuerit,ſolus euadet.

3 *HAbebitis autem hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum ſolennem domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Septem diebus azyma comedetis. In primo die non erit fermentum in domibus veſtris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſraël, à primo die uſque ad diem ſeptimum. Dies prima erit ſancta atque ſolennis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate uenerabilis. Nihil operis facietis in eis,exceptis his quæ ad veſcendum pertinent, & obſeruabitis Azyma. In eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Aegypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu* M
*perpetuo. Primo menſe quartadecima die menſis, ad veſperam comedetis azyma, uſque ad diem uiceſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam.Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris. Qui comederit fermentatum,peribit anima eius de cœtu Iſraël,tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis veſtris edetis Azyma.*

3 AVCTOR CATENAE. Quia in cuſtodienda Republica Iſraëlis, primum omnium inſtitutum eſt diuinitùs feſtum paſchæ,quod ad religionem pertinet,perſpicuè ſignificatur,in ordinãda Republica maximam omnium rationem veræ religionis habendam eſſe. Paſcha autem hoc modo inſtituitur. *Habebitis autem hunc diem in monimentum,& celebrabitis eum ſolennem domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* AVGVSTINVS IN QVAESTIO-



QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod ſcriptũ eſt ſecundum aliam literam, Et facietis diem *Quæſt. 43.*
hunc in progenies veſtras legitimum,æternum,vel æternalem, quod Græcè dicitur ἀΐδιον, non ſic accipiendũ eſt,tanquam poſsit iſtorum prætereũtium dies eſſe vllus æternus,ſed illud æternum eſt, quod iſte ſignificat dies, velut cùm dicimus ipſum deum æternum,non vtique iſtas duas ſyllabas æternas dicimus,ſed quod ſignificant. Quanquam diligenter ſcrutandum ſit,quomodo appellare ſcriptura ſoleat æternum, ne fortè ita dixerit ſolenniter æternũ,quem nephas habeant prætermittere,aut ſua ſponte mutare.Aliud eſt enim quod præcipitur quouſque fiat,ſicut præceptum eſt vt ſepties muros Hierico circumiret arca.Aliud cùm præcipitur ſic obſeruari aliquid,vt nullus terminus præfiniatur obſeruationis,ſiue quotidie, ſiue per menſes, ſiue per annos ſolenniter, ſiue per multorum vel aliquorum annorum certa interualla.Aut ergo ſic appellauit æternum, quod non ſua ſponte audeant deſinere celebrare, aut ſicut dixi, vt non ipſa ſigna rerum,ſed res quæ iis ſignificantur, æternæ intelligantur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Habebitis autem hunc diem in monimen-
B tum. Hîc dat præceptum de paſcha deinceps celebrando in commemorationem huius facti, quod totum ſicut & prædicta, per recapitulationem hîc dicitur, quod ibi notatur, In eadem enim die, educam exercitum, & cætera. THOMAS IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES. Notandum *Cap. 2. lect.* quòd cerimonialia veteris legis erant quatuor, ſcilicet ſacrificia, ſacra, ſacramenta, & obſeruantiæ. Sa- 4.
crificia immolabantur deo, vt oues, vituli, & huiuſmodi. Sacra erant, ſicut vaſa & ſolennia tempora. Sacramenta erant tria, ſcilicet circunciſio, agnus paſchalis, & conſecratio ſacerdotum. Obſeruantiæ autem erant ea quæ pertinebant ad ſingularem conuerſationem populi Iſraël, vt cibi, veſtes, & huiuſmodi. Quædam verò prædictorum pertinebant ad quoſdam, vt ſacrificia, vaſa, & alia huiuſmodi: Quædam ad omnes. Hîc ergo decernitur ſacramentum Paſchæ. AVCTOR CATENAE. Habebitis autem hunc diem in moni-
C mentum. Aut vt Hebraica, Chaldaica, & Græca habent exemplaria, Et erit dies hic vobis in memoriam, ſeu memoriale, ſubaudi tanti beneficij accepti à deo. In generationibus veſtris cultu ſempiterno. Iuxta Hebræum legitur: לְדֹרֹתֵיכֶם חֻקַּת עוֹלָם תָּחֳגֻהוּ Ledoróthechem Chukath holam techagúhu, In generationibus veſtris fœdere ſempiterno celebrabitis eum.Sic & Chaldaica. Sed doctus Interpres conſultò præteriit verbi replicationem, idiomatis Hebraici propriam. Vertunt alij, Per ætates veſtras ſtatuto mundi, vel perpetuo celebrabitis eum, Id eſt, vos cum poſteris veſtris ſtatuto ſempiterno,hoc eſt,ſtatu veteris legis durante,celebrabitis illum. Quod Septuaginta νόμιμον ἀΐδιον,Legitimum ſempiternum dixerunt. Sed hoc nihil diſcrepat à Latina litera. Videshîc quomodo ſolennitates fidelium aliud eſſe non debent,quàm memoralia beneficiorum diuinorum. Non ad carnis voluptatem otio vacandũ,ſed domino, rituq; perpetuo,iuxta præceptum & volũtatem domini, non ad libertatem inſolenter agendi,ablegatis laboribus ſeruilibus,quibus præſtaret incumbere, quàm legẽ domini præuaricari,& peccare,dominum irritando tibi,cũ reconciliandus potiſsimũ ſit. RVPERTVS. Præclarum autem monimentũ,grande & magnificum memorialis inſtrumentum,ſeptem diebus non comedere fer-
D mentum:ait enim, *Septem diebus Azyma comedetis.* AVCTOR CATENAE. Azyma, hoc eſt, infermentatum panem, qui comedendus eſt in memoriam ſubitaneæ ſalutis, vt longè citiùs ſaluati fuerint, quàm putaſſent. Pronior enim deus inuenitur ad beneficia,quàm nos ad precationes. RVPERTVS. Hoc igitur ſumma diligentia cauendum eſſe, confirmando ſubiungit: *In die primo non erit fermentum in domibus veſtris.* Subauditur, ne dum præſens eſt, faciliùs poſsit quis in præuaricationem labi.Eſt autem prima dies azymorum, quartadecima menſis. INTERLINEARIS. In die primo.Qui dicitur paſcha,cæteri enim dicuntur dies Azymorum. AVCTOR CATENAE. Quod dicitur, Non erit fermentum, Hebraicè eſt תַּשְׁבִּיתוּ tasbithu, Ceſſare facietis,vel vt habet Chaldaica, Auferetis,& Septuaginta ἀφανιῶτε, Expelletis. Sed idem eſt ſenſus. Prima ergo die azymorũ omne fermentum ceſſare debebat, & abiici à domibus fidelium. Tam Septuaginta quàm Chaldaica editio,non fermentatum hîc,ſed fermentum legit. *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, à primo die uſque ad diem ſeptimum.* RVPERTVS. Ordo verborum eſt, Quæcunque anima fermen-
E tatum comederit à die primo vſque ad diem ſeptimum, peribit de Iſraël. CAIETANVS. Anima autem pro vita corporali ſumitur.Pœna ſiquidem mortis decernitur. Et aduerte, quòd more ſuo Moyſes ſummariè proponit priùs hæc præcepta, quatuor videlicet de feſtiuitate, de azymis, de non fermentato in domibus, & de pœna comedentis fermentatum,deinde tractat ſingula. AVCTOR CATENAE. Quicunque comederit,& cætera.Senſus eſt,Ante illum primum diem auferetis fermentum de domibus veſtris, ita vt primo die nullum inueniatur,quia ſi eo die vſque in ſeptimum quis ex fermentato comederit, proculdubio peribit.Quod autem dicitur,Anima illa,Declarat Chaldaica quid ſignificet,habẽs,Peribit homo ille de Iſraël. *Dies prima erit ſancta atque ſolennis,& dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis.Nihil operis facietis in eis,exceptis his quæ ad veſcendum pertinent,& obſeruabitis Azyma.* SEVERVS. Secundũ Septuaginta vocatam ſanctam appellat, hoc eſt,à deo & non ab hominibus vocatam. Vel ſic, Prima dies ſancta erit, Septima verò vocata ſancta. In prima nanque neque vocatio, neque cœtus fiebat, ſed vnuſquiſque domi ſuæ ouem edebat. Septima verò vocatio cœtúſque populorum fie-
F bat. Vtræq; tamen ſanctæ. Nihil operis, iuxta Septuaginta additur, ſeruilis. Seruile opus illud eſt, quod ad animæ vtilitatem non pertinet, ſed ad carnis voluptatem, cuius generis ſunt Mercatura, Agricolatio, cæteráque huiuſmodi. Quare & ouem quæ in foueam ceciderit, educere non prohibet. Itémque in ſabatto circuncidi, propterea quòd circunciſio, quæ baptiſmi figuram tenet, corruptum & veterem hominem deponendum eſſe declarat. RVPERTVS. Octo dies in primum diem, & ſeptem dies diſpartiuit. Nam deinceps ait,Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma, vſque in diem viceſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam. Planè hoc dicto dies octauus complexus eſt. CAIETANVS. Tractat primum præceptum, extendens feſtiuitatem ad diem ſeptimum,ita quòd in neutro die liceat aliquid operis ſeruilis facere,exceptis pertinentibus ad præparationem cibi. AVCTOR CATENAE. Dies prima erit ſancta, & cætera. Iuxta Hebræum ita habetur locus iſte, וּבַיּוֹם הָרִאשׁוֹן מִקְרָא קֹדֶשׁ וּבַיּוֹם הַשְּׁבִיעִי מִקְרָא קֹדֶשׁ יִהְיֶה לָכֶם Vbáiom hárison mikra kódes vbáiom haſebihi mikra kódes ihie lachem. Sciendum autem dictionem Mikra,

nomen

nomen verbale esse,à kara verbo,quod vocare significat descendens,& poni posse pro vocatione,conuocatione, G
& lectione. Vnde ita reddi potest hæc litera, Dies autē prima,siue Die prima erit conuocatio, vel inuocatio, siue
lectio sancta,& dies septima,siue die septima conuocatio,vel inuocatio, siue lectio sancta erit vobis. Quod nil
aliud est,quàm quod descripsit Interpres,id est,dies vobis erit solennis, in quo conuocari iubebitur populus, &
docebitur de lege domini,seu solēniter nomen domini inuocabitur & sanctificabitur. Hoc est ex illis septē die-
bus primus & septimus erunt vobis solennes. Chaldaica, In die autem primo solennitas sancta erit vobis, in die
quoq; septimo solennitas sancta erit vobis. Sic docēda est plebs fideliū, vt legantur publicè vel prædicētur ex le-
ge & sacris literis beneficia dei,quæ præcipuè dieb⁹ istis celebribus populo inculcāda sunt, vt reliquis quoq; die-
bus spiritui inhæreat voluntas dei & gratia. Ad id autē cōmodius capiendū, à seruili opere omnino cessandum
erat Hebræis, vt cōtemplationi legis diuinæ & beneficiorū eius incumberent. Quæ verò ad cibum necessariū at-
tinebant,parari poterāt diebus paschalibus ab Israëlitis,excepta tamen die Sabbati. Si enim festū cadebat in die H
sabbati,nō licebat hoc fieri. Quanq̄ hoc quod apud nos dicitur, Exceptis his quæ ad vescendū pertinent, & apud
Hebræos legitur: אַךְ אֲשֶׁר יֵאָכֵל לְכָל נֶפֶשׁ הוּא לְבַדּוֹ יֵעָשֶׂה לָכֶם Ach aser ieachel lechol néphes,hu lebaddo iehase
Iachem. Excepto eo,vel tantū id,quod comedetur ab omni anima, hoc solum fiet vobis, seu parabitur à vobis.
Et in Chaldaica, sed id quod pertinet ad vescendum omni animæ, illud solummodo fiet vobis. Apud Septua-
ginta obscurè aliquantulū legitur, videlicet πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ, τοῦτο μόνον ποιηθήσεται ὑμῖν, id est,præ-
ter ea quæ fient omni animæ,hoc solū fiet vobis. Sed ad hunc sensum intelligendū est, Et observabitis azyma,id
est,observabitis ritum edēdi azymos. Erat enim signū quod Iudæos monere debuit diuinæ liberationis,qui eri- I
puerat eos ab omni amaritudine spiritus. Sunt qui dicāt, Azyma observare iussos in memoriā & represēntatio-
nem creationis rerū,quæ facta fuit sine aliqua præuia corruptione,præter omnē naturæ ordinē, de cuius naturæ
operatione dicitur,quòd generatio vnius est corruptio alterius. In illius igitur operationis memoriā iussit deus
comedi panes absq; fermento: quod (teste Paulo) vel modicū totā massam corrūpit. *In eadem enim ipsa die educā exer-*
*citum vestrū de terra Aegypti,& custodietis diē istum in generationes vestras ritu perpetuo.* CAIETANVS. Pro educā, apud He-
bræum legitur, eduxi. Relatiuè autē ad tempus festiuitatis dixit, eduxi: Festiuitas enim nō tunc,sed post edu-
ctū populū de Aegypto celebrāda erat anniuersaria in perpetuū. Illa enim prima vice non fuit celebrata festiuitas, vt
patet ex eo quòd ipsa quintadecima die iter egerunt,& totius festiuitatis ratio redditur beneficium primi diei,
hoc est, quintidecimi diei, in quo deus eduxit eos de seruitute Aegypti. AVCTOR CATENAE. In
eadem enim ipsa die educam exercitū vestrum. Hebraicè est הוֹצֵאתִי אֶת צִבְאוֹתֵיכֶם Hozéthi eth zibothechem,
Eduxi exercitus vestros,id est,omnem numerum filiorum Israël. Est enim præteritum Hiphil. Sic & Chaldaica.
Septuaginta vt apud nos. Sed hoc minimum est. Habuit enim respectum Interpres ad tempus quo dominus pas-
cha præcipiebat,quando adhuc non exierāt de Aegypto Hebræi. Quod autem sequitur, Ritu perpetuo. Sciendū
dictionem חֻקַּת Chukkath,significare,ritum,cultū,statutum,legitimū,præceptum. Vnde diuersimodè reddi po
test. Chaldaica habet, Fœdere sempiterno. Septuaginta, Legitimū sempiternū. Sed hęc omnia vnum dicūt. Quod K
obseruandum est pro omnibus scripturæ locis quæ sequentur,ne id toties repetere insulsum sit,lectorique mole-
stum. Diligenter itaque inculcat religionem azymorum & solennitatis,quia in omnia secula obseruanda fide-
libus tunc instituebatur,& nondum completa erat liberatio Israëlis,nec primogenitorum occisio,dum hęc om-
nia ordinabantur à domino. Quibus exerceri voluit ipsorum fidelitatem quam tantoperè deus exigit ab electis,
*Primo mense,quartadecima die mensis,ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam.*
GRAECVS. Dies itaque à vespera initium capit,atque ita fieri debet, quoniam dies ipsos ex lunæ cursu nu-
merantibus, à quintadecima vsque ad vigesimam primam, numerorum ordo inchoandus est. CAIETA-
NVS. Tractat secundum præceptum, explicando quando incipiunt septem dies, & quota hora finiuntur.
AVCTOR CATENAE. Primo mense. Dictio mense,addita est hīc ab Interprete, vt pote quæ necessariò
subaudiebatur. Est enim in Hebræo duntaxat בָּרִאשׁוֹן Barison, In primo. Quo loco Chaldaica legit, In mense
Nisan, in quartadecima die mensis, & cætera. Primi ergo mensis quartadecima die ad vesperam quintædeci- L
mæ incipientis,azyma comedendum præcipitur vsque in vigesimum primum eiusdem mensis, scilicet septem
diebus integris. Tot enim diebus commendari & inculcari oportebat memoriam tanti beneficij, vt toto anno
obliuio non succederet. RVPERTVS. Protinus adhuc fortissimum vinculum adhibens, proponit
sic, *Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris.* CAIETANVS. Loco dictionis, fermen-
tatum legendum est, fermentum. Prohibetur enim etiam haberi fermentum in domibus propriis, illis se-
ptem diebus, ne ex consuetudine inaduertenter miscerent fermentum pani. Et hoc erat tertium præce-
ptum. AVCTOR CATENAE. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris.
In correctioribus antiquis codicibus non fermentatum, sed fermentum legitur. Est enim Hebraicè שְׂאֹר
Seor. *Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis quàm de indigenis terræ.* CAIETA-
NVS. Iuxta Hebræum, Omnis enim qui comederit, & cætera, legitur. Et tractat quartum præce-
ptum, extendendo quantum ad personas, ad peregrinos. Ita quòd ligantur non solùm habitantes in ciuitate, M
sed etiam vt peregrini morantes in ea, Israëlitæ tamen. AVCTOR CATENAE. Tam de aduc-
nis quàm de indigenis terræ. Hebraismum aptè reddidit interpres. Est enim, בַּגֵּר וּבְאֶזְרַח הָאָרֶץ Bager vbez-
rach haárez, In aduena seu peregrino, & indigena terræ, pro, siue aduena sit, siue indigena terræ. Vo-
cant autem Hebræi aduenam seu peregrinum, vno modo, qui est ex obscura progenie, & non constat ex
qua familia prodierit. Et è contrà indigenam, qui est clarus è sua prosapia, cuius antecessores longo tem-
pore vrbem aliquem incoluerunt. Alio modo accipitur Ger, peregrinus siue aduena, pro eo, qui ex pagā-
nismo ad iudaismum conuersus, de quo in Leuitico. RVPERTVS. Nec mora quasi currens vno
spiritu concludit, *Omne fermentatum non comedetis.* CAIETANVS. **Quemadmodum præceptum quar-**
**tum extensum est quoad personas, ita consequenter extenditur quoad res fermentatas, declarando quòd non**
**solùm panis fermentatus, sed etiam quæcunque fermentata (vt lagana & similia) prohibentur.** *In cunctis*
*habitaculis*



A *habitaculis vestris edetis Azyma.* Ad secundum reditur præceptum, videlicet de Azymis,& restringitur præceptum
ad morantes in locis vbi habitant Israëlitæ. Et hoc ad excipiendum constitutos in itinere extra loca vbi habi-
tant Iudæi, tales enim impediti erant ab esu azymorum, ad hoc enim adiunctum videtur fuisse, in cunctis ha-
bitaculis vestris comedetis Azyma. Ac si apertiùs dixisset, si contingat vos esse extra habitacula Israëlitarum,
non ligabimini. AVCTOR CATENAE. Quantum autem ad rationem externæ cerimoniæ attinet,vo-
luit dominus hac obseruatione posteris inculcari beneficium, quod Israëlitis in Aegypto contigit. Cùm enim
Pharao nullis prorsus nec minis nec suppliciis potuerit moueri, vt Israëlitas liberos dimitteret, tandem tamen
potenti manu dei eò necessitatis adactus est, vt non solū dimiserit Israëlitas, sed etiam coëgerit eos exire Aegy-
ptum. Sic enim scriptura dicit, Vrgebant Aegyptij populum de terra exire velociter. Et mox: Coxerunt pastam
quam de Aegypto tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos. Neque enim poterat fermentari cogenti-
B bus exire Aegyptiis, nullámque facere sinentibus moram. Hoc miraculum & beneficium dei voluit spiritus san-
ctus abstinentia panis fermētati Israëlitis inculcare, quasi diceret, Liberaui vos ex Aegypto mirabiliter, & quā-
quam Pharao tam durus fuerit, vt nullo pacto, nullis precibus, nullis comminationibus, nullis suppliciis persua-
deri potuerit, quò vos dimitteret: Ego tamen hominis pertinaciam tanta potentia confregi, vt non solùm per-
miserit vos abire, sed etiam tam festinanter abire coëgerit, vt vobis non suffecerit tempus ad fermentandū pa-
nem, sed necesse habueritis cum pasta azyma discedere. In huius igitur rei monimentum volo & præcipio, vt
septem diebus festi paschæ, non alios panes, quàm azymos comedatis.

AMBROSIVS EPISTOLARVM LIBRO DECIMO. Lex per Moysen data est, *Mysticè.*
gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Ipse ergo qui legem locutus est, postea veniens per vir- *Epist.83.*
ginem nouissimis temporibus, plenitudinem legis consummauit, quia venit non legem soluere sed imple- *Ioannis.1.*
re, & celebrauit pascha hebdomadæ, in qua fuit quartadecima luna quinta feria. Denique ipsa die pascha *Matth.5.*
C cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hoc est, sexta feria, crucifixus est, luna quintadecima. Sab-
bato quoque magno illo sextadecima fuit. Ac per hoc septimadecima luna resurrexit à mortuis. Vnde lex
paschæ nobis seruanda est, vt non quartamdecimam obseruemus in die resurrectionis, sed in die magis
passionis, aut certè aliis proximis superioribus diebus. RABANVS. Sed quid est hoc, quòd pascha
celebraturos, septem diebus azyma iubet comedere, nisi quòd omnes qui passionis Christi & resurre-
ctionis eius mysteria fide vera celebrant, oportet vt sine fermento malitiæ & nequitiæ, præsentem vitam quæ
septenario dierum numero discurrit, totam incontaminatam ducant? HIERONYMVS IN E- *Cap.45.*
ZECHIELEM. Tunc enim verè comedimus septem diebus azyma in requie & securitate rerum om-
nium, quando fermentum malitiæ & nequitiæ destruentes, manducamus azyma synceritatis & veritatis.
RVPERTVS. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quid enim, Nunquid de fer-
mento panum cura est deo? An propter peccatum dicit diabolicæ superbiæ, quo fermentatum est genus hu-
D manum in primi parentis præuaricatione? Septem ergo diebus, id est, tota vita nostra, ab hoc fermento ca-
ueamus. Nam per gratiam fit, vt primo die non inueniatur, deinceps nostri studij sit, ne iterum corrumpa-
tur. Etenim primo die solennitatis nostræ, id est, mox vt quisque nostrum signatus est Christi sanguine, id est,
baptizatus,in illius morte omne peccati veteris fermentum euacuatum est, vestigia eius nulla supersunt, inue-
niri non potest. AVCTOR CATENAE. Fermento igitur carere debet omnis nostra actio, perfidia scili-
cet & dolo, quia reficiēdus semper pius est azyma synceritatis & veritatis. Prima die azymorum omne fermen-
tum cessare debet, & abiici à domibus fideliū, ab omni offensa dei cauendum, statim ad recordationem tantorū
beneficiorum dei electis omnibus per Christum exhibitorum. Dies (inquit) prima erit sancta atque solennis, &
dies septima eadem festiuitate venerabilis. RVPERTVS. Quisnam ille primus dies, nisi is de quo Psalmi- *Psalm.117.*
sta, Hæc est (inquit) dies quam fecit dominus? Subauditur, illucescere nobis: subiungēs ita, Exultemus & lętemur
in ea. Hæc dies planè est Christus, dies magnus & præclarus, in quo de Aegypto exiuimus, in quo de tenebris, vo-
E cati in admirabile lumen, educti sumus. Propter quod dicit, dies prima erit sancta atq; solennis. Itemq; de eodē *1.Pet.2.*
Psalmista, Cōstituite (inquit) diē solennē in condēsis, vsq; ad cornu altaris, id est, positi in cōdensis,& multipli- *Psal.117.*
citate bonorū operum, Vacate à peccatis secundū diē, quæ illuxit nobis, vsq; quo perueniatis ad cognitionē diui-
nitatis eius, in cuius fide tanq̄ in altari, quicquid boni in nobis est, deo offerimus. Dies itaq; prima (inquit) sancta
erit, atq; solennis. Qui enim velut agnus occisus est ex infirmitate hominis, ipse verus dies æterna claritate ful-
get ex virtute dei, hanc diē sequuntur nostri dies septem continua celebritate, vt septimus quoq; eadem festiui-
tate sit venerabilis, tota nāque vita nostra sic agenda est, vt in eo consumatur, à quo cœpit. Tantæ nanq; diligēter
obseruandę festiuitatis causam interposuit, In eadē (inquiens) ipsa die educā exercitum vestrū de terra Aegypti.
Signanter dixit exercitū vestrū, videlicet quia non ad ocia siue ludicra eximus de terra Aegypti, de domo anti- *Ephes.2.*
quæ seruitutis, sed ad pugnandū aduersus principes & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarū ha-
rum, cōtra spiritualia nequitię in cœlestibus, quippe cū tempus sit vt regnū dei vim patiatur, & nos violēter agē- *Matth.11.*
F do diripiamus illud. Nihil operis facietis in ea, exceptis his quæ ad vescendum pertinent, & obseruabitis azyma.
Propugnatoribus nanque regni dei, nihil de omni mundo curandū est, sed iuxta Apostolū habentes victū & ve- *1. ad Tim.*
stitum, his cōtenti sint, præoptantes tamē, & primū quærētes panē verbi dei, & interim sine vlla obliuione obser- *6.*
uent azyma, de quibus sæpe dictū est. RABANVS. Vel diē primā, initiū credulitatis, & diē septimā, finē vitæ
presentis vocat. Omne enim tempus præsentis vitæ cōuenit veris Israëlitis festiuū ducere, hoc est, in passionis &
resurrectionis Christi mysterio honorare, nihilq; operis in illis facere, exceptis his quę ad vescendū pertinēt, quia
non licet eis in mundi concupiscētia, & peccatorū opere laborare, sed in meditatione sanctarū scripturarū, atq; in
bonis operibus, quæ æternā in cœlis refectionē sanctis præparant, cōtinuò desudare. Vnde sequitur, Primo mēse,
quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma, vsq; in diē vicesimā primam eiusdē mēsis ad vesperā.
INTERLINEARIS. Hoc verè & sanctè effectū est, quando Christus cū discipulis suis cœnauit, illisq; corpus
suum & sanguinē dedit. RABANVS. Quid significat vespera quartadecimi diei primi mensis, in quo pascha

celebratum

celebratũ est, & agni immolatio perfecta, nisi depositionẽ veteris hominis,& initium cõuersationis nouæ,quod G
*Rom.6.* in Baptismo,Christi morte figurante inchoatur? Vnde & Apostolus, Quicũque(inquit)baptizati sumus in Christo Iesu,in morte ipsius baptizati sumus.Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte,vt quomodo resurrexit Christus à mortuis per gloriam patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.Ergo à vespera quartidecimi diei primi mensis,vsque ad vesperum diei vicesimi primi eiusdem mensis, per integram videlicet septimanam,azyma iubemur comedere,quia à perceptione sacri baptismatis vsque ad finem vitæ, simpliciter &
*1.Pet.2.* sine dolo debemus viuere.Vnde & Petrus ait,Deponentes omnem malitiam & omnem dolum,& simulationes, & inuidias,& omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite,vt in eo crescatis in salutem.Quicũque comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis quã de indigenis terræ,quia nimirum omnis qui dolose viuit,& erronea doctrina pollutus, præsentem vitam vsque ad finẽ perduxerit,tunc separatus de cœtu sanctorum deum videntium, perpetuis cruciatibus sine fine puniendus in æternum peribit.In cunctis habitationibus vestris edetis azyma. AVCTOR CATENAE. Omnis itaque fidelium vita & conuersatio,nihil redoleat, præter synceritatem & veritatem in verbo & opere, hoc est enim pascha domini celebrare perpetuum.Cuius tantùm typus erat Iudæorum festiuitas,quod tamen in illo quoque populo homines spirituales & electi intelligebant,simul ac Christi venturi immolationem præsignatam non ignorabant,sed in eius fide saluabantur. H

4 *VOcauit autẽ Moyses omnes seniores filiorum Israël,& dixit ad eos:Ite tollentes animal per familias uestras & immolate Phase.Fasciculúmq; hysopi tingite sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & utrumq; postẽ. Nullus uestrũ egrediatur ostiũ domus suæ usq; mane. Transibit enim dominus percutiens Aegyptios,cúmq; uiderit sanguinem in superliminari & in utroq; poste,transcendet ostiũ domus,& nõ sinet percussorẽ ingredi domos uestras,& lædere.Custodi uerbũ istud legitimũ tibi & filiis tuis usq; in æternum. Cúmque introieritis terram quam dominus daturus est uobis,ut pollicitus est, obseruabitis cærimonias istas.Et cùm dixerint uobis filii uestri,quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus domini est, quando transiuit super domos filiorũ Israël in Aegypto, percutiens Aegyptios,& domos nostras liberãs. Incuruatúsq; populus adorauit.Et egressi filii Israël,fecerunt sicut præceperat dominus Moysi & Aaron.* I

4 AVCTOR CATENAE. Hactenus scriptũ est,quomodo legem & cerimonias paschales deus Moysi & Aaron reuelauerit,& promulgandas cõmiserit.Nunc scribitur persecutio mãdati, & institutio ad populũ,primũ autem ad seniores,quibus in primis proponẽda sunt mandata,à quibus populus verbo & exemplo subinde inducatur ad obedientiã.Ait ergo: *Vocauit autem Moyses omnes seniores filiorũ Israel,Et dixit ad eos:Ite tollentes animal per familias uestras,& immolate Phase.* ORDINARIA. Nota quòd non pueris,nõ iuuenibus mandata dei primò cõmunicat,sed K senioribus,quia in senibus est sapientia,& in multo tẽpore prudentia. RVPERTVS. Animal autem dixit generali nomine,tam hœdum significans,quàm agnum,quorum vtrumlibet tolleret quis(vt suprà dictum est)præceptum perficeret,præscriptum obseruando ritum. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Trahite & accipite vobis pecudem per familias vestras.Hinc apparet, quòd principaliter ex pecudibus eligendum erat animal paschale, & deficiente commoditate agni, sumendus erat hœdus.Quia enim iam hæc expresserat scribendo verba dei, ideo scribendo verba propria executoria, summariè scribit. Et quia victus ex pecore sumendus erat,ideo adiungit,trahite.Et immolate Phase,Iuxta Hebræũ habetur, & iugulate pesach, quod(vt dictũ est) dicimus pascha.Agnus autẽ ipse quoque denominatus est pesach,hoc est,transitus. AVCTOR CATENAE. Ite tollẽtes animal per familias vestras.Iuxta Hebræũ ita legitur מִשְׁכוּ וְקָחוּ לָכֶם צֹאן לְמִשְׁפְּחֹתֵיכֶם Mischu vkchu lachem zon lemispechotechem,Extrahite siue trahite,& tollite vobis pecudẽ,siue ouiculam, vel pecora per familias vestras.Extrahite,subaudiendũ est,de ouili,vel trahite,seu ducite ad mactandũ. Chaldaica sic legit, Capite L & tollite vobis de filiis ouiũ per familias vestras.Septuaginta, ἀπελθόντες λάβετε ὑμῖν αὐτοῖς πρόβατον,id est,euntes accipite vobis ipsis agnũ,Sed hæc non discrepãt à sensu Latinę editionis.Et immolate Phase,id est, victimã quæ transitũ significabat,quãdo dñs transiit per Aegyptũ occidens primogenita Aegyptiorũ, præteritis primogenitis Israëlitarũ.Dicit igitur Moyses,Qui inter vos agniculũ vel hœdũ possidẽt,protrahãt & prostituãt immolãdũ,& secundũ familias vestras edendũ parent,vt trãsitus imminẽtis solẽnitas peragat.Dicimus ex hoc loco,præcipuos adesse debere seniores solennitatibus sacris,& specimen præbere obedientiæ & deuotionis ad deũ, minoribus de populo. *Fasciculumq; hysopi tingite sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare & utrũque postem.* AGVSTINVS
*Locut.60.* IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta legitur,Sumetis autem vobis fasciculũ hysopi,& tingetis ex sanguine qui est iuxta ostiũ,& linietis super limẽ, & super ambos postes de sanguine. Et hîc fasciculus hysopi plures fasciculos significat,sicut rana plures ranas,& locusta plures locustas.Tropus autem iste
*Quæst. 46.* quando fit in rebus quæ à nobis non ita dici solent, obscuritatem facit. IDEM IN QVAESTIONIBVS M SVPER EXODVM. Quæritur autẽ quẽ sanguinẽ dicat iuxta ostium,cũ illius sanguinẽ agni vtiq; velit intelligi,cuius immolatione pascha fit,vtrúmne præcepit eo modo cõsequẽter fieri,quãuis hoc tacuerit,vt idẽ agnus iuxta ostiũ occidaẽ,an(quod est credibilius)ideo dixit ex sanguine qui est iuxta ostiũ, quia vtiq; ille qui liniturus est superlimen & postes, vas ipsum in quo sanguinẽ excepit,iuxta ostiũ positurus est,vt ad manũ habeat quando tingat. RVPERTVS. Fasciculũ(inquit)hysopi tingite in sanguine,qui est in limine.Quasi iam esset sanguis in limine,sic locutus est,& nõ dixit,quẽ ponetis in limine.Vnde & qualiter habendus esset sanguis in limine,vtrũ agnus in limine deberet occidi,an alio quolibet modo debuerit illic effundi, incertũ reliquit. Est autẽ hysopus herba humilis,nascituríq; in petrosis locis,& deponit tumorẽ pulmonis. CAIETANVS. Fasciculumq; hysopi accipite . Modus priùs tacitus nunc explicatur,quo sanguine agni linienda erat porta in postibus hinc & inde, & in limine supero. Et intingite in sanguine qui est in limine.Iuxta Hebræum habetur, qui est in malluuio.

Cùm



A Cũ enim iugularetur agnus,supponebatur malluuiũ ad seruandũ sanguinẽ.Et aspergite.Iuxta Hebręũ habetur,& tãgetis ex eo superliminare & vtrũq; postẽ.Nõ per modũ aspergẽdi,sed per modũ liniẽdi præcipitur vsus hysopi, ita quòd fasciculũ hysopi infusum sanguine seruato in malluuio adhibere debebãt ad liniẽdũ vtrũq; postẽ & superliminare,alioquin inuisibilis fuisset sanguis aspersus,præcipuè siccatus media nocte,quãdo exterminator erat trãsiturus. AVCTOR CAT. Fasciculumq; hysopi tingite in sanguine qui est in limine. Dictio Hebraica סַף Saph,& limẽ,& peluim,siue craterẽ significat.Hinc factum,quod Interpres limẽ,alij vas seu peluim verterũt.Septuaginta cũ Interprete faciũt,legentes,παρὰ τὴν θύραν,Qui apud ianuã. Chaldaica & recentiores oẽs in aliũ significatũ legunt.Sic enim ait Chaldaicus paraphrastes,Tolletíq; manipulũ hysopi,& tingetis in sanguine qui est in vase.Quo scilicet exceptus fuit sanguis agni.Vel secundũ alios,Qui fuerit in pelui.Hoc tamẽ sensum Latinę edi
B tionis nõ immutat.Nã sanguis ille sic seruatus in cratere,poni debebat in limine,seu ianua domus,pro aspersione fiẽda.Et aspergite ex eo superliminare & vtrũq; postẽ.Desunt hîc multę dictiones,quas pro vitãda repetitione cõsultò dimisit Interpres,videlicet מִן הַדָּם אֲשֶׁר בַּסַּף Min hadam aser basaph,De sanguine qui(subaudi fuerit)in limine,siue vase,vel pelui.Præterea verbũ וְהִגַּעְתֶּם Vehigahettem, quod versum est,Et aspergite,reddũt aliqui,Et facietis cõtingere,seu pertingere. Est enim præteritũ hiphil à radice נָגַע Nagaha, tetigit.Chaldaica autẽ legit, Et aspergetis superliminare & duos postes de sanguine qui est in vase.Septuaginta,καὶ θίξετε,Et tingetis.Sed hoc parũ est,idẽ enim importat.Sãguis igitur in phiala vel pelui exceptus,applicabitur ad ostiũ domus,& intincto eidem fasciculo hysopico,triũ calamorũ habẽte longitudinẽ,deliniabitur in postibus ad prospectũ ingredientiũ, & superliminari. *Nullus uestrũ egrediatur ostiũ domus suæ usq; mane.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Hinc apparet, quòd in nocte tantũ acceperũt licentiã,in die autẽ decimoquinto egressi sunt. AVCTOR CAT. Extra domũ illa nocte exire nemo sinebatur,ne in manũ & plagã Angeli percutiẽtis incideret,Oía humano more domino agẽte cũ fidelibus. *Trãsibit enim dominus percutiẽs Aegyptios, cumq; viderit sanguinẽ in superliminari & in vtroq; poste,trãscẽdet ostiũ*
C *domus,& nõ sinet percussorẽ ingredi domos uestras & lædere.* HIERONYMVS IN ESAIAM. Siniſtræ quædã sunt cõtrariæq; virtutes,veniẽtes vt impleãt furorẽ domini,gaudẽtes in aliena iniuria atq; lætãtes, de quibus & in Psalmis legimus,Misit in eos furorẽ iræ suæ,furorẽ & irã & tribulationẽ,immissionem per angelos pessimos.Ex his est & exterminator in Aegypto,qui postes agni litos sanguine nõ audet intrare, & ille spiritus qui egressus stetit in cõspectu domini,& ait:Ego decipiã Achab.Dixítq; ei dñs, Decipies & prævalebis:egredere,& fac sic.Vnde in eodẽ regũ volumine Micheas dixit,Vidi dñm Israël sedentẽ super thronum suũ,& oĩs exercitus cœli stabat circa eũ à dextris & à siniſtris.Dexteræ,virtutes sunt eorũ angelorũ qui ad bona mittũtur:Siniſtręaũt,eorũ quibꝰ ad puniẽdũ tradimur.Vnde & Apostolus,Quos tradidi(inquit)Satanæ,vt discãt nõ blasphemare. RVPERT. Sicut ex hoc loco cõstat,quãuis dicatur dns Aegyptios percutere,nõ tamẽ per seipsum percutit, sed pcussori,scilicet Angelo malo potestatẽ dat percutiẽdi. STRABVS. Vtrũ percussor,bonus Angelus an malus fuerit,nõ necesse est inquiri,quicũq; enim fuit,pręcepto dñi obediuit.Sciendũ tamẽ,quia tales pestes mali Angeli facere solẽt,permis
D sione dei. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur,Et trãsiliet dns super ostiũ,& nõ dabit vastatorẽ ingredi domos vestras & lædere.Ex Chaldaica officina aiũt prodiisse,sinet siue permittet,tanquã vastator fuerit malæ intẽtionis ad occidẽdũ etiã primogenitos Israël,si deus permisisset. Sed Hebraica litera habet,nõ dabit,& propterea cessat hinc argumẽtũ ꝙ vastator fuerit Angelus malus,nihil enì aliud hinc habetur,nisi ꝙ deus nõ p seipsum, sed Angelũ(hoc est) multitudinẽ angelorũ,occidit primogenitos Aegyptiorũ,præsidẽdo illi multitudini,& ordinãdo,ꝙ domos signatas sanguine agni nõ ingrediãtur, ordinãdo aũt tãquã si prẽsens dux diceret,hãc domũ intrate,& hãc nõ,&c. AVCTOR CAT. Trãsibit enim dominus percutiẽs.Dictionẽ Hebraicã לִנְגֹּף Lingoph,vertũt nõnulli,Ad percutiendũ,Alij,vt percutiat,siue cędat Aegyptios,id est,primogenita Aegyptiorũ.Et trãscendet ostiũ domus.Hebraicè est: וּפָסַח יְהוָה עַל הַפֶּתַח Vphasach Iehoua hal hapethach,Et trãsibit,seu præteribit dñs ostiũ. Sic & Septuaginta,Vel trãsiliet dns vltra ianuã illã,aut super ostiũ.Antecedẽs pro relatiuo.Latini dicerẽt, Trãsibit ipse ostiũ. Quid autẽ sit,trãsitus iste domini vltra ianuã,sicut superiùs,nũc quoq; declarat Chaldaica,inquiẽs,
E Et miserebitur dominus super ostiũ,id est,hoĩm eorũ qui in illa domo fuerint,cuius postes sanguine linitæ extiterint.Et nõ sinet.Sic & Græcè & Chaldaicè,Hebraicè verò est וְלֹא יִתֵּן Velo itten,Et nõ dabit,seu permittet,vel sinet.Vtrũq; enim נָתַן Nathan verbũ significat.Ingredi domos vestras & lædere.Hebraicè est לִנְגֹּף Lingoph,ad percutiendũ,siue vt percutiat,subaudi primogenita.Sed hæc oía idẽ cũ nostra litera.Angelus percutiẽs hîc quoq; dominꝰ nominatur,& proprio suo nomine,& incõmunicabili,quia dominũ repręsentabat,cuiꝰ iudiciũ explebat,& iustitiæ eiꝰ minister operabatur oía,loquẽdo & agẽdo,verbũ enim erat domini,& ipsissima volũtatis diuinę vis & maiestas.Nõ tamen tantũ admonere potuit Angelũ percutientẽ macula sanguinis in limine & postibus,qui sine stigmate internoscebat ianuas domorũ fideliũ,quantũ sacramentũ esse oportebat in oẽs generationes,admonẽs redẽptionis nõ solũ tũc perfectę per Moysen,sed lõge perfectioris olim futurę per Christũ,effusione sanguinis agni immaculati.Superliminare & vtrũq; postẽ aspergẽda mãdat, vt nulla ex parte effugeret aspectũ intrãtium. RVPERTVS. Tandẽ ita cõcludit, *Custodi verbũ istud legitimũ tibi & filiis tuis usq; in æternũ.* Quod dixit,custodi ver-
F bũ istud,hoc idẽ repetisse cuilibet fortè videatur,dicẽdo paulopost,obseruabitis cęremonias istas,verũ nõ ita est. Verbũ enim.i.ratio,tantũ differt hoc loco à cęrimoniis,quãtũ significatus vel sensus à signis distat & literis.Cęremoniæ nãq; significationes sunt.i.figuræ vel vmbræ futurorum,verbũ autẽ ratio vel veritas sacramẽtorũ quæ in Christo(vt iã pro posse diximus)adimpleta sunt.Rectè ergo cũ dixisset,custodi verbũ istud legitimũ,addidit in æternũ,vbi autẽ dixit,obseruabitis cęremonias istas,nõ addidit in æternũ. Etenim quæcũq; cęremoniæ carnales datę sunt,tẽporalẽ statũ habuerũt,propter trãsgressiones,positę vsq; ad tẽpus præfinitũ,donec veniat,id quod sub ipsis promittebatur,verbũ dñi manẽs in æternũ.Porrò qualiter positioni illarũ,cõtrariũ nõ sit illud,quod per Hie
*Hier.7.* remiã prophetã dictũ est,Quia nõ sum locutꝰ patribꝰ vestris,nec præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ & victimarũ,alio loco plenius erit dicẽdũ. AVCT. CAT. Custodi verbũ istud,&c. Hebraicè italegit: וְשָׁמְרְתֶּם אֶת הַדָּבָר הַזֶּה לְחֹק לְךָ וּלְבָנֶיךָ עַד עוֹלָם vsmartè etìh hadabar haze,lechak lecha vlbanécha had holà,Et obseruabitis,vel custodietis verbũ seu rẽ istã,i pactũ tibi & filiis tuis vsq; in seculũ,vel p statuto seculi.

Alij vertũt, vt ſit tibi & filiis tuis perpetuus ritus. Subaudi tamẽ ad hæc oĩa, ſtatu tuo durãte. Et eſt ſenſus, Erũt cę- G
rimoniæ iſtę vice ſtatuti tã tibi quã poſteris tuis in perpetuũ. Trãſitus autẽ perſonę eſt de plurali ad ſingularẽ. Sed
hæc nil à ſenſu diſcrepãt Latinę editionis. Diximus autẽ, ſtatu ſtuo durante, nó ſine cauſa. Nã dictio עולם holam,
qđ apud nos redditur vſq; in æternũ, & ſic etiã legit Chaldaica, apud Hebrę̃os tamẽ & Septuaginta ponitur pro
ſeculo. Quod quidẽ verbũ tam apud Hebrę̃os & Græcos, quã apud nos pro quolibet ſpacio tẽporis alicuius vitæ
durationẽ determinãtis ponitur, quẽadmodũ infra viceſimo primo capitulo dicit, Et erit ei ſeruꝰ vſq; in ſeculũ,
vbi ſeculũ nõ perpetuitatẽ, ſeu durationis ęternitatẽ ſimpliciter, ſed totũ vitę ſpaciũ illius ſerui ſignificat, qui p to
tã eiꝰ vitã in ſeruitute eſſe debebat. Vnde in ſacris ſcripturis vitæ præſentis duratio, ſeculũ vocatur & futurę du
ratio, aliud ſeculũ per ſe. Et ſic illud Pſalmi quadrageſimi intelligitur, Benedictus dñs à ſeculo & vſq; in ſeculũ.
Sic & in ſymbolo dicimus, Vitã vẽturi ſeculi. Qua ratione antiqui Hebræorũ totũ Moſaicæ legis durationis tẽ-
pus ſeculũ vnũ vocant, & tẽpus Meſsiæ ſeculũ aliud, propter eorũ diſtinctionẽ, quæ ad vitã ſpiritualẽ pertinẽt in H
vtroq; ſeculo. Vnde cũ in præceptis huiuſmodi præſertim cęrimonialibꝰ obſeruãdis additur in ſeculũ, vel apud
nos in ęternũ, vel ſempiternũ, intelligi debet p toto legis Moſaicę durationis ſpacio, quę eſt vſq; ad aliud ſeculũ.
ſcilicet Chriſti. Et modus hic eſt proprius reſpõdendi Hebræis, cũ de euacuatione cęremonialiũ in quibꝰ ſæpe di
citur ꝙ ſeruãda ſunt in ſeculũ, nos arguũt, quòd ſcilicet pro ſpacio durationis legis Moſaycæ intelligitur, ꝙ ſe-
culũ quoddã diſtinctũ eſt à ſeculo cõprehendẽte ſpaciũ durationis legis Meſsiæ. Qui quidẽ loquẽdi modus etiã
cõmuniter tenetur variis in locis ab eorũ doctoribꝰ Thalmudicis. Perſtat igitur adhuc Moyſes in ꝓmulgatione
diuinæ legis ad ſeniores de paſchate primo celebrãdo, & idipſum in oĩa futura ſecula ſucceſſoribꝰ cõmendãdo.
Ideo tũc oĩa diligẽter fieri voluit dñs, inque perpetuã rei geſtæ memoriã poſteris inculcari, donec duraret ſemen
Iſraël ſecundũ carnẽ. *Cumq; introieritis terrã quã dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt obſeruabitis cęremonias iſtas.* CAIET.
Nõ fiat vis in verbo, quia in Hebræo nõ cęrimoniæ, ſed ſeruitutis nomẽ eſt, & ſimiliter cũ ſubiũgitur, quæ eſt iſta
religio? Sed ſentẽtia bene reddita eſt ab Interprete. Nec irrationabiliter ex hac additione ſumitur, quòd præceptũ I
paſchalis immolationis nõ obligat populũ in via vſque ad terrã promiſsionis, multa enim tacita ſunt à Moyſe
ſcribẽdo verba dei, quæ ſuppleta ſunt ſcribẽdo verba propria, ne repetitio faſtidio eſſet lectoribus. AVCTOR
CAT. Obſeruabitis cęremonias iſtas. Hebraicè eſt, הָעֲבֹדָה הַזֹּאת Hahaboda hazoth, Cultũ iſtũ. Sic Chaldaica &
Septuaginta. Sed idẽ eſt cũ cęremoniis. Nã vox Hebręa Haboda, ſignificat ſeruitutẽ, miniſteriũ, & cultũ. Hĩc ergo
accipitur pro ritu. *Et cũ dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima trãſitus domini eſt, quãdo trãſiuit ſuper domos fi-*
*liorũ Iſrael in Aegypto, percutiẽs Aegyptios, & domos noſtras liberãs.* CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA DE PRO-
DITIONE IVDAE. Iudæi circa deũ bonorũ ſibi omnium largitorẽ fuerũt effrenata diffidẽtia cõtumaces, &
eius beneficia obliuione præteribãt. Nã poſt Aegypti profectionẽ, viderunt cõſcindi maria, & denuo cõuenire, &
alia multa mirabilia, & dicũt, Faciamus nobis deos, qui nos antecedãt. Adhuc inſpicis quod miraris, & oblitus es
largitoris? Quia igitur inſenſatores & cõtumaces erant, feſtiuitatis celebratione beneficiorũ memoriã roborauit,
& ideo paſcha ſacrificari præcepit, vt ſi te filius tuus ipſius paſchæ interrogauerit rationẽ, reſpõdeas, ꝙ aliquãdo K
in Aegypto cum mortis portitor ſperaretur, maiores noſtri ne euerſionẽ ſuſtinerẽt poſtes huius agni ſanguine li-
nierũt, & vaſtator Angelus aduenięs, cũ videret illaturus plagã, non audebat intrare, & illa feſtiuitas perpetuã be
neficij memoriã tribuebat. AVCTOR CAT. Quæ eſt iſta religio? Idẽ quod Hebraicè legitur מָה הָעֲבֹדָה הַזֹּאת
לָכֶם Ma hahaboda hazoth lachẽ, Quis eſt, Vel quid ſibi vult hic cultus veſter? Sic & Chaldaica, Quid eſt cultus
hic vobis? Ita & Septuaginta. Ac ſi dicat, Cur hũc ritũ ſeruatis? Alij, Quid hoc opus vobis? Sed in hũc ſenſum &
ipſi. Victima trãſitus domini eſt. Hoc eſt, ſacrificiũ hoc inſtitutũ eſt pro miſericordia quã pręſtitit nobis deus quã
do pręteriit domos, &c. Vnde & Chaldaica habet, ſacrificiũ pro miſericordia eſt corã domino, זְבַח Zébach autẽ,
etiã mactatio, vel oblatio reddi poteſt. Sequitur, Quãdo trãſiuit ſuper domos, &c. Hĩc etymon ponitur dictionis
peſach. Chaldaica habet, Eo ꝙ miſertus eſt ſuper domos filiorũ Iſraël in Aegypto. Septuaginta, ὃς ἐσκέπασε τοὺς οἴ-
κους ἡμῶν ἰσραήλ, Qui protexit domos filiorũ Iſraël. Sed idẽ apud oĩs ſenſus. Nã trãſitus domini, protectio eſt, &
miſeratio domorũ Iſraëliticarũ. Docet itaq; ſigillatim, & velut cõceptis verbis celebrari ſacramẽta agni paſcha- L
lis, quaſi dicere velit, Dũ occiſum in paſchatis ſolẽnitate agnũ præſcripto more comederitis, in terra ꝓmiſsionis
poſsidẽda hũc ritũ ſeruabitis, vt quærẽtibus filiis & nepotibus de agni illius myſterio, ſic reſpõdeatis: Victima (di
cetis) agni illius à nobis nũc comedẽdi, demõſtrato eo agno, aliud nõ eſt, q̃ trãſilitionis ſacrificiũ, qua pertranſiit
deus, & trãſiliuit domos filiorũ Iſraël in Aegypto, cũ percuteret ipſe Aegyptũ, & domos noſtras liberauit iã tũc ea
nocte de captiuitate educẽdo. Quibꝰ verbis ſemp ſine dubio vſi ſunt Iſraëlitæ, quoties pariter Phaſe comedebãt,
ſeniore huiuſmodi verbis vtẽte ad natu minores. *Incuruatuſq; populus adorauit.* Subaudi dñm agnoſcẽdo beneficiũ
dei. Populi igit incuruatio & adoratio poſt auditos hos Moyſi ſermones, fidei & gratitudinis exhibitio & ſignũ
erat, ac obediẽtię, qua lętior eidẽ nulla vnquã obuenerat. *Et egreſſi filij Iſrael fecerũt ſicut præceperat dominus Moyſi & Aarõ.*
Additũ eſt hĩc in Hebręo כֵּן עָשׂוּ chen haſu, Ita fecerũt. Hebraiſmꝰ eſt, quẽ vltro dimiſit doctꝰ Interpres. Statì igi-
gitur abierũt, & mãdata dñi cõplere feſtinãt filij Iſraël, prępарãtes ſeſe tota fide & diligẽtia ad paſchale ſacrificiũ.
*Myſticè.* RVPERTVS. Quid autẽ in ſpiritu aliud hĩc de agni ſanguine mãdatur, q̃ de veri agni, id eſt, Chriſti filij M
dei ſanguine, qui nõ in abſcõdito, vel intus repoſitus, ſed omni mundo palàm expoſitus eſt, vt quicunque domũ
ſuã ſignare velit, vt liberetur de manu percuſſoris diaboli, citò inueniat, citò & velociter ſalus illi occurrat, dũ-
modo ſic faciat? Tollat faſciculũ hyſopi, & intingat in ſanguine, id eſt, recitet ſymbolum, ſpẽ totã conſtituens in
ſola ſalutifera Chriſti paſsione, & inde tres notulas faciat in vtroq; poſte, & in ſuperliminari, baptizatus videli-
cet in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Significat enim hyſopus fidem & humilitatẽ paſsionis Chriſti, per
quã ſuperbię tumor deponitur, quo primus homo corruptus, cõtra ſuũ creatorẽ intumuit. Quod ſperãs Pſalmiſta
*Pſal. 50.* dicebat, Aſperges me domine hyſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuẽ dealbabor. Igitur hyſopus tinctus
agni ſanguine, quo domꝰ ſignatur, humilitas mẽtis eſt, cũ paſsionis Chriſti fide, in quo quiſq; credẽtiũ baptizatur.
CHRYSOSTOMVS. Agnꝰ ergo ille, futuri agni fuit typus, & ille ſanguis, dominici ſanguinis mõſtrabat ad-
uentũ, & ouis illa, fuit ſpiritalis ouis cxẽplum: ille agnus vmbra fuit, hic veritas. Sed poſtquã ſol iuſtitiæ radiauit,
vmbra



A vmbra ſoluitur luce. Et ideo in ipſa mẽſa vtrũq; paſcha & typi & veritatis celebratũ eſt. Nã ſicut pictores pingẽ
dam tabulã veſtigiis quibuſdã adumbrare cõſueuerũt, & ſic colorũ varietate perficere, ita & Chriſtus fecit in mẽ
ſa, & typũ paſchæ deſcripſit, & paſcha veritatis oſtẽdit. Vbi vis paremus tibi mãducare paſcha? Iudaicum paſcha
erat, ſed vmbra lumini cedat, aduectata imago veritate ſuperetur. INTERLINEARIS. Poſſumus igitur
quod de agno per familias accipiẽdo & immolando, ac de ſanguine qui in limine, faſciculo hyſopi ſuper vtrũq;
poſtẽ & ſuperliminare intingẽdo dicitur per oĩs Eccleſias vel diuerſos gradus, fide (quę cõparatur grano ſynapis,
quæq; humili deuotione ſuſcepta, oĩs animæ affectus purgat) paſsionẽ Chriſti ſuſcipiendã intelligere, cuius qui-
dẽ ſanguis eſt nobis ianua vitæ, eoq; vel intentionẽ mẽtis, vel frontẽ corporis eſſe liniendã. AVCTOR CAT.
Faſciculus quoq; hyſopi, humilitatẽ, amaritudinẽ, ſalubritatẽ, coadunationẽ, & charitatẽ, nõ abſq; cauſa iuſta na-
turali ſignificat, quæ omnia iungẽda ſunt ſolẽniis paſchalibus. RVPERTVS. Nullus (inquit) veſtrũ egredia-
B tur oſtiũ domus ſuæ vſq; mane. Et hoc nobis vigilãtiſsimè obſeruandũ eſt, vt vſq; mane, id eſt, vſq; ad finẽ huius
noſtræ nocturnę vitæ, intra catholicę Eccleſię clauſtra maneamus, neq; per hęreſes vel ſchiſmata tumultuãdo, fo
ras erupiſſe quis inueniatur. Nã quiſquis foris fuerit inuẽtus, reputabitur Aegyptius, & cũ Aegyptiis pariter per-
trãſeuntis domini flagello percutietur. INTERLINEARIS. Vel iuxta, ſeu intra clauſtra mẽtis debemus cõ
uerſari, dũ paſcha celebramꝰ, ne foras ſicut Dina vagemur, & cũ diabolo fornicemur. AVCTOR CATENAE.
Cumq; viderit (inquit) ſanguinẽ in ſuperliminari & in vtroq; poſte, tranſcẽdet oſtiũ domus, & non ſinet, &c. Ad
crucis figurã inſinuandã (vt vides) formari mãdat ſitũ & poſitionẽ ſanguinis eius, qui ſe dixit oſtiũ ouilis Eccle-
ſiaſtici, per quod intrãt fideles & exeũt, vt paſcua inueniant. Cuſtodi verbũ iſtud legitimũ tibi & filiis tuis vſq; in
æternũ. Bene vtiq; & veraciter, nã Iudæi vmbrã & figurã, Nos autẽ illius dei veri & ſolius, verã recolimus & ce-
lebramus, & vſq; in ſempiternũ celebrabimus agni immolationẽ, & vniuerſalẽ redemptionẽ omniũ filiorũ dei.
Cumq; introieritis (inquit) terrã quã dominus deus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cęremonias
C iſtas. Et cũ dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima trãſitus domini eſt, quando tranſiuit
ſuper domos filiorũ Iſraël in Aegypto percutiẽs Aegyptios, & domos noſtras liberãs. O magnũ & admirabile ſa-
cramentũ. Nónne tibi videtur Chriſtus dominus ſub his verbis cũ venit hora eius vt trãſiret ex hoc mũdo ad pa
trẽ, & paſcha vetus cũ dilectis diſcipulis celebrabat, cõtineri, ſimiliq; ſermone ſtatim ſubinde nouũ paſcha inſti-
tuere? Sicut enim dixerat, hoc eſt ſacrificiũ phaſe domino, ſic dixit ſacroſancta corporis & ſanguinis ſui inſtitutę
myſteria, Hoc eſt, corpus meũ quod pro vobis tradetur. Et, hic eſt calix nouũ Teſtamentũ in meo ſanguine, hoc fa
cite quotieſcunq; bibetis in meã cõmemorationẽ. Quaſi dicat, Nũc vobis nouum inſtituo Teſtamentũ, nõ carnẽ
agni, ſed meã oblaturus: non ſanguinẽ pecuinũ, ſed propriũ corporis mei effuſurus. Vnde & Apoſtolus, Quotieſ-
cunq; mãducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ domini annunciabitis, donec veniat. Et idẽ alibi, Quia er-
go pueri cõmunicauerũt carni & ſanguini, ipſe ſimiliter participauit eiſdẽ, vt per mortẽ deſtrueret eum qui ha-
bebat mortis imperiũ, id eſt, diabolũ, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.
D Sed & populi incuruatio & adoratio, quid aliud nobis niſi fidelis populi adorationem & venerationem, quam
ſanctiſsimæ exhibet Euchariſtiæ innuunt, ſiue cùm in altari immolatur, ſiue cùm ex eo participatur? Nónne om-
nes tunc cum humili & pia deuotione profundè ſeſe incuruantes, dicunt, Adoramus te Chriſte & benedicimus
tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum? Quàm bene ergo figura rei, veritas vmbræ cõcordat.

*FActum eſt autem in noctis medio, percuſsit dominus omne primogenitũ in terra Aegypti, à primogenito* 5
*Pharaonis qui ſedebat in ſolio eius, uſq; ad primogenitũ captiuæ quæ erat in carcere, & omne primoge-*
*nitũ iumentorũ. Surrexitq; Pharao nocte, & oĩs ſerui eius, cũctaq; Aegyptus, & ortus eſt clamor magnus*
*in Aegypto, neq; enim erat domus, in qua nõ iaceret mortuus. Vocatíſq; Pharao Moyſe & Aarõ nocte, ait, Sur gi-*
*te, egredimini à populo meo & uos & filij Iſraël, ite, & immolate domino ſicut dicitis. Oues ueſtras & armẽta aſ-*
E *ſumite ut petieratis, & abeũtes benedicite mihi. Vrgebãtq; Aegyptii populũ Iſraël de terra exire uelociter, dicẽ*
*tes, oĩs moriemur. Tulit igitur populus cõſpersã farinã antequã fermẽtaretur, & ligãs in palliis poſuit ſup hume*
*ros ſuos. Fecerũtq; filii Iſraël ſicut præceperat dominus Moyſi, & petierũt ab Aegyptiis uaſa aurea & argẽtea,*
*ueſtẽq; plurimã. Dedit aũt dominus gratiã populo corã Aegyptiis, ut cõmodarẽt eis, & ſpoliauerũt Aegyptios.*
AVCTOR CATENAE. Ecce iã adeſt ſtupendũ illud miraculũ, de quo hactenus Moyſes cõcionatus eſt 5
Aegyptiis & Iſraëlitis, nõ verbis tantũ, verũ etiã cęremoniis phaſe. In medio illius noctis, in qua Iſraëlitæ celebra-
bant paſcha iuxta præceptũ domini, occiditur omne primogenitũ Aegyptiorũ, à primogenito Pharaonis vſq; ad
primogenitũ captiui & iumentorũ. Primogenita verò Iſraëlitarũ ſalua manẽt. Sic igitur ait, *Factũ eſt autẽ in noctis*
*medio, percuſsit dñs omnẽ primogenitũ in terra Aegypti.* HIERONYMVS ADVERSVS HELVIDIVM. Omnis vni-
genitus, eſt primogenitus, nõ oĩs primogenitus, eſt vnigenitus. Primogenitus eſt nõ tantũ poſt quẽ & alij, ſed ante
F quẽ nullus. Omne (inquit dñs ad Aarõ) quod aperit vuluam, ab omni carne quæ offertur dño, ab homine vſq; ad
pecus, tibi erũt, tantũmodo preciis redimãt primogenita hoĩm, & primogenita pecorũ immũdorũ. Definiuit ſer-
mo dei quid ſit primogenitũ: Omne (inquit) ꝙ aperit vuluã. Alioqui ſi nõ eſt primogenitꝰ, niſi is tãtũ quẽ ſequũtur
fratres, tãdiu ſacerdotibꝰ primogenita nõ debẽtur, quãdiu & alia fuerint ꝓcreata, ne fortè partu poſteà nõ ſequẽte,
vnigenitꝰ ſit, & nõ primogenitꝰ. Redẽptio (inquit) eiꝰ erit ab vno mẽſe, eſtimatio quinq; ſiclorũ. Siclus ſecũdũ ſiclũ
ſanctuarij viginti oboli ſunt. Tãtũmodo primogenita vitulorũ, & primogenita ouiũ, & primogenita caprarũ nõ
redimes, quia ſancta ſũt. Cogit me ſermo dei, vt oĩ maſculinũ qđ aperit vuluã, ſi de mũdis animalibꝰ ſit, deo vo-
ueã, ſi de immũdis, redimã, dãs preciũ ſacerdoti. Poſſum reſpõdere & dicere: Quid me in vnius mẽſis ſtringis ar-
ticulo? Quid primogenitũ vocas, quem an fratres ſequãtur ignoro? Expecta donec naſcatur ſecũdus. Nihil debeo
ſacerdoti, niſi & ille fuerit procreatus, per quem is qui antè natus eſt, incipiat eſſe primogenitus. Nónne mihi ipſi
apices loquẽtur, & me ſtultitiæ redarguẽt, eum eſſe dictũ primogenitũ, qui aperiat vuluã, nõ qui habeat & fratres?

Denique interrogo de Ioãne, quem constat esse vnigenitũ, an & primogenitus fuerit? Vtrúm ne & ipse secũdum G
legẽ, pro toto ei legi fuerit obnoxius? Ambigi non potest. Certè de saluatore scriptura sic loquitur, Cũ expleti essent dies purgationis eorũ secundum legẽ Moysi, duxerunt eum in Hierusalẽ, vt offerrẽt eum domino, sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinũ adaperiẽs vuluã sanctum domino vocabitur, & vt darẽt hostias secundũ quod dictum est in lege domini, par turturũ, aut duos pullos columbarũ. Si hæc lex tantũ ad primogenitos pertinet, primogenitum autẽ sequẽtes faciunt, non debuit lege primogeniti teneri, qui de sequẽtibus ignorabat. Sed quia tenetur lege primogeniti, etiã ille quẽ fratres cæteri nõ sequuntur, colligitur eum primogenitum vocari, qui vuluã aperiat, & ante quem nullus sit, nõ eum quem frater pòst genitus subsequatur. Moyses scribit in Exodo, Factum est autem circa mediam noctem, & dominus percussit omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis qui sedebat super thronum eius, vsque ad primogenitum captiuæ, quę est ad lacum, & omne primogenitum pecoris. Respondemihi: Qui tunc ab exterminatore fuerant interempti, primogeniti
H fuerunt, an & vnigeniti? Si primogeniti tantùm illi vocantur, qui fratres habent, ergo ab interemptione vnigeniti liberati sunt. Si autem & vnigeniti cæsi sunt, contra sententiã factum est, vt inter primogenitos & vnigeniti morerentur, aut vnigenitos liberabis à pœna, & ridiculus eris, aut si cõfiteberis interfectos, ingratis obtinebimus, & vnigenitos primogenitos appellari. THEODORETVS. Deus autẽ primogenita Aegyptiorũ occidi voluit, propterea quòd Israẽlẽ populũ qui primogenitus dei erat, nimis durè tractarunt. Sciendũ tamẽ est, quòd primogenitus etiã fratres habet, primogenitus enim multorũ est primus. Sciãt itaq; Israëlitæ, ꝙ primus dei populus appellati sunt, Gẽtes verò qui crediderunt, nõ modò salutẽ cõsecutæ sunt, sed & primogenituraꝫ adepti sunt. Populus enim populũ superabit, & maior seruiet minori. HVGO DE SANCTO VICTORE. Factum est autẽ in noctis medio, & cętera, quasi dicat, dominus cõpleuit sicut antè per Moysen promiserat. RVPERTVS. Verũ cùm posset media die cũctis vigilãtibus idẽ fieri, cur potius medio noctis, dormiẽtes placuit interfici? Videlicet vt historicũ quoq; exẽplũ dormitãtibus proficeret, atq; ad vigilandũ eos percelleret, sciẽtes quia quisquis
I exẽplo Aegyptiorũ thesaurizauerit sibi irã, nihilominus exẽplo illorum improuisam accipiet vindictã. Sic enim & vniuersale iudiciũ duris corde & impœnitẽtibus ex improuiso superueniet, tanquã laqueus & tanquã fur. Id circo dominus aduentũ suũ quo perdẽdi sunt impij, mediæ nocti cõparauit. Verbi gratia, cũ in parabola prudẽ-
*Matth. 25.* tium virginũ atq; fatuarũ dicit, Media nocte clamor factus est, ecce ipõsus venit, exite obuiã ei. Sed & ipse media nocte surrexit, atque in exẽplum discretionis piorũ atque impiorũ, pias mulieres angelica visione & allocutione demulsit, impios autẽ ac fatuos custodes exterruit, & velut mortuos magno terræmotu præeũte reddidit.
*Psal. 118.* Proinde per os Psalmistæ sancta Ecclesia dicit, Media nocte surgebã ad confitendũ tibi. Illud enim tẽpus sacris vigiliis & cõfessioni saluberrimæ deputatũ est, vt videlicet domino profunda nocte confitẽtes, commoneamur nos, quatenus illa hora quæ præuideri nõ potest, nõ simus imparati. CAIETANVS. Factũ est autẽ in noctis medio, &c. Intellige noctẽ quintædecimę diei. Nomen domini est tetragrãmaton. Vbi cõsidera, tum quòd percussio attribuitur domino, tum quòd attribuitur ipsi sub hoc nomine, vt intelligamus quòd ipse fons essendi non
K permittẽdo causas secundas facere mala, sed ex intẽtione propria occidit iniquos, siue hoc faciat per causas secundas, siue nõ. Et attribuitur deo huiusmodi primogenitorũ occisio, ad significandũ quòd nõ fuit naturalis, sed miraculosa, propter hoc enim describitur ipse deus transiẽs per Aegyptũ, & transiliẽs domos signatas sanguine, tanquã prælũdẽs Angelo vastatori. AVCTOR CATENAE. Ideo autẽ nocte media percussit dominus Aegyptiorũ primogenita, quia nocturno tempore horribiliora sunt omnia aduersa, q̃ interdiu, dies enim nonnihil cõsolationis affert. RVPERTVS. Grande autẽ flagellũ, & mira cõtinuatio percussionis innuitur, scriptura dicente, *A primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitũ captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorũ.* AVCTOR CATENAE. A primogenito Pharaonis qui in solio eius sedebat. De hoc & in superioribus dictum est. Est enim in Hebræo הַיֹּשֵׁב עַל כִּסְאוֹ Haioseb hal chiso, Sedẽte super solium eius, & refertur communiter ad primogenitũ, vt etiã fecit Interpres, & Septuaginta. Similiter & Chaldaica, quæ declarat quomodo iam tũ sederet, Qui sessurus (inquit) erat super soliũ regni eius. Alij vertũt, A primogenito Pharaonis sedentis super soliũ eius, ita vt ad Pharaonẽ sedentẽ referãt in solio suo. Vsque ad primogenitũ captiuæ: sic legũt Chaldaica
L & Septuaginta: Aliqui tamẽ in genere masculino vertũt, Captiui qui erat, &c. Sunt & qui captiuitatis. Sed vbiq; idẽ est sensus. Regis igitur tã impij primogenitus euadere nõ debebat, qui tot filios fideliũ occidi iusserat. Aequè euadere nõ potuerunt infimæ cõditionis homines, omnes enim pariter à planta pedis ad verticẽ conspirauerãt in fauorẽ tyrãni, & odium Israëlitarũ. Captiua quoque nõ eximitur in carcerẽ dãnata ad molendum pro moregẽtis, quicquid amãtissimũ habebãt Aegyptij, etiã in pecoribus, amiserunt, quia filios dei afflixerãt. Quia ergo nihil carius habetur primogenitis filiis (qui tamẽ, & quicquid appretiari potest in hoc mundo, domino offerendũ est, & præ domino contẽnendum) duriùs plecti nõ poterãt eo tẽpore Aegyptij, quàm primogenitorũ morte, qua tamen pœna nõ emendati, propria sua morte dãnandi erant. *Surrexitq; Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctiq; Aegyptus, & ortus est clamor magnus in Aegypto. Neq; enim erat domus, in qua nõ iaceret mortuus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIO-
*Quæst. 44.* NIBVS SVPER EXODVM. Cũ primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat domus quę M
**non haberet mortuum? An & hoc diuinitùs præscientia dei fuerat procuratum, vt in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Aegyptij? Ab hac sanè plagà non sunt putandi immunes fuisse Aegyptij, qui habitabant in terra Gessen, hominum quippe erant vel animalium, non terræ, id est, homines & animalia primogenita moriebantur occulto & angelico percussu, non aliquid in terra vel in cœlo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ, vnde qui habitabant affligerentur. A talibus enim plagis cùm terra Gessen fuisset aliena, proculdubio perueniebat beneficium ad eos Aegyptios, qui in eadem terra cum Hebræis morabantur, hac verò primogeniti eorum omnes percussi sunt.** HVGO DE SANCTO VICTORE. **Mirum est si in vnaquaque domo fuit aliquis primogenitus. Sed esse potuit in armentis, vel pecudibus, & si in hominibus defuerit, vel cum tali determinatione, in qua scilicet esset primogenitus, non erat domus, &c. Vel forsitan dominus tunc ita fecerat, vt in omni domo esset aliquis primogenitus**



A nitus. CAIETANVS. Quòd si adhuc miraris in qualibet domo inuẽtum primogenitũ, responderi posset, appellatione primogeniti apud homines intelligi non solũ eum qui primùm natus est, sed etiã eum qui primo nato mortuo, succedit in iuribus primogeniti. AVCTOR CATENAE. Nocte igitur media surgit Pharao terrore perturbatus, nunc perquisiturus seruos dei, quos iam antè eiecerat, & interdixerat aulæ. Sic dominus impios humiliat & superbos. Occupabãtur Aegyptij in sepultura charissimorum pignorum, misera necessitate cõpulsi, qui filios Israël perditos ad vnum voluissent. *Vocatĕsque Pharao Moysẽ & Aaron nocte, ait: Surgite, egredimini à populo meo, & vos & filij Israel.* RVPERTVS. Si nocte vocatis Moyse & Aaron hæc dixit, quomodo illud, quod suprà dictum est, nullus vestrũ egrediatur ostium domus suæ vsque mane, iuxta literã stabit? Sed fuerit hoc illis mane, quod vocati exire compulsi sunt, transacta iam media nocte, & aspirante præsentis lætitiæ luce. Cæterùm illi manifestè hanc legem transgressi sunt, qui qua nocte agnum eodem ritu immolauerant, exierunt ad compre
B hẽdendum dominũ Iesum. Vnde & eos scriptura Prophetica in vno traditore qui cùm accepisset buccellã exiit *Ioan. 13.* continuò, cùm esset nox, sic occultè quidem, sed grauiter accusat, Cor eius congregauit iniquitatem sibi, & egre- *Psal. 40.* diebatur foras. GRAECVS. Complures quæsierunt cùm in superioribus Moyses dixerit, Non videbo vltrà faciem tuam, nunc ad Pharaonem venerit. Tunc tanquam Pharaoni obtemperans, ait, Dixisti, quasi diceret, quòd dicis facio, & nunc vocatus, propemodum dicens, Dixisti, ecce iterum videbo faciem tuam tanquam regi ausultans. AVCTOR CATENAE. Voluere tamen nonnulli, quòd hæc Moysi & Aaron vocatio facta fuerit à Pharaone per internuncios, per quos etiam eis quòd recederent nunciauerit, ne ipsi contra id quod suprà dixerant non se vltra visuros faciem eius, fecisse videantur, tanquam inconstantes & mutabiles. *Ite, & immolate domino sicut dicitis, oues vestras & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.* INTERLINEARIS. Id est, gratias agite. RVPERTVS. Tandem duri cordis Aegyptius rex molle aliquid locutus est. Et quidem suprà quoque semel & iterum dixit, peccaui, sed non dixit, abeuntes ignoscite mihi: nunc autem, etiam abeun-
C tes (inquit) benedicite mihi. CAIETANVS. Hoc est, non solùm gratificate pro benedictione vestri, sed etiam pro benedictione mei. AVCTOR CATENAE. Ite, & immolate. Vel: Ite, seruite, Nulla etiam coniunctio intercedit apud Hebræos. Sicut dicitis: כְּרַבְּרְכֶם Chedabberchem, Iuxta verbum vestrum. Sed idem est cum nostra litera. Quod etiam ait, Vt petieratis, in Hebræo est כַּאֲשֶׁר דִּבַּרְתֶּם Caaser dibbartem, Sicut dixistis: vel vt est in Chaldaica, sicut dicebatis. Sed hoc parum est. Et abeuntes benedicite mihi. In Hebræo est גַּם Gam, etiã, Et benedicite etiam mihi. Pro quo Chaldæus Paraphrastes habet, Orate etiã pro me, Ne scilicet moriar. Sic itaque qui toties mortem minabatur sanctis, nunc suppliciter vocatos exaudit pro voto, largitúrque affatim quicquid optauerant, anxiúsque precatur, vt dominũ pro se orent. Arma dei ineuincibilia sunt terror & tremor, quibus tyrannos prostrare consueuit. *Vrgebántque Aegyptij populum Israel de terra exire velociter, dicentes, Omnes moriemur.* CAIETANVS. Hinc & ex subiunctis in hoc eodem capite apparet, quòd non obstante mandato Moysi vt nullus egrederetur domũ vsque mane, vrgentibus Aegyptiis cœperunt eadem nocte versus diem egredi. AV-
D CTOR CATENAE. Vrgebántque Aegyptij, &c. Verba Hebraica וַתֶּחֱזַק מִצְרַיִם עַל הָעָם לְמַהֵר לְשַׁלְּחָם מִן הָאָרֶץ Vatechezak mizráim hal haham, lemaher leſallecham min haarez, Et inualescebat, seu præualescebat (id est, vim faciebat) Aegyptus super populum ad festinandum dimittere illos, vel, vt velociter emitterent eos de terra. Hebraica phrasi, pro, totis viribus Aegyptij vrgebant populum, vt maturè discederent ab Aegypto. Chaldaica, Præualescebántque Aegyptij super populum, vt citò mitterent eos de terra. Alij vertunt, Et fortiter egerunt Aegyptij contra populum, vt festinanter emitterent eos de terra. Alij etiam, Et vim fecit Aegyptus populo festinãdo emittere eos de terra. Quæ omnia idẽ dicunt cũ Latina litera. Septuaginta, καὶ κατεβιάζοντο οἱ Αἰγύπτιοι τὸν λαὸν σπεύδειν ἐκβαλεῖν αὐτοὺς ἐκ τῆς γῆς, Et vrgebãt Aegyptij populũ festinãter eiicere eos ex terra. Vt sit sensus, quòd nobiles & principes Aegyptij, populũ Aegyptiorum vrgebãt vt cõpelleret Israëlitas ad velociter recedendũ. Dicentes, Omnes moriemur. In Hebræo habetur: כִּי אָמְרוּ כֻלָּנוּ מֵתִים Chi amru cullánu methim, Quoniã dixerũt, Omnes nos mortui sumus, Sed hæc omnia idẽ sunt. Vrgebat sanè Aegyptius populus Israëlitas, ideo
E iussi erãt festinãdo pascha comedere, & azymis tantũ vesci, ac assis carnibus. Sic fide stabiles à domino protegũtur, longéq; maiora beneficia assequũtur, quàm sperasse poterãt. *Tulit igitur populus cõspersam farinã antequã fermẽtaretur, & ligans in palliis, posuit super humeros suos.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Nõ ex præcepto dei hoc factũ est, vel ex articulo tẽporis, vt quidã falsò existimant, cũ Hebræi iam longè antè didicerant se illo die exituros ex Aegypto: Sed secundũ consuetudinẽ terræ illius, in qua farina conspergi solet, & ita reseruari, vt quotidie panis coquatur quantũ opus est. CAIETANVS. Discerne prudẽs lector inter azyma præcepta, & azyma necessitatis. Nã azyma in cœna agni paschalis fuerũt ex præcepto diuino, azyma autẽ subsecuta in recessu, fuerũt necessitatis. Sed in anniuersaria memoria, azyma septẽ dierũ sunt ex præcepto diuino in memoriã egressus de Aegypto in azymis. AVCTOR CAT. Tulit igitur popul⁹ cõspersam farinã. Hebraica dictio בָּצַק Bazek, à Bazak verbo descendit, quod subtritũ, siue attritũ esse significat. Est autẽ Bazek massa vel pasta, eo quòd fit terẽdo manibus vel
F pedibus. Vnde hoc in loco nil aliud quã massam dicit ex qua & farina confectã. Vnde pastã suã verterũt aliqui, Nonnulli, massam farinaceam aqua subactam. Alij, conspersionem suam. Septuaginta, ὃ σῶς ἀυτῶν, Farinam suam. Chaldaica, Massam suam. Quæ omnia idẽ significant. Et ligans in palliis, posuit super humeros suos. Hebraicè est: מִשְׁאֲרֹתָם צְרֻרֹת בְּשִׂמְלֹתָם עַל שִׁכְמָם Misarotham zeruroth besimlotham hal sichmam. Pro quo sciendum, dictionem searoth descendere à verbo saar, quod reliquũ esse significat, & propriè significare reliquias ciborum. Potest tamen capi etiã pro cibis. Alij significare volũt panaria, id est, vasa in quibus seruatur massa conspersa. Nõnulli, pro ipsa cõspersione & farina subacta, hoc est, pasta accipiũt. Hinc factũ quòd varia sit loci versio. Quidã enim reddunt, cibos suos ligatos in vestibus super humerũ suum. Vt sit appositio ad massam de qua dixerat, videlicet quòd esset futura pro cibo, quam ligauerunt in vestibus quas super humeros deferebãt in recessu. Alij, Panaria sua inuoluta vestibus super humerũ suum, vertunt, vt tamen continens sit pro contẽto, quasi dicat conspersiones suas cõspersas. Demum alij, Cõspersiones suas, vel pastas suas (id est, farinas subactas) ligatas in ve-

ſtimẽtis ſuis. Septuaginta, πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι τὰ φυράματα αὐτῶν, ἐνδεδεμένα ἐν τοῖς ἱματίοις αὐτῶν ἐπὶ τῶν ὤμων, Antequã fermentarentur maſſæ eorũ, ligatæ in veſtibus eorũ ſuper humeros. Chaldaica, Sicut erat in panariis (refert enim maſſam ſuã de qua priùs) ligatam in palliis ſuis, ſuper humeros ſuos impoſitam. Vides autem in tanta varietate quomodo nulla verſio non concordet cum Latina editione. *Fecerunq; filij Iſrael ſicut præceperat dominus Moyſi, & petierunt ab Aegyptiis vaſa aurea & argentea, veſtemq; plurimam.* RVPERTVS. Sic intelligendum eſt, petierũt ab Aegyptiis, ac ſi diceretur, quæ petierãt aſportauerunt. CAIETANVS. Veſtémq; plurimam. Interpres addidit plurimã. Nam iuxta Hebræum habetur, & veſtes. Et vbi dicitur, ſicut præceperat dominus Moyſi, habetur, ſicut verbũ Moyſi. Nec intelligas hoc tunc factũ in illo impetu, ſed narrari factum prius, ex eo tunc impetu ille effectus ſecutus eſt expoliationis Aegyptiorum. Aegyptij ſiquidem obliti eorum quæ cõmodauerant Iſraëlitis, impellebant eos vt recederẽt, & ſic receſſerunt cum rebus Aegyptiorum, quas cõmodauerãt eis. AVCTOR CATENAE. Sicut præceperat dominus Moyſi. Hebraicè eſt כִּדְבַר מֹשֶׁה Chidbar Moſe, Iuxta, vel ſecundũ verbum Moyſi. Sic Chaldaica. Septuaginta, καθὰ συνέταξεν αὐτοῖς μωϋσῆς, Sicut præcepit eis Moyſes. Sed hoc parum eſt. Nam verbum Moyſi, dei erat præceptum. Sequitur, Veſtemq; plurimã. Hebraicè eſt וּשְׂמָלֹת Vſmaloth, Et veſtes. Sic Chaldaica: ſic & Septuaginta, καὶ ἱματισμόν, Et veſtẽ. Intellexit autem Interpres per veſtes in numero plurali id, quod ipſe expreſsit per veſtem plurimã in ſingulari. *Dedit autẽ dominus gratiam populo coram Aegyptiis, vt commodarent eis, & ſpoliauerunt Aegyptios.* PHILO IVDAEVS. Poſt primogenitorũ Aegypti internetionem Hebræis expulſis generoſi ac nobilis generis ſui in mentem venit, atque ob id præclarum facinus quale liberos decet auſi ſunt. Multã prædam aſportarunt, partim ipſimet gerendo, partim verò iumentis imponendo, neq; id aut auaritia, aut alienæ rei cupiditate adducti fecerũt, ſed primum ob diuturnã ſeruitutem, quam Aegyptiis ſeruierunt, neceſſariã mercem referentes, deinde vt talionem rependerent, neque tamen par pari referẽtes, neque enim libertatis priuatio cum pecuniarum iactura comparari poteſt, cum pro libertate tuenda hi qui ſanẽ mentis ſunt, non tantũ facultates, ſed & vitã ipſam proiicere non recuſent. IRENAEVS ADVERSVS HAERESES I LIBRO QVARTO. *Cap.49.* Qui exprobrãt & imputãt quod profecturus populus iuſſu dei, vaſcula omnis generis, & veſtimẽta acceperit ab Aegyptiis, & ſic abierit, ex quibus tabernaculũ factũ eſt in eremo, ignorãtes iuſtificationes dei & diſpoſitiones eius, cogitent obſecrò, quòd Aegyptij populi erãt debitores non ſolũ rerũ, ſed & vitæ ſuæ propter Patriarchæ Ioſeph præcedentẽ benignitatem. Nobis autem ſecundũ quid debitores ſunt Ethnici, à quibus & lucra, & vtilitates percipimus, quæcunq; illi cum labore comparant, his nos in fide cum ſimus ſine labore vtimur. Adhuc populus peſsimã ſeruitutem ſeruiebat Aegyptiis, quemadmodũ ſcriptura ait, Et cùm vi poteſtatem exercebãt Aegyptij in filios Iſraël, & in odium eis adducebãt vitã in operibus duris luto & latere, & omnibus operibus quæ fiebant in campis, per omnia opera quibus eos deprimebãt cum vi. Et ędificauerunt eis ciuitates munitas multum laborãtes, & augentes eorũ ſubſtantias annis multis, & per omnem modum ſeruitutis, cùm illi non ſolùm ingrati eſſent aduerſus eos, verũ & vniuerſos eos perdere velient. Quid igitur iniuſtè geſtũ eſt, ſi ex multis pauca ſumpſerunt, & qui potuerunt multas ſubſtãtias ſuas habere, ſi non ſeruiſſent eis, & diuites abire, pauciſsimã mercedem pro magna ſeruitute accipientes inopes abierunt? Quemadmodũ ſi quis liber abductus ab aliquo per vim, & ſeruiens ei annis multis, & augens ſubſtantiã eius, poſt inde aliquod adminiculum conſecutus, putetur quidem modica quædã eius habere, re vera autem ex multis laboribus ſuis & ex acquiſitione magna, pauca percipiens diſcedat, & ex hoc ab aliquo imputetur ei quaſi non rectè fecerit, ipſe magis iniuſtus iudex apparebit ei, qui per vim in ſeruitium fuerit deductus. Sic ergo ſunt huiuſmodi qui imputant populo pauca de multis laboribus accipienti ſibi, & ipſis non imputant qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imò & in grauiſsimam ſeruitutem redigentes, maximam ab eis conſecuti ſunt vtilitatem. *Quæſt. 45.* AVGVSTINVS. Dedit autem dominus gratiam populo, &c. Iam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorũ Aegyptiorum, ſed nunc per recapitulationẽ repetitur, non narratum eſt, quãdo factum eſt. Modò enim fieri quomodo poſſet, vt in tanto luctu ex mortibus ſuorum accõmodarent iſta filiis Iſraël? Niſi fortè quis *1.par.cap. 37.* dicat etiã iſta plaga non fuiſſe percuſſos Aegyptios, qui cum Hebræis inhabitabant terrã Geſſen. PROSPER. Iubet igitur deus Moyſi ſic fieri, vt ab Aegyptiis Hebræi vaſa aurea, & argentea, & veſtẽ poſcerẽt, quibus ſublatis expoliarent Aegyptios cõmodantes, vrgente neceſsitate primæ amiſſæ ſobolis. Sibi quoq; dum metuunt ocyùs *Pſal.77. & 104.* Hebræos, cũ vniuerſis quæ dederunt, pepulerunt, vt redderetur iuſtis (ait Propheta) merces laborũ illorum. Duas enim *Sap.10.* Aegyptiis conſtruxerunt ciuitates, pro quibus ſpolia illa non ſunt furto ablata, ſed merces eſt reddita. BERNARDVS DE PRAECEPTO ET DISPENSATIONE. Neceſſarium quod inuiolabile nominaui præceptum, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed diuinitùs promulgatum: niſi à deo qui tradidit mutari omnino non patitur, vt exẽpli cauſa, Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis ſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquã hominum ex his aliquo modo ſoluere aut licuit, aut licebit: dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit, ſoluit, ſiue cum ab Hebræis Aegyptios ſpoliari, ſiue quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum vtique alterũ, quid niſi graue furti facinus, alterũ quid niſi flagitij turpitudo reputaretur: ſi non excuſaſſet vtrũq; factum auctoritas imperantis? Sanè vbi ſimile aliquid aliquando à ſanctis hominibus fuiſſe legitur vſurpatum, ſcriptura non indicante quòd deus ita præceperit, aut eos peccaſſe fatendũ eſt, ſicut homines, aut certè ſicut Prophetas familiare dei cõſilium accepiſſe. Vnde & vnum exemplum pono quod occurrit de Sanſone, qui ſeipſum *Iudic.16.* vnà cum hoſtibus opprimens interfecit. Quod vtique factum ſi defenditur non fuiſſe peccatum: priuatum habuiſſe conſilium indubitanter credendus eſt, etſi de ſcriptura hoc non habemus. AVCTOR CATENAE. Dedit autem dominus gratiam populo coram Aegyptiis, hoc eſt, reddidit illis populum ſuum gratum. Aegyptiorum admirabilis erat gratia, & fauor ſubitaneus, ob mortis timorem domino eam incutiente ad Iſraëlitas, vt ablatio rerum precioſarum ad præceptum domini mirabilior appareat circa ſuos fideles. Sed quæritur, quæ nominum dei genera ex hoc miraculo illuſtrentur? Ac primum quidem agnoſcitur ex hoc miraculo omniſcientia dei. Nam cùm primogenita tantùm & hominum & iumentorum Aegyptiacorũ, non item ſecundò aut tertiò





A tertiò genita occidãtur, manifeſtè declaratur, proprietates & diſcrimina humanarũ non tantùm rerum, verũ etiã beſtiarum, adeóque omnium creaturarum, domino deo noſtro optimè cognita eſſe. Deinde reuelatur hoc miraculo omnipotentia dei. In vna nocte vno verbo, occidit tot primogenita in Aegypto. Quis ergo deum tam potentẽ non timeret? Ad hæc declaratur hoc miraculo ſeueritas dei erga impœnitẽtes. Hactenus enim multis ſuppliciis affecit deus Aegyptios, quod ad verbũ dei, non dimitterent Iſraëlitas. Cùm autem nondum reſipiſcerent, occidit primogenita eorũ, vt palã fiat, impœnitentes non liberari à ſuppliciis externis, niſi aut reſipiſcãt, aut perpetuò pereãt. Quis ergo ad tantã ſeueritatem dei in ſuppliciis non reſipiſceret? Præterea reuelatur hoc miraculo clementia & miſericordia dei, non ſolũ erga Iſraëlitas, quorum primogenitis parcit, verùm etiã erga Aegyptios, quorũ primogenita tantùm occidit, cùm tamen potuerit ad vnũ omnes Aegyptios perdere. Atque hoc illud eſt quod Propheta ait, Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Poſtremò obſeruatur etiam ex hoc miraculo
B veritas verbi dei. Promiſit deus verbo ſuo Iſraëlitis liberationem, tam à cæde primogenitorũ, quàm à ſeruitute Aegyptiaca. Hanc autem promiſsionem deus maiori admiratione implet, quàm quiſque ratus erat. *Abac.3.*

HIERONYMVS IN ESAIAM. Spiritaliter autẽ, quia veſpera noctis & tenebrarũ principiũ eſt, omnis qui habet initium peccatorũ, verſatur in veſpera. Qui autem venit ad ſummũ, in media nocte conſiſtit. Vnde & in Aegypto primogenita in media nocte cæduntur. Et Apoſtolus Petrus, antequã gallus cantet, ter dominũ negauit: quod media nox intelligitur. Poſtquã autem nox præceſsit, & cœpit dies appropinquare, ſuperatis mediæ noctis tenebris, & gallo lucis nũcio reſonãte, fleuit amarè, & intellexit peccatum ſuũ: & eo tempore dicere potuit, Ad veſperã demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. ORIGENES. Ad vltimum primitiuorũ infertur interitus, in quo ſit fortaſſe aliquid ſupra noſtrã intelligentiam, quod cõmiſſum ab Aegyptiis videatur in Eccleſia primitiuorum, quæ adſcripta eſt in cœlis. Vnde & exterminator Angelus ad huiuſmodi miniſterium mittitur, qui parcat illis tantùm, qui vtroſque poſtes agni ſanguine inuẽti fuerint habere ſignatos. Delentur interim *Myſticè. Cap.21. Matth.26. Pſal.29.*
C primogenita Aegyptiorũ, ſiue hos principatus & poteſtates & mundi huius rectores tenebrarũ dicamus, quos in aduentu ſuo Chriſtus dicitur traduxiſſe, hoc eſt, captiuos duxiſſe, & triumphaſſe in ligno crucis, ſiue inuentores falſarũ, ſiue auctores quæ in hoc mundo fuerunt religionũ dicamus, quas Chriſti veritas cum ſuis extinxit & deleuit auctoribus. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS. In decima ergo plaga in qua primogenita percutiũtur, aut ſpiritales nequitiæ, aut originalia peccata intelligi poſſunt, quæ veniente Chriſto, per myſteriũ crucis, & gratiã baptiſmi, deleri vel extingui manifeſtiſsimè comprobãtur. PROSPER. Decima plaga Aegyptiorum, eſt omniũ primogenitorũ mors. Et decimũ mandatum eſt in lege, Non concupiſces vllã rem proximi tui. Primitiuã verò eſſe concupiſcentiã malam Pharaoni diabolus illo oſtendit, quòd & ipſe cõcupiuit eſſe quod non erat. Et Adam, quẽ cupiditas præcipitauit in mortem. Vitia verò angelorum eius, per quem mors introiuit in orbem terrarum, in primitiuis Aegyptiorũ in hoc mundo tanquã in Aegypto, dux noſter interfecit, dum nos docet renũciare diabolo, pompis, & Angelis eius, vt vbi abundauit peccatũ, ſuperabundet gratia. ORDINA- *Ser.87. 1.par.cap. 36. Eſa.14. Gen.3.*
D RIA. Iurè ergo in primogenitis tuis puniris, qui cupiendo res alienas, quaſi iuris vmbrã perquiris, & quæ meliora ſunt cordis. Primogenita quidẽ fides eſt. Nemo enim bona facit, in quo fides non præceſsit. Omnia opera bona ſunt filij ſpirituales, ſed inter hos primogenita fides. Quiſquis ergo rem occultè cupis alienã, interius fidẽ perdis occidendo ipſam. Seruis enim non charitate, ſed fraude, velut amãs eum, quẽ mori deſideras vt ſuccedas. AVCTOR CATENAE. Patriarcharum primogeniti pro maiori parte à iure primogenituræ excluſi ſunt, & poſteriores iuxta carnem aſciti in eorum locum, exempla ſunt Seth, Iacob, Iudas, & Ephraim. Hoc ſpiritaliter nobis indicat, quòd naturæ noſtræ per peccatum corruptæ, niſi dei gratia reformetur, opera mala ſunt, quæ tamẽ ab ipſa corruptione procedunt. Non igitur egrediemur Aegyptũ, nec iter arripiemus ad promiſsionis terrã, niſi prius Aegyptiaci primogeniti noſtri, nempe affectus carnis occidantur. Non enim prius eſt quod ſpirituale, ſed quod carnale, idipſum autẽ occidẽdum fidelibus. RVPERTVS. Clamor autẽ magnus qui ortus eſt in Aegypto, ſalubriter in interiori auditu fatigat nos, vt nõ dormiamus ſicut Aegyptij, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.
E Qui enim dormiunt (inquit Apoſtolus) nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt. AVCTOR CATENAE. Quòd autem nulla fuerit domus in Aegypto, in qua nõ iaceret mortuus, quid nobis indicat aliud, quàm quòd in regno diaboli tyrannico in peccatis mortui ſunt omnes. Sancti autẽ viuunt & regnant in ſyncera ac pacata cõſcientia, diem domini cum deſiderio præſtolãtes. RVPERTVS. Ait deinde ſcriptura, quòd vocatis Pharao Moyſe & Aaron nocte, ait illis, ſurgite, egredimini à populo meo vos & filij veſtri: Ite, immolate domino ſicut dicitis. Oues veſtras, &c. Nunquid non & hoc futurũ erat, vt ille ſuperbus cuius hic typum gerebat, mollia loqueretur? Nempe ſic de illo dominus ad beatũ Iob loquitur, dicens, Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur ad te mollia? Quis enim dubitet, quòd ei mollia locutus fuerit infernum ſpolianti, cùm adhuc in corpore viuenti clamauerit, dicens, Quid tibi & nobis Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos, ſcio quis ſis, ſanctus dei. Nec enim fruſtra Propheta dicit in eum, Tu humiliaſti ſicut vulneratũ ſuperbum. Nã ſicut ſuperbus, quãtumuis ante percuſsionẽ *1.Theſſ.5. Iob.40. Luc.4. Pſal.88.*
F ſtet rigidus, ſub ictu tamen vulneris à tumore deſcendit, verba deponit, ceruicẽ demittit, ſic ſuperbiæ rex diabolus, quantumlibet antea vt fortis armatus confidẽter locutus ſit, vbi tamen fortiorem ſentit, arma depoſuit, ſpolia reddidit, & mollia nõ ex pietate, ſed præ dolore locutus eſt, & adhuc in extremo iudicio molliora cum omni corpore ſuo locuturus ipſe caput iniquorum. Sed non parcam ei (inquit dominus) verbis potẽtibus, & ad deprecandum compoſitis, quia videlicet ſera & indigna pœnitentia eſt, quam cruciatus extorquet. Hæc idcirco dicta ſint, ne laudãtium dominũ dignę admirationi, pulcherrimũ illud deſit miraculũ, quòd agnus exiguus vicit, & contriuit leonẽ maximũ, preſsitq; os ſuperbi, vt molle proferret eloquiũ. INTERLINEARIS ET AVCTOR CATENAE. Exeũtes autem de Aegypto filij Iſraël, farinã conſperſam ſecum deferunt, in palliis ligatã, ac ſuper humeros impoſitã. Nempe quia fideles ſine fermento malitię & nequitiæ, ſed cum azymis ſynceritatis & veritatis, ac fidei munimentis, & operum exercitatione, exeunt mundũ, phaſe æternum celebraturi in patria promiſsionis. ISIDORVS. Sed & hoc à nobis modis omnibus ſi fieri poteſt, elaborandũ eſt, vt exeuntes à ſeculi huius illecebris, in noui hominis conuerſatione viuamus, relicto priſtino homine cum actibus ſuis. *Matth.12. Iob.41.*

Cap.91. IDEM ET AVGVSTINVS VIGESIMO SECVNDO CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM. G
Præcepit dehinc populo dominus per Moysen, vt ab Aegyptiis sibi commoda peterent, quæ auferrentur. Sicque Moyses & populus proficiscẽs, auro & argẽto spoliauit Aegyptios iussu domini dei, nihil iniustè iubentis. Quid ergo hæc præfigurauerunt, nisi quòd in auro & argento ac veste Aegyptiorum, significatę sunt quædam doctrinæ, quæ ex ipsa consuetudine gentium, non inutili studio discuntur? Siue per hoc significatum est, quòd ex ipsis
Parte 1. gentibus pretiosæ animæ tanquam vasa aurea & argentea, cum suis vtique corporibus, quod vestes significant,
Cap.37. adiungunt se populo dei, vt simul de hoc seculo tanquam de Aegypto liberẽtur. PROSPER. Sanè expoliatos Aegyptios à nostris hac ratione colligimus, quòd omnis mundialis scientia, qua inflati super ea superbiebãt, moralisque sapientia transiit ad Christũ, vt eam humilis recta fide possideat, populúsque iurè superbus amittat.
GREGORIVS NYSSENVS. Oportet nos qui talem ducẽ Moysen, id est, Christum sequimur, nõ omino pauperes esse, nec diuitiarum Aegypti expertes, nec penuriam eorum pati, quæ alienigenis pulchra sunt, sed H
mutuò ab ipsis accipere, ac apud nos retinere. Quod præcepto Moysi tunc in Aegypto populus fecit, nõ quia precia magnæ longæq; seruitutis exigenda putaret, non enim in mendacio exigenda erant. Mendacij quippe reus est, qui non restituit aliena, quæ restituendi fide interposita sibi commissa sunt. Sed quia nos ea re instruere voluit non esse negligenda bona indignè ab alienis possessa: indigni possessores auri atque argenti erant Aegyptij, decipiuntur ab Hebræis mutuò petentibus, quæ redditurí non erant, vt quæ dei sunt, ab indignis auferant ipsi, deo postea ad constructionem tabernaculi oblaturi. Quo Hebręorum facto nos monemur, non esse negligendas doctrinarum diuitias, quas gentes possident: Moralem, naturalémque Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Musicam, Dialecticam, cęteráſque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent, accipere ab illis, ac illos abutentes priuare si possibile est, & in meliores vsus transferre iubemur. AMBROSIVS IN PSALMVM
CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Aliter. Exultat qui habet verbum dei. Habet enim spolia
multa quæ Iudæis abstulit, habet prostrati hostis exuuias. Sicut Dauid abstulit Goliæ gladium, & ipsius gladio I
caput eius execuit, sic verus Dauid humilis atque mansuetus dominus Iesus, intelligibilis Goliæ caput armis ipsius amputauit. Arma enim diaboli gentes erant, fide autem gentium vulneratus, caput quod habebat amisit. Distracta sunt spolia prostrato, vasa eius direpta, quia alligatus est fortis. Vas diaboli caro erat hominis peccatoris, sed postea quàm in Christũ credimus, caro nostra cœpit esse vas electionis, vt habes de Apostolo Paulo, qui
Act.9. ad gentes missus est, dictum à domino Iesu ad Ananiam: Vade quoniam vas electionis mihi est. Meritò ergo
Esa.8. vocatum nomen est Christi, Velociter spolia detrahe, diuide citò, quia priusquam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ contra regem Aegyptiorum. Ergo rex Assyriorũ eorum scilicet quos vanos sua perfidia fecerat, amisit spolia quæ tenebat. Et vt iterum cognoscas, quia spolia Christus à diabolo, quæ in Adam ille inuaserat vendicauit, & Saba dona adduxit, viri excelsi ad dominũ Iesum alligati vinculis transierunt, atque illum cœperunt adorare, quia captiuam duxit captiuitatem: ideo caput eius abstulit, vt ipse caput esset corporis interempti. Meritò nunc gentes toto orbe caput regale circunferunt, quia mem- K
bra sunt Christi. Cognouisti de nationibus, cognosce etiam de Iudæis, quibus dominus Iesus abstulit spolia, hoc est, regnum cœlorum abstulit, & dedit genti facienti fructum eius. Abstulit virtutem panis, & virtutem aquæ, Prophetam & admirabilem consiliarum, & prudentem architectum, & sapientem auditorem. Illis abstulit, nobis dedit. Meritò exulto, sicut qui inuenit spolia multa. Sine labore meo inueni spolia quæ non habebã. Inueni heptateucum, inueni regnorum libros, inueni prophetarũ scripta, inueni Esdram, inueni Psalmos, inueni Prouerbia, inueni Ecclesiasten, inueni Cantica canticorum, inueni admirabilem cõsiliarum Christum, inueni Paulum prudentem architectum, inueni sapientem auditorem populum Christianum, qui nouit ea quæ leguntur audire. Ille enim audit qui ea quæ audit intelligit. Lex spiritalis est. Non illam audit Iudæus qui audit corporaliter, sed ille audit, qui audit in spiritu. Habent illi libros, sed sensum librorum non habent. Habẽt Prophetas, sed non habent quem illi prophetauerunt. Quomodo enim habent, quem non receperunt? Ideóque cum Moyse & Helia mihi apparuit, quia ab illis recesit. Multa habet spolia, qui habet dei verbum. Habet resurrectionem, habet iusti- L
tiam, virtutem, atque sapientiam, habet omnia, quia omnia in ipso constant. Hebræi spoliauerunt Aegyptios, & vasa eorum abstulerunt. Iudæorũ spolia habet populus Christianus, & totum habemus quod illi habere senesciebant. Illi aurum & argentum materiale abstulerunt, nos aurum mentis accepimus, nos acquisiuimus cœlestis sermonis argentum.

Mystice. ORIGENES. Et hæc quidem de decem plagis quantum ad locum mysticum spectat. Iam verò si etiam moralis nobis figura tractanda est, dicemus, quòd vnaquæque anima in hoc mundo, dum in erroribus viuit, & ignorantia veritatis, in Aegypto posita est. Huic si appropinquare cœperit lex dei, aquas ei vertit in sanguinem, id est, fluidam, & lubricam iuuentutis vitam, conuertit in sanguinem veteris, vel noui Testamenti. Tum deinde educit ex ea vanam & inanem loquacitatem, & aduersum dei prouidentiam ranarum similem querelã. Purgat etiam malignas cogitationes eius, & cyniphium mordacitatem similis calliditatis aculeos discutit, libidinum quoque morsus cynomyę spiculis similes depellit, stultitiámque in ea, & intellectum pecudibus similẽ delet, per M
quam homo cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Arguit enim & vlcera peccatorum, atque arrogantiæ tumorem, feruorémque in ea furoris extinguit. Adhibet post hæc etiam voces filiorum tonitrui, id est, euangelicas apostolicásque doctrinas. Sed & castigationem grandinis admouet, vt luxuriam, voluptatẽsque coërceat. Adhibet simul & ignem pœnitentiæ, vt & ipsa dicat, Nónne cor nostrum ardens erat intra nos? Nec locustarum ab ea subducit exempla, quib⁹ mordeantur, & depascantur omnes inquieti motus eius, & turbidi: quo & ipsa dicat, quòd Apostolus docet, vt omnia sua secundum ordinem fiant. Vbi verò sufficienter fuerit castigata pro moribus, & pro emẽdatioris vitæ correptione coërcita, cùm auctorem verberum senserit, & confiteri iam cœperit quia digitus dei est, & parum quid agnitionis acceperit, tunc præcipuè gestorum suorum tenebras videt, tũc errorum suorum caliginem sentit. Cúmque in hoc venerit, tunc merebitur vt extinguantur in ea primogenita Aegypti. In quo tale aliquid intelligi posse arbitror.

Omnis



A Omnis anima cùm ad supplemẽtum ætatis aduenerit, & velut naturalis in ea quædã lex cœperit sua iura defendere, primos sine dubio motus, secundum desideriũ carnis producit, quos & concupiscentiæ vel iræ fomite vis incentiua commouerit. Vnde quasi præcipuum, & quod non fit commune cum cæteris hominibus, de solo Christo Propheta dicit, Butyrum & mel manducabit, priusquam faciat aut proferat maligna eligit bonum. Quoniã priusquam sciat puer bonum, aut malum, resistit malitiæ, vt eligat quod bonum est. Alius autem Propheta tanquam de semetipso loquens, dicebat: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Quia ergo primi isti animæ motus secũdum carnem prolati, in peccatum ruunt, meritò in morali loco Aegyptiorum primitiua ponuntur, quæ eatenus extinguũtur, si reliquæ vitæ conuersatione emendatiorem dirigat cursum. Sic ergo in anima quam lex diuina ab erroribus susceptam castigat, & corrigit, etiam primogenita Aegyptiorum intelliguntur esse deleta, nisi posthæc omnia in infidelitate perduret, & nolit adiũgi Israëliticæ plebi, vt exeat de pro-
B fundo, & vadat incolumis, sed in iniquitate permaneat, & descendat tãquam plumbum in aquam validissimã. Iniquitas enim secundum Zachariæ prophetæ visum, super talẽtum plumbi sedet. Et ideo qui permanet in iniquitate, tanquam plumbum demergi dicitur in profundum.

RABANVS. Possunt præterea & hæ decem plagæ quibus Aegyptus verberata est propter Israëlitas, Ro- Mystice.
mani regni comparari temporibus, quia hæc in figuram nostri facta sunt. Vterque populus, id est, Israëliticus & Christianus, vnius dei est, vna populi vtriusque causa. Subdita fuit Israëlitarum synagoga Aegyptiis, subdita Christianorũ Ecclesia Romanis: persequuti sunt Aegyptij, persequuti sunt & Romani. Decem ibi contradictiones aduersus Moysen, Decem hîc editæ aduersus Christum. Diuersæ enim plagæ Aegyptiorum, diuersæ hîc calamitates Romanorum. Nam vt etiam ipsas inter se plagas (inquantum tamen figura formæ comparari potest) conferam. Ibi prima correptio habuit sanguinem vulgo, vel emanasse de puteis, vel in fluminibus cõcurrisse: hîc prima sub Nerone exigit plaga, vt vbique morientium sanguis esset, vel morbis in vrbe correptus, vel bellis in
C orbe profusus. Ibi sequens plaga prodit perstrepentes persultãtésque in penetralibus ranas, inediæ propemodum causam habitatoribus atque exitij fuisse: hîc sequens sub Domitiano pœna, similiter quãdo satellitum militúmque eius improbis effrenatísque discursibus, cruentissimi iussa principis exequentium, ad inopiam penè omnes Romanos ciues adactos, exilióque dispersos coegit. Ibi tertia vexatio habuit cyniphes, musculas scilicet paruissimas sæuissimásque quæ mediis sæpe æstibus per loca squalida coadunatim vibrando densatæ, & in illo volatu adlabi solent, capillísque hominum ac pecudum setis cum vrente morsu inferri: Hic itidem sub Traiano Plaga Iudæos excitauit, qui cum antè vbique dispersi, ita iam quasi non essent quiescerent, repentino quoque calore permoti, in ipsos, inter quos erant, toto orbe sæuierant, absque immanibus multarum vrbium ruinis, quas crebri terræ motus iisdem temporibus subruerunt. Ibi in quarta plaga muscæ caninæ fuerunt, sæuæ alumnæ putredinis, vermiúmque matres: Hic itidem quarta sub Marco Antonio plaga, lues plurimis infusa prouinciis, Italiam quoque cum vrbe Roma vniuersam, exercitúmque Romanorum per longinquos limites in diuersa hyberna di-
D sperſum, morte dissolutum, putredini simul ac vermibus dedit. Ibi quinta correptio pecorum ac iumentorum repẽtino interitu expleta est: Hîc similiter quinta vltio sub Seuero persequutore, creberrimis ciuilibus bellis, propria viscera & adiumenta reipublicæ, hoc est, plebes prouinciarum, & legiones militum cõminutæ sunt. Ibi sexta vexatio intulit vesicas efferuescentes, vlceráque manantia: Hîc æquè sexta punitio quæ post Maximi persequutionem fuit, qui specialiter Episcopos & clericos omissa turba populari, hoc est, Ecclesiarum primates cruciari imperauerat, intumescens crebrò ira atque inuidia, non per vulgi cædem, sed per vulnera morientium principum ac potentum exaltata est. Ibi septima plaga numeratur coacta in aëre grando profusa, quæ hominibus iumentísque exitio fuit: Hic similiter septima sub Gallo & Volusiano, qui persequutori Decio mox interfecto succesſerant, plaga extitit. Nam tunc pestis infusa est per omnia Romani regni ab oriente ad occidentem spatia, cúmque omne propemodum genus hominum neci dedit, tunc etiam corrupit latus, infudítque pabula tabo. Ibi
E octauam Aegyptiis contritionem fecere excitatæ vndique locustæ, terrentésque omnia. Hîc octauam æquè in subuersionem Romanæ vrbis excitatæ vndique intulere gentes, quæ cædibus atque incendiis cũctas prouincias deleuerunt. Ibi nona turbatio diuturnas, crassas ac penetrabiles tenebras habuit: plus omnino periculi comminata, quàm fecit: Hîc eadem correptio fuit, cum Aureliano persequutionem decernenti, diris turbinibus, terribile ac triste fulmen sub ipsius pedibus ruit, ostendens quid cum vitio talis exigeret, tantus posſit vltor, nisi & clemens esset & patiens. Quanquam intra sex hic menses tres occidui imperatores, hoc est, Aurelianus, Tacitus, & Florianus, diuersis causis interfecti sunt. Ibi postremò decima plaga quæ nouissima omnium fuit, interfectio filiorum, quos primos quíque genuerunt: Hic nihilominus decima, id est, nouissima pœna est, omnium perditio Idolorum, quæ primitùs facta, imprimis amabant. Ibi rex potentiam dei sentit, probauit, & credidit, ac per hoc populum dei ire permisit: Hîc quoque hæc omnia fecit, & etiam credidit, ac per hoc populum dei liberum esse permisit. Ibi postea nunquam populus dei ad seruitutem retractus, Hîc nunquam postea populus dei ad idololatriam coactus est. Ibi Aegyptiorum vasa pretiosa Hebræis tradita sunt, Hîc Ecclesiæ Christianorũ præcipua pa-
F ganorum templa cesserunt. Sanè illud (vt dixi) denunciandum puto, quia sicut Aegyptiis post has decem plagas dimissos Hebræos persequi molientibus, irruit per superductum mare æterna perditio: ita & nos quidem liberè peregrinantes, superuentura quandoquidem persequutio gẽtilium manet, donec mare rubrum, id est, ignem iudicij, ipso domino duce & iudice, transeamus. Hi verò in quos Aegyptiorum forma transfunditur, permissa ad tempus potestate sæuientes, grauissimis quidem permissu dei Christianos cruciatibus persequũtur. Veruntamen iidem omnes inimici Christi cum rege suo Antichristo, accepto stagno ignis æterni quod magna impediente caligine, dum non videtur intratur, perpetuam perditionem immortalibus arsuri suppliciis sortientur.

PRofectíque sunt filij Israël de Rameſſe in Sochoth, Sexcenta ferè milia peditum uirorum, abſque parulis & mulieribus. Sed & uulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oues & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis. Coxerúntque farinam quam dudum conſperſam de Aegypto tule- 6

rant

*rant,& fecerunt ſubcinericios panes azymos. Neque enim poterant fermentari cogentibus exire Aegyptiis,* G
*nullam facere ſinentibus moram,nec pulmenti quicquam occurrerat præparare. Habitatio autem filiorum Iſraël*
*qua manſerunt in Aegypto,fuit quadringentorum triginta annorum.Quibus expletis,eadē die egreſſus eſt omnis*
*exercitus domini de terra Aegypti.Nox iſta eſt obſeruabilis domini,quando eduxit eos de terra Aegypti, hanc*
*obſeruare debent omnes filij Iſraël in generationibus ſuis.*

6 RABANVS. Poſt commemorationem paſchæ & primogenitorum interitum, ſermo ſequitur de trāſitu filiorum Iſraël ex Aegypto,prolatus ita: *Profectíque ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Sochoth ſexcenta ferè milia peditum virorum, abſque paruulis & mulieribus.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Rameſſe, vrbs quam edificauerunt filij Iſraël in Aegypto,olim autem & vniuerſa prouincia ſic vocabatur, in qua habitauit Iacob vnà cum H liberis ſuis. Sochoth autem prima manſio filiorum Iſraël in deſerto, poſtquam de Aegypto ſunt profecti, ante-
*Quæſt. 47.* quam mare tranſirent rubrum. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera habet, Suſtulerunt autem filij Iſraël de Rameſſe in Sochoth in ſexcenta milia peditum viri, præter inſtructum vel cenſum.Si iſto modo poteſt rectè interpretari quod Græcus habet ἀποσκευήν, quo verbo non ſo-
*Gen.43.* lùm mobilia,verùm etiam mouentia ſignificari indicat ſcriptura,vbi Iudas loquēs ad patrem ſuum,dicit:Mitte puerum mecum,& ſurgentes ibimus,vt viuamus,& non moriamur,& nos,& tu,& ſubſtantia noſtra.Ibi enim Græcus ἀποσκευήν,habet,vbi ſubſtantiam Latinus interpretatus eſt, quod aliquando cenſum interpretantur noſtri, ſicut nunc inſtructum dicere voluimus, dum tamen eo nomine & homines & iumenta, vel omnia pecora intelligantur, vbi etiam ſi viri & vxores poſſent intelligi, neſcio. Sexcenta tamen milia peditum cum ſcriptura commemoret,addens & dicēs,excepto inſtructu, vel cenſu, vel ſubſtantia, vel ſiquo alio verbo melius interpretatur ἀποσκευήν, manifeſtū eſt & homines ſignificatos, ſiue in ſeruis, ſiue in mulieribus, ſiue in his ætatibus, quæ I militiæ non eſſent idoneæ, vt ſexcenta milia peditum in eis ſolis intelligamus, qui poſſent militari agmine armari. Quæri autem ſolet, vtrum ad tantum numerum Hebræi peruenire potuerint per eos annos in Aegypto, quos oſtendere conſideratus in ſcripturis numerus poteſt,qui primum anni quot fuerint,non parua eſt quæſtio. His ergo annis qui inferius deſcribentur, quantum multiplicari potuerint, ſi fœcunditas hominis conſideretur adiuuante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperitur non eſſe mirum, quòd in ſexcentis milibus peditum egreſſus eſt populus ex Aegypto,excepto cætero apparatu,vbi & ſeruitia erāt,& ſexus muliebris,& imbellis ætas. INTERLINEARIS. Hęc enim infirma,nec ſunt digna numero,quia nec apta bello.Rameſſen autem,quidam Thebaida eſſe dicunt. CAIETANVS. Quòd Rameſſes in confinibus fuerit Aegypti, hinc inſinuatur.Incipit enim Moyſes ſupputare itinera à termino Aegypti in primam manſionem extra Aegyptum. Et quia ſcribitur Numeri trigeſimo tertio, quinta decima die menſis primi venerunt de Rameſſes in Sochoth,inſinuatur, quòd multitudo populi Iſraël erat prope Rameſſes, & quòd in illa ciuitate habitabat tunc Pharao. Ad hoc K enim ſpectare videtur nominatio Rameſſes pro termino à quo receſſerunt filij Iſraël. Certum eſt enim quòd à ciuitate in qua erat Pharao,receſſerunt.Quòd autē locus Sochoth extra terminos Aegypti ſit,ſubiuncta innuūt, ſonantia quòd illo die egreſſus eſt Iſraël de terra Aegypti. Abſque paruulis & mulieribus. Interpres addidit & mulieribus, ſubintelligebatur tamen, quoniam maſculorum tantùm fit mentio. AVCTOR CATENAE. Abſque paruulis & mulieribus.Dictionem mulieribus addidit Interpres,quoniam nec ipſæ recenſebātur. Sciēdum autem ſemper Septuaginta dictionem טַף taph ἀποσκευήν, id eſt, ſupellectilē fuiſſe interpretatos. Et fortaſſe hoc nomine totam familiam intelligunt,ſicut & Chaldaica,quæ hoc in loco habet,Præter familiam. Nam & familiam ſignificat prædicta dictio.In qua pueri,mulieres,ſerui & ancillæ includūtur, latiſsimè enim familiæ nomen extenditur.Hoc enim dicimus,quia cùm hîc cenſeatur numerus virorum,& fiat quædam exceptio, manifeſtum cuilibet eſſe poteſt quorum fieret hæc exceptio.Quis enim ita loqueretur, Erat eorum numerus ſexcenta milia, excepta ſupellectile, quæ enim affinitas viris & ſupellectili?Rectè ergo de tota familia viri illi docti in- L tellexerunt. Alij,Præter pubem,vertunt: ſed idem eſt cum, Abſque paruulis. Rameſſes autem,prouincia vel ducatus eſt,non vrbis vel villæ nomen ſecundum Hebræos, quam aliter nominant Peluſinam. Sexcenta milia peditum,&c.Tot annis potuerunt in tantum numerum excreuiſſe,volente ac benedicente domino,& promiſſiones patrum complente. *Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oues & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis.* INTERLINEARIS. Hi etſi pugnare non poſſunt,pugnātibus tamen auxilio ſunt. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Et etiam mixtio multa aſcendit cum eis.Mixtura hominum proculdubio non Iſraëlitarum ſignificatur,famulorum,famularum ac pauperum,qui conſueuerant viuere ſeruiendo Iſraëlitis.Oues & armenta,& animantia diuerſi generis multa nimis.Iuxta Hebræum habetur,Pecus graue valde. Nec ad pondus, ſed ad excellentiam, precium ac multitudinem refertur grauitas maxima omnium ſimul animaliū. AVCTOR CATENAE. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile. Egregiè expreſsit Hebraica verba עֵרֶב רַב Hēreb rab. Eſt enim Hēreb, mixtio diuerſorum hominum vel diuerſarum rerum. Quod ergo ibi dici- M tur,Mixtio multa,Interpres & Septuaginta,vulgus promiſcuum innumerabile,vel multum,rectè tranſtulerunt. Qui autem hi fuerint,Chaldaica exprimit,inquiens,Extranei quoque multi aſcēderunt cum eis. Eſt autem ſenſus intentus, quòd qui relicto paganiſmo ad Iudaiſmum conuerſi ſunt, tam de peregrinis quàm de Aegyptiis, mixti ſunt inter Iudeos.Et animātia diuerſi generis multa valde.In Hebręo:מִקְנֶה כָּבֵד מְאֹד Mikne cabed meod, Grex magnus valde:Vel vt habet Chaldaica,Et pecora multa nimis,vel admodum.Septuaginta,καὶ κτλύη πολλὰ σφόδρα,Et iumenta multa valde.Sed hæc idem dicunt cum Latina litera. *Coxerúntque farinam quam dudum conſperſam de Aegypto tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos.* Tam in Hebræo & Chaldaica editione, quàm apud Septuaginta vacat dictio, dudum. Et loco farinæ, vbi in Hebræo eſt בָּצֵק Bazech, de quo ſuprà dictum eſt, aliqui tranſtulerunt paſtam,aliqui maſſam farinaceam,vt dicatur: Coxerúntque paſtam,ſiue maſſam farinaceam quā de Aegypto extulerant, ſiue protulerant, vel eduxerant.Et ſic habet Chaldaica. Sed idem eſt cum litera noſtra.

Et



A Et fecerūt ſubcineritios panes azymos,quod Hebraicè eſt עֻגֹת מַצּוֹת Hugoth mazoth,Placētas,vel infermētatas, vel azymas.Eſt enim Hugoth,panis ſubtus carbones & non in fornace coctus,quē Latini ſubcineritium vocant panem. Maſſam igitur quā iam pro itinere infermentatā parauerant ad pinſendum, vt hac veſcerentur ſeptem diebus iuxta præceptum domini,in placentas coxerunt. Non enim permittebantur tardare ad parandum viaticum.Vnde & ſequitur, *Neque enim poterant fermentari cogentibus exire Aegyptiis,& nullā facere ſinētibus morā,nec pulmenti quicquam occurrerat præparare.* RVPERTVS. Idē eſt ac ſi diceretur,Etiā ſi non fuiſſent à fermentato prohibiti,tātā fuit inſtantia exire compellentium vt non poſſent fermentari. CAIETANVS. Quanquam ex his verbis, Neque enim poterāt,& cætera,clarè appareat,quòd non voluntatis, ſed neceſsitatis fuerunt azyma tunc. AVCTOR CATENAE. Tota hæc litera ita legitur in Hebræo ſicut in Chaldaica, Quia non erat fermentatū, eo quòd eiecti fuerant de Aegypto,& non poterant immorari, viaticum quoque non parāuerunt ſibi. Sed hæc idem penitùs cum litera noſtra, vt Interpretem & fidum & doctum ſimul extitiſſe intelligas. *Habitatio autē filio-*
B *rum Iſrael qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringētorum triginta annorū.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS *Vbi ſupra.*
SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta ita legitur locus iſte: Incolatus filiorum Iſraël quem incoluerūt in terra Aegypti & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum,anni quadringenti triginta. Illa nimirum computatio quam ſecutus eſt Euſebius in hiſtoria ſua Chronica,perſpicua veritate ſubnixa eſt.Ab illa enim promiſsione cōputant quadringentos triginta annos, qua vocauit deus Abraham, vt exiret de terra ſua in terram Chanaan, quia & Apoſtolus cùm Abrahæ laudaret & commendaret fidem,in ea promiſsione qua Chriſtum vult intelligi *Gal.3.*
prophetatum,id eſt,qua promiſit deus Abrahæ quòd benedicerentur in eo omnes tribus terræ, Hoc autem dico (inquit)quia Teſtamentum confirmatum à deo,poſt quadringentos & triginta annos facta lex,non infirmat ad euacuandas promiſsiones.Ex illa ergo promiſsione qua vocatus eſt Abraham,& credidit deo, poſt quadringentos & tringinta annos factam legem dicit Apoſtolus,non ex tempore quo Iacob intrauit in Aegyptum. Deinde
C hoc etiam ipſa hæc ſcriptura ſatis ſignificauit. Non enim dixit, Incolatus filiorum Iſraël, quem incoluerunt in terra Aegypti,anni quadringenti triginta:ſed apertè dixit, Quem incoluerunt in terra Aegypti & in terra Chanaan ipſi & patres eorum. Ac per hoc manifeſtum eſt, computandum eſſe tempus etiam Patriarcharum, Abrahæ, Iſaac,& Iacob,ex quo peregrinari cœpit Abraham de terra Chanaan, id eſt,ex illa promiſsione, in qua eius fidem laudat Apoſtolus,vſque ad illud tempus,quo ingreſſus eſt Iſraël in Aegyptum. Toto quippe iſto tempore peregrinati ſunt patres in terra Chanaan, & deinde ſemel Iſraël in Aegypto,ac ſic completi ſunt quadringenti triginta anni à promiſsione vſque ad exitum Iſraël ex Aegypto, quādo facta eſt lex in monte Sina,quæ non infirmat Teſtamentum ad euacuandas promiſsiones.Septuageſimo & quinto anno vitæ ſuæ Abraham, ſicut ſcriptura dicit, egreſſus eſt in terram Chanaan, & genuit Iſaac, cùm eſſet annorum centum. Fiunt itaque anni vigintiquinque ex promiſsione vſque ad natum Iſaac.His adduntur omnes anni vitæ ſuæ Iſaac,id eſt,centū octoginta,fiunt ducenti quinque,tunc erat Iacob annorum centum viginti.Nati ſunt enim ſexagenario patre gemi-
D ni, ipſe & Eſau.Poſt decem autem annos intrauit Iacob in Aegyptum, cùm eſſet annorum centum triginta, Ioſeph autem cùm eſſet trigintanouem.Fiunt proinde anni à promiſsione vſque ad ingreſſum Iacob in Aegyptū, ducenti quindecim. Ioſeph autem ab illo trigeſimo nono anno ætatis ſuæ, in quo cum pater in Aegypto inuenit, vixit ſeptuaginta & vnum annos,quia omnes ætatis eius anni centum decem fuerunt. Cùm itaque ad ducentos quindecim annos acceſſerint ſeptuaginta vnus, fiunt anni ducenti octoginta ſex. Reſtant centum quadraginta quatuor vel quinque, quibus intelligitur ſeruiſſe in Aegypto populus Iſraël poſt mortem Ioſeph. CYRILLVS. Vbi in Geneſi ſcriptum eſt, Poſt quadringentos annos reuertentur filij Iſraël, annos tantummodo quos in Aegypto vixerunt enumerat,cùm autem hîc dicit quadringentos triginta annos, etiam eos quos in terra Chanaan vnà cum Iacob poſtquam ille è Meſopotamia redierat,cōprehendit. RVPERTVS. Habitatio autem filiorum Iſraël qua manſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Hoc ſi ad ſolas quatuor generationes reſpicias, quia generatione quarta exierunt filij Iſraël de Aegypto, ſtare non poteſt,
E etiam ſi Leui,Caath & Amran,non priuſquam centenarij eſſent,filios genuiſſent, & Moyſes quartus à Leui iam centenarius coram Pharaone ſtetiſſet, præſertim cùm & Leui, & cæteri filij Iacob, iam grandes & ſinguli cum coniugibus ſuis & filiis introierunt in Aegyptum.Vnde ergo vel quo potius à principio iſtos quadringentos tri- *Gal.3.*
ginta annos numeremus Apoſtolo teſte habemus, videlicet à promiſsione dei Abrahæ facta, cùm ille eſſet ſeptuaginta quinque annorum.Ab illa ergo hos annos computari oportet,quia cum hac ſeruitute filiorum Iſraël, peregrinatio quoque patrum intra quadringentos & triginta annos comprehenſa eſt. Et rectè, Nam & pater Abraham poſt eandem promiſsionem primus in Aegypto peregrinatus eſt. Vnde & reuerſus erat quando dictum eſt ei,Scitò quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affli- *Gen.15.*
gent quadringentis annis, necdum enim impletæ ſunt iniquitates Ammorræorum, vſque ad præſens tempus. Vbi notandum,quia non dixit,& affligent quadringentis & triginta.Sed tantùm quadringētis annis,iam enim aliquid de hac ſumma diminutum fuerat à prædicta confirmatione Teſtamenti.Itaque ſummæ quadringentorum triginta annorum, detrahe primùm vigintiquatuor annos, qui ex quo locutus eſt deus ad Abraham, vſque
F ad natiuitatem Iſaac interfuerūt,& * quadraginta annos Iſaac ante natiuitatem Iacob. Itēmque nonaginta an- *aliàs ſexa-*
nos Iacob, quibus exactis genuit Ioſeph, ac deinde centum & decem annos Ioſeph, quo viuente cuncta fuere *ginta,vt pa-*
proſpera, & non remanent ſeruituti filiorum Iſraël plures quàm centum quadraginta quatuor anni, ſicut an- *tet,Gen.25.*
te nos diligenter à temporum ſcriptoribus pernotatum eſt. Et nota diligenter, quia ſceleris quod in fratrem ſuum filij Iacob commiſerunt, in decuplum filiis eorum in tertiam & quartam generationem, pœna ſecundum tempus reddita eſt. Ille nanque venditus ab eis,quatuordecim annis ſeruiuit,quippe qui cùm venundatus eſſet, ſedecim erat annorum, quando autem de carcere eductus coram Pharaone ſtetit, triginta erat annorum. Quatuordecim verò decies multiplicati, centum & quadraginta fiunt. Igitur vt dictum eſt, in decuplum illis pœna ſeruitutis repenſa eſt. CAIETANVS. Habitatio autem filiorum Iſraël, &c. Non eſt literæ huius ſenſus, quòd habitatio filiorum Iſraël in Aegypto fuit quadringentis triginta annis: ſed ſenſus eſt, quòd peruenit ad

quadringen-

quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ de Vr Chaldæorum. Ab illo siquidem tempore vsque ad exitum de Aegypto, supputatur tempus quadringentorum & triginta annorum. Nam ducenti & decem in Aegypto, centum triginta vitæ Iacob ante ingressum Aegypti, Sexaginta Isaac ante natiuitatem Iacob, & vigintiquinque Abrahæ ante natiuitatem Isaac, ab egressu de Charan sunt, quibus si addantur anni quinque, quibus moratus est Abraham in Charan egressus de Vr, vt iret in terram Chanaan (iuxta scripta Genesis vndecimo) supputantur anni quadringenti triginta. AVCTOR CATENAE. Scito tamen quod additur in codicibus Græcis ex Septuaginta, καὶ ἐν γῇ καναάν, Et in terra Chanaan, neque Hebraicè, neque Chaldaicè haberi, sed hoc fecerũt docti viri, quò ad annorum numerum de quo in litera sermo est, quemadmodum ex Augustino audiuisti, inoffenso pede venire possent. In hoc igitur quadringentorum triginta annorum numero collocantur omnes illi anni, qui fluxerunt ab eo tempore, quo dictum est ad Abraham, Peregrinum erit
Gen.15. semen tuum in terra non sua. Sic intelligitur locus iste, nam tempus quo fuerunt in Aegypto, sunt tantùm duceti & decem anni. *Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus domini de terra Aegypti.* RVPERTVS. Hoc dicto palàm innuit scriptura, quia non saltem vna die remorati sunt vltra annos quadringentos triginta. CAIETANVS. Quibus expletis, &c. Iuxta Hebræum habetur, Et fuit de fine triginta annorum & quadringentorum annorum, & fuit in proprietate diei istius exierunt omnes exercitus domini è terra Aegypti. Dixerat quòd habitatio filiorum Israël in Aegypto peruenerat ad quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ, subiungit modò, quòd non solùm peruenit ad dictum annum, sed etiam terminauit illum, ita quòd statim finito anno exierunt. Deinde narrat quòd fuit in corpore seu proprietate istius diei, hoc est, *in illo* die immediatè sequente dictum tempus, qui fuit iste dies, tunc quintus decimus mensis primi. Et dicendo omnes exercitus, significat & discretionem ordinatam in diuersas partes populi Israël (Puta per tribus suas) & exercitus istos non esse Moysi, sed dei, vt non casu, sed diuina prouidentia effectum intelligamus, vt dies paschalis liberãs Israël de seruitute Aegypti, fuerit dies immediatè sequens quadringentesimum trigesimum annum peregrinationis Abrahæ iussu diuino. AVCTOR CATENAE. Doctus & prudens Interpres paucissimis verbis expressit, quod plurimis est in Hebræo, videlicet, Quibus expletis eadem die egressus est, &c. Hebraica verò sunt sicut & in Chaldaica lectione habentur, nempe, Et factum est post quadringentos & triginta annos in hac eadem die, egressi sunt omnes exercitus domini de terra Aegypti. Quidam verò dictionem מִקֵּץ Mikes, A fine vertunt, vt dicant, Factum est à fine illorum triginta, &c. Sed hæc non variant à sensu nostræ editionis. Tam certa autem sunt dei promissa, tam firma, vt mox annis quadringentis triginta completis, ipso eodem die eduxerit filios Israël. Quanquam sunt qui eadem die non referant ad ingressum Aegypti, ita quòd eadem dies reuolutis tamen annis, fuerit ingressus & exitus, sed ad egredientes, quia omnes simul egressi sunt eadem die. Non paruum autem miraculum est, potuisse tot homines eodem die exire captiuitatem, sed domino nihil impossibile, cuius miracula iam plura legimus. Et austeritas captiuitatis propensiores reddiderat ad enitendum, & parati iandudum fuerant verbo dei per Moysen, cui per gratiam dei crediderant. Et iam omnes sumpto K paschali cibo baculos habentes in manibus, fide certa, dei potentiam præstolabantur, & prohibebantur moram nectere in tota terra ob mortem primogenitorum in omnibus domibus, vt ne vnus quidem Israëlita eadem hora remanere potuerit, etiam si pariter, & vno statim exercitu non confluxerint. Et nox denique tota clara erat ex plenilunio, quod quartadecima currebat, clarior ad iter & aptior. *Nox ista est obseruabilis domini quãdo eduxit eos de terra Aegypti.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Nox custodiarum ipsa domino ad faciendum educere ipsos è terra Aegypti. Descripto tempore exitus ex Aegypto relatiuè ad peregrinationem Abrahæ primi patris proprij Israëlitarum, cui primo facta est promissio terræ Chanaan, ad quam possidendam egrediebantur, describitur idem tempus relatiuè ad vigilantiam diuinam. Et vtitur Moyses metaphora custodientium secundum nocturnas vigilias. Describit siquidem deum in nocte huius diei quintidecimi ad similitudinem vigilantis, custodiendo in nocturnis vigiliis, quòd vigilauerit ad faciendum eos exire de Aegypto. Et descripsit hoc ad manifestandam diuinam prouidentiam, tanquam magnæ curæ ei fuerit liberatio L Israël hac nocte. Est enim casus datiuus, domino. Et vigiliæ nocturnarum excubiarum significantur nomine custodiarum. AVCTOR CATENAE. Nox est ista obseruabilis domini, &c. Iuxta Hebræum sic legitur, לֵיל שִׁמֻּרִים הוּא לַיהוָה לְהוֹצִיאָם מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם Lel simmurim hu laihoua lehozimam meérez mizráim, Nox custodiarum, vel vigiliarum, seu obseruantiarum hæc domino, vt educeret eos de terra Aegypti, id est, hac nocte dominus custodiuit filios Israël, ne læderentur à vastatore, vt educeret eos de terra Aegypti, & asseregintа, νὺξ πρυφυλακῆς ἐστι τῷ κυρίῳ, ὥστε ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, Nox obseruationis est domino, vt eduxit eos è terra Aegypti. Sed hæc non discrepant à sensu priori. *Hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ipsa nox ista domino custodiæ omnibus filiis Israël in generationibus suis. Ex diuina vigilantia erga filios Israël in nocte ista infert Moyses vigilantiã filiorum Israël debitã deo supremo in hac eadem nocte anniuersaria in perpetuum. Hæc enim vigilantia significatur, dicendo quòd ipsa nox ista ipsi domino custodiæ (hoc est, erit in custodia) omnibus filiis Israël in generationibus M suis. Est enim nominatiuus pluralis custodiæ, & significantur studia ad gratias agendum summo deo. AVCTOR CATENAE. Hanc obseruare debent. Præmittuntur aliquę dictiones in Hebræo, quas pro vitatione replicationum præteriit Interpres, videlicet הוּא הַלַּיְלָה הַזֶּה לַיהוָה Hu halàila haze laihoua, Ipsa nox hæc domino. Vel, nox (inquam) ista erit domino. Aut, Illa (inquam) est nox illa domini. Chaldaica, Hæc est nox illa coram domino. Sequitur, Hanc obseruare debent omnes filij Israël in generationibus suis. Pro, Hanc obseruare debent, Hebraicè est שִׁמֻּרִים Simmurim, custodiæ. Vt dicatur, obseruantiæ, siue custodiæ omnibus filiis Israël in generationibus suis. Et pluralis numeri est Simmurim, quasi dicat, Nox ista obseruabitur ab omnibus filiis Israël domino, id est, in honorem domini perpetuis temporibus, & memores erunt quomodo ego in Aegypto custodierim eos, quando Aegyptiorum primogenita interfeci, & eduxi eos de domo seruitutis



A uitutis. Chaldaica, Obseruanda filiis Israël in generationibus suis. Et Septuaginta, ἐκείνη ἡ νὺξ αὕτη προφυλακὴ κυρίῳ, ὥστε πᾶσι τοῖς ἱσραὴλ εἶναι εἰς γενεὰς αὐτῶν, Illa nox hæc obseruatio domino, vt omnibus filiis Israël sit in generationes eorum, id est, Tam magnum hac nocte consequuti sunt beneficium, vt in eius memoriam per omnes successiones semper illam habituri sint solennem & domino dicatam. Inculcatur multis paschalis religio, vt nullis vnquam temporibus intermoriatur eius beneficij rememoratio. Propter hoc miseri & stulti Iudæi suũ Messiam ea nocte operiuntur cum asino, vt paratos se inueniat, & accinctos ad transmigrandum Hierosolymam.

ORIGENES. Doctor gentium in fide & veritate Apostolus Paulus, tradidit Ecclesiæ quam congregauit ex gentibus, quomodo libros legis susceptos ab aliis, sibique ignotos priùs, & valde peregrinos, deberet aduertere, ne aliena instituta suscipiens, & institutionum regulam nescíens, in peregrino trepidaret instrumento. *Mysticè. Hom.5.*

B Propterea ergo ipse in nonnullis intelligentiæ tradit exempla, vt & nos similia obseruemus in cæteris, ne fortè pro similitudine lectionis & instrumenti, Iudæorum nos effectos esse discipulos crederemus. Hoc ergo differre vult discipulos Christi à discipulis synagogæ, quòd legem quã illi male intelligendo, Christum non receperunt, nos spiritaliter intelligendo, ostendamus eam ad Ecclesiæ institutionem meritò datam. Iudæi ergo hoc solùm intelligunt, quia profecti sunt filij Israël de Aegypto, & prima profectio eorum fuerit ex Rameſſe in Sochoth. Nos verò tanti Apostoli instructi doctrina, si quis est (dicimus) qui proficisci de Aegypto parat, si quis est qui cupit obscuros mundi huius actus, & errorum tenebras derelinquere, primò omnium ex Rameſſe ei proficiscendum est. Rameſſe verò interpretatur cómotio tineæ. Si ergo vis venire in Sochoth, vt dominus tibi dux sit, & in columna nubis te præcedat, & sequatur te petra quæ tibi escam spiritalem, & potum nihilominus præbeat spiritalem, proficiscere, & exi ex Rameſſe, nec thesaurizes ibi, vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Hoc est quod apertè & dominus in Euangeliis dicit, Si vis perfectus
C esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Hoc est, ergo proficisci de Rameſſe, & sequi Christum. Videamus autem quis sit & castrorum locus, ad quem venitur ex Rameſſe. Venerunt (inquit) in Sochoth. Sochoth tabernacula intelligi apud Hebræos tradunt Interpretes nominum. Cùm ergo derelinquens Aegyptum, discusseris à te tineas totius corruptelæ, & vitiorum incitamenta reieceris, habitabis in tabernaculis. Habitamus enim in tabernaculis, ex quibus nolumus expoliari, sed superuestiri. Habitatio autem tabernaculorum, expeditum & absque vllis impedimentis indicat esse cum, qui festinat ad deum. HIERONYMVS FABIOLAE. Mouerunt itaque castra filij Israël de Rameſſes primo mense, quinta decima die mensis primi, altera die post pascha egressi sunt filij Israël in manu excelsa in conspectu omnium Aegyptiorum, & Aegyptij sepeliebant quos percusserat dominus ex eis, omne primogenitum in terra Aegypti, & in diis eorum fecit dominus iudicia. Rameſſes à quibusdam interpretatur commotio turbulenta, aut amaritudo, commotióque tineæ: nos autem verius existimamus exprimi tonitruum
D gaudij. Ad hanc vrbem quæ in extremis Aegypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat, eo quòd tumultum seculi derelinquens, mouebatur à vitiis pristinis, & ab exedente se priùs tinea peccatorum, vt omnem amaritudinem vertens in dulcedinem, dei vocem in Sina monte desuper tonantis audiret. Quod autem verba diuina & eloquia scripturarum, in istius seculi & mundi rota, tonitruus appellentur, Psalmista declarat, dicens: Vox tonitrui tui in rota. Et dei patris vocem in baptismo saluatoris audientes, tonitruum putauerunt. Cúmque commoti fuerimus ad Euangelicam tubam, & excitati tonitrui gaudio, eximus in mense primo, quando hyems præterit & abit sibi, quando veris exordium est, quando terra parturit, quando cuncta renouantur, & eximus quintadecima die mensis primi, in crastinum paschæ pleno mensis lumine, post esum agni immaculati, & calciatos pedes habentes de Apostolo, & accinctos pudicitia lumbos, & baculos in manibus præparatos. Quanuis enim in Aegypto decimaquarta die mensis pascha facientes, comederimus agnum, tamen tunc nobis lux plena completur, quando in manu excelsa Rameſſen
E dimittimus, quæ excelsa dicitur, vel quòd Aegyptum percusserit, vel quòd protexerit Israël videntibus Aegyptiis, qui admirantur nos exire de seculo, & torquentur inuidia, & postea nos tenere cupientes, in persecutionibus suffocantur, quando & Aegyptij sepeliunt primogenitos suos, & patres mortui terrenis operibus, opprimunt mortuos filios. Mihi videtur Aegyptiorum primogenita, dogmata esse philosophorum, quibus deceptos homines atque irretitos tenebant. Quæ cùm Israël viuus effugerit, circundantur mortuis suis, ne exeuntium imitentur exemplum. Proficiscentes autem filij Israël de Rameſſe, castrametati sunt in Sochoth. Secunda mansio. In hac coquunt panes azymos, & primùm tendunt tabernacula, vnde & ex re locus nomen accepit. Sochoth quippe interpretatur in lingua nostra tabernacula siue tentoria. Et ob hoc septimo mense, quin-
tadecima die mensis solennitas tabernaculorum est. Cùm ergo exierimus ex Aegypto, primùm tabernacula figimus, scientes nobis ad vlteriora pergendum. Tunc non comedimus de fermento Aegypti malitiæ & nequitiæ: sed vescimur azymis synceritatis & veritatis, domini præceptum opere consummantes: Cauete à fer-
F mento Pharisæorum. In hac nobis præcipitur mansione, vt semper egressionis ex Aegypto memores simus, vt celebremus transitum, id est, Phase domini, vt primogenita nostri vteri, cunctarúmque virtutum, pro primogenitis Aegypti quæ percussa sunt, domino consecremus. RVPERTVS. Qui autem profecti sunt, fuere sexcenta milia virorum absque paruulis. Sed & vulgus promiscuum & innumerabile ascendit cum eis. *1.Cor.10.* Quanuis non in pluribus eorum beneplacitum fuerit deo, siquidem prostrata sunt corpora eorum in deserto, *Num.14.* nomẽ tamen filiorum Israël, numerúsque perfectus, scilicet centuplex senarius eos tantùm significat, qui sic ad Christum veniunt fugientes hunc mundum, vt & digni gratia vel adoptione filiorum dei, & apud patrem omnes numerati sint. Cæterùm vulgus promiscuum & innumerabile, quod ascendit cum eis, eo ipso quòd innumerabile fuit, typum eorum gesserit, qui quamplurimi ad fidem nominetenus veniunt, & verbotenus con- *Psal.39.* fitentur se nosse Christum. De qualibus Propheta in Psalmo dicit, Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. INTERLINEARIS. Et dominus in Euangelio, Multi sunt vocati, pauci verò

ci verò electi. RVPERTVS. Porrò quod sequitur: Coxerúntque farinam quam dudum conspersam de G
Aegypto tulerant, & fecerunt subcineritios panes azymos, neque enim poterant fermentari, &c. Eiusmodi dictio sæpe dicto consentit azymorum mysterio, quia videlicet quòd azymi, id est, synceri de tenebris peccatorum nostrorum exiuimus, non hoc industriæ nostræ, sed diuinæ gratiæ debet ascribi, quæ spiritales Aegyptios cum suo fermento citiùs absistere compulit. AVCTOR CATENAE. Quin etiam nulla mora nectenda fidelibus Aegyptum exire iussis, & iam potentibus contendere ad altiora promissæ patriæ. INTERLINEARIS. Sicut autem cogunt Aegyptij filios Israël exire, sic & mundus ipse quandoque compellit fideles ad deum. Et quemadmodum vrgent illi Hebræos, nec sinunt pulmenti quicquam præparare, sic obstant Dæmones, ne Euangelij sapore austeritatem legis vel mundani dogmatis condiamus. RVPERTVS. Nox ista obseruabilis domino, quando eduxit eos de terra Aegypti. Hanc obseruare debent omnes filij Israël in generationibus suis. Nox ista, subauditur quando immolatus est agnus, & primogenita Aegyptj cæsa sunt. Equidem alia nox fuit illa cuius in vigilia matutina, respiciens dominus super castra Aegyptiorum, per co- H
lumnam nubis & ignis, interfecit eorum exercitum, & subuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum. Verùm nox vna pro duarum noctium rebus gestis, domino obseruabilis iussa est. Et rectè, Nam vna eadémque liberatio Israël, quæ in morte primogenitorum inchoata, in submersione Aegyptiorum cunctorum peracta est. Non ergo noua vel præsumpta auctoritate sancta Romana Ecclesia duarum itidem noctium acta, vna eadémque nocte celebrari instituit, vnius scilicet, qua comprehensus, & ad mortem ductus, primogenitum Pharaonis, id est, superbiam diaboli cruce sua transfixit: alterius verò, qua resurgens à mortuis, plenum gaudium, tam de animarum redemptione quam moriendo acquisiuit, quàm de corporum resurrectione quam resurgendo parauit, toti mundo attulit. Hæc (inquam) duarum noctium acta, vna nocte celebrare instituit, in laudem & gloriam veri agni, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo deuicit, & vitam resurgendo reparauit. Hanc (inquit) obseruare debent omnes filij Israël. Ita planè faciunt omnes filij Israël, imò omnes filij dei, qui dispersi fuerant, congregati in vnum, post huius noctis sacramentum, I
qua Christus dei filius tanquam agnus occisus pro illis, tanquam leo resurrexit, noctem istam concordi
Psal.138. vbique tripudio concelebrant, illam esse non dubitantes, de qua scriptum est, Et nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Idcirco noctem æquè vt diem sequentem sancta Ecclesia quantum potest concelebrat, eodem nanque victoriosæ resurrectionis obsequio in vespera, quo & sequenti die persultat. Priùs enim vespertinum quàm matutinum sacrificium tantæ solennitatis immolat. Cur hoc? videlicet quia est resurrectio prima, quæ noctem, & resurrectio secunda, quæ diem illustrat. Resurrectio prima, est remissio peccatorum, quam renascentes ex aqua & spiritu sancto in illa paschali vespera accipiunt, & ita iam in anima resurgunt. Resurrectio secunda, resurrectio corporum est, quæ iam in Christo facta, & tandem in omnibus facienda est. At verò præsens Ecclesia quæ nox aliquando erat, hac prima resurrectione fit lux, & sicut dies illuminatur. Per hanc enim quisque nostrum, & nunc dum in corpore est, veritate fulget, & post corporis solutionem tota vespera Sabbati donec lucescat in prima Sabbati, quæ ipsa octaua erit, il- K
luminatur vt dies, & interim sola anima sabbatizat, quia in requie est. Rectè igitur ante lucem primæ Sabbati, ipsa vespera Sabbati iocunditate illuminatur paschalis sacrificij, præcentore Christo dicente, Et nox vt dies illuminabitur, & nox illuminatio in deliciis meis.

7 *DIxitque dominus ad Moysen & Aaron, Hæc est religio Phasę. Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem seruus empticius circuncidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud. Quòd si quis peregrinorum in uestram uoluerit transire coloniam, & facere Phasę domini, circuncidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indi- L*
*gena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non uescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud uos. Fecerúntque omnes filii Israël sicut præceperat dominus Moysi & Aaron, & eadem die eduxit dominus filios Israël de terra Aegypti per turmas suas.*

7 THEODORETVS. Consequenter admodum iis quæ apposita sunt, tertia' hæc est lex, quam rursus præter alias duas dixit dominus. Attende autem quàm subtiliter Scriptura loquatur, quòd legem ex Aegypto proficiscerentur, omnis alienigena non comedet ex eo, Itémque, & omnem domesticum & argento emptum circuncides, & tunc ex illo comedet, nunquam mixta illa turba ex Aegypto profecta es- M
set. Vide autem quæ nam sit ista lex. *Dixit dominus ad Moysen & Aaron.* CAIETANVS. Nomen est tetragrammaton, quod sæpissimè repetitur, ad manifestandum, quòd ipse fons essendi curam habet omnium & singulorum circa eductionem populi, & quòd est auctor omnium præceptorum pertinentium ad pascha. *Hæc est religio Phasę.* AVCTOR CATENAE. Dictio חֻקַּת Chukkath, vt priùs quoque diximus cultum, ritum statutum, cærimoniam, & legem significat. Vnde omnia hæc verti posset hoc in loco. Et est sensus, hic debet esse ritus, hæc obseruantia, hoc more celebrandum est Phasę. Chaldaica, Hic est ritus phasę, Septuaginta, ὁ νόμος πάσχα, lex paschæ. Sed idem cum nostra litera. *Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem seruus empticius circuncidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo.* RVPERTVS. Hæc est religio Phasę. Planè religio sancta, & iusta, & bona. Quid enim? Nunquid alienigenam



A alienigenam pro vili conditione refutat? Proculdubio repugnat quòd dicitur, Omnis autem seruus emptitius circuncidetur & sic comedet. Ergo alienigena quandiu fuerit liber, non vescetur: vbi autem in seruum fuerit emptus, ipse vescetur ex eo. Quare? Videlicet quia alienigena, dum liber est, postquam hodie comederit phasę, cras vel continuò si volet, communicabit superstitioni Aegyptiæ, non diiudicans inter vtrumque: similitérque mercenarius, quia stabilitatem in domo Israëlitica non est professus, & idcirco non habet vnde ad Phasę semel gustatum constringatur. Igitur deus, non quia sit deus carnalis Israëlitarum tantùm, & non gentium, sed propter vagam instabilitatis licentiam, refutat alienigenam, & mercenarium, cùm admittat seruum empticium. THOMAS. Sacramenta in veteri lege propriè dicebantur illa quæ adhibebantur dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputaban- 1.2.q.102. ar.5.in co.
tur quodammodo ad cultum dei. Cultus autem dei generali quidem modo pertinebat ad totum popu-
B lum: sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes & Leuitas qui erant ministri cultus diuini: & ideo in istis sacramentis veteris legis quædam pertinebant communiter ad totum populum, quædam autem specialiter ad ministros, & circa vtrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi deum, & hæc quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circuncisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium, quantum verò ad sacerdotes per sacerdotum consecrationem. Secundò requirebatur vsus eorum quæ pertinent ad diuinum cultum, & sic quantum ad populum erat esus paschalis conuiuij, ad quem nullus incircuncisus admittebatur, vt patet Exodi duodecimo; & quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, & esus panum propositionis, & aliorum quæ erant sacerdotum vsibus deputata. Tertiò requirebatur remotio eorum per quæ aliqui impediebantur à cultu diuino, scilicet immunditiarum, & sic quantum ad populum erant institutæ quædam purificationes à quibusdam
C exterioribus immunditiis, & etiam expiationes à peccatis. Quantum verò ad sacerdotes & Leuitas erat instituta ablutio manuum & pedum, & rasio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles causas, & literales secundum quòd ordinabantur ad cultum dei pro tempore illo, & figurales secundum quòd ordinabantur ad figurandum Christum, vt patebit per singula discurrenti. CAIETANVS. Quilibet autem non Israëlita seu filius alieni, more Hebræo dicitur alienigena, quia scilicet originem habet ex alieno genere. Aduena & mercenarius. Iuxta Hebræum, Habitans & mercenarius non comedet ex eo. Ne verteretur in dubium quid de cohabitantibus (puta famulis & ministris) statuitur quòd ex hoc quòd sunt mercenarij, siue cohabitantes in domo, non possunt comedere pascha. AVCTOR CATENAE. Omnis alienigena non comedet ex eo. Vide quem intelligat hîc alienigenam Chaldaica, nempe eum qui ex Iudæis transierat ad gentes, & gentilis factus fuerat. Ita enim inquit illa, Omnis filius Israël, qui fuerit Apostata, non comedet ex eo. Aliqui verò loco alienigenæ vertunt extraneum. Est enim dictio נֵכָר nechar, quæ vtrumque significat, sed vtrumque idem est. Omnis autem seruus emptitius circunciden-
D tur, & sic comedet. Breuibus summauit Interpres Hebraicum, & scitè admodum expresit, est enim ibi hoc modo: וְכָל עֶבֶד אִישׁ מִקְנַת כֶּסֶף וּמָלְתָּה אֹתוֹ אָז יֹאכַל בּוֹ Vecol hèbed is miknath casęph vmalta otho, az iochal bo, Et omnis seruus viri, vel alicuius emptus argento, vel ære, vel acquisitus pecunia, si, vel postquam circunciderit eum, tunc comedet ex eo. Sic & Septuaginta, præter quod videtur duo seruorum genera distinguere, videlicet, πᾶντα οἰκέτην τινὸς ἢ ἀργυρώνητον, omnem seruum alicuius vel emptitium. Quasi dicat, quomodocunque sit seruus, si circuncidatur, comedet phasę. Chaldaica, Omnis autem seruus alicuius emptus argento, si circunciderit eum, tunc comedet ex eo. Quæ omnia à sensu Latini Interpretis non deuiant. Emptitius verò seruus quis dicatur omnes norunt. Aduena & mercenarius non edent ex eo. Dictionem תּוֹשָׁב Tosab à יָשַׁב verbo descendentem habitatorem quidam, alij peregrinum, nonnulli aduenam vt Interpres, verterunt. Sed idem est quomodocunque vertatur. Is enim dicitur, qui de gentilitate ad populum Israël venit, & illis cohabitat etiam fide non consentiens. Mercenarius verò, genti-
E lis in domo Iudæi pro mercede seruiens, etiam ipse incircuncisus. Quia igitur paschalis obseruatio, memoriale erat liberationis ex Aegypto, ideo hoc exteris non competebat. Verùm ad fidem veram conuersi, & circuncisione initiati, solenni totius populi gaudio, iustè admitti poterant, & ad publicam gratiarum actionem pertinebant. *In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras.* RVPERTVS. Hæc iussio secundum literam illud necessariò fieri cogit, quod superius dictum est. Si autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, &c. HVGO DE SANCTO VICTORE. In vna domo, id est, vnus in vna, ita quòd nihil efferatur de carnibus. CAIETANVS. Sicut integer assandus præcipitur, ita totus in vna domo comedendus, ita quòd nihil eius possit extra domum mitti, in memoriam gestorum prima nocte, videlicet quòd nullus exiuit domum suum. *Nec os illius confringetis.* In memoriam celeritatis mandatur, vt non occupent tempus frangendo ossa, vt comedant medullam. AVCTOR CATENAE. Nec os illius confringetis.
F Hebræum & Chaldaica habent, os ex illo, vel in illo. Est enim in Hebræo dictio בּוֹ. Septuaginta ἀπ' αὐτοῦ, Ab eo dixerunt. Sed idem est. *Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.* CAIETANVS. Hinc apparet, & quòd nullus erat exemptus qui esset in congregatione, & quòd nullus ligabatur qui erat extra congregationem in aliis terris, sed omnes & soli commorantes in congregatione filiorum Israël, obligabantur ad conuiuium agni paschalis. AVCTOR CATENAE. Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud, id est, sacrificabit, vt Hebræa linguæ est proprium. RVPERTVS. Præscripto autem quòd intus manducari, & nihil de osibus eius foras efferri debeat, tandem de illis qui foris sunt, consilium dat. *Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phasę domini, circuncidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum ita habetur, Et quando peregrinabitur cum vobis peregrinus, & faciet pesach domini, circuncidetur, &c. De gentili habitante in terris Iudæorum

Iudæorum est sermo. Et hinc apparet, quòd non de singularibus personis proselytis, sed de patre familiâs qui G
in domo sua vult facere pascha, loquitur, nam à tali exigitur, quòd circuncidat prius omnem masculum suum,
quemadmodum hoc exigitur à patre familiâs Israëlita. A singularibus autem personis quæ non in propriis do-
mibus, sed iunctæ aliis volebant facere pascha, non exigebatur nisi quòd personæ eorum essent circunciſæ.
AVCTOR CATENAE. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniã, & facere Phase
domini. Ipsa Hebraica sunt huiusmodi וְכִי יָגוּר אִתְּךָ גֵּר וְעָשָׂה פֶּסַח לַיהוָה Vechi iagur ittecha ger vehása pésac lai-
houa, Et quãdo peregrinabitur apud te aduena, & fecerit, id est, facere voluerit, phase domino. Vel, Quòd si quis
peregrinetur apud te aduena, & velit facere Phase domino. Aut, Et si aduena apud te incola fuerit, siue peregri-
natus fuerit tecũ peregrinus, & fecerit pesach domino. Septuaginta, ἐὰν δὲ ᾖ μετοικῶν ἐν ὑμῖν προσήλυτος, καὶ ποιῇ τὸ
πάσχα κυρίῳ, Si autẽ quis acceſſerit in vobis aduena, & fecerit pascha domino. Chaldaica, Et quando transierit ad
vestram religionem aliquis proselytus, & fecerit phase coram domino. Sequitur, Et tunc ritè celebrabit, Hebrai-
cè est, וְאָז יִקְרַב לַעֲשׂוֹתוֹ Veaz ikrab lahasotho, Et tunc accedet ad faciendũ ipsum, siue vt faciat illud. Sic & Chal- H
daica, Sic & Septuaginta. Alij, Et sic accedat vt faciat ipsum, reddunt. Sed hæc idem sunt in sententia cum lite-
ra nostra. Erítque sicut indigena terræ. Vertunt nonnulli וְהָיָה Vehaia, Et sit. Sed hoc nihil est. Sic itaque admit-
tuntur ad esum agni non omnes homines indifferenter, sed tantùm circuncisi. Ac excluduntur quidem alieni-
genæ, aduenæ & mercenarij, sed postquam circuncisi fuerint, admittuntur indifferenter omnes serui & aduenæ.
Et hæc quidem cęremonia necessaria fuit in republica Israëlitica, ne commixtione circuncisorum & incircun-
cisorum, status Reipublicæ Israëliticæ disiparetur, & semen Abrahæ confunderetur. *Si quis autem circuncisus*
*non fuerit, non vescetur ex eo.* Idem dicit quod & Hebraicum, וְכָל עָרֵל Vecol harel, Et omnis incircuncisus vel præ-
putiatus, &c. Loco cuius Chaldaica habet, Et omnis prophanus. Hoc autem ideo dicit, ne crederet quis se de
agno comesturum ob id tantùm, quia natura Iudæus, nam illud sine circuncisione non sufficit. CHRYSO-
*Hom. 40.* STOMVS IN CAPVT GENESEOS XVII. Verùm considera dei misericordiam, & ineffabilem eius
erga nos beneficentiam. Illa enim circuncisio dolorem habet & laborem. Et nulla alia ex circuncisione fuit vti-
litas, quàm hæc sola, quòd ex hoc signo essent cognobiles, & ab aliis gentibus sequestrarentur. Nostra autem
circuncisio vel baptismatis, inquam, gratia, medicinam habet citra dolorem, & innumera bona nobis affert,
& spiritus sancti gratia nos implet, & nullum definitum habet tempus sicut illic: sed licet & in prima & in me-
dia & in vltima ætate hanc non manufactam circuncisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed pecca-
torũ deponuntur onera, & remissio inuenitur omniũ peccatorũ, quæ per totam vitam gesta sunt. IDEM IN
CAP. II. AD ROM. At magnũ quiddã est, inquis, circũcisio. Fateor & ipse: sed tũ cùm intus circũcisionẽ ha
buerit. *Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.* CAIETANVS. Ne repetẽda sint dicta, statuitur,
quòd vna sit lex communis circa pascha, Israëlitæ & peregrino habitanti in terris eorum circunciso. AV-
CTOR CATENAE. Et colono qui moratur apud vos. Hebraicè וְלַגֵּר הַגָּר בְּתוֹכְכֶם Velager hagar be-
thochchem, Et peregrino qui moratur in medio vestri, Siue incolæ qui inter vos habitat. Septuaginta, K
καὶ τῷ προσηλύτῳ προσκειμένῳ ἐν ὑμῖν, Et aduenienti aduenæ in vobis. Chaldaica, Et proselyto qui morabi-
tur vobiscum. Sed hæc non discrepant à sensu Latini Interpretis. Et rectè quidem vna eademque lex vtri-
que imponitur. Quicunque enim ea fecerit quæ lege dei exiguntur, plena fide & obedientia syncera, sine
*Locut. 62.* dubio cœtui filiorum Israël deputabitur, fortior est enim & sacrosanctior cognatio spiritus & fidei, quàm
carnis & sanguinis. *Fecerúntque omnes filij Israel sicut præceperat dominus Moysi & Aaron.* AVGVSTINVS IN
LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta aliam literam, Et aduenientes filij Israël,
fecerunt sicut dominus præcepit Moysi & Aaron, ita fecerunt. Non adderet, ita fecerunt, nisi mos esset
scripturarum. *Et eadem die eduxit dominus filios Israel de terra Aegypti per turmas suas.* INTERLINEA-
RIS. Id est, diuersos ordines, sexus, professiones. RVPERTVS. Dicendo autem eadem die edu-
xit dominus, ad memoriam reuocare contendit, vbi hæc & ea quæ adhuc sequuntur præcepta sint data,
scilicet in Sochoth, vbi primùm tetenderunt tabernacula, profecti de Rameſe. Et ob hoc septimo mense, L
solennitas tabernaculorum constituta est, non quòd illuc septimo mense venerint, sed vnum eiusdemque
gaudium exitus, in duas solennitates ita dispartitum est, vt in principio anni, id est, primo mense, solen-
nitas paschæ vel azymorum, in medio autem anni, id est, septimo mense, festiuitas ageretur tabernaculo-
rum, quintadecima die mensis septimi, quota videlicet die mensis primi venerunt in Sochoth, & post er-
gastula Aegyptiorum, propria libertatis suæ tentoria fixerunt. CAIETANVS. Iuxta Hebræum ha-
betur, Et fuit in proprietate diei istius, eduxit dominus filios Israël de terra Aegypti. Rem gestam narrat,
videlicet quòd in illo die quintodecimo, non Moyses, sed ipse fons essendi eduxit de facto filios Israël
de terra Aegypti. Vt intelligamus quòd illo die omnes exierunt de terra Aegypti, quod fuit mirabile.
AVCTOR CATENAE. Et eadem die eduxit, &c. Hebraicè est וַיְהִי בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה הוֹצִיא יְהוָה Vai-
hi behézem haiom haze, hozi Iehoua, Et fuit in eademmet die eduxit dominus, &c. Vel, Factum est igi-
tur vt in ipsa eadem die educeret dominus. Alij vertunt, Et fuit in corpore diei huius eduxit domi-
nus. Chaldaica, Et factum est in ipsa die, eduxit dominus. Septuaginta, καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ἐξή- M
γαγε κύριος, Et factum est in die illa, eduxit dominus. Et Hebraismus est rectè ab Interprete redditus. Breuis ergo
*Mystice.* est eorum Epilogus, quæ de agno & paschate prædicta sunt copiosius.
*2. Tim. 3.* RABANVS. Omnis scriptura diuinitus inspirata secundum Apostoli sententiam, vtilis est ad docen-
dum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia. Quapropter quisquis sedulus eius est
meditator, internèque eam conspicit, inuenit in sermone suaue documentum, in sensu salubre consilium,
in mysterio honorabile sacramentum. Neque enim solummodo sufficit lectoribus diuinorum librorum sen-
sus historicus, sed etiam diligenter eis est considerandum, quid per allegoriam eis propheticus
sermo innuere velit. Hucusque igitur iuxta literam dictum, dicatur modò secundum viuificantem
spiritum



A spiritum. Dixítque dominus ad Moysen & Aaron: Hæc est religio phase. Omnis alienigena non comedet ex
eo. Alienigenam dicit gentilem, qui necdum sacro baptismate renatus est, cui nullo modo corpus domini-
cum & sanguis tribuendus est, quia sicut extrà est religione, sic debet esse & communione. Seruum verò
empticium mandat circuncidi, vt liceat ei pascha comedere. Quid est seruus empticius, nisi is qui emptus
est pretio sanguinis Christi? Qui primùm debet circuncidi, spirituali vtique circunciſione, non carnis,
sed cordis, & sic agni immaculati corpus comedere. Nam talibus dicit Petrus Apostolus, succincti lum- *1. Pet. 1.*
bos mentis vestræ, sobrij, perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Iesu Christi.
Et paulopòst: Scientes (inquit) quòd non corruptibilibus auro vel argento redẽpti estis de vana vestra con-
uersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi. Præ-
cogniti siquidem ante constitutionem mundi, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos qui
B per ipsum fideles estis in deo, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides vestra & spes esset
in deo, animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde in-
uicem diligentes attentiùs, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum dei viui &
permanentis. Aduena quoque & mercenarius pascha edere non possunt. Quis est aduena, nisi is qui nuper ve-
nit ad fidem, nec firmus est in catholica religione? Mercenarius autem ipse est, qui pro terrenis tantùm lu-
cris laborat, & nullum in futuro præmium requirit. Isti sanè non sunt digni accipere corpus Christi, quia
aut eum non firmiter credunt, aut non veraciter amant, ac ideo indigni eius participatione sunt. RV-
PERTVS. Spiritualis ergo phase religio, certum est, quòd nullum admittit nisi seruum empticium, id est,
eum tantũ, qui susceperit per baptismum emptionis, imò redemptionis Christi sacramentũ. Etiam si iam sit Ca-
techumenus, non vescetur, sed quasi mercenarius à cœtu vescentium segregabitur, vt nec saltem consistat in do-
mo, dum hoc phase immolatur, dum à domesticis fidei comeditur. Sed & in alterius sectæ homines, in quoscũq;
C hæreticos, vel schismaticos hoc phase diuidere nefariũ est, etiam si sanguine agni signatos se habere dicant sua-
rum frontium postes. AVCTOR CATENAE. Vides igitur quòd non comedit pascha seruilis ingenij
homo, nec pretio emptus, sed spiritu & veritate per Christum liberatus, fide in deum & operibus tendens, ac ex
seruo filius factus, sacramentis salutaribus initiatus? Sed nec sola cohabitatione & pro mercede, nõ ex dei fide &
tractu spiritus Ecclesiam fidelium frequentantes, mysteriorum participes esse possunt. Perseuerantia est enim
quæ coronat pietatem, & ex corde ac perpetuos cultores requirit, non horarios & mercenarios. THEO-
DORETVS. Aliter etiam hæc ad allegoriam conuertentes, dicere possumus, vernaculos esse inna-
tas atque insitas nobis rationes ac scientias. Emptos verò argento, disciplinas quas audiendo, legendó-
que comparauimus. Vernaculos tamen atque argento emptos circuncidere & purgare debemus, alieni-
genam verò nulla ratione admittere iubet, vt pote qui alienum dogma recipiat. Præterea si in Ecclesia ver-
ba dei comedis, & postmodum aut ad Iudæos aut hæreticos accedis, iam non in domo vna pascha do-
D mini vti iussus es agis. RABANVS. In vna nanque domo (inquit) comedetur, nec efferatis de car-
nibus eius foras. In vna domo agni caro comedi iubetur, quia in vna Ecclesia catholica, mysterium pas-
sionis eius ritè celebratur, nec efferri licet de carnibus eius foras, quia nec pagani, nec Iudæi, nec hære-
tici, nec illi omnino qui extra Ecclesiam sunt, ad hanc communionem admittuntur, quorum fides, do-
ctrina & conuersatio, aliena est à regula Ecclesiasticæ disciplinæ. RVPERTVS. In hoc etiam se-
cundum spiritum vnitas sanctæ Ecclesiæ commendatur attentiùs, scilicet vt manducaturi mensam domi-
nicam, simus domus vna, id est, idipsum dicamus omnes, & non sint hæreses in nobis & schismata.
Tunc enim non in vna domo comeditur agnus, sed foras carnes eius efferuntur, quando indiscretè tri-
buitur scindentibus vnitatem fidei, cùm in scissura mentium deus non sit. Ergo cum præsenti testimo-
nio scripturæ licet confidenter dicere, quia non est verum sacrificium, quod fit extra Ecclesiæ vnita-
tem. AVCTOR CATENAE. In vna ergo domo comedendum est pascha, in vna azymorum con-
E gregatione vnanimi voto, simili fide, concordi charitate, etiam si secundum loca & tempora diuidantur.
Non exportandæ carnes agni paschalis, nihil indignis & canibus illius mysterij proiiciendum, sed ardo-
re fidei cum gratiarum actione ruminandum, & igne charitatis absumendum, deóque dicandum, à quo
omne bonum. RVPERTVS. Nec os (inquit) illius confringetis. Hoc testimonio sanctus Euan- *Ioãnis. 19.*
gelista sic vsus est: Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius
crura. Et subinde, Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Ergo &
iuxta proprias vocum significationes, prophetia manifesta est. Et nihilominus tamen quotidie nobis mysticè
obseruandum est, vt os eius non cõminuamus, id est, verbum per quod subsistit cibi & potus huius sacramen-
tum non confringamus, sed integrum atque illibatum custodiamus. Qui enim quippiam de diuinitate agni
huius peruersum sentit, ipse sibi os illius confringit. AVCTOR CATENAE. Os etiam non
confringendum, significat spem futuræ resurrectionis in istis fidelibus, qui dignè phase domini celebra-
F uerint. RABANVS. Os igitur agni non comminuere, est in dispensatione incarnationis Christi,
robur diuinitatis per blasphemiam non corrumpere, quia deus & homo, vnus est Christus. Commi-
nuit ergo ossa agni, qui Christum dicit de Maria virgine purum hominem natum, & non verum Christum.
BERNARDVS IN SERMONIBVS. Sed & ossa quidem iustorum omnino integra atque il- *Ser. de cuite,*
læsa custodiuntur à domino, vt nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salubris inten- *car. & ossa*
tio conteratur, vt videlicet cõcupiscentiæ titillanti etiã detur assensus. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, *animæ.*
affectio vulnerat, sic consensus omnino animã necat. Intentionẽ igitur & propositũ mentis ea solicitudine cu-
stodiamus fratres, qua vitã animarũ nostrarũ volumus custodire quoniã istud omnino est peccatũ ad mortem,
cũ ex cõsensu & deliberatione delinquimus, proprio iudicio cõdemnati. Nec ideo sanè id dixerim, vt desperet
si quis fortè delicti huius sibi conscius est: sed vt expauescat præcipitiũ, & qui cecidit, adiiciat citiùs vt resurgat.

Nouerit enim excidisse se à iustitia, quicunque eiusmodi est. Cuius os confractum est & comminutum: nouerit præcisum se à corpore Christi, de quo nimirum legitur, Os non comminuetis ex eo. Vnde & in passione sua licet plagis virgarum in liuorem decolorata sit cutis, vt liuore eius nos sanaremur: licet clauis vulnerata sit caro, & lancea latus eius apertum, vt sanguine eius redimeremur: os tamen non est comminutum ex eo. Propterea & sanctus Dauid, Non est (inquit) occultatum os meum à te quod fecisti in occulto. Et in alio psalmo: Ossa (inquit) mea vt cremium aruerunt. Quod tunc fit, cùm omnem delectationem boni, prorsus amisisse videtur anima: solámque sibi aridæ intentionis fortitudinem reseruasse. Et vide ne fortè tale aliquid etiam beatus Iob pateretur cum diceret, Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, vt videlicet corrupta affectione vix solam sibi intentionem spiritalis cogitatio vendicaret. RABANVS. Quòd si quis (inquit) peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase domini, circuncidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Quod est apertè dicere veris Israëlitis, & populo Ecclesiastico verum pascha celebrantibus, si quis infidelis & externus à cultu Christiano, ad hanc communionem se sociare voluerit, expoliet priùs veterem hominem cum actibus eius, & induat nouum qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Sicque dignè sociabitur conuiuis cœlestibus, vescetúrque ritè epulis spiritalibus. INTERLINEARIS. Non autem antè, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. RVPERTVS. Ergo quisquis adhuc peregrinus, & nondum domesticus fidei est, siue ille paganus, siue sit hæreticus, aut certè falsò Iudæus, circuncidatur domino circuncisione cordis & aurium, quod est in Israëlitarum transire coloniam, & tunc vescetur carnibus agni, quæ non debent extra vnam catholicam Ecclesiam efferri. INTERLINEARIS. Si quis autem circuncisus non fuerit, non comedet ex eo. Quia nulla pars immunditiæ cum munditia quæ omnia mundat. SEVERVS. Scimus enim circuncisionem figuram salutaris lauacri tenuisse, per præputij abiectionem significans carnalem natiuitatem abnegandam esse, & in filios dei nos euadere iubens. RABANVS. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos. Quia personarum non est acceptor deus, sed in omni gente qui timet deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Non enim est distinctio Iudæi & Græci, serui & liberi, sed omnia & in omnibus Christus. AVCTOR CATENAE. Renati ergo sacramentis paschalibus, circuncisi carne & abluti animi vitiis, fiunt digna membra Ecclesiæ, Patriarcharum legitimi filij, cohæredes Christi, & regni cœlestis consortes. RVPERTVS. Possumus etiam per indigenam & colonum, quorum lex eadem fit, & eum qui ex circuncisione, & eum qui ex præputio est, intelligere populum, quorum alter qui ex circuncisione est, indigena rectè dicitur, alter qui ex præputio, colonus, hospes enim testamentorum, & alienus olim erat à conuersatione Israël. Vtriusque populi eadem lex est, vt tam hic quàm ille, omissis cunctis superstitionibus, vel iustitiis carnis, solam Christi quærant gratiam, & per hunc angularem lapidem, quasi duo parietes in vnam domum conueniant. LEO PAPA. Cùm igitur dilectissimi tanta sit misericordia dei vt etiam de Iudæorum populo multos per fidem iustificare dignatus sit, & nos sub veteri quondam ignorantiæ profunda nocte pereuntes, in patriarcharum societatem & in sortem electi generis adoptarit, ad altitudinem spei nostræ non segniter neque cum corpore curramus, sed prudenter atque fideliter cogitantes de quali captiuitate & quàm misera seruitute quo precio redempti, & quo brachio sumus educti, glorificemus deum in corpore nostro, vt habitare eum in nobis ex ipsa conuersationis nostræ probitate monstremus. Et quia nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius quàm pietas misericordię & puritas castitatis: his nos præsidiis specialiùs instruamus, & charitatis opere & nitore pudicitiæ tanquam duabus eleuati alis, de terrenis mereamur esse cœlestes. Quo desiderio quisquis gratia dei adiutus impletur, & de profectu suo non in se sed in domino gloriatur, hic legitimè honorat paschale sacramentum, huius limina vastator Angelus sanguine agni & signo crucis prænotata non intrat. Is plagas Aegyptias non pauescit, & iisdem aquis hostes relinquit extinctos, quibus est ipse saluatus. Amplectamur itaque dilectissimi purificatis mentibus atque corporibus salutis nostræ mirabile sacramentum, & ab omni fermento malitiæ veteris emundati, pascha domini cum digna obseruatione celebremus, vt regente nos spiritu sancto, à charitate Christi nullis tentationibus separemur, qui in sanguine suo pacificans omnia, in altitudinem paternæ gloriæ se recepit, & humilitatem sibi seruientium non reliquit.

*Psalm.138.* *Psalm.101.* *Iob.19.* *Act.10.* *Ser.de passione domini.4.*

## IN CAPVT EXODI TERTIVMDECIMVM, ARGVMENTVM.

*Primogenita deo sanctificanda. Memoria liberationis. Filij quid docendi. Quare Israelitæ profecti per deserta. Ossa Ioseph. Columna nubis.*

## CAPVT XIII.

*Lectio.1.* *Locutúsque est dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit uuluam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de iumentis. Mea sunt enim omnia. Et ait Moyses ad populum, Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit uos dominus de loco isto, ut non comedatis fermentatum*



A *mentatum panem. Hodie egredimini mense nouarum frugum. Cúmque introduxerit te dominus in terram Chananæi & Hethæi & Amorræi & Heuæi & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis ut daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. Septem diebus uescéris azymis, & in die septimo erit solennitas domini. Azyma comedetis septem diebus. Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Narrabísque filio tuo in die illo, dicens, Hoc est quod fecit mihi dominus, quando egressus sum de Aegypto. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, & ut lex domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te dominus de Aegypto. Custodies huiuscemodi cultum statuto tempore à diebus in dies. Cúmque introduxerit te dominus in terram Chananæi,*
B *sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit eam tibi, separabis omne quod aperit uuluam domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis, quicquid habueris masculini sexus, consecrabis domino. Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis precio redimes. Cúmque interrogauerit te filius tuus cras, dicens, Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit dominus nos de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis usque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo domino omne quod aperit uuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem ante oculos tuos,*
C *eo quòd in manu forti eduxerit nos dominus de Aegypto.*

AVCTOR CATENAE. Primam omnium legem in noua Israëlitarum Republica constat fuisse paschæ obseruationem de qua in præcedẽti capite actum est. Hoc autem in loco describitur secunda lex in nouo populo, quæ est de sanctificatione primogenitorum. Repetitur tamen & interim ac inculcatur esus azymorum, qui septem diebus paschæ obseruari debuit. Nam in liberatione ex Aegypto duo præcipua & maxima omnium miracula edita sunt. Alterum est, quòd dominus in media nocte pertranlierit Aegyptũ, & occiderit omnia primogenita Aegyptiorum, pepercerit autem primogenitis Israëlitarum. Alterum, quòd Pharao rex crudelissimus, & quem nullus permouere potuit vt Israëlitas ex Aegypto dimitteret, tanto terrore ex occisione primogenitorũ perculsus sit, vt non solùm dimiserit Israëlitas, sed etiam coëgerit ipsos Aegyptum tanta festinantia relinquere, vt non daretur ipsis vel tantillum spacij, quo conspersam farinam fermentarent. Hæc sunt duo stupenda & memorabilia miracula. Constituit igitur Dominus pro his duobus miraculis, duas grauissimas leges, vt miracu-
D la tantò diligentius memoriæ mandarentur, quantò maiorem seueritatem leges præ se ferunt. Ac primùm, propter miraculum in primogenitis editum, constituitur lex, vt omnia primogenita Israëlitarum tam de hominibus quàm de iumentis, Domino consecrentur. Deinde propter alterum miraculum, quo Pharao Israëlitas tam festinanter ex Aegypto expulit, vt non habuerint tempus fermentandi consperam farinam, instituta fuit altera lex de vescendis azymis, septem diebus Paschæ. Hæc lex etiam in præcedenti capite non solùm posita, sed & sæpe repetita est, ac nunc in hoc capite iterum inculcatur. Et cùm antea addita sit pœna seueriſsima, Qui comederit, inquit, fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israël, Nunc mandatur etiam, vt posteris inculcetur: Narrabis, inquit, filio tuo in die illo dicens, Hoc est quod fecit mihi dominus, quando egressus sum de Aegypto. Quod autem hæc lex de vescendis azymis instituta sit in memoriam eius miraculi, quod antea in Pharaone editum recensuimus, testatur ipsa scriptura dicens: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante
E oculos tuos, & vt lex domini sit in ore tuo, & cætera. Sed agè videamus quid sancta hæc ipsa lectio dicat.

*Lectio.1.* *Locutúsque est dominus ad Moysen, dicens, Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israel, tam de hominibus quàm de iumentis.* Mea sunt enim omnia. AMBROSIVS SVPER LVCAM. Verbis his legis promittebatur virginis partus. Et verè sanctus, quia immaculatus. Deniq; ipsum esse qui lege signetur, in eundẽ modum ab angelo repetita verba declarant, Quia quod nascetur, inquit, sanctum vocabitur filius dei. Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatũ semen inuiolabili vtero spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cœlesti maiestate depulerit. Nam si literam sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cũ multos sceleratissimos fuisse nõ lateat? Nũquid sanctus Achab? Nunquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Heliæ preces vltor cœlestis iniuriæ ignis absumpsit? sed ille sanctus quem in figura futuri mysterij pia legis diuinæ præscripta signabant, eo quòd solus sanctæ Ecclesiæ virginis ad generandos populos dei immaculatæ fœcunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum, qui enim dixe-
F rat ad Prophetam: Priusquam te formarem in vtero noui te, & in vulua matris sanctificaui te. Qui ergo vuluam sanctificauit alienam vt nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam vt immaculatus exiret.

*Cap.2.* *Hierem.1.*

THOMAS. Sicut Gregorius Nyssenus dicit, istud legis præceptum in solo incarnato deo singulariter, & ab aliis differenter impleri videtur, ipse nanque solus ineffabiliter conceptus, & incomprehensibiliter editus, virginalem vterum aperuit, non antea connubio reseratum, seruans & post partum inuiolabiliter signaculum castitatis, vnde quod dicit, adaperiens vuluam, designat quòd nihil antea inde intrauerat vel exiuerat, & per hoc etiam specialiter dicitur masculinus, quia nihil de fœmineitate culpæ portauit. Singulariter etiam sanctus, quia terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit. RABANVS. Commendat populo per Moysen dominꝰ ereptionis suæ memoriã habẽdã, & Aegyptiorũ interfectionis, vt sciret debitores se esse, primogenita sua & primogenita iumentorũ suorum domino offerre, qui in eorum liberatione omnia primogenita

*3.par.q.37 ar.3.ad.1.*

Aegyptiorum extinxit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Sanctifica mihi omne primogenitum, G videlicet pro interfectis primogenitis Aegyptiorum. Sanctificabantur autem ad opus Leuitarum, vt se eis redimerent, quia pro eis domino seruiebãt, & pro toto Israël. CAIETANVS. Præcipitur autem sanctificatio, nõ aliqua interueniente benedictione aut cerimonia, sed sola recognitione & exhibitione. Cõsistebat enim huiusmodi sanctificatio in hoc, quòd homo recognosceret primogenitũ esse dei, & daret deo. Sanctifica mihi omne primogenitũ quod aperit vuluam in filiis Israël, tam de hominibus, q̃ de iumentis. Masculi enim duntaxat sanctificãdi præcipiuntur, & duæ cõditiones requirebãtur. Altera, quòd esset masculus: altera, quòd esset prima proles. Ita quòd si prima proles fuisset fœmina, masculus qui postea fuisset genitus, nõ erat sanctificandus: quia licet fuisset primogenitus, non tamen erat apertio vuluæ, sed iam inuenerat apertam per priorẽ prolem. Et propterea in litera vtrũque exprimitur. Sed occurrit quæstio, an exigeretur quòd esset masculus prima proles vtriusque parentis, an matris tantũ, an patris tantũ. Et est ratio dubitandi, quia tunc erat licita pluralitas vxorum, & contin- H gere poterat quòd prima vxor genuisset primùm fœminã: & altera postea masculum, hic enim masculus est primogenitus apertio vuluæ, quãuis non sit prima proles patris: & similiter si prima vxor fuisset vidua, quæ alteri viro priùs genuisset, & genuisset primò masculum huic viro, hic fuisset primogenitus, & tamen nõ fuisset apertio vuluæ. Hic ergo primogenitus patris tantùm, ille autem primogenitus matris tantùm. Solutio est, quòd exigitur ad sanctificationem, quòd sit primogenitus vtriusque. Quòd enim relatiuè ad matrem oporteat esse primam prolem, testatur litera dicens, adaperiens, seu apertio vuluæ, quòd verò non sufficiat esse primogenitum matris, testatur scriptura, solum Ruben appellando primogenitum Iacob, cùm tamen iuxta matres, Ioseph esset primogenitus, & breuiter vnius viri fuissent innumeri primogeniti. In litera ergo primogenitus refertur ad patrem, apertio vuluæ ad matrem. Et hæc apparent vera, sistendo in specie humana. Verùm si integrè litera perspiciatur (statuens absque disparitate primogenitum apertionem vuluæ omnis in filiis Israël in homine & in bestia) apparebit quòd exigitur & sufficit quòd sit masculus prima proles matris, I quicquid sit ex parte patris, hoc enim manifestè in armentis naturalium brutorum clarè apparet. Quot ergo vir genuisset masculos primas vxorum proles, tot primogenitos erat deo daturus, quia sic sonat lex diuina, quamuis enim vnus eorum tantùm fuisset primogenitus quoad hæreditatis iura, quilibet tamen ipsorum erat primogenitus, quo ad sanctificationem. Et hunc esse sensum literalem testatur Lucas capitulo secundo, referendo hanc legem sub his verbis, Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Oportuit autem Moysen mentionem facere primogeniti, quia loco primogenitorum occisorum in Aegypto appropriantur deo. Et non superfluè dicitur, quia nec aperire vuluam sufficit (potest enim fœmina aperire vuluam) nec esse primogenitum sufficit, potest enim primogenitus esse & non aperuisse vuluam, vt sæpe contingit primogenitum post sororem genitum esse. Mea enim (inquit) sunt omnia. De primogenitis est sermo, ratio enim redditur sanctificationis eorum, quia dei sunt, iustum est enim vt quæ sunt dei, reddantur deo. AVCTOR CATENAE. Sanctifica, id est, consecra, mihi omne primoge- K nitum quod aperit vuluam. Hebraicè est פֶּטֶר כָּל רֶחֶם Péter col rèchem, Apertionem omnis vuluæ. Quod per apppositionem dictum est, primogenitum. quod primò aperit matris vterum. Nam aperire vuluam, est primogenitum nasci. Mea sunt enim omnia. Hebraicè, לִי הוּא Li hu, Meum est, Subaudi primogenitum. Et ita est in omnibus editionibus. Sed hoc à sententia Latinæ literæ non discordat. Sanctificare vno modo quis dicitur, aliquid in vsum dei separare, dedicare & seligere, ita quòd ab eius seruitio nunquam auellatur, & hoc modo tribus Leui fuit domino sanctificata. Altero verò, quod deo oblatum est, precio vel re aliqua redimere vt in alium vsum transferatur, cuiusmodi sanctificatio hoc in loco requiritur primogenitorum. Pro hominis enim primogenito sacerdoti pretium dabatur, pro asini primogenito, ouis. Cuius ratio subditur, Mea sunt enim omnia. Ex quo percussit dominus Aegyptiorum omnia primogenita, ab homine vsque ad iumentum, Hebræorum primogenita seruans, horum primogenita illi obligata remanserunt. *Et ait Moyses ad populum: Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos domi-* L *nus de loco isto, vt non comedatis fermentatum panem.* BEDA. Et de domo seruitutis, &, pro id est. Dicitur autem Aegyptus domus seruitutis, quòd Israël ibi seruiuit. Vel quòd idolis Aegyptiorum seruierunt, siue quòd quinta pars regibus dabatur. CAIETANVS. In præcedenti capitulo promulgauerat Moyses populo præceptum de agno paschali singulis annis immolando, modò promulgat legem de non fermentato & azymis per septem dies singulis annis. AVCTOR CATENAE. Mementote diei huius. Verbũ זָכוֹר Zachor potest esse imperatiuum, & tunc vertitur, Memento: aut infinitiuũ, & tũc redditur, Recordari, vt sit sensus, recordari debetis. Et de domo seruitutis. Hebraicè est מִבֵּית עֲבָדִים Mibeth habadim, De domo seruorum. Nec ponitur coniunctio, &, sed tantũ per appositionẽ Aegyptũ vocat domũ seruorum, id est, locum in quo seruiebant seruitutem duram, quasi dicat, de domo in qua serui fuistis. Sic etiã legitur in omnibus editionibus, sed hæc sensum non mutant. In manu enim forti eduxit vos dominus, id est, magnis viribus, magna virtute & fortitudine, vt non comedatis fermentatum panem. Hebraicè, וְלֹא יֵאָכֵל חָמֵץ Velo iéachel chamez, Vt non, M vel ne comedatur fermentatum. Vt scilicet hac ratione memores sitis quomodo non tantùm vi existis ex Aeygpto, sed etiam ita festinanter eiecti fuistis, vt non licuerit immorari diutiùs ad parandum viaticum, nondúmque massæ vestræ essent fermentatæ, tantũ abest vt vos retinuerint. Chaldaica, Et non comedetur fermentatum. Septuaginta autem habent fermentum. Sed hæc idem dicunt cum litera nostra. Gratitudinem autem duplicem præscriptis verbis deus exigit pro beneficio redemptionis ex Aegypto, memoriam scilicet beneficii sempiternam, & obedientiam, fidémque in dei omnipotentiam & beneuolentiam, vt fideles credãt omne bonum deum posse & velle. Non vnquam (inquit) excidat vobis tanti beneficij memoria, nunq̃ inueniamini ingrati ei qui exemit vos magnificè de domo seruitutis, de grauissimo duróq; seruitio. *Hodie egredimini mense nouarum frugum.* GRAECVS. Notandũ φ in die nouarũ frugũ filij Israël ex Aegypto egressi sunt. Quartadecima mensis quando comedebant paschã, venerũt in Rameſſe, quintadecima die venerũt in Sochoth, vt legimus



A vt legimus in libro Numerorum. HIERONYMVS IN AGGEVM. Nisan apud Hebræos mensis est *Cap.2.* primus, qui appellatur mensis nouorum, eo tempore quo pascha faciunt, id est, incipiente veris exordio, qui secundum lunæ cursum sæpe quandam partẽ mensis Martij possidet, interdũ incipit in Aprili. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Hodie egredimini mense primitiuo. Ita quòd non significatur mensis ex eo quòd primus inter menses anni statutus sit, sed ex eo quòd est initiũ primi veris, ac per hoc mensis primitiarũ terræ. In regionibus, siquidẽ illis, primitiæ fructuum terræ sunt in principio veris, vsqueadeò, vt tempore paschali primitiæ frugum offerrẽtur deo. AVCTOR CATENAE. Hodie egredimini mense nouarũ frugũ. Sic est in Chaldaica. Et Septuaginta, ἐν μηνὶ τῶν νέων, In mense nouorum. Hebraicè verò est: בְּחֹדֶשׁ הָאָבִיב Bechodes haabib. Pro quo sciendum, dictionem abib descendere ab abab, quod significat virens, vnde abib nouas fruges adhuc virescentes significat. Significat etiã calamũ in cuius summitate spica est cum nouis frugibus tritici seu hordei. Vnde vertunt hîc aliqui, In mense maturescentis frugis, alij in mense spicarum: nonnulli intactã dimittunt He- B braicam dictionem, & dicunt, In Mense Abib. Demum aliqui, In mense primitiuorũ. Capitur autẽ pro illo tempore quo fruges ad maturitatẽ tendunt, quod in terra promissionis fit proxima lunatione post æquinoctiũ vernum, hoc est, in principio Aprilis. Qui mensis est ambulationi conuenientissimus, quippe qui nec nimis calidus, nec nimis frigidus est. Nec est mensis qui אָב Ab, id est, Iulius dicitur, sed אָבִיב Abib, Qui primus est institutus in mensibus anni. Alij eundem intelligunt mensem, sed non quo tunc maturescant fruges, sed quo spicæ exeant è calamis, quod etiam fit mense Martio, vel in principio Aprilis. Vt Mensis quo Israël exiit Aegyptum, dicatur mensis viroris & germinationis, tempus totum vernale, quando omnia florent. Quanquam & à nouis frugibus dicatur, non ob maturitionem, sed floritionem, vnde spes datur prouentuum. *Cúmque introduxerit te dominus in terram Chananæi & Hæthei & Amorræi, & Heuæi, & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis vt daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto* HIERONYMVS IN AMOS. Iurantem deum *Cap.8.* C sæpius scriptura describit, primùm in Genesi, Vocauit Angelus domini Abraham secundò de cœlo, dicens: Per *Gene.22.* memetipsum iuraui (dicit dominus) quia feciſti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo charissimo: Benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te quasi stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris. Et in centesimonono psalmo: Iurauit dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quod quicunque est ille qui ad Hebræos scripsit Epistolam, differens ait, Quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Et in hoc eodem Propheta suprà legimus: Iurauit dominus in sancto suo, siue per sanctos suos: quia ecce dies veniunt super vos, & tollent vos in armis siue in contis: & reliqua. Qui ergo priùs in sancto suo, siue per sanctos suos iurauerat, nunc iurat contra superbiam Iacob, vt si non credunt cõminanti, credant iuranti in humanam similitudinem, qui iuramentũ tunc assumunt, quando simplicibus eorum verbis non creditur. Nec mirum est si deus iurare dicatur, cùm dor- *Rom.2.* mientibus dormiat, & vigilantibus vigilet, hísque qui sibi thesaurizauerunt irã in die iræ, dicatur irasci. IN- D TERLINEARIS. Idem est iurauit, quod firmiter promisit, ne quis dubitaret. CAIETANVS. Definitur autem tempus seruandæ legis huius, fore tempus habitæ terræ promissionis. Hinc enim clarè habetur, quòd ex ipsa promulgatione legis, dilata est obligatio ad exequendum vsq; ad ingressum terræ promissionis. AVCTOR CATENAE. Celebrabis hunc morẽ sacrorũ. Rectè Hebraicũ expresit, quod est וְעָבַרְתָּ אֶת הָעֲבֹדָה הַזֹּאת Vehabadta eth hahaboda hazzoth, Seruies seruitutem istã, id est, celebrabis ritũ, siue (vt habet Chaldaica) cultũ istũ. Quod nil aliud est quàm quod dixit Interpres, qui sacrorũ nomine, paschales obseruantias in dei honorẽ statutas nuncupauit. Septuaginta, ποιήσεις τὴν λατρείαν ταύτην, Facies seruitutẽ hanc. Non ergo in solitudine iubentur Phase dño celebrare, sed cũ terrã hostiũ suorũ Chananæã acquisierint, promissam patribus, fertilissimã præ reliquis patriã, quod est lacte & melle fluentẽ. Phœnicij enim regio, etiã secundum scriptores Ethnicos, laudẽ habet fertilitatis. Quod autẽ hodie tam miserè squalet, & inculta ac solitaria iacet, propter peccata Israëlitarũ, secundumq; dei iustum iudicium, & veritatẽ verborum eius, necessariò factum videtur. Enumeratis quoque quinque E Gentibus terram promissionis incolentibus, etiam Pherezæos & Gergezæos non recensitos subintelligit, omnes enim sub generali Chananæorum vocabulo comprehenduntur, vt paulo pòst dicturus est, Cumq; introduxerit te dominus in terram Chananæi. Quanquàm apud Septuaginta apertè etiam illi recensentur. *Septem diebus vescéris Azymis, & in die septimo erit solennitas domini.* GRAECVS. Septima enim dies azymorum præter alias cœtum populi habebat, & lectiones, sacrificia, & alia quædam. AVCTOR CATENAE. Et in die septimo erit solẽnitas domini, vel dño, id est, in honorẽ domini. Est enim in Hebræo לַיהוָה Laihoua. Erat siquidem dies septima sicut prima celebris, omnibusq; intermediis diebus solennior. Notandum autẽ, quòd in Græcis codicibus hoc in loco ita legitur, ἑξ ἡμέρας, videlicet, sex dies azyma comedetis, quod sobriè intelligendum est. Nam paulo pòst habent, ἑπτὰ ἡμέρας septem dies. Ea igitur ratione factum est, vt sex dies intelligerent qui festum præcedunt septimum, & septima die idem fiendum intenderent. Renouatur itaque præceptum, vt inculcetur mandatum de gratitudine pro beneficio. *Azyma comedetis septem diebus. Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.* CAIETANVS. Desunt multæ dictiones. Legendum est, Non apparebit apud te aliquid fermen- F tatum, Et non videbitur tibi fermentum in omni termino tuo. AVCTOR CATENAE. Et verè quidem ita est, nam Hebraicè ita legitur וְלֹא יֵרָאֶה לְךָ חָמֵץ וְלֹא יֵרָאֶה לְךָ שְׂאֹר בְּכָל גְּבֻלֶךָ Velo ierae lecha chamez, velo ierae lecha seor becol gebulécha, Et non videatur apud te fermentatum, neque videatur apud te fermentum in cunctis finibus tuis. Sic & Chaldaica, & non apparebit tibi fermentatum, neque apparebit tibi fermentum in omni termino tuo. Sic & Septuaginta. Sed doctus & prudens Interpres Hebraicam phrasin restrinxit, & omnia hæc sub pauciſsimis illis verbis expresit. Parum est autem quòd vbi apud nos est, comedetis, verbum יֵאָכֵל Ieachel, ab omnibus comedetur, redditur. Sed hoc sensum non mutat. Vehementer igitur cauetur, ne quacunque ratione fermentum, vel acidum aliquid fermenti loco edant. Solet enim caro affectibus dedita, legibus simpliciter traditis in fraudem vti, velléque circumire & infringere, ne cõtra legem peccasse videatur. Vnde hîc omne acidum prohibetur, quod propinatores facilè pro fermento inducerent.

*Narrabisque filio tuo in die illo, dicens, Hoc est quod fecit mihi dominus, quando egressus sum de Aegypto.* CAIETANVS. G
Doctrina domestica præcipitur in solennitate paschali. Docemur etiam hinc, vt beneficia exhibita patribus nostris habeamus vt beneficia nobis collata. AVCTOR CATENAE. Hoc est quod fecit mihi dominus, Hebraicè בַּעֲבוּר זֶה עָשָׂה יְהוָה לִי Bahabur zeh asa iehoua li, Propter hoc quod fecit dñs mihi. Nec moueat q̃ deest, relatiuũ quod, nã vulgare est apud Hebræos vnã esse ex dictionibus, quæ frequẽter nõ ponitur, & tamẽ subintelligitur. Et est sensus, propter ea signa quæ fecit dominus, videlicet occisa primogenita, celebramus Paschæ istius festũ, in memoriã beneficij accepti. Alij verterũt, Propterea hoc, vel sic fecit mihi dominus, subaudi, vt memores essemus beneficij accepti, quasi dicat, Deus fecit illa signa, cũ egrederer ex Aegypto, vt perpetuò memores essemus illius beneficij, & quòd semper adesse solet suis in necessitate. Chaldaica, Propter hoc fecit mihi dñs. Sic & Septuaginta. Quod intellige vt dictum est, nec discrepãt hæc à sensu Latini Interpretis. Narrabis itaque filio tuo, id est, filiis & nepotibus tuis in die illo quo scilicet comedes agnum paschalem. Festis diebus parentes ac H doctores narrare debent filiis magnalia dei, patribus olim exhibita ad fouẽdum amorẽ & fidem dei in iunioribus, quibus coalescant, & promoueantur secundum ætatem ad opera pietatis, & suo quoque tempore suis filiis narrare possint ad dei gloriam, & ædificationem Ecclesiæ sanctæ. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt lex domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te dominus de Aegypto.* GRAECVS. Translatè dictum est, appensum quid, ab iis qui aliquid annulis suis alligant, vt negotiorum memores sint. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et erit tibi in signum super manum tuam, & in recordationẽ inter oculos tuos, vt sit lex domini in ore tuo. Prima lex data à deo per Moysen populo, fuit de celebritate paschali, & tanti pendẽda censetur, vt assimiletur signo in manu, & pendulo inter oculos ad hunc effectum, vt ista lex summi dei sit in ore semper. Et dixit hæc Moyses, ne crederent quòd sufficeret semel in anno (tempore scilicet paschatis) docere & annunciare tantũ beneficiũ liberationis ex Aegypto, sed quòd esset frequentissima recordatione recolendum, tanq̃ signũ in manu, tanq̃ res pendula inter oculos, & sermone crebro celebrandũ. AVCTOR CATENAE. I
Et erit quasi signum in manu tua, & cætera. Totus iste locus eodẽ modo habetur in Hebræo sicut & in Chaldaica, videlicet, Et erit tibi in signum in manu tua, & in memoriale inter oculos tuos, vt sit lex domini in ore tuo, quia in manu, & cætera. Licet quod dicitur עַל יָדֶךָ Hal iadcha, Alij verterint super manum tuam. Sed hæc idem sunt cum litera nostra. Signum igitur ad manus, & memoriale ob oculos, idiotissimus est Hebraicus, quotidiani exercitij. Et perinde est ac si dicatur, externæ istæ cærimoniæ sint tibi non secus ac si quis signum aliquod in manum aut ante oculos ponat, quod eũ perpetuò admoneat, ne velut tardioris memoriæ cõmissorum obliuiscatur, aut si excidant, faciliùs reminiscatur. Vt lex domini semper (inquit) sit in ore tuo, id est, vt illam iugiter mediteris ad explendam domini voluntatem, exercearisque semper in operibus quæ præcepit tibi dominus. His enim fieret, vt potentia, gratia & misericordia dei semper in eis renouaretur, & incalesceret sæpe cor eorum, vt benefactorem tantum redamarent, timerent, colerẽt, & innocenter coram eo ambularent. Quò enim plus amatur, hòc magis voluntati eius obtemperatur, vt sic semper lex domini sit in ore fidelium, vt semper eius benefi- K
centia collaudetur & extollatur. Ridendi hìc infelices Iudæi, qui carnaliter tantùm sapientes, hoc dei præceptum in membranula scribunt, & in manu sinistra ligant atq; in capite. Sicut enim talpæ semper solo inhærẽt, sic illi literæ quæ occidit nisi spiritaliter intelligatur, affixi sunt. *Custodies huiusce modi cultum statuto tempore à diebus in dies.* INTERLINEARIS. Vt igitur (inquit) non te excuses, cui religio præscripta est, præscriptum seruabis cultum. CAIETANVS. Semel ergo in anno præcipitur celebratio paschalis. AVCTOR CATENAE. Quod in Hebræo legitur חֻקָּה Chukka, Et cultum & pactũ & statutum & ritũ & legẽ reddi potest. Est enim dictio de qua satis suprà. Statuto tempore, siue tempore suo à diebus in dies, id est, quotannis, siue per singulos annos. Alij iugiter verterunt. Chaldaica, à tempore in tempus. Septuaginta, κατὰ καιροὺς ὡρῶν, Secundum tempora annorum vel partium anni. Sed horũ omnium idem est sensus cũ litera nostra. Hoc est, Incipies annum ab illis diebus, & reuoluto anno rursus in illis incipies celebrare pascha. Nam cùm annus diebus constet, vtuntur Hebræi quandoque diebus in pluratiuo pro annis. INTERLINEARIS. Deinde quomodo sacrificet primogenita exponit, L *Cùmque introduxerit te dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit eam tibi, separabis omne quod aperit vuluam domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis, quicquid habueris masculini sexus consecrabis domino.* Sicut iurauit tibi & patribus tuis, quasi dicat, quorũ meritis introduceris. AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SV- *Locut.63.*
PER EXODVM. Iuxta Septuaginta ita legitur, separabis omne adaperiẽs vuluã masculina dño. Pluralẽ numerũ intulit singulari, quia ipsum quod dictũ est, Omne adaperiens, non vtique in vno, sed in multis accipitur. *Psalm.77.* Similis est locutio, Attendite populе meus. Tale est & quod paulo pòst sequitur, Omne quod aperit vuluã de armentis & pecoribus quæcũq; tibi nata erũt, ipse modus est locutionis. RVPERTVS. Quare cũ suprà dixisset, sanctifica mihi omne primogenitũ, addidit hìc & ibi, qđ aperit vuluã? Videlicet vt dubiũ non esset quod intenderit. Vult autẽ primogenitum omnis vteri quod plus est, quàm primogenitum viri. Sæpe enim factũ est & fit, vt plures vnius vxoris viri sint. Ne ergo suspicari liceret quòd de quãlibet multis vxoribus vnũ deberet primogenitum vnus vir, rectè cũ dixisset, omne primogenitũ, addendo quod aperit vuluam, suam exactionem definiuit. CAIETANVS. Secunda lex fuit primogenitorũ, & hæc quoq; promulgatur, non obligatura vsq; ad ingressum terræ promissionis. Quam igitur legẽ à deo acceperat Moyses de sanctificatione primogenitorũ, promulgat modò populo. AVCTOR CATENAE. Separabis omne quod aperit vuluã domino. Vide quàm eleganter verbũ expressit Hebraicũ interpres הַעֲבִרְתָּ Hahabarta, Transfire facies. Ita enim & Chaldaica habet, pro quo alij, Adduces, verterunt. Sed idem sensus cum litera nostra. Sequitur, Et quod primitiuum est in pecoribus tuis, & cætera. Paucis verbis obscurum Hebraicum doctus Interpres clarum reddidit, ita enim legitur וְכָל פֶּטֶר שֶׁגֶר בְּהֵמָה אֲשֶׁר יִהְיֶה לְךָ הַזְּכָרִים לַיהוָה **Vecol péter seger behema aser ihie lecha hazecharim laihoua, Et omnem apertionem, emissionem iumenti vel pecoris quod fuerit tibi, mascula domino, subaudi erunt. Per appositionem dictum emissionem iumenti, id est, omne quod aperit vuluam bestiæ, hoc est, omne primogenitum bestiæ, quæ tua fuerit. Apertionem autem vuluæ, vocat primogenitum. Alij reddunt, Et quodcunque**



A cunque eiectitium primò aperuerit pecudem, quæ tibi fuerit: siue, Et quicquid primò aperit vuluam, & emittit animal quod est tibi, masculina domini, vel, mascula domino erunt. Exponunt enim aliqui Hebræi Séger hoc in loco duntaxat, pro emisso fœtu, præsertim qui ante tempus à natura statum emissus fuerit. Sensus igitur secundum istos est, Si tibi fuerit iumentum, cuius vterum fœtus aliquis etiam immaturus, id est, abortiuum quod emittit mater sua non in suo tempore, primò aperuerit, idque masculini fuerit sexus, domini erit. Nam de primogenito quod suo tempore emittitur, iam dixerat, & omnem פֶּטֶר Péter, id est, apertionem, siue omne adaperiens, hoc est, omne primogenitum. Alibi autem ſéger accipitur pro primogenito quod suo tempore emittitur, vt Deuteronomij septimo. Alij, Et omne primogenitum fœtus iumenti quod tibi fuerit, mares domini, subaudi, sunt, vel erunt. Quasi iam loquatur de primogenitis iumentorum, & pauloantè de primogenitis hominum dixerit. Quibus fauet & Chaldaica, inquiens, Et om-
B nes masculos qui aperiunt vuluam in animalibus, quos habueris sanctificabis coram domino. Sed hi cum priori expositione conuenire videntur. Quæ omnia à literæ nostræ sensu non deuiant. Sic itaque segregatio & oblatio primitiuorum, recognitio est beneficiorum dei quia omnia creauit deus ad hominis vsum, vt beneficum sibi deum agnoscat & colat. *Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris, interficies.* AV- *Locut.64.*
GVSTINVS. Hoc modo illo locutionis dicitur, quem iam in Genesi notauimus, vbi masculinum pro *Gen.23.*
fœminino positum est, de morte Saræ dicente scriptura, Surgens Abraham à mortuo: &, Sepeliam mortuum meum, talia sæpe ibi dicuntur de mortua. AMBROSIVS LIBRO SECVNDO DE CAIN *Cap.2.*
ET ABEL. Quoniam immunda animalia lex à sacrificio separauit, & pro his ad vicem munda iussit offerri, Asinæ partum, hoc est, immundum, iubet mutari oue, quæ munda & apta sacrificio est. CAIETANVS. Quia Asinus animal erat non immolabile, propterea redimendus præcipitur, aut interficiendus. Poterat quippe contingere vt primogenitus Asinæ esset inutilis, ac per hoc dominus eius nollet redimere eum,
C & in huiusmodi euentu præcipitur primogenitus ille interficiẽdus, quia videlicet dei est, & non redemptus, derogaret enim decori rei diuinæ, si res dei in prophanos vsus verteretur, vel neglecta seu derelicta haberetur. AV CTOR CATENÆ. Primogenitum Asini mutabis oue, sic & Septuaginta, quod Hebraicè legitur תִּפְדֶּה בְשֶׂה Tiphde bese, Redimes pecude, agno vel hœdo. Chaldaica, Redimes agno. Sed hoc in loco idem est redimere & mutare, nam mutando redimebatur. Hoc autem ideo fiebat, quia non licebat consecrare asinum domino, quia immundum erat animal, sed loco illius immolandus erat hœdus vel agnus. Quod si non redemeris, interficies. Verbũ עָרַף Haraph, propriè est excerebrare, seu deceruicare. Vnde hìc vertunt nonnulli, Deceruicabis ipsum. Alij, Franges ei ceruicem. Chaldaica, Mactabis eum, habet. Sed & qui deceruicat, seu frangit ceruicem, interficit. Bene ergo reddidit verbum Latinus Interpres. Et de hoc quidem quantum ad Latinũ & Hebraicum attinet codices, nulla controuersia est, non enim aliter habent Hebraica. At Græci codices hoc in loco permultum ab vtrisque discrepant. Præcipitur enim hìc, vt primogenita eorum animalium, quæ sacrificari non
D solent, vt asini & equi, redimantur vel commutentur aliis animalibus sacrificio aptis. Quæ commutatio si facta non fuerit, præcipit vt eius animalis primogenitum non permittatur viuere. Hoc igitur quomodo in codicibus Græcis exprimatur cognoscamus, ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσεως αὐτό, id est, Quod si non mutaueris, redimes illud. At nón ne idem est commutare, & redimere? Aut igitur bene à doctis viris Septuaginta versum, sed scriptorum vel librariorum vitio corruptum, aut mysterium quod nondum intellectum, reuelandum quandoque cui deo placuerit. Asini igitur primogenitum offerri quidem vult, sed redimi oue, vt immundorũ quoq; animalium non spernatur creatura, quæ multifariam hominibus prosunt domino ordinante, cui nihil immundum, sed omnia valde bona. Exceruicatio autẽ fiebat in horrorem ingratitudinis, quia mittendo redemptionẽ, parũ se gratũ esse planè ostendebat dominus pecoris. Vel, quod magis placet, in memoriã extinctionis primogenitorum Aegyptiorum, quando filios Israël eduxit dominus de Aegypto. *Omne autẽ primogenitũ hominis de filiis tuis pretio redimes.* CYRILLVS. Primogenita hominũ redimi iubet, vt homicidiũ vetet, qui omnia vt incorruptibilia essent, creauit. RVPERTVS. Quod hìc dicitur de filiis tuis, subaudiri vult, nõ de alienigenis siue mercenariis, pretio redimes, nõ tam iussio, quàm permissio est. Nam qui pretio redemit, bene quidẽ fecit, veruntamen
E Anna quę Samuelẽ non redimere voto proposuit, melius fecit. CAIETANVS. Quia ergo homo immolari nõ potest, redimẽdus præcipitur, pretio explicãdo inferiùs, vbi lex ista pleniùs tractatur. AVCTOR CATENAE. Pretio redimes, de suo addidit Interpres dictionẽ, pretio, nam nõ est in Hebræo, neq; apud Septuaginta, nec apud Chaldaicã. Hoc autem fecit ppter id quod Numerorũ tertio dicitur, quod quinq; siclis redimebatur anima hominis. In pium autẽ vsum pecunia redemptionis collocanda erat, & digna deo illa sacrificia coẽmẽda. Alij quod hìc dicitur, Redimes, subaudiũt, animali mundo, hoc est, loco illius animal mundum immolabitur. RVPERTVS. Hucusq; lex primogenitorũ scripta fuit. Cęterùm illa tam primogenitorum, quàm & posterius natorum lex cõmunis est, quę in Leuitico hoc modo scripta est: Cumq; expleti fuerint dies purgationis eius, sci- *Leuit.12.*
licet mulieris, quæ filiũ vel filiã peperit, pro filio vel filia deferet agnũ anniculũ in holocaustũ, & pullũ colũbæ,
F siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & cætera. Quòd si nõ inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabit pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Itaque primogenitus hominis dupliciter legi debitor fuit, primùm vt domino sisteretur redimendus, deinde vt hostia pro illo sicut pro cæteris daretur. Vtrumque in deductione domini, Euangelista hoc modo denunciauit: Tulerunt (inquit) eum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege Moysi, quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum do- *Luc.2.*
mino vocabitur. Hoc pro lege primogeniti, quia videlicet dominus noster cum sit matri suæ vnigenitus, consequenter est & primogenitus, quamuis non è conuerso primogenitus omnis sit etiam vnigenitus. Sequitur Euangelista, Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Hoc pro lege matrum communi, quia videlicet sic fieri tam pro filia quàm pro filio lex absque vlla exceptione iussit, non pro redemptione partus, sed pro emundatione parientis. Quo autem

iure primogenitum omne exigat,ratione ſubiuncta manifeſtat. *Cúmque*(inquit)*interrogauerit te filius tuus cras,dicens,* G *Quid eſt hoc?Reſpondebis ei,In manu forti eduxit dominus nos de terra Aegypti,de domo ſeruitutis.* INTERLINEARIS. Interrogauerit te filius tuus cras,id eſt,in futuro,ſolita ſcripturarum locutio.Ecce quomodo & ſpiritaliũ,& car-
*Deut.32.* nalium patrum eſt,legem ſcire,& fidem docere,Iuxta illud,Interroga patres tuos,& dicent tibi,& cætera. RVPERTVS. Conſentimus æquitati quotquot in hoc ſanctarum legum auditorio conſiſtimus iuriſperiti, vel ſenſum habentes veritatis,quia ius eſt,vt pro quorum liberatione, illa corporaliter primogenita cæſa ſunt, ab eis liberatori ſuo deberetur omne primogenitum. AVCTOR CATENAE. De domo ſeruitutis vel ſeruorum, id eſt,de loco in quo ſeruiebamus duram ſeruitutem. *Nam cùm induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis, vſque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immo-*
*Lucut.65.* *lo domino omne quod aperit vuluam maſculini ſexus, omnia primogenita filiorum meorum redimo.* AVGVSTINVS. Iuxta Septuaginta,Propter hoc ego immolo domino omne quod aperit vuluam maſculinũ. Similis locutio H ſuperiori. AVCTOR CATENAE. Nam cùm induratus eſſet Pharao, & nollet dimittere nos. Sic eſt in Chaldaica. Idem etiam in Hebræo legitur, videlicet וַיְהִי כִּי הִקְשָׁה פַּרְעֹה לְשַׁלְּחֵנוּ Vaihi chi hikſa parho leſallechénu.Et fuit cũ difficilem ſe redderet Pharao vt dimitteret nos, Vel, cùm induraſſet, ſeu quando induxit ſeſe Pharao ad dimittendum nos, id eſt, quominus dimitteret nos: & ſic eſt apud Septuaginta. Vetus teſtamẽtum timorem quidem exigebat & ſeruitutem,Euangelium autem ſpiritus libertatẽ & amorẽ:quanq; & inter priſcos perfecti fuerint & ſpiritu liberi,& in nouo populo maxima quoq; pars eorũ ſit,qui ſeruitutis ſpiritu ducuntur & timore.Cõmemoratio ergo iuſtitiæ diuinæ contra Pharaonẽ, & beneficia Iſraëli collata,poſteris ſemper prædicãda erant.Non autẽ ſtatim & ſine ſudore ingrato ſemper populo promiſſa præſtitit, ſed eos in exemplum toti mundo poſuit,vt diſcerent humanam felicitatem non hîc,ſed in alio ſeculo expectandam.Pios verò homines ſemper exercendos ab impiis. *Erit igitur quaſi ſignum in manu tua,& quaſi appenſum quid,ob recordationem*
*Locut.66.* *ante oculos tuos, eo quòd in manu forti eduxerit nos dominus de Aegypto.* AVGVSTINVS. Iuxta aliam literam, Et erit in I ſigno ſuper manum tuã,id eſt,ſuper omnia opera,vbi magis ſenſus eſt forſitan quàm locutio. ORDINARIA. Hoc vt iam dictum,male intelligẽtes Iudæi pictacia vel phylacteria capitibus circũligabãt,in quibus decẽ verba ſcripta ante oculos habebant. CAIETANVS. Repetitur præceptum recolendi hanc legem primogenitorum,ſimile præcepto recolendi legem paſchalem.Iubet enim Moyſes paris fore diligentię memoriam vtriuſque legis.Valde enim priuilegiatæ inſinuãtur per hoc iſtæ duæ leges. AVCTOR CATENAE. Erit igitur quaſi ſignum in manu tua,& quaſi appenſum quid,ob recordationem ante oculos tuos. Scitè admodum Hebraica verba expreſsit Latinus Interpres quę ſunt huiuſmodi וְהָיָה לְאוֹת עַל יָדְךָ וּלְטוֹטָפֹת בֵּין עֵינֶיךָ Vehaia leoth hal iadcha vltotaphoth ben henécha.Pro quo ſciendum ſecundum Hebræos totaph frontalem quãdam ſchædã eſſe,quæ inter oculos,hoc eſt,ſuper oculos fronti affigebatur, pertingens ab aure vſque ad aurem, in qua certæ quædam ſententiæ ſcribebãtur, nempe hæ,Sanctifica mihi omne primogenitum adaperiens vuluam,& cætera. Et,Audi Iſraël,Dominus deus noſter,dominus vnus eſt,& cætera. Atque hîc miris vtebantur ſuperſtitionibus. K Nam hæc membranula debebat eſſe de animali mundo,debebat ſcribi dextra manu,lineæ debebant eſſe rectiſſimę,charta debebat eſſe integra ſine vllo foramine, ſcribíque debebat ex illa parte,qua carnis pecudis membranula coniuncta fuit.Hæc ſi in cubili fuerit, non licet thoro frui niſi intra tertiũ recluſa fuerit ſcrinium.Reſcindo multa alia abſurda, quæ hîc commemorant Rabini. Huic autem ſchedæ, ſiue vittæ ſeu ornamento, tempore Chriſti domini noſtri etiam legem affigebant, vt eius viderentur eſſe ſemper memores.Atque hòc reprehenduntur in Euangelio,quòd in fronte,& nõ in corde geſtarent legẽ.Seruatur etiã & hodie (vt fertur) is mos apud Hebræos,& in ſynagogis ſuſpendunt ſuorum puerorum frontibus & manibus id ornamentum. In lingua verò Chaldaica ſignificat ornamentum frontis vel brachij. Nam ſecundo Regũ primo, vbi dicitur, Et tuli diadema quod erat in capite eius,& armillam de brachio illius, ibi in tranſlatione Chaldaica ponitur Totaphoth, pro armilla.Sunt & qui dicant dictionem eſſe Aegyptiam, & idem eſſe quòd ſpecularia ſiue cõſpicilia,quæ ſeniores adhibent oculis ſuis, quò clariùs videant. Aliqui dictionem ipſam accipiunt pro memoriali. His præmiſ- L ſis ſic redditur locus, Et erit in ſignum ſuper manum tuam, vel in manu tua, & in appenſum quoddam inter oculos tuos. Sic habet Chaldaica. Alij & in monimentum, vel frontale inter oculos tuos. Quaſi dicat, hæc oblatio primogenitorum reuocabit tibi perpetuò memoriam beneficiorum acceptorum, erit tibi vice ſigni alligati manibus & fronti tuæ. Quidam dixerunt, Et in conſpicilia, quaſi diceret, Volo vt oculi meorum fidelium iugiter verſentur circa legem meam. Septuaginta fortaſſe exiſtimantes non poſſe eam vocem Græcè exprimi, Interpretati ſunt ἀσάλευτον, id eſt, inconcuſſum, immobile, ac firmiſsimum, quemadmodum & alibi. Hæc igitur Moyſes multoties repetit, vt ea duriſsimis Iudæorum cordibus firmiùs inculcaret. Quemadmodum enim lapis aut ferrum non citò recipit formam imaginis imprimendæ, ita corda illa lapidea, imò & ferrea, frequenti repetitione & incuſsione egebant, vt tandem diuina teſtimonia ac mandata firmiter retinerent, quòd legiſlatorem eorum non latuit. Vt autem diſcas quid vtilitatis memoria huius miraculi filiis Iſraël attulerit, & conſeruatio legis ſanctificationis primogenitorum, ſcito primùm vo- M luiſſe dominum miraculum in primogenitos editum hac lege & hoc ſumptu inculcare,non quia ſufficiat meminiſſe tantùm rerum in Aegypto geſtarum,ſed potius vt per harum rerum memoriam,agnoſceretur nomen & maieſtas dei,videlicet quòd ſit deus,quòd is ſit verus deus,qui patriarchis reuelatus eſt, quòd is deus ſit omnipotens,quòd ſit ſeuerus erga impœnitentes,quòd ſit miſericors erga credẽtes & afflictos, quòd ſit verax in promiſsionibus ſuis. Hæc (inquam) vult deus docere & inculcare, lege ac ſumptu ſanctificationis primogenitorum. Vbi autem hæc docentur & inculcantur, ibi docetur fides in deum, timor Dei, obedientia erga deum, ſpes & conſtantia in omni vocatione Dei & in omnibus aduerſis. Vbi autem fides, ſpes, timor Dei, & obedientia in vocatione Dei habetur, ibi habetur ſumma ſalus & perpetua felicitas. Quare cũ deus lege exigit ſanctificationem primogenitorum,quid aliud agit, quàm quòd offerat & donet veram ſalutem & felicitatem, quæ certè multò precioſior eſt omnibus huius ſeculi opibus, nedum tantillo primogenitorum ſumptu.

Ad



A Ad hæc ſicut primitiæ & decimæ exiguntur in lege, non quòd deus indigeat humanis opibus; ſed vt homines hoc cultu teſtentur & confiteantur omnia bona huius ſeculi diuina eſſe beneficia: ſic & primogenita exiguntur, vt Iſraëlitæ publicè diuinam clementiam confiteantur. Quemadmodum enim in contractu ciuili, dominus agri repetit in aliquibus regionibus quotannis à colono ſuo aut obolum,aut pomum, aut pyrum,non quòd hic redditus quicquam augeat opes domini,ſed vt colonus hoc redditu confiteatur & teſtetur,agrum non ſui iuris, ſed domini eſſe: ita deus exigit primogenita, non quòd deus indigeat hoc cultu, ſed vt homines hac oblatione teſtentur gratitudinem ſuam.Teſtari autem gratitudinem,opus eſt deo acceptiſsimum,& inuitat deum ad maiorem liberalitatem. Quare qui ex fide obtulerunt primogenita, conſecuti ſunt paruo ſumptu magna dei beneficia.Deinde fuit & hæc vtilitas legis de ſanctificatione primogenitorum, vt ſacerdotes haberent vnde viuerẽt, & alij Iſraëlitæ maiorem terræ partem poſsiderent. In diuiſione enim terræ Chanaan, debebatur etiam tribui
B Leui,è qua ſacerdotes deſcẽdunt,portio terræ,ſed hi ſeparati ſunt in miniſterium eccleſiaſticum, vt offerrent oblationes pro populo,& docerent legem,& reliquis tribubus datæ ſunt eò maiores terræ portiones, quò primogenita decimas & alia ad conſeruandam doctrinam religionis conferrent.Iſraëlitæ igitur hanc acceperunt vtilitatem ex lege primogenitorum, vt ipſi maiores terræ partes poſsiderent, & doctrina religionis inter ipſos conſeruaretur.Et hæc vtilitas tanta eſt, vt longè maiori ſumptu digna eſſet, quàm ſanctificatione primogenitorum. Adhæc promiſit deus in lege, quòd qui audierit vocem domini dei ſui, & cuſtodierit mandata ac cærimonias eius,benedictus ſit in ciuitate & in agro,benedictus ſit fructus ventris,fructus terræ,fructus iumẽtorum, armentorum,ouium,& cætera.Inter mandata autem dei non poſtremum locum obtinet lex de ſanctificatione primogenitorum. Quare qui offerebat primogenita ex fide, is reddebatur, non pauperior, ſed multò ditior, & conſequebatur benedictionem omnium rerum ſuarum. Quid?putás ne hanc vtilitatem indigniorem eſſe, quàm vt tantillo ſumptu primogenitorum redimeretur? Poſtremo hac lege adumbratur etiam Chriſtus, qui eſt primo-
C genitus omnium creaturarum, vt Paulus ait, & qui ſolus verè deo ita ſanctificatus eſt, vt & omnes ſanctificet, ac dei genitos efficiat, quotquot in ipſum credũt.Cùm igitur priùs quiſpiam Iſraëlita obtulit primogenita ſua, admonitus fuit præter miraculum Aegyptiacum, etiam Chriſti domini ſui, & confirmauit fidem ſuam, quòd habeat ex Chriſto in carne futuro benedictionem,iuſtitiam & vitam æternam.Hęc vtilitas non poteſt ſatis verbis explicari. Quare ſentiendum eſt hanc legem de ſanctificatione primogenitorum fuiſſe inter Iſraëlitas, vt prudentiſsimam,ita etiam tum ad corporalia,tum ad ſpiritualia bona vtiliſsimam.

INTERLINEARIS, ET RABANVS. Spiritaliter primogenita noſtra domino offerimus,cùm primordia operum noſtrorum illi ſanctificamus.Quicquid enim ex vulua bonæ voluntatis ac bonæ cogitationis, in apertum ſani ſermonis & bonæ operationis proceſſerit,iurè domino competit, qui dedit ipſum bonum velle & perficere pro bona voluntate.Mea enim ſunt,inquit dominus, omnia, quia initium omnis boni à deo, cuius miſericordia præuenit & ſequitur. *Myſticè.* AMBROSIVS LIBRO PRIMO DE CAIN ET ABEL. *Cap.10.*
D Quid tam profundi myſterij;tam altæ ſecretæq; ſapientiæ, quàm in quibuſdam inuenis verborũ ſimplicium? Deprehendas licet atque haurias vbertatem gratiæ ſpiritalis. Chananęi etenim mobiles & inquieti ſunt. Cùm igitur in eorum terram fueris ingreſſus,quos aduertis propter leuitatem,inquietudinem, & inſtabilitatem morum, poſſeſsione deiectos, tu teneto conſtantiam. Non te vilis ratio, non leuis ſermo perturbet. Hoc eſt enim Chananæus,mobilis ſermo,affectus inſtabilis, & inquieta contentio. Sed magis tranquillitatem cordis, & animi ſerenitatem placidus ſeruato, vt tanquam in ſalo maris tutam nauibus ſtationem portu quodam tuæ mentis exhibeas.Hanc poſſeſsionem tibi dominus pollicetur,& quodam ſacramenti promittit vinculo, vt cõſtantiam tuam firmet.Neque enim ideo deus iurat,quòd fide credentis indigeat,aut teſtimoniorum aſtipulationibus deſtitutus,ſuffragium ſacramenti requirat,ſicut homines qui fidem nobis aſciſcimus ſacramento,& ideo iuramus vt credamur vera dixiſſe.Deus autem & cùm loquitur fidelis eſt,cuius ſermo ſacramentum eſt.Non enim propter ſacramentum fidelis omnipotens deus,ſed propter deum etiam fidele ſacramentum eſt. Qua ratione igitur
E Moyſes iurantem deum inducit?Quia nos vſu quodam mortalium claudimur,& velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis inuoluimus, aut velut cochleæ quæ niſi intra teſtæ operimentum ſint, ſpirare non poſſunt, nec aërem liberum capere aut ſuſtinere, ſic nos niſi intra quædam humanæ conſuetudinis latibula terrena verſamur. Vnde quia illud verius ſolemus credere, quod iureiurando firmatur, ne noſtra claudicet fides, iurare deſcribitur deus.Qui ipſe non iurat,ſed iurantium iudex,& vltor eſt periurantium.Denique ſcriptũ eſt, Iurauit *Pſal.109.* dominus & non pœnitebit eum,tu es ſacerdos in æternum. Seruauit vtique quod iurauit, dedit nobis æternum principem ſacerdotum,vt & tu quod iuraueris,ita noueris eſſe ſeruandum,vt quia per eum iuras qui non mentitur, ſcias eum futurum ſi mentiaris vltorem. Expulſis igitur inquietis & mobilibus cogitationibus, dabit tibi deus vacuam poſſeſsionem cordis & mentis, vt eam cultu quodam tranquillitatis exerceas, & fructum ex ea capias,nec ſuſtineas in ea Chananæos,hoc eſt,turbidos ſenſus recurrere,eradices gẽtilium vitiorum omne conſeptum, lucos eorum diruas quibus obumbratur veritas,& quidam liber cœleſtis viſus cogitationis,horrore te-
F nebroſæ diſceptationis abſconditur.Sed hoc niſi diuino donatus munere efficere non potes,ideo ait,Dabit tibi deus,hoc eſt,cogitationes optimas,placida conſilia,tranquillas inuẽtiones.Cùm dederit hæc,tolles omne quod aperit vuluam maſculinum,& ſanctificabis domino.Non totum exigit à te deus, qui totum donauit. Multa enim ad vſum ſubſtantiæ largitur humanæ,& hoc non poteſt eſſe diuinum ſacrificium vbi eſt vſus naturæ. Edere,bibere,dormire,aliáque etiam miniſteria corporis,dono ſunt tibi collata, non à te relata deo munera. Quicquid autem ſanctum cogitaueris,hoc dei munus eſt,dei inſpiratio,dei gratia.Sicut è contrario illa quæ cùm in vſu naturæ humanæ ſint,non coinquinant hominem,ſed quod exit de ore,furta,falſa teſtimonia,ſacrilegia,hęc ſunt quæ coinquinant hominem.Interiora ergo noſtra mundemus,vt poſsit oblatio non diſplicere. Ibi quæramus omne quod aperit vuluam maſculinum,hoc eſt,iuſtum & principale quod ſanctificare domino debeamus. Neque enim hi nos corporei fœtus atque conceptus, partúſque ſanctificant, quibus vulua fœminea deplorato pudore virginitatis aperitur.Nam & ſi mulier ſanctificat virum, & vir mulierem, tamen plerunque contingit

virginis

virginis vuluam etiam ſine coniugij ſanctitate reſerari. Neque rurſus ſola virilis eſt gratia, mulier autem ſanG ctificationis aliena eſt, aut vtriuſque ſexus confuſa natura eſt, vt vterque corporeos fundatur in partus. Habent ſua munia viri, habent mulieres ſexus ſui officia diſcreta. Generatio iſta ſucceſſionis humanæ mulierem decet, impoſsibilis eadem viro. Ergo ſi carnis vſui non quadrat hîc ſenſus, officia animæ diſcutiamos, iſtam ſanè inuenio quæ nullo diſcreta ſit ſexu, & cùm concipit parit. Et ſicut fœminis dedit vuluam natura, in qua vniuſcuiuſque animantis generatio per menſtruas formatur ætates, ita eſt quædam virtus animæ, quæ velut quodam vuluæ genitalis ſecreto, cogitationum noſtrarum ſuſcipere ſemina, conceptus fouere, partus ſolet edere. Neque
*Eſa.26.* enim aliter diceret Eſaias, In vtero accepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis, niſi vuluam animæ nouiſſet. Harum generationum quædam fœmineę ſunt, malicia, petulantia, luxuries, intemperantia, impudicitia, aliáque huiuſmodi vitia, quibus animi noſtri quædam eneruatur virilitas. Maſculinæ ſunt caſtitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iuſtitia, quibus mens noſtra & caro ipſa firmatur, & ad obeunda impigrè munia virtuH tis erigitur. Hos partus aluus ille propheticus parturiuit. Et ideo ait, In vtero accepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis. Maſculum igitur & parturiuit & peperit, qui ſpiritũ ſalutis effudit. IDEM LIBRO SECVN-
*Cap.1.* DO DE CAIN ET ABEL. Partus igitur noſter fides ſit, nutrimenta noſtra præcepta doctrinæ ſint. His quædam cordis noſtri imbuatur infantia, inſtituatur pueritia, iuueneſcat adoleſcentia, ſenecta caneſcat. Aetas
*Sap.4.* enim ſenectutis vita eſt immaculata. Itaque ea demum bona eſt animæ ſenectus, quam nullæ perfidiæ inquina-
*2.Cor.4.* menta maculauerunt. Et ideo partus ſuos ab hac macula Paulus defendit: Ego vos, inquit, genui in Euangelio, ne cuius ſæua inſuſurratio rudis fidei tentaret infantiam. Maſculina igitur generabat, qui in virum perfectũ populos quos docebat, fidei geſtiebat vnitate concurrere, & in agnitione filij dei perfectam plenitudinis Chriſti tenere menſuram. Hoc enim ſacrificium acceptabile deo nouerat, de quo ſcriptum eſt: Omne quod aperit vuluam maſculinum domino. Et quia addidit: Omne quod aperit vuluam de armentis & de pecoribus quæ ſunt tibi, maſculinum ſanctifica domino, ne quid obſcuritas habeat, conſideremus. Dixerat de principalibus generaI tionibus, hoc eſt, plenis capacibúſque rationis, addidit & de gregalibus, hoc eſt, reliquis velut plebeiis ſenſibus qui irrationabilibus comparantur iumentis. Quæ tamen cùm à rectore aliquo gubernãtur, facilè manſueſcunt, & imperata exequi, & iugum ſubire, & ad vocem magiſtri accelerare gradum aut ſiſtere, aut deflectere, aut aliqua munia ſui operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire conſuerunt. Tantùm valet inſtitutio, vt vincat naturam. Itaque illa quæ conſortium noſtræ ſubſtantiæ non habent, agnoſcunt tamen noſtræ vocis imperium, & cùm ſuæ naturæ nullam rationem habeant, noſtræ naturæ rationem capeſſunt, & quodam modo transfuſam acquirunt. Equos videmus popularibus incitari ſtudiis, gaudere plauſibus, blandiciis delectari magiſtri. Toruos leones cernimus naturalem feritatem, imperata mutare manſuetudine, ſuam rabiem deponere, noſtros mores ſumere. Et cùm ſint ipſi terribiles, diſcunt timere. Cæditur canis, vt pauefcat leo: & qui ſua iniuria exaſperatur, coërcetur aliena, alteriúſque exemplo frangitur. Quotiens parata præda & cibo obuio famem perpeti malunt, dum offenſam magiſtri verentur? Quotiens repentino impulſi motu, aperta ad morſus ora iuſſi J reſoluunt? Ita dum noſtræ voluntati obſequuntur, ſuæ obliuiſcuntur. Non ita illæ ferę, vel illa armenta equorum, vel genus omne pecudum, quæ ſine rectore vagantur vllo, & omni domitoris gubernaculo deſtituta exiſperantur, & ideo appoſiti ſunt armẽtarij opiliones cæteríque paſtores, quidam magiſtri gregum officia ſua ſingulis animantium commiſſorum ſibi conditione formantes. Videtur ergo & ſenſuum noſtrorum quoddam genus, aliud domi manſuetum, aliud indomitum, quod armentario quodam motu mentis velut deſide, atque reſoluto proruat ad irrationabiles delectationes corporis. Manſuetum autem, quod velut duci cuidam moderationi mentis ſe ſubiiciat & ſubdat. Quæcunque ergo eius naturæ reguntur, ea ſunt maſculina atque perfecta. Quæcunque autem ſine duce vllo plebeia præſumptione quadam dominantur, velut ciuitatis alicuius, quæ regis optimatúmque conſilio priuata ſit, ita corporis ſui omnem ſtatum & virilem vigorem muliebri quadam diſſolutione effœminant. Ex iſtis illa lex carnis eſt, quæ legem apoſtolicæ mentis impugnans, captiuam trahebat eam quadam lege peccati. Et ideo vt de illo mortis corpore liberaretur, ſpem ſuam Paulus omnem, non in ſua L virtute, ſed in Chriſti gratia reponebat. Vnde liquet quòd hæ commotiones, quæ ſecundum legem mentis ſunt, diuino fauore præcedunt, alij autem ſenſus ex voluntate corporea. Illa igitur quæ ſancta ſunt, primitiua ſunt noſtrorum ſenſuum, iſta velut de quodam grege ſunt, & vtilitate plebeia quod variè videtur Moyſes nominibus ſignificaſſe diuerſis. AVCTOR CATENAE. Sanctificatur etiam deo omne primogenitum, quando omnis prouentus hominum in filiis, pecoribus, iumentis, terræ naſcentibus, nulli alteri refertur acceptus, quàm ſoli deo omnipotenti, vt ei ſoli gratiæ referantur pro omnibus bonis, & eius bonitas in omnibus agnoſcatur & reuereatur. Id autem facit omnis filius Iſraël in ſpiritu, & quiſquis ex omnibus gentibus baptizatus hoc agit, reuerà dicitur, & eſt filius Iſraël, & pertinet ad Eccleſiam primitiuorum aſcriptam in cœlis, vel id audeant negare Iudæi. INTERLINEARIS. Sed & mementote (inquit) diei huius, in qua egreſsi eſtis de Aegypto, & de domo ſeruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos dominus de loco iſto, vt non comedatis fermentatum panem. Tale eſt ac ſi dicat, Memoriter tenete quãta fecit vobis dominus in ſancta hac die, qua vera mundo lux efM fulſit, & in qua liberati eſtis de tenebris huius mundi, & de familia diaboli, in inuincibili filio dei, qui eſt virtus & ſapientia patris, & propter hoc non ſumatis panem cœli, & verbum dei in malitia & nequitia. AVCTOR CATENAE. Nos quoque ſemel à tyrannide diaboli redempti per Chriſtum, ſummoperè caueamus, ne nos prioribus flagitiis contaminemus, quod eſt fermentum edere, perperàm nempe agere. INTERLINEARIS.

Cúnque introduxerit te dominus in terram Chanaan, hoc eſt, in præſentem Eccleſiam expulſis inde vitiorum gentibus, quæ paruulorum doctrina & dulcedine fluit cælica, hanc non aliam, celebrabis domino ſolennitatem, hoc eſt, ſpiritalem, quia non prodeſt extrà celebrare, niſi verè celebritas agatur in mente. AVCTOR CATENAE. Sic quoque nos perfectæ libertatis feſtum, & phaſe domini celeberrimum, in promiſſa nobis viuentium terra celebrabimus tandem, poſt tranſitum maris rubri, & exitum de terra inuia & ſolitudinum poſt cuictas tentationes, & occiſos hoſtes carnis & ſanguinis. INTERLINEARIS. Septem diebus veſceris azymis



A azymis, & in die ſeptimo erit ſolennitas domini. Toto (inquit) præſentis vitæ tuæ tempore, ſyncritatis & veritatis opera facies, & in vera animarum requie, poſteà ſolennem domino celebrabis feſtiuitatem. Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. Et ſi ſit (inquit) non regnet tamen peccatum in mortali tuo corpore, nec in omnibus Eccleſiæ terminis. Et erit quaſi ſignum in manu, ſiue ſuper manum tuam; & cætera. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. An intelligitur ſuper o- *Quæſt. 48:*
pera tua, id eſt, quod preferre debeas operibus tuis? pertinet enim paſcha propter occiſionẽ ouis ad fidem Chriſti, & ſanguinem quo redempti ſumus. Hæc autem fides operibus præponenda eſt, vt ſit quodammodo ſuper manum aduerſus illos, qui in operibus legis gloriabãtur, de qua re Apoſtolus loquitur, & nullum ait poſſe deo placere ſine fide, qui fidem operibus ſic anteponit, vt ex illa pendeant bona opera, atque ab ea præueniantur, non vt ipſa velut meritis bonorum operum retribui videatur. Illa enim ad gratiam pertinent, ſi autem gratia, iam non
B ex operibus, alioquin gratia, iam non eſſet gratia. INTERLINEARIS. Cuſtodies huiuſmodi cultum ſtatuto tempore à diebus in dies, id eſt, donec corruptibile hoc induat incorruptionẽ, & donec peruenias ad angelorum ſocietatem. RVPERTVS. Notandum autem, quòd cùm dixiſſet dominus, Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Iſraël, tam de hominibus quàm de iumentis, Mea ſunt enim omnia. Et ait Moyſes ad populum, Memento diei huius in qua egreſsi eſtis de Aegypto, & de domo ſeruitutis, & cætera, hîc internuncius domini alia præloquitur ad populum, & dicit, vt meminerint diei huius, cum eos introduxerit dominus in terram Chananæi, vt cuſtodiant eius cultum ſtatuto tempore à diebus in dies. Hodie menſe nouarum frugum, id eſt, quinto decimo die Aprilis, quo iam ſecundum temperiem aëris, apud illos primæuæ fruges veſci poſſunt, hoc intendens, vt agnum & azyma, quorum vſum ſemel acceperunt, diligenter per omnes annos obſeruent. Hoc dicimus, ne ignoremus quid Iudæis reſpondeamus, arbitrantibus carnales cæremonias ſuas eiuſdem auctoritatis ſiue ſtabilitatis eſſe debere, cuius & illa decem præcepta vitæ quæ in tabulis
C lapideis ſcripta ſunt. Verùm ipſe legiſlator hoc pro ſumma differẽtia de illis dixit, quia ſcripta ſunt digito dei, quod nuſquam dixit, nec dicere debuit de huiuſmodi, quas tranſitorias forè nouerit cæremonias. Et Apoſtolus cùm dixiſſet, Hoc autem dico teſtamẽtum confirmatum à deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta *Gal.3.*
eſt lex, non irritum facit ad euacuandas promiſsiones, protinus ait: Quid igitur lex? Propter tranſgreſſores poſita eſt, donec veniret ſemen cui repromiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris, legem cæremoniarum ordinatam dixit, non in manu vel digito dei, ſed in manu mediatoris Moyſi, cùm teſtamentum à deo confirmatum aſſeruit, ſicut econuerſò, Moyſes præcepta vitæ digito dei ſcripta dicit, cùm de ſacrificiis, vel ſolennitatibus obſeruandis nihil tale dixerit. Igitur non tantùm hîc, vbi Moyſes iniuſſus repetit de azymis, legémque dat de feſtis annuis, ſed & vbicunque per manum eiuſdem mediatoris, populo illi aliqua inſtituuntur eorum, ſine quibus teſtamentum à deo cum Abraham confirmatum fuit, ſic accipienda ſunt, non tanquam iuſſa, ſed tanquam permiſſa, videlicet propter tranſgreſsiones, vt veriſsimè Apoſtolus ait. Vincula enim quædam fuerunt propter tranſgreſsiones poſita, ſcilicet vt dum talium ſacrificiorum vel feſtorum ritu detinerentur, non vacaret
D eis errare à deo ſuo, in ſuis adinuentionibus, & illicitis idolorum cultibus. Proinde confidẽtibus in illis loquitur per Prophetam idem deus, Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes, quia non ſum *Hie.7.*
loquutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis deus, & vos eritis mihi populus. Et ambulate in via, quam mandaui vobis, vt bene ſit vobis. Non ſum locutus ait, id eſt, non præcepi, Nam quæcunque talium velut ex ore meo Moyſes iuſsit, non me iubente, ſed me permittente, præcepit. Et in Dauid: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Et multa his ſimilia.

INTERLINEARIS. Sed & cùm introductus fueris in terram Chanaan, quicquid habueris maſculini *Pſal.49.*
ſexus, conſecrabis domino. Quicquid habueris vtilis & perfecti operis, non fœminini, quod diligit Pharao & nutrit, domino, non tibi accepta feres. Fœminea enim & mollia deputanda ſunt nobis duntaxat, non deo.

E AVCTOR CATENAE. De melioribus etiam oblationem fieri debere ex hoc lõco monemur, vt fides & deuotio teſtetur offerentis, & ne ex neceſsitate offerre aliquid cernatur, vt conqueritur Malachias, Primogenitum aſini mutabis oue, quod ſi non redemeris, interficies. AMBROSIVS. Si quis ſenſum ſpiritalis intel- *Vbi ſuprà: Cap.2.*
ligentiæ hîc altiùs perſequatur, conſiderabit quòd aſina laborioſum ſit animal, ouis fructuoſum. Fructu ergo dicit mutandum laborem, vt finis operis ſui fructus ſit. Vel certè hoc modo omnem laborem tuum, omnem induſtriam puro & ſimplici commendabis affectu. Si autem non mutabis, inquit, redimes. Iubetur ergo ſecundum literam vt animal aliud pro immundo animali offeratur aut precium, ne inter decimas fructuum vel minus aliquid, vel immundum videatur offerri. Intellectus autem profundior, liberandam animam tuam docet, vt deſiſtat ab his, quæ fructum non habent. Qui enim redimit ſe, liberat, & quodam exuit debito. Relinquenda ſunt opera, quæ verum fructum bonóſque proceſſus habere non poſſunt, qualia ſunt iſta mũdana, quorum vſus non poteſt eſſe diuturnus, in quibus ipſe nudus & veri vacuus effectus eſt, & quamuis ſummo quæſitus fuerit labore,
F animam nihil iuuat. Ea enim quæ ſeruitutem animæ inferunt, inutilia ſunt omnia, & ſi non deſit effectus. Magna videtur præliantium victoria, triumphantium gloria, ſed frequenter ipſos videmus qui vicerint, rurſus bellorum ſubiacere incertis, & transferri ad hoſtem euentu prælij, & eo ipſo quo victores ante fuerint, fieri miſeriores. Opus eſt ergo vt opera tua ad deum dirigas, & eius tibi aſpiret fauor. Athleta ipſe qui ſuis, non alienis decertat viribus, quoties congreditur, dubios caſus ſubire ſe credit. Et cùm ad coronam peruenerit, intelligit citiùs hanc mundi gloriam, tanquam coronę ipſius folia marceſcere. Gubernator cùm in portus nauim duxerit, vix finem impoſitum labori putat, & ſtatim quærit laboris exordium. Soluitur corpore anima, & poſt finem vitæ huius adhuc tamen futuri iudicij ambiguo ſuſpenditur. Ita finis nullus, vbi finis putatur. Vnde votis & pura conſcientia, & ſpiritu charitatis adhæreamus deo noſtro, & diuinum nobis conciliemus fauorem, precantes, vt ſecularibus curis tanquam ab immitibus & agreſtibus dominis poſsimus abſolui atque exui, mundanóque exire ſeruitio, in libertatem ſupernæ cognitionis, quæ vera & ſola eſt libertas, vocati. GREGORIVS VIGESIMO SEPTI-

*Cap.15.* MO SEPTIMO MORALIVM. Aliter.Per asinum immundicia,per ouem innocentia designatur. Asini G ergo primogenita oue mutare,est immũdæ vitæ primordia,in innocentiæ simplicitatẽ conuertere, vt postquam peccator illa egit,quæ vt immunda dominus respuit,ea iam agẽda proferat,quæ dei sacrificio imponat. Omnes enim in peccato nati sumus,& ex carnis delectatione concepti,culpam originalem nobis contraximus. Vnde etiam fit,vt voluntate nostra peccatis implicemur. Quisquis ergo post malitiam carnis ad innocentiam conuertitur cordis,primogenitum asini mutat oue,quia prioris vitæ immunditiam ad innocentiam conuertit.Qui enim qualis prius fuit desinit esse,& apprehẽsa carnis munditia innocentiam custodit,in oblationem dei primogenitum asini oue mutauit. INTERLINEARIS. Quod si non redemeris, interficies, id est, si tam infirmus es,vt ad veram innocentiam non possis peruenire,confitere saltem,& damna peccatum tuum. RVPERTVS. Primogenitum asini,& cætera. Cum literali rectitudine moralem quoque suauitatem continet, vt scilicet precedentia carnis opera,posteriore spiritus correctione quisquis superet.Peccatum nanque carnis,primo- H genitum asini,eleemosyna verò qua præcedens peccatum redimitur, rectè dicitur ouis. Quod si non redemeris (inquit)interficies,quia videlicet qui peccata sua redimere renuit,morti sempiternæ semetipsum addicit.Sequitur, Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, precio redimes. Et paulo post, Idcirco immolo domino omne quod aperit vuluam,masculini sexus,& omnia primogenita filiorum meorum redimo. Loquitur dominus in libro Numerorum ad Moysen, dicens: Ego tuli Leuitas à filiis Israël, pro omni primogenito , qui aperit *Num.3.* vuluam in filiis Israël.Eruntque Leuitæ mei,meum est enim omne primogenitũ,& cętera.Item numera(inquit) primogenitos sexus masculini à mense & supra, & habebis summam eorum. Tollesque Leuitas mihi,pro omni primogenito filiorum Israël . Quæritur ergo,si omne primogenitum de filiis Israël , precio redemptum est, quo iure tolluntur domino Leuitæ pro omni primogenito filiorũ Israël? vel si Leuitas tollere habebat pro primogenitis,qua rectitudine precium pro primogenitis dari iusit vel accipi?Ad hæc inquam , sacerdotium verum primogenitorum est: etenim eorum omnium vnus futurus erat,vt fieret sacerdos in æternum secundum ordinem I Melchisedech,quem multis locis scriptura sancta primogenitum appellat, videlicet respectu omnium filiorum *Rom.8.* Israël,id est,omnium filiorum dei,vt Apostolus dicit:Nam quos præscivit, & prædestinauit cõformes fieri imagi- *Luc.2.* nis filij dei,vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.Amplius autem Lucas dicturus,Tulerunt eum in Hierusalem,vt sisterent eum domino,sicut scriptum est in lege domini, quia omne masculinũ adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur,præmisit ita de Virgine,dicens,Et peperit filium suum primogenitum,videlicet vt cognitor legis domini,subaudiat, quod vocaretur domino sanctum, cui summum & verum repositum erat sacerdotium . Porrò illud carnale sacerdotium legis , veri huius sacerdotij vicarium fuit , nec tanquam necessarium,vel ad salutem sufficiens positum est, sed quasi pædagogus propter transgressiones , donec veniret cui re- *Gal.3.* promiserat sacerdotium, testatur deus dicens, Quod in illo benedicerentur omnes gentes. Ergo quia primogenitorum(vt iam dictum est)sacerdotium erat in Christo repositum , carnale autem sacerdotium , huius fuit vicarium,iustum erat,vt quorum videlicet primogenitorum filij Leui vicem egerunt, eorum quoque ad necessa- K rium victum acciperent pretium,proprios funiculos inter fratres suos filios Israël non habituri,iuxta sentẽtiam *Gene.49.* patris sui Iacob,dicentis, Simeon & Leui fratres,vasa iniquitatis bellantia, diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël . Igitur propter transgressiones vicarium sacerdotium positum est, donec verum veniret sacerdotium,quod primogeniti est iure,& vacantia primogenita redimebantur,& eorum vicarij sacerdotes ac ministri illorum precio locabantur,ministraturi pro ipsis,donec primogenitus veniret , qui seipsum non redimeret,sed assistens domino per proprium sanguinem, amoto statim vicario, extolleret sacerdotium suum secundum or- *Hom.20.* dinem Melchisedech. GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Sciendum autem,quòd Israëliticus populus primum sacrificium in Aegypto obtulit , secundum verò in eremo. Qui enim adhuc mentem habet in seculo,sed boni iam aliquid operatur,deo sacrificium obtulit in Aegypto. Qui verò præsens seculum deserit,& agit bona quæ valet, quasi iam Aegypto derelicta sacrificium præbet in eremo, quia repulso strepitu desideriorum carnalium , in mentis suæ quiete atque solitudine deo immolat quicquid operatur. GREGORIVS L NAZIANZENVS IN SERMONE DE PASCHA. Cæterùm ô pascha magnũ & sacrum , totiúsque mundi expurgatio,tecum enim tanquam cum animato aliquo colloquar.O verbum dei & lumen, & vita,& sapientia,& virtus,etenim cunctis tuis gaudeo nominibus.O mentis magnæ illius fœtus,& cogitatio, & sigillum. O verbum intelligibile, & homo visibilis,qui cuncta fers, coronatus verbo potentiæ , nunc quidem sermonem hunc habes,non vt primitias aliquas, sed forsitan nostræ fructificationis supplementum , eundem gratificum & supplicem,ne mali quicquam patiamur,extra necessaria & sacra, quibus æquè viuimus, corporis quoque tyrannidem,quam contra nos gerit,siste.Cernis qualem domine & qualiter incuruet, nisi per tuum suffragium, aut à sitan & ibi acceptabiliter tibi sacrificabimus super sancto tuo altari. O pater, & sermo, & spiritus sancte, quoniam tibi omnis gloria honor & potestas in secula,amen.

2 EGitur cùm emisisset Pharao populum , non eos duxit dominus per uiam terræ Philistiim quæ uicina est, M *reputans ne fortè pœniteret eum,si uidisset aduersum se bella consurgere,& reuerteretur in Aegyptum sed circunduxit per uiam deserti,quæ est iuxta mare rubrum.Et armati ascenderunt filij Israël de terra Aegypti.Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum , eo quòd adiurasset filios Israël,dicens, Visitabit uos deus, efferte ossa mea hinc uobiscum. Profectique de Sochoth, castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostẽdendam uiam per diem in columna nubis,& per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore . Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.*

AVCTOR



A AVCTOR CATENAE. Hoc illud est quod Moyses in cantico suo ait,Deuteronomij trigesimo tertio, & Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos,& super eos volitans,expandit alas suas,& assumpsit eum, atque portauit in humeris suis. Et iterum Deuteronomij capitulo primo,Portauit te dominus deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum,in omni via per quam ambulastis,donec veniretis, ad locũ istum. Etenim quemadmodum aquila, præsertim ea , quam Melænaeton vocant , non statim extrudit pullos suos ad prædandum, sed fouet aliquandiu in nido, & postea assuefacit eos paulatim vt volent: & vt prudens parens, non mox recentem infantem suum solido cibo pascit,nec statim à cunabulis obiicit eum grauioribus negotiis,sed multis etiam annis lacte pascit, & ludicra proponit, ita dominus deus noster noluit statim Israëlitas suos recèns ex Aegypto liberatos , ac quasi renatos obiicere grauibus bellis Philistinorum , ne tenelli adhuc in fide deterrerentur ab ingressu in terram Chanaan, & redirent in Aegyptum. Quid igitur fecit dominus?Audi. *Igitur cùm emisisset*
B *Pharao populum,non eos duxit dominus per viam terræ Philistiim quæ vicina est,reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum , sed circunduxit per viam deserti , quæ est iuxta mare rubrum.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Terra Philistiim illa est , quæ nunc dicitur Ascalon, & circa eam regio Palestinæ.

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Hîc ostenditur omnia fieri debere quæ consilio rectè fieri possunt, ad euitanda quæ aduersa sunt , etiam cùm deus apertissimè adiutor est. *Quæst. 49.*

CYRILLVS. Cùm recto itinere in terram promissionis eos inducere deus posset,longiore tamen via eos deducit,clarè timiditatem illorum prænoscens,qua facilè à deo defecissent,atque in Aegyptum regressi essent.

RVPERTVS. In cantico suo paulò pòst Moyses dicit:Ascenderunt populi,& irati sunt,dolores obtinue- *Exod.15.* runt habitatores Philistiim,tunc conturbati sunt Principes Edom,robustos Moab obtinuit tremor,obriguerunt omnes habitatores terræ Chanaan.Cùm dixisset,Ascenderunt populi, & irati sunt, quasi quæreres qui populi?&
C quomodo irati sunt?Dolores(inquit)obtinuerunt habitatores Philistiim, & cætera. Principes Edom conturbatos fuisse, robustos Moab tremuisse, omnes habitatores Chanaan obriguisse , Habitatores autem Philistiim doluisse dicit,id est, inuidisse. Igitur maximè habitatores Philistiim erant vitandi, non frustra, quia aliis timentibus soli contra Israël iam hostilem coquebant inuidiam . Sed nunquid dominus contra Pharaonem & Aegyptios pro Israël pugnare poterat, & contra Philistæos non poterat?Planè & contra istos poterat. Sed illa gens erat quam dominus Israëli reseruare decreuerat vtiliter, vt per illam exerceretur, & quasi proximo flagello castigaretur,quotiens legem dei sui relinqueret,quod sæpe futurum erat.Igitur non quasi timidus,vt simplex sermo sonare videtur , sed bene prouidus, non eos duxit per viam terræ Philistiim , sed circunduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum. Circunduxit, & circunducendo erudiuit, sicut ipse hic Moyses ait in cantico Deu- *Deut.32.* teronomij, Circunduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. AVCTOR CATENAE.

Quæ vicina erat, vel quia propinqua esset, distabat enim decem dierum itinere. Quod autem sequitur, Reputans ne fortè pœniteret eum si vidisset aduersum se bella consurgere . Ita legitur in Hebræo כִּי אָמַר אֱלֹהִים
D פֶּן יִנָּחֵם הָעָם בִּרְאֹתָם מִלְחָמָה Chi amar elohim pen innachem haham birotham milchama , Quia dixit deus , ne fortè pœniteat populum,cùm viderint prælium.Sed hoc idem est quod dicit noster Interpres.Sic & Septuaginta.Sic & Chaldaica,nisi quòd vbi apud nos est & Hebræum,Pœniteat populum, ipsa habet, Et formidet populus.Quæ est iuxta mare rubrum, Hebraicè tantùm est יַם כּוּף Iam suph, Maris rubri, Sic habet & Chaldaica. Septuaginta,εἰς τὴν ἔρημον,εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν,In desertum,in rubrum mare. In quibus omnibus vnus est sensus cum Latina litera , videlicet quòd per vias obliquas deserti duxit dominus populum ad mare rubrum. Palęstini pro humanitate sua ad Patriarchas nondum demeruerant exterminium , & Israëlitis non profuisset festinata hereditas.Ideo non per planitiem Palestinæ ducti sunt,ne bello potentium fatigati,reditum meditarentur,sed per Arabiam eos duxit,& eremum,per mare rubrum & inuiam solitudinem , hoc est, montosam & petrosam. Non enim semper dominus vtitur omnipotentia sua contra viam naturæ, non sunt enim sine necessitate multiplicanda miracula. Et non vult dominus contemni beneficia sua ab Israël. Cum ingẽti ergo difficul-
E tate promissa illis patria obtinenda erat. *Et armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti.* AVGVSTINVS. Iuxta *Quæst.53.* Septuaginta Interpretes , πέμπτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐκ γῆς Αἰγύπτου, id est, Quinta autem progenie ascenderunt filij Israël de terra Aegypti.Vtrum progeniem in centum annis vult computari, & ideo quinta progenie, quia post quadringentos & triginta annos, an per hominum generationes hoc potius intelligendum est, ab ipso Iacob,qui intrauit in Aegyptum vsque ad Moysen, qui cum populo egressus est. Iacob enim primus, secundus Leui,tertius Caath,quartus Amram,quintus Moyses inuenitur. Has autem dicit progenies Latinus Interpres, quas γενεὰς Græci vocant, quæ in Euangelio generationes appellantur, nec numerantur nisi per successiones hominum , non per numerum annorum. HIERONYMVS DAMASO. Cum in Genesi dixerit *Gene.15.* deus Abrahę,Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua,& subiicient eos seruituti,& affligent quadringentis annis.Et paulò pòst, Generatione autem quarta reuertentur huc , quomodo hîc dicitur,Quinta autem progenie ascenderunt filij Israël de terra Aegypti?Sed cum videatur scriptura inter se es-
F se contraria,vtrumque verum est,cùm diuersum sit.Egressi sunt quarta generatione filij Israël de terra Aegypti. Replica genealogiam Leui.Leui genuit Caath,Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar , Eleazar genuit Finees . Caath cum patre suo Leui ingressus est Aegyptum . Rursum Eleazar cum patre Aaron egressus est de Aegypto.A Caath vsque ad Eleazar computantur generationes quatuor,licet quidam velint ab Amram vsque ad Finees, vt nos in Eleazar fecimus , peruenire . Si verò volueris disparem numerum ostendere, quomodo secundum Exodum quinta generatione egressi sunt filij Israël de terra Aegypti, tribus tibi Iudæ ordo numeretur.Iudas genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Arã genuit Aminadab, Aminadab genuit Naason,Naason genuit Salmon.Phares cum patre suo Iuda ingressus est Aegyptum. Naason princeps tribus Iuda in deserto describitur,cuius filius Salmõ terram repromissionis intrauit. Computa à Phares vsque ad Naason,& inuenies generationes quinque , tametsi nõnulli (vt in tribu Leui ostendimus)in Esrom initium faciant,& ad Salmon vsque perueniant.Puto problema dissolutum, quod si displicet, ad compendium

veniam

veniam, & dicam in Hebræo non esse diuersum. Aquila nanque qui non contentiosius (vt quidam putant) sed G studiosius verbum interpretatur ad verbum, in eo loco vbi Septuaginta posuerunt, Quinta autem generatione ascenderunt filij Israël de terra Aegypti, ita transtulit καὶ ἐνοπλισάμενοι ἀνέβησαν, id est, & armati ascenderunt filij Israël de terra Aegypti. Licet pro eo quod nos armati diximus, secundum Græci sermonis ambiguitatem, instructi, siue muniti propter supellectilem qua Aegyptios spoliauerant, possit intelligi. Existimanti curiositatem esse finitam maior quærendi ardor exoritur, & ad similitudinem Hieremiæ dissoluor vndique, & ferre non possum quare Septuaginta, quinta generatione, & Aquila transtulerit armatos. Volumen Hebræum replico, quod Paulus φακόν iuxta quosdam vocat, & ipsos characteres sollicitiùs attẽdens, scriptum reperio, וַחֲמֻשִׁים עָלוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם Vachamusim halu bene Israël meérez Mizraim. In reliqua parte interpretationes nõ discordant: omnis pugna de verbo est חֲמֻשִׁים Chamusim, quod his literis scribitur heth, מ mem, ש sin, י iod, ם mem, vtrum nam quinque, an munitos sonet. Et quidem quinque hoc sermone dici, negare non possumus, verùm quinque plurali numero, non quinta, vt illi interpretati sunt, singulari: Sed nec generatio inuenitur adiuncta, H quæ lingua Hebræa דּוֹר dor dicitur, vt si esset quinta generatione, sermone legeretur illorum דּוֹר חֲמִישִׁי dor chámisi. Nunc autem chamusim, id est, quinque, imò quinta, tantùm scriptum est, vt sit quasi sensus: Quinta autem ascenderunt filij Israël de terra Aegypti, quod quia minus videbatur intelligi, adiuncta generatio est. Aquilam verò vt in cæteris, & in hoc maximè loco propriè transtulisse, omnis Iudæa conclamat, & synagogarum consonant vniuersa subsellia, quod videlicet idem sermo, & eisdem literis scriptus, diuersas apud eos & voces & intelligentias habeat. Ex quibus exempli causa vnum ponimus, vt quod dicimus perspicuum fiat, pastores & amatores eisdem literis scribuntur ר res, ע hain, י iod, ם mem, sed pastores roim רֹעִים, amatores leguntur רֵעִים reim. Vnde euenit, vt vbi Hierusalem in Prophetis, cum amatoribus suis fornicationis scelere arguitur, ibi in nostris codicibus, pro amatoribus, pastorum nomen sit immutatum. CAIETANVS. Et armati ascenderunt, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, Quini ascenderunt filij Israël de terra Aegypti. Ordo describitur ascẽdentium, I quòd non turmatim more fugientium, sed ordinatè more exercitus, ascenderunt quini & quini. Quod intelligo de idoneis ad bellandum, hoc est, à vigesimo vsque ad quinquagesimum annum. AVCTOR CATENAE.

Et armati ascenderunt filij Israël de terra Aegypti. Rectissimè vertit doctus Interpres, Hebraicam dictionem חֲמֻשִׁים Chamusim, quæ à chames, quod est quinque, descendit. Et quia homines armati quinqueni ordinatim procedebant ad bellum, ideo dictio hæc pro armatis ponitur. Sic etiam legit editio Chaldaica. Alij accincti (scilicet armis) in quinta costa, verterunt, quod in idem redit cum nostra versione, eo videlicet, quòd armati per singulos quinque & quinque incedebant. Fide enim & animositate ascendebant de Aegypto, quia dominum sibi præsentem & propitium sentiebant, tot patratis magnalibus cum eis, donec tentatio occurrebat. Nec desunt qui locum hunc edisserant, quòd quinque turmis ascenderunt sub quatuor vexillis. Nam Moyses cum senioribus Israël in medio quatuor turmarum manebat. Quidam etiam exponunt pro iubilæis, vt sit sensus, Ascenderunt quinquagenarij, hoc est, iubilæi, seu liberati. Iubilæus enim quinquagesimo quoque anno celebrabatur. Demum alij festinabundi, solliciti, circunspecti & expediti interpretati sunt. Vnde & in Iosue capitulo primo ad Rubenitas & Gaditas dicitur: Vos transibitis ante fratres vestros accincti, hoc est, solliciti, circunspecti & expediti, tanquam excubias agentes pro fratribus. Quo in loco idem vocabulum, quod hoc loco, ponitur. Et conuenit etiam hæc interpretatio cum eo apparatu, quo Israëlitæ iussi sunt edere agnum. Renes vestros (inquit) accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Hic est apparatus eorum qui sunt accincti ad iter. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quòd adiurasset filios Israel, dicens, Visitabit vos deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* INTERLINEARIS. De quibus dicit Iesus filius Syrac, quòd post mortem prophetauerunt, quia scilicet Ioseph, quod post mortem suam futurum erat filiis Israël, prophetauit.

*Eccl. 49.*

GRAECVS. Ioseph autem patriarchæ ossa significat, propterea quòd Iudæi vtpote infantibus similes, aurum atque argentum secum detulerunt, Moyses verò intemerati animi vir, Ioseph ossa deportauit. RVPERTVS. Admirandus ordo diuini iudicij. Venditores fratris fecit deus descendere post eum in Aegyptum, & L non ipsi viuentes viuum reduxerunt, sed ipsis defunctis illic remanentibus, filij eorum mortuum reuexerunt, eíque in peregrina terra sepultis, hic verò reconditus in terra & hæreditate patrũ. AVCTOR CATENAE. Eo quòd adiurasset filios Israël, dicens, Visitabit vos & cætera. Duos Hebraismos consultò vitauit Interpres hoc in loco. Primus est כִּי הַשְׁבֵּעַ הִשְׁבִּיעַ Chi hasbéah hisbíah, Eo quòd iuramento adiurasset. Alter פָּקֹד יִפְקֹד pakod iphkod, Visitans, siue visitãdo visitabit. Quod subaudi, cùm euenerit, tunc efferte ossa mea hinc vobiscum. Loco huius Chaldaica habet, Recordans recordabitur vestri deus. Sed hæc omnia idem in sententia cum Latina editione. Sic igitur promissam Ioseph fidem filij vel nepotes seruarunt, de transferendis in Chanaan ossibus, sicut & ipse patri suo fidem seruauerat. Vltima & pia parentes voluntate non sunt fraudandi à filiis. Et sacrosancta semper fuit apud Hebræos iuramenti religio, quòd inuocatione diuini nominis celebraretur. Et id ipsum fides patriarchæ promeruerat, qui tam firma fide dudum prædixerat dei circa posteros gratiam ac visitationem, sed fidei suæ memoriale filiis post se relinquere cupiebat. *Profectíque de Sochoth, castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Etham, castra filiorum Israël in deserto, M quæ appellatur Ebutham. IDEM FABIOLAE. Ex hoc intelligimus, locum Sochoth adhuc iuxta Aegypti fuisse regiones. In eo enim quod dicitur, quæ est in extremis finibus solitudinis, ostenditur inter confinia esse eremi & Aegypti. INTERLINEARIS. Vbi scilicet solitudo post finitam Aegyptum incipit ad ortum. AVCTOR CATENAE. In extremis finibus solitudinis. Hebraicè est בִּקְצֵה הַמִּדְבָּר Bikze hamidbar. Et quia keze, finem, extremitatem, summitatem & terminum significat, variè locus reddi potest, videlicet, In extremitate, vel, In ora, siue fine deserti. Aliqui etiam vertunt, A fine: Chaldaica, Quod est in latere deserti. Septuaginta πρὸς τῷ ἔρημον, Circa desertum. Quæ omnia idem dicunt cum litera nostra, quæ ad veritatem redita est. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.*

*Cap. 14.*

AVGVSTINVS SECVNDO DE TRINITATE. Quis & hîc dubitet per subiectam



A iectam creaturam, eandémque corpoream, non per suam substantiam deum oculis apparuisse mortalium? Sed vtrum patrem, an filium, an spiritum sanctum, an ipsam trinitatem vnum deum similiter non apparet. Nec ibi hoc distinguitur quantum existimo, vbi scriptum est, Et maiestas domini apparuit in nube, & locutus est dominus ad Moysen dicens, Exaudiui murmur filiorum Israël, & cætera. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Præibat igitur illos deus per diem in columna nubis, vt refrigeraret viantibus, noctu autem in columna ignis, vt viam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret. Lex viarum columna erat & ignis & nubis. Denique in columna nubis loquebatur ad eos, vbi volebat exercitum requiescere à labore itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autem volebat exercitum mouere, prouehebatur & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. ZENO EPISCOPVS VERONENSIS. Mira fratres charissimi historiæ sacræ sic est perlecta narratio, cum Israëlis populus in ortu captiuitatis iugo depressus à rege Pharaone duris conditionibus in Aegypto necaretur, B miseratione dei duce Moyse iussus est proficisci, huic non circulus solis per diem, sed columna nubis: non candida luna, sed ignis columna per noctem iter pandebat ignotum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Vna & eadem columna erat contra calorem obumbrans, & contra tenebras illuminãs, vt dux esset vtriusque temporis CAIETANVS. Non habebat autem formam tẽtorij, sed formam columnæ tam in nocte quàm in die, quia non ad operiendum, sed ad monstrandum viam erat, & quoniam eadem est ratio motus & quietis, ideo columna mota monstrabat viam, quiescens autem monstrabat quietem, vt ex verbis statim subiunctis manifestatur. AVCTOR CATENAE. Ad ostendendam viam. Hebraicè est לַנְחֹתָם הַדֶּרֶךְ Lanchotham hadérech, Ad deducendum, seu vt deduceret, vel conduceret eos per viam. Quod Chaldaica latiùs exprimens, ait, Vt pararet eis locum mansionis in via. Sed hæc non deuiant à litera nostra. Septuaginta, vt apud nos est. Et per noctem in columna ignis. Adduntur hîc in Hebræo dictiones duæ, nempe לְהָאִיר לָהֶם Lehair lahem, Ad illu- C minandum, seu vt illuminaret eis. Sic habet & Chaldaica. Vel vt lumen præberet, seu faceret, siue luceret illis. Septuaginta hîc nihil habent. Quas quidem dictiones Interpres sub sequentibus verbis tacitè expressas putauit, videlicet, vt dux esset itineris vtroque tẽpore: pro quo ita in Hebræo legitur לָלֶכֶת יוֹמָם וְלַיְלָה Lalécheth iomam valáila, Ad faciendum ambulare, seu quò, vel vt ambularent die ac nocte. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta verò omnino silent. Quæ tamen omnia virtute continentur in Latina editione. Tam igitur certam curam gessit dominus populi Israëlitici, vt eos interdiu nubes refrigeraret ab æstu solis, nocte verò luceret columna ignis. Et vt in Leuitico legimus, iuxta verbum eius tentoria figebant & soluebant. Miracula autem talia facit deus visibilibus rebus ad consolationem populi Iudaici, Nihilominus fidelibus omnibus adest absque istis signis.

*Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.* INTERLINEARIS. Tradunt Hebræi, quòd per quadraginta annos columna nubis in die protecti sunt, ne calore solis vrerẽtur. CAIETANVS. Et quoniam non qualibet nocte ambulabant, sicut nec quolibet die, ideo subiuncta est perseuerantia D quolibet die, & qualibet nocte. AVCTOR CATENAE. Nunquam defuit columna. Chaldaica quoque, Nunquam deficiebat, & Septuaginta, οὐκ ἐξέλιπεν, Non defecit. Aliqui autem verbum Hebraicum יָמִישׁ Iamis, recedere verterũt, vt dicant, Non recessit, seu nunquam recedebat. Sed hæc idem sunt penitùs cum litera nostra. Inestimabilis itaque dei benignitas ad Israëlem, qui tot annis visibili semper illis beneficio adfuit. Et vicissim improba ceruix rebellium, qui toties à fide & cultu bonitatis dei desciuerunt.

GREGORIVS VIGESIMO QVARTO MORALIVM. Sæpe conuersi quique in ipso adhuc a- *Mysticè. Cap. 13.*
ditu inchoationis suæ, vel tranquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctri-
næ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt: post hæc autem duris tentationis probationibus
fatigantur, à quibus tentationibus adhuc cùm inciperent, valde liberos se esse crediderunt. Quod diuinæ gra-
tiæ dispensatione agitur, ne in inchoatione sua tentationum asperitate frangantur, quia si eorum initia amari-
tudo tentationis exciperet, tam facilè ad ea quæ reliquerant redirent, quàm nec longius discesserant, nam con-
E temptis prius vitiis quasi iuxta positis replicarentur. Vnde & scriptum est, Cùm emisisset Pharao populum, non
eos duxit dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret eum si vidisset aduer-
sum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. Ex Aegypto itaque exeuntibus, è vicino bella subtrahun-
tur: quia derelinquentibus seculum, quædam prius trãquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque in-
choatione turbati, ad hoc territi redeant quod euaserunt. Priùs ergo suauitatem securitatis sentiunt, priùs pacis
quiete nutriuntur, post cognitam verò dulcedinem tanto iam tolerabilius tentationum certamina sustinent,
quanto in deo altius cognouere quod ament. Vnde & Petrus priùs in montem ducitur, priùs claritatem trans- *Mar. 9.*
figurationis dominicæ contemplatur, & tunc demum tentari ancilla interrogante permittitur, vt per tentatio- *Matth. 26.*
nem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo & amando recurreret quod vidisset, & cùm eum timoris
vnda in peccati pelagus raperet, esset prioris dulcedinis anchora, quę retineret. INTERLINEARIS. Mare
autem rubrum, baptismum significat, Christi sanguine consecratum, cui vicina est via deserti, quæ est Christus.
F RVPERTVS. Sed & armati (inquit) ascenderunt filij Israël de terra Aegypti. Videlicet in nostri exẽplum,
qui non ad otia de Aegypto huius seculi, sed ad bella vocati sumus contra barbaricas acies vitiorum, aduersus
phalanges malignorum spirituum, quãquam ipsi nondum essent idonei ad bellum ante maris rubri transitum,
sicut & nos nihil fortiter agere potuimus, ante perceptum salutare baptismi Christi sacramẽtum. AVCTOR
CATENAE. Exeuntibus quoque de Aegypto, ossa Ioseph asportanda sunt, quia de valle vitiorum, & de pro-
fundo iniquitatis conuersis, sanctorum patrum qui nos præcesserunt, fides & opera sunt imitanda, quorum se-
quentes vestigia, ab incœpto itinere neque ad dexteram neque ad sinistram declinabimus. ORIGENES.
Sed nec in Sochoth quidem manendum est, vrgenda est profectio. Mouenda sunt castra etiam de Sochoth,
& festinandum est, vt veniamus in Etham. Etham verò in linguam nostram versum, dicũt signa eis. Et meritò.
Hîc enim audiẽs dicit, quia deus antecedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.
Non hoc inuenis factum apud Rameſſe, nec apud Sochoth, quæ secunda proficiscentibus castra dicuntur, sed

tertia

tertia castra sunt, in quibus fiunt signa diuina. Recordare quæ superius lecta sunt, cùm dicebat Moyses ad Pharaonem, Iter trium dierum ibimus in desertò, & immolabimus domino deo nostro. Hoc ergo erat triduum, ad quod festinabat Moyses, & contradicebat Pharao. Ille enim dicebat, non eatis longiùs. Non permittebat Pharao ad locum signorum peruenire filios Israël, non permittebat eos in tantum proficere, vt possent tertij diei mysteriis perfrui. Audi enim Prophetam quid dicit, Resuscitabit nos deus post biduum, & in die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius prima dies nobis, passio saluatoris est, & secunda qua descendit in infernum, tertia autem, resurrectionis est dies. Et ideo in hac die tertia deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis. Quòd si secundum ea quæ superius diximus, in his verbis rectè nos Apostolus docet baptismi mysteria contineri, necessarium est, vt qui baptizantur in Christo, in morte ipsius baptizentur, & ipsi consepeliantur, & cum ipso die tertia resurgant à mortuis, quos & secundum hoc quod dicit Apostolus, simul secum suscitauit, simúlque fecit sedere in cælestibus. Cùm ergo tibi tertij diei mysterium fuerit susceptum, incipiet te deducere deus, & ipse tibi viam salutis ostendere. HIERONYMVS FABIOLAE. Tertia mansio offertur post tabernacula, in qua primùm videtur dominus, nocte in columna ignis, & per diem in columna nubis, vt præcedat populum, & dux itineris fiat. Etham nobis sonat fortitudo atque perfectio, de qua & Dauid canit, Tu dirupisti flumina Etham, id est, fortes. Grandis est fortitudo Aegyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari. Præparemus ergo nobis fortitudinem, assumamus perfectum robur, vt inter errorum tenebras, & confusionem noctis, scientiæ Christi lumen appareat. Dies quoque noster nubem, & nox ignem habeat protegentem, vt his ducibus ad sanctam terram peruenire valeamus. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Illa columna nubis specie quidem præcedebat filios Israël, Mysterio autem significabat dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Esaias, hoc est, in virgine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ. Leuis erat secundum virginis integritatem: leuis erat quia non homini quærebat placere, sed domino: leuis erat, quæ non iniquitate conceperat, sed spiritu superueniente generabat, nec in delicto, sed cum gratia parturiebat. Aliter quoque hanc interpretationem sumere licet. Venit in nube leui Christus in Aegyptum, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc seculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat: sed leuis erat caro, quam nulla sua grauabant delicta. Quomodo enim peccatis grauaretur suis, qui auferebat omnium peccata populorum? Ecce (inquit Ioannes) agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ante hesternum lectum est quia stabat Iesus, & habebat vestimenta sordida, mea enim peccata portabat: sumpsit vestimenta nostra, vt nos splendore immortalitatis indueret. Venit in nube leui quasi iustitia: iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde iustorum, in quibus peccata non erant. Et ideo bene lectum est hodie, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Pro nobis verbum susceptit carnis infirmitatem, pro nobis esuriuit, vapulauit, crucifixus est, mortuus est, vt nobis in quibus antè vita ignobilis & degener habebatur, inciperet mors esse preciosa. GREGORIVS IN HOMILIIS. Dominus autem præcedebat (inquit) eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. In igne terror est, in nube autem visionis lene blandimentum. Dies verò vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris. Vnde & conuersis peccatoribus Paulus dicit, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. In die ergo per nubem columna monstrata est, & in nocte per ignem, quia omnipotens deus & blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudinem mulcet, illos verò per iustitiæ districtionem terret. IDEM SECVNDO MORALIVM. Aliter. Dominus noster quia saluandis se peccatoribus dedit, dum eos qui sibi iusti videbantur deseruit, hos qui se iniustos & fatebantur & nouerant, assumpsit. Hinc ipse in Euangelio dicit, Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Hinc & columna nubis quæ in eremo populum præibat, splendore ignis, non in die, sed in nocte radiabat, quia videlicet redemptor noster suæ conuersationis exemplo, ducatum sequentibus præstans, de iustitia sua confidentibus, nulla luce claruit, peccatorum verò suorum tenebras agnoscentibus, igne sui amoris infulsit. ZENO EPISCOPVS VERONENSIS. Tempus non sinit fratres imagini reddere veritatem. Veruntamen Iudææ quid monumentis tuis criminis gratularis? In Aegypto seruisti diu, non sorte peregrini, sed meritò. Ereptus es inde, non tua euasisti virtute. Columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet cæcum, ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum. IDEM. Aliter. Columna viam demonstrans, Christus est dominus. Quod autem duplicem nubis & ignis imaginem gerit, iudicia duo designat, vnum aquæ quod gestum est, ignis alterum, quod futurum. ISIDORVS. Nubes ista præcedes, Christus est. Idem etiam columna, quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram. Per noctem lucens, per diem non lucens, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Potest & sic non incongruè accipi, quòd Christi sacramentum tanquam in die manifestum est in carne, velut in nube, in iudicio verò tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio seculi, tanquam ignis, & lucebit iustis, & ardebit iniustis. PROSPER. Expulsi Hebræi per eremum ductitantur, quia omni Christiano renuncianti mundo, arcta illi angustaq; necessaria est via, quæ ducit ad vitam. Huic populo columna nubis in die, & columna ignis per noctẽ iter ostẽdit, quoniam Christiani hominis gressus à domino diriguntur, & vias eius volet. RVPERTVS. Vbique in hoc sanctæ scripturæ cœlo lucida occurrunt sydera, omnia in fontem sui luminis, scilicet in verum solem Christum respicientia, & nullus locus vacuus est. Ecce columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, dux itineris vtroque tempore in conspectu filiorum Israël, videlicet iuxta oculorum naturam, qui vt sequi valeãt, & sub sole nubem, & in nocte facilè dinoscunt ignem. Quis nam hic dux itineris, nisi qui & dux & via nobis est Iesus Christus filius dei? ipse nempe columna ignis, quia verus deus, ipse idem columna nubis, quia verus homo est. Vnde signãter & propriè loquens scriptura, non dixit, Dominus autem præcedebat eos in columna nubis & in columna ignis, sed in alio casu, quem accusatiuum dicunt Grammatici in columnam nubis, & in columnam ignis, id est, sicut columna nubis, & sicut columna ignis. Cùm adhuc esset nox, erat tãtum ignis, vbi aut dies gratiæ, vel tempus miserationis aduenit, nubes factus est qui ignis erat, id est, homo, vel caro factus est, carnẽ induẽdo qui deus erat

*Ioan.1.*
*Psal.115.*
*Hom.21.*
*Eph.5.*
*Cap.30.*
*Ioan.9.*
*Vbi supra serm.11.*
*Serm.14.*
*Vbi supra cap.37.*
*Matth.7.*
*Psal.78.*



erat. Plus est sol igneus, sol iustitiæ in die, quàm ignis splendidus igni verbi prophetici in nocte. Sol vt tolerari posset venit in nube, id est, deus, vt cum hominibus conuersaretur, venit in carne. Igitur columnæ huius mysteria nouimus, quæ in nocte, id est, nondum reuelata luce gratiæ, ignis erat, & exiguum, id est, perpaucis in Prophetalem gratiam lucebat, exiguum (inquam) videlicet comparatione diei præsentis, quando totus fons ignis, verus sol, & fons luminis, totus cum nube suæ carnis venit. Quamuis sit sol in nube, clariùs tamen lucet, quàm dudum ignis in nocte. Ad quid autem eiusmodi columna nos præcesit? Videlicet vt ostenderet nobis viam fugiendi, à Pharaone rege Aegypti, id est, à diabolo principe huius mundi, ad hoc vt aperiret nobis viam maris rubri, id est, gratiam baptismi sanguine suo rubentis, vt ingressi cum Pharaone Aegyptij post nos in mare, id est, baptizatos nos in morte Christi persequentes, idololatræ gentes perirent de memoria nostra, cum diis, imò cum dæmoniis suis, & confunderentur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulachris suis.

B BEDA. Vel colũna nubis in die, veterem legem cum obscuritate literæ significat, colũna verò ignis, legem noui testamenti. Ignita enim sunt eloquia dei. Et ignea lex in dextera illius, id est, Christus in dextera dei patris. *Psal.96.*
Aliter. Dies in quo nubes fuit, prosperitatem huius mundi significat cum veteri lege, in qua bona terræ comedebantur. Columna verò ignis in nocte, nouum testamentum in obscuritate mysteriorum, vel in comparatione vitæ futuræ. Sicut enim nouum veteri præfertur, ita & dies iudicij nouum superat. Ambulatio quoque filiorum Israël, & in tenebris & in lumine, significat quòd alij ex illis essent in litera de qua dicitur, Litera occidit: alij in sensu, de quo dicitur, Spiritus autem viuificat. Quod autem dicitur quòd deus præcedebat eos, id nobis indicare videtur, quòd Christus præcesit nos ostendendo viam veritatis, vt dicitur, Quæ cœpit Iesus facere & docere, siue in resurrectione, siue in ascensione, siue in sede ad dexteram patris. MAXIMVS EPISCOPVS THAVRINENSIS. Sed & aliter. Sæpe deus quos post iniurias perducit ad requiem, protegit eos nubis ymbraculo, sicut filios Israël liberatos de Aegypto nubis columna protexit, & vt post multum labo- *Homilia 3. Pentecostes.*
C rem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouet vmbraculo sicut ait Propheta: Expandit nubem *Psal.104.*
ad protegendum eos. Expandit enim nubem, ne siccitate eremi fatigarentur, etiam solis ardore. INTERLINEARIS. Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo, id est, obscuritas veteris testamenti, & lux Euangelij. BEDA. Et hoc est quod alibi dicit ipse dominus & saluator, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

## IN CAPVT EXODI QVARTVMDECIMVM, ARGVMENTVM.

D *Induratus Pharao insequitur Israelitas & submergitur. Murmurant Israelitæ desperantes de salute. Gradiuntur per medium maris siccis pedibus. Laudant deum.*

## CAPVT XIIII.

E IRocutus est autem dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël, Reuersi castrametentur è regione Phiairoth, quæ est inter Magdalum & mare, contra Beelsephon. In conspectu eius castra ponetis super mare. Dicturúsque est Pharao super filiis Israël, Coartati sunt in terra, concluſit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur uos, & glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius, Sciéntque Aegyptij quia ego sum dominus. Feceruntque ita. *Lectio 1.*

AVCTOR CATENAE. Iubet dominus iam liberatum & manumissum populum retrocedere, & iterum periclitari ad atrocissimum hostem, tentari de fide iam concepta & comprobata. Impium hostem animosum fieri, & contra dominum pugnare sinit, fideles autem timere & desperare permittit, vt gloriam suam mundo ostendat, & à nemine iudicetur, qui solus nouit consilij sui rationem, & quibus modis ac mediis opus suum perficere decreuerit. Sed videamus quomodo negocium hoc ad finem vsque perduxerit sapientissimus & omnipotentissimus dominus. *Locutus est autem dominus ad Moysen, dicens.* CAIETANVS. *Lectio 1.*
Nomen est tetragrammaton, quadrans mirabili operi propter quod disponebatur iter ad mare rubrum. *Loquere filiis Israel, Reuersi castrametentur è regione Phiairoth, quæ est inter Magdalum & mare, contra Beelsephon. In conspectu eius*
F *castra ponetis super mare.* HIERONYMVS FABIOLAE. Quarta mansio filiorum Israël indicitur Phihahirot, scribitúrque per literam cheth. Quidam male chiroth, villas putant, errórque manifestus, quòd pro supradicto elemento, ת, hain literam legant. IDEM DE LOCIS HEBRAICIS. Magdalus autem est, ad quam filij Israël cùm exissent de Aegypto peruenerunt, antequam transirent mare rubrum. Legimus & Ezechiel de Magdalo vsque Sienem. Porrò Hieremias Iudæos qui secum fugerant, Babyloniorum impetum declinantes, in hac vrbe Aegypti habitasse refert. RVPERTVS. Reuersi (inquit) subauditur de Etham, vt non irent, sicut iam dictum est, per terram Philistinorum. HVGO DE SANCTO VICTORE. In conspectu eius castra ponetis. Illud eius, potest referri ad Beelsephon, & tunc plana est litera, vel ad Pharaonem, vt interponatur relatiuum eius ad quod refertur præter consuetudinem, sicut est illud, Fundamenta eius in montibus sanctis. CAIETANVS. Non erat autem directa reuersio, sed species quædam reuersionis ad locum Aegypto propinquiorem eundo, & propterea appellatur reuersio. Et quia dispositionem

ſitus nominatorum locorum neſcimus, non poſſumus declarare qualiter diſpoſita erant hæc quatuor loca rela- G
tiuè ad populum, niſi quòd populus caſtrametatus eſt inter Migdol (quod corruptè vocatur Magdalum) &
mare rubrum, & fortè alia duo loca è regione quoque ſe mutuò reſpiciebant. Ita quòd mare rubrum ex vna
parte,& Migdol ex oppoſito quaſi per longitudinẽ,& quaſi per latitudinẽ,Bahal ſephon hinc,& Pihachiroth in-
de erant,populus autẽ inter hæc iuxta mare. AVCTOR CATENAE. Reuerſi caſtrametẽtur.Parum eſt
quòd in Hebræo eſt וַיָּשֻׁבוּ וַיַּחֲנוּ Veiaſúbu veiachanu,Vt reuertantur & caſtrametentur. Sic & Chaldaica.Septua-
ginta vt apud nos.Quod ãutẽ dicimus Phiairoth & Beelſephon, ſingulas dictiones in duas diuidũt Hebræi, di-
centes,פִּי הַחִירֹת pi hachiroth,& בַּעַל צְפֹן Báhal zephon. Quæ locorũ eſſe nomina aſſerunt Hebræi, licet appella-
tiua videãtur.Chaldaica etiã editio,nomina hæc nõ immutat. Quare neſcitur cur hoc primũ Septuaginta ver-
terint,ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως i.è regione videlicet villæ aut ſtabuli, ſiue ſuburbij,licet alia vt propria reliquerint.
Locũ autẽ Phiairoth periculoſiſsimũ Iſraëlitis fuiſſe credẽdum eſt,in anguſtiis nempe mõtium & mari adlatus, H
quò magis dei gloria innoteſceret:nimirũ ſi eius auxilio(cùm vndiq; eſſent irretiti & perplexi, vt nuſquã pateret
effugium)tunc liberarẽtur. RVPERTVS. Quid autẽ hoc præcepto intẽdat dominus,ſubdẽdo manifeſtat.
*Dicturusq; eſt Pharao ſuper filiis Iſrael,Coartati ſunt in terra,cõcluſit eos deſertũ.* Id eſt,hinc terra Aegypti,inde terra Philiſtiim,
atque inde rurſus deſerto,à quarto climate mari rubro concluſi,effugere non poterũt. INTERLINEARIS.
Dicit Ioſephus,quòd ex vna parte mons intrãſgreſsibilis,ex altera mare coartabat. CAIETANVS. Con-
cluſit eos deſertũ,non quo ad ſpaciũ loci,ſed quo ad cõmoditatẽ itineris. AVCTOR CATENAE. Coarta-
ti ſunt Hebraicè eſt נִבְכִּים Nebuchim.Paſsiuum eſt à verbo בּוּךְ Buch, quod propriè ſignificat animo perplexũ,&
vſque adeò ambiguum eſſe,vt neſciat quò ſe vertat.Vnde & perplexi,& cõfuſi,& oberrantes,& irretiti,& cõcluſi
ab aliquibus vox reddita eſt.Chaldaica vt apud nos.At Septuaginta,πλανῶνται οὗτοι ἐμ τῇ γῇ legunt,id eſt,Errant
iſti in terra.Sed hæc omnia facilè ad idem redigũtur. *Et indurabo cor eius,ac perſequetur vos, & glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius.* INTERLINEARIS. Id eſt, glorioſus apparebo eo cum exercitu ſuo demerſo. RV- I
PERTVS. Ordo præpoſterus. Nam ſenſu prius eſt, & indurabo cor eius, poſterius verò dicturuſq; eſt Pharao
ſuper filiis Iſraël. Sed vt cõpetentiùs ſecundũ perſonã ſermo cõtinuaretur, & indurabo cor Pharaonis, ac perſe-
quetur vos ac glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, ſic rectè cõmutatũ eſt. Propriè autẽ ſecundum
hiſtoriã dictũ eſt,& glorificabor,quia videlicet cùm multa fecerit magnalia dominus in Aegypto, nullo magis
glorificatus eſt,quàm eo quòd ſic terribiliter Pharaonem & exercitũ eius demerſit in mari rubro. IRENAEVS
*Cap.48.* LIBRO QVARTO ADVERSVS HAERESES. Sed & indurauit,inquiũt illi,deus cor Pharaonis & famulorũ eius.Qui ergo hæc imputant,non intelligũt in Euãgelio vbi diſcipulis dicentibus domino, Quare in parabolis loqueris eis? Reſpõdit dominus, Quoniã vobis eſt datũ cognoſcere myſteriũ regni cœlorũ. Illis autem in parabolis loquor, vt videntes non videãt,& intelligẽtes non intelligãt, vt adimpleretur apud eos prophetia Eſaiæ dicẽs, Incraſſa cor populi huius,& aures eorũ obtura, & oculos eorũ obcæca. Veſtri autẽ beati oculi, qui vi-
dent quæ vos videtis,& aures veſtræ quæ audiũt,quæ auditis.Vnus enim & idẽ deus,his quidẽ qui non credunt K
ſed nullificant eum,infert cæcitatẽ.Quemadmodũ ſol,qui eſt creatura eius, his qui propter aliquã infirmitatẽ o-
culorum non poſſunt cõtemplari lumen eius:his autẽ qui credũt,& ſequũtur eum,plenioré & maioré illumina-
tionẽ mẽtis præſtat.Secundũ hũc igitur ſermonẽ & Apoſtolus ait in ſecũda ad Corinthios:In quibus deus,ſecu-
li huius excæcauit mẽtes infideliũ,vti non fulgeat illuminatio Euãgelij gloriæ Chriſti. Et iterũ in ea quæ eſt ad
Romanos, Et quẽadmodum nõ probauerũt deũ habere in notitia, tradidit illos deus in reprobũ ſenſum, facere
quæ non cõueniũt. In ſecũda autẽ ad Theſſalonicẽſes,manifeſtè ait de Antichriſto dicẽs,Et ideo mittit deus o-
perationes erroris vti credãt mẽdacio,& iudicẽtur omnes qui nõ crediderũt veritati, ſed cõſenſerũt iniquitati.
Sic igitur & nũc, quotquot ſcit non credituros deus, cùm ſit omniũ præcognitor, tradidit eos infidelitati eorũ,
& auertit facié ab huiuſmodi,relinquẽs eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt: Quid mirũ ſi & tũc nunquã cre-
diturũ Pharaonẽ,cum his qui cum eo erant,tradidit eos ſuæ infidelitati? Quẽadmodum verbum ait de rubo ad
Moyſen, Ego autẽ ſcio quoniã non dimittet vos Pharao rex Aegypti abire, niſi cum manu valida.Et quaratio- L
ne dominus in parabolis loquebatur,& cæcitatẽ faciebat in Iſraël,vt videtes non viderẽt, ſciẽs incredulitatẽ eo-
rum:eadẽ ratione & cor Pharaonis indurabat,vt videns quoniã digitus dei eſt qui educit populũ, non crederet,
ſed in infidelitate præcipitaretur pelago, per magicã operationẽ opinatus fieri exitũ eorum, & rubrũ mare nõ ex
virtute dei trãſitũ præſtitiſſe populo,ſed naturaliter ſic ſe habere. *Scientq; Aegyptij quia ego ſum dominus.* RVPER-
TVS. Id eſt,neſcire non licebit Aegyptiis,quia ego ſum dominus,verbi gratia, cùm dicẽt occurrẽtibus ſibi a-
quis,fugiamus Iſraëlẽ, dominus enim pugnat pro eis contra nos. CAIETANVS. Scientq; Aegyptij quia
ego ſum dominus.Hoc eſt, quòd ego qui vocaui vos, qui duco vos, ſum ſupremus deus. *Fecerunt q, ita.* AV-
CTOR CATENAE. Docemur hîc ne rei difficultatem,ſed mandatum dei ſemper & illius promiſſa conſi-
deremus,aggrediamúrque infracto pectore quæ ipſe iubet,certi opem ſuam nobis nunquam defuturam.
*Myſticè.* ORIGENES. Sed videamus nũc quid dicitur ad Moyſen,quę via præcipitur eligẽda.De Etham(inquit)
cõuerſi,iter facite inter Epauleũ,& inter Magdalũ,quod eſt cõtra Beelſephon. Hæc autẽ ſic interpretãtur. Epau- M
leum quidem aſcẽſio tortuoſa, Magdalũ turris, Beelſephon aſcẽſio ſpeculæ vel habẽs ſpeculã. Tu fortaſſe crede-
bas,quia iter quod deus oſtẽdit planũ eſſet & molle,& nihil prorſus haberet difficultatis aut laboris.Aſcenſio eſt
& deſcenſio tortuoſa.Non enim procliue iter eſt quo tenditur ad virtutes,ſed aſcẽditur,& anguſtè ac difficulter
*Matth.7* aſcẽditur.Audi etiam dominũ in Euãgelio dicentẽ,quia arcta & anguſta via eſt,quæ ducit ad vitam.Vide ergo
quãtum cõſonat Euangeliũ cum lege.In lege oſtẽditur virtutis via aſcẽſio tortuoſa,In Euãgeliis dicitur, Arcta
& anguſta via quæ ducit ad vitã.Nonne hîc apertè etiã cæci videre poſſunt, quòd legẽ & Euãgelia vnus atque
idẽ ſpiritus ſcripſit?Eſt ergo iter quod incedũt,aſcẽſio tortuoſa,& aſcẽſio ſpeculæ,vel habẽs ſpeculã. Aſcenſio ad
actus pertinet,ſpecula ad fidem.Oſtendit ergo,quia & in actibus & in fide multa eſt difficultas,& multus labor.
Multæ enim tentationes nobis occurrunt,multa in fide offendicula volentibus agere quæ dei ſunt. Tum dein-
de in fidẽ multa inuenies tortuoſa, plurimas quæſtiones, multas obiectiones hæreticorũ,multas cõtradictiones

infidelium



A infidelium. Hoc ergo iter agendum eſt ſequentibus deum.Sed eſt & turris in hoc itinere.Quæ eſt iſta turris? illa
nimirũ,quam dominus in Euãgelio dicit,Si quis veſtrũ volẽs turrim ædificare,nónne prius ſedebit:& cõputabit
ſumptus ſi habet vnde perficiat.Iſta eſt ergo turris,ſedes ardua & excelſa virtutum. Sed videns hæc Pharao,audi
quid dicit.Errãt(inquit)iſti.Apud Pharaonẽ,qui deũ ſequitur,errare dicitur,quia(vt diximus)ſapientiæ iter tor-
tuoſum eſt,multos habẽs flexus,multas difficultates,plurimos anfractus.Deniq; cùm cõfitearis vnũ deũ eademq;
cõfeſsione patrẽ & filiũ & ſpiritũ ſanctũ aſſeris vnũ deũ,quã tortuoſum,quã difficile,q̃ inextricabile videtur hoc
eſſe infidelibus? Tum deinde cùm dicis dominũ maieſtatis crucifixũ, & filiũ hominis eſſe qui deſcẽdit de cœlo,
quã tortuoſa hæc videtur,& quã difficilia? Qui audit,ſi non cum fide audiat, dicit quia errãt iſti. Sed tu fixus
eſto,nec dubites de huiuſmodi fide,ſciẽs quia deus tibi oſtẽdit hanc fidei viam.Ipſe enim dixit,Tollentes de E-
tham caſtra,collocate ea inter Epauleũ,& inter Magdalũ cõtra Beelſephon.Fugiẽs ergo Aegyptum,venis ad hæc
B loca,venis ad has operũ aſcẽſiones & fidei,venis ad ędificiũ turris,venis etiã ad mare,& occurrũt tibi fluctus.Nõ
enim iter vitæ ſine tẽtationum fluctibus agitur,ſicut & Apoſtolus dicit, Omnes qui volũt piè viuere in Chriſto,
perſecutiones patiẽtur.Sed & Iob nihilominus pronunciat,quia tentatio eſt vita noſtra ſuper terrã.Hoc eſt ergo
veniſſe ad mare.Sed ſi Moyſen,id eſt,legẽ dei ſequẽs, agas hoc iter, Aegyptius te quidẽ perſequitur & infectatur,
ſed mox videbis quid fiat. HIERONYMVS FABIOLAE. Aliter.Phiairoth interpretatur os nobilium.
Beelſephõ in linguã noſtrã vertitur dominus Aquilonis,aut aſcẽſus ſpeculæ,aut habens arcana. Porrò Magdal,
magnitudo,vel turris.Aſſumpta igitur fortitudine nobilitamur in domino, & Beelſephõ idoli arcana contẽni-
mus,illiuſq; magnificẽtiã & turritã ſuperbiã declinamus.Non enim eſt ab auſtro,vnde dominus venit, & à me-
ridie,in qua ſpõſus recũbit in floribus,ſed poſſeſſor Aquilonis venti frigidiſsimi,ex quo exardeſcunt mala ſuper
terrã:qui cùm ſit frigidiſsimus,nomine dexter vocatur,falſum ſibi aſſumens vocabulũ virtutis ac dexteræ,cùm
totus ſit in ſiniſtra. RVPERTVS. Reuerſi caſtrametẽtur è regione Phiairoth, quæ eſt inter Magdalum &
C cõtra Beelſephon.Cõtrarias fortitudines tã Aegyptiorũ quàm Philiſtinorũ,id eſt,nõ tam dæmonũ,& eorum qui
illos colũt,quàm & Iudæorũ, ſiue hęreticorũ ſecundũ nomẽ Philiſtiim potione cadẽtium, quia miſcuit eos do-
minus ſpiritui vertiginis,ſicut eſt ex Propheta ſupradictũ.Has(inquã) cõtrarias fortitudines fugiẽtis, caſtrame-
tentur è regione Phiairoth,quod(vt iam dictũ eſt)interpretatur os nobiliũ, & ſignificat nobilẽ doctrinã vel fidẽ
Apoſtolorum,inter Magdalũ & mare,id eſt, inter magnæ turrim fortitudinis,ſcilicet Chriſtũ,& ſanctũ eius ba-
ptiſmũ,cõtra Beelſephõ,id eſt,cõtra diabolũ aquilonis dominũ,qui auſu ſuperbię elatus,Sedebo(inquit)in mõte *Eſa.14.*
teſtamenti in lateribus aquilonis, id eſt, eos poſsidebo,qui frigidi remanebũt à dilectione creatoris. Tali vtique
poſitione ſpiritualiter caſtrametãtur noſtri catechumeni quãdo fugiẽtes huius mundi Aegyptũ,vbi ſimulachra
muta coluerũt,& abominati omnes ſectas hæreticorũ,qui æſtimatione ſua Ethã,id eſt fortes ſunt, veniũt ad ma-
re,ſcilicet ad vnici & veri baptiſmi ſacramẽtum, quod in vna ſancta catholica atque apoſtolica Eccleſia quæ-
rendũ atque cõfitendum eſt,Et glorificabor(inquit)in Pharaone & in omni exercitu eius. Nempe cùm in cœlo &
D in terra magnalia fecerit dominus abſque numero,de nullo glorioſiùs prædicatur, quàm de eo quòd per humi-
litatem Chriſti filij ſui diabolum deiecit,& conſilium eius præcipitauit.

*ET nunciatum eſt regi Aegyptiorum quòd fugiſſet populus,immutatumq; eſt cor Pharaonis & ſeruorum* 2
*eius ſuper populum,& dixerunt:Quid uoluimus facere ut dimitteremus Iſraël ne ſeruiret nobis? Iunxit*
*ergo currum & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum. Tulitq; ſexcẽtos currus electos,& quicquid in*
*Aegypto curruum fuit,& duces totius exercitus. Indurauitq; dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & perſecu*
*tus eſt filios Iſraël. At illi egreſsi erant in manu excelſa. Cumq; perſequerẽtur Aegyptij ueſtigia præcedẽtium,*
*repererunt eos in caſtris ſuper mare. Omníſque equitatus & currus Pharaonis, & uniuerſus exercitus erant in*
E *Phiairoth cõtra Beelſephon. Cumq; appropinquaſſet Pharao, leuantes filii Iſraël oculos,uiderũt Aegyptios poſt*
*ſe,& timuerũt ualde. Clamaueruntq; ad dominum,& dixerũt ad Moyſen,Forſitan non erant ſepulchra in Aegy-*
*pto,ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine. Quid hoc facere uoluiſti,ut educeres nos ex Aegypto? Nónne iſte*
*eſt ſermo quem loquebamur ad te in Aegypto,dicẽtes,Recede à nobis ut ſeruiamus Aegyptiis? Multo enim melius*
*erat ſeruire eis,quàm mori in ſolitudine. Et ait Moyſes ad populum,Nolite timere. State, & uidete magnalia do-*
*mini quæ facturus eſt hodie. Aegyptios enim quos nunc uidetis, nequaquam ultra uidebitis uſque in ſempiternum.*
*Dominus pugnabit pro uobis,& uos tacebitis.*

AVCTOR CATENAE. Quod à domino prædictum eſt, hoc euenit. Pœnitet Pharaonem dimiſiſſe 2
Iſraëlitas, quare perſequitur ipſos inſtructo & potentiſsimo exercitu, certiſsima fiducia concepta, quòd ne
F deus quidem poſsit ipſos è manibus ſuis liberare. Hîc ergo vide in Pharaone impiorum ingenium. Pharao-
nem pœnitet dimiſiſſe populum, hoc eſt, pœnitet obſequutum eſſe diuinæ voluntati. Sic impij, & ſi aliquan-
do rectè agere, vel minis vel ſuppliciis coguntur, tamen nacta opportunitate redeunt ad impietatem ſuam.
Et cùm deberet ipſos pœnitere impietatis, pœnitet eos potius pietatis, quòd vel ſemel aut iterum mandatis
Dei obſequuti ſint. Quid autem hoc ingenio magis impium eſt? Iuſsit enim deus vt agamus pœnitentiam in-
iuſtitiæ. Hi autem agunt pœnitentiam iuſtitiæ. Quare tanto magis impii ſunt, quanto longiùs à vera pœniten-
tia abſunt. Nam cur pœniteret eos boni, niſi quia bonum iudicãt malum? Quæ autem ibi reliqua ſalutis ſpes
eſt,vbi bonum,malum,& malum,bonum iudicatur? Sed iam ad ſacram ipſam lectionem accedamus. *Et nũ-*
*ciatum eſt regi Aegyptiorum quòd fugiſſet populus.* RVPERTVS. Nónne hic eſt Pharao, qui ſuprà dixit, ſurgite, e-
gredimini, & abeuntes benedicite mihi? Quomodo ergo nunc dictum eſt,& nunciatum eſt Regi quòd fugiſſet
populus? An quia petierant filij Iſraël ab Aegyptiis vaſa argentea & aurea, veſtémque plurimam,& ſpoliauerant

Aegyptios, & vulgus promiſcuum atque innumerabile, forſitan de mancipiis Aegyptiorum dominos ſuos fu- G
giens, aſcenderat cum eis, idcirco ſic dictum eſt, & nunciatum eſt quòd fugiſſet populus? Etenim ea ipſa quo-
que cauſa non parum innuit, vt ſpoliis Aegypti potiti filij Iſraël, quanto cupidius onuſtati, tanto libentius ac
properantius irent ad imperium domini. CAIETANVS. Sciebat Pharao quòd receſsiſſet popu-
lus, ſed neſciebat quòd fugiſſet, ſciebat quòd receſſerat iturus viam trium dierum in deſertum ad ſacrifican-
dum deo, ſed neſciebat quòd iam manifeſtarent ſe fugientes. Ex hoc enim quòd declinauerant ab itinere ver-
ſus deſertum, & iuerant ad mare rubrum, præ ſe ferebant quòd non in deſertum ad ſacrificandum deo tende-
rent, ſed fugerent ab Aegypto. *Immutatúmque eſt cor Pharaonis & ſeruorum eius ſuper populum, & dixerunt.* AVCTOR
CATENAE. Dictionem אֶל el, & ſuper, & in, ſiue contra ſignificat, Vnde tam Chaldaica quàm Septuaginta,
Contra populum habent. Sed hoc parum eſt. Quomodo verò immutatum eſt cor Pharaonis & ſeruorum eius? H
Quia prius exire compulerant filios Iſraël, nunc autem reuerti ad Aegyptum cogere volebãt. Vnde idem eſt di-
cere immutatum eſt cor Pharaonis, & mutata eſt ſententia Pharaonis. RVPERTVS. Pharao autem tanto
ad perſequendum proniorem habebat exercitum, quãto inſanius acceperant, auro vel argento ſuo ſe eſſe ſpolia-
tos ab eis quos dudum libertate ſpoliauerant. Vnde inflammati, ſeque inuicem cæco furore inflãmantes. *Quid*
(inquiũt) *voluimus facere, vt dimitteremus Iſrael ne ſeruiret nobis? Iunxit ergo currum ſuum, & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum. Tu-*
*litq; ſexcentos currus electos, & quicquid in Aegypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum
habetur, Et terni ſuper omnem eum. Deſcribũtur ſinguli currus Aegypti, ſic ampli, vt terni ſuper quemlibet pu-
gnarẽt. Ita quòd quilibet currus habebat ſaltem nouem viros pugnatores, tres in parte anteriori, & tres à dextris,
& tres à ſiniſtris, ſic enim verificatur, quòd terni ſuper quemlibet eorum erãt. Quibuſdam autem non placet in-
terpretatio hæc, & affirmando quòd Hebraica dictio à numero trinario deducitur, dicũt ſignificari non ternos,
ſed potius tertios, hoc eſt, tertij ordinis capita ſeu duces, quia pluries in ſacra ſcriptura hoc nomen inuenitur ſi- I
gnificans duces, ſeu barones & huiuſmodi, denominatos ab ordine tertio. AVCTOR CATENAE Quid
voluimus facere? Id quod in Hebræo eſt מַה זֹּאת עָשִׂינוּ Ma zoth haſínu, Quid, ſeu cur hoc fecimus? Et ita legunt
Septuaginta. Alij, Quid hoc rei eſt quod fecimus? Chaldaica, Quid eſt hoc quod fecimus? Sed hæc idem cum li-
tera noſtra. Iunxit ergo currum & omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum. Parum eſt quod Hebraicè eſt, Iun-
xitq; currum ſuum, & populum ſuum tulit ſecum, id eſt, curauit apparandum currum ſuum, olim enim pugna-
bant in curribus. Et quicquid in Aegypto curruum fuit. Hebraicè eſt וְכֹל רֶכֶב מִצְרַיִם Vecol recheb mizráim, Et
omnes currus Aegyptiorum, ſiue omnem currum Aegypti. Sed & hoc idem eſt cum litera noſtra. Quod tamen
Septuaginta ad equitatum referunt, καὶ πᾶσαν τὴν ἵππον τῶν αἰγυπτίων habẽtes, id eſt, & omnem equitatum Ae-
gyptiorũ. Nam & curribus & equitatu vetères vtebãtur. Et duces totius exercitus. In Hebræo eſt, וְשַׁלִּשִׁים עַל כֻּלּוֹ
Veſaliſim hal cullo, Et ternos ſiue triarios ſuper quemque eorum videlicet curruum, ſiue ſuper vniuerſos ipſos,
nempe eoſdem currus. Alij vertunt, Et duces ſiue præfectos ſuper quemque illorum. Præfectos autem intelligit,
qui præerant omnibus curribus. Qui ſaliſim, id eſt, tertij ideo appellãtur, quia ſint à rege tertij, atque ſub ſecun- K
do poſt regem. Septuaginta quoque idem non ſiluerunt, καὶ τριστάτας ἐπὶ πάντων, hoc eſt, Ternos aſcenſores, ſiue
duces ſuper omnes. Chaldaica etiam (vt eius moris eſt ſemper obſcura declarare) ità habet, Et fortiſsimos viros
conſtituit ſuper omnes. *Induraũítque dominus cor Pharaonis regis Aegypti, & perſequutus eſt filios Iſrael.* RVPERTVS.

Sæpe vſa eſt & nũc extrema vice ſancta vtitur ſcriptura, verbo illo terribili, Induraũítque dominus cor Pha-
*Rom. 9.* raonis, nihil verita ne loquatur lutum ſiue figmentum contra figulum, & dicat, Ergo cui vult miſeretur, & quem
vult indurat. Quid adhuc queritur? Volũtati enim eius quis reſiſtit? Nam ſi quid tale mutire audeat, dicetur ei,
O homo tu quis es, qui reſpondeas deo? & cætera. Sed de hoc iam alio loco pleniùs dictum eſt. AVCTOR
CATENAE. Induraũítque dominus cor Pharaonis. Nemo corrigit quem deus ſuis demeritis reprobauit.
Pharao tot miraculis, beneficiis ac flagellis emendari noluit. Ad horam tantùm pœnitentiam finxerat, nec ſe-
ruauit. Nam & perſequutus eſt (inquit) filios Iſraël. Nunquã audacior hoſtis Aegyptius quàm tũc, quãdo propin-
quiſsima erat ſalus piorum, & impiorum extrema perditio. Pharaonis coactum obſequium, & omnium impio- L
rum timor ſeruilis inordinatus non durat diutius quàm ſenſus plagarũ. Filialis autem timor & fides, in mediis
etiam malis exercetur & proficit. Tyranni ſeruos habere gaudent ſuos ſubditos, non ex animo obſequentes. Ae-
gyptij in curribus & in equis fidunt, Moyſes autem in nomine domini, & fide promiſſorum dei. *At illi egreſſi*
*erant in manu excelſa.* INTERLINEARIS. Id eſt, inſuperabili potentia. CAIETANVS. Diuinum ap-
pellatur opus manus excelſa, verè apparẽs in columna & cætera. AVCTOR CATENAE. Quia finis ſu-
perioris membri fuit, Et perſecutus eſt filios Iſraël, & hîc incipiebat וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל Vbne Iſraël, Et filij Iſraël, prudẽs
Interpres volens repetitionẽ euadere, vertit, At illi, videlicet filij Iſraël, egreſsi erant in manu excelſa, id eſt, cum
magna potẽtia, & magna audacia, animoq; alacri. Quo in loco Chaldaica habet, Filij autem Iſraël egrediebãtur
capite diſcooperto. Quod ſiue ad literam, vt nudato ſcilicet incederent capite, ſiue metaphoricè dictum ſit, hoc
eſt, palàm & apertè, ſiue intrepidè, de nullo videlicet formidantes, prudens lector conſideret. *Cumq; perſequerentur*
*Aegyptij veſtigia præcedentiũ, repererũt eos in caſtris ſuper mare omniſq; equitatus & currus Pharaonis, & vniuerſus exercitus erãt in Phiai-* M
*roth contra Beelſephon.* Cumq; perſequerentur Aegyptij veſtigia præcedentiũ, Hebraicè eſt אַחֲרֵיהֶם Acharehem, poſt
eos. Quod idem eſt. Repererũt eos in caſtris ſuper mare. Idẽ ſenſus eſt in Hebræo וַיַּשִּׂגוּ אוֹתָם חֹנִים עַל הַיָּם Vaiaſ-
ſígu otham chonim hal haiam, Cõprehenderunt eos caſtrametatos, ſeu caſtrametantes ſuper mare. Sic & Chal-
daica. Septuaginta etiã, καὶ εὗρον αὐτοὺς παρεμβεβληκότας παρὰ τὴν θάλασσαν, Et inuenerũt eos caſtra habentes apud
mare. Omniſq; equitatus & currus Pharaonis, & vniuerſus exercitus erãt in Phiairoth cõtra Beelſephõ. Propria
Hebraica ſunt: כָּל סוּס רֶכֶב פַּרְעֹה וּפָרָשָׁיו וְחֵילוֹ עַל פִּי הַחִירֹת לִפְנֵי בַּעַל צְפֹן Col ſus récheb parho vpharaſaf vechelo,
hal phi háchiroth liphne bahal zephõ, Omis equitatus curruũ Pharaonis & equites eius, & exercitº vel militia aut
copię eiº, iuxta Phiairoth è regione, ſiue cõtra, ſeu coràm vel ante Beelſephõ. Ordo pturbatior eſt, quẽ ſic poteris or-
dinare. Inſecuti ſunt Aegyptij, hoc eſt, oẽs equi curruũ Pharaonis & eqtes eiº, & exercitus eiº, filios Iſraël, & aſſe-
cuti ſunt eos caſtrametatos iuxta mare, iuxta Phiairoth, quę eſt è regione Beelſephõ. Septuagíta loco Phiairoth,
habent



A habent ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, Coram ſuburbio. Chaldaica, Omnéſque equi curruum Pharaonis & eqũites eius,
& exercitus eius erant ſuper Phiairoth coram Beelſephon. Sed hæc non diſcrepant à Latina editione. *Cúmque*
*appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos, viderunt Aegyptios poſt ſe, & timuerunt valde.* Viderunt Aegyptios poſt ſe. Li-
cet idem ſit ſenſus in Hebræo, diuerſa tamen ſunt verba, nempe hæc וְהִנֵּה מִצְרַיִם נֹסֵעַ אַחֲרֵיהֶם Vehinne mizráim
noſeah acharehem, Et ecce Aegyptus proficiſcebatur, ſiue pergebat poſt eos. Chaldaica, Et ecce Aegyptij moue-
bantur poſt eos. At Septuaginta, ἐξεπετάσθευσαν ὀπίσω αὐτῶν, id eſt, caſtrametati ſunt poſt eos, verterunt. Sed
omnium horum vnus eſt ſenſus. Quantumlibet igitur excelſa manu Iſraëlitæ exiſſent alacres & animoſi, lau-
dãrentque deum videntes beneficium, ſtatim tamen viſis Aegyptiis ſequentibus, toti concidunt, immemores
diuini auxilij toties experti. Fragilis eſt enim hypocritarum fides, & ſeruilis timor ſi inordinatus fuerit, ſubitò
vertitur in odium. Ficta dilectio non durat in aduerſis. Subleuare autem oculos in periculis, eſt reſpectare, & o-
B mnia circunſpicere. *Clamauerúntque ad dominum.* CAIETANVS. Quantum ſubiuncta innuunt, fuit clamor
vocis potius quàm cordis. Querula enim verba aduerſus Moyſen, teſtantur, minorem aut nullam eorum fidu-
ciam fuiſſe in diuino præſidio. *Et dixerunt ad Moyſen, Forſitan non erant ſepulchra in Aegypto, ideo tuliſti nos vt morerẽmur in*
*ſolitudine. Quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Aegypto?* RVPERTVS. Parua nimis eſt, nec dignis profectibus
erudita, ſecundum quæ viderant opera dei, illorum fides hæc dicentium. AVCTOR CATENAE. For-
ſitan non erant ſepulchra in Aegypto. Hebraicè eſt הֲמִבְּלִי אֵין קְבָרִים בְּמִצְרַיִם Hamibeli en kebarim bemizráim,
An quòd non, vel Nunquid quia non, ſiue, An non erant ſepulchra in Aegypto? Non enim rarum eſt apud He-
bræos, vt duæ negationes mox ſeſe conſequãtur, & tamen non efficiant vnam affirmationem. Accipiuntur ita-
que hîc Amibeli en, pro Nunquid non: ſic etiam habet & Chaldaica. Alij vertunt, An nulla erant ſepulchra in
Aegypto? Sed omnia hæc idem dicunt cum Latina litera. Quid hoc facere voluiſti? Iuxta Hebræum eſt
C מַה זֹּאת עָשִׂיתָ לָּנוּ Ma zoth haſítha lánu, Quid eſt hoc quod feciſti nobis? Et ita habet Chaldaica. vel, Quare ſic
feciſti nobis? Aut, Quid hoc eſt quod feciſti nobis? Siue, Cur, aut, Quid hoc feciſti nobis? Et ita legunt Septua-
ginta. Sed & hoc idem eſt cum Latina editione. Subitanea mutatio vulgi, & pericula illi præſidentium hîc do-
centur. Subſannatio eſt valde acerba: cum indignatione enim hæc iaciunt in ſeruum dei, Quaſi verò in Aegy-
pto non eſſent ſepulchra, eduxiſti nos in ſolitudinem hanc, vt hîc moreremur. Vt autem ſcias, in vltimis malo-
rum, qui verè fideles, verè & clamant ad dominum: infideles autem, tunc vertuntur in rabiem, excutiunt ſi quid
videbantur habuiſſe fiduciæ & dexteritatis, prophetiam deteſtantur, & exhortatorem verbi miniſtrum calum-
niantur. Dicunt ſiquidem Hebræi, quòd hæc verba dixerunt impij qui erant in multitudine, prudentiores verò
innocauerunt dominum. *Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes, Recede à nobis vt ſeruiamus Aegyptiis?*
*Multo enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine.* SEVERVS. Diuini moris eſt, eos quos beneficio aliquo af-
fecerit, laboribus tentando probare, vt ſciamus complures huiuſmodi eſſe, vt beneficiis affecti, erga dominum
ſuum grato animo ſint, cùm verò paululum vexati fuerint, beneficiorum immemores ſint. Ad hunc modum de
D Iudæis ſacræ hiſtoriæ traditum eſt, quum enim illos deus ex Aegypto eduxiſſet, atque ab immani ſeruitute libe-
raſſet, atque eorum ſe patrem eſſe declaraſſet, ſuíque illos cognitione illuſtraſſet, ſuámque erga illos potentiam
tot ſignis ac prodigiis editis exercuiſſet, ſtatim illos diuerſis tentamentis probãdos eſſe decreuit. Pharaoni nan-
que cum tot curribus atque equitibus illos inſequi permiſit, atque adeò conſilij inopes reddidit, vt nullam ſalu-
tis atque effugij ſpem illis reliquam fecerit. At illi ſtatim diuinæ potentiæ ac beneficentiæ immemores atque
ingrati, in Aegyptum regredi cogitabant, & iam Aegyptiacam ſeruitutem memoria repetebant AVCTOR
CATENAE. Recede à nobis. Dictiones Hebraicę חֲדַל מִמֶּנִּי Chadal mimménnu, Aliqui verterũt, Ceſſa à no-
bis: ſiue, ſine, vel dimitte nos, vt legunt Septuaginta. Chaldaica vt apud nos. Sed idem eſt ſenſus vbique. Hiſtoria
ſatis explicat ſententiam, omnia ſcilicet fieri ordinatione diuina, quam cùm nos aut non intelligimus, aut non
aduertimus, ſtatim murmuramus, & deſperatione concidimus. Nihil poteſt caro niſi deſperare, niſi dominus te-
nuerit. Quid autem ad hęc Moyſes? Num fugit ab Iſraële? Nequaquam. Sic enim fugiſſet vocationem dei. Num
E tumultuatur & ipſe aduerſus Iſraëlem? Merebantur quidem Iſraëlitæ grauiſsimas increpationes & ſupplicia,
propter importunam ipſorum incredulitatem. Sed in tanto rerum diſcrimine maior erat habenda ratio Moyſi
quid ſui ſit officij, & quid gloria dei exigat, quàm quid impij Iſraëlitæ meriti fuerint. Quare Moyſes quod ſo-
lum in hoc periculo potuit, & debuit facere, cõcionatur populo, & exhortatur ipſos grauiſsimè ad fidem & con-
ſtantiam animi, promittens eis certiſsimè diuinum præſidium affuturum. Vnde ſequitur. *Et ait Moyſes ad popu-*
*lum: Nolite timere. State, & videte magnalia domini quæ facturus eſt hodie.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Sa-
lutem domini quam faciet vobis hodie. Non in genere ſed in ſpecie promittit eis ſalutem. AVCTOR CA-
TENAE. Vera Hebraica ſunt huiuſmodi וּרְאוּ אֶת יְשׁוּעַת יְהוָה אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה לָכֶם הַיּוֹם Vru eth ieſuhath Iehoua
aſer iahaſe lachem haiom, Et videte ſalutem vel ſaluationem, ſiue vt ait Chaldaica, redemptionem domini
quam faciet, ſiue feret, aut allaturus eſt vobis hodie. Verùm quia ſalus huiuſmodi mirabile quoddam magnum
fuit toti mundo, ideo Interpres magnalia creditur vertiſſe. Sic Moyſes ab hoſtibus circumſeptus, & tumul-
F tuante populo, inter ſacrum & ſaxum non diffidit, quin conſolatur ſuos, & auxilia hominibus impoſsibilia, pro-
mittit in domino. *Aegyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum.* AVGVSTINVS
IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quomodo accipienda ſunt hæc verba, cùm viderint *Quæſt. 51.*
poſtea Iſraëlitæ Aegyptios, an quia iſti qui tunc videbant, non eos vlterius viderint, quia & illi ſunt mortui qui
conſequebantur, & iſti omnes quique die mortis ſuæ? Nam poſteri eorum viderunt poſteros illorum. An non
eos videbitis ſicut hodie, intelligendum eſt, non ſicut hodie perſequentes, & inimicos, & tanto poſt vos agmi-
ne venientes? vt omnino nulla ſit quæſtio, nec de æterno tempore quod hîc poſuit, quia & ſi videbunt ſe, vti-
que tempore reſurrectionis, non ſic vtique videbunt ſicut hodie. AVCTOR CATENAE. Profectò
Hebraica litera clara eſt, & dubietatem omnem tollit. Ea autem eſt huiuſmodi כִּי אֲשֶׁר רְאִיתֶם אֶת מִצְרַיִם הַיּוֹם
Chi aſer reithem eth mizráim haiom, Quoniã quemadmodũ, ſiue ſicut vidiſtis Aegyptios hodie, nempe vivos.
Alij reddũt, Nã quos, vel qui vidiſtis Aegyptios hodie. Et vtroque modo verti poteſt, nã dictio aſer & aduerbi-

aliter pro ſicut & relatiuè poni ſolet. Septuaginta & Chaldaica, Quemadmodum, ſiue ſicut legunt. Vltima ma- G
nebat dies Aegyptios vitæ & malitiæ, ſtatim occidendos, & à perſecutione tandem ceſſaturos fidelium. Videte (inquit) ſalutem, & opem domini vobis hodie affuturam, & quos nunc videtis Aegyptios, eo modo nunquam videbitis perſequentes & viuos, mortuos autem propediem cernetis. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Hebraica dictio לָכֶם lachem, id eſt, vobis, capitur pro vobis. Dominus (inquit) ipſe ſuſcipiet pugnam veſtram, vos interim quieti eritis & tranquilli. Pauciſsima quidem, ſed vehementiſsima & grauiſsima verba. Nec aliud ſunt quàm explicatio prioris diuini promiſsi, Glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius. Nam ſi deus illuſtraturus eſt nomen ſuum in Pharaone & in omni exercitu eius, certè aut in fœdam fugam πανπᾷ quodam coniiciet Aegyptios, aut repentina morte eos interficiet, aut grandine & fulmine eos opprimet, aut in aquis maris rubri ſuffocabit, vt Iſraëlitæ, quos nunc vident Aegyptios, in æternum nunquam videant. Habes igitur hoc loco exemplum, quo docemur in maximis quibuſque periculis & extremis neceſsitatibus, quòd H non ſit tutius aſylum, quàm promiſsio dei: quæ vt fides conſeruetur, & deſperatio expellatur, ac vera ſalus acquiratur, explicanda, repetenda, iteranda, & inculcanda eſt. Vides etiam quomodo fidelis totus à deo pendet, Sabbatum in deo celebrat, de propria virtute non confidit, fide ſua viua poteſt omnia, ſed in eo cui fidit. Sed mirari aliquis poſſet, cur tot milia ludæorum non reſtiterunt hoſti inſequenti? Reſpondent Hebræi quòd non fuerunt rebus bellicis aſſueti, & præterea à iuuentute tyrannide extiterunt oppreſsi, & ſub metu regis nutriti, quæ illis omnem virilem ademerunt animum.

*Myſticè.* RVPERTVS. Spiritualiter autem tunc annunciatum eſt regi Aegypti, quòd fugiſſet populus, quando percepit diabolus, quòd exaltato ſuper omnes cœlos Chriſto, vocatis ad fidem eius cunctis gentibus, templa ſua derelinquerentur, & ſimulachrorum eius ſordes abiicerentur. Nam de illis quos de inferno amiſit, quos triumphator Chriſtus paradiſo reſtituit, & intra muros ſupernæ pacis collocauit, nullum poſtea nuncium audiuit, nec anhelanti poſt illos eius inuidiæ, ſpes vlla ſupereſſe potuit. Tunc ergo, quando reſurrectio- I
*Ioan.16.* nis Chriſti gloria prædicari cœpit, & ſignum victoriæ eius effulſit, vt audirent omnes gentes, quòd iam iudicatus eſſet princeps huius mundi, & idcirco transfugerent ad regnum victoris, titulumque eius acciperent in frontibus ſuis: tunc (inquam) audito triſti nuncio, tulit currus electos, & quicquid curruum in Aegypto fuit.
*Apoc.6.* Verbi gratia, Neronem, Traianum, Decium, Deocletianum, vel Maximianum. Iſti enim & cæteri huiuſmodi currus Pharaonis, currus electi fuere diaboli, & equi eius, iuxta Apocalypſim, rufi, id eſt, ſanguinei. Super hos aſcendit, & perſecutus eſt filios Iſraël, id eſt, perſecutionem publicam excitauit contra omnes in Chriſtum
*Cap.14.* credentes. HIERONYMVS IN OSEAE. Omnis etiam hæreticus aſcendit equos per ſuperbiam, quos in errore ſuo ipſe generauit. BEDA. Iunxit igitur Pharao currum ſuum, id eſt, diaboli quadrigas. Quadriga diaboli vnuſquiſque peccator eſt, cum gula & fornicatione & ira & ſuperbia. BERNARDVS
*Serm.39.* SVPER CANTICA. Viſne etiam aliquos de principibus Pharaonis propriis tibi deſignem nominibus, & de curribus deſcribam, inſtar quorum tu quoque alios ſi qui ſunt per te ipſum valeas inuenire? Ma- K
gnus quidem princeps ſpiritalis atque inuiſibilis regis Aegypti, profectò malitia eſt, magnus luxuria, magnus auaritia: & hi quidem poſsident terminos ſuos ſub rege ſuo, ſicut ſui cuique aſsignati ſunt. Nam malitia in omni regione maleficiorum atque facinorum dominatur. Luxuria omni immunditiæ & turpitudini carnis præeſt. Auaritia in partes rapinæ, & fraudis ſortita eſt principatum. Accipe nunc quoque quales his ſuis principibus Pharao præparauerit currus ad perſequendum populum dei. Habet nanque malitia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem, ſæuitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde etenim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratiſsimis, terrena potentia, & ſeculari pompa. Tunc nanque quadriga iſta malitiæ currit valde velociter, cùm hinc quidem potentiæ effectus ſubeſt eius adimplendis malitioſis conatibus, inde plauſus pompæ arridet perpetratis
*Pſal.9.* ſceleribus, vt ſermo impleatur qui ſcriptus eſt, Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus L
*Luc.22.* benedicitur. Et iterum alia ſcriptura, Hæc eſt (inquit) hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Porrò præſident duobus his equis aurigæ duo, tumor & liuor: & tumor quidem pompam, liuor verò potentiam agit. Is enim rapido fertur diabolicarum amore pomparum, cuius apud ſe corprius intumuit. Nam quod in ſe firmiter ſtat timore compreſſum, grauitate modeſtum, humilitate ſolidum, puritate ſanum, aura huius vanitatis nequaquam leuiter rapietur. Item terrenæ iumentum potentiæ nonne inuidia agitur, & quaſi quibuſdam liuoris vrgetur hinc inde calcaribus, ſuſpitione vtique decedendi, & metu ſuccumbendi. Aliud eſt enim quòd ſuſpectus eſt ſucceſſor, & aliud quòd timetur inuaſor. His itaque ſtimulis terrena potentia continuè agitatur. Et currus quidem malitiæ ſic ſe habet. Luxuriæ verò currus quadriga nihilominus voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollicie veſtium, ocij ſoporiſque reſolutione. Trahitur equis æquè duobus, proſperi-
*Prouerb.1.* tate vitæ, & rerum abundantia, & qui his præſident duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas: quia & copia in
*1.Theſſ.5.* ignauiam ſoluit, & ſecundum ſcripturam, Proſperitas ſtultorum perdet illos: non ſane ob aliud, niſi quoniam M
male ſecuros reddat. Cùm autem dixerint pax & ſecuritas, tunc ſubitaneus ſuperueniet eis interitus. Hi calcaria minimè habent, neque flagella vel aliquid huiuſmodi: ſed pro his vtuntur paruulo papilione conopeo ad faciendam vmbram, & flabello ad citandum ventum. Porrò conopeum diſsimulatio eſt vmbram faciens, & protegens ab æſtu curarum. Proprium nanque eſt mollis & delicatæ animæ, etiam neceſsarias diſsimulare curas, & ne æſtuantes ſolicitudines ſentiat, ſub latibulo diſsimulationis abſcondi. Flabellum verò effuſio eſt, ventum adulationis apportans. Largi ſunt enim luxurioſi, ementes auro ventum de ore adulatorum. & de hoc ſatis. Iam verò auaritia rotis & ipſa vehitur quatuor vitiorum, quæ ſunt, puſillanimitas, inhumanitas, contẽptus dei, mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia, tenacitas & rapacitas, & his vnus auriga ambobus præſidet habendi ardor. Sola ſiquidem auaritia quoniã conducere plures non patitur, vno cõtenta eſt ſeruitore. Ipſe verò iniuncti operis prõptus admodũ atque infatigabilis executor: vrgendis ſanè iumẽtis trahẽtibus flagris vtitur acerrimis libidine

acquirendi



A acquirendi, & metu amittendi. Sunt & alij principes regis Aegypti, habentes & ipſi currus ſuos in expeditione domini ſui, ſicut ſuperbia, quæ vnus eſt de maioribus principibus: Sicut inimica fidei impietas, magnum & ipſa tenens locum in domo & regno Pharaonis, & multi adhuc ſunt alij inferioris ordinis ſatrapæ & equites, quorum non eſt numerus in Pharaonis exercitu, quorum & nomina & officia, nec non & arma & apparatus eorum, veſtris ſtudiis (vt in his exerceamini) inquirenda relinquo. In iſtorum itaque principum fortitudine, curruúmque ſuorum inuiſibilis Pharao vbique diſcurrens, in omnem familiam domini quibus poteſt viribus, more tyrannico debacchatur. In his etiam diebus exeuntem Iſraël de Aegypto inſequitur. At ille nec ſubuectus curribus, nec protectus armis, nihilominus tamen ſola domini manu confortatus, ſecurè decantat, Cantemus domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem pro- *Exod.15.*
iecit in mare. Item hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini dei noſtri inuocabimus. *Pſal.19.*

B AVCTOR CATENAE. Obſerua hoc in loco & illud, quòd quemadmodum Pharaonis res tunc in peſsimo ſtatu fuerunt, cùm ab obedientia dei qua dimiſerat populum Iſraël, relaberetur ad inobedientiam, ita peſsimè cum illis agitur, qui cùm reſipiſcant à ſceleribus, mox tamen in eadem ſcelera relabuntur. Nouiſsima (inquit dominus) illius, fiunt peiora prioribus. Dæmon enim rediens in priorem ſuam domum, adducit ſecum ſeptem alios dæmones ſe multo peiores. Et Petrus, Satius (inquit) fuiſſet illis non cognouiſſe viam iuſtitiæ, quàm vbi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit, ſancto præcepto. Verùm accidit illis id quod vero prouerbio dici ſolet, Canis reuerſus ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota reuerſa ad volutabrum cœni, & cætera. RABANVS. At illi (inquit) egreſsi erant in manu excelſa. Elegantiſsima oppoſitio. Excelſi videbantur prædicti currus Pharaonis, & duces diabolici exercitus, ſed reuerà manus domini excelſa eſt, in qua egreſsi ſumus, excelſa (inquam) manus domini, & excelſus agnus dei, cuius ſanguine redempti exiuimus. Cúmque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos ſuos, viderunt
C Aegyptios poſt ſe, & timuerunt valde. Porrò iuxta altiorem ſenſum, tunc leuantes filij Iſraël oculos ſuos, viderunt Aegyptios poſt ſe, quando auditores Euangelij, præcedentis columnæ iam illuminatos oculos cordis habentes, reſpiciunt præteritos errores in quibus fuerunt, & conferentes veritati, quam nouo nuncio au- *Pſal.47.*
dierunt, valde admirati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Verùm ibi dolores vt parturientis, *Ioan.16.*
id eſt, dolores non vani, ſed fructum afferentes gaudij ſempiterni, quemadmodum parturiens poſtquàm peperit, dolorum vel preſſuræ ſuæ iam non meminit, propter gaudium nati hominis. ORIGENES.

Et tu ergo ſi ab Aegyptiis recedas, & de poteſtate dæmonum fugias, diuinitùs tibi præparantur auxilia. Tantum eſt, vt permaneas fortis in fide, nec te Aegyptiorum equitatus, & quadrigarum formido perterreat, nec reclames contra legem dei & Moyſen, & dicas, ſicut quidam ex illis dixerunt, Tanquam non eſſent ſepulchra in Aegypto, ita eduxiſti nos, vt in deſerto hoc moriamur. Melius fuerat nos ſeruire Aegyptiis, quàm mori in deſerto hoc. Hæc fatiſcentis in tentatione animi verba ſunt. Sed quis ita beatus eſt, qui ſic tentatio-
D num pondus expediat, vt nulla menti eius cogitatio ambiguitatis obrepat? Vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſsimæ ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à domino, Modicæ (inquit) fidei, quare dubitaſti? Veruntamen quia dicunt, melius fuerat nos ſeruire Aegyptiis, quàm mori in eremo, tentationis & fragilitatis hæc verba ſunt. Alioquin falſum eſt, longè enim melius eſt, in eremo mori, quàm ſeruire Aegyptiis. Qui enim in eremo moritur, hoc ipſo quòd ſeparatus eſt ab Aegyptiis, & diſceſsit à rectoribus tenebrarum, & de poteſtate Satanæ, habuit aliquem profectum, etiam ſi ad integrum peruenire non potuit. Melius enim perfectam vitam quærenti, eſt in itinere mori, quàm ne proficiſci quidem ad perfectionem quærendam. Vnde & eorum falſa videtur opinio, qui dum nimis arduum iter virtutis exponunt, dúmque multas eius difficultates, multáque pericula, & lapſus enumerant, ne ineundum quidem id, aut incipiendum iudicant. Sed multo melius eſt me in hoc itinere vel mori, ſi ita neceſſe eſt, quàm inter Aegyptios permanentem necari, & falſis atque amariſsimis fluctibus obrui. INTERLINEARIS. Dixit Moyſes
E ad populum, Nolite timere, ſtate, & videte magnalia domini quæ facturus eſt hodie. Aegyptios quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum. Tale eſt, ac ſi lex dei dicat fidelibus ſuis, Nolite timere puſillus grex, in fide viriliter agite, & oculis mentis attendite mirabilia quæ facturus eſt dominus tempore gratiæ contra rectores tenebrarum. Futurum eſt enim, vt princeps huius mundi eiiciatur foras.

RVPERTVS. Hoc igitur ſicut in veritate hiſtoriæ factum eſt contra Aegyptios, ita veraciter in abun- *Ioan.12.*
dantia ſpiritalis gratiæ, per Chriſtum hactenus factum eſt, & fit iugiter. Quia videlicet quoſcunque Aegyptios, quæcunque opera tenebrarum, poſt ſe vident catechumeni Eccleſiæ venientes ad catholicæ fidei baptiſmum, nequaquam vltra videbunt, nec erit eorum recordatio vſque in ſempiternum. Ibi enim per Chriſti ſanguinem deletur omne peccati chirographum dato ſpiritu ſancto in peccatorum remiſsionem. Chriſtus enim multorum peccata tulit, eorum ſine dubio, qui per baptiſmum communicant ſimilitudini mortis eius & reſurrectionis. Vnde pulchrè ac fideliter inquit, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Non quòd
F iterum pugnet Chriſtus, aut iterum moriatur, ſed quia omnium qui crediturí erant, peccata tulit pugna præterita, vel mors eius. CYPRIANVS DE EXHORTATIONE MARTYRII. *Cap.7.*

Sed & locus hic ereptos de faucibus diaboli, & de laqueis ſeculi liberatos indicat, non debere denuo ad ſeculum reuerti, ne perdant quod euaſerint. In Exodo Iudaicus populus ad vmbram noſtri & imaginem præfiguratus, cùm deo tutore & vindice euaſiſſet Pharaonis atque Aegypti, id eſt, diaboli & ſeculi duriſsimam ſeruitutem, circa deum perfidus & ingratus, aduerſus Moyſen muſsitat, reſpiciens ſolitudinis ac laboris incommoda, & non intelligens libertatis ac ſalutis beneficia diuina, reuerti quærit ad Aegyptum, hoc eſt, ad ſeculi ſeruitutem vnde fuerat abſtractus, cùm magis fidere in deum deberet & credere, quoniam qui à diabolo & ſeculo liberauit populum ſuum, proteget liberatum. Quid hoc nobis, inquiunt, feciſti eiiciendo nos de Aegypto? Melius erat nobis ſeruire Aegyptiis, quàm mori in ſolitudine hac. Et dixit Moyſes ad populum: State fidentes, & videte ſalutem quæ eſt à domino, quam nobis faciet hodie.

Dominus ipse pugnabit pro vobis,& vos tacebitis. Quod nos admonens in Euangelio suo dominus,& docens G ne ad Zabulum rursus, & ad seculum quibus renunciauimus, & vnde euasimus, reuertamur, dicit: Nemo retro attendens, & superponens manum suam in aratrum, aptus est regno dei. Et qui in agro est, non reuertatur retro. Memores estote vxoris Loth. Ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur, quominus Christum sequatur, addidit & dicit: Qui non renunciat omnibus quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus.

3 *Dixítque dominus ad Moysen, Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël ut proficiscantur. Tu autem eleua* H *uirgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, ut gradiantur filij Israël in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Aegyptiorum ut persequantur uos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. Et scient Aegyptij quia ego sum dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. Tollénsque se angelus dei qui præcedebat castra Israël, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum & castra Israël. Et erat nubes tenebrosa & illuminans noctem, ita ut ad se inuicem toto noctis tempore accedere non ualerent. Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante uento uehementi & urente tota nocte, & uertit in siccum. Diuisáque est aqua, & ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & leua. Persequentésque Aegyptij in-* I *gressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.*

3 AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Includebantur persequentibus Aegyptiis Hebræi inter mare & hostes, inter vndas & gladios. Hinc mare spumabat, inde arma coruscabant. Hinc aquarum, inde armorum strepitus. Sic operari deus suis assuescit, vt vbi defecerit humanum consilium, illic intercedat diuinum adiutorium. ORIGENES. Sed interim clamat Moyses ad dominum, ait enim scriptura, *Dixítque dominus ad Moysen, Quid clamas ad me?* Quomodo clamat? Nulla eius vox clamoris auditur, & tamen dicit ad eum deus, Quid clamas ad me? Velim scire quomodo sancti sine voce clamant ad dominum. Apostolus docet, Quia dedit deus spiritum filij sui in cordibus nostris clamantem Abba pater. Et addit, Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et iterum, Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum deum postulat pro sanctis. Sic ergo interpellante spiritu sancto apud deum, per K silentium, sanctorum clamor auditur. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Clamat autẽ Moyses, quia non pro se, sed pro omni populo precabatur. Vnde dictũ est ei à domino, quid clamas? Clamabat affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cœlo, miraculis petens digna cœlestibus, vt mundi elementa mutaret. Denique vt ipsius loci seriem recensеamus. Instabat Pharao, & innumeris Aegyptiorum stipatus curribus, vrgebat Hebræos. Hinc circunfusus hostis, inde interfusum mare plebem dei clauserat. Nulla in armis fiducia, spes nulla in viribus. Strepebat tantummodo querela miserabilis, quòd commodiùs sibi foret dura in Aegypto seruitutis onera subire, quàm acerba in deserto morte consumi: quærela nihil præsidij ferens, plurimum offensæ afferens. Stabat ergo Moyses mœstus, sollicitus, anxius populi & periculis & quærelis, expectans fidem cœlestium promissorum, & tacitus secum ipse voluebat, qua tandem dominus ope, iniuriæ immemor, memor gratiæ subueniret. Dicit ad eum dominus: Quid clamas ad me? Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus,& non L audiebatur, tacebat Moyses,& audiebatur. Non populo dictum est, Quid clamas ad me? Non enim ad deum clamabat populus, qui iniusta & iuris indigna clamabat. Sed Moysi dictum est, Quid clamas ad me? hoc est, tu solus ad me clamas, qui de me speras, tu solus ad me clamas, qui virtutem meam excitas, tu solus ad me clamas, qui per vniuersam terram annunciari meum nomen expectas. Clamabat ergo Moyses in corde suo, & omnis sapiens in corde suo clamat. Denique sapientia cum altissima prædicatione conuocat ad craterem, dicens, Re- *Pro.9.* linquite insipientiam,& quærite sapientiam. Magnæ sublimitatis, magnæ vocis hæc prædicatio est, quæ stultis sapientiam pollicetur. Et Iesus dominus clamabat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et voce verè magna cla- *Ioan.7.* mabat qui vocabat homines ad regnum cœlorum, ad illum venerabilem potum, quo vitæ eternæ fluctus infunditur. Et tu cùm oras, magna ora, id est, ea ora quæ æterna sunt, non caduca. Ora quæ diuina sunt atque cœlestia, vt sis sicut angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est, noli pro auro, quia metallum est, noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad deum non peruenit. Non audit deus, nisi quod dignum suis ducit esse beneficiis, sed audit piam vocem, plenam deuotionis & gratiæ. Non solùm ergo clamandum in corde, sed etiam M in toto corde clamandum est. Sicut enim corporaliter tunc bene clamatur, cùm toto ore clamatur, ita spiritaliter toto est clamandum corde, si volumus magna deferre, & à domino quæ poscimus imperrare. Hanc do- *Matth. 15.* minus vocem exigebat à populo, quam populus nesciebat. Ideoque dixit dominus: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Qui ergo appropinquauerit corde, ipse auditur à domino. Cor ergo prius *Psal.5.* clamet, vt sermo possit audiri. HIERONYMVS SVPER PSALMOS. Clamor in scripturis, non vo- *Exod. 14.* cis, sed cordis est. Denique ad Moysen dicitur, Quid clamas ad me? cùm Moyses antè non clamasset. Intellige clamorem meum. Et Apostolus: Clamantes in cordibus nostris, abba pater. Vtique qui clamat, non in corde *Gal.4.* clamat, sed in lingua clamat. Et quomodo dicit Apostolus, clamantes in cordibus nostris? Quando igitur gemitus noster & conscientia deprecatur, istum clamorem intelligit deus. Vnde dicit & Hieremias: Non



A Nó fileat pupilla oculi mei. Videte quid dicat, Non taceat pupilla oculi mei,& aliquando pupilla oculi clamat ad deum. Vtique si clamat, lingua clamat, non pupilla oculi. Sed quomodo clamamus in cordibus nostris, quãdo cum gemitu dominum deprecamur: sic quando lachrymas ad deum fundimus eo tempore pupilla oculi nostri clamat ad dominum. IDEM. Quid clamas ad me? Nunquid voce clamoris dicit? Non, sed voce cordis clamat, vbi deus solus audit & videt. IDEM IN EPISTOLAM AD GALATAS. Notandũ quia clamor in scripturis, non magnæ vocis emissio, sed scientiæ intelligatur, & dogmatum magnitudo. Nam & in Exodo respondit dominus ad Moysen, Quid clamas ad me? cùm penitùs Moysi vox nulla præcesserit. Verùm compunctum cor,& pro populo lachrymabiliter ingemiscens, scriptura clamorem vocauit. AVGVSTINVS SVPER PSALMOS. Clamor ad dominum qui fit ab orãtibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in dominum corde, quis dubitat inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, B alium quemlibet hominem potest latere, non deum. Siue ergo cum voce carnis quando id opus est, siue cum silentio ad deum cùm oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio. Quæ cùm est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis, omnia verò vtrum cuiquam, nescio. Talem suam commemorat orationem qui cantat hunc Psalmum, dicens, Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quid est quod dicit dominus ad Moysen, Quid tu clamas ad me, cùm scriptura non dixerit aliquid de Moysi vocibus, nec eum orantẽ cõmemorauerit, nisi quia intelligi voluit, hoc eũ egisse vocis silentio, vt corde clamaret? CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA DE MVLIERE CHANANAEA. Nõ quæritur locus ad petendam dei misericordiam, sed deuotio mentis. Hieremias in lacu cœni dimersus erat, fi- C deliter orans, deum promeruit. Daniel in lacum leonum missus ad se dei misericordiam inclinauit. Tres pueri in camino ardenti erant & deo placuerunt. Latro in cruce erat,& exauditus est, fideliter postulãdo. Et nihil obfuit crux, sed confessio fidei paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat,& per patientiam suam deum propitiabatur. Quòd si & in balneis es, ora: vbicunque fueris, ora. Templũ dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Voluntas solummodò deuotę mẽtis opus. Quòd si in iudicio assistis, ora. Et cùm irascitur rex, ora. Vbique deus præsens est, non clauditur loco, inuocanti dicit, assum. Nam cùm eduxisset Moyses populum de Aegypto, & per desertum ad mare rubrum venisset, Aegyptij post tergum insequebantur populũm. Ante mare fremebant fluctus, Moyses in angustiis erat, tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat. In medio tribulationis erat, inde Aegyptij insequentes, hinc mare intumescens. Ad dominum igitur mente clamabat, & vox penitùs non audiebatur, ideo dominus dicit ad eum: Quid clamas ad me? cùm ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando adstiteris furenti iudici, ac rabido tyranno, ora deum tuum, & orante te fluctus mitigabuntur. Iudex ad te, tu ad deum confugito: Iudex pro te, tu deum inuoca, qui pro te est. Nunquid longè est à te, vt vadas ad D locum aliquem? Deus non includitur loco, sed semper in proximo est: & qui in loco non clauditur, fide tenetur. Nam si hominem rogare volueris, interrogas quid facit: & audiens dormit, aut non vacat, aut certè non dignabitur respondere minister tibi. Ad deum autem nihil horum opus est, sed vbicunque fueris, aut inuocaueris, audit te. Dicito, Miserere mei,& deus illico aderit, adhuc loquente te, dicet, assum. GREGORIVS NYSSENVS. Quando Moyses circa castra moratur, diuinitùs sibi dictum affirmat, Quid tu ad me clamas? Quam ob rem monet, vt ego arbitror, sonoram esse illam vocem,& vsque ad diuinas aures magnitudine sua peruenire, quæ non contentione clamoris, sed puritate cordis sua meditatione concipitur. SEVERVS. Sanctorum & spiritu sancto afflatorum hominum, tametsi labia non moueantur, & lingua quiescat, mens tamen ad deum clamat. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Quid est clamor orantis, nisi in supplicatione petentis magna virtus desiderij? Vnde ad tacentẽ labiis Moysen, licet populi subditi salutẽ feruenti deuotione cupientẽ, à dño dicitur, Quid clamas ad me? IDEM IN SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES. Qui deũ amat, ipsum solũ desiderat, qui autẽ eũ desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non cessat. Nisi E enim de corde desiderãtis magnus ad aures misericordis dei clamor procederet, nequaq; Moysi diceretur, Quid clamas ad me? Sicut ergo frigescente charitate cor à bonis silet, ita clamorem emittit, cũ charitas feruet. IDEM. Clamor aliquando in bona, aliquando in mala significatione accipitur. Clamat enim iustus, cùm operatur iustitiam ex desiderio. Clamat & impius, cùm peccatum adiungit peccato. Clamabat Moyses cùm populum de Aegyptiaca seruitute liberatũ, ad terram promissionis per desertum deduceret. Clamabat & populus Gomorrhæus, cùm ex frequentissima peccati perpetratione deum ad iracundiam prouocaret. Denique & Moysi tacenti dictum est à domino, Quid clamas ad me? Et de illis ait dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum ascendit ad me. Vnde quidam nos admonet, dicens: Auferatur clamor de medio vestrum. Hic autem pro irremissa operatione clamor accipitur, cùm dicitur: Clamor meus ad te veniat. Notandum verò est, quòd cùm præmisisset, Exaudi orationem meam, statim adiecit, Et clamor meus ad te veniat. Illi enim à domino exaudiri F merentur, qui diuini zelo amoris accensi, omnia quæ possunt bona operantur. Nam qui peruersis actionibus assuetus, operibus iniquitatis inuigilat, nequaquam dignus est exauditione cùm orat. Hinc nanque per semetipsam veritas ait: Non omnis qui dicit mihi Dñe dñe, intrabit in regnum cœlorum. Si volumus igitur vt ad aures *Matth.7.* dei nostra perueniat oratio, studeamus necesse est, vt ab omni admixtione prauitatis nostra mũdetur operatio, vt possimus deo cum Propheta dicere, Clamor meus ad te veniat. RVPERTVS. Hoc planè magnæ gratiæ, hoc dignæ & gratiosæ acceptionis est, dixisse dominum ad vnum Moysen in tali tempore, Quid clamas ad me? Quid enim? Nónne & Aegyptij clamabant? Nónne & paulò antè dictum est, quia leuantes oculos suos filij Israël, viderunt Aegyptios post se,& timuerunt valde, clamauerúntque ad dominum? Clamabant planè & isti, grandémque turbam faciebant vocibus confusis. Sed quid sequitur? Forsitan inquiunt, non erant sepulchra in Aegypto, ideo tulistis nos vt moreremur in solitudine. Ergo clamabãt quidem, sed non clamabãt dignè, vt meritò diceret eis deus, Quid clamatis ad me? Clamabant enim sine fide, qui clamor vanus, & indignus creditur

*Thren.1.* *Vbi suprà.* *Psalm.60.* *Cap.4.* *Psalm.118.* *Quæst. 52.* *Cap.7.* *Psalm.Dñe ne in furore* *Vbi s. psal. Dñe exau:* *Exod.14.*

dei

dei auribus. At verò Moyses quid clamauit? Nolite (inquit) timere: state, & videte magnalia dei, dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Hoc voce corporis ad populum, hoc grandi vociferatione fidei dixit ad dominum. Rectè igitur solum hunc audiuit illa columna nubis, illa columna ignis. Sic nimirum eadem columna, iam verè columna nubis, id est, idem deus iam indutus nube carnis, dum cum turbis ambularet, & à turbis comprimeretur, subitò inclamauit, Quis est qui me tetigit? Mirantibus omnibus, ac dicentibus, turbæ te comprimunt & affligunt, & tu dicis quis me tetigit? Ille in sententia persistens, ait, Tetigit me aliquis. Ita planè hoc loco Moyses, quia filiis Israël sine fide clamantibus, solus cum fide locutus est, solus audiri magno clamore potuit, quemadmodum illic mulier, quia turbis dominum irreuerenter comprimentibus, ipsa cum fide reuerentissima fimbriam vestimenti eius tetigit, sola sentiri meruit. BERNARDVS IN PSALMVM QVI HABITAT. Meritò non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepidè postulans & remissè. Siquidem in dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes, quando audietur in cœlis? Nempe vt clamandum sibi nouerit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est patrem in cœlis esse protinus ammonetur: quòd videlicet impetu quodam spiritus illo sibi iaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad deum desiderat peruenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potiùs vocem quàm corporis, aures eius, cui meritò dicitur deus cordis mei. Hinc est quòd Moyses foris tacens, intus auditur, dicente domino, Quid clamas ad me?

*Matth. 9.*

*Psalm. 16.*

CAIETANVS. Quid clamas ad me? De clamore cordis est sermo, supplicationem qualificantis. Et dicendo quid clamas ad me, non diutius orandum censet dominus, sed finem supplicationi imponẽdum, & prouidendum vt populus proficiscatur, diuidẽte te mare. AVCTOR CATENAE. Quid clamas ad me? Clamorem proculdubio extorsit atrocissimus hostis insequens, & insuper ingratissimus populus fremens & obstrepens. Sic probatur fides fidelium. Clamandum non tam ore, quàm desideriis est homini pio. Hæc est enim vera & gratissima deo oratio, quæ prorumpit ex imo pectore, certa & constanti in deum fide. Neque enim cor eum inuocat, in quem non credit: fides veræ orationis fundamentum est. Verùm quod hîc dicitur, Quid clamas ad me, non ita intelligendum, vt deo displiceret Moysi oratio, qui etiam de his quæ paratus est cõcedere, orari vult à sanctis, sed vt eius orationem exauditam indicet, vnde & Chaldaica editio loco huius ita habet, suscepi orationem tuam. Sunt & qui dicant, Moysen hoc in loco populi sustinere personam, quasi dicat deus, Quare populus cui præes, clamat ad me? Sed prior sensus verior, & à sanctis patribus communi concordia receptus. *Loquere filiis Israel vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum.* ORIGENES. Iubetur Moyses virga percutere mare, vt ingredienti populo dei dehiscat & cedat, ac voluntati diuinæ elementorum famulentur obsequia, & aquæ quæ timebantur, dextera leuáque famulis dei murus effectæ, non solùm perniciem nesciant, sed & munimen exhibeant. AVGVSTINVS. Et tu eleua virgam tuam. Hæc est virga illa in qua fiebant mirabilia, quæ modò dicitur esse Moysi, tũc autem fratris eius fuisse dicebatur, quando per illam ipse operabatur. AVCTOR CATENAE. Tu autem eleua virgam tuam, & cætera. Pronunciat dominus quid agendum sit, & spõdet miraculum, insuper & vindictam certam de hostibus. Signum iterum præmittit, eleuationem manus cum baculo, propter populum cęrimoniis indigentem, non ob fidem Prophetæ. Iubetur scindere baculo mare, quid magis inexpectatum & admirabilius? & tantùm credenti impenditur. Nihil ergo tam arduum à domino mandari potest, etiam introitus in mare pedestris, quod fidelis detrectet, domini bonitatem cum omnipotentia perpendens vt Moyses.

*Quæst. 53.*

*Ego autem indurabo cor.* INTERLINEARIS. Subaudi non tantùm Pharaonis, sed etiam *Aegyptiorum, vt persequantur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius.* AVCTOR CATENAE. Vt persequantur vos. Hebraicè est וְיָבֹאוּ אַחֲרֵיהֶם Veiabóu acharehem, Et ingredietur post eos. Sic Chaldaica, sic & Septuaginta. Sed hæc sensum Latini Interpres non immutant. Dominus igitur ipse se prodit, & testatur auctorem (eo tamen quo sæpius dictum est modo) obstinationis impij cordis Pharaonis, quem & serui omnes sequentur & obsequentur ad iudicium mortis, qui illi dudum obedierant sponte impiorum hominum oppressione, & innocentis sanguinis effusione. *Et scient Aegyptij.* INTERLINEARIS. Id est scire cogentur. CAIETANVS. Vel qui in Aegypto manserunt. *Quia ego sum dominus.* INTERLINEARIS. Non alius, non Pharao. *Cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius.* AVCTOR CATENAE. Id est, gloriosus apparebo propter mortem eius, subuersionem curruum & equitum eius. Et profectò ita fuit. Nam ex hoc mirabili interitu glorificatum & illustratum est nomen domini in toto orbe terrarum. Primũ quòd sit deus clementissimus, & potẽtissimus adiutor suorum in necessitatibus. Deinde quòd sit seuerissimus vltor in eos, qui non solùm à vitiis non resipiscunt, sed etiam dei mandata & populum eius persequuntur. Sic capiuntur vulpes, sic finitur tyrannis, sic glorificatur dominus iudicia faciens, & innotescit iustitia eius cum omnipotentia, sic reges currus, equites & milites à domino vincuntur, sic eruditũtur in pœnis qui Prophetas domini audire recusarunt. *Tollénsque se Angelus dei qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel.* RVPERTVS. Hoc ex motu columnæ priora dimittentis, & post tergum stantis agnosci vel præuideri potuit, quòd Angelus dei qui præcedebat castra Israël, post eos abierit. Neque enim Angelus, siue ille erat Angelus magni consilij, siue angelicorum spiritu ũ aliquis, in quo esset virtus liberatoris dei, per semetipsum apparebat omnibus, neque hoc litera cogit intelligi alioquin nó necesse esset, vt vel per diem columna nubis, vel per noctem columna ignis appareret coram populo dux itineris. SEVERVS. Angelus qui populum præcedebat, à columna diuersus erat, itémq; colũna ipsa ab angelo illo differebat. Ipsius autẽ domini velut corporeum instrumentum erat, per quem, quũ ipse natura expers corporis sit, & supra omnem essentiam quæ materia ac sensu prædita sit, proprio colloquio Moysen dignum existimabat. HVGO DE SANCTO VICTORE. Tollénsque se Angelus domini. Aliquando domino, aliquando Angelo factum attribuitur, quia reuera Angelus domini minister aderat, & dominus in ipso & per ipsum



A ipsum operans. Abiit post eos, vt defenderet eos per nubem: suis lumen, aliis tenebras per eandem simul faciens. CAIETANVS. Adhuc non narrauerat Moyses Angelum præcedentem populum Israël, sed columnã duntaxat. Et dicitur nuncius dei, quia ad ducendum Israëlem à deo fuerat missus. Ad hoc autem exequendum mouit se, & iuit ex parte anteriore in partem posteriorem, ad protegendum Israëlem ab Aegyptiis. Et iuxta Hebræum idem verbum repetitur, ita quòd quemadmodum dictum est, & mouit se Angelus, ita dicitur, & mouit se columna. Significatur enim per hoc, quòd columna non tanquam pulsa à vento, sed tanquam animal mouẽs seipsum, profecta est ad locum inter exercitum Israël, & exercitum Pharaonis. Et ex eo quòd appellatur columna nubis, insinuatur quòd adhuc erat dies quando hoc gestum est, nam columna nubis die, & nocte ignis solita erat apparere. AVCTOR CATENAE. Tollénsque se Angelus domini, & cætera. Propria Hebraica sunt hoc in loco sicut legitur in Chaldaica, videlicet, Et recessit Angelus domini qui gradiebatur coram ca-
B stris Israël, & abiit post eos, & recessit columna nubis à facie eorum, & stetit post tergum eorum, & ingressa est inter castra Aegyptiorũ, & inter castra Israël. Sed & hoc dicit litera nostra. Est autem sensus, quòd tam Angelus quàm columna qui præcedebant exercitum Hebræorum, cœperunt ire à tergo illorum. Angelus itaque domini, minister dicitur hoc loco iustitiæ diuinæ. Iste præibat semper castra Israëlis, viam ostendens, protegens, & illuminans totum exercitum, & insuper insequuturos hostes prohibens. Præierat (inquit) hactenus, nunc autem ab anteriore parte se transferens, ad postremum se contulit agmen exercitus, ipsum totum sequens, medium se statuens inter filios Israël & Aegyptios. Id autem videbatur spectro columnæ & nubis. Loquitur autem de columna ac si persona esset, Angelo enim domini mouebatur. *Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctẽ, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* GREGORIVS NYSSENVS. Nubes quæ dei iussu non natura præcedebat, non presso aëre vaporibus cõstipata, sed aliud quiddam diuinius atque altius, quàm humana mens
C percipere valeat, quæ in die solis ardores temperabat, & noctu in ignem versa, noctis & frigora temperabat, & tenebras remouebat. Hæc (inquam) nubes, quam veluti ducem sequebantur, priore omisso itinere, in rubeum mare ducebat. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et fuit nubes & obscuritas, & illuminauit noctem. Ecce effectus Angeli & columnæ. Relatiuè siquidem ad Aegyptios, fuit nubes caliginis, & fuit obscuritas, illuminatione cœlesti suspensa quoad effectum lucendi, non absolutè, sed exercitui Pharaonis. Effectus autem columnæ relatiuè ad populum Israël duntaxat, fuit illuminare noctem illam, vt iter agerent videndo clarè viam, & se inuicem. Ita (inquit) vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Iuxta Hebræum habetur, Et non appropinquauit iste isti tota nocte. Ecce effectus ex tenebris & caligine impediẽtibus Aegyptios subsecutus, quòd quamuis vterque exercitus tam vicini erãt vt essent demonstrabiles tanquam compræsentes iste & isti, tota tamen nocte non appropinquauit iste Aegyptius isti Israël, proficiscente vtroque exercitu tota illa nocte. AVCTOR CATENAE. Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem. Hebraicè sic legitur וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת הַלָּיְלָה Vaihi hehanan vehachósech vaiáer eth haláila, Et fuit nubes & tene-
D bræ, & illuminauit, seu illuminabat noctem, id est, Columna illa quæ erat inter vtraque castra, ex parte Israëlis, nocte illuminabat, ex parte autem Aegyptiorum, erat nubes obscura & tenebrosa. Vnde Chaldaica locum elucidans, ita habet, Et erat nubes & obscuritas Aegyptiis, Israëli autem erat lux tota nocte. Vel dicas quòd erat nubes quæ illustrabat noctem filiis Israël, tenebræ autem Aegyptiis. Dicunt alij intelligendum esse hoc modo, vt in prioribus illis, de nube Hebræorum non fiat mentio, sed vt ostendatur factas esse tenebras ereptamq; oculis serenitatem, omniáque sydera esse condita, vt formidabilior esset nox Aegyptiis. Cùm autem postea dicitur, Et illuminabat noctem, loquatur de nube lucida Israëlitarum. Quem sensum fortasse exprimere voluerunt Septuaginta, habentes, καὶ ἐγένετο γνόφος καὶ σκότος, καὶ διῆλθεν ἡ νύξ, Et facta est caligo & tenebræ, & venit siue pertransiit nox. Igitur columna qua parte respexit Aegyptios, tenebrosa fuit, ea autem parte qua Hebræos, erat lucida & lucens, & hinc factum est, vt neuter exercitus alterum adoriretur. Sic enim dominus se fidelium protectorem exhibet à dextris & à sinistris, ante & retro, velut gallina pullos colligens & propugnans. Nihil hostis potest con-
E tra pios domino nolente. In manu domini est omne robur exercituum, ideo dominus exercituum, nominatur. *Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illum dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum. Diuisáque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus à dextera eorum & læua.* ORIGENES. Mira dei potentia. Cogitur fluctus in cumulum, & vnda in semetipsam repressa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in puluerem, vt sicca planta populus dei transiret. Bonitatem dei creatoris intellige, si voluntati eius obtemperes, si legem eius sequaris, ipse tibi elementa etiam contra sui naturã seruire compellit. Audiui à maioribus traditum, quòd in ista digressione maris, singulis quibusque tribubus filiorum Israël, singulæ aquarũ diuisiones factæ sint, & propria vnicuique tribui in mari aperta sit via. Idq; ostendi ex eo, quòd in psalmis scriptum est, Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, per quod multæ diuisiones docentur factæ, non vna. Sed & per hoc quod dicitur ibi, Beniamin iunior in stupore, Principes Iuda duces eorum, Principes zabulon, & principes Neptalim, nihilominus vnicuique tribui proprius enumerari videtur in-
F gressus. Hæc à maioribus obseruata in scripturis diuinis, religiosum credidi non tacere. ZENO EPISCOPVS VERONENSIS. Mira fratres charissimi historiæ sacrę sic est perlecta narratio cùm Israëlis populus in ortu captiuitatis iugo depressus à rege Pharaone duris cõditionibus in Aegypto necaretur: miseratione dei duce Moyse iussus est proficisci. Huic non circulus solis per diẽ, sed columna nubis: non candida luna, sed ignis columna per noctem iter pandebat ignotum. Qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præsentatę exitum mortis expauit. Hinc enim persequentium Aegyptiorum infestis mucronibus premebatur: inde maris magno clausus obice premebatur. Etenim illi nullæ inerant naues, nulla trãsfretandi præsidia: cum subitò diuina prouidentia scinditur mare, aquæ dextra læváque gelido stupore frenatæ, vitreos diriguntur in muros, præstolantes transitum dei populi, vt persequentibus mare sint. Inducitur in viam Israël ingratus: in qua nec gladios posit timere nec fluctus. Mirares, medio puluerulentus exultat in profundo: quia circa se videret feliciter triumphum suum perire naufragio. Hæc Iudæus prædicat fratres, & tamen deo demens adhuc vsque non credit, qui

*Ser. lib. 2. Serm. 12.*

*Serm.89.* dit, qui est benedictus in secula. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. G Cúmque extendisset Moyses manus super mare, abstulit illũ dominus, & cætera. Statim diuino iussu virgæ ictu rumpitur mare, & diuisis vndis freti, arcana & maris secreta declarat vnda. Erigitur in cumulũ pelagus, & limite recto via porrigitur, vbi populus domini mirabiliter graderetur. Quibus visis populus domini propter se cuncta gesta cognouit, & iussu diuino intrepidus introiuit. THEODORETVS. Nonnulli tradidere, Mare rubrum in duodecim diuisiones diuisum fuisse, atque vnamquanque tribum seperatim transmeasse, idque beatum Dauid ceciniisse existimant, quum ait, Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Ego autem duas in partes mare diuisum fuisse putarim: id enim & diuina nos docet historia dicens, Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & sinistra, viam verò latam fuisse, pro portione videlicet transeuntium. Deduxit enim eos in abyssо sicut in deserto. Id sanè latitudinem viæ declarat. Neque verò ratio hæc pietatis doctrinæ aduersatur, hoc enim atque illud diuinæ H potentiæ opus fuit, oportet denique diuinæ scripturæ veritatem sequi. DIODORVS. Propterea quòd vestigia miraculi illius in rubro mari facti adhuc ostenduntur, mari se se reciprocante, ac littora destituente, idcirco nonnulli Gentilium id naturæ maris illius non diuino miraculo ascribẽdum esse affirmant. Quod quidem illis dandum ac concedendum esset, si per reciprocationem fieri posset, vt in medio mari latissima via ac transitus, quod Israëlitis datum est, efficeretur. Itémque si mare diuisum à dextris & à sinistris, natum aptúmque est vt solidus murus consistere. At siue concedi potest, mare rubrum alicubi ad littus vndas impellere, alicubi verò reciprocando resilire: verùm quum Israëlitæ transirent, mare illud reciprocando locum dedisse, nulla ratione intelligi potest. Qui enim fieri potest, vt mare reciprocãdo in muri modum solidum hinc atque hinc transeuntem populum circunsteterit? EVSEBIVS EMESENVS. Sic igitur per virgam miracula fiebant. Aegyptij percutiebantur, Israël expellebatur, Deus cognoscebatur, mare scindebatur, & vt ita dicam, consuebatur, & his quidem erat via, illis verò interitus. GREGORIVS NYSSENVS. Deuenerunt igitur I sequuti ducem Hebræi vsque ad littus, quos Aegyptij persequuti, vndique ita concludunt, vt nulla iam fuga humano consilio posset excogitari. Ante ipsos mare rubeum erat, post ipsos validissimus atque instructissimus Aegyptiorum exercitus. Tunc summus ille vir omnium, diuinitùs motus ad littus descendit, marèque rubrum virga percussit, & subitò vt in vitro facta scissura, facilè ex altera parte in alteram peruenit. Sic ictu Mosaicæ virgæ, in oppositam vsque ripam, hinc atque hinc cedentibus aquis, scissura peruenit. PROSPER. Vides ergo quomodo mare exequendo iudicium sui creatoris & regis, sententiæ diuinæ iussa compleuit? Dein puniendo rebelles, innocuis viam rescisis vndis, suspensóque gurgite, sicco puluere gradiẽtibus præbuit? AMBROSIVS LIBRO TERTIO EPISTOLARVM. Sic igitur cùm de Aegypto liberaret dominus populum suum, mouit cœlum & terram, quando in cœlo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cœlestium multiplicabatur, petra soluebatur in fontes aquarum.

*Vbi suprà. Cap.38.*

*Epist.12.*

CAIETANVS. Cúmque extendisset Moyses manum suam super mare, abstulit illud dominus. Iuxta Hebrꝛũ K habetur, & duxit deus mare. Non consumptio aquarum, sed ductio earundẽ significatur, vt intelligamus, quòd quẽadmodum stante Iordanis flumine, tempore Iosue tumularunt aquæ in parte superiori, ita in hoc transitu, aquæ maris ad dexteram & ad sinistram ductæ sunt tumescentes in latitudine hinc & inde. Et attribuitur miraculum hoc domino, vt summi dei operatio etiam in mari contra naturam aquarum manifestetur. Flante (inquit) vento vehemente & vrente. Iuxta Hebraũ habetur, In vento orientali forti. Et refertur ad clausulã sequentem, tota nocte, & posuit mare in siccum. Ita quòd ordo literæ est, Et posuit (subaudi dominus) mare ad siccum in vento orientali forti tota nocte. Causa secunda ad exiccandum terram quæ fuerat sub mari, adhibita narratur, non ad diuidendum mare, nam seperatio aquarum in tanta latitudine, vt vniuersam multitudinem filiorum Israël proficiscentem, turmatim caperet, subitò facta est, exiccatio autem fundi per ventum succesiuè facta est. Diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israël per medium maris sicci, erat enim aqua quasi murus ad dexteram eorum & læuam. Ne intelligeretur quòd aquæ fuerint seperatæ sic, quòd hinc L & inde fuerint, quemadmodum est mare iuxta littus, manifestatur quòd non sic fuerunt aquæ hinc & inde, sed eleuatæ hinc & inde, & in soliditatis formam redactæ, tanquam muri hinc & inde. AVCTOR CATENAE. Flante vento vehementi & vrente. In Hebræo est בְּרוּחַ קָדִים עַזָּה Berúach kadim hazza, In vento orientali fortissimo. Et quia ventus hic est vrens & siccus, ideo doctus Interpres vertit, Flante vento vehementi & vrente. Chaldaica, Vento orientali vehementi. Septuaginta, ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ, In vento austro forti. Quæ omnia idem dicunt. Diuisit igitur dominus aquas maris rubri vel caricosi, & in murum quasi erexit à dextris & à sinistris, & viam fecit per aridam in medio aquarum vtrinque. Primo autem diuisit, deinde arefecit: piis erat munimentum, impiis autem monumentum & decipula letalis. Potentia quoque dei operata est per ventum vrentem veluti instrumento. Prima rerum omnium causa per secundas. Miraculum istud diuisionis, præstabat electis fiduciam, audaciam autem & contemptum obduratis à domino, & morti adiudicatis. Vnde & sequitur, *Persequentésque Aegyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium maris.* M EVSEBIVS EMESENVS. Populus Israël duabus de causis in angusto positus erat, cùm ex mari ante se posito, tum ex Aegyptiis retro sequentibus. Tum etiam deus iubebat, Moyses iubebatur, virga eleuabatur, & mare scindebatur. Stabat aqua, eleuata quidem, sed tamen quasi freno cohibita. Ac populus quidem Ducẽ sequebatur, Pharao verò obdurescit, ac simul aduersus deum & terram pugnã gerit, post decem plagas, post Israëlis emissionem, imò excussionem. Nimirum sanguis, atque iniusta infantium cædes illũ agitabat, vnde & vniuersus Israël saluus euasit, Aegyptij verò quotquot egressi erant, perierunt. HVGO DE SANCTO VICTORE. Quæritur autem, si non videbant Aegyptij Israëlitas præcedentes propter nubem interpositam, quomodo sequi potuerunt? Aut si videbant miraculum maris, quomodo ausi sunt eos persequi? Ad quod respondetur, quòd non poterant eos videre perfectè, & tamen quia abire eos sentiebant per aliam viam, pedetentim eos sequebantur nescientes se vel illos mare ingredi. INTERLINEARIS. Et omnis equitatus



A equitatus Pharaonis. Et, pro scilicet positum est. AVCTOR CATENAE. Sed nec est in Hebræo textu, & tantùm ab Interprete additum, vt declaret qui sint Aegyptij ingressi mare persequentes Hebræos. Stat igitur Et, pro, id est, hoc in loco. Non cogitauit Pharao dei virtutem, nec bonitatem dei, hostes fidei & pietatis attendere possunt dum sunt in præcipitio barathri. Spiritu vertiginis abducuntur in reprobum sensum, & seipsos inuoluunt, & secum sibi pares abripiunt in iudicium horribile damnatorum, qui verbo dei restiterunt malignè & pertinaciter, toties admoniti, & frequenter correpti, dum deum abiiciunt & negant.

AVCTOR CATENAE. Diximus secundum literam, dicamus modò secundum spiritum. Præcipit *Mysticè.* dominus Moysi, vt filij Israël proficiscantur, quia proficisci semper fideles debent, & non retrocedere, nec succumbere in via dei. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Post hæc iubetur *Serm.90.* Moyses virga percutere mare. In virga mysteriũ sanctæ crucis agnoscite. Et verum est fratres. Attendite enim B & videte, quòd nisi virga supra mare eleuetur, populus dei de Pharaonis potestate non tollitur. Sic est fratres charissimi. Si sancta crux eleuata non esset, Christianus populus in æternum perisset. Eleuata verò virga, id est, cruce erecta, cedit mare, cedunt & fluctus eius, hoc est, vincitur mundus, & mundi istius potestates. STRABVS. Angelus autem dei qui præcedebat castra Israël, & abiit post eos, Doctores significat, qui nobis præcepta vitæ annunciant, & cum nube, id est, scientia scripturarum castra Israël, id est, Ecclesiam præcedunt, quia cũ scientia scripturarum præsident. Superuenientibus verò Aegyptiis, retrorsum abiit, quia tempore persecutionis opponunt se pro subiectis. RVPERTVS. Sed quomodo vna eadémque columna, & nubes tenebrosa, & noctem illuminans erat, nisi quia secundum diuersa, imò cõtraria merita, vna eadémque virtus, piis lucebat, impios excæcabat? Ergo in hoc quoque mysterium pulcherrimum est, quia videlicet vnum eundémque Christum (inquit Apostolus) prædicamus, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, quod valde est obscu- *1.Cor.1.* rum: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum dei virtutem & dei sapientiam, quod valde est, Luminoc sum. Quid porrò illud sibi vult, quòd illa columna talis priora dimisit, & post tergum Israël intra castra Aegyptiorum & castra Israël stetit? Hoc nempe mysticè illud figurat, quòd optimè credit, & firmiter catholica tenet ecclesia, quia dominus noster Iesus Christus qui nos præcessit, qui antequam sciremus eum abiit, transiuit, & præcursor pro nobis cœlum introiuit, ipse tamẽ adest in hora sancti baptismi iuxta veritatem ipsius, qui mox vt dixit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, ita concluſit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Tendamus securi quò ille per passionem suam præcessit, nam vbi ad baptismum accessimus, ipse per passionis eiusdem sacramentum post nos stare cœpit, nósq; intra gratiæ suæ muros includens, peccata nostra à nobis exclusit, vt tota nocte, id est, tota vita præsenti nos consequi, vel ad nos accedere non possint. Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum, & cætera. RABANVS. Quid est Moysen manum extẽdere super mare, nisi solam legem per scripturam demonstrare, in aquis effectum D esse diuinæ potentiæ? Abstulit illud dominus flante vento vehementi & vrenti: illo vtique vento de quo in Psal- *Psal. 47. Act.2.* mis dictum, In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Et in Actibus Apostolorum scriptum est, Quòd recumbentibus in cœnaculo Sion discipulis in die Pentecostes, subitò factus est sonus de cœlo tãquam spiritus vehementis, & impleuit totam domam vbi erant sedentes: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedítque super singulos eorum, & reliqua. Abstulit ergo dominus mare flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum, cùm per omne tempus istius vitæ quod nox significat, spiritus sancti gratia aquas baptismatis meabiles credentibus facit, vt illis per eas transeuntibus, de spirituali Aegypto in terrã repromissionis, hostium in eodem elemento subsequens suffocetur exercitus. RVPERTVS. Iuxta ergo altiorem sensum quo hactenus cucurrimus, virga Moysi quam super mare iussu domini eleuauit, & diuisum est mare, & ingressi sunt filij Israël per siccum in medio eius: potestas est Christi filij dei, & vnica regula baptismi, quam super aquas extendere iusit ducibus populi sui, scilicet Apostolis, postquàm resurrexerit à mortuis. Data est mihi (in- *Matth.vlt.* E quit) omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ad hanc enim, quasi virgam, id est, vocem potestatiuã, diuiduntur aquæ, vt ingrediantur filij Israël, filij acquisitionis & salutis, id est, aperit se gratiæ spiritus sancti, susciпiẽs filios diaboli renascituros in filios dei, filios iræ, regenerandos in filios gratiæ. Quòd si (vt aiunt Hebræi) non vna diuisio, sed duodecim factæ fuerũt maris diuisiones, nec hoc quidẽ à mysterio vacat, quia videlicet multæ sunt in vno spiritu quę baptizatis in Christo aperiuntur gratiarũ diuisiones. Et non vni cunctæ tribuũtur, sed alia alij plus vel minus, secundum beneplacitum vnius eiusdémque spiritus diuidentis singulis prout vult. Attamen primùm donum & summa baptismi vtilitas, quæ est remissio peccatorum, sciẽndum quia non particulariter distribuitur, neque alij plus, alij minus donatur, sed omni æqualiter pari gratia, in dissimili donationis abundantia, omnium, inquam, peccata absorbentur, & baptismi fluctibus omnes Aegyptij, cuncti videlicet reatus, tam originalis culpæ, quàm actualium criminum confestim obruuntur. Cæterùm spiritales gratiæ, quales Apostolus commeF morat, dicens: Vnicuique nostrum datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur *1.Cor.12.* sapientia, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, & cætera, dubium non est, quia nulli conferuntur omnes, præter vnum caput corporis Ecclesiæ, quod est Christus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Igitur si cui placet, plures factas fuisse diuisiones, non quidem ad recipiendum nos inuitos cogere potest, quia certam de scripturis sanctis auctoritatem non habet: veruntamen ipse hoc sensu literali susceрto, habet quod mysticè subintelligat vtiliter. ORIGENES. Quis igitur in his sensus sit Apostolus docet, Baptismum hoc nominat in Moyse consummatum in nube, & in mari, vt & tu qui baptizaris in Christo in aqua & in spiritu sancto, scias insectari quidem post te Aegyptios, & velle te reuocare ad seruitium suum, rectores scilicet huius mundi, & spirituales nequitias, quibus antea deseruisti. Quæ conantur quidem te insequi, sed tu descendis in aquam, & euadis incolumis, atque ablutis sordibus peccatorum, homo nouus ascendis, paratus ad cantandum canticum nouum. Aegyptij verò post te insequentes

quentes, demergentur in abyſſum, etiam ſi videntur rogare Ieſum ne interim mittat eos in abyſſum. Sed & G alium ex his accipere poſſumus intellectum. Si Aegyptum fugias, ſi ignorantiæ tenebras relinquas, & ſequaris legem dei, Moyſen, obuiet autem tibi mare, & contradicentium tibi fluctus occurant, percute tu obluctantes vndas virga Moyſi, id eſt, verbo legis, & vigilantia ſcripturarũ iter tibiipſi diſputando per aduerſarios pande, cedent vndæ continuò, & ſuperati fluctus locum victoribus dabunt, mirantibúſque & attonitis, ac ſtupore defixis his qui paulò antè aduerſabantur, legitimis tu diſputationum lineis rectum fidei iter ſecabis, & in tantum doctrinæ verbo proficies, vt auditores tui, quos in virga legis erudiſti, ipſi iam contra Aegyptios, velut fluctus maris inſurgant, & non ſolùm impugnent eos, ſed & ſuperent & extinguant. ISIDORVS. Sequentibus ergo Aegyptiis percutit virga Moyſes aquas, & tranſierunt filij Iſraël per medium mare rubrum. Quid mare rubrum, niſi baptiſmus eſt Chriſti ſanguine conſecratus? Hoſtes ſequentes cùm rege qui à tergo moriuntur, peccata ſunt præterita quæ delentur, & diabolus qui in ſpirituali baptiſmo ſuffocatur. Premunt quidem Aegyptij, vrgent inſtantia peccata, ſed vſque ad mare, id eſt, vſque ad aquam baptiſmi. H

*Cap.6.* AMBROSIVS LIBRO SECVNDO DE SACRAMENTIS. In mari igitur rubro figuram iſtius baptiſmatis extitiſſe ait Apoſtolus, dicẽs, Quia patres noſtri omnes baptizati ſunt in nube & in mari. Et ſubdit, Hæc autem omnia in figura facta ſunt illis: illis in figura, ſed nobis in veritate. Tunc Moyſes virgam tenebat, concluſus erat populus Iudæorum, inſtabat Aegyptius cum armis ex vna parte, mari claudebantur Hebræi, neque maria tranſire poterant, neque in hoſtem recurrere, murmurare cœperunt. Vide, non te prouocet, quia exauditi ſunt. Et ſi exaudiuit dominus, tamen culpa non carent qui murmurauerunt. Tuum eſt vbi conſtringeris, credere φ euadas, non murmurare, inuocare, rogare, nõ querelam expromere. Tenebat virgam Moyſes, & ducebat populum Hebrçorum in nocte in columna lucis, in die in colũna nubis. Lux quid eſt, niſi veritas quæ apertũ & plenũ lumẽ effundit? Colũna lucis quid eſt, niſi Chriſtus dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis & gratiæ ſpiritalis affectibus infudit humanis? At verò columna nubis eſt ſpiritus ſanctus. In mari erat po- I pulus, & prçibat columna lucis, deinde ſequebatur columna nubis quaſi vmbratio ſpiritus ſancti. Vides quòd per ſpiritum ſanctum & per aquam typum baptiſmatis demonſtrauerit? In diluuio quoque fuit iam tunc figura baptiſmatis, & adhuc vtique non erant myſteria Iudæorum. Si ergo huius baptiſmatis forma præceſsit, vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum quàm fuerint Iudæorum. GREGORIVS TRIGESIMO

*Cap.3.* QVARTO MORALIVM. Demũ audi & aliud. Sicut pernicioſum eſt, ſi vnitas deſit bonis, ita perniciosius eſt ſi non deſit malis. Reproborum quippe vnitas, bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei ſe per collectionem durior opponit. Hanc vnitatem reproborum pernicioſam ſibi Paulus conſpexerat, cùm in me-

*Act.23.* dio Sadducæorum Phariſeorúmque deprehenſus dicebat, De ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. Quanimirum voce percuſſa, protinus contra ſe viciſsim audientium turba diſiluit. Cúmque in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba perſequentium vnita conſtrinxerat, diuiſa laxabat. Eripiuntur ergo iuſti dum diuiduntur iniuſti, & electorum vota ad perfectum K perueniunt, dum reproborum agmina per diſcordiam confunduntur. Quod bene etiam maris rubri ſciſſione deſignatur. Dum enim in duas partes vnda diuiditur, ab electo populo ad terram repromiſsionis tenditur: quia dum malorum vnitas ſcinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt, perducuntur. Si malorum vnitas noxia non fuiſſet, nequaquam diuina prouidentia ſuperbientium linguas in tanta diuerſitate diſsipaſſet.

4 *ATque aduenerat uigilia matutina, & Ecce reſpiciens dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii, Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait dominus ad Moyſen: Extende manum tuam ſuper mare, ut reuertantur aquæ ad Aegyptios, ſuper currus & equites eorum. Cúmque extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum. Fugientibúſque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos dominus in mediis fluctibus. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſsi fuerant mare, nec unus quidem ſuperfuit ex eis. Filii autem Iſraël perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris. Liberauítque dominus in die illa Iſraël de manu Aegyptiorum, & uiderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam exercuerat dominus contra eos. Timuítque populus dominum, & crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius.* L

4 RVPERTVS. Iámque adeſt clara glorioſæ magnificentiæ domini reſgeſta, quando diuiſa eſt a- M qua, & ingreſsi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris, & interfecit dominus exercitum Pharaonis, & ſubuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum, & ita ſciuerunt ipſi Aegyptij quia dominus ipſe eſt deus, vt dicerent, Fugiamus Iſraëlem, dominus enim pugnat pro eis contrà nos. Videamus ergo quomodo hæc narrat ſanctus dei ſeruus Moyſes. *Iámque* (inquit) *aduenerat uigilia matutina, & ecce reſpiciens dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum.* Quatuor computabantur vigiliæ noctis, ternis horis per ſingulas computatis. INTERLINEARIS. Cùm igitur vigilaret dominus deus ad cuſtodiam populi ſui qui antè dormire videbatur, reſpexit in quarta cuſtodia ſuper caſtra Aegyptiorum. Locutio eſt ſcripturæ, vt reſpicere tunc dicatur deus, cùm aliquod arduum & inſigne facit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et ecce reſpiciens dominus ſuper caſtra per columnam. Quid eſt quòd per nubem dicitur deus reſpicere ſuper caſtra, niſi hoc ſcilicet, quòd nubes quæ



A quæ priùs tenebras faciebat Aegyptiis, lucem præbuit eis? Sed ad confuſionem eorum totum hoc factum eſt, ſcilicet vt viderent ſe in arcto. Interfecit exercitum, & cætera. Breuiter totum negotium comprehendit, & deinde prolixius idem repetit: ibi ſcilicet, Dixerúntque Aegyptij, & cætera. CAIETANVS. Tanquam igitur diſsimulauerit vſque ad illam horam deus ſupremus, deſcribitur quòd reſpexit illa hora ad caſtra Aegyptiorum, quia vſque ad illam horam permiſit Aegyptios perſequi Iſraëlitas, & tunc incœpit aduerſus eos operari. Parui autẽ refert quòd in Hebræo habetur, non per, ſed in columna. Ipſe enim ſummus deus deſcribitur in columna ignis & nubis animaduertens in Aegyptios. Ergo & Angelus & ipſe deus in columna erat cum populo Iſraël, vt intelligamus deum non ſic per Angelos operari quemadmodum principes humani, ſed ita Angelis vti, vt ipſe præſens ſit omnibus, & operetur tanquam præſens, & non tanquam abſens ipſe, & per miniſtros ſeu nuncios præſens. Et aduerte prudens lector, quòd ex hac litera ſoluitur quæſtio an

B duæ fuerint columnæ, altera nubis, altera ignis, hîc enim clarè narratur, quòd vna & eadem columna fuit columna ignis & nubis, quia vtrumque officium actualiter tunc exercebat. Ignis quidem ad illuminandum Iſraëlitas, nubis autem ad impediendum ne lux illa videretur ab Aegyptiis. Secundum autem ſolitum curſum, exercebat, die quidem officium nubis, nocte autem officium ignis. Sequitur, Interfecit exercitum eorum. Iuxta Hebræum habetur, Et effecit attonitum exercitum Aegyptiorum. Ecce prima animaduerſio, exterrendo & perturbando animos Aegyptiorum, quemadmodum terremur, & attoniti reddimur ex repentè magnis periculis imminentibus. Et ſubuertit rotas curruũ. Iuxta Hebræum habetur, Et remouit rotam curruũ eorum. Secunda actio diuina, fuit amotio rotarũ ex propriis axibus, vel fortè cuiuſlibet currus vnica duntaxat rota amota eſt ab axe, vt non ſolùm animo, ſed etiam corpore turbarentur declinando. Nulla autem cauſa media in litera narratur cõ

C currens ad ambas actiones iſtas, ſed duntaxat quòd deus in columna ignis & nubis reſpexit, & effecit duo hæc, nonnihil enim occaſionis datur vel ſumitur ſuſpicandi, actionem aliquã ex columna emanaſſe ſenſibileni (puta fulminationẽ qua attoniti fuerunt Aegyptij, & rotæ curruũ amotæ) ex eo φ non deus abſolutè, ſed deus in columna ignis & nubis deſcribitur effector vtriuſq; repentini effectus. Ferebanturq; in profundum. Iuxta Hebræũ habetur, Et egit eos in grauitate. Remotis rotis ab axibus curruũ, cõſequẽs fuit vt loco motus progreſsiui mouerentur deorſum ſecundũ grauitatem & curruũ & perſonarũ. Hæc prima animaduerſio diuina fuit, antequã Moyſes extenderet virgam ad reducendũ mare. AVCTOR CATENAE. Iamq; aduenerat vigilia matutina. Hebraicè eſt וַיְהִי בְּאַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר Vaihi beaſmóreth habóker, Et factum eſt in cuſtodia, ſiue vigilia matutina: ſic Chaldaica, ſic Septuaginta. Sed idem eſt cũ littera noſtra. Et ecce reſpiciens dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis. Aduerbium demonſtrandi, Ecce, non legitur Hebraicè, neque Græcè, neque Chaldaicè. Sed hoc parum eſt. Et loco, per columnam, legitur in columna. Quanquam ב Beth litera, quæ præponitur dictioni hammud, & per, & in, reddi poſsit, & quomodocũque reddatur, ſenſum nõ vitiat. Qui eſt huiuſmodi, nempe quòd vertit ſe dominus cum columna ignis contra Aegyptios in magnum illorũ terrorem & tu-

D multum. Interfecit exercitum eorũ. Hebraicè eſt וַיָּהָם Vaiáham, Quod & interfecit, & conturbauit, ſeu perturbauit vel attriuit verti poteſt. Et eſt futurum à verbo הוּם Him. Caldaica lectio habet. Et conturbauit hoc eſt, infremuit ſuper exercitum, & terrorem immiſit. Sícque & Septuaginta συνετάραξε τὴν παρεμβολήν, id eſt conturbauit caſtra. Interpres autem reſpectum habuit ad finem totius negotij. Et ſubuertit rotas curruũ, ferebanturq; in profundum. Hebraica ſunt וַיָּסַר אֶת אֹפַן מַרְכְּבֹתָיו וַיְנַהֲגֻהוּ בִכְבֵדֻת Vaiáſer eth ophan marcebotaf vainahagehu bichbeduth, Et abſtulit rotam (pro rotas, ſingulare pro plurali) curruum eorum & ducebant eos grauiter, ſubaudi Aegyptij illos currus. Agebant enim illos equi cum magna difficultate, vt ſolent magna difficultate agi detractis rotis. Sic autem legit & Chaldaica. Alij vertunt, Et impediuit rotas. Septuaginta quoque aliquid ſimile, καὶ συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων αὐτῶν. Et impediuit vel colligauit axes curruum eorum. Rabbi quoque Salomon hoc idem ſentit, ſed alio modo, Videlicet, Propter vim ignis accenſæ ſunt rotæ, & currus impliciti ſunt, & qui ſuper eos ſedebant, excutiebantur, & membra eorum diſcerpebantur. Quod autem ſequitur, Ferebanturq;

E in profundum, vertunt, Duxítque eos in grauitatem, hoc eſt, in grauiores & profundiores aquas. Loco cuius Septuaginta habent, καὶ ἤγαγεν αὐτοὺς μετὰ βίας, Et fregit ſiue agitauit eos (ſupple currus dominus) cum vi. Alij Et deduxit eas (ſcilicet rotas) cum pondere, tranſtulerunt. Quorum omnium ſententia eſt, quòd rotas curruum impulit vehementer deus, & præcipitauit in profundum, atque idem ſentiunt omnes, licet variè. Propter igitur iuſſionem domini primùm ſeparatæ ſunt rotæ à curribus, vel impliciti ſunt currus cum inſeſſoribus præcipitatis, & fruſtulatim diſcerptis. Tum deinde flante ſpiritu eiuſdem reuerſum eſt mare ad priorem locum, & magna vi cooperuit Aegyptios, & ita ſubmerſi ſunt quaſi plumbũ in aquis vehementibus. Ingrauauit enim eos, & induratuit, ac præfractos reddidit malitia eorũ. *Dixerunt ergo Aegyptij, Fugiamus Iſraelem, dominus enim pugnat pro eis contra nos.* INTERLINEARIS. Ac ſi dicerent, Non vlterius hos inſequamur, pro quibus liberandis contra nos oppri mendos præliatur deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt. CAIETANVS. Ecce effectus primæ plagæ. Et dicendo fugiamus, manifeſtãt ſe velle redire in Aegyptum via qua venerant, adhuc enim mare erat apertum, & ip

F ſi erant progredientes verſus Iſraëlem, quando hac plaga triplex incurrerunt malum, nam animo ſunt attoniti, & corpore ſunt moti deorſum, & rotas curruum amiſerunt. Verificatur etiam in eis quod dixerat deus, & ſcient Aegyptij quòd ego dominus. Nunc enim confitentur φ nõ magica arte, ſed ipſe dominus eſt qui pugnat pro Iſraëlitis contra Aegyptios. Et ex hac confeſione inſinuatur, quòd ex illa columna nubis quæ erat in aëre inter Iſraël & Agyptios, ſenſibilis actio emanabat contra Aegyptios perſequentes Iſraëlem, alioquin nõ dixiſſent, fugiamus Iſraëlem, quia dominus pugnat pro eis cõtra nos, ſed putaſſent caſu accidiſſe ſibi huiuſmodi impedimẽta, AVCTOR CATENAE. Dixeruntq; Aegyptij, Fugiamus Iſraëlem. Parum eſt quòd hîc Hebraicè legitur וַיֹּאמֶר מִצְרַיִם אָנוּסָה מִפְּנֵי יִשְׂרָאֵל Vaiómer mizraim anúſa mipene Iſraël, Et dixit Aegyptius, Fugiam à facie, ſiue à conſpectu Iſraël. Nam ſunt ſingularia pro pluralibus. Vnde tam Chaldaica quàm Septuaginta legunt ſicut Interpres. Quod verò ſequitur, Dominus enim pugnat pro eis contra nos, legit Chaldaica, Quia hæc eſt potentia dñi quæ pugnabat pro eis in Aegypto. Sed & hoc ſenſum latinæ verſionis non variat, quæ ab Hebraica litera nõ

deuiat

deuiat. Vides igitur hoc in loco quomodo audacia impiorũ vertitur in conturbationem, persecutio in fugam, & perfidia indurata ad pœnitentiã intempestiuã & infructuosam. Tardè nimium sapiunt impij quòd Dñs pugnat pro fidelibus. Qui tempestiuè sapit, discit sibi temperãdũ ab oppressione amicorũ dei, sicut à tactu pupillæ oculi dñi. Quid me (inquit alibi) Saule persequeris? Durũ est tibi contra stimulũ calcitrare. Verũ quãuis dicerẽt Aegyptij fugiamus vehementia signorũ admoniti, non tamen fugere potuerunt, nimirũ pertinacia indurati & excæcati, aquis præuenti. Vnde & sequitur, *Et ait dominus ad Moysen, Extende manũ tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios, super currus & equites eorum.* CAIETANVS. Fugiẽtibus Aegyptiis, præcepit deus vt mediãte virga Moysi reuertantur aquæ in locũ suum ad operiendũ Aegyptios. AVCTOR CATENAE. Et hoc etiã in loco iuxta Hebræum sunt singularia, vt dicatur, Vt reuertantur, seu & reuertentur aquæ ad siue super Aegyptiũ, super currus eius, & super equites eius. Sed de more scripturæ pro pluralibus ponũtur. Et sic habẽt Chaldaica & Septuaginta. Et est sensus, Vt reuersæ aquæ obruãt currus & equites Aegyptiorũ? *Cùmque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorẽ locum.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur in reuolutione mane. Ita quod à vigilia matutina vsq; ad aduentũ mane, tempus fuit prioris plagæ, & consilij Aegyptiorũ ad reuertendũ, & initij reuersionis. Oportuit enim nobiles qui erãt in curribus habere tẽpus prouidẽdi sibi de equis super quos equitando reuerterẽtur, & inferioris ordinis milites, vel pedestres, vel super equos qui traxerũt currus, redire. Quod autem dicitur ad priorẽ locum, Iuxta Hebreũ habetur, ad fortitudinem suã. Impedita siquidem fuerat diuinitùs vis naturalis aquarum maris, dum in forma muri tenerentur, & propterea reuersum est mare ad fortitudinẽ suã quando relictum est naturali fluxui naturæ propriæ. AVCTOR CATENAE. Reuersum est primo diluculo ad priorem locum. Egregiè expressit Hebraicam dictionem לְאֵיתָנוֹ Leethano, Ad fortitudinem suã, vel robur suum, seu vt habet Chaldaica, Ad vigorem suum. Septuaginta autem, ἐπὶ χώρας, Ad locum legunt, sicut & Interpres vertit. Sed hæc omnia idem dicũt. Nam tunc mare fortitudinem suam recepit, cùm in pristinum locũ reuersum est. Alij autem ad matutinam lucem referunt, hoc est, cùm aurora iam potenter emergeret, & mane clarè illucesceret, vt res esset conspicua, tunc mare reuersum est. Sed prima versio melior. Vides ergo quomodo ad eleuationem manus Moysi diuina virtute omnia facta sunt contra Aegyptios morti destinatos, tempore illo quo mane diei vel auroræ prospicere incipit. Obedientia & fide vincunt fideles. Omnis creatura seruit creatori, & armatur contra impios in vltionem dei & amicorum eius. *Fugientibúsque Aegyptiis occurrerant aquæ, & inuoluit eos dominus in mediis fluctibus.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Priùs fugati & prostrati sunt à domino Aegyptij, & ad vltimum aquis obuoluti. CAIETANVS. Clariùs in Hebræo habetur hæc eadem sententia, sonans, quòd Aegyptij fugiebant obuiam mari redeũti ad fortitudinem suam. ex qua sententia habetur, quòd aquæ incœperunt redire hinc & inde, non simul, sed successiuè, inchoando ab illa maris parte, per quam ingressi erant. Sic enim planus literæ sensus verificatur, & quòd fugiebãt, & quòd versus rediens mare ibant. Et hoc etiam quadrat egressui Israëlitarum ex altera parte, vt totaliter compleretur quietè ipsorum egressus ex mari, & interim aquæ inciperent occurrere Aegyptiis, ne euaderet aliquis eorum. AVCTOR CATENAE. Fugientibúsque Aegyptiis occurrerunt aquæ. Iuxta Hebræum est וּמִצְרַיִם נָסִים לִקְרָאתָן Vmizráim nasim likratho, Fugerúntque Aegyptij, siue Aegyptij autẽ fugiebant in occursum eius, scilicet maris reuertentis. Sic & Chaldaica. Septuaginta quoque, ὀπίσω δὲ οἱ Αἰγύπτιοι ἔφυγον ἐπὶ τὸ ὕδωρ, At Aegyptij fugerunt ad aquam. Sed hæc non discrepant à Latina editione. Et est sensus, quòd aquæ occurrerunt Aegyptiis fugientibus versus littus. Alij dicunt eos ita fuisse attonitos, vt præ cõsternatione in ipsas aquas medij maris ruerent, dum fugere debuissent ad littus vt viderentur ipsis aquis exire obuiam, & ipsæ aquæ illis; Et inuoluit eos dominus in mediis fluctibus. Id quod Hebraicè legitur וַיְנַעֵר יְהוָה אֶת מִצְרַיִם בְּתוֹךְ הַיָּם Vainnaher iehoua eth mizráim bethoch haiam, Et excusit, vel proiecit, siue impulit, aut præcipitauit dominus Aegyptios in medium maris. Chaldaica, Et suffocauit dominus Aegyptios in medio maris. Septuaginta, καὶ ἐξετίναξε. Et excussit. Quasi dicat, impulit eos dominus per vehementes fluctus in mediũ maris, atque submersit insanos illos homines, qui agnoscere noluerũt potentiã eius & inaudita mirabilia eius. *Reuersæq; sunt aquæ, & operuerũt currus & equites cũcti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.* HIERONYMVS IN HIEREMIAM. Quanto serior vindicta peccantium est, tanto iustior, in similitudinem Pharaonis, qui decem plagis admonitus, non punitus, & in duritia perseuerans, ad extremum rubri maris fluctibus obrutus est. THEODORETVS. Iustissimus iudex Pharaonem vnà cum vniuerso exercitu in aquis interire voluit, propterea quòd per aquã tot Hebræorum infantes interfecit. AVCTOR CATENAE. Cuncti exercitus Pharaonis. Hebraicè est לְכֹל חֵיל פַּרְעֹה Lecol chel parho, Et totum exercitum, siue & omnes exercitus Pharaonis. Sed hoc parum est. Hic est igitur finis impietatis, sic percutit & excindit dominus eos qui nullis admonitionibus flectuntur, nullis minis dei terrentur, sed excæcati contra deum pugnare pergunt. Videmus quàm grauiter deus suos tentet, quomodo sibi confidentes liberet. Docemur sperare in dominum, causa eius strenuè exequi, illum constanter sequi, crederéque perpetuò nobis affuturum. Discamus neminem lædere violentia, iniuria non premere. Nam veniens veniet vltio dei aliquando, abundéque rependet his, qui longanimitatem suam contempserunt, liberabítque suos de manibus eorum. *Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris.* GREGORIVS NYSSENVS. Facto per medium pelagus itinere, vtraque ex parte vndis aquarum quasi muris consistentibus, ingressus est deo fretus cum populo Moyses, quem Pharao impetu animi concitatus, insequutus est. Sed mare virga percussum in pristinum statum reductum Aegyptios, omnes obruit. SEVERVS ANTIOCHENVS EPISCOPVS. Cùm hi quos inimici persequebantur, in arido constitissent, murus ille vndarum secundum naturam suam effusus, Aegyptiis sepulchrum fuit, atque vnà cum vniuerso exercitu equos ac currus inuoluit. CAIETANVS. Repetitur hæc sententia de filiis Israël non superfluè, sed ad significandum perseuerentiam itineris vsque ad intentum finem (ire enim per siccum inter aquas vsque ad reuolutionem mane, commune fuit Israëlitis & Aegyptiis, peruenire autem ad littus proprium fuit Israëlitis) & ad hoc

*Cap. 32.*





A insinuandum, quòd dum Aegyptij inciperent operiri aquis, Israëlitæ adhuc exibant, & aquæ erant eis tanquam muri hinc & inde. Ad hanc disparitatem narrandum adiungit Moyses suffocationi Aegyptiorum in mari, quòd filij Israël iuerunt in sicco, & habuerunt aquas pro muris. AVCTOR CATENAE. Aegyptiis igitur ad vnum inuolutis perditioni aquarum & submersis, Israëlitæ viui, illæsi & alacres perrexerunt per siccum, hoc est, iam ante illos perrexerant, vallati nimirum pro muro aquis à dextris & à sinistris. *Liberauítque dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum, & viderunt Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat dominus contra eos.* INTERLINEARIS. Manum magnam, ineffabilem domini dicit potentiam. CAIETANVS. Magna tractatur quæstio à nonnullis de situ huius littoris, occasione tum cadauerum eiectorum à mari, tum nominis deserti. Argumentantur enim nonnulli, eandem fuisse ripam maris ad quam appulerunt filij Israël, & ripam ex qua ingressi sunt mare. Tum quia mare eiicit mortuos ad littus propinquius submersioni, perspicuum est autem Aegyptios velociter fugien-
B tes à vigilia matutina vsque ad mane, propinquiores fuisse littori ex quo ingressi erant, Tum quia nomen deserti idem testificatur, nam ex Etham ingressi sunt in mare rubrum, & egressi de mari rubro, per desertum Etham iuerunt, vt legitur Numerorum trigesimo tertio. Sed si perspicaciùs considerata fuerit litera, facilè apparet contrarium esse verum, videlicet quòd filij Israël in alteram ripam iuerunt. Nam ex hoc quòd Aegyptij fugientes Israël iuerunt obuiam aquis, manifestatur quòd Aegyptij redibant ad ripam vnde ingressi erant, & filij Israël proprium persequebantur iter ad alteram ripam. Si enim ad eandem ripam præcessissent, non narrarentur Aegyptij fugientes Israëlem, sed sequentes. Nec obstat submersionem Aegyptiorum propinquiorem fuisse littori vnde ingressi erant, tum quia diuino operi attribuendum est, quod viderunt Aegyptios mortuos in littore in quo morabantur filij Israël, quod miraculum oportet fateri in quocunque littore visa fuerint huiusmodi cadauera sequenti die, quia naturaliter homo suffocatus in aquis, non natat
C vsque ad tot dies. Sed oportuit in testimonium diuinæ vindictæ, & ad perfectam securitatem Israëlitarum, vt Israëlitæ viderent Aegyptios mortuos eiectos ad littus in quo morabantur. Tum quia suffragatur ad huius miraculi opus causa secunda, videlicet mare ex littore vnde ingressi erant fluens versus fugientes Aegyptios, talis enim impetus pellebat Aegyptios quos suffocabat, versus alterum littus. Nec identitas deserti officit, quoniam expressè in litera tertij decimi capituli scriptum est, quòd de Etham reuertendo, venerunt ad illam ripam maris rubri, ex qua ingressi sunt mare, & rursus ibidem dicitur, quòd Etham erat locus in extremo deserti. Ex quibus duobus colligitur, quòd desertum cognominatum ab Etham extendebatur vsque ad alteram ripam, ad quam per medium maris venerunt filij Israël. Quod confirmatur ex eo, quòd tam vastum erat desertum Etham, vt tribus diætis ambulauerint per illud filij Israël vsque in Marah, vt scribitur in eodem capitulo Numerorum. AVCTOR CATENAE. Et viderunt Aegyptios mortuos, &c. Breuitati studens doctus Interpres, repetitionem Hebraicam hoc in loco vitauit. Bis siquidem positum est, וַיַּרְא יִשְׂרָאֵל Vaiar
D Israël. Vt dicatur, Et vidit Israël Aegyptios mortuos. Et vidit Israël manum magnam. Non solùm autem vidit Israël occisos hostes Aegyptios in littore, sed etiam spoliauit. Et cognouit gloriosissimam manum domini per excellens hoc & admirabile facinus, quod dominus sua virtute exercuerat. Verùm sicut miracula impiis perniciem inducunt, & duplo damnant perfidos & ingratos post agnitam veritatem & domini voluntatem, sic piis ad salutem prosunt. Vnde viso miraculo filij Israël animum recipiunt & resipiunt, & Moysen dei famulum admirantur & colunt, & Prophetam omnipotentis dei esse persuasissimum habent. Ita subinde mutatur caro etiam fidelium. Quapropter sequitur: *Timuítque populus dominum, & crediderunt domino & Moysi seruo eius.* HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM. Quæritur, quomodo eandem fidem in deum habere quis possit, & in omnes sanctos eius? Ad cuius expo-
E sitionem de Exodo sumamus exemplum. Credidit populus deo & Moysi seruo eius, vnà atque eadem credulitas in Moysen refertur & in deum, vt populus qui credebat in dominum, æquè credidisse dicatur in seruum. Hoc autem non solùm in Moyse, sed in omnibus sanctis eius est, vt quicunque credidit deo, aliter eius fidem recipere non queat, nisi credat & in sanctos eius. Non est enim in deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros eius odio & infidelitate tenuatur. Quod autem dico, tale est. Credidit quispiam in conditorem deum, non potest credere nisi priùs crediderit de sanctis eius vera esse quæ scripta sunt, Adam à deo plasmatum, Euam ex costa illius & latere fabricatam, Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe seruatum: Quòd primus Abraham de terra sua & cognatione iussus exire, circumcisionem quam in signum futuræ prolis acceperat, posteris dereliquit, Quòd Isaac oblatus, victima sit, & pro illo aries immolatus, coronatúsque spinis, passionem domini deformarit, Quòd Moyses & Aaron decem plagis Aegyptum afflixerint, Quòd ad vocem Iesu filij Naue precésque steterit sol in Gabaon, & luna in valle Ailon. Longum est diuersa Iudicum gesta percurrere, & totam Samson fabulam, ad veri solis (hoc quippe nomen eius sonat) trahere sacramentum. Ad Regum libros veniam, quando in tempore messis obsecrante Samuele,
F pluuiæ de cœlo & flumine repentè manarunt, & Dauid vnctus in regem est, & Nathan & Gad prophetauerunt mysteria, cùm Elias igneo raptus est curru, & Eliseus spiritu duplici, mortuus mortuum suscitauit. Hæc & cætera quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis vniuersa crediderit, in deum sanctorum credere non valebit, nec adduci ad fidem veteris Testamenti, nisi quæcunque de Patriarchis & Prophetis, & aliis insignibus viris narrat historia comprobarit, vt ex fide legis, ad fidem veniat Euangelij, & iustitia dei in eò reueletur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Præcipitur & in alio loco, Sancti estote, quoniam *Abac. 2.* ego sanctus sum, dicit dominus deus vester. Eadem sanctitas seruis debetur & domino, & sanctificans quippe, & sanctificati ex vno omnes. INTERLINEARIS. Quia initium sapientiæ est timor domini, cuius proba *Eccl. 1.* uerunt potentiam viso miraculo, illũ timuerunt, & fidelem in promisso intellexerunt. CAIETANVS. Verè effectus diuinus in cordibus populi, vt ex visa punitione Aegyptiorũ timerent summũ deum omnipotẽtem, ad

puniendum inobedientes ei. Quòd autem crediderunt deo & Moysi seruo eius, sensus verborum est, quòd tunc G crediderunt certa & indubitata fide opera vniuersa tot mirabilium quæ in Aegypto & vsque ad illam horam visa fuerunt, facta esse in domino & summo deo, & in Moyse, quatenus erat seruus dei, & non in scientia, aut arte aliqua secreta.

*Mystic.* RVPERTVS. Porrò sensu mystico vigilia matutina, ipsa est resurrectio vitæ dominica. Matutino nanque tempore sedit Angelus ad sepulchrum domini, & post profundam tristitiæ noctem, magni gaudij diem
*Psal.129.* mulieribus, & per illas lugentibus Apostolis euangelizauit. Hinc est illud in Psalmo, A custodia matutina vsque ad noctem speret Israël in domino. Custodiam matutinam dixit custodiam militum mane exterritam, in exemplum omnium impiorum, nam mulieres lætificatæ sunt in exemplum omnium piorum. Quid speret Israël in domino ab illa custodia matutina? Videlicet, quia in se, quod in illo factum esse ex tunc innotuit, futurum est, quia resurrexit à mortuis, quia apud dominum misericordia est, & copiosa apud eum re- H demptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius, subauditur quemadmodum redemit illos filios Israël ex omnibus Aegyptiis hominibus. Itaque vigilia matutina qua pertransierunt filij Israël, Aegyptiis remanẽtibus, mysticè nobis gaudium est dominicæ resurrectionis, in qua veterem deponentes hominem, renati sumus, diabolo remanente, cui renunciauimus, & omnibus pompis eius. Dicit enim Apostolus, Quia
*Rom.6.* baptizati in Christo Iesu in morte ipsius, consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. De huius igitur facti glorioſi mysterio ce-
*Sap.10.* leberrimo, iam silescere non debemus, habentes canticum Moysi quod sequitur, Quia hîc est sapientia quæ aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas, vt victricem manum tuam laudemus pariter domine deus noster. RABANVS. Ergo vigilia matutina, quando saluator noster triumphator mortis ab inferis ascendens, resurrexit in gloria. Vnde bene dictum est, quòd in vigilia matutina dominus aspiciens super castra Ae- I gyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum. Interfecit quippe exercitum spiritualium Aegyptiorum cum vero Pharaone, quando diabolum & satellites eius, cum tota spirituali nequitia, & multitudine peccatorum, in aquis spiritualibus vbi credentes per similitudinem mortis eius baptizati, à morte peccatorum resurgant, summersit, & æterno damnauit interitu, nec eis veros Israëlitas qui prædestinati sunt ad vitam æternam, sub sua potestate vlterius habere licebit, quia quos præscientia diuina prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit. AVGVSTI-
*Vbi supra.* NVS IN SERMONIBVS. Verè ita est fratres. Quando in salutari lauacro, tertiò Christiani merguntur, tunc Aegyptij, id est, originalia peccata, vel actualia crimina quasi in rubro mari sepeliuntur, & filiis Israël pertranseuntibus ad dei seruitium, sola patiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet, & putet non omnia peccata sopiri per baptismum, agnoscat & intelligat, quia quomodo nullus remansit Aegyptiorum, sic
*1.par. cap.36.* nihil remanet penitùs peccatorum. PROSPER. Reuersa in sese maris vnda, hostes domini in ima de- K
*Mich.7.* mersit. En vindex aqua sacrata verbo, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virgæ percussa, salutem ad
*Ser.39.* saluatorem venienti ministrauit. Peccata verò cum auctore diabolo, vt Aegyptios cum suo rege, in profundo detrusit. Hic est deus noster, de quo Micheas dicit Propheta, Ipse conuertetur & miserebitur nostri, & demerget in profundum maris omnia peccata nostra. BERNARDVS SVPER CANTICA. Si diligenter aduertas, cuncta quæ hîc miraris magnificè perpetrata, inuenies nihilominus & in Ecclesia admiranda. Nisi quòd in eo nunc magnificentiùs triumphatur, quòd quæ illic corporaliter præcesserunt, hîc spiritualiter adimplentur. An non tibi nempe multò fortius longéque glorioſius esse videtur, diabolum prosternere, quàm Pharaonem, atque aërias debellare potestates, quàm currus Pharaonis subuertere? Ibi denique pugnatum est aduersus carnem & sanguinem, hîc aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et prosequere modò mecum singula proportionis membra. Ibi populus eductus de Aegypto, hîc homo de seculo. Ibi prosternitur Pharao, hîc diabolus. Ibi L subuertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia & secularia desideria quæ militant aduersus animam subruuntur. Illi in fluctibus, isti in fletibus. Marini illi, amari isti. Puto & nunc clamitare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam, Fugiamus Israëlem, quia dominus pugnat pro eo. GREGORIVS NYSSENVS. Illi ergo homines qui sicut Moyses ad dominum orant, ab ipso mirificè à tyrannis, ac hostis humani generis insidiis eruuntur. Nam qui Aegyptum fugiens, Aegyptios iam fines fide transiuit, si tentationũ æstum extimuerit, ab ipso deo petendam esse sibi salutem, à duce instruitur. Cùm enim vndique circundatus inimici viribus sit, tunc necessariò (non enim datur alius exitus) mare diuinitùs ita scinditur, vt per illud ambulare possit, ad quod nubes, id enim duci nomen ductu suo deducit, qua quidem nube spiritus sancti gratiam multi etiam ante nos significari rectè asseuerarunt, à spiritu enim ad bonum reducimur, spiritum qui sequimur, aquam pertransimus. Spiritus iter ad se per aquam præparat, spiritu libertas confirmatur, spiritus is qui nos in seruitutem retrahere conatur, aqua conteritur. Hæc qui audit, aquæ sacramentum non ignorabit, in quam fidelis cum M vniuerso nostri hostis descẽdens exercitu, solus emergit, inde hostibus detentis atque oppressis aqua. Quis enim non videbit equos Aegyptiorum, sagittarios, funditores, armatos, equites ac pedites, currus, vniuersamque ipsorum potentiam, varias esse animi passiones, quibus seruituti homo subiicitur? Quid enim ab illo Aegyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrenata, dolor immoderatus, auaritiæ fœditas, differt? Nónne quasi hasta tremens iræ impetus est? Nónne quasi effrenati equi huc & illuc currum trahentes, nimiæ voluptates animum vexant? erant etiam tristatæ (vt historia tradit) in curribus, tres videlicet in singulis bellatores, quibus tripartitam animi potestatem intelligi credimus, rationalem scilicet, concupiscibilem, irascibilem, has tres potentias deprauatas. Quæ omnia eorúmque affinia cum duce suo, vnà scilicet cum fideli in aquam baptismatis incidunt. Natura verò aquæ præcedente virga fidei & potestate, illuminantis ducentísque nebulæ, spiritus videlicet sancti, fidelibus quidem qui ad eam refugiunt, vitam præstat, persecutoribus autem mortem infert



A fert. Quare illud quoque ab historia discimus, quales nos post aquæ transitum esse debeamus: nihil enim ab exercitu hostis, qui nobiscum in aquam incidit, nobiscum attrahendum cum emergimus est. Nam qui cum hostis egressus ab aqua simul est, is quoniam in aqua hostem non submersit, sed viuum inde secum eduxit, etiam post aquam in seruitute remansit. Id tale quid est, vt latiùs explicetur, quòd oporteat omnes qui sacramentalem baptismatis aquam transeunt, vniuersum vitiorum exercitum in aqua occidere, vt auaritiam, rapacem mẽtem, luxuriam, libidinem, superbiam, elationem animi, inuidiam, cuncta hæc, & his similia. Nec solùm effectus vitiorum, sed ipsos animi motus atque perturbationes, quę hominum natura quodammodo consequuntur, in quantum possibile est, in aqua submersas relinquere debemus. Nam sicut etiam in pascha dixit (id enim est nomen hostiæ, cuius sanguis mortem abutente repellit) azymos panes edere iubet. Azymum autem est, quod fermentũ, rem tempore rancidam, secum immixtum non habet. Quo pacto docuit, ne vitiorum reliquias, sequenti post fi-
B dem vitæ immisceamus, sed quasi ab alio initio viuere incipiamus, peccandi seriẽ ad fidem vsque continuatam dirumpentes: ita hoc in loco Aegyptum omnem, id est, omnem peccandi speciem in aqua submergendam re ipsa instruxit, vt inde soli absque peccato emergamus. Quod historiæ factum tunc legimus, enectos scilicet in aquis hostes, & Iudæos inde solos euasisse. Sed multi vel ignorantia præceptorum longiùs, vel temeritate ac inconstantia, sordidum prioris vitæ fermentum in posteriorem vitam traducunt, & feros Aegypti milites post baptismum secum adducunt. Nam qui rapina ditati sunt, aut periurio prædam possident, aut adulterio vxores duxerunt, aut aliquid vetitum ante baptismi donum commiserunt, si lauacri gratia ab his se peccatis liberatos putant in iniuria permanentes, vehementer errant, nec possunt intelligere duris nimium se dominis, quasi nexos inseruire. Crudelis enim domina ac rabiosa luxuria est, libidine quasi stimulis seruilem mentem exagitans. Alia non minus crudelis domina auaritia, quippe nullam vnquam requiem seruientibus ei præbere solet, sed quantò plura diei ac noctis laboribus & cruciatibus imperio dominę quæritant, cupiditatémque suam explere
C conantur, tantò magis anguntur, quasi nihil fecerint, magísque inanes ac famescentes reperiuntur. Eodémque modo cætera vitia dominantur. Quibus qui seruit, quamuis in aquam descenderit, nondum tamen in ea quidem sententia sacramentalem tetigit aquam, cuius proprium est, pernicioſi tyranni ac exercitus sui destructio. Sed prosequamur ordine cætera vt incœpimus. Nam qui mare id, quod intelleximus, iam pertransiuit, & Aegyptium vidit in aquis extinctum, non solùm ad Moysen virtutis virgam gerentem respicit, sed principaliter quidem in deum credit, vt historia tradit. Obtemperat etiam Moysi diuinæ maiestatis cultor, quod nunc quoque ab his fit, qui per aquam verè transierunt, qui se ipsos deo dediderunt, & sacerdotibus suis obtemperant. AVCTOR CATENAE. Sic igitur ad ortum solis iustitiæ & veritatis, sub aurorem dominicæ glorificationis, hora qua Christus resurrexit à mortuis, iudicantur satellites Satanæ, & rex tenebrarum cum suis complicibus. INTERLINEARIS. Et vidit Israël liberatus Aegyptios mortuos super littus maris, id est, baptizatus populus de diaboli potestate erutus, Dæmones deiectos amissa potentia. ORIGENES ET AVGVSTINVS.
D Oremus ergo fratres dilectissimi, vt dominus noster quod de Aegyptiis fecit in mari rubro, faciat in corde & in corpore nostro, vt det nobis virtutem & adiutorium spiritus sancti, vt in nobis ipsis spirituales Aegyptios possimus extinguere. Extinguit nanque spiritalem Aegyptium, qui non agit opera tenebrarum: extinguit Aegyptiũ, qui cogitationes sordidas & impuras, vel depellit ex corde, vel omnino non recipit, sicut & Apostolus dicit, Assumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela maligni ignita extinguere. Hoc ergo modo possumus etiam *Ephes.6.* hodie Aegyptios videre mortuos & iacẽtes ad littus, submergi quadrigas eorum & equos. Possumus etiam Pha- *Rom.16.* raonem videre submergi, si tanta fidę viuamus, vt deus pacis conterat Satanam sub pedibus nostris velociter.

E

## IN QVINTVMDECIMVM EXODI CAPVT, ARGVMENTVM.

*Gratias agunt deo Israelitæ cum mulieribus pro victoria. Orante Moyse dulcescunt aquæ in Marath. Audiendus deus. Israelitæ in Elim.*

## CAPVT XV.

F *VNc cecinit Moyses & filii Israël carmen hoc domino, & dixerunt, Cantemus domino,* *Lectio prima.*
*gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Iste deus meus & glorificabo eum, deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi uir pugnator, omnipotens nomen eius: Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Dextera tua domine magnificata est in fortitudine, dextera tua domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.*

ORIGENES. Multa quidem cantica fieri legimus in scripturis diuinis, horum tamen omnium primum *Lect.i.* istud est Canticum, quod Aegyptiis & Pharaone submerso, populus dei post victoriam cecinit. Moris quippe *Hom.6.* sanctorum est, vbi aduersarius vincitur, tanquam qui sciant non sua virtute, sed dei gratia factam victoriam, hymnum deo gratulationis offerre. Accipiunt tamen hymnum canentes, etiam tympanum in manibus suis, sicut de Maria sorore Moysi & Aaron refertur. HILARIVS IN PROLOGO SVPER PSALMOS:

Est verò Canticum, cùm cantantium chorus libertate sua vtens, neque in consonum organi adstrictus obse- G
quium, hymno canoræ tantùm vocis exultat. BERNARDVS IN SENTENTIIS. Cantica autem fi-
delium quatuor sunt. Victoriæ, quod submerso canitur Pharaone. Adhortationis, quod terram promissionis
concinunt intraturi. Lætitiæ, quod de susceptione filij cantat Anna. Fortitudinis, quod Dauid cantat de manu
Saulis ereptus. AVCTOR CATENAE. Elegantissimum igitur carmen, & quo vetustius non legitur in
quibuscunque humanis literis, quod pro victoria diuinitùs concessa fidelibus, filij Israël Moyse auctore, domi-
no cecinerunt. In quo participes tam eximij beneficij sese multi cohortantur ad gratiarum actionem & lau-
des. Qui enim susceptis beneficiis se præstat gratum, fit dignus exhibendis. Excitat autem Moyses fideles sibi
commissos ad laudem dei, non suiipsius. Victoriam tam illustrem, non suæ etiam fidei, sed diuinæ bonitati re-
fert acceptam. Ait ergo sancta scriptura. *Tunc.* INTERLINEARIS. Submersis scilicet hostibus. *Cecinit*
*Moyses & filij Israel carmen hoc domino, & dixerunt, Cantemus domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare.* H
Hæc (inquam) se inuicem hortantes, dixerũt: Cãtemus domino, ore scilicet, corde, & opere. AVGVSTINVS
*Cap. 21.* LIBRO PRIMO DE MIRABILIBVS SACRAE SCRIPTVRAE. Cõsiderãtes filij Israël validissi-
mã potestatẽ quam in sui liberatione dominus fecit, Moyse præcinente cõsono carmine Canticũ domino vni-
uersi pariter decantabant. Vbi enormi satis admiratione accidit dignum miraculum, vt cuncti pariter senes
cum pueris, & omnes ætates eodem inspirati famine, vno quasi ex ore, nulla præmunitione edocti, easdem con-
cinentes literas decantarent in vnum. Sed naturæ inquisitor in hoc loco securus efficitur, vbi non consuetudi-
ne humani ingenij, sed diuino spiritu cantorum pectora & ora inspirantur. Sed in his tamen cantoribus nil idẽ
spiritus contra naturam effecisse dignoscitur, in quibus per ora & linguas, halitus & vox ad verba mouetur. Et
quod per verbum & studium ipsi facere potuerunt, consonum omnes carmen decantare in vno momento do-
minus illis donauit. Et qui paulò antè in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodum in tali cantico eorum
linguas & ingenia gubernabat. EVTHYMIVS MONACHVS ZIGABONVS. Cantemus domino, I
glorioſè enim glorificatus est. Postquam scilicet tanta ac talia est admiranda operatus. Equum & ascenso-
rem proiecit in mare. Quemcunque equum, & quẽcunque Aegyptium ascensorem in mare demersit. GRE-
*Hom. 9.* GORIVS SVPER EZECHIELEM. Et scriptæ erant in eo lamẽtationes, carmen, & væ. Carmen aliquã-
do in bono, aliquãdo verò in malo accipi dubium non est, quia & lætum carmen, & lugubre carmen dicere pos-
sumus. Sed nos scripturæ sacræ vsum sequentes, quæ penè semper carmen ponere in prosperis solet, hoc in lo-
co pro bona parte dictum carmen accepimus. Nam cùm omnipotens deus populum suum de mari rubro libe-
*2. Reg. 22.* rasset, scriptum est, Tunc Moyses & filij Israël cecinerunt carmen domino. Et cùm Dauid victoriam de hosti-
*Prouer. 25.* bus fecisset, scriptum est, Locutus est Dauid domino verba carminis huius. Salomon quoque ait, Acetum quip-
pe si mittatur in nitro, feruescit nitrum protinus & ebullit. Et peruersa mens quando per increpationem corripi-
tur, aut per prædicationis dulcedinem bona suadẽtur, de correptione fit deterior. Et inde in murmurationis ini-
*Iob. 35.* quitate succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci. Per Heliu quoque de ingrato ac sese desperante dici- K
tur, Et non dixit, vbi est qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Carmen quippe in nocte, est lætitia in tribula-
tione. Carmen in nocte accipimus, quando in pressuris præsentibus de futuris gaudiis consolamur. Carmen no-
*Rom. 12.* bis ostendebat Apostolus cùm dicebat, Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmen in nocte se Dauid ha-
*Psal. 31.* bere indicat, dicens, Tu es mihi refugium à tribulatione quæ circundedit me exultatio mea, redime me à circun
dantibus me. Qui enim circundari se pressuris narrat, & tamen deum sibi esse exultationem nominat, procul dubio carmen in nocte cantat. Quia igitur penè semper in bono carmen ponere scriptura sacra consueuit, ita à no-
bis etiã in hoc loco debet intelligi. CAIETANVS. Tunc cecinit Moyses, & cætera, carmen hoc domino,
Nomen est domini tetragrammaton, quem timebant filij Israël, & in quo credebant se liberatos fuisse. Et dixe-
runt. Cantemus domino. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, Cantabo domino. Fortè enim Moyses so-
lus incepit canere, & propterea dixit, Cantabo. Vel ad significandam vnitatem populi, dixit in singulari nume-
ro, cãtabo domino, quòd dat omnibus esse, qui omnibus præsidet. Glorioſè enim magnificatus est. AVCTOR
CATENAE. Tunc cecinit Moyses. Primò sciendum, poni ferè omnia verba quæ in hoc cantico scribũtur, in L
futuro tempore, sed quod non rarò apud Prophetas loco præteriti capitur. Ferunt autem scriptum hoc carmen
heroico metro, totum certè spirat vim poëticam, plenúmque est maiestatis & gratiæ. Licet quidam diuiniùs cõ-
siderantes, putẽt futurum positum, quoniam etiam ad futurum tempus spectaret id quod eo hymno canebatur,
ad Christi scilicet resurrectionem & victoriam, qua cœlum adepti per eum sumus. Est igitur Hebraica litera אָז יָשִׁיר Az iasir, Tunc cecinit. Dicúntque Hebræorum nonnulli, Dictionem az, id est, tunc, futurum vertere in præ-
teritum. Est enim iasir futurum à verbo sur. Sic etiam reddidit & Chaldaica. Singulari autem numero dicit, ce-
cinit, quod solus Moyses composuerit canticum in laudem domini, licet alij vnà cum eo cecinerint. Carmen
hoc domino, id est, canticũ istud in laudẽ domini. Agit enim gratias deo ob tantã victoriam. Alij reddũt, Tunc
cantabat, vt etiam futurum sit pro præterito imperfecto, quod etiã sæpius vsurpatur in scripturis. Septuaginta
τότε ᾄσαω μωϋσῆς καὶ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, Tunc cecinerunt Moyses & filij Israël. Sed hoc parum est. Sequitur, Cante- M
mus domino. Iuxta Hebræum est אָשִׁירָה לַיהוָה Asira laihoua, Cantabo domino. Dicit autem cantabo, eo
quòd ipse Moyses (vt iam dictum est) hoc canticum composuerit. Verùm quia dictum est, & Moysen & filios
Israël canticum cecinisse, propterea per plurale protulit Interpres noster. Sic enim & Septuaginta ᾄσωμεν,
cantemus: Editio quoque Chaldaica per plurale protulit. Glorioſè enim magnificatus est. Id quod Hebraicè legitur כִּי גָאֹה גָּאָה Chi gao gaa, Quoniam magnificè, siue magnificatione, vel magnificando magnifica-
tus est, id est, magnum & fortem & strenum se esse ostendit. Alij, Exaltatione enim exaltatus est, reddide-
runt. Alij autem, Triumphando enim magnificè egit. Septuaginta δεδόξασται γὰρ δεδόξασται, Glorioſè enim glo-
rificatus est, Chaldaica, Quia magnificatus est super magnificos, & magnificentia illius est. Quæ omnia idem
sunt cum litera nostra. Equum & ascensorem (adde eus ex Hebræo) deiecit in mare. Singulare est pro plura-
li, id est, equites & ipsos equos. Totus ergo Israël nõ nisi domino vniuersorũ laudes profert, quia magnificè magnificatus



A gnificatus est, extulit maiestatem suam, & vno hoc opere spectatam voluit toti orbi, & regnis omnibus. Super-
bos enim illos equos & equites, currus cum ascensoribus suis, qui populum dei aquis præfocare cœperant, diui-
num iudicium proiecit in profundum maris. Continet itaque versiculus hic primus breuissimis statum totius
Cantici, & probationem eius. Nam necesse est vt commendem gloriam nominis dei carmine. Quam ob cau-
sam? quia glorioſè egit, quòd tam potenter deiecerit in mare equos & equites Pharaonis. Hoc est, quod in toto
cantico agitur. Commendatur enim nomen dei ab eo miraculo, quod factũ est in mari rubro. Sciendũ autem,
quòd Israëlitæ submerso Pharaone & exercitu eius, incolumes ex aquis maris rubri euaserint, non stupendum
tantùm miraculum, verùm etiam ingens dei beneficium fuisse. Israëlitæ enim necesse habuerunt per medium
aquarum proficisci, & viderunt crudelissimum hostem insequentem. Hoc quid aliud fuit, quàm ambulare in
media morte? Deinde euaserunt salui ex aquis, & viderunt Pharaonem & exercitus eius aquis obrutos. Hoc cer-
B tè nihil aliud fuit quàm ex ipsa morte in vitam excedere. Quare, vt pro tantis beneficiis gratias deo referant, &
animi sui gratitudinẽ declarent, cantant domino carmen triũphale. At dicet aliquis, quæ est cõparatio carminis
humana voce decãtati, ad tam stupendũ beneficiũ? Num tam mirabilia facta dei possunt humanis verbis cõpen
sari? Nullũ certè humanũ vel dictũ, vel factum, vel verbũ, vel opus, tam sanctũ, tam precioſum, tam cõmendabi-
le est, quod possit beneficiis dei dignas referre gratias. Sed cùm humana imbecillitas nõ possit eas referre gratias
deo quas vult, refert eas quas potest, & cantat in gloriã nominis dei carmen eucharisticon, vt vel hac tantùm re
gratitudinẽ animi sui declaret. Et tamen si rem probè perpendas, carmina, quibus animi gratitudo erga deũ si-
gnificatur, sunt cultus deo acceptissimus. Ergo sicut Moyses antè publicis & annuis cæremoniis, consecrauit
memoriæ magna illa miracula, quæ tempore egressus ex Aegypto edita sunt, vt horum miraculorum memo-
ria, gloria nominis dei illustraretur, & apud posteros cõseruaretur, ita nunc publico carmine cõsecrat me-
moriæ stupendum illud miraculum, quod post egressum ex Aegypto, in mari rubro editum est. Nam genus hu-
C ius cantici est ἐγκωμιαστικὸν, hoc est, laudatorium. Et præcipuus eius status est commendatio nominis dei à po-
tentia, seueritate, & clementia. Hæc enim sunt nomina, hæc sunt epitheta, quibus maiestas dei explicatur & il-
lustratur. Inter innumera autem miracula quibus hæc epitheta dei illustrantur, præcipuum locum obtinet mi-
raculum illud, quod in mari rubro editum est. Quare in hoc Cantico miraculum illud multis verbis descri-
bitur, & hypotypoſi quadam ab oculos ponitur, vt memoria diligenter conseruetur. Continet etiam hoc Can-
ticum prope in fine precationem, aut si mauis prophetiam, videlicet quòd cùm deus liberauerit Israëlitas mi-
rabiliter ex Aegypto & mari rubro, sic etiam ipsos securè ducturus sit ad terram promissionis, & ibi omnia quæ
promisit, instauraturus. *Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus est mihi in salutẽ.* INTERLINEARIS. Quia
per eum fortis sum & laudabilis. Dominus autem, & non alius. BASILIVS. Auxilium enim opẽmque
Israëlitis iniuria affectis præstabat, atq; instar aquilæ alis suis protegebat. Quinetiã illos non ad interitũ vt Aegy-
ptios, sed ad salutẽ cõgregarat. AMBROSIVS LIBRO TERTIO DE FIDE AD GRATIANVM. *Cap. 3.*
D Prolixum est, si velim singula recensere quotiens factum legimus deum, non vtique per naturam, sed per gra-
tiam. Nam & Moyses dicit secundum aliam literam, Adiutor & protector factus est mihi in salutem. Et Da-
uid dicit, Esto mihi in deum protectorem & in domum refugij, vt saluum me facias. Et Esaias dicit, Factus es *Psal. 30.*
omni ciuitati humili adiutor. Non vtique sancti deo dicunt, creatus es, sed protector & adiutor per gratiam
tuam factus est nobis. HIERONYMVS MARCELLAE. Octauum dei nomen est יָהּ ia, quod in deo
tantùm ponitur, & in alleluia extrema quoque syllaba sonat. CAIETANVS. Parui refert quòd iuxta
Hebræum habetur, Fortitudo mea & cantus ia. Et est nominatiui casus ia. Nouum dei nomen Moyses scribit,
hactenus enim nunquam hoc nomine vsus est. Aiunt tamen non esse nomen aliud à Iehoua, sed esse idem no-
men per syncopen, constans ex prima & vltima litera Iehoua, & propterea significare deum ex parte sui esse. Et
hoc est nomen quod ponitur in fine alleluia. Est itaque sensus literæ, quod ipse fons essendi, fuit & est forti-
tudo pugnans pro me. Laudant enim, quod experientia didicerant, deum scilicet fuisse fortitudinem pugnan-
E tem pro eis, & profitentur non se fortes, sed suam fortitudinem esse deum. Relatiuè autem ad cantum, agno-
scitur deus ratio cantus, & materia cantanda. Et factus est mihi in salutem. Parui refert, sed sæpissimè In-
terpres vtitur, & factum seu factus est, pro & fuit, vt in Hebræo habetur, & clarior redditur sensus. AV-
CTOR CATENAE. Fortitudo mea & laus mea, siue canticũ meum dominus. וְזִמְרָת Zimrath enim vtrum-
que significat. Et licet deficiat iod, signum primæ personæ, iod tamen præcedens in dictione עָזִּי Hazzi, id est,
fortitudo mea, manet vice duorum. Et est sensus, Deus est cuius auxilio hostibus superior fui, & qui mihi
propterea canticis celebrandus est. Tulit enim mihi opem, & liberauit me. Septuaginta hoc in loco ita ha-
bent, βοηθὸς καὶ σκεπαστὴς ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν, hoc est, auxiliator & protector factus est mihi in salutem, Chal-
daica autem, Fortitudo mea & canticum meum dominus terribilis, dixit in verbo suo, & fuit mihi in re-
demptorem. Sed hæc omnia idem dicunt in virtute. Dicat igitur Moyses, Arma & equi virtuti diuinæ non re-
sistunt, sed seruiunt. Non glorior de quacunque virtute mea, non meis virtutibus fractus est iste exercitus.
F Nullam in hac victoria mihi laudem vsurpo, dominus ipse est virtus mea & laudatio. Ipse mea salus est,
meis ego succubuissem viribus. In hoc tanto miraculo videre est qualis sit deus Israëlis. *Iste deus meus, & glorifica-*
*bo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.* BASILIVS. Demonstratiuo pronomine iste, nomen illud quod cum
aliis verè communicari non potest, declarauit. Perinde quasi diceret populus Hebræus, Hic est verus deus
non falso nomine, non mentita diuinitate deus nuncupatus, quales erant quos in Aegypto colebamus. Idcir-
co hunc glorificabo, illum adorabo, illi soli seruiam. Hunc deum patrum nostrorum colemus, nihil humile
aut abiectum de illo cogitatione formantes, sed illũ deum verũ esse agnoscentes. IDEM. An non omnem
gloriã quæ sub sensum cadit longè ille excellit, quod omnem rem citatam nutu suo gubernat, eáq; tanquã mini-
stra atq; operaria cùm voluerit vtitur? qua non solũ secundum naturam, sed & præter naturam aduersarios suos
contristare possit. Nónne omnẽ humanæ gloriæ opinionẽ excedit, quòd populum suũ per mediũ mare transue-
xit, atq; eodem in mari Aegyptiorũ populũ cęde Israëlis anhelantẽ inuoluit. HIERONYMVS MARCEL-

LAE. Primùm nomen dei est אֵל El,quod Septuaginta θεὸν,id est, deum. Aquila ἐτυμολογίαν eius exprimens G ἰσχυρόν,id est,fortem interpretatur.Quartum etiam nomen est אֱלֹהִי Elohe, quod & ipsum deus dicitur. EVTHYMIVS. Et exaltabo eum.Alta ac sublimia de eo contemplans, vel altitudinem suam ignorantibus declarans. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Iste El meus.Nomen dei sumptum à fortitudine est, & pronomen iste demonstrat Iehoua, seu Ia,qui fuit ei in saluationem, & affirmantis ac agnoscentis ipsum in deū fortem ipsi populo,sunt verba.Et glorificabo eum.Iuxta Hebræum habetur, & habitabo eum. Subintelligi possе dicunt præpositionem, & legi, & habitabo cum eo . Sensus tamen vnus est, quia idem est nos habitare cum deo, & deum, non enim aliter habitamus ipsum, quàm existentes cum ipso mente, votis, affectibus,atque operibus.Et aptè quia deus est fortis meus,subditur, quòd non habitabo cum alio,sed cum ipso, immo ipsum (hoc est, habitaculum eius) vt securus habitem . Deus patris mei & exaltabo eum . Fatentur se non colere nouum deum, sed eundem quem coluerunt patres eorum,vt summum vniuersorum iudicem. AVCTOR CATE- H NAE. Iste deus meus . Hîc El deus dicitur à fortitudine , quia fortitudinem suam ostenderat . Et glorificabo eum. Rectè vertit Interpres Hebraicum verbum וְאַנְוֵהוּ Veanuêhu , Et glorificabo , seu decorabo eum.Verùm quia Naua etiam habitare significat, & hîc scribitur in Hiphil , verterunt nonnulli, Et habitaculum faciam ei, vel, Hospitio suscipiam eum, siue habitare faciam eum in tabernaculo , Vel extruam illi tabernaculum, in quo scilicet eum colam . Quibus etiam fauet Chaldaica editio , ita habens . Hic est deus meus , & ędificabo ei sanctuarium. Septuaginta vt apud nos. Sequitur, Deus patris mei , & exaltabo eum. Sic & Septuaginta . Loco cuius in Chaldaica est, Deus patrum meorum,& seruiam coram eo.Sed hoc idem est. Alium (inquit) nullum colam , venerabor, metuam , sed hunc verum deum magnificabo, & laudibus efferam , & glorificabo eum, sicut & patres mei illum exaltatum semper quàm maximè desiderarunt , & omnibus prælatum diis optauerunt , & sperauerunt colendum vbique. *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius , currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.* AMBROSIVS LIBRO PRIMO DE FIDE. Deus & dominus nomen magnificentiæ,nomen I est potestatis, sicut ipse dicit, Dominus nomen mihi est . Et sicut alibi Propheta asserit, Dominus omnipotens nomen est ei.Dominus ergo & deus,vel quòd dominetur omnibus,vel quòd spectet omnia, & timeatur à cunctis. Si ergo vnus deus, vnum nomen, vna potestas, vna est trinitas. Denique ipse dicit: Ite,baptizate gentes in nomine patris,& filij,& spiritus sancti.In nomine itaq;, non in nominibus. HIERONYMVS MARCELLAE. Nonum dei nomen τετραγράμματον quod ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile putauerunt, quod his literis scribitur י Iod, ה He, ו Vau, ה He, quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem cum in Græcis libris repererint, pipi legere consueuerunt. EVTHYMIVS. Dominus quasi vir pugnator, &c. Secundum aliam literam, Dominus conterens bella, Hoc est,qui delet atque extinguit ea. Dominus nomẽ ei. Loquens enim deus ad Moysen duplici se nomine appellauit, eum scilicet qui est,& dominum. Currus Pharaonis & potentiam eius proiecit in mare.Demersit enim eos in mari. Eadem autem sæpius repetit Propheta, atque in eisdem sæpe versatur, miraculum hoc pacto diuinum magnificans. CAIETANVS. Dominus quasi vir K pugnator,&c.Iuxta Hebræum habetur, Dominus vir prælij, dominus nomen eius. Metaphoricè summus deus appellatur vir belli , eo quòd officium præliatoris pro filiis Israël exercuit aduersus Aegyptios . Propriè autem dicitur, quòd Iehoua est nomen eius , quia est nomen ei propriissimum, vtpote qui est solus , à quo omnia quæ sunt habent esse,& esse mendicant. AVCTOR CATENAE. Dominus quasi vir pugnator . Hebraicè est יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה Iehoua is milchama,Dominus vir belli siue pugnæ,Hebraismus est,pro admodum bellicosus. Chaldaica autem habet,Dominus est victor bellorum.Quod innuunt & Septuaginta, κύριος σωτηρίαν πολέμους, id est,dominus conterens seu confringens bella . Fortè enim putarunt absurdum esse apud gentes dicere, deum esse virum bellicosum , atque ideo ei quod suum esset tribuerunt, quod certè videtur rationabiliter factum. Idem etiam potuit fuisse respectus Interpretis Latini , vt non diceret dominus vir pugnator, sed quasi. Omnipotens nomen eius . Nomen tetragrammaton est , quod non tam omnipotentiam quàm essentiam significat , & quod est Græcis ὁ ὤν qui est. Septuaginta κύριος ὄνομα αὐτῷ, dixerunt , Dominus nomen illi . Et ita etiam L est in Chaldaica, atque ita etiam canitur in Ecclesia ad missam, quia vtebantur editione Septuaginta . Sed hoc parum est . Et exercitum eius proiecit in mare. Verbum יָרָה Iara,& proiicere, & iaculari significat . Vnde & sicut vertit Interpres , & sicut reddidere nonnulli legi potest , nempe , Eiaculatus est . Quasi dicat , Tanta facilitate deiecit in mare quadrigas & militiam Pharaonis , quanta quis emittere solet sagittas arcu . Dominus ergo quasi vir pugnator,id est,tam fortis bellator est , & tam gnarus pugnandi , vt superari non possit vnquam. Ipse deponit potentes de sede, & exaltat humiles . Dominus siue omnipotens nomen eius . Ea omnipotentia gloriosus est, vt à se solo sit semper,& omnibus det esse , cùm sit ipsissima subsistentia rerum omnium, eo nomine designata, quod Moysi seruo suo iam pridem reuelauerat, patribus vetustioribus non tam clarè reuelatum . Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare . Per singula narrat , quæ supra in summa proposuerat . Qui (inquit) laboribus luti & laterum oppresserat fideles, & infantes mergi præceperat in fluuium , is nunc cum aulicis illis suis , & curruum magnificorum pompa, defigitur in cœnum & lutum abyssi maris rubri , quandoqui- M dem consenserant in crudelitate contra pios, ideo nunc pariter cum suo tyranno nobiles, & potentes vastantur & præcipitantur in mari,vnde & sequitur. *Electi principes eius summersi sunt in mari rubro, Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.* ORIGENES. Quare descenderunt in profundum quasi lapis ? Quia non erant tales lapides de quibus suscitari possent filij Abrahæ,sed tales qui amarent profundum, & liquidum diligerent elementum , id est, qui amaram & fluxam præsentium rerum caperent voluptatem. HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Electi principes eius siue,Electi ascensores tristatę.Pro his Latina simplicitas,Ternos statores trãstulit.Tristatæ autẽ nomen est apud Græcos,secũdi gradus post regiã dignitatẽ.De quibus scriptũ est, Verũtamen ad tres primos non peruenit, qui principes equitũ peditúmq; erant & tributorũ, quos nos magistratus vtriúsq; militiæ,& præfectos annonarij tituli nominamus. IDEM IN ESAIAM. Sũmersi sunt,&c. Sãcti pennas habẽt aquilæ,& pẽnas colũbæ,& possunt dicere,Volabo & requiescã.Impij autẽ & Aegyptiorũ similes,demersi

*Cap.1.* *Esa.42.* *Matth.28.* *Cap.23.* *1.Para.11.* *Cap.14.* *Psal.54.*



A mersi sunt quasi plumbum in aquis vehementissimis, & demersi sunt in profundum sicut lapis.Vnde & iniquitas,siue vt melius habetur in Hebræo, impietas super talentum plumbi sedere conspicitur. Ergo illud quod ali- *Zach.5.*
bi legimus,Omnis qui se exaltat,humiliabitur, etiam rex confusionis passus est, vt detraheretur in fundamenta *Luc.18.*
terræ,siue vt verius habetur in Hebraico,in profundum laci. IDEM IN EZECHIELEM. Ad hũc sen- *Cap.22.*
sum reor & illa esse referenda, quòd peccatoribus,& qui meruerunt offensam dei,cœlum æneum, terra sit ferrea, & maximè terra Aegypti,de qua educit dominus Israël quasi de fornace ferrea. In Zacharia quoque , Iniquitas sedet super talentum plumbi. Et in Exodi cantico dicitur, Demersi sunt quasi plumbum in aqua violentissima. Graui enim peccatorum pondere premebantur, & loqui poterant , Quasi onus graue grauatæ sunt super me. *Psal.37.*
INTERLINEARIS. Meritò etiam quasi lapis descenderunt in profundum , quia duri ipsi, & lapides adorabunt. EVTHYMIVS. Iuxta Septuaginta legitur, Lectos ascensores tristatas demersit in mari rubro,
B Ponto operuit eos,descenderũt in profundũ quasi lapis. Tristatas dicit, eo quòd tres in eodem curru considere solebant,& vnus quidem currum agebat,habenásque moderabatur,reliqui autem duo aduersus hostes decertabant . Est autem Græca dictio Tristatas. HVGO DE SANCTO VICTORE. Abyssi operuerunt eos. Ex nimia lætitia sæpe idem aliter & aliter replicatur. CAIETANVS. A Græcis mare illud appellatum aiunt rubrum , eo quòd arena illius rubra est,& rubere facit mare . Hebraicè enim non rubrum mare , sed mare cannæ nominatur , à calamis , seu iuncis , seu papyris ibi nascentibus in magna copia . Et hoc sufficiat pro vniuersa scriptura veteris Testamenti circa hoc nomen. AVCTOR CATENAE. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Hebraicè est וּמִבְחַר שָׁלְשִׁיו Vmibchar salisaf, Electio ducum eius, sed idem est. Et vbi nos legimus, in mari rubro,ibi est, בְּיַם סוּף Biiam suph, Non igitur nomine significante rubrum , mare hoc Hebraicè nuncupatur, sed suph, quod caricem seu papyrum sonat . Appellari ergo dicunt Hebræi mare caricosum vel papyrosum , ratione iam dicta . Alij verò mare suph ideo vocari existimarunt, quia suph etiam finem
C sonat,siue quòd hoc mare finis sit Oceani maris , siue quòd ipse Oceanus terminus sit mundi , quod tamen non ab omnibus recipitur , non enim sinus Arabicus est mare Oceanum , vt satis compertum est . Alij cum quibus est Quintus Curtius , Erythræum mare vocatũ contendunt,ab Erythro rege , cuius sepulchrum in littore ab incolis ostendatur , quæ non videntur admodum verisimilia . Descenderunt in profundum quasi lapis . In Hebraico est בִּמְצוֹלֹת bimzoloth, In profunda, seu profunditates, quod tamen idem est cum profundo. Electi igitur principes eius (inquit) & cæteri contemptores maiestatis diuinæ , quam in superioribus elementis experti, iamdudum & sæpe viderant , nunc meritò descendunt ad abyssum maris , ad infima laci , nunquam euasuri, sed donec moriantur illic perstituri . Facti immobiles velut lapis , qui corda sua obdurauerant, ne ideo obedirent , & iniustè præessent. *Dextera tua domine magnificata est in fortitudine , dextera tua domine percussit inimicum.* AM-
BROSIVS LIBRO TERTIO DE SPIRITV SANCTO. Digitus dei appellatus est spiritus san- *Cap.2.*
ctus , eo quòd sit patri & filio & spiritui sancto indiuidua inseparabilisque communio . Nam sicut filium dei
D scriptura dexteram dei dixit,sicut lectum est , Dextera tua domine glorificata est in virtute, dextera manus tua domine confregit inimicos : Ita spiritus sanctus appellatus est digitus dei , sicut ipse dominus dixit, Quòd si *Luc.11.*
in digito dei eiicio dæmonia . Hunc enim digitum in alio libro Euangelij eodem loco dei spiritum nomi- *Matth.12.*
nauit.Sic enim habes,Quòd si in spiritu dei eiicio dæmonia . Quid igitur expresius ad significandum diuinitatis vel operationis dici potuit vnitatem,quæ secundũ diuinitatem est patris , vel filij, vel spiritus sancti, quàm vt intelligamus,multo magis quàm corpus hoc nostrum æternæ plenitudinem diuinitatis scindi videri,si quis vnitatem substantiæ separet , multiplicet potestates , cùm vna sit eiusdem diuinitatis æternitas ? Plerunque enim ex nostris sermonibus ea quæ supra nos sunt , conuenit æstimari . Et quia illa videre non possumus,ex his *Rom.1.*
quæ videre possumus colligamus . Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt,intellecta conspiciuntur . Et subdidit, Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas . Quorum aliud de filio , aliud de spiritu sancto dictum vide , vt quemadmodum sempiterna virtus patris dicitur filius , ita etiam spiritus qui diuinus
E est , sempiterna diuinitas esse credatur. Nam & filius quia semper viuit, vita sempiterna est . Hic ergo digitus dei , & sempiternus est & diuinus.Quid enim dei proprium , quod non sempiternum sit & diuinum? HIE- *Cap.52.*
RONYMVS IN ESAIAM. Quòd filius dei , patris dextera appelletur & brachium , multa sunt testi- *Psal.92.*
monia è quibus pauca dicemus . Saluabit sibi dextera eius & brachium sanctum illius . Et alibi , In brachio *Esa.51.*
meo gentes sperabunt . De quo & Iacob dicit, Hic erit expectatio gentium . Et octogesimus octauus Psal- *Gen.49.*
mus , Tuum brachium cum potentia . Hoc brachio eduxit dominus populum Israël de terra Aegypti . De quo *Matth. 16.*
ad Apostolorum principem loquebatur , Beatus es Simon Bariona quia caro & sanguis non reuelauerunt tibi, *Galat.1.*
sed pater meus qui est in cœlis . Et Apostolus Paulus de se , Quando , inquit , placuit deo qui separauit me de vtero matris meæ , vt reuelaret filium suum in me. EVTHYMIVS. Vel per dexteram dei simpliciter , & per dexteram manum dei, diuinam intelligit potentiam. CAIETANVS. Dextera tua domine,&c. More humano deum summum tanquam verum præliatorem laudando alloquitur sub similitudine dexteræ robustæ
F ad debellandũ. AVCTOR CATENAE. Dextera tua magnificata est in fortitudine,id est,planũ factum est manũ tuam magnam ac fortem esse,ex eò quòd per eam fortiter egerit. Hebraica Phrasis. Dextera tua domine percussit inimicum.Verbum תִּרְעַץ tirhaz,reddunt nonnulli confregit, & ita habet Chaldaica, Septuaginta etiam, ἔθραυσεν, fregit . Sed parum est . Ex hoc itaque admirabili facto manifestissima redditur potentia manus tuæ . Neque enim humana virtute periit Pharao , sed tantùm immensa illa diuina tua potentia . Et verè celebrãt miracula tam gloriosa potentiam dei & iustitiam, & velint nolint impios confundunt splendore gloriæ suæ, Et conterunt brachium humanum, sese contra domini fortitudinem exaltare volens. *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.* INTERLINEARIS. In multitudine (inquit) gloriæ tuæ, quia inde multum gloriosus apparuisti. EVTHYMIVS. Per multitudinem gloriæ summã dei significat fortitudinem ac vim,per quam glorioſè glorificatus est,& magnificè magnificatus. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et in multitudine superbiæ tuæ , coincidit enim cum principio Cantici . Est autem multitudo superbiæ

diuinæ ſecundum multitudinem eminentium actionum intelligenda, quanta apparuit in hoc tranſitu. Depoſuiſti aduerſarios tuos. Iuxta Hebræum habetur, Diruiſti inſurgentes in te. Verè diruit, quando antequam clauderetur mare, rotas abſtulit, attonitos reddidit, & deorſum eiecit Aegyptios adhuc proſequentes populum dei. In deum enim inſurrexerunt potius quàm in populum Iſraël, quando poſt tot miracula, póſtque mortem primogenitorum, perſequi auſi ſunt vocatum à deo populum. AVCTOR CATENAE. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Hebraicè eſt וּבְרֹב גְּאוֹנְךָ תַּהֲרֹס קָמֶיךָ Vbrob gĕoncha taharos kamĕcha. Pro quo ſciendum, quòd Gaua pro gloria, maieſtate, altitudine & ſuperbia: Haras autem, pro deſtruere, diſsipare, conterere, & deponere: Kamim verò, pro inſurgentibus contra aliquem, ſiue aduerſariis, hoſtibus, aut inimicis poni conſueuere. Vnde ſic reddi poteſt locus iſte, Et in multitudine magnificentiæ tuæ deſtruxiſti vel ſubuertiſti, aut contriuiſti aduerſarios tuos, hoc eſt, magnificentia tua inſigni & multa, ſiue excellenti tua fortitudine diſsipaſti hoſtes contra populum tuum venientes. Et eſt Hebraiſmus. Chaldaica, Et in multitudine fortitudinis tuæ confregiſti eos qui conſurrexerunt contra populum tuum. Septuaginta quoque, καὶ τῷ πλήθει τῆς δόξης σου συνέτριψας τοὺς ὑπεναντίους, Et in multitudine gloriæ tuæ contriuiſti aduerſarios. Quæ omnia vnum ſunt cum Latina litera. Qui ergo inſurgunt contra deum & ſeruos illius, quos qui offendit, deum offendit, iſti conteruntur, abiiciuntur, & conſumuntur. Iactantur malis magnis & innumeris, diffluunt per varias libidines & voluuntur. Ad horam tenebrarum ſuarum quæ illis permittitur, audent, iactant, præſumunt, intentant peſsima, donec menſurã impleant damnationis ſuæ, & iudicio dei, ſubitò & iuſtè opprimãtur, etiã ſuo ipſorũ iudicio.

*Myſticè.* RVPERTVS. Spiritaliter autẽ, prima vox præcentoris admonitio eſt, adhortans omnes qui in Sunamite ſunt choros caſtrorum, vt ſubleuent concentum ſecundum magnitudinem feſtiuitatis, ſecundum quantitatem ſiue qualitatem diuinorum operum. Cantemus (inquit) domino, cantemus ſpiritu, cantemus & mente. Nam &

*1.Cor.14.* Apoſtolus dicit, Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Denique ſpiritu cantare vel pſallere, id eſt, rem geſtam memoriter tenere, & eam ſolam pro materia cãtationis habere. Cantare autem mente, id eſt, in exteriore facto myſterium interius præſentire. Cantemus igitur domino. ORIGENES. Et tu ergo ſi mare rubrum tranſieris, ſi Aegyptios mari ſubmergi videris, & extingui Pharaonẽ, atque in abyſsi profundum præcipitari, potes hymnum canere deo, potes vocem gratulationis emittere, & dicere, Cantemus domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare. Melius autem, & dignius hæc dices, ſi habueris tympanum in manu tua, id eſt, ſi carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiſcentiis, & ſi mortificaueris membra tua, quæ ſunt ſuper terram. Et tamen videamus quid dicit: Cãtemus domino, glorioſè enim honorificatus eſt. Quaſi non ſufficeret honorificatus eſt, ſed addidit, glorioſè honorificatus eſt. Equidem quantum poſſum coniicere, videtur mihi aliud eſſe glorificari, aliud glorioſè glorificari. Nam dominus meus Ieſus Chriſtus, cùm carnem ex virgine Maria pro ſalute noſtra ſuſcepit, glorificatus eſt quidem, quia venit quærere quod perierat, non tamen glorioſè

*Eſa.53.* glorificatus eſt. Dicitur enim de ipſo, Quia vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decorem, & vultus eius ignobilis ſuper filios hominum. Glorificatus eſt & cùm ad crucem venit, & pertulit mortem. Vis ſcire quia glo-

*Ioan.17.* rificatus eſt? ipſe dicebat, Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Erat ergo ei gloria,

*Philip.2.* etiam ipſa paſsio crucis, verùm gloria hæc non erat glorioſa, ſed humilis. Denique dicitur de eo, Humiliauit ſe

*Eſa.53.* vſque ad mortem, mortem autem crucis. De quo etiam Propheta prædixerat, Morte turpiſsima condemnemus eum. Sed & Eſaias dicit de eo, In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. In his ergo omnibus glorificatus eſt dominus, ſed (vt ita dicam) humiliter, non glorioſè glorificatus. Verùm quia hæc oportebat pati Chriſtum, & ſic introire in gloriã ſuam, cùm venerit in gloria patris, & ſanctorum angelorum, cùm venerit in maieſtate ſua iudicare terram, quando & verum Pharaonem, id eſt, diabolum interficiet ſpiritu oris ſui. Cùm ergo refulgebit in maieſtate patris ſui, & poſt aduentum humilitatis, ſecundum nobis in gloria oſtendet aduentum, tunc non ſolùm glorificatur dominus, ſed & glorioſè glorificatur, cùm omnes ita honorificant filium, ſicut honorificant patrem. Equum & aſcenſorem proiecit in mare, adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem. Homines qui nos inſequuntur, equi ſunt, & (vt ita dicamus) omnes qui in carne nati ſunt, figuraliter equi ſunt. Sed hi habent aſcẽſores ſuos. Sunt equi quos dominus aſcendit, & circumeũt omnem terram, de quibus dicitur, Et equitatus tuus ſalus. Sunt etiã equi, qui aſcenſorem habent diabolum, & angelos eius. Iudas equus erat, ſed donec aſcenſorem habuit dominum, de equitatu fuit ſalutis. Cum cæteris enim Apoſtolis miſſus, ægrotis ſalutem & ſanitatem lãguentibus præſtabat. Sed vbi ſe diabolo ſubſtrauit (poſt buccellam enim introiuit in illum Satanas) & aſcenſor ipſius effectus eſt Satanas, & illius habenis ductus, aduerſus dominum & ſaluatorem noſtrum cœpit equitari. Omnes ergo qui perſequuntur ſanctos, equi ſunt hinnientes, ſed habent aſcenſores quibus aguntur, angelos malos, & ideo feroces ſunt. Si ergo videris aliquando perſequutorem tuum nimium ſæuientem, ſcito quia ab aſcẽſore ſuo dæmone perurgetur, & ideo ſæuus, ideo truculentus eſt. Dominus ergo equum & aſcenſorẽ proiecit in mare, & factus eſt mihi in ſalutem. ISIDORVS. Poſt tranſitum rubri maris, canit cantum populus deo, & Aegyptiis & Pharaone ſubmerſo. Non aliter & fideles, poſtquam de lauacro deſcẽdunt extinctis peccatis, hymnum in voce gratulationis emittunt, dicentes, Cãtemus domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcẽ-

*Cap.15.* ſorem proiecit in mare. AMBROSIVS DE NABVTHE IEZRAELITA. Legimus alibi dicentem

*Cant.6.* Eccleſiam ſiue animam, Poſuit me currus Aminadab. Si ergo anima currus eſt, vide ne equus caro ſit. Agitator autem, vigor mentis, qui regit carnem, & motus eius velut quoſdam equos, prudentiæ habenis coërcet. Dormitauerunt ergo qui aſcenderunt equos, corporis voluptates, nullo eas moderamine gubernantes. Vnde & aſcenſores eos quàm equites vel agitatores maluit nuncupare. Agitator enim cum diſciplina & arte pro arbitrio ſuo equos agitat, vel currentes incitat, vel reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel manſuetos pro ſua voluntate conuertit. Vnde cùm reciperetur Helias, & curru quaſi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Heliſæus, Pater

*4.Reg.2.* pater agitator Iſraël, & eques eius, hoc eſt, qui populum domini bono ductu regebas, conſtantiæ meritò hos acceperis currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te animarum humanarum dominus compro-

*Abac.3.* bauit, ideo tanquam boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris. In Abacuch quoque propheta lectum



A ctum eſt ad ipſum dominum dictum, Aſcende ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſalus. Agitauit enim Apoſtolos ſuos quos per diuerſa mundi direxit, vt toti orbi Euãgelium prædicarent. Aſcẽde ait, quaſi rectori, non quaſi equorum aſcenſori. Aſcendit enim etiam eques, non tantummodo vt ſedeat, ſed vt regat, eo quòd deſidioſus & piger, ſomnolentus proferre non poſsit mentis inceſſum. De equite autem lectum eſt, Et eques aſcendit retrorſum expectans ſalutem domini. Etenim quia nemo ſine lapſu eſt, etiam ſi quis ceciderit, & terrenis aliquibus vitiis fuerit implexus, ſi tamen non abiiciat ſpem reſurgendi fretus miſeratione diuina, perueniet ad ſalutem. De aſcenſore verò manifeſtum eſt indicium quòd reprehenſibilis habeatur, quãdo Moyſes ipſe ait in cantico Exodi, Equum & aſcenſorem proiecit in mare. Et in Zacharia locutus eſt dominus, dicens, Percutiã omnẽ equum *Zach.12.* in amentia, & aſcenſorem eius in inſipientia. Non dixit ſolùm equum, ſed & aſcenſorem, quomodo in Exodo habes equum & aſcenſorem. Vbi eſt enim aſcenſor qui non poteſt equum proprium gubernare, ſi indomito furo-

B re in prærupta & periculoſa raptatur? Quid igitur vobis in equis confiditis diuites? Mendax eſt equus ad ſalu- *Pſal.32.* tem. Quid in curribus vobis plauditis? Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine dei magnificabimur. *Pſal.19.* Ipſi obligati ſunt & cecidere, nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Nolite amare adhinnientes, nolite fremitu libidinis excitari. Terribilis eſt dominus, & cui nemo poſsit potens & diues reſiſtere, iudicium cœleſte iaculatur. HIERONYMVS IN ZACHARIAM. Equum & aſcenſorem proiecit in mare. De his equis & *Cap.10.* aſcenſoribus etiam Pſalmiſtæ voce cantatur, Ab increpatione tua deus Iacob, dormitauerunt qui aſcenderunt *Pſal.75.* equos. Et ſanctorum cõgeminat chorus, Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine dei noſtri inuocabimus: ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos verò ſurreximus & erecti ſumus. In hoc equitatu confidebat rex Ae- *Ibid.19.* gyptius, & præcipitatus in mare, quaſi plumbum ſubmerſus eſt in profundum, & ſuo exemplo didicit verum eſſe quod ſcriptum eſt, Fallax equus ad ſalutem. Hos currus & quadrigas, ſupra in quatuor perturbationibus inter- *Ibid.32.*
pretati ſumus, qui niſi frenis boni regantur aurigæ, ad præcipitia deferuntur. Alius eſt autem auriga de quo lo-

C quitur Heliſæus, Pater pater, currus Iſraël, & auriga eius. IDEM IN PSALMOS. Audio equos hinnientes, & non poſſumus præterire. Scriptum eſt in pſalterio, Fallax equus ad ſalutem. Et alio loco, equum & aſcen- *4.Reg.2.* ſorem deiecit in mare. Præcipitur & Iſraël ne equos nutriant. Denique Salomon quia quadrigas adducebat ex *Pſal.32.* Aegypto, voluptate ſuperatus eſt. Non in fortitudine equi voluntatem habebit. Equum & aſcenſorem deiecit in *3.Reg.10.* mare. Equi inſanientes in fœminas facti ſunt mihi, vnuſquiſque in vxorem proximi ſui hinniebat, loquitur Hieremias. Ergo ſuper tales equos deus non habet voluntatem. Diximus de equo, equum & aſcenſorem deiecit in *Hie.5.* mare. Diximus qui ſunt equi, dicamus qui ſunt equites. Ego puto equos eſſe homines peccatores, & equites dæmones qui equitant in eis. Si quando ergo viderimus aliquem fratrem perſequentem, & inimicum eſſe, ſciamus quia ille equus eſt. Cæterùm eques diabolus eſt, qui ſua lancea nos percutit: Iſte currit, & ille percutit. Sed & ipſe equus calcaribus ducitur, confoditur, & inuitus inſanit. RVPERTVS. Cantemus (inquit) domino. Quare? Glorioſè enim magnificatus eſt. In quo? Equum & aſcenſorem proiecit in mare. Verè glorioſa magnificentia

D etiam ſi ſolùm factum exterius attendas. Si autem & myſterium interius perſpicias, ibi glorioſior magnificentiæ abundantia eſt. Nam hic mundus per equum, diabolus per aſcenſorem ſignificatur. Quando illum aſcenſorem & talem equum proiecit? Tunc videlicet, quando dixit, Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps mundi hu- *Ioan.12.* ius eiicietur foras: quod dudum antè etiam pręuiderat Propheta domini Abacuch, dicens, Cornua ſcilicet crucis, in manibus eius. Ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius. Tunc ergo proiecit, & ex tunc proiicere non deſinit illum in mare, nobis quidem vitreum, & ſpiritus ſancti igne mixtum, illi autem piceum igneúmque ac ſulphureum. Nam illud quidem mare quo tranſierunt filij Iſraël, vnum idémque iſtos emiſit, & illos abſorbuit. Verùm noſtrum mare quo baptizamur, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, equum iſtum & aſcenſorem eius nequaquam admittit, ſed dum nos per illud mare vitreum tranſimus, ille in profundum inferni proiicitur. Hoc valde glorioſum eſt, quòd ſic fecit dominus. Olim

E aſcenſorem iſtum, in cœlum aſcendam dicentem, & ſupra aſtra dei exaltabo ſolium meum, detraxit, & proiecit *Eſa.14.* in iſtum aërem caliginoſum, nunc autem ſedentem ſuper equum, id eſt, ſuper infrenatam ſtultitiam ſuperbientium, & à ſe deceptorum hominum, deiecit in profundum laci, in baratrum ardentis inferni. Veruntamen (in- *Ibidem.* quit Propheta) ad infernum detraheris, in profundum laci, qui te viderint ad te inclinabuntur, téque proſpicient, &c. Ecce videmus, adhuc autem in die iudicij viſuri ſumus, tunc enim cunctis videntibus præcipitabitur. Cantemus igitur domino, ait hic doctus & bene vocalis præcentor, Fortitudo mea & laus mea dominus, & *Iob.40.* factus eſt mihi in ſalutem. Accepta commonitione, chorus vniuerſus, vnum ex multis membris corpus, tali initio ingreditur carmẽ delectabile, Fortitudo mea & laus mea dominus. Quid deinde? Et factus eſt mihi in ſalutem. Ergo fortitudo tua facta eſt tibi in ſalutem? Planè fortitudo mea, nã fortitudo capitis mei, fortitudo mea eſt. Imò caput meum ſi forte eſt, fortitudo mea eſt. Quis autem neſciat, quia dominus ipſe magnificus caput meũ eſt, ex quo verbum caro factum eſt, & ego vna Eccleſia, quæ ad carmen hoc vocata ſum, vnum corpus eius ſum? Licet igitur vniuerſo ſimul corpori, licet ſigillatim quibuſque membris gloriari ſalua capitis gratia, & dicere,

F quia fortitudo mea eſt, factus eſt mihi in ſalutem, & hæc laus mea eſt, & laus capitis, totum corpus non dedecet. Aliàs autem niſi caput iſtud fortiſsimum haberem, ſicut hactenus, ex quo bibi calicem iræ eius de manu domini, & potaui vſque ad fæces propter Adæ præuaricationem, ſicut hactenus (inquit) non fuit qui ſuſcitaret *Eſa.51.* me ex omnibus filiis meis quos genui, ita & vſque in ſempiternum dormirem ſicut beſtia illaqueata plena indignatione domini. ORIGENES. Hic deus meus, & honorificabo eum, deus patris mei, & exaltabo eum. Hic ergo & meus eſt deus, & parris mei. Pater noſter qui nos fecit & genuit, Chriſtus eſt, & ipſe dicit, Vado ad pa- *Ioan.16.* trem meum, & patrem veſtrum, deum meum & deum veſtrum. Si ergo agnoſcam quòd deus meus ſit deus, glorificabo eum. Si verò etiam illud agnoſcam, quomodo patris mei Chriſti ſit deus, exaltabo eum. Altior nanque intellectus eſt, quomodo Chriſtus vt vnius dei conſtringat & muniat veritatem, deum ſuum dicit, quem natura patrem vocat. RVPERTVS. Iſte deus meus, & glorificabo eum, deus patris mei, & exaltabo eum. Iſte *Eſa.53.* (inquam) quondam deſpectus & nouiſsimus virorum, vir dolorum, & ſciens infirmitatem, & qui moriendo talem

lem equum & talem aſcenſorem ſic proiecit,deus meus eſt.Et homo eſt, & deus meus eſt. Glorificabo eum, non G
erubeſcam eum.Sed dicunt mihi aduerſarij populi,qui aſcenderunt & irati ſunt,quos dolores obtinuerunt,ſci-
licet ſynagogæ Iudæorum, conciliabula hæreticorum. Si deus tuus iſte eſt,ergo deus recens, deus alienus eſt in
*Pſal.80.* te,& non facis ſecundum ſcripturæ præceptum,ſed contra ſcripturam dicentem, Iſraël ſi me audieris, non erit
in te deus recens, neque adorabis deum alienum. Dicam ad hæc,& cantabo confidenter, iſte deus meus, & glo-
*Ioan.8.* rificabo eum,deus patris mei Abraham, & exaltabo eum. Abraham,inquit,pater veſter exultauit vt videret di-
em meum,& vidit,& gauiſus eſt.Item,Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret,ego ſum. Igitur deus
recens non eſt in me,neque adoro deum alienum,ſed deum patris mei,deum antiquum. Nam & ſi filius,& ſi ge
nitus vel natus eſt,nec vno tamen puncto ſiue atomo iunior eſt patre ſuo , antiquo dierum . Iſtum glorificabo,
iſtũ exaltabo,dicámque,deus conterens bella, dominus nomen eſt illi. ORIGENES. Nolo putes quia tan-
tum viſibiles pugnas conterit dominus.Sed & illas conterit,quæ nobis ſunt nõ aduerſus carnem & ſanguinem, H
ſed aduerſus principes & poteſtates,& aduerſum mundi huius rectores tenebrarum harum. Dominus enim no
men eſt illi.Non eſt vlla creatura cuius dominus non ſit.Quadrigas Pharaonis,& exercitum eius proiecit in ma
re.Electos aſcenſores,terneſſtatores demerſit in rubrum mare.Pharao velut potẽtior in malitia, & regnum ne-
quitiæ tenens,quadrigas agit.Non illi ſatis eſt vnum equum aſcendere,ſed plures ſimul agitat, plures ſimul pla-
gis torti verberis cogit.Quoſcunque videris in luxuria turpiores, in crudelitate ſæuiores , in auaritia tetriores,
in impietate flagitioſiores,ſcito hos de quadrigis eſſe Pharaonis.Ipſis ſedet,ipſos currui ſuo ſubiũgit,& ipſis fer-
tur,& volitat,& per apertos ſcelerum campos effuſis eos agit habenis.Sũt & alij electi aſcenſores, electi ſine du-
bio ad malitiam.Sed iam de aſcenſoribus ſuprà diximus,nunc etiam qui ſunt terniſtatores videamus. Mihi vi-
dentur terniſtatores pro eo dici,quòd triplex eſt hominibus peccandi via.Aut enim in facto,aut in dicto, aut in
cogitatione peccatur.Et ideo terniſtatores per ſingulos quoq; dicũtur, qui tres iſtas in nobis peccandi obſideant
vias & ſpeculenter ſemper atque in inſidiis agant , vt aut ille ex miſero homine ſermonem malũ eliciat, aut ille I
iniquũ opus extorqueat,aut ille cogitationem peſsimam rapiat.Denique & ſemen verbi dei vbi cadit & deperit,
triplex deſcribitur locus.Vnus ſecus viam refertur,qui conculcatur ab hominibus,alius in ſpinis,alius in petro-
ſis.Et è contrario terra bona afferre dicitur triplicem fructum,vel centeſimum, vel ſexageſimum, vel triceſimũ.
Triplex nanque eſt etiam bene agendi via,nihilominus enim vel opere,vel cogitatione,vel verbo boni aliquid
*1.Cor.3.* agitur.Hoc enim ſignificat & Apoſtolus,cum dicit,Qui autem ędificat ſupra fundamentum hoc, aurum,argen-
tum,lapides precioſos,triplicem bonorum ſignificans viam,ſubiungit nihilominus triplicem etiã malorũ, cùm
dicit, ligna, fœnũ, ſtipulam. Iſti ergo terniſtatores ſunt Angeli nequam de exercitu Pharaonis,qui ſtant in eiuſ-
cemodi viis , obſeruantes vnumquenque noſtrum per hæc iter agere in peccatũ , quos demergit dominus in ru-
brum mare,& ignitis eos in iudicij die fluctibus tradet,ac pœnarum pelago teget,ſi tu deum ſequens, de eorum
te poteſtate ſubtraxeris. RVPERTVS. Dominus quaſi vir pugnator(omnipotens nomen eius)currus Pha-
raonis,& exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro, abyſsi operuerunt K
eos,deſcenderũt in profundum quaſi lapis. Per parentheſim lege (omnipotens nomen eius)videlicet, vt in me-
dio orationis ſuggilletur aduerſarius,cui nimium videbatur,vt diceretur dominus.Quaſi vir pugnator(inquit)
id eſt,ad modũ viri pugnatoris hæc fecit.Sicut enim vir pugnator,pro modo vel qualitate hoſtis ſui ſemetipſum
aptat,& armis induit,ſic iſte ſecundum naturam hoſtis ſui,nouis & mirabilibus modis bellum ordinare debuit.
Erat autem hoſtis eius non caro & ſanguis,ſed principatus quidam, & poteſtas aërea, rector mundi huius tene-
*Ephe.6.* brarum harum,ſpiritualis nequitia in cœleſtibus. Non ergo materiali gladio ſuper femur ſuum ſemetipſum po-
tentiſsimus accinxit , non loricam vel galeam ferro textam induit , ſed contra huiuſmodi principatum vel po-
teſtatem ſuperbiæ, humilitatem & obedientiam contra ſpiritualia nequitiæ, charitatis fortitudinem induit, &
*Eſa.14.* præcinxit ſe. Ita quaſi vir pugnator currum Pharaonis aërei, quo ſuper altitudinem nubiũ equitare ſe credidit,
vt eſſet altiſsimo ſimilis,& exercitum eius tam vitiorum quàm dæmonum,quos præpoſuerat in templis vel de-
lubris gentium,proiecit in mare.Moriendo quippe,accepit poteſtatem in cœlo & in terra,& omnia traxit ad ſe.
Ex tunc electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro , vndoſa nanque tribulatio eius de qua dicit in Pſal- L
*Pſal.68.* mo, Saluũ me fac deus quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, inundauit ſuper capita eorum, ex
*Ioan.19.* hora qua in latere percuſſus lancea,fudit ſanguinem & aquam,& ita abyſsi operuerũt eos,& periit memoria eo-
rum,& deſcenderũt in profundum quaſi lapis, propria iniquitate depreſsi. Nihil enim iuris habent in omnibus
quorum hic deus eſt, & qui glorificant eum, qui hunc patris ſui profitentur deum. Inde laudes, inde gratiarum
actiones.Dextera tua domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua domine percuſsit inimicũ. RABA-
*Pſal.117.* NVS. Quæ eſt iſta dextera niſi illa de qua in Pſalmo ſcriptum eſt,Dextera domini fecit virtutem,dextera do
mini exaltauit me? Quæ inimicum verum,& antiquum hoſtem per crucis myſterium interfecit,& per mortem
deſtruxit eum qui habebat mortis imperium,id eſt,diabolum,alligans fortem, & vaſa eius diripiens atque dra-
conem,ſerpentem videlicet,antiquũ, qui cauda ſua detraxit tertiam partem ſyderum, & miſit in ſtagnum ignis
ardentis,qui paratus eſt ſibi, & angelis eius.Vnde ſequitur. Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios M
tuos.Gloria vtique reſurrectionis dominicæ,confuſio fuit diaboli,qui cum Iudæis meditatus eſt mortem Chri-
ſti. RVPERTVS. Vel ſit vox iſta maximè martyrum noſtrorum, per illos enim dextera domini,quæ cœ-
los fundauit & terram,mirificè glorificata eſt miraculis,templa dæmonum euertit,idola diſperdidit.Ita percuſ-
ſit inimicum,non ferro,ſed ſanguine martyrũ, in multitudine gloriæ ſuæ, in laudem & honorem glorioſæ gra-
*Par.3.* tiæ ſuæ, ô ſancta Eccleſia depoſuit aduerſarios tuos. GREGORIVS IN PASTORALI. Vel ſecũdum
*Cap.27.* aliũ ſenſum.Dextera manus domini confregit inimicos, Quia hoſtes dei & ſi in ſiniſtra eius proficiunt, in dex-
tera franguntur,quia plerunque prauos vita præſens eleuat, ſed aduentus æternæ beatitudinis damnat. Admo-
nendi ſunt igitur qui in hoc mundo proſperantur , vt ſolerter conſiderent quia præſentis vitæ proſperitas ali-
quando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet , aliquando verò,vt in æternum plenius damnet. Hinc
eſt enim quòd plebi Iſraëliticæ Chanaan terra promittitur,vt quandoque ad æterna ſperanda prouocetur. Neq;
enim



A enim rudis populus ille promiſsionibus dei in longinquũ crederet, ſi à promiſſore ſuo non etiam è vicino ali-
quid percepiſſet.Vt ergo ad æternorum fidem certiùs roboretur , nequaquam ſolummodo ſpe ad res , ſed rebus
quoque ad ſpem trahitur.Quod liquidò Pſalmiſta teſtatur,dicens: Dedit eis regiones gentium,& labores popu-
*Pſal.104.* lorum poſſederunt.Vt cuſtodiant iuſtificationes eius,& legem eius requirant.Sed cùm largientem deum huma-
na mens boni operis repẽſatione non ſequitur,vnde nutrita piè creditur,inde iuſtiùs damnatur. Hinc enim per
Pſalmiſtam rurſum dicitur,Deieciſti eos dum alleuarentur. Quia videlicet reprobi cũ recta opera diuinis mu-
neribus non reſpondent,cùm totos ſe hîc deſerunt,& affluentibus proſperitatibus dimittunt, vnde exterius pro-
ficiunt,inde ab intimis cadunt.Hinc eſt quòd in inferno cruciato diuiti dicitur,Recepiſti bona in vita tua.Id- *Luc.16.*
circo etenim recepit bona in vita ſua malus,vt illic plenius mala reciperet,quia hîc fuerat nec per bona cõuerſus.

B *Miſiſti iram tuam,quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam,& in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.Stetit* 2
*unda fluens,congregatæ ſunt abyſsi in medio mari.Dixit inimicus,Perſequar & comprehendam,diuidã*
*ſpolia,implebitur anima mea.Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit ſpiritus tuus,*
*& operuit eos mare,ſubmerſi ſunt quaſi plumbũ in aquis uehementibus.Quis ſimilis tui in fortibus domine? Quis*
*ſimilis tui.Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis,& faciens mirabilia.Extendiſti manũ tuam & de-*
*uorauit eos terra,Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti. Et portaſti eum in fortitudine tua,ad ha-*
*bitaculum ſanctum tuum.*

AVCTOR CATENAE. Audiſti antea potentiam dei,audi nunc ſeueritatem. Nam quòd Pharao & ex- 2
ercitus eius tam horribiliter in mari perierint, ingens argumentum eſt , Dominũ deum noſtrum ſeueriſsimum
eſſe vltorem in eos,qui verbum & populum ſuũ perſequuntur.Ait igitur, *Miſiſti iram tuam quæ deuorauit eos ſicut ſti-*
C *pulam.* HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Perſpicuum eſt,non eſſe naturalem iram dei, ſed noſtris *Cap.16.*
vitiis clementiſsimum & manſuetiſsimum deum ad iracundiam prouocari,dicente Apoſtolo, An diuitias bo-
nitatis eius,& ſuſtentationis,& patientiæ contemnis,ignorans quia bonitas dei ad pœnitentiam te prouocat? Se-
cũdum duritiam autem tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram quam deus naturaliter non habet. Vnde *Rom.2.*
& in alio loco ſcriptum eſt,Emiſiſti iram tuam quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.Quod enim coniunctum eſt,&
in vno corpore copulatum,mitti non poteſt,ſed illud quod extra corpus eſt.Verbi gratia lancea, telum, ſagitta,
gladius. BASILIVS. Quòd deus permotionum atque affectionum animi omnino expres ſit , ſæpenume-
ro à nobis dictum eſt.Cæterùm diuinæ literæ iram dei vocant motum illũ vltorem in peccatores ſupplicio di-
gnos,aut certè huic motui ſubſeruientes Angelos, iuxta illud, Immiſiſti in illos iram & furorem, immiſsionem
per angelos malos . Qui enim fieri poteſt vt ira & furor mittantur? aut fortaſſe Notum ventum intelligit , qui &
aquam congeſsit, & fluidam fluxámque naturam compingens, in modum muri ſtare fecit. EVTHYMIVS.
D Miſiſti iram tuam quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam . Conſumpſit & deleuit eos veluti ignis ſtipulam.Per iram
verò à deo emiſſam,ſupplicia ac pœnas intelligit à deo illatas, vel ipſum etiam Angelum pœnarum miniſtrum.
AVCTOR CATENAE. Miſiſti iram tuam,ſiue,Immiſiſti furorem tuũ,id eſt,oſtendiſti te iratum,& ſtatim
perierunt.Obſerua autem quòd ira dei conferatur igni,& hoſtes dei ſtipulę.Quid autem citiùs abſumitur quàm
ſtipula ab igne? Hac ſimilitudine ſæpe vſi ſunt Prophetæ in deſcribendo impiorũ interitu. Iuſta itaque tua vltio
(inquit)domine,ſicut ignis deuorat paleam,ſic per aquas abſorbuit eos.Nam in Chaldaica editione,Miſiſti iram
tuam,& conſumpſit eos ſicut ignis ſtipulam,habetur. *Et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ ſtetit unda fluens,congre-*
*gatæ ſunt abyſsi in medio mari.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Id eſt, profunditates vndarũ & aqua-
rum. EVTHYMIVS. Alia autem litera habet,Et per ſpiritum indignationis tuæ diuiſa eſt aqua.Per ſpiri-
tum indignationis, vel Angelum intelligit , qui huiuſcemodi pœnæ à deo immiſſæ miniſter erat , vel ventum
ipſum,qui deo inſeruiebat.Induxit enim(inquit)dominus mare in Noto valido per totã noctem , & fecit mare
E ſiccum,& diuiſa eſt aqua.Concretæ ſunt aquæ quaſi murus,& concreti ſunt fluctus in medio maris. Et erat(in-
quit)aqua eis murus à dextris, & murus à ſiniſtris. CAIETANVS. Stetit vnda fluẽs.Miraculum explana-
tur,quòd aquæ quæ ſuapte natura ſunt colantes ſeu fluentes,fuerunt ſtantes ſolidæ,ſicut ſtat aceruus rerum non
fluidarum.Congregatæ ſunt abyſsi in medio mari. Iuxta Hebræũ habetur, Coagulatæ ſunt abyſsi in corde ma-
ris.Hinc apparet manifeſtè,quòd ventus à deo immiſſus,non ſolũ fuit ad exiccandam terram,ſed etiam ad coa-
gulandum aquam hinc & inde.Per modum itaque congelationis,aquæ ſteterũt tanquam muri, & acerui aqua-
rum effecti ſunt hinc & inde ſuper mare. Et ad exaggerationem miraculi dicitur in corde maris , quia coagula-
tio maris in ſuperficie & infra paruum terræ ambitum contenti, naturaliter fieri poteſt, ſed in corde, hoc eſt, in
profundo ac medio maris fieri (vt tũc accidit) miraculũ eſt. AVCTOR CATENAE. Et in ſpiritu furo-
ris tui. Quia dictio אַף aph, & furorem & nares ſignificat.Hinc eſt quòd Hebraica verba וּבְרוּחַ אַפֶּיךָ Vbrúach ap
pecha,Per flatum ſiue ventum naris tuæ, ſeu narium tuarum,aliqui verterunt,id eſt,quem emiſiſti,quia deus eſt
F auctor flatuum & ventorum,ideo dicitur ventus naris eius,hoc eſt,ab eo emiſſus, quaſi dicat, Feciſti vt ſpiraret
ventus,& ad flatũ illius ſtatim congregatæ ſunt aquę.Chaldaica, Et in verbo oris tui ſapienter congregatæ ſunt
aquæ.Septuaginta,καὶ διὰ πνεύματος τοῦ θυμοῦ σου διέστη τὸ ὕδωρ,Et per ſpiritum iræ tuæ diuiſa eſt aqua.Nec eſt con
trariũ quod dicitur,diuiſa eſt aqua,ab eo quod dicitur, Congregatæ ſunt aquæ, nam prius facta eſt aquarũ diui-
ſio,deinde congregatio,vt eſſent populo dei murus à dextris & à ſiniſtris,quò is per medium ſicci maris incede-
ret. Sequitur,Stetit vnda fluens.Hebraicè eſt נָצְבוּ כְמוֹ נֵד נוֹזְלִים Nizzebu chemo ned nózlim, ſteterunt ſicut cu-
mulus,ſiue aceruus,ſeu quaſi moles fluenta,ſeu fluentes,ſiue fluidæ,ſcilicet aquæ.Chaldaica, Steterunt fluẽtes ſi-
cut murus.Septuaginta,ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα,Conglutinatæ ſunt quaſi murus aquæ. Sed non diſcrepãt hæc
à ſenſu Latinæ editionis.Congregatæ ſunt abyſsi in medio mari.Hebraicè eſt, קָפְאוּ תְהֹמֹת בְּלֶב יָם Káphu theo-
moth beleb iam,Coagulatæ ſeu coaceruatæ ſunt abyſsi in corde,ſeu medio mari,id eſt,ita ſteterunt,ac ſi conge-
latæ fuiſſent. Chaldaica, Coagulati ſunt abyſsi in corde maris. Septuaginta,ἐπάγη καὶ τὰ κύματα ἐν μέσῳ τῆς θα-
λάσσης,

ἀάσεως, Conglutinatæ ſunt & vndæ in medio maris. Sed hæc idem dicũt cum Latina litera. Dicat ergo ſanctus G noſter præcentor, & dei mirabilia extollens clamet, vno ſpiritu & leui attactu dei concidunt omnia molimina peruerſorum. Statutæ ſunt ſicut moles aquæ fluentes, contra naturam ſuam eriguntur in murum à dextris & à ſiniſtris. Et veluti glacies immotæ ſtant, & tutantur in medio tranſeuntes pios, ſed impios obruituræ, & iudiciũ domini perfecturæ, vt in corde vel medio maris, hoſtes fidelium veluti in profundiſsimum baratrum pariter copulati intereant. *Dixit inimicus, perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* EVTHYMIVS. Inimicus nimirum Aegyptiorum exercitus, vel Pharao ipſe. Pœnitentia enim ducti Aegyptij perſequuti ſunt populũ, poſtquam eum dimiſerant. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Faciet pauperes fieri ſiue paupertate conficiet eos manus mea, Vbi Latinus Interpres habet, Interficiet eos manus mea. Non enim ad occidendos Hebræos perſequebantur, ſed ad redigendum eos in ſeruitutem, vt in præcedenti capitulo ſcriptum eſt, & propterea euaginatio gladij non ad interficiendum, ſed ad ſpo- H liãdum Hebræos rebus ſcribitur. AVCTOR CATENAE. Implebitur anima mea. Hebraicè eſt תִּמְלָאֵמוֹ נַפְשִׁי Timlaemo naphſi, Implebitur ab eis anima mea, Vel explebitur eis deſiderium meum, id eſt, diuitiis eorum replebor. Vnde Chaldaica legit, ſaturabitur ex eis anima mea. Sed hoc parum eſt, nam & idem ſentit Interpres. Interficiet, id eſt, perdet, delebit, exterminabit eos manus mea. Verùm quia verbum יָרַשׁ iaras, etiam depauperare ſignificat, verterunt hîc nonnulli verbum תּוֹרִישֵׁמוֹ Toriſemo, Depauperabit, ſeu miſeros faciet eos. Chaldaica, Conſumet eos manus mea, habet. Septuaginta, κυριεύσει ἡ χείρ μου, Dominabitur manus mea. Sed hæc modica ſunt. Dixerat itaque iam antè hoſtis, id eſt, conſtituerat ſecum Pharao, Perſequar Iſraëlem, perdam, occidam, ſpolia detraham, vindicabor pro omni voto & deſiderio meo, euaginabo gladium, exterminabo, contumaciter inſiſtebat crudeliſsimus hoſtis. Tanta correptus erat veſania, vt in mare ipſum ſeſe credere, & potenti manu dei tam manifeſtè minanti, tanto miraculo non deterritus, auſus fuerit & intrare cum tanto exercitu, quid enim non audet obdurata impietas, & furor tyrannicus? Truculentiam exprimunt ſingula verba ſubinde I exaggerata. *Flauit ſpiritus tuus & operuit eos mare, ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* HIERONYMVS

*Cap.2. Iob.5. Cap.4.*

IN PROVERBIA. Spiritum quippe ſuum, potentiam vltionis nominat, de qua in libro beati Iob dictum eſt, Iniquos flãte deo periſſe & ſpiritu iręeius eſſe contẽptos. AMBROSIVS LIBRO TERTIO DE SPIRITV SANCTO. Aliter. Sicut vnitas diuinitatis, ita vnitas operationis eſt. Quod etiam ex cantico Moyſi colligi poteſt. Ipſe enim cùm per maria traduxiſſet populum Iudæorum, & dei operationem & filij eſt confeſſus, & ſpiritus, dicens, Dextera tua domine glorificata eſt in virtute, dextera manus tua confregit inimicos. Habes quia & filium ſit confeſſus & patrem, cuius eſt dextera. Et infra ait, ne ſpiritum ſanctum præteriret, Et per ſpiritum iracundiæ tuæ diuiſa eſt aqua. Et paulopoſt, Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare. Quo ſignificatur vnitas diuinitatis, non inęqualitas trinitatis. Vides igitur quia ſpiritus ſanctus cooperatus patri & filio ſit, & tanquam congelaſcentibus fluctibus in medio mari, aquarum quidem murus inſurgeret ad tranſitum Iudæorum, & rurſus Aegyptiorum populum per ſpiritum refuſus obrueret. Inde & columnam nubis plerique præceſ- K ſiſſe in die populo Iudæorum, & columnam ignis in nocte arbitrantur, quo protegeret plebem ſuam gratia ſpiritalis. Hanc autem operationem dei quam totus orbis iure miratur, ſine ſancti ſpiritus opere non fuiſſe, etiam

*1.Cor.10.*

Apoſtolus declarauit, dicens in figura illa præceſsiſſe ſpiritalis myſterij veritatem, ſic enim habes, Quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Nam quemadmodum typus ſacramenti potuit eſſe ſine operatione ſpiritus ſancti, cuius veritas omnis in ſpiritu eſt? Quod & Apoſtolus docuit, dicens, Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine

*1.Cor.6.*

domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu dei noſtri. Vides igitur quia & pater operatur in filio, & filius operatur in ſpiritu? Et ideo ſecundum ſeriem ſcripturarum noli dubitare in figura fuiſſe, quod in veritate eſſe ipſa etiam veritas declarauit. Quis enim operationem eius abnuat in baptiſmo, in quo operationem eius ſentimus & gra-

*Quæſt.55.*

tiam? AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Secundũ Septuaginta, Mi- L ſiſti ſpiritum tuum & cooperuit eos mare. Ecce iam quinto commemoratur ſpiritus dei, vt in hoc numero accipiamus & quod dictum eſt, Digitus dei eſt hic. Primò vbi ſcriptum eſt, Spiritus dei ferebatur ſuper aquas. Secundò vbi dicitur, Non permanebit in iſtis hominibus ſpiritus meus, quoniam caro ſunt. Tertiò vbi Pharao

*Gen.1. Gen.6. Gen.41. Exod.8.*

dicit ad Ioſeph, Quoniam ſpiritus dei eſt in te. Quartò vbi incantatores Aegyptiorum dicunt, Digitus dei eſt hic. Quintò in hoc cãtico, Miſiſti ſpiritum tuum, & cooperuit eos mare. Meminerimus autem ſpiritum dei non ſolùm ad beneficia, verùm etiam ad vindictam commemorari. Nam quid aliud etiam ſuprà dixit, Per ſpiritum iræ tuæ diuiſa eſt aqua? Iſte itaque ſpiritus iræ dei in Aegyptios, nam ſpiritus iræ eis quibus nocuit aquarum diuiſio, vt intrantes poſſent aquis redeuntibus obrui: filiis verò Iſraël quibus profuit quòd aqua diuiſa eſt, non fuit ille ſpiritus iræ dei. Vnde ſignificatur propter diuerſas operationes & effectus ſpiritus dei, diſſimiliter appellari, cùm ſit vnus atque idem ille duntaxat, qui etiam ſpiritus ſanctus in vnitate trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium quàm eundem ſignificari, vbi dicit Apoſtolus, Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis M

*Rom.8.*

iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater, quia eodem ſpiritu dei, id eſt, digito dei, quo lex in tabulis lapideis conſcripta eſt, timor incuſſus eſt eis, qui gratiam nondum intelligebãt, vt de ſua infirmitate atque peccatis per legem conuincerentur, & lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam quæ eſt in fide Ieſu Chriſti. De hoc autem ſpiritu adoptionis & gratiæ, id eſt, de hoc opere ſpiritus

** 2.Cor.3.*

dei, quo impartitur gratia & regeneratio in vitam æternam, dicitur, Spiritus autem viuificat, cùm ſuprà diceretur, litera occidit, id eſt, lex conſcripta, tantummodo iubens ſine adiutorio gratiæ. GRAECVS. Vel ſpiritum dei, Notum ventum intelligimus vt opus opificis atque vniuerſorum conditoris dei. INTERLINEARIS. Flauit ergo ſpiritus tuus, vel indignationis, vel vẽtus vrens. HVGO DE SANCTO VICTORE. Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare. Diuinæ potentiæ notat facilitatem. Quaſi dicat, quàm facilè aliquis flando proiicit puluerem, tam facilè tu eos interfeciſti. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur



A betur, Flaſti in ſpiritu tuo. Ventum interueniſſe reducendo mare ad locum ſuũ narratur. Et quadrat vt quemadmodum ventus congelans hinc & inde aquas in diuiſione affuit, ita ventus liquefaciens in reductione affuerit. AVCTOR CATENAE. Flauit ſpiritus tuus. Hebraicè eſt נָשַׁפְתָּ בְרוּחֲךָ Naſaphta beruchacha, Flauiſti ſpiritu tuo: Vel, per ventum tuum, hoc eſt, illum immiſiſti. Vbi Septuaginta habent, ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου, Miſiſti ſpiritum tuum. Chaldaica verò editio habet, Dixiſti in verbo tuo. Alloquitur ergo deum Moyſes, eius virtutem amplificans, quaſi diceret. Quantus quantus ſit hoſtis, quantumuis ſæuiat, ſolo flatu tuo, ô domine, omnem eius potentiam & ſuperbiam præcipitas, mari inuoluis, in profundo deiicis, & ſubmergis quaſi plũbum in aquis vehementibus, quibus reſiſtere non poſſunt, ſed velut talento plumbi malitia graues, & importabiles deo & hominibus, abiiciuntur in abyſſum Inferni cum Satana & Angelis eius diſcruciandi ſemper. *Quis ſimilis tui in fortibus domine? Quis ſimilis tui? Magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia.* ORIGENES.

B Alia litera, Quis (inquit) ſimilis tibi in diis domine? Quis ſimilis tibi? Glorioſus in ſanctis, mirabilis in maieſtatibus, faciens prodigia. Quod dicit, Quis ſimilis tibi in diis, non ſimulacris gentium comparat deum, nec dæmonibus, qui ſibi falſò deorum nomen adſciſcunt, ſed deos illos dicit, qui per gratiam & participationem dei, dij appellantur. De quibus & alibi ſcriptura dicit, Ego dixi, dij eſtis. Et iterũm, Deus ſtetit in congregatione deorum. Sed hi quanuis capaces ſint dei, & hoc nomine donari per gratiam videantur, nullus tamen deo ſimilis inuenitur, vel in potentia, vel in natura. Et licet Ioannes Apoſtolus dicat, Filioli nondum ſcimus quid futuri ſimus, ſi autem reuelatum nobis fuerit (de domino ſcilicet dicens) ſimiles illi erimus, ſimilitudo tamen hęc non ad naturam, ſed ad gratiam reuocatur. Verbi cauſa vt dicamus picturam ſimilem eſſe ei, cuius imago in pictura videtur expreſſa. Quantum ad gratiam pertinet viſus, ſimilis dicitur: quantum ad ſubſtantiam, longè diſſimilis. Illa enim ſpecies carnis eſt, & decor corporis viui: iſta colorum fucus eſt, & cæra tabulis ſenſu carentibus ſuperpoſita. Nullus ergo in diis ſimilis domino, nullus enim inuiſibilis, nullus incorporeus, nullus immuta-

C bilis, nullus ſine initio, & ſine fine, nullus creator omnium, niſi pater cum filio & ſpiritu ſancto. GREGO- *Cap.2.*

RIVS IN LIBRVM PRIMVM REGVM. Quis ſimilis tui in fortibus domine? Quia quicquid virtutis Moyſes oſtendere potuit, dominus, non ipſe, fecit. Ieſus autem omnia quæ mirè geſſit, propria virtute exhibuit, quia dominus etiam Moyſi fuit. Non enim Moyſes populo per deſerta gradienti, ſed dominus manna *Exod.16.*

pluit. Non Moyſes, ſed Dominus in columna ignis per noctem, & nubis in die populum præceſsit. Non Moyſes, *Exod.13.*

ſed verbum quod factum eſt ad eum, aquam de rupe produxit. Non Moyſes, ſed dominus volatilia concupi- *Exod.16.*

ſcentibus exhibuit. Vnde & dominus Iudæos in patrum fortitudine gloriãtes reprimit, dicens, Non Moyſes, ſed *Num.20.*

pater meus dedit vobis panem de cœlo. Hinc Pſalmiſta, non Moyſen inaniter efferens, ſed dominum laudabi- *Ioan.6.*

liter extollens, dicit, Fecit mirabilia in terra Aegypti in campo Thanæos, interrupit mare, & perduxit eos, & ſta- *Pſal.74.*

tuit aquas quaſi in vtre. Eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas. Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad

D manducandum, & pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arena maris, volatilia pẽnata. Dominus autem Ieſus fortis incomparabiliter, non in aliena virtute apparuit, ſed in ſua. Vnde & ex ſeipſo potens paralytico im- *Luc.5.*

perans, ait, Tibi dico ſurge. Hinc etiam ſcriptum eſt, Quotquot tangebant eum, ſalui fiebant. Et iterum, Virtus de *Marc.6.*

illo exibat & ſanabat omnes. Hoc nanque inſigne fortitudinis, nec Moyſes, nec Helias habere potuit, vt dum in- *Luc.6.*

comparabilia ſigna innoteſcerent, aduentum vnigeniti apertiſsimè deſignarent. IDEM. Quoſdã aliquan- *Vbi ſupra.*

do in humiliori ordine ſanctæ Eccleſiæ humiles & deſpectos cernimus, quos dum ſpiritus ſanctus ad ordinem *Cap.10.*

prædicationis aſſumit, gratiarum ſuarum ſplendoribus induit, & in eiſdem ſplendoribus mirabiles oſtendit. Sed bene ſanctorum virtutes admiramur, cùm eas bonitati conditoris adſcribimus. Quare & Moyſes domino confitens, ait, Quis ſimilis tibi in diis domine? quis ſimilis tibi? glorioſus in ſanctis, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia? Hinc Pſalmiſta dicit, Mirabilis deus in ſanctis ſuis, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi *Pſal.67.*

ſuæ. IDEM. Perfecti quique in omnibus quæ facta ſunt, ſiue fiunt, Omnipotentis dei virtutem & ſapien- *Ibidem.*

E tiam mirari non deſinunt. Vnde & Pſalmiſta diuinis laudibus inſiſtens, ait, Mirabilis deus in ſanctis ſuis, Deus *Cap.14.*

Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus deus. Hinc Moyſes eidem domino confitetur, *Pſal.67.*

dicens, Quis ſimilis tui in diis, Domine? quis ſimilis tui in ſanctis glorioſus, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia? In ſanctis quidẽ mirabilis dicitur, quia quò altiùs diuina conſpiciunt, eò & mirabiliùs obſtupeſcunt, quia nimirum altiſsima contemplatione vident, quibus ſtupeant, non quæ ratione comprehendant. GRAECVS. Quis ſimilis tui, &c. Quis hoc loco pro nullus poſitum eſt. Neque enim in poteſtatibus vt Symmachus vertit, neque in ſanctitate quiſquam æquiparandus eſt, neque enim comparari poſſunt quæ incomparabilia ſunt, neque opifici opus, neque illi qui verè eſt, ea quæ non ſunt. Omnia enim incomparabilia, excellentia antecellit. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Quis ſicut tu in diis domine? quaſi dicat nullus, quacunque ratione dij appellentur. Magnificus in ſanctitate. Aliter, Robuſtus in ſanctitate. Rationẽ reddit ex apparentibus, quòd nullus deus eſt ſicut dominus, tam enim homines quàm dij exercendo robur ſuum aliquam inquinationem incur-

F runt. Et homines quidem laſsitudinem in corpore, & commotionem in animo ſaltem incurrunt, ſpirituales autem ſubſtantiæ, ſuapte natura animi commotionem, & in viribus laborem propter inclinationẽ corporis, quod mouent ad oppoſitum patiuntur. Solus autẽ deus (cui omne corpus obedit ad nutum) exercet robur ſuum vtendo corporibus ſenſibilibus ad quodcunque vult, abſque aliqua contractione immunditiæ qualiſcunque. Et propterea ſingulariter laudatur, robuſtus in ſanctitate, eſt enim ſanctitas libera atque perfecta munditia. Terribilis atque laudabilis. Iuxta Hebræum habetur, formidatus laudum. Accumulat rationes quare nullus deus eſt ſicut dominus. Eſt enim formidatus laudũ, tum quia laudes eius ſunt formidini, nõ ſolũ hominibus, ſed etiã angelis, eò quòd excedunt vires omniũ laudãtium. Tum quia à laudãtibus eſt timendus, nõ enim deo placet laudari ſine timore, demũ quia per ſola laudabilia opera metuendus eſt. Alij ſiquidẽ timentur, quia poſſunt nocere, ſiue laudabiliter, ſiue vituperabiliter, deo autem proprium eſt per ſola laudabilia opera timeri. Faciẽs mirabilia. Tertiò deo proprium adiungitur, quòd ſolus eſt factor mirabilium. Et eſt ſermo de mirabilibus ſimpliciter & abſo-

lutè

lutè, hoc est, apud omnes tam homines quàm Angelos, ad differentiam multorum quæ fiunt à Dæmonibus, quæ G
sunt mirabilia apud homines, non autem apud Angelos, videntes quòd naturalibus viribus Dæmones illa faciunt. AVCTOR CATENAE. Quis similis tui in fortibus domine? Hîc incipit admirari fortitudinem dei, postquam facta eius mirabilia enarrauit. Rectè autem vertit Interpres Hebraica מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם Camócha baelim, Quod tamen alij vertunt, sicut tu in diis, siue inter deos. Vel inter Angelos. Nam Elim & fortes & deos significat. Septuaginta, ἐν θεοῖς, In diis dixerunt. Chaldaica verò quod nos interrogatiuè, Affirmatiuè legit, videlicet, Non est absque te (subaudi verus deus) quoniam tu es deus dominus, sed idem est. Sic & quod sequitur, Quis similis tui, magnificus in sanctitate. Hebraicè est מִי כָמֹכָה נֶאְדָּר בַּקֹּדֶשׁ Mi camócha neddar bakódes, Quis sicut tu magnificus in sanctitate. Vel vt alij volunt, magnificatus est, vt sit neddar participium Niphal propter daleth qui est cum camez, & est sensus, quis sicut tu pollet, siue præditus est sanctitate? Septuaginta, δεδοξασμένος ἐν ἁγίοις, Glorificatus in sanctis. Chaldaica, Nullus est præter te deus fortis in sanctitate. Demum quod dicitur, Terribilis atque laudabilis, & ita habetur in Chaldaica, Hebraicè est, נוֹרָא תְהִלֹּת Nora thehilloth, Terribilis seu formidabilis laudibus, id est, terribilis quoque es cum laudaris, cum nemo mortalium te satis laudare queat. Vel rursum subaudiuntur verba illa, Quis sicut tu? quasi dicat, Quis sicut tu, tanta reuerentia laudari debeat, siue laudandus sit, vt qui faciat mirabilia magna solus? Alij vertunt, Terribilis laudibus, id est, qui magno cum timore laudari debeat. Alij reddunt laudum, hoc est, deus laudum, deus omnibus laudibus dignus. Septuaginta, θαυμαστῶς ἐν δόξῃ ποιῶν τέρατα, Mirabiliter glorioſè faciens miracula. Quæ omnia nequaquam à Latinæ literæ sensibus discrepant. Quis igitur similis tui in fortibus domine? &c. Post narrationem mirabilis virtutis diuinæ contra impios, laus sequitur, vt priùs ostensus est quis ille sit, & quantus quem laudat, exclamat, Quis tam potens vt tu? quis tibi similis in magnificentia & sanctitate? quis tam admirabilis laudibus? quis tam admiranda gesit? tam est terribilis laudis? debet enim deus cum tremore laudari, eique soli debetur honor & gloria, qui nunquam satis laudari potest. Solus patrator omnium miraculorum, quia I
in ipsius solius potestate est omnis creatura cum actibus suis. *Extendisti manum tuam & deuorauit eos terra, dux fuisti in*
*Quæst. 54.* *misericordia tua populo quem redemisti.* AVGVSTINVS. Terra pro aqua non mirum est posita. Tota quippe pars
ista extrema vel infima mundi, terræ nomine censetur secundum id quod sæpe dicitur, deus qui fecit cœlum
*Psal. 148.* & terram, & in illius Psalmi distributione commemoratis cœlestibus, Laudate (inquit) dominum de terra, & ea exequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertinebant. INTERLINEARIS. Deuorauit ergo eos terra, id est, aqua terræ cognata, & vbique terra contenta. EVTHYMIVS. Et deuorauit eos terra, &c. Illi enim demersi fuerant, & postmodum emissi sunt in terram, vt Israëlitæ eos viderent, & certiores fierent de miraculo, atque vt eos spoliarent. Deinde facto terræ hiatu, ad diuinæ iræ demonstrationem absorpti sunt. Dux fuisti in misericordia tua, &c. Vel secundum aliam literam, Deduxisti iustitia tua populum tuum hunc, quem redemisti. Deduxisti eum per mare, per nouum hoc iter. Iustitia autem tua, ideo dixit, quia summæ fuit iustiæ oppressum ab Aegyptiis populum liberare, & grauia patienti incommoda opem ferre, eripereque eum à ty- K
rannide. GRAECVS. Verè etiam iustitiæ opus est, hospites & aduenas insidiis obsessos, liberos in seruitutem redactos liberare, errantes conuertere, pios è tentationibus eripere. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et deuorauit eos terra. Vno communi nomine duo inferiora elementa vocat, sicut & ibi, Formatis igitur cunctis animalibus de humo. Et alibi, In principio creauit deus cœlum & terram. CAIETANVS. Extendisti manum tuam. Ad similitudinem extensionis manus, describitur operatio dei submersiua Aegyptiorum, vt intelligamus miraculum, quod tam facilè deus fecit hoc, perinde ac si duntaxat extendisset manum. Et deuorauit eos terra. Metaphora tangitur deglutientis, describitur enim tanquã terræ guttur aqua deglutiens Aegyptios, significando id quod primum submersi homines incurrunt, videlicet iacere in fundo maris, non enim naturaliter natant vsquequo crepuerit fel. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. Laudatur ad literam deus, quòd duxit populum quem redemit ex Aegypto, non pecunia, sed miraculis. AVCTOR CATENAE. Extendisti manum siue dexteram tuam, &c. Mox (inquit) vt manum tuam extendisti, *aboliti* L
sunt & perditi, tanta est tua potentia, tanta virtus, vt dum volueris, ad primam extensionem dexteræ tuæ à terra deuorentur impij, occidentur, occumbent, aduocabunt super se montes & colles, vt à tremendo iudice imminente abscondantur. Amatores quoque terrenorum, & iniqui moderatores hominum deuorabuntur à terra, sepelientur cum diuite libidinoso in infernum. Dux fuisti in misericordia tua populo (Addendum ex Hebræo huic) quem redemisti. Ducit dominus ac dirigit suos, vt pastor bonus suas oues, quas de manu sua nemo rapiet, qui se ponit pro ouibus, & hostibus opponit fidelium, sicut columna dei inter Israëlitas & Aegyptios. Ad hoc autem ducit, vt ab illis colatur agnitus, & timeatur. Redemisse autem dicitur deus populum suum, quando asseruit eum in libertatem. Sic igitur commendat Moyses deum à clementia sua erga populum suum. Quasi dicat, Et si extendisti dexteram tuam, ac potentissimè & seuerissimè deiecisti Aegyptios, ac ita deleuisti eos in mari, perinde ac si terra subitò deglutiisset ipsos, dux tamen fuisti in misericordia tua populo quem redemisti. Quòd enim Aegyptios demerseris in interitum, seueritatis est, Quòd autem liberaueris populum tuum, cle- M
mentiæ est. *Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.* EVTHYMIVS. Vel secũdum Septuaginta, Aduocasti fortitudine tua in diuersorium sanctum tuum. Hæc & quæ sequuntur vsque ad versiculum, cadat super illos timor & tremor, Prophetias continent quæ postmodum acciderunt, tametsi tempus præteritum esse videatur, quòd pro futuro positum est, hoc est, pro aduocabis, aduenient, & irascentur, & simili modo alia quæ sequuntur verba, vel quæ futura sunt, Prophetarum lege narrat, vt iam facta. Aduocasti autem, hoc est, duxisti in habitationem sanctam, electam, & ibi destinatam. Est autem sermo de Hierusalem. CAIETANVS. Iuxta Hebræum eadem dictio repetitur quæ interpretata est, dux fuisti. Et propriè significat ducere seu agere, quemadmodum agimus animalia deducendo illa. Quod ideo dixerim, ne intelligatur significari perduxisti, sed inchoatam ductionem ad locum sanctitatis, seu sanctuarij dei. Laudatur enim deus secundo loco, quòd ducatus iste fuit ad terram promissionis, vt ad terminum quo tenditur. Terra enim promissionis



A promissionis appellatur, habitaculum sanctum dei, eo quòd ibidem habitauerit deus in primis Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob, & habitaturum se promiserit in semine eorum. AVCTOR CATENAE. Et portasti eum. Præteritum pro futuro propter prædestinationis certitudinem, hoc est, portabis tuis viribus ad tabernaculum sanctitatis tuæ, id est, ad tabernaculum sanctum, in quo tu qui sanctus es habitabis. Nondũ itaque duxerat ad habitaculum sanctuarij sui, sed ad hoc educti iam erant, vt eos in terram promissionis induceret, nempe in Iudæam, Hierosolymam, & terram Chanaan, quam promiserat Patriarchis. Quod enim à deo fieri ordinatum est, ita certum est, ac si iam adimpletum.

RVPERTVS. Porrò secundum altiorem intellectum dicant victores martyres nostri, prædicatores fidei *Mysticè.*
propugnatores veritatis, Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. Iram tuam, id est, zelum tuum
B misisti domine deus, Zelatus enim es pro gentibus te ignorantibus, quæ in errorem abductæ ad simulachra *1.Cor.12.*
muta ibant, prout ducebantur, & deuorauit ira tua siue zelus tuus, deos phanaticos, sicut deuorat ignis stipulam. Vbi nunc adulter Iuppiter? Vbi Venus meretrix? Vbi cæterorum portenta deorum? Vbi sunt equi eorum, qui sub illis contra martyres tuos hinnierunt, id est, reges & præsides truculenti, qui pro illis martyrum sanguinem fuderunt? Deuorauit eos ira tua, sicut stipulam, & in spiritu furoris tui, id est, in commination futuri iudicij congregatæ sunt aquæ. Iuxta literam, in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ, illud est, quia abstulit eas dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, erántque quasi murus ad dexteram & læuam, quæ res vtique fugientibus opem, persequentibus portabat furorem. Cæterùm iuxta cœptum mysterium, aquæ populi sunt. Vnde est, Beati qui seminatis super omnes aquas. Item, Intonuit dominus super aquas multas. Istę aquæ spi- *Esa.32.*
ritum furoris, id est, comminationem futuræ examinationis sentire vel audire potuerunt, quia rationales sunt, *Psal.28.*
& à timore eius congregatæ sunt. Vbi nam congregatæ sunt? In medio mari. Sic enim ternaria repetitione vsus
C per tropum, qui periphrasis, id est, circunlocutio dicitur, & ornandæ rei causa fieri solet, tandem determinauit. Congregatæ sunt aquæ, stetit vnda fluens, cõgregatæ sunt abyssi in medio mari. Aquarum enim nomine (vt iam superius dictum est) populus significatur, vnde vel abyssorum vel fluentis vocabulo, fluidam & profundam populorum signat miseriam, iuxta quod alibi de isto persequutore dicitur, Absorbebit fluuium, & non mirabitur. *Iob.40.*
Sed statim hic fluuius, vel hæc fluens vnda, tunc stetit, quando congregatæ sunt aquæ, id est, multi populi, vt stanti, & æterno deo per fidem vnirentur. Et alio loco scriptura dicit, Praum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ergo & abyssi congregatæ sunt in medio mari, quando praui homines de occultis tenebrarum de profundis vitiorum confluxerunt ad vnicum & vniuersale Christi baptisma. Medium enim rectè dicitur, id quod commune vel publicum, aut vniuersale est, quod nos dicimus catholicum. Et hoc expedit congregationi aquarum, vt congregentur ad medium: nam quod in parte est, non est authenticum. Illud hæreticorum est, qui angulos quærunt, quibus aquæ furtiuæ dulciores sunt. RABANVS. Misisti iram tuam quæ deuo- *Prouer.9.*
D rauit eos sicut stipulam. Vltio nouissima quæ diabolo & angelis eius infligitur, videtur patientibus iam iram esse, sed tamen ab illo qui vniuersa cum tranquillitate iudicat, sine perturbatione animi sui iustè peccatoribus irrogatur, quæ eos sicut stipulam deuorat, quia fortiter deuastat, & ex omni parte cruciat. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stagnum vtique sulphuris condignum meritis eorum imponitur, sub quo demersi gemunt in perpetuum. Sed quia hæc pœna ad integrum in nouissimo examine persoluenda erit, & hora vindictæ adhuc protelatur, hostibus videntur occasionem persequendi tribuere, qui patientia dei abutuntur thesaurizantes sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, cùm ipse tamen certissimè veniet sanctis suis reddere præmia æternæ beatitudinis, & aduersariis suis dare vindictam in flamma ignis. Ideo sequitur, Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. RVPERTVS. Hoc dixit inimicus, id est, diabolus, qui antonomaticè, id est, quasi proprio nomine dicitur inimicus. Quid mirum si *Iob.40.*
hoc dixit, habens fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius, & falsus est, qui dixit, in cœlum conscendam affe- *Esa.14.*
E ctans similis esse altissimo, & spes eius eum frustrata est? Quid (inquam) mirum, si de cordibus renascentium in *2.Thes.2.*
Christo iam exclusus, sic dicit & loquitur, qui de cœlo proiectus, cum angelis suis adhuc aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur? Persequar (inquit) & comprehendam. Persequatur quantum licet, nam de his qui mare ingressi sunt, neminem comprehendit nisi fictum aliquem aut hypocritam. In quo habet fiduciam, vt dicat, diuidam spolia, implebitur anima mea. Ait, Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Gladium euaginare, id est, apertam persequutionem excitare, sicut è contrario arcum intendere, id est, occultè velle decipere. Vtrũque Psalmista exprimens persecutionis modum, Gladium (inquit) euaginauerunt *Psal.36.*
peccatores, intenderunt arcum suum. Ergo euaginabo (inquit) gladium meum, id est, à cordibus excluſus manifesta vtar tyrannide regum, Imperatorum, vel paganorum crudelium. Et quia non pertingo ad animas, corporaliter interficiet eos manus mea, potestas mea, permissio diuina. Sed qui fecit eum (ait ad beatum Iob domi- *Iob.40.*
nus) applicabit gladium eius, id est, non quantum volet, sed quantum vtile est, sæuire aut interficere permitti-
F tur. Non ergo timeat victoriosus populus dei festinans ad hæreditatem, quam promisit deus, etenim inimicus iste dum persequitur, dum occidit, proposito magis illorum proficit, vt citius ad patriam perueniant peregrini. Inde fatuus esse conuincitur, quia dum pro se contra deum, vel contra dei populum agere nititur, contra se potius agit, & dei propositum adiuuat, vt perficiatur. Dicitúrque ad beatum Iob de illo, Nunquid pones *Iob.40.*
circulum in naribus eius? Hoc enim dicto fatuitas eius maximè denotatur. Et subinde, Nunquid feriet pactum tecum, & accipies eum seruum sempiternum? Saubauditur vt ego, cui voluntate aduersando, sic ille cooperatur tanquam iurauerit obsequium, seque seruum studeat exhibere fidelissimum. Sequitur, Flauit spiritus tuus & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. ORIGENES. Peccatores graues sunt. Denique & iniquitas super talentum plumbi sedere monstratur, sicut Zacharias propheta dicit, Vidi (inquit) mulierem sedentem super talentum plumbi, & dixi, Quæ est hæc? Et respondit, Iniquitas. Inde est ergo, quòd iniqui demersi sunt sicut plumbum in aquam validissimam, sancti autem non demergun-

tur

tur,sed ambulant super aquas,quia leues sunt, & peccati pondere non grauantur. Denique dominus & saluator G noster super aquas ambulauit.Ipse est enim qui verè peccatum nescit. Ambulauit & discipulus eius Petrus, licet paululum trepidauerit.Non enim tantus erat,ac talis, qui nihil omnino de specie plumbi in se haberet admixtũ. Habuit, licet parum. Propter quod dicit ad eum dominus, Modicæ fidei quare dubitasti? Idcirco igitur qui saluus fit, per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum. Quia aurum terræ illius bonum esse dicitur, quam habituri sunt
*Gal.3.* sancti,& sicut fornax probat aurum, sic homines iustos tentatio.Veniendum ergo omnibus est ad ignem, veniẽdum est ad conflatorium.Sedet enim dominus,& conflat,& purgat filios Iuda. Sed & illuc cùm venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resoluitur, ac purgatur,& totum remanet aurum purum.Et si quis plus illuc plumbi detulerit,plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt & si parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quòd si aliquis illuc totus plumbeus venerit, H fiet de illo hoc quod scriptum est,Demergetur in profundum tanquam plumbum in aqua validissima.Sed longum est si velimus per ordinem exponere,sufficiat pauca pertingere. RVPERTVS. Flauit spiritus tuus &
*Mich.7.* operuit eos mare,&c.Certùm hoc tenet catholica fides,quia mare Christi nobis ingressis,aspirat spiritus domini,spiritus gratiæ & remissionis,deponens iuxta Prophetam omnes iniquitates nostras,& proiiciens in profundum maris omnia peccata nostra.Hæc ruina diaboli est.Quod enim primùm in semetipso caput nostrum fecit
*Coloss.2.* in præsentia suæ mortis,delens quod aduersus nos erat(vt Apostolus ait)chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,& ipsum(inquit)tulit de medio,affigens illud cruci,& expolians principatus & potestates,traduxit confidenter,palàm triumphans illos.Quod(inquam)tunc in semetipso caput nostrum fecit, hic idem in bapRom.6. tismo facit in membris suis,vbi est similitudo mortis eiusdem,cui complantamur,vt idem Apostolus ait.Rectè igitur dicas,& veraciter cantes, quicunque de hoc mari ascendisti in Christo renatus, quia operuit eos ma-
*Ezech.29.* re,submersi sunt quasi plumbũ in aquis vehementibus,impleta veritate dicentis prophetiæ, Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti,draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum,& ponam frenum in maxillis tuis,& adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt, & proiiciam te in desertum,& omnes pisces fluminis tui. Et nota quòd superiùs lapidi,videlicet propter grauedinẽ peccati, hîc autem eos plũ-
*Zacha.5.* bo comparauit,scilicet propter pœnam vel retributionem peccati,secundũ Zachariam prophetam, apud quem talentum plumbi (vt iam dictum est) mittitur in os eius iniquitatis. Iterum autem laudes, iterum gratiarum actiones.Quis similis tui in fortibus domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabi-
*Esa.14.* lis,& faciens mirabilia? Hoc contra illud,quia dixit iste Pharao,Ero similis altissimo. Parum erat prædicasse in illo fortitudinem,dicendo,Quis similis tui in fortibus domine, nisi & sanctitatem prædicaret, addendo, Quis similis tui magnificus in sanctitate?Hoc enim à se differũt hoc loco fortitudo & sanctitas, quod alibi iudicium & misericordia.Fortitudo iudicij contra superbientes,sanctitas misericordiæ,super pios fugientes. Secundum K hæc,duo subiungit nomina laudis,terribilis atque laudabilis:terribilis videlicet pro iudicij fortitudine,laudabilis pro misericordiæ sanctitate.Secundum vtraque ista,& faciens(inquit)mirabilia.Quæ mirabilia? Extendi-
*Iob.10.* sti manum tuam,& deuorauit eos terra.Hoc est,mirabile fortitudinis, vnde es tu domine terribilis. Deuorauit (inquit)eos terra,terra(inquam)iuxta beatum Iob tenebrosa,& operta mortis caligine, terra miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. ORIGENES. Sed impios quidem & hodie deuorat terra. An non tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus,qui de terra loquitur,de terra litigat,terram desiderat,& omnem spem suam ponit in terra? Qui ad cœlum non respicit,qui futura non cogitat,qui iudicium suum non metuit, nec beata eius promissa desiderat,sed semper de præsenti cogitat,& terrena suspirat? Talẽ cũ videris,dicito,quia deuorauit eũ terra.Sed & si quem videris luxuriæ carnis,& voluptatibus corporis deditũ,in quo animus nihil valet, sed totũ libido carnis obtinuit,dicito & de hoc,quia deuorauit eũ terra.Adhuc me mouet quod ait,Extendisti dexterã tuam,& deuo- L rauit eos terra, quasi vt deuorarentur à terra,hæc causa fuit,quòd extendit dominus dexterã suam. Si cõsideres quomodo dominus exaltatus in cruce,tota die extendit manus suas ad populũ non credentẽ,sed contradicentẽ, & qualiter infidelẽ populũ qui clamauit,Crucifige crucifige eũ, mors admissi sceleris oppresserit, euidẽter inuenies quomodo extẽdit dexteram suã,& deuorauit illos terra. Nec tamen penitùs desperandũ est. Possibile nanq; est,vt si fortè respiscat qui deuoratus est,rursum possit euomi,sicut Ionas.Sed & omnes nos puto, quòd aliquãdo terra deuoratos in inferni penetralibus retinebat,& propterea dominus noster descendit, non solũ vsque ad terras,sed vsq; ad inferiora terræ,& ibi nos inuenit deuoratos,sedentes sub vmbra mortis,& inde educẽs,non iã locũ terræ,vt iterũ deuoraremur,sed locũ præparat nobis regni cœlorũ.Propterea ergo addit, Deduxisti in iustitia tua populũ tuũ hunc quẽ liberasti,consolatus es in virtute tua,in requie sancta tua.Dominus populũ suũ quẽ liberauit pretioso sanguine filij sui per lauacrũ regenerationis,deducit in iustitia, cõsolatur etiã eum per cõsolationẽ spiritus sancti in virtute sua & requie sua.Futurorũ nanq; spes,laborantibus requiem parit, sicut & in ago- M ne positis dolorem vulnerũ mitigat spes coronæ. RVPERTVS. Dux fuisti in misericordia tua populo quẽ redemisti, & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuũ. Hoc autem mirabile sanctitatis vel misericordiæ est,inde es tu domine laudabilis. Terribilis atq; laudabilis tam diuersa mirabilia fecisti,& portasti eum(inquit)in fortitudine tua.Tempore præterito pro præsenti vsus est,portasti (inquiens) pro eo vt diceret, portabis,certissimè sciens,quia quod cœpit,perficeret,vel quia propositum eius infirmare nemo posset.Quod autem est habitaculum dei sanctum?Nunquid terra peccatorum,terra Chananæorum? Fuerit quidem illic habitaculum sanctum, id est, ciuitas sancta Hierusalem,vel templũ & sancta sanctorũ, verùm non propter se illa sancta fuere,sed propterea quia cœlestiũ erant exemplaria sanctorum.Ergo non tam locũ illum terrenum,quàm terram viuentiũ cuius illa fuit vmbra, dixit habitaculum dei sanctũ, quo per glorioſam ductoris dei magnificentiam, portandũ præuidebat esse vniuersum sanctorũ populũ in fortitudine dei,quæ non est alia quàm filius dei.

*Ascenderunt*



A *Ascenderunt populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, Robustos Moab obtinuit tremor, Obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachii tui. Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine. Sanctuarium tum domine quod firmauerunt manus tuæ. Dominus regnabit in æternum & ultra. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos dominus aquas maris. Filii autem Israël ambulauerunt per siccum in medio eius. Sumpsit ergo Maria prophe-*
B *tissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens, Cantemus domino, glorioſè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.*

AVCTOR CATENAE. Versiculi qui hîc incipiunt,& alij qui sequuntur, de formidine Phi- 3
listinorum, Edomitarum, Moabitarum, & Chananæorum, certissima prophetia sunt de futuris,& quod verbis hîc canitur, reipsa postea impletum est. In Deuteronomio enim capite secundo dicit dominus de Edomitis, Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau qui habitant in Seir, & timebunt vos. Ac mox, Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo,vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur. Et in Iosue capi-
C te secundo Raab ait, Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum, & cætera. Quod autem in Cantico hoc fiendum prophetatur, pertinet tam ad seueritatem quàm ad clementiam dei commendandam. Seueritatis diuinæ est, quòd sola fama gentes aduersarias ita exterreat, vt animum de salute sua desponderent. Clementiæ, quòd populum suum ita defendat, vt propter ipsum potentissimas gentes exterreat, ne aduersus populum suum vel hiscere audeant. Videamus igitur quid in prosecutione læti sui carminis dicat sanctus præcentor Moyses: *Ascenderunt* (inquit) *Populi & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Edom terra est in qua habitauit Esau in regione Gabalena, quæ ex eo quòd Esau pilosus esset & hispidus, Seir etiam, id est, pilosi nomen accepit. In quibus locis priùs habitauit Chorræus, quem interfecit Chodorlaomor. Moab autem ab vno filiorum Lot, qui vocabatur Moab, vrbs Ara-
D biæ, quæ nunc Areopolis dicitur. Appellatur autem Moab ex nomine vrbis & Regio. Porrò ipsa Ciuitas quasi proprium vocabulum possidet. Chanaan verò filius Cham, obtinuit terram à Sidone vsque ad Gaza, quam Iudæi deinceps possederunt eiectis Chananæis. RVPERTVS. Sed vnde scire poterat, vt diceret Moyses quasi præteritum quod futurum erat, tunc conturbati sunt principes Edom, & cætera? Nam de eo quòd ait, dolores obtinuerunt habitatores Philistiim, illud fortè responderi posset, quia vicina erat terra Philistiim, & antequàm mare ingrederentur, cauendum illis erat, ne per eos transire conarentur, sicut superius iam dictum, eo quòd eorum dolor, id est, inuidia iam exeuntibus de Aegypto innotuisset. Verùm Edom, dicentibus, Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam, nec dum responderat, non transibitis per *Num.20.*
me, alioquin armatus occurram tibi. Neque dixerat rex Moab, Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Vnde, ergo nisi ex prophetico spi- *Num.22.*
ritu iam ista cantare nouerat? EVTHYMIVS. Secundum verò editionem Septuaginta ita legitur,
E Audierunt gentes & iratæ sunt. Audient mirabilia & prodigia tua, quęcumque fecisti pro populo aduersus Aegyptios, & irascentur, hoc est, turbabuntur & firmabunt. Dolores cœperunt habitatores Philistiim. Dolores, hoc est, labores eos comprehendant, ob Iudæorum videlicet timorẽ. Tunc festinauerunt duces Edom,& principes Moabitarũ, Hoc est tumultuati sunt,quẽadmodũ alius Interpres reddidit. Cepit eos tremor,& liquefacti sunt omnes habitatores Chanaan. Cùm notiores nationes certo nomine appellauerit, postea in vniuersum omnium meminit, dicens, habitatores Chanaan. Terram etenim Chanaan varij gentium populi incolebant. HVGO DE SANCTO VICTORE. Ascenderunt populi,& irati sunt,& cætera. Hucusq; de re preterita Canticum. Amodò quicquid sequitur, prophetia est de futuro. Ex tanto enim gaudio quod in præsenti habebant,spiritus sanctus in corda eorum intrauit, & omnes idem prophetati sunt. CAIETANVS. Ascenderunt populi,& irati sunt. Iuxta Hebræum habetur, Audierũt populi, tremẽt. More suo summariè præmittit in genere,quæ sunt explicanda per partes. Et præteritũ hoc cũ sequentibus non referuntur ad tẽpus Cantici,quoniã
F tunc nondũ audierant hũc transitũ,sed ad futurũ. Prophetatur enim quòd quãdo audierint,tremẽt. Dolores obtinuerũt habitatores Philistiim. Iuxta Hebræũ habetur, Tremor apprehẽdit. Quod in genere proposuerat,per species exequit,inchoãs à Philistæis. Philistæi enim propinqui erant Aegypto. Tũc cõturbati sunt Principes Edom. Aliter Hebraicè, Tunc fuerunt attoniti. Et aduerbium tunc, tempus auditi & cogniti transitus per mare rubrum demonstrat. Fuerúntque liquefacti omnes habitatores Chanaan. Ad similitudinẽ liquescentium describuntur animi Chananæorum quorum terra promissa erat Israëlitis, deo operante, & prædicente imminere eis deletionem eorũ. AVCTOR CATENAE. Ascenderũt populi & irati sunt. Hebraicè est, שָׁמְעוּ עַמִּים יִרְגָּזוּן Samhau hammim irgazon, Audierunt populi & cõtremuerũt, vel expauerũt, aut cõmoti siue irati sunt; vtrũq; enim significat verbum Ragaz. Chaldaica audierũt populi, cõmoti sunt. Sed Interpres Septuaginta secutus est, ὠργίσθησαν, Irati sunt habentes. Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim, Iuxta Hebraicum est, חִיל אָחַז יֹשְׁבֵי פְלָשֶׁת Chil

achaz iósbe peláseth, Dolor obtinuit habitatores Palæstinæ. Chaldaica, Terror apprehendit omnes qui habi- G
tant in Palæstina. Sed hæc idem prorsus cum nostra litera. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos
Moab obtinuit tremor. Principes Edom, vocat Idumæorũ principes,& robustos Moab, fortes Moabitidis re-
gionis. At quamobrem Septuaginta dixerunt, τότε ἔσπευσαμ ἡγεμόνες ἐδώμ, Tunc festinauerunt principes E-
dom, nisi quia & ipsi quandam commotionem innuere voluerunt? Obriguerunt omnes habitatores Chanaan,
Hebraicè נָמֹגוּ Namógu, defluxerunt, dissoluti sunt,pauore extabuerunt,id est,animo demisso erunt,sicut & Se-
ptuaginta, ἐτάκησαμ, id est, liquefacti sunt.Chaldaica, Contriti sunt omnes qui habitabant in Chanaan. Sed &
hęc idem dicunt cum Latina editione. Audientes igitur populi circumiacentes perturbati sunt ad famam tan-
ti miraculi,& ad exemplum omnipotentiæ dei Israëlis obstupuerunt. Subito terrore & stupore quodam exani-
mabantur, vt solet fieri in prælio. Quis enim dubitaret statim magnalia dei tanta peruagatura, fama magnifica H
totum orbem? Et tanti Aegyptiaci regni casum diuulgandum in omnes nationes, maximè autem propin-
quiores, qualis Palæstina erat & Chanaan, Moabitarum regnum & Ammonitarum? Liquefieri autem, & de-
fluere nimio fit terrore, cùm omnia membra, cor & animus liquescunt. Sic ergo incredulitas & peruicacia
impiorum cessit in celebritatem omnipotentiæ dei Hebræorum, & deus summè bonus etiam malis in hoc
mundo vtitur ad suam gloriam.Amici autem dei in domino assequuntur potentiam, qui cor confortat, & ter-
ribiles eos facit impiis. *Irruat super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quasi lapis, donec per-*
*transeat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.* ORIGENES. Fieri tanquam lapi-
dem non est natura esse lapidem. Non enim fieret nisi quod non erat. Hoc propter illos dicimus, qui malæ na-
turæ Pharaonem, vel Aegyptios dicunt fuisse, & non ex arbitrij libertate in hoc esse deductos. Sed & pro-
pter eos qui creatorem deum accusant tanquam sæuum, quòd homines vertat in lapides. Hi ergo priusquàm
blasphement, considerent summa libratione, quæ scripta sunt. Non enim dixit, fiant tanquam lapis, & tacuit, I
sed tempus statuit, & mensuram condemnationis determinat. Ait enim, Donec transeat populus tuus do-
mine. Quo scilicet post transitum populi non sint tanquam lapides. EVTHYMIVS. Secundum aliam
literam, Cadat super illos timor & tremor, in magnitudine brachij tui lapidescant, donec pertranseat popu-
lus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem redemisti. Potentiæ tuæ magnitudine concrescãt,
timoréque ac tremore instar lapidis immobiles fiant, donec populus tuus iter faciens per eos, in terram promis-
sionis pertransierit. CAIETANVS. Irruat super eos, & cætera. Hinc apparet prophetata fuisse antedicta
quemadmodum & hæc, quæ omnia Hebraicè futuri temporis sunt indicatiui modi. In magnitudine brachij
tui. Iuxta Hebræum habetur, fortitudinis tuæ. Prophetatur enim futurus in populis timor, tam longè quàm
propè existentibus Hebræis. Fiant immobiles, Iuxta Hebræum, silebunt quasi lapis. Non solùm intus ti-
mor,sed in exteriori actione tantum ocium,vt nec loquantur aduersus eos prædicitur. Si autem quæris quare
hæc non sunt adimpleta? in promptu est causa, peccatum scilicet populi Israël toties in deum commissum
post hoc Canticum. Impediunt enim intercedentia peccata executionem prophetiæ quæ fit secundum præ- K
sentem iustitiam, qualis est hæc. AVCTOR CATENAE. In magnitudine brachij tui. Hæc verba
iuxta Hebraicum coniunguntur cum clausula sequenti, videlicet, Fiant immobiles quasi lapis. Siquidem ita
legitur ibi בִּגְדֹל זְרוֹעֲךָ יִדְמוּ כָּאָבֶן Bigdol zerohacha iddemu caáben, In magnitudine brachij tui sileant sicut la-
pis. Quasi dicat,Ob fortitudinem tuã quam brachio tuo ostendes, taceant,obmutescant, quod ferè maius est(o-
mnem enim immobilitatem hoc complectitur) quasi saxa.Interpres autem noster non dissentit à Septuaginta,
qui & ipsi, ἀπολιθωθήτωσαμ, id est,lapidescant,lapidei fiant,habent. Chaldaica, In multitudine fortitudinis tuæ
taceant sicut lapis. Declarat enim quid significetur per magnitudinem brachij. Quem possedisti, vel acquisisti,
vtrũque enim קָנָה Kana verbum significat.Chaldaica autem habet,Quem redemisti.Septuaginta vt apud nos.
Dicat ergo Moyses:Sic ô deus,is timor quo terruisti impios populos,hostes nostros adhuc extantes eatenus ter-
reat,vt cadens super eos perseueret semper & maneat. Obmutescant & sileant quasi lapis, & fiant immobiles cõ-
tra nos,& velut lapidei fiant,non se defendere,nec nos à transitu impedire potentes,nec electos tuos à possessio- L
ne promissæ hæreditatis arcere.Tui enim sumus,tu nos ab initio possedisti,& in peculiarem tibi populum elegi-
sti præ omnibus gentibus. *Introduces eos,& plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine.*
EVTHYMIVS. Vel secundum Septuaginta,Introducens planta eos in monte hæreditatis tuæ. In monte ti-
bi in hæreditatem destinato.Ipsum autem intelligit montem Sion. In paratum habitaculum tuum, Hoc est,in
habitationem tibi præparatam. CAIETANVS. Introduces eos & plantabis. Ad similitudinem plan-
tarum tuarum facies nos radices firmare,vt quamuis inde non simus oriundi,simus tamen naturales velut plan-
tæ. Terram autem promissionis à montibus denominat, eo quòd illustrior pars montana est. Et appellatur
mons hæreditatis dei,quia est terra electa à deo pro habitatione populi Israël asciti in hæredem dei,vt pote ad-
optati in primogenitũ, vt scribitur superius in quarto Capitulo.Et hinc apparet ratio plantãdi iure Israëlem ibi,
Firmissimo habitaculo tuo quod operat⁹ es dñe. AVCTOR CATENAE. Introduces eos & plãtabis.Di-
cit'plantabis,quasi perpetuò habitaturos.Firmissimo habitaculo tuo quod operat⁹ es domine, id est, in sede quã M
fecisti,vt illic sedeas.Licet autẽ rectè Hebraica reddiderit Interpres,alij tamen aliter verterunt,quæ sunt huius-
modi, מָכוֹן לְשִׁבְתְּךָ פָּעַלְתָּ יְהוָה Machon lesibtecha pahálta iehoua, Habitaculum mansioni tuæ fecisti domine.
Alij loco habitationis tuæ, quem operatus es domine, Nonnulli stabilitate habitaculi tui quod tu parasti do-
mine:significat enim Machon,firmitatem, basim, habitationem & sedem. Chaldaica verò habet, locum domus
maiestatis tuæ præparasti domine. A quo Septuaginta non discordant,dicentes, εἰς ἕτοιμον κατοικητήριόμ σου, vi-
delicet, Ad paratum habitaculum tuum. Quæ omnia non discrepant à litera nostra. Mons itaque hæredita-
tis domini, est mons Sion siue Moria, & præparatum habitaculum dei dicitur, eo quòd dominus eum lo-
cum elegerat & præparauerat, quod Moyses in spiritu dei non ignorabat. *Sanctuarium tuum domine, quod firmaue-*
*runt manus tuæ.* ORIGENES. Sanctuarium seu sanctimonium dicitur tabernaculum dei,vel templum,ab eo
quod sanctificat accedentes. EVTHYMIVS. Iuxta aliam literam, Quod perfecisti domine sanctua-
rium



A rium, quod prædestinasti, vel quod tibi præparasti. Domine quod præparauerunt manus tuæ,hoc est, quod
tu parasti, vtitur enim circumlocutione. CAIETANVS. A tribus nominat terram promissionis.
Primùm, monte hæreditatis tuæ. Deinde, firmo, seu parato habitaculo tuo, & demùm, sanctuarium tuum,
& semper relatiuè ad deum. Electa est siquidem terra illa pro populo hærede dei,& in habitaculum stabile
ipsius dei, non secundum seipsum (qui in seipso solus habitat) sed secundum similitudinem effectus, pro
quanto curam habet, fouet ac protegit locum illum, perinde vt princeps proprium habitaculum. Elegit &
ibidem sanctuarium suum (hoc est, locum sui cultus) firmum, ac si manibus diuinis firmatum, seu para-
tum esset. AVCTOR CATENAE. Sanctuarium tuum domine, quod firmauerunt manus tuæ.
Et hæc rectè versa sunt ex Hebræo, quod est huiusmodi: מִקְדָּשׁ אֲדֹנָי כּוֹנְנוּ יָדֶיךָ Mikedas adonai conenu ia-
B decha, Sanctuarium domine quod firmauerunt seu parauerunt manus tuæ. Sic legunt & Septuaginta. Et
subauditur, Nam, hoc modo: Nam templum firmabunt, vel parabunt, ô domine manus tuæ. Quasi di-
cat, Præcipies tibi ædificari templum in sede illa & loco, in quo constituisti habitare. Chaldaica, San-
ctuarium domini præparauerunt manus tuæ. Sed idem est sensus. *Dominus regnabit in æternum & vltra.* ORI-
GENES. Aliter. Domine qui regnas in seculum,& in seculum, & adhuc. Quoties in seculum dicitur, longi-
tudo quidem temporis, sed esse finis aliquis indicatur,& si in aliud seculum dicatur, aliquis sine dubio longior
quidem, tamen ponitur finis, & quoties secula seculorum nominantur, fortasse licet ignotus nobis, tamen
à deo statutus aliquis terminus indicatur. Quod verò addit in hoc loco, & adhuc, nullum sensum termi-
ni alicuius, aut finis reliquit. Quodcunque illud cogitaueris, in quo finem putes posse consistere, sem-
per tibi dicit sermo propheticus, & adhuc, velut si loquatur ad te& dicat, Putas in seculum seculi do-
minum regnaturum? & adhuc. Et quodcunque dixeris illud de regni eius spatiis, semper tibi dicit pro-
pheta, & adhuc. EVTHYMIVS. Iuxta Septuaginta ita legitur, Dominus regnans in seculum.
C Subintellige verbum, est. Et in seculum & amplius. Cùm regnare eum dixerit in seculum, hoc est, per-
petuò, perpetuitatem hanc amplius etiam extendit dicens, quòd vltra ipsum seculum in aliud seculum
regnabit: & deinde magis etiam ac magis extendens, addidit, & amplius. RVPERTVS. Do-
minus regnabit in æternum & vltra. Pulcherrimi cantici clarissimus, & valde sonorus finis hic est:
Certum hoc habet omnis qui nouit dominum, quia dominus regnabit in æternum. Sed quis hoc ipsum
capiat quod dicitur in æternum? Significatum huius vocis nimis spaciosum est. Longitudinem & latitu-
dinem siue altitudinem eius noster intuitus permetiri non potest. Hac voce audita, fortè leuamus capita
nostra, sed non tota videmus æternitatis spacia. Addidit & vltra, velut si dicat: Quantum videre in lon-
ginquum potes, regnabit dominus, & vltra quàm videre potes, vltra id quod ipsa vox, qua dicitur in æter-
num, animo vel intellectui tuo infert. HVGO DE SANCTO VICTORE. Dominus re-
gnabit in æternum & vltra, id est, per præsens seculum totum, & etiam per futurum. Vel per spacium totum
D quod cum mundo incœpit, & cum mundo finiet, & vltra, non quantum ad spacium, sed quantum ad digni-
tatem, scilicet super omnes & super omnia. CAIETANVS. Dominus regnabit in æternum & vltra.
Iuxta Hebræum habetur, Dominus regnabit in seculum, & vsque. Aiunt variam esse significationem dictio-
nis interpretatæ seculum, & propterea ad veram perpetuitatem exprimendam adiungitur & vsque. Infinita-
tem enim durationis insinuat. Et significatur ad literam, quòd regnum dei inchoatum in populo Israël edu-
cto de Aegypto, durabit in æternum. Et verificatur, intelligendo per populum, non Israël secundum carnem,
sed Israël secundum iustitiam, vt Paulus docet. AVCTOR CATENAE. Dominus regnabit in æter-
num & vltra. Dictionem Hebræam לְעֹלָם Leholam,Quidam in æternum,quidam in seculum vertunt.Quod
apud Hebræos non eodem modo sumitur sicut apud Latinos, sed ipsam æternitatem significat, & aliquando
mundum, aliquando etiam quinquaginta annos. Pari modo dictionem וָעֶד Vahed, Aliqui, Et in æternum,
aliqui & in perpetuum siue pepetuò reddiderunt. Quasi dicat, Ipse extrues tibi templum, & tunc rex eris in æ-
E ternum in ea sede quam firmabunt manus tuæ. Chaldaica autem editio legit in hoc loco, Regnum domini
in seculum & in secula seculorum. Non solùm ergo totus hic mundus, & quoad seculum durat totum, deo
subiicitur, vt sit in ipsius plenaria prouidentia ac regimine, sed etiam post hunc mundum in æternum semper
regnat, & electis consulit, & sibi iubet subesse, vt obediant & reuereantur atque colant. Aeternitatem ita-
que sine fine his verbis significant Hebræa. Conclusio igitur totius Cantici, qua breuissimis summa eius
comprehenditur, quòd dominus solus, verus, perpetuus, potentissimus, seueriſsimus, & clementissimus
rex sit, idque adeò publicè declarauit eo miraculo quo Aegyptios in mare deiecit, & Israëlitas per siccum
maris incolumes eduxit. Propterea sequitur. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in ma-*
*re, & reduxit super eos dominus aquas maris. Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris.* EVTHYMIVS.
Vel iuxta Septuaginta,Quia ingressus est equus Pharaonis cum curribus & ascensoribus in mare. Dominus
(inquit) rex æternus & amplius. Ob summam etenim illius potentiam, equorum multitudo simul cum cur-
F ribus & ascensoribus cecidit, & demersa est in mare.Et induxit dominus super eos aquas maris.Aquam scilicet
eos demergentem. Filij autem Israël ambulauerunt per siccum in medio maris. Per siccum iter quod fa-
ctum in medio mari post illius diuisionem. RVPERTVS. Ad caput redit, & vniuersa quasi breui
Epilogo concludit. CAIETANVS. Ingressus est eques Pharao, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, In-
gressus est enim equus Pharaonis cum curribus & equitibus eius mare. Et explicatur ad literam multitu-
do equorum trahentium currus exercitus Pharaonis cum multitudine equitum. Filij autem Israël am-
bulabant per siccum in medio maris. Explicatur in fine Cantici beneficium transitus per mare sicco ve-
stigio, vt nec etiam maduerint calcei. AVCTOR CATENAE. Ingressus est enim eques Pha-
rao, & cætera. Hebraicè est כִּי בָא סוּס פַּרְעֹה Chi ba sus Parho, Quoniam siue quando ingressus est equus si-
ue equitatus Pharaonis, & cætera. Potest etiam dici vt vertit Interpres. Sus enim sonat Hebræis, tam ip-
sum animal, quàm animal vnà cum ascensore, siue etiam equitatum. Septuaginta quoque, ἵππος φαραώ,

id est, equus Pharaonis. Chaldaica, Quando ingressus est equitatus Pharaonis cum curribus suis & equitibus G suis in mare. Sed hæc non discrepant inter se. CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA INNOCENTVM. Verùm intuere quomodo post Aegypti olim graue delictum, post multiplices in eam plagas diuinitùs irrogatas, deus pater omnipotens pietate commotus, filium suum miserit ad Aegyptum, vt quæ iàdudum sub Moyse debitas sceleris sui pœnas expenderat, nunc suscipiendo Christum, spem salutis acciperet. Quãta est dei misericordia, quæ per aduentum filij eius ostensa est. Hæc Aegyptus, quæ olim sub Pharaone in deum contumax & rebellis extiterat, nunc susceptaculum, & habitatio facta est Christi. Talis misericordia domini circa Aegyptũ, qualis & circa illos magos ostensa est, qui Christum dominum cognoscere meruerunt. Nam cũ iamdudum sub Moyse magi diuinis virtutibus resistere ausi sunt, nunc magi viso vno tantùm signo cœlesti, dei filio crediderunt. Et sic illos quidẽ infidelitas sua perduxit ad pœnam, hos verò fides prouexit ad gloriam, dum natũ dñm in corpore crediderunt, quẽ illi in diuinis virtutibus agnoscere noluerunt. Sed inter hæc iniquitas Iudeo- H rum Christum dominum nostrum amisit, Aegyptus suscepit: magi adorant, & Herodes vel Iudæi nepharìè persequuntur. Sequatur sermo ordinem rerum. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens.* RVPERTVS. Pulcher narrationis ordo. Priùs Moyses cum viris, deinde Maria cum mulieribus vnum idémque canticum canit. STRABVS. Tympanum secundum aliquos genus est tubæ in summis habens stipulam vel fistulam, per quam vocem reddit sonoram. Chorus pellis simplex cum duabus cicutis, per alteram quarum inspiratur, per alteram sonus redditur. Secundum alios verò tympanum est pellis extensa inter duo ligna. Chorus autem multitudo simul canentium, & dicitur chorus quasi coæuorum cantus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Sumpsit ergo Maria prophetissa, & cætera. Hoc factum est postquàm viri cantauerunt, vt mulieres idem quod viri cecinerant, & ipsæ quoque canerent. CAIETANVS. Non est nomen instrumenti hoc in loco chorus, sed choreas ducentium. Soror autem appellatur Aaron, Maria, quia prius fuit soror Aaron quàm Moysi, & ideo nomen eius I exprimitur, & tacetur Moysi. Et commendatur ex prophetiæ dono Maria, non ex diuitiis aut nobilitate, dum dicitur prophetissa. Quibus præcinebat. Iuxta Hebræum habetur, Et respondit, seu respondebat, Innuitur enim, quòd tot choris mulierum tanquam ex vna parte canentibus aliquid in diuinam laudem, Maria sola tanquam ex altera parte canebat initium suprascripti cantici. AVCTOR CATENAE. Sumpsit ergo Maria. Hebraicè est וַתִּקַּח מִרְיָם Vatikkach Miriam, Et sumpsit Maria, seu, Tulit autem Maria. Dicendum autem fuisset Miriam, non Maria, sed fortè propter vocis asperitatem, Mariam verterunt tam Septuaginta quàm Chaldaica. Vbi & illud obseruandum, m, esse de nominis essentia, ideo non posse Græcè ac Latinè declinari nisi ea ratione qua inflectimus Adam, Abraham. Est autem nomen dyssyllabum. Hanc Hebræi ideo vocatam asserunt, quia per receptionem quæ Cabala vocatur, ea nata amarum imperium Aegyptiorum super Hebræos acceperunt cœpisse. Nam Marar Hebraicè, amarum sonat. Licet enim priùs seruirent, non tamen vsque adeò premebantur. Quibus præcinebat dicens. Hebraica verba sunt וְהַעַן לָהֶם מִרְיָם Vatáhan la-K hem Miriam. Quia hana verbum, & canere & respondere significat, Vertunt hîc aliqui, Et præcinebat illis Maria, scilicet mulieribus, sicut etiam vertit Interpres. Verùm quoniam dictio lahem est pronomen masculinum hoc in loco, & refertur ad viros non ad mulieres, nam tunc esset lahen, ideo moti aliqui vertunt, Et respondit seu respondebat illis Maria, Moysi scilicet, & aliis viris præcinentibus. Vt enim illi dixerunt, Cantate domino, & cætera, sic quoque illa prorupit iisdem verbis in laudem dei. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta verò, ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν μαριάμ, Incœpit autem illis Maria, illa enim prior inchoabat, ac præcinebat, illę prosequebantur. Quanquam id magis significet imperabat, aut præfecta erat eis. Exemplo ergo virorum & cæteræ fœminæ tripudiant, & à diuinis laudibus non arcentur. Choreas ducunt, non ad petulantiam carnis, sed ad iucunditatẽ spiritus exultantis de beneficiis & salute dei. Mos enim Iudæis fuit, in festiuitatibus puellas conuenire ad canendum sacras cantiones, triumphalia carmina & honesta, ad ædificationem & syncerum gaudium etiam per vices canendo, vna aliqua præcinente, aliis succenturientibus. Tympanis autem ob id maximè vsæ sunt, ꝙ præ cæteris musi- L cis instrumentis ad numeros & mensuram sunt aptiora. Alternis igitur canũt, sibíque metipsis respondẽt, vt mutuùm sese alliciant ad laudem & gloriam cõditoris, & dicunt: *Cantemus domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Verbum imperatiuum שִׁירוּ Siru, à sur, vertunt aliqui, Cantate, Sic & Chaldaica quoque editio habet, Cantate & laudate coram domino, quoniam magnificatus est super magnificos, & magnificentia eius est, equum & ascensorem proiecit in mare. Duntaxat autem primum versum huius Cantici ponit hîc Moyses, verisimile tamen est totum carmen Mariam sororem Aaron cecinisse, sed Moysen noluisse repetere. Et quoniam eadem verba hîc dicuntur quæ suprà in prima lectione posita sunt, illuc prudentem mittimus lectorem, melius est enim ipsum illuc diuertere pauxillùm, quàm nos eadem repetendo onerosos esse.

*Mysticè.* ORIGENES. Spiritualiter autem, Audierunt gentes, & iratæ sunt, dolores comprehenderunt habitatores Philistiim, & cætera. Quantum ad historiam pertinet, nullum ex his gentibus interfuisse M mirabilibus quæ facta sunt, constat. Quomodo ergo videbuntur tremore deterritæ, vel festinasse (vt dicit) vel irati esse Philistiim, & Moabitæ, & Edom, & reliquæ quas enumerat nationes? Sed si redeamus ad intelligẽtiam spiritalem, inueniemus quia Philistiim, id est, cadẽtes populi, & Edom, qui interpretatur terrenus, trepidant, & horum omnium principes cursitant & pauent constricti doloribus, cũ vident regna sua, quæ in inferno sunt, penetrata ab eo qui descendit in inferiora terræ, vt eriperet eos, qui possidebantur à morte. Hinc eos cõprehendit timor & tremor, quia senserunt magnitudinem brachij eius. Hinc etiã tabuerunt omnes inhabitãtes Chanaan, qui mutabiles interpretantur & mobiles, cũ vident moueri regna sua, alligari fortẽ, & vasa eius diripi. Veniat ergo super eos timor & tremor magnitudinis brachij tui. Quid timent dæmones? Quid tremunt? sine dubio crucẽ Christi, in qua triũphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorũ & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signũ in nobis viderint crucis fideliter fixũ, & magnitudinem brachij illius, quod dominus expandit



A expandit in cruce, sicut dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet super eos, nisi videant in te crucem Christi, nisi & tu potueris dicere, Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Rom.10.* *Gal.6.* RVPERTVS. Edom, id est, terrenus & sanguinolentus, & Moab quod interpretatur ex patre, subauditur diabolo, Chanaan quoque, quod interpretatur commotio, Philistiim quòd interpretatur potione cadentes, omnes illos & nominibus significauerunt, & factis suis præfigurauerunt, qui Christo victore coronato, gloriam eius cœlis enarrantibus, atque in omnem terram exeunte sono Apostolorum eius, victi diaboli causam quasi tuendam susceperunt, & spiritu eius inflammati, in omnes in Christo credentes, ascenderunt, & irati sunt: Irruat (inquit) super eos formido & pauor in magnitudine brachij tui. Formido de futuris, pauor de præsentibus. Hoc iustè illis imprecatur, qui gloria dei cruciantur,

B cunctis videlicet hostibus fidei, vel nominis domini, tam visibilibus quàm inuisibilibus. Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem acquisti seu possedisti. ORIGENES. Verè cæcitas ex parte contigit in Israël secundum carnem, donec plenitudo gentium subintroiret, cùm enim plenitudo gentium subintrauerit, tunc etiam omnis Israël, qui per incredulitatis duritiam factus fuerat sicut lapis, saluabitur. Et vis videre quomodo saluabitur? Potens est (inquit) deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Manent ergo lapides nunc, donec pertranseat populus tuus domine, populus tuus hic, quem acquisiuisti. Sed si ipse dominus creator est omnium, vídendum est quomodo hic acquisisse dicatur, quæ sua esse non dubium est. Dicitur & in alio Cantico Deuteronomij, Nónne hic ipse deus tuus qui *Deut.32.* fecit te, & creauit te, & acquisiuit te? Videtur enim vniusquisque illud acquirere, quod non fuit suum. Inde denique & hæretici dicunt de saluatore, quia non erant sui quos acquisiuit. Dato enim precio mercatus est homi- *1.Cor.7.*

C nes, quos creator fecerat. Et certum est (aiunt) vnumquemque non illud emere, quod suum est. Apostolus enim ait, Precio enim empti estis. Sed audi quid dicit Propheta, Peccatis vestris venundati estis, & pro iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram. Vides ergo, quia dei quidem creaturæ omnes sumus, vnusquisque verò peccatis suis venundatur, & pro iniquitatibus suis à proprio creatore discedit. Dei igitur sumus, secundum quod ab eo creati sumus. Effecti verò sumus serui diaboli, secundum quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus, redemit nos cum seruiremus illi domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Et ita videtur tanquam suos quidem recepisse, quos creauerat, tanquam alienos autem acquisiuisse, quia alienum sibi dominum siue errando, siue peccando quæsiuerant. Et fortasse rectè quidem dicitur redemisse nos Christus, qui precium nostri sanguinem suum dedit, quid tale autem vt nos mercaretur, etiam diabolus dedit? Ergo (si videtur) ausculta, Homicidium pecunia diaboli est. Ille enim ab initio homicida est. Feciſti homicidium? diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium diaboli pecunia est: Diaboli enim in eo imago est & superscriptio. Commisisti adulterium? accepisti diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, hæc omnia

D diaboli census est, & diaboli thesaurus. Talis enim pecunia de eius moneta procedit. Hac igitur pecunia emit ille, quos emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huiscemodi censu eius quantulumcunque susceperunt. Verùm ego vereor, ne etiam aliquos de astantibus, quos nescimus, diabolus mercetur occultè, ne etiam aliquibus nostrum hanc pecuniam quam supra enumerauimus, ingerat, & faciat illos rursum suos, & rursum pro eis tabulas seruitutis & peccati Chirographum scribat, atque immisceat seruis dei eos quos peccati precio sibi fecerit seruos. Solet enim (quia inimicus homo est) tritico miscere zizaniam. Et tamen si quis fortè huiscemodi pecuniam à diabolo deceptus accepit, non vsquequaq; desperet: misericors enim est, & miserator dominus, & creaturæ suæ non vult mortem, sed vt conuertatur & viuat. Pœnitendo, flendo, satisfaciẽdo doleat, quod admissum est. Dicit enim propheta, Quia si conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Paulò latiùs progressi sumus, dũ volumus exponere quomodo deus quę sua sunt, dicatur acquirere, & redimere Christus sanguine precioso, quos emerat diabolus vili mercede peccati. RVPERTVS. Vel fiant immobiles quasi lapis, videlicet vt mobilibus

E & bene ad deum currentibus, fidei hostes nocere nõ possint. Donec pertranseat populus tuus domine, subauditur, qui manentẽ hîc non habet ciuitatem sed futuram inquirit. Donec pertranseat populus tuus iste, quẽ possedisti. Repetitio pertranseuntis populi, est quidem in litera ornatus sermonis vel Cantici, sed in mysterio placet magis, si post priorẽ Hebræorũ, sequentem quoq; gentiũ populum intelligere velis, quem suo sanguine emptum, ductor Christus possedit, patre dicente, Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. ORIGENES. Inducens planta eos in monte hæreditatis tuæ. Non vult nos deus in Aegypto *Psalm.2.* plantare, nec in deiectis & in humilibus locis, sed in mõte hæreditatis suæ vult plantare, quos plantat. Tum prę-

F terea quod addit, inducens planta eos, num tibi videtur tanquã de pueris dicere, qui inducuntur ad scholas, inducuntur ad literas, inducuntur ad omnẽ eruditionem? Intellige ergo per hæc (si tamen habes aures audiendi) quomodo deus plantat, ne fortè cum audis eum inducere & plantare, putes eum ficus in terra, aut alia huiusmodi virgulta defigere. Audi & alibi quomodo plantat deus. Propheta dicit, Vineam ex Aegypto transtuliſti, & expulisti gentes, & plantasti eam. Peruium iter feciſti ante eam, plantasti radices eius, & repleuisti terram. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros dei. Aduertisti iam quomodo plantat deus, & vbi plantat? Non plan- *Psalm.79.* tat in vallibus, sed in montibus excelsis, & sublimibus locis. Quos enim educit de Aegypto, quos de seculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, sed conuersationem eorum vult esse sublimẽ. Vult nos in montibus habitare, sed in ipsis nihilominus montibus non vult nos super terrã repere, nec vltra vult vineam suã humi deiectos habere fructus, sed vult palmites eius sursum duci, in alto collocari, traduces fieri, & traduces nõ in quibuscũq; humilibus arboribus, sed in excelsis, & in altissimis cedris dei. Cedros dei ego Prophetas & Apostolos puto, quibus nos si adiungamur, vitis quã de Aegypto trãstulit deus, & per ramos eorũ nostri palmites diffundãtur atq; ipsis innixi, traduces quædã efficiamur, charitatis adinuicẽ vinculis connexi, fructum sine dubio plurimũ afferemus. Nam omnis arbor quæ nõ facit fructũ excidetur, & in ignẽ mittetur. In præparata habi- *Matth.3.* tatione tua, quã præparasti dñe. Vide clementis domini bonitatẽ, non vult te inducere ad laborem, non vult vt

*Ioannis. 4.* ipse tibi facias habitaculum, iam te ad præparatam deducit habitationem. Audi eum dicentem in Euangelio, G Alij laborarunt,& vos in labores eorum introistis. Sanctimonium domine, quod præparauerunt manus tuæ. Hoc non dicit manu hominis factum,sed manu dei. Quid ergo? Propter te deus & plantat & ædificat, agricola *1.Cor.3.* efficitur, structor efficitur,ne tibi aliquid desit. Audi & Paulum dicentem,Dei agricultura, dei ędificatio estis. Quod ergo istud est,sanctimonium,quod non manu hominis factum est, sed manibus dei paratum? Audi Sapientiam dientem, quia ædificauit sibi domum.Ego autem hoc de incarnatione domini rectiùs intelligendum puto.Non enim manu hominum factum est, id est, non opere humano templum carnis ædificatur in Virgine, sed sicut prædixerat Daniel, Lapis sine manibus excisus creuit,& factus est mons magnus. Istud est sanctuarium carnis assumptæ,& sine manibus, id est, absque opere hominum de monte humanæ naturæ & substantiæ carnis excisum. RVPERTVS. Verba igitur hæc, Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, & cætera,secundum similitudinem prædictam vineæ dicta sunt: In monte (inquit) hæreditatis tuæ. Terra H quidem montosa est quam dedit dominus populo illi, sed incomparabiliter ea celsior est terra, quam rectè dicas montem hæreditatis domini, præsertim cũ protinus subiunxerit, Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine,sanctuarium tuum domine quod firmauerunt manus tuæ. Ergo mons in quo magnum sit plantari populo dei,quod rectè vocetur firmissimum habitaculum domini, quod operatus ipse sit, quod sanctuariũ *Exech.31.* sit domini,quod manibus suis ipse confirmauerit, ille est libanus,de quo Propheta, plãtationem apostaticã eiectam dicit esse, his verbis: Ecce Assur quasi cedrus in libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius. Et post pauca, Omne lignum paradisi dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius, quoniam speciosum feci eum. Ac deinceps, Cui assimilatus es ô inclite atque sublimis inter voluptatis ligna? Ecce deductus es cũ lignis voluptatis ad terram vltimam, in medio incircuncisorum dormies cum his qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao & omnis multitudo eius,dicit dominus. In hoc ergo monte ex quo Lucifer & Angeli eius potentissimè eiecti, primùm quod I est mirabile, latronem plantauit, dicendo, Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso. AVCTOR CA- *Luc.23.* TENAE. Significat ergo mons iste statum gloriæ beatorum, vbi hæreditas sola erit sanctorum & propria, maiestas & bonitas dei, quam fruendam in æternum præbebit electis, statum omnium bonorum aggregatione perfectum, felicissimúmque.Sequitur,Dominus regnabit in æternum & vltra. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & cætera. RVPERTVS. Quasi quæreres vnde scis quia dominus regnabit, rationem reddit huiusmodi, Ingressus est enim Pharao,& cætera.Ergo nisi ille in mare ingressus fuisset, & nisi dominus super eum aquas reduxisset, dominus non regnaret? Planè regnaret vbique po- *Esaiæ.26.* testate, sed non regnaret illa hominum possessione quam Propheta Esaias suspirans, Et possederunt nos (inquit)domini absque te. Nisi(inquam)fuisset oppressus ille Pharao spiritualis, dominus non regnaret in nobis, id est,nisi fuisset eiectus princeps mundi, non possideret nos Christus filius dei,non regnaret in nobis saluator mundi. EVTHYMIVS. Iuxta Anagogen etiam. Ascensores & tristatas Pharaonis,Dæmones esse intel- K liges,qui in homines conscendũt,atque in tribus animæ partibus sistentes, certant atque oppugnant nos. Per equos verò, passiones atque affectus animi intelliges,per quos illi trahere homines solent, ac veluti currus quosdam, quocunque eis libuerit, transferre. Vehicula enim dæmonum, modò affectus sunt,& modò homines.Per Pharaonem etiam Satanam significauit, qui primus est inter dæmones,& per rubrum mare amaritudinem & demersionem,in quam dæmones cum equis & curribus incidunt, quoties deus seruos suos eripuerit & liberauerit à diabolicis insidiis: & in vniuersum, per gentes & per duces Edom,& alios qui hîc cõnumerati sunt,prauos homines atque eorum principes intellige.Per populum verò dei,eos significauit, qui deo oblati, & dedicati sunt,quique eius mandatis obediunt.Mons etiã hæreditatis dei, cœlum est.Et filij Israël, dei populus, qui trãseunt per siccum, quia ab affectuum & passionum aquis,quæ in medio præsentis vitæ sunt, madefieri non possunt. ORIGENES. Et tu si filius Israël es,potes ambulare per siccum in medio mari. Si fueris in medio nationis prauæ & peruersæ,sicut lumen solis verbum vitæ continens ad gloriam, potest fieri, vt in medio peccato- L rum incedentem te non infundat humor peccati,potest fieri, vt transeuntem te per hunc mundum,nulla libidinis vnda respergat,nullus cupiditatis æstus euerberet. Qui Aegyptius est,& sequitur Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur. Qui verò sequitur Christum, & sicut ipse ambulauit, ita & ipse ambulat, aquæ ei murus fiunt dextra læuáque, ipse autem media via incedit per siccum. Non declinat ad dextram neque ad sinistram, vsque quo exeat ad libertatem, & hymnum victoriæ concinat domino, dicens, Cantemus domino, glorioſè enim honorificatus est. AVCTOR CATENAE. Vel cum fuerit iustorum præmium felicitas perfecta,& regnum dei in electis perpetuum, impiorum hîc merces notatur, fremitus, dolor parturientium, animi perturbatio,desperatio,furia,virium dissolutio,formido & pauor,silentium à bonis,clamor blasphemiæ in deũ, detestatio omnis boni,inuidia contra bonos, persecutionis studium. Atque pertrahuntur obduratione cordis contra mandata domini, vt obliti periculorum irruant in suam perniciem inchoandam in fine vitæ huius, & in secula seculorum duraturam. RVPERTVS. Sed & Maria prophetissa sumpsisse dicitur tympanum M in manu, post quam egressæ sunt omnes mulieres etiam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens, Cantemus domino,& cætera. Et nos hunc ordinem spiritualiter intelligentes, saltem vt mulieres cum mulieribus,quoniam infirmæ animæ sumus,eadem fide cantemus,nam Apostolos,& apostolicos homines quicunque armati de Aegypto ascenderunt,& ad pręliandũ fortes sunt,viros esse fatemur,& eorũ cõparatione,cũ quasi mulieres scimus,nequaq̃ eorũ choro cõsistere, vel codẽ tono personare valemus.Notandũ verò, quia Mariã hîc prophetissam scriptura nũcupauit,quia videlicet(sicut prædictũ,partimq; expositũ est) futurorũ prophetiã verba cõtinent huius cantici,cũ sonare videatur tantũ de præsentibus aut præteritis.Et pulchrè sumpsisse dicitur tympanum,quod modulationis instrumentũ coriũ est in ligno extensum,significatq; carnis mortificationem,sine qua nulla potest anima probam se exhibere cantatricem. STRABVS. Et quia in choro æqualiter omnes voces resonant,per eum charitas significatur,qua omnes in Christo vnum sumus. Quicunq; ergo deo in iubilũ laudes reddit



A reddit,in choro,hoc est, in charitate, hoc agat, & in tympano, id est, in mortificatione carnis, vt in Psalmo dicitur, Laudate eum in tympano & choro. RVPERTVS. Et egressæ sunt (inquit) omnes mulieres post *Psal.150.* eam. Mulier à mollitie dicta est. Sed oportet ab ipsa mollitie sua fidelem animam parumper egredi, quatenus viros imitari,& dignè deo canere possit. AMBROSIVS IN EXHORTATIONE AD VIRGINES. Sumite ergo & vos filij charissimi, sicut sumpsit Maria soror Moysi & Aaron,tympanum in manibus vestris, & exite dicentes, Cantemus domino, glorioſè enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Mortificate membra vestra, vt tympani modo nulla in iis lasciuia carnis exæstuet, omnísque flagrantiæ corporalis sensus intereat. Nesciat in iis nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus resultare. Si enim mortui fueritis peccato, viuetis deo. Viuetis autem, si non regnet in corpore vestro mortuo vlla concupiscentia. Versate manibus vestris crucem domini Iesu, & in vestris eam operibus ableuan- B tes, calcate mundi huius profundum, & pertransite, vt ille, sic vt equus adhinniens in libidinem, nullum locum inueniat in vobis, & quicunque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur. Dextera læuáque circa vos aquæ murus sit, vt vapor omnis corporis temperetur, donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & Septuaginta arbores palmarum, ad illam magni requiem sabbati diuina vos dignatio perducat, & in monte hæreditatis suæ plantare dignetur, vbi sancta Maria choros ducit. ZENO EPISCOPVS *Lib.2.Ser.* VERONENSIS. Vel Maria quæ cum mulieribus tympanum quatit,typus Ecclesię fuit,quæ cum omnibus *Ser.14.* Ecclesiis quas peperit, hymnum canens,& pectoris verum tympanum quatiens, populum Christianum ducit, non in eremum, sed ad cœlum.

C *EXIIT autem Moyses Israël de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur. Ambulauerúntque* 4 *tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et uenerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quòd essent amaræ. Vnde & congruum loco nomen imposuit uocans illum Mara, id est, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens, Quid bibemus? At ille clamauit ad dominum, qui ostendit ei lignum. Quod cùm misisset in aquas,in dulcedinem uersæ sunt. Ibi constituit ei præcepta atque iudicia,& ibi tentauit eum, dicens,Si audieris uocem domini dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius,custodieríque omnia præcepta illius, cunctum languorem quem posui in Aegypto, non inducam super te. Ego enim sum dominus deus sanator tuus. Venerunt autem in Helim filii Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum,& septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.*

ORIGENES. Post transitum maris rubri & magnifici secreta mysterij,post choros & tympana,post trium- 4 D phales hymnos, venitur ad Marath, siue iuxta aliam literam Myrrham. Marath autem aqua erat amara, quam *Hom.7.* non poterat populus dei bibere. Ait ergo sancta scriptura: *Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Sur vbi inuenit Angelus ancillam Saræ Agar, inter Cades & Barad. Extenditur autem desertum Sur vsque ad mare rubrum, quod ad Aegypti confinia peruenit.Porrò Cades solitudo est super vrbem Petram,sed & scriptura desertum Cades contra faciem Aegypti extendi memorat, ad quod primùm venere Hebræi rubro mari transuadato. IDEM AD FABIOLAM. Egressis de mari rubro, occurrit eremus Sur, quæ & solitudo Etham dicitur. CAIETANVS. Tulit autem Moyses. Iuxta Hebræum habetur, Et fecit mouere Moyses Israël de mari rubro.Et hoc tanquam dux populi. Sed non dicitur quoto die ab egressu maris, nec quoto die ab egressu Aegypti. Et egressi sunt in desertum Sur. Vt enim patet Numerorum trigesimo tertio, hoc idem est desertum Etham. Nec scimus quare tot nominibus appelletur. Fortè nomen deserti erat Etham,& pars aliqua denominata est Sur, & hæc pars hîc si- E gnificatur. AVCTOR CATENAE. Tulit autem Moyses Israël de mari rubro. Sic habet & Chaldaica. Alij verbum יַסַּע Vaiassaha futurum à Nasaha, verterunt & discedere seu eleuare vel mouere aut proficisci fecit. Septuaginta autem, ἐξῆρε δὲ μωϋσῆς τοὺς υἱοὺς ἰσραὴλ, Eleuauit siue eduxit autem Moyses filios Israël, castra moueri fecit. Quæ tamen idem sunt in sensu cum litera nostra. Vna igitur est, Eremus, tametsi diuersa nomina à locis adiacentibus sortiatur. Nec prætereundum, quòd Chaldaica editio habet hoc in loco, Et egressi sunt per desertum Agra. Desertum verò vocatur, non quòd nemo in eo habitet, sed quòd sit aspera regio & montosa. *Ambulauerúntque tribus diebus per solitudinem & non inueniebant aquam.* AVGVSTINVS IN LO- *Locut.7ò.* CVTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod apud Septuaginta additur, ὥσε πιεῖν, id est, non inueniebant aquam,vt biberent, poterat non haberi, vt biberent. AVCTOR CATENAE. Triduo verò solitudines peruagantur, vt fides tentetur, & manifestetur carnis infirmitas. *Et venerunt in Marath,nec poterant bibere aquas de Marath,eo quòd essent amaræ.* HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Mara quod interpreta- F tur amaritudo, locus est, in quo amaras aquas iactu ligni Moyses in dulcem vertit saporem. RVPERTVS. Hoc igitur quòd non inuenerint aquas,& venientes in Marath non potuerint bibere præ amaritudine, pro tentatione illorum factum est. AVCTOR CATENAE. Sitis enim tentationem passi,occasionem accipiunt duræ ceruicis populi, vt ducis sui fidelissimi merita agnoscant, obedire eidem discant,& vt amicum dei amplius venerentur. *Vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Si propter hoc appellatum *Quæst.57.* est nomen loci eius amaritudo, quia non poterant ibi aquam bibere, eo quòd amara esset. Mara enim interpretatur amaritudo, quomodo venerunt in Marath vel secundum aliam literam in Mesra, nisi quia eo nomine locum scriptura appellauit, ad quem venerunt, quo iam appellabatur cùm hæc scribebantur. Posterius enim vtique hæc scripta sunt, quàm illa contigerunt. CAIETANVS. Vel qui loco illi imposuerat nomen Mara, commendatur. Quod autem subditur,id est, amaritudinem, Interpres addidit, non enim ha-

 betur

betur in Hebræo textu. AVCTOR CATENAE. Vnde congruum loco nomen impoſuit, & cætera. He- G
braica ſunt huiuſmodi, עַל כֵּן קָרָא שְׁמָהּ מָרָה Hal chen kára ſema Mara, Propterea vocatum eſt nomen eius
Mara, nam impersonalia & paſsiua, ſæpe voce actiua apud illos efferuntur. Sicut & illud, Et Adæ non
inueniebatur adiutorium, vbi legitur מָצָא Maza, inueniebat, paſsiuum tamen eſt, vel impersonale. Se-
ptuaginta quoque hoc idem intellexerunt, ἐπωνομάσθη τὸ ὄνομα τοῦ τόπου, id eſt, cognominatus eſt locus,
vel vocatum eſt nomen loci. Chaldaica tamen actiuè legit, Propterea vocauit nomen eiuſdem Mara.
Non ſunt igitur in Hebræo tot verba, quot in Latina litera, quæ tamen poſuit Interpres pro clariori lo-
ci intelligentia. Aut ergo ab euentu tunc populus ipſe Iſraël, vel Moyſes loco Marath nomen impoſuit.
*Et murmurauit populus contra Moyſen dicens, Quid bibemus?* AVGVSTINVS IN LOCVTIONI-
*Locut.71.* BVS SVPER EXODVM. Λέγοντες, id eſt, dicentes, non dicens, habent Septuaginta. Ex pluri-
bus enim populus conſtat. RVPERTVS. Tentatus populus continuò reprehenſibilis inuentus eſt, H
nam murmurauit, dicens, quid bibemus? Non quia dixit, ſed quia murmurando dixit, quid bibemus, re-
ctè arguitur. Sed hæc prima tentatio improbitas fuit. AVCTOR CATENAE. Talis eſt autem
conditio ducum & imperatorum, vt omnis clamor, omnis neceſsitas in eos redundet, ipſius vnius caput
ſi quid populo accidit, petitur. Pro murmure contra Moyſen, dominum oraſſe debuerant, cuius iam fuerant
palàm beneficentiam experti. Sed ingratitudo perpetua Iudaici populi deſcribenda ſuſcipitur in ſacris literis,
contra prophetas omnes, tandémque & dominum prophetarum. *At ille clamauit ad dominum, qui oſtendit ei*
*lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONI-
*Quæſt.57.* BVS SVPER EXODVM. Genus ligni erat iſtam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat deus,
qui tanta mirabilia faciebat? Hoc tamen videtur ſignificare quod dictum eſt, oſtendit ei, tanquam tale iam
lignum eſſet, quo poſſet hoc fieri. Niſi fortè locus erat vbi ligna omnino non inueniebantur, vt hoc ipſum eſ-
ſet diuini adiutorij, quòd ei dominus lignum oſtendit, vbi nullum erat, & per lignum aquas dulces fecit, præ- I
figurans vt poſtea docetur, gloriam & gratiam Crucis, ſed in tali etiam natura ligni, quis niſi creator & demon-
ſtrator laudandus eſt? IDEM LIBRO PRIMO DE MIRABILIBVS SACRAE SCRIPTV-
*Cap.22.* RAE. Per infœcundæ igitur auium digreſsi ſolitudinis, trium dierum continuò fatigati labore, queruloſi ar-
dore ſitis, in Marath aquas amariſsimas inuenerunt, quarum ſalſitate prohibiti, ſuæ ſitis ſolamen minimè habe-
re valuerunt. Sed Moyſi à domino lignum oſtenditur, cuius tactu amara fluminis aqua indulcoratur, eiuſque
dehinc dulci ſapore populus, ſitis ardorem debriatus depoſuit, quem illucuſque inceſſabiliter furor fatiga-
uit. Sed qualiter naturæ inueſtigator naturaliter eſſe factum approbabit, quòd amarę aquę in momẽto ligni ta-
ctu protinus indulcantur? Cuius ergo naturæ, vt tantæ dulcedinis lignũ fuiſſe videretur, quo ſemel intincta flu
minis vnda amariſsima, ſuauis & ſapida fit? Etenim ſi fauum mellis aliquis nunc in amaram vndam iecerit,
nónne potius fauus amarus, quàm vnda ſapida erit? Ex quo intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquã
effeciſſe dulcem, ſed præcepto conditoris & naturæ gubernatoris, lympham mutauit in ſaporem. Nam & virga K
illa qua à Moyſe mare rubrum percutitur, & flumen & cœlum & terra flagellantur, quando terra Aegypti diuer-
ſis plagis maceratur, non hanc in natura virtutem habuit, cùm eam Moyſes vel Aaron ad hæc facienda eleua-
uit, vel vt aquam fluminis in ſanguinem verteret, vel etiam Cyniphes de puluere ſuſcitaret, vel tenebras du-
ceret de cœlo. Si enim aliquis præter Moyſen, & non cum dei præcepto mare iterum ex illa virga percuſsiſſet,
pro certo eius percuſsioni Tethis nequaquam cederet. Et ſi iterum aquas fortuitu percuteret, profectò illas nun-
quam in ſanguinem mutaret. Sic & illam arborem per quã in Marath aqua ſalſa indulcatur, ſi in amarũ liquo-
rem aliquis intingeret, & non idem deus vt primitùs imperaret, pro certo non illã ſalſuginem in ſuauẽ ſaporem
commutaret. Vnde peruidendum eſt, quòd nõ ideo deus hæc ligna vel etiam de fornace puluerẽ in his mirabili-
bus intereſſe præceperat, vt aliquid in illis per eorũ naturam vel adminiſtrationem effectum fuiſſe quis credat.
Sed per hæc futurorũ myſteria præſignata eſſe inſtituit, vt quid in his nunc mergere prouectibus iſta faciant, ſa-
piẽs doctor figurali expoſitione decernat. Dum autẽ lignũ nihil in hoc naturaliter feciſſe probauimus, reſtat nũc L
vt quomodo per naturam factum ſit exponamus. Quodcũque ergo per ſtudium quãuis longi temporis in re ali-
qua inuenitur non aliunde in eadem per induſtriam ex aliena natura conducitur, ſed cùm in naturæ abdito re-
ceſſu, occultatur, priùs hoc perplexi temporis induſtria, & alterius naturæ adiumentum reddit. Et quod per hu-
manum ſeu etiam rerum effectum longo cultu efficitur, hoc dei voluntate cùm neceſſe habet, ipſa natura ope-
ratur. Aquas igitur amaras, vel etiam ipſas ſalſiſsimas in dulcem ſaporem verti poſſe frequenter nautæ compro-
bant, qui illas per humũ optimæ terræ infuſas, & hoc artificio etiam indulcoratas, ſæpe ſitim temperant. Nubes
quoq; de marinis finibus vapores leuant ſalſi liquoris, ſed eaſdẽ dulces quando pluunt terrenis vſibus miniſtrãt,
quoniã ſalſuginis vitiũ quod in ſemetipſis aquæ inſitũ capiunt, per infuſionẽ terræ aut nubiũ deponunt. Simili-
ter quóq; & dulces aquæ, cùm eas homines per marinorũ olerum cineres hauriunt, ſalſum & pluſq̃ Oceani ſapo-
rem reddunt. Hanc ergo mutationẽ inſitam ſibi naturaliter aquæ habent, ſed celerius per præceptum condito-
ris illam, quàm per efficaciam humanæ diligentiæ, & ipſarum rerũ miniſtrationem exhibent. Per alterius enim M
rei adiumẽtum humana diligentia, vel ipſa cuiuſq; rei miniſtratio alicuius naturæ ſuperficiem mutat. Ipſe verò
creaturarũ conditor & gubernator naturam occultam quæ per aliam rem manifeſtãda fieret, in re ipſa ſola de-
nudat. Sic & nunc amara aqua vt dulcedinem, quam in occulto ſuę naturę continuerat, per humum aut nubem
ab amaritudine purgata oſtenderet, ita iuſſu gubernatoris potentiſsimi naturam per ſe ſolam abſque alterius rei
iuuamine exhibet. THEODORETVS. Multi quæſierunt quódnam lignum fuerit, per quod amare aquæ
dulces factæ ſunt. Superuacaneum atque abſurdum eſt, quæ à ſcriptura ſilentio prætermiſſa ſunt exquirere. Sa-
tis abundéque nobis ſit didiciſſe, per lignũ amaras aquas in dulces deum commutaſſe. AMBROSIVS DE
*Cap.9.* HIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS. Marath igitur fluuius amariſsimus erat, vt ſitiens populus
bibere non poſſet. Miſit Moyſes lignũ in aquã, & amaritudinẽ ſuam aquarũ natura depoſuit, quam infuſa ſubi-
tò gratia tẽperauit. CAIETANVS. At ille clamauit ad dñm. Ad fontẽ gratiarũ cordis clamore petit Moyſes.

Qui



A Qui oſtẽdit ei lignũ. Iuxta Hebręũ habetur, & docuit ipſum dominus lignũ. Dicẽdo docuit, inſinuat quòd lignũ
illud naturalem habebat virtutem reddendi dulcẽ, aquam amaram. Multitudinem enim lignorũ proiectam in
aquas, intelligo Hebræo more ſignatam per lignum. AVCTOR CATENAE. Qui oſtendit ei lignum.
Hebraicè eſt וַיּוֹרֵהוּ יְהוָה עֵץ Vaiorehu Iehoua hez, Et oſtẽdit ei dominus lignum: ſic & Chaldaica, ſic & Septua-
ginta. Alij verò quia verbum iara etiam docere ſignificat, vertũt, Et docuit eum dominus arborem, id eſt oſten-
dit ei arborem, ex qua decerptum ramum proiecit in aquas amaras. Nonnulli, Et docuit eum dominus de ligno,
hoc eſt, docuit eum vim & naturam ligni: ſicut & poſtea Salomonem docuit naturas & proprietates omnium
herbarum. De quibus aiunt Hebræi quidam quòd librum ſcripſit. Sed quia is venerat in abuſum, & multi con-
fidentiam ſuam magis in herbas quàm in deum poſuerant, abſtuliſſe Ezechiam librum illum, ne poſteri ſui pe-
ius aberrarent, & in infirmitatibus non ad deum præcipuè, ſed ad herbas recurrerent. Murmurat itaque populus,
B Moyſes ad dominum clamat. Confugiunt ad orationem ſancti, quotiens homo vel caro tentauerit ſpiritum, &
id nunquam inaniter. Exemplum omnibus qui preſunt, vt omnibus in caſibus recurrant ad dominum, propriis
non fidant viribus, neque deſperent. Exemplum etiam quòd iuſti rectores propter ſubditorum murmura, ceſſa-
re non debent à procuratione bonorum omnium. *Ibi conſtituit ei præcepta atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens.*

CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ibi poſuit ei ſtatutum & iudicium, & ibi tẽtauit ipſum. Duplex
poteſt eſſe ſenſus. Alter vt deus dederit ibi populo aliquod præceptum cærimoniale (puta obſeruationem ſepti-
mæ diei, hoc eſt, Sabbati) & aliquod præceptum iudiciale. Et præceptum quidem Sabbati ibidem datum ratio-
nabiliter dicitur, quia in ſequenti capitulo commemoratur præceptum ſabbati, & inſtruitur populus vt ſexta
die præparent & coquant edenda in ſabbato. De præceptis verò iudicialibus nihil ſubiungitur teſtificans ali-
quod iudiciale præceptum datum ibidẽm. Alter ſenſus eſt, quòd deus vim ſui præcepti atque iudicij appoſuit
præceptis paternis, ſolitíſque iudiciis in populo Iſraël, vt præſupponamus multa præcepta paterna ab Abraham,
C Iſaac & Iacob, tum moralia tum cęrimonialia fuiſſe in Iſraëlitis, multáſque inter ſe habuiſſe regulas iudicio-
rum, ſecundum quas permittebat Pharao à propriis iudicibus Iſraëlitas iudicari. Rationi ſiquidem conſenta-
neum eſt, vt hoc permiſerit Pharao, quod hodie permittunt principes in regionibus, vbi aliqua natio copioſæ
eſt multitudinis. Et hic ſenſus quadrat contextui, nam nullum exprimitur præceptum cuiuſcunque generis in
ſpecie, ſed vis tantummodo diuina in præceptis omnibus reuerenda continetur cum præmio. Quocirca hæc
tria, & poſuit præceptum, & iudicium, & ibi tentauit ipſum, verba ſunt Moyſi exponentis vim ſubiunctorum
diuinorum verborum, præponit enim quòd ſubiungenda dei verba dicta fuerunt ibidem à deo populo Iſraël
ad ponendum vim præcepti ac iudicij diuini in auditis à patribus præceptis atque iudiciis, & ad experimento
videndum, an populus parui vel magni penderet diuinam in præceptis atque iudiciis auctoritatem. Et hoc vl-
timum intellige metaphoricè, nam deus non niſi metaphoricè tentat, quia tentare neſcientis eſt, quemadmo-
dum enim deus iraſcitur, ita & tentat, pro quanto ad ſimilitudinem tentantis operatur. Quo autem dicendi ge-
D nere ſeu modo deus alloquutus eſt populum hac prima vice, non eſt ſcriptum. Crediderim ego, deum per Moy-
ſen dixiſſe hæc verba populo, & allocutionem populi per ſeipſum reſeruaſſe mõti Sinai. Moueor autem ad hoc
credendum, quia ſi hæc fuiſſet allocutio dei per ſeipſum, fuiſſet prima, & non ſine apparatu & facta & ſcripta
fuiſſet. Redacto itaque populo in libertatem & ſecuritatem libertatis, ſubmerſis Aegyptiis, incœpit deus per
Moyſen liberum iam populum monere, inchoando ab auctoritate diuina in præceptis ſolitis, & alliciendo ad
reuerentiam auctoritatis diuinæ appoſito præmio. AVCTOR CATENAE. Ibi conſtituit ei præcepta
atque iudicia. Hebraicè eſt לוֹ חֹק וּמִשְׁפָּט Lo chok vmiſpat, Ei ſtatutum & iudicium. Ei ſcilicet Iſraëli, id eſt, illic
deus tulit Iſraëlitis aliquot leges in quibus exercerentur & probarentur. Septuaginta legunt hîc δικαιώματα καὶ
κρίσεις, Iuſtificationes & iudicia. Chaldaica, Pactum & iudicium. Quæ omnia vnum ſunt cum Latina editione.
Chok enim (vt aliàs dictum) pactum, præceptum, ſtatutum, legitimum, ritum, conſtitutum, cærimonias & iuſ-
ſionem ſignificat. In Mara ergo deus pactum cum patribus factum renouauit, populum docuit ne ex ſeruitute
E liberatus, ad carnis libidinem deflecteret, rectéque coram deo & proximo viueret, in ſimplicitate & innocentia
ambularet. Populum quoque tentauit deus, dum aquis carebant & probabantur. Non quidem vt ſibi qui omnia
nouit, ſed populo ipſi & poſteris illorum impatientiam & infidelitatem notas faceret. Vel proponendo leges
quaſdam ciuiles voluit probare, num ferus ille, & alioqui indomitus populus, poſſet & legitimam formam rei-
publicæ ferre, & ordinariis legibus obedire. Habet enim hîc ſe deus humano modo erga ſuos electos. RV-
PERTVS. Ergo manſueta dei patientia ſuauiter corripit, & dicit: *Si audieris vocem domini dei tui, & quod rectum*
*eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieríſque omnia præcepta illius, cunctum languorem quem poſui in Aegypto, non inducam*
*ſuper te.* Ac ſi dicat, Si non murmurare aut contentioſe agere incipias, ego qui Aegyptum contriui in ira mea,
ductor tuus ero in miſericordia mea. Aliàs autem ſi Aegyptiorum peccata rebellando, ſecutus fueris, cunctum
languorem inducam ſuper te, quem in Aegypto poſui. CAIETANVS. Languoris ſeu ægritudinis nomen
teſtatur, quòd non de plagis Aegypti eſt ſermo. Nam in illis decem plagis nulla interuenit ægritudo, niſi in ſexta.
F ægritudo inflatorum vlcerum. De communiter itaque accidentibus ægritudinibus eſt ſermo, à quibus quia
omnino liberi tunc erant omnes Iſraëlitæ, dicit, quas poſui in Aegypto, ſignificando quòd in Aegypto quidem
dedi illas vobis, ſed non hîc. Vnde & Dauid poſtea dicit de iſtis, Et non erat in tribubus eorum infirmus. Non
inducam (inquit) ſuper te. Ecce præmium alliciens ad ſeruanda mandata dei, libertas ab ægritudinibus corpo-
ris. AVCTOR CATENAE Cunctum languorem quem poſui in Aegypto, & cætera, id eſt, nullum mor-
borum genus quibus afflixi Aegyptios, inducam ſuper te. Hebraiſmus. Languorem verò Aegyptiis impoſitum,
intelligit ærumnas, plagas & vaſtationes, quibus Aegyptum percuſſerat. Tum autem rectum eſt opus hominis, ſi
fiat eo modo quo deus iubet, ídque ſolum, quod deus præcepit. Diſce autem ex hoc loco, quoties aduerſis pre-
meris, toties peccatorum tuorum memoria erudiri, nobis enim imputãdum eſt, quicquid malorum occurrerit.
*Ego enim ſum dominus deus ſanator tuus.* CAIETANVS. Iuxta Hebręum habetur, quia ego dominus medicus
tuus. Rationẽ reddit & quare nunc omnes ſunt liberi ab ægritudinibus habitis in Aegypto, & quare in futurum

carebunt

carebunt illis. Ipſe enim ſummus deus medici officium fecit ſanando, & ſi tanti medici præcepta ſeruabunt, G proculdubiò non incurrent ægritudinem aliquam. AVCTOR CATENAE. Ego enim ſum dominus deus ſanator tuus, vel medicus tuus prout legit Chaldaica, רָפָא Rophe enim vtrumque ſignificat. Quaſi dicat, Quomodo immitterem in te morbos, cùm ego ſim is qui ſanare te ſoleam, ſiquãdo morbo tenteris? Minus propriè autem quædam exemplaria legunt, ſaluator pro ſanator. In omnibus enim Latinis ſcriptis, & impreſsis emendatioribus codicibus, Complutenſi excepto, legitur ſanator. Quidam ita locum ediſſerunt, Si audieris me, & ſtatuta mea cuſtodieris, non ponam ſuper te languores quos ſuper Aegyptios poſui, ſi autem poſuero, ecce ego ſanator ſeu medicus tuus ſum, iuxta illud Annæ, Dominus mortificat & viuificat. Promittit itaque deus longanimitatem & clementiam ſuam, quia non facilè damnet, perdat, nec mortem cupiat peccatoris, potior ſit apud eum miſericordia quàm ira. *Venerunt autem in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt iuxta aquas.* Secunda eſt hæc manſio Iſraël poſt receſſum ex mari rubro, ſexta autem in ordine quo ad H omnes.

*Myſticè.* RVPERTVS. Ignorare nos Apoſtolus non vult ea quæ prædicta ſunt, & quæ ſequuntur in figura noſtri
*1.Cor.10.* facta eſſe, ſcripta eſſe autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Quomodo ad correptionem noſtram? Videlicet vt non iam nos comprehendiſſe, vel hoc ſolum nobis ſufficere arbitremur, quòd in Chriſto baptizati ſumus, & hac fiducia decepti, ſuſceptam baptiſmi gratiam malis operibus iterum perda-
*Ibidem 9.* mus. Hanc enim inutilem nobis confidentiam rumpere nitens, Neſcitis (inquit) quòd hi qui in ſtadio currunt,
*1.Cor.10.* omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Ac deinceps, Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt. Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, Et omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt no- I ſtri & cætera. Igitur concupiſcentias & idololatriam illorum, fornicationes quoque, tentationes atque murmurationes illorum ſic proſequamur, quatenus de proſtratis eorum corporibus prædictæ correctionis emolumentum capiamus, & ante omnia de figuris rerum corporalium cum auctoritate eiuſdem Apoſtoli ſpiritualia myſteria Chriſti filij dei iuxta propoſitum noſtrum perſcrutemur. Nam hæc omnia (inquit) in figura contingebant illis. Tulit igitur Moyſes (inquit ſcriptura) filios Iſraël de mari rubro. Puta dixiſſe quia tulit nutricius ſedulus, paruulos alumnos de nouæ regenerationis ſacramento. Nam illi quidem non niſi in figura baptizati erant, nec ita vt nos, in Chriſto renati erant, ac proinde illi quoque ſicut omnes homines futura emundatione ſanguinis Chriſti adhuc indigebant. Veruntamen propter eandem præfigurationem baptiſmi in ipſo aſcenſu ſuo de mari
*1.Pet.2.* rubro, illos ſignificabant paruulos, quibus beatus Petrus Apoſtolus dicit, Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationes & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabiles & ſine dolo, lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem. Conſtat autem huiuſmodi infantes oportere affectu K nutricio portari, quandiu paruuli ſunt, quandiu lacte illis opus eſt, & non ſolido cibo. Et hæc maxima rectori-
*Eſa.66.* bus populorum cura impendet, vt eiuſmodi quaſi in humeris tollant, iuxta Prophetam dicentem, Pueri eorum in humeris portabuntur, & ſuper genua conſolabuntur. Bene ergo dictum eſt & propriè, Tulit, quia videlicet grande onus ſuper ſe tollit, quiſquis infantiles hominum mores rectè & ſecũdum deum portare intendit. Quod
*Num.11.* primùm hîc Moyſes in ſeipſo expertus, dicit ad dominum, Cur afflixiſti ſeruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi vniuerſam multitudinem hanc, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iuraui patribus eorum. ISIDORVS ET INTERLINEARIS. Ambulauerúntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam, & venerunt in Marath. Ideo tribus diebus ambulant, quia in fide & cognitione trinitatis fidelibus ambulandum eſt. Ducitur autem poſt maris tranſitum populus per deſertum, baptizati ſcilicet omnes per mundum, non perfruentes promiſſa patria, ſed quod non vi- L dent ſperando, per patientiam expectando, tanquam in deſerto ſunt, & illic laborioſę & periculoſę tentationes, ne reuertantur corde in Aegypto. HIERONYMVS FABIOLAE. Et non poterant (inquit) bibere aquas de Marath, quoniam amaræ erant, & cætera. Habebat foris aquam, & dulcedinem non habebat. Non terrearis, ſi poſt victoriam venias ad amaritudinem, quia verum paſcha facientes, azyma cum amaritudinibus comedunt, & tentatio probationem, probatio ſpem, ſpes parit ſalutem. Apud medicos quoque, quædam antidotus noxios humores temperans, ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis oſtenditur, reſtituens ſanitatem, ſicut è contrario voluptas atque luxuria, amaritudine terminantur, dicente ſcriptura, Quæ ad tempus pinguefacit fauces tuas,
*Pſal.114.* nouiſsimè verò amarius felle inuenies. IDEM SVPER PSALMOS. Sanctus igitur non quærit requiem, ſed tribulationem. Nouit enim quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem
*Hierem. 6. & 14.* probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit. Tale quid & in Hieremia dicitur, Tribulationem (inquit) & miſeriam inuocaui. Quoniam (inquit) amaro tuo verbo ridebo, hoc eſt, in hoc ſeculo quid aliud volo niſi tri- M bulationem, vt in futurum requiem habeam & felicitatem? Et propterea (inquit) nunc amaritudinem ſuſtineo, vt poſtea dulciora promerear. Et populus domini de Aegypto egrediens, venit in Mara, quod interpretatur a-
*Hieve.15.* maritudo, & de Mara in Sina, quod interpretatur tentatio. Et iterum Hieremias, Solus ſedebam, quoniam amaritudine repletus eram. ORIGENES. Et propter hoc (inquit) appellatum eſt nomen loci illius amaritudo. Sed quid addit poſt hæc? Clamauit (inquit) Moyſes ad dominum, & oſtendit illi dominus lignum, & miſit illud in aquam, & facta eſt dulcis aqua. Et ibi (inquit) poſuit illi deus iuſtitias & iudicia: ibi, vbi amaritudo, vbi ſitis, & quod eſt grauius, ſitis in abundantia aquarum, ibi poſuit ei deus iuſtitias & iudicia. Alius non erat locus dignior, aptior, vberior, quã iſte, in quo amaritudo eſt. Tum præterea quod dixit, oſtendit illi dominus lignum, & miſit illud in aquam, & facta eſt dulcis aqua, mirum admodum eſt, vt deus lignum oſtenderet Moyſi, quod mitteret in aquam, & faceret eam dulcem. Efficere deus aquam dulcem ſine ligno non poterat? Aut Moyſes neſciebat



A ſciebat lignum vt ei deus oſtenderet? Sed videndum eſt quid decoris in his interior habeat ſenſus. Ego putò, quòd lex ſi ſecũdum literam ſuſcipiatur, ſatis amara ſit, & ipſa ſit Marath vel myrrha. Quid enim tam amarum quàm vt puer octaua die circunciſionis vulnus accipiat, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum ſatis, & peramarum eſt huiuſmodi poculum legis, in tantum vt populus dei, non ille, qui in Moyſe baptizatus eſt in mari & in nube, ſed iſte qui in ſpiritu & aqua baptizatus eſt, non poſsit bibere de iſta aqua, ſed ne guſtare quidem de circunciſionis amaritudine poteſt, neque hoſtiarum ferre amaritudinem valet, nec ſabbati obſeruantiam. Si verò oſtendat deus lignum quod mittitur in hanc amaritudinem, vt dulcis aqua fiat legis, poteſt de il-
B la bibere. Quod eſt iſtud lignum quod dominus oſtendit Moyſi? Salomon edocet nos cùm dicit de ſapientia, *Prouerb.3.* quia lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam. Si ergo lignum ſapientiæ Chriſtus miſſum fuerit in lege, & oſtenderit nobis quomodo intelligi debeat circunciſio, quomodo ſabbata, quomodo lex lepræ ſeruãda ſit, qua-
liter mundi & immundi diſcrimen habeatur, tunc efficitur aqua myrrhæ dulcis, & amaritudo literæ legis, con-
C uertitur in dulcedinem intelligentiæ ſpiritalis, & tunc poteſt bibere populus dei. Si enim non interpretetur hæc ſpiritaliter, populus qui idola dereliquit, & ad deum confugit, ſi audiat legem de ſacrificiis præcipientem, continuò refugit, & non poteſt bibere, amarum quippe hoc ſentit & aſperum. Si enim (inquit Apoſtolus) quæ deſtruxi, hæc iterum reædificabo, præuaricatorem me conſtituo. Et in hac ergo amaritudine myrrhæ, id eſt, in iſta litera legis poſuit deus iuſtitias, & teſtimonia. Non tibi hoc videtur dicere, quia velut in vaſculo quodam, ita legis litera, ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ theſauros condiderit deus? Hoc eſt ergo quod dicit, Et ibi poſuit eis deus iuſtitias, & teſtimonia. Hoc erat quod & Apoſtolus dicebat, Habemus autem theſaurum hunc in vaſis fictili- *2.Cor.4.*
bus, vt ſublimitas virtutis dei ſit, & non ex nobis. Vt ergo poſsit bibi aqua hæc de myrrha, oſtendit deus lignum quod mittatur in eam, vt qui biberit, non moriatur, non amaritudinem ſentiat. Vnde conſtat, quòd ſi quis ſine ligno vitæ, id eſt, ſine myſterio crucis, ſine fide Chriſti, ſine intelligentia ſpirituali, bibere voluerit de legis litera,
C per amaritudinem nimiam morietur. Hæc ſciens Paulus Apoſtolus, dicebat, Quia litera occidit. Hoc eſt aperte *1.Cor.3.*
dicere, quia aqua myrrhæ occidit, ſi non mutata bibatur, & in dulcedinẽ verſa fuerit. Sed quid addit, poſtquam poſuit illis deus iuſtitias & iudicia? Et ibi (inquit) tentabat eum, dicens, Si auditu audieris vocem domini dei tui, & quæ placent coram illo feceris, & audieris præcepta eius, & cuſtodieris, omnem infirmitatem quam induxeram Aegyptiis, non inducam ſuper te. Ego enim ſum dominus qui ſano te. Videtur mihi quo proſpectu datæ ſint iuſtificationes & iudicia & teſtimonia legis, exponere, vt tentaret (inquit) eos deus ſi audirent vocem domini, & quæ mandabantur, cuſtodirent. Nam quãtum ad priorem populum ſpectat, quid eis boni, aut perfecti murmurantibus, & contradicentibus mandaretur? Denique paulò pòſt etiam ad idola conuertuntur, & obliti beneficiorum, & mirabilium dei, caput vituli ſtatuunt. Propterea ergo dantur eis præcepta, in quibus tententur. Inde eſt, quod & per Ezechielem Prophetam dicit dominus ad eos, Quia dedi vobis præcepta & iuſtificationes non *Ezech.20.*
bonas, in quibus non viuetis in eis. Tentati enim in præceptis domini, non inueniuntur fideles. Ideo enim in-
D uentum eſt eis mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem, quia vnum atque idem mandatum, ſi ſeruetur, vitam, ſi non ſeruetur, generat mortem: dicuntur ergo mandata non bona, in quibus non viuat in eis. Sed quia admiſcuit eis lignum crucis Chriſti, & in dulcedinem verſa ſunt, & ſpiritaliter intellecta ſeruantur, eadem ipſa mandata vitæ appellantur, ſicut & alibi dicit, Audi Iſraël mandata vitæ. Sed videamus quid eis promittitur, ſi ſeruentur. Si (inquit) ſeruaueritis præcepta mea, non inducam ſuper vos omnes ægritudines quas induxi Aegyptiis. Quid ergo videtur dicere? Si quis ſeruet mandata, nullam ægritudinem patiatur, hoc eſt, neque febriat, neque alios dolores corporis ferat? Non puto quòd hæc ſint quæ promittantur diuina mandata ſeruantibus. Alioquin indicio nobis eſt Iob iuſtiſsimus, & totius pietatis obſeruantiſsimus, qui à capite vſque ad pedes repletur vlcere peſsimo. Non his carere dicuntur infirmitatibus qui mandata cuſtodiunt, ſed non habebunt illas infirmitates, quas Aegyptij habent. Aegyptus nanque mũdus figuraliter appellatur. Diligere ergo mundum, & ea quæ in mundo ſunt, Aegyptius langor eſt. Dies obſeruare & menſes & tempora, ſigna requirere, ſtellarum
E curſibus adhærere, Aegyptius langor eſt. Deſeruire carnis luxuriæ, & voluptatibus operam dare, vacare delitiis, Aegyptius langor eſt. Caret ergo his infirmitatibus & langoribus, is qui mãdata cuſtodit. HIERONYMVS. Marath ergo intellige aquas occidentis literæ, quibus ſi immittatur confeſsio crucis, & paſsionis dominicæ ſacramenta iungantur, omne quod impotabile eſt, & triſte videbatur ac rigidum, vertitur in dulcedinem. Vnde & ſcriptum eſt, Conſtituit deus populo legem & iudicia, & tentauit eum. Vbi enim magnitudo gratiæ, ibi magnitudo diſcriminis. AMBROSIVS DE HIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS. Ma- *Cap.3.*
rath fons amariſsimus erat, miſit in eum Moyſes lignum, & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione dominicę crucis ad nullos vſus futuræ ſalutis eſt. Cùm verò ſalutaris fuerit crucis myſterio cõſecrata, tũc ad vſum ſpiritalis lauacri, & ſalutaris poculi temperatur. GREGORIVS NYSSENVS. Iudæi poſtquam iter tribus peregerunt diebus, caſtrametati in quodam loco ſunt, vbi aquam repererunt, amaritudine nimia nequaquam potabilem. Sed lignum à Moyſe in aquam immiſſum, in dulcedinem amaritudinem eius cõuertit. Huic
F hiſtoriæ res ipſa, quam ſpiritualibus accidere Iudæis videmus, optimè congruit. Nam qui voluptatibus in baptiſmo renunciauit, quibus in priore vita ſeruiebat, amarum atque arduum Chriſti iugum ei primò videtur, ſed lignum quoddam immiſſum, id eſt, reſurrectionis myſterium, quod per lignum, per crucem videlicet Chriſti, qui in cruce mortuus eſt, id (inquam) reſurrectionis myſterium toto corde admiſſum atque creditum, ſuauiorem reddit vitam, quæ ſecundum Chriſtum eſt, omnibus quæ dulcedine ſenſum perfundunt, ſpe futurorum iocundiſsimè conditam. RVPERTVS. Et venerunt (inquit) Marath. Marath cuius aquas bibere non potuerunt, eo quòd eſſent amaræ, legem ſignificat veterem, cuius carnales cęremonias nos paruuli ſanguine Chriſti redempti, non poſſumus portare, ſed neque patres ipſi potuerunt Apoſtolo Petro dicente, Nunc ergo quid ten- *Act.15.*
tatis deum, imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus? Profectò quibus hæc dicebant, paruulis aquas de Marath propinare volebant, quas neque ipſi præ amaritudine bibere poterant. Clamauit Moyſes ad dominum, qui oſtendit ei lignum. Hoc lignum quod Moyſi, imò

per

per gratiam & nobis ostẽdit dominus, sanctæ & viuificæ crucis lignum est. Lignum enim in aquas Marath mit- G
tere, & sic eas in dulcedinem vertere, est dominicæ passionis sacramentum cum litera legis cõferre. Quod quàm
dulce sit, qui experiri meruit, ipse nouit, qui bibit ipse sapit. ISIDORVS. Alio quoque sensu quòd aquæ
Myrrheæ, id est, amaræ, ligno in se suscepto dulcescunt, indicio erat, amaritudinem gentium per lignum crucis
Christi in vsum dulcedinis quandoque esse vertendam. THEODORETVS. Hoc itaq; factũ salutem no-
strum declarat. Salutare nanque crucis lignum, amarum illud gentium mare, dulcissimum reddidit. AV-
CTOR CATENAE. Lignum etiam ostenditur Moysi, nimirum crucis Christi, cuius memoria sanctis dul-
cia fiunt omnia huius mundi aduersa. ORIGENES. Post hæc dicit, Quia venerunt in Helim, & erant ibi
duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum. Putásne habet aliquid rationis, quod non antè
in Helim ducitur populus, vbi erant duodecim fontes aquarum, quibus nihil amaritudinis inerat, immo potius
vbi erat amœnitas plurima ex densitate palmarum, sed primò ductus est ad aquas salsas & amaras, quibus per li- H
gnum mõstratum à domino dulcibus effectis, postea venitur ad fontes? Si historiam solam sequamur, non mul-
tum nos ædificat scire ad quem locum primò venerint, & ad quem secundò. Si verò rimemur in his mysterium
latens, inuenimus ordinem fidei. Primò enim ducitur populus ad literam legis, ab hac litera legis donec perma-
net in amaritudine sua, recedere non potest, cùm verò per lignum vitæ dulcis fuerit effecta, & intelligi lex spiri-
taliter cœperit, tunc de veteri testamento transitur ad nouum, & venitur ad duodecim apostolicos fontes. Ibi
etiam arbores reperientur septuaginta palmarum. Non enim soli duodecim Apostoli fidem Christi prædicaue-
runt, sed & alij septuaginta missi ad prædicandum verbum dei referuntur, per quos palmas victoriæ Christi
mundus agnosceret. Non ergo sufficit populo dei aquam myrrhæ bibere, quanuis in dulcedinem versa sit, quan-
uis per lignum vitæ, & mysterium crucis omnis literæ amaritudo depulsa sit, solùm vetus instrumentum non
sufficit ad bibendum, sed veniendum est ad nouum testamentum, de quo absque scrupulo bibitur, absque vlla
difficultate potatur. Iudæi etiam nunc apud myrrham sunt, etiam nũc assident ad aquas amaras. Nondum enim I
*Esa.7.* eis deus ostendit lignum, per quod dulces fierent aquæ ipsorum. Etenim prædixit eis Propheta, Quia nisi credi-
deritis, non intelligetis. HIERONYMVS. Et profecti de Mara, venerunt in Helim, vbi erant duodecim
fontes aquarum, & septuaginta palmæ, ibique castrametati sunt. Sexta mansio in arietes fortẽsque vertitur.
Quàm pulcher ordo virtutum. Post victoriam tentatio, post tentationem refectio. De amaritudine venimus
ad arietes, & robustos principes gregis, quos apud Ezechielem dominus vindicaturum esse se dicit, quod alij
eorum conculcauerint aquas, & compresserint oues, alij lenes & placabiles fuerint. De his & vicesimus octauus
Psalmus loquitur, Afferte domino filij dei, afferte domino filios arietum. Sextæ mansionis tenemus hospitium.
Nunquam priùs occurrerunt fontes purissimi, nisi vbi magistrorum doctrina prorupit. Nec dubium quin de
duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ, totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has a-
quas Septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista
testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se dominus K
præmittebat. De quibus & Paulus refert, quòd apparuerit dominus primùm vndecim, deinde Apostolis omni-
bus, alios volens intelligi primos, & alios secundos Christi discipulos. Bibamus de huiusmodi fontibus, & dul-
*1.par.ca.38* ces fructus victoriæ deuorantes, ad mansiones reliquas præparemur. PROSPER. Post dura exilia, post la-
bores eremi ac rubri maris transitum, dei populum victrix palma suscepit. Quanuis Marath aqua amara fatiga-
uerit sitientem, quæ ligno in eam misso dulcis effecta, ostendit sitientem Christianum statim vt amarum passio-
*Gal.6.* nis poculum biberit, ligni & crucis dulcedine, omni amaritudine liberandum. Vnde & Paulus dicit, Mihi absit
gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo. Idem enim
locus, qui illi populo requiem præbuit, in duodecim fontibus aquarum, & septuaginta palmarum arboribus,
nostris in mysteriis sacratus fuit. Nanque post baptismum, duodecim Apostolorum fontium fluenta puræ do-
*Psal.67.* ctrinæ exuberant satiandis peccatoribus, quibus sacer Psalmus insonat, In Ecclesiis benedicite dominum deum
de fontibus Israël. In Septuaginta verò arboribus palmarum, omnis numerus sanctorum martyrum in milibus L
*Apoc.7.* consignatur, qui pro veritate vsque ad mortem certantes, palmam supernæ vocationis accipiunt. Hos etiam A-
pocalypsis Ioannis Apostoli designat, dicens, Vidi turbam multam, quam dinumerare nullus hominum pote-
*Eccleſia.24* rat, ex omni tribu, populo, & lingua. Et induti erant alba veste, & palmæ fuerunt in manibus eorum, quas vin-
centibus illa palma sapientia dedit, quæ exaltata est in Cades. RVPERTVS. Venerũt autem in Helim, vbi
erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas. Quid erat opus scire
nos numerũ fontium, numerúmque palmarum, nisi & in his quæsitu dignum subesset mysterium? Helim nan-
*Psal.76.* que vertitur in arietes. Ergo quoniam & in Psalmo cantamus, Deduxisti sicut oues populum tuum in manu
*Ioan.10.* Moysi & Aaron. Et in Euangelio de nobis pastor dicit, Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas o-
portet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Ipsum ouile dominicum hîc
accipiamus per nomen Helim, id est, arietum. Arietes nanque duces gregum, & ouilis principes sunt. Porrò per
abundantiam fortium duodecim, copiámque palmarum septuaginta, demonstrari nobis arbitremur, ouile ip- M
sum quàm sit delectabile ouibus ad manendum, quàm commoda sit statio educandis filiis arietum, de quibus
*Psal.28.* Psalmista, Afferte (inquit) domino filij dei, afferte domino filios arietum. Quid enim per plenitudinem duode-
cim fontium, nisi vniuersitatem debemus intelligere doctorum? Nam quia duodecim Apostoli sunt, quorum
primarium est docendi officium, rectè duodenario numero designantur omnes, qui apostolica doctrina tãtùm
profecerunt, vt sedere valeant in ordine doctorum in medio dominici ouilis, id est, in medio Ecclesiæ aperire
os suum. Nec mirum quod apostolicus ordo, vel apostolicorum hominum vniuersitas, iuxta talem concludun-
tur numerum, scilicet duodenarium, quemadmodum arithmetici dicunt superfluum, eo quòd id quod ex duo-
denarij partibus conficitur, supra ipsum sit duodenarium. Videlicet quia media pars ipsius senarius est, tertia,
quaternarius, quarta, ternarius, sexta binarius, duodecima vnum, qui simul compositi, sedecim efficiunt, qui vti-
que numerus superat quatuor vnitatibus duodenarium. Hoc (inquam) nõ mirum. Nam & in Ecclesia doctores
superflui



A superflui fuerunt, qui eloquentiam sine sapientia habentes, hæreses & schismata fecerunt, & in initio fidei, pleri-
que supra modum Apostoli, idem pseudoapostoli reperti sunt. Quid autem per septuaginta palmas florentes
circa ipsos fontes, nisi pios ac fortes accipimus Martyres? Nam de talium quolibet scriptura dicit, Et erit tãquam *Hiere.17.*
lignum quod plantatur super aquas, quod ad humores mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus, &
cætera. Hîc igitur nobis spiritualibus ouibus salubris amœnitas ouilis nostri designata est, vt non timeamus lu-
pos, contra quos, Martyres nostri pugnauerũt, vnde modò coronati sunt, & accipiunt palmas, tanti & tales, quan-
tos intelligere licet per hunc numerum septuagenarium, qui ex septenario & denario compositus est, quorum
alterum septiformis spiritus gratia, alterum legis decalogus commendat. Delectet nos duodecim frequentare
fontes, vt meritò de nobis Ecclesiæ suæ, Christus sic pronunciet, Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascende- *Cant.4.*
runt de lauacro, Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. AVCTOR CATENAE. Si ergo
B exercitus filiorum Israël cœtum adumbrat, cuius dux Christus est, qui duodecim Apostolos & septuaginta duos
discipulos elegit, cui dat aqua ex fontibus viuis doctrinam cœlestem, vt omnes ex eo bibamus, & sitim restin-
guamus, Eius auctoris nostri vocem audiamus, paterna voce admoniti, consideremúsque pontificem & Apostо-
lum professionis nostræ, qui Moyse multo præstantior est, quem si audierimus, non tanget nos malum, quod
inobedientes olim Iudæos perdidit.

## IN CAPVT EXODI SEXTVMDECIMVM, ARGVMENTVM.

*Veniunt Hebræi in desertum Sin. Murmurantibus pro cibo, pluit deus Coturnices & Man.*

## CAPVT XVI.

C

*Lectio 1.* *Profectiq; sunt de Helim, & uenit omnis multitudo filiorũ Israël in desertũ Sin, quod est inter Helim & Sinai, quintodecimo die mẽsis secundi, postquã egressi sunt de terra Aegypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine. Dixerúntque filij Israël ad eos, Vtinam mortui essemus per manum domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem dominus ad Moysen, Ecce ego pluam uobis panes de cœlo. Egrediatur populus & colligat*
D *quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.*

*Lectio 1.* AVCTOR CATENAE. Profectiones populi Israël post transitum maris rubri fuerũt secundum librum
Exodi, prima desertum Sur, in quo fuit locus Marath, de Marath ad Helim, de Helim ad desertum Sin decima
quinta die secundi mensis, & hæc modò describitur. *Profectíque sunt de Helim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Helim & Sinai, quintodecimo die mensis secundi postquam egressi sunt de terra Aegypti.* HIERONY-
MVS FABIOLAE. Octaua hęc mansio, licet iuxta ordinem huius libri septima sit: nam profecti de Helim,
castrametati sunt ad mare rubrum, quod Hebraicè dicitur Iam suph. Septima ergo illa, octaua hæc mansio. Sed
sciendum quòd omnis vsque ad montem Sinai eremus, Sin vocetur, & ex tota prouincia, etiam locus nomen
vnius mansionis acceperit, sicut Moab tam vrbis quàm prouinciæ nomen est. In hac autem solitudine quínque
mansiones sunt Iam suph, & eremus Sin, & Daphca, & Alus, & Raphidim, de quibus loquemur in consequenti-
E bus. Sed quæritur, quomodo post transitionem maris rubri & fontis Marath, & Helim, rursum ad mare rubrum
venerint, nisi fortè in itinere pergentibus, sinus quidam maris occurrerit, iuxta quem castrametati sunt. Aliud
est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula. Verbum Iamsuph, apud Hebræos ex mari & rubro
compositum est. Suph autem, & rubrum & scirpus vocatur. Vnde possumus suspicari, quòd venerint ad paludem
quandam & lacum, qui & carecto & iuncis plenus fuerit. Quòd autem omnes congregationes aquarum scri-
ptura sacra mare vocet, nulla dubitatio est. Hæc itaque mansio in Exodo non habetur, sed scriptum est pro ea,
quòd de mari rubro venerunt ad desertum Sin, quæ est inter Helim & Sinai, quintadecima die mensis secun-
di egressionis eorum ex Aegypto, id est, trigesima prima postquam egressi sunt de Rameſſes. IDEM DE
LOCIS HEBRAICIS. Sin desertum inter mare rubrum & solitudinem Sina. Nam de deserto Sin filij Is-
raël venerunt in Raphidim in desertum Sina iuxta montem Sina, vbi Moyses tabulas legis accepit. Desertum
autem Sin idem dicit esse scriptura quod & Cades, & hoc iuxta Hebræos. Cæterùm in septuaginta Interpreti-
F bus non habetur. RVPERTVS. Interpretatur autem Sin tentatio, Sinai tentatio mea. Quod nomen rei
satis congruit, videlicet quia murmurauerunt ibi filij Israël. CAIETANVS. Non venerunt ergo imme-
diatè ab Helim in Sin filij Israël, sed media fuit castrametatio super mare rubrum, vt patet Numeri trigesimo
tertio, quæ hîc tacetur. AVCTOR CATENAE Profectíq; de Helim, & cætera. Describit primùm Moy-
ses locum deinde tempus quo venerunt filij Israël in hanc mansionem. Fuit autem mensis iste Iiar qui mox se-
quitur Nisan primum mensem. Hucusque autem comederunt de pasta quam de Aegypto tulerũt, qua deficien-
te murmurare cœperunt. Sciendum verò duas fuisse mansiones quæ hoc nomine Sin vocatæ sunt. Altera qua-
rum scribitur per Samach סִין Sin, & hæc est octaua. Altera scribitur per Zadik צִן Zin, & hæc est trigesimatertia
mansio, quæ alio nomine dicitur Cades, de qua in Numeris capite vigesimo & trigesimoquarto. *Et murmura-*
*uit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine.* CAIETANVS. Consumpta siquidem erant
in illis triginta diebus alimenta ex Aegypto habita. AVCTOR CATENAE. Vulgi iterum proditur in-
gratitudo

gratitudo in duces, pronitas animorum ad murmur contra prælatos, periculá grauia ſuperiorum & eccleſiaſti- G
corum, exercitatio denique ſanctorum, magnanimitas viri fidelis. Cibo deficiente carnali, impatienter ferunt
ſolitudinem. Triginta diebus famem temperauerant ex cibis Aegyptiacis. Omnem cõgregationem murmuraſſe
quidem ſcribitur, ſed non vniuerſaliter intelligendum. Erant enim pij inter eos & ſancti, Ioſue nimirum & Ca-
leb, & multi iſtis ſimiles. Sed quod modicum eſt pro nihilo ſemper reputari conſueuit. Verùm non modica ho-
minum tentatio eſt inedia famis, & in loco ſolitudinis. *Dixerúntque filij Iſrael ad eos, Vtinam mortui eſſemus per manum*
*domini in terra Aegypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate.* ORIGENES. O popu-
lus ingratus, deſiderat Aegyptum, qui Aegyptios vidit extinctos. Carnes Aegypti requirit, qui Aegyptiorum car-
nes vidit maris piſcibus, & cœli alitibus datas. Murmur ergo aduerſus Moyſen, imò aduerſus deum leuant. Sed
hoc primò quidem ignoſcitur, ignoſcitur & ſecundò, fortaſsis & tertiò, veruntamen ſi non deſinant, ſed perſi- H
ſtant, audi quid poſt hæc murmurantem populum conſequatur. In Numerorum libro refertur quòd & in ſuis
ſcripturis retexuit Apoſtolus, dicens, Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpen-
tibus perierunt. Murmurantem populum venenatus in eremo depaſcitur ſerpentium morſus. Videamus nos,
qui hęc audimus, nos (inquam) pro quibus ſcripta ſunt. Illis enim ad correctionem facta ſunt, ſcripta ſunt autem
propter nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Si non deſinimus murmurantes, ſi non ceſſamus à querelis no-
ſtris, quas frequẽter habemus aduerſus deum, obſeruemus ne ſimile offenſionis incurramus exemplum. Etenim
cùm de cœli intemperie, de infœcunditate fructuum, de raritate imbrium, de proſperitatibus aliorum, & de a-
liorum improſperitate cauſamur, hoc eſt, aduerſus deum murmur attollere. Sed hæc initia habentibus ignoſci-
tur, in eos verò qui non deſinunt grauiter vindicatur. Mittuntur nanque in eos ſerpentes, id eſt, immundis ſpi-
ritibus traduntur, venenatíſque Dæmonibus, qui eos morſibus occultis ac latentibus perimant, atque internis
& intra cordis penetralia concluſis cogitationibus abſumant. Sed obſecrò vos, proſint nobis præmiſſæ corre-
ptionis exempla, illorum pœna emendatio noſtra ſit. RVPERTVS. Huiuſmodi murmurationem tenta- I
*Pſal.77.* tionem eſſe, Pſalmiſta manifeſtè teſtatur, dicens, Et tentauerunt deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas anima-
bus ſuis. Et male locuti ſunt de deo, dixerunt, Nunquid poterit deus parare menſam in deſerto? Tentatio hu-
iuſmodi, peccatum illorum fuit. Non enim quia petierunt, ſed quia dixerunt, Nũquid poterit deus parare men-
ſam in deſerto, quoniam percuſsit petram & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt? Nunquid & panem po-
terit dare, aut parare menſam populo ſuo? Idcirco in peccatum reputatum eſt illis. Ideò enim (inquit Pſalmiſta)
Audiuit dominus, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël. Sicut ergo dictum eſt, non
quia petierunt eſcas, quibus neceſſariò caro mortalis alitur, ſed quia cùm peterent, non crediderunt in deo, nec
ſperauerunt in ſalutare eius, peccauerunt. CAIETANVS. Vtinam mortui eſſemus per manum domini in
terra Aegypti. More humano naturalem mortem vocãt mori in manu dei, hoc eſt in operatione diuinæ diſpo-
ſitionis. Et nominant nomen domini tetragrammaton, profitendo quòd à fonte eſſendi emanat etiam mors.
AVCTOR CATENAE. Vtinam mortui eſſemus. Rectè vertit Interpres Hebraicum, quod eſt huiuſ- K
modi מִי יִתֵּן מוּתֵנוּ Mi itten muthénu, Quod alij ita vertũt, Quis det vt mortui eſſemus? Sed idem eſt ſenſus cum
Latina litera. Quando ſedebamus ſuper ollas carnium. Dictionem עַל hal hoc in loco non male quidam, iuxta
reddunt, vt dicant, Quando ſedebamus iuxta ollam carnis. Et eſt ſenſus, quando nobis pacificè & quietè ſeden-
tibus, ollæ carnium plenæ ad coquendum poſitæ erant Ingratis mos eſt attenuare accepta beneficia. Carnalia
appetunt qui mundum diligunt. Leui accepta occaſione impij calumniam ſtruunt piis præpoſitis. Et certè Moy-
ſes & Aaron populum morti ademerant, non vendiderant hoſtibus, nec ſibi emerant. Dicunt autem, Vtinam
mortui eſſemus per manum domini in terra Aegypti, domino ſcilicet volente, vel occidẽte cum Aegyptiorum
primogenitis. Ollam autem pro ollas, & carnis pro carnium, & panis hîc pro cibo quocunque ponitur. Cæterùm
vide quàm grauiter hîc peccent Iſraëlitæ. Primùm obliuiſcuntur omnium beneficiorum & miraculorum dei.
Deinde pœnitet ipſos obſequutos diuinæ vocationi. Nam quid eſt dicere, Vtinam mortui eſſemus in terra Ae-
gypti, niſi pœnitet nos exiuiſſe è captiuitate ad mandatum dei? Poſtremò deſperant de clementia & omnipoten- L
tia dei, perinde ac ſi is nec vellet nec poſſet ipſis victum in deſerto dare. Quapropter ſubiungunt. *Cur induxiſtis*
*nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Cur induxiſtis nos Hebraicè affirmatiuè legitur כִּי הוֹצֵאתֶם
Chi hozethem, Quod, quia, ſeu quoniam induxiſtis: ſic & Septuaginta. Chaldaica verò interrogatiuè legit ſicut
litera noſtra, Quare eduxiſtis nos in deſertum iſtud? Sed hæc ſententiam non immutant. Vt occideretis omnem
multitudinem. Addendum ex Hebræo הַזֶּה hazze, hanc: ſed hoc parum eſt, nam etiam non additum ſubintelli-
gitur. Queruntur itaque ſe inductos ad hoc deſertum, non dignati reminiſci Aegypti vnde educti erant, more
nimiùm contentioſorum hominum & ingratorum. Allegant autem quaſi cauſam eductionis crudeliſsimam,
quia vellent Moyſes & Aaron omnes ſe pariter occidi, quo quid potuit obiici tam fidelibus ſeruis dei crudelius
atque indignius? *Dixit autem dominus ad Moyſen, Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt*
*per ſingulos dies, vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SV-
*Locut.74.* PER EXODVM. Manna pluiturus, panes promiſit, locutio eſt, qua panis pro alimento ponitur. Amat autem M
ſcriptura pluraliter magis panes quàm panem ſingulariter dicere. IDEM IN QVAESTIONIBVS
*Quæſt.58.* SVPER EXODVM. Vt tentem (inquit) eos, ſi ambulent in lege mea, an non. Tentatio iſta probatio eſt, non
ad peccatum ſeductio, nec ideo probatio vt deus nouerit, ſed vt ipſe ipſis hominibus oſtendat, quò humiliores
*2. d.21.q.1.* fiant ad petendum adiutorium, & agnoſcendam dei gratiam. THOMAS. Ad perfectam rationem tentationis tria
*1.o.* concurrunt. Primò vt per tentationem alicuius dubij cognitio accipiatur. Secundò vt hoc ſit intentum ab eo qui tentat. Tertiò vt ipſemet qui tentat cognitionem illius rei accipere velit, & ſecundum hunc modum inuenitur tentatio in hominibus ſecundum quod homo hominem tentat, vt experimentum ſumat ſcientiæ vel alterius quod in ipſo eſt. Alia verò dicitur tentatio in qua ſaluãtur duo ex his, ſcilicet manifeſtatio igno
ti, & intentio eius, & hoc modo tentare dicitur deus, vt patet in tentatione Abrahæ. Præceptum enim de immolatione filij tentatio eius dicitur, quia per hoc manifeſtabatur qualis eſſet in obedientia & fide. Hanc etiam manifeſta-



A nifeſtationem deus intendebat, ſed tertium prædictorum huic tentationi defuit, non enim ad hoc tentauit deus
Abraham, vt fidei eius cognitionem acciperet, quam prius ſciebat, ſed vt aliis manifeſta eſſet in exemplum. Alia
verò tentatio eſt in qua ſaluatur vnum tantùm dictorum, ſcilicet manifeſtatio tentati, & ſic dicitur caro tenta-
re vel mundus, quia in his cognoſcitur manifeſtè virtus vel infirmitas mentis, ſicut in bello cognoſcitur virtus
militis, quanuis hoſtes non impugnent vt cognoſcant, ſed vt vincant, vnde ipſa impugnatio virtutis, tentatio
dicitur. Hoc autem eſt vel à principio intrinſeco, ſcilicet ex corruptione carnis, & ſic dicitur tentatio à carne:
vel à principio extrinſeco, & hoc dupliciter, quia illud quod exterius eſt, vel impugnat per modum obiecti, & ſic
eſt tentatio à mundo, cuius rebus corda hominum alliciũtur ad peccãdum, vel per modum agentis qui trahit
ad peccatum, perſuadendo, terrendo, blandiendo, & ſic de aliis: & ſic dicitur eſſe tentatio ab hoſte, ſcilicet dia-
bolo, & ab his qui ſunt membra eius. Non ergo deus tentat vt ſibi aliquid ignotum manifeſtum fiat, ſed vt aliis
manifeſtetur, vt dictum eſt. CYRILLVS LIBRO TERTIO SVPER IOANNEM. Quæret au- *Cap.34.*
B tem quiſpiam. Cuius rei gratia miſericors deus non priuſquam peterent, illis prouidit, ſed cùm famescentes vi-
deret, tardus ad patrocinium fuit? aut quare ſic conqueſtos non puniuit, quos tamen poſtea, quando ſimpliciter
ægrotantes, panes, carnes, alióſque cibos deſiderabant, Aegyptios ſupplicio perſequutus eſt? Vnde vt in Numeris
deſcribitur, Monumentum cupiditatis, locus ille fuit appellatus, vbi hac cupiditate ſuperatos ſepelierunt. Ad *Num.11.*
primùm igitur dicimus, conuenienter petitionem, clamorémque illorum expectatum fuiſſe. Tunc enim gratiſ-
ſimum ſolet videri beneficium, quando magno ardore petitur, & imminente periculo, neceſſariò expectatur, ali-
ter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoſcit. Sed non petitionem illam, clamorem potius, mur-
murationémque ac iurgia fuiſſe contendes. Verùm modeſta per orationem petitio perfectorum eſt, cui exæqua-
tur imbecillium, ac infirmorum obiurgatio & murmuratio. Nec moleſtè vllo modo ſaluator tulit. Nam quem-
admodum ploratu neceſſaria ſibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios ſuos pro-
C uocatur, ſic conqueſtuoſus obiurgationíſque plenus clamor ad deum petitionis (ſi ab infirmis adhuc & infanti-
bus in habitu virtutis fit) locum retinet. Quod autem quanuis terrenis viderit cupiditatibus ſuperatos non pu-
niuit tamen ſtatim ab initio, hæc (vt mihi quidem videtur) cauſa eſt. Nam quoniam nuper ab Aegypto effuge-
rint, panémque cœleſtem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, faciliùs poterant in cupiditates
carnis incidere, propterea & venia digni viſi ſunt. Poſtea verò quàm domino fruebantur, vt ſcribitur, tunc iure
quoniam corporalia ſpiritualibus præpoſuerunt, acerba dederunt ſupplicia, & ad ſupplicia inſignem calamita-
tis memoriam reliquerunt. AVCTOR CATENAE. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, id eſt, inſtar
pluuiæ è cœlo dimittam vobis cibum. Egrediatur populus & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies. Optimè
expreſsit Hebraicum doctus Interpres, quod eſt huiuſmodi וְלָקְטוּ דְּבַר יוֹם בְּיוֹמוֹ Velaktu debar iom biiomo, Et
colligent rem diei in die ſuo, id eſt, colligent quotidie quantum ſatis erit pro ipſo die. Hebraiſmus eſt. Per hoc
autem voluit dominus tentare & probare eos an crederent verbis eius, & non plus colligerent quàm illis opus
D eſſet per ſingulos dies. Voluit præterea dare illis cibos, non per ſingulos menſes, ſed per ſingulos dies, vt nullus
tranſiret dies, in quo dei circa ſe non ſentirẽt beneficium, atque ob id eſſent ſemper memores dei. Ob ipſam cau-
ſam videtur etiam dominus noſter Ieſus Chriſtus docuiſſe nos orare, Panem noſtrum quotidianum da nobis
hodie. Gratificatur igitur ſtatim dominus populo, non ob murmurationes, ſed ad ſuam gloriam, & ad paran-
dam auctoritatem duci Moyſi. Promittítque panem de cœlo præſtandum, quem nullo negocio populus colle-
cturus ſit, ad ſufficientiam quidem, non autem ad ſuperfluitatem, quæ populo dei inutilis & pernitioſa ſit ſem-
per. Summam certam (inquit) ac demenſum quod ſufficiat pro ſingulis diebus, ſuo die colligat. Volens ex-
perimento prodere populi inobedientiam & voracitatem cum auaritia, & luxus deſiderium vnà cum infideli-
tate, ſi in diem ſe paſcendos à domino non crederent. Interim tamen docentur fideles in diem viuere, à dei pro-
uidẽtia pẽdere, omni die laborare ad victum, panem quotidianum petere, ſimplici animo diuinis adhærere præ-
ceptis, de corpore diligentiùs curando ſolicitum non eſſe, patris beneficentiam credere & amplecti, obedientiæ
E ſtudiis inſiſtere. Exaudit itaque deus impias Iſraëlitarum murmurationes, non quòd approbet eas, & doceat in
afflictionibus murmurare aduerſus deum, vt impetremus beneficia dei. Abominatur enim deus omnem impie-
tatem & fructus eius. Sed exaudit eas vt illuſtret veritatem promiſsionum ſuarum videlicet, quòd tam ſeruans
ſit promiſsi ſui, vt impleat ipſum, etiam ſi omnes homines ſint mendaces. Promiſit enim deus Iſraëli, ſe conſer-
uaturum ipſos, ſi ex vocatione ſua egrediantur ex Aegypto, & proficiſcantur ad terram patribus promiſſam. Et
generaliter promiſit deus ſalutem & corporalem quatenus ſanitati animæ expedire nouit, & ſpiritualem omni-
bus vocationem ſuam ſectantibus. Venerunt autem filij Iſraël ex Aegypto in deſertum. Et quanquam impiè
murmurarent aduerſus deum & Moyſen, tamen quantum ad ipſam profectionem attinebat, ambulabant in vo-
catione dei. Promittit igitur deus, & præſtat Manna, ne deficiant in vocatione ſua, vt toti orbi teſtetur, ſe vera-
cem eſſe, etiam ſi omnes homines ſint mendaces. Vnde & Paulus Romanis ſcribens, Num (inquit) incredulitas *Rom.3.*
illorum fidem dei irritam faciet? Abſit, imò ſit deus verax, omnis autem homo mendax. Et ad Timotheum, Si *2. Timot.2.*
F increduli ſumus, ille fidelis manet, ſeipſum negare non poteſt. Deinde exaudit deus murmurationes Iſraëlita-
rum, vt ex antitheſi commendet preces ex fide, & inuitet ad frequentiam precum. Nam ſi deus tantæ eſt clemen-
tiæ, vt in afflictis etiam murmurationes pro rebus temporalibus exaudiat, quanto magis exaudiet preces ex fide
viua factas? Huc pertinet parabola illa, quam Chriſtus recenſet apud Lucam capite vndecimo, de amico poſtu-
lante noctu panes. Et capite decimo octauo de iudice iniquo, & cætera. Quid autem illud ſibi vult, quòd deus
non priùs promittit & præſtat manna, quàm Iſraëlitæ maxima fame crucientur? Cur non præuenit famem eo-
rum? Sic enim multæ blaſphemiæ, & conuicia intermiſſa fuiſſent. Reſpõdeo. Potuiſſet quidem deus ſtatim man-
na dare, & famem præuenire, ſed habet iuſtiſsimas cauſas, propter quas prius coniecit Iſraëlitas in famem. Pri-
mùm, vt quemadmodum in defectu aquæ, ita & in defectu panis experiretur, num Iſraëlitæ verbum dei, & mi-
racula eius vera fide repoſuiſſent, & vt manifeſtum fieret, quid in corde ipſorum lateret, quo ſeipſos agnoſcerẽt
Moyſes enim in Deuteronomio capite octauo ita dicit, Adduxit te dominus deus tuus quadraginta annis per
deſertum

desertum, & afflixit te penuria, vt tentaret te, ac nota fierent quæ in animo tuo versabantur, vtrum custodires
mandata illius an non. Etenim si dominus liberasset Israëlitas ex Aegypto nulla immissa afflictione, & eduxisset
eos per desertum in omni rerum abundantia & felicitate, certè nunquam agnouissent tantam lernam impie-
tatis in corde ipsorum latere, sed existimassent se longè omnium sanctissimos. Nunc autem, quia tentati sunt si-
ti, fame, & aliis calamitatibus, manifestè apparuit, corda ipsorum impietate plena esse nec differre quicquam ab
aliis gentibus, quantum quidem ad peccata attinet. Necessarium verò est, vt impietas cordis probè cognoscatur.
Nisi enim cognoscatur, non quæritur remissio impietatis. Vbi autem non quæritur impietatis remissio, ibi ma-
net impietas inexpiata, & affert perpetuam damnationem. Quare necessarium fuit vt Israëlitæ affligerentur.
Deinde distulit deus manna, & coniecit Israëlitas in famem, vt palàm declararet, Israëlitas non sua virtute, sed
clementia dei liberatos ex Aegypto, & conseruatos in deserto. Nam Moyses in Deuteronomio capite octauo ita
scribit, Afflixit te, & tentauit te, vt postea benefaceret tibi. Ne diceres in corde tuo, fortitudo mea & robur ma-H
nus meæ hæc omnia mihi præstiterunt, sed recorderis domini dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret
pactum suum super quo iurauit patribus tuis, & cætera. Afflixit ergo dominus Israëlitas fame, vt illustraret glo-
riam nominis sui, videlicet, quòd ipse sit deus seruator in afflictionibus, & verax in promissionibus. Proinde
cùm affligimur, sentiamus nos electos in organa dei, per quæ gloria dei illustretur. Postremò affecit deus Israë-
litas fame, priusquam manna daret, & dedit postea manna, vt toti orbi declaret se non affligere vt perdat, sed vt
glorioſiùs seruet. Feramus igitur afflictiones patienter, vt per ipsas maiorem salutem consequamur. *Die autem*
*sexta parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies.* RVPERTVS. Quod inferant (inquit) id
est, quod reponant sabbato sequenti, quo vacare vel requiescere debeant in commemorationem creatoris qui
sex diebus operatus est, & in septimo requieuit. CAIETANVS. Verè suauis deus humano more ad simi-
litudinem tentantis, in leuioribus mandatis exercet populum, vt assuescat obedire vniuersis diuinis præceptis.
Ideo enim mandatur vt dietim colligant manna, & sexto die colligant duplicatum, vt inobedientes cùm se de-I
prehendi in crimine viderint, ex putrefactione mannæ seruati in diem alterum, & non putrefactione eiusdem
seruati in diem sabbati, erubescant, & obedire discant. AVCTOR CATENAE. Die autem sexto parent
quod inferant, subaudi in domos suas. Parum autem est quòd verbum וְהֵכִינוּ Vehechínu, Parabunt vel præpara-
bunt sibi, nonnulli vertunt. Et sic habet Chaldaica & Septuaginta. Sed hoc sensum non variat. Sed nec quod se-
quitur, Et sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies, sententiam Hebraicę literæ immutat, quæ est
וְהָיָה מִשְׁנֶה עַל אֲשֶׁר יִלְקְטוּ יוֹם יוֹם Vehaia misne hal aser ilketu iom iom, Et erit duplum ad illud quod colligent
siue collegerint de die in diem, siue per singulos dies. Ita habet & Chaldaica, ita & Septuaginta. Docemur autem
hîc sabbatum colere, ac spirituali animarum refectioni huiusmodi die incũbere. ORIGENES. Ego qui-
dem super hac scriptura velim primò cum Iudæis habere sermonem, quibus credita dicuntur eloquia dei, quid
illis videatur de eo quod dicit, Sex diebus continuis colligetis: die autem sexto duplum colligetis. Apparet au-
tem sextam diem nominari illam, quæ ante sabbatum ponitur, quæ apud nos parasceue appellatur, Sabbatum K
autem septima dies est. Quæro ergo qua die cœperit manna cœlitùs dari, & volo comparare dominicam no-
stram cum sabbato Iudæorum. Ex diuinis nanque scripturis apparet quòd in die dominica primò in terris da-
tum est manna. Si enim (vt scriptura dicit) sex diebus continuis collectum est, septima autem die, quæ est sabba-
ti cessatum est, sine dubio initium eius à die prima quæ est dies dominica fuit. Quòd si ex diuinis scripturis hoc
constat quòd die dominica deus pluit manna de cœlo, & in sabbato non pluit, intelligant Iudæi iam tunc præ-
latam esse dominicam nostram Iudaico sabbato, iam tũc iudicatum quod in sabbato ipsorum gratia dei ad eos
de cœlo nulla descenderit, panis cœlestis qui est sermo dei, ad eos nullus venerit. Dicit enim & alibi Propheta,
Diebus multis sedebunt filij Israël sine rege, sine principe, sine Propheta, sine hostia, sine sacrificio, sine sacerdote.
In nostra enim dominica die semper dominus pluit manna de cœlo.

*Mysticè.* HIERONYMVS FABIOLAE. Octaua mansio filiorum Israël desertum Sin. Sin autem interpretatur
rubus vel odium, quorũ vtrumque facit ad mysticos intellectus, quòd postquam venerimus ad eum locum, de L
quo sit nobis dominus locuturus, grande odium mereamur inimici. Tunc videbimus ardere rubum, & non
comburi, inflammari Ecclesiam persequutionibus, & eam loquente in illa domino, non perire. Et nota quòd in
octaua mansione, in qua torcularia nostra sunt, vnde & octauus Psalmus hoc titulo prænotatur, desertum capi-
mus rubi quia plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. ORIGENES. In secundo mense (in-
quit) postquam de Aegypto profecti sunt, quintadecima die mensis, murmurauit populus aduersum Moysen,
dicens, Vtinam mortui essemus, & cætera. Esto quòd propter correptionem legentium indicetur populi peccа-
tum quia murmurauerit, & ingratus fuerit beneficiis diuinis, cùm cœleste manna susciperet. Quid etiam dies
describitur in qua murmurauerit populus? Secundo (inquit) mense, quintadecima die mensis. Quod vtique non
absque ratione scriptum est. Recordare de legibus paschæ quæ scriptæ sunt, & inuenies ibi hoc esse tempus quod
statuitur ad secundum pascha faciendũ his qui immundi in anima fuerint vel occupati in negociis peregrinis.
Qui ergo non fuerũt immũdi in anima, vel nõ lõgè peregrinabãtur, quartadecima die primi mẽsis pascha fece-M
runt. Qui autem longè peregrinabantur, & immũdi erant, secundũ pascha in hoc tẽpore faciunt, quo & manna
de cœlo descendit. In die quo primum pascha fit, non descendit manna de cœlo, sed in hoc quo secundum pas-
cha fit. Videamus ergo nunc quis sit in his ordo mysterij. Primum pascha, primi populi est, secundum pascha
nostrum est. Nos enim fuimus immundi in anima, qui colebamus lignum & lapidem, & ignorantes deum, his
qui natura non erant dij, seruiebamus. Nos enim eramus, qui longè peregrinabamur, de quibus dicit Apostolus,
Qui fuimus hospites & peregrini testamentorum dei, spem non habentes, & sine deo in hoc mundo errantes.
Veruntamen non datur manna de cœlo in illa die, qua primum pascha fit, sed in illa qua secundum. Panis enim
qui de cœlo descendit, non venit ad illos, qui primam solennitatem celebrabant, sed ad nos, qui secundam su-
scepimus. Nostrum enim pascha immolatus est Christus, qui verus nobis panis de cœlo descendit. RVPER-
TVS. Sed & hæc murmuratio filiorũ Israël, Iudaicæ contentionis forma est. Sicut enim illi post immolatio-
nem



A nem agni submerso Pharaone & omni exercitu eius, transito mari rubro, nimia ingratitudine respexerunt ad
ollas carniũ Aegypti & ad panes illius saturitatis cùm fuissent serui, & multa afflictione ad amaritudinem per-
ductis: sic post passionem agni immaculati & incontaminati Christi, iam foras misso huius mundi principe, no-
uitij Iudæorum in Christo baptizati, stulta pertinacia respicientes vetera taurorum & arietum sacrificia, quæ
dominus deus in Prophetarum dictis manifestè contemnit, contendebant, dicentes, Quia nisi circuncidamini, *Act.15.*
& nisi incedatis per omnia secundũ morem Moysi, non poteſtis salui fieri. CYRILLVS LIBRO QVAR-
TO SVPER IOANNEM. Ego etiam quæ apud Moysen scripta sunt, mente sæpe reuoluens, quasi pater- *Cap.3.*
nam hæreditatem, murmurationem de rebus bonis ad Iudæos descendisse comperio, quam semper in pernicio-
sum deuenisse reipsa cognoscere licet. Murmurabant illi aduersus deum ex ingratitudine in deserto, murmurãt
& isti de Christo, & saluatorem suum inobedientia sua vituperant, sed draco venenosus eos mordebit, semper
B enim in perniciem inobedientia solet exire. ORIGENES. Sequitur, Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.
Egrediatur populus vt colligat quæ sufficiunt per singulos dies, & cætera. Et ego hodie dico, quia pluit dominus
manna de cœlo. Cœlestia nanque sunt eloquia ista quæ nobis lecta sunt, & à deo descenderunt verba, quæ nobis
recitata sunt, & ideo nos felices qui tale manna susceпimus. Semper manna nobis datur de cœlo. Illi infelices do-
lent, & suspirant, & se miseros dicunt, quia manna, sicut acceperunt patres ipsorum, ipsi non merentur accipere.
Illi nunquam manna manducant, non enim possunt illud manducare. Die autem sexta (inquit) parent quod in-
ferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies. Sextus dies est hæc in qua nũc sumus vita: in sex
enim diebus dominus fecit hunc mundum. Hac ergo die tantum reponere & recondere debemus, quãtum suf-
ficiat & in futuro die. Si quid enim hîc boni operis acquiras, si quid iustitiæ, misericordię & pietatis recõdas, hoc
tibi in futuro seculo erit cibus. Nunquid non ita in Euangelio legimus, quia qui acquisiuit hîc decem talẽta, ibi
accepit decem ciuitates, & qui acquisiuit quatuor, accepit quatuor ciuitates? Hoc est quod per aliam figuram A-
C postolus dicit, Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Quid ergo agimus nos qui amamus illud recon-
dere, quod corrumpatur, non quod permaneat, & perduret in crastinum? Diuites huius seculi ea recondunt quæ
in hoc seculo, imò cum seculo corrumpuntur. Si qua autem bona opera recondunt, illa permanent vsque in cra-
stinum. CYRILLVS LIBRO TERTIO SVPER IOANNEM. Dixit autem dominus ad Moy- *Cap.34.*
sen, Ecce ego pluam vobis panem de cœlo. Hoc est etiam quod in Psalmista, Panem de cœlo dedit eis, panem *Psal.77.*
angelorum manducauit homo. Sed perspicuum esse arbitror, non alium panem, neque aliud alimentum, præter
filium dei, rationalibus intellectualibúsque substãtiis propositum esse. Ipse igitur est mãna verum, ipse (inquam)
est panis de cœlo, qui omni rationali creaturæ à deo patre præbetur. Ita gratia & misericordia dei, vel à cupidi-
tate caducarum rerum, variis multísque modis humanam solet reuocare naturam. Nam cùm vt magni pon-
deris lapis ad hæc instabilia carnis premat appetitus, & tyrannicè ad imperium suum redigat, quasi freno ad
desiderium rerum meliorum Christus nos circunducit, & sanitate mentis donatos, in habitu virtutis confir-
D mat. Vides enim etiam illos nunc corporali cibo, & ociosa captos vita, ad desiderium cœlestis panis, ad spiri-
tale manna, ad spiritus sancti consolationem, Christi doctrina reuocari. Propterea omni nos patientia mu-
niamur, nec imbecillitate animi, quæ non licent appetamus, vt intellectuale manna Christus dominus noster
in sua nos pietate confirmet. Egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies. Sensibile illud
manna, intelligibile hoc figurabat. Est autem intelligibile manna ipse Christus, sensibile verò rudior legis di-
sciplina. Ad dies autem singulos colligebant, & in crastinum reseruare vetabantur, quia saluatoris aduentu
figuræ legis cessarunt, & colligere inde alimenta non possumus, ipsa veritate nobis, & pane cœlesti ad fruitio-
nem proposito. Die autem sexto parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere solebant per singulos
dies. Considera diligenter, quia septima die sensibile manna colligi noluit, sed pridie collecto vti iussit. Septi-
ma enim dies saluatoris tempora significat, in quibus sanctificati sabbatismum peccatorum agere debemus,
alimenta fidei ab antè collecta quoque legis cognitione accipientes, non tamen necessario modo colligimus,
E qui verum cibum habemus, & panem de cœlo retinemus, duplici autem mensura ante septimam manna colli-
gitur, quia tempore legis exacto, & septima, id est, Christi aduentu recipiente, duplici quadam gratia, legali sci-
licet & Euangelica, in fide homines roborantur, quod per parabolam dominus docuit. Omnis scriba (inquit) *Matth.13.*
regni cœlorum discipulus effectus, diuiti homini similis est, qui ex thesauro suo noua & vetera producit. Ve-
tera enim legalia sunt, noua verò Christi. Dixerúntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israël, Vespere scie-
tis quòd dominus eduxit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini, dabit enim dominus vo-
bis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate. Attende, distingue diligentiùs singula. Nam coturnix
legem quodammodo denotabat, nunquam enim effertur volatu, sed prope terram semper hæc auis volat. Nam
& disciplina legis terrestris quodammodo est, animalium oblationes, & purificationes Iudaicas continens,
quibus illi non multùm è terra leuabantur. Vespere autem traditur, vel quia magna obscuritate figuræ legis
inuoluuntur, vel quia mundus tenebrarum offusione tenebatur, luce vera carens, quæ est Christus. Ego (inquit) *Ioan.12.*
F lux in hunc mundum veni. Cognituros autem ait, quòd dominus eduxit eos ab Aegypto, quia vniuersalis
quædam, atque confusior in Mosaicis libris salutis cognitio solummodo est. Nondum enim aderat gratia,
quod ipse significauit dicens, Mane videbitis gloriam domini, dum det vobis panes in saturitate. Solutis
enim nocturnis legis iam tenebris, & sole nobis intelligibili orto, præsentis domini gloriam intuentes, co-
piosissimè panem cœlestem ipsum rursus Christum assequimur. RVPERTVS. Ecce ego pluam vo-
bis panes de cœlo. Egrediatur populus vt colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum, vtrum
ambulet in lege mea, an non? Die autem sexta parent quod inferant, & sit duplum quàm colligere sole-
bant per singulos dies. Pluam vobis (inquit) & huic verbo consonans Propheta, dixit: Et mandauit nu- *Psal.77.*
bibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum. Quid autem per manna
intelligi velit, innuens continuò subiungit: Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit
homo. Quisnam hic panis cœli, panis angelorum? Nunquid angeli illo pane cibantur in cœlo, quem po-

pulus ille colligens ſimile coriandro frangebat mola,ſiue terebat mortariolo?Ergo panis cœli, panis angelorum, G
*Ioan.6.* ipſe eſt qui in Euangelio ſuo dicit:Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum.Hic enim victus eſt,& vita eſt angelicæ ſubſtãtiæ,nam in eum deſiderãt angeli proſpicere.
Quod quia contempſit facere angelus,cecidit, & factus eſt diabolus,qui & huius panis ſempiternam patiens inedíam,ſemper eſt pallidus,& mors illum ſequitur.Digna ergo Prophetæ exclamatio, digna admiratio, quia ianuis cœli apertis, panem angelorum manducauit homo. Vnde hoc? Videlicet ex eo quòd mandauit nubibus
*Pſal.17.* deſuper,& ianuas cœli aperuit,id eſt,præoſtendit Apoſtolis ſiue etiam Prophetis,de quibus illud eſt, Tenebroſa aquæ in nubibus aëris, id eſt, occulta ſcientia in Prophetis, & deinde per ſemetipſum clauſas priùs hominibus ianuas cœli aperuit, ſolutis in carne ſua veteribus inimicitiis, ſicq; terrenis cœleſtia coniunxit, id eſt, homines angelis ſociauit,vt eodem veſcantur pane cœli,illi in cœleſtibus, in manifeſto conſpectu diuinitatis: iſti adhuc
*1.Tim.3.* in terra poſiti,in ſacramento pietatis,de quo Apoſtolus,Magnum eſt(inquit)ſacramentum pietatis,quod mani- H feſtatum eſt in carne,iuſtificatum eſt in ſpiritu,apparuit angelis,prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria.Equidem illic panem cœli,panem angelorum ſingulariter:Hîc autem ego pluam vobis
*Pſal.77.* panes,pluraliter dictum eſt. Nullam tamen ſuſpiceris diſſonantiam. Nam & illic pluraliter ſubiunctum eſt, cibaria miſit eis in abundantiam. Ergo ſecundum ſe panis vnus Chriſtus, vel vnum corpus Chriſti. Veruntamen ſecundum locales Eccleſias,& ſecundum offerentium perſonas ſiue accipientium innumerabiles populos,cibaria ſiue panes rectè dicas pluraliter.Verbum ipſum pluit,quo vtraque ſcriptura vſa eſt, in iſta deo dicente, Ecce ego pluam: in illa autem, & pluit illis manna ad manducandum, eandem vbique terrarum paratam omnibus
*Pſal.22.* puſillis & magnis ſignificat copiam, vt de ſeipſo magnus Propheta dicat, Paraſti in conſpectu meo menſam. Et
*Pſal.21.* de nobis licet minimis, Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum, viuent
*1.Cor.10.* corda eorum in ſeculum ſeculi. Sed dicat aliquis: Cùm dicat Apoſtolus de patribus, Et omnes eandem eſcam
*Ioan.6.* ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, quomodo dicit Chriſtus vbi Iu- I dæis loquitur, Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum? Dicimus ad hæc, cùm dicit Apoſtolus eſcam eandem, nullatenus litera innuit illum ſubaudire voluiſſe eandem quam nos. Equidem ante nos magni patres hanc relationem ſubintellexerunt, ſed ſicut à quodam pro aliare dictum eſt, quanuis grandis ſint auctoritatis & ſanctitatis, vel ſapientiæ ipſorum magnitudo nos opprimat, nos magis Euangelica Chriſti auctoritate ducimur,quàm cuiuſlibet eloquentiæ argumentis.Nec enim ratio patitur, vt figura & res idem ſint. Dixit autem Apoſtolus tam de hoc, quàm de cæteris quæ facta ſunt, quia in figura cõtingebant illis.Proinde cùm dicit,& omnes, omniúmque deinde diſtrinctionem facit,dicendo,ſed non in pluribus eorum beneplacitum fuit deo, nam proſtrati ſunt in deſerto, planum intellectui eſt, idem eſſe ac ſi dicat, vnam eſcam omnes manducauerunt, & vnum omnes biberunt potum ſpiritualem, id eſt, non naturali ordine, ſed ſpirituali virtute prouenientem, & tamen in illam repromiſſionis terram non omnes introierunt, videlicet in figura noſtri,qui omnes eodem ſacramẽto corporis Chriſti participamur, & tamen in illam terram K viuentium non omnes pariter, ſiue bene ſiue male vixerimus, ſimus admittendi. Igitur & quod veritas de præterito tempore negans,de præſenti verò confirmans,Non Moyſes(inquit)dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum, & quòd veritatis Apoſtolus dicit, Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt,& omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, non eſſe repugnantia ſiue contraria ratio manifeſta conuincit.Nunc iam de huius panis myſterio dicturi aliquid,ſacræ huius lectionis verba proſequamur. Egrediatur(inquit)populus,& colligant quæ ſufficiũt per ſingulos dies.Profectò & nobis ſpiritualiter egrediendum eſt, vt colligamus quantum ſufficerè poteſt.Vnde egrediemur? De priſtina conuerſatione, de vetuſtate vitæ. Nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis hoc manna colligere, non eſt nobis hunc panem dominicum manducare.Prætereà ſi dignè manducare cupimus, ab omni curioſitate corporei ſenſus egrediamur, vt videlicet viſu, guſtu,odoratu,& tactu diiudicandum non eſſe arbitremur,an verè ſit corpus Chriſti,an vera ſit caro,id quod ſumimus. Nam iſtis permanentibus colore, odore, atque ſapore, eſt quod ſufficiat fidei, quod L
*Ioan.6.* ſatis ſit catholicæ pietati.Spiritus enim eſt(inquit)qui viuificat,caro non prodeſt quicquam. Verba quę locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Verba fidei, verba veritatis, ſufficit prolata eſſe ſuper ſubſtantiam panis & vini, vt inſpiretur ſpiritus & vita æterna creaturis inanimatis, quanuis ſpecies exterior non mutetur in illis, ſufficit(inquam) ad ſalutem credentis, ad vitam dignè percipientis. Tantum ergo vnuſquiſque colligat,quia tantum ſufficit.Colligat vnuſquiſque quæ ſufficiant, id eſt, credat verba domini ſpiritum eſſe & vitam, & per ea panem & vinum exteriori ſpecie non mutata,transferri in veram viuẽtis corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam.Nam mutari viſibiliter in ſpeciem nouam,id eſt,hoc in ouinam carnem,illud in ſanguinis horrorem non prodeſt quicquam,imò & infidum eſt.Ait poſtremò,vt tentem eum,vtrum ambulet in lege mea, an non. Ergò ne iuſtum fuit vt vel illum tali modo tentaret populum, vel hodiêque ſuper tali cibo & potu tentet hominem Chriſtianum? Planè æquum fuit, vt illum deus tentaret populum, nam ille populus tentabat deum. Hoc iam ſuperius dictum fuit,quòd in eo fuerit magnitudo peccati eorum non quia petierunt,ſed quia tentãdo & mur- M
*Pſal.77.* murando eſcas petierunt,quia iuxta pſalmiſtam,Tentauerunt deum in cordibus ſuis,vt peterẽt eſcas animabus ſuis,& male locuti ſunt de deo,dixerunt,Nunquid poterit deus parare menſam in deſerto?Ergo dum tentantibus oſtendit deus quid ipſe poſſit,parando menſam illis,æquum fuit vt ipſe verſa vice tentaret eos,ne neſcirent
*Deut.32.* quales erant ipſi. Penè huic ſimile eſt, quod dicit deus in cantico Deuteronomij, Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat deus, & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus. Tentati quippe deprehenſi ſunt, quòd non ambularent in lege eius, id eſt, in fide eius, dum diffidentes de craſtino, colligerent pluſquam ſufficeret per ſingulos dies, ſicut habes in ſequentibus. Porrò vt de hoc ſpirituali cibo & potu tentemur nos, æquum eſt, manifeſta defendit ratio. Tentatus enim eſt homo à diabolo, & victus eſt, tentatur à deo, vt illius tentatoris fraudem vincat, & tali antidoto iuxta naturam morbi, competenter vitæ ſuæ ſubueniat. Tentati, inquam, ſunt primi homines à diabolo dicente, Comedite & eritis ſicut dij, & crediderunt ei pluſquam deo dicenti



A dicenti, In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Proinde tentetur à dei filio dicente de pane & vino, Comedite hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, comedite & eritis filij dei, & credamus verbo eius pluſquam oculis noſtris carnalibus, quibus non niſi exteriorem panis & vini ſpeciem intuemur, & ita iniquam credulitatem parentum noſtrorum pia credulitate in nobiſmetipſis euacuemus. Die autem ſexta, parent quod inferant, & ſit duplũ quàm colligere ſolebant per ſingulos dies. Cur de huiuſmodi ſabbato, quale hactenus obſeruant carnales Iudæi,tunc deo cura fuit? Videlicet quia dupliciter vtile hoc homini fore præuidit. Primùm vt ſicut omnia in figuram contingebant illis,ita & illud figuratiuum ſabbatum figura eſſet ſpiritualis ſabbati,& ſua carnali ſimilitudine, illius recordationem faceret operario dei, non ſolùm quandiu obſeruatum eſt, ſed & quandiu legitur aut legendum eſt.Deinde vt vno ex ſeptenis diebus,refrigeraretur hominis mercennarius, pie- *Exod.20.*
tas prouidit,ſicut alio loco lex dicit, Sex diebus operaberis, ſeptima ceſſabis, vt requieſcat bos & aſinus tuus, vt *Deut.5.*
B refrigeretur filius ancillæ & aduena.Si ergo verum dei agnouimus ſabbatum,vbi requieſcente illo & lætante in operibus ſuis,nunc depoſito carnis onere,cum eo requieſcunt animæ ſanctorum, ſciamus & illud, quia manna quod nobis datum eſt, ſabbato non inuenietur vt colligatur, ſed quod ante collectum eſt, tunc manducabitur quando facie ad faciem videbitur.Neque enim qui nunc baptiſmum perdit, illic aliud inuenire poterit, neque is qui nunc corpus dominicum manducare,& ſanguinem bibere indignè præſumpſerit, vel omnino cõtempſerit,illic inueniet hoſtiam quam pro peccatis ſuis offerre, vel in remiſſionem peccatorum ſumere poſſit.Proinde quod hac ſexta ætate paramus,duplum ſit,quàm dudum colligere ſolebat populus dei, nam ille ſolam literã legens deum coluit,nobis quia verbum caro factum eſt deus,& homo Chriſtus colendus,& adorandus eſt.

C *Dixerunt́q; Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſraël, Veſpere ſcietis quòd dominus eduxerit uos de terra* 2
*Aegypti,& mane uidebitis gloriam domini. Audiuit enim murmur ueſtrum contra dominum, Nos uerò quid ſumus,quia muſitaſtis contra nos? Et ait Moyſes,Dabit dominus uobis ueſpere carnes edere,& mane panes in ſaturitate,eo quòd audierit murmurationes ueſtras quibus murmurati eſtis cõtra eum.Nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur ueſtrum, ſed contra dominum. Dixit quoque Moyſes ad Aaron, Dic uniuerſæ congregationi filiorum Iſraël, Accedite coram domino, audiuit enim murmur ueſtrum. Cumq; loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſraël, reſpexerunt ad ſolitudinem, & ecce gloria domini apparuit in nube. Locutus eſt autem dominus ad Moyſen,dicens, Audiui murmurationes filiorum Iſraël,loquere ad eos, Veſpere comedetis carnes,& mane ſaturabimini panibus,ſcietíſque quòd ego ſum dominus deus ueſter.*

D PROSPER. Conſumptis panibus quos ſecum attulerat ex Aegypto populus Iſraël, panem à Moyſe mur- 2
murando popoſcit,carnes etiam deſiderans Aegypti.Verùm mediator ille Moyſes, panem eis & carnem ocyus à *1.par.ca.39*
domino impetrauit.Ait ergo ſcriptura: *Dixerunt́q; Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael,Veſpere ſcietis quòd dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini.* CAIETANVS. Querula voce eductionem de Aegypto intorſerant in Moyſen & Aaron,& propterea directè ad hoc reſpondent, quòd hora veſpertina cognoſcent experimento,quòd dominus eduxerit eos de terra Aegypti, & mane ſequenti videbũt facto gloriam ſeu honorem domini. AVCTOR CATENAE. Et mane videbitis gloriam eius.Declaratur iſtud verſiculo paulò pòſt ſequenti, Ecce gloria domini apparuit in nube, vt ſcilicet ita intelligatis hoc opus non eſſe humanum ſed diuinum. Iam altero (inquiunt) miraculo cognoſcetis vos non noſtra præſumptione eductos, ſed gratia & virtute diuina.Vt nihil nobis,ſed totum domino aſcribatis,qui vobis veſperi carnes, mane præbebit in copia panes.

*Audiuit enim murmur veſtrum contra dominum,nos verò quid ſumus,quia muſitaſtis cõtra nos?* AVGVSTINVS IN LO- *Locut.75.*
CVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Dum exaudiet murmurationem veſtram ſuper deum,
E id eſt,murmuratis ſuper deum.Quod tantum valet ac ſi diceret aduerſus deum.Deinde notãdum nouo modo hîc exauditionem dictam non precantium, ſed murmurãtium, cùm reprehẽdat vtique ſcriptura murmurationem.Tanquã hoc dixerit,quòd cognouerit deus murmurationem eorum,& ipſam dei cognitionem dixit exauditionem. CAIETANVS. Audiuit enim murmur veſtrũ contra dominũ,reſpõdetur ad querelas eorũ aduerſus ipſos Moyſen & Aaron ob defectum alimentorum manifeſtando quòd deus audiuit querelas eorũ cõtra dominũ,& cõtra ſummũ deum ducem veſtrũ & non cõtra nos.Nos verò quid ſumus, quòd murmuraſtis cõtra nos?Conuincunt populum,quòd non aduerſus eos queſti ſunt, ex hoc quòd ipſe Moyſes & Aaron nihil erãt, relatiuè ad manifeſta opera interuenientia ad eductionem populi de Aegypto,ac ſi apertiùs dixiſſent,nos quid ſumus ad tot miracula in Aegypto facta, ad tranſitum per mare rubrum ſicco veſtigio cum ſubmerſione Pharaonis & exercitus eius?ad colũnam nubis & ignis ducem itineris? AVCTOR CATENAE. Audiuit enim murmur veſtrum contra dominum. More Hebraico dictum, pro contra ſe. Antecedens pro relatiuo. Nos verò
F quid ſumus,quia muſitaſtis,id eſt,murmuraſtis(id enim propriè ſignificat verbum לון lun)contra nos.Sic eſt in Chaldaica,& apud Septuaginta. In nouo(inquiunt) ſigno exhibendo, videbitis eum audiſſe murmur veſtrum, quem & veſtra querela offenderitis.Nos verò quid ſumus,quia muſitaſtis contra nos?Quantumlibet ſancti ſint homines dei,dicere tamen ex conſcientia vera debent,Quid nos ſumus?Quid poſſumus?deo omnia reddenda, in quo viuimus,mouemur,& ſumus.Nihil igitur ſancti pręter dei mandatum ac voluntatem proponãt cõſeruis *Act.17.*
ſuis.Cõtra quos quicũque murmurãt,domino cõtradicunt,quos & punit,etiam ſi tardius aliquãdo ſentiatur,& qui eos ſpernũt,deum ſpernũt. *Et ait Moyſes,Dabit dominus vobis veſpere carnes edere,& mane panes in ſaturitate,eo quòd audierit murmurationes veſtras quibus murmurati eſtis contra eum.Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra dominum.*
AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Non tantũ ſe valere voluerũt quan- *Queſt.59.*
tum deũ.Dixerũt enim,quid ſumus nos?Vt illi aduerſus illũ ſe ſcirẽt murmuraſſe,qui iſtos miſerat & per iſtos operabatur. Nec talis eſt illa ſententia,vbi Petrus dicit Ananiæ, Cur auſus es mentiri ſpiritui ſancto? Non homi- *Act.5.*

nibus mentitus es,ſed deo,quod ſimile fuiſſet,ſi dixiſſet,non ſpiritui ſancto mẽtitus es, ſed deo.Ita enim loquẽs, G negaret deum eſſe ſpiritum ſanctum.Nunc verò cùm dixiſſet,Auſus es mentiri ſpiritui ſancto?cùm ille ſe putaret hominibus fuiſſe mentitum,ipſum ſpiritum ſanctum deum eſſe mõſtrauit,ſubiungẽs,Non hominibus mentitus es,ſed deo. GREGORIVS TRIGESIMO QVARTO MORALIVM. Quia aliter tentari prælatos,atque aliter ſubditos nouimus,audiant illi quod per quendam ſapientem dicitur, Ducem te conſtituerũt? noli extolli,ſed eſto in illis quaſi vnus ex eis.Audiãt iſti,Obedite præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis,ipſi enim perуigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Audiant illi cùm de accepta poteſtate gloriantur, hoc quod Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur,Memento fili,quia recepiſti bona in vita tua.Audiant iſti cùm contra rectores ſuos in querela proſiliunt,hoc quod murmurãti populo Moyſi & Aaron vocibus reſpõdetur: Nec contra nos eſt murmur veſtrum,ſed contra dominum.Nos enim quid ſumus?Audiant illi,Turbabũtur in cõſpectu eius patres orphanorum & iudices viduarum.Audiant iſti quid contra cõtumaciam ſubditorũ dicitur, Qui reſiſtit poteſtati,dei ordinationi reſiſtit.Audiãt ſimul omnes,Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus autem dat gratiam. H Audiant omnes,Immundus eſt apud deum omnis qui exaltat cor ſuum.Audiant omnes, Quid ſuperbis terra & cinis? Contra huius languoris peſtem audiamus cuncti quod magiſtra veritas docet, dicens, Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. IDEM IN REGISTRO. Cæterùm ſuper vexatione Epiſcoporũ quia nos cõſulere voluiſtis,ſcimus quia à nullis vita præſulum perturbari debet, quoniam ſi Dauid regum iuſtiſſimus in Saul quem conſtabat iam à domino reprobatum & abiectum eſſe manum mittere non præſumpſit, quanto magis cauendum eſt ne manum detractionis, aut vituperationis, ſiue indiſcretionis, aut dehonorationis, quidam mittãt in vnctum domini,vel in prædicatores ſanctæ Eccleſiæ? quia eorum vexatio ſiue detractio ad Chriſtum pertinet,cuius vice in Eccleſia legatione funguntur.Vnde ſummoperè cauendum omnibus fidelibus, ne clãculò aut publicè Epiſcopum ſuum,id eſt,vnctum domini detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpẽdentes illud exẽplum Mariæ,quia pro eo quòd Moyſi famulo dei propter Aethiopiſſam detraxit,immunditia lepræ I mulctata ſit,& illud Pſalmiſtę,Nolite tãgere Chriſtos meos,& in Prophetis meis nolite malignari.Et in lege diuina legitur,Diis non detrahes,& populi tui principi non maledices. Vnde valde prouidẽdum eſt ſubditis tam clericis quàm laicis,ne Epiſcoporum,ne præpoſitorum vitam temerè reprehendant,ſi quid eos fortaſſe agere reprehẽſibiliter vident,ne vnde mala redarguũt,inde per elationis impulſum in profundiora mergantur. Admonendi ſunt etiam ne cùm culpas præpoſitorum ſuorum conſiderant, contra eos audaciores fiant. Sed ſic eorum praua apud ſemetipſos conſiderent,vt diuino timore conſtricti,ferre ſub eis iugum reuerẽtiæ non recuſent,quoniam facta ſuorum Epiſcoporum vel præpoſitorum oris gladio non ſunt ferienda,etiam cùm rectè reprehẽdenda videntur,quoniam à prædeceſſoribus noſtris & reliquis multis ſanctis Epiſcopis ſtatutum fore cognouimus, vt oues paſtores ſuos non facilè reprehendant,nec eos criminari vel accuſare præſumãt, quia cùm in præpoſitos delinquimus,eius ordinationi qui nobis eos prætulit,obuiamus.Vnde Moyſes dum contra ſe & Aaron cõqueri populum cognouiſſet,ait,Nos enim quid ſumus?Nec contra nos eſt murmur veſtrum,ſed cõtra deum.Quapro- K pter admonendi ſunt ſubditi vtriuſque ordinis viri,vt cùm magiſtrorũ facta conſpiciunt,ad ſuum cor redeant, & de eorum increpationibus non præſumant, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſupra dominum ſuum. CAIETANVS. Poſtquam reſponderunt querelæ reſpondet Moyſes quæſito, promittens quòd deus qui eſt fons eſſendi,hora veſpertina dabit alimentum carnis,& mane alimentum panis. Nos enim quid ſumus,& cætera.Miracula enim ipſi eſſendi fonti primò attribuũtur, quia par eſt vt à fonte eſſendi prẽcipuè emanet,non ſolùm naturæ opus ac ordo,ſed etiam quicquid ſupernaturaliter quãdoque fit. AVCTOR CATENAE. Dabit vobis dominus.Eſt in Hebræo בְּתֵת Betheth,Cùm dederit.Sic & Chaldaica & Septuaginta. Subaudiendum autem eſt, Tunc videbitis potentiam domini qui etiam in deſerto ſqualido, vobis vitæ neceſſaria miniſtrare poterit,vbi nec ſeritur nec metitur.Vel cognoſcetis,quòd dominus eduxerit vos de Aegypto, nõ autem nos,cùm dederit dominus vobis veſperi carnem ad comedendum,& panem mane ad ſaturãdum vos. Audiuit enim querimonias,& cætera.Improperatio itaque vehemens eſt culpæ populi,qui poſt tanta viſa miracula L patrata per Moyſen,tam impatienter ac impotẽter contra dominum in ſeruos ſuos murmurare pergebant.Cùm certò iam ſcire poterãt ex tot ſignis,nihil egiſſe ipſos ſine domini imperio,nihil temerè vel de ſuo, quæ à domino ſuſcepiſſent mandata hæc propoſuiſſe populo. Memorabilis quidem obiurgatio qua diſcimus quãta peccata ſint conuicia & blaſphemiæ eorum,qui aduerſus magiſtratus,eccleſiaſtas,prętores & patres familiãs ſuos,officia ſua legitimè adminiſtrantes quidem,non tamen omnino & ſemper,vt ſunt homines, omnia prouidẽtes,virulentis maledictis debacchãtur.Hæc enim malèdicta,etſi in hominem tantùm expui videntur, redundant tamen in deum ipſum,cuius homo ille ordinarius & legitimus ſeruus eſt.Sic ad Samuelem dicit dominus,Nõ te ſed me abiecerunt,ne regnem ſuper eos,primo regum octauo. *Dixit quoque Moyſes ad Aaron,Dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael,Accedite coram domino,Audiuit enim murmur veſtrum.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera,exaudiuit enim murmur veſtrũ.Iterũ exauditionẽ,non precũ ſignificat & petitionum,ſed etiam murmuris malorũ,hoc & poſtea dicit,deus exaudiuit murmur filiorum Iſraël. INTERLINEARIS. Habes hîc quòd ſacerdotũ eſt,legem & dei voluntatẽ annũciare populo,dum negociũ iſtud committit Moyſes fratri Aaron,qui in domini ſacerdotẽ inungẽdus erat. CAIETANVS. Accedite coră domino.Hinc percipitur,quòd ante cõditum tabernaculum,ante conditam arcam, erat locus aliquis deputatus deo, non ab homine ſed ab ipſo deo, locus videlicet ſub columna in aëre exiſtente. Vnde ordinante Moyſe mandat Aaron congregationi populi vt appropinquent faciebus domini , mandatur vt appropinquent ad locum ſupra quem erat colũna nubis,in qua ſuperius ſcriptum eſt eſſe dominum capite quartodecimo . Et quòd iſte appelletur locus domini,ex eo confirmatur,quòd poſtquam factum eſt tabernaculum, ſub colũna fuit,vt inferius ſcribitur capite vltimo. AVCTOR CATENAE. Dixit quoque Moyſes ad Aaron,Dic vniuerſæ congregationi,& cætera.Indigni erãt iam ob murmurationem Iſraëlitæ quibus loqueretur Moyſes integerrimus amicus dei & amator populi , ſed Aaron iniungit, pro ſuſcepto eius à deo officio vt Propheta eſſet , loqui verba dei ad populum

*Cap.20. Exech.32. Hebr.13.*

*Luc.16.*

*Pſal.67. Rom.13. Iac.4. Eccle.10. Matth.11. Lib.12.c.31*

*Num.12. Pſal.104. Exod.22.*

*Matth. 10.*

*Locut.76.*



A populũm.Accederé autẽ vel appropinquare ad dominum,eſt cõuenire in cœtum ad audiẽdam voluntatẽ ex ore Prophetarum. Iam autem corripiendi erant à domino de murmure ſuo contra prophetas in contumeliam dei. *Cumq; loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorũ Iſrael,reſpexerũt ad ſolitudinem,& ecce gloria domini apparuit in nube.* THOMAS. Gloria dei dupliciter dicitur.Vno modo, qua deus in ſe glorioſus eſt. Alio modo, gloria dei, claritas eius ab eo deriuata,ſecundũ illud Exodi vltimo,Gloria domini impleuit illud. CAIETANVS. Claritas ſiquidẽ aliqua dẽſa in ſimilitudinem nubis videtur apparuiſſe.Nõ enim dicit in colũna nubis,ſed in nube,vt intelligamus nõ apparuiſſe aliquid in continua colũna,ſed nouã nubẽ ex parte deſerti apparuiſſe,diuinitatem præferentem. AVCTOR CATENAE. Præſcripta ergo iam verba Aarõ loquebatur ad cœtum de mãdato domini & Moyſi,ad terrendũ & arguendũ inquietos & ingratos, interim gloria domini apparet in nube,nondũ parato tabernaculo fœderis. In ſolito ſpectro à populo viſus eſt,vnde & terrerẽtur corripiẽdi obſuã murmurationẽ, nõ à B domino,quẽ audire nõ merebãtur,ſed Moyſi dominus dicẽda cõmendat. *Locutusq; eſt dominus ad Moyſen,dicẽs,Audiui murmurationes filiorũ Iſrael.* ORIGENES. Videtis quia nõ latet deũ murmuratio noſtra?& quòd nõ ſtatim punit,pœnitentiã noſtræ cõuerſionis expectat. CAIETANVS. Bis autẽ locutus ſcribitur deus Moyſi. Semel abſque ſigno ſenſibili,ſtatim quod cõqueſti ſunt filij Iſraël,& ex illa purè interna allocutione prodierũt cuncta hactenus ſcripta.Iterũ autẽ poſt hæc allocutus eſt deus Moyſen in ſigno viſibili glorioſæ nubis,eadẽ repetẽs, vt filij Iſraël crederẽt,quòd Moyſes diuinitùs inſpiratus,promittebat veſpere carnes,& mane panes. Oportuit autem talẽ repetitionẽ fieri,ne incredulitas filiorũ Iſraël impedimentũ præſtaret promiſſo miraculo. *Loquere ad eos, Veſpere comedetis carnes,& mane ſaturabimini panibus,ſcietiſq; quòd ego ſim dominus deus veſter.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Ecce nõ pro omñi alimẽto panes nominãtur. Nã iſto nomine carnes cõplecterẽtur,quia & ipſę alimẽta ſunt,nec tamẽ panes eos modò dicit qui ſiunt ex frumẽto.Ipſos enim propriè panes appellare cõſueuimus, manna autẽ panũ nomine appellat.Non autẽ vacat,quod dicit ad veſperã carnes & C mane panes ſe daturũ.Tale quippe aliquid etiam in Helia ſignificatũ eſt cũ ei alimẽta coruus afferret. HVGO DE SANCTO VICTORE. Veſpere comedetis carnes,& mane ſaturabimini panibus.Veſpere quãdo plena ſatietas cõueniẽtior, mane,ſolito pane contẽti. CAIETANVS. Quãuis autem non ſit ſcripta hęc Moyſi locutio ad populũ,proculdubio tamẽ ſubſequuta eſt executio huius pręcepti,quoniã obediẽtiſſimus erat Moyſes.Quod autẽ legitur,Veſpere, iuxta Hebræũ habetur,inter veſperas,hoc eſt,inter occaſum ſolis,& ſolẽ tendentem ad occaſum.Scietiſq; quòd ego ſum dominus deus veſter. Declaratur finis miraculorũ,vt videlicet experimẽtis cognoſcãt quòd ipſe dux eorũ eſt ſummus deus qui colitur ab eis. AVCTOR CATENAE. Veſperе comedetis.Rectè vertit Interpres veſpere, quod Hebraicè eſt בֵּין הָעַרְבַּיִם Ben haharbáim , Inter veſperas. De quo quia ſatis ſuprà dictũ eſt , hîc dicere ſuperſedebimus · In eo(ait) videbitis me audiuiſſe murmur veſtrum,& quomodo me offenderitis,dubitãdo de fide & bonitate mea ac prouidẽtia pro electis meis,dũ vobis à me carnes dabuntur ad veſperam,& mane ſequẽti panibus ſaturi eritis.Tunc q; ſcietis dominũ iratũ audiuiſſe murmur veD ſtrum , & non eſſe durum ingenium veſtrum beneficentia rependendum. Ex facto autem videbitis me dominum deum veſtrum eſſe,cuius auſpiciis & opera Aegyptum exieritis.

ORIGENES. Videamus nũc,quid nos adhuc in ſpiritu doceat ſermo diuinus.Veſpere,inquit,ſcietis quia *Myſtice.* ego ſum dominus,mane autem videbitis gloriã ſeu maieſtatẽ eius. Et de hoc velim mihi Iudæi reſpõderẽt,quomodo ad veſperã agnoſcitur dominus, mane autẽ videtur maieſtas eius.Vbi dominus agnitus eſt ad veſperã,& eius maieſtas viſa eſt mane?Reſpõdete nobis qui erudimini ab infantia vſque ad ſenectutẽ, ſemper diſcentes, & nunquã ad ſcientiã veritatis peruenientes.Quare nõ intelligitis hęc prophetice dici?Sed ſi vis iſta intelligere non potes niſi per Euangeliũ.Ibi nãque inuenies ſcriptũ,quia veſpere ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati,venit Maria Magdalene & Maria Iacobi ad ſepulchrũ,& inuenerũt lapidẽ reuolutũ à monumẽto. Ibi audies terremotum factũ,monumẽta diſrupta,Cẽturionẽ & milites qui ad cuſtodiã poſiti erãt,dicẽtes,Verè hic filius dei erat.Agnitus ergo eſt per hæc in veſpera dominus,quia ipſe eſt dominus eſt agnitus in virtute reſurrectionis.Sed quomoE do mane gloria eius viſa eſt? Cùm veniſſent aliæ mulieres prima ſabbati valde mane, inuenerũt angelos cũ ingenti claritate,ad ſepulchrũ ſedẽtes & dicẽtes,Non eſt hîc,reſurrexit à mortuis.Venite & videte locũ vbi poſitus erat,& ite,dicite diſcipulis eius quia reſurrexit, & præcedet vos in Galilæã. Viſa eſt ergo mane maieſtas domini,cùm per angelos reſurrectio nũciata eſt.Additur autem in cõſequẽtibus,Veſpere mãducabitis carnẽ,& mane replebimini panibus.Et de hoc velim ſcire,quali ordine Iudæi Prophetæ dicta ſuſcipiũt.Quid enim cõſequẽtię videbitur,vt aut veſpere carnes ſine panibus comedãt, aut mane panes abſque pulmenti adiectione manducẽt. Quid in hoc diuini muneris?quid tẽperamẽti gratiæ cœleſtis oſtẽditur?Hoccine eſt in quo agnoſci deũ ponitis, quòd carnes in veſpera ſine panibus comedantur,& maieſtatẽ dei dicitis apparere,ſi rurſum panes ſine carnibus comedãtur?Sed vobis iſta ſeruate,& iis qui acquieſcũt vobis, & in coturnicibus agnoſci poſſe deum putãt. Nos autẽ quibus in fine ſeculi,& ad veſperã mundi,Verbũ caro factũ eſt,in illa carne agnoſci dicimus deum,quã ſuſcepit ex virgine.Iſtas enim verbi dei carnes,neque mane aliquis,neque meridie mãducauit,ſed ad veſperã.AdF uentus enim domini in carne,ad veſperã factus eſt,ſicut & Ioannes dicit,Pueri nouiſsima hora eſt.Sed & mane (inquit)replebimini panibus. Nobis in quo poſitus eſt panis,verbũ dei eſt. Ipſe eſt enim panis viuus qui de cœlo deſcẽdit,& vitã dat huic mundo.Sed quomodo dicit mane dari hũc panẽ,cùm aduentũ eius in carne factũ dixerimus ad veſperã?Hoc modo intelligendũ puto,quòd ad veſperã quidẽ vergẽtis mũdi, & prope finem curſus ſui poſiti dominus venerit,ſed aduẽtu ſuo,quoniã ipſe eſt ſol iuſtitiæ,nouum credẽtibus reparauerit diem.Quia ergo nouum mũdo ſciẽtiæ lumen accẽdit,ſuum quodammodo mane effecit, & ſuum mane tãquam iuſtitiæ ſol produxit,& in hoc mane replentur panibus,qui eius præcepta ſuſcipiũt . Nec mireris quia verbũ dei & caro dicitur,& panis,& lac dicitur,& holera dicitur,& pro mẽſura credẽtiũ,vel poſsibilitate ſumẽtiũ,diuerſè nominatur.Poteſt tamen & hoc intelligi,quòd poſt reſurrectionẽ ſuam,quam mane oſtẽdimus factam, credentes repleuerit panibus,pro eo quòd libros legis,& Prophetarum,ignotos priùs & incognitos dederit nobis, & ad inſtructionem noſtram hæc Eccleſiæ inſtrumenta conceſſerit,vt ipſe ſit panis in Euangelio, cæteri verò libri legis vel

Prophetarum vel hiſtoriarum, plures appellati ſint panes ex quibus repleantur, qui ex gentibus credunt. Quod G
tamen non ſine prophetica auctoritate factum docemus. Prædixerat nãque Eſaias Propheta hoc modo, Aſcendent in montem, bibent vinum, vngentur vnguento. Trade hæc omnia gentibus, conſilium enim domini omnipotentis eſt. Sic ergo competenter & carnes ad veſperas accepimus, & panibus replemur mane, quia nec poſsibile erat nobis mane carnes edere, nondum enim tempus erat, ſed nec meridie poteramus. Vix enim angeli edũt carnes meridie, & illi fortaſsis ordini meridianum conceditur tempus. Præterea & illud intelligere poſſumus, quòd vnicuique noſtrum mane eſt & initium diei illud tẽpus, quo primùm illuminamur, & ad lucem fidei accedimus. In hoc ergo tempore, quo adhuc in principiis ſumus, carnes verbi dei edere nõ poſſumus, id eſt, perfectæ & cõſummatę doctrinæ nõdum capaces exiſtimus. Sed poſt longa exercitia, poſt perfectum plurimum, cùm iam proximi ſumus ad veſperam & ad ipſum finem perfectionis vrgemur, tunc demum ſolidioris cibi, & perfecti verbi capaces fieri poſſumus. RVPERTVS. Notãdum verò, quòd cùm dominus de panibus ſolummodo H
dixerit, ecce ego pluam vobis panes de cœlo, Moyſes ad populum mandata prę ferẽs, quaſi de ſuo carnes prę mittit: Dabit (inquiens) dominus vobis veſpere carnes edere & mane panes in ſaturitatem. Et quidem dominus inferius loquẽs ad Moyſen, Loquere (ait) ad filios Iſraël, veſpere comedetis carnes & cætera. Veruntamen ex Moyſi priuſquam ex domini ore veſpertinas carnes promitti audimus. Quid ergo per carnes niſi vetera ſacrificia, quid
*Hiere.7.* per manna niſi nouum ſacrificium accipimus? Etenim ſicut iam ſuperius pertractatum eſt & Prophetę teſtantur, illa dominus ſacrificia permiſit fieri, non iuſsit, hoc autem nouum corporis & ſanguinis ſui ſacrificium perſemetipſum tradidit, & hoc facite in memoriam meam dixit. Rectè igitur ſaturitatem panis priùs ipſe dominus &
*Pſal.39.* deinde Moyſes pollicitus eſt. Quid autem per veſperã niſi vetuſtam vitam, quid per mane niſi nouam nouæ vitę claritatem intelligimus? Ad veſperam (inquit Pſalmiſta) demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nam quia circa veſperam primus Adam inobediens conuictus & iudicatus, in hanc mortalitatem deuenit, matutino autem nouus Adam obedientia peracta ad immortalitatem atque incorruptionem reſurrexit, rectè hîc per veſpe- I
ram veterem vitam, in qua carnes taurorum & ſanguinem hircorum ſacrificauerunt Iudæi, per mane autem nouam vitã intelligimus, in qua præcurrente ſummo ſacerdote Chriſto ſacrificant, & pane cœli ſaturãtur Chriſtiani. Ad illam veſperam demorabatur fletus cunctis ad inferos deſcendẽtibus, ab hoc autem matutino lætitia eſt, quia cœlũ patet, paradiſus apertus eſt. Dicat itaque veſpere ſcietis, quòd dominus eduxerit eos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini. Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus. Ac ſi dicat, Quoniam recordati eſtis, quia ſedebatis ſuper ollas carnium, tota iſta veſpera, quæ lucifluum Chriſti aduentum præcurrit carnalibus ſacrificiis qualibus auelli nõ poteſtis vobis inſeruire licebit, ita tamen vt per illa ſciatis & memoriæ repreſentetis quòd dominus eduxerit vos de terra Aegypti, verbi gratia, per veſpertinam immolationem agni paſchalis. Et mane videbitis gloriam, id eſt, glorioſam reſurrectionem domini, cuius comparatione gloria
*Quæſt.60.* non eſt, quod eduxit vos de terra Aegypti. AVGVSTINVS. Ait deinde iterũ dominus ad populum per
Moyſen, Veſpere comedetis carnes, & mane replebimini panibus. Carnibus ad veſperã, & mane panibus, illeſi- K
*Rom.4.* gnificatur, qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Ad veſperã quippe
mortuus ex infirmitate ſepultus eſt, mane autem apparuit diſcipulis, quia reſurrexit ex virtute. PROSPER.
*1.par.ca.39* Vel iubetur populus mane panem, in veſperum carnes accipere. Sed hæc figuræ noſtræ fuerunt. Panem enim illum ſanctum qui de cœlo deſcendit ſuſcipit primò populus manducandum, poſtea carnem Chriſti in paſsione confectam. De qua ipſe dominus dicit: Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

3 *FActum eſt ergo ueſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitũ caſtrorum. Cumq; operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cùm uidiſſent filij Iſraël, dixerunt ad inuicem, Manhu, quod ſignificat, quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus Moyſes ait, Iſte eſt panis quem dedit uobis dominus ad ueſcendũ. Hic eſt ſermo quẽ præcepit dominus. Colligat unuſquiſque ex eo quantũ ſufficit ad ueſcẽdũ, gomor per* L
*ſingula capita. Iuxta numerũ animarũ ueſtrarũ quæ habitãt in tabernaculo, ſic tolletis. Feceruntq; ita filij Iſraël, & collegerunt alius plus, alius minus, & menſi ſunt ad menſurã gomor. Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant cõgregauerũt. Dixítque Moyſes ad eos, Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierũt eum, ſed dimiſerũt quidã ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit uermibus, atque computruit. Et iratus eſt cõtra eos Moyſes. Colligebant autem mane ſinguli quãtum ſufficere poterat ad ueſcendum. Cúmque incaluiſſet ſol, liquefiebat. In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos homines.*

3 RVPERTVS. Plana recenſetur hiſtoria quomodo pluerit filiis Iſraël mãna ad mãducandũ, & ſicut pluue-
rẽ carnes, ſcilicet gregẽ coturnicũ. Ait ergo: *Factũ eſt ergo veſpere, & aſcẽdens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum.* Pro coturnice plerique ortigometrã legũt, alij autẽ pro ortigometra, coturnices interpretãtur. M
Alij autẽ ortigometras duces coturnicũ eſſe affirmãt, ab ortigia, in qua abundãt inſula nominatas. CAIETANVS. Aſcẽſus autem earũ teſtatur, quòd ex inferiore regione venit tãta multitudo coturnicũ vt tegeret totam multitudinẽ caſtrorũ. Mane quoque (inquit) ros iacuit per circuitũ caſtrorũ. Iuxta Hebręum habetur, Et in mane fuit lectiſterniũ roris in circuitu caſtrorum, & aſcẽdit lectiſterniũ roris. Quæ ideo dixerim, vt integra litera Hebraica à noſtratibus videatur. Narratur enim quòd in ſimilitudinẽ lectiſtratus eſt ros circũcirca, & quod huiuſmodi roris lectiſterniũ aſcẽdit, hoc eſt, eleuatũ eſt, reſolutũ in aſcẽdẽtes vapores, aſcẽdit enim velut fumus. AVCTOR CATENAE. Et aſcendẽs coturnix cooperuit caſtra, quaſi dicat, Ex alio loco aduolarũt tot coturnices, vt caſtra cooperirẽtur. Mane quoq;, inquit, ros iacuit p circuitũ caſtrorũ. Nihil deuiat ab Hebraico quod eſt huiuſmodi הַיְתָה שִׁכְבַת הַטָּל Háitha ſichbath hatal, Fuit cubatio vel ſitus ſiue ſtramentum roris. Habuit enim manna



A manna illud rorem ſupra & infra, vt Hebræi dicunt, ſitus autem roris ſuperioris per radios ſolis tollebatur, & apparere cœperunt infinita quædam granula tenuia & orbiculata. Vertunt alij, Fuit deſcenſio roris, id eſt, deſcendit ros, Sic habet & Chaldaica. Septuaginta hîc penitùs ſilent. Examen igitur maximum coturnicum iuſſu diuino incidit eatenus, caſtra omnium Iſraëlitarum, vt terram operuerit, & facilè ad manum arripi potuerit, & parari ad guſtum atque edulia. Id autem veſperi poſt ſolis occubitum, & ante crepuſculum. Mane autem poſitio vel iactatio contigua aut conſperſio plurima roris inueniebatur, hoc eſt, panis vel cibi quoddam genus optimum, qui in modum roris ſparſus iacebat in ſuperficie terræ circum caſtra vndique. Vides quomodo murmurantibus nonnunquam dat deus quæ cupiunt, ſed ipſorum malo. Hîc verò carnium ollas veſperi, & ſaturitatis panes, eodem ordine quo poſtulauerant ſuſceperunt. *Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* PHILO IVDAEVS. Poſtera igitur die ros condenſus ac cre-
B ber circa vniuerſa caſtra viſus eſt. Qui ſenſim è cœlo cadebat, non quòd pluuia eſſet, aut aqua, aut grando, ſiue nix vel glacies, nam hæc hyeme nubibus varium habitum induentibus ſolent effici, ſed quaſi milium tenuiſsimum ac breuiſsimum. Is autem ros propter crebrum deſcenſum, quaſi aceruos circa tentoria effecerat. GREGORIVS NYSSENVS. Cùm commeatus omnis quem exeuntes ab Aegypto abduxerant Iſraëlitæ, defeciſſet, non à terra ſibi vt ſolet, quæ victum præſtabãt oriebantur, ſed à cœlo quotidie in crepuſculo non aquea ſtillicidia, ſed quaſi criſtallinæ guttæ in coriandri ſeminis formam conglobatæ, roris vice deſcendebant, quæ ad cibum collectæ guſtum mellis penè afferebant. THEODORETVS. Hinc panem angelorum manna diuinus Propheta Dauid appellauit, tanquam angelorum miniſterio hoc donum Hebręis datum fuerit, neque natura illa corpore vacans cibi indigens eſt. Idem panis cœli dictus eſt, non ex ipſo cœlo, ſed aëre, quem aliquando ſcriptura cœli nomine vſurpare ſolet. AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXO- *Locut.77.*
DVM. Secundum aliam literam, Et ecce in facie eremi minutum tanquam coriandrum. Cùm toties deus di-
C cat, faciem terræ, ſicut hîc faciem eremi, mirum eſt, vnde homines ita errent cùm faciem audierint, vt tale aliquid opinentur, qualis hominis facies eſt vel alicuius animantis. CHRYSOSTOMVS, QVOD NEMO LAEDITVR NISI A SEIPSO. Quanta erga Iudæorum populum cura extitit diuinæ prouidentiæ, nónne omnis (vt ita dicam) creatura erga emendationis eorum miniſterium præparata eſt? Nónne præ cæteris omnibus hominibus noua quædam, & magnifica eis vitę inſtituta ſunt tradita? Nónne in medio mari ſiccum iter apertum eſt eis, & in quo ipſis fuit ſalus, ibi inimici eorũ venit interitus? Quadraginta annis in deſerto non arando neque ſeminando vixerunt, laborem meſsis, & areæ neſcierunt, onus molæ eis, & coquendi panis neceſsitas non fuit, fœminas quoque eorum nulla texendi ſolicitudo conſtrinxit, mercandi cauſa non inſtitit, macellum nemo pro comparandis carnibus requiſiuit, ſed hæc omnia fuit eis verbum dei, & parauit eis menſam in de-
ſerto, laboris & ſudoris expertem. Hæc enim fuit natura mannæ, cibus quotidie nouus, & ſaporem ſui pro deſi-
derio veſcentium ſubminiſtrans. Sed indumenta eorum, & calciamenta & ipſorum etiam corporum natura o-
D blita eſt infirmitatis ſuæ. Omni nanque illo tempore neque indumenta attrita ſunt eis, neque fuit in illis infir- *Pſal.104.*
mans, medico nullus indiguit, medicamenta nemo quæſiuit. Eduxit eos in argento, inquit, & auro, & non erat
in tribubus eorum infirmans. Sed quaſi qui iam reliquiſſent mundum hunc, & ad alium meliorem præſtantiorémque tranſiſſent, ita eis cibus & potus abſque labore & ſolicitudine ex verbo dei præbebatur, & quod fuit ſuper omne miraculum, ne fortè acrior eos radius ſolis adureret, vmbra nubis per diem deſuper tegebatur, & cum ipſis quocunque abiiſſent, circunferebantur tecta illa cœleſtia. Sed nec noctis quidem tenebræ abſque ſolatio relinquuntur. Lampas nanque eis ignis verbo dei accenſa lucebat, quæ non ſolùm illuminandi, verùm etiam & itineris oſtendendi miniſterium prębebat in deſerto. Quid verò de ſequenti dixerim petra aquarum fluuios emittente? Quid multitudinem auium, quæ denſitate ſui terram texerunt vniuerſam? Nam in Aegypto quæ facta ſunt mirabilia quid repetam? quid etiam virtutes, quę conſummatæ ſunt in deſerto, bella orationibus geſta,
& victorias ſola dei inuocatione quæſitas? Non enim vt pugnantes, ſed vt choros agentes manuum protenſio-
E ne triumphabant. Illud autem quomodo narrabo, quòd qui Aegyptum aquis pro ſe pugnantibus trãſierant, mu- *Ioſue.6.*
ros Hiericho in voce tubarum, pſalmorúmque deiiciunt, ita vt aduerſariorum pſallentium magis chori quàm exercitus viderentur hoſtiles, & qui myſteria magis putarentur conſummare quàm bella. Hæc autem cuncta ſigna & prodigia non ob hoc ſolùm fiebant, vt vſus populo tantùm videretur expleri, ſed vt doctrina agnitionis dei quam Moyſe tradente didicerant, firmiùs eis, & tenaciùs adhæreret. Hæc enim omnia voces erant quædam deum cœli, & vniuerſitatis dominum prædicantes. Nam & mare hoc clamabat, cùm pedibus tranſiretur, hoc etiam cùm extingueret aduerſarios, hoc illæ aquæ in ſanguinem verſæ, hoc irruptio ranarum prædicabat, & exercitus locuſtarum, hoc eruca & cinifes, omnia illa quæ geſta ſunt ſiue in Aegypto, ſiue in deſerto prodigia nunciabant. Mãna ipſum, & columna ignis, & coturnicum multitudo, atque omnia illa liber quidam erat eis, & literæ quæ deleri nunquam poſſent, nec de conſcientiæ eorum paginis aboleri quas legerent, & haberent ſemper
in cordibus ſuis, & tamen poſt hæc omnia tam euidentia diuinæ virtutis inſignia, & poſt vniuerſam gloriã quæ
F eis ſupra cunctos mortales data eſt, infideles extiterunt & ingrati. Caput nanque vituli adorauerũt, & deos quæ- *Num.11.*
ſierunt ſibi alios fieri, cùm tantæ taléſque dei virtutes aliæ adhuc in oculis haberentur, aliæ verò recentem, & nuper geſtam ſeruarent in corde memoriam. RVPERTVS. Erat autem mãna ſicut alio loco ſcriptum eſt,
quaſi ſemen coriãdri, videlicet herbę quæ græcè corion dicitur, coloris bdellij, ſcilicet aromaticæ arboris, de cuius natura Plinius pleniſsimè ſcribit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Quaſi tuſum pilo, ſcilicet qualis eſt groſſa farina attrita in pilo, id eſt, piſtillo CAIETANVS. Iuxta Hebraũ habetur, Et ecce ſuper facies deſerti minutum rotundũ, minutũ ſicut pruina ſuper terrã. Narratur ordo, videlicet quòd vbi aſcẽdit velut fumus operimentũ roris, apparuit in ſuperficie deſertæ terræ multitudo rerũ minutarũ ſecundũ quãtitatẽ, & rotũdarũ ſecũdũ formã. Et rurſus minutarũ nõ omnino diſgregatarũ, ſed cohærẽtiũ in ſimilitudinem pruinę ſuper terrã. Ita quòd erãt corpuſcula illarũ rerum nõ contigua quemadmodũ grana milij ſeu coriãdri, ſed cõtinua tanquam pruina, ſicut videmus ad ſenſum huiuſmodi cõtinuitatem in hodierno manna. Quanuis ad ſubtilitatem

huiuſmodi corpuſculorum referri poteſt ſimilitudo,eo quòd Hebraica dictio interpretata minutum,à ſublimitate ſumpta eſt,vnde & multi interpretantur tenue,vt poſtquam dictum fuit tenue rotundum,explicetur tenuitas,dicendo,tenue ſicut pruina ſuper terram,quæ eſt valde tenuis.Elige prudens lector quod rationabilius videtur,aut potius vtrumque amplectere,quoniam vtraque conditio quadrat, nam & humiditas glutinum, & parſu lectiſternij, roris ſubiuncta eſt demonſtratio minuti rotundi, dicendo, Ecce, inſinuans non ſolùm ordinem ſed cauſam,vt intelligamus cum rore ſimul deſcendiſſe materiam mannæ,& primò apparuiſſe ſuper terram velut lectiſternium roris, deinde vaporantibus partibus ſubtilioribus remanſiſſe partes terreſtres cum groſſo humido,quæ in formam rotundam ſeſe colligentes, tanquam à continente frigido proximo terræ tuendo ſeipſas adunatione vndique æquali, antequam à calido diſſoluerentur, conſtituerunt multitudinem minutorum granorum. AVCTOR CATENAE Cúmque operuiſſet ſuperficiē terræ. Hebraicè legitur וַתַּעַל שִׁכְבַת הַטָּל Vatahal ſichbath hatal,Et aſcendit cubatio roris.Alij vertunt,Cúmque diſparuiſſet deſcenſus roris,id eſt, cùm euanuiſſet ros qui deſcenderat.Sic & alij,Cúmque aſcenderet ſitus roris. Nonnulli, Et excíſa eſt deſcenſio roris, vel ceſſauit deſcendere ros.Demum alij,Quo abſcedente(ſcilicet rore)reddiderunt.Chaldaica, Et ſublatus eſt ros qui deſcenderat. Sptuaginta,τοπῳωὶ δὲ ἐγένετο καταπαυομένης τῆς δρόσου κύκλῳ τῆς παρεμβολῆς, Mane autem factum eſt , cùm ceſſaſſet ros in circuitu caſtrorum. Apparuit inquit in ſolitudine minutum & quaſi pilo tuſum, Iuxta Hebræum eſt,וְהִנֵּה עַל פְּנֵי הַמִּדְבָּר דַּק מְחֻסְפָּס Vehinne hal pene hamidbar dak mechuſpas, Et ecce ſuper faciem deſerti minutum contuſum ſiue inuolutum thecæ aut tectum corticæ . Et dicunt quidam Hebræi quòd ſignificat rotundum. Dictio autem mechuſpas ſolùm inuenitur in hoc loco. Alij legunt, Ecce in ſuperficie deſerti erat tenue quiddā & orbiculare.Alij,Apparuit in ſuperficie deſerti minutū quiddam,rotundę figuræ.Nonnulli,Et ecce erat in ſuperficie deſerti minutum rotundum.Demum quidem minutum collectum, aggregatum reddiderūt,ſicut exponit Rabbi Salomon,qui ait,aggregatum inuolutum,cui non dicit inueniri ſimile in ſacra ſcriptura.Septuaginta quoque optimè eius rei naturam expreſſerunt,λεπτὸμ ὥσει κόριομ λευκόμ,id eſt, exiguum ſiue ſubtile tanquam coriandrum candidum. Chaldaica, Minutum quaſi decorticatum habet, hoc eſt, album vt ſunt ligna decorticata.Deinde ſequitur,In ſimilitudinem pruinæ ſuper terram, quod non diſſentit ab Hebræo, videlicet דַּק כַּכְּפֹר עַל הָאָרֶץ Dak cacephor hal haárez , Minutum quaſi pruina ſuper terram . Alij vertunt, Exiguum quaſi pruina ſuper terram. Chaldaica, Minutum aceruatum quaſi pruina ſuper terram. Septuaginta, ὡσεὶ πάγος ἐπὶ τῆς γῆς, vt pruina ſuper terram.Sed hæc idem dicunt.Quomodocūque igitur dicatur, deſcribit Moyſes diligentius figuram ac naturam cibi cœlitùs depluti. *Quod cùm vidiſſent filij Iſrael,dixerunt ad inuicem,Manhu,quod ſignificat quid eſt hoc?Ignorabant enim quid eſſet.* THEODORETVS. Cur manna vocatum eſt? Quia cùm mox illud conſpexiſſent, ſe mutuò interrogabant quid eſſet. Itaque hanc ei appellationem indiderunt : ſic enim manna interpretatur.Neſciebant enim quid eſſet. Itaque factum eſt vt interrogatio vicem nominis habuerit. CAIETANVS. Iuxta Hebræum abundat,Quod ſignificat quid eſt hoc,Sed habetur,Manhu, quia non ſciuerunt quid ipſum.Certum eſt quòd hu pronomen eſt,ſed non eſt certum quid ſignificet man. Alij enim munus interpretantur. Sed nullos video in hoc textu ſectatores. Alij præparationem contendunt ſignificari , dicentes man per ſyncopen dictum à mazon, & quòd filij Iſraël neſcientes quid in ſpecie eſſet dixerunt in genere præparationem , tanquam rem præparatam à deo. Alij ab interrogatiuo ma (hoc eſt quid) formatum putant, & intelligunt filios Iſraël interrogatiuè inter ſe dixiſſe quid ipſum? Et huic ſenſui multùm fauent verba ſubiuncta, quia neſcierunt quid ipſum . Ignorantia enim optima eſt ratio interrogandi . Et propriè loquendo non eſt ratio nōminandi præparationem,quoniam nominatio præparationis ex notitia prouenit,quod erat præparatio,Et propterea hic ſenſus tanquam literæ quadrans (quem etiam Ioſephus libro tertio Antiquitatum capite primo ſequitur)complectendus eſt,& putandum quòd litera,n,adiuncta fuerit tāquam ſyllabica adiectio. AVCTOR CATENAE. Manhu , quod ſignificat quid eſt hoc ? Verba hæc de ſuo addidit Interpres , vt declararet quid important, duæ hæ dictiones מָן הוּא, Quid hoc, ſcilicet eſt? Pro ma hu, nun interiecta euphoniæ cauſa. *Sed* & alij reddunt eas,Donum eſt, hoc eſt,donum illud quod dominus pollicitus fuerat, à מָנָה Mana quod donare ſignificat.Appellauerunt autem vocabulo generali,quod eſt man, quòd proprium illi nomen indere non poſſent. Alij non diſcedentes à prioribus,Man eſt verterunt, id eſt, Quid eſt? vel donum eſt. Nonnulli præparamentum eſt legunt,vt deſcendat hæc dictio ab eodem verbo מָנָה Mana , quod etiam præparare ſignificat, quaſi ſit cibus in ſeipſo præparatus , & qui alia ordinatione opus non habeat . Fuit enim in ſeipſo bonus & eſui aptus . Cuius guſtum fuiſſe dicunt vt mellitum paſtillum . Numeri verò vndecimo dicitur , quòd ſapor eius erat quaſi ſapor paſtæ oleatæ . Septuaginta Græca tantùm poſuerunt, ἕτεραμ ἕτερος τῷ ἑτέρῳ, τί ἐστι τοῦτο; Dixerunt alter ad alterum, quid eſt hoc?Chaldaica ita etiam , Et viderunt filij Iſraël & dixerunt vnuſquiſque fratri ſuo, Quid eſt hoc? Ab hoc itaque dictum eſt nomen manna, nec Græcum, nec Latinum , quanquam eo vſi ſint Græci in ſuo, & Latini eos imitati.Cibum ergo à domino datum, quoniam aliter non poterant, Man appellabant . Veruntamen ratio impoſiti nominis ab ignorātia accepta eſt iuxta literam,ideo prior ratio videtur vero proximior. Inuenitur autem etiam hac tempeſtate multis in locis manna , etiam in Italia coaleſcit in foliis virgultorum , ſpecie eſt qua & pruina , mane colligitur antequam ſole liqueſiat. Eius vſus eſt in medicina ad multas ægritudines. *Quibus Moyſes ait, Iſte eſt panis quem dedit vobis dominus ad veſcendum.* CAIETANVS. Quæſtioni ignorantium quid eſſet illud , reſpondet Moyſes, quòd eſt panis datus à deo , hoc eſt , quòd eſt materia ex qua conficiendus eſt panis, quemadmodum ſi diceretur de tritico , quòd eſt panis quia ex materia ex qua fit panis. Vt enim explicatur Numeri vndecimo ex iſtis granis conficiebatur panis tam aſſus quàm elixus, quemadmodum fit panis ex tritico vtroque modo coctus. *Hic eſt ſermo quem præcepit dominus.Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum , gomor per ſingula capita.Iuxta numerum animarum veſtrarum quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Quamſæpè ſcriptura animas homines appellat,à parte totū.Nō facilè autē carnes pro hominib⁹,ſed carnē,ſicuti eſt,Nō timebo quid faciat mihi caro. Quod apertius in eodē Pſalmo ait

*Locut.78.*
*Pſal.55.*



ait,Quid mihi faciet homo.Non autē diceret ſecundum numerum carnium veſtrarū,ſicut dixit ſecundum numerum, animarum veſtrarum. INTERLINEARIS. Eſt enim gomor quinque ſextariorum menſura, quam Ioſephus aſſarium vocat. RVPERTVS. Vel menſura Attica duodecim ſextarios habens, quæ eſt decima pars ephi,ſicut in ſequentibus habes. Ephi ergo vt batus vna eſt menſura, id eſt, modiorum triū. CAIETANVS. Incipit Moyſes dare præcepta habita à domino circa Manna. Et primum præceptum fuit vt colligerent ſingula homer per ſingula capita ſui tentorij.Nihílque dicitur de ſufficiētia, ſed Interpres vt intellexit tranſtulit, quod Hebraicè dicitur, colligite ex eo vir ad os comedere ſui homer ad caput. In his ergo verbis nulla ſufficientiæ fit mentio, ſed quòd iuxta numerum comedentium colligantur homer. Et in teſtimonium diuinæ auctoritatis euenit vt quamuis diſpar fuerit collectio,par tamen fuerit inuentio, nam cùm collecta grana menſurarentur, quilibet inuenit tot homer mannæ,quot erant capita in ſuo tabernaculo. AVCTOR CATENAE. Quantum ſufficit ad veſcendum.Optimè & clarè Hebraicum expreſsit Interpres לְפִי אָכְלוֹ Lephi achlo, Ad os comedere ſui, Vel iuxta comedere ſuum.Alij,pro alimonia ſua: Alij, Quantum edant: Nonnulli , Quantum edere poſsit, hoc eſt quantum ſatis illi ſit pro cibo, verterunt. Chaldaica, vt apud nos. Sed hæc omnia vnum dicunt.Quod verò ſequitur, Gomor per ſingula capita. Iuxta numerum animarum veſtrarum,in Hebræo eſt vnum membrum,non diuerſa,hoc modo, עֹמֶר לַגֻּלְגֹּלֶת מִסְפַּר נַפְשֹׁתֵיכֶם Hómer lagulgóleth miſpar naphſóthechem, Gomor pro capite vel per ſingula capita,ad,ſiue iuxta numerum animarum veſtrarum. Sic & Chaldaica.Vertunt alij,Gomer pro ſumma ſiue ad ſummam numeri animarum veſtrarum. Septuaginta, γόμος κατὰ κεφαλὴμ κατὰ ἀριθμὸμ ψυχῶμ ὑμῶμ, Gomor ſecundum caput iuxta numerum animarum veſtrarum. Gomor autem teſte Hieronymo,ſunt tres chœnices Atticæ. Dicunt autem chœnicem eam frumenti eſſe menſuram,quam vnus homo quotidie abſumere poſsit.In fine autem huius capitis dicitur Gomor continere decimam partem Ephi. Ioſephus quoque tres continere ſemicotylas (inquit) quanquam res abeat in infinitum. Nam & hoc eſſet declarandum. Nam cotylam Priſcianus heminam eſſe dicit hoc verſu , Ad cotylas, quas ſi placeat dixiſſe licebit, Heminas,recipit geminas ſextarius vnus.Demum quod ait,Quæ habitant in tabernaculo ſic tolletis.Hebraicè eſt, אִישׁ לַאֲשֶׁר בְּאָהֳלוֹ תִּקָּחוּ Is laaſer behaholo tikkachu, Quiſque pro his qui ſunt in tabernaculo ſuo accipite vel accipietis. Vel ſinguli pro iis qui ſunt in tabernaculo vel tentorio ſuo capiant Chaldaica, Vnuſquiſque pro his qui habitant in tabernaculo ſuo tollat. Quem ſenſum etiam Interpres aſſecutus eſt iuxta lectionem ſuam, videlicet iuxta numerum animarum veſtrarum quæ habitant in tabernaculo ſic tolletis. At Septuaginta aliquantò diuerſiùs locum explicant ἕκαστος ἐμ ταῖς σκηναῖς ὑμῶμ συλλέξατε, Vnuſquiſque in tabernaculis veſtris colligite.Et videtur dicere, quòd non debent exire de papilionibus ad agrum pro colligenda manna, ſed ſtantes in tabernaculis ſuis colligant,quod minoris erit laboris. Ait ergo Moyſes. Hic eſt ſermo quem præcepit dominus, ſubaudi de Manna. Sic vobis (inquit) tractandum eſt beneficium huius cœleſtis cibi,hac lege circa illud vtamini,Colligat quiſque de hoc manna quantum ei ad eſum ſatis ſit pro eodem die, ea conditione vt pro qualibet perſona quam paterfamiliās habet in ſuo tabernaculo , colligat menſuram gomor , quæ quanta ſit definire non audemus. *Feceruntque ita filij Iſrael , & collegerunt alius plus, alius minus , & menſi ſunt ad menſuram gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus,ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant congregauerunt.* GREGORIVS NYSSENVS. Mirabile quid in ipſa collectione fiebat,nullus enim minus quàm egeret,aut propter ætatem,aut propter infirmitatem ſibi aſſumpſit, nullus quia validior ſibi pluſquàm eſſet opus,in eo die potuit arripere.Itaque quicquid in vno die congregauerant, eius ipſius diei tantummodo cibus erat. RVPERTVS. Mihi autem videtur quòd tentati filij Iſraël domino dicente ( vt ſuprà dictum eſt) vt tentem eos vtrum ambulent in lege mea an non, in tribus rebus tentationem inciderunt,& infidi reperti ſunt. Primùm quia audito ſermone domini dicentis colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita,iuxta numerum animarum veſtrarum , collegerunt alius plus , alius minus. Nam quòd tamen menſi ſunt ad menſuram gomor,nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, hoc virtutis & operis fuit diuini,& ad myſterium pertinet,de quo paulò pòſt dicēdum erit. CAIETANVS. Et hîc nihil dicitur de ſufficientia iuxta Hebræum, ſed quòd iuxta ora comedentium collegerunt , ſciebat nanque deus, quòd ſupputando quamlibet familiam ſimul, ſufficiebat ſumma tot homer,quot erāt capita,penſato eo qui erat minoris alimenti cum eo qui maiori vtebatur alimento. AVCTOR CATENAE. Nec qui plus collegerat habuit amplius, & cætera.Hebraica verba ſunt huiuſmodi וְלֹא הֶעְדִּיף הַמַּרְבֶּה וְהַמַּמְעִיט לֹא הֶחְסִיר אִישׁ לְפִי אָכְלוֹ לָקָטוּ Velo heheddiph hamarbe, vehamamhit lo hechſir,is lephi achlo lakátu, Et nō exceſsit,ſiue nō ſuperfluit illi qui plus(ſubaudi collegit)Et ei qui minus(ſubaudi paraue rat vel collegerat) nō diminuit(ſcilicet menſurā gomor) Quiſque ad os comedere ſui,ſiue iuxta ſuū comedere, vel ſecundum cibum ſuum collegerunt. Alij locum vertunt,Nihil ſuperfluit ei qui plus, nihil defuit ei qui minus collegerat,quiſque collegit quantum ad veſcendum ſatis fuit.Alij,Non ſuperabūdauit multiplicans,& diminuens non defecit vel deficere fecit(ſupple menſuram) id eſt, qui plus collegerat , non plus tamen habuit, neque qui minus collegerat,quaſi dicat, omnes habuerunt menſuras iuſtas, ſinguli quantum comedere poterant,vt mox dicit,nempe gomer vnum quiſque.Hūc locum citat Paulus Apoſtolus ſecunda ad Corinthios capite octauo ex verſione Septuaginta Interpretum.In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat,vt & illorū abundantia,veſtræ inopię ſit ſupplementum,vt fiat æqualitas,ſicut ſcriptum eſt,Qui multum, non abundauit,& qui modicum,non minorauit.Chaldaica,Et nihil ſuperfluit ei qui plus collegit,nec defuit ei qui minus collegerat.Vnuſquiſque iuxta id quod poterat comedere collegerunt.Quę omnia vnum dicunt cum litera noſtra.Cùm ergo(inquit) exiſſent ad colligendum,collegerunt plus minus,ac deinde metiebantur collecta ad gomor,plura qui perſonas habebat multas,qui verò paucas pauciora iuxta præceptum domini.Cùm autem non ſit omnium gula ſimilis,& alius alio magis edat,non caret miraculo, quòd ſinguli ſingulis gomor cibabantur per diem,vt nihil ſuperfuerit,nihílque defecerit.Non deſunt tamen hîc qui aliter intelligant,& primā hanc legem à deo datam de colligendo manna tantùm gomor per ſingula capita ab vno quoque obſeruatu facillimam

cillimã,ſtatim ab Iſraëlitis violatam eſſe.Collegerunt enim alius plus,alius minus.Ac fuerunt fortaſsis aliquot, G
qui nullo modo conſilio minus aut plus collegerunt.Sed ex ſequentibus apparet multos fuiſſe, qui nulla habita
ratione præcepti dei,tantũ ex incredulitate & auaritia plus aliis collegerunt.Timuerunt enim ne Manna ſequẽ-
ti die deficeret,hoc eſt,non crediderunt promiſsioni dei,qua Manna ſingulis diebus promiſſum erat. Hîc ergo
vide miraculum dei.Cùm enim Iſraëlitæ metirentur id, quod collegerunt,menſura Gomor,is qui plus colle-
gerat,non habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, ha-
buerunt. Hoc miraculo teſtatus eſt deus, ſuam cuique ſufficientem menſuram victus à domino paratam eſſe
etiamſi ex laboribus ſuis minus conſequi poſſe videatur.Et ſi enim alij magnas opes poſsident, alij paupertate
laborant,tamen quod ad fructum panis quotidiani attinet,non minus conſequitur pauper è ſuo pane,quàm di-
ues è ſuo.Suſtentatur huius,ſuſtentatur & illius vita,ac,vt plurimum,maiori ſalute.Et pauper edit cibarium pa
nem maiori voluptate,quàm dives phaſianum.Quod igitur attinet ad fructum panis quotidiani,qui eſt ſuſten- H
tatio vitæ & iucunditas,non minus conſequitur pauper è ſuo modico,quàm dives è ſua abundantia. *Dixitque Moyſes ad eos,Nullus relinquat ex eo in mane.* RVPERTVS. Iuxta literam, Fides exigitur à populo, vt totam ſui curam deo committentes, ſolliciti non ſint de craſtino. CAIETANVS. Secundum Mannæ præce-
ptum fuit de tempore,vt non vltra diem ſeruaretur.Et in teſtimonium diuinæ auctoritatis euenit,vt ſeruatum
ſcateret vermibus & fœteret. *Qui non audierunt eum,ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane,& ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.Et iratus eſt contra eos Moyſes.* THEODORETVS. Manna in poſterum diem ſeruatum corrumpeba-
tur propterea quòd id nihil aliud erat quàm legem tranſgredi.Quum enim illos deus vitam à curis liberam do
cere vellet,pollicitus eſt ſe per ſingulos dies cibum qui ſatis eſſet illis daturum. At verò illi deo minimè fiden-
tes,partem quandam collecti, manna in poſterum diem reſeruarũt.Idcirco computruit. Quod enim id naturæ
ipſius Manna non fuerit teſtatur ſabbatum,in quo illæſum ſeruabatur, in die præparationis collectum, teſtatur
etiam arca, in qua per tot ætates incorruptum integrumq; permanſit. CHRYSOSTOMVS IN PRI- I
*Cap.15.* MAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS. Si quis egenis rebus adhuc addictus, vitiorum ſtudio
*Hom.40.* tenetur,ille velim in memoriam mannæ cibum reducat,& pœnæ iſtic inflictæ exemplum horreſcat. Nam quod
tum accidit, accidere auaris videmus.Quid accidit igitur? Vermes ab auaritia iſtic ſcatebant,idem in his etiam
cibis fit,menſura eadem omnibus eſt,vnum cuncti ventrem explemus,& ſtercoris apud te qui voluptatem ſe-
queris plus eſt.Et quemadmodum iſtic qui plus quàm permiſſum erat colligebant nõ manna,ſed vermium tum
plus & putredinis retulerũt,ſic voluptarij, ſic auari, non voluptatis,ſed detrimenti plus reportant.Hoc ventres,
hoc lurcones, tantò deteriores , quòd illi ad errorem ſemel commiſſum reſipuerunt, ij quotidie vermen mul-
tò moleſtiorem,in ſuas ipſorum domos inferentes,nec ſentiunt, nec ſatiantur. Eſſe porrò hos illis vano conatu
perſimiles(Nam pœna eſt longè maior)hinc maximè liquet.Nam quid locuples ille paupere differt? non vnum
corpus veſtit? non vnum ventrem nutrit? quid igitur differt? curis puto quibus conſumitur miſer, neglectu dei,
corporis inquinatione, animi perditione, hæc ſunt quibus pauperem præcellit. Itaque ſi ventres habeat plures K
obiicere fortaſſe poſsit,nempe rebus etiam pluribus,pluribus ſumptibus eſſe opus.Iſtuc etiam ſic poſſunt(inquis)
multorum ventrem implent, ſeruorum, ancillarum,familiarium.Verùm nec neceſsitate nec humanitate addu
cti,ſed faſtu ſolo.Itaque hanc excuſationem recipit nemo. Nam quò familiares tot alis? Quemadmodum enim
in veſtibus,in victu neceſsitatem reſpicere ſolam oportet,ſic in familiaribus. Quæ ergo neceſsitas eſt? nulla ſa-
nè:herum vnum vno ſeruo contentũ eſſe decebat,imò vno ſeruo tres heros.Si moleſtum eſt,eos reputa qui nul-
lum omnino habent, & miniſterio tamen interim expeditiore coluntur.Sic enim comparauit deus nos, vt eſſe
ſibi quiſq; miniſter idoneus poſſet,quin etiam proximo.Dubitas? Paulum igitur audi, Neceſsitatib⁹ meis,& eo-
rum qui mecum ſunt(inquit)hæ manus miniſtrarunt.Ille orbis præceptor,& vir cœlis planè dignus,ſeruire mor
talibus innumerabilibus veritus non eſt.Tu niſi multos poſt te ſeruorum greges trahas,turpe putas,haud videns
*Act.20.* hoc eſſe quod te vehemẽter deturpat:huc manus contulit deus huc pedes,ne ſeruis ſcilicet egeremus.Nec enim
neceſsitatis cauſa genus ſeruorum eſt introductũ,eſſet alioqui primo ſtatim exortu cum ipſo Adam,ſed pecca- L
*Galat.3.* ti mulcta eſt,inobedientiæ pœna,veniens autem Chriſtus etiam hoc ſoluit. Nam in Chriſto nec ſeruus eſt nec li
ber. Itaque ſeruum habere neceſſe non eſt, aut ſi omnino ſit, vnum fuerit ſatis, aut ad ſummum duos.Examina
ſeruorum quid ſibi volunt? quemadmodum mercator inter ouium, aut mancipiorum greges,ſic diuites illi in
balneo,in foro,caterua ſeruorum ſtipati oberrant: quanquam nolo ſcrupuloſius iſta diſputare, eſto ſanè ſeruus
alter etiam,certè ſi quid adiungis,iam non neceſsitati,ſed luxui ſeruit.Nam tu ſi illos ames, neminem in mini-
ſterium diſtringas,ſed optimis artibus tua opera inſtitutum,& iam ſibi ſufficientem liberum dimittas, ſed cùm
cædas,vincias ſemper,quomodo ſit hoc humanitatis? Scio ſanè moleſta eſſe hæc multis. Sed quid agam? officij
noſtri eſt,nec iſta monere ceſſabo,ſiue quid deinceps fit,ſiue non. Quid enim ſibi tumultus ille in foro vult? an
inter feras agis,qui ita occurrentes depellas? aut vereris ne quis te occurrens & propiùs accedens morſu petat?
Contumeliam putas,ſi inter cæteros ingrediare? Quæ igitur hæc inſania eſt? Quid monſtri eſt? equus ſi te propiùs
aſsiſtat,contumelioſum non putas,hominem verò niſi mille ſtadiis abigatur, grauem cenſes & iniurium. Iam M
verò pueri quò pertinent diſignatores? liberis hominibus velut mancipiis vteris, imò turpiùs ipſe quouis man-
cipio viuis,certè quouis ſeruo leuior es pompam iſtam tantam quiſquis circuncidis,verã libertatem,huic mor-
bo obnoxij nunquam ne inſpiciunt quidem. Quòd ſi tumultuari repellerẽque adeò lubet, non obuios, ſed fa-
ſtum illum repelle,non per ſeruum,ſed teipſum,non deſignatoria virgula,ſed ſpiritali. Nunc quidem ſeruus il-
le tuus accedentes repellit, turpiùs verò tua te ſublimem illum ſtultitia agitat, quàm ſeruus propinquantem,
quàm ſi ab equo deſcendens,humilitate duce pellas altior conſpicere, maiori iam eris in pretio, nihil ad eam
rem opus opera ſerui habebis. Nam ſi modeſtior factus humi ingrediare,ipſa te humilitas vehiculo ſuo geſtatũ
in cœlũ ſubuehet pernicibus equis,cuius curru cadens ſi ad illam faſtus tui lecticam,quam reptilia trahunt, re-
*Luc.14, & 18.* deas,nihilo plus aſsequere,ſed calamitoſior,& miſerior eris,alios enim ſic ſui corporis & morbus & imbecillitas
vectari cogit,te tua ſuperbia.Atqui omnis(inquit Chriſtus)qui ſe exaltat humiliabitur,vt ne igitur humiliemur,
ſed



A ſed exaltemur,ad faſtigium illud aſcendamus. Sic enim requiem iuxta diuinum oraculum, animabus noſtris
inueniemus, verò & ſupremo honore potiemur,qui vt omnibus nobis contingat gratia fiat, & benignitate do-
mini noſtri Ieſu Chriſti. IDEM IN DICTVM APOSTOLI, NOLO VOS IGNORARE
FRATRES, QVOD PATRES NOSTRI. Sic in Eccleſia non aliud quidem corpus diues,aliud ve-
rò pauper,neque alium quidem ſanguinem ille, alium autem iſte. Sic & tunc nõ aliud quidem accipiebat diues
manna,aliud verò pauper,neque alterius fontis iſte particeps erat,alterius verò indigentioris ille,ſed ſicut nunc
eadem menſa & idem poculum, eadem & educatio omnibus qui hunc ingrediuntur proponitur, ſicut & tunc
idem manna,& idem fons omnibus proferebatur. Et hoc vtique mirabile & rarum. Tentauerunt tunc aliqui
per tempus illud pluſquam opus fuerat colligere,& nullum auaritiæ ſuæ fructum accipiebant,& quãdiu æqua-
litatem colebant,manſit manna quod manna erat, poſtquàm autem auari plus habere deſiderauerunt, auaritia
B mutauit manna in vermem,quamuis hoc non cum detrimento aliorum faciebant. Non enim rapiebant ex ali-
mento proximi,cùm plus colligerent,attamen cùm plus deſiderarent, condemnati ſunt. Nam tametſi neminẽ
alium iniuria affecerunt tamen ſibipſis maximè nocuere,hoc colligendi modo auaritiæ ſtudentes. Atque ſic ſi-
mul erat cibus, & diuinæ agnitionis inſtructio,ſimul & paſcebat corpora & erudiebat animã.Neque paſcebat ſo
lùm,ſed à laboribus liberabat. Non enim opus erat iungere boues,neque trahere aratrum, neque ſulcos ſecare,
neque ad annum expectare, ſed menſam habebant ſubitò appoſitam,ſemper recentem & quotidie nouam re-
búſque ipſis diſcebãt Euangelicum illud præceptum,Non debere eſſe ſolicitum in craſtinum. Nulla enim vti-
litas ipſis ab hac ſolicitudine proueniebat.Nam qui plus colligebãt,corrumpebatur & peribat,& auaritiæ argu-
mentum ſolum dabat. Inſuper ne putarent illum hymbrem iuxta naturæ conſuetudinẽ eſſe,nihil talium in die
ſabbati fiebat,deo duo illa ipſos docente quòd prioribus diebus ipſe mirabilem & priorem pluuiam operabã-
tur,& quòd per diem illum abſtinebat, vt inuiti etiam diſcerent illo die feriari. Non in cibis autem ſolùm, ſed
C & indumentis & calceamentis, & aliis omnibus rebus ipſis videre licebat mandata apoſtolis ipſis præcepta. Nã
neque propriam habebant menſam,neque veſtem ſecundam,neque calceos,deo ſic diſpenſante.Vide quanta ve
teris ad nouam affinitas? Sicut enim poſtea Chriſtus Apoſtolos inſtruxit,quantum ad neceſſaria, ſic & illis qui-
dem vitæ modus adaptatus eſt,& omnis creatura ad miniſterium illorum præparata erat.Et cuius gratia hæc fa
cta ſunt? dicit.Concluſurus illos erat in vnũ orbis locum & iuſſurus vt ſibi illic perpetuò miniſtrarent, & neque
templum neq; altare alicubi aliud fundarent,ſed oblationes & ſacrificia ſua illuc ferrent,& ferias celebrarent, &
legerent legem,& omnes alios ſanctificationis illius ritus perficerẽt.Ne igitur ſeparato miniſterij ritu prouiden-
tiam ſuam illuc concludi putarent,quaſi vnius regionis deus eſſet,priùs ſuam virtutem in aliena regione decla-
rauit,In Aegypto,in Eremo,vbi nullus miniſtrabat,vbi nullus adorabat, & creatura planè diuerſis rebus ſeruie-
bat,quibus probabat ſuam potentiam quamprimùm condidit orbem, & ita incredulos arguebat. Nam mare a-
lios ſubmergebat,alios ſaluabat,& aër nũc pluebat grandinẽ, & perdebat Barbaros,nũc deferebat manna,& Iu-
D dæos paſcebat.At terra nunc culices ad puniendũ hoſtes,nunc coturnices in ſalutẽ eorũ proferebat: & illis in die
tenebrę,illis in nocte lux erat.Et Aegyptij Nilũ habentes prope fluentem,ſiti & ſiccitate peribant,hi autẽ in terra
arida & ſicca exercitum ducentes multa aquarum copia fruebantur. Et aduerſus illos ranæ pugnabant, hos au-
tem neque gigantes comprehendere potuerunt. RVPERTVS. Secundo tentationem circa rem eandẽ
inciderunt,cùm dicente domino per Moyſen, Nullus relinquat ex eo in mane, non audierunt eum, ſed dimiſe-
runt ex eis quidam vſque mane.Quorum inobedientiæ,vel minimę fidei pœnam dignam miraculũ illud præſi-
gnauit, quod cùm dimiſiſſent quidam ex eis vſque mane, ſcatere cœpit vermibus,& computruit.Hoc enim ex-
emplo commoneri ſe ſciat infidelis auarus, qui ſpem ſuam in deo non poſuit, & idcirco diuitias recondendo,
mammonæ ſeruit. Videbunt iuſti (inquit Pſalmiſta) & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent, Ecce homo *Pſalm.51.*
qui non poſuit deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum. Nam eum qui eiuſmo
di eſt,& nunc quandiu viuit,curarum atque ſolicitudinum vermis comedit, & in futuro vermis qui non mo-
E rietur comeſturus eſt.HVGO DE SANCTO VICTORE. Sed dimiſerunt quidam ex eis vſque ma-
ne. Diffidentes videlicet,ne in craſtino non inueniretur manna. CAIETANVS. Et iratus eſt contra eos
Moyſes,intellige ira reprehẽſiua. AVCTOR CATENAE. Qui non audierunt eos,& cætera.Hebraica li-
tera eſt hoc in loco prout legit Chaldaica, nempe, Et non acquieuerunt Moyſi, & dimiſerunt quidam viri ex
eo vſque mane, & ſcaturiuit vermibus & computruit.Sic & Septuaginta. Sed hoc idem eſt cum litera noſtra.
Tanto igitur vt vides donati miraculo & recreati,nondum obedire deo volunt, quantumlibet leue mandatum
ac facile implere non ſtudent.Quid facerent rebelles de arduis ac grauioribus? Quid ergo? non ex hac lege ar-
guemus non licere aliquid vel vini vel frumenti in alterum diem aut annum reponere? Nihil minus. Reponere
enim aut vinum aut frumẽtum per ſe non eſt impium. Nam ſpiritus ſanctus remittit nos per Salomonem Pro-
uerbiorum ſexto ad formicam: Vade (inquiens) ad formicam, ô piger, & conſidera vias,& diſce ſapientiam.
Quæ cùm non habeat ducem nec præceptorem, nec principem , parat ſibi in æſtate cibum, & congre- F
gat in meſſe,quod comedat.Cùm ſcriptura iubet nos exemplum prudẽtiæ ſumere à formicis, certè approbat re-
poſitionem frumentorum.Vnde poſtea capite decimo dicitur,Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui au-
tem ſtertit æſtate,filius confuſionis.Sed & dominus noſter ipſa naturæ ordinatione ſignificat repoſitionem fru
mentorum eſſe rem non ſolùm licitam, ſed etiam ad conſeruationẽ vitæ neceſſariam. Non enim pluit deus fru
menta ſingulis diebus,quemadmodum manna,ſed dat nobis frumenta ex agris æſtatis tantũ tempore,non item
hyemis.Qua re manifeſtè ſignificat,frumenta quæ æſtate colliguntur,recondenda etiam eſſe in hyemẽ.Hoc igi-
tur præceptum de Manna quantũ quidem ad τὸ ϛητὸν eius attinet,nihil ad nos:fuit enim temporale & perſonale
præceptum,quod datum eſt Iſraëlitis,tanto duntaxat tempore,quanto veſcebantur manna cœleſti, quod ſingu-
lis diebus,præterquàm ſabbato,in deſerto per quadraginta annos de cœlo cadebat.Quod autem ad ſignificatio-
nem eius attinet, continentur in hoc præcepto nonnulla,quæ ad noſtri doctrinam plurimùm faciunt. Primùm
enim admonemur ex eo,vt abiiciamus impiam ſolicitudinem de craſtino. Addidi impiam: non enim quæuis
ſolicitudo

solicitudo est impia. Necesse enim est vnumquẽque in sua vocatione σπουδάζειν καὶ μεριμνᾶν, diligentem & so- G
licitum esse. Vnde & patrisfamiliâs officium est, de victu familiæ suæ solicitum esse. Sed impia solicitudo
est, de acquirendo victu ita curare, vt interim voluntatẽ dei negligas, & præcepta eius violes. Atq; hoc est quod
Christus ad discipulos suos quos ad prædicandum euãgelium emiserat, dicit, Nolite esse solliciti in crastinum,
*Matth.6.* hoc est, nolite intermittere prædicationem Euangelij, solicitudine quærendi victũ in crastinum. Et alibi, Quæ-
rite primùm regnum dei, hoc est, viam mandatorum domini currite & omnia alia adiicientur vobis. Deinde
quòd manna repositum in alterum diem computruerit, docet nos, quòd omnia ea, quæ colligimus, reponimus
& conseruamus contra præceptum domini, sint coram deo putrida & maledicta, nec vnquam nobis in salutem
cessura sint, vt exempli gratia, si quis colligit opes per imposturas, hæ opes maledictæ sunt, & scatẽt corã deo ver-
mibus. Si quis ex auaritia non iuuat egenum ex opibus suis, cùm etiam sine damno suo possit iuuare, huius opes
computrescunt coram deo, & ita maledicuntur, vt in omnia infelicitatis genera auarum coniiciant. Impartia- H
mur igitur egenis liberaliter, vt quod reliquum est, benedicatur à domino. Quod autem dicitur, Et iratus est cõ
tra eos Moyses, intellige de ea quæ est ira per zelum, & non ira per vitium, cuiusmodi de domino legitur salua-
tore, quando respondit Pharisæis cum ira. *Colligebant autem mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum. Cúmque incaluisset sol, liquefiebat.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et collegerunt in mane in ma-
ne quisque sicut os eius esus. Et est sensus, quòd collegerunt singulo mane singula homer, sicut decretum erat
cuilibet ori comedenti. Quod dicitur tam hîc quàm superius ad excipiendum infantes suggentes vbera. Mi-
rum est autem, quòd non sustineret calorem solis excellentem, & sustineret tum calorem ignis tum molam &
pilum, vt Numeri vndecimo explicatur. Nonnulla tamen humana ratio suffragatur, vt quemadmodum ouum
quãdiu est in loco suæ generationis, tenellum habet corticem, qui statim genito ouo exiccatur, & fit durus, ita
proportionaliter grana illa in loco in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni, segregata autem dure-
scebant adeò vt non essent amplius liquescentis naturæ, ita quòd quemadmodum sustinebant postea ignem, I
sustinuissent etiam solem, si fuissent iterum exposita soli. AVCTOR CATENAE. Colligebant autem mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum. Non discrepat ab Hebræo quod est huiusmodi וַיִּלְקְטוּ אֹתוֹ בַבֹּקֶר בַּבֹּקֶר אִישׁ כְּפִי אָכְלוֹ Vaikletu otho babóker babóker is chephi achlo, Et collegerunt illud mane mane singuli vel vnusquisque iuxta os comedere sui, vel iuxta comedere suũ, aut pro alimonia sua. Hebraismus est, pro colligebant ex eo mane, siue valde mane per singulos dies, vnusquisque iuxta indigentiam cibi sui. Nec aliud est quàm quod dicit Interpres. Chaldaica vt apud nos. Septuaginta, καὶ συνέλεξαν ἀπὸ πρωὶ πρωὶ ἕκαστος τὸ καθῆκον αὐτῷ, Et collegerunt illud mane mane, vnusquisque sufficiens sibi. Quod verò sequitur, Cũque incaluisset sol, liquefiebat, non intelligitur de collecto manna quod liquefieret, sed de eo quod in humo remanebat, vnde Chaldaica optimè locum hunc aperit, inquiẽs, Et quod manebat ex eo super faciem agri, cùm incaluisset sol, liquefiebat. *In die verò sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines.* INTERLINEARIS. Hoc autem fiebat vt alterũ seruaretur in sabbatum. HVGO DE SANCTO VICTO- K
RE. Videtur autem quòd per miraculum collegerint, quia etsi hoc deus præcepit Moysi, nondum tamen in-
uentum est Moysen præcepisse populo, sed quasi admirans respondit principibus, Hic est sermo quem præcepit,
& cætera. Vel possumus intelligere, Moysen ita præcepisse, quamuis nondum scriptura dixerit. CAIETA-
NVS. Id est, duo homer. Superfluit, id est. Et intellige collegerunt, non ex intentione, sed euentu, hoc est quòd
cùm collecta grana mensurarent, quilibet inuenit duo homer per singula capita, cùm soliti fuissent inuenire
singula homer per singula capita. Et hoc fuit alterum miraculum circa tempus statutũ à deo, videlicet quòd die
sexto esset dupla annona. AVCTOR CATENAE. Id est, duo gomer per singulos homines. Nec
aliud est in Hebræo שְׁנֵי הָעֹמֶר לְאֶחָד Sene hahomer laechad, Duo gomer pro vnoquoque vel pro singulo, subau-
di homine. Sic & Chaldaica. Duo gomor vnicuique, & Septuaginta, Δύο γόμος τῷ ἑνί, Duo gomor vni. Aliud
itaque miraculum adiunctum alteri mandato fuit, vt in die præcedente sabbatum, diluculo colligerent
pro duobus diebus, vt vacatio esset in sabbato, quòd in diem seruatum Manna non defluebat, nec ver- L
mibus scatens fœtebat, secus atque diebus reliquis. Quo obedientiæ simul & sabbati religio cõmendabatur po-
pulo dei.

*Mystice.* CYRILLVS LIBRO TERTIO SVPER IOANNEM. Factũ est vespere, & ascendens coturnix operuit castra, mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum, quúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine album ac minutum quasi coriandum. Considera rursus spiritualium ordinem sensuum. Nam de coturnice quidem dicitur, quòd castra operuerit, de manna verò, quia cessante rore mane de cœlo descendit per circuitum castrorum in facie deserti. Legalis enim disciplina, quam per coturnicem intelleximus,
*2.Cor.9.* figuris atque vmbris Iudæorum populum contegit. Latet enim (vt Paulus ait) velum in corde ipsorum, &
*Rom.10.* cæcitas ex parte, sed postea quàm mane factum est oriente iam sole vero, Euangelica doctrina fulgente, quum
etiam ros, id est, rudis & pruinosa mandatorum legis obseruatio iaceat atque desinat (finis enim legis &
prophetarum Christus) tunc verum de cœlo descendit manna, tunc Euangelica doctrina rutilauit, non in M
Hebræorum congregatione atque synagoga, sed per circuitum castrorum in facie deserti ac solitudinis, in
*Esaiæ.54.* omnibus videlicet gentibus, in Ecclesia gentium, de qua dictum est, Quia multò plures sunt filij deser-
tæ, quàm eius quæ habet virum: In omnem enim terram intellectualis mannæ gratia fusa est, quæ coriandro comparatur, & minuta dicitur, quia tenuis profectò est, & frigidior diuini sermonis virtus, passio-
num ardores frigiditate sua extinguens, frigidissima enim dicitur esse vis coriandri. ISIDORVS.
Quid etiam per volucrum escas nisi prædicationes diuinitùs missæ intelliguntur, quæ transcurrunt per
verba sonantia, quasi per aërem volatilia pennata, quibus per fidem pascantur hi, qui ad patriam regni
cœlestis peruenire contendunt? Potest quidem & volucrum esca veteris significare legis eloquia, quæ ple-
bem carnalem tanquàm carne alebat per verba diuinitùs missa, quasi per volatilia. Vnde & vespere dan-
tur, quia cuncta quæ carnaliter illis concessa sunt, finem erant habitura. Manifestato autem lumine fidei,

Manna



A Mãna populo datur. Manna vtique Christus est, qui tanquàm panis viuus de cœlo descẽdit, qui per nubes Euangelicas vniuerso orbi pluitur, non iam murmuranti & tentanti synagogæ, sed credenti, & in illo spem ponenti Ecclesiæ. Hoc est autem manna indeficiens, hic est panis verus, & cœlestis cibus angelorum, quod verbum dei corruptibiles incorruptibiliter pascit, quod vt manducaret homo, caro factum est, & habitauit in nobis, quo etiam qui vescuntur, spiritualiter viuunt. Nam illi veterem figuram carnaliter accipientes mortui sunt. GREGORIVS NYSSENVS. Illud prætermittendum nullo pacto est, quòd posteaquàm mare transierunt Israëlitæ, posteaquàm amaritudo aquarum sitienti virtute ligni in dulcedinem
B conuersa est, posteaquàm delitiosè apud fontes & palmas fuerunt, tunc quæ ab Aegypto viatica & cibos sibi assumpserunt, penitùs eos defecerunt, tunc omni nutrimento quod ab Aegypto ferebant absumpto, desuper sibi defluit cibus varius simul & simplex. Simplex visu atque vnicus, qualiter varius? ad singulorum cupiditates se vertens, quid igitur hinc discimus? quòd oporteat videlicet fide, baptismate, labore, omni
C virtute, omni euangelica doctrina, mundos purósque animos nostros facere, ita vt omnino alienigeni mores, & Aegyptiaca vita vitiorum scilicet omnium turba nos deficiat, & demum depurato, defæcatóque animo cœlestem cibum esse suscipiendum, quem nulla nobis satio agriculturæ artibus produxit. Sed panis est absque semine, absque aratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens in terris inuenitur, panis enim qui de cœlo descendit, qui verus cibus est, qui ænigmaticè hac historia significatur, non incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res verò quæ incorporea non est, corpus omnino est. Huius corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus effecit, sed terra intacta permansit, & tamen pane plena fuit, quo famescentes mysterium virginis perdocti facilè saturantur. Is igitur mirabilis sine agricultura panis varietate qualitatis ad suscipientium habitudinem virtutem suam commutat. Nam cùm sit panis ignorat labefieri, sic in carnẽ verti, nouit olus imitari, quicquid denique assumenti cõ-
C ueniens & expetitum sit, vt Apostolus vult, qui hanc nobis mensam præparauit, in id commutatur. Sic enim diuinus ille vir perfectioribus solidiorum, & in carnis speciem hunc cibum fieri docet, infirmioribus olus, infantibus lac. RVPERTVS. Præclara rerum imaginatio & decora figurarum distinctio. Coturnix castra operuit, ros autem cum quo pariter & manna descendit, non in castris, sed per circuitum castrorum iacuit, non (inquam) castra, sed superficiem terræ operuit ipsúmque minutum in solitudine apparuit, dicentibus filiis Israël Manhu. Ros spiritum sanctum significat, de quo in Psalmo habemus, Sicut vnguentum in ca- *Psalm.132.*
pite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion, sic bonum & iocundũ est, habitare fratres in vnũ, quod fit per vnum & solũ dilectionis spiritũ. Aaron quippe quod interpretatur montanus, Christus est, cui sicut barba capiti, sic adhærentes perfecti & fortes Apostoli, tunc eiusdẽ capitis vnguento maduerunt, quando eius sancto spiritu repleti sunt, & eiusdem vnguenti ros, id est, gratuitum donum descendit in montes Hermon atque Sion, id est, in Ecclesiam vtriusque populi Iudaici & gentilis, quo-
D rum alter, scilicet gentilis, per Hermon quod interpretatur anathematizatũ: alter, id est, Iudaicus intelligitur per montem Sion. Ros ergo qui cum manna descendit spiritũ sanctum significat, per cuius sanctificationem ad inuocationem sacerdotis conficitur corpus Christi. Coturnix castra operuit, ros autem per circuitum castrorum iacuit, quia videlicet cum synagoga carnalibus vacante sacrificiis, commune nil est huic vero & viuo pani, qui cum isto rore descendit. De castris illis exeundum tibi est, quicunque hoc minutum quod detulit ros iste, colligere contendis. Castra solummodò coturnix, ros autem superficiem terræ operuit, & in solitudine minutum apparuit, quia videlicet non vni genti, sicut legem de carnalibus sacrificiis, sed vniuersæ terræ & solitudini cun
ctarum gentium, gratiam spiritus sancti & panem de cœlo verum, id est, semetipsum Christus dedit. Erat autem quasi pilo tusum, quod planè Christum significat in ligno crucis attritum per passionem. Descendit autem in similitudine pruinę, quia videlicet illi genti pro parte reproborum frigidam fecit nebulam infidelitatis & inuidiæ. Vnde & dixerunt ad inuicem Manhu, quod significat quid est hoc? Hoc enim dicere cœperunt, ex quo di
E cente illo, Ego sum panis viuus, qui descendi de cœlo, Et qui manducat meam carnem habet vitam æternam, & his similia, litigauerunt & murmurauerunt dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Tunc (inquam) dicere cœperunt, Manhu, & vsque hodie siue Iudæi siue hæretici sequaces eorum dicere non desinunt, cùm dicimus eis, caro Christi est, & dicunt semper, quomodo est? quomodo est? INTERLINEARIS ET ORDINARIA. An manna hoc minutum est, quia humanis sensibus incognitum est incarnationis diuinæ mysterium? Pilo autem tusum, quia sicut frumentum, vel milium, vel aliud tale in mortariolo pilo teritur, & folliculis exuitur, sic corpus Christi per tribulationem passionis, & pilo crucis mortalitate exutum est. Pruinæ verò simile, quia à feruore vitiorum refrigerat. ORIGENES. Bene autem subditur de Manna, quòd ignorabant filij Israël quid illud esset. Nihil enim Iudæi in verbo dei minutum, nihil sentiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum. Incrassatum est enim cor populi illius. CYRILLVS. Quod *Vbi supra.*
cùm vidissent filij Israël dixerunt ad inuicem, Quid est hoc? cùm huius rei nullum haberent periculum, noui- *Cap.34.*
F tate rei perculsi, alter ab altero quid illud esset petebat. Et hinc nomẽ rei factum est. Manna enim Syrorũ lingua, quid est hoc significat. Vnde iudicio meo denotabatur, vt reipsa modò videmus, non cognituros Christum Iudæos. AMBROSIVS LIBRO QVARTO DE SACRAMENTIS. Venisti itaque ad al- *Cap.3.*
tare, vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solennis & nota. Fortè aliquis dixerit: Iudæis deus tantam gratiã præstitit, manna illis pluit de cœlo, quid plus dedit fidelibus suis? Quid plus tribuit his quibus plus promisit? Accipe quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum quàm Iudæorum, & diuiniora esse sacramenta Christianorum quàm Iudæorum. Quomodo? Accipe. Iudæi quando esse cœperunt? Ex Iuda vtique pronepote Abrahæ. Aut si vis, & sic intellige, Ex lege quam Iudæi accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahæ Iudæi dicti sunt, tempore sancti Moysi. Et si tunc deus Iudæis manna murmurantibus pluit è cœlo, Tibi autem sacramentorum horum figura præcesit, quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos decem & octo collegit, & ibi persequutus est ad uersarios, de captiuitate

eruens

eruens nepotem ſuum. Tunc victor venit, occurrit illi Melchiſedech ſacerdos & obtulit ei panem & vinum. G
Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchiſedech. Ipſe ergo auctor ſacramentorum. Quis eſt Melchiſedech? Qui ſignificatur rex iuſtitiæ, rex pacis. Quis eſt iſte rex iuſtitiæ? Nunquid homo quiſquam poteſt eſſe rex iuſtitiæ? Quis ergo rex iuſtitiæ, niſi iuſtitia dei qui eſt dei pax, dei ſapientia? Qui
*Ioan.14.* potuit dicere, Pacē meā do vobis, pacem meā relinquo vobis. Ergo primò intellige ſacramenta hæc quæ accipis anteriora eſſe quàm ſint Moyſi ſacramenta quæcunque Iudæi habere ſe dicunt, & priùs cœpiſſe populum Chriſtianum, quàm cœpiſſe populum Iudæorum. Sed nos in prædeſtinatione, illum in nomine. GREGORIVS
*Cap.17.* LIBRO VIGESIMO SEPTIMO MORALIVM. Quid etiam per manna filiis Iſraël deſuper datum, niſi admiratio ſupernæ dulcedinis deſignatur? dulcis enim cibus qui de ſupernis accipitur, manhu vocatur, quod interpretatur quid eſt hoc? quod dicimus, quando cernimus quod neſcientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cùm per vocem compunctionis eleuata, nouam ſpeciem internæ refectionis H
obſtupeſcit, vt diuina dulcedine repleta, iure reſpōdeat quid eſt hoc? quia dum ab infima cogitatione ſuſpenditur, ea quę de ſupernis cogitat, & inſolitè miratur. Et cū per hanc vocē torporis noſtri ſurditas rumpitur, vetuſtę vitæ protinus vſus mutatur, vt anima ſuperno ſpiritu afflata, & in ſupremis appetat quod contemſerat, & contemnat in infimis quod appetebat. ISIDORVS. Non incōgruè etiā per Manna cœleſtia ſignificantur eloquia, vnde & Interpretatio nominis ſic ſonat, Manna enim interpretatur, quid eſt hoc? ORIGENES. Vide enim ſi non ipſa nominis virtus ad diſcendum te prouocat, & cùm audieris legem dei recitari, inquiras ſemper & interroges, & dicas doctoribus, Quid eſt hoc? Tu igitur ſi vis manducare Manna, id eſt, ſi cupis ſuſcipere verbum dei, ſcito illud minutum eſſe, & valde ſubtile ſicut ſemen coriādri. Habet enim aliquid in ſe oleris, quo nutrire & recreare poſsit infirmos, quia qui infirmus eſt, olus manducat: habet aliquid rigoris, & ideo vt pruina eſt. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim candidius? quid ſplendidius eruditione diuina? Quid dulcius, quidue ſuauius eloquiis domini, quæ ſunt ſuper mel & fauum? ORDINARIA. I
Manna etiam ſimile eſt pilo tuſum, quia cœleſtis doctrina diligenti liberatione diſcutitur, vt literalis ſenſus
*Serm.65.* exuatur. BERNARDVS IN SERMONIBVS PARVIS. Alius eſt ſapor cœli, alius eſt ſapor terræ. Haudquaquam nobis placere poteſt ſapor cœli, dum ſaporem quærimus coci noſtri. In deſerto dantur coturnices & manna, id eſt, in loco diſciplinæ maiora & minora mandata. Cùm vidiſſent filij Iſraël manna, dixerunt ad inuicem manhu? Quid eſt hoc? Ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moy-
*Ioan.6.* ſes, Iſte eſt panis quem dedit dominus vobis ad veſcendum. Huius facti myſterium in Euangelio Ioannis conuenienter aperitur, vbi dominus ait, Amen amen dico vobis niſi manducaueritis carnem filij hominis. Multi ergo ex diſcipulis audientes dixerunt, Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire? Ex hoc multi abierunt retrò. Ad hunc itaque modum cùm aliqui ſimplices ad conuerſionem veniunt, ſeueritatem regulæ expaueſcunt. Si fiat eis ſermo de mundi contemptu, de virtutum, vitiorúmque conflictu, ſi anxietas vigilandi, aſſiduitas orandi, parſimonia ieiunandi ab ipſis requiritur, dicunt conquerendo inter ſe, Quid eſt hoc? Quis tot & K
tanta implere ſufficiat? Neſciunt enim quanta ſit virtus aſſumpti ordinis. Sed paſtor eis conſolatoriè habet reſpondere, & de afferenda eos ſolicitare farina. GREGORIVS NYSSENVS. Quæcunque autem de cibo illo narrat hiſtoria, præcepta ſtatutáque ſunt ad bene rectéque viuendum, qualiter enim omnibus propoſitum fuiſſet cibum aſſeuerat. Nec plus aut minus, quàm indigentia exigebat, à validioribus aut imbecillioribus colligebatur, quod meo iudicio præceptio quædam eſt omnes communiter inſtruens, ne plura quàm naturæ ſufficiant cauſa viuendi ex his materialibus appetamus. Sed probè teneamus vnam eſſe communem in omnibus edendi menſuram, diurnam ſufficientiam. Nam ſi etiam plura, quàm indigentia flagitat, præparata fuerint, venter tamen vltra naturam ſuam ſuſcipere non poteſt, neque præparationis magnitudine correſpondet. ſed ſicut hiſtoria tradit, nec qui multum acceperit ſuperabundauerit, cùm habuerit vbi ſuperbundans locauerit, nec qui paucum collegit, indiguerit, contracta enim indigentia commenſuratáque ad acceptum fuit. Quod verò ſi quis ſtulta cupiditate deponendi quicquam ex illo cibo in craſtinum depoſuerit, totum in vermes com- L
mutatum fuiſſe dicitur. Quaſi tuba quadam ea re hiſtoria intonuit, omne quod vltra indigentiam mente auara conſeruatur, in ſequenti die, in futuro videlicet ſeculo in vermes aduerſus eos qui conſeruarunt commutatur. Ita per hunc vermem, illum ego immortalem vermem intelligo, qui plus habendi cupiditate viuificatur.
*Cap.18.* CYRILLVS LIBRO NONO SVPER IOANNEM. Perutile autem & hoc in loco nobis exemplū proponitur, oportet enim qui feſtum diem piè acturi ſunt, non de ipſis tantummodo curare, nec quomodo ipſi ſolùm hilarè celebraturi ſint, verùm etiam egentium propter charitatem rationem habere. Sic enim ſpiritaliter Chriſto dies feſtus peragetur. Hac de cauſa olim Iudæis dum manna colligerent, præceptum fuit, non ſibi tantùm, verùm etiam contubernalibus, ſi qui exire non poſſent ad colligendi munus, præſtare, vt non ſuperflueret, qui multum, ne quid minus deficeret. Hac enim alterius de altero cura & ſtudio, mirabilis quædam in omnibus æqualitas redditur. Magnam igitur iniuriam ſolennitatibus inferunt, qui parùm de indigentibus curant, nec feſtum diem rectè peragunt, qui coniūctim tam de ſe quàm de aliis nō procurant. RVPERTVS. Nec M
qui plus (inquit) collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, & cætera. Hoc pro virtute cibi & ſpiritalis potus, id eſt, corporis & ſanguinis Chriſti, ſciendū & firmiter tenendum eſt, quia non pro quantitate portionis quam ore percipit, ſecundum viſibilem ſpeciem panis & vini, alius plus, alius minus conſequitur de gratia ſpiritus viuificantis, ſed ſinguli iuxta id quod poſſunt edere cōgregant, id eſt, quod poſſunt credere, remiſsionem peccatorum percipiunt, & vitam æternam. Sicut enim pater noſter qui primus peccauit, cuius nos iniquitatem portauimus, non pro quantitate morſus ſui ſiue pomi quod momordit, ſentētiam vel damnationem iuſtam accepit, tantumq; illi valuit pomū vnum momordiſſe, quantum quicquid pomorū in arbore illa fuit, deuoraſſet ad conſummationem infidelitatis & inobedientiæ: ſic è contrario, quiſquis noſtrū non pro quātitate portiunculæ viuifici panis, quæ frangitur illi, quam ore ſumit, aut dentibus terit, gratiam vel vitam accipit, ſed tantum illi valet ad conſecutionem iuſtitiæ exiguum quid percepiſſe, quantum valeret, ſi totum quod oblatum



A oblatum eſt, proprio ſolus perciperet ore. Rectè ergo ſancta Chriſti eccleſia panes non valde graues, ſed exiguas ad conficiendum corpus Chriſti componit ſimilas, & valde tenues: neque vini multum, ſed exiguum quid infundit, quia (ſicut iam dictum eſt) nec qui plus colliget, habebit amplius, nec qui minus parauerit, reperiet minus. INTERLINEARIS. Et quia vnicuique captus intelligentiæ ſi maneat in fide, ſufficit ad ſalutem, *Ibidem.*
rectè additur, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant congregauerunt. Nullus relinquat ex eo vſque mane. CYRILLVS. Mane rurſus in his ſplendidiſsima ſaluatoris aduentus tempora ſignificat, quando vmbra legi depulſa & tenebris gentium illuminatis, vnigenita lux ſpirituale nobis diluculum eluxit. Iuſsit autem Moyſes manna illud nullo modo ad mane vſque relinquere, quia orto ſole vmbracula legis euaneſcunt, & veritatis præſentia, figuræ omnium deſinunt. Quare Paulus quoque iuſtitiam legis rutilante Chriſto, inutilem oſtendit, dicens de ſeipſo, Per quem omnium iacturam feci, omnium (inquit) quibus lex plurimùm iactabat: Duco *Philipp.3.*
B enim, ait, omnia eſſe ſtercora, dummodo Chriſtum lucrer, & inueniar in eo non habens iuſtitiam legis, ſed eam quæ eſt per fidem Ieſu Chriſti. Nihil igitur Paulus vt ſapiens, ad mane vſque conſeruauit, qui autem tunc ſenſibile illud manna conſeruauerunt, hi Iudæorum incredulitatem figurabant, quibus non opportuna legis conſeruatio putredinem ſanè ac vermes pariet, vnde mœrore quoque affectum, & ira concitatum Moyſen legimus. ORDINARIA. Vel mane Principium alterius vitæ eſt, in qua non licebit vacare doctrinæ verbi dei, ſed manna computreſcet, & vermibus ſcateſcet, id eſt, pœnam negligentibus æternam generabit. ORIGENES. Qui enim infideles (inquit) fuerunt, ſeruauerunt de manna, & ebullierunt ex eo vermes, & computruit. Illud autem quod pro die ſabbati reponebatur, non eſt corruptum, neque vermes ebullierunt in eo, ſed permanſit integrum. Et tu ergo ſi propter præſentem vitam tantummodo, & propter amorem ſeculi theſaurizes, continuò vermes ebulliunt. Audi de peccatoribus, & iis qui præſens ſeculum diligunt, quæ ſit prophetiæ ſententia. Vermis enim (inquit) eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Iſti ſunt vermes quos
C generat auaritia, iſti ſunt vermes quos generat diuitiarū cæca cupiditas iis qui habent pecunias, & videntes in neceſsitate fratres ſuos, claudunt ab eis viſcera ſua, propterea & Apoſtolus dicit, Diuitibus autem huiuſce ſeculi præcipe non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed diuites ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, & theſaurizent ſibi veram vitam. Sed dicit aliquis, Si manna verbum dei eſſe dicis, quomodo vermes facit? Putáſne eouſque deducendum eſt verbum dei, vt etiam vermis fieri putetur? Non te hîc turbet auditus, audi Prophetam ex perſona domini dicentem, Ego autem ſum vermis & non homo. Sicut enim ipſe eſt, qui ſit aliis in ruinam, aliis autem in reſurrectionem: ita & ipſe eſt qui nunc manna, fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus verò vermis efficitur. Ipſe eſt enim ſermo dei, qui iniquorum mentes arguit, & correptionum ſpiculis peccatorum conſcientias terebrat. Ipſe eſt qui & ignis efficitur in cordibus illorum, quibus adaperit ſcripturas, qui dicunt, Nónne cor noſtrū ardens erat intra nos, cùm aperiret nobis ſcripturas? Et aliis ipſe ignis eſt, qui conflagrat ſpinas de terra mala, id eſt, qui malignas cogitationes in corde cōſumit.
D Et ideo peccatoribus quidem, neque vermis arguens iniquè moritur, neque ignis exurens aliquando reſtingui tur. Iuſtis autem & fidelibus, permanet dulcis & ſuauis. Guſtate enim & videte, quoniam ſuauis eſt dominus, inquit propheta. Non ergo aliunde fiunt vermes in nobis, niſi ex verbo dei. Sic enim dicit ipſe, Niſi veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Poſt ſuſceptum ergo verbū dei, ſi quis peccet efficitur ei ipſum verbum vermis, qui eius ſemper conſcientiā fodiat, & arcana pectoris eius rodat AMBROSIVS IN SER- *Serm.3. De*
MONIBVS. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinſecus admixtione alieni cor- *pſalm.21.*
poris, ſed de ſola & pura terra procreatur, ideo illum comparatum domino, quoniā & ipſe ſaluator de ſola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyſi de manna vermiculos procreatos. Digna planè & iuſta comparatio. Siquidem manna vermiculus gignitur, & dominus Chriſtus de virgine procreatur. Quin potiùs ipſam Mariā manna dixerim, quia eſt ſubtilis & ſplēdida, ſuauis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in ſemet-
E ipſo habere non poterit. Sicut ipſe dominus ait, Niſi quis manducauerit meā carnem, & biberit meū ſanguinem, *Ioannis.6.*
non habebit vitam in ſemetipſo, ſed potius ipſe cibus in iudiciū conuertetur, ſicut Apoſtolus dicit, Qui mandu *1.Cor.11.*
cat & bibit indignè, iudiciū ſibi manducat. Filiis Iſraël ſubtilter prophetatū eſt in veteri teſtamēto: Māna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti ſunt, id eſt, contumaciæ vltores & iudices. Quæ ſimilitudo Chriſtum indicat dominū, quem qui ſuauem cibum & dulcē potum haurire neglexerit, iudicē patietur ſicut ipſe ait, Neque enim ipſe pater iudicat quenquā, ſed omne iudiciū dedit filio. Nam quòd idem ſit vermis & *Ioannis.5.*
iudex alibi Propheta teſtatur de peccatoribus dicens, Vermis eorū non morietur, & ignis eorū non extinguetur *Eſaiæ.66.*
vſque in hodiernā diem. RVPERTVS. Spiritualiter igitur ſcatens de manna vermiculus, ille eſt qui loquitur in Pſalmo, Ego autem ſum vermis & non homo. Sicut enim vermis ſine concubitu de manna ſcaturit, *Pſalm.51.*
ſic ſolus ſine virili ſemine de virgineo ventre conceptus & natus eſt Chriſtus filius dei. Sed hoc vbi prædicatur infidelibus Iudęis ſcandalum eſt illis, ſordidū enim & indignū deo reputāt de fœmina potuiſſe naſci. Cōputruit
F ergo talibus manna verum, quod de cœlo deſcendit: ſed quod hoc pacto infirmum eſt eis, fidelibus virtus eſt & ſapientia. PROSPER. Sanè ſub certa diurna menſura, manna ſanctus populus veſcebatur, quā ſi quis exce- *1.Par. cap.*
deret, vermibus corruptum putrefactumq; proiiciebat auaritiæ atq; intemperātiæ ſuæ cupiditate fruſtratus. Ta- *39.*
les doctor gentium Paulus exprobrat, dicens, Victum & tegumentum habentes, his contenti ſimus. Nam qui *1.Tim. 6.*
volunt diuites fieri, incidunt in deſideria multa ſtulta & noxia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Hæc eſt putredo & hi vermes eorum, qui pereūte mundo cupiunt ſuas augeri diuitias, nec ſunt diurno pane contenti. INTERLINEARIS. Malum ergo auaritiæ notatur, cui qui ſtudet, vermibus conſumendus tradetur. Et iratus eſt (inquit) contra eos Moyſes, profectò lex domini, vel ſaluator ipſe hoc malum prohibet, dum dicit, Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. ORDINARIA. Ideo autem cùm incaluiſſet ſol *Matth.6.*
mane liquefiebat manna, quia cùm dies iudicij ſiue manifeſtus apparebit ſol iuſtitiæ Chriſtus, tunc omnis ſcripturæ patebit intellectus, quia nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tūc autem videbimus facie ad faciem. *1.Cor.13.*

In ſexta

In ſexta autem die colligebant cibos duplices, neceſſaria ſcilicet animæ & corpori. Nam in ſeptima quæ mor- G
tuorum ætas intelligitur, nullus erit operandi locus. GREGORIVS NYSSENVS. Die igitur ſabbati ſolum illæſum, quod deponebatur manna permanebat. Qua ex re tũc hac deponendi ſuperfluitate prouida mente vtendum docemur, quando ipſum depoſitum corruptionem pati non poteſt. Id enim poſt huius vitæ paraſceuen in quiete quæ poſt mortem eſt, vtiliſsimum erit, dies nanque ante ſabbatum paraſceue, id eſt, præparatio ad ſabbatum, & eſt & appellatur. Hæc verò præparationis dies hæc vita eſt, in qua præparamus, quæ ad futuram vitam nobis præſto erunt. Nam in illa non agricultura, non mercatura, non militia, non quicquam horũ, quæ hîc facimus nobis concedetur. Sed in quiete omnium quæ hîc agimus ac ceſſatione verſabimur, fructus duntaxat operum quæ hîc ſeminauimus colligentes, fructus iocundiſsimos quidem, ſi huius vitæ ſemina bona erant, amaros autem atque pernitioſos, ſecundũ quod hæc agricultura nobis produxit. Nam qui in ſpiritu ſeminat (inquit) vitam æternã ex ſpiritu metet: qui in carnem ſeminat, corruptionẽ metet ex carne. Præparatio H
igitur quæ ad melius eſt, ſola propriè paraſceue nominatur, & ita nomen eius à lege conſtituitur, cuius depoſitũ incorruptio eſt. Si quis autem in peius deponit, nec eſt, nec dicitur præparatio, bonorum enim priuatione nullus iure præparationem, ſed præparationis caſum nuncupabit. Idcirco ſolam ad melius præparationem, hiſtoria nobis propoſuit, contrarium eius inquirenti prudẽter relinquens. ISIDORVS. Sexta ergo dies, eſt ſexta ætas mundi, in qua nunc ſumus. In hac igitur duplum colligit, qui propter ſpem vitæ æternæ verbum dei audit & facit. In hac duplum recondit, qui bene viuit, & aliis miſericordiam præbet. AVCTOR CATENAE. Sit igitur ſcripturæ iſtius ſcopus, quòd eſus mannæ, præter hoc quòd nutriebat ad ſufficientiam corpus, etiam ſpiritualioribus & fide excellentioribus ſignificabat panem vitæ, Chriſtum ſaluatorem mundi, verbum dei incarnandum in tempore, & ad animarum ſalutem comedendum ſpiritualiter, deſcenſurum panem vitæ de cælo quem qui eſurus ſit, habeat vitam æternam, Quomodo & Chriſtus ſe panem vitæ dixit, & manducandum diſcipulis præbuit, vt vitam conſequantur æternam. Eſt enim reuera Chriſtus lignum vitæ in medio paradiſi, & I
panis vitæ, quem ſuum vnigenitum deus pater dedit mundo, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

4 *VEnerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moyſi. Qui ait eis, Hoc eſt quod locutus eſt dominus, Requies ſabbati ſanctificata eſt domino cras, quodcunq; operandum eſt facite, & quæ coquenda ſunt, coquite: Quicquid autem reliquũ fuerit, reponite uſque in mane. Fecerúntque ita ut præceperat Moyſes, & non computruit, neque uermis inuentus eſt in eo. Dixit Moyſes, comedite illud hodie quia ſabbatum eſt domino, non inuenietur hodie in agro. Sex diebus colligite, in die autem ſeptimo ſabbatum eſt domino, idcirco non inuenietur. Venítque ſeptima dies, & egreſſi de populo ut colligerent, non inuenerunt. Dixit autem* K
*dominus ad Moyſen, Vſquequo non uultis cuſtodire mandata mea & legem meam? Videte quòd dominus dederit uobis ſabbatum, & propter hoc die ſexta tribuit uobis cibos duplices. Maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Et ſabbatizauit populus die ſeptimo. Appellauítque domus Iſraël nomen eius Man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtúſque eius quaſi ſimile cum melle.*

4 AVCTOR CATENAE. Cadebat tunc quoque ignorantia in præfectos congregationis illius, qui non omnes de hoc myſterio inſtructi deprehendebãtur. Quos & Moyſes inſtruit, & plebs ipſa etiã eodem vitio laborare inuenta eſt, prout in ſequentibus apparebit. Ait ergo ſanctus ſcriptor: *Venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moyſi.* CAIETANVS. Viſa nouitas mouit principes vt conſulerent Moyſen quid facto opus eſſet. *Qui ait eis, Hoc eſt quod locutus eſt dominus: Requies ſabbati ſanctificata eſt domino cras.* INTERLINEARIS. Vt L
ſcilicet illi ſoli vacetis. CAIETANVS. Et eſt ſermo ac ordo literæ, q̃ cras eſt ſumma requies, vtpote requies ſanctitatis fonti eſſendi dicata. Et dicitur requies ſanctitatis, hoc eſt, perfectæ & liberæ munditiæ ab operibus. Pingit ſiquidem ſanctitatem debitam diei ſeptimo, à maxima quiete, à mũditia ab operibus, à dicatione deo qui dedit omnibus eſſe. AVCTOR CATENAE. Requies ſabbati ſanctificata eſt domino cras. Dictionẽ קֹדֶשׁ Kodes, Aliqui, ſancti, reddunt, vt dicãt, Quies ſiue ceſſatio ſabbati ſancti domino cras, ſubaudi eſt, id eſt, die cra ſtino vobis ceſſandum eſt in honorem dei. Is dies tribuendus eſt domino & laudi diuinæ, quia ipſe ceſſauit ſeptimo die. Chaldaica habet, ſabbati ſanctificati, Septuaginta ἀνάπαυσις ἁγία, Requies ſancta. Sed omnia hæc idem ſunt. Nec deſunt qui dictionem cras, attribuant membro quod ſequitur, vt legant, Cras quodcũque operandum eſt. Verùm prima lectio verior, nam poſt dictionem כֹּחַר Machar, Eſt coma, quod Hebræi vocant athnach, & clauſulam à clauſula ſeparat. *Quodcunque operãdum eſt facite, & quæ coquenda ſunt coquite: Quicquid autem reliquũ fuerit, reponite uſque in mane.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Et quæ coquenda ſunt, coquite, id eſt, M
quæ oportebat facere vel coquere ſi non eſſet ſabbatum, facite vel coquite hodie, quia cras eſt requies ſabbati. CAIETANVS. Locus iſte iuxta Hebræum ita habetur, Quod coquetis coquite, & quod lixabitis lixate. Nihil de operibus præcipitur, ſed de duplicato manna decernitur, vt quod aſſandum eſt, illo ſexto die aſſetur, & quod lixandum eſt, illo ſexto die lixetur. Quicquid autem reliquum fuerit, reponite vſque in mane. Secundum literæ planum contextum mandatur, quòd quicquid non erit coquendum, reſeruetur in diem craſtinum. Et hic ſenſus proculdubio eſt intentus ad literam, quia ad manifeſtandum diuinæ auctoritatis teſtimonium, reſeruabatur manna in diem ſabbati ad manifeſtandum, inquã, quòd ſeruatum in craſtinum quolibet alio die putreſceret & fœteret. Sabbato autem in ſua perfectione perſeueraret. **Hoc enim teſtimonium non fuiſſet exhibitum integrè, niſi manna in propria forma (non molitum, non pilo tuſum, non quouis modo coctum) fuiſſet ſeruatum in diem ſabbati.** AVCTOR CATENAE. Quodcunque operandũ eſt facite. Verbum תֹּאפוּ Thophu Futurum



A Futurũ ab אָפַת apha, & אָפוּ ephu, Imperatiuũ ab eodẽ, verterũt nõnulli, cocturi eratis, coquite. Et ſic habet Chaldaica, & Septuaginta. Alij, Pinſere volueritis, pinſite. Sic & quæ ſequũtur תְּבַשְּׁלוּ Tebaſſelu, itidẽ futurum à Baſal, & בַּשְּׁלוּ Baſélu, Imperatiuũ ab eodẽ vertũt, Cõdituri eſtis, condite, Sic habet & Chaldaica. Septuaginta verò, οὓς ἐὰν ἑψήσητε, ἕψετε, Et quæcunq; elixaueritis, elixate. Et eſt ſenſus, quicquid die craſtino pro corporali victu veſtro paraturi eritis, parate hodie. Et ab hoc ſenſu nõ recedit Latinus Interpres. Verũ quoniã vtrũq; verbũ, ſcilicet, Apha & Baſal, coquere ſignificant, primũ vertit operari, ne bis coquere cogeretur dicere. Deniq; quod ait, Quicquid autẽ reliquũ fuerit, reponite vſq; mane, nõ diſcrepat in ſentẽtia ab Hebraico quod eſt huiuſmodi: וְנִיחוּ לָכֶם לְמִשְׁמֶרֶת עַד הַבֹּקֶר Hanichu lachem lemiſmẽreth had habóker, Reponite vobis in cuſtodiã vſq; mane. Sic habet & Chaldaica. Septuaginta, καταλείπετε ἑαυτοῖς ἀποθήκην εἰς τὸ πρωΐ, Relinquite illud in repoſitionẽ in mane. Et ſubaudiẽdũ eſt aliquid, quale, Et comedite ad ſaturitatẽ, vt ſequatur, quicquid autẽ ſupererit illud ſeruate vſq; mane. Vel hoc
B de mãna intelligit, gomor ſcilicet vnum, in diẽ craſtinũ ſeruate, vnde viuere poſsitis: Sabbatũ enim eſt, in quo nõ licebit vobis operari. Et ideo feria ſexta quæ eſt ante ſabbatũ, ſemper dicta eſt paraſceue, id eſt, præparatio. Diſcimus hinc nos, infra Hebdomadã prouidẽda domui corporis neceſſaria, vt vacationis die dño ſeruiatur, audiẽdo verbũ domini, contẽplando dei opera, cõſolãdo verbis & exhortatione proximũ, de beneficiis gratias agẽdo, orãdo proſe & populo, id demũ verus dei cultus eſt. Otio autẽ inerti indulgere, vacare tantũ ab opere, cultus dei nõ eſt, multo minus libidinari & inſoleſcere verbis vel factis, vt hodie cõmuniter fieri cõſueuit. *Fecerúntq; ita vt præceperat Moyſes, & nõ cõputruit, neque vermis inuẽtus eſt in eo.* GREGORIVS NYSSENVS. Siquis igitur timore furtim quandã ſibi particulã ad craſtinũ cõſeruaſſet, totũ quod repoſitũ erat, per noctẽ corruptũ, in vermes trãsformabatur, præterquã in die ſabbati. Nã cũ hæc dies ratione quadã, & myſtica ceſſatione ab Hebræis honoraretur, ne quid in ea die præter cõſuetudinẽ facere cogerẽtur, quãuis tantò in collegio vnuſquiſq; ſtudiũ, quantũ in cæteris diebus die ſexta adhibebat, duplũ tamen collectũ ſibi eſſe inueniebat. Cúmq; in cæteris diebus, ſi quid ſeruabatur in
C craſtinũ, in vermes totũ trãſmutaretur, ſolũ quod die Veneris collectũ erat, per totũ diẽ ſabbati perdurabat. AVCTOR CAT. Fecerúntq; ita. Quid autẽ fecerint Hebraicũ exponit וַיַּנִּיחוּ אֹתוֹ עַד הַבֹּקֶר Vaiannichu otho had habóker, Et repoſuerũt illud vſq; mane. Sic & Chaldaica. Sic & Septuaginta, καὶ κατέλιπον ἀὐτὸ ἑαυτοῖς εἰς τὸ πρωΐ, Et reliquerũt ex eo in mane. Sed cõſultò ſummauit Interpres, ne cogeretur repetere verbũ reponere. Et manifeſtum eſt q̃ de mãna loquitur in diẽ ſabbati reſeruato, quod nõ cõputruit, neq; vermibus ſcatuit, ſicut faciebat reſeruatum aliis diebus. Vides q̃ obediẽtiæ ſanctæ opera quibus dominicis obeditur præceptis nõ putreſcunt, quæcunq; autẽ ex temeritate & præſumptione propria attẽtaueris, vermibus ſcatẽt. *Dixitq; Moyſes, comedite illud hodie, quia ſabbatũ eſt domino, nõ inuenietur hodie in agro.* THEODORETVS. Cur deus tãtummodo in ſabbatis mãna nõ præberet? ideo factũ eſt, quia ſolis Iudæis operũ vacationẽ in ſabbatis præſtitit. Opere igitur illos docuit vt legis præceptum ſeruarẽt, neque tamẽ naturę curſum impediuit, oriũtur enim ſol & luna & nubes. CAIETANVS. Mane ſabbati cõperta integritate ſeruati mãnæ, dixit hæc verba Moyſes. Quod autẽ dicitur, quia ſabbatũ eſt domino, ra-
D tionẽ reddit, quare illo die nõ inueniretur manna in terra, ex hoc q̃ ille dies eſt requies ſummo deo, hoc eſt, dies dicata ſummo deo in memoriã perfectæ creationis mũdi ab ipſo, vt quieſcẽdo cõmemorent quietẽ dei à creãdo mundũ. AVCTOR CATENAE. Comedite illud, vel ipſum hodie, Diẽ ſeptimũ intelligit. Quia ſabbatũ eſt domino, id eſt, ceſſandũ eſt vobis hodie à collectione Mãnæ, & aliis operibus in honorẽ domini intendẽdum, cũ nec hodie mãna inuenietur in cãpo. Sabbati itaque otium nõ ſine cauſa toties inculcãdo repetit, quia præ omnibus aliis inſtitutis, fidelibus illud neceſſarium videbatur, nõ ob otium, ſed diuinum negocium, & vt tẽpus nõ negligeretur ad vacandum toto pectore domino, vt prædictum eſt. *Sex diebus colligite. In die autẽ ſeptimo ſabbatũ eſt domino, idcirco nõ inuenietur.* CAIETANVS. Tertiũ præceptũ circa mãna promulgatur, & ratio præcepti ſubiũgitur, quia ſeptima dies eſt requies dicata fonti eiſendi, & propterea quieſcere debẽt à collectione Mãnæ. In cuius præcepti teſtimoniũ prædicit, quòd die ſeptimo nõ inuenietur mãna in cãpo. AVCTOR CATENAE. Sex diebus colligite, Addẽdum pronomẽ ipſum, quod tamẽ & nõ additum ſubauditur. In die autẽ ſeptimo ſab-
E batum eſt domino. Abundat dictio domino, nõ enim eſt in Hebræo, quã tamẽ addidit Interpres, quia ſubintelligebatur, nam ſabbatũ præcipuè domini eſt. Idcirco nõ inuenietur. Hebraica ſunt: לֹא יִהְיֶה בּוֹ Lo ihie bo, Nõ erit in eo, ſubaudi die man, id eſt, nõ cadet man eo die. Ita habet & Chaldaica, ita & Septuaginta. Sed & hoc eſt quod dicit Latinus Interpres. Datur ergo præceptũ populo ad ipſius exercitiũ, ne ſabbato colligãt, quo die, & ſi collecturi exeãt in agrũ, nihil ſint inuẽturi, reatũ verò inobediẽtiæ incurſuri. Hęc autẽ lex duobus cõmendabatur miraculis. Quorũ alterũ erat, q̃ ſexto die nõ ſtatim mãna liquefiebat, donec pro vno quoq; duo gomer colligerẽtur. Alterũ q̃ man eo die in ſabbatũ reſeruatum nõ ſcatebat vermibus, nec cõputreſcebat. Sed nihil proficitur apud quoſdã, ſemper ſunt qui carnis deſideria præferãt inſtitutis diuinis, qui deũ tẽtare audeãt, qui nitãtur in vetitũ, cupiãtq; negata, ex primi parẽtis culpa. Totiẽſq; admonitus populus Iſraël, in officio cõtineri nõ potuit. Sequitur enim. *Venit ſeptima dies, & egreſſi de populo vt colligerẽt, nõ inuenerũt.* RVPERTVS. Tertia tẽtatio in quã inciderũt filij Iſraël, & infidi reperti ſunt. Nã prohibiti colligere mãna in ſabbato, quidã tamẽ eorũ ad colligendũ ipſo die pro-
F fecti ſunt. CAIETANVS. Manifeſtũ autẽ diuini miraculi teſtimoniũ fuit, nulla die ſabbati inueniri mãna in campo, & reliquis omnibus diebus inueniri *Dixit autẽ dominus ad Moyſen vſquequo nõ vultis cuſtodire mandata mea & legẽ meã?* RVPERTVS. Tripliciter igitur præuaricatione peracta, Vſquequo ait dominus non vultis cuſtodire mandata mea & legem meam? HVGO DE SANCTO VICTORE. Nõdum lex erat data, ſed legẽ vocat quodlibet mandatum, ſicut de obſeruatione ſabbati, & de menſura gomor. CAIETANVS. Dixit autẽ dominus ad Moyſen. Nomẽ eſt tetragrãmaton ad ſignificandũ, quòd ipſi ſummo deo cura eſt q̃ obſeruẽtur dies feſti ei dicati. Vſquequo nõ vultis cuſtodire mandata mea & legẽ meã? Ratio quare diſplicet deo violatio ſabbati, redditur inobediẽtia diuinę legis, vt intelligamus nõ ſecundũ ſe, ſed ratione diuinę legis requiẽ ſabbati ſeruandã. AVCTOR CAT. Mãdata mea & legẽ meã. Parũ eſt q̃ Hebraicè legitur וְתוֹרֹתַי Vethórothai, Et leges meas. Eſt enim plurale à Thora. Verba itaq; ſunt indignãtis, & increpãtis incredulos. Sẽſus hoís humiliãdus per fidẽ eſt in obſequiũ dei, qui obedientiã victimis præfert. Dominus ſua munera largitur quãdo & quibus volue-

rit. Tentare veritatẽ dei, perfidię crimen eſt, diffidere ſermonibus ipſius, impietas maxima. *Videte quòd dominus dederit vobis ſabbatũ & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices.* CAIETANVS. Ipſe ſummus deus Moyſen alloquitur de ſeipſo deo in tertia perſona. Et ratio nõ colligẽdi die ſeptimo redditur ex alio præcepto, videlicet ſabbati inſtituti ab ipſo fonte eſſendi. Et quidẽ quòd deus dederit ſabbatũ filiis Iſraël, deus ipſe hîc cõmemorat, quãdo autẽ dederit, incertũ eſt. Rationi cõſentaneũ eſt, vt per patres illud eis dederit, nõ tamen cũ tam arcto vinculo ceſſandi ab omni opere. Et dicit, dedit vobis, vt in populi beneficiũ inſtitutũ agnoſcatur. Et apponitur diuinę inſtitutionis ſabbati teſtimoniũ ex hoc quòd ſexta die tribuit panẽ duplicatũ. AVCTOR CATENAE. Tribuit vobis cibos duplices. Hebraicè eſt לֶחֶם יוֹמָיִם Léchem iomáim, Panẽ, ſiue cibũ duorũ dierum vel pro duobus diebus. Sic habẽt & Chaldaica & Septuaginta. Quod idem eſt cum litera noſtra. Omnẽ ſenſum corporalium & ſpiritualiũ diſtractionum dominus pro die ſabbati, id eſt, vacationis prohibuit, vt recollectiores ſint ad legis diuinæ cõtemplationẽ. *Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* INTERLINEARIS. Id eſt, quieſcat, nec egrediatur ad operandũ. CAIETANVS. Intellige ergo hoc præceptum ſobriè, hoc eſt, nõ de egreſſu è domo (nõ enim tabernaculũ pro carcere erat illis die ſabbati) ſed de egreſſu ad opus quaſi collecturus eſſet mãna. AVCTOR CATENAE. Doctè admodũ & clarè vertit Latinus Interpres, Maneat vnuſquiſq; apud ſemetipſum, quòd Hebraicè legitur שְׁבוּ אִישׁ תַּחְתָּיו Sebu is tachtaf, Manete vnuſquiſq; ſub ipſo, Vbi Chaldaica habet, Sedete vnuſquiſq; in loco ſuo. Et Septuaginta, εἰς τοὺς οἴκους ὑμῶν, In domib⁹ veſtris. Quod de loco ſecundum corpus videtur intelligere. Apud ſemetipſum autẽ manere, eſt ſeipſum colligere, & quomodo vel proficiat vel deficiat quiſq; in legis diuinæ obſeruãtia, diligẽter meditari, domini gratiã & auxiliũ implorare ſabbato. *Et ſabbatizauit populus in die ſeptimo.* CAIETANVS. Id eſt, & requieuit obediẽdo diuino mãdato. AVCTOR CATENAE. Et ſabbatizauit populus die ſeptimo. Verbũ Hebraicũ eſt וַיִּשְׁבְּתוּ Vaisbethu. Sabbath autẽ & ſabbatizare ſignificat & quieſcere. Vnde Chaldaica hîc habet, Quieuítq; populus in die ſeptimo. Septuaginta vt apud nos. Sed idẽ eſt. Die ſeptimo vacandũ, eatenus morale eſt & neceſſariũ, quod ſtatuto tẽpore domino vacandũ ſit, quòd ne differatur ob occupationes tẽporarias, cęremoniale decretũ eſt, vt ſeptimũ diẽ nõ prætereat quocunq; tandẽ die ſupputare incipias. Quandoquidẽ etiã dominica dies ſeptima eſt poſt dominicã æquè ſicut ſabbatũ Iudaicũ quod vacationẽ ſonat. *Appellauítq; domus Iſrael nomẽ eius Man, quod erat quaſi ſemẽ coriãdri albũ, guſtúſq; eius quaſi ſimilę cũ melle.* HVGO DE SANCTO VICT. Id eſt, mellitæ ſimilæ. Alij etiã dicunt quòd ſapiebat vnicuiq; quod magis appetebat. CAIETANVS. Interrogationis nota verſa eſt in nomẽ, adiũcta vna litera tanquã ſyllabica adiectione. Quod autẽ dicitur, guſtúſq; eius quaſi ſimilę cum melle, Iuxta Hebræũ legitur, fritillę in melle. Ecce ſapor mãnæ cõſtans ex tribus, ex ſapore panis, ex ſapore olei (vtrũq; enim cõplectitur fritilla) & ex ſapore mellis. Ex quibus reſultabat valde ſuauis guſtatio, quẽadmodum ſuauis eſt guſtus fritillæ adhibito melle vt experientia teſtatur. AVCTOR CATENAE. Guſtúſq; eius quaſi ſimilæ cũ melle, quod Hebraicè legitur: וְטַעְמוֹ כְּצַפִּיחַת בִּדְבָשׁ Vetahemo chezappichith bidbas, Et guſtus eius ſicut laganũ ſiue maſſa vel paſta oleo frixa cũ melle. Alij reddunt, Et guſtus eius ſicut placentę oleatæ. Sunt & qui dicãt vocẽ Hebręã zappichit, pro cruſtula accipi quæ cum pinguedine coquitur & melli immergitur. Chaldaica habet, Guſtúſque eius quaſi lagana frixa cum melle. Septuaginta, ὡς ἐγκρὶς ϕυ μέλιτι, Vt ſimila in melle. Quæ omnia idem dicũt cum litera noſtra. Impoſitio itaque nominis Man, vnde cauſam ſumpſerit, iam ſecũdò notatur, & ſuppletur ſuperius neglectum, quia fuerit vt ſemen coriãdri, & album, & guſtus ipſius velut paſtæ cum melle, habebat enim ſuauiſsimum ſaporem. Quo dominus oſtendebat dulcedinem ſuam in filios ſuos, vt vnuſquiſque voluntati palatóque deſeruiret. Intelligendum autem hoc de piis, impiis enim leuiſsimus habebatur & inſipidus. Semini autem coriandri comparatur pro quantitate & figura, non autem colore, qui lucidus illi aderat & albus, cum coriandro niger adũt.

*Myſticè.* GREGORIVS DECIMO OCTAVO MORALIVM. Quia in hac vita nil laborioſius quã terrenis deſideriis ęſtuare, & nihil quietius quã huius ſeculi nihil appetere, hinc eſt quòd Iſraëliticus populus cuſtodiã ſabbati accepit in munere, & è cõtra eſt Aegyptus muſcarũ multitudine percuſſa. Populus nãq; qui deũ ſequitur, accipit ſabbatũ, id eſt, requiẽ mẽtis, vt nullo in hac vita deſideriorũ carnaliũ appetitu fatigetur. Aegyptus verò quæ huius mũdi ſpeciẽ tenet, muſcis percutitur. Muſca enim nimis inſolẽs & inquietũ animal eſt. In qua quid aliud quã inſolẽtes curæ deſideriorũ carnaliũ deſignãtur? Vnde aliàs dicitur, Muſcæ morientes perdunt ſuauitatẽ vnguẽti, quia cogitatiohes ſuperfluæ quæ aſsiduè in animo carnalia cogitãte, & naſcũtur & deficiunt, eã ſuauitatẽ qua vnuſquiſq; intrinſecus per ſpiritũ vnctus eſt, perdunt, quoniã integritate eius perfrui nõ permittũt. Aegyptus ergo muſcis percutitur, quia eorũ corda qui terrenã vitã diligunt, dũ deſideriorũ ſuorũ inquietudinibus feriuntur, turpitudinibus cogitationũ carnaliũ ad ima depreſſa ſunt, vt ad quietis intimæ deſideriũ nõ leuentur. Vnde cùm mira pietatis ope ad cor veritas venit, priùs ab eo cogitationũ carnaliũ æſtus eiicitur, & poſt in eo virtutum dona diſponit. CYRILLVS LIB. QVARTO SVPER IOANNEM. Deus igitur, nõ quia vmbris gaudebat, ſed quia per eas ad veritatẽ oẽs inducere voluit, quieſcere in ſabbato iuſsit, vnde per Moyſen increpando dicebat. Quouſq; nõ vultis audire mãdata mea, & legẽ meã cognoſcere? Ideo dñs dedit vobis in ſexta die duorũ dierũ panẽ, vt domi veſtrę ſedeatis, nullus veſtrũ exeat de domo ſua die ſeptima. Intelligis ab omni labore liberã vitã præfigurari, nihil agere in ſabbato præcepit, colligere quicquã nõ permittit, in ſuo quemq; loco morari iubet, quibus oĩbus quid nos doceat dicemus, ſi Hieremiæ cõſimilẽ locũ repetemus. Hæc dicit dns, Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati, nec inferatis per portas Hieruſalẽ, & nolite eiicere onera de domibus veſtris in die ſabbati ſicut præcepi patribus veſtris. Nõ permittit aliquẽ onere deprimi, quia nemo tũc delictorũ põdere agitabitur, nec egredi à Hieruſalẽ iubet, quia ſanctorũ multitudo cœleſtẽ Hieruſalẽ ingreſſa, nũquã inde amplius exibit, nec illis bonis vnquã priuabitur. Vocatio enim & gratia dei firma eſt, vt Paulus ait, Iterum autem candẽ repetiſſe rem videtur, dicẽs, Nõ exibitis è loco veſtro, ſubſtẽdens multas eſſe apud patrẽ mãſiones. Cuius rei figurã varietate ſua tabernaculũ obtinebat, dabitur enim vnicuique mãſio ſecundũ merita ſua, & qui tabernacula illa poſsidebunt nunquã horũ numerũ diuinitùs ſibi donatorũ iacturã faciẽt. Cui rei etiam Eſaias atteſtatur, dicens, Oculi tui videbunt Hieruſalẽ ciuitatem, diuitẽ, tabernacula quæ nõ quatiẽtur nec mouebuntur

*Cap.28.* *Eccleſ.10.* *Cap.51.* *Hier.17.* *Rom.11.* *Ioan.14.* *Eſa.35.*



uebuntur in ſeculum. Immobilem enim, atque ſtabilem illam vitam fore oſtendit. Sancta enim omnino ex Chriſto dedicata erit. GREGORIVS VIGESIMO SEXTO MORALIVM. Dicamus & aliter. Maneat vnuſquiſq; apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. In tot locis inclinamur, in quot ſuperuacuis curis extẽdimur. Nã ſicut locꝰ eſt corporis ſpatiũ corporale, ita locus eſt mẽtis vnaquæq; intẽtio cogitationis. Quę dũ huc illúcq; impellitur, ſi delectatione aliqua cogitationis ſuæ libenter occupatur, velut in quodã loco ponitur vt requieſcat. Nã quoties victi tędio à cogitatione in cogitationẽ ducimur, quaſi feſſa mẽte de loco ad locũ migramus. Tot itaq; loca culmen mẽtis inclinant, quot ſubortę cogitationes vnitatem bonæ intẽtionis diſsipãt. Recta etenim mẽs ſtaret, ſi vni cui debuerat cogitationi ſemper inhęreret. Recta mẽs ſtaret, ſi nõ ſe innumeris motibꝰ fluxa mutabilitate proſterneret. Sed dũ nũc iſta pertractat, nũc ad alia labitur, quaſi per locorũ multitudinẽ, à ſtatu ſuæ rectitudinis inclinatur, & dũ per plura ſe tẽdit, ab vna cui adhęrere debuit intẽtione ſe deiicit. Qui tamẽ mutabilitatis vſus ex primæ præuaricationis vitio, iã quaſi in naturã venit. Nã cũ ſtare animus in ſemetipſo nititur, à ſemetipſo aliquo modo etiã neſciẽdo deriuatur. Humana nãq; anima ab vnaquaq; re cui intẽdit faſtidio impellẽte remouetur. Sed dũ inhiãter cogitãda appetit, & repẽte cogitata faſtidit, docet quòd aliũde pẽdet quæ quolibet poſita nõ requieſcit. Ad illũ quippe ſuſpẽſa eſt, à quo formata. Et quia ad deũ ſolũ appetẽdum facta eſt, omne autẽ quod infra appetit, minus eſt, iure ei nõ ſufficit quod deus nõ eſt. Hinc eſt quòd huc illúcq; ſpargitur & ab vnaquaq; re (vt diximus) faſtidio impellẽte remouetur. Delectationis videlicet auida, quærit quomodo pauſet, vnũ verò quẽ ſufficienter habere poterat, amiſit. Vnde nũc per multa ducitur, vt quia qualitate rerũ non poteſt, ſaltẽ varietate ſatietur. Volẽs itaq; ſeruos ſuos dominus ab innumeris cogitationũ motibus abſtrahere, & vni tantũ cui debent ſemper cogitationi (dei videlicet) inhærere, dicat nunc, Maneat vnuſquiſq; apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Sãcti enim viri quia cauta ſe obſeruatione cuſtodiũt, ne ab intẽtione ſua mutabiliter diſſoluãtur. Et quia idẽ eſſe appetũt ad cogitationẽ qua deũ diligunt, ſe ſolerter aſtringũt. In contẽplatione nãque creatoris hoc accepturi ſunt, vt vna ſemper mẽtis ſtabilitate perfruãtur, nulla eos tũc mutabilitas diſsipat, quia ſcilicet eorũ cogitatio ſibimetipſi ſemper indiſsimilis perſeuerat. Hoc ergo cũ labore nunc conãtes imitãtur, quod poſt in munere gaudẽtes accipiunt. Cui ſe Propheta immutabilitati, virtute amoris aſtrinxerat, cũ dicebat: Vnã petij à domino, hãc requirã, vt inhabitẽ in domo domini. Huic Paulus vnitati intẽtione adhæſerat, dicẽs: Vnum autẽ quæ retro ſunt oblitus, ad ea quæ antè ſunt extẽtus ſequor ad palmã ſupernæ vocationis Chriſti. Nã ſi quid in eorũ corde humanitùs diffluit, mox hoc diſcuſsio ſeuera reſtringit, & cũ quaſi pueriliter cogitatio labitur, iuuenili mox coërtione refrenatur. Vnde fit vt ſparſam mentẽ cõtinuò colligãt, & in vna quantũ prævalent cogitatione cõponãt. IDEM LIB. OCTAVO. Sed & aliter. Locus hominis, ſed nõ localis, ipſe ſcilicet cõditor extitit qui hũc vt in ſemetipſo cõſiſteret creauit. Quẽ nimirũ locũ tunc homo deſeruit cũ ſeductoris verba audiẽs, à cõditoris amore diſceſsit, ſed cũ omnipotens deus redimẽdo ſe homini etiã corporaliter oſtẽdit, ipſe (vt ita dixerim) fugitiui ſui veſtigia ſubſequens, ad retinẽdum quẽ amiſerat hominẽ locus venit, ſi enim appellari locus venit. Si enim appellari locus nequaquã cõditor poſſet, deũ laudãs Pſalmiſta nõ diceret, Filij ſeruorũ tuorũ habitabunt ibi. Ibi enim nõ dicimus, niſi cũ loco ſpecialiter deſignamus. Dicere ergo dei ad hominẽ, Nõ egrediatur quiſq; die ſeptimo de loco ſuo, eſt ac ſi diceret, à cõditoris ſui amore in die ſanctæ feſtiuitatis nõ diſcedat. INTERLINEARIS. Appellauítq; domus Iſraël nomen eius Man, quod erat quaſi ſemẽ coriandri albũ, guſtúſq; eius quaſi ſimilæ cũ melle. Nępe quia verbũ dei quod caro factum eſt, purũ & lucidũ manet. THEODORETVS. Dictum præterea illud ſapiẽtis Sirach quod de manna pronunciatũ eſſe videtur, Dediſti illis manna pro cibo omnẽ delectationẽ in ſe habens: de verbo quoq; dei optimè dici nõ ambigimus, ad omnẽ enim ſpirituale cibum accõmodatum eſt. Vt modò in Chriſto geniti Infantes qui rationale lac concupiſcunt: ſimiliter & in Chriſto Infantes, verbum dei vt potum ſumant. Perfectiores verò qui exercitatos habẽt ſenſus, illud vt ſolidũ cibum ſumant ad diſcretionẽ boni ac mali. ORIGENES. Sed feſtinemus & nos cœleſte manna ſuſcipere. Iſtud enim manna prout vult quiſque talem ſaporem reddit in ore eius. Audi enim & dominum dicentem iis qui accedunt ad ſe, Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Et tu ergo ſi verbũ dei quod in Eccleſia prædicatur, tota fide, tota deuotione ſuſcipies, fiet tibi ipſum verbũ quodcũq; deſideras. Verbi gratia, ſi tribularis, conſolatur te, dicens, Cor contritum & humiliatum deus non ſpernit: ſi lætaris pro ſpe futura cumulat tibi gaudia dicens, Lætamini in domino & exultate iuſti. Si iracundus es, mitigat te, dicẽs: Deſine ab ira, & derelinque indignationem. Si in doloribus, ſanat te, dicens: Dominus ſanat te omnes languores tuos. Si paupertate conſumaris, conſolatur te, dicẽs: Dominus alleuat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi dei reddit in ore tuo ſaporem quencunque volueris.

*Dixit autẽ Moyſes, Iſte eſt ſermo quẽ præcepit dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrogenerationes, ut nouerint panẽ quo alui uos in ſolitudine, quãdo educti eſtis de terra Aegypti. Dixítque Moyſes ad Aaron, Sume uas unũ, & mitte ibi Man, quantũ poteſt capere gomor, & repone coram domino ad ſeruandũ in generationes ueſtras, ſicut præceperat dominus Moyſi. Poſúítque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum. Filii autem Iſraël comederunt man quadraginta annis, donec uenirẽt in terram habitabilem. Hoc cibo aliti ſunt uſque quo tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars eſt ephi.* 5 6 7

AVCTOR CATENAE. Vt tãti beneficij perpetuò memores eſſent filij Iſraël, & qui erãt ab eis naſcituri, nec vllo vnquã tẽpore operum domini obliuiſcerentur, præcipit Moyſes ad mandatum tamen domini, de conſeruatione Mannæ, in hunc qui ſequitur modum. *Dixit autem Moyſes, Iſte eſt ſermo quem præcepit dominus: Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrogenerationes, vt nouerint panem quo alui vos in ſolitudine, quãdo educti eſtis de terrã Aegypti.* HVGO DE SANCTO VICT. Imple Gomor ex eo, & cuſtodiatur. Hoc dictũ eſt per anticipationẽ. CAIETANVS. Intellige nanq; hoc præceptũ domini nõ tunc promulgatũ in deſerto Sin, ſed poſtquã perfectũ eſt tabernaculum cum arca domini. More ſiquidẽ ſuo Moyſes cõplere intendit præcepta data circa manna, & propterea narrat hîc

præceptũ ſeruandi mãna in perpetuas generationes. AVCTOR CATENAE. Et cuſtodiatur in futuras re- G
trogenerationes. Hebraicè eſt לְמִשְׁמֶרֶת לְדֹרֹתֵיכֶם Lemiſméreth ledoróthechem, Ad cuſtodiã in generationes ve-
ſtras. Alij, Quod ſeruetur apud poſteros veſtros, reddũt. Septuaginta, εἰς ἀποθήκην εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν, Ad repoſitio-
nẽ in generationes veſtras. Chaldaica totũ locũ ita legit, Plenũ gomor ex eo ſeruate in generationes veſtras. Que
omnia idẽ dicunt cũ Latina litera. Vt nouerint panẽ quo alui vos. Verbũ הֶאֱכַלְתִּי Heechálti, præteritũ eſt in Hi-
phil ab Achal, & propriè, comedere feci ſignificat, ſicut & Chaldaica legit, à qua tamẽ non diſcrepat ſenſus verbi
Latini Interpretis. Sic & quod ſequitur, Quãdo educti eſtis, vbi Hebraica ſunt בְּהוֹצִיאִי אֶתְכֶם Behozij ethchem,
Quãdo eduxi vos, Eſt præteritũ in hiphil à iaza verbo. Et ſic etiã habet Chaldaica. Sed hæc parua ſunt. Cõſeruaculũ itaq; inſtitui præcipitur ipſi man, altero & nouo miraculo, quo aſſeruaretur mãna ſine putrefactione & ver-
mibus, quãdiu dominus volebat, in monumentũ & teſtimoniũ, vt & poſteri viderẽt aliquãdo quo cibo aluiſſet
dominus filios Iſraël in deſerto quadraginta annis. *Dixitq; Moyſes ad Aaron, Sume vas vnũ, & mitte ibi man, quantũ poteſt ca* H
*pere gomor, & repone coram domino ad ſeruandum in generationes veſtras, ſicut præceperat dominus Moyſi.* AVGVSTINVS IN
Quæſt.61. QVAEST. SVPER EXODVM. Quæri poteſt vbi Aaron poneret ante deũ quãdo nec vllũ ſimulachrũ fuit,
nec arca Teſtamẽti iã fuerat inſtituta. An fortè ideo de futuro dixit, repones, vt intelligeretur tũc ante deũ poſſe
reponi, quãdo futura erat arca? An potius ante deũ dictũ eſt, quod fit ipſa deuotione offerendi in quocunq; loco
poneretur, ibi enim eſt deus? Sed illud quod adiũgit, Et repoſuit Aarõ ante teſtimoniũ ad reſeruandũ priorẽ ma-
gis ſenſum aſſerit. Hoc enim modo ſcriptura dixit per prolepſim quod poſtea factũ eſt, cũ eſſe cœpit tabernaculũ
teſtimonij. AVCTOR CATENAE. Sume vas vnũ. Hebraica dictio eſt צִנְצֶנֶת Zinzéneth, quã aliqui lagun-
culã, aliqui ſcutellã, nonnulli phialã, alij vrnam, quidã vaſculũ reddidere. Certũ eſt autẽ eſſe genus vaſis, & ſolũ
inueniri in loco præſenti. Notãdum autẽ quòd Septuaginta legũt, στάμνον χρυσοῦν ἕνα, Vas aureũ vnum, ſed nec in
Hebræo nec in Chaldæo codice aurũ habetur. Quod tamẽ ita fuiſſe omnino tenendum eſt auctoritate Apoſtoli
ita dicẽtis Hebræorũ nono: Poſt velamẽtum autẽ, ſecundũ tabernaculum quod dicitur ſancta ſanctorũ, aureum I
habẽs thuribulũ, & arcã teſtamẽti circunte ctã ex omni parte auro, in qua vrna aurea habẽs mãna, & virga Aaron,
&c. Et mitte ibi Man quãtũ poteſt capere gomor. Nõ diſcrepat ſẽſus ab Hebraico וְיִתֵּן שָׁמָּה מְלֹא הָעֹמֶר מָן Iethen
ſamma melo hahómer man, Et pone ſeu mitte ibi plenũ gomer mãna. Sic habet & Chaldaica, ſic & Septuaginta,
Et repone coram domino, Id eſt, in arca teſtimonij, Sicut præceperat dominus Moyſi. Antiquiores codices habent
præcepit. Ita etiã legit Chaldaica & Septuaginta, licet verbũ צִוָּה Ziua, vtroq; modo reddi poſsit. Et fortè habuit
reſpectũ Moyſes ad tẽpus repoſitionis Aaron, quãdo ſcilicet vas mãnæ locauit in tabernaculo, vt tũc rectè dice-
re potuerit, ſicut præceperat dominus Moyſi, quãdo videlicet primũ pluit mãna de cœlo. Cõtigerunt igitur hæc
circa finẽ vitæ Moyſi & Aaron, iam proximorũ morti, & propediẽ mãnæ depluitione ceſſatura, paratáq; iandu-
dum arca. Nõ eſt enim prius & poſterius in lege ſecundũ Hebræos, quia alicubi citiùs & nõ ſuo loco ſcribũtur, dũ
ſcilicet hîc de primo mãnæ vſu fit mẽtio, etiã quæ circa illud poſtea acta ſint pariter cõſcribuntur. Quãdoquidẽ
hic liber nõ ſcriptus eſt primis illis diebus egreſsionis, ſed poſtremis annis moræ in deſerto. *Poſuitq; illud Aaron in* K
*tabernaculo reſeruãdũ.* CAIETANVS. Quod priùs dixerat corã domino ad cuſtodiã, modò exponit executioni
mãdatum, locãdo phialã aureã plenã mãna ante arcã teſtimonij. AVCTOR CATENAE. Poſuitq; illud
Aarõ in tabernaculo reſeruãdum. Pro tabernaculo Hebraicè eſt הָעֵדֻת Haheduth, quod propriè teſtimoniũ ſigni-
ficat, Vnde quidã legunt, Poſuitq; illud Aaron corã teſtimonio, id eſt, corã arca teſtamenti vel teſtimonij. Ita ta-
mẽ vt corã ponatur pro intra, hoc eſt, intra arcã quæ teſtimoniũ vocatur Iſraëlis, propter tabulas fœderis, & quæ
mox poſt acceptam legẽ formari iubetur. Ita tamẽ vt omnia quæ hîc dicuntur, ſint per anticipationẽ dicta, quaſi
diceretur poſt cõditum tẽplum & tabernaculũ. Sciẽdum tamen Chaldaicã editionẽ quã recentiores literati ferè
oẽs ſequuntur, aliter locũ hunc legere, quã Latinus Interpres & Septuaginta habeant, nẽpe ſic: Sicut præcepit do-
minus Moyſi, ita repoſuit illud Aarõ corã teſtamẽto in cuſtodiã. Vt clauſula illa, ſicut præcepit dominus Moyſi,
non cũ ſuperiùs dictis, ſed cũ his quæ hîc dicũtur cõiungatur. Et fortè huic lectioni nec repugnãt Hebraica, quæ
ante dictionẽ בְּאֲשֶׁר Caaſer habẽt colum, id eſt, ſophpaſuk, & poſt dictionẽ מֹשֶׁה Moſe habẽt coma, hoc eſt, Ath- L
nach. Quorũ primũ in fine clauſulæ præcedẽtis ante nouæ inchoationẽ, ſecundũ verò in medio poni cõſueuit, vt
apud nos ſunt punctus, & virgula, quæ tamẽ apud Hebraicarũ literarũ peritos magis probabuntur. *Filij autẽ Iſrael*
*comederũt man quadraginta annis, donec venirẽt in terrã habitabilẽ.* AVGVSTINVS IN QVAEST. SVPER EXO-
Quæſt.62. DVM. Significauit ſcriptura per prolepſim, id eſt, hoc loco cõmemorãdo quod etiã poſtea factum eſt, nõ ediſſe
filios Iſraël in eremo niſi mãna. Hoc eſt enim quod ait vſq; ad terrã quæ inhabitatur, id eſt, quæ iam non eſt ere-
mus, nõ quia cõtinuò vt venerunt ad terrã habitabilẽ, deſtiterunt veſci manna, ſed quia nõ antè. Traiecto enim
Iordane ſignificatur mãna ceſſaſſe, vbi panes terræ mãducauerunt, quãdo ergo ingreſsi ſunt habitabilẽ terram,
antequã tranſierunt Iordanem, vel tantũ manna veſci, vel vtroque cibo potuerunt. Hoc quippe intelligi poteſt,
quãdo ceſſaſſe manna non dicitur niſi Iordane traiecto. Cur autẽ in illa eremi inopia etiã carnes deſiderauerint,
quãdo de Aegypto cum ſuis valde multis pecoribus exierunt, magna quæſtio eſt. Niſi fortè dicatur, cũ per eremũ
paſcua tãta nõ eſſent, & ex eo minor futura videretur fœcunditas pecorũ pepercíſſe illos pecoribus, ne omnibus M
deficiẽtibus etiã ſacrificiis neceſſaria defuiſſent, vel ſi quid aliud dici poteſt, vnde quæſtio iſta ſoluatur. Cõgruẽ-
tius tamẽ creditur nõ eos carnes deſideraſſe, quas de pecoribus habere poterãt, ſed eas quæ deerãt, ex aquis videli-
cet. Ipſas quippe in illa eremo non inueniebãt. Vnde & in illis ortygometra data eſt, id eſt, aues quas coturnices
multi Latini interpretati ſunt, cũ ſit aliud genus auiũ ortygometra, quãuis coturnicib⁹ nõ vſquequaq; diſsimile.
Nouerat enim de⁹ quid deſiderarẽt, & deſideriũ eorũ quo carnis genere ſatiaret. Sed quia ſcriptura cõcupiuiſſe il-
los carnes dixerat, nec expreſſerat cuiuſmodi carnes, ideo queſtio facta eſt. IDEM LIB. PRIMO DE MIRA-
*Cap.23.* BILIB. SACRAE SCRIPT. Ingreſsi ergo ſolitudinẽ ſexcẽta ferme milia peditũ pugnatorũ, excepto purgamẽ-
*Pſal.77.* to exercitus, id eſt, innumerabili & ꝓmiſcuo vulgo qđ de Aegypto cõſcẽderat, de⁹ per annos quadraginta, mãna
.i. cœlẽſti pane ſaturauit. Deniq; de illo pane & Pſalmiſta poſtmodũ cõmemorãs, dixit, Panẽ cœli dedit eis, panẽ
angelorũ mãducauit homo. Qui ꝑ noctẽ ſemp excepta nocte ſabbati, cũ rore deſcẽdẽs, circa caſtrorũ locũ cãdoré

niuis



A niuis oſtẽderet. Erat enim (inquit ſcriptura) quaſi ſemen coriandri & coloris bdelij, album quaſi nix. Hoc autem
ſolis ortum ſufferre non poterat, ſed continuò liquefiebat cùm verſa vice collectum, & mola confractum, in
condendis panibus ignis ardorem ſuſtentabat. Et ſi quis in mane alterius diei reſiduum aliquid ex eo relinque-
ret, vermibus ſcatebat. Cùm tamen gomor menſura manna ſanum per longa poſtmodum tempora plena arca
reſeruabat. In quo & mirabili & neceſſario tunc ſigno, exceptis iis quæ ad figuralem expoſitionem pertinent,
ſtudioſis mentibus ſubueniunt quæ ſuæ explanationis illuminationẽ domini adiutorio exigunt. Primùm enim
vtrum panis ſit quæritur. Et quomodo panis Angelorum vocatur. Et ſi cibus ille nihil terrenæ naturæ habuiſ-
ſe deſcribitur, quomodo adhuc in terra poſiti, & vitiis carnalibus ſubiecti, ex eo homines ſuſtentantur? Panis
enim in Pſalmiſtæ prædicto verſiculo, vt diximus, cœleſtis eſſe deſcribitur, qui de nubibus pariter cũ pluuia tri-
buitur. Quæ nubes (vt antè iã diximus) per ſcripturas cœlorũ nomine vocitantur. Panis enim angelorũ cibus ille
B dicitur, non quòd illo angeli qui cibo nõ egent, ſaturentur, ſed quòd per angelorũ miniſterium tale officiũ, ſicut
lex & cętera populo prębebãtur, quæ diſpoſita per angelos in manu mediatoris tribuitur. Qualiter ergo homines
qualeſcunq; ſuſtentare potuiſſet, niſi terrenũ aliquid in ſua ſubſtantia haberet? Sed vnde nubibus manna pluens
terrenam ſubſtantiam habere monſtrabitur, niſi fortè aëris ipſius inferior pars terrenã aliquam naturã retinere
oſtendatur? Quomodo enim auium volantiũ corpora ſufferre valuiſſet, ſi nõ terrenæ ſoliditatis aliquid aër con-
tineret? Quapropter illa ſubſtãtia & nubes fultæ terrę ipſius natura, & in niues & grãdines cõgelaſcunt, qui penè
duritiã lapidum cõtrahũt. Quid igitur hoc capacibus animis repugnat, ſi ſicut nubes grãdinis lapillos cõcipiũt,
ſic & mannæ grana gignere potuerunt, præſertim cũ ad terrã veniens, veluti cum cognito rore, ſi illud ſol ortus
inueniret, quaſi grãdo in terra liqueſcẽs deperiret? Atq; ita fieri poterit, vt mãna in terreni aëris huius partibus ge
nitũ terrenis hominibus præbuerit cibalẽ paſtum. Iſta etenim pars inferior aëris, terra etiã in ſcriptura diuina no
minatur, dum in centeſimo quadrageſimo octauo Pſalmo, Prophetali ſpiritu in domini creatoris laudẽ omnes
C creaturæ incitantur. Sic nanq; cõſummatis his quæ ad ſuperiorẽ ornatum cœli pertinent, cũ ad partes aëris huius
inferiores venitur, taliter ſubinfertur, Laudate dominũ de terra, & cætera, vſq; verbum eius. Ecce nunc craſsiorẽ *Pſal.148.*
nubibus & vaporibus inſertũ aërẽ, terrã Propheta nominauit, & antequã ad inferioris terræ quæ poſteà ſubinfer-
tur ſpatia perueniat. In illa ergo ſuperiori parte terræ vbi grãdo & nix gignitur, naſcebatur manna, & in cibum
inferioris terrę partis hominibus per Angelos adminiſtrabatur. Ex quo facilè diſcitur nõ aliũde extra natu-
ram quæſiſſe, ſed de terra deus victũ præparaſſe, nõ quòd deus quotidie illis panẽ illum cõmunem etiã in deſerto
prætare non poſſet, ſed vt homo paſtus de nubibus ſciret, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo
quod de ore dei procedit. Sicut enim naturæ imperauit vt homo ſaturaretur pane, ita etiã de omni quacunq; re,
ſi ita illi iuſſerit, quomodo habebat, & tunc de nubibus pluuiã victum incolumẽ. CAIETANVS. Filij autẽ
Iſraël mãducauerunt manna, &c. Hinc apparet quòd diximus, videlicet Moyſen aſſumpſiſſe prouinciã ſcribẽdi
in hoc capitulo quæ erãt ſcribenda de manna. Scribit enim hîc vſq; ad quadrageſimũ annum cõtinuè ſubſecuta
D circa mãna. AVCTOR CATENAE. Donec venirẽt in terrã habitabilẽ. Dictionẽ נוֹשָׁבֶת Noſábeth, & ha-
bitabilẽ, & habitandam, & habitatam reddi poteſt. Chaldaica & Septuaginta ſicut Interpres habitabilẽ legunt.
Porrò miraculũ in ſe magnũ eſt, quòd è cœlo filios Iſraël quadraginta annis cibauit, hoc eſt, de ęthere & aëre, quo
declaratur prouidẽtia dei, qui ſuorũ vbiq; ſic curã gerit, vt eis omnino nihil vnquã deſit. *Hoc cibo aliti ſunt vſque-* *Quæſt.63.*
*quo tãgerẽt fines terræ Chanaan.* AVGVST. IN QVAEST. SVPER EXODVM. Alia litera, Mãna ederũt quo-
aduſq; venirent in partẽ Phœnicis. Iam dixerat quoaduſq; venirẽt ad terrã quæ inhabitatur. Sed quia nõ expreſ-
ſerat propriè quã diceret, repetitione videtur quandam proprietatem expreſsiſſe, dicẽdo in partẽ Phœnicis. Sed
tunc illã terram ſic credendũ eſt appellatã, modò enim hoc nõ vocatur nomine. Alia quippe eſt quę Phœnice ap
pellatur regio Tyri & Sydonis, qua illos tranſiſſe nõ legitur: quanquã ſcriptura fortaſſe potuerit terrã Phœnicis
appellare, vbi palmarũ arbores iam eſſe cœperant poſt eremi vaſtitatẽ, quoniã palma Græcè ſic appellatur. In ini-
tio enim profectionis ſuæ inuenerant locum vbi ſeptuaginta palmarũ arbores fuerant, & duodecim fontes, ſed
E poſtea eos excepit eremi prolixitas, vbi tale aliquid nõ fuit, quouſque venirent ad loca quæ colebantur. Verũ ille
ſenſus eſt probabilior, vt credamus ſic appellatam tunc fuiſſe terrã. Multarum enim terrarum & locorum, ſicut
fluminũ & vrbium, nomina certis exiſtentibus cauſis antiquitate mutata ſunt. CAIETANVS. Hoc cibo
aliti ſunt vſquequo tangerent fines terræ Chanaan. Nõ potuit plus rei geſtæ ſcribere, quia ipſe mortuus eſt ante-
quam populus trãſiret Iordanẽ, ſed Ioſue capite quinto ſcribitur, quòd etiam poſt trãſitum Iordanis veſcebãtur
manna vſque ad tempus nouarum frugum, ita quòd vſque ad paſcha aliti ſunt manna poſt trãſitum Iordanis.
AVCTOR CATENAE. Hoc cibo aliti ſunt vſquequo tangerent fines terræ Chanaan. Non diſcrepat hæc
verſio à ſenſu Hebraico. Ibi enim legitur אֶת חֲמִשִּׁים אַמָּה אֶל קְצֵה אֶרֶץ כְּנָעַן Et haman áchlu had boam el
keze erez Chenáan, Man comederũt donec venirent in fines ſiue confinia terrę Chanaan. Sic habet & Chaldai-
ca. *Gomor autẽ decima pars eſt ephi.* HIERONYMVS IN ESAIAM. Batus cõtinet tres amphoras, & ephi *Cap.5.*
quod Septuaginta μέτρα τρία, id eſt, tres menſuras interpretati ſunt, tres modios. Batus autẽ in liquidis ſpeciebus
F dicitur, & ephi, ſiue epha eiuſdẽ menſuræ in aridis, ſicut in Ezechiel iuxta Hebraicum legimus, Ephi iuſtũ, & ba-
tus iuſtus erit vobis, ephi & batus æqualia, & vnius menſuræ erunt, vt capiat decimam partem cori batus, & de-
cimam partem cori ephi. RABANVS. Ephi menſura eſt trium modiorum vt in libro Ruth oſtẽditur, &
gomor menſura eſt Atticorũ Chœnicum trium, vnde & in Leuitico & in Numerorũ libro, quotienſcunque de-
cima pars ephi in ſacrificio exhiberi iubetur, menſura gomor expenſa intelligitur. CAIETANVS. Le-
gendum eſſet homer & epha, & ſunt nomina menſurarum incertæ nobis quantitatis. Sunt autem menſu-
ræ non pondere, ſed capacitate, non liquidorum, ſed ſolidorum, quemadmodum modius & ſimiles men-
ſuræ. AVCTOR CATENAE. Gomer decima pars ephi. Hoc latè exponit diuus Hieronymus, At He-
bræi quidã dicunt eſſe id quod à nobis appellatur modius. Septuaginta hoc in loco ipſum ephi hoc modo expo
nũt, τὸ δὲ γόμος δ' ἑκατοστὸν τριῶν μέτρων ἐστίν, hoc eſt, gomor erat decima pars triũ menſurarũ. Videtúrq; intellexiſſe
tres modios per tres menſuras, nam loco triũ menſurarũ, ponitur ephi Hebraicè. Chaldaica verò editio ita legit,

Gomor autẽ erat decima pars triũ ſatorũ. Ex quibus omnibus videtur innui, quòd tres amphoræ, tres modij, tres G
menſuræ, tria ſata, batus & ephi, vnum & idem ſint, videlicet decima pars cori, horum autem partem decimam
contineat ipſum gomor. Menſuræ autem ſecundum loca, tempora & gentes tam variæ ſunt, vt nihil certi facilè
de his rebus poſsit conſcribi, præter ea quæ iam paſsim leguntur à pluribus eruditè tractata, continuò tamen ho-
*Myſticè.* minum auaritia & impoſturis menſuræ mutantur.

AVCTOR CATENAE. Quid per manna ſignificatum ſit Chriſtus exponit Ioannis ſexto, dicens ſe eſſe
panem verum, qui de cœlo deſcendit, vt quicunque ex eo ederit, vitam ſit habiturus æternam. Qui manna co-
medebant, moriebantur, qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic eſt cibus animarum fidelium, quo
ſuſtentantur ad vitam ſemper duraturam, quo reficiuntur conſcientiæ piorum. Arcula autem illa in qua man-
na ſeruatur, eſt Chriſti domini noſtri ſacroſancta humanitas, in qua corporaliter diuinitas habitat, quæ panis eſt
vitæ, ſeruatúrque coram domino in terra promiſsionis in tabernaculo ſancti ſanctorum non facto manibus, H
hoc eſt, in dextera dei patris. INTERLINEARIS. Vel manna eſt ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramen-
tum, quòd Aaron ponit in tabernaculo reſeruandum, id eſt, ſancti domini ſacerdotes in Eccleſia in æternam
paſsionis dominicæ memoriam. Quo per quadraginta annos in deſerto veſcuntur filij Iſraël, donec veniant in
terram habitabilem, hoc eſt, fideles toto tempore præſentis vitæ quo ſecundum nouum & vetus Teſtamentum
viuũt (quater enim decem quadraginta fiunt) ſuſtentantur ſpiritaliter, donec ad terram viuentium perueniant,
*Cap.34.* vbi in quiete habitant ſancti, huius ſeculi deſerto tranſmiſſo. CYRILLVS LIBRO TERTIO SVPER
IOANNEM. Dixítque Moyſes ad Aaron, Sume vas aureum vnum, mitte ibi manna, &c. Ex admiratione
iam exclamauerim, O profunditatem diuitiarum ſapientiæ, ac cognitionis dei. Incomprehenſibilis nempe in
ſcripturis ſapientia latet, & magna profunditatis altitudo in ipſis inuenitur. Conſidera, oro, diligentiùs, quid in
hac vltima particula reconditum eſt. Nam quoniam verum manna illo ſenſibili figuratus eſt Chriſtus, neceſſa-
riò nunc docet, qua gloria & virtute plenus eſt qui Chriſtum in ſeipſo recondit, qui Ieſum in corde per verita- I
tem ac fidem rectam fixum firmiter gerit. Audis enim quomodo vas aureum per Aaron impletur manna, & co-
ram deo ad perpetuam conſeruationem reponitur. Pia enim, ſanctáque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ
totum in ſeipſa cœleſtem theſaurum condidit, pretioſum atque aureum vas eſt, & à pontifice omnium deo pa-
tri offeretur, ſeruabitúrque in conſpectu eius in æternum. Meritò igitur inflatos Moyſis doctrina Iudæos, pu-
tantéſque ab eo manna datum priſcis fuiſſe, nec aliquid vltra figuram intelligentes, Chriſtus redarguit, dicens,
Amen dico vobis non Moyſes dedit vobis manna. Oportebat enim omnino illos miniſtrum ſolummodo fuiſſe
*Cap.36.* Moyſen non ignorare, res enim ipſa nõ potuit hominis opus eſſe, dei ergo fuerat munus, quo cœleſtis panis, non
vnius gentis, ſed totius mundi vita ſignificabatur. IDEM. Illud etiam ſcire oportet, quòd quadraginta in-
*Ioſue.5.* tegris annis Moyſe adhuc viuente, manna illud ſenſibile Iudæis largiebatur à deo, ſed poſtquam Moyſes diem
ſuum obiit, & ductor populi Ioſue factus eſt, Iordanéque traiecto, lapideis circunciſi gladiis, pane nutriti ſunt,
non amplius manna pluente deo. Hinc ſignificatur quia cùm Moyſes naturæ conceſſerit, id eſt, quando legalis K
*Matth.1.* cultus figuræ ad exitum venerint, Chriſtus verus Ieſus atque ſaluator nobis apparuit, qui ſaluum fecit populum
ſuum de peccatis eorum. Et tunc nos Iordanem tranſgreſsi ſpiritalem circunciſionem doctrina duodecim lapi-
*Zach.9.* dum, id eſt, diſcipulorum Chriſti accepimus. De quibus ſcriptum eſt, quòd lapides ſancti voluũtur in terra, om-
nem enim orbem terrarum peragrarunt illi, qui nos circũciſione non manufacta, ſed ſpiritali per ſpiritum ſan-
ctum circunciderunt. Quando igitur ad regnum cœlorum per Chriſtum vocati ſumus (non enim aliud ſignifi-
cat Iudæorum in repromiſsionis terram ingreſſus) tũc & manna ſenſibile deſiit. Non enim literali amplius legis
ſenſu, ſed cœleſti pane, id eſt, Chriſto ad vitam æternam nutritur, & morte deſtructa dei participes, gratia ſancti
*Ser.34. de Quadrag.* ſpiritus, & communicatione corporis domini efficimur. AMBROSIVS IN SERMONIBVS. Videa-
mus ſi in ſcripturis myſticum ſanctæ quadrageſimæ numerum poſsimus inuenire. Legimus quòd ſanctus Moy-
ſes in eremo quadraginta annorum curriculo filios Iſraël cœleſti manna nutrierit. Bonus ergo numerus qui ſem
per cœlum aperit. Bonus (inquam) numerus per quem iuſtitia Noe ſaluatur, & Iſraël filij ſaginantur. Vnde & nos L
obſeruemus hunc numerum, vt aperiantur nobis cœli, quatenus & pluuia nos gratiæ ſpiritualis irroret, & ſpiri-
tualium ſacramentorum manna reficiat. Inſtar enim patrum noſtrorum hac obſeruatione quadrageſimæ & iu-
ſtificamur & paſcimur. Iuſtificamur lauacro, paſcimur ſacramentis. Sed dicet aliquis filios Iſraël in Eremo quã-
do manna ſaturati ſunt minimè ieiunaſſe. Ego autem dico illos non niſi abſtinentiæ tũc vacaſſe, atque ideo cœ-
leſtis alimoniæ gratiam meruiſſe. Primùm quia deſertum omne ieiunium eſt, quia anxietas ſolitudinis concu-
piſcentiam repellit eſcarum, deinde in Eremo vnde accuratæ epulæ? vnde vina precioſa? vnde quadraginta an-
norum tempore qualiſcũque ſubſtantia? Intelligimus ergo ieiunaſſe filios Iſraël, quia cognoſcimus illis eſcarum
copiam defuiſſe, & tunc ſumpſiſſe cibum, quando largienti domino placuiſſet: ſatis autem diu ieiunat, qui cum
Chriſti voluntate ſe reficit. Vſqueadeo verò abſtinentia filiorum Iſraël in eremo placuit ſaluatori, vt quorun-
dam etiam inter ipſos intemperantia notaretur, ita vt quiſque auidior duplũ mannæ cibum ſibi collegerat, hic
hac iniuria feriretur, vt nõ tam cibum ſibi inueniretur ſeruaſſe quàm vermes, ſcilicet, vt quia ſupra moderatam M
refectionem concupierat, velut ſtimulis quibuſdam conſcientiæ in morem vermiũ vrgeretur. Igitur & nos fra-
tres, obſeruantes quadrageſimæ quotidiana & moderata ieiunia, & tanquam in eremo conſtituti, nihil delitia-
rum ſecularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo ſollicitet. Simus ſobrij, ſimus caſti, ha
bentes quidem conuerſationem in vrbibus, poſsideamus mente deſertum. Si ita abſtinẽtes egerimus, erit vt cœ-
leſtis mannæ reficiamur alimonia, & nullis vermium ſtimulis compungamur.

IN



A IN DECIMVMSEPTIMVM EXODI CAPVT, ARGVMENTVM.

*Veniunt in Raphidim. Murmurantibus datur aqua de petra. Vincunt Amalechitas orante Moyſe.*

CAPVT XVII.

B IGitur profecta omnis multitudo filiorũ Iſraël de deſerto Sin per mãſiones ſuas iuxta ſer- *Lectio prima.*
monẽ domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui
iurgatus cõtra Moyſen, ait, Da nobis aquã ad bibendũ. Quibus reſpõdit Moyſes, Quid iur-
gamini contra me, & cur tentatis dominum? Sitiuit ergo ibi populus pro aquæ penuria, &
murmurauit cõtra Moyſen, dicẽs, Cur feciſti nos exire de Aegypto, ut occideres nos & li-
beros noſtros, ac iumenta ſiti? Clamauit autẽ Moyſes ad dominũ, dicens, Quid faciã populo
huic? Adhuc paululũ & lapidabit me. Et ait dominus ad Moyſen, Antecede populũ, & ſu-
me tecũ de ſenioribus Iſraël, & uirgã qua percuſsiſti fluuiũ tolle in manu tua, & uade. En ego ſtabo coram te ibi
ſupra petram Horeb, percutiéſque petram, & exibit ex ea aqua ut bibat populus. Fecítque Moyſes ita coram ſe-
nioribus Iſraël. Et uocauit nomen loci illius tentatio, propter iurgium filiorum Iſraël, & quia tentauerunt domi-
num, dicentes, Eſt ne dominus in nobis, an non?

ISIDORVS. Poſt manna populus queritur ob ardorẽ ſitis, & fons de petra erupit. Hãc ergo hiſtoriã nunc *Lect.1.*
proſequitur, inquiẽs: *Igitur profecta omnis multitudo filiorũ Iſrael de deſerto Sin per mãſiones ſuas iuxta ſermonẽ domini, caſtrametati*
*ſunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo.* HIERONYMVS FABIOLAE. Vndecima mãſio eſt iſta
C quæ hîc ponitur, Nona quæ fuit in Daphca, & Decima quæ in Alus prætermiſsis, vt in Numerorũ libro legitur. *Cap.33.*
Creditúrq; & hæc in Sin eremo cõtineri, hoc eodẽ hîc narrante libro, Profecta eſt omnis multitudo filiorũ Iſraël
de eremo Sin per manſiones ſuas iuxta os domini, & venerunt Raphidim. Ex quo perſpicuũ eſt, plures mãſiones,
eiuſdẽ regionis vocabulo demonſtrari. IDEM DE LOCIS HEBRAICIS. Raphidim ergo locus in
deſerto, iuxta montẽ Horeb, in quo de petra fluxere aquæ, cognominatúſq; eſt tẽtatio, vbi & Ieſus aduerſus Ama-
lech dimicat, prope Pharan. CAIETANVS. Parui refert quòd in Hebræo motiones ſignificãtur mãſionũ
loco. Et narratur per hoc quòd de deſerto Sin non immediatè venerunt in Raphidim, ſed pluribus intermediis
motionibus ſeu mãſionibus. Vt enim patet Numeri trigeſimo tertio duæ mediæ mãſiones fuerunt inter deſertũ
Sin & Raphidim. Iuxta (inquit) ſermonẽ domini. Cùm multifariã multíſq; modis loquatur deus, modus loquẽdi
in propoſito erat ipſe motus columnæ. Per quietẽ ſiquidẽ columnæ dicebat deus populo vt quieſcerent, per mo-
tum autẽ & iter columnæ dicebat vt mouerentur, & ſequerẽtur columnam. AVCTOR CATENAE. Per
D manſiones ſuas. Hebraicè eſt לְמַסְעֵיהֶם Lemashehem. Et dictio eſt Maſehe in plurali, à verbo Naſaha deſcendens,
quod pergere & proficiſci ſignificat. Vnde per profectiones ſuas, nõnulli verterũt, id eſt, per dietas ſuas, & alij, per
turmas ſuas. Septuaginta autẽ, κατ' παρεμβολὰς αὐτῶν, id eſt, per caſtra ſua, habent. Chaldaica vt apud nos. Sed hoc
parum eſt. Iuxta ſermonẽ domini. Hebraicè eſt עַל פִּי יְהוָה Hal pi Iehoua, Secundũ os domini, id eſt, iuxta præce-
ptum domini. Hebraiſmus, quẽ etiam rectè Interpres reddidit, & Chaldaica, Iuxta verbũ domini, ſic & Septua-
ginta. Omnis itaq; eremus (vt ait Hieronymus) vſq; ad montẽ Sinai, Sin vocatur, & ex tota prouincia etiã locus
vnius mãſionis nomen accepit. Feſtinat autẽ ſcriptura ad deſcribendã legis lationẽ. Quare intermittit aliquot
mãſiones, eas videlicet, in quibus nihil memorabile geſtũ eſt. Nã ſi volueris exactum numerũ & ordinẽ manſio-
num habere, requirẽdæ ſunt in Numeris capite trigeſimo tertio. *Qui iurgatus contra Moyſen, ait, Da nobis aquã ad biben-*
*dum.* Vel vt eſt in Hebræo & Chaldęo codice, Date nobis. Tu ſcilicet Moyſes & Aaron, תְּנוּ Tenu ſiquidẽ plura-
lis Imperatiuus eſt à verbo Nathan. Quãtò plura beneficia capiũt inertes, tãtò magis murmurãt ingrati. Exẽplar
E perpetuũ ingratitudinis præbẽt Iudæorum patres. *Quibus reſpondit Moyſes, Quid iurgamini cõtra me, & cur tentatis dominũ?*
HVGO DE SANCTO VICTORE. Tẽtare deum, eſt eum poſtulare aliquid ad experiendũ an deus homi-
nẽ diligat ex aliqua diffidẽtia. CAIETANVS. Duo mala cõmiſit hic populus. Alterũ iurgij aduerſus Moy-
ſen, alterũ tentationis aduerſus deũ, dicẽdo (vt inferius explicatur) eſt ne deus in nobis, an nõ? Et propterea Moy-
ſes hæc audiẽs, arguit eos, cur tentatis ſummum deum? Verè enim tentabant, vertendo in dubium propter penu-
riam aquæ vtrum deus eſſet gubernator eorum, & exigendo notitiam huius dubij tanquã debitam experimen-
to prouiſionis aquæ. Debebant enim viſis tot miraculis, humiliter & cõfidenter recurrere ad deum ſupplicibus
precibus, vt daret eis aquam. AVCTOR CATENAE. Hîc gratia dei & patientia luculentiùs fidelibus
commendatur. Et mãſuetudo Moyſi neceſſaria prælatis Eccleſię docetur, vt ſit ſine intermiſsione parata, nõ ſine
cõmoda ſeueritate, qua & nunc alloquitur murmuratores, dicens, Cur tẽtatis dominum? Cur exaſperatis & irri-
tatis, experiri volentes ipſius potentiam & clementiam, ſi potum quoque ſuppeditare poſsit in eremo ſicut panẽ
F & carnes. Quaſi dicat Moyſes, Vos ingrati eſtis, & obliti beneficij à deo accepti, num ſcire certò deberetis atq; cre
dere, deum eſſe omnipotentem, & ita non deſerturum vos? Vbi obſerua, murmuratores appellari tentatores dei.
*Sitiuit ergo ibi populus pro aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſen, dicẽs, Cur feciſti nos exire de Aegypto, vt occideres nos & liberos no*
*ſtros, ac iumẽta ſiti?* RVPERTVS. Vbiq; murmurationes ac iurgia, & beneficia dei ſpõte veniẽtia, nulla prẽueniũt
merita. Nõ ergo ille populus glorietur cp pro ſuis meritis magnificauerit eũ, vel honorauerit domin°. Nã magni-
ficentiã & honorẽ non ſolũ nõ promeruerũt, ſed cõfuſione & opprobrio dignos ſe fecerũt. Obſtruatur ergo omne *Rom.3.*
os, & ſubditus fiat oĩs mũdus deo. Quę enim vel in hac parte diſtinctio Iudæi & Greci? Oẽs peccauerũt, & egent *Deut.9.*
gloria dei. Primus Moyſes dicit, Ne dicas in corde tuo, propter iuſtitiã meã introduxit me deus, vt terrã iſtam
poſsiderẽ. Itẽ, Scito igitur quòd nõ propter iuſtitias tuas dominus deus dederit tibi eã, cũ duriſsimæ ceruicis ſis *Pſal.13.*
populus. Ex eo die quo egreſſus es ex Aegypto, ſemper aduerſus dominũ deũ tuũ in ſolitudine cõtendiſti. Et Da- *Rom.3.*
uid omnes (inquit) declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnũ. Scimus

(inquit Apostolus) quoniam quæcunquæ lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, &c. Sola igitur glorificetur G
gratia dei, quæ tunc murmurantibus Iudæis contra dominum, & iurgia concitantibus, & manna de cœlo, & aquam de petra produxit. AVCTOR CATENAE. Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria. Rectè expressit vim Hebraicę dictionis לִמַּים Lamáim, Propter aquā, siue aquā, hoc est, penuria aquæ, quasi dicat magna siti pressus fuit ibi populus, quod aquæ deficerent. Chaldaica etiam vt Latina legit editio, Propter aquarū penuriam. Cur fecisti nos exire de Aegypto? Iuxta Hebræum legitur וְזֶה הֶעֱלִיתָנוּ Ze hehelithánu, Sic ascendere fecisti nos? sed in idem redit cum litera nostra. Parui etiam refert quòd secūdum Hebræos & Chaldaicam quoque editionem, ita locus sequens legitur, vt occideres me & liberos meos, ac iumenta mea siti? Nam Septuaginta hoc in loco sequutus est Interpres, qui & ipsi omnia hæc per pluralem numerum ediderunt. Non simpliciter murmurat populus ingratus, sed calumniatur denuo, quasi temerè eduxerit eos Moyses, & sua præsumptione ex Aegypto, quos nunc velit occidere siti, id quod præmeditatus agere debuerit, & præuidisse cuncta. Non credentes in- H
terim verbo dei, tot signis continuò editis ad ipsorum salutem & confirmandam fidem, vt discamus quid miracula possint apud infideles, & vt fideles non egeant illorum. Cur fecisti nos exire de Aegypto, & cætera, quasi dicant, Quid nos inanibus verbis de præsentia dei & auxilio eius lactas? Si deus eduxisset nos ex Aegypto, & nobiscum præsto adesset, qui fieret, vt tot obiiceremur aduersis, cur toties siti affligeremur? Quare nō credimus nec deum nos ex Aegypto eduxisse, nec præsto adesse, nisi manifestè sese nobis reuelet, & palàm vel miraculo aliquo præsentiā suam declaret, & aquam nobis dederit. Hæc est stupenda incredulitas, & horribilis tentatio dei. Quid igitur admirabilis ille dei seruus? conuiciis lacessitus, iurgiis impetitus, blasphemiis deturpatus, quid (inquam) in tanta afflictione facit? Ad solita recurrit confugia, ad dominum suum supplex festinat. Vnde sequitur, *Clamauit autem Moyses ad dominum, dicens, Quid faciam populo huic? Adhuc paululum & lapidabit me.* GREGORIVS IN

*Hom.17. Hier.8.* HOMILIIS. Cùm Iudæa conditoris sui iustitiam culpis exigentibus offendisset, Prophetam suum ab ora- I
tione dominus prohibet, dicens, Non assumas laudem & orationem pro eis. Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est quòd intermissis, relictisque tot patribus, soli Moyses & Samuel ad medium deducuntur, quorū mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ac si apertè dominus dicat, Nec illos audio quos propter magnum petitionis suæ meritū minimè contemno. Quid ergo est quòd Moyses & Samuel cæteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quòd hi duo tātummodo in cuncta testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis dominum deprecatur. Alter ex principatu eiicitur, & tamen petitus

*1.Reg.12.* vt exoraret, fatetur dicens, Absit à me hoc peccatum in domino, quominus cessem orare pro vobis. Si Moyses & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populū istum. Ac si apertè dicat, Nec illos modò pro amicis audio, quos magnę virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo verę orationis est, celsitudo charitatis. Et tunc quisque quod rectè petit, adipiscitur, cùm eius animus in petitione nec inimici odio fuscatur. CAIETANVS. Non simpliciter autem supplicauit Moyses, sed adhibito cordis clamore, vt ex toto animo K
orasse intelligatur. AVCTOR CATENAE. Vltimum refugium iustorū in angustiis est clamare ad dominum, qui non deserit sperantes in ipsum, & conquerentem iniurias cum fiducia. Nec propter calumnias ingratorum deferenda est Ecclesia, persistendum est enim, & domino causa committenda. *Et ait dominus ad Moysen: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel, & virgam qua percussisti fluuium tolle in manu tua, & vade.* AVGVSTI-

*Locut.44. Quæst.64.* NVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Et virgam in qua percussisti flumen accipe in manu tua, sic enim est apud Septuaginta. In qua percussisti dixit, pro eo quod dicimus, de qua percussisti. Et est ista locutio creberrima in scripturis. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Flumen autem Aaron legitur, non Moyses virga percussisse. Nam Moyses eadem virga mare diuisit, non flumen. Quid sibi ergo vult, Accipe virgam in qua percussisti flumen? An fortè mare appellauit flumen? Quærendum exemplum locutionis huius, si ita est, an quod Aaron fecit, Moysi potiùs tribuendum est, quia per Moysen deus iubebat quæ faceret Aaron, & in Moyse auctoritas, in illo autem ministerium fuit? quandoquidem & in primis suis verbis L
deus hoc illi ait de fratre suo, Erit tibi ad populum, tu illi in his quæ ad deum. CAIETANVS. Antecede populum. Iuxta Hebræum habetur, Transi coram populo, &c. Dixerat Moyses adhuc paululum & lapidabūt me, respondet deus, ne timeas, transi per medium populi, hoc enim sonat Hebraica dictio, transi faciebus populi, hoc est, inter facies hinc & inde populi, adiunctis tecum senioribus, & assumpta virga diuina. AVCTOR CATENAE. Antecede populum. Hebraica ipsa sunt עֲבֹר לִפְנֵי הָעָם Habor liphne haham, Transi coram populo. Sic habet & Chaldaica, Id est, per medium illorum vade. Aliqui, Transi ante populum vertūt, quod est id quod ait Interpres, Antecede populum, sic legunt & Septuaginta. Populum enim præire debet fidelis dux, & non præmittere, nihil sine consensu & fauore seniorum tentare, si modò velit proficere cum fructu, & perficere feliciter coepta. Non Moyses fluuiū percusserat, sed Aaron, iam ergo Moysi virga, iam Aaron, iam denique virga dei nominatur. Ex præteritis factis tuis (inquit) si non populus credit, tu saltem ne dubites te perfecturū quæ promitto futura. Gestanda est virga propriis manibus, quia nondum satis auctoritatis assequutus fuerat ad populum, qui M
tardè nimis illi obsequebatur & credebat: tanta est tarditas vulgi ad obsequiū præceptorum. *Ego ecce stabo coram te ibi supra petram Horeb, percutiésque petram, & exibit ex ea aqua vt bibat populus.* AMBROSIVS DE HELIA ET IE-

*Ps.5.* IVNIO. Moysen cognouimus sitienti populo amaritudines aquarū temperasse, non vina. Cui petra aquam vomuit, potuit & vini abundantia non deesse. Denique dixit deus, percuties petram, & exiet aqua ex ea, & bibet populus. Non dixit exiet vinum populo, periculosum enim era vinum populo ministrare, quod fortiores ferre vix possent. HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Choreb mons dei in regione Madian, iuxta montem Sina supra Arabiam in deserto, cui iungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur, quòd duplici nomine idem mons, nūc Choreb, nūc Sina vocetur. CAIETANVS. Quia nescimus Choreb, nisi montem Oreb communiter appellatum, ideo rupes hæc in Choreb intelligenda est, & non in Raphidim. Erat enim vicinus mōs Choreb loco Raphidim, vt patet ex eo quòd immediatè



A diatè ex Raphidim iuerunt in solitudinem Sinai. Et quidem quòd rupes hæc distaret, litera testatur, narrando quòd deus misit Moysen dicendo, vade tu cum senioribus per medium populi transeundo, & quia Moyses percussit saxum illud non coram populo, sed coram senioribus, credibile est quòd rupes ista fuerit vicinior loco de Raphidim, quàm mons Choreb. Sed quia erat in territorio denominato à monte Choreb, ideo nuncupatur petra in Choreb, non enim solus mons denominatur Choreb, sed etiam solitudo annexa denominatur à Choreb. Et sic iudicio meo intelligenda est litera hæc, ita quòd aqua ex illa rupe fluxit versus Raphidim ad commoditatem Israëlis, dei enim perfecta sunt opera. AVCTOR CATENAE. Ecce ego stabo. Hebraicè est עָמַד Homed, sto, sed præsens est pro futuro, vnde optimè vertit Interpres. Nam sic habent & Chaldaica, & Septuaginta. Quod etiam apud nos est, supra petram, dictionem עַל hal, aliqui vertunt, iuxta, sicut legit & Chaldaica. Septuaginta vt apud nos. Sed hoc parum est. Percutiésque petram, scilicet quæ est in Horeb, à qua vndæ in Raphidim
B fluere possent. Iubetur ergo Moyses astante deo (nimirū columna nubis deum repræsentante) percutere petram, ne gratia tanti beneficij homini & non deo transcribatur. Vtq; Moyses non sui ipsius obliuisceretur edendo miraculum, sed ob oculos deū cerneret præsentem, ne superbiret de propriis viribus. *Fecitque Moyses ita coram senioribus populi.* MAXIMVS THAVRINENSIS EPISCOPVS. Non dubitādum fratres charissimi, quia *Hom. 1. in epiphan. domini.* ipse dominus saluator aquas in nuptiis traduxit in vinum, qui eas ab initio concreuit in niues, durauit in glaciem, Aegyptiis vertit in sanguinē, & Hebræis sitientibus manare arida de rupe præcepit, quæ innumerabilium multitudinem populorum, stillicidio noui fontis, vice maternorum huberum nutriebat. Quid primùm stupeas? quid mireris? vinum de aqua, an aquam de petra? Sed nulla te quicunque inter ista cunctaris infidelitas turbet, quod dubium non est ad nutum creatoris creaturarum elementa pendere. Aut cur non credamus virtute dominica vinum fieri potuisse de aqua, cùm nobis operante deo fomentis imbrium, terræ de gremio per ministeria
C vinearum aqua surgat in vinum? IDEM. Sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit è petra, ita *Hom. 1. apò sfiolorū Petri & Pauli.* vniuerso mūdo perfidiæ ariditate lassato, de ore petri fons salutiferæ confessionis emersit. AVCTOR CATENAE. Fecitque Moyses ita coram senioribus populi, siue Israël. Seruus quidem domini percutit vt iubetur, dominus autem præbet creando aquas, non ad horam nec pauculas, sed donec indigeret populus pro se & iumentis, & donec loco adessent. Interim tamen miraculum cernitur quidem fieri à senioribus, non à tota plebe, quæ non est mota de loco castrorum (nam Moyses cum senioribus duntaxat iuit ad locum sibi monstratum à deo) licet omnibus ederetur. Populus enim Prophetis & senioribus credere debebat, qui ob ingratitudinē, dei opus cernere non merebatur. Memorabile quidem miraculum, cuius etiam scriptura in multis locis meminit. *Et vocauit nomen loci illius tentatio, propter iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt dominum, dicentes, Est ne dominus in nobis, an non?* CAIETANVS. Deficit & iurgium, nam Hebraicè legitur, Et vocauit nomen loci illius tētatio & iurgium. Et vtriusque nominis ratio subiungitur præpostero ordine, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt
D dominum, dicentes, Est ne dominus in nobis, an non? Parui refert quòd in Hebræo habetur, In prope nos, quoniam sensus in idem redit: loquuntur enim ad similitudinem humani principis, an dominus sit prope eos gubernando & prouidendo. Aduerte hîc, quòd ista aqua tentationis & iurgij, non est illa aqua quæ vocatur aqua contradictionis, in qua Moyses & Aaron peccauerunt, vt patet ex temporum differentia, nam hæc fuit in mansione vndecima apud Raphidim, illa commemoratur in mansione trigesima tertia in deserto Sin apud Cades, hæc fuit antequam populus iret ad Sinai, illa post perfectum tabernaculum. Lege capitulum vigesimum Numeri, & confer cum isto, habita ratione supputationis scriptæ Numeri trigesimo tertio capitulo, & inuenies sic esse vt dicimus. AVCTOR CATENAE. Et vocauit nomē loci illius tētatio. Hebraicè est מַסָּה וּמְרִיבָה Massa vmriba, Id est, tentatio & iurgium. Sic est in Chaldaica & apud Septuaginta. Alij vertunt, Tentatio & lis, siue contentio. Est ne dominus in nobis, an non? Dictio Hebraica בְּקִרְבֵּנוּ Bekirbēnu, propriè in medio nostri redditur, quod nil aliud est quàm in nobis. Quasi dicant, Qua ratione sciemus dominum esse nobiscum? Nomen ergo loci memoriale fit in vastissima solitudine, vbi solem influentiæ gratuitæ oriri facit deus super gratos & ingra-
E tos, bonos & malos. Tentatio autem dicitur & iurgium, quia populus dominum tentauit, & contra Prophetas domini murmurauit, lapidibus saluatorem obruere voluit, speciménque rebellionis contra deum improbis exhibuit in omnia secula, cùm post tot stupenda miracula in Aegypto & solitudine, tamen audet adhuc contradicere vocationi dei, & dubitare de bonitate omnipotentis. Diligenter autem cauetur in scriptura, ne hoc grande scelus Israëlitarum obliuioni detur. Primùm enim ex hoc iurgio & tentatione, publica nomina imponuntur loco huic in quo facta sunt, Massa videlicet & Meriba. Deinde fit mentio huius impietatis in ea lege, quæ datur de non tentando deo, Deuteronomij sexto, Non tentabitis (inquit) Dominum, ne duretis cor vestrum, sicut tentastis in Massa. Et Psalmus nonagesimus quartus, Non obduretis cor vestrum, sicut in Meriba, sicut eo die, quo fuistis in Massa, in deserto. Sic enim Hebræus legit. Commemoratur & in aliis Psalmis, vt Psalmo septuagesimo septimo, & Psalmo centesimo quinto.

ORIGENES ET AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Quoniam omnis qui *Mysticè. Hom.11. Ser.93.*
F vult piè viuere in Christo, persecutionem patitur, & ab hostibus impugnatur, agens iter vitæ huius, semper debet esse armatus, & stare semper in castris, ideo & de populo dei refertur, profecta est (inquit) omnis synagoga filiorū Israël de deserto Sin secūdum castra sua, per verbū domini. Est ergo vna synagoga domini, sed hæc in quatuor castra diuiditur. Quatuor nanque castra describūtur circa tabernaculum domini posita, sicut refertur in Numeris. Et tu ergo si semper vigiles, & semper armatus sis, & scias te in castris domini militare, obserua illud mandatum, quia nemo militans deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Quia si ita milites, vt à rebus secularibus liber sis, & in castris domini agas semper excubias, & de te dicetur, quia per verbum domini exeas de deserto Sin, vt venias in Raphidim. Sin enim tentatio interpretatur. Raphidim verò sanitas iudicij. Qui bene exiit de tentatione, & quem tētatio probabilem reddit, iste venit ad sanitatē iudicij. In die enim iudicij sanus erit, & sanitas cum eo erit, qui in tētatione non fuerit vulneratus. Sicut & in Apocalypsi scriptū est, Qui autem vicerit, dabo ei de ligno vitæ, quod est in paradiso dei mei. Venit ergo ad sanitatē iudicij, qui bene

disposuit

disposuit sermones suos in iudicio. Sed quid est quod sequitur? Sitiit ibi (inquit) populus aquam, & murmura- G
Cap.20. bant aduersum Moysen. CYRILLVS LIBRO OCTAVO SVPER IOANNEM. Meritò reprehenditur populus Israëliticus, duce Moyse in deserto quadraginta annos commoratus, quòd tantis magnalibus & signis dei, in Aegypto, in mari rubro & deserto ostensis, non crediderit, sed rebellis contra dominum, & obmurmurans semper fuerit. Proinde Propheta in Psalmo commonet illius populi filios, ne duræ sint ceruicis, & obdu-
Psal.94. rati cordis in deum, dicens, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea. Huius autem incredulitatis & duritiei imitatores, tanquam hæreditario quodam morbo labefactati videntur Iudæi, coràm quibus dominus tanta ostendit signa, suæ diuinitatis approbatiua, tanta opera quæ loquerentur eum à patre missum, tanta denique miracula, quæ exclamaret eum esse Christum, non tamen credebant in eum. Neq; in hac sohùm credendi tarditate, sed & permultis aliis est comperire, populum Iudæorum sic ad dominum no- H
strum male affectum esse, sicut fuerat populus Israëliticus ad Moysen. Nempe Moyses auctore deo magnalia fecit in Aegypto, mirabilia in mari rubro, & admiranda signa in deserto, quæ tamen populus paruipendit, neque illis ad deum ritè colendum, vt debuit, inductus fuit. Haud aliter Christus multa coram Iudæis fecit miracula: dæmonia eiecit, cæcos illuminauit, mortuos resuscitauit. Sed scribæ & Pharisæi talia signa pro viribus calumniabantur, & dæmoniacæ potestati (quæ sua erat maleuolentia) ascribebant. Rursum Moyses legem dei in monte Sina acceptam populo promulgauit, & quomodo foret obseruanda, latiùs explicuit. Iudicia dei, decreta, & cæremonias sacrificiorum studiosiùs edocuit. Verùm populus auditam & exhibitam legem sæpenumero præuaricatus, contra legislatorem obmurmurationibus, seditionibus, & assiduis querimoniis insurrexit rebellis & duræ ceruicis. Sed nónne Christus legifer noster sedens in monte, legem Euangelicam sacrò ac diuino ore deprompsit, illam assidua in templo & synagogis doctrinæ suæ profusione abundè explanauit? Cæterùm non cessarunt I
Scribæ & Pharisæi sacram eius doctrinam subsannare, irridere palàm, carpere in propatulo, vt falsam, vt insani hominis aut arrogantis de se testimonium perhibentis. Insuper Moyses tam pio erat affectu charitatis in populum, quòd iniuriis ab eo non semel affectus, interpellauit deum obnixè & suppliciter pro obtinenda venia peccati in adoratione vituli conflatilis commissi. Sæpius item iram dei volentis penitùs delere populum ob rebellionem & crebram murmurationem, mitigauit, & effusus diuinæ maiestatis pedibus, rogauit pro salute populi, & completione promissionis factæ de introductione eius in terram illi destinatam. E diuerso populus pro huiusmodi mansuetudine eum nunc verbis contumeliosis infectatus est, atque exacerbauit, nunc verò lapidibus obruere tentauit, semper ex improbitate sua malum pro bono retribuens, vt sacra testatur Exodi & libri Numeri historia. Haud dissimiliter sua eximia benignitate Christus se mediatorem constituit inter deum & homines,
Luc.23. pro crucifigentibus se, vt ipsis ignosceretur, patrem orauit. Non cessauit item quum verbis, tum opere quosuis à via peccatorum reuocare, & in rectam salutis æternæ semitam traducere. Verùm etiam ab æmulis & maleuolo
Matth.11. in ipsum animo affectis Iudæis, Scribis & Pharisæis improperia, conuicia, & cõtumelias in compensationem ac- K
cepit. Homo vorax ab eis & potator vini, peccatorum & publicanorum amicus appellatus est. Neque verbo solùm, sed & opere læsionem illi & iniuriam intentare crebriùs moliti sunt, quum & è summo culmine montis
Luc.4. eum præcipitare, & lapides in ipsum, vt blasphemum, iacere frequentiùs conati sint. Ex quibus omnibus liquidò
Ioan.8. constat, si populi Israëlitici ad Moysen conditionem & affectum pensiculatiùs attendas, illum haud absimilem esse à moribus atque affectione populi Iudaici ad Christum, vt quæ in Moysen facta sunt ab eo populo quẽ edu-
Luc.1. xit de Aegypto, & traduxit per desertum, sint tanquam typus quidam, & figura eorum, quæ postmodum in Christum facta sunt à populo Iudæorum, quem visitauit oriens ex alto. Neque id quidem absurdum, nam omnium cõfessione, Moyses typum expressit & imaginem domini nostri in liberatione populi ex Aegypto, ducatu illius in deserto, & legis latione. Ita planè & Hebraicus ille populus rebellis & incredulus, cui moderando Moyses præfectus est, imago quædam erat atque repræsentatio populi Iudaici, verbis Christi, quæ præsens hausit, & operibus
Esa.65. eius coram conspectis, increduli semper & contrarientis. Vt de ipso meritò conqueratur dominus per Esaiam L
Rom.10. prophetam, dicentem in persona Christi, Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper.
Vbi supra. ORIGENES ET AVGVSTINVS. Videatur autem an fortasse ex superfluo dictũ, quod dixit, quia aquã sitierit populus, sic enim habet antiqua translatio, sufficerat enim dicere quia sitiit, quid opus fuit addere, aquam sitiit? Non est superflua adiectio: sunt enim diuersæ sites, & vnusquisque habet propriam sitim. Sitiunt iusti, sitiũt & peccatores. Illi iustitiam, isti luxuriam. Iusti sitiunt deum, peccatores sitiunt aurum. Qui ergo beati sunt, secũdum verbum domini esuriunt, & iustitiam sitiunt, & alij nihilominus dicũt, Sitiuit anima mea ad te deus. Qui verò peccatores sunt, patiuntur non sitim aquæ, neque famem panis, sed sitim audiendi verbum dei. Idcirco igitur & hîc addit, quia populus sitiit aquam, qui debuit deum sitire, qui debuit sitire iustitiam. Verùm quia deus verè eruditor est infantium, & magister insipientium, corripit culpas, & emendat errores, & dicit ad Moysen, vt sumat virgam, & percutiẽs petram, educat eis aquam. Vult enim eos iam de petra bibere, vult eos proficere & ad interiora venire mysteria. Murmurauerunt enim aduersus Moysen, & propterea iubet dominus vt ostendat eis M
petram, ex qua bibant. Si quis est qui legens Moysen, murmurat aduersus eum, & displicet ei lex, quæ secundum literam scripta est, quòd in multis non videtur seruare consequentiam, ostendit ei Moyses petram, quæ est Christus, & adducit eum ad ipsam, vt inde bibat, & reficiat sitim suam. Sed hæc petra nisi fuerit percussa, aquas nõ dabit: percussa verò fontes producit. Percussus enim Christus, & in crucem actus, noui Testamẽti fontes produxit.
Matth.26. Et propterea dictum est de eo, quia percutiam pastorem, & dispergentur oues. Necesse ergo erat illũ percuti. Nisi enim ille fuisset percussus, & exisset de latere eius aqua & sanguis, oẽs nos sitim verbi dei pateremur. Hoc ergo est quod & Apostolus interpretatus est, quia omnes eundem manducauerunt cibum spiritalẽ, & omnes eundem spiritalem biberunt potum. Bibebant autem de spiritali, sequente eos petra. Petra verò erat Christus. Obserua tamen quòd dixit hoc in loco deus ad Moysen, Antecede populum, & duc tecum maiores natu, id est, præsbiteros populi



A populi. Non solus Moyses ducit populum ad aquas petræ, sed & seniores populi cum ipso. Nõ enim sola lex annunciat Christũ, sed & Prophetæ & Patriarchæ & omnes maiores natu. CYRILLVS. Quid igitur percussio petræ cum virga, nisi Christi domini saluatoris nostri in cruce est exaltatio, ex qua salutis nostræ sacramenta
*Vbi supra. Cap.17.* profluxerunt? Cum verò per huiusmodi exaltationem in cruce eiectus sit princeps mundi foras, cõstat omnibus, per crucis vexillum deuictas esse à Christo dæmoniacas cohortes, vt sicut per lignum vicerat serpens antiquus primũ Adam, vnde in omnes transiuit mors, ita quoq; per lignum idem vinceretur à secundo Adam, vnde nobis profluxit vita omnis & gratia: hinc factum est, vt in laqueo suo comprehensus sit peccator, & suis, vt aiunt, telis confossus. Sanè crux ipsa funda est, qua Dauid Goliath horrẽdum armis & formidabilem visu prostrauit
*1.Reg.17.* humi. Ipsa est signum Thau signatum in frontibus virorum gementium, quo muniti ab interitu erepti sunt, cæ-
*Ezech.9.* teris omnibus interfici iussis. Ipsa (inquam) signum, quo angelus domini signauit seruos dei in frontibus eorum,
*Apocal.7.* B ne inferretur illis exitium aut pernicies. Duo ligna colligens mulier Sareptana, Prophetam domo suscipit, atque
*3.Reg.17.* sine olei farinæq; suæ diminutione aliquandiu victitauit. Cruce insignita mens, cœlesti alimonia, & spiritus san-
*4.Reg.6.* cti gratia affatim pascitur. Ferrum fundo aquæ demersum Helisæus immisso ligno, ad supremam aquæ partem natãs eduxit. Nos ad ima barathri depressos crux sancta subuexit ad astra. Hæc enim est lignũ vitæ quod in me-
*Gen.2.* dio paradisi plantatum esse scriptura cõmemorat, quia ab ipsa viuifica nobis & vitalis medicina processit. Hæc
*Gen.7.* est arca Noe, per quam saluamur à diluuio inundantis aquæ vitiorum, & incolumes seruamur. Hæc est scala Ia-
*Gen.28.* cob à terra in cœlum porrecta, cui dominus innixus est, per quam nobis cœlestia regna conscendere datur. Hæc
*Gen.22.* designata fuit per ligna, quæ humeris suis tulit Isaac, quum immolandus erat in holocaustum, nam Christi hu-
*Exod.12.* meris crux baiulata, totius mundi in se tulit precium. Hæc postibus & superliminaribus domorum Israëlitarum figurata describitur, quæ sanguine agni delibuta, exterminatorem primogenitorum Aegypti ne ingrederetur propulerunt. Hæc est virga Mosaica, quæ mare rubrum percutiens, diuisit aquas, & traducto dei populo, regem
*Exod.14.* C Aegyptiũ cum toto equitatu submersit. Hæc eadem bis silicẽ percutiens, aquam largo fluxu eduxit. Ipsa itidem
*Num.20.* lignum est, quod fluuio Marath immissum, amaritudinem aquæ in dulcedinem conuertit. Ipsius figuram atque
*Exod.17.* formam manibus extentis referens Moyses, superbum Amalech pugnam scientem, atque in populum dei ductantem exercitum, oratione ad deum facta, vicit. Denique ipsa lignum illud est, quo in deserto suspensus ser-
*Num.21.* pens æneus, omnibus ipsum conspicientibus sanitatem à morsu serpentum reddidit. Nam quisquis oculos animi in Christum cruci affixum conuerterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur. Per ipsam denique crucem reddita est salus humano generi, facta est redemptio nostra & reconciliatio. Per ipsam allata est nostro medicina dolori, data est fortitudo & robur homini, vt hac lorica obtectus & galea, intrepidus ineat certamen cum hoste, quem dominus noster crucis salutiferæ beneficio foras eiecit, profligauit omnino, & penitus attriuit.
GREGORIVS NYSSENVS. Mansiones populi Israël quæ deinceps narrantur, & faciles sunt intellectu, virtutes enim mihi significare videntur, in quibus qui nubem sequitur, castrametatur & requiescit. Breuitatis
D causa sponte transgressus, miraculi non obliuiscar illius, quo dura & solida lapidis natura, in aquarum conuersa molliciem, potus sitientibus facta est. Quamuis non sit difficile anagogicæ speculationi seriem historiæ adaptare atque connectere. Nam qui Aegyptium in aquis mortuum dereliquit, & amara ligno crucis dulcia sibi cõfecit, & abundanter ex fontibus Apostolicis bibit, is iam totum Christum suscipit, Lapis enim, vt Apostolo placet, Christus est, siccus & durus nimirum infidelibus, cui si qui virgam fidei adducant, potus fit sitientibus intro in ipsos fluens atque manans. Ego enim & pater meus, inquit, veniemus & mansionem in ipso faciemus. THEODORETVS. Illud Apostoli, Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus: sic intelligi posse mihi videtur. Vetera nouarum rerum erant figura, & lex Moysi vmbra erat, Corpus autem gratia ipsa. Quia igitur Aegyptij Hebræos persequebantur. Hebræi verò rubro mari transiecto ab amara Aegyptiorum seruitute liberati (Typum verò baptismi habet mare, nubes verò spi-
E ritus sancti, Moyses Christi seruatoris, Crucis virga, diaboli Pharao, Dæmonum Aegyptij, Manna diuinæ illius alimoniæ, Aqua è petra salutaris sanguinis) & nouum cibum, & admirabilem liquorem consecuti sunt, eadem ratione nos quoque post salutare lauacrum diuinorum mysteriorum participes effecti sumus. IDEM. Petra Christi nomen adepta est, vt pote quæ Christi domini figuram gerebat, ita & mare baptismus appellatum est, tametsi in eo nullus baptizatus sit, Israël nanque non madidus, sed puluerulentus mare transiuit. ISIDORVS. Eadem ergo petra quæ percussa aquam euomuit, Christi figuram habuit, qno aperto, sacramenta cuncta fluxerunt, ad quem velut virga, lignum passionis accesit, vt emanaret credentibus gratiam. Percussa enim petra, fons emanauit, percussus in cruce Christus, sitientibus lauacri gratiam & donum spiritus sancti effudit. BERNARDVS SVPER CANTICA. Quid igitur non boni in petra hac? In petra exal-
*Ser.61.* tatus', in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra, Anceps est enim & caducũ terrenũ omne. Conuersatio nostra in cœlis sit, & nec cadere, nec deiici formidamus.
F In cœlis petra, in illa firmitas atque securitas est. Petra refugium herinaciis. Et reuera vbi tuta firmáque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus saluatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mentem venerit tam potens támque efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum, qui ait, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam
*Gen.4.* merear. Nisi quòd non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, vt suum præsumeret, suum diceret quod illius esset, tanquam rem capitis membrum. Ego verò fidẽter quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Fo-
*Psal.21.* derunt manus eius & pedes, latúsque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra,
*Psal.80.* oleúmque

oleúmque de ſaxo duriſsimo, id eſt, guſtare & videre quoniam ſuauis eſt dominus. Cogitabat cogitationes G
*Deut.32.* pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? At clauis reſe-
*Pſal.33.* tans, clauus penetrans factus eſt mihi, vt videam voluntatem domini. Quid ni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, quod verè deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Ferrum pertranſiit animam eius, & appropinquauit cor illius, vt non iam non ſciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ dei noſtri, in qui-
*Luc.1.* bus viſitauit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quòd tu domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum miſeratio do-
*Thren.3.* mini. Non planè ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum non fuerit. Quòd ſi miſericordiæ domini
*Rom.5.* multæ, multus nihilominus ego in meritis ſum. Quid enim ſi multorum ſim mihi conſcius delictorum? Nem- H pe vbi abundauit delictum, ſuperabũdauit & gratia. Et ſi miſericordiæ domini ab æterno & vſque in æternum, ego quoque miſericordias domini in æternum cantabo. Nunquid iuſtitias meas? Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu iuſtitia à deo. Nunquid mihi verendum ne non vna
*Pſal.118.* ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breue, quod ſecundum Prophetam non poſsit operire duos. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna iuſtitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem domine quid niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ repoſitæ mihi. Quod magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertè quidem, ſed in
*1.Cor.2.* his qui pereunt. Vt quid enim ſanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem reuelauit deus per ſpiritum ſuum, etiam & apertis foraminibus introduxit in ſancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectióque virtutum? RVPERTVS. Sicut igitur ſola gratia dei tunc murmurantibus, & iurgia concitantibus, Manna de cœlo, & aquam de terra produxit, ſic & nunc blaſphemãtibus Iudæis atque gentilibus, I ita clementer aſtitit, vt panem vitæ (de quo ſupra iam dictum eſt) & aquam ſalutis perpetuæ ori eorum appone-
*2.Cor.5.* ret, rogãtibus interea legatis eius ac dicentibus, Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini deo. Cum pane & aqua occurrẽs nobis inimicis ſuis, cum pane (inquã) corporis ſui, & aqua quam percuſſa petra, id eſt, Chriſtus ipſe crucifixus effudit, nos deo patri in reconciliationem venire depoſcit. Quæ enim petra illa ſit, quæ percuſſa eſt cun-
*1.Cor.11.* ctis ſitientibus, notum eſt Apoſtolo præcinente, Petra autem erat Chriſtus, vnde iam ſuperiùs dictum eſt. Porrò per aquam quæ de petra fluxit, non ſolùm ſanguis intelligendus eſt Chriſti filij dei, ſiue aqua viſibilis quæ de patefacto eius latere cum eodem ſanguine cucurrit, ſed & inuiſibilis gratia ſpiritus ſancti, de qua mulieri Samari-
*Ioan.4.* tanæ ipſe dicit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua quã dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et alibi, Qui credit in me (ſicut dicit ſcriptura) flumina de ventre eius fluent
*Ioan.7.* aquæ viuæ. Hoc autem (inquit Euangeliſta) dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Et continuò
*Ioan.16.* ſubiunxit, Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Ergo niſi petra percuſſa fuiſſet, aqua K non fluxiſſet, id eſt, niſi Chriſtus per paſsionem hinc abiiſſet, ad nos (ſicut ipſe ait) paracletus iſte non veniſſet.

2 *VEnit autem Amalech, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim. Dixítque Moyſes ad Ioſue, Elige uiros, & egreſſus pugna contra Amalech cras, Ego ſtabo in uertice collis, habens uirgam dei in manu mea. Fecit Ioſue ut locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalech. Moyſes autem & Aaron & Hur aſcenderunt ſuper uerticem collis. Cúmque leuaret Moyſes manus, uincebat Iſraël, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues. Sumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex utraque parte. Et factum eſt ut manus ipſius non laſſarentur uſque ad occaſum ſolis. Fugaúitque Ioſue Amalech & populum eius in ore gladii. Dixit autem dominus ad* L *Moyſen, ſcribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Ioſue. Delebo enim memoriam Amalech ſub cœlo. Aedificauítque Moyſes altare, & uocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens, Quia manus ſolius domini, & bellum dei erat contra Amalech, à generatione in generationem.*

2 AVCTOR CATENAE. Vide vt vna ſemper afflictio aliam ſequatur, in his qui in vocatione dei ambulant. Iſraëlitæ erant liberati ex Aegypto ab hoſte crudeliſsimo, conſecuti erant panem in deſerto, bibebant & aquam è petra, adeóque videbantur iam omnes ferè afflictiones euaſiſſe. Sed ecce ſtatim obruuntur tam periculoſo bello, vt extrema totius Iſraëliticæ gentis internitio imminere videatur. Nam Amalech (quæ gens fuit de familia Eſau, Geneſis trigeſimo ſexto) videns Iſraëlitas exitinere defatigatos, fame & labore confectos, bellandi inſuetos, ac propemodum inermes, inuaſit quanta potuit crudelitate extremos agminis Iſraëlitici (quemadmo- M dum ſcribitur Deuteronomij vigeſimo quinto) vt ſic paulatim totum Iſraëlis agmen deleret. Noua ergo calamitas, nouus terror in Iſraël oritur. Ait igitur: *Venit autem Amalech, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim.* ORIGENES. Bellum hîc deſcribitur geſtum cum Amalechitis, pugnaſſe refertur populus dei, & viciſſe. HIERONYMVS DE LOCIS HEBRAICIS. Amalechites, regio in deſerto ad meridiem Iudæ trãs vrbem Petram euntibus Ailam, cuius & ſcriptura recordatur, dicens, Amalech habitat in terra ad auſtrum. Sed & iuxta eum alius Chananæus habitat, qui & dimicauit contra filios Iſraël in deſerto, de quibus ita ſcribitur, Amalech autem & Chananæus habitabant in valle. CAIETANVS. Non eſt autem vertendum in dubium, Amalechitam populum originem habuiſſe ab Amalech nepote Eſau, vt ſcribitur Geneſis trigeſimo ſexto. AVCTOR CATENAE. Et pugnabat contra Iſraël in Raphidim. Sic eſt in textu Hebraico, & vetuſtioribus antiquis codicibus, vbi non eſt dictio filios. Rephidim autem dici debebat, non Raphidim. Sed vt toties dictũ eſt, in



A in nominibus hominum & locorum, ars tenenda, vſus ſequendus. Putant quidam Hebræorum locum illum ſic vocatum, propterea quòd diſſolutæ eſſent manus eorum ob metum Amalechitarum. Hic ergo Amalech in Raphidim caſtra Iſraëlitica obruere meditabatur, nondum quicquam paſſus incommodorum. *Dixítque Moyſes ad Ioſue, Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech: cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam dei in manu mea.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Nunc autem virga dei dicitur, quæ primùm dicta eſt virga Aaron, poſtea verò virga Moyſi, ſicut dicitur ſpiritus Heliæ qui eſt ſpiritus dei, cuius particeps factus eſt Helias, ſic illa potuit dici. Dicitur etiam dei iuſtitia, quæ noſtra eſt, ſed donata à deo, de qua loquens Apoſtolus, Iudæos arguit, dicens, Ignorantes dei iuſtitiam, & ſuam iuſtitiam volentes conſtituere, id eſt, tanquam à ſe ſibi paratam, contra quales dicit, Quid enim habes quod non accepiſti? INTERLINEARIS. Ac ſi dicat Moyſes, hanc habebo in manu quam deus dedit mihi, vt verberentur hoſtes. CAIETANVS. Hic eſt Ioſue, qui poſtea introduxit populum in terram pron iſsionis, & erat de tribu Ephraim. *Quæſt.65.* *Rom.10.*

B AVCTOR CATENAE. Elige viros. In Hebræo eſt dictio לָנוּ Lánu, vt dicatur, Elige nobis viros. Sed hoc parum eſt. Cras ego ſtabo. Sic debet legi hæc clauſula, quamuis Chaldaica & Septuaginta repugnantibus, quoniam ante dictionem מָחָר Machar, quod eſt cras, eſt punctus Athnach, id eſt, coma, de quo ſatis dictum in ſuperioribus. Habens virgam dei in manu mea, qua ſcilicet deus tanta miracula operatus erat. Viri milites eligendi ſunt vbi hoſtis ſentitur, propterea Septuaginta habent, ἄνδρας δυναστὰς, id eſt, viros potentes. Non temerè adſciſcendi ad numerum augendum, qui non ſemper prodeſt, ſed plurimùm obeſt, ſi inertes, imperiti, vel meticuloſi interſint. Nòn Moyſes ipſe iam ſenex adiſtit, ſed ſtrenuum miniſtrum, conſiliorum ſuorum conſcium, mittit ad congreſſum, interim ipſe in excelſo contemplationis diuinæ & feruidæ orationis conſiſtere, & virgam dei tenere in manibus, fiduciam auxilij diuini non deſerere promittit, firmitérque credit explenda quæ dominus pollicetur. Non tamen priùs bellum tentare permittit quàm laceſsitus ab hoſte Amalech.

C Cauſa autem huius belli ſecundum quoſdam fuit, quòd timebat Amalech qui erat de ſemine Eſau, iam implendam benedictionem quam Iacob obtinuit, præripuerátque ipſi Eſau, præſertim cùm in magna potentia venirent Iſraëlitæ, vt promiſſam occuparent terram. *Fecit Ioſue vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalech.* THEODORETVS. Quæri ſolet quibus armis Hebræi aduerſus Amalechitas depugnauerint. Aegyptiis in mari ſummerſis, illorum corpora vnà cum armis in litus eiecta ſunt Hæc Iudæi ſpoliantes his in bello vtebantur DIODORVS. Quinta generatione aſcenderunt Iſraëlitæ ex Aegypto: Aquilas, Armis induti: Symmachus, Armati. Igitur quum ex Aegypto aſcenderunt, arma habebant, quamuis & eorum qui in mari rubro ſummerſi ſunt exuuias ſecum detulerint, quibus gentes expugnare poſſent. RVPERTVS. Sciendum, quia primus ex omnibus gentibus iſte Amalech egreſſum ex Aegypto dei populum gratis impugnauit. Propterea de illo Balaam in prophetia ſua dicit, Principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur. Porrò qualiter eum impugnauerit, ita legitur in libro Deuteronomij: Memento quæ fecerit tibi Amalech in *Num.24.* *Deut.25.*

D via, quando egrediebaris ex Aegypto, quomodo occurrit tibi, & extremos agminis tui qui laſsi reſidebant, cæciderit. Laſſos hîc Hebræi immundos ſecundum legem extra caſtra manentes intelligunt, quos cæciderunt Amalechitæ referuntur, quia ſicut ipſi tradunt, eorum circunciſionem amputauerunt, & in ſubſannationem dei in cœlum proiecerunt. AVCTOR CATENAE. Tutò igitur hoſtes aggreditur, qui à domino militare iubetur, & piorum orationibus ſe iuuandum non dubitat, obedientiæ ſanctæ iugum ſuſcipit, & arcere hoſtes lupos ab ouili compellitur. *Moyſes autem & Aaron & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis.* CAIETANVS. Creditur quòd iſte Hur fuerit maritus ſororis Aaron & Moyſi, atteſtante hoc Ioſepho. AVCTOR CATENAE. Non ſolus Moyſes, ſed Aarone & Hur comitatus, orationis locum aſcendit. Vbicunque enim duo vel tres dominum fuerint deprecati in fide, exaudiuntur. Multorum oratio feruentior fit & exaudibilior. Ideo orationes agendæ etiam in Eccleſia, non ſolùm in cubiculo, quod tamen de priuata iubet dominus, ſed non tanquam ſemper neceſſarium. *Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſin autẽ paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* *Homilia de Moyſe oppugnante Iſrael contra Amalech eius manus ſuſtentãtur.*

E IOANNES OS AVRI. Stabat igitur Moyſes in mõte, nõ armis, ſed precibus pugnãs. Stabat extẽtis ad cœlum manibus, deuoto orans affectu: non de terra, ſed de cœlo auxilium poſtulabat. Pugnabat cum hoſtibus abſens, cum exteris ſine bello decertabat, vt quem loci diuerſitas ab inimicis ſeiunxerat, orationis affectus bellatorem præſentem hoſtibus exhiberet. Fit Moyſe orante pugna occulta, ſed manifeſta victoria. Latenter dimicat, vt euidenter deuincat. Solus orat, vt multi ſaluentur. Stabat Moyſes in monte, iam cœlo proximus, iam vicinus ſyderibus. Et quantò eum ſublimitas montis extulerat, tantò oratio deo proximum exhibebat. Fit Moyſe orante victoria, ceſſante mœſtitia. Potentior hoſtis efficitur, iuſti corpore fatigato. Deſinit Iſraël vincere, Moyſe deſinente in prece, vt dum diuerſa populis exhiberentur officia, orationis nobis potentia monſtraretur. Denique tandiu iſta diuerſitas valuit, quandiu iugis oratio deſiuit. Perſeuerante Moyſe in prece, perſeuerans victoria roboratur. Iam geritur pugna cum hoſte, iam Amalech precibus debellatur. Commendatur Hebræus populus deo, quem hoſtilis immanitas prouocarat ad bellum. Oratio in vltionem inimici dirigitur, cuius ſcelera iam interitum prouocabant, ne dum Moyſi oratio circa victoriæ effectum minus valeret, & inimici virtus in populum dei potentior eſſet, non iam cœleſte, ſed humanum certamen ab omnibus putaretur. Quis enim iuſtorum non orando pugnauit? Quis non hoſtem orando deuicit? Orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, ferę hebeteſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Quantóque enim purior frequentiórque fuerit celebrata oratio, tantò celerior erit de inimico vindicta. Licet colloqui cum domino orando, licet cum eo fabulari cùm velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamuis vocem eius audire non poſsis, tamen dum id quod deſideras accipis, colloqui tecum etſi non verbis, tamen beneficiis dignatur. AVCTOR CATENAE. Sin autem paululum remiſiſſet. Idem ſenſus eſt in Hebræo וְכַאֲשֶׁר יָנִיחַ יָדוֹ Vechaaſer ianiach iado, Quando autem demittebat manus ſuas. Et eſt ſenſus, quando Moyſes totus pendebat à deo, & intentiſsimè orabat magna animi contentione, vincebat Iſraël. Quando verò remittebat preces, eum vincebant Amalechitæ. Manus enim illæ exaltatæ, contentionem orationis ſignificabant,

ficabant: remissæ verò, remissionem orationis adumbrabant. Vides etiam quomodo non tantùm oratione, G
sed & viribus & armis hostis est domino iubente aggrediendus. *Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Manus Moysi erant graues, quia tota die steterat eleuatis manibus. Lassus erat, nec poterat vltra leuare manus, nec etiam stare. Vnde sedere eum fecerunt Aaron & Hur, & manus eius leuauerunt. CAIETANVS. Grauitas manuum narratur, sed totius corporis grauitas insinuatur, ex suppositolapide subsellio. Et quia virgam dei Moyses in manu tenebat, non irrationabiliter creditur, quòd manus eleuatas habebat, sic quòd inter vtramque volam virgam teneret, extensis manibus versus cœlum. AVCTOR CATENAE. Manus autem Moysi erant graues, id est, sua sponte demittebantur, quia caro per se debilis & infirma est, nisi adsit vigor spiritus. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Eleganter expressit Hebraicum Interpres hoc in loco, quod est huiusmodi מִזֶּה אֶחָד וּמִזֶּה אֶחָד Mize echad vmi- H
ze echad, Hinc vnus, & hinc vnus, & ita reddunt Septuaginta. Vel vnus hinc, & alter istinc. Siue hinc vnus & inde alter, sicut habet Chaldaica. *Et factum est vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum solis.* Non discrepat à sensu Hebraico. Nam ibi est וַיְהִי יָדָיו אֱמוּנָה Vaihi iadaf emuna. Est autem Emuna, nomen fœmineum verbale ab Aman, & significat fidem, veritatem, credulitatem, stabilitatem indeficientem esse. Vnde sic verti potest locus, Et fuerunt manus eius fides, veritas, siue stabilitas, id est, stabiles vel firmæ. Alij reddunt, Et quælibet manus eius fuit fidelis, hoc est, fuerunt manus eius fideliter & firmiter extensæ. Vnde & Chaldaica, Fuerúntque manus Moysi extentæ in oratione vsque ad occasum solis. Alij, Et fuit manibus eius fidelitas. Nonnulli, Et fuit vtraque manus eius firma. Quidam, Mansítque manibus suis fidelis. Sunt qui, Et fides mansit manibus eius: Et qui, Et fuit firmus manibus suis, vertant. Quæ omnia in idem recidunt, videlicet quòd manus Moysi, non fuerunt lassatæ, nec defecerunt, sed manserunt stabiles, vtpote hinc & inde sustentatæ vsque ad solis occasum. Quare Septuaginta Interpretes ita legũt, καὶ ἐγένοντο αἱ χεῖρες μοϋσῆ ἐσπερκυμέναι, Et fuerunt ma- I
nus Moysi sustentatæ. Habes ergo ex hoc loco, Non remittendas orationes, sine cessatione orandum in tentationibus quæ nunquam cessant. Nihil arduum contra hostes sine matura & feruente oratione tentandum. Qui populo præest, continuò habet quod clamet ad dominum. Nam varia sunt ingenia hominum, iam metuunt, iam murmurant, iam diffidunt. Quis hoc absque dei ope feret? *Fugauítque Iosue Amalech & populum eius in ore gladij.* INTERLINEARIS. In ore gladij, locutio est. AVCTOR CATENAE. Verbum וַיַּחֲלֹשׁ Vaiachalos, propriè, Et debilitauit, siue vulnerauit, vel fregit, significat. Alij reddunt, Attenuauítque, siue infirmauit. Septuaginta vt apud nos. Chaldaica, Et contriuit Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij. Populum autem eius dicit, qui venerat ei auxilio, qui non erat Amalechites. Quod verò dicitur, In ore gladij, Hebraismus est, pro acie gladiorum, siue in instantia gladij. Vnde Septuaginta, ᾧ φόνῳ μαχαίρας, id est, in occi-
sione gladij legunt. *Dixit autem dominus ad Moysen, Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim me-* 1.Reg.15.
*moriã Amalech sub cælo.* RVPERTVS. Non solùm ex eo Saul abiecisse sermonem domini redarguitur, & pro K
peccato inobedientiæ quasi pro scelere Idololatriæ proiectus à deo est, quia per Samuelem mandatum est ei à domino dicente, Recensui quæcunque fecit Amalech Israëli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto, nunc igitur vade, & percute Amalech, & demolire vniuersa eius, ipse autem versus est ad prædam, & fecit malum in oculis domini. Verùm & ex hoc, quia sic dictum, & sic fuerat scriptum, Scribe hoc ob monimentum in libro, delebo enim memoriam Amalech sub cœlo. Cùm enim is qui sine auctoritate dei nihil vsquam scripsit, hic eius imperium interponit, dicentis, Scribe hoc, & deinde subiungentis, delebo enim memoriam Amalech sub cœlo, magno vtique iudicij pondere futurum præuaricatorem premit, ne paruæ videatur audaciæ, quòd non parcente deo, parcere ausus sit, vel quòd iustitiæ vindictam imperante deo, ipse ad prædam se conuerterit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Scribe hoc ob monimentum in libro, ne videlicet obliuioni tradatur in futuro. CAIETANVS. Dixit autem dominus ad Moysen. Nomen est tetragrammaton, & etiam cura scribendi libros fonti essendi attribuitur. Scribe hoc ob monimentum in libro, L
& trade in auribus Iosue. Rem gestam scribi iubet ad perpetuam rei memoriam, vt discant posteri, diuinam opem sic affuturam illis, intercedente videlicet assidua supplicatione, & cooperante quantum in se est populo. Futuram autem vindictam exercendam in Amalechitas, iubet poni in auribus Iosue ducis exercitus, vt intelligatur, quòd in cuiusque succedentis ducis auribus sonare debet hæc exercenda vindicta, cùm facultas aderit, ob cuius mandati obedientiam Samuel cùm Saulem regem vidit potentem, insinuauit illi hoc diuinum mandatum, vt scribitur primi Regum decimo tertio. Delebo enim legendum est, quòd delebo memoriam Amalech sub cœlo. Explicatur enim sententia ponenda in auribus Iosue, scilicet quòd delendo delebo memoriam Amalech. AVCTOR CATENAE. Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo. Hebraicè est מְחֹה אֶמְחֶה Chi macho emche, Quoniam delens delebo. Sic & Chaldaica. Et Septuaginta, ὅτι ἀλοιφῇ ἀλείφω, Quoniam M
deletione delebo. Et est sensus, scribe hoc pro memoriali in libro, subaudi legis, vel in libro bellorum domini, vt hoc dicatur per anticipationem. Et trade in auribus Iosue, id est, inculca ipsi Iosue, & familiariter indica, quòd proculdubio delebo memoriam Amalech de sub cœlo, id est, ne sit sub cœlo, hoc est, salutem eorum, statum ac dominium euertam penitùs, vt perdãtur, vel eorum posteri suo aliquando tempore. Siue indica hoc Iosue, Nempe quòd Moyses leuando manus in oratione, populus dei vicerit. Nam hoc Iosue non viderat, qui contra hostem interim pugnabat, Moyses enim in colle steterat. Iubet ergo tam magnificum factum scribi, &
in perpetuam rei memoriam commendari. *Aedificauítque Moyses altare, & vocauit nomen eius, dominus exaltatio mea.*
CAIETANVS. Hoc est primum altare ædificatum à Moyse. Et quia altare est suapte natura ad sacrificandum, insinuatur, quòd ibidem obtulit sacrificium deo pro gratiarum actione superatis Amalechitis. Nec incommunicabile nomen domini, lapidibus communicauit Moyses, sed cognominauit altare à domino exaltatore suo, quod religionis opus est, non enim altaria ipsa fatemur esse deum, sed deo dicata ratione diuersorum beneficiorum, & propterea ab ipso deo quatenus talis beneficij est auctor, nominatur, hoc est, denominatur



Aminatur, cognominatur, &c. AVCTOR CATENAE. Quoniam dictio נֵס Nes, anceps est apud Hebræos, & modò exaltationem, modò eleuationem, modò protectionem, quandoque etiam triumphum vel victoriam, quandoque etiam signum vel vexillum, eo quòd eleuatur in bello, & ad illud milites confugiunt, sonans demum & refugium, ideo variè locus hic redditur, qui ita est in Hebræo: יְהוָה נִסִּי Iehoua nissi, Dominus vexillum meum, siue vexilli mei, id est, qui fuit mihi loco vexilli. Alij reddunt, Dominus eleuatio mea, quod est idem cum versione Latini Interpretis. Septuaginta interpretati sunt, κύριος καταφυγή μοῦ, id est, dominus refugium meum. Vertunt alij, Dominus miraculum meum, quasi dicat miraculo & misericordia dei, non autem nostro merito factum est illud. Quibus & Chaldaica aliquatenus consonare videtur, habens, Et immolauit super eo coram deo qui fecit sibi miracula. Demum nonnulli legunt, Dominus exultatio mea. Nomen ergo hoc aræ quam ædificauerat, imposuit Moyses, quasi diceret, Quandoquidem vidimus domini esse bellum, victoriam, & triumphum, meritò aram hoc nomine appellabimus, Iehoua nissi.
B *Dicens, Quia manus solius domini, & bellum dei erit contra Amalech, à generatione in generationem.* AVGVSTINVS LIBRO VIGESIMO SECVNDO CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM. Nec bella per Moy- *Cap.74.*
sen gesta miretur aut horreat Faustus, quia & in illis diuina sequutus imperia, non sæuiens, sed obediens fuit: nec deus cùm iubebat ista, sæuiebat, sed digna dignis retribuebat dignósque terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerunque ita culpantur, vt etiam iure puniantur. Aduersus violentiam resistentium, siue deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes
C cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? respondet eis, Arma abiicite militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat eos, quum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis sti- *Luc.3.*
pendium vestrum. Sed quia Manichæi Ioannem apertè blasphemare consueuerunt, ipsum dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Red- *Matth.22.*
dite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter *Matth.8.*
bella necessario militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub *Luc.7.*
potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit, fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit. Sed de iustis quidem iniu- *Cap.75.*
stisque bellis nunc disputare longum est, & non necessarium. Interest enim quibus causis, quibúsque auctoribus homines gerenda bella suscipiant, ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poD scit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci salutíque communi. Bellum autem quod gerendum deo authore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subiugandam mortalium superbiam, quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non solùm incorruptibili deo, sed ne sanctis eius obesse aliquid potest, quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendámque paternam disciplinam etiam prodesse inuenitur. Neque enim habet in eos quisquam vllam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi à deo, siue iubente, siue sinente. Cùm ergo *Rom.13.*
vir iustus si fortè sub rege homine, etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans, cui quod iubetur, vel non esse contra dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi, quãtò magis in administratione bellorũ innocentissimè diuersatur, qui deo iubente belligerat? quẽ maE le aliquid iubere non posse nemo qui ei seruit, ignorat. Si autem propterea putant non potuisse deum bellum *Cap.76.*
gerendum iubere, quia dominus postea Iesus Christus: Ego, inquit, dico vobis non resistere aduersus ma- *Matth 5.*
lum, Sed si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & aliam, intelligant hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde: ibi est enim sanctum cubile virtutis, quæ in illis quoque antiquis iustis nostris patribus habitauit: sed eam rerum dispensationem ac distributionem, temporum ordo poscebat, vt priùs appareret etiam ipsa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hostibus victoriæ deputantur, propter quæ maximè ciuitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis & dæmonibus solet, non nisi ad vnius dei veri potestatem atque arbitrium pertinere. Vnde & vetus Testamentum, secretum regni cœlorum tempore opportuno aperiendum promissionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbrosius occupauit. Vbi autem venit plenitudo temporis, vt nouum Testamentum reuelaretur, quod figuris veteris velabatur,
F euidenti testificatione iam demonstrandum erat, esse aliam vitam, pro qua debet hæc vita contemni, & aliud regnum, pro quo oportet omnium terrenorum regnorum aduersitatem sapientissimè sustineri. Proinde per quorum confessiones, passiones, & mortes hoc deo placuit attestari, martyres appellantur, qui Latinè testes interpretantur, quorum numerus tantus efloruit, vt si eos Christus qui de cœlo Saulum vocauit, & ex lupo factum ouem, in medium luporum misit, congregatos vellet armare, atque adiuuare pugnantes, sicut Hebræos patres adiuuit, quæ gentes resisterent? quæ regna non cederent? Sed vt præclarissimum testimonium veritati perhiberetur, qua iam docendum erat, non propter temporalem in hac vita, sed propter æternam post hanc vitam felicitatem deo esse seruiendum, ea quæ vulgò infelicitas dicitur, pro illa felicitate subeunda fuerit & ferenda. Itaque in plenitudine temporum filius dei factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, factus ex semine Dauid secundum carnem, mittit discipulos velut oues in medium luporum, & monet ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: promittit etiam

ipsius

ipsius corporis renouandam integritatem vsque ad capilli reparationem. Petri gladium reuocat in vaginam, G
aurē inimici præcisam reparat ad pristinam formam, dicit se legionibus angelorum imperare potuisse ad de-
lendos inimicos, nisi calix bibendus esset, quem paterna voluntas dedisset. Bibit præcedens, propinat se-
quentibus, virtutem patientiæ suo reuelat præcepto, suo confirmat exemplo. Propter quod deus illum susci-
tauit à mortuis, & donauit ei nomen, &c. Regnauerunt hîc ergo Patriarchæ & Prophetæ, vt ista regna deum
dare & auferre ostenderetur. Non hîc regnauerunt Apostoli & martyres, vt regnum cœlorum desiderandum
potiùs panderetur. Illi regi bella gesserunt, vt tales quoque victorias appareret dei voluntate præstari, isti non
resistendo interfecti sunt, vt potiorem esse docerent victoriam pro fide veritatis occidi: quanquam & illic Pro-
*Matth. 23.* pheta nouerat mori pro veritate, sicut ipse dominus dicit, A sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ.
Et id postea quàm cœpit impleri, quod sub figura Salomonis, qui Latinè interpretatur pacificus, de domino
*Psal. 71.* Christo, ipse est enim pax nostra, in Psalmo prophetatum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gen- H
tes seruient illi: & Christiani quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sa-
crilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum dæmonúmque posuerant, gloriosissimam victoriam perce-
perunt, cum apertissimis notissimísque documentis, de quibus nonnulli iam scriptum memoriæ commenda-
*Cap. 14.* runt, illos fallerent vaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum. Si autem hoc mirum istis va-
nis videtur, quod aliud tunc deus præcepit dispensatoribus veteris Testamenti, vbi noui gratia velabatur,
aliud prædicatoribus noui Testamenti, vbi veteris obscuritas reuelabatur, attendant ipsum dominum Chri-
stum, mutantem quæ dixerat, & aliud dicentem, Quando misi vos (inquit) sine sacculo & pera & calceamen-
*Luc. 22.* tis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dicit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat
similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Isti certè si ista diuersa in testa-
mentis singulis inuenirent veteri & nouo, etiam hoc clamarent duo sibi testamenta esse contraria. Quid ergo
nunc respondebunt, cùm idem ipse dicit antea, Misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, & nihil vobis de- I
fuit: nunc autem, Qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui habet tunicam, vendat & emat gladium?
Iámne intelligunt quemadmodum nulla in conscientia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum
diuersitate, præcepta vel consilia, vel permissa mutentur? Nam si dicunt certi mysterij gratia hoc de tollēdo sac-
culo & pera, & emendo gladio locutum fuisse, cur non admittunt certi mysterij gratia, eundem vnum deum,
tunc Prophetas gerere bella iussisse, nunc Apostolos prohibuisse? Neque enim in eo quod ex Euangelio comme-
morauimus, verba tantùm domini fuerunt, sed obtemperantium quoque discipulorum facta secuta sunt. Nam
& tunc sine sacculo & pera ierunt, & nihil eis defuit, sicut eius interrogatio, & eorum responsio declarauit. Et
nunc dixerunt ei, cùm de gladio emendo iussisset, Ecce sunt hîc duo gladij: Et ille respondit, Sufficit. Hinc
& Petrus armatus inuentus est, cùm aurem persecutoris abscidit, vbi spontanea eius coërcetur audacia, quia
non vt iussus fuerat ferrum tollere, ita iussus fuerat & ferire. Latebat certè domini voluntas, cur arma portare
præcepisset, quibus eos vti noluisset. Veruntamen ad illum cum ratione præcipere, ad istos autem sine retracta- K
*Cap. 18.* tione præcepta facere pertinebat. Calumniosa ergo imperitia Moyses reprehenditur quòd bella gesserit, qui
minus reprehendi debuit, si sua sponte gereret, quàm si deo iubente non gereret. Ipsum verò deum, quòd ta-
lia iusserit, audere reprehēdere, vel deum iustum & bonum talia iubere potuisse, non credere, hominis est (vt mi-
tius loquar) cogitare non valentis diuinæ prouidentiæ, per cuncta summa atque ima tendenti, nec nouum esse
quod oritur, nec perire quod moritur, sed in suo singula quæq; ordine siue meritorum, siue naturarum siue meritorum, vel ce-
dere, vel succedere, vel manere: hominum autem rectam voluntatem diuinæ legi coniungi, inordinatam verò
cupiditatem diuinæ legis ordine coërceri, vt nec bonus aliud quàm præcipitur, velit: nec malus amplius quàm
permittitur possit: ita sanè, vt non impunè possit quod iniustè voluerit: ac per hoc in omnibus, quæ humana in-
firmitas horret aut timet, sola iniquitas iure damnatur, cætera sunt vel tributa naturarum, vel merita culparum.
Fit autem homo iniquus, cùm propter seipsas diligit res propter aliud assumendas, & propter aliud appetit res
propter seipsas diligendas. Sic enim quantū in ipso est, perturbat in se odinem naturalem, quem lex æterna con- L
seruari iubet. Fit autem homo iustus, cùm ob aliud non appetit rebus vti, nisi propter quòd diuinitùs institutæ
sunt, ipso autē deo frui propter ipsum, seq; & amico in ipso deo, propter eundē ipsum deum. Propter deum enim
amat amicum, qui dei amorem amat in amico. Siue autē iniquitas, siue iustitia, nisi esset in voluntate, non esset
in potestate. Porrò si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna iusta esset, quòd nemo sapit, nisi qui de-
sipit. Ignorantia verò & infirmitas, vt vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit possit,
ex occulto pœnarum ordine venit, & illis inscrutabilibus iudiciis dei, apud quem non est iniquitas. Proditum est
*Rom. 4.* enim nobis peccatum Adam fideli eloquio dei, & quia in illo omnes moriuntur, & quia per illum peccatum in-
trauit in hunc mūdum, & per peccatum mors, veraciter scriptum est. Et quia ex hac pœna corpus corrumpitur,
*Sap. 9.* & aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantē, verissimum, nobissque notissimum
*Rom. 7.* est: & quia de hac iusta pœna nō liberat nisi dei misericors gratia, certum est. Et hinc Apostolus gemebundus ex-
clamat, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominū no M
strum: sed quæ sit distributio iudicantis & miserentis dei, cur alius sic, alius autem sic, occultis fit causis, iustis ta-
men. Nō tamen ideo nescimus, omnia ista iudicio aut misericordia dei fieri, licet in abdito positis mesuris & nu
meris & pōderibus, quibus omnia disponuntur à deo creatore omniū, quæ naturaliter sunt, nec auctore, sed tamē
ordinatore etiā peccatorū, vt ea quæ peccata nō essent, nisi cōtra naturā esset, sic iudicētur & ordinētur, ne vni-
uersitatis naturā turbare, vel turpare permittātur, meritorum suorū locis & cōditionibus deputata. Quæ cùm ita
sint, & cū per hoc secretum iudiciorū dei motúsq; humanarū voluntatū, eisdē prosperitatibus alij corrūpātur, alij
tēperāter vtātur, & eisdē aduersitatibus, alij deficiant, alij proficiāt: cúmq; ipsa humana mortalisq; vita tētatio sit
super terrā, quis hominum nouit cui prosit aut obsit, in pace, regnare vel seruire, vel vacare, vel mori: in bello au-
tem, imperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? Cū hoc tamē cōstet, & cui prodest, nō nisi per diuinū prodesse
beneficiū: & cui obest, nō nisi per diuinū obesse iudiciū? Quid ergo insilim° in temerarias reprehēsiones. atq; vtinā
hominum



A hominum & non Dei? Seruierunt dispensatores veteris testamenti, idemq; prænunciatores noui testamenti, pec
catores occidendo: seruierunt dispensatores noui testamenti, idémque expositores veteris testamenti, à peccato-
ribus moriendo: Deo tamen vni vtriq; seruierunt per diuersa & congrua tempora, docenti bona temporalia & à
se petenda, & propter se contemnenda: molestias temporales & à se posse impetrari, & propter se debere tolerari.
Quid ergo crudele Moyses aut mandauit aut fecit, cū cōmissum sibi populū sanctè zelās, & vni vero deo subdi-
tum cupiens, posteaq̄ cognouit ad fabricandū & colendū idolum defluxisse, mētemq; impudicā prostituisse de-
monibus, in paucos eorū vindicans gladio, quos Deus ipse, quē offenderant alto & secreto iudicio feriendos vo-
luisset mox feriri, & in præsenti salubriter terruit, & disciplinā in posterū sanxit? Nam cū nulla crudelitate, sed
magna dilectione feciſſe quod fecit, quis non in verbis eius agnoscat, orantis pro peccato eorū & dicentis: Si di
mittis illis peccatū dimitte, sin autē, dele me de libro tuo. Cōparans ergo vnusquisq; piè prudens illā cędē & hāc
B precem, videt profectò, apertissimeq; videt, quantū malū sit animæ, per simulacra dęmonum fornicari, quādo sic
fecit qui sic amat. Sic planè & Apostolus nō crudeliter, sed amabiliter tradidit hominē satanę in interitū carnis,
vt spiritus saluus sit, in die dñi Iesu. Tradidit & alios vt discerēt nō blasphemare, & cætera. Coguntur fateri, vir-
tutem illā patientiæ, quam docet dñs, dicēs: Si quis te percusserit in maxillā tuā dexteram, præbe illi & sinistram, *Matth. 5.*
posse esse in præparatione cordis, etiā si nō exhibeatur gestu corporis, & expresione verborū: quandoquidē Apo
stolus palma percussus, potius Deū rogauit vt iniurioso homini in futuro seculo parceretur, in præsenti autē illa
iniuria nō inulta relinqueretur, quam vel præbuit ferienti alterā partē, aut vt iterum feriret, admonuit. Tenebat
certè interius dilectionis affectū, & exterius requirebat correctionis exemplū. Siue hoc verū sit, siue cōfictum, cur
nolunt credere tali animo famulū Dei Moysen idoli fabricatores & adoratores gladio prostrauisse: cū & in eius
verbis satis appareat, ita huiusmodi peccato eū veniā deprecatū, vt nisi impetraret, deleri se vellet de libro Dei?
CAIETANVS. Iuxta Hebræū habetur, Quia manus super thronū dñi, bellū dño in Amalech à generatione in
C generationē. Et est sensus, quia manus diuina iurās super sedē ipsius dei, ideo bellū deo aduersus Amalech erit à
generatione vsq; in generationē, hoc est, nulla obliuione prostergandū. Narratur enim causa omnino futuri bel
li cōtra Amalechitas, diuinū iuramentū, ad similitudinē regis extendentis manum ad iurandū super soliū regni
sui, hoc est, nō super soliū corporeū, sed super quietē sui regni, quietè enim regnare charissimū est cuilibet Regi.
Et significatur immobilitas diuinæ volūtatis circa hoc per iuramentū, nō quòd deus propriè iuret. AVCTOR
CATENAE. Quia manus solius domini, & bellū dñi erit cōtra Amalech à generatione in generationē, id est,
contra Amalech semper erit potestas dni dei, & donec duret generatio eius, auctoritate domini bellū Hebræis
cōtra eosdē censebitur indictū. Verū quia Hebraica sunt, וַיֹּאמֶר כִּי יָד עַל כֵּס יָהּ Vaiómer chi iad hal ches ia, Et
dixit quia manus super solium, siue thronū domini, subaudi est. Hebraismus est, Manus domini super soliū eius,
id est, Iurauit dns per soliū suū quòd bellū erit ei cōtra Amalech in sempiternum. Vnde abundat dictio, &, ante
bellum. In Hebræo enim est כִּלְחֶמֶה לַיהוָה Milchama láihoua, Bellum domino per omnes ætates & generatio-
D nes, id est, per omnia secula erit. Hoc Hebræi sic exponunt, Dns per thronū suū iurauit qui sempitern° est, cœlum
scilicet, cui insidet, & terrā suppedaneū habet (Manus enim significat iuramētum, vt illud, Leuo manū in cœlo.
Et illud, Eleuauit dexterā suā ac sinistrā suā in cœlum. Cuius iuramenti rationē esse dicunt, quòd quēadmodum
stāt cœli, sic firma erit res, quam decernit dominus. Sic iurauit hoc loco deus, per thronum suum, nimirum rem
sempiternam, & immutabilem.) Vt scilicet certo certius sit, aliquando Amalechitas delendos virtute domini,
etiam si differatur aliquantisper. Sic enim æterno consilio Deus præordinauit, vt hic impius populus luat crimi
num suorum pœnam, tunc cū glorificare deus populum Israël cœperit, quietem ab hostibus illi daturus. Hoc au
tem primum aggrediebatur, cùm Saul Regem statuisset. Chaldaica autē editio in hunc eundē sensum tendit,
Dicit enim, Et ait. Cum iuramento dictum est hoc à facie terribilis, cuius maiestas est super solium gloriæ, vt
committatur prælium à facie domini contra viros domus Amalech, vt consumat eos à generationibus secu-
li. Alio autem modo verterunt Septuaginta, ὅτι ἐμ χεῖρ κυφάις πολεμᾷ κύριος, Quòd in manu excelsa, siue
E occulta pugnat dominus, & cætera. Sed quæritur, quid sibi vult tanta seueritas, quòd dominus non tantùm
iubet peccatum Amalech in perpetuam memoriam reponere, sed etiam vindicat illud in tertia & quarta ge-
neratione, & cùm Saul non trucidaret ac deuastaret omnia Amalechitarum, decreuit deus ipsum vnà cum
familia sua è regno eiiciendum? Quid? Significátne Deus iniuriam etiam inueteratam vlciscendam esse? Mi-
nimè. Deus enim prohibuit priuatam vindictam tam recentis, quàm inueteratæ iniuriæ. Sed significat hac
seueritate sua, quàm graue peccatum, & quàm horribili supplicio puniendum sit, si quis misero & afflicto in
vocatione dei ambulanti, addat nouam miseriam & afflictionem. Nam Israëlitæ paulò antè euaserant grauissi-
mam seruitutem, & nondum recuperauerant vires tam duro itinere exhaustas accesserat eodē fames & sitis, qua
paucis ante diebus torti fuerant. Vnde factum est, vt multi debiles & infirmi insequerētur exercitū eorum, in vl-
timo agmine. Amalechitæ autem addebant afflictis & miseris nouas afflictiones, & occidebant debiles ac infir-
mos, quoscunq; in vltimo agmine nancisci potuerunt. Hæc est crudelitas immanissima, videlicet, afflicto no-
F uam afflictionem addere. Quare vt deus grauitatē huius crudelitatis ostenderet, ac vt declararet, se talē crudeli-
tatem semper seuerissimè vindicaturū, iubet Moysen hoc peccatum Amalechitarum meminisse, & post multa
tempora iubet Saulem totam gentem Amalechitarum delere.

GREGORIVS NYSSENVS. Quemadmodum cùm conscriptus exercitus fuerit, primùm *Mysticè.*
commeatus paratur, quàm vt exeat, eodem modo virtutis quoque milites primùm mysticum commea-
tum accipiunt, & sic aduersus alienigenas exeunt, Iesum qui Moysi successit ducem posidentes. Vides
qua serie historia procedit? vides quomodo nostro cuncta proposito congruunt? Quousque imbecil-
lis homo in fide est, pernicioſa tyranni seruitute oppressus, non ipse se ab hoste tutatur, nec enim potest. Sed
qui semper infirmis adest, qui crebris hostem ac magnis vulneribus potest fundere, is pro suis pugnat, is hostem
submergit, is suos defendit. Cùm verò in libertatem iam vindicatus homo sit, cùm ligno amara in dulcedi-
nem aqua versa refocillatus fuerit, cùm fontium & palmarum amœnitate requieuerit, cùm lapidis mysterio

sitim expulerit,cū denique cœlesti cibo fuerit vsus,tunc nō per alium fugat hostes, sed quasi qui iam puerorū ætatem excesserit,& in iuuenū robur peruenerit,ipse pro seipso manus cū aduersario inserit, duce vsus non Moysē dei cultore,sed ipso deo.Lex quæ in figura futurorū & vmbra data est,inexpugnabilis in veris certaminibus est, in quibus dux est,qui Moysi succesit,qui legē adimpleuit,qui vel nomine ipso ducis Hebræorū multò antè prædicatus est.Populus autē,si quidē eleuatas legislatoris manus respicit, vincit facilè hostes: sin verò depressas, cedit hostibus.Significat autē manuū Moysi in altū sublatio, legis ad altissimos sensus accōmodationē: demissio humilē,terrenā,literalēq; legis obseruationē.Quòd verò sacerdos graues Moysi manus sustinet,auxilio vsus cognatione sibi cōiuncti,neq; alienū est à sensu altiore,quē sequimur. Verū enim sacerdotiū cōcessæ sibi gratiæ auxilio vtēs,sensum legis duritię Iudaici cordis in terrā deiectū,in altū rursus reducit:& ne omnino cadat, lapide sustentat,vt rectior per extensionē manuū cōsistens, sensum spiritalē suū respicientibus ostēdat. Nā verè iis,qui in legē respicere possunt,crucis mysteriū vndiq; fere patet,vt Euangeliū quoq; dicit,iota & apicem à lege nō prætерire,trāsuersam lineā & perpendicularē,ac rectā,quibus figura crucis describitur,per iota & apicē ostendens.Quę res in Moyse tūc cōspecta,qui pro lege ipsa ponitur,victoriā respicientibus præbuit. ORIGENES. Venit(inquit)Amalech,& pugnabat cōtra Israël in Raphidim.Anteq̄ māducaret panē de cœlo, & biberet aquā de petra, nō refertur populus pugnasse,sed dicitur ad eum,Dns pugnabit pro vobis,& vos tacebitis. Est ergo tēpus quādo dns pugnat pro nobis,nec permittit nos tentari supra id quod possumus,nec impares viribus ad fortis sinit venire cōgressum.Deniq; & Iob omne illud tentationis suæ famosissimū certamē,iā perfectus impleuit. Et tu ergo cū cœperis māducare manna,panem cœlestē verbi dei,& bibere aquā de petra, cumq; ad interiora doctrinæ spiritalis accesseris,sperato pugnā,& præpara te ad bellū. STRABVS. Amalech autē bibens vel lambēs sanguinē interpretatur,& diabolū significat,qui sanctos de Aegypto exeuntes,& ad terrā promissionis tendētes,semper impugnat,& animarum sanguinē bibere desiderat,viam patriæ cœlestis intercludere moliens. AVGVSTINVS *Serm.93.* IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Videte ergo fratres,quia posteaquam quisq; de petra biberit,id est, Christi sacramenta susceperit,necesse est illi ad pugnā procedere. Tādiu enim aliquis diabolū cōtra se pugnantē non sentiet,quādiu opera illius exercere voluerit.Qui verò illū reliquerit, & de petra bibens, Christū sequi elegerit,necesse est vt illū patiatur infestū,cui iusto iudicio voluit præponere Christū. Quisq; ergo Christo cōiugitur, non ad delicias,nō ad voluptates,sed ad prælium pręparetur,quia omnes qui volunt piè viuere in Christo, per- *2.Tim.3.* secutionem patiuntur.Et iterū,per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū dei. ORIGENES. Bel- *Act.14.* lo igitur imminente videamus quid præcipiat Moyses.Dixit(inquit)ad Iesum,Elige tibi ipsi viros,& exi, & confige cum Amalech crastino. Vsque ad hunc locum beati nominis Iesu nusquam facta est mentio. Hīc primùm vocabuli huius splendor effulsit.Hīc primū vocauit Moyses Iesum & dixit ei,Elige tibi ipsi viros. Moyses vocat Iesum,lex vocat Christum,vt eligat sibi ipsi viros potentes de populo. Non poterat Moyses eligere, sed Iesus solus est qui possit potentes viros eligere,qui dixit,Non vos me elegistis,sed ego vos elegi.Ipse enim est electorum dux,ipse potentium princeps,ipse qui confligit cum Amalech.Ipse est enim qui intrat in domū fortis, & alligat fortem,& vasa eius diripit. THEODORETVS. Christus itaque cū ex omni Israël ac gente viros potētes delegisset,sanctos Apostolos dico, cæterósque omnes in Christum credentes,quibus rectè illud dici potest, Vos autem genus electum,regale sacerdotium,gens sancta,populus acquisitionis, vnà cum illis aduersus principem seculi huius in acie stetit,de quo ipse omnium victor ait, Nunc iudicium est mundi, nunc princeps seculi huius eiicietur foras. Illustri verò calculo eos qui cum Christo , & propter Christum victoriam reportarunt coronat diuinus ille Ioannes,Scribo vobis Iuuenes,quia fortes estis,& malignum vicistis. ORIGENES. Sed interim videamus quid nunc historia præsens retexat.Ascendit(inquit)Moyses in verticem collis. Nondum ascendit verticem montis,sed in verticem collis.Seruabatur enim ei tunc ascendere in verticem montis,cùm ascensurus erat Iesus,& cum ipso Moyses,& Helias,& ibi transformandus in gloria.Nunc ergo velut nondum glorificatus ex transformatione Iesu,nondum ascendit in verticē montis,sed ascendit in verticem collis. AVGVSTINVS. Et factū est cū eleuaret manus suas Moyses,vincebat Israël. Aduertite fratres.Moyses manus quidē leuat,non tamen extēdit.Cui ergo seruabatur vt manus extenderet,nisi dño nostro Iesu Christo,qui extensus in cruce,vniuersum orbē cōplexurus,brachia pietatis expandit?Moyses ergo leuauit manus: & licet non expanderit,tamen ipsa eleuatione mysterium crucis ostendit.Videte fratres iam tunc per sacramentum crucis superatas esse aduersarias gētes. Et nos dilectissimi,si adiuuāte domino manus erigimus,Diabolū superamus.In manibus opera debemus accipere.Si ergo talia sunt opera tua, vt illa posis in altum in conspectu domini leuare, potes etiam & tu in teipso aduersarios tuos extinguere. Quis bene manus leuat , nisi qui per eleemosynam in cœlo iugiter thesaurizat?Quis ergo bene manus leuat , nisi qui assiduè victum & vestitum pauperibus subministrat? *1.ad Tim.2* Quis bene manus leuat ? Ille vtique qui implet illud Apostoli, Eleuantes (inquit) puras manus sine ira & disceptatione. Quia ergo quotidie nobis & vobis pugna imminet contra aduersarias potestates, si volumus vincere, *Philip.3.* manus nostræ, id est, actus nostri & conuersatio nostra, non sit in terris: sed(sicut Apostolus dicit) super terram ambulantes,conuersationem habeamus in cœlo.Scriptum est tamen,quia sicut vitulus ablingit in campis herbā viridem:ita populus Israël ablinget populū Amalech super terram.Per quod indicari videtur, quia populus dei non tā manu & armis,quàm voce pugnabat & lingua,id est,orationē ad deū fundebat. Ergo & tu si vis vincere, *Coloss.4.* audi Apostolū dicentē,Orationi insistētes,& vigilātes in ea.Hæc est Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere,sed semper Dei auxiliū implorare. THEODORETVS. Quæsitum est à multis, cur cùm leuaret Moyses manus suas,vincebat Israël,cū remisisset,superabat Amalech. Moyses illius qui pro nobis cruci affixus est,figurā implebat cū manus leuaret:ostensa est igitur etiā in ipsa figura ipsius veritatis vis.Quēadmodū *Hom.2. de cruce,& sepultura domini.* enim quū famulus dni manus tenderet,cadebat Amalech:ita dño in cruce manus tēdēte,Diaboli castra populata sunt.Et in illo quidē bello, dux ille eiusdē nominis cū seruatore nostro trophęū hoc statuit,huiusce modi nūcupationē adept⁹,delectōrū ad id virorū auxilio vsus,quēadmodū & Christ⁹ sanctis Apostolis cooperatorib⁹ vti nō recusauit. MAXIMVS THAVRINENSIS EPISCOPVS. Dixim⁹ ꝙ crux dni salutē generi cōtulerit humano



A humano,& verū est.Passio enim illius nostra redēptio est,mors eius vita nostra est. Ideo autē mala hæc cūcta sustinuit,vt nos bona omnia sentiremus,ideo crudelitatē in se exerceri maluit,vt nobis misericordiam largiretur. Bonus ideo in nos ita esse voluit,vt antè in se esset immitis.Auferens enim per crucem humani generis iniurias, omnes eas in sua passione cōsumpsit,vt vlterius nō esset homini quod noceret.Grande ergo crucis est sacramētum,etsi intelligamus,per hoc signū etiā mūdus ipse saluatur. Nā cū à nautis scinditur mare, priùs ab ipsis arbor erigitur,velū distenditur,vt cruce dñi facta,aquarū fluenta rumpātur,& hoc dominico securi signo portū salutis petunt,periculū mortis euadunt.Figura enim sacramēti quædā est velum suspēsum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce,atq; ideo cōfidentia de mysterio veniēte,homines ventorū procellas negligūt,peregrinationis vota suscipiunt.Sicut autē ecclesia sine cruce stare nō potest,ita & sine arbore nauis infirma est.Statim enim diabolus inquietat,& illā ventus allidit,at vbi signū crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & vētorū
B procella sopitur.Sed & bonus agricola cū parat terræ solū vertere,& vitæ alimēta perquirere, nō nisi per signum crucis id facere conatur.Dū enim aratro dētale subiicit,afficit aures,stiuā inserit, figurā crucis imitatur. Cōpactio enim ipsa,similitudo quædā est dominicæ passionis. Cœlū quoq; ipsum huius signi figura dispositū est. Nā cū quatuor partibus,hoc est,oriēte & occidēte ac meridiano & septentrione distinguit, quatuor quasi crucis angulis cōtinetur.Ipsius enim incessus hominis cū manus leuauerit, crucē pingit: atq; ideo eleuatis manibus orare præcipimur,vt ipso quoq; mēbrorū gestu passionē domini fateamur.Tūc enim citiùs nostra exauditur oratio,cū Christū quē mens loquitur,etiā corpus imitatur. Hoc etiā exēplo Moyses sanctus cū contra Amalech bellū gereret,nō armis,nō ferro,sed eleuatis eū ad deum manibus superauit.Sic enim habes scriptum, Cū eleuasset manus suas Moyses, vincebat Israël:cū autē depositisset manus suas,cōualescebat Amalech. Hoc igitur dominico signo scinditur mare,terra colitur, cœlū regitur,homines cōseruātur.Hoc(inq̄)dominico signo etiā referātur inferna.
C Nam ex quo homo dns Iesus qui ipsam crucē gestabat,sepultus in terra est, veluti dirupta ab eo exarata terra , omnes quos retinebat,mortuos germinauit. ORIGENES. Puto autē ꝙ per hanc figurā etiā duorum populorum Moyses formā designet,& ostēdat vnū esse populū ex gentibus,qui eleuet manus Moysi,& erigat eū,id est, qui in sublimi extollit ea quæ scripsit Moyses,& in excelso eorū intelligentiā statuat,& per hoc vincat.Aliū esse, qui quoniā nō eleuat manus Moysi,nec extollit eas à terra,nec altū in eo aliquid & subtile cōsiderat, vincitur ab aduersariis,& prosternitur. ISIDORVS. Sedet autē Moyses super lapidē, id est,Christū,de quo scribitur in Zacharia quod septē oculos habebat,& in Samuelis volumine appellatur.Lapis adiutorij,& vtrāq; manū ei⁹ Aaron & Hur quasi duo populi,aut duo testamēta sustentāt. AMBROSIVS LIBRO SCVNDO EPISTO- *Epist.7.* LARVM. Quàm miserū,vt qui nascimur in libertate,moriamur in seruitute. Sed hoc fit leuitate animi,atque infirmitate morū,quia curas inanes voluimus,& operamur superuacua. Sapientis autē cor, actumq; & opus radicatum esse decet atq; immobile.Hoc docuit Moyses,quādo manus ei grauiores fiebāt, ita vt vix sustineret eas Iesus Naue.Ideoq; vincebat populus,quādo nō perfunctoria gerebātur opera,sed plena ponderis atq; virtutis,nō
D nutantis animi,nec titubātis affectu,sed fundatæ mentis stabilitate.Ergo sapiens extēdit manus suas, stultus autem cōtrahit,sicut scriptū est:Quia stultus cōplexus est manus suas,& vorauit viscera sua,carnalia magis cogitās quàm spiritualia.At nō filia Iudæ,quæ expandēs manus clamauit ad dñm:Tu scis quia falsum testimonium aduersum me dicunt.Melius est arbitrata non peccare & incidere in calūnias accusantium, q̄ peccatum subire sub impunitatis velamine.Ea ergo contēptu mortis seruauit innocentiā. RVPERTVS. In hac pugna Israēlis cōtra Amalech,est quod iure miremur,quodq; null⁹ pugnæ legitimæ peritus,à mysterio vacare arbitretur.Quid enim?Nunquid hic hostis Amalech maior aut fortior erat cunctis hostibus Israēl?aut solus hic erat, contra quē necessariò tali modo pugna fieret?Moyses(inquit scriptura)Aaron & Hur ascenderūt super verticē collis:cumq; leuaret Moyses manus,vincebat Israēl:sin autem paululum remisisset,superabat Amalech.Manus autem Moysi erant graues,& cætera.Num(inquam)sine certi causa mysterij prouisum est,vt tali ordine vinceretur hic hostis? Ipsum ergo mysterium diligenter indagandū est.Igitur quia sic principium gentium factus est Amalech, & pri-
E mus ex omnibus post exitum ex Aegypto,pugnauit contra Israēl,& ipsum nomen Amalech populus lingens interpretatur,rectè omnium visibiliū & inuisibilium inimicorum populi dei,de hoc mundo ad deū fugiētis, typū tenere iudicatus est, & ita contra illum pugnatū est, vt qualiter diabolus cū omnibus qui ex parte eius sunt,expugnandus sit,pugna ipsa figuraret.Venit Amalech,venit populus lingens,& post concupiscentias suas vadens, cuius princeps & dux diabolus est,& communicato consilio cum spiritibus malignis,peregrinantem in hoc seculo dei populū,impugnauit semper,& impugnare non desinit.Cōtra hunc Moyses in montē ascendit, & cū eo Aaron,quod interpretatur montanus,siue mons fortitudinis.Per Moysen legē,per Aaron Christū, per Hur sanctum intelligimus spiritum.Vt quid enim data est lex,nisi vt pugnare doceret, & vt secundū illā homo contra diabolum manus suas,id est,opera iustitiæ in cœlum sustolleret?Sed manus(inquit)Moysi erant graues,quia videlicet nihil ad perfectum adducere poterat lex.Sumentes igitur lapidem, posuerunt subtus eum, in quo sedit, quia videlicet ad hoc in mundum venit Christus filius dei,& ad hoc glorificato illo datus est spiritus sanctus, *Hebr.7.*
F vt legi quæ infirmabatur, solida substitueretur gratia Euangelij, in quo sederet Moyses, id est, in quo adimpleretur lex.Aaron(inquit)& Hur sustentabant manus eius ex vtraq; parte: nā difficultatē occidētis literæ, quā neq; patres nostri, neque nos(inquit Apostolus Petrus)portare potuimus, Christus, & quem ille misit paracletus,suauem nobis atque portabilem fecerunt, in spiritu viuificante. GREGORIVS IN HOMILIIS. Tem- *Act.15.* *Hom.33.*
G perauit itaque nobis deus districtionē legis,misericordia Redēptoris.In illa quippe scriptū est,si quis hæc vel illa fecerit,morte moriatur.Si quis hæc vel illa fecerit,lapidibus obruatur. Apparuit cōditor noster in carne,confessioni peccatorum non pœnā,sed vitam promittit:mulierem sua vulnera confitentem suscipit, & sanā dimittit.Inflexit ergo ad misericordiā duritia legis:quia quos iustè illa dānat, ipse misericorditer liberat. Vnde bene quoq; in lege scriptū est,quia manus Moysi erāt graues:sumētes ergo lapidē,posuerūt subter,in quo sedit: Aaron autē & Hur sustentabāt manus eius.Moyses quippe sedit in lapide,cū lex requieuit in Ecclesia. Sed hæc eadē lex graues man⁹ habuit,quia peccātes quosq; nō misericorditer pertulit,sed seuera districtione percussit.Aarō verò

mons fortitudinis,Hur autē ignis interpretatur.Quē itaq; mons iſte fortitudinis ſignat, niſi redēptorē noſtrū,de G
*Eſa.2.* quo per Prophetā dicit:Erit in nouiſsimis diebus præparatus mōs domus dni in vertice mōtiū?Aut quis per ignē,
*Luc.12.* niſi ſpiritus ſanctus figuratur:de quo idē redēptor dicit,Ignē veni mittere in terrā?Aarō ergo & Hur graues manus Moyſi ſuſtinent,atq; ſuſtētando leuiores reddūt:quia mediator dei & hominū cū igne ſancti ſpiritus veniēs, mādata legis grauia,quæ dū carnaliter tenerētur,portari nō poterant, tolerabilia nobis per ſpiritalē intelligentiā oſtēdit.Quaſi enim manus Moyſi leues reddidit,quia pōdus mādatorum legis ad virtutē confeſsionis retorſit.
*Cap.25.* IDEM IN PRIMVM REGVM. Dicitur hīc per Deū,Recenſui quæcunq; fecit Amalech,quomodo reſtitit ei in via cū aſcēderet Iſraël de Aegypto.Iſraël vidēs Deū dicit.Qui,quia de Aegypto perhibet aſcēdere,nouiter cōuerſos inſinuat:qui peccatorū tenebras,& ima deſerūt, & ad lumē veritatis accedūt,& in mōtē boni operis aſcēdūt.In via autē Amalech Iſraël reſtitit,quia libido ad pfectionis ſummā tendētib⁹ arma voluptatis obiicit: & corda,quæ poteſt,gladio immūdæ ſuggeſtionis,ferit. Et quia valde fortis, & violenta eſt pugna fornicationis,nō quomodolibet obuiaſſe Iſrēli, ſed reſtitiſſe perhibet. Reſiſtere quidē,forti oppugnationi inſtare eſt. Hos H
nimirū reſiſtētes Amalechitas videbat Iſraēlita ille aſcendēs,cū dicebat, Video aliā legē in mēbris meis,repugnā
*Rom.7.* tem legi mētis meæ.Vnde & ad auxiliatorē reſpiciens,ait,Infelix ego,quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dñi noſtri Ieſu Chriſti.Reſiſtere ergo Amalech dicit:quia dū in carne ſumus, libidinis fortia bella ſuſtinemus.Sed quid de Aegypto aſcēdentib⁹ reſiſtere dicit?Ecce qui ad tertij cœli ſe ſecreta ſuſtulerat,reſiſtētes motus carnis habebat.Meritō igitur nō ſolū nouitios,ſed etiā magna virtute præditos, Iſraël de Aegypto aſcendēs, inſinuat.Aegypti quidē nomine,huius mūdi tenebræ deſignātur.Iſraël autē de Aegypto aſcendit,quia electi oēs dum ſanctē viuēdo proficiūt,ad ſupernā patriā pertingere conātur.Et quia quādiu in carne ſunt,carnis legē legi mentis cōtrariā habent,ſibi vtiq; per validos motus Amalech reſiſtentē vidēt. Huius nanq; violentia paſſionis oſtēditur,cū eadē,quæ recēſentur Amalech,bella deſcribūtur.Nā pugnante Iſraēle,cū eleuabat manus Moyſes,vincebatur Amalech:& vincebat ille,cū iſte manus deponeret.Quid eſt autē,quòd cōtra alios ſolis armis pu- I
gnabat Moyſes,cōtra Amalech verò nō ſolis armis,ſed etiā virtute orationis?Quæ autē virtus,& inſtātia ſupplicationis erat tunc neceſſaria,vbi ſi manus deponeret,Amalech victoriæ honorē daret? Sed profectò magnū certamen fornicationis oſtēditur,quod tanta virtute,tāta difficultate ſuperatur. Arma igitur exercitus,oratio intētiſsima neceſſaria eſt.Arma quidē neceſſaria ſunt,quia qui contra fornicationē pugnare volūt, vincere nequeūt, ſi non cęteris virtutibus muniūtur.Exercitus(vt ſupra oſtēdimus)exēpla patrū, & ſcripturarū præcepta ſunt:quæ quidē quilibet etiā conſiderare debet,ac illis ſic mentē occupare,vt laſciuiæ inquinamēta non ſpectet.Sed exemplis,atq; doctrinis inſtructus,de ſe cōfidere nequaq̄ poteſt.Leuet ergo manus ſuas, leuet mentē:vt opere bono & deuotione reſplēdeat,qui abſcindere perfectè à ſe libidinis bellū tētat.Quid itē eſt,quòd depoſitis manibus vincitur,niſi quia ſæpe per audaciā praui operis,ipſa etiā tollitur pulchritudo caſtitatis?Sępe ex toto nō tollitur,ſed cum infirmātibus operibus infirmatur.Inter opera quidē, & labores ſpirituales, cōtra ſtimulos carnis fortes ſumus,ſed ſi quaſi feſsi,à ſolitæ cōuerſationis rigore torpeſcimus,vel molleſcimus, dū paulatim negligimus, acu- K
lei carnis inſurgunt,qui quaſi depoſitis Moyſi manibus Iſraēlē vincunt.Ne ergo manus laſſeſcant,Aaron & Hur lapidē ſupponant, & graues Moyſi manus deponi nequaq̄ ſinant.Aaron quidē mons fortitudinis, Hur ignis vocatur. Quādo enim laſſeſcimus, conſideratis cœleſtibus roboramur. Mons ergo fortitudinis quid eſt,niſi altitudo ſupernę contēplationis?Quæ profectò quia in electo corde ſine magna charitate non eſt mons fortitudinis Moyſi adſtare rectè perhibetur.Qui nimirū lapidē ſupponunt, & manus ſuſtinent: quia qui ſumma cœlorū prēmia ardenter aſpicit,fortitudinē magnā ſumit,& bene operari,& conditorē exorare non deſinit. Quia ergo valida ſunt,& omnino violenta bella carnis, aſcendēti Iſraēli Amalech reſtitiſſe aptè perhibetur. PROSPER.
*Par.1.cap. 40.* Et factū eſt(inquit)vt manus illius nō laſſarētur vſq; ad occaſum ſolis, fugauitq; Ioſue Amalech & populū eius
*Pſalm.140* in ore gladij.Si noſtri Mediatoris hīc reſpicim⁹ ſignū,cū per Dauid canentē recordemur,Eleuatio manuū mea-
*Matth. 27.* rum ſacrificiū veſpertinū,Cuius in paſsione ſol & luna habitū curſumq; mutauit,quis ſpiritus aduerſarius,quę-
*Col.2.* uæ inimica poteſtas huic ſigno poterit obuiare?ac non potius aufugiat? Si tamen ſpes pugnātis ex manibus crucifixi pendeat,per quam quotidie eruimur de poteſtate tenebrarū. IOANNES OS AVRI. Bellum igi- L
tur Chriſtianis indictum hoc exemplo mōſtratur,& belli effectus orationis inſtantia aperitur. Didicit Chriſtianus quid gerat,inuenit quid fugiat.Didicit (inquam) vnde aut vincatur aut vincat, quamuis inſtantiùs Chriſtiano orandum ſit,quia & prælatior hoſtis eſt,& pro ſeipſo, non pro altero pugnat. Moyſes enim & contra hominem,& pro aliis orando pugnabat.Chriſtianus verò & pro ſeipſo, & contra diabolum pugnat. Nec quiſquam poterit excuſari qui hoſtem vincere noluit,dum orando ceſſauit.Et tamen in Moyſe corpus deficiebat,non voluntas aliquando ceſſabat.Si ergo fragilitatis cauſa in Moyſe excuſari non potuit,quemadmodum in nobis voluntas poterit excuſari? Vnde apparet vires hoſti illum dare qui ceſſat,& ſe ſe ei ſubiicere qui nō orat.Quod totum eſt odiſſe ſua,diligere aliena,ſibi ipſum hoſtē exiſtere,dum cōtra hoſtē noluit iugiter exorare. Hoſtis enim dum oras,premitur,dum ceſſas,erigitur. Iniuriā nobis ab homine nonnunq̄ illatam impatienter quod non licet ferimus,& maiorem contumeliam in illū qui intulit reuocamus.Tu contumeliā tuam à te tibi illatam,quo- M
modo poteris vindicare, qui ab alio illatam nō potes ſuſtinere? Aut tu in te vltionem cui mandabis, cū contra teipſum hoſtem erigis,dum eū in te nō orando admittis? Oratio iugis, infirmitas hoſtis.Cæterū ipſe cōtra ſe tela miniſtrat,qui hoſtē precū inſtantia nō fatigat.Quare orationis inſtantia hoſtis ſæuitia debelletur, nō præſumat dum parcimus,nō erigatur,dum aliquando ceſſamus.Oportet(inquit)ſemper orare,& nō deficere.Dum oportet,
*Luc.18.* dicit, neceſsitatem inducit. Neceſsitas autem tanta vi aſtringitur, vt quod neceſſe eſt, etiam ſi nolis, prætereas non poſsis. Denique manducandi, bibendi, veſtiendi neceſsitas, à natura illata præteriri non poteſt, ſine quibus geri vita iſta non poterit. Aut prætermitte iſta & viue, ſine quibus viuere non potes ſi prætermittis. Igitur ſi iſta prætermitti non poſſunt,ſine quibus vita iſta nō poteſt celebrari, quemadmodū tutus ab hoſte eſſe
*Luc.11.* poterit,qui quod oportet ſemper orare contēpſit?Petite(inquit dñs)& dabitur vobis.Optat dare qui præcipit petere: beneficia ingerit, qui poſcendi hortamenta expromit. Cupit largiri, qui à ſe deſiderat poſtulari. Ille ſuadet qui



A det qui præſtat, ille hortatur qui donat. Occaſiones ille dandi exquirit, qui beneficia tribuere conſuetuit. Petite(inquit)quod vultis vt faciam, poſtulate quod deſideratis vt compleam. Talem me ſentietis in dando, qualem nunc in promittendo cōſpicitis. Magna felicitas homini, ſi beneficiis reſponderit creatoris.Habe fiduciam Chriſtiane vt petas.Pete quod deſideras vt accipias,ſi tamen te actus indignum non faciant,ſi facta quod vocaris,oſtendant. Deus enim tibi & petendi fiduciam tribuit,& voluntatem dandi ſe habere oſtendit.Cæterùm ceſſant beneficia,vbi mala non ceſſauerint facta.Tunc enim tribuitur quod optatur, ſi bonos actus morum probitas imitetur.Ipſe ſe ſe amabilem facit,qui cauſas quibus obſequatur inquirit. Cæterū odio dignus eſt, qui aliud quàm profitetur exercet. Si peccatorē ſe quiſpiā nouit, damnet vitia,delicta horreat,peccare deſiſtat. Plus enim deus vnius pœnitentia commouetur, quàm iuſtorum merito delectatur.Sic erit gaudium in cœlo (inquit dñs) ſuper vno peccatore pœnitentiam agente,quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis quibus non eſt opus pœnitentia. *Luc.15.*
B Nemo ad eum flens aliquando acceſsit,qui nō quod poſtulauit accepit.Nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetraret quod voluit.Ipſe eſt enim qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. Deteſtare peccata, ſi officia pœnitētis inuadis. Aut ſi peccare delectat,quare pœnitentiam quam profiteris infamas? Contumaciæ crimen eſt quod oderis facere,quod damnaueris velle, quod horrueris exercere. Amare probatur, qui quod odit exercet, & odiſſe viciſsim, quod ſe amare mentitur. Neque enim poterit excuſari, cuius verba aliud ſonant,& aliud facta demonſtrant.Doleat peccator aliud ſe eſſe quàm fuerat, lauet lachrymis, quod delictis infecit: curet fletibus,quod peccando vexauit,gemitibus purget, quod contemnendo commiſit. Si pœnitet, corrigat,ſi dolet,quieſcat. Curet pœnitendo quod fecit,vt poſsit recipere quod amiſit. AVCTOR CATENAE. Eleuatio igitur manuum ſignificat manus & deſideria in orationibus intendenda,& erigenda illuc vbi eſt fortitudo & fiducia noſtra. Donec ergo leuat manus Moyſes, non ſuccumbit Iſraël, donec in deum mens eſt fixa, non vincitur ab hoſte.At caro noſtra infirma eſt, & fatigata aliquando laceſsit:debent ergo fulcra
C ab iis qui verbo præſunt,adhiberi nutantibus.Petra verò, quæ Moyſi fatigato ſupponitur,Chriſtus eſt. Is noſtra firmitudo & ſoliditas eſt,quo confortante omnia poſſumus.Et ſicut Ioſue feliciter pugnat pro populo dei, ſic Chriſtus pro Eccleſia ſua,& vincit,iuxta illud,Sed cōfidite quia ego vici mundū.Fugat autē hoſtē in ore gladij, quia verbo dei quod eſt gladius ſpiritus ſancti, penetrabilior omni gladio ancipiti,omnia tela nequiſsimi ignea extinguuntur. CYRILLVS LIBRO SEXTO IN LEVITICVM. Duo ſunt Pontificis opera,vt à deo diſcat legendo ſcripturas diuinas,& ſæpius ruminādo:aut populum doceat.Sed illa doceat,quę ipſe à deo didicerit,non ex proprio corde,vel ex humano ſenſu: ſed quæ ſpiritus docet.Eſt & aliud opus quod facit Moyſes. Ad bellum non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? Orat, & donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit & dimiſerit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & ſacerdos Eccleſiæ indeſinenter, vt vincat populus, qui ſub ipſo eſt, hoſtes inuiſibiles Amalechitas,qui ſunt dæmones impugnantes eos qui volunt piè viuere in Chriſto. Et ideo nos in his meditantes, & hæc die ac nocte ad memoriam reuocantes,
D & orationi inſtantes, ac vigilantes in eis, deprecemur dominum, vt nobis ipſe horum quæ legimus, ſcientiā reuelare dignetur, & oſtendere quomodo ſpiritalem legem non ſolùm intelligentia, ſed & actibus obſeruemus, vt ſpiritalem gratiam conſequi mereamur,illuminati per legem ſpiritus ſancti in Chriſto. RABANVS. Dixit autem dominus ad Moyſen, ſcribe hoc ad monimentum in libro,& cæt.Iubet dominus bellum cœptum cōtra Amalech, in libro conſcribi, & tradi auribus Ioſue: prædicítque quòd deleturus ſit memoriam Amalech. Quid hoc ſignificat,niſi quòd omnipotens deus per legem cuius typum Moyſes tenet, de Saluatore noſtro pręnunciat,quòd ipſe deleturus ſit memoriam hoſtium ſpiritualium,atque ſanctę Eccleſiæ læſionem cōpeſcens,demerſurus ſit eos in profundum abyſsi:hoſtes videlicet illos,de quibus Propheta dicit:Periit memoria eorum cū ſonitu,& dominus in æternum permanet?Et vt oſtenderet militibus Chriſti,nullo tempore pigritiæ inertia eſſe *Pſalm.9.* torpendum ſed ſemper paratos eſſe ad prælium,paulò pòſt ſubdidit,dicens: Quia manus ſolius domini, & bellū dei erit contra Amalech à generatione in generationem. Manus ſolius domini, & bellum dei contra Amalech
E eſt,id eſt,contra malignos ſpiritus,qui ſanguinolenta & corruptibilia opera ſemper ſitiunt. Interpretatur enim Amalech populus brutus,vel populus lingens ſanguinem.Cùm Chriſtus in membris ſuis,hoc eſt, ſanctis,viriliter & ſine ceſſatione in præſenti tempore,contra ſpirituales nequitias præliatur,à generatione videlicet in generationem,id eſt, vſque ad finem mundi,quando perfectè victoria perpetrata ſancti cum triumpho ad cœleſte regnum comitantes Regem ſuum Chriſtū,intrabunt,regnū & ipſi accepturi perpetuū, tunc & illud veraciter impletur, quod Apoſtolus dicit, Abſorpta eſt mors in victoria. Et alibi ſcriptum eſt, Mors(inquit) vltra iam non *Apoc.21.* erit:neque luctus,neq; clamor, quæ prima abierunt. RVPERTVS. Porrò ſpiritualiter in libro cordis cuiuſque noſtrum ſcriptum eſſe vult,quia diabolū antiquum inimicum Iſraël,& angelos eius, & homines ſequaces eius perdere habeat,& memoriam eorum ſub cœlo delere,videlicet dicendo:Ite maledicti in ignem æternū, *Matth. 25.* qui paratus eſt diabolo & angelis eius,vt hac ſcriptura permanente in cordibus noſtris, nunquam cū illo pacem habeamus,neq; pugnare iuſsi cōtra hunc Amalech,inobedientes ſimus.Quod enim vni mādatum eſt, dicendo:
F & trade auribus Ioſue,ad omnes nos pertinet,& omnibus audiendum traditum eſt,ſi ita pugnantes deleuerimus Amalech,melius triumphabimus,quàm Saul,qui parcendo illi,triumphalem ſuperbiæ fornicem erexit,meliuſq; placebit obedientia noſtra,quàm illius victimæ.Nam & hoc innuit quod ſequitur, Aedificauitq; Moyſes altare, & vocauit nomen eius,Dominus exaltatio mea,dicens: Quia manus ſolius domini,& bellū dei erit cōtra Amalech à generatione in generationem.Suam quippe animam in dei templum ædificauit,qui vicit,vt ſtans iugiter ſuppoſito lapide manibus eius,non laſſetur vſq; ad occaſum ſolis,id eſt, vſque ad finem vitæ præſentis, Dicāt- *Pſalm.26.*
que cum Dauid, Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Ac deinceps, In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis,&c. Ipſo præſtante domino Ieſu Chriſto,qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

## IN DECIMVMOCTAVVM EXODI CAPVT, ARGVMENTVM.

*Iethro Moysi socer, vxorem cum filiis illi reduxit, cuius consiliarius etiam factus est super constituendis magistratibus.*

### CAPVT XVIII.

Lectio.1. *VMque audisset Iethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat dominus Moysi & Israël populo suo, & quòd eduxisset dominus Israël de Aegypto, tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat, & duos filios eius, quorum unus uocabatur Gersam, dicente patre, Aduena fui in terra aliena, alter uerò Eliezer, Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Iethro cognatus Moysi & filii eius, & uxor eius ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus iuxta montem Dei. Et mandauit Moysi, dicens, Ego Iethro cognatus tuus uenio ad te, & uxor tua, & duo filii tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum, salutaueruntque se mutuò uerbis pacificis, cumque intrasset tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat dominus Pharaoni & Aegyptiis propter Israël, uniuersumque laborem qui accidisset eis in itinere, & quòd liberauerat eos dominus. Lætatusque est Iethro super omnibus bonis quæ fecerat dominus Israëli, eo quòd eruisset eum de manu Aegyptiorum, & ait, Benedictus dominus qui liberauit uos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Aegypti. Nunc cognoui quia magnus dominus super omnes deos, eo quòd superbè egerint contra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias deo. Veneruntque Aaron & omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram domino.*

Lectio.1. AVCTOR CATENAE. Apud uetustissimos in more fuit, vt qui potentes erant, præerántq; reipublicæ ac magistratibus, fungerentur etiã sacerdotio, erant enim multarũ rerum scientia & vsu sapientissimi, aliorũ doctores, exhortatores etsi negociũ exposceret, defensores, tam orationibus ac sacrificiis religiosissq; cura ad deũ, quàm directione & auxilio ad subiectos. Hoc autem Hebræis Chohen est, qualis & rex Melchisedech, qualis & Iethro socer Moysi. Qui auditu mirabilium dei prouocatus, venit ad glorificandum deum, & congratulandum genero suo & toti populo Israëlitarum de grauissima seruitute liberato. De hoc igitur ita dicitur. *Cúmque audisset Iethro sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat dominus Moysi & Israel populo suo.* CAIETA- K
NVS. Legendum esset Ithro. Et est illemet qui in capitulo secundò appellatus est Raguel. Sacerdos Madian cognatus Moysi. Iuxta Hebræum habetur, socer Moysi. Et similiter in toto hoc capitulo, quotiens reperitur cognatus. AVCTOR CATENAE. Chaldaica editio loco sacerdotis Madian, habet princeps Madian, Cognatus Moysi. Dictum fuit aliâs, dictionem חֹתֵן Chothen, & cognatum, & socerum significare, à chathan verbo, quod est nubere, coniugia ducere, & matrimonio associari. Tam autem Chaldaica, quàm Septuaginta, hîc legunt, socer Moysi. Quod etiam sentit Interpres, accipiendo cognatum largo modo. Omnia quæ fecerat dominus Moysi, & Israël populo suo, id est, propter Moysen & Israëlem populum suum, In gratiam Moysi & populi sui Israëlis. *Et quòd eduxisset dominus Israel de Aegypto, tulit Sephoram uxorem Moysi*
*Sermone de Euãg. Nuptiæ factæ sunt.* *quam remiserat, & duos filios eius.* CHRYSOSTOMVS IN SERMONIBVS. Ne excuses te propter nuptias, Dominus tuus nuptiis interfuit, & nuptias honestauit, & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem? Nullum enim ad pietatem est obstaculum. Vis cognoscere, quòd nihil nocet habere vxorem & pue- L
ros? Moyses, nónne vxorem habuit & liberos? Helias nónne virgo erat? Nónne Moyses manna è cœlo deduxit? Nónne Helias ignem è cœlo deduxit? Nónne Moyses coturnices aduolare fecit? Nónne Helias verbo cœlũ clausit? Nónne Moysi deus locutus est? Nónne & cum Helia conuersatus est? Nónne Moyses mare diuisit & transduxit populum? Nónne Helias curru igneo in cœlum sublatus est? An nocuit huic virginitas, an impedimento fuerunt illi vxor & liberi? Vidisti Heliam aurigam in aëre, vidisti Moysen in mari viatorem. Vide & Petrum, Ecclesiæ columnam, quòd & ipse habuit vxorem. At non est scriptum, inquis, quòd Petrus habuit vxo-
*Matth.8.* rem: vnde ergo liquet, quòd vxorem habuit? Ego dico. Ingressus est Iesus ad socrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam: & reliquit eam febris, & stetit, & ministrauit. Vides quòd & Petrus vxorem habuit. Vbi enim socrus, manifestum quòd ibi & mulier. Vides quòd & Petrus vxorem habuit, ne incuses nuptias. Hæc dico, vt nequis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negociationem, vel opificium, vel seruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Hæc excusatio, hic prætextus, diaboli insidiæ sunt. Militiam prætexis, M
& dicis, Non possum esse pius. Centurio nónne miles erat? & dicit ad Iesum, Non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Et admiratus Iesus, ait: Amen amen dico vobis, neque in Israël tantam fidem inueni. Nihílque nocuit illi sua militia. At quid si opifex? Et Paulus operatus est manibus, qui & antea ecclesiarum deprædator, & post hoc factus prædicator & Apostolus. Quid verò si diues? Et Abraham diues, & ipse vxorem habuit & pueros. Credidit enim Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & amicus dei vocatus est: tam nihil obfuerunt ei diuitiæ, & mulier & pueri. Non habes excusationem. Tria quæ prætexere potes, vnus ille habuit, & vxorem, & pueros, & diuitias. Sed quomodo si seruus? Et Onesimus seruus erat, & scribit Paulus Philemoni, dicens, Onesimum qui olim nullius frugis, nunc autem & mihi, & tibi vtilis. Verùm quid si rex? Erat & Dauid rex. Et cùm ingressus ad eum Nathan Propheta, & arguit ipsum de peccato quod fecerat, Nunquid in illũ tyrannidem rex exercuit? nunquid vel asperũ aliquod

verbum



A verbum prophetæ dedit? an non & in regno seruum se fatebatur, dicens: Peccaui domino? Et propheta videns pœnitentiam eius, dixit: Et dominus abstulit peccatum tuum. Velox pœnitentia, velocior condonatio. Num aliquid tribuit sibi rex, & dixit, Rex sum, amictus purpura, circũdatus diademate, fero tela, sagittas, scuta, arma, mihi sunt milites & armigeri, & pauperem illum timerem? ferrẽ ne eum, & nõ occiderẽ? Sed nihil talium, quamuis rex esset: sciebat enim quòd peccarat, & ob hoc pœnituit, quia sciebat se grauiter peccasse. Et nihil ei obfuit regnum. Iam quid si iuuenis? erat & Daniel iuuenis, & leonum ora constrinxit, & dracones confregit, Bel subuertit, & presbyteros iudicauit, Susannam liberauit, tantæq; virtuti imperfecta ætas non obfuit. An non & talis erat
B fratrum amator Ioseph, qui tantam præ se tulit sapiẽtiam & continentiam apud Aegyptiam? Vestem suam diuisit, fidem non disrupit, impudentiam mulieris vicit, concupiscentiam non satiauit, & nihil impediuit illius virtutem adolescentia. Sed quid si vidua? Erat & Sidonia vidua, quæ Heliam hospitio excepit, & pauit pane & aqua, & auctorem famis non est reuerita. Quid autem si meretrix? Erat & Raab, quæ exploratores occultauit, &
H cùm filij Israël terram promissionis accepissent, saluata est ipsa cum domo & genere suo. At quomodo si pauper? Pauper erat talis & Lazarus. Et quantam ille sapientiam ac patientiam in extremis ostendit, licet nihil illũ in tanta necessitate leniret. Iam si mulieri quis deditus sit, an non & Samson? nam licet à muliere sit proditus, tamen ipsi deus dedit, vt se de alienigenis vlcisceretur. Sed quid si amas filios? amabat & Iob. Sed tentaris: tentabatur & Iob. Vides quòd saluati sunt? Habes fidem, habes omnia initiatiuè: non habes fidem, rex licet sis, nõ tibi proderit regnum ad salutem. EPIPHANIVS. Notandũ autem, quòd Moyses ex illo tempore quo pro-
*Exod.4.* phetare incœpit, vxorem suã concubitu non cognouit. RVPERTVS. Quam ob causam remiserit vxorẽ & filios suos Moyses, superius scriptum est, videlicet ob circuncisionẽ, tetigit enim pedes eius, & ait, Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquàm dixerat sponsus sanguinum. AVCTOR CATENAE. Tulit (subaudi Iethro socer Moysi, quas tres dictiones cùm sint in Hebræo, cõsultò ne idem repeteret, dimisit pru-
C dens Interpres) Sephoram vxorem Moysi quam remiserat. Hebraicè est, אַחַר שִׁלּוּחֶיהָ Achar silluchéha, Postquã remiserat eam, subaudi in domum paternam. Sic habet & Chaldaica. Nam ipsa cùm Moyses proficisceretur in Aegyptum, inciderat in morbum (vt voluere nonnulli) propter circuncisionem pueri sui. Alij vertunt, post missiones suas, id est, postquàm dimiserat eam, & reuersa fuerat in domum patris, quod est idem cum superiori expositione, & litera Latina. Alij, Post donationes vel dotes eius, hoc est, cumulatam donis & muneribus à patre. Est enim pronomen fœmininum הָ He finalis cum kamez. Alij, Postquàm misit (scilicet eius vxor) dona ad illum, videlicet virum suum Moysen. Moyses igitur collocutionis diuinæ tempore, & tantorum vsu miraculorum patratorum, cùm incruduisset nimis sæuitia Pharaonis, & instante negocio longè periculosissimo, iam remiserat vxorem suam & liberos ad domum soceri, quos hîc reducit Iethro marito & parẽti. Quo autem tempore venerit, etsi ante datam à domino legem decalogi, consultiùs otiosis discutiendum relinquimus, sicut & alia alibi plerunque. *Quorum unus uocabatur Gersam, dicente patre, Aduena fui in terra Aegypti, alter verò Eliezer, Deus enim*
D *(ait) patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.* CAIETANVS. Deum Abraham, & Isaac, & Iacob appellauit Moyses deum patris mei, hoc est deum veneratum à patribus suis vt iudicem vniuersalem. Quando autem, aut vbi natus est secundus filius Moysi, non est scriptum. AVCTOR CATENAE. Dicente patre, id quod & Hebraicè est כִּי אָבִי Chi amar, Quia dixit, subaudi Moyses vocabitur Gersam, hoc est, aduena. Aduena enim fui in terra aliena: Alter verò Eliezer. Deus enim, ait, (subaudi, Moyses) vocabitur Eliezer, hoc est, dei adiutorium, quia deus patris mei adiutor meus. Sancti igitur patres plures filios generasse leguntur, paucas filias & fere nullas, quandoquidem & earum in catalogis ratio non habetur. Nec tamen Israëlitæ
horruerunt cõnubia gentilium vxorum, sed fide diligentiùs institutas eas frequenter legimus. Moysen, Iudam, Ioseph, & Booz constat sanctas habuisse vxores, etiam alienigenas: sed periculosas & infideles, omnino vitandas præcipit lex diuina. Gersam superius quoque lectus est, hîc secundus additur Eliezer, quibus à sacro euentu nomina imponenda discamus more priscorum, non solùm ex imitatione appellationum aliorum, quorum
E nominibus admoneamur ad virtutem & gratiam dei. *Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & uxor eius ad Moysen in desertum ubi erat castrametatus iuxta montem dei.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ibi mons dei. Hinc habetur quòd nõ in Raphidim existente Moyse venit socer eius, sed postquàm castrametatus est iuxta montem Sinai, expressè enim describitur locus castrorum iuxta montem dei, quem perspicuum est esse montem Sinai. Et quia Moyses prænarrabat rem pòst gestam, ideo descripsit locum ne erraretur, sed ex eo loco intelligeretur quod prænarrabat. Et hoc clarè patet ex primo capitulo Deuteronomij, in quo Moyses refert se instituisse subiunctos hîc iudices, postquàm in monte Sinai lex data est. Et appellat montem Dei, eo quòd ibi deus legislator manifestatus est. AVCTOR CATENAE. Iuxta montem dei. Parui refert quòd Hebraicè est, שָׁם הַר הָאֱלֹהִים Sam har haelohim, Ibi mons dei. Nam idẽ dicit in sententia quod litera nostra. Septuaginta etiam vt apud nos habent, οὗ παρενέβαλεν ἐπὶ ὄρους τοῦ θεοῦ, Vbi castrametatus est in monte dei. Chaldaica verò, In desertum in quo ipse manebat, in montem super quem reuelata est gloria domini. *Et man-*
F *dauit Moysi, dicens, Ego Iethro cognatus tuus uenio ad te, & uxor tua, & duo filij tui cum ea.* CAIETANVS. Quamuis Hebraicè loco mandauit, habeatur, Et dixit, sensum tamen optimè Interpres reddidit, quia non per se ipsum, sed per nuncium dixit, cùm vicinus esset castris, vt patet ex hoc quòd Moyses auditis his verbis, iuit obuiam illi ad honorandum socerum. AVCTOR CATENAE. Peruenerat quidem Iethro cum filia & nepotibus ad extrema castrorum quæ in solitudine erecta stabant prope montem dei Horeb. Non autem se se ingessit populo, donec id sibi licere per amicitiam publicam intelligeret, ideo per internuncium renunciauit Moysi se præsentem cum suis. Non enim subitò hospes obruere debet virum arduis negociis ex officio occupatum, sed ciuiliter se se indicare alloqui cupientem si liceat. *Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum, salutaueruntque se mutuò uerbis pacificis.* INTERLINEARIS. Adorauit, id est, veneratus est. CAIETANVS. Honorationem incuruando se intellige. AVCTOR CATENAE. Adorauit. Sæpius dictum est, verbum שָׁחָה Sacha, & adorare, & incuruare se significare. Vnde & Adorauit, & incuruauit se

uit se reddi potest. Salutauerúntque se mutuò verbis pacificis. Doctè admodum Hebraica expressit Interpres, G quæ sunt huiusmodi וַיִּשְׁאַל אִישׁ לְרֵעֵהוּ לְשָׁלוֹם Vaisalu is lerehehu lesalom, Et interrogauerunt quisque amicum suum, siue alter alterum de pace, id est, de vitæ salute ac valetudine. Hebraismus est. Quidam vertunt, Bene precati sunt alter alteri. Alij, Salutauerunt se mutuò pacificè, Et sic habet Chaldaica, hoc est, verbis pacificis, sicut vertit Interpres. Demum, sunt qui reddant, Et salutauit alter alterum pacificè. Septuaginta, καὶ ἠσπάσαντο ἄλλήλους, Et amplexi sunt adinuicem. Quæ omnia nequaquam à sensu discrepant Latinæ editionis. Sic itaque Maiores honore, ætate, & cura, cum reuerentia suscipiendi sunt, & tractandi. Obuiam prodiit quamlibet occupatus, socero suo Moyses, honorem exhibuit: non vt deum procidendo adorauit, sed inclinauit pro more gentis, & in oscula charitatis ruit, & amicum complexatus, excepit alacriter gratum hospitem. Alterque alterum interrogat, si salua essent omnia & integra, benèque mutuùm precati sunt & peramicè, quæ diuinus spiritus non otiosè conscribi in sacris voluit, & doceri in Ecclesia. *Cúmque intrasset tabernaculum, narrauit* H *Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat dominus Pharaoni & Aegyptiis propter Israel, vniuersúmque laborem qui accidisset eis in itinere, & quod liberauerat eos dominus.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Quidam sunt qui intelligunt hoc de tabernaculo domini, & dicunt hoc esse dictum per anticipationem, sed non oportet: neque enim vnquam in tabernaculo domini immolauit, vel etiam illud intrauit, quia gentilis erat. CAIETANVS. Meritò toties replicat nomen domini tetragrammaton, cuncta enim attribuuntur fonti essendi, quia eius est esse fontem gratiarum. AVCTOR CATENAE. Vniuersúmque laborem qui accidisset eis. Dictionem תְּלָאָה Telaa, quæ propriè laborem significat, à verbo Zaa, nonnulli hìc verterunt Molestiã, nam idem verbum etiam molestè ferre significat. Chaldaica habet, tribulationem. Septuaginta vt apud nos. Qui accidisset, Hebraicum verbum est מְצָאָתַם Mezaátham, Qui inuenit eos. Sed hæc idem sunt in sensu cum Latina litera. Et dicere vult, quòd narrauit Moyses socero omnem laborem quem sustinuissent, seu molestiam & tribulationem quam passi essent in itinere vsque in diem illum. Quod autem dicitur, & quòd liberauerat eos dominus, rectè positum est, I & nihil aliud exprimitur, innuítq; eos de labore viæ eripuisse. At Septuaginta addiderũt, Quòd eripuisset populum suum de manu Aegyptiorũ, & de manu Pharaonis. Tabernaculum Moysi ingressus est Iethro, qualia quadraginta annis populus domino iubente inhabitauit, semper suspensus ad domini iussionem. Vides autẽ quomodo serui dei etiam inter amicabilia colloquia de rebus sacrosanctis & non friuolis, sed ad honorem dei spectantibus vti debent redimendo tempus. *Lætatúsque est Iethro super omnibus bonis quæ fecerat dominus Israeli, eo quòd eruisset eum de manu Aegyptiorum.* Quod hìc legitur, lætatúsque est Iethro, hoc idem & Hebraicè habetur, videlicet וַיִּחַר Vaichadde, Attamen non ita interpretati sunt Septuaginta, ἐξέστη δὲ ἰοθὸρ, id est, obstupuit Iethro, & hoc etiam rectè quidẽ, nam tot prodigiis auditis obstupuit. Deuotiores ferè semper Gentiles inuenti sunt ad dei gloriã, si quando eam agnouissent, quàm Iudæi, quod & Christus improperat Iudæis. Congratulabatur vir bonus populo Israëlitico de beneficiis dei perceptis, de obtenta libertate, & excussо tam crudelissimo seruitutis iugo, quod ipsum Iethro, nõ adeò longè distantem, latere non potuit. Congaudendum enim gaudentibus, & consolã- K di lugentes. *Et ait, Benedictus dominus qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Aegypti.* CAIETANVS. Profitetur & laudat sacerdos externus dominum, hoc est, summum deum contulisse beneficia hæc populo Israël. Quod autem addit, qui eruit populum suum de manu Aegypti, nõ est repetitio. Priùs enim cõmemorauerat beneficiũ ereptionis à persecutione Aegyptiorum & Pharaonis, modò autem commemorat beneficium liberationis à seruitute Aegypti. AVCTOR CATENAE. Nam & Chaldaica editio hoc in loco ita legit, Qui liberauit populum de medio angustiæ dominij Aegyptiorum, quæ verba penitùs apud Septuaginta non habentur, nec quid simile. Benedictus ergo dominus qui liberauit, & cætera, id est, omni laude dignus est dominus, & toto cordis affectu commendãdus. Videmus hìc etiam apud Gentes dei cognitionem fuisse, tametsi ex omnibus gentibus peculiariter elegerit Iudæos, ex quibus secundum carnem nasciturus erat Christus. Nonnihil quoque profecerant dudũ à Moyse etiam Madianitæ, qui fidẽ quoq; Abrahæ non in totum repulerant. De horum numero fuit Melchisedech, Iob, Naaman Syrus, Niniuitæ, & alij L quamplurimi, nobis ignoti, deo autem notissimi. *Nunc cognoui quia magnus Dominus super omnes deos, eo quòd superbè egerint contra illos.* INTERLINEARIS. In hoc (inquit) miraculo dominũ deum excedere deos omnes didici, vel gentilium quos colebant ipsi, vel sanctos, qui participatione beatitudinis bene dicuntur dij. CAIETANVS. Non solũ benefactorem hominibus, sed etiã excellẽtem ac superiorem omnibus vocatis diis profitetur iam notum dominum. Eo quòd superbè egerint contra illos. Iuxta Hebræũ habetur, Quia in re quam impiè egerũt, super ipsos. Dictio interpretata impiè egerũt, peiùs significat, videlicet studiosè impietatẽ exercere. Et est sensus, quia in illa re quà studiosè vsi sunt Aegyptij ad impiè necãdos Hebræos, Deus puniuit ipsos. Per aquã enim voluerũt perdere Hebræos, & aquã deus vertit super ipsos. AVCTOR CATENAE. Eo ꝙ superbè egerint cõtra eos. Hebraica sunt, כִּי בְדָבָר אֲשֶׁר זָדוּ עֲלֵיהֶם Chi badabar aser zadu halehem, Quoniã in eadẽ re qua superbè agebãt in eos, subaudi, perdidit eos. Id est, Dñs submersit Aegyptios persequentes Israëlẽ, quẽadmodũ pueros Hebræorũ ipsi præceperãt submergere cũ nascerẽtur. Alij reddũt, Quoniã in re qua insolẽter egerũt cõtra illos, sub- M audi perierũt. Hoc est remẽsum est illis ea mẽsura, qua ipsi mẽsi fuerũt Israëlitis. Submerserũt paruulos Israël in aqua, & ipsi quoq; in aquis perierunt. Alij, Quoniã in quo superbè egerũt, est super ipsos, id est, submersi sunt, qui paruulos submergebant, & afflicti, qui affligebãt. Nõnulli etiã, Quoniã ea res qua illi insolescebãt, super eos, scilicet irruit. Et intelligitur sicut suprà dictũ est. Quidam, Eo quòd in re, qua superbè & insolẽter egerant cõtra eos, supple Deus illis rependerit. Vnde & Chaldaica habet, Quia eadem re qua cogitauerũt Aegyptij iudicare Israël, in ipsa iudicati sunt, Quod ad suffocationem in aquis pari modo referendum est. Quæ omnia non discrepant à sensu vulgatæ editionis. Nam & ipsa cùm defectiua locutione sit, hoc modo intelligenda est. Septuaginta, ὅτι ἐπέδεντο αὐτοῖς, Quoniam imposuerunt eis, legunt, referúntque id forsitan ad calumnias, & onera, quibus Aegyptij affligebant Hebræos. Quanquam & hæc ipsa verba Complutensis editio, Quod superbè egerunt eis, Latina transferat. Dicat ergo Iethro, Nunc cognoui quia magnus dominus præ omnibus diis, siue super



A ue super omnes deos, eo quòd superbè egerint contra illos (Nec enim adeò purè & synceriter, nec tam clarè deum cognoscebant vt Israëlitæ) quasi diceret, Audiui sæpe antea de deo illo vestro, quòd magnus sit, at fides mea satis infirma erat. Nunc verò tanta miracula videns, fortiùs credo deum vestrum solum esse fortem & potentem super omnes qui dij appellantur, qui dignè tractauit superbissimos Aegyptios, qui Israëlitas tam duriter oppresserant sine omni humanitate & charitate. Nunc certè noui hunc deum iustissimum, afflictos liberantem, & afflictores tam improbos punientem. Cæteri dij vel malis hominum gaudent, vel suos liberare non possunt. Non sic deus Israëlis optimus atque iustissimus. *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocaustã & hostias deo.*

AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Secundum Septuaginta, Et sumpsit siue accepit Iethro socer Moysi holocaustomata & sacrificia deo. Sumpsit pro eo quod est obtulit. An fortè sensus est, non locutio, vt ea sumpsisse intelligatur, quæ Moyses obtulisset? Quanquam Moyses non legatur superius sacrificasse, nec Aaron, nec quisquam Hebræorum, qui educti sunt de terra Aegypti, sed tantùm superius B scriptum est, quòd altare constituerit Moyses, & appellauerit illud, Dominus meum refugium. Istum autem Iethro legimus sacerdotem fuisse Madian, id est, gentis Madian. Mirum est autem, si ad eius aduentum cœpit sacrificare Moyses, & non potius ipse Iethro, qui iam sacerdos erat. CAIETANVS. Ex eo tamen quòd non dicitur quòd animalia dederit in holocausta & sacrificia, sed quòd cœpit holocausta & sacrificia ipsi deo supremo & vniuersali iudici, qui tot iudicia exercuit in Pharaonem & Aegyptios, significatur quòd ipse socer Moysi sacerdotis officio vsus fuerit. Sic enim propriè loquendo, ipsa holocausta & sacrificia cœpisse verificatur, quatenus holocausta & sacrificia immolanda. Et quadrat vt sacerdoti detulerint, & quòd res gesta fuerit ante vnctionem Aaron in sacerdotem, ante constitutionem tabernaculi & arcæ domini, non enim postea admisissent vel permisissent externum sacerdotem immolare domino coram tabernaculo domini. AVCTOR CATENAE. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias deo. Sensum ex verbis optimè elicuit doctus C Interpres. Nam in Hebræo est verbum וַיִּקַּח Vaikkach, quod, Et accepit, redditur. Sic vertũt etiam Septuaginta. Vnde quod ait, Accepit holocausta & hostias deo, intelligitur, id est, quæ offerret deo. Hoc est, obtulit deo, sicut vertit Interpres. Chaldaica etiam ita legit, Obtulítque Iethro socer Moysi holocausta & sacrificia sanctificata coram domino. Sacrificat autem Iethro domino ob beneficia exhibita Israëli, quia fuit sacerdos. Sunt qui dicant, non sacrificasse Iethro, sed accepisse partem de immolatis deo ad edendum. Et verè Hebraica litera huic intellectui valde accommodari potest. *Venerúntque Aaron & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram domino.*

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur vbi ante deum, quando nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta? Neque enim & hìc de futura dictum *Quæst.66.* accipere possumus, sicut dictum est de manna, quod positum est in vase aureo. Ergo ante deum id accipere debemus factum, quod in honorem dei factum est. Vbi enim non deus? CAIETANVS. Non ergo interfuit Aaron vt sacrificaret, sed vt conuiua. AVCTOR CATENAE. Pars sacrificiorum comburebatur, pars D verò edebatur à sacrificantibus, publicè enim epulæ sacræ publicis festiuitatibus dabantur. Ciuilitas hìc notatur & religio cum integritate piorum hominum. Venit iste Iethro gratulatum genero suo totíque populo, cùm tot & tanta prodigia audisset, consalutant, communibúsque votis laudant deum, simul edunt & lætantur, gratias agentes deo pro beneficiis & victoriis. Coram deo autem edere, est in honorem dei de sacrificiis manducare dei, qui mos & apud gentes fuit. Decet igitur in publicis festiuitatibus cõuenire pios, lætúmque agere conuiuium, modò id fiat sine luxu, cum modestia & timore dei. Alij coram deo exponunt, id est, non longè ab eo loco, vbi deum consulebant, ante tabernaculum scilicet fœderis, non longè à tabernaculo Moysi. Nam tabernaculum Moysi erat iuxta tabernaculum fœderis. Hæc autem dicuntur per anticipationem, secundum istos, quia nondum erat tabernaculum fœderis. Admirabitur fortè aliquis, cur maiestas sanctæ scripturæ sese ad commemorandas tam humiles res demittat, vt videlicet describat quòd Iethro socer Moysi adduxerit ei vxorem suam cum liberis in desertum, quòd Moyses processerit ei obuiam, quòd salutauerint sese mutuò, quòd Moyses nar- E rauerit ei quid calamitatis acciderit Israëlitis in itinere, quòd seniores Israël cõuiuati sint cum Iethro. Sed nihil est tam humile, quod manu spiritus sancti, cuius organum est scriptura, tractatum non fiat splendidum & vtile. Ac primùm cùm recenset scriptura quòd affinis Moysi adduxerit ipsi vxorem & liberos, quos antea ex itinere domum remiserat, Docet deum magno commodo id rependere, quod ad vocationem eius relinquitur. Moyses enim reliquit vxorem & liberos, ac remisit eos ad patriam, vt expeditior exequeretur præceptum domini. Nunc ergo reducit eos affinis Moysi, & restituit ipsi magno honore. Vnde & in Euangelio dicitur: Qui reliquerit agrũ aut domum propter nomen meum, centuplum recipiet, & cætera. Hoc autem ideo obseruandum est, vt si quando necesse habeamus aliquid relinquere vt sequamur dominum, non insaniamus, non lugeamus tanquam prorsus amittendum, sed relinquamus tanquam in manu dei reponendum, & confidamus, tanquam maiori fœnore recepturi. Deinde quòd Moyses procedit obuiam affini suo, & adorat ac osculatur ipsum, exemplum est non solum ciuilis honestatis, qua alter alterum honore præuenire debet, sed etiam maximæ humilitatis in Moyse. Et si F enim Moyses ornatus erat clarissimo dono edendorum miraculorum, & gerebat magistratum super populum dei electum, non tamen despicit præ se affinem suum, sed abiicit sese coram ipso tanquam multò minorem & contemptiorem. Memorabile exemplum, quo discendum est, vt quantò maiores sumus, tantò submissiores nos geramus. Arrogantia enim ex alto in imum deiicit, humilitas autem ex imo in altum erigit.

ORIGENES. Post hæc (inquit) venit ad montem dei Moyses, & ibi occurrit ei Iethro socer suus. At ille *Mysticè.* exiit ei obuiam de castris, & non eum ducit ad montem dei, sed ducit eum ad tabernaculum suum. Non enim *Hom.11.* poterat sacerdos Madian ascendere ad montem dei, sed nec in Aegyptum descendere potuit, vel ipse, vel vxor Moysi, sed nunc ad eum venit cum filiis eius. Non enim potest descendere in Aegyptum, & subire agones Aegyptios, nisi qui fuerit athleta probabilis, & talis, qualem dicit Apostolus, Quia omnis qui in agone contendit, *1.Corin.9.* ab omnibus se abstinet: &, illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans. Moyses ergo quia magnus erat & potens athleta

athleta, descendit in Aegyptum, descendit ad agones & exercitia virtutum. Sed & Abraham descendit in Aegyptum, quia erat & ipse magnus & potens athleta. Nam de Iacob quid dicam qui ipso nomine athleta est? Luctator enim & supplantator interpretatur. Et ideo cùm descendisset in septuaginta quinque animabus in Aegyptum Iacob, factus est sicut stellæ cœli in multitudinem. Sed non omnes qui descendunt in Aegyptum, ita pugnant, & ita expediunt agones, vt in multitudinem fiant, & vt stellæ cœli multiplicentur. Aliis in contrarium cedit descendisse in Aegyptum. Scio ego Hieroboam fugientem à Salomone descendisse in Aegyptum, & non solum non creuisse in multitudine, sed & scidisse, & corrupisse populum dei. Quia descendens in Aegyptum, accepit à Susachim rege vxorem Thecimene vxoris eius sororem, sed interim venit Iethro ad Moysen, adducés secum filiam suam vxorem Moysi, & filios eius. ISIDORVS ET INTERLINEARIS. Deuicto igitur Amalech, venit Iethro socer Moysi, & adduxit Sephoram, id est, superato diabolo adduxit Christus Ecclesiam, & vtrumque filium ex vtroque populo procreatum. Gersam enim eos significat qui dicunt, Aduena sum *Psal.38.* apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. Eliezer autem, eos qui dicunt, Adiutor meus & liberator meus es *Psal.69.* tu, domine ne moreris. Cúmque intrasset tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat deus Pharaoni & Aegyptiis propter Israël. Hoc figura fuit eius quod mox veraciter successit, quando primi Ecclesiæ prædicatores, populo de gentibus vel earum prædicatoribus narrauerunt quæcunque fecerat deus mirabilia contra diabolum & eius ministros propter sanctos deum videntes. Vniuersúmque laborem qui accidisset in itinere, quo scilicet transitur de mundo ad cœlum, quem refert Paulus sibi accidisse, cùm in infirmitatibus suis *2.Cor.11.* gloriatur. Sed & offert Iethro holocausta & victimas deo, quãdo quilibet fidelis licitè vtitur mãdatis, vel quando ex toto mundum relinquit. Sacrificium etiam deo est, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, *Psal.50.* iuxta Psalmistæ sententiam. ORIGENES. Et venit (inquit) Aaron & omnes presbyteri de Israël manducare panem cum socero Moysi in conspectu dei. Non omnes panem manducant in conspectu dei, sed qui presbyteri sunt, qui seniores, qui perfecti sunt & meriti probati, ipsi manducant panem in conspectu dei, qui obser- I
*1.Cor.10.* uant illud quod Apostolus dicit, Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam dei facite: omnia ergo quæ faciunt sancti, in conspectu dei faciunt. Peccator autem à conspectu dei fugit. Denique scriptum est, quia Adam postquam peccauit, fugit à conspectu dei, & interrogatus respondit, Audiui vocem tuam & abscõdi me, quia eram nudus. Sed & Cain postquam pro paricidio cõdemnatus à deo est, Exiit (inquit) à facie dei, & habitauit in terra Naim. Exiit ergo à facie dei, qui indignus est conspectu dei. Sancti autem manducant & bibunt in conspectu dei, & omnia quæ agunt, in conspectu eius agunt. Ego amplius adhuc locum præsentem discutiens, video quia qui pleniorem scientiam dei accipiunt, & pleniùs diuinis imbuti sunt disciplinis, isti etiam si malum faciunt, coram deo faciunt, & in conspectu eius faciunt, sicut ille qui dixit, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid ergo plus habet qui malum coram deo facit? Illud profectò quòd continuò pœnitet, & dicit: Peccaui. Qui autem discedit à conspectu dei, nescit conuerti, & peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergo interest malum coram deo facere, & à dei conspectu discessisse peccantem. K

2 *ALtera autem die sedit Moyses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondet Moyses, Venit ad me populus quærens sententiam dei. Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta dei & leges eius. At ille, Non bonam (inquit) rem facis. Stulto labore consumeris, & tu & populus iste qui tecum est. Vltra vires tuas est negocium. Solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilia, & erit dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad deum, ostendásque populo cærimonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeant, & opus quod fa-* L
*cere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent, leuiúsque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium dei, & præcepta eius poteris sustentare, & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Dimisítque cognatum suum, qui reuersus abiit in terram suam.*

2 AVCTOR CATENAE. Post gaudia sanctæ societatis, & cœnam honestissimam, statim sanctus redit M sine impedimento hospitalitatis ad suum officium consultandi & consulendi grauatis, dirimendi controuersias, & ad causas tractandas ciuiles, próque fouenda charitate & seruanda in tanto populo. Ait ergo, *Altera autem die sedit Moyses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi de mane vsque ad vesperam.* INTERLINEARIS. Ab initio enim mundi vsque ad finem, nunquam defuit lex naturalis vel scripta, qua populus iudicaretur. AVCTOR CATENAE. Altera autem die, id est, sequenti quàm Iethro venerat, sedit Moyses vt iudicaret populum, hoc est, vt ius redderet populo. Qui assistebat Moysi. Id quod & Hebraicè legitur וַיַּעֲמֹד הָעָם עַל מֹשֶׁה Vaiahamod haham hal Mose. Et stabat populus iuxta Moysen. Et Chaldaica, Steítque populus apud Moysen. Septuaginta vt apud nos. Assiduitas etiam designatur in Moyse, qui à mane vsque ad vesperam incumbebat iudiciis decernendis, absque eo tamen quòd aliquid emolumenti è ducatu suo perciperet, quemadmodum in Numeris capitulo decimo sexto scribitur. Quia verò omne iudicium non in motu passionis, sed in tranquillitate ra-



A tate rationis exerceri debet, ideo sedit Moyses ad iudicium peragendum, & hinc venit, quòd iudices pro tribunali sedentes sententias proferunt. Sessio enim corporis, tranquillitatis mentis indicium & figura est. *Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait, Quid est quòd facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur à mane vsque ad vesperam?* Iam dictũ, quòd vbicunque in nostra litera legitur cognatus, Hebraicè est חֹתֵן Chothen quod socer, & affinis, & cognatus reddi potest. Quid est quod facis in plebe? Non deuiat à sensu Hebraici fontis qui est huiusmodi מָה הַדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר אַתָּה עֹשֶׂה לָעָם Ma hadabar haze aser atta hose laham, Quid est verbum hoc quod tu facis in populo? id est, propter populum, seu populi causa. Sic & Chaldaica. Septuaginta, vt apud nos, quod est omnino idem. Et omnis populus præstolatur. Idem dicit in effectu quod Hebraicum, nempe נִצַּב עָלֶיךָ Nizzab halécha, stat iuxta, siue apud te. Sic & Chaldaica. Septuaginta, παρέσηκέ σοι, Astitit tibi. Videns itaque Iethro afflictionem, & laborem generi sui, arripit rhetorico more id quod plus moueret, nempe populi af- B flictionem, tametsi leuare voluit onus Moysi. Quid (inquit) tu populo sic facis, vt totam diem hîc expectare & durare cogantur? *Cui respondit Moyses, Venit ad me populus quærens sententiam dei. Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta dei & leges eius.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæri potest cùm dicat, iudico vnumquemque & moneo eos præcepta dei & legem, quo- *Quæst.67.* modo ista dixerit Moyses, cùm lex dei adhuc nulla conscripta esset, nisi quia lex dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, vt quod in ea inuenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, secũdum quod illa incommutabili veritate perceperint. Nunquid enim Moyses, quanuis cum illo deus loqueretur, per singula credẽdum est quòd consulere soleret deum, si quid esset in disceptationibus tãtæ multitudinis, quæ illum in hoc iudicandi negotio à mane vsque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem dominum consuleret, legémque eius æternam sapienter attenderet, quid iustissimum iudicare inter disceptantes posset, non inueniret. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Venit populus ad me ad quærendum deum. Sed sensum o- C ptimè expositi Interpres, quoniam non aliter quærebant deum veniendo ad Moysen, quàm quærendo sententiam dei, quatenus Iudex est. AVCTOR CATENAE. Venit ad me populus quærens sententiam dei: Hebraica sunt: כִּי יָבֹא אֵלַי הָעָם לִדְרֹשׁ אֱלֹהִים Chi iabo elai haham lidros elohim, Quoniam venit ad me populus, ad quærendum, siue interrogandum, vel vt consulat dominum. Nec aliter intelligitur locus, quàm sicut doctus intelligit interpres. Vnde & Chaldaica habet, Venit ad me populus vt quærat doctrinam à facie domini. Et Septuaginta, ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ θεοῦ, Quærere iudicium à deo. Sequitur, Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio. Est in Hebræo dictio דָּבָר Dabar, communis significationis. Vnde hîc aliqui vertunt, causa aliqua. Chaldaica, Cúmque est eis iudicium. Septuaginta, vt apud Interpretem Latinum. Quæ tamen omnia idem significant. Veniunt ad me. Hebraicè est בָּא Venit, præsentis temporis, singulare tamen pro plurali, id est, veniũt, repræsentat enim populum, id est, venire solet populus. Vt iudicem inter eos. Hebraicè est וְשָׁפַטְתִּי בֵּין אִישׁ וּבֵין רֵעֵהוּ Vesaphatti ben is vben rehéhu, Et iudico inter virum & inter proximum, seu amicum suum. Vel inter vnum & D alterum. Aut inter vtrumque. Et est saphatti verbum præteritum pro præsenti. Septuaginta, διακρίνω ἕκαστον, Diiudico vnumquemque. Chaldaica, Et iudico inter virum & proximum suum. Sed hæc non discrepant à sensu literæ nostræ. Quod etiam sequitur, Et ostendam, pari modo præteritum est וְהוֹדַעְתִּי Vehodahetti, Et ostẽdo. Dicit ergo Moyses socero suo, Ego iuxta legem dei & dictamen spiritus diuini iudico populum, & lites compono, non iuxta meos affectus. Vbi discendum, iudicium nobis iustum inquirendum à deo, cuius lex est non nostra, verbum dei, spiritum legis tenendo, non solùm literam. Ne qui legum sunt peritissimi, fiant omnium pessimi, ac versutissimi homines. Oportet enim iudices esse viros pios & fideles, deúmque metuentes, qui iuxta mentem legis & dei, iudicent, quilibet enim in sua ac suorum causa cæcus est. Componebat autem Moyses causas secundum legem viuam, scriptam in corde suo, non qualibet ex causa ad locum aliquem pro consulendo deo recurrebat, sed omnia iuxta diuinam voluntatem, quæ in corde eius erat, plenus sancto spiritu faciebat. At ille, *Non bonam (inquit) rem facis. Stulto labore consumeris, & tu & populus iste qui tecum est. Vltra vires tuas est negocium. Solus istud non poteris su-*
E *stinere.* AVGVSTINVS. In hoc quòd Iethro consilium dat genero suo Moysi, ne occupatus iudiciis populi *Quæst.68.* & ipse & populus consumeretur consumptione intolerabili, prima quæstio est, cur hoc deus famulum suum, cum quo ipse tanta & talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri. In quo scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum est etiam, ne fortè ibi voluerit deus ab alienigena admoneri Moysen, vbi & ipsum posset tentare superbia, sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, vniuerso populo stante. Nam hunc sensum indicat, cùm ipse Iethro eos eligi iussit ad iudicandas causas populi, qui odissent superbiam, sic enim in antiqua translatione habetur. Deinde quàm sit obseruandum quod alibi scriptura dicit, Fili ne in multis sint actus tui, satis & hîc apparet. Deinde verba Iethro dantis consilium Moysi consideranda sunt, Dicit enim, Nunc itaque audi me, & cõsilium dabo tibi, & erit deus tecum. Vbi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum, deo quodammodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberiùs extenditur. CAIETANVS. Non bonam (inquit) rem F facis, nempe quia erat minus vtilis populo, & valde laboriosa Moysi. Quod verò sequitur, stulto labore consumeris, & tu & populus iste, Iuxta Hebræum habetur, Cadendo cades etiam tu, etiam populus iste qui tecum est, hoc est, nimia lassitudine succumbes tam tu quàm populus. AVCTOR CATENAE. Stulto labore consumeris. Hebraicè legitur נָבֵל תִּבֹּל Nabol tibbol. Quot sunt capita, tot hîc sunt versiones. Pro quo sciẽdum verbum Nabal, defluere, decidere, cadere, euanescere, stultum esse, significare. Vnde sic verti potest locus. Primum, Decidens decides, siue, Emarcescens emarcesces, vel, defatigatus defatigaberis. Deinde, succumbendo succumbes, vel, deficiendo deficies, Hoc est, proculdubio deficies & succumbes. Et hoc significat geminatio illa verbi Hebraici. Tertiò exponitur, lassitudine siue fatigatione fatigaberis, Sicut legit & Chaldaica. Quartò, pallescendo pallesces. Quod est per metaphoram dictum, in morem arborum quæ virorem amittunt, cùm nimio percutiuntur frigore vel æstu. Quintò, Cadendo cades. Demum, omnino decides. Quorum omnium iste sit sensus: Rem vehementer stultam facis, & insuper sub tanto hoc onere concides, ac viribus destitueris, & interim populo con-

lo consultum non erit. Septuaginta autem, φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυπομονήτῳ, id est, Corruptela corrumperis, inte- G
ritu interibis, vel corruptione consumeris intolerabili. Infinitum laborem indicant, & qui perniciem afferat. Se-
quitur, Vltra vires tuas est negocium. Egregiè sensum ex verbis hausit Interpres, nam in Hebræo est כִּי כָבֵד מִמְּךָ הַדָּבָר Chi chabed mimmecha hadabar, Quoniam graue præ te verbum, siue negocium, id est, grauius est, quàm
tu ferre possis. Et id quod Latinus vertit Interpres. Chaldaica, Quia grauis tibi est res ista. Septuaginta, βαρύ σοι τὸ ῥῆμα τοῦτο, Graue tibi verbum hoc. Solus illud non poteris sustinere, vel facere. Est enim עַשְׂהוּ Hasohu, Facere
illud. Sed idem est. Bonum quidem erat quod faciebat Moyses, sed commodiùs fieri poterat, & ideo compara-
tione melioris, audet dicere non bonum. Vt enim minus malum ad maius comparatum, rationem habere vi-
detur eligibilis, & consequenter boni aliquomodo, sic minus bonum comparatum ad maius videtur rationem
habere defectus, & consequenter mali aliquo modo. Rectè ergo dicitur, Rem non bonam facis: stulto labore
consumeris, & cætera. Ex hoc loco discimus onera communitatis dispartienda esse in humeris plurimorum: H
hoc ipso enim fit officium leuius, si multorum viribus sustineatur. Hìc autem obserua modestiã Iethro, qui etsi
videbat Moysen nimia sua diligentia, nec suo officio, nec populi tranquillitati rectè consulere, non tamen re-
prehendit eum, causa nondum explorata, sed primùm omnium inquirit facti rationem, & postea reprehendit
Moysen. Nec reprehendit tantùm, sed addit etiam prudens consilium, de republica meliùs & trãquilliùs admi-
nistranda. Sunt qui intelligunt aliena errata, sed importunè reprehendunt ea. Sunt qui opportunè reprehendũt,
sed stupidiores sunt, quàm vt sano consilio subuenire queant. Iethro autem absoluit omnes, & modestiæ & pru-
dentiæ partes. Proponitur ergo Iethro nobis in exemplum, vt discamus ex ipso, quòd tunc liceat nobis aliena
errata reprehendere, cùm & erratum intelligimus, & modestiam sectamur, & prudens consilium ostendere pos-
sumus, quo erratum corrigatur. *Sed audi verba mea atque consilia, & erit dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad deum per-*
*tinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendásque populo cærimonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeant & opus quod fa-*
Quæst. 69. *cere debeant.* AVGVSTINVS. Cum populo vniuerso hoc agendum esse demonstrat. Non enim ait, vniuſ- I
cuiusque verba referes ad deum, sed verba eorum, cùm supradixisset, Esto tu populo in iis quæ ad deum sunt.

CAIETANVS. Vt consilium suum auctoret, dicit quòd complectendo illud, non recedet à via summi
iudicis, sed ipse summus iudex deus erit cum eo, vt pote cui placent consilia suauis ordinis secundum rectam
rationem. Esto tu populo in iis quæ ad deum pertinẽt. Iuxta Hebræum, Sis tu populo frons Elohim. Et est geni-
tiui casus Elohim, hoc est, esto tu populo vice dei summi iudicis. Fungi enim officio frõtis Elohim, nihil aliud
est, quàm fungi officio dei summi iudicis, quàm personalem præsentiam in iudiciis exhibere, quando frons (hoc
est, apparentia) summi iudicis exigitur. Vt referas quæ dicuntur ad eum. Iuxta Hebræum, Et adduces tu verba
ad Elohim. Vtrumque officium (videlicet quæ sunt personæ dei ad populum, & quæ sunt populi ad deum) con-
sulit exercendum Moysi, vt vtrinque sit medius inter deum & populum. Intellige hoc secundum per modum
consultationis, vt scilicet dubitante populo de aliquo, ipse Moyses supplex cõsulat quid decernit deus summus
iudex. Ostendásque populo cerimonias, & cætera. Expositio est primi, quòd videlicet vice dei tria exerceat in K
populo. Primum est, promulgare ei statuta & leges. Secundum est, manifestare eis viam secundum statuta & le-
ges qua progredi debent tam credendo, sperando & amando, quàm reuerendo, adorando, colendo, & cætera,
quæ religionis sunt communia populo. Tertium est, manifestare eis opera quæ debent facere, ac per hoc opera,
quæ debent non facere. Quibus postea addit quartum, videlicet iudicium maiorum causarum duntaxat, insti-
tutis diuersorum graduum iudicibus super minores causas. AVCTOR CATENAE. Sed audi verba
mea atque consilia. Non deuiat ab Hebraico עַתָּה שְׁמַע בְּקֹלִי אִיעָצְךָ Hatta semaha bekoli iházcha, Nũc audi vo-
cem meam, consilium tibi dabo, id est, acquiesce mihi monenti. Vnde & Chaldaica habet, Nunc acquiesce mihi
& dabo tibi consilium. Septuaginta, νῦν οὖν ἄκουσόν μου καὶ συμβουλεύσω σοι, Nunc igitur audi me, & consulam ti-
bi. Quæ idem dicunt cum Latina litera. Et erit dominus, vel deus tecum, id est, erit tibi auxilio. Vel, dabo tibi
tale consilium, quod deus tibi fauendo, probabit. Chaldaica, Et erit verbum domini in adiutorium tui. Septua-
ginta vt apud nos. Esto tu populo in his quæ ad deum pertinẽt. Scitè admodũ Hebraicum reddidit מוּל הָאֱלֹהִים L
Mul haelohim, Ante deum, siue coram deo, id est, tu propter populum asta coram deo. Hoc est, tu gere curam po-
puli coram deo. Aliqui reddunt, Sis tu populo è regione dei. Nonnulli, respectu dei: quidam etiam, ex parte dei.
Chaldaica, Esto tu populo quærens doctrinam à facie dei. Septuaginta, γίνου σὺ τῷ λαῷ τὰ πρὸς τὸν θεόν, Esto tu
populo quæ ad deum. Quæ omnia vnum & idem dicunt cum litera nostra. Sequitur, Vt referas quæ dicuntur
ad deum. Hebraicè est, אֶת הַדְּבָרִים אֶל הָאֱלֹהִים Eth hadebarim el haelohim, Negocia, siue verba, siue causas ad
deum. Chaldaica, Et tu referes verba eorum in cõspectum domini. Septuaginta, καὶ ἀνοίσεις τοὺς λόγους αὐτῶν πρὸς
τὸν θεόν, Et referes sermones eorum ad deum. Et hæc idem sunt cum litera Latina. Ostẽdásque populo cærimo-
nias, & ritum colendi. pro, ritum colendi, in Hebræo est וְאֶת הַתּוֹרֹת Veeth hatoroth, Quod aliqui vertunt, Et le-
ges. Sed de legibus colendi deum sermo est, cùm Moyses sit futurus in his quæ sunt ad deum, & ideo rectè ver-
sum est. Aliqui vertunt locum, Et docebis eos statuta & leges. Chaldaica, Et admonebis eos præceptis & legibus.
Septuaginta, καὶ διαμαρτύρει αὐτοῖς τὰ πρόσταγματα τοῦ θεοῦ καὶ τὸν νόμον αὐτοῦ, Et testificare eis præcepta dei, & legem M
eius. Quæ non variant à litera nostra. Viámque per quam ingredi debeant, supple ostende illis, quod tamen est
in Hebræo, videlicet וְהוֹרַעְתָּ לָהֶם אֶת הַדֶּרֶךְ יֵלְכוּ בָהּ Vehodahetta lahem eth haderech ielchu ba, Et ostendes, seu
indicabis eis viam in qua, siue per quam ambulent. Sed Interpres effugere voluit eiusdem verbi crebram repe-
titionem. Obsequere igitur (inquit Iethro) consilio meo, vt sit tecum dominus. Tametsi enim ego Israëlita non
sim, consilium tamen quod suggeram, etiam deo placebit, nam est ex deo quicquid charitati & fidei prodest in-
ter homines. In rebus arduis & difficilibus, quæ ad deum referendæ sunt, & petenda oracula, ac quærenda eius
doctrina, tu partes tuas porrigere debes, sequester inter deum & homines. Studij autem tui erit, vt populus ad-
moneatur oratione tua ad obseruantiam mandatorum dei, quæ tu illis præscribes ex ore domini dei tui, vt in-
struas eos de via domini, quæ est iustitia, æquitas, charitas, frugalitas, pax & beneficentia, & cætera. Curabísque
diligenter vt facienda perficiant, & non errent in doctrina. *Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes deum,*
*in quibus*



*A in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam. Et constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos qui iudicent popu-*
*lum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent, leuiúsque tibi fit, partito in alios onere.*

ORIGENES. Vt video, Iethro non frustra venit ad Moysen, nec frustra manducauit panem cum senio-
ribus populi in conspectu domini. Dat enim consilium Moysi probabile satis & vtile, vt eligat viros, & consti-
tuat principes populi viros deum colentes, viros potentes, & odientes superbiam. Tales enim oportet esse prin-
cipes populi qui non solùm superbi non sint, sed & qui oderint superbiam, id est, vt non solùm ipsi absque vitio
sint, sed & vt in aliis oderint vitia. Non homines dico odisse, sed vitia. Et ordinabis (inquit) eos tribunos, & cen-
turiones, & quinquagenarios, & decanos, & iudicabunt populum omni hora. Verbum autem quod grauius fue-
rit, referent ad te. Audiant principes populi, & presbyteri plebis, quia debẽt omni hora populum iudicare, sem-
per & sine intermissione sedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare dissidentes, in gratiam reuocare discor-
des. Discat vnusquisque ex scripturis sanctis officium suum. Moyses (inquit) vt sit in his quæ ad deum sunt, &
B verbum dei edisserat populo. Cæteri autem principes quos appellant tribunos (Tribuni enim ex eo dicuntur,
quòd tribui præsint) cæteri ergo tribuni, vel centuriones, vel quinquagenarij, præsint minoribus iudiciis, quæ ad
singulos quosque pertinent dirimentes. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECI-
MVM OCTAVVM. Moyse magistro vsus est populus Iudæorum quotidie in sermonibus suis, à mane vs-
que ad vesperam iudicium dei operiendo. Quod videns cognatus eius esse intolerabile, consilium dedit nego-
cij consummandi, partito cum aliis onere, qui ad hoc munus electi sunt. Noctibus ac diebus sine vlla cessatione
recenseto scripturas diuinas, quia & si quid aliud seniorem interrogaueris, nescit nisi scripturæ diuinæ seriem
resultare. Vacat illic sermo de seculo, sola illic scriptura contexitur, singulorum sibi per vices ora succedunt, ne
quando sacer ille sonus mandatorum cœlestium ferietur, Et tu Christiane dormis, cui magister est Christus, &
non vereris de te dicatur: Populus iste nec labiis me honorat? Iudæus vel labiis, tu verò nec labiis. Si illius qui
vel labiis honorat, cor lõge est à deo, quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam labiis non honoras? Quam
C diu te somnus, quamdiu te secularia tenent, quamdiu sollicitudo istius vitæ, quamdiu terrena? Diuide saltem
deo & seculo tempora tua, vel quando non potes agere in publico quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent
noctis, deo vacato, indulge orationibus, & ne obdormiscas psallito, somnum tuum bona fraude fraudato, mane
festina ad Ecclesiam. Defer primicias pij voti, & postea si vocat secularis necessitas, non excluderis dicere: Præ-
uenerunt oculi mei mane meditari verba tua, & sic securus procedis ad tuos actus. Quàm iocundum inchoare
ab hymnis & canticis, à beatitudinibus quas in Euangelio legis, quàm prosperũ vt te Christi sermo benedicat,
& dum recantas domini benedictiones, studium alicuius virtutis assumas, vt etiam in te benedictionis diuinæ
meritum recognoscas. HIERONYMVS IN PROVERBIA. Audiens sapiens, sapientior erit. Quia
sapientiæ amator extitit Salomon, qui optione sibi data, sapientiam petiit & accepit: pulchrè initium parabola- *Cap. 1.*
rum suarum à sapientia sumit. Quod autem (ait) sapientem cùm audierit verbum, sapientiorem effici: ostendit
neminem in hac vita sapientem fieri posse, cuius sapientia nequeat augeri. Sempérque moris esse sapientum, vt
D dictis maiorum, aliquando etiam minorum auscultent, & quicquid in eis vtilitatis audierint, ad se replicent,
suóque in corde recondant. Denique audiuit sapiens minor maiorem, regina Saba Salomonem, & sapien-
tior rediit. Audiuit Moyses socerum multò inferiorem sublimior: & sapientior redditus est. Audierant discipu-
li Christum, & spiritum sapientiæ percipere meruerunt. Audiuit Nicodemus: audiuit Gamaliel: audiuit discipu-
lus eius tunc Saulus, nunc Apostolus Paulus, sapientes vtique verbum Euangelij: & sapientiores sunt facti. Qui
etiam Paulus cùm ad tertium cœlum raptus, audisset ea quæ non licet hominibus verba loqui, nihilominus ad
terram reuersus aiebat: Quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfe- *1. Cor. 13.*
ctũ est, euacuabitur quod ex parte est. IDEM SVPER MATTHAEVM. Sed quæramus ab hæreticis *Cap. 7.*
qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas, si iuxta intelligentiam eorum, arbor bona malos fructus facere
nunquam potest, quomodo Moyses arbor bona peccauerit ad aquam contradictionis? & Dauid Vria interfecto,
cùm Bersabeæ concubuerit. Petrus quoque in passione domini negarit, dicens: Nescio hominem: aut qua con-
E sequentia Iethro socer Moysi arbor mala, qui vtique in deum Israël non credebat: dederit consilium Moysi bo-
num: & Achior ad Holofernem aliquid vtile sit locutus: & Comicus dixerit, quod bene dictum Apostolus com-
probauit: Corrumpunt mores bonos, colloquia mala. Et cùm non inuenerint quid respondeant, nos inferemus,
& Iudam arborem quõdam bonam, fecisse fructus malos, postquam tradiderit saluatorem: & Saulum arborem
malam eo tempore quo persequebatur Ecclesiam Christi, fecisse postea fructus bonos, quando in vas electionis
de persecutore trãslatus est. Tamdiu ergo bona arbor, fructus non facit malos, quamdiu in bonitatis studio per-
seuerat: & mala arbor tamdiu manet in fructibus peccatorum, quamdiu ad pœnitentiam non cõuertitur. Nemo
enim permanens in eo quod fuit, incipit id esse quod nec dum cœperit. AVGVSTINVS. Sic & ab ipso
Moyse remouere intendit Iethro graues & periculosas occupationes, nec istos grauare. Quãdoquidem ipsi mil- *Quæst. 69.*
le haberent vnum super se, & sub illo haberent alios decem, & sub eis alios viginti, & sub his alios centum, vt
vix aliquid ad singulos quosque præpositos perueniret, quod iudicare necesse haberent. GREGORIVS IN *2. par. ca. 7.*
F PASTORALI. Sæpe nonnulli velut obliti quòd fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis adnisu
secularibus curis inseruiunt: has cùm assunt, se agere exultant: ad has etiam cùm desunt, diebus ac noctibus co-
gitationis turbidè æstibus anhelant: cúmque ab his cessante forsitan opportunitate quieti sunt, ipsa deteriùs sua
quiete fatigantur. Voluptatem nanque censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant, si in terrenis ne-
gotiis non laborant. Sícque fit, vt dum vrgeri se mundanis tumultibus gaudeant, interna quæ alios docere de-
buerant ignorent. Vnde subiectorum quoque proculdubio vita torpescit, quia cùm proficere spiritaliter appetit,
in exemplo eius qui sibi prælatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite, incassum mem-
bra vigent, & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur. Si ab ipso duce itineris erratur, nulla
subditorum mentes exhortatio subleuat, eorúmque culpas increpatio nulla castigat: quia dum per animarum
præsulem terreni exercetur officium iudicis, à gregis custodia vacat cura pastoris, & subiecti veritatis lumen

apprehen-

apprehendere nequeunt,quia dum pastoris sensus terrena studia occupant,vento tentationis impulsus Ecclesiæ G
oculos puluis cęcat.Quo contra rectè humani generis redemptor,cùm nos à ventris voracitate compescęret,di-
cens: Attendite autem vobis vt non grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, illico adiunxit, aut in curis
*Luc.21.* huius vitæ.Vbi pauorem quoque protinus intentè adiiciens, ne fortè, inquit, superueniat in vos repentina dies
illa.Cuius aduentus etiam qualitatem denunciat,dicens:Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui se-
*Luc.16.* dent super faciem omnis terræ.Hinc iterum dicit,Nemo potest duobus dominis seruire. Hinc Paulus religioso-
*2.Timo.2.* rum mentes à mundi consortio contestando, ac potius conueniendo suspendit,dicens: Nemo militans deo im-
plicat se negociis secularibus,vt ei placeat cui se probauit.Hinc Ecclesiæ rectoribus,& vacandi studia præcipit,
& consulendi remedia ostendit,dicens, Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Eccle-
*1.Cor.6.* sia, illos constituite ad iudicandum, vt ipsi videlicet dispensationibus terrenis inseruiant, quos dona spiritalia
non exornant. Ac si apertiùs dicat: Quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur. Hinc H
Moyses qui cum deo loquitur, Iethro alienigenæ reprehensione iudicatur, quòd terrenis populorum negociis
stulto labore deseruiat, cui & consilium mox præbetur,vt pro se alios ad iurgia dirimenda constituat, & ipse li-
beriùs ad erudiendos populos spiritalium arcana cognoscat. A subditis ergo inferiora gerenda sunt, à rectori-
bus summa cogitanda,vt scilicet oculum qui prouidendis gressibus præeminet,cura pueris non obscuret. Ca-
put nanque subiectorum sunt cuncti qui præsunt,& vt recta valeant pedes itinera carpere,hæc proculdubio ca-
put debet ex alto prouidere, ne à profectus sui itinere pedes torpeant, cùm curuata rectitudine corporis caput
sese ad terram declinat.Qua autem mente animarum præsul honore pastorali inter cæteros vtitur, si in terrenis
negociis quæ reprehendere in aliis debuit, & ipse versatur? Quod videlicet ex ira iustæ retributionis per Pro-
*Osea.4.* phetam dominus minatur,dicens:Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos quippe est vt populus, quando ea
agit is qui spiritali officio fungitur,quæ illi nimirum faciunt,qui adhuc de studiis carnalibus iudicãtur.Quod
cum magno dolore scilicet charitatis Hieremias Propheta conspiciens,quasi sub destructione templi deplorat, I
dicens:Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite
*Thr.4.* omnium platearum? Quid nanque auro quod metallis cæteris præeminet, nisi excellentia sanctitatis?Quid co-
lore optimo, nisi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur. Quid per sanctuarij lapides, nisi sacrorum
ordinum personæ figurantur?Quid platearum nomine,nisi præsentis vitæ latitudo signatur? Quia enim Græco
eloquio πλάτος latitudo dicitur, profectò à latitudinæ plateæ sunt vocatæ. Per semetipsam verò veritas dicit,
*Matth.7.* Lata & spatiosa via est quę ducit ad perditionem.Aurum igitur obscuratur,cùm terrenis actibus sanctitatis vi-
ta polluitur.Color optimus commutatur, cùm quorundam qui degere religiosè credebantur, æstimatio antea-
cta minuitur. Nam cùm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit,quasi colore permutato an-
te humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit. Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cùm
causarum secularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis,mysteriis quasi in se-
cretis sanctuarij vacare debuerunt.Ad hoc quippe sanctuarij lapides fiebant,vt intra sancta sanctorum in vesti- K
mento summi sacerdotis apparerent. Cùm verò ministri religionis à subditis honorem redemptoris sui ex me-
rito vitæ non exigunt, sanctuarij lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarij lapides
dispersi per plateas iacent, cùm personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum libidini deditæ, terrenis ne-
gociis inhærent.Et notandum quòd non hos dispersos in plateis,sed in capite platearum dicit: quia & cùm ter-
rena agunt,summi videri appetunt,vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum
sint capite ex honore sanctitatis. Nil quoque obstat, si sanctuarij lapides eosdem ipsos quibus constructum san-
ctuarium existebat accipimus, qui dispersi in platearum capite iacent, quando sacrorum ordinum viri terrenis
actibus ex desiderio inseruiunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Secularia itaque ne-
gocia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda, ne cùm mentem dili-
gentis aggrauant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus immergant. IOANNES ABBAS CA-
SEMARII. Sæpe paruo cuilibet dominus aliquid ostendit, quod alicui magno & multis donis repleto vi- L
dere nequaquam concedit, sicut Moysi sancto facie ad faciem cum deo loquenti Iethro alienigena consilium
dedit. CAIETANVS. Prouide autem de omni plebe viros sapientes. Viros (inquit) non mulieres, quo-
niam regimen mulierum pessimum est,adeò vt secundum naturæ cursum communem loquendo,nulla in mu-
liere affirmetur virtus, septimo Ethicorum.Dictio autem interpretata sapientes, valde varios sortita est inter-
pretes,nam alij potentes,alij fortes,alij virtutis, alij nobiles interpretantur. Nihil autem propiùs ad propositum
accedit quã sapientes.Non tamen sapientes significat,sed propriè significat viros valentes seu valoris. Et etiam
apud Hebræos hæc nuncupatio communis,tam valentibus ingenio seu arte aliqua,quàm valentibus viribus &
armis est. Vnde & Pharao dixit Ioseph, quòd si fratres eius essent viri valoris, constitueret super pecora ipsius
Pharaonis.In hoc itaque loco viros valentes ingenio intelliguntur,ac si in specie dictum fuisset, viros ingenij.
Et verè prima pars principis aut iudicis à naturali ingenio est, viri siquidem ingenij naturaliter sunt aliorum
rectores,& sine hac parte reliquæ nihil valent.Timentes deum. Prima animi virtus requisita ad principem cu- M
iuscunque ordinis, est timor dei: oportet enim ius dicentem aliis, rationem habere superioris iudicis intuentis
cor, & singulas conditiones iudicantis atque iudicij, vt sic iudicet alios, tanquam certus quòd reddituru est
rationem deo de suis iudiciis & ratione iudicandi,& quòd puniendus est si peccat,& quòd timeat puniri à deo.
Si enim solus timor humanus in animo regnat iudicis, innumerabiles iniurias faciet.In quibus sit veritas.Cla-
riùs habetur in Hebræo,viros veritatis. Quemadmodũ dicitur vir sanguinum, qui effusor est multi sanguinis,
ita dicitur vir veritatis,qui sectator est veritatis,hoc est,& quòd sit verax, tum dicendo tum faciendo quod di-
xit, & quòd veritas rerum gestarum, testium, & huiusmodi inueniant locum suum apud eum. Hæc enim duo
exiguntur ad virum veritatis.Et qui oderint auaritiam. Quamuis sufficiat homini non esse auarum, non suf-
ficit tamen principi aut iudici,sed oportet tam alienum esse ab auaritia, vt oderit ipsam. Minus dico, quia par-
ticipium habetur in Hebręo(puta odiens auaritiam)significans affectos continuo odio auaritiæ,& non quia ad-

horam



A horam oderint auaritiam.Nihil autem refert quòd dictio Hebraica non significat propriè auaritiam, sed facul-
tates,hoc est, bona quæ possidemus, aurum, argentum, & reliqua huiusmodi, quandoquidem non de odio fa-
cultatum absolutè,sed de odio earum illicitè habendarum est sermo intentus,significatus cum maximo horro-
re ab odio etiam ipsarum facultatum, auri, argenti, reliquarúmque rerum, ex quibus facultates humanæ inte-
grantur. Et cõstitue ex eis. Libra prudens lector has quatuor cõditiones virorum qui assumendi sunt ad princi-
patum,iudicium seu regimen aliorum,& perspicies beatam esse Rempublicam illam in qua tales eligũtur. Tri-
bunos,& centuriones,& quinquagenarios,& decanos.Iuxta Hebręum habetur,principes milium,principes cen-
tum,principes quinquaginta,& principes decem,qui iudicent populum omni tempore. AVCTOR CATE-
NAE. Prouide autem.Parum est quod Hebraicè est וְאַתָּה תֶחֱזֶה Veatta thechezze, Et tu prouidebis,siue consi-
derabis,id est,cum multa animaduersione & cognitione deliges. Viros potentes. Sic legunt & Septuaginta. In
B Hebræo est אַנְשֵׁי חַיִל Anse cháil. Est autem cháil, fortitudo, robur, & virtus. Vnde & viros potentes, vel
fortes reddi potest.Quidam interpretantur viros diuites & constãtes, qui in iudicio nec minis nec muneribus
à recto deflecti possint.Alij viros robustos & duros,qui laborem sufferre possint.Alij viros fortitudinis vel vir-
tutis,sicut habet Chaldaica verterunt,hoc est, strenuos, magnanimos, qui sint ferendo tanto oneri patientes la-
boris. In quibus sit veritas.Id etiam dicitur Hebraicè אַנְשֵׁי אֱמֶת Anse emeth, Viros veritatis, siue veraces. Et sic
legit Chaldaica. Septuaginta autem vertunt, ἄνδρας δικαίους, Viros iustos.Sed hæc conuertuntur,iustus & verax.
Et qui oderint auaritiam.Quod declarat Chaldaica habens,Et qui oderint accipere pecuniam.At Septuaginta
vertunt, μισοῦντας ὑπερηφανίαν, Odio habentes superbiam.Sed Hebraicè est בֶּצַע Bázaha, quod propriè auaritiam,
cupiditatem,lucrum & rapinam significat.Et constitue ex eis tribunos,& cẽturiones, & quinquagenarios, & de-
canos. Non posset doctiùs & aptiùs verti quàm versum est. Sic enim sunt Hebraica וְשַׂמְתָּ עָלֵהֶם שָׂרֵי אֲלָפִים שָׂרֵי
מֵאוֹת שָׂרֵי חֲמִשִּׁים וְשָׂרֵי עֲשָׂרֹת: Vesamta halehem sare alaphim sare meoth sare chamisim vesare hasaroth.Et cõ-
C stitues ex eis principes milium,principes centum,principes quinquaginta, & principes decem. Chaldaica habet,
Et constitue super eos(super populum scilicet, ex istis)Tribunos & centuriones & quinquagenarios & decanos.
Sic & Septuaginta, καὶ κατάστησεις ἀυτοὺς ἐπ' ἀυτοῖς χιλιάρχους καὶ ἑκατοντάρχους καὶ πεντηκοντάρχους καὶ δεκάρχους, Et cõ
stitues eos super ipsos,milenarios & centuriones & quinquagenarios & decuriones.Quicquid autem maius fue-
rit,referant ad te,& ipsi minora tantummodo iudicent.Hoc idem habẽt & Hebraica,quæ idem sunt cum Chal-
daica litera,Et omne negocium quod fuerit magnum,referent ad te,omne autem negocium paruum ipsi iudi-
cabunt.Demum quod sequitur,leuiúsque sit tibi partito in alios onere,sensus est ex Hebręo explicitus,licet ver-
ba sint diuersa,videlicet, וְהֵקֵל מֵעָלֶיךָ וְנָשְׂאוּ אִתָּךְ Vehakel mehalécha venásu ittach, Et alleuia à te, & portabunt
tecum.Est enim imperatiuus hiphil à verbo kalal.Alij reddunt,Leuabúntque te, cùm ferent tecum, id est, sarci-
nam tuam leuiorem reddent,cùm te iuuabũt.Nonnulli,Et sic leuius erit tibi,portabúntque illi tecum. Demum
alij,Et ad alleuiandum te,ferent tecum.Chaldaica,Et alleuiabunt à te onus,& supportabunt tecum.Septugin-
D ta, καὶ κοφιοῦσιμ ἀπὸ σοῦ, καὶ συναντιλήψονταί σοι, Et alleuiabunt à te,& auxiliabuntur tibi. Quæ omnia idem dicunt
cum litera nostra.Prouide ergo ex omni plebe viros potentes & timentes deum,in quibus sit veritas, & qui ode-
rint auaritiam.Nam in populo dei magistratum gerere decet eum qui est fidelis,instructus verò sit dotibus quę
hîc exprimuntur,fortitudine,magnanimitate,sapientia,timore dei,veritatis studio,fide,auaritiæ odio.Hæ pro-
fectò sunt bonorum iudicum & magistratuum conditiones, hæ præclaræ animi dotes, quibus rectores populi
decorati esse debent. Prospice(inquit)ex omnibus, non vulgo electiones talium deferes, qui sunt vt plurimum
corrupti affectibus priuatis, viros robustos mente, virili animo, non effœminatos & inconstantes. Non loquor
de fortibus & audacibus, sed de his qui in domino fortes sunt, quem & in omnibus agendis timeant, & ante o-
culos habeant dei metum.Veraces vel fideles, non mendaces, vanos, loquaces, non sui amantes, sed integros &
incorruptos.Veraces denique in vita,iustitia, & doctrina. Odientes auaritiam, hoc est, omnem rapinam, iniu-
riam & violentiam, qui non cupiant congregare opes,augere rem,ad fastum contendere & luxum, propter quæ
E desiderantur diuitiæ:cupiditas enim si iudici oculos perstrinxerit,rectum nihil geritur. Sic sint autem hæ dotes
animi iunctæ,quemadmodum in catena annuli,vt nulla possit esse sine alia.Nos qui faciem tantùm videmus,à
postrema virtute probationem instituendi iudicis incipiamus, si falli nolumus leuiter. Qui enim auaritiæ stu-
dent,deum non timent, nec viri integri esse possunt. *Si hoc feceris, implebis imperium dei, & præcepta eius poteris sustentare, & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace.* AVGVSTINVS. Ipse Iethro cùm Israëlita non fuisset, vtrum *Quæst. 69.*
inter viros deum verum colentes, religiosèque sapientes habendus sit, quemadmodum & Iob cùm ex ipso po-
pulo non fuisset meritò quæritur, immo credibilius habetur. Ambiguè quippe posita sunt verba, vel vtrum sa-
crificauerit deo vero in populo eius quando vidit generum suum,vel vtrum adorauit eum ipse Moyses: quan-
quam de adoratione etiam si expressè positum esset,honor videretur socero redditus, eo modo quo solet homi-
nibus honorificentiæ causa exhiberi à patribus.Sicut & de Abraham scriptum est, quòd adorauerit filios Heth.
CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Et præcipiet tibi dominus,& poteris sustinere, hoc est, & habe-
F bis tempus suscipiendi præcepta à summo Iudice, & poteris corporeum laborem sustinere. Toto siquidem die,
& occupabatur,& laborabat iudicando populum,quando solus vniuersis causis attendebat, & propterea minus
ei vacabat,minúsque idoneus reddebatur perceptioni diuinarum reuelationum.Nec solùm tibi sed populo hoc
proderit, nam non expectabit à mane vsque ad vesperam iudicium tuum, sed tranquillo ordine quisque à suo
iudice reuertetur in locum suum. AVCTOR CATENAE. Si hoc feceris, implebis imperium dei, & præcepta eius poteris sustinere.Sententia est eadem in Hebræo,sub aliis tamen verbis וְצִוָּךְ אֱלֹהִים וְיָכָלְתָּ עֲמֹד Vetziuecha elohim veiachalta hamod, Et præceperit tibi deus, poteris stare, vel sustinere. Sic habet & Chaldaica,
Et est sensus,si hoc quod dico feceris,idque ex præcepto dei,& volẽte deo,poteris sufficere huic labori. Alij ver-
tunt,Si hoc feceris,in his quæ deus præcipiet, subsistere poteris,hoc est, tum tibi deus præcipiet quæ populo re-
laturus sis, & tu oneri sufficiens eris. Hoc & Septuaginta innuunt, κατισχύσει σε ὁ θεός, habentes, id est, tenebit te
deus,fortificabit te,aut,auxiliabitur tibi. Et omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace, id est, sublatis

iurgiis

iurgiis ac litibus. Vides hîc quòd aperit deus voluntatem suam etiam per gentes, vnde ab his si quid boni aut G
veri dixerint, accipiamus, & in gloriam dei nostri conuertamus. Vides etiam deum non omnia dona vni homini conferre, sed vnicuique distribuere ea pro sua voluntate. Moyses fuit vir magnus, spiritu sancto præditus, & dono edendorum miraculorum ornatus, non tamen habuit per se tantum prudentiæ donum, vt institueret magistratus & iudices in Republica sua. Iethro autem hoc dono præditus erat, sed interim aliis donis carebat. Quare nemo existimet se omnia consecutum, etiamsi multis donis dei præditus fuerit. Non potest (inquit Paulus) oculus dicere manui, non est mihi opus te, aut rursum caput pedibus, non est mihi opus vobis, imò multò potius, quæ videtur membra corporis imbecilliora esse, necessariora sunt, & cætera, primæ ad Corinthios duodecimo. *Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore.* ORIGENES. Verum est quòd H
scriptum legimus, quia non satiatur oculus visu, nec auris auditu, nec nos satiari possumus intuendo & considerando quæ scripta sunt, quot ex partibus nos ædificent, quantis nos instruant modis. Etenim cùm perspicio quòd Moyses propheta deo plenus, cui deus facie ad faciem loquebatur, consilium accepit à Iethro sacerdote Madian, admiratione nimia stuporem mentis incurro. Dicit enim scriptura, Et audiuit Moyses vocem soceri sui, & fecit quæcunque dixit ei. Non dixit, Quia mihi deus loquitur, & quid agere debeam cœlesti ad me sermone defertur, & quomodo consilium ab homine accipiam, & ab homine gentili, alieno à populo dei? Sed audit vocem eius, & facit omnia quæ dicit, & non quis dicat, sed quid dicat, auscultat. Vnde & nos si fortè aliquando inuenimus aliquid sapienter à Gentilibus dictum, non continuò cum auctoris nomine spernere debemus & dicta, nec pro eo quòd legem à deo datam tenemus, conuenit nos tumere superbia, & spernere verba prudentium. Sed sicut dicit Apostolus, Omnia probantes, quod bonum est tenentes. Quis autem hodie eorum qui populis præsunt, non dico si iam aliqua ei à deo reuelata sunt, sed si in legis scientia aliquid meriti habet, consilium dignatur inferioris saltem sacerdotis accipere, nedum dixerim laici vel gentilis? Sed Moyses qui erat homo man- I
suetus super omnes, accepit consilium inferioris, & vt formam humilitatis populorum principibus daret, & futuri sacramenti designaret imaginem. *Quæ. eadē.* AVGVSTINVS. Quos autem dicat secundum Septuaginta Interpretes, γραμματοεισαγωγεῖς, post decuriones, non facilè sciri potest, quoniam hoc nomē in nullo vsu habemus vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam doctores interpretati sunt, vt intelligantur vtique literarum, qui introducant in literas, sicut resonat græcum vocabulum. Hîc sanè significatur, quòd ante legem datam habuerunt Hebræi literas, quæ quando cœperint esse, nescio vtrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur à primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israël, sed vnde hoc probari possit ignoro. CHRYSOSTOMVS. Si discere vis quòd etiam si ingenij acrimonia antecellas alios, sisque valde perfectus, peruenerisque ad summum ipsum virtutis fastigium, opus tibi sit consiliario, & aliquo qui te corrigat & arguat, audi historiam veterem. Neque enim Moysi facilè par fueris, qui (vt scriptura inquit) omnium hominum erat mitissimus, amicúsque deo, & in externa philosophia bene institu- K
tus, & non minus spiritualium intelligentia insignis. Vides omnigenam eius eruditionem? Erat autem potens in verbo & opere, aliisque virtutibus, cuius & aliud habet testimonium. Multis prophetis, inquit, familiaris fuit deus, sed nulli sicut Moysi. Nam aliis quidem per ænigmata & somnia, Moysi verò facie ad faciem. Quæris ne aliud maius virtutis illius argumentum, quàm quòd omnium dominus seruo, vt amico loquitur? Erat itaque sapiens, tam domestica quàm peregrina eruditione: erat potens verbo & opere. Imperabat creaturæ, quia amicus erat domini creaturæ. Eduxit tantum populum ex Aegypto, mare diuisit, & iterum coniunxit, miraculum sanè admirabile. Tunc enim primùm sol vidit mare, non nauali, sed pedestri itinere transiri, pelagúsque non remis & nauibus, sed equorum pedibus transmitti. Nihilominus sapiens ille, qui tam potens in verbo & opere, qui amicus dei, qui creaturæ imperauit, qui tanta miracula operatus est, non animaduertit rem, quam mortalium plerique facilè considerant. Socer autem eius homo barbarus & obscurus, statim animaduertit, & in medium attulit, quam ille non temerè cogitauit. Quæ igitur hæc causa? Audite, vt & vobis prosit. Consiliariis enim omnes L
opus habent, etiamsi Moysi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui abiectique scire solent. Nam postquàm Moyses ex Aegypto exiit, & in solitudinem venit, præfuit sexcentorum millium populo, & solus omnium contendentium lites diiudicauit: Quod vidit socer eius. Erat autem Iethro homo alioqui barbarus, & insipiens, quique in solitudine vitam egerat, neque vlli communicarat, qui populos legibus rexerat, & ad hæc impius erat, Quo non est certiùs insipientiæ argumentum. Nihil enim gentilibus est insipientius. Veruntamen ille barbarus, ille impius, ille insipiens, vbi vidit Moysen quædam præter dignitatem facere, eum correxit, non curans, quòd sapiens esset & intelligens, & dei amicus, & cùm dixisset ei, Quare illi stant coram te? didicisseque causam, inquit, Non rectè hoc feci- sti, iunxítque consilio increpationem: & neque sic exasperatus est ille sapiens, ille intelligens, ille tot myriadum dux, neque enim hoc paruum & contemnendum, quòd ab homine barbaro & priuato docetur. At non inflabatur vel principatus magnitudine, vel miraculis, quæ operatus erat, neque rubore suffundebatur, quòd tot præsentibus, iisque subditis corrigeretur: M
sed considerabat, quòd licet magna à se signa fierēt, humanæ tamen particeps esset naturæ, quam non rarò multa latent, atque ideo cum mansuetudine consilium suscepit. Est nunc videre aliquos, qui ne putentur alieno indigere consilio, malunt potius vtilitate consilij carere, quàm suscepta admonitione peccatum emendare: imò eligunt ignorare quàm discere, quamuis sciant non esse crimen non ignorare, sed nolle discere: non indoctum esse, sed doctrinam respuere: non reprehendi, sed inemendabiliter peccare. Et sæpe abiectus quispiam & vilis inuenit, quod magnus & sapiens vir præterit. Quod Moyses quoque considerans, omni cum mansuetudine audiuit illum consulentem, ac dicentem sibi, Fac tibi tribunos, centenarios, quinquagenarios, decanos, & si res aliqua grauior fuerit, referant ad te: sin leuior, diiudicent ipsi. Hæc vt audiuit, non erubuit, non est confusus, non est reueritus subditos, non dixit intra semetipsum: Contemnent me subditi, si ab aliis quid faciendum sit didicero: sed obtemperauit & fecit iuxta consilium illius. Quid, quòd non solùm propter eos qui ea tempestate erant non erubuit

*Homil. de ferendis reprehensionibus, & conuersione Pauli.*



A erubuit, sed neque propter nos post se futuros? imò tāquam honestatus hac soceri admonitione, non illos solùm qui tunc erant homines, sed etiam eos, qui vsque ad nostram ætatem secuti sunt, & vsque ad Christi aduentum erunt, per totum orbem factum hoc literis docuit, & quòd non potuerit animaduertere quid opus facto, & quòd correctionem & consilium à socero acceperit. Nos autem si coram vno homine arguimur, & corripimur, conturbamur totis visceribus, obstupescimus, & de vitæ huius summa periclitari nos putamus: At Moyses non sic agit, sed videns tot milia hominum præsentia, imò tot myriades, quæ interim fuerunt & sunt hodie, futuras, non erubescit: sed prædicat quotidie omnibus, idque literis, quòd socer suus animaduerterit ea, quæ ipse considerare non potuerat. Et quare hoc fecit? quare factum memoriæ commendauit? non aliam ob causam, quàm vt nos doceret, ne vnquam de nobis ipsis sublimè sentiamus, etiam si omnibus sapientiores simus, neque patrum consilia contemnamus: etiam si omnibus viliores habeantur. Et si quid vtile vel commodum consulat aliquis,
B esto minister sit, tu tamen admonitionem suscipias: sin perniciale quiddam, esto in summa dignitate sit, eius sententiam reiicias. Non enim qualitas personarum consulentium, sed natura consilij, in omnibus obseruanda est. Hoc igitur est, quod Moyses nos docuit, vt non erubescamus si arguamur, etiam si tota nostra plebs assit. Reprehensionem enim beneferre, non vulgaris, sed summæ philosophiæ præconium & laus est. Non adeò laudamus & admiramur hodie Iethro, qui Moysen correxit, sicut sanctum illum, qui non erubuit tot præsentibus corrigi, & factum hoc memoriæ commendare. Declarans in omnibus sapientiam suam, quòd gloriam in tāta eminentia, quæ sibi à pluribus impensa fuisset, contempsit & conculcauit. RVPERTVS. Verùm ex hoc quoque loco, veram esse claret Euangelicam domini sententiam, dicentis, Quia filij huius seculi prudentiores sunt filiis *Luc.16.* lucis in generatione sua. Nam in genere quidem causarum ad dominum pertinentium, Moyses prudentissimus omnium erat lucis filiorum, neque surrexit propheta vltra in Israël, sicut Moyses, quem nosset dominus facie ad *Deut.34.* faciem, in omnibus signis atque portentis quę misit per eum. Verùm in genere causarum pertinentium ad Rem-
C publicam hominum, prudentior illo cognatus eius inuentus est, in quo hodiéque plerosque filios seculi videmus filiis lucis prudentiores. Quod sciens Apostolus, ita Corinthiis loquitur, Secularia igitur iudicia si habueritis, *1.Cor.6.* contemptibiles qui sunt in Ecclesia constituite ad iudicandum. Contemptibiles eos vocat comparatione nobiliorum, qui causarum ad dominum pertinentium minus capaces sunt. Nam in Christi Ecclesia non ex genere carnis, sed ex regenerationis gratiæ spiritualibus donis, cūcta censetur nobilitas. Igitur quoties filij lucis à filiis huius seculi quippiam percipiunt, quod sit auditu, vel imitatione dignum, hoc exemplo superioribus erit vtiliter ad inferiorum consilia descendendum. CAIETANVS. Et electis viris strenuis de cuncto Israël. Iuxta Hebræum habetur, Et elegit Moyses viros ingenij de cuncto Israël. Eadem dictio repetitur quæ tot sortita est Interpretes. Et in hac naturali conditione repetita, intelligūtur repetitæ omnes, quia præmittitur quòd Moyses fecit totum quod dixit socer eius. Ista quoque conditio sola poterat esse hominibus omnino certa, vt pote naturalis, reliquæ verò conditiones an sint veræ vel fictæ, non est hominibus certum, & propterea fortè non sunt re-
D petitæ. Quæsitas tamen & electas fuisse secundum humana testimonia, non est dubitandum. Quod autem dicitur, Et elegit Moyses, intellige concurrente ad hoc consensu populi, cui detulit Moyses antequam institueret istos iudices, vt patet Deuteronomij primo. AVCTOR CATENAE. Quibus auditis Moyses & c. Non discrepat in sensu ab Hebræo, quod est huiusmodi: וַיִּשְׁמַע מֹשֶׁה לְקוֹל חֹתְנוֹ Vaismaha Mose lekol chóthno, Et audiuit Moyses vocem soceri sui: ita & Septuaginta. Siue, Et acquieuit Moyses verbo soceri sui, vt habet Chaldaica, id est, benignè suscepit monita eius, obediuit illi, & fecit omnia quæ ille dixerat. Et electis וַיִּבְחַר Vaibehar, Et elegit, redditur, Sed vt accommodaret se Latinæ texturæ, ita vertit Interpres, Viris strenuis. Eadem dictio חַיִל Cháil repetitur, pro qua paulò antè Interpres & Septuaginta vertunt potentes, Et Chaldaica habet viros virtutis. Recurre igitur superiùs. Quod autem superabundat apud Septuaginta καὶ γραμματοεισαγωγεῖς, Vel scribas legis doctores, vel eos qui literas scribunt, fortè notarios actuarios, seu qui à secretis principibus semper adesse solent, aut cursores publicos qui scriptas literas perferunt, significat. Quibus (inquit) auditis, Moyses fecit omnia
E quæ ille suggesserat. Habebat Moyses vir dei legem dei, quæ aliud non est quàm voluntatis dei cognitio, in corde suo scriptam, iuxta quam omnia dirigebat. Si igitur Iethro, aliquid dixisset contrarium huic legi, minimè recepisset. Nunc autem nobis quoque in exemplum Moyses legislator diuinus gentilem hominem audit, honesta & vtilia præcipientem, & legi diuinæ, & Reipublicæ vtibus minimè repugnantem. Lex dei interiorem hominem respicit in primis, præcepta iudicialia exteriorem, quæ ex causis aut mutari, aut in totum tolli possunt, illa æterna est & immutabilis. Et electis viris strenuis, & cætera. Moyses ipse spiritu dei plenus, & Prophetā elegit quales debuit ex omni Israële, & duces posuit tribuum. Ea ratione vnus præfectus mille viris erat, quos tribunos Latini appellassent, Chiliarchos Græci, sicut decem ex ipsis præessent singuli singulis centenis, vnde & centuriones dicti sunt, & deinde denarij singuli suos quoque agnoscerent decanos, similiter & quinquagenarij quinquaginta præessent, vt omnia ordinata essent in populo dei, & sine confusione. Qui iudicabant plebem omni tempore. Non domini erant suarum turmarum sed iudices, & conciliatores quocunque modo
F dissidentium, procuratores quoque necessariarum rerum, & vigiles honestatis & iustitiæ. Inter quos si quid graue emersisset, referebatur à decano ad quinquagenarium, ab hoc ad centurionem, inde ad tribunum, donec ad Moysen causæ difficultas referenda videretur. Qui si in Republica ordo seruaretur, charitas, pax, ac iustitia amplior passim in Rebuspublicis floreret, ideóque subiungitur. *Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Verbum autem graue referebant super Moysen. Sic enim habet Græcus, quod *Locut.88.* Latini interpretati sunt, ad Moysen. Illa sanè locutione ipsa etiam cura significatur, quia dictum est super Moysen, velut onus ei significetur impositum. Verbum autem graue dictum est pro quæstione graui. Vnde sequitur, Omne autem leue verbum iudicabant ipsi. AVCTOR CATENAE. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Rectè quidem versum est, & optimè verbo-

I V rum sen-

rum sensus redditus, quæ in Hebræo sunt sicut & in Chaldaica, Negotium quod erat graue, referebant ad Moy- G
sen, & omne negocium quod erat paruum, iudicabant ipsi. Quod ideo afferimus, non vt Latina litera corriga-
tur, sed vt palam fiat interpretem nostrum, vel inuitis calumniatoribus, fidissimum semper fuisse, & si non ea-
dem verba protulerit quæ sunt in fonte Hebraico, semper tamen verborum sensum fuisse assequutum. Ideo au-
tem maiora deferebantur ad Moysen, quia iudicari non possunt, nisi prophetico spiritu & diuino, humanæ au-
tem actiones iudicio hominum relinquuntur. Si quid ergo magni occurrerit è lege domini petatur illius dis-
cussio, non vereantur iudices omnes Moysen accedere, & verbum dei audire, discere & tractare, & secundum
illud iudicare. *Dimisitq; cognatum suum, qui reuersus abiit in terram suam.* Potes reddere etiam socerum suum, est enim
dictio חוֹתְנוֹ Chóthno, de qua supra satis dictum. Sic etiam legunt Chaldaica & Septuaginta. Præsente autem
adhuc socero fortassis omnia ordinauit, vt alacriorem dimitteret ad propria, re bene gesta, & composita ad
summam tranquillitatem, si sic semper seruata fuissent omnia.

*Mystica.* ORIGENES. Puto ego hanc ipsam figuram Iudicum non solùm in præsenti seculo Ecclesiæ datam, ve- H
rùm etiam in futuro seruandam. Audi denique quid dominus dicat in Euangelio, Cùm sederit (inquit) filius
hominis super thronum gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicãtes duodecim tribus Israël.
Vides ergo quia non solùm dominus iudicat, cui omne iudicium pater dedit, sed & cõstituit sibi & alios prin-
cipes qui iudicent populum de minoribus causis, verbum autem quod grauius fuerit, referant ad ipsum? Idcir-
co dicebat & dominus de quodam quidem, Quia reus erit consilio: de alio autem, Reus erit iudicio: & de alio,
Reus erit gehennæ ignis. Sed & de omni verbo ocioso dicimur præstaturi rationem, & non dixit quia deo præ-
stabimus rationem, sicut de periurio dicit, Reddes autem domino iuramenta tua. Verùm & regina Austri sur-
get in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos. Ecce & aliud iudicij genus. Qui habet aures
audiendi audiat. Hæc enim omnia typus & vmbra sunt cœlestium, & imago futurorum. Sed & in eo quòd ac-
quieuit Moyses socero gentili, futuri sacramenti designauit imaginem. Sciebat enim futurum quandoque, vt I
gentiles bonum consilium proferrent apud Moysen, vt bonum & spiritalem intellectum afferrent ad legem dei,
& sciebat quia audiret eos lex, & faceret omnia sicut dicerent, quòdque legis diminutio, Euangelio suggerente
compleretur. Non enim potest facere lex sicut Iudæi dicunt, quia infirmatur lex in carne, id est, in litera, & nihil
potest secũdum literam facere, nihil enim ad perfectum adducit lex. Secundũ autem consilium quod nos affe-
rimus ad legem, possunt omnia spiritaliter fieri. Possunt & sacrificia spiritaliter offerri, quæ modò carnaliter
non possunt. Potest & lex lepræ spiritaliter seruari, quæ secundum literam non potest. Sic ergo quomodo nos
intelligimus, quomodo nos sentimus, & consilium damus, omnia facit lex, secundum literam autem non om-
nia, sed admodum pauca.

IN CAPVT EXODI DECIMVMNONVM, ARGVMENTVM. K

*Veniunt Hebræi ad montem Sinai, vbi in peculiarem populum eliguntur Moyse ad deum accedente. Sanctificari*
*iubentur in diem tertium, in quo dominus in fulgure & tonitru ibidem appareat.*

CAPVT XIX.

*Lectio 1.* *MEnse tertio egressionis Israël de terra Aegypti, in die hac uenerunt in solitudinem Sinai.*
*Nam profecti de Raphidim, & peruenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt*
*in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria è regione montis. Moyses autem ascendit ad*
*deum. Vocauitque eum dominus de monte, & ait, Hæc dices domui Iacob, & annunciabis* L
*filiis Israël: Vos ipsi uidistis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim uos super alas*
*aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis uocem meam, & custodieritis pactum*
*meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & uos eritis*
*mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt uerba quæ loqueris ad filios Israël. Venit Moyses, & con-*
*uocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat dominus. Respondítque omnis popu-*
*lus simul, cuncta quæ locutus est dominus faciemus.*

*Lectio 1.* AVCTOR CATENAE. Iam accedit scriptura ad describendum illud, quod non tantùm est hu- M
ius libri præcipuum argumentum, sed quod est etiam vnum è maximis dei operibus quæ vnquam in terris ge-
sta sunt. Hoc autem est promulgatio Decalogi, & aliarum diuinarum legum in Republica Israëlitica. Ex man-
sione igitur Raphidim soluerunt castra filij Israël, vt ingrederentur solitudinem Sinai quadragesimaseptima
die post egressionem de Aegypto, tertio scilicet mense, die prima, & lunatione quæ fit nobis in mense Maio.
Huiusmodi ergo profectio hîc describitur. *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac, venerunt in solitudinem*
*Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria è regio-*
*ne montis.* HIERONYMVS FABIOLAE. Hæc duodecima mansio est, vbi media pars Exodi, & totus Le-
uiticus liber, & Numerorũ præcepta, & per singulas populi tribus distributio, & oblatio principũ descripti sunt,
multorumq; voluminũ disputatio, huic loco sufficere vix possit, ad quẽ quadragesimoseptimo die post exitũ de
*Exod. 3.* Aegypto peruenerũt. RVPERTVS. Quod ergo dicit, Mẽse tertio, in die hac, idẽ est ac si dixisset, mẽse tertio,
in die mẽsis prima. Hîc immolatur° erat Moyses, & implẽda veritas eius qui miserat eum, dicẽtis, Cùm eduxeris
popu-



A populum meum de Aegypto, immolabis deo super montem istum. Hæc immolatio Moysi pro signo veritatis
fuit, quòd deus eum miserit, non quia immolauit, sed quia inter immolandum deus clarissima suæ præsentiæ
signa dedit, ita vt perterriti ac pauore concussi filij Israël, dicerent Moysi, Non loquatur nobis dominus, ne for- *Exod.20.*
tè moriamur. Et dominus ad Moysen, Hæc (inquit) dices filiis Israël, Vos vidistis quòd de cœlo locutus sum vo-
bis, & cætera. Ergo sic immolasse super montem istum, signum fuit Moysi, quòd dominus misisset eum. Porrò
hic mensis tertij primus dies, à primi mensis quartadecima die, qua agnus immolatus est, iuxta lunarem supputa-
tionẽm quadragesima septima est. HVGO DE SANCTO VICTORE. Vel in die hac, id
est, tertia die, sicut & tertio mense. CAIETANVS. Crediderim ego fuisse hanc quadragesimam quin-
tam diem à die egressus de Aegypto, supputatis extremis. Nam quindecim dies primi mensis, & viginti nouem
secundi, & primus tertij, constituunt quadraginta quinque dies, menses enim lunares supputantur. AVCTOR
B CATENAE. Mense tertio egressionis Israël. Addendum ex Hebræo, Filiorum, est enim בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Bene Is-
raël. Sed hoc parum est. Idem enim est dicere, egressionis Israël, & egressionis filiorum Israël. In die hac, id est,
ipso die quo recesserunt ex Raphidim. Hoc autem dicit, quòd esset magna distantia ex Raphidim ad montem
Sinai, quasi dicat, plus itineris confecerunt eo die, quàm aliis diebus. Alij, In die hac, diem ipsam primam men-
sis tertij intelligunt, vt in ea ad Sinai solitudinem venerint. Nam profecti de Raphidim, & cætera, vel, Discес-
serunt autem de Raphidim, & venerunt in desertum Sinai, quasi dicat, Nam cùm discessissent eo die de Ra-
phidim, ipsa eadem die peruenerunt in solitudinem Sinai. Erat autem desertum Sinai, regio circa montem Si-
nai, qui & Horeb dicitur, ad quem montem dominus dudum prædixerat Moysi ipsum cum vniuerso populo
redempto peruenturum, ne quis vacillet in promissionibus diuinis. Ibi ergo velut aliquanto tempore perman-
surí, castra sua fixerunt, nescij adhuc eorum, quæ in eo monte erant gerenda. *Moyses autem ascendit ad deum. Voca-*
*uítque eum dominus de monte, & ait, Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filiis Israel.* CAIETANVS. Moyses au-
C tem ascendit ad deum, hoc est, ascendit ad locum in quo vocatus fuerat à deo apparente in rubo, quando pasce-
bat oues soceri sui. Illucúsque enim fas erat ei ire, & non vltra, prohibente olim deo in rubo. Et propterea non
dicitur ascendisse in montem, sed ascendisse ad deum, à quo inde missus fuerat in Aegyptum, tanquam relatu-
rus executionem factam cum effectu subsequuto, reuera tamen ad illum accessit supplicaturus deo legislatori
pro directione populi. Vocauítque eum dominus de monte. Quamuis nulla species sensibilis scribatur apparens
in monte, ipsa tamen vocatio de celsitudine montis scribitur profecta, vt spes Moysi ascendentis tanquam ad
inueniendum deum in monte, non vana monstretur. Et ex eo quòd è loco corporeo vocatio describitur, insi-
nuatur quòd sensibilis vox tanquam de altiori parte montis, proficiscens ad aures Moysi, formata fuerit. Et ait,
Non solùm vocat, sed alloquitur, iniungendo illi dicenda populo nomine ipsius dei. Hæc dices domui Iacob,
& annunciabis filiis Israël. Appellat deus populum & domum Iacob, & filios Israël, quia secundum religionem
sectabantur fidem Israël, à deo cognominati. Et vsus est his nominibus deus, quia adhuc non erant erecti in
D Rempublicam, sed postea in eodem loco sunt eleuati à deo in vnam rempublicam cum legibus & pontifice, &
cætera. AVCTOR CATENAE. Moyses autem ascendit ad deum. Hebræi subaudiunt montem,
& legunt, ad montem dei, in quo scilicet deus se manifestauit, & legem tradidit. Non potest populus ascendere
montem ob fidei ruditatem, & onera peccatorum, ac crebras murmurationes, ne domino appropinquans, igni
ardenti absumeretur à vindicta dei. Omnia enim tunc formam timoris & imperfectionis ostendebant, tam fa-
cta, quàm etiam verba. Propheta autem sanctus vocatus à domino, ascendit montem, ad quem vicissim domi-
nus descendere dignatur, & de sublimiore loco illum alloquitur sequestrem inter se & populum, iubétque vt
loquatur familiæ Iacob, & annunciet voluntatem suam filiis Israël. Hac autem nomenclatura crebrò admone-
tur populus, vt intelligat se esse eum qui ex Iacob sit secundum carnem, luctator cum vitiis & concupiscentiis.
Ex Israël autem secundum spiritum filiationis quo clamat Abba pater, à quo omnia se consequi bona posse neu-
tiquam dubitet, cui deus seipsum promiserit, & omnem sufficientiam, ob idque Israëlis nomine vocari illum
E præceperit. Et sunt hæc verba veluti præparatio quædam ad legem dei suscipiendam. Quicunque enim ardua
ordiuntur, & difficilia persuadere volunt, animos auditorum incitant, & ad diligenter auscultandum præpa-
rant. INTERLINEARIS. Deinde pœnas Aegyptiorum commemorat, & quæ populo suo præsti-
tit beneficia, vt timeant omnipotentem, & diligant benefactorem. *Vos ipsi* (inquit) *vidistis quæ fecerim Aegyptiis, quo-*
*modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITA-
LIBVS. Alas habere dicitur deus, pro eo quòd more auis electos suos tanquam pullos sub se colligit & fouet,
& ab insidiis diaboli & malorum hominum protegit. Vnde Propheta ait, Sub vmbra alarum tuarum protege
me. CAIETANVS. Et portaui vos super alas aquilarum. Metaphorica est locutio. Et significatur quòd
quemadmodum pulli aquilarum portantur super alas aquilarum eleuati, protecti ab inferioribus, maternis alis
euntes, ita deus eduxit eos de Aegypto eleuatos, non situ locali, sed conditione, eleuatos quidem in filios dei, sic
quòd Aegyptij mortui, ipsi verò viui, sic quòd Aegyptij compellebant illos exire: sic quòd Aegyptij submersi,
F ipsi verò incolumes per mare iuerunt. Protectos verò ab inferioribus, cùm eos ab Aegyptiis persequentibus sic
protexit, vt locaret se medium inter Aegyptios & ipsos, & de superna nube pugnaret pro eis. Quòd demum non
tam euntes quàm vecti à domino, iter egerint monstrat exitus omnium vno eodémque die, & similiter transi-
tus per mare rubrum vna eadémque nocte, monstrat quòd non erat inter eos æger aliquis, monstrat via sicca in
medio mari, monstrat & columna dux itineris. Et assumpserim mihi. Longè maius est hoc beneficium, finis ve-
ctionis. AVCTOR CATENAE. Iuxta Septuaginta & Chaldaicam editionem atque Hebræum
ita legitur locus iste, Et portaui vos quasi super alas aquilarum, & applicaui vos ad seruitutem meam, siue, Ad-
duxi vos ad meipsum. A quorum verborum sensu nequaquam discrepat vulgatus Interpres. Admonet itaque
in primis dominus eos beneficiorum suorum, dicens, Vos ipsi vidistis quæ fecerim Aegyptiis. Deinde comme-
morat se portasse quasi in humeris eum populum, & baiulasse ex Aegypto more aquilarum gestantium dorso &
alis pullos suos, præter morem aliarum auium quæ illos pedibus quo volunt portant. Altiùs autem volant

aquilæ cæteris auibus, extra omnem telorum iactum, extra omne periculum, quòd ſi de ſubtus immineat, ſeſe G opponunt corpore ſuo pro ſalute pullorum periculis. Sic(inquit)ego vos eduxi & conſtitui, defendi & liberaui, & in tutum ſtatui,ſuſcepique in familiam meam,vt veniretis ad me, & fide fiduciáque tota adhæreatis mihi.

*Si ergo audieritis vocem meam,& cuſtodieritis pactum meum,eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad eos.* INTERLINEARIS. Antequam legem det, promiſsis allicit, vt libenter accipiant. Et de auditu cordis ſermo eſt. Eritis mihi in peculium de cunctis populis,id eſt,ſpecialis populus,quos paſcam, defendam, & ſicut gregem proprium nutriam. RVPERTVS. Si ergo(inquit)audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, ſubauditur, quod pepigi cum Abraham.Siue pactum, id eſt, legem quam in præſentiarum vobis daturus ſum. Non dixit tantùm,ſi audieritis,ſed addidit, & cuſtodieritis, pactum meum, quia profectò non auditores legis iuſtificabuntur apud dominum. THEODORETVS. Eritis mihi populus in peculium ex cunctis populis, Mea eſt enim H omnis terra. Omnium (inquit)opifex & dominus ſum, & omnium vt pote opifex prouidentiam gero. Vos autem veluti quendam populum eximium mihi ipſi conſecraui, hoc enim ſubiunxit,Vos autem eritis mihi in regale ſacerdotium,gentem ſanctam. Quemadmodum enim Leuitas cùm & ipſi Iſraëlitæ eſſent, præ aliis tribubus honorauit, & in diuinum ſeparauit miniſterium, non quòd alios poſthaberet ac contemneret, ſed vt per hos illorum curam haberet. Ad hunc etiam modum ſemen Abrahæ & Iſaac & Iacob primò delegit, propterea quòd ex illorum ſemine Chriſtus dominus ſecundum carnem aliquando naſciturus eſſet. Deinde per ea quæ circa hos fiunt, propriam potentiam manifeſtè declaret, omnes homines diuinæ cognitionis viam docens.

*Roma.*

SEVERVS ANTIOCHIAE EPISCOPVS. Eritis mihi in peculium, propterea quòd omnes à deo creati ſumus, ſed illi tantùm peculium dei ſunt, qui per diuinæ maieſtatis cognitionem ſpiritualiter facti ſunt, quique digna deo faciunt, neque ab vlla animi perturbatione aut falſa deo ſubiiciuntur. THOMAS. Populus Iſraël erat dilectiſsimus pro tempore illo comparatione aliorum populorum qui idolis ſeruiebant, non I autem comparatione populi noui teſtamenti,de quo dicitur.1. Petri. 2.Vos eſtis gens ſancta,populus acquiſitionis. Vel dicendum ſecundum Apoſtolum, Romanorum IX. Non qui ſunt ſecundum carnem, ſed qui ex promiſsione, hi computantur in ſemine. Vnde populus noui teſtamenti non excluditur ab illo priuilegio amoris, ratione cuius Iſraël primogenitus dei dicebatur, & populus peculiaris. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Et nunc ſi audiendo audietis vocem meam,& cuſtodietis pactum meum. Commemoratis beneficiis collatis, ſubiungitur obedientia quam requirit quo ad duo. Alterum in genere, videlicet obedire diuinæ voci: alterum in ſpecie,videlicet ſeruare pactum inter deum & ipſos. Et eſt ſermo tam de futura voce diuinæ legis,quàm de futuro fœdere,videlicet quòd ipſi colerent deum in deum ſuum, & huiuſmodi obedientiam proponit conditionaliter relatiuè ad ſubiuncta præmia. Et dicendo & nunc, differentia ſignificatur inter nunc & olim, quando in Marah promiſerat ſeruantibus mandata ſua exemptionem ab ægritudinibus corporalibus, longè enim maiora nunc promittit. Eritis mihi in peculium de cunctis populis. Iuxta Hebræum habetur, Et K eritis mihi amabilitas è cunctis populis.Tria proponit præmia,quorum primum eſt, tantus erga illos dei amor, vt non ſolùm populus præ aliis populis dilectus, ſed etiam tanquam res ex cunctis populis eligibilis & amabilis foret. Quod quantæ ſit excellentiæ, & quàm ſingulare ſit beneficium, perſpicuum eſt. Mea eſt enim omnis terra. Ad manifeſtandum ſingularitatem beneficij ſubiungit, quòd vniuerſus orbis terrarum eſt ſuus, vt hinc intelligerent Iſraëlitæ, quòd quamuis omnes populi ſint ipſius dei, ſolus tamen populus Iſraël donabitur tali tantóque amore diuino, & hinc perpendant magnitudinem huius præmij primi promiſsi. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale.Iuxta Hebræum habetur,Et vos eritis mihi regnum ſacerdotum. Secundum præmium proponitur. Et ſi diceretur,Et vos eritis regnum ſacerdotum,ſignificaretur quòd ipſi futuri eſſent regnum ſub regibus ſacerdotibus, quod nec ſignificari, nec verificatum fuiſſe patet. Et quidem quòd Iſraël non fuerit regnum ſacerdotum,hiſtoriæ teſtantur. Nam nec Aaron ſummus ſacerdos,nec ſucceſſores eius regnauerunt, ſed primùm imperauit Moyſes,deinde Ioſue, poſtea Iudices, & quandoque nullus, & demum reges, qui non erant L ſacerdotes.Quòd verò non ſignificetur,adiectum pronomen,mihi,teſtatur, non enim dicitur, Et vos eritis regnum ſacerdotum, ſed dicitur, Et vos eritis mihi regnum ſacerdotum. In quibus verbis promittuntur duo. Alterum,quòd vos Iſraëlitæ eritis mihi regnum,hoc eſt,erigemini in regnum,ſupremam ac optimam politiam, ac per hoc ego ero veſter rex, correlatiua enim ſunt rex & regnum. Vnde in primo libro Regum hoc commemoratur, dum petente populo regem à Samuele, deus dicit, non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Et hoc magnæ dignitatis erat, vt & ipſi regnum conſtituerent, & regem haberent deum. Alterum eſt qualitas regni ſignificata, apponendo, ſacerdotum. Promittitur enim opulentia honorabilis ex ſpeciali cura ipſius dei ,perinde ac ſi vniuerſum regnum integraretur ex ſacerdotibus. Mos enim erat, vt ſacerdotibus ex ærario publico prouideretur honorabiliter, vt ipſi Iſraëlitæ viderent ſeruari in Aegypto, & propterea deus ab iis quæ nota erant Iſraëlitis,manifeſtat futuram eorum conditionem, ſimilem conditioni ſacerdotum, vt perpendant quale erit diuinum regimen erga eos, quo videlicet non poſſet deſiderari melius. Et gens ſancta. Tertium præ- M mium proponitur, & ſignificatur quòd erit gens munda à peccatis, quod eſt maximum donum gratiæ diuinæ. Et verè hæc tria habuiſſet populus Iſraël, ſi obediens fuiſſet diuinis mandatis. AVCTOR CATENAE.

*4.d.8.q. 3.ar.3.q 2.2.*

Eritis mihi in peculium de cunctis populis. Rectè vertit Interpres dictionem סְגֻלָּה Segulla. Nam & peculium, & peculiare ſiue peculiaritatem, argentum & aurum & lapides pretioſos in theſauro, proprium, ſpeciale, præcipuum,ſingulare,ſelectionem,& theſaurum prædilectum ſignificat.Eſt igitur ſenſus,Nunc ſi audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pacta mea vobiſcum inita, eritis mihi vt theſaurus vnicè dilectus, & peculiares & ſingulares,ac res glorioſa & deſiderabilis præ cunctis populis. Sic enim vocat dominus populum ſuum, cui legem ſuam tradidit,& viuendi formã præſcripſit,atque regnũ ſacerdotale contulit,quod nulli alij fecit nationi. Septuaginta, ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν, Eritis mihi populus peculiaris ex omnibus gentibus. Chaldaica, Eritis coram me dilecti præ omnibus populis. Quæ omnia non diſcrepant à ſenſu literæ noſtræ.Et



Aſtræ. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale. Parui refert quòd Hebraicum eſt ſine præpoſitione in, videlicet מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים Mamlécheth cohanim, Regnum ſacerdotale (vel vt quidam volunt) ſacerdotium regale, id eſt, regnum ſacerdõtum, quod & Septuaginta dixerunt, id eſt, βασίλειον ἱεράτευμα. Regnum enim illud ex ſacerdotibus & rebus ſacris ac diuinis eſſe conflandum innuit, vt differat ab iis regnis quæ opibus & armis conſtabant, at hoc ſacrum ac diuinum erat futurum. Chaldaica verò editio habet, Reges & ſacerdotes, quaſi dictiones ſint ſeparatæ, ac ſi dicat, Faciam omnes vos reges & ſacerdotes. Vt ſit ſenſus, Vngam vos omnes interiùs gratia mea, & ſacerdotes ordinabo, ſpiritales hoſtias, id eſt, orationes offerentes. Et gens ſancta, hoc eſt, vos Iſraëlitas præ omnibus aliis gentibus ſanctificabo, vt ſitis is populus, in quo conſeruetur lex & teſtamentum dei & promiſsiones de Meſsia. Attentos igitur & beneuolos reddit dominus populum ſuum his verbis, Nemo venit ad dominum, niſi quem ad ſe duxerit dominus: venitur autem audiendo vocem domini, idque non vulgata diligentia, ſed toto corde credendo, & pactum cum deo initum cuſtodiendo, vt ambuletur co-B ram deo innocenter, humiliter, fiducialiter, ac obedienter. Quanquam autem omnis terra mea ſit (inquit) & omnes gentes ex æquo creauerim,vos eritis veluti peculium meum, & ſacerdotale regnum, id eſt, diligam vos vnicè, & ſupra omnes alios. Et quemadmodum apud omnes populos, reges & ſacerdotes ſummi habentur & præcipui, ſic ego ex omnibus gentibus ſelegi vos, vt ſitis præcipui, & ſpecialiter mihi dicati, & cultui meo. Ex eo enim naſciturus erat Chriſtus verus rex & ſacerdos. Vbi ſunt autem qui humani arbitrij denegant libertatem, cùm manifeſtè dominus hoc in loco eam aſtruat, dicens, Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum? Ad quid enim ita loqueretur, ſi nec audire vocem, nec cuſtodire pactum in populi ſitum eſſet poteſtate? Cæterùm vnum hîc nota diligenter, promiſsiones has, conditiones habere additas, videlicet ſi obedieritis voci meæ, & cuſtodieritis pactum meum, quas tamen Iudæi nequaquam adimpleuerunt. Sed tanta fuit omnipotentis dei miſericordia & clementia, vt etiam ſi conditiones hæ non fuerint ſeruatæ, promiſsiones tamen dei non fuerint irritæ, vt gratuitò bona hæc illis contigiſſe à deo, omnibus palam fiat. *Venit Moy-C ſes, & conuocatis maioribus natu populi, expoſuit omnes ſermones quos mandauerat dominus.* CAIETANVS. Non omnes, ſed ſenes per ſeipſum alloquitur Moyſes, vt ordinatè per ſenes eadem proponantur populo. AVCTOR CATENAE. Expoſuit omnes ſermones. Senſum vertit Interpres. Hebraicè enim eſt וַיָּשֶׂם לִפְנֵיהֶם Vaiáſem liphnehem, Et poſuit ante faciem eorum, ſeu coram eis omnes ſermones hos. Hebraiſmus. Dominus antequam præcepta det populo, vehementer terret. Antequam autem terreat, conſolatur & allicit. Amor filialis primas habet partes apud fideles, deinde conſcientia terretur, & caro legibus ſubinde vincitur. Præcepta autem multitudini promulganda, primo ſunt ſeniorum conſilio pro more hominum proponenda, quod & per Moyſen dominus non omittit. *Reſpondítque omnis populus ſimul, Cuncta quæ locutus eſt dominus faciemus.* RVPERTVS. Nota quòd tanquam paterfamiliàs conuentionem faciens cum operariis diurnis, quos continuò miſſurus eſt in opera legis, tandiu verba facit, donec ab eis ipſa collaudetur conuentio, dicentibus cunctis, Quæ locutus eſt dominus faciemus. THEODORETVS. His quidem dictis (inquit) reſpondit om-D nis populus, & ait, Cuncta quæ locutus eſt dominus faciemus. Hoc autem populi fœdus ſubſcriptioni ſcribæ ſimilis eſſe videtur. Vnde cùm propriam confeſsionem promiſſúmque tranſgreſsi eſſent, maledictionibus quæ in lege Moyſi continentur, ſubiecti fuere, à quibus Chriſtus dominus omnes in ſe credentes liberauit. Chriſtus enim(ait Apoſtolus)redemit nos à maledicto legis,factus pro nobis maledictum. CAIETANVS. Ab hoc autem effectu inſinuatur, quòd ſenes vniuerſo populo notificauerunt dicta à deo. AVCTOR CATENAE. Propenſus quidem eſt fidelium populus propoſito & promiſsis ad capeſſenda meliora inſtituta, ſed fragilis & inconſtans, & ad relapſum nimium procliuis. Hic enim temeritate humana pollicetur grandia,ſicut & Apoſtolus Petrus,nihil autem vel parum præſtat.Sic faciunt qui propriis confidunt viribus, & in dei gratia fidentes non ſunt,quæ omnia dei mandata poſsibilia facit.

RVPERTVS. Montis Sinai caliginem ingreſſuri, lucernam præferamus ſenſus Apoſtolici, vt cum *Myſticè,* illo ad noſtram vtilitatem ſcrutemur ſecundum Euangelium Chriſti, quæ dicta & facta ſunt illic. HIE-E RONYMVS. Statim vt deſerti Sinai inuenis manſionem quæ duodecima eſt, tibi occurrat in mentem Apoſtolorum numerus.Vna de pluribus,ſed maior omnibus, non ſeparatur in ordine, ſed præcellit in merito, vbi & lex dei data. INTERLINEARIS. Aduerte autem primùm, quòd Moyſes aſcendit in montem, proprium eſt enim ſanctorum,montes diligere & incolere, quorum conuerſatio eſt in cœlis. RVPERTVS. Deinde, vt fieri ſolet, captandæ beniuolentiæ gratia dominus ſua commemorans beneficia præterita, & promittens futura,Vos ipſi (inquit) vidiſtis quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum. RABANVS. Alas aquilarum doctrinas myſticè appellat duorum teſtamentorum. Bene ergo ſcriptura ſancta pennis aquilarum aſsimilatur, quæ nos ab infimis, ſuis exhortationibus eleuant, & ſuis conſolationibus portant, ſuíſque documentis ſemper ad ardua opera virtutum, & ad cœleſtia præmia prouocant.

RVPERTVS. Si hæc dignè commemoranda erant eis vt non ingrati eſſent, quos à dominis quamlibet F ſuperbis,& iniuſtis hominibus tamen liberauerat, & ad illum tractabilem ignem, ad illum turbinem & caligi-nem adduxerat, quantò magis illud nobis rememorandum eſt, quòd non vt tunc, ſed abundantiore gratia liberatos à peccatis noſtris, portauit nos deus homo factus, ad Sion montem, & ciuitatem dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, quaſi ſuper alas aquilarum velociter & altè volantium, fœtúſque ſuos fortiter portantium, & aſſumpſit ſibi, vt vbi ipſe eſt, ibi & nos ſimus? Sequitur. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Sicut dictum, ſic & hodie factum eſt à domino. Nam ecce domini eſt terra,& per Chriſtum ipſe dominatur gentium. Omnium autem noſtrum regnum ſacerdotale, ſiue regale ſacerdotium, ille populus eſt pro parte electorum, ex illo enim ſecundum carnem Chriſtus rex & ſacerdos omnium, ſanctus ſanctorum. Vnde veriſimè ipſe teſtificatus eſt, quia ſalus ex Iudæis eſt. Ergo ille peculiaris dei populus *Ioan.4.* eſt, nam nos aduenæ ſumus & hoſpites. Et ſi ex nobis plures ſunt ſacerdotes, peculiariter tamen regnum & ſacerdotium illius populi eſt, ex quo rex & ſacerdos Chriſtus cuius ipſum quo fungimur, ſacerdotium eſt.

RABANVS. Hoc laudis teſtimonium quondam antiquo dei populo per Moyſen datum eſt, quòd poſtea G
1.Pet.2. rectè gentibus dat Apoſtolus Petrus, dicens: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, quia in Chriſtum videlicet crediderunt, qui velut lapis angularis, in eam quam in ſe Iſraël habuerat ſalutem, gentes adunauit. Quas genus electum vocat propter fidem, vt diſtinguat ab eis qui lapidem viuum reprobando, facti ſunt ipſi reprobi. Regale autem ſacerdotium, quia illius corpori ſunt vniti, qui rex ſummus, & ſacerdos eſt verus, regnum ſuis tribuens vt rex & vt pontifex, eorum peccata ſui ſanguinis hoſtia mundans. Regale ſacerdotium eos nominat, vt & regnum ſeſe parare perpetuum, & hoſtias immaculatæ conuerſationis deo ſemper offerre meminerint. Gens quoque ſancta & populus acquiſitionis vocantur, iuxta id
Abac.2. quòd Apoſtolus Paulus prophetæ exponens ſententiam dicentis, Iuſtus autem meus ex fide viuit, quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ: Nos autem non ſumus (inquit) ſubtractionis filij in perditionem, ſed fi-
Act.20. dei in acquiſitionem animæ. Et in actibus Apoſtolorum, Vos autem (ait) ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos re- H gere Eccleſiam domini quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Populus ergo acquiſitionis facti ſumus in ſanguine noſtri redemptoris, quod erat quondam populus Iſraël, redemptus ſanguine agni de Aegypto. AVCTOR CATENAE. Quoniam igitur vna eſt Iudæorum & Gentium credentium fides, vnus deus, vna Eccleſia, cùm ad vitæ innocentiam & puritatem Chriſtianum populum adhortaretur præfatus Apoſtolus Petrus, his quoque verbis commodiſsimè vſus eſt, quaſi dicat, vt olim ſibi deus Iudæos elegit, ita & vos Chriſtus ſuo ſanguine acquiſiuit ſibi, vt ſitis gens deo dicata & ſancta, ſiquidem in ſimplicitate fidei illi adhærentes, in vitæ innocentia coram eo ambulare ſtudueritis. Significat igitur Iudæos abiectos, Gentes autem electas eſſe in communionem promiſsionum dei, vt ſicut deus inſtituit quondam externum imperium, ſacerdotium, & ſanctitatem in populo Iſraël: ita inſtituerit nunc per Chriſtum ſpirituale regnum, ſacerdotium & ſanctitatem inter Gentes, videlicet, vt quotquot in Chriſtum credunt, & eius mandatis obediunt, fiant omnium bonorum Chriſti participes. Nam qui proprio filio non pepercit (quemadmodum Paulus ait) ſed pro nobis om- I nibus tradidit illum, quî fieri poteſt, vt non & cum eodem nobis omnia donet? Chriſtus autem eſt cœleſtis rex, perpetuus ſacerdos, & ſolus verè ſanctus, qui ſolus legem perfectiſsimè impleuit. Quare omnes Chriſtiani fiunt, propter Chriſtum reges, ſacerdotes & ſancti. Reges, quia propter Chriſtum dominantur peccato, morti & inferno, ac fruentur perpetua felicitate regni cœlorum, Lucæ XXII. Diſpono vobis regnum (inquit) dominus, ſicut pater meus diſpoſuit mihi. Huc alludit & nomen Chriſtiani, quod ſi probè interpreteris, ſonat regium. Chriſti enim reges dicti ſunt ab vnctione vnde Chriſtiani, Regij dicuntur. Sacerdotes, quia cùm credunt in Chriſtum, & eius mandatis in omnibus obedire ſatagunt, ſemetipſos offerunt hoſtiam immaculatam deo. Sancti, quia per gratiam Chriſti legem adimplent, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini ſine querela.

K

2 CVmque retuliſſet Moyſes uerba populi ad dominum, ait ei dominus, Iam nunc ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nunciauit ergo Moyses uerba populi ad dominum. Qui dixit ei, Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, Lauéntque ueſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. In die enim tertio deſcendet dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai. Conſtituéſque terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, ſiue iumentum fuerit ſiue homo, non uiuet. Cùm cœperit clangere buccina, tunc
5 aſcendant in montem. Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificauit eum. Cúmque lauiſſent ueſtimenta ſua, ait ad eos, Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus ueſtris. L

AVCTOR CATENAE. Moyſes mediator & ſequeſter inter deum & populum, refert ad dominum
2 omnia verba plebis, vt illi complaceant eorum vota, & confirmentur in ſancto propoſito. Ait igitur. *Cúmque retuliſſet Moyſes verba populi ad dominum, ait ei dominus, Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* THOMAS SVPER IOB. In ſcripturis ſanctis deus venire ad ho-
Ca.9.lect.3 minem dicitur, quando ei ſua beneficia largitur, ſiue intellectum eius illuminando, ſiue qualitercunque ei benefaciendo. Vnde dicitur Eſaiæ XXXV. Deus noſter ipſe veniet, & ſaluabit nos. Econtrariò verò deus ab homine recedere dicitur, quando ei ſua beneficia vel ſuam protectionem ſubtrahit ſecundum illud Pſalmi, Vt
1.par.q.9. ar.1.ad 3. quid domine receſſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus in tribulatione. IDEM. Venire deum in ſcripturis metaphoricè dicitur. Sicut enim dicitur ſol intrare domum vel exire, in quantum radius eius pertingit ad domum, ſic dicitur deus venire ad nos vel recedere à nobis, in quantum percipimus influentiam bo- M nitatis ipſius, vel ab eo deficimus. CAIETANVS. Cúmque retuliſſet Moyſes, & cætera. Intellige cum grano ſalis hæc verba, quia non ſignificatur relatio dictorum à populo, ſed reuerſio Moyſi ad referendum ipſi domino verba populi. Præoccupatus enim ab ipſo deo, antequam relationem faceret Moyſes, audiuit deum loquentem ſibi, & propterea in litera ſubiungitur, Ait ei dominus. Nec ſubiuncta verba diuina ſunt verba reſpondentis relationi, ſed præuenientis, promittendo Moyſi maiora ſeu clariora teſtimonia. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis. Iuxta Hebræum habetur, Ecce ego veniens ad te in denſitate nubis, & cætera. Suatis dominus, ad confirmandum fidem credentis populi, promittit in ſigno viſibili ab vniuerſo populo ſe allocuturum Moyſen. Tum vt populus oculata fide perpendat colloquium inter deum & Moyſen, tum vt populus credat Moyſi, non ad horã, ſed ſemper. Et quia litera ſonat, Ecce ego veniens ad te, & non dicit, Ecce ego veniam, intelligendum abſque omni hæſitatione eſt, quòd tunc & dixit, & venit deus ad Moyſen in nube





A nube denſa coram vniuerſo populo. AVCTOR CATENAE. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, id eſt, in denſa nube. Sic & Chaldaica. Septuaginta autem, παραγίνομαι πρὸς σε ἐν σύλλῳ νεφέλης, id eſt, Accedo ad te in columna nubis, Columnæ tamen hîc nulla mentio. Imò ea caligo longè maior ac denſior, quàm per columnam poſsit ſignificari. Non deſcendiſſe quoque dominum in columna, & illud indicio, nam ea caligo totum cooperuit montem. Ait ergo dominus ad Moyſen, Elegi te in legiſlatorem populi Iſraëlitici. Neceſſe autem eſt, vt legiſlator habeat apud populum ſuum auctoritatem & fidem. Quare cùm antea parauerim tibi ex miraculis auctoritatem, parabo nunc tibi fidem in populo tuo, vt credant legem quam per te daturus ſum, verè diuinam legem eſſe. Non enim manifeſtabo meipſum ſoli tibi, nec colloquar tecum ſolo te audiente, ſicut hactenus factum eſt, ſed reuelabo meipſum ſtupendo tumultu, in caligine nubis, & colloquar tecum, ac recitabo tibi Decalogum, vt omnis populus audiat vocem ac verba mea. Quo miraculo tan-
B tam tibi fidem parabo in populo tuo, vt eam legem, quam poſt Decalogum daturus ſum, certiſsimè agnoſcant diuinam eſſe legem. Sic itaque Moyſi & prophetis loquitur dominus, quibus & credi vult ſemper & obſequi. *Nunciauit ergo Moyses verba populi ad dominum.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Ex breuitate prætermittit, quòd Moyſes priùs tulerit verba dei ad populum, & ille omnia conceſſerit ſe facturum, ſed iſtam confeſsionem ſtatim dicit deo nunciatam per Moyſen. Vel dicere poſſumus quòd totum eſt interpoſitio ab illo loco, Cúmque retuliſſet Moyſes, & cætera, ad hunc locum, ita quòd hic verſus ordine narrationis cohærere debet cum præcedentibus, & tunc tota illa interpoſitio ſequi, hoc modo. Reſpondit vniuerſus populus ſe facturum, hoc nunciauit Moyſes domino. Cúmque retuliſſet, & cætera, Ait ei dominus, Iam nunc, & cætera. CAIETANVS. Ecce relatio verborum populi per Moyſen, fit ipſi domino in nube denſa apparenti ei. Relationem autem intellige conſiſtere in hoc, quòd Moyſes ſupplex propoſuit coram deo fidem populi, & promptitudinem eiuſdem ad obediendum deo, vt deus qui hæc bona inchoauit
C in populo ſuo, perficiat illa. AVCTOR CATENAE. Non quia dominus ignoret verba populi, cùm ſciat omnia etiam antequam fiant, nunciat illa Moyſes domino, ſed vt bona eius voluntas tanquam dómino placita præſententur, & vt pro ea adimplenda dominum precetur, ſicut & angeli bona hominum opera coram domino offerunt, prout Tobiæ dixit Raphaël. *Qui dixit ei, Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras,* Tob.12. *lauéntque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium.* RVPERTVS. Quod dictum eſt, Lauéntque veſtimenta ſua, ſecundum literalem quidem ſenſum non multum apud dominum ad ſanctificationem valere conſtat, veruntamen cùm pro ritu ſanctificationis fit, internam quoque munditiam deo placitam eſſe cogit intelligi. THEODORETVS. Non ſolùm ſanctificari, ſed etiam veſtimenta lauare Hebræi à deo iubentur cùm legem ſunt accepturi, quia per corporales res ad ſpirituales eos adducit, & timorem incutit, & reuerentiores reddit. Ex his nempe facilè intelligere poterant, multò magis mentem animúmque expurgari debere. Ob id & tubarum voces, & tonitruum ſonitus, & caligo, & procella, & ignis, & fumus ingens in
D ipſius montis vertice apparuerunt, vt per hæc omnia lapidea illorum corda emolleſcerent. Nam quia & inflictas Aegyptiis plagas conſpexerunt, ipſi verò talium plagarum omnino expertes erant, idcirco illos veluti pueros terret, vt non tantùm deum ob inenarrabilia eius erga ſe beneficia diligerent, ſed etiam ob terribiles plagas timerent. Hac de cauſa & de ſacerdotibus ipſis ait, Sacerdotes qui appropinquant domino deo ſanctificentur, ne percutiat eos dominus. Nam quia par erat eos ſibi confidere quòd diuinum miniſterium ſortiti eſſent, ſingulariter eos docet, illos qui ad cultum dei aſciti eſſent, præ aliis ſanctiores, & terrenis eminentiores eſſe debere. CAIETANVS. Qui dixit ei. Modò reſpondet fons gratiarum relationi Moyſi, Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras. Quia quinquageſimo die datam credimus legem, hæc verba dicta fuerunt quadrageſimo octauo die. Tertius ſiquidem dies quadrageſimo octauo eſt quinquageſimus. Sed hunc numerum ſupputandum eſſe excluſo extremo termino à quo (hoc eſt, die egreſſus ex Aegypto, hoc eſt, quintadecima die menſis primi) inſinuat præcepta ſupputatio dierum quinquaginta, pro anniuerſario
E feſto Pentecoſtes, excluſo primo die azymorum, Leuitici XXIII. capite. Rationis ſiquidem ordo exigebat, vt feſtum Pentecoſtes anniuerſarium inſtitutum fuerit relatiuè ad Paſcha, quoto à Paſcha te die fuit lex data, vt colligatur, quòd lex data fuit ore proprio à deo vniuerſo populo, die quinquageſimo à die egreſſus ex Aegypto excluſiuè. Et quia ram hodie quàm cras deputatur ſanctificationi, inſinuatur quòd verba hæc dicta fuerint mane. Sanctificatio autem mundationem in genere ſignificat, & ab immundiciis corporis, & ab immundiciis animi. Vnde & in ſpecie ſubiungitur, Lauéntque veſtimenta ſua. Quod intellige de veſtibus quæ ſolent ablui. Tacentur autem ablutiones aliæ, vt ex hac minima intelligantur maiores. AVCTOR CATENAE. Et ſanctifica illos hodie. Hîc ſanctificare pro præparare accipitur, vnde Chaldaica editio legit, Et præparabis eos hodie. Purificationes autem varias Iudæi ſuſceperunt, ſed ad carnis emundationem tantùm, quibus & hypocritæ vti potuerunt, & quorum cor inſyncerum erat. Quapropter in epiſtola ad Hebræos vocantur iuſtitiæ carnis, ad tempus correctionis datæ. Interim tamen etiam deus eas ſanctificatio-
F nes vocat, veram autem ſanctificationem docet ſequenti capite, vbi exteriorem & interiorem hominem inſtituit atque mundat. Prima autem præparatio eſt lotio veſtimentorum. Et ſi enim illota veſtimenta neminem per ſe coram deo prophanant, publica tamen honeſtas (quam & ipſam deus requirit) exigit, vt in publica hominum congregatione mundis veſtibus incedas. Decens etiam fuit, vt Decalogi promulgatio, quæ magna maieſtate futura erat, cærimoniis quibuſdam ac externis ritibus rudi populo commendaretur, quò diligentiùs vocem dei obſeruaret. *In die enim tertio deſcendet dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai.* INTERLINEARIS. Vt ſciant legem à deo dari, non ab homine. EVCHERIVS DE FORMVLIS SPIRITALIBVS. Deſcẽdere deus in mundum dicitur, quando aliquid nouum quod antea non fuerat, in creatura humana operatur. CAIETANVS. Ratio præparationis redditur, aduentus ſummi dei, ſignificatus per deſcenſum, quia ad ſimilitudinem deſcendentis de cœlo in montem appariturus erat. AVCTOR CATENAE. In die enim tertio deſcẽdet dominus, id eſt, deſcendã. Hebraiſmus. Loquitur enim

de se dominus tanquam de aliquo tertio. Chaldaica habet hîc, Quoniam in die tertio reuelabitur dominus G
in oculis omnis populi super mõtem Sinai, id est, manifestabitur gloria eius & potestas, & hic fuit eius descẽsus.
*Constituéſque terminos populo per circuitum, & dices, Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* RVPERTVS. Huius terribilis comminationis, & aliorum terribilium quæ sequuntur, causa,
præsens populi rudis erat inscitia, cui tanquam adolescentulo petulanti qui pium patrem reuereri nescirẽt, seuerum pædagogum adhiberi oportebat. Docendus enim erat, quòd deus patrum eius non esset talis, vt dij Aegyptiorum, quorum in sacris, imò sacrilegiis ludere, & choros ducere, manducare & bibere, ac deinde polluere &
pollui, solenne erat in omni genere fornicationum. Siquidem non vltrò vel facilè hoc perdiscere poterat, quippe cùm & post tales tantósque terrores nihil cunctatus, quasi nihil vidisset, fecerit vitulum conflatilem, sederit
*Exod.32.* populus manducare & bibere, & surrexerit ludere. Dixerúntque, Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra
Aegypti. Ergo terribilium quæ ostensa sunt, id est, buccinæ perstrepentis, tonitruorum ac micantium fulgurum, H
montísque fumantis, ac densissimæ nubis, siue caliginis, ac sententiæ, quæ interponitur, Omnis qui tetigerit
montem, morte morietur, causa fuit ipse populi status, qui quoniam ad charitatem nondum peruenerat, oportebat vt timore stringeretur. Vnde & post aliqua Moyses dicit, Vt enim probaret vos dominus, & vt terror illius
esset in vobis, & non peccaretis. Sed nunquid dominum velle videre malum est? Imò bonum, & omnium optimum est. Sed malum est ei qui per curiositatem illum quærere audet, æstimans quòd deus in sua natura visibilis
aut membris suis vt homo localiter distinctus, aut circunscriptus sit. Rectè igitur interpositione præcepti curiositas importuna atque indigna repulsa est. CAIETANVS. Constituéſque terminos populo per circuitum. Pro reuerentia diuinæ præsentiæ constituuntur termini, ne quisquam accedat ad locum in quo præsens
est deus, quemadmodum vallantur loca regum, in quibus resident publicè. *Manus non tangent eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit siue homo, non viuet.* RVPERTVS. Posito præcepto, præuaricationis pœna iusta est, ac proinde iustissimè, Omnis (inquit) qui tetigerit montem, morte morietur, & taliter vt I
cæteri metum habeant. Quomodo? Manus (inquit) non tangent eum, videlicet abiectum, sicut pollutum & immundum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Sed iumentum quare occidetur? Videlicet vt dominus iumenti qui illud custodire neglexit, in eo contristetur, & in quo negligentia eius est, in eodem æqua
iudicij mensura feriatur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Confodietur iaculis. Expressiùs fortasse dixisset, iactibus, vt intelligatur lapidum ictibus in eum diuinitùs volitantibus necandus. Præterea præmisit,
Manus (scilicet hominis) non tanget eum. AVCTOR CATENAE. Id est, nemo sequetur eum qui tetigerit montem, vt eripiat eum ne lapidetur. Sed lapidibus opprimetur. Hebraicè est יִסָּקֵל יִסָּקֵל Chi sakol issakel, Quoniam lapidatione lapidabitur, sic & Chaldaica. Hebraismus est, quem rectè Interpres reddidit. Sic &
quòd sequitur, Aut confodietur iaculis, Hebraicè legitur אוֹ רֹה יֵרֶה O iaro iiare, Aut iaculatione iaculabitur.
Similiter Hebraismus ab Interprete redditus, Quasi dicat, qui lapidari non poterit, sagittis è longinquo confodietur. Alij vertunt, Siue iaciendo iacietur, scilicet deorsum à monte proiicietur in terram. Sic igitur temerita- K
tis curiosæ pœnas luet ad mortem, qui montem tangere præsumpserit contra mandatum domini. *Cùm clangere cœperit buccina, tunc ascendant in montem.* RVPERTVS. Sed & suprà iam dictum est, Cauete ne ascendatis in
montem, & postmodum item dominus dicit, Contestare populum, ne fortè transcendere velint terminos ad videndum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Ergo cùm dicitur, Cùm cœperit clangere buccina, ascendant in montem, subaudiendum est, vsque ad terminos cõstitutos per circuitum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem, id est, non ascendant donec clangat buccina. Quidam volunt humanam esse buccinam institutam ad hoc officii signum intimandum
populo, sed mihi verisimilius videtur diuinam fuisse. Quod autem sequitur, Tunc ascendant in montem, mirum est cùm antè prohibitum sit etiam tangere montem. Et dicunt quidam quòd prohibitum est tangere dum
dominus adest. Permissum verò non præceptum etiam ascendere quando abest vel recedit, quod hîc innuitur
secundum hanc sententiam, & quando debebant non tangere. Quando autem licebat ascendere, diuersò sonitu L
buccinæ indicabatur. Mihi autem probabilius videtur, quòd hîc dicat ex præcepto debere ascendere in montem vsque ad eius radicem, non vsque ad cacumen. Vnde in sequentibus præcipitur Moysi prouidere ne transgrediatur populus terminos constitutos, id est, ne vsque ad collem, vel vsque ad cacumen ascendat, quod ad
mortis pœnam erat interdictum. CAIETANVS. Cùm clangere cœperit, & cætera. Significatur, quòd post recessum dei à monte, cornea tuba sonus non breuis, sed prolixiùs tractus, agendus erat à tubicinis eorum iubente Moyse, & quòd ex tunc licitum foret Israëlitis ascendere in montem. Hæc est responsio diuina ad relationem Moysi, verè prosequens benecœpta fidei & obedientiæ populi, ad perficiendum enim hæc in populo,
deus dedit hæc mandata, AVCTOR CATENAE. Cùm clangere cœperit buccina, tunc ascendant in montem. Hebraica sunt בִּמְשֹׁךְ הַיֹּבֵל הֵמָּה יַעֲלוּ בָהָר Bimsoch haiobel hamma iahalu bahar. Est autem Iobel, cornu aut buccina, vel sonus his instrumentis editus. Sic igitur locus redditur: Cùm traxerit, seu protraxerit buccina (subaudi vocem suam, id est, cùm vox buccinę longior & concisior fuerit, hoc est, buccina prolixiùs insonue- M
rit) ipsi ascendant in montem, id est, ascendere poterunt. Alij dixerunt, Cùm protractus fuerit sonitus Iobel. Prolixior enim sonus, signum erat dominum maiestatis montem deseruisse. Verùm quia verbum Masach, etiam subtrahere & abstrahere significat, Septuaginta hoc in loco legũt, ὅτ' ἂν μὲ ἄι φωναὶ καὶ ἡ σάλπιγγες ἀπέλθῃ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἐκεῖνοι ἀναβήσονται ἐπὶ τὸ ὄρος, id est, Quando autem voces & tubæ recesserint de monte, illi ascendant in montem. Chaldaica sic etiam, videlicet, Quando tuba subtracta fuerit, ipsi habebunt facultatem ascendendi
in montem. Et est sensus, Dum satis diu protractus adeóque finitus fuerit sonitus tubarum & voces tonitruum,
quæ dei virtute fient, tum ascendere licebit, at præsente domino nequaquam. *Descendátque Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum.* CAIETANVS. Quid effecerit sanctificando populum, non est scriptum. Suspicor autem, nihil aliud fecisse quàm monuisse ad mundiciam, tum animi tum corporis, ad hoc vt essent parati ad occurrẽdum deo in die tertio, & huiusmodi monitionem diffuso sermone appellari sanctificationem.

AVCTOR



A AVCTOR CATENAE. Et sanctificauit, id est, præparauit eum. Sic legit & Chaldaica. *Cùmque lauissent vestimenta sua, ait ad eos, Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* GREGORIVS NYSSENVS. Sic igitur cùm maiora occultioráque mysteria deus, & ipsum ductorem & populum instruere vellet, præcepit populo per Moysen vt tam corpore, quàm animo mundus fieret, adeò vt etiam à nuptiis ipsis certo
quodam dierum numero abstineret, aspersionibúsque quibusdam maculas abstergeret, vt omni labe animi, corporísque deposita, mundus ad montem Sinai posset accedere, qui quidem mons ratione vtentibus solũ illo tempore aditum præstabat, neque his omnibus, sed viris solummodo, nec viris etiam omnibus, sed illis tantùm, qui
diligenter à se omnem maculam expulissent. Studium autem omnibus erat non paruum, ne quid brutorũ monti appropinquare paterentur. Quòd si fortè aliter acciderit, lapidibus obrui à populo statutum erat, quicquid bru
tum iuxta montem apparuisset. HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Moyses tribus diebus ab o- *Cap.46.*
B mni immunditia, & ab vxorum complexu vult populum sanctificari, vt accedat ad montem Sina, & sanctificatus sancta suscipiat. Si autem accessuri ad audienda & suscipienda verba dei sanctificari iubentur ab vxoribus, manifestum est in lege illud apostolicum contineri, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tem- *1.Cor.7.*
pus, vt vacetis orationi, & ex cõsensu abstinendum ab vxoribus, vt vacemus orationi. RVPERTVS. Valde autem considerandum, quòd sanctificare iussus populum Moyses, eandem ita sanctificationem determinat,
Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Ergóne appropinquare vxoribus res est illicita? Non vtique. Sed sicut alia dicit scriptura, Omnia tempus habent, & suis spaciis transeunt vniuersa sub cœ- *Eccl 3.*
lo. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus tunc est, quando sanctificationis tempus impendet. Quid enim est sanctificari, nisi abstinere etiam à licitis? Nam qui abstinet solummodo ab illicitis, pœnam
quidem euasit peccati, sed gloriam nondum est assequutus sanctitatis. Vnde & dominus in Euangelio dicit, Cũ *Luc.17.*
feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Etenim
C ad perfectionem non satis est fecisse præceptum, nisi adiicias facere & consilium. Hoc autem hîc agebatur quatenus sancti essent, id est, digni audire vel videre, quomodo hominibus posibile est, præsentem dei maiestatem. Rectè igitur consulitur illis, vt continentiam habeant etiam licitæ rei, dicendo, estote parati, & ne appropinquetis vxoribus vestris. HVGO DE SANCTO VICTORE. Cúmque lauissent vestimenta sua, & cætera. Mirum videtur, dicere scilicet post vestimenta abluta, die tertio ab ablutione futuros paratos, & post ablutionem præcipere. Sed fortasse talis erat ordo sanctificationis, vt statim à primo die lauarent vestimenta, deinde
ab immunditiis abstinentes & ieiunantes, ita se in tertium diem pararẽt, quod voluit innuere. CAIETANVS.
Cerne quòd ab initio veteris testamenti, præparatio mentis ad diuina percipienda mysteria, per aliquantulam
abstinentiam ab vsu coniugij placuit deo. Hinc Paulus Apostolus postea docuit coniugatos vt orationi vacarent, de cõsensu, modico tempore abstinere. Decernitur enim hoc in loco tempus præparationis, tempus duorum dierum. AVCTOR CATENAE. Et ne appropinquetis vxoribus vestris, id est, abstineat vnus-
D quisque ab vxore sua. Abundat autem dictio, vestris, sed tantum est in Hebræo, Et ne appropinquetis vxoribus. Verùm quia necessariò subintelligebatur, ideo vestris addidit Interpres. Et fortè ne intelligerent prohiberi appropinquationem vxoribus alienis, non autem propriis. Vxoribus ergo abstinendum, & omni libidine, & cæteris voluptatibus quibuscunque, dum animum diuinis rebus intendere volumus, vacaréque precationi & sacris
meditationibus, distrahunt enim spiritum carnales voluptates.

INTERLINEARIS. Primùm hîc in eo quòd retulit Moyses verba populi ad dominum, id nobis occur- *Mysticè.*
rit, Prælatos Ecclesiæ designari, qui vota subditorum referunt ad dominum, cùm eorum bona ipsi attribuunt, &
eum in omnibus benedicunt. Deinde, quòd ad Moysen in caligine nubis se dominus venturum pollicetur, perinde est ac si diceret, in obscura legis scientia. AVCTOR CATENAE. Vel tenuem de deo notitiam
quæ in hac vita habetur, indicat, iuxta illud Apostoli, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem fa- *1.Cor.13.*
cie ad faciem. Sequitur. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimenta sua, & sint pa-
E rati in diem tertium. ORIGENES. Si quis est qui ad audiendum verbum dei conueniat, audiat quòd præcepit dominus, Sanctificatus venire debet ad audiẽdum verbum, lauare debet vestimenta sua. Si enim sordida huc detuleris vestimenta, audies & tu, Amice quomodo huc intrasti nõ habens vestem nuptialem? Nemo ergo potest audire verbum dei, nisi priùs fuerit sanctificatus, id est, nisi fuerit sanctus corpore & spiritu, nisi vestimenta sua lauerit. Ingressurus est enim paulò pòst ad cœnam nuptialem, manducaturus est de carnibus agni, potaturus est poculũ salutaris. Nemo intret ad hanc cœnam sordidis vestimentis. Hoc enim & alibi sapientia præcepit, dicens, In omni tempore sint vestimenta tua munda. Lota sunt enim semel vestimenta tua cum venisti
ad gratiam baptismi, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis & spiritus. Quæ ergo
deus mundauit, tu ne immunda feceris. AMBROSIVS IN PRIMO OFFICIORVM. In plerisq; *Cap.50.*
abditioribus locis cùm ministerium gererent Leuitæ, vel etiam sacerdotium presbyteri, filios susceperunt, & id
tanquam vsu veteri defendunt, quando per interualla dierũ sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur e-
F tiam populus per biduum aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet, vt in veteri testamento legimus,
Et lauabat vestimenta sua. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Disce sacerdos atque Leuita, quid
sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro aliis
supplicare, audes pro aliis ministrare? CYRILLVS LIBRO QVARTO SVPER IOANNEM. *Cap.51.* •
Præparari igitur præmundaríque omnes oportet, qui deo coniungi student (sancti enim, ait, sitis, quia ego san- *Leui.19.*
ctus sum) quoniam omnis nostra intẽtio est per Christi meditationem deo cõnecti. Cuius rei habes imaginem,
quòd à deo ad Moysen dicitur, Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, Lauéntque vestimenta sua, &
sint parati in diem tertium, in die enim tertio descendet dominus coram omni plebe super montem Sinai. Probitatem enim morum studiosè acquirendam significat. Lotione autem indumentorum, corporis puritatẽ ostendit. Indumentum enim animæ, quodam modo corpus est. SEVERVS. Sanctifica illos. Huius loci etiam

sensus

sensus est,quòd non oportet in diuinorum eloquiorum doctrina iisdem verbis aut nominibus vti. RABANVS. Sed & quòd dominus Moysi præcepit vt populum sanctificet hodie & cras, vtq; ipsi lauent vestimenta sua,& sint parati in diem tertium,mysticè significat,quòd omnis qui ad cõspectũ dei peruenire desiderat,sanctificare se debet,id est,sana fide & digna conuersatione præparare,& vestimẽta sua lauare,id est, opera sua mũdare,in præsenti videlicet, & in futuro tempore, quòd significat hodiernus & dies crastinus, quatenus ad gloriam resurrectionis & immortalitatis dominicæ pertingere possit.Hoc quoque insinuat dies tertius, quia Christus die tertia à mortuis resurrexit. RVPERTVS. Quid sibi vult quòd sanctificationis præparatio mandatur in diem tertium? Hoc planè si quærimus pariter & illud occurrit quærere,cur ipse qui hoc mandauit dominus deus,homo factus,per triduum sanctificauerit seipsum.Instante nanque hora passionis suæ, cùm dixisset, Sanctifica eos in veritate.Sermo tuus veritas est,sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mũdum: ita continuò subiunxit, Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.Quæ sanctificatio eius haud dubium,quin immolatio eius, sanctificationi nostræ necessaria fuerit, quam tertio die cõsummauit,resurgendo à mortuis,in gloriam immortalitatis & incorruptionis,& ita iuxta prophetã Zachariam,ablatis ab eo sordidis vestibus,indutus est mutatoriis. Sed de hoc citiùs respondetur, quia deus cui in Christo seipsum sacrificante,nostra natura satisfactionem offerebat,vt nos ei reconciliaremur,deus(inquam) noster, Trinitas est,pater,& filius,& spiritus sanctus:ac proinde iustum fuit, vt etsi non deberet videre corruptionem sanctus eius,tamen festiua eius resurrectio saltem in diem tertiũ differretur. Itaq; rectè ad suæ futuræ sanctificationis exemplum,iam hîc triduanam satisfactionem indixit hominibus,vnde triduanę pœnitentię vel afflictionis auctoritas,deinceps peccatoribus sanciretur.Lauare autem oportet per pœnitentiam animæ vestimenta, id est, membra corruptibilia,de quibus ait sanctus Iob,Et abominabuntur me vestimenta mea,id est,abominabilẽ reddent me membra corruptibilia. De his lauandis siue non inquinandis, alibi scriptum est, Beatus qui custodit vestimenta,ne nudus ambulet,& videant turpitudinem eius.Item,Omni tempore vestimẽta tua sint cãdida, & Ioleum de capite,id est,charitas de corde tuo non deficiat. AVCTOR CATENAE. Sanctificari ergo iubet,& parari in diem tertium dominus populum,quoniam non fit vna die veterum ablutio delictorũ.Vestes autem lauare,est conscientiam fide imbuere,vt ea iustificata deo placere possit,& audire illius mandata,& probare,ac opere adimplere.Constituésque terminos populo per circuitũ. INTERLINEARIS. Ac si dicat, ne quis vltra intelligentiã suam ad montem sacræ scripturæ audeat ascendere, sed contentus sit mensura secũdum donum quod accepit à deo.Cauete ne ascendatis in montem,nec tangatis fines illius.Omnis qui tetigerit montem,& cætera. GREGORIVS SEXTO MORALIVM. Quid est quòd cùm lex accipitur,populus à monte prohibetur,nisi quia qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non præsumant?Vnde & rectè dicitur,Si bestia tetigerit montem,lapidabitur.Bestia enim montem tangit, cũ mens irrationabilibus desideriis subdita,ad contemplationis alta se erigit.Sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens,ipsis superni ponderis ictibus necatur.Qui ergo culmen apprehendere perfectionis nituntur, cùm contemplationis arcem tenere desiderant,priùs se in campo operis per exercitium probent,vt sollicitè sciant,si nulla iam mala proximis irrogãt, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus mens nequaquam lætitia soluitur,si subtractis,non nimio mœrore sauciatur,ac deinde perpendant, si cùm ad semetipsos introrsus redeunt,in eo quòd spiritualia rimantur, nequaquam secum rerũ temporalium vmbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt, si incircunscriptum lumen videre cupientes, cũctas circunscriptionis suæ imagines deprimunt,& in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt. INTERLINEARIS. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.Quicunque (inquit) lapsus in hæresim vel blasphemiam in deum,sacræ scripturæ altitudinem temerare ausus fuerit, æterna morte interibit. Manus non tangent eum, sed lapidibus operietur, aut confodietur iaculis, nemo eius insaniam imitabitur, sed duris Ecclesiæ sermonibus coartabitur,& acerrimis illius obiurgationibus constringetur. Siue iumentum fuerit siue homo,non viuet.Siue(inquit)stultus ille fuerit iumentis comparatus, siue reputatione sua sapiens, eundem finem sortietur. RVPERTVS. Et bestia(inquit)si tetigerit montem, lapidibus opprimetur, & cætea. Si enim is qui bestialiter viuit,alta diuinitatis audeat scrutari,illa gloriosa dignitas caliginem sibimet obducit, & fumante toto scripturarum monte,indignos oculos cæcitate obuoluit.Vnde Psalmista,Et posuit(inquit)tenebras latibulum suum,in circuitu eius tabernaculum eius,tenebrosa aqua in nubibus aëris. Ita cùm sit splendida lux veritatis,ille nihil videns,nisi caliginem mendacij,illis opprimitur lapidibus, & illis confoditur iaculis, quæ aliis verbis idem significat, cùm dicit, Pluet super peccatores laqueos,ignis,sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.Sic Arrius,& alius quilibet hæresiarches, à superna maiestate lapidatus, & iaculis interemptus est. Et hoc idcirco,quia bestia fuit.Si enim rationabiliter vt homo per actiuam vitam seipsum priùs exercuisset, ac deinde ad contemplandam veritatis gloriam ordinatè promouisset, suos ab illo fortitudo maiestatis lapides & iacula continuisset. AVCTOR CATENAE. Nemo igitur ascẽdebat montẽ præter Moysen & Aaron,quo significatur nos in diuinis rebus non debere esse curiosos, ne sacrosancta consilia prouidentiæ diuinæ temerè contingamus,vel perscrutari velimus,sed ad radicem mõtis in ordine nostro maneamus. Quòd si vnus & alter à deo vocatur vt ascendat,certissimis id signis ab Ecclesia cognoscetur.Manus non tanget eum,& cętera,id est,temeritatis curiosę pœnas luet ad mortem perscrutator iudiciorum dei. Animalis homo non percipit ea quæ dei sunt,& prudentia carnis deo est inimica,quia diabolica. RABANVS. Cùm clangere cœperit buccina, tunc ascendant in montem.Quid est quòd priùs prohibet populum ne ascendat in montem, nec tangat fines illius, minatúrque trangressoribus mortem, nunc autem iubet, vt quando cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem,nisi quòd humanam audaciam compescens premit,& ad obediendum diuinæ iussioni mentem erigit? Ad sonitum ergo buccinæ ascendere oportet in montem, quia ad sacræ prædicationis vocem se erigere debet ad superna mens auditorum. Nec enim inordinatè ad inuestigationem sacramẽtorum cœlestium,animus pertinax se immittere debet,irrationabili motu præsumptionis suę instigatus,sed ad vocationẽ diuinam

Ioan.17.
Zach.3.
Iob.9.
Apoc.16.
Eccl.9.
Cap.27.
Psalm.17.
Psalm.10.



A diuinam promptus ac deuotus subsequi, quo prouocat gratia largitoris. AVCTOR CATENAE. Nec enim ascendit deus in mẽtem hominis,nisi priùs prolixè & humiliter ac cum timore audito verbo domini.Descenditque Moyses de monte,& sanctificauit populum.Moyses qui & sequester & propheta, mediator fit inter deum & homines,eo ipso figura est Christi domini,qui fideles patri conciliat, ac intercedit pro electis, & exauditur pro sua reuerentia. ORIGENES. Sed & audi nunc aliud sanctificationis genus. Cùm lauissent(inquit) vestimenta sua,ait illis,Ne accesseritis ad mulierem hodie & crastina(sic enim habent Septuaginta) vt die tertia audiatis verbum dei. Hoc est quod & Apostolus dicit, Bonum est homini mulierem non tangere: saluo tamen remedio his,qui pro infirmitate sua remedio indigent nuptiali.Veruntamen consilium audiamus Apostoli,dicentis,Quia tempus breue est,superest,vt & qui habent vxores,tanquàm non habentes sint:& qui emunt, tanquàm non possidentes:& qui vtuntur hoc mundo, tanquã nõ vtantur. Præterit enim habitus huius mundi: 1.Cor.7.
B præterit temporale regnum,vt perpetuum veniat & æternum,sicut & in oratione dicere iubemur, Adueniat regnum tuum. SEVERVS. Appropinquare autem deo non solùm voluptatibus addicti prohibentur,verumetiam quicunque fera & à ratione remota animi commotione affectus est. RVPERTVS. Quòd si hoc rectè dici debuit accessuris ad illum ignem visibilem,ad turbinem & caliginem & procellam & tubæ sonũ, quantò magis accedentibus nobis ad ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestem,& multorum milium angelorum frequentiam,& Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium deum, & spirituum iustorum perfectorum,& testamenti noui mediatorem Iesum,& sanguinis aspersionem melius loquentem quã Abel? Hoc enim alio loco perpendens idem Apostolus,incontinentibus quidem manum indulgentiæ porrigit, Nolite(inquiens) fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini 1.Cor.7.
in idipsum,ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Cõtinentibus autem persuadet, vt habendo vxores,tanquam non habentes sint: Virginibus verò, vt sic permaneant, consilium dat, existimans hoc bonum
C esse propter instantem necessitatem. RABANVS. Quid est ergo quòd post lauationem vestimẽtorum prohibet Moyses accessum vxorum,nisi vt ostendat nobis,non sufficere ad virtutem contemplationis, mundationem operum per pœnitentiæ lamentum,sine castitate tam corporum, quàm etiam animarum? Oportet ergo vt mundemus actus nostros præteritos per compunctionem lachrymarum, & puritatem integram seruemus præcordiorum, quia aliter non sufficimus ad contemplationem dei, & ad perceptionem verè sapientiæ. Hinc ipsa veritas ait,Beati mundo corde,quoniam ipsi deum videbunt.Et in Salomone scriptum est,Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum,& in animam maleuolam non introibit sapientia. GREGORIVS NYSSE- Matth.5. Sapien.1.
NVS. Dicẽdum & aliter. Cùm ad speculationem supremæ naturæ adductus fuerit homo, ad quam non animi tantùm & corporis aspersionibus quibusdam depurgati, sed vestium quoque deducit mũdities, non occulta solũ, verumetiam manifesta & apparentia,decora ita fiant, vt interiori animi dispositioni conueniant. Non enim vestium macula, ne ad deum ascendamus vnquam vetabit, sed studia quæ in hac vita suscipimus quasi
D vestes sunt, quibus homo induitur. Hæc igitur studia & hos amictus non turpes, sed purissimos esse decet. Hac re diligenter facta, armentísque brutorum longè à monte pulsis, sic ad altissimas ascendit speculationes.Qua ex re(vt ego arbitror)illud nobis significatur, quòd debeamus hãc ex sensu factam cognitionem,cum qua intelligibile contemplamur,omnino contemnere, proprium enim naturæ brutorum est, ex sensu solo absque intellectus operatione aliqua gubernari,nam aut visus,aut auditus,aut aliorum quispiam sensuum,non voluntas, neque ratio appetitiones brutorum mouet.Quare motus sui omnes,& opera sensuum sunt.Speculatio autem qua deum contemplamur,nec visu,nec auditu quantum in se est,indiget, neque consueta quadam comprehensione,intellectionéque percipitur:oculus enim non vidit,nec auris audiuit, nõ est enim quicquã eorum quæ in cor hominis ascendere consueuerunt.Quare oportet,si quis ad contemplationem eius accedere velit, ab omni sensuali & irrationali motu mentem suam permundare, ac ita cùm omnem opinionem quæ ex sensibus originem
E habeat, ex mente abstruserit, consuetudinéque coniugis suæ caruerit(coniunx verò hîc sensus intelligitur,qui coniunctus naturæ nostræ nobiscum habitat) Hac igitur cùm caruerit, sic denique poterit ad montem accedere.Mons autem arduus verè ac ascensu difficilis theologia est, cuius vix multitudo ad radices peruenire potest. Si quis verò Moyses est,poterit etiam altiùs ascendere,sonitúsque tubarum magis ascendendo maiores sentire.

*IAmque aduenerat dies tertius, & manè inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Clangorque buccinæ uehementiùs perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris. Cúmque eduxisset eos Moyses in occursum dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.* **T**otus autem *Mons Sinai fumabat,eo quòd descendisset dominus super eum in igne,& ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.Erátque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in* 3
F *maius,& prolixiùs tendebatur. Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei. Descenditque dominus super montem Sinai in ipso montis uertice, & uocauit Mosen in cacumen eius. Quo cùm ascendisset,dixit ad eum,Descende,& contestare populum,ne fortè uelint transcendere terminos ad uidendum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.Sacerdotes quoque qui accedunt ad dominum sanctificentur,ne percutiat eos. Dixítque Moyses ad dominum, Non poterit uulgus ascendere in montem Sinai; Tu enim testificatus es & iussisti, dicens, Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. Cui ait dominus, Vade, descende, ascendésque tu, & Aaron tecum.Sacerdotes autem & populus non transeant terminos,nec ascendant ad dominum,ne fortè interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum,& omnia narrauit eis.*

AVCTOR CATENAE. Post populi responsionem non statim lex datur, sed priùs tentat domi- 3
nus

nus ac tonitruis,fulguribus,tubarumq; clangore,totiúsque montis horribili spectro terret, vt temeritatem,auida G
ciam, hypocrisimq; humanâ protrahat atque concutiat, quæ pro carnis imbecillitate legem alioqui bonam, iu-
stam ac sanctam ferre non potest, sed mox ea audita concidit atque desperat.Hinc igitur dicitur, *Iámque adue-*
*nerat dies tertius,& mane inclaruerat,& ecce cœperunt audiri tonitrua,ac micare fulgura,& nubes densissimæ operire montem.Clangorq; huc*
*cinæ vehementiùs perstrepebat, & timuit populus qui erat in castris.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS
*Quæst.70.* SVPER EXODVM. Dies tertius iste apparet tertij mensis ab exitu Israël de Aegypto. Ex die ergo quo pas-
cha fecerunt,qui fuit quartus decimus primi mensis vsque ad istum quo lex datur,dies quinquaginta numeran-
tur, decem & septem scilicet primi mensis,reliqui ab ipso quartodecimo, deinde omnes triginta secundi men-
sis qui fiunt quadraginta septẽ,& tertius tertij mensis,qui est à solennitate occisi agni quinquagesimus. CHRY-
*Cap.12.* SOSTOMVS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Tubarum sonitus meritò sunt adhibiti ibi,
*Hom.32.* vt puta imperatore præsente.Nam & hoc in secundo aduentu futurum est.In nouissima(inquit)tuba cuncti re- H
surrecturi sunt,hæc enim tuba vocis factura est.Omnia autem illo in tempore sensibilia erant, tam auditui hu-
mano, quàm visui. Nam & tonitrua & fulgura & tenebræ & caligo terrorem videntibus afferebant. Negligens
siquidem erat humanum genus & segne. Oportebat ergo vt erigeretur istis, & redderetur attentum. Nullus e-
nim tam hebes erat aut stolidus, qui cùm hæc fierent, non esset toto corde in superiora sublatus. Sic enim o-
portebat erigi mentes hominum, cùm legis instituta ferrentur. CAIETANVS. Vulgatus Interpres
optimè sensum reddidit, quamuis litera Hebraica nihil aliud habeat nisi, Et fuerunt voces, & fulgura, &
nubes grauis super montem, & vox cornu fortis valde. Tonitrua enim Hebræi voces appellant, vt patet su-
perius in nono capitulo in plaga Aegypti septima. Sonitum quoque tubæ corneæ quæ buccina appellatur in
litera, vocem cornu appellant. Quatuor itaque apparuerunt super montem Sinai in mane quinquagesimi
diei ab egressu ex Aegypto, quorum duo ad sensum auditus (tonitrua videlicet,& sonus similis sono tubæ cor-
neæ) duo verò ad sensum visus coruscationes scilicet, & densa nubes, spectabant. Nec in monte, sed supra ca- I
cumen montis hæc in aëre erant, vt patet ex eo quòd populus videbat montem fumantem.Si enim nubes den-
sa in ipso monte fuisset, operiens illum, non fuisset visus fumus montis. Et timuit populus,siue tremuit, vni-
uersus qui erat in castris. Paratus enim & expectans descensum dei super montem, audiendo & videndo talia
super montem fieri,non ab re tremuit & expauit.Res enim istæ quæ audiebantur & videbantur,signa erant soli-
ta terrere homines, & præ se ferebant deum iratum. AVCTOR CATENAE. Iámque aduenerat ter-
tius dies, & mane inclaruerat. Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & cætera. Non discrepat ab Hebræo quod est
sicut habetur in Chaldaica, Et factum est in die tertio cùm esset mane,& fuerunt voces & fulgura & nubes gra-
uis super montem, & vox tubæ fortis nimis,& commotus est omnis populus qui erat in castris.Obserua hîc pro-
bè cautum & munitum esse, quòd hoc spectaculum non casu quodam contigerit, sed verè diuinitùs factum
sit,ne quis Epicuri de grege porcus impiè calumnietur Moysen finxisse congressum cum deo, quò commodiùs
persuaderet rudi populo, vt capesseret legem suam, quemadmodum literæ Ethnicorum testantur fecisse Seleu- K
cum, Zoroasten, Minoa, Numam Pompilium, & alios legumlatores. Nam quòd ad auctoritatem Moysi attí-
net, ea iam multis miraculis, & publico omnium testimonio confirmata est. Quod autem attinet ad hoc spe-
ctaculum de quo nunc agimus,primùm ipsa prædictio ante tres dies, & præparatio populi probat non fortui-
tum, sed diuinum fuisse, deinde non vnus tantùm Moyses, sed tota Israëlitarum multitudo quæ erat sex-
centa millia virorum præter paruulos & mulieres, audiuit perspicuè deum colloqui cum Moyse, adeóque
audiuit ipsa verba dei recitantis Decalogum. Quare Moyses nequaquam conferendus cum aliis legumlato-
ribus, & impium est sentire Moysen finxisse colloquium cum deo, vt rudi populo imponeret. Alij autem le-
gumlatores, in hoc quidem non errauerunt, quòd retulerint leges suas in auctorem deum. Leges enim sunt
donum dei, & Respublicæ diuinitùs constituuntur. Sed in hoc errauerunt, quòd cùm cognouissent deum,
*Rom.1.* non glorificauerunt vt deum, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, transtulerúntque
gloriam immortalis dei, & cœlestis donum legis in fictitios deos, alius in Saturnum, alius in Iouem, alius L
in Mercurium, alius in aliud idolum. Atque hæc demum vera est impietas, maiestatem dei transferre ad
humana figmenta. A qua impietate tantum abfuit Moyses, quantum illi legumlatores Ethnicorum à vera
*Cap.2.* pietate abfuerunt. *Cúmque eduxisset eos Moyses in occursum dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.* GRE-
GORIVS LIBRO SECVNDO MORALIVM. Hîc intueri libet quomodo sacra elo-
quia in exordiis narrationum, qualitates exprimant terminósque causarum. Aliquando nanque à positione
loci, aliquando à positione corporis, aliquando à qualitate aëris, aliquando à qualitate temporis signant quid
de ventura actione subiiciant. Apositione quippe locorum diuina scriptura exprimit subsequentium me-
rita finésque causarum, sicut de Israële dicit, quia verba dei in monte audire non potuit, sed præcepta in
campestribus accepit, subsequentem nimirum infirmitatem populi indicans, qui ascendere ad summa non
valuit, sed semetipsum in infimis neglectè viuendo laxauit. A positione corporis futura denunciat, sicut
*Act.7.* in Actibus Apostolorum Stephanus Iesum qui à dextris virtutis dei sedit, stantem se vidisse manifestat: M
stare quippe adiuuantis est. Et rectè stare cernitur, qui in bello certaminis opitulatur. A qualitate aëris res
*Ioan.10.* subsequens demonstratur, sicut Euangelista cùm prædicante domino nullos tunc ex Iudæis credituros di-
*Matth.24.* ceret, præmisit, dicens, Hyems autem erat. Scriptum nanque est, Quoniam abundabit iniquitas, refrige-
scet charitas multorum. Idcirco ergo hyemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus ma-
*Ioan.18.* litiæ frigus indicaret. Hinc est quòd de negaturo Petro præmittitur, quia frigus erat, & stans ad prunas ca-
lefaciebat se. Iam nanque intus à charitatis calore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad perse-
cutorum prunas, infirmitate æstuante recalebat. A qualitate quoque temporis, finis exprimitur actionis, si-
*Ioan.13.* cut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exisse perhibetur, cùm egrediente illo,
*Luc.12.* ab Euangelista dicitur, Erat autem nox. Hinc enim & iniquo diuiti dicitur, Hac nocte repetent animam
tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est
quòd



A quòd Salomon qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc & nocte accepisse describitur. *3.Reg.3.*
Hinc est quòd angeli ad Abraham meridie veniunt: punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse me- *Gen.18.*
morantur. IDEM SVPER EZECHIELEM. Igitur aliquando ex loco diuina eloquia cau- *Gen.19.*
sas designant, quas aperto sermone non indicant, sicut carnali Israëlitico populo descendente de monte *Hom.12.*
Moysi lex in campestribus data est, & sanctis Apostolis dominus in monte sedens, summa & spiritalia præ-
cepta locutus est, vt ex locis videlicet monstraretur, quia & illis tanquam carnalibus mandata minima da-
bantur in valle terrarum, & isti tanquã spiritales & sancti,in monte mandata cœlestia audirent, quatenus aper-
tè monstraretur, quòd ascendentes corde ad cœlestia, infirma mundi relinquerent, & in mõtis culmine sta-
rent. CAIETANVS. Tremens populus non audebat exire, & propterea Moyses eductor eorum de
loco castrorum versus montem scribitur, & educi dicuntur ad occurrendum deo legislatori. Steterunt autem
B in planicie prope montem, ad quam immediatè descendebatur ex monte. AVCTOR CATENAE.
Eduxit itaque Moyses populum obuiam domino, vt scilicet veluti sponsam illum deo copularet. Steterunt
autem ad radices montis, id est, in ima parte. Stabant verò vt volunt Hebræi, hoc ordine. Primùm lo-
cum tenebant primogeniti, qui tunc antè Leuiticum sacerdotium fuerunt loco sacerdotum. Pòst hos sta-
bant principes tribuum, deinde seniores & præfecti, & post illos cæteri viri Israël, deinde paruuli, deinde
mulieres, & vltimo loco proselyti. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset dominus super eum in igne,*
*& ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* CHRYSOSTOMVS. Plurimus dicitur fuisse in monte fu- *Vbi suprà.*
mus, quoniam deus ignis dicitur esse. Nam & in rubo similiter apparuisse memoratur, & per fumum etiam
ignem fuisse significat. THOMAS SVPER ESAIAM. Quinimò clarè dicitur in litera do-
minus descendisse super montem in igne. Nec mirum in igne descendisse, cùm deus dicatur ignis, Primò *Cap.33.*
purgans, Matthæi. III. Baptizabit vos spiritu sancto & igne. Secundò inflammans, Lucæ. XII. Ignem
C veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Tertiò condemnans, Deuteronomij XXXII. Ignis
succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. IDEM IN EPISTOLAM
AD HEBRAEOS. Sciendum autem, quòd ignis de quo in Exodo fit mentio, erat corporalis, & ideo *Ca.12.le.4.*
palpabilis & sensibilis, & etiam in certo loco, vt ad ipsum posset accedi. CAIETANVS. Hinc ha-
betur, quòd populus in nullam montis partem quamuis infimam ascenderit, totus enim mons, & non supe-
rior tantùm pars, describitur fumans. Nec significatur ignis super montem, sed super montem dominus
in igne, nihil dicendo de loco ignis, & ad explicandum locum ignis subiungitur, quòd ascendit fumus eius
sicut fumus fornacis. Iunge hæc simul, quòd totus mons fumabat, & quòd fumus ille erat tanquam fumus
fornacis, cum his quæ scribuntur quarto & quinto capitulis Deuteronomij (scilicet quòd mons ardebat vs-
que ad cor cœli) & perspicies quòd simul erat fumus & flamma montis, ad similitudinem fornacis, partim
inflammati, & partim non inflammati. Ita quòd omnes partes montis fumabant, sed pars fumi accen-
D debatur, & pars non, & propterea tam fumans quàm ardens apparebat mons. Et nominatur nomen domi-
ni tetragrammaton, vt ipse summus deus qui dat omnibus esse, agnoscatur tam proximus nobis cura atque
prouidentia & efficientia etiam horum sensibilium,perinde ac sine vllis ministris operaretur. AVCTOR
CATENAE. Eo quòd descendisset dominus in igne, id est, circundatus igne. Lex dei Iudæis data est
cum timore & portentis horrendis, Christianis autem datur Euangelium cum consolationibus,spe & chari-
tate. Totus autem hic sermo ineptus aliquibus imperitis videri posset ob repetitiones, verùm amplificatio
est necessaria diuinæ descensionis, ac magnifici aduentus maiestatis diuinæ. Voluit enim Moyses quàm am-
plissimè potuit magnificis verbis describere gloriam legislatoris & dei Israëlis. Et quæ nobis absurda viden-
tur & aspera, apud Hebræos iuxta suam diuinam certè Rhetoricam ac priscam elegantissima sunt. Singilla-
tim & exactè omnia describit, aduenisse deum in montem, ascendisse ad eum Moysen, mox iterum descen-
disse, vt populum admoneret. Iam solus vadit,iam Aaron secum,iam ascendit,nunc iterũ descendit, & cætera,
E ostendendo studium viri sancti ad deum & homines conciliandos, vt pararet domino dignum & acceptabi-
lem populum. Deum verò in montem Sinai descendisse, non secundum ipsius naturam quæ vbique est ne-
cessariò, sed in nouo effectu ipsam repręsentante intelligas, propterea quòd manifestauerit præsentiam suam
fulguribus, tonitruis, densitate nubis, fumo, & clangore buccinæ. Nam hæc sunt miracula, quæ manife-
stè testantur ea diuinitùs agi & dici, quæ hoc loco aguntur & dicuntur. Ad hæc quia dominus promul-
gaturus erat Decalogum, testatur hoc loco horribili tumultu, quæ sit legis, efficacia in peccatoribus. Et si
enim lex per se sancta & bona, quia tamen homines sunt carnales, ideo lex eum tumultum excitat in con-
scientia peccatorum, quem hoc loco dominus Israëlitis obiicit. *Erátque mons omnis terribilis, & sonitus bucci-*
*næ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur.* GREGORIVS NYSSENVS. His ita disposítis
in sereno die subitò tenebris mons circundatus fuit, & ignis è medio tenebrarum exiliens, ac totum (vt vi-
debatur) montis tractum depascens, terrebat prospicientes, fumo atque caligine omnia repleta, adduce-
F bat tamen ad montem populum Moyses, quamuis ipse quoque huiuscemodi visu timore perculsus,ita est,
vt celare id minimè posset. Sed vel ipsius corporis motibus commotum se patefecit, nec enim tantùm per
oculos, verùm etiam per auditum terror animos inuadebat. Cùm sonitus desuper veluti buccinæ aut tu-
bæ dirumpere subiecta locorum spacia videretur. Erátque eis tantò terribilior, quantò magis accede-
bant, quódque mirabilius est, articulatus erat. Nam aër absque vocalibus instrumentis non inanem ora-
tionem, sed significantem diuina formabat virtute, quæ populo leges atque instituta ponebat. THO-
MAS. Sonitus autem tubæ significabat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem indicebа- *Vbi suprà.*
tur homini bellum contra seipsum. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et tremuit totus
mons valde. Motus localis ad similitudinem motus tremoris non parui, describitur montis totius. Et hic
est ille terræmotus,cuius meminit Dauid in psalmo sexagesimo octauo, Terra mota est,& cætera. AVCTOR
CATENAE. Erátque omnis mons terribilis. Hebraicè est: וַיֶּחֱרַד כָּל הָהָר מְאֹד Vaiecherad col hahar
meod

meod, Et contremuit omnis mons valde. Sic & Chaldaica. Vel, Et tremuit, seu, commotus est vniuersus mons G
vehementer. Septuaginta longè diuersum habent, καὶ ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα, id est, Et stupuit omnis populus
valde. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat & prolixiùs tendebatur, Ita Hebraicè legitur, וַיְהִי קוֹל הַשֹּׁפָר
הוֹלֵךְ וְחָזֵק מְאֹד Vaihi kol hasophar holech vechazek meod, Et factum est cùm vox buccinæ procederet, & roboraretur valde, seu fortissima fieret, hoc est, resonaret vehementer & clangeret, Vel cùm vox tubæ circunquaque diffunderetur. Aut vt Interpres Latinus intellexit, cùm vox illa nequaquam languesceret, sed semper crescceret & intenderetur. Sic in eundem sensum alij hîc vertunt, Cúmque vox cornu intenderetur, & fieret vehementer fortis. Chaldaica, Vox autem tubæ ibat & conualescebat nimis, cuius sensus idem cum nostra editione, videlicet quòd sonitus tubæ proficiebat paulatim, & vehementer audiebatur, & augebatur in immensum. Idipsum & Septuaginta, sentiunt, vertentes, ἐγένοντο δὲ αἱ φωναὶ τῆς σάλπιγγος προβαίνουσαι ἰσχυρότεραι σφόδρα, Factæ sunt autem voces tubæ procedentes fortiores valde. *Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei.* INTERLINEARIS. Ille interrogando, & dominus docendo, aliquid de se in contemplatione illa ostendens. CHRYSOSTOMVS. Oportebat quippe & diuinam proferri vocem, quoniam & per Moysen legis erant danda præcepta, propterea etiam voce diuina fide dignus efficitur. Videre nanque eum non poterant propter caliginem, audire non poterant propter tenuitatem vocis ipsius. Quid ergo factum est? Deus magna voce respondit. GREGORIVS VIGESIMOOCTAVO MORALIVM. Sciendū quia duobus modis locutio diuina distinguitur. Aut per semetipsum nanq; dominus loquitur, aut per creaturam angelicam, eius ad nos verba formantur. Sed cùm per semetipsum loquitur, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur. Cùm per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis ac syllabis cor docetur, quia virtus eius intima quadam subleuatione cognoscitur. Ad quam mens plena suspenditur, vacua grauatur. Pondus enim quoddam est, quòd omnem animam quam replet, leuet. Incorporeum lumen est, quòd & interiora repleat, & repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit. Quod enim de aduentu sancti spiritus scriptum est, Factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ quasi ignis, sedítque supra singulos eorum. Per ignem quidem dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit. Et neque ignis deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit, expresit hoc quod interius gesit. Quia enim discipulos & zelo succensos, & verbo eruditos intus reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, vt ignem & sonitum sentirent corpora, igne verò inuisibili, & voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, sed intus qui scientiam dedit. Et cùm reginæ Candacis eunuchus currui præsidens iter caperet, atque Esaiam non intelligens in manibus haberet, in corde nimirum spiritus Philippo dixerat, Adiunge te ad currum. Et cum ad euocandum Petrum timentes deum milites Cornelius dimisisset, in mente proculdubio à spiritu Petrus audiuit, Ecce tres viri quærunt te. Surge itaque, descende & vade cum eis. Spiritum enim dei quasi quædam nobis verba dicere, est occulta vi ea quæ agenda sunt intimare, & cor hominis ignarum non adhibito strepitu & tarditate sermonis, peritum repentè de absconditis reddere. Nam quia auditus ea quæ ad se fiunt non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui & causas per verba, & particulatim verba per syllabas percipit, visus autem noster in eo quod se dirigit, totum subitò & simul apprehendit, dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur potiusquàm auditur, quia dum semetipsum sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostræ ignorantiæ tenebras illustrat. Vnde & Baruch Neriæ filius cùm requisitus exponeret, quemadmodum verba Hieremiæ Prophetantis audisset, ait, Ex ore suo loquebatur quasi legens, & ego scribebam. Qui enim legens loquitur, aliò intendit, sed aliò verbum facit, quia quod videt dicit. Prophetæ ergo dei quia eius verba vident potius in corde quàm audiunt, quasi legentes loquuntur. Cùm verò per angelum voluntatem suam dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat, aliquando simul verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre L
assumptis, aliquando cœlestibus substantiis, aliquando terrenis, aliquando simul terrenis & cœlestibus. Nonnunquam verò etiam per angelum humanis cordibus ita loquitur deus, vt ipse quoque angelus mentis obtutibus præsentetur. Verbis nanque per angelum loquitur deus, cùm nil in imagine ostenditur, sed supernæ verba locutionis audiuntur, sicut dicente domino, Pater clarifica filium tuum, vt & filius tuus clarificet te, protinus respondetur, Clarificaui, & iterum clarificabo. Neq; enim deus qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit, sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua quæ ab hominibus audiri voluit, rationali creatura administrante formauit. Aliquando rebus per angelos loquitur deus, cùm nil verbo dicitur, sed ea quæ futura sunt, assumpta de elementis imagine nunciantur, Sicut Ezechiel nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit, vt videlicet dum solam speciem aspiceret, quę essent in nouissimis ventura sentiret. Electrū quippe ex auri argentíque metallo miscetur, in qua permixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamē fulgor auri tem- M
peratur. Quid ergo in electro nisi mediator dei & hominum demonstratur? Qui dum semetipsum nobis ex diuina atque humana natura composuit, & humanam per deitatem clariorem reddidit, & diuinam per humanitatem nostris aspectibus temperauit. Quia enim virtute diuinitatis eius tot miraculis humanitas fulsit, ex auro creuit argentum, & quod per carnem deus cognosci potuit, quódque per carnem tot aduersa tolerauit, quasi ex argento temperatum est aurum. Quod bene & in medio ignis ostenditur, quia incarnationis eius mysterium, subsequentis iudicij flamma comitatur. Scriptum quippe est, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Aliquando per angelos verbis simul & rebus loquitur deus, cùm quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in diuinitatis substantia videre dominum potuit, sed increpationis verba per angelum audiuit, de quo scriptum est, Cùm audisset vocem domini dei deambulātis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi. Quid est enim quòd post peccatum

*Cap.2.* *Act.2.* *Act.8.* *Act.10.* *Baruch.1.* *Ioan.17.* *Ezech.1.* *Ioan.5.* *Cap.3.* *Gen.3.*



A catum hominis in paradiso dominus iam non stat, sed deambulat, nisi quòd irruente culpa se à corde hominis motum demonstrat? Quid est quòd ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpauit ergo Adam deambulans, vt cæcis mentibus nequitiam suam non solùm sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo & per verba quod fecerat audiret, & per deambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ incōstantiam cerneret, & per auram feruore charitatis expulso, torporem suū animaduerteret, & per declinationem solis cognosceret, quòd ad tenebras appropinquaret. Aliquādo imaginibus cordis oculis extensis per angelos loquitur deus, sicut Iacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit, sicut Petrus linteum reptilibus ac quadrupedibus plenum in ecstasi raptus aspexit, qui nisi incorporeis oculis hæc cerneret, in ecstasi nō fuisset, sicut Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit, qui transire eum in Macedoniā rogauit. Aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tem-
B pus ex aëre assumptis per angelos loquitur deus, sicut Abraham non solùm tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno susципere, & non solùm susципere, sed eorum vsibus etiā cibos adhibere. Nisi enim angeli quædam nobis interna nunciantes, ad tempus ex aëre corpora sumerent, exterioribus profectò nostris obtutibus nō appararent, nec cibos cū Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gestarent. Nec mirum ꝙ illic ipsi qui susципi sunt, modò angeli, modò dominus vocantur, quia angelorū vocabulo exprimuntur, qui exteriùs ministrabant, & appellatione domini ostenditur qui eis interiùs præerat, vt per hoc præsidentis imperium, & per illud clarescceret officium ministrantium. Aliquando cœlestibus substantiis per angelos loquitur deus, sicut baptizato domino scriptū est, quia de nube vox sonuit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Aliquādo terrenis substantiis per angelos loquitur deus, sicut cū Balaam corripuit, in ore asinæ humana verba formauit. Aliquando simul & terrenis & cœlestibus substantiis per angelos loquitur deus, sicut ad Moysen in monte cùm iussionis suæ verba edidit, ignem rubumq; sociauit, atque aliud superius, aliud
C inferius iunxit. Quod tamen tunc solùm agitur, cùm ex ipsa aliquid coniunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysen alloquens, quid aliud ostenditur, nisi quòd eius populi ductor fieret, qui & legis flammam perciperet, & tamen peccati spinam nequaquam vitaret, vel quòd ex illo populo exiret, qui in igne deitatis carnis nostræ dolores quasi rubi spinas susciperet, & in consumptam humanitatis nostræ substātiā, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret? Nonnunquam verò humanis cordibus etiam per angelos deus, secreta eorum præsentia, virtutem suæ aspirationis infundit. Vnde & Zacharias ait, Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me. Dum ad se quidem, sed in se tamen loqui angelum dicit, liquidò ostendit, quòd is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Vnde & paulò pòst subdidit, Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur. Sæpe enim nō exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem dei prophetarum sensibus innotescunt, atq; eos ita ad sublimia subleuant, & quæq; in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrant. Humanum nanque cor ipso carnis corruptibilis pondere grauatum, hanc ipsam corpulentiam suam
D quasi obicem sustinens, interna non penetrat, & graue exterius iacet, quia leuantem manum interius non habet. Vnde fit, sicut dictum est, vt prophetarum sensibus ipsa vt est, subtilitas angelicæ virtutis appareat, eorúmque mens quo subtili spiritu tangitur, leuetur, & non iam pigra torpénsque in imis iaceat, sed repleta intimis afflatibus, ad superna conscendat, atque inde quasi de quodam rerum vertice, quæ infra se ventura sunt videat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis angeli designatum nomine vel patrem vel filium vel spiritum sanctum putet, si textum scripturæ sacræ considerat, quod sentit velociter emendat, quæ nunquam patrem, nunquam spiritum sanctum, & non nisi per incarnationis suæ prædicationem filium angelum vocat. Vnde & in eiusdem Zachariæ verbis apertè ostenditur, quòd in illo verè angelus, id est, creatura loqueretur, cùm diceretur, Et ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur. Statímque subiungitur, Et alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Hierusalem. Non est itaque deus angelus qui mittitur, cui verba ab angelo quæ dicere debeat iubentur.
E Sed quia in conspectu conditoris angelica ministeria ordinata, graduum positione distincta sunt, vt & pro communi felicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & tamen pro dispositione dignitatis aliis alij subministrent, ad prophetam angelus angelum mittit, & quem secum de deo gaudere communiter conspicit, & docet & dirigit, quia eum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. Hæc igitur dicta sunt, vt quibus modis loquatur deus hominibus demonstraretur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei. Nota ordinem, paulò antè educebat populum de castris, hîc dicitur loqui cum domino, & statim subiungit, Descendit dominus, & vocauit Moysen in cacumen montis. Loquebatúr ne Moyses cum domino, dum in imo erat cum populo? Non ita est credendum, sed aliquantulum confundit ordinem narrationis, qui talis est: Dum Moyses erat in imo ad educendum populum, dominus descendit in montem, &
F vocauit Moysen ad cacumen montis, & ita colloquebantur, & in hac collocutione præcipitur Moyses descendere ad populum, & contestari ne transeat terminos constitutos cupiditate videndi deum, ne moriantur. CAIETANVS. Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei. Iuxta Hebræum additur, voce, vt dicatur, Et dominus respondebat ei voce, siue per vocem. In hoc colloquio insinuatur quòd Moyses postquàm eduxit populum in occursum dei, ascendit in montem Sinai, & inter tot descripta tonitrua, fulgura, nubémque densam in aëre supra montem, ipsúmque montē ex omni parte fumantem, cùm tam vehementi sonitu buccinæ, in tremente monte Moyses loquebatur cum deo legislatore, & deus respondebat ei in voce, hoc est, sensibili voce. Et scriptum est hoc ad narrandum, quòd Moyses non in raptu, non abstractus à sensibus non territus, inter tot terribilia loquebatur cum deo, ita vt in sensibili voce respondentem deum audiret. Quid autem dictum sit in hoc colloquio, non scribitur. AVCTOR CATENAE. Moyses loquebatur, & dominus respondebat ei. Addendum ex Hebræo, In voce, seu per vocem. Est enim בְּקוֹל Bekol. Sic & Chaldaica, & apud Septuaginta. Et vult dicere quòd respondebat ei clara voce, & exaudibili ab omnibus. Vocem

*Act.10.* *Act.16.* *Matth.3.* *Num.22.* *Exod.3.* *Zacha.1.*

cem autem domini non intelligebat nisi ipse Moyses. Populus verò audit vocem tonitruorum, & videt fulgu- G
ra cum fumo maximo, & stupet ac terretur, sine tremore enim populus non regitur. *Descenditque dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius.* CAIETANVS. Dixerat quòd descendit dominus super montem, sed non definierat locum montis certum, & propterea narrat Moyses modò certum montis situm. Non enim in montem descendit, sed supra montem directè ad caput montis, vt intelligamus, quòd deus non in capite montis, sed in nube existente in aëre supra caput montis apparebat. Et hunc esse literalem sensum testantur verba dei in sequenti capitulo, dicentis, Vos vidistis quòd de cœlo locutus sum vobis. De cœlo (inquit) non de monte, vt intelligamus quòd locus in quo apparebat dominus loquens, aër erat, non montis vertex, sed nubes in aëre supra montis verticem sic elevata, vt etiam ipsius montis vertex fumans videretur ab omnibus, nam totus mons fumabat. Et vocauit (inquit) Moysen in cacumen eius. Non est certum an ista vocatio præcesserit antescriptum colloquium, an subsequuta fuerit. Crediderim ego quòd H
præcesit, quia hæc omnia licet sparsim à Moyse narrentur, simul tamen facta intelligo. Ita quòd ordo rerum gestarum fuit, quòd mane in aëre supra verticem montis Sinai descendit deus in quatuor sensibilibus signis (videlicet graui nube, tonitruis & coruscationibus, & sonitu quasi tubæ corneæ sensim inualescente) & mons ipse valde tremuit & velut fornax totus fumauit. Moyses autem trementem populum in castris eduxit in occursum dei vsque ad pedem montis exclusiuè, deinde ascendit ipse in montem, & cùm in quadam montis parte subsitisset, aut subsistere vellet, non audens vltra ascendere ob reuerẽtiam diuinæ præsentiæ vocatus à deo, ascendit in cacumen montis, & ibi antescriptum colloquium cum deo habuit, quo finito, deus dixit Moysi quæ mox subiunguntur in litera. AVCTOR CATENAE. Descenditque dominus super montem Sinai in ipso montis vertice. Quasi dicat, postquàm dominus descenderat, stabat in vertice montis. Et de priori descensu intelligit. Loco cuius habet hîc Chaldaica, Et reuelatus est do- I
minus super montem Sinai in vertice montis. Nam descendere dominum super montem, nihil aliud est quàm reuelari in eo. Hoc igitur quod superiùs dictum est, hîc paucis ostenditur. Dominus de cœlo in mirabilibus magnis descendere videtur ad cacumen montis, & auditur vocare Moysen ad se in caput eius. *Quò cùm ascendisset, dixit ad eum, Descende & contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* CYRILLVS LIBRO QVARTO SVPER IOAN-

*Cap.8.* NEM. Iudæi putauerunt Moysen quoniam hoc in loco montem ascendit, & in tenebras ingressus fuit, ipsam ineffabilem dei naturam oculis suis vidisse. Quod vt saluator noster excluderet tanquam falsum, ait, Non quia patrem vidit quis, nisi is qui à deo est, hic vidit patrem. Quasi diceret, Nolite quæ naturam excedunt poscere, vel quod omni creaturæ impossibile est, ad illud furiosa cogitatione delabi, nullus enim deum vidit præter filium, qui vltra omnia est. Quomodo igitur, si quum nullus patrem vidit, & nihil id penitùs posse præter filium intelligimus, non erit vltra omnem creaturam filius? Quomodo si
*1.Cor.8.* omnia sint ex deo (vt ait Paulus) nec quicquam præter filium patrem videat, non erit ipse quodam alio modo ex deo, quàm creaturæ, id est, ex substantia ipsius patris? Si enim ita non est, quàm nam ob rem, quum omnia sint ex deo, ipse solus idcirco quia ex deo est patrem videt? Patet igitur per creationem cætera, filium autem altiore quodam & veriore modo ex deo esse, quia ex deo naturaliter. Propterea cæteris non connumeratur, quia creatura non est, sed tanquam patri consubstantialis, videbit profectò eum ex quo est. Quomodo autem aut ipse patrem videt, aut pater eum, lingua hominum dici non potest, intelligere tamen id debemus, vt deitatem decet. CAIETANVS. Intelligamus quòd postquàm dominus respõdit Moysi, ipse ex seipso dixit Moysi subiuncta verba. Allocuturus enim deus non per Moysen, sed per seipsum promulgaturus legem audiente vniuerso populo, præmittit Moysen ad protestandum populo, ne audiendo deum ex nube supra cacumen montis loquentem eis, curiositate agantur videndi deum loquentem, & diruant terminos ascendendo montem, quia si hoc facient, morietur non parua pars eorum. Et scribitur etiam hîc nomen tetragrammaton, ad magis comprimendam curiositatem videndi, vtpote inuisibilem & præsi- L
dentem toti vniuerso. AVCTOR CATENAE. Descende & contestare populum, id est, denuncia quasi testibus adhibitis. Ne fortè velint transcendere terminos. Verbum, וְיֶהֶרְסוּ Ieherſu, Futurum ab Haras, rectè vertit Interpres. Verùm quia significat etiam diruere ædificium, & diruptionem facere, aliqui vertunt, Ne fortè dissipent, seu destruant terminum. Quoniam fortè mons Sinai signatus erat, & fortassis sepe aut ramis ex opposito castrorum intercluſus, prohibetur hîc ne diruptio per quemcunque fiat hominem. Siue ne destructis ordinibus, desertáque statione conscendant ad dominum, vt videant gloriam eius, & propterea cadat ex eis maxima pars. Chaldaica, Ne fortè transgrediantur vt videant dominum. Septuaginta, μὴ ποτε ἐγγίσωσι πρὸς τὸν Θεὸν καταυοῆσαι, Ne fortè appropinquent ad deum ad videndũ. Sed horum omnium eadem est sententia cum litera nostra. Iubetur itaque Moyses descendere, vt prospiciat populo ne accedãt, & inobedientia pericliten tur, & irrumpere præsumant ad montem, trangressi statutos limites ad pedem montis. Ne curiositate adducti, conentur videre propiùs domini maiestatem, vnde cadere contingat ipsorum grandem multitudi- M
nem, domino percutiente immorigeratos, & sine reuerentia domini præsentiam accedentes, opprimendi à gloria quam perscrutari temerè tentarunt, prohibiti lege domini. Sed quæritur, quid sibi vult tanta huius præcepti seueritas? Certè si rem diligenter perpenderis, inuenies dominum præcepto huiusmodi curiositati Israëlitarum obuiam iuisse. Dominus enim non voluit hoc loco similitudinem aliquam corporalem, aut imaginem populo demonstrare, quæ ad colendum deum vsurparetur, sed voluit reuelare sententiam animi sui, & manifestare vocem suam, ex qua cognosceretur quid rectè agendum sit, vt seruiamus deo. Vnde in Deuteronomio capite quarto dicitur, Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis dominus in Horeb, de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, & cætera. Homines autem eo ingenio naturaliter prædi ti sunt, vt magis scrutentur essentiam & formam dei, quàm voluntatem & mandata eius. Quare fieri solet, vt euanescant in cogitationibus suis, & pereant. Neque enim est homo qui posit in hoc seculo



A seculo essentiam & formam dei cognoscere. Mandat igitur dominus Israëlitis seuerissimè, ne quis in montem ascendat, vt hoc mandato auocet ipsos à curiositate inuestigandæ essentiæ ac formæ dei, & assuefaciat ipsos audire potiùs quæ sint verba & mandata eius, quàm scrutari, quæ sit forma eius, ac obseruare magis, quid deus loquatur, quàm quomodo loquatur. Idem significauit angelus cum Iacob luctatus, Cur quæris (inquiens) nomen meum quod est admirabile? Geneſis trigesimo secundo. Et angelus colloquens cum Manue, Iudicum decimotertio. Idem etiam significauit deus cùm suprà ad Moysen diceret, Ego ero qui ero. Idem & nobis dictum præceptúmque esse sentiamus. Non enim vult deus, vt essentiam eius in hoc seculo inuestigemus. In futuro enim seculo videbimus eam, sicut est, facie ad faciem. Nunc autem inuestiganda est voluntas eius, quæ nobis à verbo illius reuelatur. Et huic voluntati est obediendum. Sic enim fiet, vt tandem deum perfectè cognoscamus. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad dominum sanctificentur, ne percutiat eos.* CAIE-
B TANVS. Similis protestatio iubetur ad sacerdotes, qui illo in tempore erant primogeniti, ne sacerdotes se putarent exemptos à contestatione quæ fiebat populo, monentúrque vt seipsos sanctificent, hoc est, mundos custodiant à transgressione terminorum. Et facta est mentio sacerdotum in specie, eo quòd ipsi (vt pote sacrificantes deo) sunt propinqui deo, & hinc occasionem fiduciæ ascendendi in montem assumere poterant. AVCTOR CATENAE. Ne fortè percutiat eos. Verbum פֶּרֶץ Pharaz, percutere, diruere & dissipare significat. Vnde vertunt hîc aliqui, Ne fortè destruat aut conficiat siue interficiat eos. Quod tamen Septuaginta, μή ποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν κύριος, Ne fortè recedat ab eis deus, reddiderunt. Hebraica tamen vox inuenitur semper ruinam desolationemque significare, aut diuisionem ac diruptionem. Hoc idem tamen paulò inferius in extremo huius capitis alio modo sunt interpretati, μή ποτε ἀπολέσει ἀπ' αὐτῶν κύριος, Ne fortè perdat ex eis dominus. Chaldaica etiam diuerso modo legit, videlicet, Ne fortè irascatur contra eos dominus. Verùm in eundem sensum redit cum litera nostra, nam irasci domini, est iustè punire, videlicet percu-
C tiendo, destruendo, & interficiendo. Sacerdotes autem hîc fortè vocantur, qui in populo erant honoratiores & seniores, fortassis iam instituti tribuni & patres tribuum, & principes populi, vel iudices iam instituti consilio Iethro. Nondum enim sacerdotes in populo habebantur, nondum Aaron electus & consecratus erat, nisi per anticipationem intelligi detur, veluti lex generalis semper tenenda, vt ad diuina secreta, & ad sancta sanctorum nemo accedere præsumat quantumlibet magnus ex statu, nisi sanctificatus purificatione legali & legitima, quam qui omisisset, & illotis manibus sacra attrectare vllo vnquam tempore præsumpsisset, perdendus esset à domino, quod & pluribus exemplis in lege & Prophetis contigisse legitur. Sacerdotes alij primogenitos hîc intelligunt principum duodecim tribuum, qui obtulere sacrificium suprà capite decimoquarto hi enim vsque ad institutionem Aaron sacerdotij, officium (vt dicunt isti) exercebant sacerdotale. Iubentur igitur & ipsi sacerdotes vnà cum populo sanctificari, & iuxta mandatum domini intra septa manere, neque existimare quòd liceat ipsis auctoritate sacerdotij præscriptos terminos contra dei mandatum transilire. *Di-*
D *xéque Moyses ad dominum. Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai, tu enim testificatus es & iussisti, dicens, pone terminos circa montem, & sanctifica illum.* INTERLINEARIS. Id est, sanctificatum ostende, ne non sanctificati accedere præsumant. HVGO DE SANCTO VICTORE. Contra præceptionem domini, dixit ad eum Moyses, Non poterit vulgus ascendere, &c. Quasi dicat, Si non liceat eis ascendere & audire te, quis te igitur audiet? CAIETANVS. Vel Moyses cupiens morari cum deo, respondet quòd non oportet solicitum esse de tali euentu, quia iam populus huiusmodi prohibitionem audiuit sub pœna mortis. Et dicendo non poterit, non significat impotentiam virium, sed impotentiam libertatis impunis. Tu enim testificatus es & iussisti, dicens, pone terminos circa montem, & sanctifica illum, hoc est, & dica illum præsentiæ meæ, reddendo illum mundum ab accessu quorumcunque. AVCTOR CATENAE. Tu enim testificatus es & iussisti. In Hebræo non est verbum iussisti, sed addidit Interpres ad maiorem verbi, testificatus es, expressionem. Non poterit (inquit) vulgus ascendere in montem Sinai, tu enim testificatus es, & cætera, id est,
E non metuo ne ascendat, cùm tu eis fueris interminatus. Verba igitur quæ dominus priùs Moysi loquutus fuerat, iam audiente populo refricat, & ne quid erretur in mandatis dei & verbis, temerè vel per obliuionem, iterum recitat voluntatem dei, quæ erat, vt qui transgrederetur præscriptos montis Sinai limites, interficeretur, vnde sibi omnes diligenter cauerent. Quid sit autem sanctificare & consecrare montem, his verbis præcedentibus declarat, Constitue terminos circa montem, hoc est, vide ne quis eum montem contingat tanquam mihi sacrum, quem ab eis contingi fas non est. RVPERTVS. Cùm ergo hac occasione prætenta, quasi securum deum reddere vellet Moyses, auidè diuinæ inhærens visioni, non profecit. Nam dominus in sententia persistens, *Vade* (inquit) *descende. Ascendéſque tu, & Aaron tecum. Sacerdotes autem & populus non transeant terminos, nec ascendant ad dominum, ne fortè interficiat illos.* HVGO DE SANCTO VICTO-
RE. Respondet dominus Moysi, Vade & descende. Et item, Ascendes ad me tu, & Aaron tecum. Quasi dicat, vt ego vobiscum loquar ea quæ non poterit populus à me audire. Et ita notantur duæ locutiones dei,
F vna quæ fuit prima in decem mandatis communiter ad totum populum, secunda priuata ad Moysen in cacumine montis. CAIETANVS. Imperfecta responsio Moysi ac mutila, minúsque satisfaciens meruit non admitti. Nam primùm monitorium populo in genere datum fuerat, hoc autem & populo in genere, & sacerdotibus in specie, vnde & ipse Moyses respõdendo, populi duntaxat meminit. Rursus in illo pœna mortis infligẽda erat ab hominibus lapidantibus seu sagittantibus, in hoc verò pœna mortis à deo infligẽda, & multitudini & sacerdotibus prædicitur, & propterea firmatur præceptũ vt descendat. Et hæc quidẽ descensus ratio narratur in litera. Altera autẽ tacetur, videlicet vt Moyses sit simul cũ populo, sit vnus de populo audiẽdo legẽ promulgari ex ore dei, vt & ipse subditus legi diuinæ ex hoc comprobetur, & manifestetur omnibus. Ascendéſque tu, & Aaron tecum. Non esse hæc verba præcepti, sed libertatis, subiuncta testantur. Subiungitur enim quòd nec populo nec sacerdotibus licitũ erat ascendere ad dominum. Vt per hoc intelligamus, Moysen simpliciter & absolutè

exemptum ab hac inhibitione. Aaron verò non ſimpliciter & abſolutè, ſed comitem Moyſi exemptum eſſe ab G eadem. Sacerdotes autem(inquit)& populus ne tranſeãt terminos, nec aſcendant ad dominum, ne fortè interficiat illos. Senſum bene reddidit Interpres, quamuis non ſeruet alluſionem vocabulorum iuxta Hebræum, ibi enim tranſcendere terminos ſignificatur per verbum diruendi, & conſequenter punitio ſignificatur per effringendi verbum, quemadmodum effringuntur ſepes. AVCTOR CATENAE. Sacerdotes autem & populus non tranſeant terminos, nec aſcendant ad dominum. Hebraicè eſt אַל יֶהֱרְסוּ לַעֲלֹת אֶל יְהוָה Al iehersu lahaloth el Iehoua, Non deſtruant, vt aſcendant ad dominum, id eſt, non diruant terminos præfixos, vel ne deſerant ſtationem ſuam. Et eſt idem verbum הָרַס Haras, de quo ſuprà. Ne fortè interficiat eos. Et hîc eſt idem verbum פָּרַץ Pharaz, de quo etiam ſuprà. Vnde illuc recurrendum, ne toties eadem repetantur. Iubetur ergo Moyſes deſcendere, & ſecum adducere fratrem Aaron in montem, vt interſit ipſe quoque diuinæ concioni, qui nondum ſacerdos dicitur. Et qui hîc ſacerdotes populi dicuntur, planè (ſicut iam dictum) in- H telliguntur non alij, quàm primores & ſeniores in tribubus & familiis magnis, qui interim abſentibus ambobus præſcriptos montis limites non excedant ſub interminatione maximæ cladis. Sed & in eo quòd dominus cogit Moyſen, vt obſequatur præcepto, & deſcendat, admonemur nos, ne reſponſemus præcipienti deo, ſed quod deus iudicat neceſſarium, hoc vt neceſſarium exequamur, etiam ſi humanæ rationi longè aliud viſum fuerit. *Deſcendítque Moyſes ad populum, & omnia narrauit eis.* CAIETANVS Expoſuit Interpres quod in Hebræo dicitur, & dixit eis, proculdubio conteſtando, vt deus mandauerat. AVCTOR CATENAE. Tandem autem poſt tot viſiones, voces, ſigna, prohibitiones, ſanctificationes, terrores, Moyſes de monte deſcendit, & veluti ſequeſter inter deum & populum recitat oraculum ſibi patefactum à domino, capitula fœderis quod dominus cum populo pangeret, vt eſſet ipſe eorum deus, & populus ambularet in iuſtitia & ſanctitate coram ipſo, legis præcepta cuſtodiendo, quæ dominus mandabat. Quid verò nobis mons ille horribilis, & terribilia cætera in eo oſtenſa dicta factáque adumbrent, iam pro vt dominus dederit, diſcutien- I dum nobis eſt.

*Myſticè.* HIERONYMVS FABIOLAE. Supputemus numerum,& inueniemus quinquageſimo die egreſſionis Iſraël ex Aegypto, in vertice montis Sinai legem datam. Vnde & Pentecoſtes celebratur ſolennitas, & poſtea Euangelij ſacramentum in ſpiritus ſancti deſcenſione completur, vt ſicut priori populo quinquageſimo die, vero Iubileo, & vero anno remiſſionis, & veris quinquaginta & quingentis denariis qui debitoribus dimittuntur, lex data eſt, in Apoſtolos quoque & qui cum eis erant, in centeſimo viceſimo Moſaicæ ætatis numero conſtitutis, deſcenderit ſpiritus ſanctus, & diuiſis linguis credentium, totus euangèlica prædicatione mundus expletus ſit. Interpretatur autem Sinai rubi, non vnus vt ſupra in ſolitudine Sin, ſed plures, vt ibi principium ſit, hîc perfectio: ibi ſolitarius numerus, hîc multiplex. Aliud eſt enim vnam, aliud omnes gratias poſſidere. BEDA IN HOMILIA VIGILIAE PENTECOSTES. Attendat ergo charitas veſtra fratres mei, qualiter huic noſtræ feſtiuitati legalis feſti typus & figura concinat. Liberati de Aegyptia ſeruitute filij Iſraël per K immolationem agni paſchalis exierunt in deſertum, vt venirent ad terram repromiſſionis, peruenerúntque ad montem Sinai. Et deſcendens dominus in igne ſuper montem comitantibus ſonitum buccinæ tonitruis ac fulgoribus, quinquageſimo die peracti paſchæ, legis decalogum eis aperta voce diſpoſuit, atque in memoriam datæ legis ſtatuit, eodem die per ſingulos annos ſacrificium ſibi nouum de frugibus eiuſdem anni panes videlicet primitiarum duos ad altare deferri. Quæ autem ſit agni paſchalis immolatio, quæ Aegyptiæ ſeruitutis ab- *1.Cor.5.* ſolutio, cunctis legentibus liquet, quia videlicet paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et ipſe verè eſt agnus qui abſtulit peccata mundi, qui ſui precio ſanguinis nos à peccatorum ſeruitute redemit, ſuæ reſurrectionis exemplo nobis ſpem vitæ & perpetuæ libertatis oſtendit. Quinquageſimo verò die poſt occiſionem agni data eſt lex, deſcendente domino ſuper montem in igne, & quinquageſima æquè die poſt reſurrectionem noſtri redemptoris quæ eſt hodie, eſt data gratia ſpiritus ſancti diſcipulis in cœnaculo conſtitutis, quæ apparente foris igne viſibili, inuiſibiliter eorum pectora luce ſcientiæ irradiauit, ac inextinguibili charitatis ardore ſuccendit. L Et hîc autem altitudo cœnaculi, & ibi cacumen montis, ſublimitatem præceptorum & donorum indicat cœleſtium, & quia nullus infimis adhuc deſideriis inhærens, vel diuinis obtemperare mandatis, vel ſupernis poſſit dignus exiſtere donis. Sed hîc in maioris ſignum perfectionis omnes qui accipiebant ſpiritum, in cœnaculo erant poſiti: illic ad deſignanda infirmorum corda auditorum, populus quidem omnis infra montem ſtabat, ac pauci ſeniorum montis partem conſcenderant, ſolus autem Moyſes in ipſum verticem (vbi in igne & caligine diuina maieſtas præfulgebat) aſcendit, quia nimirum altiora & intima legis arcana, perfectiores ſolùm capere & ſeruare nouerunt, populus verò carnalis literæ ſuperficie contentus, quaſi exterius & infra poſitus verbi cœleſtis aſtabant auditui, At nunc data latiùs gratia ſpiritus ſancti ad intelligenda ſublimiùs ſimul & capienda perfectiùs ſancti Euangelij dicta, fidelium corda ſubleuantur. Ibi inter flammas ignium & micantia fulgura fragor quoque tonitruorum & clangor buccinæ perſonabat, hîc cum igneārum viſione linguarum ſonitus pariter de cœlo tanquam ſpiritus vehementis aduenit. Sed cùm in vtraque M datione, & legis videlicet & gratiæ, foris audiretur ſonitus, hîc tamen ampliori miraculo cùm auditur ſonitus, affuit virtus doni cœleſtis, quæ intus ſine ſonitu diſcipulorum corda doceret. Ibi auditis legalibus edictis reſpondet omnis populus vna voce concorditer, dicens, Omnia verba quæ locutus eſt dominus, audiemus & faciemus. Hîc accepta illuſtratione ſpiritus naſcentis Eccleſiæ, cœtus omnium nationum linguis dei magnalia loquebatur, certæ vtique diſcretionis gratia, quia legis obſeruatio vni tantùm nationi Iudææ data ſit: verbum verò Euangelij cunctis per orbem gentibus prædicandum, cunctorum linguis *Pſal.112.* populorum Chriſtianæ fidei eſſent præconia dicenda, impleta Prophetia quæ dicit, A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen domini, excelſus ſuper omnes gentes dominus. Neque hoc prætereundum, quòd ideo numerus quinquagenarius ſignificationi æternæ quietis aptatur, quia ſeptem ſeptimanis & monade perficitur. Sex quippe dies in lege populus operari, ſeptima quieſcere: ſex annis arare & metere, ſeptimo

iuſſus



A iuſſus eſt ceſſare; quia ſcilicet & ſex diebus dominus mundi ornatum perfecerit, ſeptimo ab omni opere ſuo ceſſauerit. Quibus omnibus myſticè admonemur, quòd hi qui in hoc ſeculo quod ſex ætatibus conſtat, bonis operibus pro domino inſtant, in ſabbatum in futuro, id eſt, in requiem à domino inducuntur æternam. Quòd *1.Cor.12.* autem ſeptem dies, vel anni ſepties ducuntur, multiplicem eiuſdem requiei abundãtiam deſignant, in qua præmium illud ſublime datur electis, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus his qui diligunt illum. Cuius præmij cognitionem, quia in cor hominis, id eſt, humana adhuc ſapientis non poſſe aſcendere teſtatur, aperit ſubſequenter, vnde hoc diligentibus deum poſsit oſtendi. Nobis autem (inquit) reuelauit deus per ſpiritum ſuum. Per ſpiritum ergo reuelatur præmij magnitudo peren- *Ibidem.* nis, quia dum ipſe corda quæ implet, appetitu inuiſibilium inflammat eadem bona inuiſibilia quàm ſint præ- *Eſa.11.* clara, quàm terrenis omnibus præferenda manifeſtat. Vnde bene eiuſdem ſpiritus gratia ſeptiformis à Prophe- B ta deſcribitur, quia nimirum & per eius inſpirationem ad requiem peruenitur, & in eius plena perceptione ac viſione requies vera poſsidetur. Porrò ipſe dies vel annus quinquageſimus, qui ſeptem ſeptimanis ſupereſt, & maiore præ cæteris erat ſolennitate venerabilis, tempus futuræ reſurrectionis indicat, in quo illa requies qua nunc animæ fruuntur electorum, & corporum quoque receptorum gloria cumulabitur. ISIDORVS. Sicut igitur quinquageſima die poſt actum paſcha data eſt lex Moyſi, ita & quinquageſima die poſt paſsionem domini, quam paſcha illud præfigurabat, datus eſt ſpiritus ſanctus, promiſſus paracletus. Dicitur illic ſcripta lex digito dei, & dominus dicit de ſpiritu ſancto, In digito dei eiicio dæmonia. Aſpicit illic cunctus populus voces & lampades, montémque fumantem, tonitrua & fulgura, clamorémque buccinæ perſtrepentem. In vocibus nanque & tonitruis, clamor prædicationum intelligitur. In lampadibus, claritas miraculorum. In ſonitu buccinæ, fortis prædicatio ſanctorum, quæ omnia in aduentu Chriſti & ſpiritus ſancti completa ſunt, quando omnes diſcipuli Chriſti in varietate linguarum præceptis & ſignis innotuerunt. Interpretatur autem C Sinai rubus, quod ſignificat Eccleſiam, in qua & dominus Moyſi loquitur. Quod autem legem daturus dominus, in igne fumóque deſcendit, hoc ſignificat, quòd & fideles claritatis ſuæ oſtenſione illuminat, & infidelium oculos per fumum erroris obſcurat. Quod verò videtur in caligine, hoc ſignificat, quòd impij qui terrena ſapiunt, caligine malitiæ eum deſcendentem, id eſt, in humilitate naſcentem, non agnouerunt. Aliàs in caligine viſus, legem dedit, quia veritatem ſuæ legis non ſecuturis infidelibus quaſi per caliginem dixit, vt videntes non videant, & audientes non audiant. RABANVS. Per caliginem etiam, & omne quicquid tenebroſum in deſcenſu dei erat, litera legis deſignatur. Per montem verò, & omne quicquid ibi ſplendidum fuit, ſenſus ſpiritualis demonſtratur. Omne leue & lucidum ad fideles pertinet, omnis autem terra & tenebroſitas, ad infideles terrendos. Ideo autem lex cum terrore datur, vt populus carnalis deum timeret, & legem eius cum reuerentia conſeruaret. INTERLINEARIS. Cúmque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis. Vides hîc quomodo occurrit deus occurrẽti ſibi. Per liberum enim D arbitrium ad deum mouemur, ſed non promouemur, niſi miſericordia eius præueniat nos & ſequatur. CYRILLVS LIBRO TERTIO SVPER IOANNEM. Moyſes loquebatur, & dominus reſpondebat ei *Cap.3.* voce. Hæc quidem verba ſcripturæ ſunt. Verùm quoniam etiam nunc hæc ridiculoſa opinio Iudæos detinet, ipſam dei ſpeciem oculis viſam, & ab ipſo deo prolatam vocem auribus auditam putantes, gratia ſaluatoris freti exponamus, & legis rudes figuras in ſpiritalem atque ſublimem ſenſum traducamus. Sic enim verum eſſe demonſtrabitur, nec vocem dei vnquam audiſſe, nec ſpeciem eius Hebræos vidiſſe. Educitur igitur per Moyſen populus obuiam deo, apertéque ſatis (vt in ænigmate licet) ſignificatur hominem non poſſe abſque cognitione, & introductione (vt ita dicam) pædagogica, peruenire ad deum, ſed lege ad cognitionem introductum, quod deſiderat conſequi. Moyſes nanque pro lege accipi ſolet, habent (inquit) Moyſen & Pro- *Luc.16.* phetas. Aſsiſtentia verò ſub monte populi, quum iam deus deſcendiſſet & eſſet in eo, paratum mentis atque animi vocatorum ſtudium ad ſeruiendum deo ſuo oſtendit. Difficiliora enim tolerare ſolent quàm natura E ferre poſsit, quum deus adſit. Tales ſunt omnes ſaluatoris diſcipuli, atque ideo magno animi robore clamant, Quis poterit nos à charitate Chriſti ſeparare? tribulatio, anguſtia, perſequutio, fames, nuditas, periculum, gla- *Rom.8.* dius? Omnia enim fideles propter charitatem Chriſti perferunt, etiam ſi quaſi mons tribulatio erigatur, nec vnquam mouentur, nec à charitate deſiſtunt. Deſcendiſſe autem non in valles, ſed in cacumina montis deus dicitur, vt tu intelligas, quamuis ad imbecillitatem mentis noſtræ deitatis natura conſcendat, & ſeipſam nobis intelligendam quodammodo præbeat, altiorem tamen eſſe quàm nos poſſumus intelligere. Sublimitas igitur dogmatum, per mõtem intelligitur, qui totus ater fumo efficiebatur. Acutæ nanque ſunt nimium rationes, quæ de deo à nobis habentur, & oculos mentis more fumi perturbant. Propterea etiam Paulus in ſpeculo & ænigmate videre nos ait, & tenebras in occultationem eius poſitas eſſe Pſalmiſta cecinit, tenebrarum nomi- *1.Cor.13.* ne incomprehenſibilitatem eius ſignificans, quam per fumum hîc intelligimus. In figura verò eius per id *Pſal.17.* temporis congruè nimium deus deſcendit. Oportebat enim deum, qui per legem ad cognitionem & ſer- F uitutem ſuam Iudaicum populum inuitabat, vt illuminatorem videri, ac punitorem, quæ ambo in igne ſunt. Tubæ autem ſonitus paulatim creſcebat in maius, vt intelligas prolatam quidem legem diuinitùs eſſe voce ab initio ſubmiſſa, & propter hominum imbecillitatem tenui, nec totum tubicinis flatum capiente, ideo tardus lingua Moyſes fuit. Progredientibus autem ſeculis, literali vmbra (in ſpiritualem cultum homi- *Exod.4.* nibus à Chriſto reductis) multò vehementior diuinæ tubæ ſonitus effectus, euangelicam prædicationem per totum orbem expandit. Non enim vt lex tenuitate vocis in Iudæa ſolummodo exauditus eſt, nec tantummodo à Dan vſque ad Berſabee, ſed in omnem terram exiuit ſonus eorum, vt ſcribitur. His additur, quia Moyſes lo- *Pſal.18.* quebatur, & deus ei voce reſpondebat. Attende diligentiùs, voce nanque (inquit) deus reſpondebat, ſed non addidit propria, ſed ſimpliciter voce dixit, quæ verborum ſono, humano more miraculosè in audientium auribus inſonabat. Quid enim efficere deus non poteſt? Sed hæc quidem figuræ ſunt, modò veritatem perſpiciamus. Legimus igitur in ſacratiſsimis Euangeliis dixiſſe dominum, Pater clarifica filium tuũ: & patrem

 reſpondiſſe

respondisse, Clarificaui, & iterum clarificabo. Non fuisse autem dei patris verè vocem saluator ostendit, dicens G
ad eos qui aderant, Non propter me vox ista facta est, sed propter vos. Vides quòd factam esse vocem ait. Non
est enim congruum, vt voce hac sonora, quæ ictu aëris fit, diuinam vti naturam putemus, etiam si ad vtilitá-
tem nostram, & per dispensationem humano more loquutus esse dicatur. Hæc dicta nobis sunt, vt verborum
saluatoris veritas appareat, quia nec vocem patris vnquam audierunt nec speciem eius homines viderunt,
nec verbum eius manens in ipsis Pharisæi habebant, quia quem ille misit, huic non credebant. Quod autem
per arrogantiam diuinum habere verbum prædicabant, & propterea sapientes se per imperitiam opinaban-
*Hie.8.* tur, ipse Christi spiritus per Hieremiam testatur, dicens, Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & verbum
domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum, confusi sunt sapientes, perter-
riti & capti sunt, & sapientia nulla est in eis, verbum enim domini proiecerunt. Quomodo enim viuum, sub-
sisténtsque dei verbum repulisse non videbuntur, qui credere in ipsum noluerunt? qui patris characterem (quan- H
tum in eis situm erat) dedecore affecerunt, & verisimam speciem patris, per potestatem & virtutem deo soli
conuenientem aspicere noluerunt? Non enim aliter quàm per ea quæ operatur, ineffabilis natura deitatis com-
prehendi à nobis potest. Quapropter à magnitudine ac pulchritudine creaturarum, ad creatoris cognitionem
*Rom.1.* Paulus nos inducit, quòd saluator quoque ipse facit, quum dicat, Si patris mei opera non facio, nolite crede-
*Ioan.10.* re mihi: sin verò facio, quamuis mihi non credatis, operibus tamen credite. Et Philippum reprehendisse vi-
detur, quia posse se ad cognitionem dei patris aliter peruenire putauit, quàm à potestate operum. Vnde poterat
æternam eius imaginem cognoscere, quæ in seipsa genitorem ostendit, propterea dicebat, Tanto tempore vo-
*Ioan.14.* biscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, ille patrem etiam videt. RABANVS. Et so-
nitus (inquit) buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur. Sonitus buccinæ est sermo præ-
dicatorum, qui secundum auditorum intellectum formari debet, vt cuique personæ videtur expedire. Non
enim eodem tenore doctrinæ imbuenda est ruditas neophytorum, qua instruenda est capacitas eruditorum. I
Vnde & Paulus quibusdam suis auditoribus dixit, Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carna-
libus, tanquam paruulis in Christo lac vobis dedi non escam, &c. Et alibi, Loquimur (inquit) sapientiam inter
perfectos, quam nemo principum huius seculi cognouit. GREGORIVS NYSSENVS. Est itaque tuba
non paruum stuporem per auditum efficiens, veritatis prædicatio, magnum quidem statim ab initio sonans,
magis autem atque magis in vltimis intonans. Insonuit lex & Prophetæ diuinum incarnationis mysterium,
sed imbecilliores erant illæ primæ voces, quàm vt possent duros commouere. Auditus idcirco Iudæorum
surditas, tubarum sonum minimè suscepit. Sed prophetarum tubæ paulatim procedentes, sonantiùs cecine-
runt. Nam vltimæ voces, quæ Euangelica prædicatione factæ sunt, auditum commouerunt, spiritu sic per or-
gana vehementiùs in posterioribns intonante. Organa verò ac instrumenta vnum sonum spiritualem edentia,
Prophetæ atque Apostoli sunt, quorum sonus, vt Psalmista dicit, In omnem terram exiuit, & in fines orbis
terræ verba eorum. AVCTOR CATENAE. Sed & in eo quòd Moyses eduxit populum è castris & in K
occursum dei, habes etiam quomodo Prophetæ sancti verbis suis spiritu diuino dicendis, producunt fidelem
populum ad dei contemplationem & timorem cum reuerentia. Hoc ministrorum verbi officium est, vt homi-
nes educant è castris vitiorum, deóque socient, quantumuis resistant & audiant inuiti, donec conuertantur, &
gratiam dei sentiant ac amplectantur, non est enim desperandum etiam de peruersis. Denique præsentia dei
commouentur corda ad timorem dei, & propriæ fragilitatis cognitionem. Suo ordine consistant simplices,
& non velint æquare locum & officium sacerdotum & prophetarum, maneat quisque in sua vocatione, qua vo-
catus est per dominum. RABANVS. Descenditque dominus super montem Sinai in ipso montis verti-
ce, & vocauit Moysen in cacumen eius. Ecce dominus descendere in montis verticem dicitur, & vocare Moy-
sen in cacumen eius, in quo ostenditur, quòd ipse dominus profectum sanctorum suorum semper ad sublimiora & perfectiora prouocat, quibus ipse summa perfectio est, quia eius visio perpetua, consummatio est
omnium virtutum. AVCTOR CATENAE. Sed non est omnium ascendere altitudinem montis & L
perfectionis, nisi quem dominus elegerit, & vocauerit. Sic & in Euangelio transfiguratio Christi paucis osten-
ditur. Periculosum vitium humanum est curiositas, & maximè circa diuina, vbi qui nimium emungit, elicit
sanguinem: qui infirma mente terrena desiderat, sublimia non præsumat. RABANVS. Quò cùm ascen-
disset, dixit ad eum: Descende, & contestare populum, ne fortè velint transcendere terminos ad videndum
dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Contestatur populum dominus, ne fortè velint transcendere
*Prou.25.* terminos præstitutos ad videndum dominum, quia magna discretione cuique opus est, ne velit vltra quàm
*Ibidem.* debet, & quàm possit, de ipsa diuina natura rimari, ac tractare conetur. Vnde & scriptura dicit, Qui maiestatem
scrutatur, opprimetur à gloria. Et alibi ipsa sapientia dicit: Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne for-
tè saturatus euomas illud, & periures nomẽ dei tui. RVPERTVS. Mons igitur Sinai quid significet Apo-
stolus ad Hebræos duodecimo aperuit, Sed accessistis (inquiens) ad Sion montem, & ciuitatem dei viuẽtis, Hie-
rusalem cœlestem. Cùm enim hæc igni montis Sinai & caligini opponit, in quem Moyses ascendit, quò popu- M
lus ascendere non potuit, profectò illic figuram, hîc veritatem: illic vmbram, hîc nos intelligere vult corpus aut
rem. Quem ergo deus misit, cui iuxta exemplum Moysi signum dare dignatur, quòd eum ipse miserit, huic mó-
tis Sion, & ciuitatis dei viuentis Hierusalem cœlestis ianuas aperiet, vocando illum intra secreta contempla-
tionis, quò populus ascendere non meretur, quia carnali sensu premitur. Qui ergo vocatus à domino est, is vs-
*Apoc.21.* que in tertium cœlum aut in paradisum raptus, & illud vsque mente excedens, ciuitatem dei viuentis Hieru-
salem cœlestem perambulat, murósque eius ex omni lapide pretioso, turres quoque gemmis ędificatas, atquę pla
teas mundo auro stratas, multorúmque millium angelorum frequentiam, in circuitu eius & intus miratur, tan-
tæq; visionis eius nunquam abesse festiuitati totis visceribus exoptat. Sed oportet vt qui vadit, dicat, Veni, id
est, vt is qui supernam dulcedinem prægustauit, inuitet alios ad promerendam requiem, qui miserè laboran-
tes & onerati, nesciunt adhuc vbi pax & vera refectio sit. Nec enim idcirco aperti sunt illi thesauri beati-

tudinis



Atudinis, vt repertis solis diuitiis incumbat. Dicitur ergo Moysi vt descendat, ascensurus iterum, & assumat
secum Aaron fratrem suum, populo quoque prædicet, quatenus lotis vestimentis ascendant ad dominum. Illic
tonitrua fulguráque micantia, fumus quoque & ignis, & clangor buccinæ, vt fiat quod scriptum est, Qui respi- *Psal.103.*
cit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Item, Commota est & contremuit terra, & fun- *Psal.17.*
damenta montiũ conturbata sunt, & cõmota sunt, quoniã iratus est eis. Ascendit fumus in ira eius, & ignis à fa-
cie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eis, &c. Terra quippe commouetur & contremiscit, Fundamenta
quoque montium conturbantur & fumigant, exardescente igne à facie domini, cùm audito per prædicato-
rem futuro aduentu tremendi iudicis, hi qui priùs terram tantummodo nouerant, semetipsos pœnitendo di-
scutiunt, & montuosa superbia descendente, fumus, id est, lachrymosa oratio ascendit à timore iræ domini,
& ignis doloris à facie eius, id est, à cognitione veritatis exardescens, peccata consumit. Sed & cùm Moyses
Breplicaret domino, Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai, & cætera, non profecit, quin ait illi do-
minus, Vade, descende, ascendésque tu, & Aaron tecum. Hoc in exemplum eorum qui populo dei præficien-
di erant sicut Moyses, dictum vel factum est, quibus supernorum contemplationi arctius inhærere cupientibus,
nonnunquam causa vel cura subditorum impedimento fit. Exemplo nanque simul & imperio saluatoris qui de
sinu patris propter nos exiuit, coguntur interdum omittere dulcedinem altissimæ contemplationis, & conde-
scendere paruulis, vt cum eis tractent de carnalibus negociis, vt Paulus apostolus, qui cùm raptus fuisset vsque *2.Cor.12.*
ad tertium cœlum, vel in paradisum, & audisset arcana verba quæ non licet homini loqui, de tam altis, ad tam
infima descendit, vt disponeret iura coniugii. Vxori (inquiens) vir debitum reddat, & vxor viro. GREGO-
RIVS NAZIANZENVS LIBRO SECVNDO DE THEOLOGIA. Mihi verò in montem ala-
criter ascendenti, aut (vt veriùs dicam) ascendere cogitanti, magnámque in eo contentionem adhibenti vt nu-
bem ingrediar, & cum deo colloquar, hoc enim deus ipse iubet, si quis adest Aaron se mihi comitem adiungat,
Catque prope consistat. Et si illis oportuerit extra nubem manere, loco sibi assignato contentus sit. Si quis autem
adest Nadab vel Abiu, vel aliquis è numero seruorum, ascendat quidem, procul tamen stet secundum expiatio-
nis atque puritatis rationem. Sin autem vnus è multis & indignis altissimarum rerum cognitione impurus
omnino fuerit, ne accedat quidem, est enim periculosum. Si verò temporaria specie religionis expiatus acces-
serit, in montis radicibus hæreat, & voces tantùm atque tubam audiat, hoc est, nuda & simplicia verba, ad rudẽ
pietatis institutionem pertinentia, & montem fumantem atque fulgurantem conspiciat, vt scilicet minis & re-
rum admiratione commoti, in officio permaneant, qui ascendere nequeunt. Qui verò fuerit bestia immanis &
fera, ad disciplinam contemplationis & Theologiæ prorsus inutilis, ne se subdolè & malitiosè in syluam ab-
dat, vt cùm decreti aut sermonis occasionem arripuerit, repentè impetum faciat, & insultibus salubres ora-
tiones dilaniet, sed longè maneat, procúlque à monte secedat, aliter enim lapidibus obruetur, aut contrucidabitur.
Veri nanque & firmi sermones sunt lapides, iis qui feris moribus imbuti sunt. Siue igitur panthera fuerit, cum
Dmultiplici varietate macularum morietur, siue leo rapiens & rugiens, & quærens quam animam, siue sermo-
nem in cibum rapiat, siue sus, speciosas splendentésque veritatis margaritas conculcans, siue lupus Arabicus &
alienigena, siue alia quæuis fera ad fallacias tendendas acutior, siue illa sit vulpes, hoc est, anima dolis instructa,
& sine fide, alias in aliam formam pro temporis aut necessitatis ratione commutata, vescens mortuis corpori-
bus, tetrum odorem afflantibus, breuésque vites carpens, altiores non attingens, siue postremò aliud quoduis a-
nimal crudis carnibus pasci solitum, & à lege damnatum, comedentes inquinans, ab omnibus istis vult diuini
verbi ratio seiungi, vt sic tandem valeat firmis & lapideis tabulis inscribi, & hoc tum à fronte, tum etiam à ter-
go, propter apparentem legis speciem, & propter sensus intus occultatos, quorum alterum multitudini in infi-
mo loco permanenti cognitum, alterum verò paucis ad montis fastigium succedentibus exploratum. Quid in-
terim mihi accidit, ô amici, sanctissimis sacris initiati, mecúmque diuinorum studiorum societate coniuncti?
Cucurri vt deum comprehenderem, & sic in montem ascendi, nubémque ingressus, eam à materia & rebus ma-
Eteria cohærentibus diffecui, & ad meipsum quantum potui conuersus, postquam aspexi, vix vidi posteriora dei,
& hoc petræ, id est, verbi propter nos incarnati præsidio tectus, & paulò diutiùs animaduertens, non quidem il-
lam primam & simplicem naturam, sibiipsi tantùm cognitam, quanta manet intra primum velum à Cherubim
velata, sed illam vltimam diuinitatis significationem, ad nos vsque permanantem, quæ quidem quantum in-
telligere possum, & illa maiestas in creaturis, & in rerum conditione, & moderatione diuinitùs elucens, quam
diuinus Dauid appellat magnificentiam. Posteriora enim dei sunt omnes intelligentiæ de deo, ex aliis rebus ab
ipso deo conditis informatæ, quasi quædam vmbræ solis & imagines, in aquis solis speciem infirmis oculis refe-
rentes. Nec enim fieri potest, vt sensus imbecillitas sustineat tam puræ lucis splendorem.

## IN CAPVT EXODI VIGESIMVM, ARGVMENTVM.

*Dantur à domino decem præcepta. Territus populus non vult audire deum loquentem nisi per Moysen mediatorem. Altare terreum fieri præcipit dominus, ad quod non sit per gradus ascendendum.*

## CAPVT XX.

*Lectio prima.*

*LOcutúsque est deus cunctos sermones hos, Ego sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum* H *quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego sum dominus deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationẽ eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

*Lect.1.* AVCTOR CATENAE. Verba decem quæ habemus in manibus, quæ & decalogus dicuntur, ad legem pertinent naturæ communem omnibus gentibus, sed communiter iam tunc negligebantur, & deinceps. Ideo priùs inscripta naturæ conditæ, & dictamini naturalis intelligentiæ ac disciplinæ nunc inscribenda in lapideas tabulas, præleguntur data Moysi, totíque electo ac peculiari populo. Quæ vt seruarentur fideliter, omnes aliæ quæ sequuntur, tam iudiciales quàm cęremoniales leges, veluti pro cancellis constitutæ sunt, ac vt in huius tam breuis legis cõpendio persisteretur ab omnibus hominibus. Ea autẽ ne humana cõmenta putẽtur, dicitur in pri- I mis. *Locutúsque est deus cũctos sermones hos.* EX COLLATIONIBVS PATRVM. *Coll.8. cap.23.24.* Deus hominẽ creãs, omnẽ naturaliter ei scientiã legis inseruit, quæ si fuisset ab homine secundum propositũ domini vt cœperat custodita, non vtique necessarium fuisset aliam dari quæ per literam postea promulgata est. Erat enim superfluum extrinsecus offerri remedium, quod adhuc intrinsecus tenebatur insertum. Sed quia hæc (vt diximus) corrumpi cœpit libertate vsúque peccandi, velut huius exactor & executor ac vindex & (vt ipsis scripturæ verbis eloquar) adiutrix apposita est Mosaicæ legis seueriſsima diráque districtio, vt vel metu pœnæ præsentis non penitus bonum scientiæ naturalis extingueret, secundum Prophetæ sententiam legem dans in adiutorium, quæ etiam *Gal.3.* secundum Apostolum pędagogus velut paruulis data fuisse describitur, erudiens scilicet eos atque custodiens, ne ab illa disciplina in qua naturaliter fuerant instituti, quadam obliuione discederent. Nam quia sit homini *Gen.4.* omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hîc manifestè probatur, quòd mandata legis absque literæ lectione ante legem, immò ante diluuium omnes sanctos obseruasse cognoscimus. Quemadmodum enim scire K potuit Abel necdum lege mandante, quòd offerre deo de primitiuis ouium suarum, & de adipe ipsarum ad sacrificium debuisset, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quemadmodum Noe quod mundum *Gen.7.* vel quod immundum esset animal decreuisset, nondum hæc legali distinguente mandato, nisi scientia natu- *Gen.5.* rali fuisset instructus? Vnde Enoch didicit ambulare cum deo, nullam legis illuminationem ab aliquo conse- *Leuit.18.* quutus? Vbi Sem & Iapheth legerant, Turpitudinem patris tui non reuelabis, vt incedentes retrorsum, patris *Gen.9.* verenda velarent? Vnde monitus Abraham deuictis hostibus nihil accipere de eorum spoliis acquieſcit, ne re- *Gen.14.* tributionem laboris sui consequeretur, vel decimas sacerdoti Melchisedech quæ Mosaica lege præcipiuntur *Gen.24.* exoluit? Vnde ipse Abraham, vnde Loth transeuntibus ac peregrinis, humanitatis iura, & ablutionem pedum, *Gen.19.* necdum euangelico coruscante mandato suppliciter obtulerunt? Vnde Iob tantam deuotionem fidei, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, humanitatis scientiam consequutus est, quantam nunc ne ab illis quidem qui euangelia memoriter tenent videmus impleri? Quem sanctorum le- L gimus ante legem vllum legis violasse mandatum? Quis illorum non custodiuit, Audi Israël, dominus deus *Deut.6.* tuus dominus vnus est? Quis non impleuit illorum, Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem eorum quæ in cælo sunt, siue quæ in terra, vel eorum quæ sunt in aquis sub terra? Quis eorum non obseruauit, Honora patrem tuum & matrem tuam, vel illa quæ in decalogo subsequuntur, Non occides, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Non concupisces vxorem proximi tui, aliáque his multò maiora quibus non solùm legis, sed etiam Euangelij præuenere mandata? Ita ergo intelligimus ab initio deum omnia creasse perfecta, nec fuisse quod ordinationi eius principali, velut improuidæ & imperfectæ necesse esset superinduci, vel quòd ei addi post hæc oporteret, si in illo statu ac dispositione qua ab ipso creata sunt, vniuersa mãsissent. Et idcirco in eos qui ante legem immò ante diluuium peccauerunt, iusto iudicio deum animaduertisse probabimus, quia transgressi naturalem legem sine vlla meruerunt excusatione puniri. Nec in illorum incidemus blasphemiam calumniámque, qui ignorantes hanc rationem, derogant deo veteris Testamenti, ac detra- M hentes nostræ fidei subsannantésque dicunt, Quid ergo placuit deo nostro, vt post tot annorum milia legem voluerit promulgare, tanta secula passus hominem sine lege transire? Quòd si postea melius aliquid adinuenit, apparet eum in primordio mundi inferiora vel deteriora sapuisse, & post hæc velut experimentis edoctum cœpisse rectiora prospicere, ac principales ordinationes suas in melius emẽdare. Quod immensæ præscięti̇æ dei penitus cõuenire non poterit, nec sine ingenti blasphemia hæc de ipsa hæretica insania proferentur, dicente Ecclesiaste, Cognoui quoniam omnia quæ fecit deus ab initio, ipsa erunt in æternum. Super illa nõ est quod addatur, & ab illis non est quod auferatur. Et idcirco iustis non est lex posita, iniustis autem & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis & contaminatis. Illi nanque habẽtes naturalis illius atque insitæ legis sanam atque integram disciplinam, nequaquam lege hac extrinsecus adhibita literis descripta, quæque in adiutoriũ illi naturali data est indigebant. Ex quibus apertissima ratione colligitur, nec legem istã perscriptã literis ab initio dari debuisse, erat enim



A enim hoc superfluum fieri, stante adhuc naturali lege, & integra permanente, nec euangelicam perfectionẽ tradi ante legis potuisse custodiam. Non enim poterant audire, Qui te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi & *Matth.5.* alterã: qui cõtenti non erãt talionis ęqualitate iniurias proprias vlcisci, sed lætales calces ac telorum vulnera pro alapa leuissima rependebant, & pro minimo dẽte percutientiũ animas expetebant. Sed nec dici poterat illis, Dili- *Ibidem.* gite inimicos vestros, in quibus magnus fructus & vtilitas ducebatur, vt amicos suos diligerẽt, declinarẽt verò inimicos, & solo ab eis odio desinerent, nec opprimere illos, & interficere festinarent. HIERONYMVS IN *Cap.24.* ESAIAM. Audiant igitur Iudæi qui se solos legẽ accepisse domini gloriantur, quòd vniuersæ primùm gẽtes, totúsque orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea lex data sit per Moysen, quia prima lex dissipata est, *Rom.2.* de qua Apostolus loquitur, Cũ enim gentes quæ non habent legẽ, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, isti legem nõ habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostẽdunt opus legis scriptũ in cordibus suis. AVGVSTINVS IN PSAL- B MVM QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM. Cũ manu formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veri- *Matth.7.* tas scripserit, Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri, hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicaretur, & quibus lex nõ esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptũ est & in tabulis, quod in cordibus nõ legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebãt. Oppositum est oculis eorũ quod in cõscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce dei, ad interiora sua homo cõpulsus est, dicente scriptura, In cogitationibus enim impij interrogatio erit. Vbi interrogatio, ibi lex. Sed quia *Sap.1.* homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta nõ erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique est comprehẽderis, & ad teipsum intro reuocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerũt legẽ scriptam in cordibus suis? Redite præuaricatores ad cor. Quis enim te docuit, nolle accedi ab altero ad vxorem tuam? Quis te docuit nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit nolle iniuriam pati, & quicquid aliud vel vniuersaliter vel particulariter dici potest? C Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si nõ vis pati ista, nunquid solus es homo? nónne in societatem viuis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est, & omnes facti ad imaginem dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formauit. Quod ergo tibi nõ vis fieri, noli alteri facere. Iudicas enim malum esse in eo quòd pati non vis, & hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde cõscripta. Faciebas, & clamabatur inter manus tuas. Quomodo cogeris redire ad cor tuum, cùm hoc pateris inter manus alienas? Furtum bonum est? Non. Interrogo, Adulterium bonum est? Et omnes clamant, Nõ. Homicidium bonum est? Omnes clamant detestari se. Cõcupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc nõn confiteris, accedit qui concupiscat rem tuam, placeat tibi, & respõde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogati, clamant hæc bona non esse. Rursus de beneficiis non solùm de non nocẽdo, verũ etiam de non præstando atque tribuendo. Interrogatur omnis anima esuriens, Famem pateris? Alius habet panem, & redundat ei vltra sufficientiam, nouit te egere, non dat, displicet tibi esurienti, displiceat & satiato, cùm alterum D esurire cognoueris. Peregrinus tecto indigens venit in patriã tuam, nõ suscipitur, ille tunc clamat inhumanam esse illam ciuitatem, facilè apud Barbaros sibi esse potuisse refugium: sentit iniquitatem, quia patitur, tu fortè nõ sentis. Sed oportet vt & te cogites peregrinum, & videas quomodo tibi possit displicere qui tibi non præstiterit, quod tu in patria tua nõ vis peregrino præstare. Interrogo oẽs vera sunt hæc? Vera. Iusta sunt hæc? iusta. IDEM IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Quid est paruulus, nisi humilis & infir- *Cõcione 27.* mus? Noli ergo superbire, noli de tua quæ nulla est virtute præsumere, & intelliges quare sit à bono deo bona lex data, quæ tamen viuificare non possit. Ad hoc enim data est, vt te de magno paruulum faceret, vt te ad faciendam legem vires de tuo nõ habere mõstraret, ac sic inops, indigus & egenus ad gratiam confugeres & clamares, Miserere mei domine, quoniam infirmus sum. Hoc ergo scrutando intellexit hic paruulus, quod minimus Apo- *Psal.6.* stolorum Paulus, id est, paruulus ostendit, ideo datam legem, quæ viuificare non posset, quia conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ita domine, ita fac misericors domine, E impera quod non possit impleri, immò impera quod non nisi per tuam gratiam possit impleri, vt cum homines per suas vires id adimplere nequieuerint, omnẽ os obstruatur, & nemo sibi magnus videatur. Sint omnes paruuli, & reus fiat omnis mũdus tibi, quia nõ iustificabitur ex lege omnis caro coram te deo, per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia tua manifestata est, testimonium habens à lege & Prophetis. Hæc sunt mirabilia testimonia tua, quæ scrutata est anima paruuli huius, & ideo inuenit, quia humiliatus est, & paruulus factus est. Quis enim facit mandata tua sicut facienda sunt, id est, ex fide quæ per dilectionẽ dei operatur, nisi eius in corde per spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur? Hoc etiã iste paruulus cõfitetur. IDEM DE POE- NITENTIAE MEDICINA. Etenim benedictionem dabit qui & legem dedit. Ad hoc enim lex data est, vt superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc enim lex data est, vt vul- nera ostenderet peccatorum, quæ gratiæ benedictione sanaret. Ad hoc enim lex data est, vt diceremus in cõualle *Rom.7.* plorationis, Video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege pecca- F ti, quæ est in membris meis. Et cum ipso ploratu clamaremus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et succurret nobis exaudiente deo qui erigit elisos, & soluit cõpeditos, illuminat cæcos gratia dei, per Iesum Christum dominum nostrum. THOMAS IN OPVSCVLIS. Considerandum autem quòd *Opus.8. de* quadruplex lex inuenitur. Prima dicitur lex naturæ, Et hæc nihil aliud est nisi lumen intellectus insitum nobis *decem præ-* à deo, per quod cognoscimus quid agendum, & quid vitãdum. Hoc lumen & hanc legem dedit deus homini in *ceptis.* creatione. Sed multi credunt excusari per ignorantiam, si hanc legẽ non obseruant. Sed cõtra eos dicit Propheta in Psalmis, Multi dicũt quis ostendit nobis bona, quasi ignorẽt quid sit operandũ. Sed ipse ibidẽ respõdet, Signatum est super nos lumẽ vultus tui domine. Lumen scilicet intellectus, per quod nota sunt nobis agenda. Nullus enim ignorat, quod illud quod nollet sibi fieri, nõ faciat alteri, & cętera talia. Sed licet deus in creatione dederit homini hanc legẽ, scilicet naturæ, diabolus tamẽ in homine superseminauit aliã legẽ, scilicet cõcupiscẽtiæ. Quo- usq; enim in primo homine anima fuit subdita deo seruãdo diuina præcepta, etiã caro fuit subdita in oĩbus ani-

mæ vel rationi. Sed postquã diabolus per suggestionẽ traxit hominem ab obseruãtia diuinorum præceptorum, G
ita etiam caro fuit inobediens rationi. Et inde accidit, quòd licet homo velit bonum secundum rationem, tamen ex concupiscentia ad contrarium inclinatur. Et hoc est quod Apostolus dicit Romanorum septimo, Inuenio autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Et inde est quòd frequenter lex concupiscentiæ, legem naturæ & ordinem rationis corrumpit. Et ideo subdit Apostolus, captiuantem me in lege peccati, &c. Quia ergo lex naturæ per legem concupiscentiæ destructa erat, oportebat quòd homo reduceretur ad opera virtutis, & retraheretur à viciis, ad quæ necessaria erat lex scripturæ. Sed sciendum, quòd homo retrahitur à malo & inducitur ad bonum ex duobus. Primò, timore. Primum enim propter quod aliquis maximè incipit peccata vitare, est consideratio pœnæ inferni, & extremi iudicij. Et ideo dicitur Ecclesiastici primo, Initium sapientiæ timor domini. Et ibidem, Timor domini expellit peccatum. Licet enim ille qui ex timore non peccat, non sit iustus, inde tamen incipit iustificatio. Hoc ergo modo retrahitur homo à malo, & inducitur ad bonum H
per legem Moysi, quam quidam irritantes morte puniebantur, Hebræorum decimo, Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Sed quia modus iste est insufficiens, & lex quæ data erat per Moysen, hoc modo, scilicet per timorem retrahebat à malo, insufficiens fuit. Licet enim coërcuerit manum, non coërcebat animum, ideo est alius modus retrahendi à malo, & inducendi ad bonum, modus scilicet amoris. Et hoc modo fuit data lex Christi, scilicet lex Euangelica, quæ est lex amoris. Sed considerandum, quòd inter legem timoris & legẽ amoris, triplex differẽtia inuenitur. Et primò, quia lex timoris facit suos obseruatores seruos, lex verò amoris facit liberos. Qui enim operatur solùm ex timore, operatur per modũ serui: Qui verò ex amore, per modum liberi vel filij. Vnde Apostolus secũda Corinthiorum tertio, Vbi spiritus domini, ibi libertas, quia scilicet tales ex amore vt filij operãtur. Secunda differẽtia est, quòd obseruantes eam, non obseruãt voluntariè, lex verò amoris voluntariè obseruatur. Alia differentia est, quia prima grauis, secunda leuis. Matthæi vndecimo, Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Apostolus Romanorum octauo, Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. BERNARDVS IN
*Ser.28.* SERMONIBVS PARVIS. Lex igitur per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Duplex in lege veteri præceptorum genus inuenio. Sunt enim moralia quædam, vt est: Non concupisces, Non adulterabis, Honora patrem tuum, & his similia. Sunt etiam figuratiua & vmbratilia quædam, vt est taurorum immolatio, & sanguis hircorum. Veruntamen carnalis ille populus nec illa implere poterat, nec in his obtinere
*Marc.7.* salutem. Vnde & saluator in Euangelio, legis præcepta improperat Pharisæis, quòd propter traditiones suas irri-
*Ezech.20.* ta facerent dei mandata, ipsa sine dubio, in quibus esset ædificatio morum. Nam de cęteris ipse loquitur per Pro-
*Psal.68.* phetam, Dedi eis præcepta non bona, ipsa planè in quibus esset vmbra futurorum. Quæ enim consequentia ra-
*Psal.17.* tionis, vt homine peccante aries mulctaretur, & diceret cum Propheta, Quæ non rapui, tunc exoluebam. Meritò sanè non bona præcepta populus non bonus accepit, dicente Propheta, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Nouerat enim Iudæorum corda carnalia, vnde & carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non pos- K
sent iuxta conscientiam perfectum facere seruientem in iustitiis carnis. Venit proinde plenus gratia & veritate Christus dominus noster, vt ex hoc iam moralia quidem impleãtur per gratiam, quæ verò vmbratilia & mystica fuerant, reuelata veritate, deinceps non ad literam obseruentur, sed secundum spiritum spiritaliter intelligãtur. Propterea iam non aries vel taurus homine peccante mactatur, sed viua corporis hostia, rationale & acceptabile sacrificium in ieiuniis & laboribus, veniam meretur pariter & gratiam. CAIETANVS. Locutúsque est deus, &c. Non scribitur in litera modus quo loquutus est deus, nec quibus locutus est, sed quæ locutus est, videlicet ista subiuncta verba, non quædam, sed omnia. Nam dicendo cunctos sermones hos, manifestat, quòd omnia decem præcepta quæ vnico contextu immediatè subiunguntur, promulgauit deus per seipsum. Et nominatur in Hebræo deus loquens, Elohim, quod est nomen officij, videlicet iudicis, quia legislatoris officium exercebat. Verùm in hoc eodem capitulo scribitur quibus locutus est, & vbi manebat loquens, cùm diuina voce dicitur, Vos vidistis quòd locutus sum vobiscum è cœlis. Ex illa ergo litera iuncta præcedentibus habetur, quòd ex L
illa nube quæ in aëre supra cacumen montis erat, formabatur vox similis voci humanæ, perueniens ad aures singulorum. Nec oportet hîc fingere inæstimabilem vocis magnitudinem, quoniam vno & eodem diuino miraculo quo formabatur vox illa humana, de articulata, & cætera, fiebat etiam, vt proportionata esset tam propinquis quàm distantibus auditoribus, & quòd ab omnibus intelligerentur verba vocis illius, quod Deuteronomij quarto & quinto capitulo explanatur. AVCTOR CATENAE. Locutúsque est deus cunctos sermones hos. Hæc (inquit) ille creator omnium mandauit, hæc sciri & seruari iusit ab omnibus. Ab his nemo hominum vspiam gentium eximitur, nemo denique quacunque ignorantia excusatur, cùm scripta sint digito dei in humana pectora, iam tamen vsu & malitia scilicet veluti obliterata, renouantur & scribuntur in lapides (de quo postea) in perpetuam rei memoriam. *Ego sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis.* ORI-
*Hom.8.* GENES. Hic sermo nondum sermo mandati est, sed quis sit, qui mãdat ostendit. CAIETANVS. Initium diuinæ legis est, tum auctoritas legislatoris, tum cõfirmatio cultus religiosi iam inchoati in populo Israël. M
Quemadmodum enim princeps notus quidem beneficiis & obseruantia, ignotus autem facie, quando præsens daturus est leges, à propria auctoritate incipit (dicendo, ego ille princeps quem colitis, qui olim contuli vobis talia) ita deus daturus leges, incipit à manifestatione suiipsius. Tum quoad excellentiam naturæ dicendo, Ego dominus, est enim nomen domini tetragrammaton, nomen essentiæ diuinæ omnino incommunicabile. Tum quoad officium, dicitur enim Hebraicè, Elohe tuus, est enim nomen iudicis gubernantis in iudicio & iustitia. Tum à cultu iam sibi exhibito ab eis vt deo, dicendo tuus. Dicebatur enim deus Israëlis, cuius cultus latriæ exhibebatur ab Israël: & deus Aegypti, cui cultus latriæ exhibebatur ab Aegypto: & deus Syriæ, cui cultus latriæ exhibebatur à Syria, & sic de aliis. Qui eduxi te de manu Aegypti, &c. Manifestat quoque se benefactorem, commemorando beneficium nuperrimè eis collatum, beneficium (inquam) libertatis, quod ex seruis Aegypti, reddidit liberos, educendo eos inde. Hæc enim verba proposita sunt à deo, tum ad manifestandum auctoritatem legislatoris



A gislatoris, tum ad confirmandum Israëlitas in cultu ipsius. Magnam siquidem vim ad firmandos animos colentium deum præstat, præsentia oblata ipsius dei colloquentis cum ipsis è cœlis, vnde & postea hanc vim repetit ipse deus, dicendo, Vos vidistis quòd è cœlo locutus sum vobiscũ. Et in hoc quia præsupponitur (vtpote inchoatus) cultus dei, præcipitur non ipse cultus dei, sed perseuerãtia in cultu, huc enim tendunt principaliter hæc verba. Si autem quæris quo pacto summus deus asserat se loqui illis, cum locutio ista fieret per Angelum, in promptu est rẽsponsio, quia ipse deus loquebatur in Angelo ad populum, non vt rex loquitur per legatum aut per Interpretem, sed vt præsens intus in Angelo, & formans verba huius sermonis magis quàm Angelus. Et hoc est plus quàm Angelum, agere personam dei in hoc sermone, quia hoc secundum possumus etiam nos, Nam legatus potest loqui in persona principis sui, sed primũ inter homines est impossibile. AVCTOR CATENAE. Ego
B sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, Vel seruorum. Hebraismus est, pro de loco vbi seruiebas. Summum nostrum institutum vult esse dominus noster, vt deum ipsum, deum nostrum habeamus, metuamus, colamus, amemus. Hoc caput est veræ religionis, Deum vt metuamus, quem si habuerimus, nihil opus erit legibus multis. Primum nomen quod hîc ponitur, ab essendo, alterum à fortitudine sumitur. Est enim deus noster subsistentia & fortitudo omnium rerum, fons impenetrabilis omnis bonitatis & donorum. Seipsum ergo inserit in primis miseris mortalibus, antequam vanos eis deos interdicat, vt non sit opus procul quærere eum qui tam familiariter inter vos & in terra versatur, sed totum nobis fruendum proponit, & vltrò offert, etiam rebellibus Israëlitis, totiésque peccantibus in se. Non solùm autẽ, sed talem nominat, sed & exhibet, omnipotentiam suam ostendens electis, dum signa & portenta varia facit in Aegypto, nec hodie vel vnquam desinit ostendere potentiæ suæ miracula, si diligenter eius opera cõsiderauerimus. Eductionem de Aegypto velut recens factum, & ingens beneficium refricat, & vt præ cæteris omnibus opus excellentissimum ac magnificentissimum fuisse ostendat, non solùm Aegyptiis, sed toti quoque mundo magnum ac admirabile. De domo
C seruitutis, id est, seruili, domus enim conditionem significat. Assumit autem deus hoc epithetum, Qui eduxi te de terra Aegypti, quod optimo iure veluti victor quispiam ac triumphator sibi vẽdicat, quia vt scriptura loquitur, liberauit Israëlitas ex Aegypto brachio excelso & iudiciis magnis. Maluit autem hoc epithetum vsurpare, quàm dici deus, qui est immensæ & imperscrutabilis maiestatis, vt auocet nos à scrutanda essentia sua, & assuefaciat nos cognoscere ipsum ex operibus suis. Sic apud Patriarchas qui præcesserunt Abraham, dictus est, Deus *Gen.1.14.*
qui creauit cœlum & terram. Sic apud posteros Patriarcharum dictus est deus qui apparuit patribus. Postea au- *Gen.28.32.*
tem quàm Israëlitæ ex Aegypto liberati sunt, dictus est deus qui eduxit Israël de Aegypto. Sic postquã misit deus filium suum Christum, & liberauit nos à morte per Christum, dicitur deus pater domini nostri Iesu Christi, qui redemit nos ab omnibus malis. Auocemus igitur nos à curiosa inuestigatione diuinæ maiestatis, & meditemur opera eius reuelata, & ad cognoscendum proposita. Sic enim fiet, vt ad veram cognitionem dei perueniamus. ORIGENES. Nunc ergo videamus quid sit initium decem mandatorum legis, etiam si non occurrimus ad
D initia, saltem prout dominus dederit explicemus. Primum ergo mandatum est, *Non habebis deos alienos coram me.* Vel secundum aliam literam, Non erunt tibi dij alij præter me. Et post hæc sequitur, Nõ facias tibi Idolum, neque vllam similitudinem, quæcunque in cœlo sursum sunt, & quæcunque in terra deorsum sunt, & quæcunque sunt in aquis subtus terrã, & non adorabis illa, neque coles illa. Ego enim sum dominus deus tuus, &c. Hæc omnia simul nonnulli putant vnum esse mandatum. Quòd si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et vbi iam erit decalogi veritas? Sed si eo modo dirimatur, vt primum mandatum sit, Non erunt tibi alij dij præter me: secundum autem, Non facies tibi Idolum, neque vllam similitudinẽ, & cætera; integer decem mandatorum numerus apparebit. RVPERTVS. Sunt enim præcepta decem, quorum primum vt prædictum est, Non habebis deos alienos coram me: sequens, Non facies tibi sculptile: vltimum verò, Nõ cõcupisces. Quatuor ergo ex his dilectioni dei, videlicet, Non habebis deos alienos coram me, Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, Non assumes nomen domini dei tui in vanum, Memento vt diem sabbati sanctifi-
E ces: sex verò alia dilectioni subseruiunt proximi. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER
EXODVM. Quæritur, decem præcepta legis quemadmodum diuidenda sint, vtrum quatuor sint vsque ad *Quæst.71.*
præceptum de sabbato, quæ ad ipsum deum pertinent, sex autem reliqua, quorum primum, Honora patrem & matrem, quæ ad homines pertinent: an potius illa tria sint, & ista septem? Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, Non erunt tibi dij alij præter me, vt aliud præceptum sit, Non facies tibi Idolum, & cætera, vbi figmenta colenda prohibentur. Vnum autem volunt esse, Non concupisces vxorem proximi tui, & non concupisces domum proximi tui, & omnia vsque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, vnũ volunt esse, quicquid de vno colendo deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro deo colatur. Hæc autem ex trema præcepta in duo diuidunt, vt aliud sit præceptũ, Non concupisces vxorem proximi tui, & aliud, Nõ concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæcunque illius sunt. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc scriptura testatur. Mihi autem videntur con-
F gruentiùs accipi tria illa, & septem ista, quoniam Trinitatem videntur illa quæ ad deum pertinent, insinuare diligentiùs intuentibus. Et reuera quod dictũ est, Non erũt tibi dij alij præter me, hoc ipsum perfectiùs explicatur, cùm prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porrò vxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tantùm in peccando differunt, vt illi quod dictum est, Non concupisces domum proximi tui, adiuncta sint & alia, dicente scriptura, neque agrum eius, neque seruum eius, neque ancillã eius, neque boues eius, neque subiugalem eius, neque omne pecus eius, neque quæcunque proximi tui sunt. Discreuisse autem videtur concupiscentiam vxoris alienæ, à concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando vtrumque sic cœpit, Non cõcupisces vxorem proximi tui, &c. Non concupisces domum proximi tui, & hinc cœpit cætera adiungere. Non autem cùm dixisset, Non concupisces vxorem proximi tui, huic connexuit alia dicens, neque domum eius, neque agrum eius, neque seruum eius, &c. Sed omnino apparent hæc esse coniuncta, quæ in vno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo, vbi vxor nominata est. Illud autem vbi dictum est, Non erunt tibi dij alij præter me, apparet huius rei

diligentiorem

diligentiorem executionem esse in iis quæ subiecta sunt. Quò enim pertinet, Non facies tibi Idolum, neque vl- G
lum simulachrum, quæcunque in cœlo sunt sursum, & quæcunque in terra deorsum, & quæcunque in aqua sub terra, non adorabis ea, neque seruies illis, nisi ad id quod dictum est, Non erunt tibi dij alij præter me? ORIGENES. Incipiamus ergo à primo mandato. Sed & ego auxilio indigeo ipsius qui hæc præcepit dei, ad dicẽdum, & vos purgatioribus egetis auribus ad audiendum. Si quis ergo vestrum habet aures audiendi, audiat quomodo dictum est, Non erunt dij alij tibi præter me. Si dixisset, non sint dij præter me, absolutior sermo videretur. Nunc autem quia dicit, Non erunt tibi dij alieni præter me, nõ negauit quia sint, sed ne illi sint, cui hæc præcepta dantur, inhibuit. Hinc puto & Apostolum Paulum sumpsisse illud quod ad Corinthios scripsit, dicens, Siquidẽ sunt qui dicuntur dij multi, & domini multi. Nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos per ipsum, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed in multis aliis inuenies scripturæ locis deos nominari, sicut & alibi dicit, Quoniam deus summus, terribilis, & rex magnus super omnes deos. Et, H
Deus deorum dominus locutus est. Et, In medio autem deos discernit. De dominis idem Apostolus dicit, Siue throni, siue dominationes, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Dominationes autem nihil aliud sunt, quàm ordo quidam & multitudo dominorum. In quo (vt mihi videtur) sensum legis lucidiorem fecit Apostolus Paulus. Tale enim est quod dicit, Licet sint multi domini, qui aliis gentibus dominentur, & dij multi, qui ab aliis colantur, sed nobis vnus deus, & vnus dominus. Quid autem causæ sit in diis multis, vel dominis multis, si intentè & patienter auditis, ipsa nos scriptura poterit edocere. Ait enim idem Moyses in Deuteronomij cantico, Cùm diuideret (inquit) excelsus gentes, & dispergeret filios Adæ, statuit terminos gentium secũdum numerum angelorum dei, Et facta est portio domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël. Angelos igitur quibus regendas gentes commisit excelsus, vel deos appellari, vel dominos constat: Deos, quasi à deo datos: & dominos, quasi à domino sortiti sint potestatem. Vnde & dominus dicebat ad Angelos qui nõ seruauerunt suum principatum, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: vos autem vt homines moriemini, & sicut I
vnus de principibus cadetis, imitantes scilicet diabolum, qui princeps omnium factus est ad ruinam. Vnde constat, quòd execrabiles illos fecit præuaricatio, non natura. Tibi ergo ô populus Israël, qui pars dei es, qui funiculus hæreditatis eius effectus es, non erunt tibi (inquit) alij dij præter me. Quia verè deus, vnus est deus, & verè dominus, vnus est dominus. Cæteris verò qui ab ipso creati sunt, contulit nomen istud, non natura, sed gratia. Verùm ne existimes hæc tantùm ad illum dici Israël, qui secundum carnem natus est, multò magis hæc ad te dicũtur, qui Israël effectus es, mente deum videndo, & circunciſus es corde, non carne. Nam & si in carne gentes sumus, in spiritu Israël sumus, propter eum qui dixit, Pete à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et propter eum qui iterum dixit, Pater omnia mea tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis, si tamen ita agas, vt dignus sis pars esse dei, & in funiculo hæreditatis eius metiri. Alioqui si indignè agas, exemplo sint tibi illi, qui ad hoc vocati fuerant vt essent pars dei, & peccatis suis hoc meruerunt, vt dispergerentur per omnes gentes. Et qui priùs educti fuerant de domo seruitutis, nunc rursum (quia qui peccat K
seruus est peccati) non iam Aegyptiis solis, sed omnibus gentibus seruiunt. Ergo dicitur & tibi, qui per Iesum Christum existi de Aegypto, & de domo seruitutis eductus es, Nõ erũt tibi dij alij præter me. CYPRIANVS

*Cap.2.* DE EXHORTATIONE MARTYRII. Quòd deus solus colendus sit, ostenditur in Deuteronomio,
*Deut.32.* Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Item in Exodo, Non erunt tibi dij alij absque me. Item illic,
*Deut.6.* Videte quia ego sum, & non est deus præter me. Ego interimam & viuere faciam, percutiam & ego sanabo, & nó
*Apoc.14.* est qui eripiat de manibus meis. Item in Apocalypsi, Et vidi alium Angelum volantem in medio cœli, habentem Euangelium æternum, vt annunciaret super terram, & super omnes nationes, & tribus, & linguas, & dicentem voce magna, Metuite potiùs deum, & date illi claritatem, quoniam venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Sic & dominus in Euangelio commemorationem fa-
*Matth.22.* cit primi & secundi præcepti, dicens, Audi Israël, dominus deus tuus, dominus vnus est, Et diliges dominum deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc primũ, & secundum simile huic, L
Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Et iterum, Hæc est
*Ioan.17.* autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christum. IDEM CONTRA DEMETRIANVM. Quòd crebriùs bella continuant, quòd sterilitas & fames sollicitudinem cumulant, quòd sæuientibus morbis valetudo frangitur, quòd humanum genus luis populatione vastatur, & hoc scias esse prædictum, in nouissimis temporibus multiplicari mala, & aduersa variari, & appropinquante iam iudicij die, magis ac magis in plagas generis humani censuram dei indignantis accendi. Non enim sicut tua falsa querimonia & imperitia veritatis ignara iactat & clamitat, ista accidunt, quòd dij vestri à nobis non colantur, sed quòd à vobis non colatur deus. Nam cùm ipse sit mundi dominus, cognitor & rector, & cũcta arbitrio eius & nutu gerantur, nec quicquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit, vtique quando ea fiunt quæ iram dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt à quibus deus colitur, sed delictis & meritis vestris irrogantur, à quibus deus omnino nec quæritur, nec timetur, nec relictis vanis superstitionibus religio vera co- M
gnoscitur, vt qui deus vnus est, omnibus vnus, colatur ab omnibus, & rogetur. Ipsum denique audi loquentem,
*Luc.4.* ipsum voce diuina instruentem nos pariter ac monentem, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies.
*Hier.7.* Et iterum, Non erunt tibi dij alieni absque me. Et iterum, Nolite ambulare post deos alienos, vt seruiatis eis, & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos. Propheta item spi-
*Agge.1.* ritu sancto plenus, contestatur & denunciat iram dei, dicens: Hæc dicit dominus omnipotens, eo quòd domus mea deserta est, vos autem sectamini vnusquisque in domum suam, propterea abstinebit cœlum à rore, & terra subtrahet procreationes suas, & inducam gladium super terram, & super frumentum, & super vinum, & super oleũ, & super homines, & super pecora, & super omnes labores manuum vestrarum. Item Propheta alius repetit
*Amos.4.* & dicit, Et pluam super vnam ciuitatem, & super aliam non pluam. Pars vna compluetur, & pars super quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur duæ & tres ciuitates in vnam ciuitatem potandæ aquæ causa, nec satiabuntur



A bũtur, & nõ cõuertimini ad me, dicit dominus. Indignatur ecce dominus & irascitur, & quod ad deũ nõ cõuertamini comminatur, & tu miraris aut quereris in hac obstinatione & contemptu vestro, si rara desuper pluuia descendat, si terra situ puluueris squaleat, si vix ieiunas & pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineã debilitet grãdo cadẽs, si oleã detruncet turbo subuertens, si fontẽ siccitas statuat, aërẽ pestilẽs aura corrũpat, homines morbida valetudo cõsumat, cũ omnia ista peccatis prouocãtibus veniant, & plus exacerbetur deus quando nihil talia & tanta proficiant? Fieri enim ista vel ad disciplinam contumacium, vel pœnam malorum, declarat in scripturis sanctis idem deus, dicens, Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt. Et Propheta de- *Hier.2.*
uotus ac dicatus deo, ad hæc eadem respondet & dicit, Verberasti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, nec voluerunt credere, nec accipere disciplinam. Ecce irrogãtur diuinitùs plagæ, & nullus dei metus est. Ecce verbera de- *Hier.5.*
super & flagella non desunt, & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis vel
B ista censura, quãtò adhuc maior in omnibus esset audacia facinorum impunitate secura? Quereris quòd minus nunc tibi vberes fontes, & auræ salubres, & frequens pluuia, & fertilis terra obsequium præbeant, quòd non ita vtilitatibus tuis & voluptatibus elementa deseruiant. Tu enim deo seruis, per quem tibi cuncta deseruiunt? Tu famularis illi, cuius nutu tibi vniuersa famulantur? Ipse de seruo tuo exigis seruitium, & homo hominem parere tibi & obedire compellis, & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio vna moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali iure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mũdo postmodum recedatur, tamen nisi pro arbitrio tuo tibi seruiatur, nisi ad voluntatis imperium pareatur, imperiosus & nimius seruitutis exactor, flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoscis dominum deum tuum, cùm sic exerceas ipse dominatum? Meritò ergo incursantibus plagis non desunt dei flagella nec verbera, quæ cùm nihil istic promoueant, nec ad dominum singulos tãtò cladium terrore conuertant, manet postmodum carcer æternus, & iugis flamma, & pœna perpetua, nec audietur
C illic rogantium gemitus, quia nec hic dei indignantis terror auditus est, qui per Prophetam clamat & dicit, Au- *Osee.4.*
dite sermonẽ domini filij Israël, quia iudicium domini est aduersum incolas terræ, eo quòd neque misericordia, neque veritas, neque agnitio dei est super terram, sed execratio & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffusum est super terram, sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum vniuersis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus & volatilibus cœli, & deficient pisces maris, vt nemo iudicet, & nemo reuincat. Indignari se deus dicit & irasci, eo quòd agnitio dei non sit in terris, & deus non agnoscitur nec timetur. Delicta mendaciorum & libidinum, fraudum, crudelitatis, blasphemiarum, impietatis & furoris deus increpat & incusat, & ad innocentiam nemo conuertitur. Fiunt ecce quæ verbis dei ante prædicta sunt, nec quisquam fide præsentium, vt in futurum consulat, admonetur. Inter ipsa aduersa, quibus vix coartata & concluſa anima respirat, vacat malos esse, & in periculis tantis non de se magis, sed de altero iudicare. Indignamini indignari deum, quasi aliquid boni male viuendo mereamini, quasi non omnia ista quæ ac-
D cidunt, minora adhuc sint & leuiora peccatis vestris. Qui alios iudicas, aliquando esto & tibi iudex, conscientiæ tuæ latebras intuere, imò (quia nullus iam delinquẽdi vel pudor est, & sic peccatur quasi magis pro ipsis peccatis placeatur) qui perspicuus & nudus videris à cunctis, & ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut auaritia rapax, aut iracundia sæuus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulẽtus, aut liuore inuidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus, & miraris in pœnas generis humani iram dei crescere, cũ crescat quotidie quod puniatur? AVGVSTINVS IN LIBRO CONTRA ADIMANTVM MANICHAEI DISCIPVLVM. Istud cum calumniãtur Manichæi satis ostenditur placere sibi adorare multos deos. Nec mirum, *Cap.11.*
quandoquidem in secta sua numerosissimam deorum familam commemorant atque commendant, quippe qui etiam ad ista visibilia venerũt, quæ pro istius veritatis luce venerantur & adorant, & ideo displicet eis quod scriptum est in Exodo, Ne adoraueritis deos alienos. Addunt etiam illud propter hoc dictum esse, Deus vester zelans appellatur, zelans enim zelauit, vt tanquam deum zelantem non amemus, cuius zelo deos alienos adorare
E non sinimur. Et ideo dicunt ista Euangelio esse contraria, quoniam dominus dicit, Pater iuste mundus te non *Ioan.17.*
cognouit, quasi non sit dicẽdus deus iustus, nisi nos deos alienos adorare permittat. Iustum enim deum, & zelãtem deum tanquã contraria sibi esse dissertant, & decipiunt miseros, non intelligẽtes totam spem salutis nostræ esse zelũ dei. Hoc enim nomine illa eius significatur prouidentia, qua nullam à se animã fornicari impunè permittit, sicut Propheta dicit, Perdes omnes qui fornicãtur abs te. Sicut enim ea quæ dicitur ira dei, non perturba- *Psal 72.*
tio mentis est, sed potentia vindicandi, sic zelum dei non cruciatũ animi quo maritus aduersus vxorẽ, vel vxor aduersus maritum torqueri solent, sed tranquilissimam synceriſsimámque iustitiam qua nulla anima beata esse finitur, fallis opinionibus, prauisque cupiditatibus corrupta, & quodammodo grauidata. Illi enim hæc verba exhorrescunt, qui nondum viderunt ineffabili maiestati nulla verba congruere. Sic enim ab istiusmodi verbis tẽperandum putant, quasi aliquid dignum deo putant, cùm ista non dicunt. Sanctus enim spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quàm sunt ineffabilia summa diuina, his etiã verbis vti voluit, quæ apud ho-
F mines in vitio poni solent, vt inde admonerẽtur etiam illa, quæ cum aliqua dignitate dei se putant homines dicere, indigna esse illius maiestate, cui honorificum potiùs silentiũ, quàm vlla vox humana cõpeteret. Quæro zelũ hominis, & inuenio perturbationẽ cruciantem cor. Tamen cũ quæro causam, nil aliud inuenio, nisi quòd nõ patitur coniugis adulteriũ. Maximè enim & propriè inter coniugia zelotypia dici solet. Itaq; si maritus esset per seipsum beatus, & omnipotens & iustus, sine vllo cruciatu, & tota facilitate, & nulla iniquitate peccatum coniugis vindicaret. Quam tamen eius actionẽ humano loquendi modo etiam si nõ propriè, trãslatè tamen & rectè zelũ vocarẽ. Quis enim Tullio calumniatus est, qui certè nouerat Latinè loqui, cũ ait Cæsari, Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Et tamen ex eo appellatam misericordiã dicunt, quòd miserum cor faciat dolentis aliena miseria. Nunquid ergo virtus miserũ cor facit? Quid ergo calumnioſis Tullius respõderet? nisi misericordiæ nomine clementiam se appellare voluisse? Quoniam rectè solemus loqui, non solùm verba propria, sed etiam vicina vsurpantes. Cuius auctoris mentionem facere volui, quoniam nõ de re quæstio

hîc

hîc,sed de verbo est.Sicut enim nostri auctores,diuinarũ scilicet literarũ,de rebus maximè cogitauerunt, sic mũ- G
danorum auctorum propè omnis cura de verbis est. Sed habeo Euangelium & omnes noui Testamẽti libros,in
quibus misericordia dei frequentissimè cõmendatur.Si audent ergo isti miseri,etiam inde faciant quæstionẽ,&
negent esse misericordẽ deum, ne miserũ cor habere intelligatur. Sicut ergo potest esse in deo misericordia sine
cordis miseria,sic etiam sine tabe atque cruciatu animi zelũ dei nõ dedigneмur accipere,& humani conditionẽ
sermonis feramus,vt ad diuinũ perueniamus silẽtium.Sed si contraria dicunt esse zelantẽ deum, & iustũ deum,
2.Cor.11. quid dicturi sunt,cùm & in nouo Testamento inuenio, zelo dei vos zelo, vel adhibitum etiam de veteribus in
Psal.68. Euãgelio testimonium, Zelus domus tuæ comedit me:Rursus in veteri cùm legunt,Iustus dominus,& iustitias
Psal.10. dilexit,æquitatẽ vidit vultus eius, nõne fatebuntur etiã hoc modo imperitis duo testamenta videri posse cõtra-
ria,vt in nouo inueniamus zelum dei, in veteri iustitiam? Bene autẽ intelligentibus vtrũque in vtroque magna
sancti spiritus vnitate & pace concinere. CYRILLVS LIBRO OCTAVO CONTRA IVLIA- H
NVM. Quòd autẽ vnum & natura verè deum, visibilium & inuisibilium opificem & dominũ confessus fue-
rit Moyses,& nobis reuelauerit,inficias ibit nullus.Induxit enim ipsum manifestè dicẽtem,Non sint tibi dij alij
præter me.Et iterum,Non facias tibi idolum,neque alicuius similitudinẽ quod in cœlo sursum, & quod in ter-
ra deorsum,& quod in aquis sub terra.Dicit etiam per vocem Prophetarum,Sic dicetis illis, Dij qui cœlum &
Hier.10. terram non fecerunt,pereant de terra & sub cœlo isto,insuper & deum præter me nescias,& saluans non est præ-
Psal.95. ter me.Psallit autem & diuinus Dauid,Omnes dij gentium dæmonia,Dominus autẽ cœlos fecit.Sequentes igi-
tur ea quæ per Moysen prædicta, & per Prophetas annunciata sunt, vnum quidem natura, & verum deum esse
confitemur,scimus autem cum hoc,& indubitatò credimus,quòd omnes dij gentium dæmonia.Vbi ergo dissi-
demus à sanctis? vel quomodo illorum obluctamur sententiis, quasi alia quædam sentiamus, vel dicamus? ve-
niat,ostendat.Non enim vt inanes nostros reiiciet sermones,grauis ille disputator & veritatis reprehensor.Mi-
ror autem,quòd,quanuis non semel,sed sæpissimè scire se fateatur,& optimum Moysen etiam confiteri, vnum I
deum, & alium præter illum, omnino nullum, nominare Angelos dominos, & deos multos, nescio quomodo
dicere audeat:Eximium autem præ aliis: Primum,sed præesse aliis non sufficit solùm vt tollantur alij: sed si so-
lus sit,& secundum naturam dicatur ipse,tunc & nullus erit cum ipso deus verè. Quare igitur corrumpit Moy-
Deut.6. sis verba? Quanuis manifestè dicat, Audi Israël, dominus deus tuus vnus est: Non enim eximium præter alios
vnum,& super omnes deos voluit sentire ac dicere,qui incomparabilibus excellentiis magis exaltatus sit,etiam
vltra omne quod factum,etiam per se existentem & ingenitum solum credidit.Et quomodo vel vnde dubita-
tur,quòd cùm sit vnus & solus dominus & deus,etiam si dicantur quidam dij & domini,nudáque appellatione
honorentur,alterius ab ipso existentes naturæ,compositæ scilicet,quæ aliquando non erat, productæ autem ab
illo.Vnde & nobis quidem appellationem,vniuersorum dominus dedit.Ego(inquit) dixi,dij estis,& filij excel-
Psal.81. si omnes.Nũquid igitur qui honorati sumus,& honorem à benignitate eius accepimus,quòd vocemur dij, pro-
pterea naturæ nostræ mensuram ignorabimus? minimè. Sapientiæ enim nobis est studium,& rationem habe- K
mus.Quod autem licet Moyses dicat vnum deum,patrem scilicet,fateatur omnino cum illo,eum qui ex illo,&
in illo,& proprium illius deum verbum,quod simul existat,& absque tempore consubsistat,& coadorandum fi-
lium,spiritúmque sanctum,vbi de his sermo paulò processerit,iterum ostendemus, quanuis longos cõtra illum
de illis ipsis produxerimus sermones.Non enim sicut ipse dicit,nouum quiddam sectantes finximus, & adieci-
mus sapientissimi Moysi sermonibus,quod absque iudicio placebat,sed potiùs ipsius dicta pro canone & pon-
dere habuimus. THEODORETVS. Qui vnam in Trinitate fatentur substantiam,huic diuinæ vocis præ-
cepto obtemperant,neque enim vlla ratione induci possunt,vt præter illam diuinam naturam, alij tribuant di-
uinitatem.At qui Arrij & Eunomij peste contaminati sunt,apertissimè hanc legem infringunt, qui filiũ, deum
quidem confitentur,at eum conditum asseuerant,& à diuina abiungunt substantia.Nam cùm deus dicat, Non
habebis deos alienos præter me,hi contrà,alterum deum inuexerunt. DAMASCENVS LIBRO PRIMO
Cap. 5.6.7 & 8. DE ORTHODOXA FIDE. Atqui vnum deum esse & non multos,ab iis quibus diuina persuaserunt elo- L
quia,nequaquam ambigi potest.Inquit enim dominus in principio legis positionis,Ego dominus deus tuus, qui
Deut.6. eduxi te de terra AEgypti,Nõ erunt tibi dij alij præter me.Et rursus,Audi Israël,dominus deus tuus, Deus vnus
Esai.44. est.Et per Esaiam Prophetam,Ego enim (inquit)deus primus,& ego post hæc,& præter me nõ est deus. Ante me
Esai.43. non est factus alius deus,& post me non erit,& preter me nullus est. Et dominus in sanctis Euangeliis sic ad pa-
Ioan.17. trem inquit,Hæc est vita æterna,vt cognoscãt te solum deum verum. Verùm aduersus eos qui diuinæ scriptu-
ræ non credunt,sic disseremus,Deus perfectus est & indeficiens,& secundum bonitatem, sapientiam & virtutẽ,
sine principio,sine fine, sempiternus incircunscriptus,& (vt simpliciter dicam) secundum omnia perfectus. Si
igitur multos asserimus deos,& in multis differentiam contemplari oportet.Nam si nulla in ipsis differentia, v-
nus potiùs erit,& non multi.Si autem differentia in ipsis, vbi perfectio? Nam siue secũdum bonitatem, siue se-
cundum virtutem,siue sapientiam,siue tempus,siue locum,vnus subeat discrimen,à perfecto decidit, nõ itaque
fuerit deus.Sin verò per omnia fuerit identitas,vnum potiùs ostendet,& non multos.Quomodo etiam si mul- M
ti,diuersíq; sint,incircunscripti erunt?Quandoquidem vbicunque fuerit vnus,nequaquam erit alter. Quo pa-
cto etiam & ab huiusmodi multis gubernabitur mundus,& non dissoluetur ac corrumpetur,attenta in his ipsis
gubernantibus pugna?differentia enim contrarietatem inducit. Si enim dixerit quispiam,quia quisque parti
principatur,quid id ipsum est quod ordinat,& hanc illis distributionem effecit?Illud sanè fuerit valentiore iu-
re deus.Vnus ergo perfectus deus est,incircunscriptus,vniuersi factor contentórque & gubernator, superperfe-
ctus, & anteperfectus. Necessitas insuper etiam naturæ est, monadem duitatis esse principium. Ipse ergo vnus
& solus deus,non sine verbo est.Verbum enim habens,non insubsistens habebit, sed neque esse incipiens, neque
esse desinens.Non enim fuit vnquam,vt fuerit deus absque verbo.Semper autem habet suiipsius verbum ex se
genitum non instar nostri subsistentiam non seruans & in aëra fluens,sed intimè subsistens, viuens, absolutum,
non extra ipsum vt separabile euagans,sed in ipso semper immanens:vbi enim erit,si extra ipsum gignitur? At-
qui



A qui quoniam naturæ nostræ temporalis est conditio, & facilè dissolubilis, hanc ob causam, & verbum nostrum
subsistentiam non retinet. At verò deus semper existens,& perfectus cùm sit,perfectum & intimè subsistens ha-
bet suum ipsius verbum, & semper existens & viuens, & omnia habens quæcunque genitor habet. Quemad-
modum enim ex mente verbum nostrum prodiens, neque per totum menti idem est, neque prorsus omni-
no diuersum (nam ex ipsa existens, aliud est præter ipsam mentem, se in apertum agens) neque adhuc vsque-
quæque aliud à mente est, sed cùm secundum naturam vnum sint,aliud est subiecto,sic & dei verbum quod est
filius, qua subsistit secundum seipsum, discernitur ab eo à quo subsistentiam habet, qua verò eadem in seipso
ostendit quæ circa deum conspiciuntur, illi secundum substantiam idem est. Sicut enim quod in omnibus
perfectum est, in patre consideratur, æquè & in eo, quod ex ipso aggenitum est, verbo contemplari necesse
est. Oportet autem & verbum ipsum,spiritum habere.Nam & verbum nostrum nequaquam spiritus est expers.
B Verùm in nobis spiritus à nostra substantia comperitur alienus. Aëris enim est attractio, & emissio inspirati
& adspirati, vt corpus consistere queat.Per quem quidem in tempore prolationis vox verbi efficitur, verbi po-
tentiam in seipsa promens.In diuina autem natura simplici & incomposita,spiritum dei esse piè confitendum,
ob idipsum quòd non sit verbum dei deficientius nostro verbo.Non est pium, quippiam alienum spiritum exi-
stimare extra deum profusum, ceu in nobis fit, qui compositæ sumus naturæ. Sed quemadmodum cùm audi-
mus dei verbum, non quippiam non subsistens, neque ex disciplinæ habitu progenitum, neque vocis beneficio
prolatum,neque in aërem diffluens & dissolutum,sed substantialiter subsistens voluntate prædituм, & efficax
& omnipotens: simili quoque pacto & nos edocti, spiritum coassectam verbi, & manifestantem eius opera-
tionem, non expirationem subsistentia destitutam intelligimus. Sic enim ad humilia diuinæ naturæ ma-
iestas deiiceretur, si secundum nostri spiritus similitudinem is, qui in ipso est, spiritus intelligeretur. Sed
virtutem ipsam substantialem, secundum seipsam in propria persona consideratam, ex parte procedentem,
C & in verbo requiescentem, ipsúmque manifestantem, neque separari à deo in quo est, neque à verbo quod
coassequitur, possibile est, neque in quippiam quod minimè subsistat, refundi, sed secundum verbi similitu-
nem secundum hypostasim est, viuit, eligit, per se mouetur, agit, semper bonum vult, ad omne propositum
concurrit, voluntatis habens efficaciam, neque principium habens neque finem. Non enim aliquando patri
verbum deest, neque vnquam verbo spiritus. Sic certè per vnitatem naturæ, multos deos asserens gentilium
aboletur error, at verò per verbi & spiritus receptionem, Iudæorum tollitur dogma, & ex vtraque secta nobis
accedit vtilitas, ex Iudaica quidem opinione, naturæ vnitas, ex gentilitia verò, sola personarum discretio.
Verùm enimuero si aduersetur Iudæus & verbi & spiritus admissioni, illum ex diuina redarguamus scriptura,
& obmutescere cogamus. Nam de verbo inquit Dauid, In æternum domine verbum tuum permanet in cœ- Psal.118.
lo. Et rursus, Misit verbum suum, & sanauit eos. Atqui prolatum verbum neque mittitur, neque manet in Psal.120.
æternum. De spiritu verò idem Dauid, Emitte spiritum tuum & creabuntur: Et rursus, Verbo domini cœ- Psal.103.
D li firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et Iob, Spiritus diuinus qui fecit me, & spiratio om- Psal.32.
nipotentis quæ docuit me. Spiritus autem qui mittitur & facit & firmat, & continet, non habitus dissolutio- Iob.33.
ni obnoxius, quemadmodum neque corporeum melos, quod ab ore dei: sunt enim vtraque deo dignè intel-
ligenda. Credimus ergo in vnum deum viuum, principium sine principio,increatum,ingenitum,omni perni-
cie carentem,immortalem,æternum,infinitum, incircunscriptum,interminatum, infinitè potẽtem, simplicem,
incompositum, incorporeum, indefluum, impassibilem, immutabilem, inalterabilem, inuisibilem, fontem
bonitatis & iustitiæ, lucem intellectualem, inaccessibilem, virtutem nulla mensura cognitam, sola quidem
propria voluntate mensuratam (omnia enim quæcunque vult, potest) omnium creaturarum visibiliúmque &
inuisibilium factricem, omnium conseruatricem,atque saluificam, omnibus prouidentem, dominantem om-
nium atque principiantem, & regnantem infinito & immortali regno, nullum habentem contrarium, im-
plentem omnia, à nullo contentam, quippe quæ magis complectatur vniuersa, & contineat incontaminatè,
E omnibus substantiis supereminentem super omnia, & ab omni substantia exceptam, vt supersubstantialem,
& super entia existentem, superdiuinam, superbonam, superplenam, principia omnia & ordines definien-
tem, omni principio & ordini superlocatam, supersubstantiam, & vitam,& rationem,& intelligentiam,per se
lucem, per se bonitatem, per se vitam, per se substantiam, & non ab alio esse habentem, aut quiduis eorum
quæcunque sunt. Sed ipsa fons est esse iis quæ sunt, & iis quæ viuunt vitæ. Iis quæ participant ratione, ratio-
nis, & omnibus, omnium bonorum causa. Omnia sciens antè, quàm ducantur ad ortum, vna substantia, vna
diuinitas, vna virtus, vna voluntas, vnum principium, vna operatio, vna potestas, vna dominatio, vnum re-
gnum in tribus perfectis personis agnitum, & adoratum vna adoratione, creditúmque & veneratum ob om-
ni rationali creatura, inconfusè vnitum, & indiuisè discretum, quod opinionem superat. Credimus in patrem
& filium & spiritum sanctum,in quibus baptizati sumus. Sic enim dominus Apostolis baptizare præcepit, Ba- Matth. 28.
ptizantes eos,dicens, In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. In vnum patrem, omnium principium & cau-
F sam, non ab aliquo genitum, sine causa, solum ingenitum, omnium factorem, vnius quidem solius natura
patrem vnigeniti filij eius, dominíque & dei & saluatoris nostri Iesu Christi, & prælargitorem spiritus omni-
sancti.Et in vnum filium dei vnigenitum dominum nostrum Iesum Christum, ex patre natum ante omnia se-
cula,Lumen de lumine,Deum verum de deo vero, genitum,non factum,consubstantialem patri,per quem om-
nia facta sunt, ante omnia secula. Quæ dicentes, ostendimus quoniam sine tempore & sine initio est eius ge-
neratio. Non enim ex non ente ad esse deductus filius dei, qui est splendor gloriæ, character substantiæ
patris, & viuens sapientia, & virtus, & verbum intimè subsistens, substantialis & perfecta & viua imago inui- Heb.1.
sibilis patris, sed semper cum patre fuit, & in ipso sempiternè, & sine principio ab ipso genitus. Non enim fuit
aliquando pater, quando non fuit filius, sed simul pater, simul filius ab ipso genitus. Pater enim sine filio
nequaquam vocabitur. Si verò fuit non habens filium, minimè fuit pater: & si postea adeptus est filium, postea
effectus est pater, cùm ante id pater non esset. Atque ita immutatus, de non esse patre, in fieri patrem, quod

omni

omni blasphemia grauius. Nam impossibile est, vt ita dixerim, Deum esse destitutum natiuæ fœcunditatis
G partu. Partus autem, cùm ex seipso, id est, ex propria substantia generat. Atqui in filij generatione impium est dicere, intercipi mediaréque tempus, aut post patrem filij substantiam generari. Ex ipso enim, id est, ex patris natura, adstruimus filij generationem. Cæterùm si non à principio dederimus filium coexistere ei, ex quo genitus est, mutationem substantiæ patris inducemus. Nam cùm non esset pater, posterius effectus est pater. Nam tametsi creatura postea facta est, non tamen ex dei substantia, quippe quæ ex nihilo ad esse, voluntate eius, atque virtute perducta est. Neque vlla attingit mutatio dei naturam. Et generatio est ex substantia gignentis proferri quod gignitur, simile secundum substantiam. Sed creatio & factio est extrinsecus, & non ex substantia creantis & facientis fieri quod creatur & efficitur, & dissimile prorsus secundum substantiam.
H In solo igitur impassibili, inalterabili, immutabili, & semper eodem modo se habente deo, & generare, & creare, impassibile est. Nam cùm suapte natura impassibilis sit, & indefluxæ substantiæ, vt qui simplex & omnis exors compositionis, non aptus est substinere, aut passionem, aut defluxionem, neque cùm generat, neque cùm creat, neque alia cooperatione indiget. Sed generatio quidem sine principio & æterna, naturæ opus est, & ex substantia eius profecta, ita vt is qui generat, mutationem non subeat vllam, & vt non deus primus & posterior sit, atque additionem signet. Creatio verò à deo, cùm voluntatis opus sit, non coæterna deo est. Quandoquidem suapte natura capax non sit, quod de non esse ad esse deducitur, coæternum illi esse qui sine principio, atque aliquid sempiternum esse, quomodo ergo non similiter facit homo atque deus? Non similiter sanè. Nam homo nihil ex non esse ad esse deducit, sed quodcunque facit, ex materia (quam præiacere oportet) facit, non volens solùm, sed præcogitans & mente præffigians quod est faciendum, & deinde manibus opus moliens, labore desudans & fatigatione, frequenter autem & alterans, cùm exercitium minimè procedat vt optabat. Verùm deus volens solùm, ex nihilo ad esse cuncta perduxit. Simili quoque pacto, neque similiter generat deus & homo. Nam deus cùm intemporalis sit, & sine principio, & im-I passibilis, indefluxæq; substantiæ, & incorporeus, & solus infinitus, intemporaliter sine principio, impassibiliter, & absque vlla defluxione, decisionéque substantiæ generat, & absque commixtione, & neque initium habet eius incomprehensibilis generatio, neque finem. Sine quidem initio propter immutabilitatem. Indefluxibiliter, propter impassibilitatem & incorporalitatem. Sine commixtione, etiam propter incorruptilitatem, & propter vnum solum deum, nullo indigens altero. Infinitè & incessanter, propter id quod sine principio, & intemporalis & infinitus, & semper eodem modo se habens. Quod enim sine principio est, sine fine est. Quod autem gratia sine fine est, non omnino caret initio, ceu Angeli. Generat ergo deus qui semper est, suum verbum perfectum, existens sine principio & sine fine, vt non in tempore generet deus, qui tempore superiorem habet & naturam & substantiam. Homo autem quod contrario generet modo, dilucidum est, quippe qui generationi subiacet & corruptioni, defluxui & repletioni, corpore circundatus, marem & fœminam sua natura possidens. Nam hîc indiget masculus fœminæ auxilio. RVPERTVS. Non habebis deos
K alienos coram me, id est, neminem æstimabis deum, præter vnum creatorem cœli & terræ. BERNARDVS LIBRO QVINTO DE CONSIDERATIONE. Multa dicuntur esse in deo, & quidem sanè catholicéque, sed multa vnum. Alioquin si diuersa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem. Verbi gratia. Dicimus, magnum, bonum, iustum, & innumera talia, sed nisi omnia vnum in deo, & cum deo consideres, habebis multiplicem deum. Mihi verò non deest quod cogitem melius eiusmodi deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas. Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur. Scio quòd ad id respondere solent. Non multa (inquiunt) sed vnam tantùm diuinitatem quæ omnia illa sunt, deo vt sit conferre asserimus. Asseritis ergo & si non multiplicem, duplicem deum, & non ad merum simplex peruenistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex quod vel vni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel vni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem qui vel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quòd hunc numeroso & multiplici anteponam, sed planè præ simplici sperno. Mens L deus ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Est qui est, non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnum. Vnum quippe est, sed non vnitum. Non partibus constat, vt corpus: non affectibus distat, vt anima: non formis substat, vt omne quod factum est. Sed neque formæ, vt istis visum est. Magna laus videlicet deo, vt se ab informitate vindicet, forma vna esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, deum non nisi vni debere quod est. Quid? Cuius beneficio sunt quæ sunt, ipse pro suo esse alterius beneficio inclinabit? Laus ista (vt vulgò dicitur) blasphemiam valet. An non pluris est nullo indigere, quàm vno? Habe reuerentiam deo, vt quod pluris est, illi tribuas. Si cor tuum vsque huc ascendere potuit, deum tuum infra quomodo collocabit? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illum, & si aliter potior appareret, illum potius darem. Nunquid verendum ne cogitatio transuolet illum? Quantuncunque in altum proficiat, vltra est. Infra quod M homo cogitare possit, altissimum quærere, ridiculum est, statuere, impium. Vltra non citra quærendus est. Ascéde si adhuc potes ad cor altius, & exaltabitur deus. Non est formatus deus, forma est: Non est affectus deus, affectio est: Nõ est compositus deus, merum simplex est. Et vt liquidò noueris quid simplex dicam, idem quod vnũ. Tam simplex deus, quàm vnus est. Est autem vnus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit vnissimus est. Vnus est sol, quod non sit alter: vna luna, quod æquè altera non sit. Atque id quidem deus, sed plus. Quid plus? vnus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari. Idem est semper, & vno modo, non sic vnus sol, non sic vna luna, clamat vterque non esse se vnum sibi. Ille motibus, illa & defectibus suis. Deus autem non modò vnus sibi, & in se vnus est. Nihil in se, nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem. Hinc de eo Boetius, Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. Neque enim subiectum fieri potest, forma enim est. Compara huic vni omne quod vnum dici potest, & vnum non erit.

*Psal.63.*

Trinitas



A Trinitas est tamen deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de vnitate, quia inducimus trinitatem? non sed statuimus vnitatem. Dicimus patrem, dicimus filium, dicimus spiritum sanctum, non tamen tres deos, sed vnum. Quid sibi vult iste (vt sic loquar) absque numero numerus? Si tria quomodo non numerus? Si vnum vbi numerus? Sed habeo (inquis) quid numerem, & quid non numerem. Substantia vna est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsum à substantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ personæ illa substantia sint, & illa vna substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamẽ? Nam verè vnum sunt. Aut si tu facile explicatu id putas, dicendo tres, dicito quid numerasti? Naturas? vna est. Essentias? vna est. Substantias? vna est. Deitates? vna est. Non hæc, sed personas numero (inquis) quæ non sint illa vna natura, illa vna essentia, illa vna diuinitas. Catholicus es, minimè hoc dabis. Personarum proprietates non aliud quàm personas, ipsásque non aliud quàm vnum deum, vnam diuinam
B substantiam, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & summam maiestatem, fides catholica confitetur. Numera ergo si potes, aut sine substantia personas, quæ ipsa sunt, aut sine personis proprietates, quæ ipsæ sunt. Aut si diuidere quis conetur vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescio quomodo Trinitatis se professi cultorem possit, qui in tãtam rerum numerositatem excesserit. Dicamus itaque tres, sed nõ ad præiudicium vnitatis. Dicamus vnum, sed non ad confusionem trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassæ voces. Sabellianum hoc. Quærit quis, quomodo illud quod catholicum esse dicimus, possit esse? sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamẽ opinioni ambiguum, sed fidei persuasum sacramẽtum hoc magnum est, & quidem venerandum non scrutandum. Quomodo pluralitas in vnitate, & hac vnitate, aut ipsa in pluralitate? scrutari hoc temeritas est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est. THOMAS. Sciendum autem, quòd omnes superstitiones procedunt ex aliquo pacto cum dæmonibus inito, tacito vel expresso. Et ideo omnes intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur, Non habebis deos alienos coram me. *2.2.q.122. ar.2.ad 3.*

C IDEM IN OPVSCVLIS. Non habebis deos alienos coram me. Ad huius intellectum sciendum est, quòd antiqui multipliciter hoc præceptum transgrediebantur. Quidam enim colebant dæmonia, Psalmus, Omnes dij gentium dæmonia. Hoc autem est maximum omnium peccatorum & horribile. Nunc quoque multi transgrediuntur hoc præceptum, omnes scilicet, qui diuinationibus & sortilegiis intendunt. Hæc enim secundum Augustinum fieri non possunt quin aliquod pactum cum diabolo contrahatur, primæ Corinthiorum decimo, Nolo vos fieri socios dæmoniorum. Et iterum ibidem, Nõ potestis mensæ domini participes esse & mensæ dæmoniorum. Alij colebant cœlestia corpora, credẽtes astra esse deos, sapientiæ tertiodecimo, Solem & lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. Et ideo Moyses prohibuit Iudæis, quòd non leuarent oculos, nec adorarent solem & lunam & stellas, Deuteronomij quarto, Custodite sollicitè animas vestras, ne fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit dominus deus tuus in ministerium cunctis gentibus. Idem dicitur Deuteronomij quinto. Cõtra hoc præceptum pec-
D cant Astrologi, qui dicunt hæc esse animarum rectores, cùm tamen propter hominem facta sint, cuius solus deus rector est. Alij verò colebant inferiora elementa, Sapientiæ tertiodecimo, Aut ignem aut spiritum deos putauerunt. In quorum errorem inciderunt homines qui inferioribus male vtuntur, nimis ea diligentes, Apostolus Ephesiorum quinto, Aut auarus, quod est Idolorum seruitus. Alij errantes colebant homines, vel aues, vel alios, vel seipsos, quod quidem contigit ex duobus. Primò ex carnalitate, Sapientiæ quartodecimo, Acerbo luctu dolens pater, rapti citò sibi filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cœpit. Ex hac eadem causa quidam aliquos quos non potuerunt honorare in præsentia, curauerunt in absentia, honorare faciendo scilicet eorum imagines & colendo, Sapientiæ quartodecimo, Quem honorare volebant, fecerunt vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent. Tales sunt quicunque diligunt & venerantur homines plusquam deum, Matthæi decimo, Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: Psalmus, Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus. Se-
E cundò ex præsumptione. Quidam enim ex præsumptione fecerunt se vocari deos, Ezechielis vigesimo octauo, Eleuatum est cor tuum & dixisti, deus ego sum. Et hoc faciunt, qui plus suo sensui quàm dei præceptis credunt. Isti enim se pro diis colunt. Sequentes enim delectationes carnis, corpus suum pro deo colunt, Apostolus Philippensium tertio, Quorum deus venter est. Ab his ergo cauere oportet. Non habebis ergo deos alienos, &c. Sicut dictum est, Primum præceptum legis est hoc, quo prohibemur non colere nisi vnum deum. Et ad hoc etiam inducimur quinque rationibus. Prima sumitur ex dei dignitate, quæ si auferatur, fit deo iniuria, sicut potest videri ex consuetudine hominum. Cuilibet enim dignitati debetur reuerentia. Vnde proditor regis est, qui aufert quod exhibere tenetur. Et hoc quidam deo faciunt, Romanorum primo, Mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Et hoc summè deo displicet, Esaiæ quadragesimo secundo, Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Et consideradum quòd hæc dei dignitas est, scilicet quòd omnia sciat. Vnde deus dicitur à videndo. Hoc enim est vnum signum deitatis, Esaiæ
F quadragesimo primo, Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. Hebræorum quarto, Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Hanc autem dignitatem auferunt diuinatores. Contra quos dicit Esaias octauo, Nunquid non populus à deo suo requiret visionem pro viuis ac mortuis? Secunda ratio sumitur ex eius largitate. Omne enim bonum habemus à deo, & hoc etiam ad dignitatẽ dei pertinet, quòd factor & dator est omnium bonorum, Psalmus, Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Et hoc importatur in hoc nomine deus, quia discurrens, omnia replet sua bonitate. Nimis ergo ingratus es, si hoc ab illo tibi collatum nõ recognoscis, imò facis tibi alium deum, sicut filij Israël educti de Aegypto fecerunt Idolum, Oseæ vndecimo, Vadam post amatores meos. Hoc etiã fit, quando quis in alio quàm in deo spem ponit, hoc est, quãdo adiutoriũ ab alio petit, Psalmo, Beatus vir cuius est nomẽ domini spes eius: Apostolus ad Galatas quarto, Cùm cognoueritis deum, quomodo conuertimini iterum ad infirma? Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Tertia ratio sumitur ex promissi firmitate: Abrenũciauimus enim diabolo, & fidem promisimus soli deo. Vnde nõ debe-

mus

mus ipſam infringere,Hebræorum decimo, Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel G
tribus teſtibus moritur:quantò magis putabis deteriora mereri ſupplicia, qui filium dei cõculcauerit, & ſangui-
nem teſtamenti pollutum duxerit,in quo ſanctificatus eſt,& ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Romanorum
ſeptimo,Viuente viro vocabitur adultera,ſi fuerit cum alio viro. Et talis debet comburi. Ve ergo peccatori in-
gredienti terram duabus viis,& claudicanti in duas partes. Quarta ratio eſt ex dominij diabolici grauitate,Hie-
remiæ ſextodecimo, Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Non enim quieſcit in
vno peccato. Gregorius, Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere in aliud trahit. Con-
trarium eſt de dominio diuino, quia præcepta eius grauia non ſunt, Matthæi vndecimo, Iugum enim meum
ſuaue eſt,& onus meum leue. Satis enim reputatur quis facere, ſi tantùm facit pro deo, quantum fecit pro pec-
cato,Romanorum ſexto, Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem, ita
nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Sed de ſeruis diaboli dicitur,Sapientiæ quin- H
to, Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Et Hieremiæ nono, Vt ini-
què agerent laborauerunt. Quinta eſt ex præmij ſui muneris immenſitate. In nulla enim lege talia promit-
tuntur præmia ſicut in lege Chriſti. Saracenis verò promittuntur fluuij lactis & mellis. Iudæis terra promiſ-
ſionis, ſed Chriſtianus angelorum gloria, Matthæi vigeſimoſecundo, Erunt ſicut Angeli dei in cœlo. Hoc con-
ſiderans Petrus ait Ioãnis ſexto,Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. CAIETANVS. Iux-
ta Hebræum habetur, Non erit tibi Elohim alij ſuper facies meas. Ex prima parte religionis (videlicet perſe-
uerare in debito cultu ſummi dei) infertur non colere alium deum. Suapte enim natura hæc negatio ex præ-
cedente affirmatione oritur. Ex eo nanque quòd ſummus deus nec parem habet nec prope parem (quoniam à
qualibet creatura in infinitum ſecundum naturam eleuatur, conſequens eſt, vt cultus ei debitus nulli alteri tri-
buatur, vt nullus ei par, aut quaſi par habeatur. Significanter autem dicitur, non erit tibi, & non dicitur non
erit abſolutè, vt intelligamus quòd ſecundum ſe, quòd in rerum ordine non eſt deus alius, ſed tibi vel illi eſt I
alius deus, hoc eſt, quòd ſecundum veritatem nullus eſt deus niſi dominus, qui dat eſſe omnibus, ſed ſecun-
dum exiſtimationem hominum,ſecundum humanos cultus, multi ſunt dij. Adiungendo autem ſuper facies
meas, rationem præceptæ negationis reddit. Non enim inuidus eſt deus, vt ex inuidia egreferat alios vene-
rari vt deos, ſed iniuriam propriam depellit,& huiuſmodi iniuria ſignificatur, dicendo ſuper facies meas. Facies
non propriè, ſed metaphoricè deo attribuitur, quemadmodum enim facies hominis eſt qua homo agnoſcitur,
ita facies dei eſt id, quo agnoſcitur deus à nobis. Et quoniam multis attributis, multiſque radiis prouidentiæ
ſuæ agnoſcitur deus à nobis, ideo facies meas in plurali numero dicit. Et quia quilibet alius deus, vel ſecun-
dum aliquod diuinum attributum,Sapientiæ,potentiæ,bonitatis,fortitudinis,& cætera, vel ſecundum aliquem
radium diuinæ prouidentiæ conſtituitur,creditur & veneratur:ideo quicunque alius deus colatur, colitur tan-
quam tegens faciem dei, tanquam velamen ſuper faciem dei ſecundum effectum, pro quanto tegit hominibus
id quod agnoſcitur deus. Tegitur enim cura ſummi dei circa hoc vel illud,tegitur gubernatio eius circa noſtros K
actus,& cætera,dum hæc attribuuntur aliis tanquam diis. Huiuſcemodi enim tegmen diuinæ notitiæ, iniuriam
eſſe veri dei perſpicuum eſt,& propterea rationem præcepti manifeſtando, dixit ſuper faciem meam. Nec mi-
reris ſi incongrua Grammatica dicitur, erit in numero ſingulari, Elohim alij in numero plurali. Non dixit,
erunt, ne errantes intelligendo excludi multos deos alios, & non vnum deum alium: Dicendo enim non erit,
præcipitur quòd nullus aliorum erit tibi in deum. Et ex hoc quòd Elohim cum verbo ſingularis numeri con-
ſtruitur, ſignificatur, quòd plurale ponitur pro ſingulari, perinde ac ſi dictum fuiſſet, non erit tibi deus alius.
AVCTOR CATENAE. Non habebis deos alienos coram me. Senſum ex verbis rectè reddit Interpres.
Ea autem ſunt huiuſmodi in Hebræo: לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל פָּנָי Lo ihie lecha elohim acherim hal panai,
Non ſunt, vel non erunt tibi dij alij coram facie mea, hoc eſt ſuper faciem meam, hoc eſt, coram me, id eſt, me
inſpectante vel vidente. Quaſi dicat, cùm vbique ſim, nuſquam coles deos alienos,ne in occulto quidem, cùm
me nihil latere poſſit. Alij,Super me,id eſt,ſuperiores mihi. Alij prope me,hoc eſt, æquales mihi, Alij aduerſum L
me, id eſt, mihi contrarios verterunt. Chaldaica,Non erit tibi deus alius præter me. Septuaginta, οὐκ ἔσονταί σοι
θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Non erunt tibi dij alij præter me. Eſt enim eadem ſententia. Vetat ergo dominus, ne a-
libi auxilium, vitam, ſalutem quæramus, ne aliò ſpes noſtras locemus. Coram me (inquit) vel Ante faciem
meam. Minax ſermo eſt & vehemens, vt cùm iratus pater filio dicit, Caue ne hoc in oculis meis committas.
ORIGENES. Poſt hæc videamus quid ſequentia videantur verba continere. *Non facies tibi ſculptile, neque
omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque co-
les.* Alia litera non facies tibi Idolum,neque omnem ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cœlo,vel quæ in terra,
vel quæ in aquis & quæ ſubtus terram. Longè aliud ſunt Idola,& aliud dij, ſicut ipſe nos nihilominus Apoſto-
lus docet. Nam de diis dixit, ſicut ſunt dij multi, & domini multi. De Idolis autem dixit, Quia nihil eſt Ido-
lum in mundo. Vnde mihi videtur non tranſitoriè hæc legiſſe, quæ lex dixit. Vidit enim differentiam deorum
& Idolorum & ſimilitudinum. Nam qui de Idolis dixit quia non ſunt, non addidit quia & ſimilitudines non M
ſunt. Hîc autem dicit, Non facies tibi ipſi Idolum, neque ſimilitudinem omnium. Aliud eſt ergo facere Ido-
lum,aliud ſimilitudinem. Et ſi quidem dominus nos ad ea quæ dicenda ſunt, illuminare dignetur, ego ſic arbi-
tror accipiendum,quòd (verbi cauſa)ſi quis in quolibet metallo auri vel argenti, vel ligni, vel lapidis faciat ſpe-
ciem quadrupedis alicuius, vel ſerpentis, vel auis, & ſtatuat illam adorandam,non Idolum, ſed ſimilitudinem
fecit. Vel etiam ſi picturã ad hoc ipſum ſtatuat nihilominus ſimilitudinẽ feciſſe dicẽdus eſt. Idolũ verò facit ille
qui ſecundum Apoſtolum dicentem quia Idolum nihil eſt,facit quod non eſt. Quid eſt autem quod nõ eſt? Spe-
cies quam non vidit oculus, ſed ipſe ſibi animus fingit. Verbi gratia, vt ſi quis humanis membris caput canis,
aut arietis formet, vel rurſum in vno hominis habitu duas facies fingat, aut humano pectori poſtremas partes
equi,aut piſcis adiungat,hæc & iis ſimilia qui facit,non ſimilitudinem,ſed Idolum facit. Facit enim quod non
eſt,nec habet aliquid ſimile ſui. Et idcirco hæc ſciens Apoſtolus,dicit, Quia Idolum nihil eſt in mũdo. Nõ enim
aliqua



A aliqua ex rebus extãtibus adſumitur ſpecies,ſed quod ipſa ſibi ocioſa mens & curioſa repererit. Similitudo verò
eſt, cùm aliquid ex his quæ ſunt, vel in cœlo vel in terra, vel in aquis, formatur, ſicut ſuperius diximus. Ve-
runtamen non ſicut de iis quæ in terra ſunt, vel in mari ſimilitudinibus in promptu eſt pronuntiare, ita etiam
de cœleſtibus, niſi ſi quis dicat de ſole, & luna, & ſtellis hoc poſſe ſentiri. Et horum nanque formas exprime-
re gentilitas ſolet. Sed quia Moyſes eruditus erat in omni ſapientia Aegyptiorum, etiam ea quæ apud illos
erant in occultis & reconditis, prohibere cupiebat, ſicut (verbi cauſa) vt nos quoque appellationibus vta-
mur ipſorum, Hecaten quam dicunt, aliáſque dæmonum formas, quæ Apoſtolus ſpiritalia nequitiæ in cœ-
leſtibus vocat. De ipſis fortaſsis & Propheta dicit, Quia inebriatus eſt gladius meus in cœlo. His enim for-
mis & ſimilitudinibus inuocare dæmonia moris eſt iis, quibus talia curæ ſunt, vel ad repellenda, vel etiam ad
vitanda mala, quæ nunc ſermo dei vniuerſa complectens, ſimul abiurat, & abiicit, & non ſolùm idolum fie-
B ri vetat, ſed & ſimilitudinem omnium quæ in terra ſunt, & in aquis, & in cœlo. Addit autem & dicit, Non
adorabis ea, neque coles ea. Aliud eſt colere, aliud adorare. Poteſt quis interdum & inuitus adorare, ſicut
nonnulli regibus adulantes, cùm eos ad huiuſcemodi ſtudia deditos viderint, adorare ſe ſimulant idola,cùm
in corde ipſorum certum ſit quia nihil eſt idolum. Colere verò eſt, toto his affectu & ſtudio mancipari. Vtrũ-
que ergo reſecat ſermo diuinus, vt neque affectu colas, neque ſpecie adores: ſciendum tamen eſt, quòd cũ de-
creueris præcepti huius ſeruare mandatum, & omnes cæteros deos & dominos repudiare, & præter vnum deũ
& dominum, neminem habere vel deum, vel dominum, hoc eſt, bellum ſine fœdere denunciaſſe omnibus cæ-
teris: cùm enim venimus ad gratiam baptiſmi, vniuerſis aliis diis & dominis renunciantes, ſolum confite-
mur deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum. Sed hoc confitentes, niſi toto corde diligamus dominum
deum noſtrũ,& tota anima, & tota virtute adhæreamus ipſi, non ſumus effecti pars domini, ſed velut in confi-
nio quodam poſiti, & illos offenſos patimur, quos refugimus, propitium non efficimus, quem non ex toto &
C integro corde diligimus. Et ideo luget nos Propheta, quos videt huiuſcemodi inconſtantia fluctuare, & di-
cit, Væh duplici corde & animo. Et iterum, Vſquequo claudicatis vtriſque genibus veſtris? Sed & Apoſtolus
Iacobus dicit, Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Sumus ergo nos qui non integra nec
perfecta fide ſequimur deum noſtrum, & ab alienis receſsimus diis, velut in medio quodam confinio poſiti,
& ab alienis quaſi fugaces cædimur, & à noſtro domino tanquam inſtabiles & dubij non defendimur. CY-
PRIANVS DE EXHORTATIONE MARTYRII. Quòd idola dij non ſint,& quòd *Cap.1.*
nec elementa vice dei colenda ſint, oſtenditur in pſalmo centeſimo decimo tertio, Os habent & non loquen-
tur, oculos habent & non vident. Aures habent & non audiunt, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Si-
miles illis fiant homines qui faciunt ea. Item in Sapientia Salomonis, Omnia Idola nationum æſtimauerunt *Sapien. 15.*
deos, quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum, neque aures ad percipiendum ſpiritum, neque aures
ad audiendum, nec digiti in manibus ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim
D fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit deum fingere,
cùm ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior autem ipſe iis quos colit, quoniam ipſe
quidem iuxta, illi nunquam. Item in Exodo: Non facies tibi idolum, nec cuiuſquam ſimilitudinem. Item *Sapien.13.*
apud Salomonem de elementis, Neque opera attendentes, agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut
ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam deos putaue-
runt. Quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimauerunt, ſciant quanto iis dominus ſit ſpecioſior, aut ſi virtu-
tes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hîc conſtituit fortia, fortior eſt illis.
HIERONYMVS IN ESAIAM. Dicente domino, Non facies tibi idolum, neque ſimili- *Cap.65.*
tudinem omnium quæ in cœlo ſunt, & quæ ſuper terram. Et per Moyſen increpante, Facientes iritaue-
runt me in diis alienis, & in abominationibus ſuis me ad amaritudinem prouocauerunt. Immolauerunt dæ-
moniis, & non deo, Illi ſtudio delinquendi quaſi iritarent & prouocarent deum, non ſolùm fecerunt quod
E non licebat, ſed iugiter ſempérque fecerunt, peccantes in conſpectu domini, cuius oculis cuncta patent,
vel in templo eius Idolis hoſtias immolantes. Ac ne quid vero deeſſet ſacrilegio, immolabant in hortis, &
adolebant thura ſuper lateres, iungentes idololatriæ luxuriam, & ſacrificiis voluptatem, & pro vno altari
quod impolitis lapidibus, dei erat lege conſtructum, coctos lateres, & agrorum ceſpites, hoſtiarum ſanguine
cruentabant. IDEM IN MICHEAM. Sculptilia noſtra ſunt, quæ à loquentibus facta ſunt, vel *Cap.5.*
quæ ipſi fingimus nobis. Vnde præcipitur in lege, ne nobis ſculptile faciamus, & ne titulos in terra noſtra *Leuit.16.*
ponamus, & nequaquam vltrà adorabis opera manuum tuarum. Infelix humana conditio, & inſipientiæ *Deut.5*
plena atque erroris, ſcit de ſuo ſenſu dogmata eſſe compoſita non ignorat à ſe eſſe idolum ſimulatum, & pro
deo adorat opera manuum ſuarum, & curuatur homo, vt deceptus decipiat. THEODORETVS.
Idolum nullam habet ſubſiſtentiam, at ſimilitudo rei exiſtentis expreſsio eſt. Quoniam igitur Gentiles, ea
quæ nuſquam forent effingebant, vt Sphingas, Tritones, & Centauros: Aegyptij verò, homines ſub ef-
F figie canina, & bouina, ea ſacræ literæ idola ſolent appellare. Similitudines autem & expreſsiones, vo-
cant eorum quæ ſunt, vt Solis, Lunæ, aſtrorum, hominum, beſtiarum, reptilium, & id genus. Hæc (in-
quam) prohibet deus adorari, tam corde quàm ſignificationibus. Sunt enim qui cùm propter pauorem ho-
minum ſignis tantùm adorare coacti fuerint, intus tamen in animo id non faciant. Oſtendit igitur vtrum-
que eſſe impium, Non adorabis (inquiens) illa, neque coles. RVPERTVS. Facere ſculptile, vel
vllam ſimilitudinem eorum quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis ſunt, & æſtimare alicui horum deum
ſimilem eſſe, iniquitas eſt, & dilectioni dei repugnat. Cui ſimilem (inquit Propheta) feciſtis deum? Aut *Eſa.40.*
quam imaginem ponetis ei? Hoc aduerſus humaniformios valet, qui deum humanis putant eſſe com-
pactum membris. Nimirum hoc pacto, grande ſibi fingunt ſimulachrum, quod in cœlo ſedeat, & ter-
ram pedibus contingat, dicente ipſo, Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. *Eſa.66.*

Dicit itaque, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & cætera. G

2.2. q. 122. ar. 2. in cor. & ad 2.

THOMAS. Attendendum est in ordine generationis, quòd primò contraria & impedimenta tollun-
tur: sicut agricola primò purgat agrum, & postea proiicit semina, secundum illud Hieremiæ quarto, Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas & tribulos. Et ideo circa religionem primò homo erat instituendus vt impedimenta veræ religionis excluderet. Præcipuum autem impedimentum religionis est, quòd homo falso deo inhæreat secundum illud Matthæi sexto, Non potestis deo seruire & mammonæ. Et ideo in primo præcepto legis excluditur cultus falsorum deorum. Cultus autem alienorum deorum dupliciter apud antiquos obseruabatur. Quidam enim quasdam creaturas pro diis colebant absque institutione imaginum, Vnde Varro dicit, quòd antiqui Romani diu sine simulachris deos coluerunt, & hic cultus prohibetur primò, cùm dicitur, Non habebis deos alienos coram me. Apud alios autem erat cultus falsorum deorum sub quibusdam imaginibus, & ideo opportunè prohibetur etiam ipsarum imaginum institutio, cùm dicitur; Non facies tibi sculptile: H
& ipsarum imaginum cultus, cùm dicitur, Non coles ea. HVGO DE SANCTO VICTORE. Totum hoc ab eo loco, Ego sum dominus, vsque ad, Non assumes nomen dei tui in vanum, pertinet ad primum mandatum. Quæ omnia verba cum sequentibus, cunctis audientibus deus locutus est. CAIETANVS. Parui refert siue sculptile, siue dolatum legas, quod potius Hebraica litera sonat. Nec inhibetur Israëlis facere Idola & similitudines absolutè, sed cum pronomine tibi. Non enim dicitur, non facies Idolum, & similitudinem, quod fuisset inhibere artem pingendi, & artem dolandi, sculpendi & fundendi imagines & similitudines. Perspicuum enim est in tabernaculo dei fuisse imagines Cherubinorum, & similitudines malogranatorum & liliorum. Sed dicitur, non facies tibi, id est, non facies vt tuum deum, idolū, neque omnem similitudinē, Quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, hoc est, piscium existentium in aquis, quarum situs est inferior terra habitabili. Et hunc esse literalem sensum patet Deuteronomij quarto, vbi hæc repetuntur cum hac expositione. Explanando siquidem omnem similitudinem, discurrit per ea quæ sunt I
in cœlis, quæ sunt in terra, & quæ sunt in aquis, appositis sitibus singulorum. Non adorabis ea, neque coles. luxta Hebræum, Non curuaberis eis, & non seruies eis. In hac specifica negatione ex hoc præcepto illata, tres actiones exteriores prohibentur. Prima est, efficere deum aliquem in idolo seu similitudine. Secunda est, non exhibere diis in imagine seu idolo signum alicuius honoris, curuando caput, flectendo genu, & huiusmodi. Tertia est, non offerre illis quocunque oblationis genere: Omnis enim oblatio sub seruitutis nomine comprehenditur. Interna autem actio comprehensa est, in ipsa generica negatione, suprà dicendo, Non erit tibi deus alius. Et sic præceptum hoc diuini cultus integratur ex quatuor negationibus, & contra quamcunque negationem fiat, peccatum incurritur, & propterea non excusantur Philosophi, qui deos Gentium nihil esse arbitrantes, rationem habentes populi, colebant illos exterioribus signis, sicut nec excusatur Marcellinus papa, qui timore impulsus, exteriori actu obtulit illis thura. Vult enim deus nec intus nec extra coli alium deum, quia fit ei iniuria, vel in corde, vel in exterioribus signis, & propterea omnia prohibendo expresit. AV- K
CTOR CATENAE. Non facies tibi sculptile. Dictio Hebraica est פֶּסֶל Pesel, Quæ est sculptile, & idolum sicut vertunt Septuaginta, & imaginem sicut legit Chaldaica, & statuam, sicut alij verterunt, significat. Quæ tamen omnia idem sunt. Sculptile autem à sculpendo dicitur etiam Hebræis: sculptura verò non nisi in marmore & aliis lapidibus fieri propriè dicitur: conflatura verò, in auro & argento. Imago secundum aliquos similitudo est quomodocunque conficta, repræsentans astra cœli, aues, pisces, iumenta, pecora, vermes, cete grandia, dracones, homines, vel figmenta, etiam non extantia: nihil tale prostare debet quod pro deo veneretur. Non adorabis ea, neque coles. Verba Hebraica תִּשְׁתַּחֲוֶה Tistachaue, & תָּעָבְדֵם Thahabdem, Etiam verti possunt, Non incuruabis te coram illis, neque seruies illis. Quasi dicat, abstine omninò à cultu creaturarum. Omnis enim corporea creatura ab increato deo producta est. Factor ergo & non factura adorandus est. Exeunt hîc quidam docentes verbis & factis, imagines tollendas ab Ecclesia, dicentes Idololatriam esse hoc in loco expressè prohibitam, imagines in templis habere, siue illæ sint Christi, siue sancti ho- L
minis cuiuscunque. Quorum error facilè conuincitur, si consideremus, quo pacto ex præcepto domini imagines apud Iudæos fuerint, quibus tamen districtiùs deus inhibuerat, ne sculptile haberent. Nam cùm præcepisset

*Exod. 25.* Moysi vt facereret propiciatoriū de auro mundissimo, statim subiungit, dicens: Duos quoq; Cherubim aureos & productiles facies ex vtraq; parte oraculi. Cherub vn⁹ sit in latere vno, & alter in altero. Ecce imagines Cherub, & non in loco vulgari, sed in propitiatorio quod erat operimentum arcæ testimonij. Præterea cùm populus Israël ob murmurationes quas aduersus deum & Moysen dixerat, serpentium morsibus pateret, Moyses pro popu-

*Num. 21.* lo orat ad dominum. Cui Dominus ait, Fac serpentem, & pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo. Quem cùm percussi aspiceret, sanabantur. Ecce iterum aliam imaginem ex præcepto domini factam, cuius vsus non fuit inutilis, cùm ad eius aspectum, à serpentibus percussi sanabantur. Hunc tamen serpentem æneum Ezechias rex confregit postea, non

*4. Reg. 18.* quia malum erat talem imaginem retinere, sed quia videbat populum honores diuinos illi impendere, tan- M
quam aliquid numinis esset in eo, vnde ait scriptura, Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, Confregitque serpentem æneum quem fecerat Moyses. Siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant illi incensum. Salomon in templo fecit Cherubim, & palmas, & malogranata, & in mari æneo posuit duodecim boues, & in basibus laterum, leones cum bobus. Neque in harum rerum pictura aut sculptura Salomon reprehensus est, quin imò mirificè laudatus. Si ergo tunc licuit duodecim boues sculpere, cū magis esset de Idololatria timēdum: cur non licebit duodecim Apostolos pingere, quorū illi duodecim boues figuram gerebant? Si licuit serpentem exaltari coram populo ad Idololatriam prono, vt ex illius aspectu filij Israël à serpentium morsibus liberarentur: cur non licebit nunc Christum in cruce exaltatum depingere & insculpere, vt ex illius imaginis aspectu, reducamus ad memoriam immensa beneficia quæ generi humano in cruce moriens nobis exhibuit? Si vmbras licuit pingere, cur non licebit pingere corpus? Est

enim



A enim imaginum vsus vtilis, quoniam hæ sunt idiotarum literæ, quas aspicientes, in illis tanquam in libris scriptis legunt, & ad memoriam per earum aspectum reducunt ea, quæ aliàs in memoriam non venissent. Videntes enim historiam depictam, qua repræsentatur homo nudus columnæ alligatus, & multis plagis vulneratus, & alios à dextris & sinistris eius qui vicissim illum flagellare contendunt, recordamur deum pro nobis hominem factum, similia in carne passum, quod in memoriam cum venerit, ministratut nobis causa compassionis & dilectionis, eo quòd pro nobis talia passus est. Nec aliam ob causam veneramur imagines, quàm quòd nos in exemplaris memoriam venire faciunt, & inde affectus nostros mouere possunt. Non quòd talis adoratio in sola sistat imagine, sed transit ad id, cuius est imago. Honor enim qui defertur imagini, refertur ad prototypum. Quapropter non est quòd de Idololatria timeamus, si simplices & idiotæ doceantur, non esse sistendam mentem in imagine, cùm coram ipsa procidimus, sed hoc commo-
B dum imagines habere, quòd nostrum intellectum excitant ad cognoscendum & amandum illa quorum sunt imagines. Quòd si vnus aut alter simplicitate quadam deceptus erret, ille docendus est, & non propter illum imagines sunt prorsus delendæ. Leges siquidem & statuta, non paucorum numero, sed maiori populi multitudini prospiciunt. Sed nec apud nostros imaginum vsus recens est in Ecclesia dei, verùm vetustissimus, & ab ipsis Apostolis ad hæc vsque tempora continuò decursu seruatus. Legis enim in Ecclesiastica historia, Mulierem à profluuio sanguinis sanatam, æneam imaginem ante fores domus suæ in Cæsarea Philippi in memo- *L. 7. ca. 14.*
riam tanti beneficij domino Saluatori erexisse, è cuius basi herba nascens, cùm fimbriam imaginis tetigisset, morbos omnes languoréque depellebat, de qua ita ait Eusebius, Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quæ permansit ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum si hi qui ex Gentilibus crediderant, pro beneficiis quæ à Saluatore fuerant consecuti, huiusmodi velut munus videbantur offerre, cùm videamus etiam nunc Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Saluatoris
C imagines designari, tabulásque depingi. Sed & antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos vidimus. Hæc Eusebius. Quid ergo aduersarij imagines ab Ecclesia catholica tollere audent, quarum vsum tantis miraculis confirmauit, & ab ipsis Apostolorum temporibus vsque ad hæc tempora conseruauit? Nec valet quod ex loco isto nobis obiiciunt, prohiberi omnia simulachra, dum dicitur, Non facies tibi sculptile, & cætera, Quia respondemus, prohibitionem hanc à deo esse factam vitandæ idololatriæ causa, ita vt ad hunc finem intelligantur omnia simulachra esse prohibita, non vt non habeantur, aut fiant absolutè, sed vt non fiant ad colendum ea. Hunc autem esse verum literæ sensum, ex præcedentibus & sequentibus facilè conuincitur. Nam antequam talem prohibitionem faciat, hæc verba præmittit, Non habebis deos alienos coram me. Post quæ verba immediatè sequitur prohibitio simulachrorum, qua prohibitione facta, continuò de illis subiungit, dicens, Non adorabis ea, neque coles. Itaque ex præcedentibus & sequentibus verbis colligitur, ad hunc finem prohiberi simulachra & imagines, ne videlicet pro diis habeantur.
D At nos cùm imagines colimus, non illas tanquam deos veneramur, quoniam nostram adorationem (vt diximus) non ad illas, sed ad earum exempla referimus. GREGORIVS IN REGISTRO. *L. 7. Epist. 109.*
Præterea indico dudum ad nos peruenisse, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum vos ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudauimus, sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, vt hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere non valent. Tua igitur fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum nescij haberent vnde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. IDEM. Perlatum siquidem ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, sancto- *Vbi suprà.*
rum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari ve- *Lib. 9.*
tuisses, omnino laudauimus, fregisse verò reprehendimus. Dic frater à quo factum sacerdote aliquando audi- *Epist. 9.*
E tum est, quod feceris? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus solùm te sanctum, & esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere. Nam quòd legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura est. Quod magnoperè à te qui inter Gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum, & quia in locis venerabilibus sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio & ea quæ intendebas, salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare, vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersionis incumberet. Hinc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, vt maxima eorum pars
F à tua se communione suspenderit. Quando verò ad ouile dominicum errantes oues adducas, qui quas habes retinere non prætuales? Conuocandi ergo sunt dispersi Ecclesiæ filij, eísque scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manu factum adorare non liceat, quoniam scriptum est, Dominum deum tuum *Luc. 4.*
adorabis, & illi soli seruies. Ac deinde subiungendum est quia picturas imaginum quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, vt nescientes literas, ipsam historiam attendentes, discerent quid actum sit, quia transisse in adorationem videras, idcirco commotus es, vt eas imagines frangi præciperes. Atque eis discendū, Si hanc instructionem ad quam imagines antiquitùs factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quòd non tibi ipsa visio historiæ quæ pictura teste pandebatur, displicuerit, sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam reuoca. Et si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe, adorare verò

imagines, omnibus modis deuita. Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

*Cap.17.* DAMASCENVS LIBRO QARTO DE ORTHODOXA FIDE. Quia nonnulli nobis exprobrant quòd adoramus & veneramur Saluatoris nostri & Reginæ nostræ deiparæ imaginem, insuper & reliquorum sanctorum & famulorum Christi, audient quòd à principio deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cuius igitur gratia inuicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem dei facti sumus? Nam *Gen.1.* vt inquit deifer & magnus in diuinis Basilius, imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem. Exemplar autem est, quòd imaginem efformat, & ex quo quod deducitur, fit. Cuius gratia Mosaicus populus tabernaculum in circuitu adorabat, imaginem & formam gerens cœlestium, magis autem & totius creaturæ. Dum igitur deus Moysi ait, Vide feceris omnia secundum formam tibi ostensam in monte. Et Cherubim obumbrantia propiciatorium, nónne opera sunt manuum hominum? Quid autem in Hierosolymis celebratissimum templum, nónne manu factum est, & hominum arte constructum? Diuina autem scriptura accusat adorantes sculptilia, ac etiam sacrificantes dæmonibus. Sacrificabant autem Græci, sacrificabant & Iudæi, sed Græci dæmonibus, Iudæi verò deo. Et detestabile erat Græcorum sacrificium & damnabile, Iudæorum autem deo bene acceptabile. Sacrificauit enim Noe, & odoratus est deus odorem suauitatis, bonæ voluntatis & beneuolentiæ ad ipsum suauitatem suscipiens. Sic Græcorum sculptilia, quia dæmoniorum erant simulachra, detestabilia & interdicta sunt. Ad hæc inuisibilis & incorporei, incircunscriptibilis & infigurabilis dei, quis potest facere repræsentationem? Insipientiæ igitur & extremæ impietatis est, figurare diuinitatem. Hinc in antiquo testamento tritus non fuit imaginum vsus. At verò posteà quàm deus per viscera misericordiæ suæ, secundum veritatem homo factus est propter nostram salutem, non vt Abrahæ visus est in specie hominis, non vt prophetis, sed secundum substantiam veraciter factus homo est, diuersatus in terra, & cum hominibus conuersatus est, miracula operatus est, passus est, crucifixus est, sepultus est, I resurrexit, assumptus est. Et hæc omnia secundum veritatem gesta sunt, & visa ab hominibus, & scripta nobis ob memoriam & doctrinam sunt, cùm præsentes non essemus, vt, cùm non viderimus, audientes & credentes, adipiscamur beatitudinem dei. Et quia non omnes literas norunt, neque lectioni incumbunt, patres nostri consenserunt, veluti quædam trophæa hæc in imaginibus repræsentare ad promptam memoriam. Siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes passionem Christi, imaginem transfixionis Christi videntes, in Saluatoris passionis memoriam redimus, & procidentes, adoramus non materiam, sed imagine repræsentatum. Vt neque materiam ex qua scriptum est Euangelium, sic neque crucis materiam adoramus, sed quod typo figuráque exprimitur. Nam quid refert crux à materia, si non habet Christi repręsentationem? Identidem & de dei matris imagine. Nam honor ad ipsam, in illum qui ex ea incarnatus est, reuocatur. Similiter autem & sanctorum fortia facta præparant nos ad fortitudinem, & zelum & imitationem virtutis illorum & gloriam dei. Vt enim diximus, honorem qui exhibetur benignis gratísque conseruis, beneuolentiæ ad communem dominum præse ferre indicium, sic & imaginis honor ad prototypon exemplar, imaginísque veritatem transfertur. Est autem hæc traditio non scripta, perinde ac adorationis ad orientem, adorare scilicet crucem, & alia plurima, iis quæ dicta sunt similia. Fertur autem & quædam historia, quòd dominus Abagaro Edessenorum ciuitatis regi, qui pictorem miserat, vt domini similem pingeret imaginem, non valente autem pictore ob resplendentem faciei suæ claritatem, ipse vestimentum suum faciei diuinæ & viuificæ applicans, in vestimento sui ipsius imaginem absterserit, & sic desideranti misisse Abagaro. Quod autem plurima sancti *2.Thess.2.* Apostoli tradiderint sine scripto, scribit Paulus Gentium Apostolus: Ergo fratres state, & tenete traditio- *1.Corint.2.* nes nostras, quas edocti estis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Et ad Corinthios, Laudo autem vos fratres, quia per omnia mei meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis. EX SEXTA SYNODO. Venerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque seruiunt eis vt diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum iudicium, sed ad memoriam & recordationem primitiuorum venerantur eas & adorant, sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.

*3.d.9.ar.2. r.ad.2.q. ad.3.* THOMAS. Apostoli multa tradiderunt quæ scripta non sunt in canone, inter quæ vnum est de vsu imaginum. Vnde Damascenus dicit quòd Lucas depinxit imaginem Christi & beatæ virginis, & Christus suam imaginem Abagaro regi direxit, vt dicitur in Ecclesiastica historia. Fuit autem triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia. Primò, ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur. Secundò, vt incarnationis mysterium & sanctorum exempla magis in memoria essent, dum quotidie oculis repræsentantur. Tertiò, ad excitandum deuotionis affectum, qui ex visis efficaciùs incitatur, quàm ex auditis. *Ego sum dominus deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

ORIGENES. Vel secundum aliam literam, Ego enim sum dominus deus tuus, deus zelans. Vide benignitatem dei, quomodo vt nos doceat, & perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum non recusat affectuum. Quis enim audiens deum zelantem, non continuò miretur, & humanæ fragilitatis vitium putet? Sed omnia propter nos agit, & patitur deus, & vt possimus edoceri, notis & vsitatis affectibus nobis loquitur. Videamus ergo quid est hoc quod dicit, Quia deus zelans ego sum. Sed vt contemplari faciliùs possint diuina, de humanis doceamur exemplis. Omnis mulier aut sub viro est, & subiecta legibus viri: aut meretrix est, & vtitur libertate peccandi. Qui ergo ingreditur ad meretricem, scit se ad eam ingressum esse mulierem, quæ prostituta est, & cunctis volentibus patet, & ideo indignari non potest, si cum ea etiam alios videat amatores. Qui verò legitimo vtitur matrimonio, non patitur in vxore potestatem peccandi, sed accenditur zelo ad castitatem matrimonij conseruandam, quò possit ex ea fieri legitimus pater.

Hoc



A Hoc ergo exemplo intelligamus omnem animam, aut prostitutam esse dæmonibus, & habere plurimos amatores, ita vt intret ad eam modò quidem spiritus fornicationis, illo discedente intret spiritus auaritiæ, post hunc veniet superbiæ spiritus, inde iræ, inde inuidiæ, post etiam vanæ gloriæ, aliique cum eis plurimi spiritus immundi. Isti autem omnes ita cum infideli anima meretricantur, vt alter alteri non inuideat, nec zelotypia moueantur ad inuicem. Et quid dico quòd alter alterum non excludat? immò & inuitant se inuicem, & sponte se conuocant. Secundum illud quod in Euangelio scriptum est de illo spiritu qui exiit ab homine, & regressus adduxit secum septem alios nequiores se spiritus, vt in vna anima simul habitarent. Sic ergo nullam zelotypiam amatorum suorum patitur anima, quæ dæmonibus prostituta est. Si verò legitimo coniuncta sit viro, illi viro cuius matrimonio Paulus animas coniungit & so-
B ciat, sicut & ipse dicit, Statui enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo, & de quo in Euange- liis scriptum est, Quia rex quidam fecit nuptias filio suo. In huius ergo viri nuptias cùm se anima dederit, & legitimo eum sortita fuerit matrimonio, etiam si fuit aliquando peccatrix, etiam si meretricata est, tamen si se huic viro tradidit, vltra eam peccare non patitur. Non potest ferre, vt rursum anima quæ se sortita est virum, alludat cum adulteris, quia excitatur super eam zelus eius viri, & defendit coniugij castitatem. Et ideo zelans dicitur dominus, quia animam sibi mancipatam non patitur dæmonibus admisceri. Alioquin si eam viderit temerantem iura coniugij, & occasionem quærere ad peccandum, tunc vt scriptum est, dat ei libellum repudij, & dimittit eam, dicens, Vbi est libellus repudij matris vestræ, quo
C dimisi eam? Quibus etiam addit, & dicit, Ecce peccatis vestris venundati estis, & propter iniquitates vestras dimisi matrem vestram. Hæc qui loquitur, zelans est, & zelo commotus hæc dicit, post agnitionem enim sui, post illuminationem verbi diuini, post gratiam baptismi, post confessionem fidei, & tot tantísque sacramentis matrimonium confirmatum, non vult nos vltrà peccare, non patitur animam cuius ipse vel sponsus vel vir appellatur, cum dæmonibus ludere, scortari cum immundis spiritibus, cum vitiis & immundiciis volutari. Quod si fortè aliquando eueniat infeliciter, saltem vt conuertatur, & redeat, & pœniteat, miseratus expectat. Nouum enim hoc bonitatis eius est genus, vt etiam post adulterium reuertentem tamen, ex toto corde pœnitentem suscipiat animam. Sicut & ipse per Prophetam dicit, Nunquid mulier si exierit à viro, & dormierit cum alio viro, reuertetur ad virum suum? Nónne contaminatione contaminabitur? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, & reuertebaris ad me. Item alibi dicit, Et posteaquam fornicata es in omnibus his, dixi, reuertere ad me, & nec sic reuersa es, dicit dominus. Hic ergo deus zelans si requirit & desiderat animam tuam adhærere sibi, si te seruat à peccato, si corripit, si castigat, si indignatur, si irascitur, & velut zelotypia quadam erga te vtitur, spem tibi esse salutis agnosce. Si verò castigatus non respiscis, correctus non emendaris, verberatus contemnis, scito quòd si eousque peccando profeceris, discedit à te zelus eius, & dicetur tibi illud, quod per Ezechielem prophetam ad Hierusalem dicitur, Propterea discedet zelus meus à te, & nõ irascar
D vltrà super te. Vide misericordiam & pietatem boni dei, quando vult misereri, indignari se dicit & irasci, sicut per Hieremiam dicit, Dolore & flagello castigaberis Hierusalem, vti ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, miserantis dei vox est, vbi irascitur & zelat, vbi adhibet dolores & verbera: Flagellat enim omnem filium quem recipit. Vis autem audire indignantis dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam, cùm enumerasset multa nephanda quæ commiserat populus, addit etiam hæc, Et propter hoc (inquit) non visitabo super filias vestras cùm fornicantur, neque super nurus vestras cùm mœchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cùm iam non corripimur pro peccatis, cùm iam non corrigimur delinquentes. Tunc enim cùm excesserimus peccandi modum deus zelans auertit à nobis zelum suum sicut superius dixit, Auferetur enim zelus meus à te, & non irascar super te vltrà. Hæc de eo quod dictum est, Deus tuus zelans. Videamus nunc & quod sequitur, quomodo reddi dicuntur peccata patrum in filios in tertiam & quartam progeniem. In hoc enim ser-
E mone solent nos hæretici fugillare, quòd non sit boni dei sermo, qui pro peccatis alterius alium plecti dicat, sed secundum ipsorum rationem, qui dum legis mandatum licet non bonum, iustum tamen dicunt, ne ipsi quidem possunt ostendere, quomodo secundum sensum suum iustitiæ suæ conuenire videatur, si alius alio peccante puniatur. Superest igitur vt dominum deprecemur, vt ostendat nobis quomodo præcepta hæc iusto bonóque conueniant deo. Sæpe iam diximus, quòd scripturæ diuinæ non omnia ad exteriorem hominem, sed perplura ad interiorem loquuntur. Interior igitur homo noster, aut deum dicitur habere patrem, si secundum deum viuit, & quæ dei sunt, agit: aut diabolum, si in peccatis sit, & voluntates illius gerit, sicut euidenter in Euangeliis Saluator ostendit, cùm dicit, Vos de patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, sicut ergo semen dei in nobis dicitur manere, cùm verbum dei seruantes in nobis, non peccamus, vt Ioannes dicit, Qui autem ex deo est, non
F peccat, quia semen dei manet in eo: ita etiam cùm à diabolo ad peccandum suademur, semen eius efficimur. Cùm verò etiam opere implemus quod suaserit, tunc iam & genuit nos. Nascimur enim ei filij per peccatum. Verùm quoniam peccantes vix ferè accidit vt sine adiutore peccemus, sed aut ministros peccati, aut adiutores semper requirimus, verbi causa, si adulterium quis molitur, non potest hoc solus admittere, sed necesse est etiam adulteram consortem fieri, sociámque peccati, tunc præterea, etsi non plures, esse tamen necesse est aliquem vel aliquam in ministeriis ad societatem peccati, qui omnes velut vnus ex altero secundum persuasionis ordinem generati, ex patre diabolo noxiæ natiuitatis progeniem ducunt. Et vt ad ea quæ scripta sunt veniamus, dominus maiestatis Iesus Christus saluator noster crucifixus est, huius piaculi auctor & pater sceleris sine dubio diabolus est, sic enim scriptum est, Cùm autem introiisset diabolus in cor Iudæ Scariothis vt traderet eum. Pater ergo peccati diabolus est. iste in hoc scelere primum filium generat Iudam, sed solus hoc Iudas implere non poterat. Quid ergo scriptum est? Abiit (inquit) Iudas ad scribas, & Pharisæos, & ad Pontifices, dicens eis, Quid mihi datis, & ego vobis eum tradam? Nascitur ergo ex Iuda generatio tertia & quarta peccati. Et hunc ordinem deprehendere poteris etiam in singulis

quibuſque peccatis. Nunc ergo videamus ſecundum hanc quam diximus progeniem, quomodo deus pecca- G
ta patrum reddat in filios in tertiam & quartam progeniem, & in ipſos non reddat patres: Nihil enim de patribus dixit deus. Diabolus ergo qui peccandi iam modum exceſsit, ſicut propheta dicit, Quemadmodum veſtimentum in ſanguine concretum non erit mundum, ita & ipſe non erit mundus in hoc ſeculo, neque corripitur pro peccato, neque flagellatur. Omnia nanque ei ſeruata ſunt in futurum. Vnde & ipſe ſciens ſibi illud ſtatutum tempus eſſe pœnarum, dicebat ad ſaluatorem, Quid veniſti ante tempus torquere nos? Dum ergo ſtat hic mundus, peccata ſua non recipit diabolus, qui eſt peccantium pater. Redduntur autem in filios, id eſt, in eos quos genuit per peccatum. Etenim homines in carne poſiti corripiuntur à domino, verberantur, flagellantur. Non enim vult dominus mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Et propterea benignus & miſerator dominus reddit peccata patrum in filios, vt quoniam patres, id eſt, diabolus & angeli eius cæteríque principes mundi huius, ac rectores tenebrarum harum (& ipſi enim efficiuntur patres pecca- H
ti, ſicut & diabolus) Quoniam (inquam) patres iſti indigni ſunt qui in præſenti ſeculo corripiantur, ſed in futuro recipient quæ merentur, filij eorum, id eſt, quos peccare perſuaſerint, & qui nihilominus per ipſos adciti fuerint ad conſortium ſocietatémque peccati, hîc recipiunt quæ geſſerunt, vt purgatiores ad futurum ſeculum pergant, & vltrà diabolo ſocij non efficiantur in pœna. Quia ergo miſericors eſt dominus, & omnes homines vult ſaluos fieri, propterea dicit, viſitabo in virga ferrea facinora eorum, & in flagellis peccata eorum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eis. Viſitat ergo dominus animas, & requirit, quas iſte peſsimus perſuaſione peccati genuerit pater, & dicit ad vnamquanque earum, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Viſitat ergo te poſt peccatum, & commonet te, & in flagello & virga te viſitat pro peccatis, quæ tibi pater diabolus ſuggeſsit, vt reddat tibi illud in ſinum, id eſt, dum in corpore degis. Et ſic completur, Reddit peccata patrum in ſinus filiorum in tertiam & quartam progeniem. Deus enim zelans eſt, & animam quam ſibi deſpondit in fide, non vult I
illam permanere in contaminatione peccati, ſed vult eam citò purgari, vult eam velociter abiicere, omnes immunditias ſuas, ſi cui fortè ſubreptum eſt. Si verò permanet in peccatis, & dicit, Non audiemus vocem domini, ſed facientes faciemus voluntates noſtras, & incendemus ignem reginæ cœli, ſicut exprobratur per Prophetam, tunc etiam ſeruantur ipſi ad illam ſapientiæ ſententiam, quæ dicit, Quoniam quidem vocabam, & non obaudiebatis, ſed irridebatis ſermones meos, itaque & ego veſtræ perditioni ſuperridebo. Vel illam quæ poſita eſt illis in Euangelio, dicente domino, Diſcedite à me in ignem æternum quem præparauit deus diabolo & angelis eius. Ego opto vt dum in hoc ſeculo ſum, viſitet dominus peccata mea, & hîc mihi reſtituat, vt ibi dicat etiam de me Abraham, ſicut dixit de paupere Lazaro ad diuitem, Memento fili quòd recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic requieſcit, tu verò cruciaris. Propterea ergo cùm corripimur, cùm caſtigamur à domino, eſſe non debemus ingrati, ſed intelligamus propterea nos in præſenti ſeculo corripi vt in futuro requiem conſequamur, ſicut & Apoſtolus K
dicit, Cùm autem caſtigamur à domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Propterea denique & beatus Iob libenter ſuſcipiebat cuncta ſupplicia, & dicebat, Quia ſi bona accepimus de manu domini, nonne & mala tolerabimus? Dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum. Reddit autem & miſericordiam in milia iis qui diligunt eum. Qui enim diligunt, correptione non indigent, neque enim peccant, ſicut & dominus dicit, Qui diligit me, mandata mea cuſtodit. Et ideo perfecta dilectio foras mittit timorem. Ob hoc ergo diligentibus, ſola miſericordia poſita eſt. Beati enim miſericordes, quia ipſis miſerebitur deus. HIERONYMVS IN ORATIONEM HIEREMIAE. Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Ideo iniquitates eorum
*Hier.31.* portauerunt, qui imitatores eorum in nequitia extiterunt, iuxta illud quod ſcriptum eſt, Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Et in Exodo, Ego ſum, ait, dominus deus tuus æmulator, qui reddo peccata patrum ſuper filios vſque ad tertiam generationem, his qui oderunt me, & faciam miſericor- L
*Ezech.13.* diam in milia his qui diligũt & cuſtodiunt præcepta mea. Nec contrarius eſt iſte locus illi teſtimonio Ezechielis, vbi dicitur, Filius autem non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij, quia mox ſequitur,
*Cap.18.* Iuſtitia iuſti erit ſuper eum. IDEM IN EZECHIELEM. Quid eſt quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium iſtud in terra Iſraël, dicentes, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt? & cætera. Monet diuina ſcriptura quòd in Exodo dictum eſt, Ego ſum dominus deus tuus, deus æmu-
*Deut.5.* lator, qui reddo peccata patrum ſuper filios vſque ad tertiam & quartam generationem his qui oderunt me,
*Exod.34.* & facio miſericordiam in milia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Et iterum, Deſcendit dominus in nube, & aſtitit iuxta Moyſen, & inuocauit Moyſes nomen domini, & tranſiit dominus ante faciem eius, & inuocauit eum dicens, Dominus deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax, & iuſtitiam ſeruans, & miſericordiam in milia, auferens iniquitates, & iniuſtitias & peccata, & nõ emundabit reum, reddẽs iniquitates patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum in tertiam & quartam generationem, ſic accipi de- M
bere, quaſi prouerbium & parabolam, vt aliud in verbis ſonet, aliud in ſenſu teneat, quod in parabola quoque duarum aquilarum ſuprà diximus. Vnde & dominus in ſeptuageſimo ſeptimo pſalmo, Aperiam (inquit) in para-
*Mat.13.* bolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Et in Euangelio, parabolam ſementis, & lolij, & ſinapis, quod cũ ſit minimum omnium ſeminũ, in magnam conſurgit arborem, ita proponit, vt aliud prætendat in verbis, aliud in ſenſibus teneat. Et nos vſq; in præſentem diẽ putabamus duo teſtimonia Exodi, quæ ſuprà poſuimus, non eſſe
*Eſaiæ.22.* parabolam, ſed ſimplicẽ explicare ſententiã. Et quanquam non auderemus quicquã dicere, nec vas fictile loqui contra figulũ, quare ita vel ita me feciſti, tamẽ ſcandalũ patiebamur occultũ, quòd iniuſtitia videretur dei, aliũ peccare, & alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, iniuſtũ videtur, vt alius peccet, & alius puniatur. Sed ex eo quòd ſequitur, His qui me oderunt, cõminationis ſiue præcepti ſcandalũ ſoluitur. Non enim ideo puniuntur in tertia & in quarta generatione, quia deliquerunt patres
eorum



A eorum, cùm patres potius qui fuerunt peccatores, puniri debuerint, ſed quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt deum, hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice creſcente. Solent in hoc loco hæretici qui vetus non recipiunt inſtrumentum, contra creatorem dicere: Quàm bonus & iuſtus deus legis & prophetarum, qui quieſcens & ſilens ad peccata patrum, reddit his qui non peccauerunt: imò quanta in eo crudelitas, vt iram ſuam vſque ad tertiam & quartam extendat generationem? Quibus nos reſpondebimus, & in hoc dei creatoris clementiã demonſtrari. Non enim truculentiæ eſt & ſeueritatis, iram tenere vſque ad tertiã & quartam generationem, ſed ſignum miſericordiæ, pœnam differre peccati. Quando enim dicit, Domine deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſerationis, & infert, Reddens iniquitatem patrum ſuper filios & filios filiorum, hoc indicat, quòd tantæ miſericordiæ ſit, vt non ſtatim puniat, ſed ſententiam differat puniendi. Sin autem vindicta peccantium differt in tertiam & in quartam generationem, cum iuſtis ſanctiſque quid amplius
B facit? Sequitur, Et ſeruans iuſtitiam & miſericordiam in multa milia, his qui cuſtodiunt mandata eius, & faciunt præcepta illius. Scriptum eſt in Prouerbiis, Sicut vua acerba dentibus noxia eſt, & fumus oculis, ſic iniquitas his qui vtuntur ea. Ex quo perſpicuum eſt, non aliorum dolere dentes & obſtupeſcere, ſed eorum qui vuam acerbam comederint. Eſt autem loci iſtius hic ſenſus, quomodo ſi quis velit dicere, Patres vuam acerbam comederunt, & dentes filiorum obſtupuerunt: ridiculum eſt, & nullam habens conſequentiam: ſic iniquum eſt atque peruerſum, peccare patres, & filios nepotéſque cruciari. Sunt qui hoc quod in Exodo ſcriptum eſt, Reddens iniquitates patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, ita ediſſerant, vt ad animam humanam ſententiam referant: patrem in nobis, leuem punctum ſenſuum & incentiua vitiorum eſſe dicentes: filium verò, ſi cogitatio peccatum conceperit: nepotes, ſi quod cogitaueris atque conceperis, opere perpetraueris: pronepotem autem, hoc eſt, quartam generationem, ſi non ſolùm feceris quod malum eſt & ſceleſtum, ſed in tuis ſceleribus glorieris, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Deus igitur primos & ſecundos ſtimulos cogitationum, quas Græci πρὸπαθείας vocant, ſine quibus nullus hominũ eſſe poteſt, nequaquã punit, ſed ſi cogitata quis facere decreuerit, aut ipſa quæ fecerit, noluerit corrigere pœnitentia. Vnde ſcriptum eſt: Nullus hominum ſine peccato, nec ſi vnius quidem diei fuerit vi- *1.Ioan.1.*
ta eius. Numerabiles autem anni vitæ illius. Et in alio loco, Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Et rur- *Prouer.20.*
ſum, Aſtra quoque non ſunt munda in conſpectu eius, & aduerſus Angelos ſuos peruerſum quid excogitauit. Sin autem ſublimis illa natura peccato non caret, quid dicendum eſt de hominibus, qui fragili carne circundati, debent loqui cum Apoſtolo: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et illud, *Rom.7.*
Vt cùm omnia fecerimus, debeamus dicere, Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Et niſi do- *Luc.17.*
minus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, *Pſalm.126.*
fruſtra vigilat qui cuſtodit eam? Ad probationem autem huius rei, quòd nequaquam primus pulſus cogitationis, imò paruus mentis inſtinctus puniatur à deo, ſed ſi quod mente conceperis, opere conſumes, illud de
D Geneſi proferendum eſt, Cham peccauit irridens nuditatem patris: & ſententiam non ipſe qui riſit, ſed filius *Gen.9.*
eius ſuſcepit Chanaan. Maledictus ait, Chanaan, ſeruus erit fratrum ſuorum. Quæ enim iuſtitia eſt, vt pater peccauerit, & in filium ſententia proferatur? Necnon quod in contrariam partem ponit Apoſtolus, Saluam eſſe mulierem, ſi filij eius permanſerint in fide, & ſanctitate, & pudicitia: videtur ſententia iuſtitiam *1.Timot.2.*
non habere: vt ſi filij boni fuerint & nepotes, ſaluentur parentes. Quanti enim parentes ſancti ſunt, & malos habent filios: & econtrariò quanti parentes peccatores, iuſtos & ſanctos filios generant? Ergo ſecundum hunc ſenſum cuncta accipienda quæ ſuprà diximus: peccata parentum atque generantium, in ramis, non in radice puniri. Hoc interim de prouerbio ſiue parabola dixiſſe ſufficiat: Quòd lex & prophetæ, hoc eſt, Exodus & Ezechiel, imò ipſe deus qui & hîc, & ibi locutus eſt, nequaquam in ſententiis, diſcrepare videamus, aut hîc corrigere quod ibi male dixerit. Si quis autem vel meliorem vel alterum ſenſum potuerit reperire, qui contrariorum inter ſe teſtimoniorum ſcandalum tollat, illius magis acquieſcendum ſententiæ eſt. AV-
E GVSTINVS CONTRA ADIMANTVM. De eo quòd in Exodo ſcriptum eſt, Ego ſum *Cap.7.*
deus zelans, tribuens filiis tertiæ & quartæ generationis parentum peccata qui me oderunt. Huic loco Manichæi illud de Euangelio dicunt eſſe contrarium quod dominus dicit, Eſtote benigni ſicut pater veſter *Matth.5.*
cœleſtis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Et illud aliud quod idem dominus ait, Non ſo- *Matth.18.*
lùm ſepties peccanti fratri dimittendum, ſed etiam ſeptuagies ſepties. A quibus tamen ſi quæram, vtrum deus non puniat inimicos ſuos, ſine dubio turbabuntur. Ipſi enim dicunt, deum genti tenebrarum æternum carcerem præparare, quam dicunt eſſe inimicam deo. Et parum eſt, ſed eum etiam ſua membra ſimul cum ipſa gente puniturum eſſe non dubitant dicere. Sed cùm ad capitula veteris & noui teſtamenti veniunt, vt imperitos decipiant, & ea ſibi aduerſa eſſe criminẽtur, fingunt ſe nimis bonos. Sed dicant nobis quibus dicturus eſt dominus, Ite in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo & angelis eius, ſi omnibus parcit, & neminem dam- *Matth.25.*
nat? Quare intelligendum eſt, & illud rectum eſſe quòd deus retribuit parentum peccata filiis qui eum ode-
F runt. Ex eo enim quòd addidit, qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem peruerſitate parentum perſeuerare voluerunt. Tales enim non ſæuitia, ſed potius iuſtitia dei, & ſua iniquitate puniuntur, ſicut propheta ait, Sanctus enim ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus *Sapien.1.*
quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate, id eſt, corripietur homo ſuperueniente ſibi iniquitate ſua, cùm ab eo receſſerit ſpiritus ſanctus. Et alio loco, Hæc cogitauerunt & errauerunt, ex- *Sapien.2.*
cæcauit enim illos malitia eorum. Et alio loco, Funiculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. *Prouer.5.*
Quibus teſtimoniis, veteris teſtamenti de nouo cõſentit Apoſtolus, dicens, Tradidit illos deus in concupiſcen- *Roma.1.*
tias cordis eorum. Qua concordia vtriuſq; teſtamenti ſatis oſtenditur, non eſſe ſæuum deum, ſed vnumquenq; in ſe ſæuire peccando. Quod autem in tertiam & quartam ſcriptum eſt generationẽ vindictam procedere, non *Deute.5.*
aliud ſignificari arbitror, niſi quòd ab ipſo Abrahã, qui pater eſſe incipit populi Iudæorum, quatuor ætates ſunt cum iſta quæ nunc agitur, quas Matthæus Euangeliſta diſtinguit. Vna eſt ab Abraham vſque ad Dauid, alia *Matth.1.*

à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam:tertia à transmigratione in Babyloniam vsque ad aduen- G
tum domini.Inde vsque ad finem quarta deputatur tantum, quantum senectus seculi cæteris ætatibus longior:
quas ætates pro generationibus positas credimus, quamuis singulæ pluribus generationibus constent. Et quo-
niam tertia incipit à transmigratione Babyloniæ, quando Iudæorum est facta captiuitas, in quarta verò,id est,
post aduentum domini nostri, gens Iudæorum à solo proprio penitùs eradicata est, hoc datur intelligi
quod dictum est, tertiæ & quartæ generationis peccata parentum redditurum deum: his vtique legitimè
atque debitè, qui parentum peccata perseuerantes tenere, quàm dei iustitiam sequi maluerunt. Nam non per-
*Ezech.18.* tinere patris peccata ad filium iustè viuentem, propheta Ezechiel apertissimè ostendit. Quod autem in Euan-
*Matth.5.* gelio dicitur, Estote benigni quemadmodum pater vester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos
& malos, non est veteri testamento contrarium. Hoc enim facit deus vt inuitet ad pœnitentiam, sicut dicit
*Roma 8.* Apostolus, Ignoras quia patientia dei ad pœnitentiam te inuitat? Nec tamen ideo credendum est non puni- H
turam deum eos,qui(vt dicit idem Apostolus)thesaurizant sibi iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicij dei,
qui reddet vnicuique secundum opera sua. Nanque istam dei patientiam & bonitatem etiam propheta prædi-
*Sapien.11.* cat, dicens, Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt omnia qui animas amas, & cætera innumerabilia, qui-
bus intelligitur, & in bonitate & in seueritate misericordiam & iustitiam dei testamentum vtrumque præ-
dicare. Si autem mouentur quòd dictum est, Ego sum zelans, moueantur etiam illo, quòd dicit Apostolus
*2.Cor.11.* Paulus, Zelo dei vos zelo, desponsaui enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Sancta enim scri-
ptura verbis nostris loquens, etiam per hæc verba demõstrat,nihil dignè de deo posse dici. Cur enim non etiam
verba ista dicantur de illa maiestate, de qua quicquid dictum fuerit, indignè dicitur, quia omnes opes lin-
guarum omnium ineffabili sublimitate præcedit? Nam quoniam zelando solent mariti vxorum pudicitiam
custodire, potestatem & disciplinam dei, qua fornicari animam impunè non sinit, zelum dei scripturæ vo-
cauerunt. Est autem animæ fornicatio, auersio à fœcunditate sapientiæ, & ad conceptum temporalium ille- I
cebrarum corruptionúmque conuersio. Illud verò quòd dimittendum esse dicit fratri, non solùm septies, sed
septuagies septies,pœnitenti vtique dicit. Deus autem illis se dicit tribuere peccata, qui eum oderunt,non qui ei
*Ezech.18.* per pœnitentiam reconciliantur. Nam & apud prophetã dominus dicit, Nolo mortem peccatoris, tantùm vt
*& 33.* reuertatur & viuat. Ex quo facilè apparet,& in ea patientia, quæ inuitat ad pœnitentiã,& in ea indulgentia quæ
ignoscit pœnitentibus:& in ea iustitia quæ punit eos qui corrigi nolunt, vtrũque testamentum conuenire atque
congruere,tanquam ab vno deo vtrũque conscriptũ. IDEM DE ESSENTIA DIVINITATIS. Ze-
lare dicitur deus,cùm creaturam suam quam non vult perire,sæpe castigat,corripit atq; flagellat, & flagellando
ad se reducit. Vel certè zelare deus dicitur cùm nullum peccatum impunitũ vult relinquere. Iustus enim est, &
ideo omnis iniustitia execrabilis est illi,quam(vt dictum est)impunitã nullo modo relinquere patitur. IDEM
*Cap.14.* DE QVAESTIONIBVS NOVI ET VETERIS TESTAMENTI. Quid est vt deus qui iu-
stus prædicatur,peccata patrum filiis reddere promiserit in tertiam & quartam progeniem? Nihil iniustè deum K
facere aut dicere, qui dubitat insanus est. Itaque si verba domini non supprimantur, sed omnia quæ ad ean-
dem quæstionem pertinent proponantur, lucebit quod obscurum videbatur, & pium æstimabitur, quod mi-
nimè iustum putabatur. Qui enim verba supprimit quæstionis, aut imperitus est, aut tergiuersator, qui calum-
niæ magis studeat quàm doctrinæ. Porrò autem repromisit quidem dominus reddere se peccata patrum fi-
liis, sed iis qui oderunt eum, hoc est, qui in paternis malis versantes seruiunt idolis sicut & patres illorum.
Ille enim inimicus dei est, qui honorem nominis eius vendicat creaturæ. Sicut enim iustorum filij, & ipsi
iusti nobilitant in se genus iustitiæ, dum & patrum & sua iustitia sublimantur, ita & nequissimorum &
ipsi filij nequissimi, crementum faciunt malitiæ, quia & malorum filij sunt, & nequitiam illorum exempla-
runt ad perditionẽ multorũ.Cum terrore ergo locutus videtur deus,sed verũ est,& hoc habet ratio. Quis enim
malum & mali hominis filium non duplici genere execretur,quomodo bonum & boni filium duplici mercede
non censet honorandũ? Idcirco autẽ in tertiam & quartam progeniem reddere se promisit, vt si post patrẽ ma- L
lum filius non sequatur perfidiam patris,nepos autem aut in malis imitator existens, sciat se non immunem fu-
turum à seueritate sententiæ, aut si & nepos fortè non aui, sed patris sequutus vestigia, testamentum diligat
dei, non ignoret pronepos ad se vsque peruenire sententiam, si æmulus sit proaui perfidiæ. Hac legis mani-
festatione deterreri voluit deus impios patres, vt agnoscentes quantum mali pareret sectatio idololatriæ,
vel affectu filiorum reuocarentur ad reuerentiam creatoris, aut filij timentes ne incurrerent peccata patrum,
*Ezech.18.* dei legi obtemperarent. Illi autem attendentes ad nequitiam, aliter hoc interpretari cœperunt, dicentes,
Patres nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: vt securi de impunita-
te, eo quòd filiis ipsorum redderentur peccata, illi tamen nec spiritus, nec carnis haberent pietatem. Hinc
dicitur eis, Non morietur filius pro patre, neque pater pro filio, sed anima quæ peccauit, ipsa mori-
etur: vt addiscerent non impunè sibi futurum, sed sic reddi peccata patrum filiis, vt quia impietatem pa-
rentum secuti, mala quæ obliteranda erant exemplauerint, acerbiùs puniantur. Postquàm ostendit deus M
quid mali pariat idololatria, addidit statim quæ bona diligentes se sequantur, dicens, Et faciens misери-
diam in milia iis qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea, vt bonum patris, non vsque ad pronepotem,
sed vsque ad milia milium reddat. Vtputa si quis ex semine Dauid diligat dominum, quem constat vtique
porrò ante mille annos fuisse: huic additur misericordia dei,vt in necessitate duabus suffragantibus causis,mi-
sericordiam accipere mereatur, quia & ipse dei cultor est, & ex eius semine est, qui amauerit deum. Et in
hoc clementia dei laudabilis est, vt odio habentibus se vsque in tertiam & quartam reddat progeniem, &
non in milia milium, vt si in quintam progeniem tractum fuerit malum, inde iterum caput habere incipiat,
vt ex eo numeretur vsque ad tertiam & quartam progeniem. Sed dicet quis, auctori magis amplius red-
dendum iustum videtur, quàm imitatori. In auctorem congruè datur vindicta: filiis autem quod plus dicit
reddi, pœna est patris. Et si causam quæras,accessu legis peccatores plus fiunt rei,sicut Lamech,& post Lamech.

Quibusdam



A Quibusdam tamen videtur sic reddita esse peccata patrum in filios, dum in captiuitatem ducti sunt causa pa-
trum,& fuerunt ibi vsque ad quartam generationem. Quod si verum est, non solùm odio habentibus se reddi-
dit peccata patrum,sed & diligentibus nomen suum:quia & Daniel abductus est,& tres pueri, & Baruch, & E-
zechiel,& Esdras ibi natus est. Liquidò ergo apparet, illud conuenire propositæ quæstioni quod suprà diximus.
GREGORIVS DECIMO QVINTO MORALIVM. Scriptum nouimus,Qui reddo peccata pa- *Cap.22.*
trum in filios ac nepotes in tertiam ac quartam progeniem. Et rursum scriptum est: Quid est quòd inter vos *Ezech.18.*
parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israël,dicentes,Patres comederunt vuam acerbam,& dentes fi-
liorum obstupescunt? Viuo ego dicit dominus deus, Si erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium in Israël.
Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris,ita & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit,ipsa morietur. In
vtraque igitur hac sententia dum dissimilis sensus inuenitur, auditoris animus vt discretionis viam subtiliter *Hiere.3.*
B requirat instruitur. Peccatum quippe originale à parentibus trahimus, & nisi per gratiam baptismatis solua-
mur,etiam parentum peccata portamus, quia vnum adhuc videlicet cum illis sumus. Reddit ergo peccata pa-
rentum in filios,dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit pa-
rentum peccata in filios,quia cùm ab originali culpa per baptismum liberamur, iam non parentum culpas, sed
quas ipsi committimus,habemus. Quod tamen intelligi etiam aliter potest,quia quisquis praui parentis iniqui-
tatem imitatur,etiam ex eius delicto constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur,nequa-
quam delicto illius grauatur. Vnde fit, vt iniquus filius iniqui patris, non solùm sua quæ addidit, sed etiam pa-
tris peccata persoluat,cùm vitiis patris quibus iratum dominum non ignorat,etiam suam adhuc malitiam ad-
iungere non formidat:& iustum est,vt qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur
in vita præsenti etiam culpam parentis iniqui persoluere. Vnde & illic dictum est, Anima patris mea est, & ani-
ma filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, quia in carne nonnunquam filij etiam ex patris peccato
C perimuntur. Deleto autem originali peccato,ex parentum nequitia in anima non tenetur. Quid enim est quòd
paruuli filij plerunque à dæmonibus arripiuntur, nisi quòd caro filij ex patris pœna mulctatur? In semetipso e-
nim percutitur pater iniquus,& percussionis vim sentire contemnit. Plerunque percutitur in filiis,vt acriùs vra-
tur, & dolor patris carni filiorum redditur,quatenus per filiorum pœnas mens patris iniqua puniatur. Cùm ve-
rò non paruuli sed iam prouectiores filij ex parentum culpa feriuntur, Quid aliud apertè datur intelligi, nisi
quòd illorum etiam pœnas luunt, quorum facta sequuti sunt? Vnde & rectè dicitur, vsque ad tertiam & quar-
tam progeniem. Quia enim vsque ad tertiam & quartam progeniem eam quam imitantur filij parentum vitam
possunt videre, vsque ad eos vltio extenditur, qui viderunt quod male sequerentur. CHRYSOSTOMVS
DE EO QVOD SCRIPTVM EST IN PSALMO OCTVAGESIMO QVARTO, NON
IN AETERNVM IRASCERIS NOBIS. Ergo ne in æternum irascaris nobis,non tantùm nobis,sed
& posteris à generatione & in generationem. Quia scriptum est, Rependam peccata patrum in filios in secun-
D dam & tertiam generationem,in iis qui non cognouerunt me. Gratias tibi deus,quia addidisti,in his qui te non
cognouerunt. Cæterùm si taceres,omnes condemnares. Demonstrasti ergo,quia pater si fuerit contemptor tuus
& filius talis fuerit æquè tibi non obediens,& nepos secutus fuerit vias aui & patris sui, pronepos si ita attende-
rit,quod anterior generatio eius,quia ergo non te cognouerunt,rependes eis in secundam, tertiam, & quartam
progeniem. Nam quid dixit Propheta alio loco, Quid est quòd inter vos vertitis parabolam istam, dicentes, Pa- *Hiere.31.*
tres comederunt mala acida,& dentes filiorum obstupescunt? Vlterius non erit hoc. Nónne anima patris & filij
mea est? Nec pater pro filio,nec filius pro patre. Vnusquisque pro facinore suo iudicabitur, pro peccato suo pu-
nietur, pro malis suis in pœnam æternam mittetur. Non ergo dicat quia post pœnam accipiet qualemcunque
indulgentiam in æternum. Anima ergo quæ peccat, morietur. Pondus peccatorum suorum vnusquisque in se
portat,pro suo peccato iudicabitur. Nam si sit bonæ vitæ pater,& filius malæ,non liberat pater filium: æquè si sit
filius sanctus,& pater iniquus,non liberat filius patrem. Quia ergo staturi sumus ante tribunal Christi, & red-
E dituri rationem,quæ per corpus gessimus,siue bonum, siue malum, nullus erit excusatus, nullus accusatus. Sed
ecce homo & opera eius, qui reddat vnicuique secundum opera eius, siue bonum siue malum. THEODO-
RETVS. Deus zelotes quid significat? Lex instar viri erat, populus vxoris. Idq; nos dominus ipse edocuit per
Esaiam,dicens,Quis est hic libellus, repudij matris vestræ?tum etiam per Hieremiam, Quemadmodum despi-
cit mulier virum suum,ita despexit me domus Israël & domus Iuda,dicit dominus. Et rursus si dimiserit vir vxo-
rem suam,& nupserit viro alteri,nunquid redeundo redibit vltra ad virum suum? nónne polluta erit mulier
illa? Tu autem fornicata es cum pastoribus multis, & ad me reuersa es dicit dominus. Itémque Apostolus ait,
quòd lex dominatur homini quoad ea vixerit. Nam quæ sub viro est mulier,viuente viro alligata est legi: si au-
tem mortuus fuerit vir eius,soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro,
si autem mortuus fuerit vir eius,liberata est à lege viri,vt non sit adultera,si fuerit cum alio viro. Eadem ratione
& vos, Mortui estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis deo. Ob id
F deus zelotem se appellat, humanis quidem vsus nominibus, terrens autem eos, & modestè sese gerere cogens.
Quemadmodum enim vir qui adulteram vxorem habet,illámque adhortatur, dicens, Zelotypus ego sum,ne-
queo pati te cum alio viro colloquium habere, sic & dominus deus quum illos à superstitione liberare vellet,
non solùm zelotem seipsum appellat, verum etiam ignem consumentem. Cæterùm quòd zelus iste à nimio a-
more proficiscatur,ipse declarat,per Ezechielem dicens,Propter hoc discedet zelus meus à te,hoc est,quando te
amabam,zelo erga te affectus eram, postquam autem te abiecero, zelus quoque meus extinguetur. Id per alium
quoque Prophetam explicauit, dicens, Non visitabo filias tuas cùm fornicatæ fuerint, & super sponsas vestras
cùm adulteratæ fuerint. Zelus itaque charitatem declarat. Maiores autem apud deum sunt comminationes
quam pœnæ,idque facilè ex diuina scriptura disci potest. Omnis incircuncisus masculus qui octaua die circun-
cisus non fuerit,exterminabitur. Inuenire tamen licet eos qui circuncisi fuerãt, in deserto tamen diuersis pœnis
ac modis interiisse, incircuncisos verò in terram promissionis intrasse, hos enim Iosue in Galgalis circuncidit,

eadem

eadem ratione domibus in quibus fermentum inuentum fuisset pœnam comminatus est, neque tamen intulit. G
Sic hoc loco comminationibus terret eos qui filiorum copia oblectantur, & ait, Reddens peccata patrum in filios, & cætera. Quod enim nudæ literæ insistere impium sit, ipse dominus docet, qui his contrariam legem promulgauit. Non morientur filij pro patribus, neque patres pro filiis, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Et per Prophetam Ezechielem ait, Quænam parabola hæc est, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego dicit dominus, & cætera. Quæ sanè omnia ita sese (vt diximus) rem habere manifestè declarant. Mea autem sententia ob nimiam benignitatem comminari videtur, subiungit enim odientibus me, hoc est, longanimis sum erga parentes peccantes, longanimis sum in filios, si autem nepotes maiorum suorum peccata secuti fuerint, vltionem infligam. At verò parentum erga deum pietas in longum tempus generi suo salutem conciliabit. Ait enim, Faciens misericordiam in mille & decem millia diligentibus me. In diuina etiam historia diuinorum eloquiorum veritatem inueniet, ait enim, Quinta autem generatione ascenderunt filij Is- H
raël ex Aegypto. Hi nanque qui in Aegypto falsos deos coluerant, pœnas minimè ob id dederunt, sed quoniam post tot miracula ac beneficia impietatem non exuerunt. At verò eorum filij seruatorem deum colentes, promissiones patrum suorum consecuti sunt, & promissionem Patriarchis factam liquidò impletam videmus. Gentes nanque per Abrahæ semen benedictionem diuinam adeptæ sunt. Quia igitur futurum erat vt vitulum colerent, ideo pœnas comminatus est, vt eos à peccato deterreret. SEVERIANVS. Attende autem diligenter quòd vltionem in quartam vsque generationem extendit, misericordiam verò in mille. ACACIVS.

Deus zelotes reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem, id totum aduersari videtur quod alio loco dictum est, Non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus, vnusquisque in peccato suo morietur. Similiter & per Ezechielem ad eos qui dicebant, Patres comederunt vuas acerbas, & dentes filiorum obstupescunt. Verùm hæc inter se contraria minimè sunt, si rectè intelligatur, id quod ait, Reddens peccata patrum in filios, & illud, Non morientur patres pro filiis, Itémque aliud, Patres comederunt I
vuam acerbam, & cætera. Primò nanque confer illud, Reddens peccata patrum in filios, cum illo, Frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis, propter quòd mortem hanc communem filiis patrum qui peccauerunt infert, non quidem ad disciplinam filiorum qui iam mortui sunt, sed ad parentum punitionem, quare & tertiam & quartam generationem nominauit, ad hanc enim generationem humanum genus propagare solet, quemadmodum de Iob dictum est, Et vidit filios vsque in quartam generationem. Illud autem, Et faciens misericordiam in mille generationes, attende, quòd non ait, In filiis diligentium me, sed iis qui diligunt me. Ex quo interminatum tempus significauit, in quo anima ipsa, postquam ex hac vita transmigrauerit, indeficientem à deo misericordiam consequetur. Illud autem quod ab Hieremia dictum est, contradicere videri potest, Reddens peccata patrum in sinum filiorum ipsorum post eos. Nam si post eos, sine dubio non vt ipsi punirentur, nisi fortasse quis, illud, post eos, non ita accipiat, quasi dictum sit, post mortem illorum, sed post illorum priorem pœnam, quæ filiorum pœna præcessit. Ad illud verò, Non morientur patres pro filiis, dicendum, quòd is qui le- K
gem statuit, & præsertim deus, aliis non sibi legem imponit, neque enim hominum more vitam agit. Qui enim fieri potest, vt illam sibi legem ferret? Non facies tibi idolum, quum ipse vniuersorum sit deus? aut illud, Non fornicaberis, Quum ipse carnis ac corporis omnino expers sit? Itaque illud, Non morientur, hominibus non sibi statuit, qui tantùm ea quæ in promptu ac præsentia sunt iudicare possunt. Ipse verò qui corda hominum nouit, causas quoque propter quas homines occidit, optimè nouit, quanuis fortasse non peccauerint, & quibus voluerit vitam largitur. Ita vt iure optimo de illo dictum sit, Iudicia tua abyssus multa. Nunc verò de iis quæ apud Ezechielem leguntur dicendum est, quòd videlicet neque de communi morte, neque de communi vita loquitur, nam sibi scriptura aduersaretur, quæ alio loco ait, Vt quid impij viuunt? Idem absurdum in sanctorum morte consequeretur, propterea quòd lapidati sunt, tentati sunt, secti sunt, in occisione gladij occisi sunt. Quæres etiam de illo quod dictum est, Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Et venient hæc omnia super generationem istam. Et nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Ac fortasse hæc quoque ita intelli- L
genda sunt. Patres quidem vestri, quanuis vt Israëlitæ peccauerint, vt Cain qui fratrem suum Abel occidit, Et Amos Zachariam, haudquaquam tamen in finem peccatorum peruenerunt, neque mensuram impleuerunt, vt videlicet manus suas in Christum inferrent, quemadmodum à vobis filiis factum est. Idem de Amorrhæis dicendum erit. Quomodo autem peccatorum mensura impleatur, hoc exemplo facilè intelligi potest. Exempli gratia, Lex statuta est, vt cùm quis in certamine ab aduersario suo ter deiectus fuerit, tunc omnino superatus dici possit. Ac siquidem primò deiectus fuerit, victus quidem est, non perfectè tamen. Eadem ratione dicendum est, vniuersas hominum generationes athletam quendam esse. SEVERVS. Peccauit quis, & hunc patienter deus tolerauit, pœnitentiam illius, & in meliorem frugem immutationem expectans. Cæterùm hic minimè pœnitentiam agit, sed impietatis viam continenter insistens, in futurum iudicium reseruatur, in quo omnibus omnia reddenda sunt. Deinde hunc filius eius malè æmulatus est. Hunc quoque filius malè sequitur, hîc iam deus longanimis prouidentiam suam ostendit, hunc dignè castigans ac puniens, quod quidem & in superiori- M
bus patribus fecisset, nisi patientiæ diuinæ mensura superabundasset, iis rationibus, quas ille nouit, qui omnia in sapientia dispesat, Sæpe etiam nimia bonitate deus inductus in quartam vsque generationem vltionem differt. Ideo non simpliciter dictum est, in tertiam & quartam generationem, sed cùm additamento, odientibus me, vt apertum fiat non ob parentum peccata, sed ob illorum odium aduersus deum eos puniri. Id autem ita sese habere ex Deuteronomio apertum fiet, vbi scriptum est, Non morientur patres pro filiis, neque filij morientur pro patribus, vnusquisque in suo peccato morietur. DIODORVS. Quanam ratione quæstionem hanc soluemus? Israël quarta generatione ex Aegypto egressus est, sed tertia generatione Idolis seruire incœpit. Quia igitur in deserto vitulum adoraturi erant, ideo illis comminatur quasi diceret, Idololatræ in Aegypto fuistis, id tamen aliquam excusationem habet, propterea quòd illis commiscebamini, nunc verò ab illorum erroribus liberati, miranda aduersus Aegyptios vidistis. Si igitur post hac idola colueritis, patrum vestrorum peccati pœnas vobis infligam



A infligam, neque enim peccatorum illorum pœnas expendistis, sed post tot beneficia, in eisdem peccatis persistentes, iustas pœnas exoluetis, neque enim par est vt vobis quemadmodum & illis parcam. Lex igitur hæc non generalis est, sed ad illos tantùm qui ex Aegypto egressi sunt spectat. Illa autem quæ ait, Faciens misericordiam, ad vniuersos spectat. Peccatum itaque patrum illis adscribitur, qui illud male sequuntur. RABANVS. Possumus hoc modo hanc sententiam intelligere, qua deus dicit, quòd visitat iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, vt in his qui peccata patrum sequuntur, iustæ sententiæ damnatio permaneat. Nam quasi iniustitia videretur, alium peccare, & alium luere peccata. Sed ex eo quòd sequitur, his qui me oderunt, comminationis siue præcepti scandalum soluitur. Non enim ideo puniuntur in tertia & quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, cùm patres potius qui fuerunt peccatores, puniri debuerunt, sed quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt deum, hæreditario malo & impietate perierunt, in ramos quoque de radice
B crescente. Nam quod iuxta Ezechielem dominus dicit de parabola in prouerbium versa, manifestat quòd iustus iudex vnicuique secundum propria reddet merita. *Ezech.18.* Sicut enim peccata filiorum non nocent patribus, qui non prauum exemplum peccati filiis præbuerunt, ita peccata patrum iniquorum, non redundant ad filios, si eorum imitatores in malo non fiant, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Non abolitione vtique substantiæ, sed ex eius consortij priuatione qui dicit, Ego sum vita. Et alibi loquitur, Omnis qui viuit & credit in me, non *Ioan.14.* morietur in æternum. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æter- *Ioan.5.* num. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in deo, quia victuri sumus, quando Christus apparuerit vita nostra in gloria. Et implebitur illud quod scriptum est, Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transibit à morte in vitam. RV-
PERTVS. Ego sum dominus deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & cu-
C stodiunt præcepta mea. Hoc in omni præcepto subaudiendum est, videlicet vt timeat pœnam transgressor, speret præmium præcepti exequutor. Opportuno quoque tempore fortem se & reddentem iniquitatem patrum in filios in quartam & tertiam generationem hîc asseruit, videlicet vbi totus mons Sinai, fumigabat, & totus erat terribilis, eo quòd descendisset dominus, quod erat indicium fortitudinis, & iniquitatem patrum qui Ioseph fratrem suum vendiderant, nunc reddiderat in tertiam & quartam generationem, non absque misericordia, soluta nempe captiuitate, reuertebantur de Aegypto generatione quarta. HVGO DE SANCTO VICTORE. Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. De illis filiis propriè cõstat hoc esse dictum quos genuere patres post peracta maleficia, & merito parentum puniuntur, sicut aliquod membrum ipsorum, quia in ipsis malefactoribus quodammodo erant seminaliter, & peccabant. Vnde claudi & cæci pro scelere parentum nascuntur. Quòd verò dixit in tertiam & quartam generationem, ideo dictum est, quia vsque illuc solent parentes viuere, & videre possunt propter peccatum suum suos posteros damnatos. Vel
D possumus dicere quòd ponit finitum pro infinito, sicut & ex altera parte bonorum faciens misericordiam in milia iis qui diligunt, & cætera. Et quin ob bonitatem patrum melius fiat à domino ipsis filiis, non est dubitandum. THOMAS. Ex hoc loco, & Matthæi vigesimo tertio vbi dicitur, vt veniat super vos omnis sanguis *1.2 q.87. ar.8.per to-* iustus qui effusus est super terram, videtur quòd aliquis puniatur pro peccato alterius. Sed contra est quòd di- *tum.* citur Ezechielis decimo octauo, Filius non portabit iniquitatem patris. Respondeo, dicendum, quòd si loquamur de pœna satisfactoria quæ voluntariè assumitur, contingit quòd vnus portet pœnam alterius in quantum sunt quodammodo vnum secundum voluntatem vnione amoris, sicut etiam in rebus humanis videmus, quòd aliquis in se transfert alterius debitum. Si autem loquamur de pœna quæ habet rationem medicinæ, contingit quòd vnus punitur pro peccato alterius. Dictum est enim quòd detrimẽta corporalium rerum vel etiam ipsius corporis, sunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad salutem animæ. Vnde nihil prohibet talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à deo vel ab homine, vtpote filios pro patribus, & subditos pro dominis,
E inquantum sunt quædam̃ res eorum, ita tamen quòd si filius vel subditus est particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantum ad vtrunque, scilicet eum qui punitur, & eum pro quo punitur. Si verò non sit particeps culpæ, habet rationem pœnæ quantum ad eum pro quo punitur, quantum verò ad eum qui punitur, ratione medicinæ tantùm, nisi per accidens, inquantum peccato alterius consentit. Ordinatur enim ei ad bonum animæ, si patienter sustineat. Pœnæ verò spirituales non sunt medicinales tantùm, quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum. Vnde in bonis animæ nullus patitur detrimentum sine culpa propria, & proprer hoc etiam talibus pœnis (vt dicit Hieronymus in epistola ad Auitum) vnus non punitur pro alio, quia quantum ad animam filius non est res patris. Vnde & huius causam dominus assignans dicit Ezechielis decimo octauo, Omnes animæ meæ sunt. Ad argumentum ergo contrarium dicendum, quòd vtrunque dictum videtur esse referendum ad pœnas temporales vel corporales, in quantum filij sunt quædam res parentum, & successores prædecessorum, vel si referantur ad pœnas spirituales, hoc dicitur propter imitationem culpæ, vnde in Exodo additur, His qui
F oderunt me. Et in Matthæo dicitur, Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Dicit autem puniri peccata patrum in filiis, quia filij in peccatis parentum nutriti, proniores sunt ad peccandum, tum propter consuetudinem, tum etiam propter exemplum patrum, quasi auctoritatem sequentes, sunt etiam maiori pœna digni, si pœnas patrum videntes correcti non sunt. Ideo autem addidit in tertiam & quartam generationem, quia tantùm consueuerunt homines viuere, vt tertiam & quartam generationem videant, & sic mutuò videre possunt, & filij peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum. IDEM. Dicat quis, Deus dicit *2.2.q.34.* se visitare iniquitates patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderũt eum, quo- *ar.1.in cor.* modo potest ab homine deus odio haberi cùm sit summum bonum? Respondemus, quòd odium est quidam motus appetitiuæ potentiæ, quæ non mouetur nisi ab aliquo apprehenso. Deus autem dupliciter ab homine apprehendi potest. Vno modo secundum seipsum, puta cùm per essentiam videtur. Alio modo per effectus suos, cùm scilicet inuisibilia dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Deus autem per essentiam suam est

ipsa

ipſa bonitas, quam nullus habere odio poteſt, quia de ratione boni eſt, vt ametur, & ideo impoſsibile eſt, quòd G
aliquis videns deum per eſſentiam, eum odio habeat. Sed effectus eius aliqui ſunt, qui nullo modo poſſunt eſſe
contrarij voluntati humanæ, quia eſſe, viuere, & intelligere, eſt & appetibile, & amabile omnibus, quæ ſunt qui-
dam effectus dei, vnde etiam ſecundum quòd deus apprehenditur vt auctor horum effectuum, non poteſt odio
haberi. Sunt autem quidam effectus dei qui repugnant inordinatæ voluntati, ſicut inflictio pœnarum, & cohi-
bitio peccatorum per legem diuinam, quæ repugnat voluntati deprauatæ per peccatum, & quantum ad conſide-
rationem talium effectuum, deus ab aliquibus odio haberi poteſt, inquantum ſcilicet apprehenditur peccatorum
prohibitor, & pœnarum inflictor. CAIETANVS. Ego ſum dominus deus tuus fortis zelotes. Primam
rationem huius præcepti reddidit ex iniuria propria, alteram modò reddit ex vindicta & præmio. Repe-
titis autem nominibus eiſdem ad magis imprimendum populo debitum, colendi ipſum ſolum, adiungit aliud
nomen ſuum penes attributum fortitudinis dicendo, El, qualificando ipſum zelotypia. Non quòd in deo ſit ali- H
quis inuidię motus (quoniam omnis triſtitia & quæcunque animi paſsio longè eſt ab eo) ſed metaphoricè dici-
tur zelotes ſecundum ſimilitudinem effectus, pro quanto tanquam zelotes non vult colentes ipſum eſſe com-
munes ſibi & alij deo, quemadmodum maritus non vult vxorem ſuam communem eſſe alteri, & propterea oc-
cidit illam. Et ideo ſubiungitur vindicta: Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam genera-
tionem iis qui oderunt me. Ecce formido zelotypi, tum ad puniendum oſores ſuos, tum ad benefaciendum a-
matoribus ſuis. Sed cerne differentiam, quoniam vindicta non extenditur vltra quatuor filios, beneficia autem
extenduntur in millia, ad ſignificandum quòd ad conferendum bona deus eſt propenſiſsimus, ad inferendum
autem mala eſt parcus. Et ratio eſt, quia bona confert ſua ſponte, mala autem infert exigentibus demeritis no-
ſtris. Et dicit vſque ad quartam generationem, ne patres aut filij impunes hîc, exiſtiment ſe omnino impunes
fore hîc, quoniam punientur in tertia vel quarta generatione ſaltem. Exempla habentur multa in ſcriptura hu-
iuſmodi punitionum. Et quanuis deus in lege Moyſi mandauerit non occidi filios pro peccatis patrum, ipſe ta- I
men qui creator, conſeruator, & dominus eſt vitæ cuiuſcunque, nulli facit iniuriam puniendo temporaliter fi-
lios pro patribus, vt vel ex hac punitione, tolerationem diuinam non paruipendant patres, & in ſolius dei cultu
perſeuerent. Et faciens miſericordiam in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt prȩcepta mea. Significatiſsimè
non meminit tantùm ſeruantium opere præcepta eius, ſed meminit præcipuè amatorum ſuorum & oſorum
ſuorum, vt intelligamus præcepta quidem omnia hæc decem dari de actibus iuſtitię ad reddendum deo & ho-
minibus debitum, præcipuam autem rationem ſeruandi & non ſeruandi præcepta, exigi amorem dei & odium
dei. Pœnam ſiquidem comminatur oſoribus ex intentione vel interpretatiuè, præmium autem promittit ama-
toribus & obedientibus opere, ne ſint quales deſcribuntur apud Eſaiam, Populus hic labiis me honorat, cor au-
tem eorum longè eſt à me. AVCTOR CATENAE. Ego ſum dominus deus tuus fortis zelotes. Hebraicè
præmittitur כִּי Chi, id eſt, quoniam, quaſi dicat, ideo nolo te adorare ſculptilia neque colere, quoniam ego
ſum dominus deus tuus fortis, qui poſſum iniuriã mihi illatã vlciſci. Dictio autem קַנָּא kanna, non ſolùm affe- K
ctum ſignificat qui eſt inter amãtes, & non ſert corriualem, ſed & eum quo animus commouetur & ſuis & ſuo-
rum contumeliis & iniuriis, quæ ſignificatio huc quadrare videtur. Vnde vertunt hîc quidam, deus indigna-
bundus. Alij, deus zelotypus ſiue æmulator, quaſi dicat, qui non poſſum ferre vt alius ametur colatúrve quàm
ego, in quo iuſtiſsimè agit, cùm ipſe ſit qui creauit, redemit & nutrit nos. Vellè autem valde amari vt ait Chry-
ſoſtomus, ab ingenti amore proficiſcitur. Sequitur, Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam
generationem eorum qui oderunt me. Rectè Interpres ita vertit, cùm in Hebræo ſit: עַל שִׁלֵּשִׁים וְעַל רִבֵּעִים לְשֹׂנְאָי
Hal ſilleſim vehal ribbehim leſonai, In tertiis & in quartis odientibus me, ſiue ſuper tertios & ſuper quartos eo-
rum qui odio perſequuntur me, hoc eſt, puniẽs iniquitatem patrum in filiis tertiæ & quartæ generationis. Quod
intelligitur de filiis & poſteris qui imitantur vitia parentum, vt ipſe indicat, ſubdens, odiẽtibus me, quaſi dicat,
parco aliquando parentibus vt reſipiſcant, quòd ſi moriantur, expecto & filios eorum, ſed tandem in quarta ge-
neratione poſterorum, qui deploratè perſeuerant in veſtigiis parentum, eorúmque improbitatem imitantur, o- L
ſtendo vltionem meam, hoc eſt, ſoleo meminiſſe iniquitatum parentum vſque ad tertios & quaternos poſteros,
qui imitantur vitia parentum. At contra, Faciens miſericordiam in milleſima generatione, id eſt, ſoleo memi-
niſſe probitatis parentum in perpetuum, in eos qui probitatem ipſorum parentum imitantur, hoc eſt, eorum qui
me diligunt, & mandata mea cuſtodiunt. Et hæ ſunt diuitiæ bonitatis & miſericordiæ dei, quòd meminiſſe ſo-
leat iniquitatum parentum vſque ad quaternos poſteros eorum, qui vitia parentum imitantur, miſericordiam
autem in perpetuum præſtet iis, qui probitatem parentum ſequuntur. Quòd autem is ſit germanus huius literæ
ſenſus, docet nos Chaldaica difficilium locorum enodatrix, ita inquiens, Viſitans peccata patrum ſuper filios
tranſgreſſores in tertiam & in quartam generationem, his qui oderunt me, quando filij ſequuntur peccata pa-
trum. Et faciens miſericordiam in mille generationes diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea. Ita illa.
Quo etiam ex loco diſcimus, miſericordiam dei ſe latiùs extendere quàm iuſtitiam. Eſt autem modus loquen-
di, quo ſignificatur, Deum non ſinere malos impunitos, interim tamen eſſe infinities benigniorem in pios & M
ſuos, quàm ſit ſeuerus in hoſtes & impios. Porrò huic primo præcepto tanquam principali, ex quo deinceps alia
oriuntur, addidit dominus minas & promiſsiones, pœnam & præmium. Ego (inquiens) dominus deus tuus, ſum
deus ſeu fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filiis tertia & quarta generatione eorum, qui oderũt me.
Hæ ſunt minæ, hæc eſt pœna, quam minatur dominus violantibus legem ſuam. Dominus enim eſt fortis, poteſt
ſe vel vno nutu vindicare. Eſt zelotes, omnino enim non vult ferre vt alium deum adores, ſed exigit vt ipſum
ſolum diligas ex toto corde. Eſt & ſeuerus. Intantum enim non conniuet ad impietatem, vt eam vindicet, etiam
in filiis, nepotibus ac pronepotibus. Nam quod dicit, Tertia & quarta generatione, vel in vnam rationem ſub-
ducendum eſt, & intelligendum pro ſeptima generatione, vt ſit ſenſus. Deus tantæ ſeueritatis eſt, vt puniat im-
pietatem etiam in ſeptima generatione, hoc eſt, cùm iam impietas videatur obliuioni tradita, & poſteri impio-
rum tam longa ſucceſsione à maioribus ſuis, qui deſignarunt impietatem, diſtant, vt nulla amplius memoria
eorum



A eorum inter homines extet, vel tria & quatuor iuxta Hebræam phraſim computanda ſunt ſimpliciter pro qua-
tuor, ſicut ſex & ſeptem, pro ſeptem. Sic Amos primo, Propter tria ſcelera Damaſci, & propter quatuor non red-
dam ei, & cætera. Sic Prouerbiorum trigeſimo, Tria illa non ſaturantur, & quatuor non dicunt, ſufficit. Et mox,
Tria ſunt difficilia mihi, & quatuor ignoro. Sic & Iob quinto, In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptem
non tanget te malum. In ſex & ſeptem, hoc eſt, ſeptem. Enumerat enim poſtea ſeptem tantùm tribulationes, ex
quibus illum liberaturus ſit deus. Sic & hoc loco, In tertia & quarta generatione, hoc eſt, quarta. Eſt autem idem
ſenſus, qui & ante expoſitus eſt, videlicet, Deum vindicare impietatem in poſteris, quantuncunque longè à pri-
maſtirpe ſuccedentibus, ſed ita, ſi poſteri impietatem maiorum ſuorum ſectentur. Secus autem ſi poſteri reſipi-
ſcant, Ezechielis decimo octauo. Exempla habes in poſteris Adam, qui omnes propter inobediẽtiam Adæ mor-
ti obnoxij facti ſunt. Item in poſteris Cain, qui omnes diluuio perierunt. Similiter in poſteris Saul, & multis a- 2. Reg. 22.
B liis. Additur etiam promiſsio & præmium, obſeruantibus legem dei. Faciens (inquit) miſericordiam in millia,
his qui diligunt me, & obſeruant præcepta mea. Sunt qui in millia interpretentur, pro perpetuò, vt ſit ſenſus, Do-
minum ſeruare eos, qui obſeruant leges eius, ad perpetuam vitam & felicitatem. Quæ interpretatio, vt eſt pia
ita magis conuenit, vt hoc loco millia exponamus, pro multitudine poſterorum. Sicut enim deus punit in po-
ſteris impietatem maiorum, ita etiam remunerat in poſteris pietatem maiorum, Pſalmo centeſimo ſecundo,
Miſericordia domini ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum. Et iuſtitia illius in filios filiorum his
qui ſeruant teſtamentum eius. Exempla ſunt, Abraham, Dauid, maximè autem omnium dominus noſter Ieſus
Chriſtus, propter quem omnes qui in ipſum credunt, miſericordiam conſequuntur. Non deſunt tamen viri do-
cti qui hanc domini ſententiam de puniendis peccatis parentum in filiis tertiæ & quartæ generationis, ad pœ-
nam tantùm corporalem referant, etiam ſi ipſi non fuerint delinquentes, & verbum eorum qui oderunt me, non
ad filios tertiæ & quartæ generationis, ſed ad patres referunt peccatores, cùm caro filij aliquo modo ſit caro pa-
C tris, non autem ad pœnam ſpiritualem, ad quam duntaxat reſtringunt ſententiam domini per Ezechielem di-
centis, quòd filius non portabit iniquitatem patris. Nam illa exceptio quam facit diuus Thomas ex Auguſtini
doctrina in epiſtola ad Auxilium, niſi filius ipſe participet culpam parentum, vel per originem, vel per imitatio-
nem, non facit veram exceptionem, nec anguſtat verba illius ſententiæ ſecundum iſtos. Si enim filius quia par-
ticipat quauis ratione delictum patris, ideo punitur, iam dicendus non eſt ex patris delicto, ſed ex proprio puni-
ri, vt ob hoc ſyncera maneat illa ſententia, Filius non portabit iniquitatem patris. Non enim tunc patris iniqui-
tatem portat, ſed ſuam, præſertim ſi imitatur patrem in peccato, ſic enim quàm euidentiſsimè apparet ſeparata
eſſe peccata filiorum à peccatis parentum, & quiſquis ſuum onus portabit. Portare autem iniquitatem, eſt pre-
mi pœna quaſi onere quodam quod portatur. Prudens lector conſideret diligenter, & quod magis ſibi placuerit,
id ſequatur. Dicat igitur deus Moyſi & populo ſuo, Ego deus fortis, ego deus zelotes & æmulator, qui ardentiſ-
ſima charitate eos diligo qui ad me adhæſerunt. Patrum etiam peccata in poſteris punire ſe dicit, etiam in ter-
D tiam & quartam generationem, ſecundum communiorem patrum ſenſum, ſi patribus malis perrexerint eſſe ſi-
miles, ſi deum oderint, ſi mores peſsimos patrum imitati, & auitam prauitatem ſectati fuerint. Faciens miſeri-
cordiam in millia his qui, & cætera. Mille pro numero infinito ponit, vbi dicimus bonitatem & benignitatem
dei noſtri, qui non ſolùm ſit metuendus, ſed etiam multò plus amandus, nihílque non ſit ab eo ſperandum. Hũc
ergo in ſumma honorem & ſeruitutem quam ſoli deo debemus Chriſtus pulchrè repetit, dum diabolo tentanti
reſpondet, Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. In hoc mandato caput fidei noſtræ fundatum vi-
demus cùm dicimus, Credo in vnum deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. In hoc ergo præ-
cepto, de non habendis alienis diis & ſculptilibus, primum omnium mandatur credendum eſſe quòd ſit deus,
deinde quòd eſſentia vnus tantùm ſit deus. Ad hæc quòd is ſolus ſit verus deus, qui eduxit Iſraëlitas ex Aegy-
pto, hoc eſt, qui promiſit Patriarchis Chriſtum, & qui miraculis in Aegypto editis maieſtatem ſuam reuelauit.
Deinde quòd ſit ſeueriſsimus vltor impietatis, clementiſsimus autem remunerator pietatis. Adhæc, quòd in hũc
E ſolum deum ſit credendum, & ſeruiendum. Poſtremò, quòd is ſolus diligendus ſit ex toto corde tuo, ex tota a-
nima tua, & ex tota fortitudine tua. Nam ſic interpretatur hãc legem Moyſes ipſe Deuteronomij ſexto, & Chri-
ſtus Matthæi vigeſimo ſecundo, & Paulus ait, Lex eſt ſpiritualis. Habes quæ præcipiuntur in hoc primo man-
dato. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Dicit igitur tibi omnibus his *Serm. 96.*
verbis ſermo dei, Vnus eſt deus tuus, vnum deum cole. Et tu vis dimiſſo vno deo tuo tanquam legitimo viro a-
nimæ, fornicari per multa dæmonia. Et quod eſt grauius, non quaſi apertè deſerens & repudians, ſicut apoſtatæ
faciunt, ſed tanquam manens in domo, id eſt, tanquam Chriſtianus, dimittis Eccleſiam, cõſulis Mathematicos,
aut aruſpices, aut augures, aut maleficos, quaſi de viri domo non recedens adultera anima, & manens in eius
coniugio fornicaris. Vt autem non fornicemini, abſtinete vos à corruptelis deteſtabilibus, & à deteſtabilibus in-
quiſitionibus, à Mathematicis, ab aruſpicibus, à ſortilegis, ab auguribus, à ſacrilegis, abſtinete vos ab his omni-
bus quantum poteſtis. ISIDORVS. Dat igitur deus Moyſi legem innocentiæ noſtræ, & cognitionis ſuæ,
F eandémque in decem tabulis digito ſubſcripſit. Et hæc quidem præcepta ita ſunt diſtributa, vt tria pertineant
ad dilectionem diuinæ trinitatis, ſeptem verò ad amorem fraternum, quibus ſocietas humana non lædi-
tur. Primum decalogi mandatum ad deum patrem pertinet, dum dicit, Dominus deus tuus, deus vnus eſt, vtique
vt hæc audiens, vnum patrem deum colas, & in multos fictos deos fornicationem tuam non effundas. RV-
PERTVS. Hic decalogus in capite legis poſitus eſt, id eſt, decem præceptorum numerus, quorum primum
eſt, Non habebis deos alienos coram me, vltimum autem, Non concupiſces. Dicit Apoſtolus, Quia radix om- *1. ad Tim. 6*
nium malorum eſt cupiditas. Cur ergo non hîc primum poſitum eſt, Non concupiſces? Sed ſciendum, quia ſicut
malæ arboris ſuperiores primùm rami præciduntur, & ſic paulatim vſque ad radices peruenitur: ſic priùs opera
mala, pro vt ſunt cupiditati viciniora, paulatim præciduntur, & ſic ad vltimum ipſa cupiditas vel concupiſcen-
tia voce prohibentis amputatur. Notandum quippe quòd prohibendo penè cuncta hæc enunciantur. Vnde ve- *1. ad Tim. 1*
riſsimè Apoſtolus dicit, Quia iuſto lex non poſita eſt, ſed iniuſtis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis & contami-
natis

natis. Iniuſtos nempe & totos cupiditati deditos homines, deus curandos ſuſceperat, & idcirco tanquam negocioſo agricolæ, primùm hæc illi cura impẽdebat, vti malis radicibus occupatam terram ſariendo, meliori plantationi præpararet, ſcilicet charitati, quæ ſola iuſto poſita eſt. Nam & idem Apoſtolus antequam diceret, quia iniuſtis & non ſubditis lex poſita eſt, Iuſto, id eſt, Timotheo diſcipulo dixerat, Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Etenim vbi charitas eſt, non opus eſt dicere, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices. Proinde interrogatus dominus à legiſperito, dicente, Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? Reſpondit, Diliges dominum deum tuum ex toto corde
*Matth. 22.* tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pẽdet & prophetæ. Igitur hâc in initio non iam charitas imperatur, ſed quæ contraria ſunt charitati prohibentur, vt illis extirpatis, tunc demum ipſa charitas radix omnium bonorum ſubſtituatur. THOMAS. Omnia præcepta decalogi
*2.2.q.44. ar.1.ad 1.* ordinantur ad dilectionem dei & proximi, & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta decalogi, ſed in omnibus includuntur. CAIETANVS. Præceptum nanque charitatis quod eſt primum & maximum mandatum in lege, non eſt prætermiſſum, non eſt tacitum à deo tradendo decem præcepta, ſed eſt explicatum, vt prima ratio ſeruandi omnia præcepta, & propterea non eſt connumeratum decem præceptis tanquam vnum ſeorſum præceptum, ſed vt dictum eſt, promulgatum eſt explicitè vt ratio meriti in omnibus præceptis. Hoc enim manifeſtè ſignificat promiſſum præmium amatoribus ſuis, adiungendo effectum amoris, cuſtodire præcepta diuina.

*Myſticè.* ORIGENES. Sed iam aliquid ſecundum ſuperiorem intelligentiam dicere incipiamus. Omnis qui dicit contemnere præſens ſeculum, quod figuraliter Aegyptus appellatur, & per verbum dei, vt ſecundum ſcripturas dicas, tranſlatus eſt, & non inuenitur quia ad ſeculum futurum feſtinat ac tendit, de huiuſmodi anima dicit dominus, Ego ſum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Non ergo hęc ad illos tantùm dicuntur, qui de Aegypto profecti ſunt, ſed multò magis ad te, qui nunc audis iſta, ſi tamen proficiſcaris ex Aegypto, & Aegyptiis vltrà non ſeruias, dicit hæc deus, Ego ſum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Vide ſi non negocia ſeculi, & actus carnis, domus eſt ſeruitutis, ſicut rurſum è contrario relinquere ſecularia, & ſecundum deum viuere, domus eſt libertatis. Sicut & dominus in Euangelio dicit, Si permanſeritis in verbo meo, vos agnoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Ergo Aegyptus domus eſt ſeruitutis: Iudæa verò & Hieruſalem domus eſt libertatis. Audi & Apoſtolum de his ſecundum ſapientiam quæ ei in miniſterio data fuerat, pronunciantem: Quæ autem ſurſum eſt (inquit) Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Sicut ergo Aegyptus, iſta terrena prouincia, filiis Iſraël domus dicitur ſeruitutis, ad comparationem Iudææ & Hieruſalem, quæ eis domus efficitur libertatis, ita ad comparationem cœleſtis Hieruſalem quæ (vt ita dicam) mater eſt libertatis, totus hic mundus, & omnia quæ in hoc mũdo ſunt, domus eſt ſeruitutis. Et quoniam de paradiſo libertatis pro pœna peccati ad huiuſmodi ventum fuerat ſeruitutem, idcirco primus ſermo Decalogi, id eſt, prima mandatorum dei vox, de libertate profertur, dicẽs, Ego ſum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo ſeruitutis. Hãc vocem in Aegypto poſitus non poteras audire, etiam ſi tibi iniungatur vt paſcha facias, etiam ſi accingaris lumbos, & ſandalia accipias in pedibus, etiam ſi virgam teneas in manu, & azyma cum amaritudine comedas. Et quid dico in Aegypto poſitus hæc audire non poteras? Sed ne inde quidem profectus, in prima ſtatim manſione hæc audire potuiſti, nec in ſecunda, nec in tertia, nec cùm tranſires rubrum mare, etiam ſi ad myrrham veneris, & fuerit ibi amaritudo in dulcedinem verſa, etiam ſi in Helim veneris ad duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta arbores palmarum, etiam ſi Raphidim præterieris, cæteróſque profectus aſcenderis, nondum ad huiuſcemodi verba idoneus iudicaris, ſed cùm peruenieris ad montem Sina. Multis ergo ante laboribus peractis, multis ærumnis & tentationibus ſuperatis, vix aliquando mereberis præcepta ſuſcipere libertatis, & audire à domino, Ego ſum dominus deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti de domo ſeruitutis. Non habebis deos alienos coram me. AVCTOR CATENAE. Spiritaliter dij multi, affectiones carnales ſunt, & quicquid magis diligitur quàm deus. Dij alieni, qui à vero deo amando & obediendo impediunt. Qui autem peccat, ſeruus eſt peccati. Abominanda fideli eſt omnis creatura, quæ ab vno vero deo agnoſcendo, amando, venerandóque, & colendo, quoquomodo abducit & quæ nimio nos amore ſolicitat contra deum. Non facies tibi ſculptile, & cætera. Nullum imaginarium bonum loco veri boni, ſuſpiciendum eſt & homini colendum. Qui igitur verè pij ſunt, ſponſi ſolius vocem audiunt, ab ore dei ſui pendent, toto pectore domino animarum ſanctarum fidunt, in ipſum ſolum figunt oculos, aurem alteri non accommodant, mandatorum domini vnicè recordantur, ipſum admirantur, amant, ſequuntur, & nec vnguem latum vſquam à ſponſo recedunt. Ego ſum dominus deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. HIERONYMVS AD DEMETRIADEM. Hoc dicit dominus, eo quòd cogitationes noſtras mentíſque decretum, non ſtatim puniat, ſed reddat in poſteris, id eſt, in malis operibus, & in delictorum perſeuerantia, quoniam per Amos loquitur, Super tribus & quatuor impietatibus illius & illius ciuitatis, nónne auerſabor eam? AVCTOR CATENAE. Vel punit dominus filios in tertiam & quartam generationem, non autem patres, cùm non pro prima peccati ſuggeſtione, ſed pro conſenſu, opere, & gloriatione peccati delinquentes caſtigat.

2 NOn aſſumes nomen domini dei tui in uanum. *Nec enim habebit inſontem dominus eum qui aſſumpſerit nomen domini dei ſui fruſtra.*

2 RVPERTVS. Quia aſſumere nomen dei in vanum (quod poëtæ faciunt) vel reuerentia dignum non æſtimare vbicunque nomen domini fuerit inuocatum, dilectioni dei omnino eſt aduerſum, ideo ait, *Non aſſumes nomen domini dei tui in vanum. Nec enim habebit inſontem dominus eum qui aſſumpſerit nomen domini dei ſui fruſtra.* CYRIL-
*Cap.51.* LVS IN IOANNEM LIBRO QVARTO. Oportebat profectò ab his quæ ſupradicta ſunt incipere, ac cogi-



A ac cogitationem dei hominibus iis imprimere, qui ſeipſos in obſequium dei dedicarunt. Omnium enim virtutum, dei cognitio fundamentum, radíxque eſt: fides porrò, rectæ pietatis firmiſſima baſis eſt. Falſis ergo deis abiectis, ſpretíſque ſculptilibus, punitionem tranſgreſſoribus imponit, clamans: Non aſſumes nomen domini dei tui in vanum, id eſt, non adiicies horribile nomen dei, ſculptilibus. Nec enim inſontem habebit dominus eum, qui aſſumpſerit nomen eius in vanum. CYPRIANVS LIBRO TERTIO AD QVIRINVM. *Cap.12.*

Non iurandum apud Salomonem oſtenditur, Multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo *Eccle.23.* eius plaga: & ſi vanè iurauerit, non iuſtificabitur. De hoc ipſo κατὰ Matthæum, Dico vobis non iurare in toto. *Matth.5.* Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non. De hoc ipſo in Exodo, Non accipies nomen domini dei tui in vanum.

CHRYSOSTOMVS AD POPVLVM ANTIOCHENVM DE IVRAMENTORVM ABSTI- *Homil.26.*
NENTIA. Non aſſumes nomen domini dei tui in vanum, & cætera. Neſcitis quid ſit deus, & quali debeat
B ore vocari? Quòd ſi de quopiam ſtudioſo quidem viro loquamur, dicimus, os tuum ablue, & ita commemora: nunc verò nomen ſuper omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes dæmones horrent, temerariè circunferimus? O conſuetudinem. Nónne enim dum deus nominatur, oporteret horrere? At apud Iudæos quidem tam venerandum erat ipſius nomen, vt in laminis ſcriberetur, & nemini literas ferre liceret, niſi ſacerdotum principi, nunc autem velut quiddam vulgare, ſic ipſius nomen circunferimus. Si ſimpliciter deum nominare non eſt fas omnibus: in teſtimonium etiam eum vocare, quantæ quæſo ſit audaciæ? quantæ inſaniæ? Nam ſi cuncta forent abiicienda, nónne oportebat promptè dimittere? Ecce dico & proteſtor, hæc forenſia corrigite iuramenta, ſuperflua, & ad me cuncta perducite. IDEM DE EODEM. Deum contem- *Homil.27.*
pſimus, ſanctum odimus nomen, conculcauimus Chriſtum, pudorem ſoluimus. Diuini nominis cum reuerentia meminit nemo. Quòd ſi aliquem etiam ad nomen exurgis, Deum verò tam continuè tanquam nihil vocas?
In orationibus voca, voca eum ad inimici beneficium, voca ad animæ tuæ ſalutem, tunc aderit, tunc eum lætifi-
C cabis, nunc autem irritas. Voca ſicut eum Stephanus inuocauit, quid dicens? Domine ne ſtatuas eis hoc peccatum. Voca ſicut vocauit eum Helcanæ vxor cum lachrymis. Non prohibeo, ſed vehementer exhortor. Illum voca, ſicut & Moyſes vocauit, & clamabat pro eis orans, qui eum expulerant. Et tu quidem, ſi cuius ſine honoris titulo memineris venerabilis viri, contumelia facta eſt, Deum autem circunfers opportunè importunè in ſermonibus tuis. Non prohibeo deum in mẽte ſemper habere, imò magis precor & volo, tamen non aliter quàm illi placet, ſed laudantem ſed honorantem. Magna nanque nobis hoc contulit bona, ſi cùm & apud quos opus eſt, tantùm eum vocemus. Quare, quæſo, ſub apoſtolis quidem virtutes edebantur, ſub nobis verò nequaquam, cùm idem ſit deus, idem nomen? Sed non eſt par vſus. Illi nanque in illis ſolis quæ commemoraui, illum duntaxat vocabant: nos autem non in his, ſed in aliis. Si verò non credit, & ideo iuras, dic quidem, crede, veruntamen ſi vis, per teipſum iura. Quod non legem Chriſto contrariam ferens dico, Abſit, ait enim, Sit in vobis, eſt eſt, & non non: ſed vobis condeſcendens, vt magis in hoc vos inducam, & à tyrannica reducam conſuetudine.
D Quot in aliis probabiles ex his rebus perierunt? Vultis diſcere quare priſcis iuramentum concedebant? nam nec illic peierare fas erat. Quoniam per ſimulachra iurabant. Non confundimini in his legibus permanere, in quibus indulgebatur illis infirmis? Quoniam nunc quoque ſi gentilem accepero, non illi ſtatim hoc iniungo, ſed interim ſcire Chriſtum admoneo. Fidelis verò qui credidit & audiuit, ſi debet eandem exigere cum gentili indulgentiam, quid vtilitatis? quid emolumenti? Sed conſuetudo res difficilis, & vix abſtrahi poteſt. Itaque quoniam eſt tanta conſuetudinis violentia, eam in alteram transfer conſuetudinem. THEODORETVS.

Non accipies nomen dei tui in vanum. Quidam intelligunt, his verbis prohiberi ne diuinum nomen idolis aſcribatur: quidam verò, non peierandum eſſe. Ego autem exiſtimarim legem diuinam iubere, ne diuinum nomen nominetur præterquam aut doctrinæ cauſa, aut precationis, aut alicuius neceſsitatis. Non enim deſunt qui in riſu ac iocis nomen iſtud proferre non vereantur. Etenim ſi veſtem paulò precioſiorem in feſtos dies multi adſeruare conſueuerunt, multò magis diuinum nomen precationibus, doctrinæ conſecrãdum erit. INTER-
E LINEARIS. Primum mandatũ prohibet idololatriam, ſecũdum periurium. EADEM SVPER DEV- *Cap.5.*
TERONOMIVM. Vel non aſſumes nomen domini dei tui in vanum, id eſt, nomen dei ligno, vel lapidi, aut huiuſmodi non attribues. THOMAS. Literalis expoſitio huius præcepti eſt, Non accipies nomen dei tui *2.2.q.122.*
in vanũ, iurando ſcilicet pro re quæ non eſt, hoc eſt, pro nihilo. Idem enim eſt, iurare pro re quæ non eſt, & iurare *ar.3.per to-*
pro nihilo, quod pertinet ad falſam iurationem, quæ principaliter periurium nominatur. Per hoc autem præce- *tum.*
ptum non prohibetur quælibet aſſumptio diuini nominis, ſed propriè illa qua aſſumitur diuinum nomen ad confirmationem humani verbi per modum iuramenti, quia iſta aſſumptio diuini nominis eſt frequentior apud homines. Poteſt tamen ex conſequenti intelligi, quòd per hoc prohibeatur omnis inordinata diuini nominis aſſumptio. Aſſumitur enim nomen dei ad multa, ſicut ad laudandum, ad miracula faciendum, & vniuerſaliter ad omnia, quæ dicuntur vel fiunt à nobis ſecundum illud ad Coloſſenſes tertio: Omne quodcũque facitis verbo vel opere, in nomine domini facite. Sed dicat quis, Cur prohibetur in decalogo periurium, non autem blaſ-
F phemia? Quia ſicut in aliqua ſcientia primò proponuntur quædam communia documenta, ita etiam lex quæ inſtituit hominem ad virtutem, in præceptis decalogi quæ ſunt prima, propoſuit ea, vel prohibendo vel mandando, quæ communiùs in curſu vitæ humanæ ſolent accidere, & ideo inter præcepta decalogi prohibetur periurium quod frequentiùs accidit, quàm blaſphemia, in quam homo rariùs prolabitur. Ergo oportet priùs impedimenta veræ religionis excludere in eo qui inſtruitur ad virtutem, quàm eum in vera religione fundare. Et quia etiam opponitur veræ religioni aliquid dupliciter, vno modo per exceſſum, quando ſcilicet id quod eſt religionis, alteri indebitè exhibetur, quod pertinet ad ſuperſtitionem, Alio modo quaſi per defectum reuerentiæ cùm ſcilicet deus contemnitur, quod pertinet ad vitium irreligioſitatis, ideo dominus primum mandatum dedit ad excluſionem ſuperſtitionis, deinde ſecundum ad prohibitionem irreligioſitatis. IDEM IN OPVS-
CVLIS. Non aſſumes nomen domini dei tui in vanum. Hoc eſt ſecundum præceptum legis. Et ſic non eſt niſi vnus deus quem debemus maximè venerari. Et primum quantum ad nomen, non aſſumes, & cætera. Sciendum quòd

dum quòd vanum dicitur tripliciter. Aliquando enim dicitur falsum, Psalmus, Vana locuti sunt, & cætera. Assumis ergo nomen dei in vanum, quando assumis illud ad confirmationem falsitatis, Zachariæ octauo, Iuramentum mẽdax ne diligatis. Talis autem facit iniuriam deo, sibi ipsi, & omnibus hominibus. Deo quidem, quia cùm iurare per deum nihil aliud sit, nisi inuocare eius testimonium, cùm iuras falsum, aut credis deum nescire verum, & sic ponis ignorantiam in deo, cùm tamen omnia nuda & aperta sint oculis eius: aut quod diligat mendacium, cùm tamen odiat ipsum, Psalmus, Perdes omnes qui loquuntur mendacium: aut derogas potẽtiæ, quasi non possit testimonium reddere, vel quasi non possit de eo punire. Item facit iniuriam sibi ipsi, obligat enim se iudicio dei. Nihil est autem aliud dicere Per deum ita est, nisi quòd deus puniat me, si non est ita. Item iniuriatur aliis hominibus. Nulla enim inter aliquos societas durare potest, nisi credant sibi inuicem. Dubia autem iuramentis confirmantur, Hebræorum sexto, Omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum. Iniuriatur ergo deo, crudelis est sibi, & noxius est hominibus. Aliquando dicitur vanum, inutile, Psalmus, Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Et ideo confirmando vanitatem, assumitur nomen dei in vanum. In veteri enim lege prohibitum fuit, vt non iuraretur falsum, sed Christus prohibuit non nisi in necessitate iurare. Et huius ratio est, quia in nulla parte ita fragiles sumus sicut in lingua, quia eam nullus domare potuit, sicut dicitur Iacobi tertio. Et ideo de leui posset homo deierare, Matthæi quinto, Sit sermo vester Est est, non non. Et iterum, Ego autem dico vobis, nolite iurare omninò. Et nota, quòd iuramentum est sicut medicina, quæ non semper accipitur, sed in necessitate. Et ideo vt dicitur Matthæi quinto, Quod his amplius est, à malo est, Ecclesiastici vigesimo tertio, Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Nominatio enim dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Aliquãdo autem dicitur vanum, peccatum, vel iniustitia, Psalmus, Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem? Qui enim iurat pro peccato faciendo, assumit nomen dei sui in vanum. Iustitiæ verò partes sunt, facere bonum, & dimittere malum. Si ergo iuras facere furtum vel aliud huiusmodi, hoc contra iustitiam est. Et quanuis non sit seruandum hoc iuramentum, tamen sic iurans periurus est. Talis fuit Herodes contra Ioannem, Marci sexto. Similiter contra iustitiam facit qui iurat non facere bonum, sicut intrare Ecclesiam vel religionem. Et hoc etiam iuramentum non est seruandum, & tamen periurus est iurans. Non est ergo iurandum de falso, non de inutili, non etiam de iniustitia: & ideo dicitur Hieremiæ quarto, Et iurabis viuit dominus in veritate & in iudicio, & in iustitia. Non assumes nomen domini dei tui in vanum. Sciendum quòd nomen dei sumitur ad quinque. Primò quidem ad dicti confirmationem, sicut in iuramento. Et in hoc confitemur quòd prima veritas non est nisi in deo. In hoc autem fit reuerentia deo. Vnde in lege præcipitur, Deuteronomij sexto, quòd non iuretur nisi per deum. Contrarium faciunt qui aliter iurant, Exodi vigesimo tertio, Non iurabis per nomina deorum exterorum. Et quanuis aliquando iuretur per creaturas, tamen sciendum quòd in omnibus his non iuratur nisi per deum. Cùm enim iuras per animam tuam vel caput tuum, idem est, quòd eam obligare pœnæ infligendæ à deo, Apostolus secundæ Corinthiorum primo, Testem deum inuoco in animam meam. Item cùm iuras per Euangelium, iuras per deum qui dedit Euangelium. Et ideo peccant qui iurant per deum de facili, aut per Euangelium. Secundò sumitur ad sanctificationem. Baptismus enim sanctificat, Apostolus prima Corinthiorum sexto, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi. Hoc autem non habet virtutem nisi in inuocatione Trinitatis, Hieremiæ quartodecimo, Tu autem in nobis es domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos. Tertiò sumitur ad aduersarij expulsionem. Vnde ante baptismum abrenunciatur diabolo, Esaiæ quarto, Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. Et ideo si redis ad peccata, nomen dei sumitur in vanum: Item sumitur ad eiusdem nominis confessionem, Apostolus Romanorum decimo, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et iterum, Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Confitemur autem primò ore, ad manifestandam gloriam dei, Esaiæ quadragesimo tertio, Omnis qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum. Ergo si dicis aliquid contra gloriam dei, assumis nomen dei in vanum. Confitemur verò opere, cùm ea operamur quæ gloriam dei manifestant, Matthæi quinto, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Contrarium faciunt quidam, de quibus dicit Apostolus Romanorum secundo, Nomen dei per vos blasphematur inter gentes. Quartò assumitur ad defensionem, Prouerbiorum decimo octauo, Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur, Marci vltimo, In nomine meo dæmonia eiicient, Actuum quarto, Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quintò sumitur ad operis completionem, Apostolus ad Colossenses tertio, Omne quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite. Sed quia aliquando aliquis indiscretè incipit, sicut accidit in voto quod non adimpletur, tunc etiam in vanum nomen domini assumitur. Vnde Ecclesiastes quarto, Si quid vouisti deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. IDEM. Quæritur autem cur in his duobus primis præceptis posita est comminatio pœnæ, non autem in aliis. Et respondetur, quòd pœnæ præcipuè necessariæ sunt contra illos qui sunt proni ad malum, vt dicitur in decimo Ethicorum, & ideo illis solis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum, erant autem homines proni ad idololatriam propter generalem consuetudinem gentium. Et similiter sunt etiam homines proni ad periurium propter frequentiam iuramenti, & ideo primis duobus præceptis adiungitur comminatio. CAIETANVS. Non assumes nomen domini dei tui in vanum. Iuxta Hebræum habetur, Non iurabis nomen domini dei tui falsitati. Ex Chaldaica officina aiunt scribi hîc in vanum, Hebraicè enim habetur falsitas in casu datiuo. Aliud præceptum promulgatur, & est negatiuum. Iurat autem falsò tam quicunque iurando asserit falsum cognitum, quàm falsum dubium: qui autem exactè discussa sua memoria fallitur, iurando falsum, non formaliter iurat falsò, nec est periurus formaliter. Dubius verò si assertiuè iurat, periurus est, quia ex parte materiæ dubiæ redit actus in naturam falsi iuramenti. Perspicuum enim est, quòd qui asserit quod est dubium, mendax est, & falsum dicit, vtpote dicens certum, quod est dubium. Similiter iurat falsò, quicunque iuramento promissorio promittit, quod non intendit efficere. Periurium itaque prohibetur formaliter per hæc verba, Non iurabis falsitati, hoc est, ex intentione falsi. Inseritur autem nomen domini dei tui, ad reddendum rationem præcepti ex iniuria quæ fit summo deo, quem tu ipse colis, & profiteris iudicem. Magna siquidem irrogatur irreuerentia illi, afferendo eum in testem falsi, qui est summus deus quem colis, & profiteris iustum iudicem. Et meminit nominis, quia intentio iurantis falsò, non est vt deus testimonium perhibeat dicto iurantis, sed diuini nominis attestatione auctorare quod dicit, & propterea directè fit iniuria diuino nomini. Nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini dei sui frustra. Iuxta Hebræum habetur, eum qui iurabit nomen eius falsitati. Est enim huiusmodi iuramentum peccatum mortale ex proprio genere, vtpote contra reuerentiam debitam diuino nomini. Pœna ergo apponitur summi dei iudicio infligenda falsò iuranti, vt vtrinque (videlicet ex irreuerentia diuini nominis, & ex diuina punitione) vitetur periurium. Et quoniam futurum hoc iudicium diuinum, rarò impletum videmus in hac vita, consequens est, vt verificatio istius literæ diuinum iudicium post hanc vitam comprehendat. Quod annotare debent illi, qui negãt in libris Moysi contineri aliquid futuræ post mortem vitæ. AVCTOR CATENAE. Non assumes nomen domini dei tui in vanum. Rectissimè Hebraica vertit hoc in loco Interpres. Sciendum tamen Hebraicam dictionem שָׁוְא Saue quæ hîc posita est, aliquando vanum, seu frustra, vel inane, aut vacuum siue gratis significare, vt, Non credet frustra errore deceptus, &, Nec enim frustra audiet deus, &, Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, &, Vanitatem & verba mendacij longè fac à me. Aliquando autem pro mendacio vel falso ponitur, vt, Non suscipias vocem mendacij, Et, Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, Viderunt autem tibi assumptiones falsas. Et quia verbum נָשָׂא nasa cum puncto ceboleth, non solùm sumere, sed etiam iurare significat, hinc est quòd Chaldaica editio legit, Non iurabis in nomine dei tui frustra. Septuaginta, ἐπὶ ματαίῳ, In vano, legunt. Quæ omnia idem dicunt cum litera nostra. Et est sensus, Non accipias temerè nomen domini dei tui in os tuum, sine vlla necessitate iurãdo, aut derisoriè de deo loquendo, & si quid iuraueris te facturum adhibito nomine domini, illud præstes. Sequitur, Nec enim habebit insontem dominus eum, qui assumpserit nomen domini dei sui frustra, id est, pro insonte, vel innocente, hoc est, pro impio & scelerato habebit eum dominus, qui & cætera. Hebraei enim cùm rem augere volunt, id per negationem nominis quod nos per superlatiuum, facere solent. Septuaginta, οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ κύριος τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ ματαίῳ, hoc est, Non enim mundabit dominus accipientem nomen eius in vano. Chaldaica, Quia non iustificabit dominus illum qui iurauerit in nomine suo in vanum. Et sunt idem cum litera nostra. Sunt tamen qui verbum יְנַקֶּה Ienakke aliter vertant, dicentes, Quoniam neutiquam impunitum dimittet dominus eum, qui nomen suum vanè sumpserit. Et verè verbum Naka, mundum, seu innocentem esse, mundare, & parcere significat. Non igitur assumendum nomen dei temerè, & frustra, sine causa, ex leuitate, incuria, vel ad mendacium, vel ad veritatem, gratis & sine ratione. Abuti autem nomine dei sermone quotidiano, etiam sine mendacio confirmãdo, peccatum est in hoc præceptum, Christo domino nostro id declarante contra Iudæos, & vetante, ne omnino deieretur, neque per nomen dei, neque eius quascunque creaturas, sed sit sermo noster, est est, vel, non non, nullâque deieratione vitiatus. Adnitendum igitur omnibus modis vt tollatur horribilis corruptela in vanum nominandi sacrosanctum & gloriosissimum nomen dei, ne dicamus ora contaminandi obscœnitatibus, stultitiis, turpiloquiis, mendaciis, conuiciis, detractionibus, maximè autem blasphemiis in deum & Christum dominum, illiusque membra sanctissima pro nobis afflicta vsque ad amarissimam mortem, vulnera sacrosancta, & benedictum pro nobis effusum ac pretiosum sanguinem. Quis enim satis enumerare & plangere valet pessimos mores, & eloquia nostri seculi? vt si aliud crimen nostrum nullum extaret, quæ tamen maxima sunt, & sine numero, vnicum illum blasphemandi, & peierandi nephas, sufficeret inuoluere nos dignè omnibus & maioribus malis & calamitatibus ac miseriis, quibus merito nostro premimur & prememur, si vt cœptum est, pergere voluerimus. Latiùs extenditur hoc crimen adulterio & homicidio, quia non sic transeunt hæc in consuetudinem, & duriùs prout decet, puniuntur, hoc autem commune fit omnibus & semper. Et vt perspicuè appareat quanta seueritate deus exigat hoc præceptum, additur comminatio, Non habebit deus insontem eum qui assumpserit nomen domini in vanum. Nam cùm deus non statim puniat manifesto supplicio temerariam nominis sui vsurpationem, existimant imperiti, Deum non habere vllam huius peccati rationem. Additur ergo comminatio, vt significetur, quòd etsi deus est longanimis, compensare tamen soleat tarditatem grauitate supplicij, id quod publicis etiam miraculis declarauit in Nabucdonosor, Danielis quinto, & in Herode, Actorum duodecimo. Cæterùm aduerte hîc, quòd qui legitimè vocatur ad præstandum iuramentum per nomen dei, is iam habet personalem prærogatiuam vsurpandi nominis dei. Vt enim generale præceptum est, Non occidas, Magistratus tamen habet personalem prærogatiuam occidendi fontes, ita generale præceptum est, Non iures omnino, tamen qui legitimè ad iurandum vocatur, prærogatiuam habet vsurpandi nominis dei. Exemplum legitimi iuramenti habes in Abraham, Genesis quartodecimo. In Ioseph Genesis quadragesimo septimo. Hi enim & si non vixerunt post Christum natum, fuerunt tamen Christiani, quia crediderunt in benedictum semen Abrahæ qui est Iesus Christus. Habes enim exemplum in Christo, Ioannis quinto, Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Et in Paulo ad Romanos nono, Veritatem dico in Christo, non mentior. Sunt igitur & ea iuramenta legitima, quæ ex vocatione legitimi magistratus exiguntur.

ISIDORVS. Secundum præceptum ad filium dei pertinet, dum dicit, Non assumes nomen domini dei tui in vanum, id est, ne existimes creaturam esse filium dei, quoniam omnis creatura vanitati subiecta est, sed credes eum æqualem esse patri, deum deorum, verbum apud deum, per quem omnia facta sunt. *Mysticè.*

*MEmento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autẽ die sabbatũ domini dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit deus cœlũ & terrã, mare*





*Iob 15.* *Iob 35.* *Psal. 11.* *Prouer. 30.* *Exod. 25.* *Thre. 2.*

*1. 2. q. 100. ar. 7. ad 4.*

*& omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.* G

2 THOMAS. Remotis impedimentis veræ religionis per primum & secundum præceptum Decalogi, consequens fuit, vt tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet, cultum deo exhibere. Sicut autem in scriptura diuina traditur nobis cultus interior sub aliquibus corporalium rerum similitudinibus, ita cultus exterior deo debetur per aliquod sensibile signum. Et quia ad interiorem cultum qui consistit in oratione & deuotione, magis inducitur homo ex interiori spiritus sancti instinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu secundum aliquod sensibile signum. Et quia præcepta Decalogi sunt quasi quædam prima & communia legis principia, ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior dei cultus sub signo communis beneficij, quod pertinet ad homines, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, à quo requieuisse dicitur deus die septima, in cuius signum dies septi- H
ma mandatur sanctificanda, id est, deputanda ad vacandum deo. Ait ergo, *Memento vt diem sabbati sanctifices.*

*Cap.51.* CYRILLVS IN IOANNEM LIBRO QVARTO. Superioribus pro conditione atque statu hominum, qui cùm molliores adhuc essent, maiora non suscipiebant, imperatis, alteram intulit legem. Memento (inquit) vt diem sabbati sanctifices, & cætera quæ sequuntur. Quid igitur hoc significat, quispiam dicet? aut cur statim postquam transgressoribus primæ legis minatus est, secundo loco hanc collocauit? Dicimus ergo non solùm terrore ac minis ad colendum verum deum Hebræos impelli, verùm etiam
*Hebr.10.* præmiis inflammari. Quæ quidem præmia in figura illis tradidit, vmbram enim futurorum bonorum lex continet, vt scribitur, exercitationes autem quædam veritatis quanuis tenuiter propter vmbras in ea inueniuntur: cessare nanque ab omni opere, septimo, id est, vltimo die iubet, futuram sanctorum requiem hinc significans, quando laboribus huius vitæ liberati, sudore corporum detersо, beatam cum Christo (vt à quo-
*Esa.65.* dam Propheta dicitur) & iocundissimam vitam agent. Obliuiscentur, inquit, tribulationis primæ, nec ascendet in cor eorum, sed æterna lætitia super caput suum, laus & gaudium apprehendet eos, effugiet inde I
dolor, tristitia, gemitus. Ita qui creatoris imitatione in septimo die quieuit, à sudoribus vitæ huius ereptus, ad beatitudinem ascendet, quæ in finem seculorum à Christo dabitur. Animaduertendum autem est diligenter, negatiuè dictum esse, non adorabis deos alienos. At de sabbato non sic, sed memento vt diem sabbati sanctifices. Quamobrem? Quoniam iam non adorandi dei alieni tempus aderat, idcirco ad actum statim ipsos impellit. Memento autem dicit de sabbato, quia quæ vmbra depingebantur, vt futura speculari debebant. Adhæc mirabili certè ordine, posteaquam ad veri dei cultum induxit, futuræ statim repromissionis memoriam collocauit. Alias deinde leges sanxit. Honora patrem & matrem, Non occidas, & cætera. Ita ne iustificari opere putemus, ne gratiam dei meritis nostris, sed fide affuturam nobis speremus, idcirco priusquam leges & disciplinam viuendi poneret, statim cum fide futurorum bonorum gratiam posuit. Laudabile igitur sabbati ocium, sanctorum vitam in requie, atque sanctificatione tunc futuram ostendit, quando omni K
*Hebr.4.* huius vitæ cura deposita, bonis æternis fruentur. Beatus quoque Paulus sabbatismi modum inquirens, ait: Quibus autem iurauit non introire in requiem suam, nisi incredulis? videmus enim eos ingredi non potuisse, requietis enim terra illa etiam reputata est, ad quam ab Aegypto proficisci Hebræi iubebantur, in figura illius
*Psal.26.* acceptam, quam viuentium terram Dauid appellauit, quanquam viri sancti Iosue, id est, domini nostri sortitione adipiscentur. Quod autem figura hæc significabat, vt diximus, aperte Paulus demonstrat, dicens, Quoniam prisci propter incredulitatem ingressi non sunt, idcirco post multa tempora per Psalmistam diem cer-
*Psal.64.* tum determinat. Ait enim, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Si enim Iosue illos in requiem reduxisset, non de alio die multò posteà locutus esset. Vides quàm citò latentem obiectionem dissoluit? Nam ne diceres deductum in repromissionis terram populum fuisse, requieuisseque in ea, aliud Psalmista requietis tempus post multa tempora determinat. Vnde sapienter totam illam rem gestam, imaginem futurorum ostendens Paulus, occultam vsque ad tempora sua hominibus sabbatismi rationem subaL
peruit, concludens, Relinquitur ergo sabbatismus populo dei, qui enim requietem suam ingressus est, ab omnibus vitæ huius operibus profectò requieuit. Illam igitur vitam sabbatismus significat, in qua omnibus bo-
*Esa.35.* nis cum Christo viuentes fruemur, peccato radicitùs extirpato, secundum illud, Non erit ibi leo, nec praua bestia illuc ascendet, sed erit ibi via pura, & via sancta vocabitur. Omnia enim bona in visione dei mens sanctorum adipiscitur. Ideo qui ligna in sabbato colligebat, lapidibus obruebatur, quoniam veritatem in fi-
*Num.15.* gura violauit. Qui enim ad illam quietem peruenit, nunquam inde amplius exibit. Hac de causa iubebatur
*Exod.16.* Iudæus à suo tabernaculo die sabbati non recedere. Nam nutricem & matrem ignis, peccatum dico, ibi nemo colliget, vt nec Iudæus ligna, non intelligens ex amentia quo obumbrata illa tendebant, atque ideo inanimis lapidibus tanquam insensatis obruebatur, vt in supplicio suo, morum quasi qualitatem ostenderet. Peccatum igitur ibi nullum erit, sed nec bonum aliquod sudore acquiretur, quod enim ænigmaticè in scriptis Mosaicis perspicere licet. Roris enim modo manna Iudæis deus præbebat, & lege de eo sanxit, dicens, M
Sex diebus colligetis, septima verò die sabbati non colligetis. Vnde significabat ita nobis hac in vita, quæ ad æternam illam conducunt, esse colligenda, quemadmodum illi tunc per vastas solitudines transcurrentes, vndique manna congregabant. In septimo autem aut vltimo die, id est, in fine seculorum nulla confe-
*Psal.127.* rentium erit collectio, sed acquisitis fruemur, vt scribitur, Labores fructuum tuorum comedes. DAMASCE-
*Cap.24.* NVS LIBRO QVARTO DE ORTHODOXA FIDE. Sabbatum septima dies obtinuit. Significat
*Genc.1.* autem requiē, nam in hoc requieuit deus ab vniuersis operibus suis, vt diuina ait scriptura. Et idcirco vsque ad septem, numerus dierum procedēs, rursus recirculat, & à prima incipit. Hic numerus honorabilis apud Iudæos,
*Exod.35.* quòd deus præceperit honorare ipsum, nō vtcūque, sed cum grauissimis ex trāsgressione pœnis. Non simpliciter autē hoc precepit, sed propter quasdā causas, mysticis, spiritualibus, contēplatoribusq; viris intellectas. Et quans tū mea proruditate agnoui, vt ab inferioribus, crassioribusq; ac rudioribus incipiā. Sciēs deus crassam, & carni amatri-



A amatricem, & ad materialia penitùs procliuem populi Israëlitici mentem, simul autem indiscretionem, iudicandique defectum, primùm quidem vt seruus, & subiugale (vt scriptum est) requiescant faciántque sabbatum, *Exod.22.* quia & vir iustus miseretur animarum iumentorum suorum, simul autem vt vacantes ab occupatione circa *Proner. 12.* materialia, ad deum adducerentur, in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, & meditatione diuinarum scripturarum, vniuersum septimum diem consumentes, & in deo requiescentes. Quando enim non erat lex, neque scriptura diuinitùs inspirata, per Moysen data est, sacratum est deo sabbatum, vt circa scripturæ meditationem in ipso exercitarentur, qui non omnem vitam deo consecrabant, qui non affectu dominatori vt patri seruiebant, sed vt serui ingrati, saltem exiguam & minimam vitæ suæ partem deo impartirēt. Et hoc timore pœnarum & increpationum, quæ erant in transgressione. Iustis enim non ponitur lex, sed iniustis. Quia primus Moy- *1. Timot. 1.*
ses quadraginta diebus, & iterum aliis quadraginta ieiunio assidens deo, omnino sabbatis per ieiunium affli- *Exod.24.*
B gebat seipsum, lege præcipiente, non seipsos sabbati die affligendos esse. At si dicant, quòd id ante legem fuit, *Exod.34.*
quid dicent de Helia Thesbite, quadraginta dierum viam conficiente, vno cibo sumpto? Hic enim non per so- *3.Reg.19.*
lum ieiunium, sed & per viæ peragrationem, in sabbatis quadraginta dierum, seipsum affliges, soluit sabbatum. *Ibidem.*
Et non iratus est ob hoc qui legem dedit, quin potius vt virtutis præmium, in Horeb seipsum manifestauit ei.
Quid autem & de Daniele dicent? nónne tres hebdomadas consummauit ieiunus? Quid autem omnis Israël, *Dan.10.*
non circuncidit sabbato puerum, si contingat octo esse dierum? Nónne magnum ieiunium quod legis positione *Ioan.7.*
iussi sunt, si in sabbato occurrerit, ieiunant? Nónne Sacerdotes & Leuitæ in operibus tabernaculi violant sabbatum, & inculpabiles sunt? Sed & iumentum si in foueam eciderit sabbato, qui extrahit, inculpabilis, & qui con- *Ibidem.*
tempserit condemnabilis. Quid verò omnis Israël? nónne septem dies arcam domini circūferentes, Hierichun- *Iosue.6.*
tina mœnia per circuitum demoliti sunt, in quibus omnino fuerat & sabbatum? Vt igitur dixi, vacationis gra-
C tia ad deum, vt vel minimam portionem distribuerent, & requiescerent, & seruus & subiugale, sabbati obseruatio excogitata, paruulis adhuc & sub elementis mundi huius seruientibus, corporalibus, & nihil supra corpus & *Gal.4.*
literam intelligere valentibus. Quando autem venit plenitudo temporis misit deus filium suum vnigenitum, *Ibidem.*
hominem factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus. Quotquot enim recepimus eum, dedit nobis potestatem filios dei fieri, credentibus in ipsum. Quare *Ioan.1.*
non amplius sumus serui, sed filij, non amplius sub lege sed sub gratia, Non amplius in parte domino seruientes
in timore, sed totum vitæ nostræ tempus offerre debentes, & semper seruum (iram dico & concupiscentiam) à
peccato requiescere facientes, & ad vacandum deo conuertentes, vniuersum desiderium semper ad deum extendentes, & iram aduersus dei inimicos armantes, & subiugale nostrum, id est, corpus, à peccati iugo requiescere facientes, & ad diuinorum mandatorum seruitium dirigentes. Hæc spiritualis nobis præcipit Christi lex.
Et qui hanc obseruant, superiores Mosaica lege euadunt. Cùm venit enim quod perfectum est, quod ex parte e- *1.Cor.13.*
D uacuatum est. Et velamine legis, id est, velo per saluatoris crucifixionem discisso, & spiritu igneis linguis relu- *Matth.27.*
cente, litera euacuata est, corporalia cessauerunt, & seruitutis lex impleta est, & lex libertatis nobis est donata. Et *Act.2.*
festum celebramus perfectam humanæ naturæ requiem, diem (inquam) resurrectionis, in qua nos dominus Ie- *Heb.6.*
sus, vitæ auctor & saluator in repromissam iis qui spiritualiter deum colunt, hæreditatem introduxit. In quam *Mar.16.*
ipse præcursor noster intrauit, surgens à mortuis, & apertis cœlestibus portis in dextra patris corporaliter sedit,
vbi, qui & spiritualem obseruant legem, introibunt. Nobis igitur qui spiritus elementis hæremus, & non literæ,
omnis carnalium est depositio, & spirituali cultu ad deum coniunctio. Circuncisio enim est, carnalis voluptatis & superfluorum & minimè necessariorum abiectio. Nam præputium nihil aliud est, quàm cutis voluptariæ particulæ superflua. Omnis autem voluptas, non in deo & ex deo facta, superfluitas voluptatis est. Cuius figura,
præputium. Sabbatum verò, à peccato cessatio ac requies. Quare ambo vnum sunt, & sic ambo simul à spiritua-
libus impleta, neque quamlibet iniquitatem operantur. Præterea sciendum, quòd septenarius numerus omne *Eccle.11.*
E præsens tempus ostendit, vt sapientissimus inquit Salomon, Da partes septem necnon & octo. Et diuinorum *Psal.11.*
enarrator Dauid de octaua psallens, de futuro post resurrectionem statu psallebat. Octaua igitur die vacationem agere à corporalibus, spiritualibus autem exercitari præcipiens lex mystica, omni tempore vero Israëli, & mentem deum videntem habenti, subinsinuabat ad deum seipsum adducere, & superiorem corporalibus rebus euadere. HVGO DE SANCTO VICTORE. Memento vt diem sabbati sanctifices. Quatuor memorantur sabbata in diuina scriptura. Primum dei, in quo perfectis operibus suis requieuisse dicitur. Secundum illud quod populo Israël obseruandum mandatur. Tertium illud quod populo dei spiritualiter custodiendum præcipitur. Quartum illud quod in repromissione, sabbatum pro sabbato, suis deus dilectoribus pollicetur. Primum scilicet dei tantùm fuit sacramentum secundi, id est, legalis sabbati, quod item sacramentum fuit nostri sabbati, in quo debemus cessare ab omni opere prauo, sed & istud etiam nostrum sabbatum, sacramentum est & meritum illius futuri sabbatismi, vbi accipietur sabbatum pro sabbato. Duo igitur sunt sabbata exterius, vnum dei, & vnum hominis, & duo interius, vnum dei & vnum hominis. Primum & vltimum sunt
F domini, duo medij hominis. THOMAS. Præceptum de sanctificatione sabbati literaliter intellectum, *2.2.q.122.*
est partim morale, partim cærimoniale. Morale quidem quantum ad hoc, quòd homo deputet aliquod tem- *ar.4.ad 1.*
pus vitæ suæ ad vacandum diuinis, ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessa- *argumētū.*
riæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & aliis huiusmodi. Vnde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat
homo, & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum diuinis, cadit sub præcepto morali. Sed in
quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum cærimoniale. Similiter etiam cærimoniale est secundum allegoricam significationem, prout fuit signum quietis Christi in sepulchro, quæ fuit septima die. Et similiter secundum moralem significationem, prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in deo, & secundum hoc quodammodo est
generale præceptum. Similiter etiam cærimoniale est secundum significationem anagogicam, prout scilicet

præfigurabat quietem fruitionis dei quæ erit in patria, vnde præceptum de sanctificatione sabbati ponitur inter G
1.2. q. 100. præcepta decalogi, in quantum est præceptum morale, non in quantum est cærimoniale. IDEM. Et quia
ar. 7. ad 5. præceptum hoc ponitur vt rememoratiuum beneficij præteriti, ideo specialiter in eo fit mentio de memoria. Vel quia præceptum de sabbato habet determinationem adiunctam quæ non est de lege naturæ, ideo hoc præceptum speciali admonitione indiguit. IDEM IN OPVSCVLIS. Memento vt diem sabbati sanctifices. Hoc est tertium mandatum legis, & conuenienter. Primò enim debemus deum venerari corde, secundò ore, tertiò opere. Et hoc est memento, & cætera. Voluit enim vt esset certus dies, in quo intenderent homines ad seruitium dei. Habetur autem hoc præceptum quinque rationibus. Primò enim datum fuit ad destructionem erroris. Præuidit enim spiritus sanctus quòd futuri erant aliqui dicturi mundum semper fuisse, Secunda Petri tertio, Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creatu- H
ræ. Latet enim eos hoc, volentes quòd cœli erant prius & terra. Voluit ergo deus vt custodiretur vnus dies in memoriam quòd deus omnia creauerat in sex diebus, & in septimo quieuit à nouis creaturis condendis. Et hanc rationem ponit dominus in lege dicens, Memento vt diem sabbati sanctifices. Sed Iudæi in memoriam primæ creationis colebant sabbatum. Christus autem veniens fecit nouam creationem. Per primam enim homo terrenus, per secundam homo cœlestis effectus est, Ad Galatas sexto, In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet neque præputium, sed noua creatura. Et hæc noua creatura est per gratiam quæ incœpit in resurrectione, Romanorum sexto, Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et quia resurrectio facta est in dominica, ideo celebramus illum diem sicut Iudæi sabbatum propter primam creationem. Secundò datum fuit ad instructionem fidei redemptoris. Caro enim Christi in sepulchro corrupta non fuit. Vnde dicit Psalmus, Caro mea requiescet in spe. Item ibi, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Vn- I
de voluit sabbatum obseruari, vt sicut sacrificia significabant mortem Christi, ita quies sabbati requiem carnis eius. Sed nos ista sacrificia non seruamus, quia adueniente re debet cessare figura, sicut adueniente sole cessat vmbra. Seruamus tamen in veneratione virginis gloriosæ, in qua remansit tota fides tali die in morte Christi. Tertiò datum fuit ad roborandum siue figurandum veritatem promissionis. Promittitur enim nobis quies, Esaiæ quartodecimo, Et erit in die illa cùm requiem dederit tibi deus à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura qua antè seruisti. Item Esaiæ trigesimo secundo, Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Et nota quòd expectamus requiem de tribus, de labore præsentis vitæ, de tentationum concussione, & de diaboli seruitute. Hanc Christus repromisit venientibus ad se, dicens, Matthæi vndecimo, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Inuenimus autem quòd dominus operatus est sex diebus, & in K
septimo quieuit, quia primò oportet facere opera perfecta, Ecclesiastici quinquagesimo primo, Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Plus enim incomparabiliter extendit tempus æternitatis totum tempus præsens, quàm mille anni diem vnum. Quartò mandatum fuit hoc præceptum ad inflammationem amoris, Sapientiæ sexto, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Et ideo homo semper ad terrena inferius tendit, nisi conetur erigere se ab eis. Et ideo oportet habere certum tempus ad hoc. Vnde aliqui toto tempore hoc faciunt, Psalmista, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Apostolus prima ad Thessalonicenses quinto, Sine intermissione orate. Et hi continuè sabbatum habent. Aliqui hoc faciunt in aliqua parte temporis, Psalmista, Septies in die laudem dixi tibi. Alij ne omnino alienarentur à deo, oportuit quòd haberent aliquem diem determinatum, ne nimis tepescat in eis amor dei, Esaiæ quinquagesimo octauo, Si vocaueris sabbatum delicatum, tunc delectaberis super domino. Iob vigesimo secundo, Tunc super omnipotentem deliciis affluES, & eleuabis ad deum faciem tuam. Non enim ad ludendum ordinatur talis dies, sed ad lau- L
dandum & orandum dominum deum. Vnde Augustinus dicit quòd minus malum est tali die arare, quàm ludere. Quintò datum fuit ad opera pietatis. Aliqui enim crudeles sibi & suis non cessant continuè operari propter lucrum. Et hoc habent Iudæi maximè, quia auarissimi sunt. Deuteronomij quinto, Obserua diem sabbati. Et post, Non facies in eo quicquam operis tu & filius tuus & filia, seruus & ancilla, bos & asinus & omne iumentum tuum, vt requiescat seruus & ancilla tua sicut & tu. Propter prædicta ergo prædictum mandatum datum fuit. Memento vt diem sabbati sanctifices. Dictum est quòd sicut Iudæi celebrant sabbatum, sic nos Christiani Dominicam, & alia principalia festa. Videamus ergo quomodo ista seruare debeamus. Et sciendum, quòd non dicit custodi sabbatum, sed memento, & cætera. Sanctum autem accipitur duobus modis. Aliquando enim est sanctum idem quòd purum. Apostolus primæ Corinthiorum sexto, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, & cætera. Aliquando dicitur sanctum res consecrata ad cultum dei, vt locus, tempus, vestes, & vasa sacra. Istis ergo duobus modis debemus festa celebrare, quia & purè, & mancipando se diuino seruitio. In isto ergo præcepto M
duo considerantur. Primò quidem quid cauendum sit, Secundò, quid faciendum. Debemus autem cauere tria. Primò corporalem operam, Hieremiæ decimo septimo, Sanctificabis sabbatum vt non facias in eo opus seruile. Vnde & in lege dicitur Leuitici vigesimotertio, Omne opus seruile non facietis in eo. Opus autem seruile, est opus corporale. Nam opus liberum est animæ, sicut intelligere & huiusmodi, ad quod opus homo cõstringi non potest. Sed sciendum, quòd opera corporalia possunt fieri in sabbato propter quatuor. Primò propter necessitatem. Vnde dominus excusauit discipulos euellentes spicas in sabbato, vt dicitur Matthæi duodecimo. Secundò propter Ecclesiæ vtilitatem, Vnde dicitur in Euangelio Matthæi duodecimo, Quòd sacerdotes faciebant omnia quæ erant necessaria in templo in die sabbati. Tertiò propter proximi vtilitatem, Vnde dominus curauit in die sabbati, habentem manum aridam, & confutauit Iudæos reprehendentes eum, ponens exemplum de oue, Matthæi duodecimo. Quartò propter superioris auctoritatem, Vnde dominus



A minus præcepit Iudæis vt circunciderent in die sabbati, vt dicitur Ioannis decimo septimo. Secundò debemus cauere culpam, Hieremiæ septimo, Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbati. Onus autem animæ, vel pondus malum, est peccatum, Psalmus, Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Peccatum autem opus seruile est, quia vt dicitur Ioannis octauo, Qui facit peccatum, seruus est peccati. Vnde cùm dicitur omne opus seruile non facietis in eo, potest intelligi de peccato. Et ideo contra præceptum hoc facit quis, quando in sabbato peccat, quia operando & peccando, deus offenditur, Esaiæ primo, Sabbatum & festiuitates alias non feram. Et quare? quia iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta. Tertiò debemus cauere negligentiam, Ecclesiastici trigesimo tertio, Multam malitiam docuit ociositas. Hieronymus ad Rusticum, Semper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Et ideo non est bonum custodire nisi principalia festa, si in aliis debeat esse homo ociosus,
B Psalmus, Honor regis iudicium diligit, scilicet discretionem. Vnde primo Machabæorum secundo, dicitur quòd Iudæi quidam occultati erant, & inimici irruerunt super eos. Qui credentes quòd se non possent in sabbato defendere, victi & occisi sunt. Ita accidit multis qui ociosi sunt in festis, Threnorum primo, Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius. Sed tales debent facere sicut illi Iudæi fecerunt. Vnde primo Machabæorum secundo dicitur, Quicunque venerit ad nos in bello in die sabbatorum, pugnemus aduersus eum. Memento vt diem sabbati sanctifices. Sicut dictum est, Homo diem festum debet sanctificare, & dictum est quòd sanctum dicitur duobus modis, quia & quod mundum est, & quod deo cõsecratum est. Item dictum est à quibus tali die abstinere debemus. Nunc dicendum est in quibus occupari debemus. Et sunt tria. Primò in faciendis sacrificiis. Vnde Numeri vigesimo octauo dicitur, quòd quolibet die vnus agnus mane, & alius vespere debeat offerri, sed in sabbatum debent duplicari. Et significat quòd in sabbato debemus offerre animam nostram dolendo de pec-
C catis, Psalmus, Sacrificium deo spiritus contribulatus. Et orando pro beneficiis, Psalmus, Dirigatur domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Factus est enim dies festus ad habendam spiritualem lætitiam, quam facit oratio. Vnde & tali die multiplicari debent preces. Secundò corpus nostrum affligere, & hoc ieiunando, Romanorum duodecimo, Obsecro vos per misericordiam dei, vt exhibeatis membra vestra hostiam viuentem, sanctam. Laudando, Psalmus, Sacrificium laudis honorificabit me, & cætera. Tertiò res tuas sacrificare, & hoc dando eleemosynas, Hebræorum decimo tertio, Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur deus. Et hoc in duplo magis quàm in aliis diebus, quia tunc est communis lætitia, Neemiæ octauo, Mittite partes his qui non parauerunt sibi, quia sanctus dies domini est. Secundò in verborum dei studiis, sicut & Iudæi faciunt hodie, Actorum decimotertio, Voces Prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur. Vnde & Christiani quorum iustitia debet esse perfectior, debent tali die conuenire ad prædicationes & ad officium Ecclesiæ, Ioannis octauo, Qui est ex deo, verba dei audit. Item loqui vtilia, Apostolus
D Ephesiorum quarto, Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem. Ista enim duo vtilia sunt animæ peccatoris, quia immutant cor eius in melius, Hieremiæ vigesimotertio, Verba mea sunt quasi ignis ardens, dicit dominus, & quasi maleus conterens petram. Contrarium autem accidit etiam perfectis non loquentibus vtilia vel audientibus, Apostolus prima Corinthiorum decimoquinto, Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Euigilate iusti, & nolite peccare. Et Psalmus, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Item eloquium domini inflammauit eum. Tertio in diuinorum exercitiis, hoc autem perfectum est, Psalmus, Vacate & videte quoniam suauis est dominus. Et hoc propter quietem animæ. Sicut enim corpus fatigatum, quietem desiderat, ita & anima. Locus autem animæ deus est, Psalmus, Esto mihi in deum protectorem, & in locum refugij, Hebræorum quarto, Itaque relinquitur sabbatismus populo dei, & cætera. Sapientiæ octauo, Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Sed antequam ad hanc quietem perueniat anima, oportet tres quietes præcedere. Prima ab inquietudine peccati, Esaiæ quinquagesimo septimo, Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Secunda est à passionibus carnis, quia caro concupiscit ad-
E uersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, vt dicitur ad Galatas quinto. Tertia ab occupationibus mundi, Lucæ decimo, Sollicita es, & turbaris erga plurima. Et tunc post hæc omnia liberè quiescit in deo, Esaiæ quinquagesimo octauo, Si vocaueris sabbatum delicatum, tunc delectaberis super domino. Propterea sancti omnia dimiserunt, quia hæc est preciosa margarita, quam qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit eam, vt dicitur Matthæi decimotertio, Hæc enim requies vita æterna, & delectatio æterna est, Psalmus, Hæc requies mea in seculum seculi: hîc habitabo quoniam elegi eam. IDEM. 2.2.q.122.
Sciendum autem, quòd obseruantia diei dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ sabbati, non ex vi præ- ar.4.ad 4.
cepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. Nec enim huiusmodi obseruatio est figuralis, sicut fuit obseruatio sabbati in veteri lege. Et ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die dominica, sicut in die sabbati. Sed quædam opera conceduntur in die dominica, quæ in die sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis faciliùs propter ne-
F cessitatem dispẽsatur in noua quàm in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundum se considerata, immutari possunt pro loco & tẽpore. AVCTOR CATENAE. A figura enim quantuncunque modico subtracto, mutatur tota significatio, sicut vna litera subtracta ab hoc nomine lapis, tota mutatur significatio, circa verò totã rem ipsam lapidis, possunt aliqua addi, & subtrahi absque mutatione substãtiæ. CAIETANVS. Præceptum promulgatur de septima quaque die dicãda deo, quiescendo ab omni opere seruili. Promulgatur autem hoc modo pręceptũ istud, Memento vt diem sabbati sanctifices, vt intelligamus rationem præcepti esse recordationẽ, vt intelligamus non placere deo quietẽ ab operibus septima quaque die, nisi ratione memoriæ, nisi ratione interni cultus. Exterior siquidem mũdicia ab operibus, nisi ex interno proueniat cultu licet Ecclesiam ędificet, ipsi tamen qui eam seruat, vana est. Vnde & scriptum postea ab Hieremia est, Deriserunt sabbata eius, deridenda siquidem est sola externa requies, vtpote iactura septimæ partis temporis. AVCTOR CATENAE. Propria Hebraica

litera est sicut habet Chaldaica, Memento diei sabbati, vt sanctifices eum. Sed hoc idem est cum Latina litera. G
Est autem Hebraismus, Pro da operam vt cesses ab operibus tuis die sabbati. An fortè memento dicit, quasi inferat, Hoc præceptum nõ tibi de nouo datur, iam enim illud recepisti, sed eius memoriã habeto. Vt diem sabbati sanctifices, id est, diuino cultui penitus & omnino applices, beneficia diuina meditãdo, & pro illis gratias debitas agendo. Voluit enim hoc præcepto clementissimus deus homini qui corpore cõstat & anima consulere, vt & corpus à labore defatigatum & exhaustum, alterna non careret requie. Et animi robur corporis operatione distractum, non langueret ac concideret sine rerum spiritualium meditatione, sed septimo quoque die ad minus, corporis quiete reficeretur, vt mens ipsa laboribus distracta, diuinæ legis meditatione, & diuinorum beneficiorum recordatione saginaretur, & vires resumeret, vt septimo die homo vni ac soli deo vacaret. Ideóque in hunc vsum ipsum diem benedixit ac sanctificauit, id est, in vsum suum separauit atque elegit. Tunc ergo sabbatum sanctum est, si nos sancti, id est, toti deo dicati fuerimus. *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, septimo autem die* H
2.2.q. 100. ar.8.ad 4. *sabbatum domini dei tui est.* THOMAS. Non intelligitur violare sabbatum qui facit opus quod est necessarium ad salutem humanam, sicut dominus probat Matthæi duodecimo. Vnde dicitur primo Machabæorum secundo, Et cogitauerunt in die illa dicentes, omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum, quæ quidem excogitatio, magis fuit interpretatio præcepti, quàm dispensatio. CAIETANVS. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, & cætera. Hoc est, sic operaberis sex diebus, vt non reserues aliquid operandum in diem septimum, ad hoc enim seruit recordatio. Totus enim dies septimus est dicatus quiescendo summo deo ac iudici, qui colitur à te. Et si sex dierum mentio hæc perspicaciùs fuerit librata, apparebit ratio exceptionum. Ex eo enim quòd nullum opus reseruandum in diem septimum decernitur, excipiuntur opera tum ex euentibus in diem septimum opportuna, puta ex prælio, vt apud Machabæos, tum ex casu bouis in puteum, vt in Euangelio, & similibus: tum ex penuria alimenti illius diei, vt contigit discipulis Christi fricantibus spicas: tum ex onere diei, siue quotidiano, vt soluere animal & ducere ad aquam, siue illis I diebus, vt seruire grauiter ægris coquendo & cætera. Hæc enim & similia non possunt præueniendo fieri sexto die vel ante, nec possunt differri in diem octauum. Et excepta intelliguntur dicendo, sex diebus operaberis, omnia opera tua recordando, & cætera, alioquin frustra fieret mentio seruitiorum sex dierum, non enim præcipitur vt sex diebus homo operetur, sed quòd septimo quiescat. In illo enim non erat fas emere, vendere, contrahere, scribere, iter agere, & id genus reliqua facere die septima, quanuis hæc non sint etiam opera seruilia. Arctior enim erat obseruatio diei septimi quàm reliquorum dierum festorum postea statutorum. Et dicendo opera tua, excipit opus diuinum, hoc est, opus diuini cultus quanuis seruile, vt excoriare agnos & animantia in sacrificium, huiusmodi enim opus licitum erat reseruare in diem septimum iuxta deuotionem offerentium. Et ratione operum, non hominis, sed dei dicitur, quòd sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt, & eadem ratione circuncisio fiebat in die sabbati. AVCTOR CATENAE. Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum domini dei tui est, id est, quiescendum est ab operibus cor- K
poris, vt liberius vaces operibus spiritus, nempe meditationi legis, & diuinorum beneficiorum recordationi, ita fiet vt dominum iugiter laudes. Sex igitur diebus sine intermissione laborandum est vtiliter, si non ad necessitatem nostram, saltem ad proximi consolationem. Sex (inquam) diebus operandum, non inerti ocio vacandum. Nouit creator dominus mensuram virium creaturæ, & noctem quoque in subsidium accommodauit refrigerio corporum, nisi eam nostræ auaritię seruire cogeremus, interdiu otiosi, nocte exactores operum peruersi.

THEODORETVS. Sabbatum igitur vacatione operum à deo honoratum est, vt benignitatem humanitatémque nos edoceret, vnde & sequitur: *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas.* Aliis tamen diebus id fieri non mandauit, propterea quòd vniuersorum deus sex diebus omnia confecerit, septima autem die ab vniuersi opificio cessauerit, atque ideo illi benedixerit, id quod & in posterioribus tangitur. DIODORVS. Duæ rationes sunt obseruationis sabbati. Prima quæ hîc, & in Deuteronomio habetur, Propter hoc custodies sabbatum, vt requiescat seruus tuus, & cæ- L
tera. Secunda quæ etiam infra eodem habetur, Quia sex diebus fecit deus cœlum & terram, & cætera. Qua ergo ratione Gentiles tradunt Hebræos à Moyse Saturni mysteria edoctos fuisse? Neque enim Saturnus sabbato gaudet, quia in illo vniuersa creata sint, vel vt homines ab operibus vacent. Cur igitur (respondent) sabbatum & non dominicum diem sacram illis esse voluit? Atqui si dominicam diem solẽnem statuisset, eadem ratione Soli sacram esse contenderent, vnamquanque enim dierum totius hebdomadis alicui deorum sanctam esse affirmant. Quid igitur veri dei cultores nullum diem festum habere debuerunt, ne Gentiles ob insciitiam suam offenderentur? Qui etiam illud adiungunt, Circuncisionem quoque in honorem Saturni à Moyse institutam fuisse. Qui profectò non vident, Saturnum concisionem non circuncisionem instituisse, Moysen præterea legem hanc non posuisse, sed deum ipsum id Abrahæ faciendum præcepisse, qui à Persida venerat, vbi nulla omnino Saturni mentio fit. Hi quoque minimè aduertunt, Moysen, si reuerà Saturni cultor fuisset, Saturni quoque diuinitatem commendare debuisse, at contra omnino factum est. Ait enim, dominus deus tuus vnus est. M
Et, Non erunt tibi dij alij. Itémque, Non facies tibi idolum, & cætera. INTERLINEARIS. Nullus
2.2.q.122. ar.4.ad 3. sexus, nulla ætas, nulla conditio, ab obseruatione sabbati excluditur. THOMAS. In obseruatione sabbati duo sunt consideranda, quorum vnum est sicut finis, & hoc est vt homo vacet rebus diuinis, quod significatur in hoc quod dicitur, Memento vt diem sabbati sanctifices. Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ diuino cultui applicantur. Aliud est cessatio operum, quæ significatur, cùm scribitur, Septimo die sabbatum domini dei tui est. Nõ facies omne opus in eo. Sed de quo opere intelligitur, apparet per id quod exponitur Leuitici vigesimotertio, Omne opus seruile non facietis in eo, opus autẽ seruile dicitur à seruitute. Est autẽ triplex seruitus. Vna quidem qua homo seruit peccato secundũ illud, Qui facit peccatum, seruus est peccati, & secundum hoc omne opus peccati dicitur seruile. Alia verò seruitus est, qua homo seruit homini, est autem homo alterius seruus, non secundum mentem, sed secundum corpus, & ideo opera seruilia secundum hoc dicuntur opera corporalia, in



A lia, in quibus vnus homo alteri seruit. Tertia autem est seruitus dei, & secundum hoc, opus seruile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad dei seruitium. Si autem sic intelligitur opus seruile, non prohibetur in die sabbati, quia hoc esset contrarium fini obseruationis sabbati: homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet in die sabbati, vt vacet operibus ad dei seruitutem pertinentibus, & inde est, quòd sicut dicitur Ioannis septimo, Circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi. Inde etiam est, quòd sicut Matthæi duodecimo dicitur, Sabbatis sacerdotes in templo violant sabbatum, id est, corporaliter in sabbato operantur, & sine crimine sunt, & sic sacerdotes in sabbato circunferentes arcam, non transgrediebantur præceptum de sabbati obseruatione, Iosue sexto. Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium, est contra obseruationem sabbati, puta si quis doceat verbo vel scriptis. Vnde Numeri vigesimo octauo dicit glosa, quòd fabri & huiusmodi artifices, otiantur in die sabbati, lector autem diuinæ legis vel doctor, ab opere suo non desinit, nec tamen contamina-
B tur sabbatum, sicut sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt. Sed alia opera seruilia primo vel secundo modo, contrariantur obseruantiæ sabbati, inquantum impediunt applicationem hominis ad diuina. Et quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati, quàm per opus licitum, quanuis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. Vnde Augustinus in libro de decem chordis, Melius (ait) faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm si in theatro seditiosus existeret: & melius fœminæ eorum die sabbati lanam facerent, quàm quòd tota die in Neomeniis suis impudicè saltarent. Non tamen qui peccat venialiter in sabbato, contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit sanctitatem. Opera autem corporalia ad spiritualem dei cultum non pertinentia, in tantum seruilia dicuntur, in quantum propriè pertinent ad seruientes: in quantum verò sunt communia seruis & liberis, seruilia non dicuntur. Quilibet autem tam seruus quàm liber, tenetur in necessariis prouidere, non tantùm sibi, sed etiam proximo, præcipuè quidem in his quæ ad salutem corporis pertinent, secun-
C dum illud prouerbiorum vigesimo quarto, Erue eos qui ducuntur ad mortem. Secundariò autem & in damno rerum vitando, secundum illud Deuteronomij vigesimo secundo, Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo. Et ideo opus corporale pertinens ad conseruandam salutem proprij corporis, non violat sabbatum, non enim est contra obseruantiam sabbati, quòd aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conseruatur, & propter hoc Machabæi non polluerunt sabbatum, pugnantes ad sui defensionem die sabbati, vt legitur primo Machabæorum secundo. Similiter nec Helias fugiens à facie Iezabel in die sabbati. Vnde dicitur Ioannis septimo, Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Similiter & corporale opus quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum. Vnde dicit dominus Matthæi duodecimo, Quis erit ex vobis homo qui habet vnam ouem, & ceciderit sabbato in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? CAIETANVS. Non facies
omne opus in eo. Manifestat penes quid attendatur requies, de qua est sermo. Et intellige nullum opus pro-
D prium, vt prædictum est. Tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena qui est intra portas tuas. Quia populo libero præcepta dantur, præcipitur vt etiam ab Ethnicis seruari faciant diem septimam, quoad quietem ab operibus, quoniam dedecet publicum festum turpe reddi à peregrinis. Aduerte hîc prudens lector, quòd nulla fit mentio pastorum, sed tantummodo serui & ancillæ qui sunt partes domus, tanquam impossibile sit priuare magnos ouium greges septima quaque die aliquo superintendente. AVCTOR CATENAE. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & cætera. Quandoquidem nostræ saluti diuina benignitate consultum videmus, debemus & nos saluti consulere eorum qui nobis conuersantur, vt & serui nostri, & ancillæ, filij, & domestici omnes, immo iumenta ipsa, ab omni opere cessent, hoc enim charitas expostulat, & magis homines excitat ad commiserationem. Aduena siue peregrinus in portis tuis dicitur, qui tecum habitat in eadem vrbe, non tamen de stirpe Israëlitica siue circuncisus sit, siue non, serui vel ciues, aduenæ vel negociatores. Nulli enim cohabitanti permittitur sabbati dissolutio. *Sex enim diebus fecit deus*
E *cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.*

CHRYSOSTOMVS IN SERMONE AD POPVLVM ANTIOCHENVM PRO GRATIARVM ACTIONE. Ab initio deus hominem formans, legem ipsam naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expresit, & per se discibilem constituit bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere, quòd malum est fornicatio, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et vt discas quòd ab initio hoc scimus, legislator leges postea ferens, & dicens, Non occides, non intulit, malum enim cædes, sed simpliciter, non occides, inquit: prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit non occides, non addidit quòd malum cædes? quoniam præueniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scientibus & intelligentibus ita loquitur. Cùm igitur de alio loquitur mandato, non nobis noto per conscientiam facto, non tantùm prohibet, sed & causam apponit. De sabbato ita-
F que legem ferens, & dicens, Septima die non facietis opus, subiunxit causam quoque cessationis: qualem verò? quòd in die septima requieuit deus ab omnibus operibus suis, quæ cœperat facere. Et rursus, quoniam seruus fuisti in terra Aegypti. Quare igitur dic mihi, in sabbato quidem causam adiecit, in cæde verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de principalibus erat, nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddam, & temporaneum. Propterea post hæc solutum est, Necessaria verò & vitam nostram continentia illa sunt, Non occides, non furaberis, nõ mœchaberis. Et ideo nullatenus hîc causam ponit, nec rationem adducit, sed sola opus esse putat prohibitione. IDEM SVPER GENESIM. Et requieuit (inquit) in die *Homil.10.*
septimo, videlicet ab omnibus operibus suis quæ fecit. Quasi diceret substitit, & cessauit à formandis producendisque ex nihilo rebus vt essent. Omnia enim quæcunque oportebat produxerat. Idcirco benedixit (inquit) dominus diei sabbati, & sanctificauit eum. Nam postquam substitit opifex, & omnia quæcunque voluit secundum misericordiam suam, produxit in medium suo præcepto, tunc finem formandi fecit die sexto. Nihil enim aliud die septimo producere voluit, eo quòd omnia quæ facere voluerat, iam perfecta erant. Et vt habeat etiam

dies ille aliquod ad verbum, & nomen ſuum, & ne videatur minus aliquid habere, eo quòd nihil in eo factum G
ſit, benedictione ipſum dignatus eſt. Et benedixit, inquit, deus diem ſeptimum, & ſanctificauit illũ. Quid igitur, non erant & cæteri dies benedicti? Etiam profectò, ſed ſufficiebat illis pro omni benedictione, quòd in ſingulis illis creaturæ productæ fuerunt. Et ideo de illis non inquit, Et benedixit, in ſolo autem ſeptimo hoc dixit, & appoſuit, Et ſanctificauit illum. Quid eſt & ſanctificauit illum? ab aliis illum ſegregauit. Deinde docens nos diuina ſcriptura cauſam, propter quam dixit, Et ſanctificauit illum, adiicit, Eo quòd in illo requieuerat ab omnibus operibus ſuis, quæ cœperat deus facere. Iam hîc ab initio doctrinam hanc nobis inſinuat deus, erudiens in circulo hebdomadis diem vnum integrum ſegregandum, & reponẽdum in ſpiritualem operationem. Quippe ob hoc dominus completo in ſex diebus opificio ſuo, ſeptimum benedictione dignatus eſt & ſanctificauit,
1.2. q. 100. ar. 7. ad 2. eo quòd in illo quieuerat ab omnibus operibus ſuis quæ facere cœperat. THOMAS. Sciendum quòd illa
H præcepta quæ ſunt purè moralia, habent manifeſtam rationem, vnde non oportuit quòd in eis aliqua ratio addaderetur, ſed quibuſdam præceptis additur cerimoniale determinatiuum præcepti moralis communis, ſicut in primo præcepto, Non facies ſculptile, & in tertio præcepto determinatur dies ſabbati, & ideo vtrobique oportuit rationem aſsignari. Conuenienter ergo dicitur hîc, Sex enim diebus, & cætera. IDEM IN TERTIO
Diſtinct. 37 ar. 2. q. 1. ad 3. SENTENTIARVM. Tertium præceptum primæ tabulæ non erat ſimpliciter indictum rationi, quia determinatio diei qua vacandum eſt diuinis obſequiis, eſt cerimonialis non moralis, quanuis ſubſtantia præcepti moralis ſit, vnde magis natum erat à mente excidere, quàm ea quæ totaliter naturalis ratio dictat. Et ideo potiùs in hoc præcepto induxit memoriam, & rationem præcepti aſsignauit quàm in aliis. CAIETANVS. Sex enim diebus, & cætera. Ratio redditur quieſcendi die ſeptimo, ex quiete diuina à creando mundum, ſcripta die ſeptimo, & benedictione ac ſanctificatione eiuſdem diei. Quæ omnia expoſita vide in principio Geneſis. Aduerte hîc, quòd inter omnia hæc decem præcepta iſtud duntaxat eſt non penitus morale, reliqua enim ſunt omni ex parte debita ſecundum rectam rationem naturalem, hoc autem partim eſt morale (hoc eſt, ſecundum re-
I ctam rationem naturalem debitum) partim verò cerimoniale, hoc eſt, debitum quia ſtatutum, quia lege poſitum. Et quidem quòd aliquod tempus dicaretur deo ad vacandum diuino cultui, ad commemorandum diuina beneficia, & præcipuè beneficium creationis, recta ratio exigit, ad commemorandum (inquam) non ſolùm ſingillatim, ſed publicè, non ſolùm cultu interno, ſed aliquo exteriori ſigno: homines enim ſumus ex intellectu & ſenſu compoſiti, & ſinguli & vniuerſi tenemur ad hoc, humanam ſequentes rationem. Quòd verò tempus dicandum diuino cultui publico, ſit quæque dies ſeptima, aut alia dies, quòd ſit dies integer aut pars diei, quòd tot opera inhibeantur illo die, cerimoniale eſt. Poſſet enim recta ratione aliter ſtatui. Et hinc fit, vt licitè non habeatur dies feſtus tempore releuatæ gratiæ dies ſeptimus, ſed propter reſurrectionem Chriſti tranſlatus eſt in diem octauum, & non eum tam arcta quiete ab operibus. Inſeruit autem deus ore proprio aliquid iuris poſitiui iuri morali naturali, ad auctorandum alia poſitiua iura, quæ per Moyſen promulgaturus erat. Niſi enim ipſe deus aliquod ius poſitiuum promulgaſſet, ſuſpicatus fortè fuiſſet populus quòd nihil iuris poſitiui proſi-K
ciſceretur à deo, & non mandata dei, ſed mandata hominum exiſtimaſſet omnia poſitiua iura promulgata à Moyſe. AVCTOR CATENAE. Sex enim diebus fecit deus cœlum & terram, & cætera. Ratio eſt partis cærimonialis, non moralis, alioqui enim non Reſpublica tantùm Iſraëlitica, verùm etiam aliæ gentes neceſſariæ haberent externum ſabbatum, ſeu ſeptimum diem obſeruare. Deus enim quieuit quidem ſeptimo die à condendo alio mundo, ſed non quieuit ab adminiſtrando hoc mundo iam condito. Sic enim Chriſtus ſabbatum exponit Ioannis quinto, Pater meus (inquiens) vſque modò operatur, & ego operor illud. Qui ergo ſabbatum contemnit, nihili facere videtur beneficium creationis mundi, cuius ſabbatum memoriale inſtitutum eſt. Non quidem ſabbatum accipiendo pro die Saturni, ſed pro die ſeptimo, quicunque tandem talis inſtitutus fuit ab Eccleſia pia cauſa ad gloriam dei. Quandoquidem antiquata eſt cærimonia iſta, & factum vt Saturni diei, reſurrectionis Chriſti memoria ſuccederet in dominicam diem, qua ratione cæremoniale eſſe conſtat. Sabbati autem, hoc eſt, quietis obſeruantia, ſeptimo die deferenda morale eſt, & domino grata in lege li-L
bertatis filiorum dei. Eſt enim ſabbati quoque dominus filius hominis, & typum gerit æterni ſabbati. Partim ergo fidem, partim dilectionem reſpicit hoc præceptum, vt tempus decernatur ſanctis exercitiis, audiendo verbo dei, gratiæ referendæ ad beneficia dei recolligenda, & ad opera fidei & charitatis exercenda ad orandum ardentiùs & copioſiùs, & recollectiore animo, ad cogitandum de vtilitatibus proximorum, de reformandis moribus ſuis & ſuorum, de totius familiæ doctrina & exhortatione, ad legendum vel audiendum ſcripturas ſacras, ad viſitandos infirmos corpore vel mente. Vt negocioſiores nunquam ſimus quàm illo die, ſed ad recreationem ſpiritus & mentis, non ad fatigationem corporis. A bonis autem operibus vacans, & ſpiritualibus non incumbens cum moderamine exercitiis, ſabbatum planè non ſanctificat, nec deo vacat.

*Myſticè.* AVGVSTINVS IN LIBRO DE DECEM CHORDIS. Tibi autem ô Chriſtiane dicitur vt obſerues ſpiritaliter ſabbatum in ſpe futuræ quietis, quam tibi promittit deus. Quiſquis autem propter illam quietem futuram agit quicquid poteſt, quanuis laborioſum videatur quod agit, tamen ſi ad M
fidem promiſſæ quietis id referat, nondum quidem ſabbatum habet in re, ſed habet in ſpe. Tu autem ad hoc vis
*Tract. 4.* requieſcere, vt labores, cùm ad hoc debeas laborare, vt requieſcas. IDEM IN EVANGELIVM IOANNIS. Legite veteſtametum, & videte, quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur quæ nobis. Nam vnum deum colere & nobis præcipitur. Non accipies in vanum nomen domini dei tui, & nobis præcipitur, quod eſt ſecundum præceptum. Obſerua diem ſabbati, magis nobis præcipit, quia ſpiritaliter obſeruandum præcipitur. Iudæi enim ſeruiliter obſeruabant diem ſabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius fœminæ eorum lanam facerent, quàm illo die in Neomeniis ſaltarent. Abſit fratres, vt illos dicamus obſeruare ſabbatum. Spiritaliter obſeruat ſabbatum Chriſtianus, abſtinens ſe ab opere ſeruili. Quid eſt enim ab opere
*Ioan. 8.* ſeruili? A peccato. Et vnde probamus? Dominum interroga: Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. Ergo
*Cap. 59.* & nobis præcipitur ſpiritaliter obſeruatio ſabbati. HIERONYMVS IN ESAIAM. Lege præceptum eſt, ne



A eſt, ne in ſabbatis opus ſeruile faciamus, ne accendamus ignem, vt in vno ſedeamus loco, vt illa tantùm faciamus opera quæ ad animæ ſalutem pertinent. Quod ſi iuxta literam accipiamus, penitùs impleri non poteſt. Quis enim poteſt hoc facere, vt tota die ac nocte ſedens in ſabbato de vno loco non recedat, imò ne leuiter quidem ſe commoueat, quod ſi fecerit tranſgreſſor legis ſit? Ex vno igitur mandato, quod iuxta literam impoſsibile eſt, & cætera cogimur ſpiritualiter intelligere, ne faciamus ſeruile opus, & perdamus animæ libertatem: Qui enim facit peccatũ, ſeruus eſt peccati: Ne onus portemus in ſabbato, quale portabat ille qui dicit, Iniquitates meæ eleuatæ ſunt ſupra caput meũ. Quaſi onus graue aggrauatæ ſunt ſuper me. Ne iniquitas quæ ſedet *Ioan. 8.* *Pſalm. 37.*
B ſuper talentum plumbi, in nobis habeat poteſtatem. Ne nos voluptas corporis & libido ſuccendant. Omnes enim adulterantes quaſi clibanus corda eorum, & diaboli iacula ignita ſunt, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Præcipitur quoque nobis vt arrepto nobis aratro non reſpiciamus poſt tergum, vt tectorum altitudinem cõ- *Zach. 5.* *Oſe. 7.* *Luc. 9.*
ſcendentes, nequaquam ad tollenda ſeculi veſtimenta velimus deſcendere, ſed vt audiamus cum Moyſe, Tu verò hîc ſta mecum, & ſedeamus cum domino, laſsi in via huius ſeculi, ſuper puteum Samaritanæ, & conuer- *Ioan. 4.*
ſionem errantiũmque ſalutem ſitientes, vt audiamus Apoſtolum commonentem, State firmi & immobiles, ne *1. Corin. 15.*
patiamur illud quod Iudas paſſus eſt proditor, qui perdidit locum miniſterij ſui, & tranſgreſſor effectus eſt, illiúſque ſemper ſententiæ recordemur, Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne di- *Coloſ. 1.* *Eccle. 10.*
miſeris. Qui ſic quieſcit in ſabbato, laudat inter innocentes manus ſuas, nec mouet pedes vt ſuas faciat voluntates, iſte celebrat ſabbata domini delicata. Qui ſabbatiſmus, iuxta Epiſtolam quæ ad Hebræos ſcribitur, repromittitur nobis in cœleſtibus, & gloria præparatur, vt dum nõ facimus vias noſtras in ſabbato, nec inuenitur vo- *Heb. 4.*
luntas noſtra, vt loquamur ſermonem, quo ſcilicet nec opere, nec ſermone peccemus. Alioquin ſi hæc tantùm prohibentur in ſabbato, ergo in aliis ſex diebus libertas nobis tribuitur delinquendi. Quòd ſi ſtultum eſt credere, ſupereſt, vt ſabbatũ, quod interpretatur requies, omni tempore ſanctificandum ſit à fidelibus, dum non carnis,
C ſed animæ faciunt voluntates. Ad hoc ſabbatum [illegible] ciuitate celebrandum, Saluator nos prouocat in Euãlio, dicens, Venite ad me omnes qui labo[illegible]at eſtis, & ego vobis dabo requiem, hoc enim ſignificat, *Matth. 11.*
ἀναπαύσω ὑμᾶς, vt ſcilicet peccatorum [illegible]ponentes, ſabbatizemus in Chriſto & dicamus, Statuit ſupra *Pſalm. 39.*
petram pedes meos: illúdq; vitemus quod ſanctus penè ſuſtinuiſſe ſe dicit, Mei verò penè moti ſunt pedes.

GREGORIVS IN REGISTRO. Peruenit ad me, quoſdam peruerſi ſpiritus homines, praua in- *L. 11. Epi. 3.*
ter vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die ſabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? Qui veniens, diem ſabbatum atque dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia enim mori ſe & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult dominicum diem, & quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult ſabbatũ. Hoc enim quod per Prophetam dicitur, Ne inferatis onera per portas veſtras die ſabbati, tandiu teneri potuit, *Hiere. 17.*
quandiu legẽ licuit iuxta literã cuſtodiri. At poſtq̃ gratia omnipotẽtis dei domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit,
D præcepta legis quæ per figuram dicta ſunt, iuxta literã ſeruari non poſſunt. Nam ſi quis dicit hoc de ſabbato ſeruandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſoluenda, dicat præceptũ quoq; de circunciſione corporis hucuſque retinendum. Sed contra ſe Paulum Apoſtolum audiat dicentem, Si circuncidamini, Chriſtus vo- *Gala. 6.*
bis nihil prodeſt. Nos itaque quod de ſabbato ſcriptum eſt, ſpiritaliter accipimus, ſpiritaliter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem ſabbatum ipſum redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum dominum habemus. Et qui lucem fidei eius agnoſcit, ſi peccata concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die ſabbati onera per portas introducit. Non ergo in die ſabbati per portas introducimus onera, ſi in redemptoris noſtri gratia conſtituti, pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus. Nam idem dominus ac
redemptor noſter multa in die ſabbati legitur operatus, ita vt Iudæos reprehenderet dicens, Quis veſtrum bo- *Luc. 13.*
ucm aut aſinum ſuum non ſoluit in die ſabbati, & ducit adaquare? Si ergo ipſa per ſe veritas non cuſtodiri iuxta literam ſabbatum præcepit, quiſquis ocium ſabbati ſecundum legis literam cuſtodit, cui alteri, niſi ipſi veri-
E tati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum eſt, vobis à peruerſis hominibus eſſe prædicatum, vt dominico die nullus debeat lauari. Et quidem ſi pro luxu animi ac voluptatis qui lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro neceſsitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus. Scriptum namque eſt, Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam. Et rurſum ſcriptum eſt, Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Qui igitur carnis curam in concupiſcentiis fieri prohibet, profectò in neceſsitatibus concedit. Nam ſi dominico die corpus lauare peccatum eſt, lauari ergo die eodem nec facies debet: Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente neceſsitate toti corpori negetur? Dominico verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus inſiſtendum, vt ſi quid negligẽtiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ precibus expietur. Hæc filij chariſsimi certa conſtantia & recta præditi fide cuſtodite, ſtultorum hominum verba deſpicite, & omnia quæ ab eis dici cognoſcitis, nolite facilè credere, ſed in rationis trutina penſate, vt dum erroris vento forti ſtabilitate reſiſtitis, ad ſolida cœleſtia regni gaudia peruenire valea-
F tis. CHRYSOSTOMVS DE LAZARO. Iudæi putant ſibi ſabbatum otij gratia fuiſſe datum, verùm *Concione.*
non iſta eſt cauſa, ſed potiùs vt abducti à curis rerum temporalium, otium omne conſumerent in ſpiritualibus. Quod enim ſabbatum non ocij ſed ſpiritualis actionis materia ſit, dilucidum eſt ex ipſis rebus. Nam ſacerdos eo die duplum facit operis, qui quotidie non niſi vnicam hoſtiam offerre ſolitus, ſabbato iubetur offerre geminam. Quòd ſi prorſus eſſet ocij dies, oportebat ſacerdotem omnium maximè ocium agere. Quoniam igitur Iudæi corporalium rerum curis liberati, non vacabant ſpiritualibus vtpote, ſobrietati, modeſtiæ, & audiendis diuinis ſermonibus, ſed contrarium potiùs faciebant, ſeruientes ventri, indulgentes ebrietati, diſtenti cibis, deliciantes, audi quomodo illos reprehendat propheta. Quum enim dixiſſet, tangentes ſabbata mendacia, ſubiunxit, Qui dormitis in lectis eburneis, ac laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis hœdos è caulis, & vitulos è bubilibus lactentes, qui bibitis vinum defecatum, ac primis vnguentis vngimini. Accepiſti ſabbatum, vt animam tuam liberares à vitiis, tu verò tum magis illa committis. Quid enim eſſe poſsit iſta mollicie nequius, quàm in-

dormire

dormire lectis eburneis? Nam cætera quidem peccata delectationẽ habent, velut in temulentia & adulterio, cæ- G
terum in lectis eburneis dormire, quã affert voluptatem? quod solatium? Num lecti pulchritudo reddit nobis somnum suauiorem dulciorẽmque? Imò grauissimum est istud molestissimúmque, si modò sapiamus. Etenim si dum tu dormis in eburneo lecto, tecum reputes, quòd alius ne panem quidem habet quo securè vescatur, nónne te tua condemnabit conscientia, insurget in accusationem istius inæqualitatis? Quòd si crimen est eburneis indormire lectis, quum vndique etiam argento fuerint conuestiti, quam afferemus excusationem? IDEM
*Cap.24.* SVPER MATTHAEVM. Est corporale sabbatum secundũ literas legis, quod Iudæi intelligebant & con-
*Hom.49.* seruabant, dum à corporali opere abstinerent, non à corporalibus malis. Et est spirituale secundum quod gratia Christi manifestauit, quod intelligunt Christiani & obseruant, abstinentes se non ab opere corporali, sed à corporalibus malis. Qui ergo vacat ab opere malo, faciens opera bona, laudabiliter sabbatizat, & sanctè secundum spiritum, & dei consilium: qui autem recedit ab opere boni, faciens opera mala, culpabitur, & impiè sabbatizat. H

ISIDORVS. Tertium mandatum de sabbato ad spiritum sanctum pertinet, cuius dono requies nobis sempiterna promittitur. Nam quia spiritus sanctus septiformis dicitur, propterea & septimum diem sanctificauit deus. In aliis enim diebus operum non est nominata sanctificatio nisi in sabbato, vbi dicitur requieuit deus. Porrò igitur hoc mandatum pertinet ad spiritum sanctum, tam propter nomen sanctificationis, quàm etiam propter æternam requiem ad donum sancti spiritus pertinentem. Dicitur enim ibi, Memento vt diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimus autem dies sabbatum est domini dei tui: non facies omne opus. In sex dierum opere, sex millium annorũ operatio continetur. In septimo verò requies, id est, beati illius regni tempus ostenditur, quod carnaliter Iudæi celebrantes, peccant. Et hoc non nos ad fidem
*Esa.1.* mendacij fallentes aptamus. Clamat dominus per prophetam dicens: Neomenias & sabbata vestra odiuit anima mea. Quomodo ergo sanctificata erunt sabbata illa quæ odiuit dominus? Illud ergo sabbatũ est sanctificatum, vbi post bona huius vitæ opera, requies nobis æterna promittitur. Ideóque si quicquid agimus, propter futuri seculi requiem facimus, veraciter sabbatum obseruamus. RVPERTVS. Quia aliquid boni facere, I
non ad laudem dei siue ob spem æternæ retributionis, sed vt videaris ab hominibus, dilectioni dei contrarium est: ideo dicitur, Memento vt diem sabbati sanctifices, id est, in omnibus operibus tuis dei retributionem attende, vel in deo requiem tibi præparandam pro mercede, quod verè est diem sabbati sanctificare.

4 [H]Onora *patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

4 RVPERTVS. Quæ sequuntur sex præcepta, Cuncta quæ dilectioni proximi sunt inimica, extirpant, legémque adiuuant naturalem, quæ dicit, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Hæc à Gentibus, siue honestio- K
ribus Gentilibus vtcunque obseruari potuerunt, sed ad vitam illis absque dilectione dei, non profuerunt, vtpote deos alienos habentes, & cætera quæ supradictis quatuor præceptis inhibentur facientes, beatitudinem non sunt consequuti. Decem præceptorum distinctio nunc in nostris codicibus, ex translatione beati Hieronymi sic habetur. Cæterùm alia quatuor præcepta quæ ad dilectionem pertinent dei, in tria esse redacta, & è contrario eorum quæ ad dilectionem spectant, proximi vltimum, id est, Non concupisces, in duo diuisum legimus, vt aliud sit non concupisces vxorem proximi tui, & aliud, Non concupisces rem proximi tui, & ita ad dilectionem quidem dei tria, ad dilectionem verò proximi septem pertinere præcepta. Quod ex Septuaginta In-
*Psalm.143.* terpretibus sumptum fuisse arbitramur. Iste sunt decem chordæ cantatoris dei, dicentis in Psalmo, Deus canti-
*Psalm.32.* cum nouum cantabo tibi. Item, Confitemini domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallam tibi.
*2.2.q.122.* Qui enim sine istis viuit, mentitur, quotiens se in decachordo psalterio domino confiteri profitetur. THO-
*ar.5.in cor.* MAS. Præcepta decalogi ad dilectionem dei & proximi ordinantur. Inter proximos autem maximè obliga- L
mur parentibus, & ideo immediatè post præcepta ordinantia nos in deum, ponitur præceptum ordinans nos ad parentes, qui sunt particulare principium, & sic est quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ. Ait igitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi.*
*Cap.6.* AMBROSIVS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. Lex datur filiis, vt quia parentibus auctorbus constant, obediant eis. Iustum est enim vt reuerentiam exhibeant eis, per quos sunt. Quod est mandatum primum promissionis, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Promissio hæc in Exodo continetur, vt honorifici sint parentes, & bene essent, & prouectioris fierent ætatis. Quomodo tamen hoc primum mandatum dixit, cùm constet primum mandatum ita cotineri, Non sint tibi alij dij præter me. Deinde, Non facies tibi similitudinem vllam quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum. Tertiũ, Non sumes nomẽ domini dei tui in vanũ. Quartũ, Obseruabis (inquit) sabbata mea. Quintum autẽ, Honora patrem & matrem, & cætera. Sed quia prima quatuor mandata ad deum pertinent, hæc in prima tabula contineri subintelliguntur. Cætera ad homi- M
nem, vt honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quicquã proximi sui concupiscat. Hæc sex mãdata in secunda tabula videntur scripta, quorum primum est, Honora patrem & matrem. Hac causa ergo dixit, quod est mandatũ primum in promissione, vt discerneret inter mandata quæ ad deum, & inter ea quæ ad hominem pertinent. HIERONYMVS AD GERONTIAM. Honor in præsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur, vt est illud, Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Et in Euangelio dominus differit mandatum legis, in quo dicitur, Honora patrem tuum & matrem tuam, non in verborum sono, qui inopiam parentum, cassa po-
*Cap.15.* test adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debere intelligi. IDEM SVPER MAT-
*1.Tim.5.* THAEVM. Honora patrem tuũ & matrem tuam. Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur. Honora (inquit Apostolus) viduas, quæ



A quæ verè viduæ sunt, hîc honor donum intelligitur. Et in alio loco, Presbyteri duplici honore honorãdi, maxi- *Deut.25.*
mè qui laborant in verbo & doctrina dei. Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere. Et dignus sit operarius mercede sua. Præceperat dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, vt filij honorarent etiam in vitæ necessariis ministrandis parentes suos. Hanc prouidentissimam dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, vt si quis ea quæ parẽtibus offerẽda sunt, deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio domini præponatur parentum muneribus, vel certè ipsi parentes quæ deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atq; ita fiebat vt oblatio liberorũ sub occasione templi & dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima Pharisæorum traditio, de alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditũ reddere, delegabãt sacerdotibus, vt exacta pecunia, ministeriis templi &
B eorũ vsibus deseruiret. Potest autẽ & hũc breuiter habere sensum. Munus quod ex me est, tibi proderit. Cõpellitis, *Matth. 15.*
inquit, filios, vt dicant parentibus suis, quodcunq; donũ oblaturus eram deo, in tuos cõsumo cibos, tibiq; prodest ô pater & mater, vt illi timentes accipere quod deo mancipatũ videant, inopẽ magis velint vitã ducere, quàm comedere de consecratis. IDEM IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. Ait hîc Apostolus, Honora *Cap.6.*
patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & longæuus sis super terram. Quod testimonium de Exodo sumptum, ita tibi contexitur, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram, quam dominus deus tuus dabit tibi: de quo nunc vltima verba subtraxit, quod mandatum in decalogo quintum est. Vnde quærendum quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cùm primum mandatum sit, Non erunt tibi dij alij præter me. Quamobrem nonnulli ita legunt, quòd est mandatum primum in promissione, quasi quatuor alia mandata quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissiones, & in hoc solo pollicitatio feratur adiuncta, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram quam do-
C minus deus tuus dabit tibi. Sed videntur mihi non obseruasse subtilius, & in secundo mandato repromissionẽ esse sociatam. Ait enim, Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem eorũ quæ in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis subtus terram, non adorabis ea, & non immolabis illis, Ego enim sum dominus deus tuus, deus zelotes qui reddo peccata patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem, his qui me oderunt, & facio misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Obserua enim quòd verba sint sponsionis, Faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Forsitan ergo quia decalogus exeunti de Aegypto populo prima lex data est. Vnumquodque mandatum decalogi, primum mandatum est appellandum, ad comparationem eorum præceptorum, quæ postea in lege cõscripta sunt. Qui verò expositionem superiorem tenere conabitur, in eo quòd distinxerat, quod est mandatum primum in repromissione, dicet seperatim esse mãdatum, Honora patrem tuum & matrem tuam: & postea repromissionem suo loco positam, vt sis longæuus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi. In hoc verò
D mandato, id est, Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem, non seorsum, sed sub vno textu atque sermone, non tam promissionem datam, quàm sententiam in laudes dei esse finitam, Faciens misericordiam in milia his qui eum diligunt, & custodiunt, mandata eius. Rursum his qui tota decalogi mandata, primum mandatum esse contendit, repromissionem in qua scriptum est, vt sis longæuus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi, non solũ ad eos pertinere monstrabit, qui parentibus obsequantur, sed etiam ad alia innumerabilia præcepta, & necesse habebit cuncta replicare mandata in quibus merces hæc & præmium promittantur, vt sint lõgæui super terram quam dominus deus suus dederit eis. A quo diuersus ille exigere debebit interpres, vt doceat ante hoc mandatum, illa quæ ab eo prolata sunt scripta esse mandata. Quòd si non potuerit approbare, frustra & in aliis præceptis hanc repromissionem adiunctam esse memorabit. Post hæc retractandum, pro honore patris & matris, non Iudaicum & carnale esse promissum, vt longæui sint filij super terram quam dominus deus suus dederit eis. Multos enim fuisse credendum, qui & parentibus obsequentes, citò mortui sint, & in pa-
E rentes impij, vsque ad extremam venerint senectutem. Respondeant enim Iudæi & similes Iudæorum, si vitæ istius longitudo est in repromissis, & diu in corpore permanere felicitas est, quid sibi vult illud in Psalmis, Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar. Et hoc Salomonis in Ecclesiaste, *Eccle.4.*
Laudaui ego omnes mortuos qui olim mortui sunt, super viuentes qui viuunt vsque in præsens, & melior est super hos duos, qui nec dum natus est, & non vidit omne opus malum quod factum est sub sole. Et post paulum, Si genuerit vir centum, & annos plures vixerit, & multi fuerint dies annorum eius, & anima illius repleatur bonis, & sepultura non sit ei, dixi melius est super eum abortiuum, quia in vanitate venit, & in tenebris nomen eius operietur, & quidẽ solẽ non vidit, & cętera. Si enim laudantur super viuos mortui, & iuxta quosdã qui antequã in corpora ista descendãt, animas degere in cœlestibus arbitrantur, melior esse dicitur duobus, qui nec dum natus est, & omnis ista vita tentatio est. Et secundum Iob, Mors viri requies. Et iuxta eundem & Hiere- *Hiere.20.*
miam, Maledicta est dies in qua nascimur, quomodo nunc repromittimur honorantibus patrẽ & matrem quod
F longæui sint super terram, quam dominus deus suus dederit eis? Quærenda est ergo terra quam dominus repromittit, & tribuit his qui spiritualem Aegyptum reliquerint, & cum omni patientia, magna & terribilia vitæ istius deserta transierint, & vicerint reges magnos, quos percutit dominus, & transierint in Iudæam quæ lacte & melle fluit, & sub Iesu duce, Hierico corruente, atque vastata Hai, quæ interpretatur abruptum, Hierusalem venerint, & ædificetur eis templum sub Salomone rege pacifico, & possideant terram quæ mansuetis est præparta. Beati quippe mites, quoniam ipsi possidebunt terram, quæ verè est terra viuentium, Psalmista quo- *Psalm.26.*
que dicente, Credo videre bona domini in regione viuentium. Huius vitæ longitudinem & sapientia habet in manu dextera, in sinistra tenens diuitias & gloriam. AVGVSTINVS CONTRA ADIMANTVM, *Cap.6.*
De eo quod scriptum est in Exodo, Honora patrem tuum & matrem tuam. Huic etiam loco vbi de honorandis parentibus deus præcepit, illum Euangelij locum Manichæi dicunt esse contrarium, vbi dominus cuidam dicenti, ibo primùm vt sepeliam patrem meum, respondit, Sine vt mortui mortuos sepeliant, tu autem veni, *Luc.9.*
& annuncia

& annuncia regnum dei. Quod eodem modo ſoluitur quo illud ſuperius vbi de vxore relinquenda dictum eſt, G propter regnum cœlorum, quia & parentes honorare debemus, & eos tamen propter annunciationem regni dei nulla impietate contemnimus. Nam etſi veteri teſtamento contrarium eſt Euangelium propter iſtam ſententiam, incipit etiam Apoſtolo eſſe contrarium, qui & filios monet vt honorent parentes, & parentes vt diligant filios. Non ſolùm autem, ſed etiam dominus videbitur ſibi ipſi eſſe contrarius, quod credere nefas eſt, quia loco alio dicit homini quærenti vitam æternam, Si vis venire ad vitam, ſerua mandata. In quibus etiam illud commemorat, Honora patrem & matrem. Quibus mandatis perfectis etiam ad dilectionem dei creſcitur, in qua eſt tota perfectio. Nam dilectio proximi, certus gradus eſt ad dilectionẽ dei, & ideo reſpondenti quòd omnia mandata illa ſeruauit, dicit vnum ei deeſſe, ſi vult eſſe perfectus, vt vendat omnia quæ habet, & det pauperibus, & ſequatur eum. Ex quo manifeſtum eſt, & honorem parentum in gradu ſuo eſſe ſeruandum, & eos tamen in di-
*Deut.33.* uini amoris comparatione, præſertim ſi impedimento ſunt, nulla dubitatione oportere contemni. Nam & in H ſcripturis veteribus habes poſitum, Qui dicit patri & matri, Non noui vos, & qui filios ſuos non agnoſcit, ipſe autem cognouit teſtamentum tuum. Ergo ſi & in nouo teſtamento commendatur parentum dilectio, & in veteri commendatur parentum contemptus, ex vtroque capite duo ſibi teſtamenta conſentiunt.

IDEM IN LIBRO DE DECEM CHORDIS. Honora patrem tuum, & cætera. Ad parentes enim ſuos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia ſumit exordium. Quiſquis autem ſuis parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? Et dicit Apoſtolus, Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt primum mandatum. Quomodo primum, quando quartum mandatum eſt, niſi quia in ſeptenario numero eſt primum? Ad dilectionem proximi primum eſt in ſecunda tabula, ideo duæ tabulæ legis datæ ſunt. Deus enim famulo ſuo Moyſi in monte duas tabulas dedit. In quibus duabus tabulis lapideis cõſcripta erant decem præcepta legis, quod eſt pſalterium decem chordarum. Tria in vna tabula ad deum pertinentia, ſeptem in altera tabula ad proximum. In altera ergo tabula primum eſt, Honora patrem tuum & matrem tuam. ORI-
DINARIA. Bene autem ſeptem ſunt, quæ ad proximum pertinent. Septenarius ergo ex ternario conſtat & quaternario. Ternarius verò animæ congruit, quæ eſt iraſcibilis, concupiſcibilis, rationalis. Quaternarius autem corpori, quod ex quatuor compoſitum eſt elementis. CHRYSOSTOMVS, IN
*Hom.36.* HOMILIIS SVPER MATTHAEVM. Qui amat (inquit) dominus, patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus: & qui amat filiũ aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Vidiſti præcipuam docentis auctoritatem: intellexiſti quomodo patris dei filium ſe eſſe oſtendit, cùm iubet omnibus rebus charitatem ſuam anteponere? Sed quid de amicis atque cognatis diſputo? cùm etiam ſi animam tuam meæ charitati antepoſueris, procul à diſcipulorum meorum numero, ait, te ſeparaueris. Quid igitur, obiiciet quiſpiam, an hæc veteribus contraria non ſunt? Nequaquam, imò verò & valde conſona, omninóque coniuncta. Sic enim etiam non odio ſolùm, verùm etiam lapidibus cultores idolorum perſequendos iuſsit, & in Deuteronomio veritatis cultores admiran- K dos ait, Qui dicit patri, aut matri, non vidi te, & fratres ſuos non cognouit, & filios ignorauit, is cuſtodiuit eloquia mea. Si autem Paulus multa diſputat de parentibus, ſummam eis obedientiam volens præberi, non admireris. In omnibus enim obtemperandum parentibus eſt, præterquàm in his quæ pietatis veritatem ſpectant. Ita cùm ſanctum ſit omnem honorem parentibus afferre, cùm pluſquàm oporteat quærũt veritati reluctantes, reſiliendum eſt: ſic Lucas quoque ſcribit, Si quis venit ad me, & non habet odio patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & liberos & fratres, & adhuc animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Non ſimpliciter iuſsit te coniunctos tibi homines inſequi, id enim iniquum omnino, atque peſtiferum eſt, ſed quando plus me petit aliquis diligi, odio ipſum habeas ait. Hoc enim tam diligenti, quàm ei qui diligitur, pernicioſiſsimũ eſt. Hac doctrina & credentes filios maioris animi fecit, & patres ne ab amore Chriſti liberos deturbent, admonuit videntes tantas eſſe ipſius vires, vt facilè poſſet à parentibus filios eripere, quare ea tentare non debent, quæ ad finem deducere non poſſunt. Deinde ne moleſtè aut grauiter ferant fideles animaduerte quo ſermonem L deducit, cùm enim dixerit, Qui non odit patrem & matrem, confeſtim intulit, & animam ſuam. Quid enim parentes, fratres, ſorores, vxorem, ſolùm pro me abiiciendos putas? Nihil eſt homini anima ſua coniunctius, & tamen niſi hanc etiam oderis, non ea quæ diligenti, ſed ea odio habenti tibi retribuentur. Nec ſimpliciter odiſſe animam iubet, ſed adeò vt ad bellum, ad pugnas, ad cædem, ad ſanguinem prodas. IDEM IN
*Hom.26.* COMMENTARIIS SVPER MATTHAEVM. Non dixit dominus, Veni ſeparare filium à patre, ſed aduerſus patrem, quia non corporalem ſeparationem iubet, ſed ſpiritualẽ. Qui enim corporaliter ſeparatur, à patre ſeparatur, non contra patrem: qui autem ſpiritualiter ſeparatur, corpore quidem cum patre eſt, fide autem aduerſus patrem. Nam qui longè eſt à patre, non poteſt ſtare contra patrem: qui autem ante patrem eſt, ille poteſt eſſe contra patrem, reſpondendo, blandiendo, diſputando. Non enim credibile eſt, vt corporaliter iubeat relinquere patrem, qui dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam. Si ergo habes patrem infidelem, obſequere ei, & tu inuenies mercedem pietatis, & ipſe infidelitatis ſuæ habebit damnationem ſuam. Et ideo non dixit, Qui diligit patrem, non eſt me dignus, ſed ait, Qui diligit patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Sicut enim poſt deum diligere parentes, pietas eſt: ſic plus quàm deum diligere, impietas eſt. Si ergo habes patrem infidelem, obſequere ei. Si autem voluerit te in eandem foueam infidelitatis immergere, in qua ipſe eſt, tunc plus dilige deum, quàm patrem, quia pater non eſt animæ, ſed carnis. Solus autem deus omnium animarum ſanctarum pater eſt. Reddite ergo vnicuique quod ſuum eſt. Carnalibus patribus præbete carnis obſequium, ſpiritualibus autem patribus animæ ſanctitatem. Et verè nihil eſt, quod amplius diligere debemus quàm deum. Amici enim recedunt, parentes deficiunt, ſolus autem Chriſtus nec recedit aliquando, nec deficit, donec voluerimus & nos eſſe cum ipſo. Cùm de hoc mundo exierimus, vnaquæq; anima ad locum ſuum recedit, & nemo recordatur amplius carnalem affectum, cùm de carne receſſerit: Non pater filium, non filius patrem. Omne enim quod de terra ſuſcepimus, in terra dimittetur, & neminem

nobiſcum



A nobiſcum habebimus, niſi opera noſtra, ſi bona ſunt, ad gloriam: ſi mala ſunt, ad pœnam. IDEM IN EVANGELIVM MATTHAEI, VAE MVNDO. Quid igitur (inquis) ſi amauero patrem aut matrem, non idcirco ſeruio domino? Nónne ſcriptum eſt in lege, & in Euangelio, Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur? Nunquid propterea ſeruire deo debemus, *Deut.5.* vt non honoremus parentes? Reſpondeo tibi & ego, In tantum honora parentes, in quantum non impediant ad ſeruitutem domini, hoc eſt, imperatoris tui. ISIDORVS. Iubetur ergo in hoc præcepto filius honorare parentes, neque contumelioſus illis exiſtere, ſed officio pietatis debitam reuerentiam præſtare. THOMAS. Parentibus in quantum huiuſmodi, debetur reuerentiæ honor, ſed ſuſtentatio *Vbi ſuprà* & alia huiuſmodi debentur eis ratione alicuius accidentis, puta in quantum ſunt indigentes, vel ſerui, vel *ar.5. ad.2.* aliquid huiuſmodi. Et quia quod eſt per ſe, prius eſt eo quod per accidens, ideo inter prima etiam præcepta *3.&4.*
B legis, quæ ſunt præcepta decalogi, ſpecialiter præcipitur honoratio parentum, in quo ſicut in quodam principali intelligitur mandari & ſuſtentatio, & quicquid aliud parentibus debetur. Longæuitas autem promittitur honorantibus parentes, non ſolùm quantum ad futuram vitam, ſed etiam quantum ad præſentem, ſecundum illud Apoſtoli prima ad Timotheum quarto, Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Et hoc rationabiliter, qui enim gratus eſt beneficio, meretur ſecundum quandam congruentiam, vt ſibi beneficium conſeruetur. Propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere. Beneficium autem vitæ corporalis poſt deum à parentibus habemus, & ideo ille qui honorat patrem & matrem, tanquam gratus meretur vitæ conſeruationem, quaſi beneficio gratus. Qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus meretur vita priuari. Quia tamen præſentia bona vel mala non cadunt ſub merito vel demerito, niſi in quantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideo quandoque ſecundum occultam rationem diuinorum iudiciorum quæ maximè futuram remunerationem reſpiciunt, aliqui qui ſunt
C pij in parentes, citiùs vita priuantur: alij verò qui ſunt impij in parentes, diutius viuunt. Et quia per prius aliquid debetur parentibus quàm patriæ & conſanguineis, per hoc enim quod ſumus nati à parentibus, pertinent ad nos & conſanguinei & patria: ideo cùm præcepta decalogi ſint prima præcepta legis, magis ordinatur homo per ea ad parentes, quàm ad patriam, vel ad alios conſanguineos, nihilominus tamen in hoc præcepto quod eſt de honoratione parentum, intelligitur mandari quicquid pertinet ad reddendum debitum cuicunque perſonæ, ſicut ſecundarium includitur in principali. IDEM IN OPVSCVLIS. Honora patrem tuum, & cætera. Perfectio hominis conſiſtit in dilectione dei & proximi, & ad dilectionem dei pertinent tria præcepta quæ ſcripta fuerunt in prima tabula, ad dilectionem verò proximi ſeptem quæ ſunt in ſecunda tabula. Sed ſicut dicitur prima Ioannis tertio, non debemus diligere verbo neque lingua, ſed opere & veritate. Homo enim ſic diligens, debet duo facere, ſcilicet fugere malum, & facere bonum. Vnde quædam ſunt in præceptis inducentia ad bonum, alia autem ſunt prohibentia facere mala. Et
D ſciendum, quòd cauere à malo faciendo, eſt in potentia noſtra, ſed facere cuilibet bonum non poſſumus. Et ideo dicit beatus Auguſtinus, quòd nos omnes debemus diligere, ſed non omnibus tenemur benefacere. Sed inter omnes debemus benefacere coniunctis nobis. Inter omnes autem propinquos ſunt nobis propinquiores pater & mater. Et ideo dicit Ambroſius, Primò debemus diligere deum, Secundò patrem & matrem. Et hoc eſt quod dicit, Honora patrem tuum & matrem tuam. Et huiuſmodi rationem reddit Philoſophus qui dicit quòd ex magno beneficio recepto ab eis, non poſſumus eis reſpondere ex æquali. Et ideo bene poteſt pater offenſus expellere filium, ſed non è conuerſo. Dant autem parentes filio tria. Primò ſtabilimentum quo ad eſſe, Eccleſiaſtici ſeptimo, Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris. Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes. Secundò nutrimentum ſiue fulcimentum, quo ad neceſſaria vitæ. Nudus enim intrat filius in hunc mundum, vt dicitur Iob primo, ſed à parentibus ſuſtentatur. Tertiò documentum, Hebræorum duodecimo, Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus. Eccleſiaſtici
E ſeptimo, Filij tibi ſunt, erudi illos. Et debent parentes dare duo documenta filiis, & citò, quia vt dicitur Prouerbiorum vigeſimo ſecundo, Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Et Threnorum tertio, Bonum eſt viro cũ portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Et ſunt illa quæ docuit Thobias filium ſuum Thobiæ quarto, ſcilicet timorem domini, & abſtinere ab omni peccato. Et hoc eſt contra illos qui delectantur in maleficiis filiorum. Sed ſicut dicitur Sapientiæ quarto, Ex iniquis omnes filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes. Vnde deus punit peccatum parentum in filios, vt dicit Exodi vigeſimo. Igitur filij à parentibus habent eſſe, nutrimentum, & diſciplinam. Et quia eſſe habemus ab eis, debemus magis reuereri quàm dominos à quibus ſolũ res, præterquàm deum, à quo habemus animam, Eccleſiaſtici tertio, Qui timet dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his qui genuerunt, in opere & ſermone, & omni patientia. Et in hoc etiam honoras teipſum, quia ſicut dicitur Eccleſiaſtici tertio, Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore. Item quia dant nobis nutrimentum in pueritia, & nos debe-
F mus eis dare in ſenectute, Eccleſiaſtici tertio, Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes illũ in vita illius: etſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in tua virtute. Quàm malæ famæ eſt qui derelinquit patrem, & eſt maledictus à deo qui exaſperat matrem. Item tertiò, quia docuerunt nos, debemus eis obedire, Epheſiorum ſexto, Filij obedite parentibus veſtris, niſi ſcilicet in his quæ ſunt contra deum. Hieronymus ad Heliodorum, Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Lucæ quarto decimo, Si quis non odit patrem ſuum & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Deus enim verior pater eſt, Deuteronomij trigeſimo ſecundo, Nunquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit & fecit & creauit te? Honora patrem tuum, & cætera. Inter omnia præcepta huic tantùm adiungitur, vt ſis longæuus ſuper terram. Et ratio huius eſt, ne credatur non deberi præmium honorantibus parentes quia eſt naturale. Et ſciendum quòd honorantibus parentes quinque deſiderabilia promittuntur. Et primum eſt gratia in præſenti & gloria in futuro, quæ maximè deſideratur, Eccleſiaſtici tertio, Honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à deo. Contrarium

debetur

debetur in maledicentibus;& etiam in lege maledicuntur à deo, vt dicitur Deuteronomij vigesimo septimo, & G
Lucæ sextodecimo dicitur, Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Sed vita naturalis quasi nihil est
in comparatione ad vitam gratiæ. Si ergo non recognoscis beneficium vitæ naturalis quam habes à parentibus,
indignus es vita gratiæ quæ maior est, & per consequens vita gloriæ quæ maxima est. Secundum desiderabi-
le est vita naturalis, Ecclesiastici tertio, Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore, & nota quòd vita lon-
ga est quando est plena, & non mensuratur tempore, sed actione secundum Philosophum. Tunc autem ple-
na est vita, quando est virtuosa. Et ideo virtuosus & sanctus diu viuit, quamuis citò moriatur corporaliter.
Ideo dicitur Sapientiæ quarto, Consummatus in breui expleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima
illius. Optimè autem mercatur ille, qui tantum facit vna die, quantum alius in vno anno. Et nota quòd ali-
quando accidit, quòd longior vita causa est mortis corporalis & spiritualis, sicut accidit Iudæ, sed mortẽ acqui-
runt illi qui iniuriantur parentibus. Habemus enim ab eis vitam sicut milites à rege feudum. Et ideo sicut dignũ H
est quòd illi amittant pro proditione feudum, ita isti propter iniuriam illatã parentibus vitam, Prouerbiorum
trigesimo, Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrenti-
bus, & comedant eum filij aquilæ. Per filios aquilæ intellige reges & principes, per coruos officiales. Et si ali-
quando non puniuntur corporaliter, mortem tamen spiritualem effugere non possunt. Propterea pater non de-
bet potestatem multam dare filiis. Tertium est habere filios sibi gratos & acceptos, Ecclesiastici tertio, Qui ho-
norat patrem suum, iocundabitur in filiis. Matthæi septimo, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.
Quartũ est habere famam laudabilem, Ecclesiastici tertio, Gloria hominis ex honore patris sui. Et iterũ, Quàm
malæ famæ est qui derelinquit patrem. Quintũ est habere diuitias, Ecclesiastici tertio, Benedictio patris firmat
domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Honora ergo patrem, & cętera. Notandũ, quòd
non solũ dicitur aliquis pater ratione carnalis generationis, sed quibusdam aliis rationibus, aliqui dicuntur pa-
tres, & cuilibet eorum debetur aliqua reuerentia. Dicuntur enim patres apostoli & alij sancti, per doctrinam & I
exemplum fidei. Apostolus prima Corinthiorum quarto, Nam si decẽ millia pædagogorũ habeatis in Christo,
sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Et ideo dicitur Ecclesiastici quadra-
gesimo quarto, Laudemus viros glorioſos & parentes nostros in generatione sua. Laudemus autem non ore, sed
imitatione. Et hoc fit si non inuenitur in nobis contrarium eius quod laudamus, Hebræorum decimo tertio,
Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum, cõuersationis imitamini fidem. Dicuntur etiã
prælati patres. Et isti venerandi sunt. Sunt enim dei ministri, Lucæ decimo, Qui vos audit, me audit: & qui vos
spernit, me spernit. Et ideo debemus eos honorare, obediendo, Apostolus Hebræorum tertio decimo, Obedite
præpositis vestris, & subiacete eis. Et decimas præbendo, Prouerbiorum tertio, Honora deum de tua substãtia, &
de primitiis frugum tuarum da pauperibus. Item reges & principes, Quarto Regum quinto, Pater etsi rem gran
dem dixisset tibi propheta, certè facere debueras. Qui dicuntur patres, quia debent intendere bonum populi. Et
istos honoramus per subiectionem, Romanorum tertio decimo, Omnis anima potestatibus sublimioribus sub- K
dita sit. Et hoc non solùm timore, sed amore: nec solùm propter rationem, sed etiam propter conscientiam.
Et ratio huius est, quia secundum Apostolum ibidem, omnis potestas à deo est. Et ideo reddendum est cui tribu
tum, tributum, & cætera, Prouerbiorum vigesimo quarto, Time dominum fili mi & regem. Item benefactores,
Ecclesiastici quarto, Esto pupillis misericors vt pater. Est enim propriũ patris benefacere filiis. Et ideo tenemur
reddere vicem in benefaciendo, Ecclesiastici vigesimo nono, Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris. Ingratis enim
accidit illud Sapientiæ quinto decimo, Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet. Item senes, Deutero-
nomij trigesimo secũdo, Interroga patrem tuũ, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Leuitici decimo
nono, Coram cano capite consurge, & honora personã senis. Ecclesiastici trigesimo secundo, In medio magna-
1.2.q. 100. torum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, non multũ loquaris. IDEM. Sciendum autem quòd homines
ar.7. ad.3. vt plurimum actus suos ad aliquam vtilitatẽ ordinant, & ideo in illis præceptis necesse fuit promissionẽ præmij
apponere, ex quibus videbatur nulla vtilitas sequi, vel aliqua vtilitas impediri. Quia verò parẽtes sunt iã in re- L
cedẽdo, & ab eis nõ expectatur vtilitas, & ideo præcepto de honore parentũ additur promissio. Similiter etiã in
præcepto de prohibitione idololatriæ, quia per hoc videbatur impediri apparens vtilitas, quam homines credũt
se posse consequi per pactum cum dæmonibus initum. CAIETANVS. Honora patrem tuum & matrem
tuam. Primum præceptum datum homini relatiuè ad alios homines, & est affirmatiuum. Prima enim alia supe-
riora præcepta data sunt homini relatiuè ad deum. Hoc itaque relatiuè ad homines, à primis inter homines be-
nefactoribus nostris (patre videlicet & matre) nomen ac initium habet. Dico autem initium, quia Paulus Apo-
stolus Timotheo scribens, hoc præceptum extendi exponit ad personas omnes, ad quas se extendit pietatis vir-
tus. Interpretatur enim promissionem hîc scriptam, factam esse pietati, & non duntaxat pietati honorandi pa-
trem & matrem. Ergo à primo pietatis actu, qui est honorare patrem & matrem, intellige vniuersam pietatem
debitam patri & matri, & reliquis sanguine coniunctis, patriæ, ciuibus, patriæq; beneuolis præcipi. Vnde & do-
minus in Euangelio sub honore debito patri & matri, intelligit etiam subuentiones debitas patri & matri. Vt M
sis (inquit) longæuus super terram. Aptè prolongatio vitæ corporalis retribuitur piis erga parentes, tanquam gra-
tis accepto à parentibus beneficio vitæ. Decet siquidem, vt grati benefactoribus fruantur beneficio longo tem-
pore. Et hanc promissionem intellige quantum est ex parte pietatis, aliunde siquidem impedimentum præsta-
ri potest efficaciæ huius promissionis, & hinc fit, vt aliqui in parentes pij parùm vixerint. Quam dominus deus
dabit tibi. Iuxta Hebræum habetur, Quam dominus deus tuus dans tibi. Non promittitur tantummodo vita
longæua, sed etiam in patria propria lacte & melle manante, dicendo, Super terram quam deus tuus dans tibi.
Et dicit dans, quia quantum erat ex parte dei, erat tunc dans (vt pote ducens eos in terrã illam) sed peccata eo-
rum impedierunt & distulerunt quadraginta annis. AVCTOR CATENAE. Vt sis lõgæuus super ter-
ram. Optimè sensum ex verbis elicuit Interpres, nam in Hebræo est, לְמַעַן יַאֲרִכֻן יָמֶיךָ Lemáhan iaarichiun iamẽ-
cha, Vt prolongẽtur dies tui, sic & Chaldaica. Septuaginta vt apud nos, à quibus fortè mutauit Interpres. Qui
etiam



A etiam præponunt huic clausulæ, ἵνα σοὶ γένηται, Vt bene sit tibi. Aliqui verò reddunt, vt prolongent dies tuos,
& subaudiunt, mandata dei, dicũt enim esse futurũ in Hiphil verbũ Iaarichun. Quod etiam apud nos redditur,
Quam dominus deus tuus dabit tibi, Verbũ Hebræum נָתַן Nothen à Nathan, Dat, in præsenti reddunt, & sic le-
gunt etiam Septuaginta, δίδωσί σοι. Est enim participium præsens actiuũ. Posset tamen poni hoc in loco præ-
sens pro futuro, sicut alibi multis in locis fieri comperimꝰ. Chaldaica etiã in futuro legit sicut nostra editio. Post
igitur præcepta pertinentia ad cultũ vnius dei, sequitur de pietate in parentes, pro quibus præcipitur, vt honores
patrem tuũ & matrem tuã. Id autem exigit à nobis deus cõditor & pater noster, naturalis vis inclinans ad propẽ-
issimè amandum parentes, & iustitia æquissimo iure id exigit. Colendi ergo sunt, sic vt magnificè de eis sen-
tiamus, vt precioſi nobis sint, etiã humili conditione, viles ac pauperes. Illos quoq; metuamus cũ reuerentia, per
quos in lucem editi, & ingenti labore curaq; aliti & educati sumus, vt eorũ senectutẽ & egestatẽ subleuemus, vt
B colamus summa beneuolẽtia, & honore prosequamur. Vt autẽ liberorum corda ad parentũ pietatẽ alliciat deus,
præmij vice spondet vitæ longæuitatẽ, vt in tranquillitate & pace viuas super terram, quam tibi daturus est, vel
dat deus: has autẽ humiles promissiones dat nobis deus, vt in typum sint futuræ terræ viuentiũ, in qua fideles &
electi sint habitaturi. Sunt semper inter fideles & electos dei quibus lacte adhuc opus est, quos vt pueros donis &
præmiis diuina benignitas allicit, nihilominus perfecta nobis forma posita est, vt tanquã filij absq; mercedis re-
spectu operemur. Parentũ quoque nomine intelliguntur magistri, præceptores, & maiores quicunq; etiam secun
dum scripturas Ethnicorum & Iudæorũ, ac in sacris literis passim in parabolis. THOMAS. Sicut autem 2.2. q. 122.
per partes iustitiæ redditur debitũ aliquibus determinatis personis, quibus homo ex aliqua speciali ratione obli- ar.6. in cor.
gatur, ita etiã per iustitiã propriè dictã, aliquis debitũ reddit cõmuniter omnibus. Et ideo post præcepta tria perti- & ad.2. &
nentia ad religionẽ qua redditur debitũ deo, & post quartũ præceptũ quod est pietatis, qua redditur parẽtibus de- 3.
bitum, in quo includitur omne debitũ, quod ex aliqua speciali ratione debetur, necesse fuit, quòd ponerẽtur con
C sequenter aliqua præcepta pertinentia ad iustitiã propriè dictam, quæ indifferenter omnibus debitũ reddit. Nec
obstat si dicatur, Non sufficit ad salutẽ, quòd aliquis proximo suo non noceat, sed requiritur, quòd ei debitũ red
dat secundũ illud ad Romanos tertio decimo, Reddite omnibus debita, sed in sex vltimis quæ sequuntur præ-
ceptis, solũ prohibetur nocumentũ proximo inferendum, ergo inconuenienter prædicta præcepta traduntur.
Quia respondetur, quòd cõmuniter ad hoc obligatur homo, vt nulli inferat nocumentũ, & ideo præcepta nega-
tiua quibus prohibentur nocumenta quæ possunt proximis inferri, tanq̃ cõmunia fuerunt ponenda inter præce-
pta Decalogi. Ea verò quæ sunt proximis exhibenda, diuersimodè exhibentur diuersis, & ideo non fuerunt inter
præcepta Decalogi ponenda de his affirmatiua præcepta. Sciendũ autem, quòd omnia nocumenta quę proximis
inferuntur, possunt reduci ad ista quatuor, videlicet homicidiũ, adulterium, furtũ, & falsum testimonium, tanq̃
ad quædam cõmuniora & principaliora. Nam omnia nocumenta quæ in personam proximi inferuntur, intelli-
guntur prohiberi in homicidio, sicut in principaliori: quæ verò in personam coniunctã, & maximè per modum
D libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio: quæ verò pertinent ad damna in rebus illata, intelligun-
tur prohiberi simul cum furto: quæ autẽ pertinent ad locutiones, sicut detractiones, blasphemiæ, & siqua huius-
modi, intelliguntur prohiberi in falso testimonio, quod directiùs iustitiæ contrariatur. Cõuenienter ergo sequi-
tur præceptum quintum, NON OCCIDES. HIERONYMVS IN HIEREMIAM. Homici- Cap.22.
das & sacrilegos & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. AVGVSTINVS
IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Non est ergo putandum fieri contra hoc præce- Quæst. 71.
ptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem deus iubet. Ille enim facit qui iubet, quando ministerium negare
non licet. IDEM PRIMO DE CIVITATE DEI. Cùm dicitur, Non occides, nihilo deinde ad- Cap.20.21.
dito, nullus, nec ipse vtiq; cui præcipitur, intelligitur exceptus. Vnde quidã hoc præceptũ etiam in bestias ac ope- & 26.
ra conantur extendere, vt ex hoc nullum etiam eorũ liceat occidere. Cur non ergo & herbas, & quicquid hu mo
radicitùs alitur ac figitur? Nam & hoc genus rerũ quãuis nõ sentiat, dicitur tamẽ viuere, ac per hoc potest & mo-
Eri, proinde etiam cũ vis adhibetur occidi. Vnde & Apostolus cũ de huiusmodi seminibꝰ loqueretur, Tu (inquit) Psalm. 77.
quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et in psalmo scriptũ est, Occidit vites eorũ in grandine. Nun-
quid igitur ob hoc cũ audimus, Non occides, virgultum vellere nephas dicitur, & Manichęorum errori insanis-
simè acquiescimus? His igitur deliramentis remotis, cũ legimus, Non occides, si propterea non accipimus hoc
dictũ esse de fructetis, quia nullus est eis sensus, nec de animãtibus irrationabilibus, volatilibus, natatilibus, am-
bulantibus, reptilibus, quia nulla nobis ratione sociãtur, quam nõ eis datum est nobiscũ habere cõmunem. Vnde
iustissima ordinatione creatoris, & vita & mors eorũ nostris vsibus subditur. Restat ergo, vt de hominibus in-
telligamus quod dictũ est, Non occides, non alterum ergo, nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quàm homi-
nem occidit. Quasdã verò exceptiones eadẽ ipsa diuina fecit auctoritas, vt liceat hominẽ occidi. Sed his excep-
tis quos deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personã pro tempore expressa iussione. Non autẽ ipse occidit,
qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculus gladius est vtenti. Et ideo nequaq̃ contra hoc præceptum fe-
F cerunt, quo dictũ est, Non occides, qui deo auctore bella gesserunt, aut personã gerentes publicę potestatis, secũ-
dum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solũ non est
culpatus crudelitatis crimine, verũ etiã laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filiũ nequaq̃ sceleratè, sed obe
dienter occidere. Et meritò quæritur, vtrum pro iussu dei sit habẽdum, quòd Iepte filiam quæ patri occurrit oc-
cidit, cùm se immolaturũ deo id vouisset, quod ei redeunti de prælio victori primitùs occurrisset. Nec Samson
aliter excusatur quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppresit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui
per illum miracula faciebat. His igitur exceptis quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ deus specialiter
occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Sed &
hoc dicimus, hoc modis omnibus approbamus neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugien
do molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere
grauissimum proprium, quem nõ polluebat alienum, neminem propter sua peccata præterita, propter quæ ma-
gis hac

gis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mor- G
*Cap.8.* tem speratur, quia reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. IDEM SVPER IO-
*Tract. 42.* ANNEM. Sed videte aliud genus homicidij fratres. Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum malum seminauit, & occidit. Noli ergo putare te non esse
*Psalm. 56.* homicidam, quando fratri tuo mala persuades, si fratri tuo mala persuades, occidis. Audi psalmum, Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius accutus. CHRYSOSTOMVS
*Hom.11.* IN COMMENTARIIS SVPER MATTHAEVM. Scitis (inquit dominus) quia dictũ est antiquis, Non occides. Ego autem dico, Si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Hæc impletio legis secundum modum viuendi secunda facta est. Faciens enim hæc Christus, & docens, impleuit legẽ, non soluit. Non enim est Christi mandatum contrarium legi, sed latiùs quàm lex. Mandatum Christi legem in se tenet inclusam, lex autem non tenet Christi mandatum. Qui ergo implet Christi mandata, tacitè in eis im- H
plet & legis, nam qui non irascitur, multò magis nec occidit, qui autem implet legis mandatum non omnino implet & Christi. Frequenter enim & homo non quidem occidit propter timorem vindictæ, tamen irascitur. Vides ergo quia lex impleta est per gratiam, non sublata? Deinde sine mandatis his Christi nec possunt stare legis mandata. Nam si concedatur licentia irascendi, datur & causa homicidij faciendi. Ex ira enim homicidium generatur. Tolle autem iram, & homicidium non fit. Omnis enim qui irascitur sine causa, quantum ad voluntatem suam homicidium facit, etiam si non facit propter metum. Ideo dolor quidem non est talis, quem- admodum si factum fuisset, peccatum autem tale est irascentis. Ideo Ioannes in Canonica sua Epistola dicit, Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est. Vide sapientiam Christi. Volens ostendere, quia ipse est deus, qui aliquando locutus est in lege, & qui nunc mandat in gratia illud mandatum quod ante omnia mandata posuit in lege, illud ipsum mandatum posuit & nunc in principio mandatorum suorum. In primis scriptum est in lege, non occides. Ideo hîc statim ab homicidio cœpit, vt per concordiam mandatorum, ipse I
inueniatur dictator fuisse legis & gratiæ. IDEM IN HOMILIIS SVPER MAT-
*Hom.17.* THAEVM. Quandoque homicidium ipsum, quod à Diabolo inuentum esse manifestum est, opportunè aliquando factum, eum qui id operatus est, Phinees scilicet, maximè fecit sacerdotij honore decorari. Quod autem homicidium Diaboli opus sit, audi in Euangelio docentem Christum, Vos opus patris vestri vultis facere, ille homicida erat à principio & ab initio. Sed tamen occidit Phinees hominem, & reputatum est ei ad iustitiam. Abraham verò non homicida solùm, verùm etiam parricida, quod certè est grauius effectu, magis deo, magisque complacuit. Sed & Petrus geminum fecit homicidium, fuit tamen opus spiritale, quod factum est. Non sola igitur respiciamus opera, sed tempus & causam, & voluntatem, & personarum differentiam, & quantacunque alia ipsis operibus acciderint, diligentissimè requiramus, non enim possumus ad veritatem aliter peruenire. ISIDORVS. Non solùm autem opere perpetrans homicidium facit, sed etiam qui incurrit in esurientem vel nudum qui mori possit, ni- K
si indumentum cibúmque porrigendo subueniat, & idem homicida tenebitur. INTERLINEARIS. Manu vel etiam mente occidis, vel subtrahendo auxilium vel consilium vitæ ei, cui potes vel debes dare. THOMAS IN OPVSCVLIS. Non occides. In lege diuina per quam ordinamur ad dilectionem dei & proximi, præcipitur non solùm facere bonum, sed etiam declinare à malo. Inter alia autem maius malum quod possit fieri proximo, est occidere eum. Et hoc prohibetur cùm dicitur, non occides. Contra quod præceptum tripliciter est erratum. Quidam enim dixerunt quòd non licet occidere etiam bruta animalia. Sed hoc falsum est, quia non est peccatum vti illis quæ sunt subdita hominis potestati. Est etiam naturalis ordo, quòd plantæ sint in nutrimentum animalium, & quædam animalia in nutrimentum aliorum, & omnia in nutrimentum hominum, Genesis nono, Quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Philosophus etiam dicit in politica, quòd venatio est sicut iustum bellum. Apostolus prima Corinthiorum decimo, Omne quod in macello venit manducate. Ergo non occides homines. Quidã dixerunt hîc L
prohibitum esse homicidium hominis omnino. Vnde homicidas dicunt esse Iudices seculares, qui condemnãt secundum leges aliquos. Contra quos dicit Augustinus quòd deus per hoc præceptum non abstulit sibi potestatem occidendi. Vnde Deuteronomij trigesimo secundo, Ego occidam, & ego viuere faciam. Est ergo licitum illis qui mandato dei occidunt, quia tunc deus facit. Omnis enim lex mandatum dei est, Prouerbiorum octauo, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Et Apostolus Romanorum decimo tertio, Si malũ feceris time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est. Moysi quoque dicitur Exodi vigesimo secundo, Maleficos non patieris viuere. Id enim quod licitum est deo, licitum est & ministris eius per mandatum ipsius. Constat autem quòd deus non peccat cùm sit auctor legum, infligendo mortem propter peccatum, Romanorũ sexto, Stipendia peccati mors, ergo nec minister ei°. Est ergo sensus, non occides propria auctoritate. Alij verò dixerunt quòd per hoc quod dicitur non occides, prohibetur non occidere aliũ. Vnde dicebant quòd licitum erat occidere seipsum. Sic enim inuenitur de Samsone, Iudicum sexto decimo, & de Catone, & de qui- M
busdam virginibus quæ se in flammas iniecerunt, sicut recitat Augustinus in primo de Ciuitate dei. Sed ad hoc respondet Augustinus ibidem, dicens, Qui se occidit, hominem vtique occidit. Si ergo hominem non licet occidere nisi auctoritate dei, ergo nec seipsum, nisi vel auctoritate dei, vel instinctu spiritus sancti, sicut dicitur de Samsone. Ergo non occides. Sciendum etiam est, quòd hominem occidere cõtingit multipliciter. Primò manu, Esaiæ primo, Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Quod quidem est non solùm contra charitatem qua præcipitur vt diligas proximum sicut teipsum, prima Ioannis tertio, Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem, verùm etiam contra naturam, quia vt dicitur Ecclesiastici tertio decimo, Omne animal diligit sibi simile. Vnde Exodi vigesimo primo, Qui percusserit hominem volẽs occidere, morte moriatur: Et hic quidem crudelior est lupo, de quo dicitur in quarto animalium, quòd si lupo detur caro lupi, non comedit. Item ore, & hoc fit dando consilium alicui contra aliquem prouocando, accusando & detrahendo, Psalmus,

Filij



A Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Tertiò adiutorio, Prouerbiorum primo, Fili mi, ne ambules cum eis. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem. Consensu, Romanorum primo, Digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Consentis autem quodammodo, quando potes impedire, Prouerbiorum vigesimoquarto, Erue eos qui ducuntur ad mortem. Et iterum, si vires suppetunt, sed dimittis negligentia vel auaritia, Ambrosius, Pasce fame morientem, si non paueris, occidisti. Et sciendum quòd aliqui occidunt solùm corpus, de quo dictum est. Alij animam, auferendo vitam gratiæ, trahendo scilicet ad peccatum mortale, Ioannis octauo, Ille homicida erat ab initio, inquantum scilicet traxit ad peccatum. Alij autem vtrunque. Et hoc dupliciter. Primò in destructione prægnantium: occiduntur enim pueri in corpore & in anima. Secundò interficiendo seipsum. Non ergo occides. Christus dat in Euangelio, Matthæi quinto, quandam doctrinam, quæ est,
B quòd iustitia nostra debet esse maior iustitia legis. Vnde docet perfectiùs seruari mandata legis à Christianis quàm Iudæi seruauerunt. Et ratio huius est, quia maiori labore acquiritur maior merces, secunda Corinthiorum nono, Qui parcè seminat, parcè & metet. In lege enim promittebantur temporalia & terrena, Esaiæ primo, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Sed in lege nostra promittuntur cælestia & æterna. Ergo iustitia quæ est obseruantia mandatorum, debet abundare, cùm maior expectetur merces. Inter alia autem præcepta facit mentionem de isto, dicens Matthæi quinto, Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, id est, pœna quam lex adiudicauit. Exodi vigesimoprimo, vbi dicitur, Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur. Debet autem quilibet quinque modis ab ira cauere. Primò ne citò prouocetur, Iacobi primo, Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Et ratio huius est, quia ira peccatum est, & punitur à deo. Sed nunquid omnis ira est contraria
C virtuti? Circa hoc duplex est opinio. Stoici enim dixerunt quòd nulla passio cadit in sapientem, imò volebant quòd vera virtus esset in quiete mentis. Peripatetici autem dixerunt, quòd ira cadit in sapientem, sed moderata. Et est opinio verior. Et patet primò auctoritate, quia in Euangeliis inuenimus istas passiones Christo attributas, in quo fuit fontalis plenitudo sapientiæ. Secundò patet ratione. Nam si omnes passiones virtuti contrariarentur, essent aliquæ potentiæ animæ quæ essent frustra, imò quæ essent homini in nocumentum, quia non haberent aliquos actus conuenientes. Et sic irascibilis & concupiscibilis frustra datæ essent homini. Et ideo dicendum est, quòd aliquando ira est virtus, aliquando non. Accipitur enim ira tripliciter. Primò prout est in solo iudicio rationis absque commotione animi. Et ista non dicitur propriè ira, sed iudicium. Sic enim dominus puniens malos, iratus dicitur, Micheæ septimo, Iram domini portabo, quoniam peccaui ei. Secundò accipitur prout est passio. Et ista est in appetitu sensitiuo, & est duplex, quia aliquando ordinatur ratione, & continetur sub terminis rationis, quando scilicet quis irascitur quando debet, & quantum debet, & pro quo debet, &
D huiusmodi. Et tunc est actus virtutis, & dicitur ira per zelum. Vnde Philosophus dicit quòd mansuetudo nõ est nullo modo irasci. Ista ergo ira non est peccatum. Est & tertia ira quæ refugit iudicium rationis. Et ista semper est peccatũ, sed aliquando veniale, aliquando est mortale. Et hoc distinguitur ex eo quod ad iram incitat. Quod aliquando est veniale, aliquando est mortale. Mortale duplex, vel ex genere, vel ex circunstantiis. Homicidiũ autem videtur esse actus peccati mortalis ex suo genere, quia directè ordinatur contra præceptũ diuinum. Et ideo consensus in homicidium, est peccatum mortale ex genere, quia si actus est mortalis, & consensus in actum erit mortalis. Aliquando autem peccatum mortale est ex genere, sed tamen motus nõ est peccatum mortale, quia est sine cõsensu, sicut si ascendit motus concupiscentiæ ad fornicandum, & non consentitur, nõ est peccatum mortale. Similiter ira est enim motus ad iniuriam illatam vindicãdam. Hæc enim est propriè ira. Si ergo iste motus est taliter in passione, ita quòd ratio deducatur, tunc est peccatum mortale. Si autem vsque ad consensum non peruertitur ratio, tunc est peccatum veniale. Si autem motus non sit ex genere peccatum mortale, tunc etsi con-
E sensus adhibeatur, nõ est peccatum mortale. Quod ergo dicit qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, intelligẽdum est de motu tendente in nocumentum, qui motus est peccatũ mortale, ita quòd sit ibi cõsensus, Ecclesiastes vltimo, Cũcta quæ fiunt adducet deus in iudiciũ pro omni errato, siue bonum, siue malum. Secunda ratio quare debemus nõ prouocari citò ad iram est, quia omnis homo diligit libertatẽ, & odit seruitutem. Non est autẽ iracundus dominus sui ipsius, Prouerbiorum vigesimoseptimo, Impetũ concitati spiritus ferre quis poterit? Ibidẽ, Graue saxum, & onerosa arena, sed iracundia stulti vtroque grauior. Secũdò cauere debet ne diu in ira permaneat. Psalmus, Irascimini & nolite peccare. Ephesiorũ quarto, Sol nõ occidat super iracundiam vestrã. Et rationem huius assignat in Euangelio dominus, dicens Matthæi quinto, Esto cõsentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi nõ exies inde, donec reddas nouissimum quadrantẽ. Tertiò cauere debemus ne ira procedat. Primò in corde, quod fit quãdo peruenit ad odium. Est enim differẽtia inter irã & odium, quia ira subita est, odiũ verò diuturnũ. Et ideo est mortale peccatum, prima Ioãnis
F tertio, Qui odit fratrẽ suũ, homicida est. Et ratio huius est, quia & se interficit, spoliando se charitate, & aliũ. Augustinus in regula, Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Prouerbiorum decimoquinto, Vir iracundus prouocat rixas. Genesis quadragesimonono, Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura. Quartò cauere debet ne procedat in verbo, Prouerbiorum duodecimo, Fatuus statim indicat iram suã. Et potest indicare duobus modis, iniuriando scilicet, & superbè loquendo. Quantùm ad primum dicit dominus Matthæi quinto, Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Quantùm ad secundum dicitur ibidem, Qui autem dixerit racha, reus erit cõcilio, Prouerbiorũ quintodecimo, Respõsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorẽ. Quintò cauere debet ne procedat in opere. In omni enim opere nostro duo debemus obseruare, scilicet facere iustitiam, & misericordiam, & ira vtrunque impedit. Ira enim viri iustitiam dei non operatur, vt dicitur Esaiæ primo. Quamuis enim velit, tamen non potest. Vnde Philosophus quidam dixit cuidam qui eum offenderat, Punirem

te, nisi essem iratus. Prouerbiorum vigesimoseptimo, Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. G
Geneseos quadragesimonono, In furore suo occiderunt virum. Et propter hoc Christus non solùm docuit nos
cauere ab homicidio, sed ab ira. Bonus enim medicus non tantùm tollit malum quod apparet, sed etiam ra-
dicem remouet infirmitatis, ne scilicet recidiuet. Et ideo vult nos abstinere à principiis peccatorum, & ità
ab ira quæ est principium homicidij. CAIETANVS. Non occides. Aliud præceptum promulgatur, &
est negatiuum. Et vt aiunt Hebræi, dictio interpretata occides, appropriata est occisioni hominis, ita quòd
non est communis occisioni hominis, & occisioni aliorum animalium. Et si ita est, non est opus vt apponatur
tanquam glossa hominem, perinde enim dictum est non occides, ac si dictum fuisset non homicides, data fin-
gendi licentia. Quocunque autem modo legas, proculdubio homicidium duntaxat prohibetur. Ita quòd
nec animalia irrationalia prohibemur occidere, quæ naturali iure occidere possumus vt vescamur eis, vel ne
molesta sint nobis. Nec iusta hominis occisio prohibetur immo inferius subiungetur, Maleficos non patieris H
viuere super terram. Homicidium enim iniustam hominis occisionem sonat. Et hoc est primum mandatum
inter prohibentia nocere homini, quia maximum nocumentum est tollere vitam. AVCTOR CATE-
NAE. Voluere aliqui, quòd ex præcepto huiusmodi omne aliud nocumentum in persona hominis, vt mu-
tilatio, verberatio, & similia, quæ contra proximi charitatem sunt, ex consequenti intelligatur esse prohibi-
tum. Non itaque occidendum manu, mente, consilio. Aequè non verberandum, non mutilandum præter
ius & phas. Occidendus autem, quem deus iubet occidi. Similiter non irascendum, non famæ proximi cum
iniuria priuatim vel publicè detrahendum. Nihil hoc ad iudices qui gladium non frustra portant, qui fon-
tes punire, malum è medio tollere iubentur à deo, vt virtuti locus sit, & bonis viuere tranquillis liceat. Dei
enim ministri sunt, qui & ipse impunè ac sanctè ferit, mortificat, & viuificat. Quem ergo ille iubet ferire, il-
le quoque citra crimen ferit. Sic percusserunt Moyses, Phinees, Samuel, Hiehu, Elias, & alij. Neque etiam
magistratus feriat, nisi dominus iubeat. Nemo id melius iudicabit quàm pius, qui nouit quoties ignoscen- I
dum, quoties percutiendum, sancto spiritu intus corda mouente: desint prauitates, ira, odium, asperitas, sed
charitas doceat. Nec prætereundum in Chaldaica editione legi hoc præceptum, Non occides animam. Vbi
dubium non est, animam poni pro homine. Prohibito autem nocumento in propria proximi persona, sequi-
tur prohibitio nocumenti ratione personæ sibi coniunctæ eidem inferendi, vnde dicitur, *Non mœchaberis.*
*Quæst. 71.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur quid dif-
ferat quod dictum est, Non mœchaberis, ab eo quod paulò pòst dicitur, Non concupisces vxorem proximi
tui. In eo quippe quod dictum est non mœchaberis, poterat & illud intelligi, nisi forsitan in hoc præcepto
non mœchandi, ipsum opus notatum est, in altero verò non concupisces, ipsa concupiscentia duntaxat: quæ
duo tantùm differunt, vt aliquando mœchetur, qui non concupiscit vxorem proximi, cùm alia aliqua causa
illi miscetur: aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens, & hoc fortasse lex ostendere
voluit, quòd vtraque peccata sint. Item quæri solet, vtrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc K
enim Græcum verbum est, quo iam scriptura vtitur pro Latino, Mœchos tamen Græci non nisi adulteros di-
cunt. Sed vtique ista lex non solùm viris in populo, verùm etiam fœminis data est. Neque enim quia dictum
est, Non concupisces vxorem proximi tui, nihil sibi hîc præceptum debet putare fœmina, tanquam licitè
posset concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamuis non
dictum sit quòd etiam ad fœminam pertineat, quantò magis ex eo quod dictum est nõ mœchaberis, vterque se-
xus constringitur, cùm & ipsum præceptum potest referri ad vtrunque, sicut Non occides, Non furaberis, & a-
lia quæ similiter non expresso vno sexu, vtrique videntur sonare communiter. Tamen vbi vnus exprimitur,
honoratior vtique exprimitur, id est, masculinus, vt ex hoc intelligat etiam fœmina, quid sibi præceptum sit.
Ac per hoc si fœmina mœchata est, habens virum, concumbendo cum eo qui vir eius non est, etiam si ille non
habeat vxorem, etiam vir mœchatus est, habens vxorem concumbendo cum ea quæ vxor eius non est, etiam si
illa non habeat virum. Sed vtrum si faciat qui vxorem non habet, cum fœmina quæ virum non habet, ambo L
præcepti huius transgressione teneantur, meritò quæritur. Si enim non tenetur, non est prohibita in decalogo
fornicatio, sed sola mœchia, id est, adulterium, quamuis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut
*Matth. 5.* loquuntur scripturæ. Dominus enim dicit in Euangelio, Quicunque dimiserit vxorem suam excepta causa
fornicationis, facit eam mœchari. Hoc vtique fornicationem appellauit, si cum alio peccet quæ virum habet,
quod est mœchia, id est, adulterium. Omnis ergo mœchia, etiam fornicatio in scripturis dicitur, sed vtrum
etiam omnis fornicatio, mœchia dici possit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exem-
plum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio quam
faciunt viri qui vxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent, vtrum inueniri possit, ignoro. Sed
si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, non enim rapinam permisit qui furtum pro-
hibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur, profectò & nomine
mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus, prohibitus debet intelligi. M
*Ser. 9.* CHRYSOSTOMVS DE VIRTVTIBVS ET VITIIS. Quòd si perdiscere cupias fundamentis natu-
ræ leges statuisse deum, quibus quid bonum sit, quid ve malũ discerni possit: hoc ipsum ex animi nostri con-
sensu requiras. Cur qui mala commisisse gaudent, malorum omnes nomina refugiunt? vocatur siquidem mœ-
*Cap. 9.* chus, & tamẽ hoc ipsum audire mœchus ille ipse erubescit. AVGVSTINVS IN LIBRO DE DE-
CEM CHORDIS. In sexto præcepto non mœchaberis, video iacere penè totum genus humanum,
in illo video plus laborare. Quærelæ quotidianæ sunt, quanquam ipsæ fœminæ nec iam audeant conqueri de
viris suis. Ita inuadens omnia consuetudo pro lege obseruatur, vt iam & mulieribus fortè persuasum sit, li-
cere hoc viris, non licere mulieribus. Solent enim audire adductas esse mulieres ad forum, quæ fortè cum
seruis inuentæ sunt: adductum virum ad forum qui inuentus est cum ancilla sua, nunquam audierunt, cùm
sit par peccatum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non diuina veritas, sed humana per-
uersitas



A uersitas. Sed fortè est hodie qui acriorem patiatur vxorem suam, & liberius murmurantem & dicentem sibi,
Non licet quod facis, simul audiuimus, Christiani sumus, quod à me exigis, redde mihi, fidem tibi debeo, fi-
dem mihi debes, fidem Christo ambo debemus. Et si me fallis, eum non fallis, cuius sumus, non fallis eum
qui nos emit. Quid hîc dicam vobis ô viri? Nolite mœchari post vxores vestras, quia non vultis vt mœchentur
post vos vxores vestræ. Nolite ire vos, quò eas sequi non vultis. Sine causa vos excusare conamini, quãdo di-
citis, Nunquid eo ad vxorem alienam? ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, Nunquid eo ad vi-
rum alienum? ad seruum meum eo. Dicis non est vxor aliena ad quam vado. Nunquid vis dicatur tibi,
non est vir alienus ad quem vado? Absit vt dicat hoc illa. Melius enim dolet te, quàm imitetur te. Illa enim
casta & sancta fœmina, & verè Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed
propter charitatem. Non ideo vult vt non facias, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit. Nam si
B propterea non facit, vt tu non facias, si feceris, faciet. Si autem deo illud debeat, si Christo illud debeat quod
tu exigis, & ideo reddit, quia iubet iste, & si fornicatur vir, castitatem fœmina illa deo exhibet. Christus
enim loquitur in cordibus bonarum fœminarum, loquitur intus vbi non audit vir, quia nec dignus est, si ta-
lis est. Loquitur ergo ille interius, & dicit, & filiam suam consolatur huiusmodi verbis: De iniuriis viri tui
torqueris, quod tibi enim fecit dole, sed ipsum noli imitari vt malefacias, sed ipse te imitetur in bono.
Nam in eo quod malè facit, noli eum putare caput tuum, sed time me deum tuum. Nam & si in eo quod
malè facit caput est, & secuturum est corpus caput suum, eunt ambo per præceps. Vt autem non sequatur
malum caput suum, teneat se ad caput Ecclesiæ Christum. Huic debens castitatem suam, huic deferens hono-
rem suum. Absens sit vir, præsens sit vir, non peccat illa, quia nunquam est absens cui debet vt non peccet.
Hæc ergo fratres mei facite, vt positis concordare cum aduersario vestro. Nec amara sunt quæ dico, aut si
amara sunt, curant. Potio ista si amara est, accipiatur, quia in periculo sunt viscera: amara est, bibatur. Me-
C lius est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Mutate ergo vos. Quicun-
que non faciebatis hoc bonum castitatis, iam facite. Nolite dicere, non potest fieri, fœdum est fratres mei,
turpe est, vt vir dicat non posse fieri quòd facit fœmina, scelus est, vt vir dicat, non possum. Quod potest
fœmina, vir non potest? Quid enim? Illa carnem non portat? Prior à serpente decepta est. Castæ vxores ve-
stræ ostendunt vobis fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse. Sed fortè dicis, ideo illam
facilius facere posse, quia illi custodia est, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum publi-
carum. Est etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum. Multæ custodiæ faciunt fœminam
castam, virum castum faciat ipsa virilitas. Nam ideo mulieri maior custodia, quia maior infirmitas. Illa
erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior, quia facilè vincis, ideo tibi commissus
es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & consuetudo morum, & verecundia maior, & deus, su-
per te tantùm deus. Inuenis enim facilè pares viros quibus non timeas erubescere, quia faciunt id multi. Et
D tanta est peruersitas generis humani, vt aliquando metuendum sit, ne castus erubescat inter impudicos. Ideo
non cesso de hoc præcepto loqui propter ipsam peruersam consuetudinem, & labem totius (vt dixi) generis
humani. Si quis inter vos faciat homicidium (quod auertat deus) pellere eum vultis de patria, & continuò
si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, odistis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falsum testimo-
nium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & iniustus deputatur.
Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, blandè accipitur, conuertuntur vulnera in ioca. Si quis autem
existat, qui dicat se castum, non facere adulterium, notum autem sit quòd non faciat, erubescit accedere ad
illos non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana per-
uersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur libidinis victor. Triumphantes exultant, &
non sunt viri, iacent prostrati, & viri sunt? Sed & tu noli dicere tibi quando fortè aliquid luxurianter vis
agere, vxorem non habeo, facere possum quod volo, non enim post vxorem meam pecco. Iam nosti pre-
E tium tuum, iam nosti quò accedas, quid manduces, quid bibas, imò quem manduces, quem bibas. Absti-
ne te à fornicationibus. Ne fortè mihi dicas, ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad prostitutam eo,
nec illud præceptum violo, quo dictum est, Non mœchaberis, quia vxorem nondum habeo, nec post illam
aliquid facio. Nec illud præceptum violo quo dictum est, Non concupisces vxorem proximi tui, quia ad pu-
blicam vado, in quod præceptum incurro? Nunquid non habemus neruum, quo ligemus fugitiuum istum?
Habemus quidem, sed amet, & non erit ligamentum, sed ornamentum. Respondemus itaque tibi (quod gra-
uius est) in ipsum peccas deum. Et quomodo (inquis) facio contra dominum? Facis quidem, quia corrumpis
teipsum. Et vnde iniuriam facio deo, dicis, quia corrumpo meipsum? Vnde tibi facit iniuriam, qui volue-
rit fortè lapidare tuam tabulam pictam in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad va-
num honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nónne in te facit contu-
meliam? Cum verò imaginem dei quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis,
F attendis quia ad nullius vxorem accessisti, attendis quia post vxorem tuam nihil fecisti, quia vxorem non
habes, & non attendis per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violasti. Postremo deus qui scit
quid tibi vtile sit, qui verè sic suos seruos gubernat ad vtilitatem illorum, non ad suam. Non enim indiget
seruis quasi ad adiutorium, sed tu indiges domini auxilio. Ipse ergo dominus qui scit quid tibi sit vtile, vxo-
rem concessit, nihil amplius, hoc iussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod
esse cœpisti. Nunquid hoc ego dico? Apostolum audite. Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat
in vobis? Si quis templum dei corruperit, corrũpet illum deus. Videtis quomodo minatur. Nõ vis corrũpi tuam *1. Cor. 3.*
domũ, quare corrumpis domum dei? In flagitiis ergo deũ offendis, in corruptelis illũ offendis, in te illi iniuriã fa
cis. Facis enim iniuriã gratię ipsius, domo ipsius. Seruũ si haberes, velles vt seruiret tibi seruus tuus. Seruis tu me-
liori, domino deo. Seruũ tuũ non tu fecisti, & te & seruũ tuũ ille fecit. Vis vt tibi seruiat cũ quo factus es, & tu nõ
vis seruire ei à quo factus es? Ergo cũ vis vt seruiat tibi seruꝰ tuus homo, & tu nõ vis seruire domino deo, facis deo

te, nisi essem iratus. Prouerbiorum vigesimoseptimo, Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. G Geneseos quadragesimonono, In furore suo occiderunt virum. Et propter hoc Christus non solùm docuit nos cauere ab homicidio, sed ab ira. Bonus enim medicus non tantùm tollit malum quod apparet, sed etiam radicem remouet infirmitatis, ne scilicet recidiuet. Et ideo vult nos abstinere à principiis peccatorum, & ità ab ira quæ est principium homicidij. CAIETANVS. Non occides. Aliud præceptum promulgatur, & est negatiuum. Et vt aiunt Hebræi, dictio interpretata occides, appropriata est occisioni hominis, ita quòd non est communis occisioni hominis, & occisioni aliorum animalium. Et si ita est, non est opus vt apponatur tanquam glossa hominem, perinde enim dictum est non occides, ac si dictum fuisset non homicides, data fingendi licentia. Quocunque autem modo legas, proculdubio homicidium duntaxat prohibetur. Ita quòd nec animalia irrationalia prohibemur occidere, quæ naturali iure occidere possumus vt vescamur eis, vel ne molesta sint nobis. Nec iusta hominis occisio prohibetur immo inferius subiungetur, Maleficos non patieris H viuere super terram. Homicidium enim iniustam hominis occisionem sonat. Et hoc est primum mandatum inter prohibentia nocere homini, quia maximum nocumentum est tollere vitam. AVCTOR CATENAE. Voluere aliqui, quòd ex præcepto huiusmodi omne aliud nocumentum in persona hominis, vt mutilatio, verberatio, & similia, quæ contra proximi charitatem sunt, ex consequenti intelligatur esse prohibitum. Non itaque occidendum manu, mente, consilio. Aequè non verberandum, non mutilandum præter ius & phas. Occidendus autem, quem deus iubet occidi. Similiter non irascendum, non famæ proximi cum iniuria priuatim vel publicè detrahendum. Nihil hoc ad iudices qui gladium non frustra portant, qui sontes punire, malum è medio tollere iubentur à deo, vt virtuti locus sit, & bonis viuere tranquillis liceat. Dei enim ministri sunt, qui & ipse impunè ac sanctè ferit, mortificat, & viuificat. Quem ergo ille iubet ferire, ille quoque citra crimen ferit. Sic percusserunt Moyses, Phinees, Samuel, Hiehu, Elias, & alij. Neque etiam magistratus feriat, nisi dominus iubeat. Nemo id melius iudicabit quàm pius, qui nouit quoties ignoscen- I dum, quoties percutiendum, sancto spiritu intus corda mouente: desint prauitates, ira, odium, auaritia, sed charitas doceat. Nec prætereundum in Chaldaica editione legi hoc præceptum, Non occides animam. Vbi dubium non est, animam poni pro homine. Prohibito autem nocumento in propria proximi persona, sequitur prohibitio nocumenti ratione personæ sibi coniunctæ eidem inferendi, vnde dicitur, *Non mœchaberis.*

*Quæst. 71.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur quid differat quod dictum est, Non mœchaberis, ab eo quod paulò pòst dicitur, Non concupisces vxorem proximi tui. In eo quippe quod dictum est non mœchaberis, poterat & illud intelligi, nisi forsitan in hoc præcepto non mœchandi, ipsum opus notatum est, in altero verò non concupisces, ipsa concupiscentia duntaxat: quæ duo tantùm differunt, vt aliquando mœchetur, qui non concupiscit vxorem proximi, cùm alia aliqua causa illi miscetur: aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens, & hoc fortasse lex ostendere voluit, quòd vtraque peccata sint. Item quæri solet, vtrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc K enim Græcum verbum est, quo iam scriptura vtitur pro Latino, Mœchos tamen Græci non nisi adulteros dicunt. Sed vtique ista lex non solùm viris in populo, verùm etiam fœminis data est. Neque enim quia dictum est, Non concupisces vxorem proximi tui, nihil sibi hîc præceptum debet putare fœmina, tanquam licitè posset concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamuis non dictum sit quòd etiam ad fœminam pertineat, quantò magis ex eo quod dictum est nõ mœchaberis, vterque sexus constringitur, cùm & ipsum præceptum potest referri ad vtrunque, sicut Non occides, Non furaberis, & alia quæ similiter non expresso vno sexu, vtrique videntur sonare communiter. Tamen vbi vnus exprimitur, honoratior vtique exprimitur, id est, masculinus, vt ex hoc intelligat etiam fœmina, quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si fœmina mœchata est, habens virum, concumbendo cum eo qui vir eius non est, etiam si ille non habeat vxorem, etiam vir mœchatus est, habens vxorem concumbendo cum ea quæ vxor eius non est, etiam si illa non habeat virum. Sed vtrum si faciat qui vxorem non habet, cum fœmina quæ virum non habet, ambo L præcepti huius transgressione teneantur, meritò quæritur. Si enim non tenetur, non est prohibita in decalogo fornicatio, sed sola mœchia, id est, adulterium, quamuis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut *Matth. 5.* loquuntur scripturæ. Dominus enim dicit in Euangelio, Quicunque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Hoc vtique fornicationem appellauit, si cum alio peccet quæ virum habet, quod est mœchia, id est, adulterium. Omnis ergo mœchia, etiam fornicatio in scripturis dicitur, sed vtrum etiam omnis fornicatio, mœchia dici possit, in eisdem scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, vbi sit in decalogo prohibita illa fornicatio quam faciunt viri qui vxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent, vtrum inueniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur, profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus, prohibitus debet intelligi. M

*Ser. 9.* CHRYSOSTOMVS DE VIRTVTIBVS ET VITIIS. Quòd si perdiscere cupias fundamentis naturæ leges statuisse deum, quibus quid bonum sit, quidve malũ discerni possit: hoc ipsum ex animi nostri consensu requiras. Cur qui mala commisisse gaudent, malorum omnes nomina refugiunt? vocatur siquidem mœchus, & tamẽ hoc ipsum audire mœchus ille ipse erubescit.

*Cap. 9.* AVGVSTINVS IN LIBRO DE DECEM CHORDIS. In sexto præcepto non mœchaberis, video iacere penè totum genus humanum, in illo video plus laborare. Quærelæ quotidianæ sunt, quanquam ipsæ fœminæ nec iam audeant conqueri de viris suis. Ita inuadens omnia consuetudo pro lege obseruatur, vt iam & mulieribus fortè persuasum sit, licere hoc viris, non licere mulieribus. Solent enim audire adductas esse mulieres ad forum, quæ fortè cum seruis inuentæ sunt: adductum virum ad forum qui inuentus est cum ancilla sua, nunquam audierunt, cùm sit par peccatum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non diuina veritas, sed humana peruersitas



A uersitas. Sed fortè est hodie qui acriorem patiatur vxorem suam, & liberius murmurantem & dicentem sibi, Non licet quod facis, simul audiuimus, Christiani sumus, quod à me exigis, redde mihi, fidem tibi debeo, fidem mihi debes, fidem Christo ambo debemus. Et si me fallis, eum non fallis, cuius sumus, non fallis eum qui nos emit. Quid hîc dicam vobis ô viri? Nolite mœchari post vxores vestras, quia non vultis vt mœchentur post vos vxores vestræ. Nolite ire vos, quò eas sequi non vultis. Sine causa vos excusare conamini, quãdo dicitis, Nunquid eo ad vxorem alienam? ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, Nunquid eo ad virum alienum? ad seruum meum eo. Dicis non est vxor aliena ad quam vado. Nunquid vis dicatur tibi, non est vir alienus ad quem vado? Absit vt dicat hoc illa. Melius enim dolet te, quàm imitetur te. Illa enim casta & sancta fœmina, & verè Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed propter charitatem. Non ideo vult vt non facias, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit. Nam si B propterea non facit, vt tu non facias, si feceris, faciet. Si autem deo illud debeat, si Christo illud debeat quod tu exigis, & ideo reddit, quia iubet iste, & si fornicatur vir, castitatem fœmina illa deo exhibet. Christus enim loquitur in cordibus bonarum fœminarum, loquitur intus vbi non audit vir, quia nec dignus est, si talis est. Loquitur ergo ille interius, & dicit, & filiam suam consolatur huiusmodi verbis: De iniuriis viri tui torqueris, quod tibi enim fecit dole, sed ipsum noli imitari vt malefacias, sed ipse te imitetur in bono. Nam in eo quod malè facit, noli eum putare caput tuum, sed time me deum tuum. Nam & si in eo quod malè facit caput est, & secuturum est corpus caput suum, eunt ambo per præceps. Vt autem non sequatur malum caput suum, teneat se ad caput Ecclesiæ Christum. Huic debens castitatem suam, huic deferens honorem suum. Absens sit vir, præsens sit vir, non peccat illa, quia nunquam est absens cui debet vt non peccet. Hæc ergo fratres mei facite, vt posìtis concordare cum aduersario vestro. Nec amara sunt quæ dico, aut si amara sunt, curant. Potio ista si amara est, accipiatur, quia in periculo sunt viscera: amara est, bibatur. Me- C lius est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Mutate ergo vos. Quicunque non faciebatis hoc bonum castitatis, iam facite. Nolite dicere, non potest fieri, fœdum est fratres mei, turpe est, vt vir dicat non posse fieri quòd facit fœmina, scelus est, vt vir dicat, non possum. Quod potest fœmina, vir non potest? Quid enim? Illa carnem non portat? Prior à serpente decepta est. Castæ vxores vestræ ostendunt vobis fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse. Sed fortè dicis, ideo illam facilius facere posse, quia illi custodia est, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum publicarum. Est etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum. Multæ custodiæ faciunt fœminam castam, virum castum faciat ipsa virilitas. Nam ideo mulieri maior custodia, quia maior infirmitas. Illa erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior, quia facilè vincis, ideo tibi commissus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & consuetudo morum, & verecundia maior, & deus, super te tantùm deus. Inuenis enim facilè pares viros quibus non timeas erubescere, quia faciunt id multi. Et D tanta est peruersitas generis humani, vt aliquando metuendum sit, ne castus erubescat inter impudicos. Ideo non cesso de hoc præcepto loqui propter ipsam peruersam consuetudinem, & labem totius (vt dixi) generis humani. Si quis inter vos faciat homicidium (quod auertat deus) pellere eum vultis de patria, & continuò si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, odistis illum, nec videre vultis. Si quis dicat falsum testimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & iniustus deputatur. Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, blandè accipitur, conuertuntur vulnera in ioca. Si quis autem existat, qui dicat se castum, non facere adulterium, notum autem sit quòd non faciat, erubescit accedere ad illos non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur libidinis victor. Triumphantes exultant, & non sunt viri, iacent prostrati, & viri sunt? Sed & tu noli dicere tibi quando fortè aliquid luxurianter vis agere, vxorem non habeo, facere possum quod volo, non enim post vxorem meam pecco. Iam nosti pre- E tium tuum, iam nosti quò accedas, quid manduces, quid bibas, imò quem manduces, quem bibas. Abstine te à fornicationibus. Ne fortè mihi dicas, ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad prostitutam eo, nec illud præceptum violo, quo dictum est, Non mœchaberis, quia vxorem nondum habeo, nec post illam aliquid facio. Nec illud præceptum violo quo dictum est, Non concupisces vxorem proximi tui, quia ad publicam vado, in quod præceptum incurro? Nunquid non habemus neruum, quo ligemus fugitiuum istum? Habemus quidem, sed amet, & non erit ligamentum, sed ornamentum. Respondemus itaque tibi (quod grauius est) in ipsum peccas deum. Et quomodo (inquis) facio contra dominum? Facis quidem, quia corrumpis teipsum. Et vnde iniuriam facio deo, dicis, quia corrumpo meipsum? Vnde tibi facit iniuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam in qua tabula imago tua est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nónne in te facit contumeliam? Cum verò imaginem dei quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis, F attendis quia ad nullius vxorem accessisti, attendis quia post vxorem tuam nihil fecisti, quia vxorem non habes, & non attendis per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violasti. Postremo deus qui scit quid tibi vtile sit, qui verè sic suos seruos gubernat ad vtilitatem illorum, non ad suam. Non enim indiget seruis quasi ad adiutorium, sed tu indiges domini auxilio. Ipse ergo dominus qui scit quid tibi sit vtile, vxorem concessit, nihil amplius, hoc iussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse cœpisti. Nunquid hoc ego dico? Apostolum audite. Nescitis quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? Si quis templum dei corruperit, corrũpet illum deus. Videtis quomodo minatur. Nõ vis corrũpi tuam *1. Cor. 3.* domũ, quare corrumpis domum dei? In flagitiis ergo deũ offendis, in corruptelis illũ offendis, in te illi iniuriã facis. Facis enim iniuriã gratię ipsius, domo ipsius. Seruũ si haberes, velles vt seruiret tibi seruus tuus. Seruis tu meliori, domino deo. Seruũ tuũ non tu fecisti, & te & seruũ tuũ ille fecit. Vis vt tibi seruiat cũ quo factus es, & tu nõ vis seruire ei à quo factus es? Ergo cũ vis vt seruiat tibi seru⁹ tuus homo, & tu nõ vis seruire domino deo, facis deo

quod tu pati non vis. Diligite itaque coniugati castitatem, fugite soluti fornicationem. Illi ne mœchentur G
*Cap.7.* post vxores suas, vos ne domini templum corrumpatis. AMBROSIVS IN HEXAEMERON.
*Lib.5.* Nolite ergo quærere viri alienum thorum, nolite insidiari alienæ copulæ. Graue est adulterium, naturæ iniuria. Duos primùm deus fecit, Adam & Euam, hoc est, virum & vxorem. Et vxorem de viro, hoc est, de costa Adam, & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu. Quod vnum separas corpus, vnum diuidis spiritum, naturæ adulterium est. GREGORIVS IN EZECHIELEM.
*Hom.13.* Non mœchaberis. Per hoc præceptum non peccata cogitationis, sed operis resecauit dominus. At postquam per semetipsum dixit in Euangelio, Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, etiam cogitationes hominum religauit, & perfectum esse peccatum etiam in corde innotuit. IDEM VIGESIMO PRIMO MORALIVM. Nonnun-
*Cap.9.* quam à reatu adulterij nequaquam discrepat culpa fornicationis, cùm veritas dicat, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quia enim Græco verbo mœchus adulter di- H
citur, cùm non aliena coniunx, sed mulier videri prohibetur, apertè veritas ostendit, quia etiam solo visu cùm turpiter vel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur. CHRYSOSTOMVS IN COM-
*Hom.12.* MENTARIIS SVPER MATTHAEVM. Audistis (ait dominus) quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ecce alterum mandatum, minimum quidem apud Iudæos tunc, & nunc apud omnes qui non multum curant de anima sua, nec iudicant cor suum, quia irasci proximis suis sine causa nec aliqui putant esse peccatum, nec concupiscere tantùm mulierem alienam putant esse peccatum, opere concupiscentiæ non subsequuto. Magnum autem est apud timentes deum, & cor suum iudicantes. Magnum est etiam apud deum, qui non tantum opus hominis aspicit, quantum cor. Quo mandato lex non soluitur, sed impletur, quia sine hoc mandato stare non potest legis mandatum. Omne enim adulterium ex I
concupiscentia nascitur. Quomodo ergo tolletur adulterium, secundum legis mandatum, nisi præcisa fuerit concupiscentia, secundum Christi mandatum? Quoniam ergo sicut ira mater est homicidij, sic concupiscentia mater est adulterij, consequenter sicut qui irascitur fratri suo sine causa, occidit eum in corde suo, & si non occiderit eum propter metum vindictæ, aut propter impotentiam suam, & iam homicida est apud deum, qui non magis opus considerat, quàm affectum. Sic qui concupiscit mulierem alienam, iam mœchatus est eam in corde suo, etsi non habuerit eam, causa aliqua obsistente, & iam adulter est apud deum, qui magis aspicit voluntatem quàm opus, Quoniam opus ei adulterium committendi defuit non voluntas. IDEM
*Hom.62.* SVPER IOANNEM. Quòd nihil proficiat fides recta, si vita praua sit, & Christus & Paulus pluribus ostendit. Inquit enim, Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum. Et, Multi dicent mihi in illa die, Domine nónne in nomine tuo prophetauimus? & dicam eis, Nescio vos. Et iterum, Nolite gaudere, quòd dæmonia vobis obediunt. Qui hæc non attendunt, facilè in vitia delabun- K
tur, etiam si fidem rectam habeant. Sed nos hæc fugiamus, neque enim sine vita recta deus videri potest. Pacem, inquit, persequimini, & sanctificationem, sine qua nemo videbit deum. Sanctificationem continentiam appellat, vt vnusquisque sua contentus sit vxore, neque alienam quærat. Qui sua contentus non est, saluus esse non potest, sed necessariò peribit, etiam si innumera bona opera fecerit. Fornicando impossibile est intrare in regnum cœlorum, imò non fornicatio hæc, sed adulterium. Quemadmodum enim alligata viro, si alium cognoscit, adulteratur: ita alligatus vxori, si aliam habet, adulterij reus est, hic non hæreditabit regnum cœlorum, sed in gehennam intrudetur. De his inquit deus, Vermis eorum non morietur, neque ignis extinguetur. Nullam enim veniam consequitur, qui capta vxore, post hoc carnis remedium alienæ iniuriatur, hoc iam lasciuia est, quòd si ab vxore sua multi ieiunij & orationis tempore abstinent, qui sua contentus non est, sed alienam introducit, quantum sibi mali accumulat? Si suam repudiare, & alij vacare non licet (est enim adulterium) quantum ille accusandus est, qui suæ aliam addit? Nemo igitur hunc L
morbum animæ insidere permittat, sed radicitùs euellat. Neque enim tantum vxorem, quantum seipsum offendit, hoc enim adeò apud deum scelestum videtur, vt si vxor ab Idololatra viro ipso nolente discedat, puniatur, si ab adultero, minimè. Considera ergo huius morbi maliciam, nam si qua fidelis, inquit, habet vi-
*1.Cor.7.* rum infidelem, & ipse consentit habitare cum illa, non dimittat virum. De fornicatione autem, Si quis dimiserit vxorem suam propter rationem fornicationis, facit ipsam mœchari. Nam si consuetudo vnum corpus facit, si quis meretrici admiscetur, vnum cum meretrice corpus efficitur. Quomodo ergo ornata accipietur, cùm sit membrum Christi? Quomodo ei iungetur corpus meretricis? Et intuere excessum. Quæ cum infideli habitat, non est immunda. Sanctificatus est (inquit) vir infidelis in muliere fideli. In fornicaria autem, nunquid membra Christi faciemus membra meretricis? Illic sanctificatio manet, si cum vxore cohabitat, hîc discedit. Graue itaque malum fornicatio, graue (inquam) & immortale afferens supplicium, & in hac vita innumera secum mala trahit. Cogitur enim vitam miseram & infelicem viuere, qui hoc morbo M
afficitur. Neque meliori loco res suæ sunt, quàm eorum qui suppliciis distrahuntur. Alienam domum trepidus, & formidolosus ingreditur, omnia timet, & seruos, & liberos. Quare hortor hoc vos morbo dissoluatis, quod si non placet, nolite hæc sacra ingredi penetralia. Siquidem minimè oportet scabiosas & morbidas oues in sanarum & bene valentium grege versari, sed ab ouili abigendæ sunt, quoad bonam recipiant valetudinem. Membra Christi sumus, nolimus fieri meretricis. Non est locus hic lupanar, sed Ecclesia. Si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne præsentia tua sordescat. Quòd si nulla esset gehenna, nullum supplicium, quo tamen animo post coniunctionem illam, & nuptiales faces, post iustum lectum, & liberorum susceptionem, post quotidianam consuetudinem, pateris aliam supponere? Cur non veretis, non erubescis? Qui post vxorum mortem aliis admiscentur, hi reprehenduntur à multis, quamuis puniri non possint. Tu viuente vxore aliam superducis? Quænam hæc incontinentia? De his inquit,

Vermis



A Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Perhorresce minas, formida supplicium. Non est tanta hîc voluptas, quanta illic pœna. Sed absit vt aliquis sit huic obnoxius supplicio, sed per sanctificationem omnes Christum videant, & promissa bona consequantur. CYRILLVS LIBRO TERTIO DE TRINITATE. Quòd dominus noster Iesus Christus sit iudex, & apparuerit legislator, nullo ad intelligendum labore opinor opus habebit. An non audisti dicentem alicubi, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quòd omnis qui spectauerit mulierem ad concupiscendum eam, iam ille mœchus factus est in corde suo. Et iterum alio loco, Non enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. EX COLLATIONIBVS PATRVM. Crescente per studium innouatione men- *Coll.14.*
tis nostræ, etiam scripturarum facies incipiet innouari, & sacratioris intelligentiæ pulchritudo quodammo- *Cap.11.*
do cum proficiente proficiet. Pro capacitate enim humanorum sensuum earum quoque species coaptatur, &
B vel terrena carnalibus, vel diuina spiritualibus apparebit, ita vt hi quibus antea videbatur crassis quibusdam nebulis inuoluta, nec subtilitatem eius deprehendere, nec fulgorem valeant sustinere. Sed vt hoc ipsum quod astruere nitimur, aliquo clariùs pandatur exemplo, vnum legis testimonium protulisse sufficiat, per quod etiam omnia præcepta cœlestia secundum mensuram status nostri ad omne hominum genus probemus extendi. Scriptum est in lege, Non mœchaberis. Hoc ab homine carnalium adhuc obscœnitatum passionibus obligato, secundum simplicem literæ sonum salubriter custoditur. Ab eo autem qui iam ab hac actione lutulenta, & impuro discessit affectu, necesse est id ipsum spiritualiter obseruari, vt scilicet non solùm à cærimoniis idolorum, sed etiam ab omni superstitione Gentilium, & auguriorum, omniúmque signorum, & dierum ac temporum obseruatione discedat, vel certè ne quorundam verborum aut nominum coniecturis *Hier.2.*
quæ synceritatem fidei nostræ polluunt, implicetur. Hac enim fornicatione etiam Hierusalem dicitur con- *Esa.47.*
stuprata, quæ fornicata est in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso. Et quam dominus iterum in-
C crepans per Prophetam, Stent (inquit) & saluent te augures cœli qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. De qua fornicatione & alibi arguens eos dominus ait, Spi- *Osea.4.*
ritus fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à deo suo. Quisque verò à gemina hac fornicatione discesserit, habebit tertiam quam deuitet, quæ in legis & Iudaismi superstitionibus continetur. De quibus Apostolus, *Gal.4.*
Dies (inquit) obseruatis & menses & tempora & annos. Et iterum, Ne tetigeris, neque gustaueris, neque con- *Col.2.*
trectaueris. Quæ de superstitionibus legis dicta esse non dubium est, in quas si quis inciderit, proculdubio
mœchatus à Christo, ab Apostolo non meretur audire, Despondi enim vos vni viro virginem castam exhi- *2.Cor.11.*
bere Christo. Sed illud ad eum quod sequitur voce eiusdem Apostoli dirigetur, Timeo autem ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Quòd *Ibidem.*
si immundiciam huius quoque fornicationis effugerit, habebit quartam quæ hæretici dogmatis adulterio *Act.20.*
perpetratur. De qua idem beatus Apostolus, Ego (inquit) scio, quia post discessionem meam intrabunt lupi
D graues in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis surgent viri loquentes peruersa vt abducant discipulos post se. Hanc etiam qui potuerit declinare, caueat ne subtiliore peccato in fornicationis vitium collabatur, quæ scilicet in cogitationum peruagatione consistit, quia omnis cogitatio, non solùm turpis, sed etiam otiosa, & à deo quantuluncunque discedens, à perfecto viro immundissima fornicatio deputatur. ISIDORVS. Non mœchaberis, id est, ne quispiam præter matrimonij sui fœdera aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem, per partem enim totum vult intelligi. Nam specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit. THOMAS IN OPVSCVLIS. Non mœchaberis, &c. Post prohibitionem homicidij prohibetur adulterium. Et congruè, quia vir & vxor sunt quasi vnum corpus. Erunt (inquit dominus Geneseos secundo) duo in carne vna. Et ideo post iniuriam quæ infertur personæ, nulla maior est quàm illa quæ infertur coniunctæ. Prohibetur autem adulterium, vxori & viro. Sed priùs dicendum est de vxoris adulterio, quia maius peccatum videtur committere. Committit autem tria peccata grauia vxor mœchando, quæ
E insinuantur Ecclesiastici vigesimotertio, Mulier omnis relinquens virum suum, primò in lege altissimi incredibilis fuit, & secundò virum suum dereliquit, tertiò in adulterio fornicata est. Primò ergo peccat per incredulitatem, quia legi incredibilis fit. Dominus enim prohibuit. Item facit contra dei ordinationem, Matthæi decimonono, Quos deus coniunxit, homo non separet. Item contra Ecclesiæ statuta vel sacramentum. Fit enim matrimonium in facie Ecclesiæ, & ideo adducitur deus quasi in testem & fideiussorem de seruanda fide, Malachiæ secundo, Dominus testificatus est inter te & vxorem pubertatis tuæ quam tu despexisti. Secundò peccat per proditionem, quia derelinquit virum suum. Apostolus prima Corinthiorum septimo, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Ideo etiam nec castitatem seruare potest sine consensu viri. Et ideo si mœchatur, proditionem committit, dum seipsam alteri tradit, sicut seruus dans se alteri domino. Prouerbiorum secundo, Reliquit ducem pubertatis suæ, & pacti dei sui oblita est. Tertiò per furti commissionem, quia ex alieno viro constituit sibi filios, & hoc maximum furtum est,
F quia totam hæreditatem dat alienis filiis. Et nota quòd ista deberet studere quòd filij intrarent religionem, vel aliquid aliud facerent, ita quòd in bonis viri non succederent. Est ergo mulier mœchans, sacrilega, proditrix, & furatrix. Viri verò peccant non minus quàm vxores, licet sibi quandoque blandiantur, quod patet ex tribus. Primò ex æqualitate quam habet. Nam vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, vt dicitur prima Corinthiorum septimo. Et ideo neuter potest aliquid facere sine alterius consensu, quantum ad matrimonium. Et ad hoc significandum deus non de pede vel de capite, sed de costa mulierem formauit. Et ideo matrimonium nunquam statum perfectum habuit nisi in lege Christi, quia Iudæus vnus plures habebat vxores, sed vxor non plures viros. Et ideo non erat æqualitas. Secundò ex viri fortitudine, quia propria passio mulierum est concupiscentia, prima Petri tertio, Infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem. Et ideo si petis ab vxore quod tu non potes seruare, frangis fidem. Tertiò ex eius auctori-

tate, quia vir est caput mulieris. Vnde mulieres non debent loqui in Ecclesia, sed domi viros interrogare, G vt dicitur primæ Corinthiorum quartodecimo. Est ergo vir doctor mulieris. Et ideo deus præceptum dedit viro. Magis autem peccat sacerdos quàm laicus, & Episcopus quàm sacerdos, si non seruant quæ debent, quia docere alios ad ipsos pertinet. A simili, si vir mœchatur, frangit fidem, non seruando ea quæ debet. Sed tamen vxòres attendant ad id quod Christus dicit Matthæi vigesimotertio, Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Non mœchaberis. Sicut dictum est, deus tam viris quàm mulieribus prohibuit adulterium. Sed sciendum quòd licet aliqui credant adulterium esse peccatum, tamen non credunt simplicem fornicationem esse peccatum mortale. Contra quos Apostolus Hebræorum tertiodecimo, Fornicatores & adulteros iudicabit deus, prima Corinthiorum sexto, Nolite errare. Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum dei possidebunt. A regno autem dei non excluditur aliquis nisi per peccatum mortale, ergo est peccatum mortale. Sed fortè dices, non est ratio quare H sit peccatum mortale, cùm non detur corpus vxoris. Dico quòd etsi non detur corpus vxoris, datur tamen corpus Christi, quod sibi datum fuit & consecratum in baptismo. Si ergo nullus debet facere iniuriam vxori, multò magis nec Christo, prima Corinthiorum sexto, Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Est ergo hæresis dicere fornicationem simplicem non esse peccatum mortale. Et ideo sciendum quod in isto præcepto, Non mœchaberis prohibetur non solùm adulterium, sed omnis carnalis corruptio præter eam quæ est matrimonij. Vlterius autem sciendum, quòd alij dicunt commixtionem viri & vxoris non esse sine peccato, quod est hæreticum. Apostolus Hebræorum decimotertio, Sit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Talis autem coniunctio, aliquando non solùm sine peccato est, sed etiam est ad meritum vitæ æternæ habentibus charitatem. Aliquando est cum peccato veniali, aliquando cum mortali. Quando enim est cum intentione procreandæ prolis, vel reddendi debiti, tunc est etiam opus iustitiæ & virtutis. Quando autem excedit, vt scilicet si pos- I set extenderet se in aliam, tunc est mortale. Sciendum autem quòd adulterium & fornicatio prohibetur propter multa. Primò enim perimit animam, Prouerbiorum sexto, Qui adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam. Et dicit propter cordis inopiam, quod est quando caro dominatur spiritui. Secundò priuat vita. Talis enim secundum legem debet mori, vt dicitur Leuitici vigesimo, & Deuteronomij vigesimosecundo. Et quòd aliquando non puniatur corporaliter, est in malum suum, quia pœna corporalis quæ cum patientia toleratur, est in remissionem peccatorum, punietur tamen postea in vita futura. Tertiò consumit substantiam. Vnde Lucæ decimoquinto de filio prodigo dicitur, quòd dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Ecclesiastici nono, Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam. Quarto vilificat prolem. Sapientiæ tertio, Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur & sine honore, prima Corinthiorum septimo. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Nunquam etiam habent hono- K rem in Ecclesia, si clerici sine dedecore haberi possunt. Quintò priuat honore, & specialiter mulieres. Ecclesiastici nono, Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Et de viro dicitur, Prouerbiorum sexto, Turpitudinem & ignominiam congreget sibi & opprobrium illius non delebitur. Gregorius etiam dicit, quòd peccata carnalia sunt maioris infamiæ & minoris culpæ quàm spiritualia. Et ratio huius est, quia est commune cum bestiis. Psalmus, Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. IDEM IN EPISTOLAM AD ROMANOS. Sciendum autem *Cap.13. lect.2.* præcepta hæc per quæ aliquis prohibetur malum proximis inferre, omnia esse negatiua, quia magis vniuersalia sunt quàm affirmatiua, & quantum ad tempora, & quantum ad personas. Quantum ad tempora quidem, quia præcepta negatiua obligant semper & ad semper. Nullo enim tempore est furandum vel adulterandum. Præcepta autem affirmatiua obligant quidem semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore, non enim tenetur homo vt omni tempore honoret parentes, sed pro loco & tempore. Quantum ad personas autem, L quia nulli hominum est nocendum, non autem sufficientes sumus vt vnus homo possit omnibus hominibus seruire. CAIETANVS. Non mœchaberis. Clariùs legeretur, non committes adulterium, quoniam mœchari quamuis propriè ad adulterium spectet, dicimus tamen qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Præceptum itaque hoc, adulterium prohibet, quo iniuria fit coniugi, & prolis certitudini quoad patrem. AVCTOR CATENAE. Non mœchaberis, id est, non committes adulterium, sic enim & aliqui legunt. Vterque sexus astringitur ad fidem matrimonij illibatam seruandum, vt extra statum matrimonialem nulla admittatur carnalis commixtio, vt sacramentum à domino institutum religiosè seruetur. Sicque sequitur mœchiæ nomine prohiberi omnem illicitum concubitum, atque illorum membrorum illegitimum vsum, à natura & secundum naturam institutum. Sicut & in verbo non occides, præcipitur non verberandum, non mutilandum, non famæ detrahendum, &c. Scortatio ergo omnis prohibetur, & quicquid obscœnius est adulterio & fornicatione, tam corde quàm opere, quin & cogita- M tione, desideriis, verbis, & solicitatione quacunque. Vult enim lex matrimonium sacrum confirmare, & honorari ad sustentationem honestatis, ac ordinationem generis humani verè religiosam. Posito autem in personam proximo coniunctam nocumento, subiungit aliud nocumenti genus, quod facto rebus eius infertur, dicens, *Non furtum facies.* HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. Furtum nomi- *Cap.4. Hier.23. Ioan.10.* natur, omne quod alterius damno quæritur. Fures etiam dicuntur pseudoprophetæ, qui furantur sermones vnusquisque à proximo suo. Vnde in Euangelio, Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Et ad Romanos, Qui prædicas non furandum furaris, quòd furta prohibeantur facere spiritualia. *Cap.1.* IDEM IN ABDIAM. Fures igitur & latrones qui ingrediuntur nocte, quia filij sunt noctis & tenebrarum, hæreticos puto, contraria veritati dogmata prædicantes, qui furantur sufficientia sibi, & quotidie de Ecclesiæ gregibus rapere festinant. Isti ingredientes vineam domini nostri quam de Aegypto huius seculi



A seculi transtulit, & de cuius genimine vitiũ se esse bibiturum in regno patris pollicetur, ita cupiunt vniuersa populari, vt vix racemum relinquant in ea. IDEM IN EPISTOLAM AD TITVM. Fur autem non so- *Cap.2.* lùm in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quomodo in fornicatione & adulterio, non idcirco diuersa sit fornicatio aut adulterium, si pulchra vel diues, deformis aut pauper, meretrix vel adultera sit, sed qualiscunque illa fuerit, vna est fornicatio vel adulterium. Ita & in furto, quantuncunque seruus abstulerit, furti crimen incurrit. Vnde & in Moysi lege fures nonnunquam septuplum, nonnunquam quadruplum reddere compelluntur, & interdum obtruncatur, interdum venditur fur ipse pro furto, de quibus nuper vobis in Leuitico exposuisse me memini. Si autem hoc prohibetur in seruo, quanto magis in libero, ne aut iudex rapiat, aut miles non contentus stipendiis suis, aliena deuastet? Pulchrè quidam vir apprimè grauis, cùm ei cuiusdam iudicis laudaretur integritas, & diceret de eo ille qui laudabat, nõ est fur. Respondit, optimum seruum faceret, si nec fugitiuus esset. In tantum furti suspicio ab omni libero debet esse aliena. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæst.71.* Et hîc rursum quæritur, quid differat, Non furtum facies, ab eo quod paulopòst de non concupiscendis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis, qui rem proximi sui concupiscit, furatur, sed quia omnis qui furatur rem proximi, concupiscit, poterat in illa generalitate vbi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri. Nisi forsitan & in hoc præcepto non furandi, ipsum opus notatum est, in extremo autem ipsa duntaxat concupiscentia. IDEM IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Præce- *Ser.95.* ptum septimum est, Non furaberis. Quod per furtum contra dei præceptum subducis, de cœlo perdes. Nemo enim habet iniustum lucrum sine iusto damno. Qui furatur verbi gratia, acquiret vestem, sed cœlesti iudicio perdet fidem. Vbi lucrum, ibi damnum. Visibiliter lucrum, inuisibiliter damnum. Lucrum sua cæcitate, damnum de domini nube. Ergo qui suo malo desiderio forinsecus furantur, iusto dei iudicio intrinsecus grandinantur.

C INTERLINEARIS. Non furtum facies, id est, quamlibet rei alienæ vsurpationem, quod vitium est rapacitatis. THOMAS IN EPISTOLAM AD ROMANOS. Non furaberis. Hoc præcepto prohibetur *Cap.13.* nocumentum quantum ad res exteriores proximi, & tollitur omnis iniusta subtractio rei alienæ, siue per vim, *Lect.2.* siue per dolum. IDEM IN OPVSCVLIS. Non furtum facies. Dominus prohibuit principaliter in lege sua iniuriam proximi. Et primò iniuriam in personam propriam, ibi, Non occides. Secundò in persona coniuncta, ibi, Non mœchaberis. Tertiò in rebus, hîc, Non furtum facies. Et sciendum, quòd in hoc præcepto prohibetur omne malè ablatum. Committitur enim furtum multis modis. Primò occultè accipiendo, Matthæi vigesimoquarto, Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset. Et hoc vituperabile est, quia est proditio quædam, Ecclesiastici quinto, Super furem enim est confusio. Secundò violenter auferendo. Et hæc est maior iniuria, Iob vigesimoquarto, Vim fecerunt deprædantes pupillos. Inter istos sunt mali principes & reges, Sophoniæ tertio, Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes, &c. Isti enim faciunt contra intentionem domini volen- D tis iustum regnum, & dicentis Prouerbiorum octauo, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernũt. Aliquando condendo leges & statuendo, ad lucrandum tantùm. Esaiæ decimo, Væ qui condunt leges iniquas. Et Augustinus dicit, quòd omnis mala donatio furtum est. Vnde dicit, Quid regna nisi latrocinia? Tertiò mercedem non soluendo, Leuitici decimonono, Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane. Et hoc intelligitur quòd homo cuilibet dare debet quod suum est, siue princeps, siue prælati, siue clerici, &c. Romanorum tertiodecimo, Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Tenemur enim regibus custodientibus pacem nostram, dare mercedem. Quartò fraudem in mercationibus committendo. Vnde dicitur Leuitici decimonono, Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquúsque sextarius. Prouerbiorum vigesimo, Abominatio est apud deum, pondus & pondus, statera dolosa non est bona. Hoc est etiam contra caupones qui miscent aquam vino. In hoc etiam prohibetur vsura, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Et pòst, E Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, &c. Hoc etiam est contra campsores qui multas falsitates committunt, & contra venditores pannorum & aliarum rerum. Sed dices forsitan, quare non possum dare pecuniam sicut equum vel domum? Dicendum, quòd in illis est peccatum quæ bis venduntur. In domo autem sunt duo, scilicet substantia & vsus. Aliud autem est habere domum, & aliud vti domo. Vnde separatim possum vsum vendere sine domus venditione, & ita in omnibus huiusmodi. Vnde si aliqua sunt quæ consistant in ipso vsu tantùm, & vsus eorum est distractio, non potest fieri id quod de domo. Denariis enim vtimur distrahendo, & frumento consumendo. Et ideo si vsum vendis, bis vendis. Quintò dignitates emendo, siue temporales, siue spirituales. De primo, Iob vigesimo, Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas deus. Omnes enim tyranni qui vi tenent regna vel prouinciam vel feudum, fures sunt, & omnes tenentur ad restitutionem. De secundo, Ioannis decimo, Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Et ideo Simoniaci fures sunt. Non ergo furtum fa- F cies. Hoc præceptum sicut dictum est, prohibet omne malè ablatum. Et debent nos inducere multæ rationes ad hoc cauendum. Prima sumitur ex grauitate. Assimilatur enim hoc peccatum homicidio, Ecclesiastici trigesimoquarto, Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum, vir sanguinis est. Et iterum ibidem, Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Secunda ex periculi qualitate. Nullum enim peccatum est ita periculosum. Nullum enim peccatum remittitur sine satisfactione & pœnitentia. De omnibus citò pœnitet quis, sicut patet de homicidio cessante ira, ita & de fornicatione cessante passione concupiscentiæ, & sic de aliis. De hoc autem peccato licet aliquando pœniteat quis, non tamen de facili satisfacit, & maximè cùm non solùm teneatur id quod accepit, sed etiam de damno quod fecit patrono ex hoc, & cum hoc etiam tenetur facere pœnitentiam de peccato. Ideo dicitur Abacuch secundo, Væ ei qui multiplicat non sua. Vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? Densum lutum dicit, quod non de facili homo egreditur. Tertiò ex talium inutilitate: non enim sunt vtilia. Neque spiritualiter, Pro-

uerbiorum decimo, Nil proderunt thesauri impietatis. Diuitiæ enim spiritualiter prosunt ad eleemosynas & G sacrificia, Prouerbiorum tertiodecimo, Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ. Sed de non propriis dicitur Esaiæ sexagesimo primo, Ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Ecclesiastici trigesimoquarto, Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Nec temporaliter, quia parùm durant, Abacuch secundo, Ve qui congregat auaritiam malam domui suæ, & liberari se putat de manu mali, &c. Prouerbiorum vigesimo octauo, Qui coaceruat diuitias vsuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. Prouerbiorum tertiodecimo, Custoditur iusto substantia peccatoris. Quartò ex nocumenti singularitate, faciũt enim perdere alia. Sunt enim sicut ignis paleis aliis commixtus, Iob quintodecimo, Ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Scias insuper, quòd talis non solùm suam amittit animam sed etiam filiorum, quia illi tenẽtur reddere. CAIETANVS. Præceptum hoc res alienas inuito domino tollere occultè vetat. Has enim omnes conditiones exigit furti ratio. Et multò magis rapina intelligitur prohibita, quantò deterior est rapina furto. AVCTOR CATENAE. Furti igitur nomine notatur & prohibetur omnis illegitima aut illicita rei alienæ contrectatio ac vsurpatio, vt est rapina, fœnus, vsura, & omnis circunuentio fallax & iniqua proximi. Vbi iterum animus auarus, & contractus illiciti omnes contra charitatem vetantur, cùm eo modo contraho cum proximo, quo modo nollem me ab aliquo circunueniri, quibuscunque tandem his modis fieri possit. Est enim in negociis mira auarorum ac diuitum ociosorum vafrities, in rebus omnibus in quibus aliquid emolumenti speratur, siue in prouentibus terræ naturalibus, siue in animalibus, vel pecunia. Non enim habent huiusmodi cõtractus certos terminos siue casus, sed quotidie noui excogitantur, tantò peiores, quantò magis contra charitatem, qua solus dominus delectatur, & tranquillitas ciuilis consistit. Multi Hebræorum hoc præceptum de furto hominum intellexerunt, cùm infrà proprium præceptum detur de furto rerum aliarum. At nos qui Catholici sumus, à sanctorum patrum cõmuni expositione recedere non debemus. Posito autem nocumento quod facto rebus proximi infertur, subiungit nocumentum, quod verbo ei præstatur. Vnde dicitur, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. AVG-

*Vbi suprà.* STINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæri solet, vtrum hoc præcepto prohibitum sit omne mendacium, ne fortè non sit hoc mandatum aduersus eos qui dicunt tunc esse mentiendũ, quando istud mendacium prodest alicui, & nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe nõ est aduersus proximum tuum, vt ideo videatur hoc addidisse scriptura, quæ posset breuiter dicere falsum testimonium non dices, sicut dixit,

*Psal.5.* Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis. Sed hinc magna quæstio est, nec à festinantibus commodè explicari potest, quomodo accipiendum sit, Perdes omnes qui loquuntur mendacium, & noli velle mentiri omne

*Psal.119.* mendacium, &c. huiusmodi. IDEM SVPER PSALMOS. Et cùm iniquitatem loquuntur peccatores, falsa loquuntur, quia fallax est iniquitas. Et cùm iustitiam loquuntur, falsa loquuntur, quia aliud ore proferunt,

*Cap.20.* aliud in corde obtegunt. IDEM PRIMO DE CIVITATE DEI. Non rectè intelligentibus poterat videri non esse prohibitum, vt aduersus seipsum quisquam falsus testis assisteret, eo quòd in præcepto additum fuit, contra proximum tuum: sed non ideo si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putet alienum, quando regulam diligẽdi proximi à semetipso dilector accepit, quandoquidem scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. IDEM DE MENDACIO AD CONSENTI-

*Cap.12.* VM. An falsum testimonium non est, nisi cùm quisque ita mentitur, vt aut crimen confingat in aliquem, aut alicuius crimen occultet, aut quoquo modo quenquam in iudicio premat? Videtur enim testis iudicij necessa-

*1.Cor.15.* rius ad causæ cognitionem. Sed si hactenus testem scriptura nominaret, non diceret Apostolus Paulus, Inuenimur autem & falsi testes dei, si testimonium diximus aduersus deum, quia excitauerit Christum, quem non excitauit, si mortui non resurgunt. Ita enim ostendit falsum testimonium esse mendacium, etiam si in cuiusquam falsa laude dicatur. An fortè tunc dicit falsum testimonium qui mentitur, cùm aut peccatum alicuius vel fingit, vel tegit, aut alicui obest quoquo modo? Si enim mendacium quod aduersus vitam cuiusquam temporalem dicitur, detestabile est, quantò magis quod aduersus vitam æternam, sicuti est omne mendacium, si in doctrina religionis fiat. Et ideo falsum testimonium vocat Apostolus, si quis de Christo etiã quod ad eius laudem videtur pertinere, mentiatur. Si autem mendacium sit quod neque cuiusquam peccatum aut confingat aut tegat, nec à iudice quæratur, & nulli obsit, & prosit alicui, nec falsum testimonium esse, nec reprehensibile mendacium. HIERONYMVS SVPER MATTHAEVM. Ait euangelista, Nouissimè autẽ venerũt duo

*Cap.26.* falsi testes, &c. Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt, quæ dominum suprà dixisse legimus? Sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui. Sed & in ipsis verbis calumniantur, & paucis additis vel mutatis, quasi iustam calumniam faciunt. Saluator dixerat, Soluite templum hoc: isti commutant & aiunt, Possum destruere templum dei. Vos (inquit) soluite nõ ego, quia illicitum est vt ipsi nobis inferamus manus. Deinde illi vertunt, & post triduum reædificare illud, vt propriè de templo Iudaico dixisse videatur. Dominus autem vt ostenderet animale & spirans templum, dixerat, Et ego in triduo suscitabo illud. Aliud est ędificare, aliud suscitare. CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA DE SV-M SANNA. Putastis fratres tanquam ad magnum meritum pertinere, si falsi testes non prævaleant super innocentem. Non est magnum meritum, si non prævaleat falsum testimonium aduersus innocentem, si aduersus dominum non prævaleret. Ipse dominus noster Christus per linguam falsorum testium est crucifixus. Sed etiam ipsi quidem falsi testes ad horam prævaluerunt, resurrecturo quid nocuerunt? Demonstrauit ergo seruis exemplum, ne falsos testes perhorrescant, & cùm creduntur nõ timeant. Possunt enim facere malam famam, nam non possunt interficere conscientiam. ISIDORVS. Loqui autem falsum testimonium contra proximũ suum,

*2.2.q.70.* est crimen mendacij, & falsitatis. THOMAS. Falsum testimonium habet triplicem deformitatem. Vno

*ar.4.in Cor.* modo ex periurio, quia testes non admittuntur nisi iurati. Et ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione iustitiæ. Et hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & quælibet iniustitia. Et ideo in præcepto decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimonium, cùm dicitur Exodi vigesimo, Non loqueris contra



A contra proximum tuum falsum testimonium. Non enim contra aliquem facit, qui eum ab iniuria facienda impedit, sed solùm qui ei suam iustitiam tollit. Tertiò ex ipsa falsitate secundum quòd omne mendacium est peccatum. Et ex hoc non habet falsum testimonium quòd semper sit peccatum mortale. IDEM. Omnia nocumenta quæ proximis inferuntur, possunt ad ista reduci quæ his præceptis prohibentur, tanquam ad quędam cõmuniora & principaliora. Nam omnia nocumenta quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio sicut in principaliori. Quæ verò inferuntur in personam coniunctam, & maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi simul cum adulterio. Quæ verò pertinent ad damna in rebus illata, intelligũtur prohiberi simul cum furto. Quæ autem pertinent ad locutiones (sicut detractiones, blasphemiæ & si qua huiusmodi) intelliguntur prohiberi in falso testimonio, quod directius iustitiæ contrariatur. IDEM IN E- *2.2.q.122. ar.6. ad 2.*

PISTOLAM AD ROMANOS. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Prohibe- *Cap.13.lect. 2.*

B tur hoc præcepto nocumentum quod quis verbo proximo infert. Quod non solùm prohibetur in iudicio, sed etiam extra iudicium, siue per modum detractionis, siue per modum contumeliæ. Prouerbiorum decimonono, Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. IDEM IN OPVSCVLIS. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Prohibuit iam dominus quòd nullus iniurietur proximo suo opere, nunc autem præcipit quòd non iniurietur verbo. Hoc autem potest esse dupliciter, vel in iudicio, vel in communi locutione. In iudicio autem, tribus modis, secundum quod tres personæ possunt facere contra hoc præceptum. Primò scilicet persona accusantis falsò, Leuitici decimonono, Non eris criminator, nec susurro in populis. Et nota quòd sicut non debes dicere falsum, ita non debes tacere verum, Matthæi decimooctauo, Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum. Item persona testificantis mentiendo, Prouerbiorum decimonono, Testis falsus non erit impunitus. Hoc enim præceptum includit omnia præcedentia, quia aliquando talis est homicida, aliquando fur, &c. Debent autẽ isti puniri pœna de qua dicitur Deuteronomij decimonono, Cùm

C diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Non misereberis eius, sed animam, id est, vitam pro anima, oculum pro oculo, dẽtem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Et prouerbiorum vigesimoquinto, Iaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur cõtra proximum suum falsum testimoniũ. Item persona iudicis male sentẽtiando, Leuitici decimonono, Non iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo. In communi loquutione peccant aliquando contra hoc præceptum quinque genera hominum. Scilicet detractores, Romanorum primo, Detractores deo odibiles, quia nihil est ita charum homini sicut fama. Ecclesiastes septimo, Melius est nomen bonum quàm vnguenta preciosa. Prouerbiorum vigesimosecundo, Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Detractores autem auferũt hoc, Ecclesiastes decimo, Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Vnde si famam non restituant, saluari non possunt. Item qui detractores libenter audit; Ecclesiastici vigesimooctauo, Sepi aures tuas spinis, &

D linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Quinimo detrahenti ostende vultum tristem & toruum. Prouerbiorum vigesimoquinto, Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Item susurratores, qui scilicet recitant quicquid audiunt, Prouerbiorum sexto, Sex sunt quę odit dominus, & septimum detestatur anima eius, scilicet eum qui seminat inter fratres discordias. Ecclesiastici vigesimooctauo, Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes, & multa quæ sequuntur. Item blanditores, id est, adulatores, Psalmus, Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Esaiæ tertio, Populi meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Psalmus, Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impiguet caput meum. Item murmuratores. Et hoc maximè abundat in subditis, Prima Corinthiorum decimo, Neque murmuraueritis, &c. Sapientię primo, Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest. Prouerbiorum vigesimoquinto, Patientia lenietur princeps, & lingua mollis cõstringet duritiam. Non loqueris ergo &c. In hac prohibitione prohibetur omne mendacium, Ecclesiastici se-

E primo, Noli velle mentiri omne mendacium. Assiduitas enim illius non est bona. Et hoc propter quatuor. Primò propter diaboli assimilationem. Talis enim efficitur diaboli filius. Nam homo ex verbis suis cognoscitur de qua regione & patria sit. Nam & loquela tua manifestum te facit, vt dicitur Matthæi vigesimosexto. Item homines quidam sunt de genere diaboli, & dicuntur diaboli filij, qui scilicet loquuntur mendacium, quia diabolus mendax est, & pater eius, vt dicitur, Ioannis octauo. Ipse enim mentitus est primò Genesis tertio, Nequaquam moriemini, &c. Quidam verò filij dei, quia scilicet veritatem loquuntur, quia deus veritas est. Secundò propter societatis dissolutionem. Homines enim simul viuunt, quod esse non posset, si simul verum non dicerent. Apostolus Ephesiorum quarto, Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Tertiò propter famæ amissionem. Qui enim assuescit mendaciis, non creditur sibi, etiam si verum dicat, Ecclesiastici trigesimoquarto, Ab immundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur? Quartò propter animæ perditionem. Occidit enim homo mendax animam suam, Sapientiæ pri-

F mo, Os quod mentitur occidit animam, Psalmus, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Vnde patet quòd est peccatum mortale, Vnde aduertas quia ipsorum mendaciorum quoddam est mortale, quoddam veniale. Mortale autem est mentiri in his quæ sunt fidei, quod pertinet ad prælatos, magistros & prædicatores. Et hoc est grauius omnibus aliis speciebus mendacij, secunda Petri secundo, In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Et aliqui aliquando talia dicunt, vt videantur scire, Esaiæ quinquagesimoseptimo. Super quem luxistis, super quem dilatastis os & eiecistis linguam? Nunquid non vos filij sceleśti, semen mendax? Item aliquando mentiũtur aliqui in damnum proximi, Ad Colossenses tertio, Nolite mentiri. Et hæc duo mendacia mortalia sunt. Aliqui autem mentiuntur pro seipsis, & hoc multipliciter. Aliquando ex humilitate, & hoc in confessione quandoque, de quo ait Augustinus, Sicut cauendum est ne homo taceat quod fecit, ita ne dicat quod non fecit. Iob tertiodecimo, Nunquid deus indiget vestro mẽdacio? Ecclesiastici decimonono, Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Et est iustus qui

se nimium

se nimium submittit à multa humilitate. Aliqui ex verecundiæ leuitate, cùm scilicet quis credit verum dicere G
& dicit falsum, & hoc aduertens verecundatur retractare, Ecclesiastici quarto, Non contradicas verbo veritatis
vllo modo, & de mendacio ineruditionis confundere. Aliqui ex vtilitate quando volunt aliquid adipisci, vel
ab aliquo euadere, Esaiæ vigesimo octauo. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.
Prouerbiorum decimo, Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos. Aliqui propter alterius commodum, quando
scilicet volunt aliquem à morte, vel periculo, vel damno aliquo liberare, & hoc cauendum est, sicut dicit Augu-
stinus. Aliqui propter ludum, & hoc cauendum, ne propter consuetudinem ducat ad mortale. Sapiētiæ quarto,
Fascinatio nugacitatis obscurat bona. CAIETANVS. Post tria peccata operis contra proximum (videli-
cet homicidium, adulterium, & furtum) prohibetur peccatum locutionis efficacis ad nocendum, quale est fal-
sum testimonium, quod potest nocere & vitæ & honori & rebus, &c. AVCTOR CATENAE. Non lo-
queris contra proximum tuum falsum testimonium. Quia verbum עָנָה Hana, & respondere, & testificari signi- H
ficat, ideo aliqui, Non testificaberis, vt legit Chaldaica, & aliqui, Non respondebis verterunt. Est autem testari,
annunciare, & exactè (vt res habet) exponere. Septuaginta verò οὐ ψευδομαρτυρήσεις, Non falsò testificaberis. Quæ
omnia idem sunt cum Latina versione. Testimonium autem mendax prohibetur, species pro genere, omne sci-
licet mendacium. Perdes enim (ait Propheta) omnes qui loquuntur mendacium, hoc enim odit deus, qui veritas
est. Et Salomon Abominatio est domino labia mendacia. Et sapientia, Os quod mentitur occidit animam. Ve-
tatur ergo confictio mendaciorum in proximum, aut vt proximi dicta non calumnientur, de quo etiam in Le-
uitico clariùs & latiùs vetatur etiam omnis detractio, simulata loquutio, & maledictum, ac demum nocumen-
tum omne quod verbo, proximo inferri potest.

*Mystice.* HIERONYMVS IN ZACHARIAM. In præceptis quæ ad vitam pertinent, & sunt perspicua, nō de-
*Cap.8.* bemus quærere allegoriam, ne iuxta Comicum, nodum quæramus in scirpo.

5 NOn *concupisces domum proximi tui, Nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem,* I
*non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

5 AVCTOR CATENAE. Quia circa adulterij & furti præcepta, non solùm facto, sed etiam cogitatione
peccat homo, ideo duo extrema præcepta dat dominus, quibus humanam concupiscentiam erga duo hæc refre-
nat, nam nisi hæc duo præcepta essent, nesciremus concupiscentiam peccatum esse, dicente Apostolo, Concupi-
scentiam non noui nisi per legem. *Non Concupisces* (igitur dicit) *domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius, non seruū,*
*non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* AMBROSIVS IN EPISTOLAM AD ROMA-
*Cap.7.* NOS. Cùm nec suspitio quidem esset, istud non licere apud deum, lex cognosci fecit, esse peccatum concu-
piscentiam. Hanc igitur prohibet lex, quæ propterea quòd oblectamento est, non putabatur esse peccatum. Sim-
plex enim videbatur causa, concupiscere aliquid proximi, hoc lex prodidit esse peccatum. Secularibus namque
*Quæst.3.* hominibus nihil tam inultum videtur & placidum, quàm voluptas. HIERONYMVS ALGASIAE. K
Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad
mortem, & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: sic lex data est, vt peccatorum venena monstret, & homi-
nem malè libertate sua abutentem, qui priùs ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis reti-
neat, & compositis doceat incedere gressibus, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ, id-
est, viuamus sub præcepto, qui priùs in modum brutorum animalium dicebamus, Manducemus & bibamus, cras
enim moriemur. Quòd si subintrante lege, quæ docet quid facere, & prohibet quid non facere debeamus, vitio
nostro & incontinentia feramur contra scita legalia, videtur lex causa esse peccati, quæ dum prohibet concu-
piscentiam, quodammodo eam inflammare cognoscitur. Secularis apud Græcos sententia est, Quicquid licet,
minus desideratur. Ergo è contrario, quicquid non licet, fomentum accipit desiderij. Vnde & Tullius de parri-
cidarum suppliciis apud Athenienses Solonem scripsisse negat, ne non tam prohibere, quàm commonere vide-
retur. Igitur lex apud contemptores & legum præcepta calcantes, videtur esse occasio delictorum, dum prohi- L
bendo quòd non vult fieri, ligat eos vinculis mandatorum, qui priùs absque lege peccantes, non tenebantur cri-
minibus. Hæc diximus, legem quæ per Moysen data est, intelligentes. AVGVSTINVS DE DECEM
CHORDIS. Duo sunt præcepta. Per non concupiscentiam domus, serui, ancillæ, & cætera, damnat ambitio-
nem seculi, & refrenat concupiscentiam rerum. Per alterum, videlicet non concupiscentiam vxoris, vetat intē-
tionem adulterinæ cogitationis. Aliud enim est non facere aliquid tale præter vxorem, aliud non appetere alie-
nam vxorem. Ideo duo præcepta sunt, Non mœchaberis, & non concupisces vxorem proximi tui. IDEM
*Epist.200.* ASELLICO. Hæc est vtilitas legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, vt sciat infirmitatem suam, & videat
quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscentia, quàm sanetur. Appetuntur enim
ardentiùs quæ vetantur, dum id quod spiritaliter iubetur, carnalis obseruare compellitur. Vt autem sit spiritalis
qui legem impleat spiritalem, non fit ipsa lege, sed gratia, hoc est, non imperio, sed beneficio, non iubente litera,
sed adiuuante spiritu. Incipit autem homo secundum gratiam in interiori homine renouari, vt mēte agat quod M
amat, nec carni consentiat agenti quòd odit, id est, vt non omnino non concupiscat, sed vt post concupiscenti-
as suas non eat. Quod quidem tam magnum est, vt si omnimodò fieret, & quanuis insint dum sumus in corpo-
re mortis huius desideria peccati, nulli eorum tamen adhiberemus assensum, nō esset vnde diceremus patri no-
stro qui est in cœlis, Dimitte nobis debita nostra. Nec tamen ideo tales iam essemus, quales erimus cùm mortale
hoc induerit immortalitatem. Tunc enim non solùm nulli desiderio peccati obediemus, sed nulla erunt desi-
deria talia quibus non obedire iubeamur. Nunc ergo vbi dicitur, Iam non ego operor illud, sed id quod in me
habitat peccatum, de concupiscentia carnis dicitur, quæ operatur in nobis motus suos, etiam quando eis non
obedimus, dum non regnat peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius, nec exhibemus
membra nostra arma iniquitatis peccato, in qua iustitia nondum cōsummata perseueranter proficientes, ad eius
consummationem quandoque veniemus, vbi peccati concupiscentia non cohibenda atque frenanda, sed nulla
sit



A sit. Hoc enim lex posuit, dicendo, Non concupisces, non quòd hîc valeamus, sed ad quod proficiendo tēdamus.
Verùm hoc fit non lege quæ hoc imperat, sed fide quæ hoc impetrat: non litera qua iubetur, sed spiritu quo sa-
natur. Non ergo meritis operantis hominis, sed largientis gratia saluatoris. Vtilitas itaque legis est; vt ho-
minem de sua infirmitate conuincat, & gratiæ medicinam quæ in Christo est, implorare compellat. Omnis
enim qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. GREGORIVS VIGESIMOPRIMO MORA-
LIVM. Sicut sæpe tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta intrinsecus, compellit sibi ex- *Cap.7.*
trinsecus oculos deseruire. Nam plerunque res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu animus
concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim Dauid Vriæ coniugem ideo studiosè respexit, quia concupie-
rat, sed potiùs ideo concupiuit, quia incautè respexit. Fit verò rectæ retributionis examine, vt qui exteriori
negligenter vtitur oculo, interiori non iniustè cæcetur. Sæpe autem intrinsecus concupiscentia dominatur,
B & illecebratus animus ad vsus suos sensus corporeos famulari more tyrannidis exigit suisque voluptatibus o-
culos seruire compellit, atque (vt ita dicam) fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis. Vnde sancti viri cùm
sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per quæ formæ species ad mentem ingreditur, disciplinæ magi-
sterio lumina restringunt, ne prauæ cogitationis visio lenocinata famuletur. Quæ si vnquam subtiliter custo-
diri negligitur, cogitationis immunditia protinus ad operationem transit. CHRYSOSTOMVS DE
VERBIS ESAIAE, VIDI DOMINVM. Non concupisces, &c. Vt enim ignis vbi fœnum aliquod aut *Hom.3.*
culmum arripuerit, nihil moratur, sed simul vt attigit materiam, lucidam accendit flammam: Itidem & ignis
concupiscentiæ quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum, elegātem ac venustam attigerit formam,
protinus exurit animum. Proinde ne spectes temporariam illam, quæ ex aspectu proficiscitur voluptatem, sed
perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex concupiscentia: Nam illā inflicto vulnere plerunque celeriter
auolat, at vulnus non auolat, sed plerunque manet & interficit. Et quemadmodum cerua confixa iaculo in vi-
C tali corporis parte, etiam si venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri: sic & anima accepto concupiscen-
tiæ iaculo, è lasciuo curiosóque aspectu, etiamsi cum iaculo permittatur abire, tamen ipsa per se corrumpitur
ac perit, vbique videns hostem, & insequentem habens. IDEM IN EPISTOLAM AD GALATAS. *Cap.5.*
Concupiscentia ad liberorum procreationem, vitæq; conseruationem data est, non ad adulterium, scortationes
& lasciuias, vt pater fieres, non vt adulter: vt legitimè verseris cum vxore, non vt contra fas eam corrumpas: vt
relinquas tuum semen, non vt alienum vities. Siquidem adulterium non est naturalis appetitus, sed contume-
liæ præter naturam. Siquidem appetitus ille tantùm desiderat mixturam, non talem mixturam. IDEM IN
COMMENTARIIS SVPER MATTHAEVM. Sicut duas habemus in nobis naturas, animæ scilicet
& carnis, sic duas habemus voluntates, vnam animæ, alteram carnis: duas iras, vnam animæ, alteram carnis: *Hom.12.*
duas concupiscentias, vnam animæ, & alteram carnis. Et natura quidem carnis ab his omnibus non potest se
separare. Nam necesse habet irasci, & concupiscere, & si non vult, quoniam non est in arbitrio suo creata, id est,
D non est nunc in arbitrio suo, sicut creata fuit, sed sub lege peccati. Venundata est enim sub peccato, propterea de
illa dicit Apostolus, Sapientia carnis inimica est in deum, legi enim dei subiecta non est, non enim potest. Ani-
ma autem in arbitrio suo creata est, secundum legem iustitiæ dei, propterea potest & non irasci, si vult, & non
concupiscere, si vult. Quando ergo irascimur & concupiscimus, si displiceamus nobis, & festinemus reprimere
iram, vel concupiscentiam nostram, manifestum est, quia caro nostra irascitur, aut concupiscit sola, non ani-
ma nostra. Quando autem complaceamus nobis in his, & decreuimus si poterimus nostram implere iracun-
diam, vel concupiscentiam nostram, tunc & anima irascitur, & concupiscit simul cum carne. Propterea sciens
deus, quia carnis natura subdita ei non est, nec potest non irasci, non mandat carni quæ mandat. Quis enim sa-
piens illi ponit præceptum, qui & si vult, non potest obaudire? Sed ad animam loquitur, & animæ mandat, quæ
potest deo in omnibus obaudire, quæ potest etiam carne irascente & concupiscente, ipsa non irasci, nec concu-
piscere. Si ergo ad animam loquitur, & de concupiscentia loquitur, dicens: Siquis viderit mulierem ad concu-
E piscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, id est, non si quis concupiuerit secundum desiderium ine-
uitabile carnis, sed si quis concupiuerit secundum voluntatem animæ, & consensum, decernens & statuens im-
plere quod cupit, ille talis & si nihil gesserit, iam tamen corde adulter est ante deum, quia forsitan impeditus est
ab opere, non compunctus in voluntate. IDEM. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia di- *Hom.52.*
ximus per concupiscentiam animas fornicari. Sciendum est, quòd aliud est concupiscere, aliud velle. Concupi-
scere passionis est, velle autem arbitrij. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si ergo concu-
piscentiæ non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem & gloriosiorem facit virgini-
tatis coronam. BASILIVS IN HEXAEMERON. Non concupisces. Ego quidem non ignarus natu- *Cong.11.*
ræ meæ, noui quis sim, & vnde sim. Ad hunc modum, si ex terra nos factos esse recordabimur, nunquam permit-
tet ista recordatio, vt obtineat in nobis animi commotio. Opem ferat rationi tellus, perpetuò præsens & admo-
nens. Si quando ad concupiscentiam aliquam inhiaueris, cogita quomodo hinc sis decessurus. Si cogitaueris
F quòd dissoluendus es in terram, cessabit insana concupiscentia. Terra es, & in terram abibis. Recordare quòd
breui salientia illa & inflammata membra, aut ipsa quæ nunc est carnis concupiscentia, non erit membris disso-
lutis, & in terram redactis. Memor esto qua sis natura, & irritabitur omnis ad malum impetus. Ista recordatio
nobis aduersus quoduis peccatum cautio sit & custodia. Finxit deus hominem puluerem è terra. Bona est hu-
militas, cognata & ingenita est ista recordatio. Si dixisset, finxit deus hominem, sumpta è cœlo materia, quan-
do illum contemplati fuissemus, vt admoneremur naturæ nostræ? Adest nobis in promptu vilitatis nostræ
admonitio, ex iis videlicet quæ pedibus calcamus. Ad terram despice, & cogita quod ex eo formatus es, qui
terræ cognatus est, & vili conditione. Quid nobis contemptibilius? Quid dignius fieri poterit, quàm vt nos-
ipsos nihili faciamus? IDEM IN REGVLA. Quæris prauæ concupiscentiæ morbus quomodo sit ex-
cidendus. Respondeo, Feruenti desiderio placitorum dei, ac tali qualem ostendit, qui dixit, Iudicia domini
vera iustificata in idipsum, desiderabilia super aurum & lapidem admodum pretiosum, & dulciora super mel

&

& fauum mellis. Perpetuò nanque meliorum desiderium, in potestate ac facultate sua habens, eorum quæ de- G
siderantur, copiam & fructum, contemnere & auersari quæ minóra sunt cogit (id quod in sanctis omnibus
conspicuum est) quantò magis vitiosa & probro digna? CYRILLVS LIBRO NONO SVPER IOAN-
*Cap.15.* NEM. Tritum sanè id diabolo esse inuenies, solet corda piorum prauis tentare cogitationibus, & voluptatum ardore ad delinquendum detrudere, sed illuc maximè impellit, quò per seipsos inclinari perspicit, ita infirmitatem nostram ad arma nequitiæ suæ conuertit, & ingenij nostri morbo aduersus nos vtitur: voluptate carnis alius laborat, per hanc aggreditur: alius auaritia superatur, hunc habendi cupiditate magis incendit: ita nostris affectibus quasi armis vsus, nos expugnat, & sicut optimus dux exercitus, turres & vineas ibi peragit, vnde capi obsessa vrbs faciliùs potest. Eodem Satanas modo per imbecilliorem animi partem nos euertit, præsertim si viderit nihil apud nos admonitiones, exhortationésque virtutis posse, ac maximè si mysticam benedictionem sperni à nobis conspexerit. Hæc enim maximoperè, si cum pietate suscipitur, vires suas confringit. H
Proditor autem domini sæpiùs redargutus, non erubuit charitatem Christi, contempsit honorem, & gratiam eius abiecit, benedictionem aspernatus est, in vno fixus hærebat, illud solummodo voluebat, quomodo pecuniolam sibi pararet, non ergo vt consiliatorem, sed vt cogitationum suarum dominum in corde diabolum retinet. Quare fugiamus oro, fugiamus cupiditates animi, vnde sequutura detrimenta videmus. Sed si dominantis (vt quidam dicit) spiritus in te ascenderit, non cesseris ei. Nam & si potestatis nostræ non sit facere ne
*Eccl.20.* tales spiritus, id est, cogitationes in mentem nostram ascendant, possumus tamen quod ascenderit eiicere, nec committere, vt magnas propter negligentiam nostram agat radices. Aliter non dubitemus, quin peruicacia diaboli paulisper possit superare, ita huiusmodi quid patiemur, quale Psalmista canit, Antequam humiliatus
*Psal.118.* essem, ego deliqui. Priùs enim quàm peccati consummatione delinquimus, peccatum voluntate amplectentes, & ianuas animæ diabolo patefacientes, cuius rei proditor domini nobis exemplum est. DAMASCENVS IN HISTORIA BARLAAM ET IOSAPHAT. Hæc audiens ille homo dei, hilariter si- I
mul ac planè respondit, Si rationem à me audire vis ô rex, inimicos tuos de medio prætorij tui eiice, & tunc respondebo tibi de quibuscunque interrogare volueris. Illis nanque præsentibus, nullus à me tibi sermo reddetur.
Præter rationem verò, torque, occide, fac quod vis. Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo, ait
*Gal.6.* doctor meus. Rege autem dicente, Et qui sunt inimici isti, quos de medio pellere me iubes? Ait vir sanctus, Ira & concupiscentia. Hæc enim ab initio quidem cooperatoria naturæ, ab auctore inducta sunt, & nunc similiter habent ea qui non secundum carnem conuersantur, sed secundum spiritum. In vobis autem qui toti estis carnei, & nihil habetis spiritus, contraria facta sunt, & quæ inimicorum & hostium sunt agunt. Nam concupiscentia in vobis operatur quidem voluptatem, & incitat, ira verò destruit. Abscedant igitur hodie ista à te, assideant verò ad audientiam dicendorum atque iudicium, prudentia & æquitas. Si enim iram & concupiscentiam de medio tuleris, & pro his prudentiam & æquitatem adduxeris, omnia veraciter dicam tibi.
*Cap.9.* IDEM DE DVABVS IN CHRISTO VOLVNTATIBVS. Dicimus autem ipsum rationalem ap- K
petitum operationem, quia liber arbitrio est, sub potestate habens irrationales passiones, & iudicans, & gubernans, & freno ducens has, iram & concupiscentiam & sensum, & secundum progressum motum. Hæ enim obedientes & suasibiles ratione sunt, irrationales passiones. Natæ enim sunt suaderi à ratione, & subordinari, & moueri, vt vtique ratio iubet, in his qui secundum naturam hominibus. Sunt autem & hæ passiones constitutiuæ vitalis substantiæ. Sine enim his non est constitui vitam. Hæ autem in famulatum datæ sunt homini à conditore. Concupiscentia quidem ad deum & ipsius voluntates, ira autem aduersus diabolum & peccatum, & ad virilem facere concupiscentiam. Irrationalis quidem igitur appetitus, ad constitutionem vitalis substantiæ datus est: rationalis autem & liber arbitrio, vt liberè arbitrio sub freno ducat omnem naturalem motum & subiiciat, & subordinet legi ipsius qui creauit: coniungantur igitur intelligentia & appetitus in homine, vt non inuoluntariè patiamur quæ irrationabilium, rationales existétes. Etenim intellectus liberè arbitrio appetens, & rationabiliter & intelligibiliter, appetibiliter intelligit, & quærit, & intendit: & conciliatur, & discernit, & di- L
sponit ad id quod iudicatũ est, & eligit & mouetur ad actionẽ. Natura enim dominatur irrationali quod rationale. Si igitur vt rationalis omnis irrationalis creaturæ rex conditus est homo, qualiter non erit earum quæ in ipso irrationalium passionum, liber arbitrio? Appetitus igitur & rationalis & intelligibilis existens, appetitiuè intelligit & ratiocinatur, & rationalis, & intellectiuus liberè arbitrio appetit. Communium autem animæ & corporis vitale quidem operatio magis est. Sed & phantasticum, & sensitiuum, & memoratiuum, & secundum progressum motus passibiles sunt operationes vel passiones operatiuæ. Ira autem & concupiscentia, & fames, & sitis, & labor, & timor, & timiditas, & agonia, & delectatio, tristitia, sputum, & sudor, & nutritiuum, & augmentatiuum, & in omnibus mors, passiones sunt. Hæc omnia naturalia sunt, & indetractibilia à conditore naturæ hominum data. Ipse enim & esse & sic esse donauit, & non est hominum aliquis qui horum particeps factus est. Habere autem hæc, conditoris quidem sapientiam & virtutem manifestat: nobis autem neque malitia, neque virtus reputatur. Bona quidem enim sunt, & in bono à bono data, modus autem vsus ipsorum, M
virtutem & malitiam constituit. Si quidem enim subiiciatur voluntas legi dei, & secundum legem ipsius intellectus gubernet obedientia ipsi, omnes animo animales motus, secundum præcipuum autem iram & concupiscentiam (hæc enim obedientia rationi) virtutem operati sumus, & iustitiam impleuimus. In hoc enim accepimus horum potestatem, & vt potestatem accipientes, & legem susceptimus, & sub lege facti sumus. Irrationalia enim non habentia ducem intellectum libero arbitrio iræ & concupiscentiæ, non acceperunt legem. Natura igitur conditionis serui existentes, & liberum arbitrium habentes, virtutis constitutiuum (non enim virtus neque delectabile quod vi factum) legem accepimus, vt cognoscamus, quoniam dominatorem habemus, vt non in tenebris ambulantes, incidamus foueis. Lucerna enim pedibus meis lex tua, & lumen semitis
*Psal.118.* meis, ait Dauid, vt cognoscatur nostri ad dominatorem desiderium & beneuolentia, vt deo in bono communicemus, vt sit eligentis bonum, non minus quàm tribuentis semina. Ipse enim nobis virtutem bonæ operationis



A operationis dedit. Liberos arbitrio autem nos fecit, vt ex ipso & ex nobis bonum fiat, omni enim eligenti bonum deus cooperatur in bonum, vt quod secundum naturam constituentes, his quæ super naturam potiamur, incorruptione & deificatione, ex ea quæ ad diuinum vnione, per eam quæ secundum voluntatis ad ipsum familiaritatem, vt non naturalibus potentiis irrationabiliter vtentes, comparemur insipientibus iumentis, & assimilemur ipsis. Si enim subiiciatur voluntas nostra diuinæ voluntati, sed secundum propriam sententiam *Rom.8.*
& electionem vtatur liber arbitrio intellectus ira & concupiscentia, malitiam operatus est. Malitia enim ni- *Psal.48.*
hil alterum est, nisi peccatum & abusus & inobedientia legi dei. Quare liberum arbitrium primum bonum, rationalem naturam decens, & vti libero arbitrio, & sub potestate tenere, & dominari irrationabilibus passionibus, iræ dico, & concupiscentiæ, virtus. Tradi autem liberum arbitrium, & vinci ab irrationabilibus passionibus, & irrationabiliter, & bestialiter viuere, hoc malitia, hoc peccatum, vt non deturpemus ea quæ
B irrationalium facientes, sed contineamus ratione impetus naturæ. Non enim decet rationale irrationalium conuersatio, sed magis & irrationalibus passionibus rationabiliter vti, & ratione has dirigere, & secundum potestatem ducere, & refrenare, & duci, & subiici diuinæ legi, & his vti quemadmodum dominus præcepit. IDEM IN FRAGMENTIS SENTENTIARVM. Si turpis & carnalis te vexat concupiscentia, illam vigiliis, labore, orationibus & inedia expelle, proderit & mortis meditatio, mortiferique gaudij supplicium, ac sexus alterius declinatio. Auaritia vincitur liberalitate, & rei pecuniariæ contemptu, pariter & cogitatione illa, quòd ob auaritiam dominum & magistrum Iudas tradidit, & quòd omnis auarus à scriptu- *Matth.26.*
ra diuina idololatra vocatur, quódque pecuniis ad breue tempus frui datur, mórsque amara vitam acerbam *Ephe.5.*
auari sequatur, quapropter si nihil vltra quàm sufficiat quæratur, passio hæc euitatur. IOANNES CAS- *Lib.5.*
SIANVS DE INSTITVTIS. COENOBIORVM. Impossibile est autem extingui ignita corporis incentiua, priusquam cæterorum quoque principalium vitiorum fomites radicitùs excidantur. Nunquam igi-
C tur poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrenare nequiuerit. Interioris hominis castitas, virtutis huius consummatione discernitur. Nunquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leuiore conflictu conspexeris ab infirmioribus paruísque superari. Cunctarum nanque virtutum vna natura est, licet in multas diuidi species & vocabula videatur, sicut auri quoque vna substantia est, licet per multa variáque monilium genera pro artificum videatur ingenio ac voluntate distincta. Itaque nullam perfectè possidere probabitur, quisque elisus in earum parte dignoscitur. Quo enim modo flagrantes æstus concupiscentiæ, qui non sola instigatione corporis, sed etiam mentis vitio succenduntur, extinxisse credendus est, qui aculeos iræ cordis solius intemperantia prorumpentes mitigare non potuit? Aut quonam modo putandus est carnis animæq; lasciuientes stimulos retudisse, qui superbiæ vitium simplex non quiuit deuincere? Aut quemadmodum credendus est insertam carni luxuriam conculcasse, qui pecuniarum concupiscentiam forinsecus sitam, atque à nostra substantia alienam non valuit abdicare? Qua autem ra-
D tione bellum carnis & animæ triumphabit, qui idoneus non fuit morbum curare tristitiæ? Quantalibet vrbs sublimitate murorum, & clausarum portarum firmitate muniatur, posterulæ vnius quamuis paruissimæ proditione vastabitur. Quid enim differt, vtrum per excelsa mœnia & ampla portarum spacia, an per angusti cuniculi latibula pernicioſus hostis penetralibus ciuitatis irrepat? HVGO DE SANCTO VICTO-
RE. Non concupisces domum, &c. Si quis velit facere de primo mandato duo, tunc faciet istud vnum. Sin autem primum indiuisum reliquerit, oportet istud distinguere in duo, & præponere præceptum de aliena vxore, ei quod est de aliena possessione, & non interponere. BERNARDVS IN SERMONI-
SVS. Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. *Ser.1. in oct. paschæ.*
Hæ sunt tres turmæ quas fecerunt Chaldæi, sed memini quoque sanctum Iacob feciſſe tres turmas, cùm timeret à facie Esau, rediens de Mesopotamia. Et vobis ergo aduersus triplex genus tentationis triplici opus est munimento, vt carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, quàm si meminisſtis in sanguinis te-
E stimonio diximus intelligendum, oculorum verò concupiscentiam superet studium compunctionis, & assiduitas lachrymarum. Porrò ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animum, sola purgat intentionem. Certum quidem triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges & subiicias seruituti, ne pernicioſa libertate seruiat voluptati: si fletui præbeas oculos magis quàm petulantiæ vel curiositati, si denique spirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati. IDEM. Vnde tribulatio, nisi dum *Ser. de sex tribulationibus.*
resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inueniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuersum, mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore mollitia sensus, & libido pernicioſa tangendi, inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, auaritiæ, inuidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer
F accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir iustus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur, & delitias computat esse sub sentibus, sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat, spicas & tribulos quos propria terra ex maledicto vtique germinat, potius eradicare, quàm propagare contendit, quippe qui conuertitur in erumna sua, quoties configitur spina. Huic ergo tam multipharię pesti per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis vsque ad verticem non est sanitas, in me totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus inuenitur, vndique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosiùs sæuit, crudeliùs malignatur. Minimè tamen in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundent passiones, & tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem, Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem, Con-
sensum

sensum cohibe, ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, vt sine macula ingrediaris & ipse, ad habitandum G
in tabernaculo, ad requiescendum in monte sancto domini dei tui. Si tui non fuerunt dominati, tunc im-
*Ser. de tri. ge. cogi. no.* maculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. IDEM. Tria igitur occurrunt genera cogitationum,
à quibus multa solicitudine cauere necesse sit eos qui conuertuntur ad cor, & dignum deo in semetipsis tem-
plum exhibere festinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitùs ociosæ, & ad rem non pertinen-
tes, quas tam facilè abiicere, quàm recipere facilè possit anima, dummodo sit secum habitans in corde suo,
& assistens dominatori vniuersæ terræ. Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortiùs adhærentes, quæ
videlicet ad necessitates naturæ pertinent, & quasi ex eodem assumptæ limo de quo & nos facti sumus, si pau-
lulum insederint, auelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpe enim sic afficit nos cogitatio carnalis de
cibo, de potu, siue vestimento, vt vix eradicari queat de cordibus nostris, quod non aliunde est, nisi quòd &
ipsa limosa & viscosa quodammodo limosam nihilominus & glutinosam inuenerit terram. Non sine causa H
enim dictum est, hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo. Vide enim quàm limosum sit cor-
pus, quod ipsi quoque spiritui tam fortiter & penè indissolubiliter inhæret, vt vix cum multa afflictione pos-
sit aliquando separari. Quid ergo agendum, cum limosa illa cogitatio mentem subierit? Planè exclamandum
*Gen. 49.* nobis est cum sancto Iacob, atque dicendum, Ruben primogenitus meus non crescas, ascendisti enim cu-
bile patris tui. Rubea enim & carnalis atque sanguinea huiusmodi concupiscentia est. Quæ tunc cubile no-
strum ascendit, cùm non solùm memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur,
& polluit praua delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui iam ipso
nimirum initio vitæ nostræ in nobis pullulat, cùm cætera vitia processu temporis ex malitia mundi huius
variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere quem extinguere non possumus appetitum, vt
quàm citò cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodum
dicit scriptura, Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Iam verò tertium cogitationum ge- I
nus immundum nimis ac fœtidum est, quod nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè præ-
sentire fœtorem, & tota virtute repellere, toto animo propulsare, & conuersi statim ad gemitus, lachrymis
atque suspiriis inuocantes spiritum qui adiuuet infirmitatem nostram. Sic nimirum confusus abscedens,
non tam facilè deinceps simile aliquid viriliter resistentibus nobis malignus hostis offerre vel afferre præsu-
met. Dico autem cogitationes illas immundas penitùs ac fœtidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & va-
nam gloriam pertinent, cæteráque vitia detestanda. Oportet enim si mundas conseruare volumus animas
nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus huiusmodi, multa cum indignatione occurrere, & exsufflare
à nobis, vt nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum ociosarum, scilicet ad rem non
pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est, non inhærens, nec fœtens, nisi fortè diutiùs immoretur
in nobis, & per incuriam ac negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quoti-
die experimur. Dum enim ociosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur. Secun- K
dum verò cogitationum genus, non lutum simplex, sed (vt iam diximus) viscosum ac limosum est. Nam tertium
quidem sic cauendum est non tanquam lutũ aut limus, sed tanquam immundissimum & fœtidissimũ cœnum.
*2. 2. q. 122. ar. 6. ad 3. & 4.* THOMAS. Concupiscentia dupliciter capi potest. Vno modo secundum quod est actus voluntatis, vt
dicitur Sapientiæ sexto, Concupiscentia sapientiæ perducit ad regnum perpetuum. Alio modo secundum
quod est actus sensualitatis, sicut dicitur Iacobi quarto, Vnde bella & lites in vobis? nónne ex concupiscen-
tiis quæ militant in membris vestris? Per duo hæc igitur vltima Decalogi præcepta, non prohibetur concupi-
scentia sensualitatis, quia secundum hoc, primi motus hominum essent peccata mortalia, vtpote contra præ-
cepta Decalogi existentes, sed prohibetur directè consensus voluntatis, qui est in opus, vel delectationem.
Quòd si dicatur, cùm homicidium sit grauius peccatum quàm adulterium vel furtum, cur non ponitur ali-
quod præceptum prohibitiuum concupiscentiæ homicidij, sicut ponuntur prohibitiua concupiscentiæ adul-
terij vel furti? Respondetur, quòd homicidium secundum se, non est concupiscibile, sed magis horribile, L
quia non habet de se rationem alicuius boni, sed adulterium habet rationem alicuius boni, scilicet delecta-
bilis. Furtum etiam habet rationem alicuius boni, scilicet vtilis, bonum autem de se habet rationem concu-
piscibilis, ideo fuit specialibus præceptis prohibenda concupiscentia adulterij & furti, non autem concupi-
scentia homicidij. IDEM IN OPVSCVLIS. Non concupisces domum proximi tui. Hæc est differe-
rentia inter legem diuinam & mundanam, quia lex mundana iudicat facta & dicta, diuina autem non hæc
tantùm, sed etiam cogitata. Et ratio huius est, quia illa est per homines qui iudicant ea quæ apparent exte-
rius. Sed diuina est à deo qui exterius interiúsque conspicit. Psalmus, Deus cordis mei primo Regum sexto-
decimo, Homo videt quæ foris sunt, deus autem intuetur cor. Dictum est autem de præceptis quæ perti-
nent ad dicta & facta, nunc ergo dicendum est de cogitatis. Nam apud deum voluntas pro facto reputatur.
Vnde non concupiscas, id est, non solùm non auferas facto, sed nec etiam rem proximi tui concupisces, Et
hoc propter multa. Primò propter concupiscentiæ infinitatem. Concupiscentia enim quid infinitum est. M
Quilibet autem sapiens debet intendere finem aliquem, imò nullus debet ire per viam infinitam. Ecclesiastes
quinto, Auarus non implebitur pecunia. Esaiæ quinto, Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum
agro copulatis. Et quod concupiscentia nunquam satietur ratio est, quia cor hominis factum est ad recipien-
dum deum. Vnde Augustinus in primo Confessionum, Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor no-
strum, donec requiescat in te. Id ergo quod minus deo est, ipsum implere non potest. Psalmus, Qui replet
• in bonis desiderium tuum. Secundò quia aufert quietem quæ multum est delectabilis. Semper enim cupidi
soliciti sunt acquirere, & habita custodire, Ecclesiastes quinto, Saturitas diuitis non sinit eum dormire. Mat-
thæi sexto, Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Et ideo Christus Lucæ octauo, diuitias spinis assimi-
lauit. Tertiò quia causat in diuitiis inutilitatem. Facit enim diuitias esse non vtiles, nec sibi, nec aliis. Non
enim vtuntur eis nisi conseruando, Ecclesiastici quartodecimo, Viro cupido & tenaci, sine ratione est sub-
stantia



A stantia. Quartò quia tollit iustitiæ æquitatem, Exodi vigesimotertio, Ne accipias munera quæ etiam excæ-
cant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Ecclesiastici trigesimoprimo, Qui aurum diligit, non iusti-
ficabitur. Quintò quia necat charitatem dei & proximi, quia secundum Augustinum quantò magis habet
quis de charitate, tantò minus de cupiditate, & è conuerso. Ecclesiastici septimo, Neque fratrem charissi-
mum auro spreueris, & charitatem dei, quia sicut nemo potest duobus dominis seruire, ita neque deo & mam-
monæ, vt dicitur Matthæi sexto. Sextò quia producit omnem iniquitatem. Est enim radix omnium malo-
rum secundum Apostolum, vt dicitur prima ad Timotheum sexto. Et ideo si in corde radicata est, & homi-
cidium, & furtum, & omnia mala operatur. Et ideo dicit Apostolus prima ad Timotheum sexto, Qui volunt
diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quæ mer-
gunt homines in interitum & perditionem. Radix est omnium malorum cupiditas. Et nota quòd cupiditas
B tunc est peccatum mortale, quando sine ratione concupiscitur res proximi: sed quando rationabiliter, veniale.
Nõ desiderabis vxorem proximi tui. Beatus Ioannes in prima canonica sua secundo capitulo dicit, quòd omne
quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Vnde omne de-
siderabile in his tribus consistit. Sed duo ex istis intelliguntur prohibita per hoc præceptum, Non concupisces
domum proximi tui. In domo enim intelligitur & altitudo per quam auaritia designatur. Psalmus, Gloria &
diuitiæ in domo eius. Qui ergo desiderat domum, desiderat dignitates & diuitias. Et ideo post hoc præce-
ptum, Non concupisces, & cætera, ponitur aliud per quod prohibetur carnis concupiscentia, Non (inquit) de-
siderabis vxorem, &c. Et est sciẽdum, quòd post peccatum propter corruptionem nullus euadit cõcupiscentiam
præter Christum & virginẽ gloriosam. Et quandocũque cõcupiscentia adest, adest vel cũ veniali vel cum mor-
tali, quando scilicet dominatur. Apostolus Romanorũ sexto, Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore, &
non dixit, nõ sit, quia sicut ipse dicit, Scio quòd nõ habitat in me, id est, in carne mea bonũ. Regnat autẽ peccatũ
C in carne quãdo primò in corde regnat cõcupiscentia cõsentiendo. Et ideo subdit Apostolus, vt scilicet obedia-
tis concupiscentiis carnis. Matthæi quinto, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus
est eam in corde suo. Voluntas enim apud deum pro facto reputatur. Secundò quando dominatur in ore con-
ceptum exprimendo, Matthæi duodecimo. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ephesiorum quarto,
Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Et ideo non est sine peccato componere cantiones vanas e-
tiam secundum Philosophos, quia & Poetæ fingentes carmina amatoria debebant expelli è ciuitatibus. Ter-
tiò quando egreditur in opere, membris concupiscentiæ seruiendo. Romanorum sexto, Sicut exhibuistis
membra vestra seruire iniquitati, &c. Isti ergo sunt gradus concupiscentiæ. Et sciendum quòd in fugiendo
istud peccatum oportet multum laborare, cùm sit intrinsecum. Difficiliùs enim vincitur inimicus familia-
ris. Vincitur autem quatuor modis. Primò occasiones exteriores fugiendo, vt puta malam societatem, &
omnia inducentia occasionaliter ad hoc peccatum. Ecclesiastici nono, Virginem ne conspicias, ne fortè scan-
D dalizeris in decore illius. Noli circunspicere in vicis ciuitatis, ne oberraueris in plateis illius. Auerte faciem
tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, &
ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Prouerbiorum sexto, Nunquid potest homo abscondere ignem
in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? Et ideo præceptum fuit Loth, vt fugeret ab omni circa regio-
ne, Genesis decimonono. Secundò cogitationibus aditum non præbendo, quia occasio sunt excitandæ con-
cupiscentiæ, & faciendum est per carnis afflictionem, prima Corinthiorum nono, Castigo corpus meum,
&c. Tertiò orationibus insistendo, Quia nisi dominus custodierit ciuitatem, &c. Sapientiæ octauo, Sciui quo-
niam aliter non possum esse continens, nisi deus det. Matthæi decimoseptimo, Hoc genus dæmoniorum non
eiicitur nisi per orationem & ieiuninm. Si enim duo pugnarent, & velles vnum iuuare, alterum verò non,
oporteret primo auxilium dare, secundo verò subtrahere. Inter spiritum autem & carnem est prælium conti-
nuum. Vnde oportet quòd si vis quòd spiritus vincat, des ei auxilium, & hoc fit per orationem: carni verò
E subtrahas, & hoc fit per ieiunium. Nam caro per ieiunium debilitatur. Quartò licitis occupationibus insi-
stendo. Ecclesiastici trigesimotertio, Multam malitiam docuit ociositas. Ezechielis sextodecimo, Hæc fuit
iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & ocium. Hieronymus, Semper aliquid bonum
facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Inter omnes autem occupationes melior est studium scriptura-
rum. Hieronymus ad Paulinum, Ama studia scripturarum, & carnis vitia non amabis. CAIETANVS.
Non concupisces, &c. Vides hîc prohibitum peccatum cordis, ad differentiam omnium humanarum legum,
nulla enim lex humana prohibet peccatum cordis, quia non potest iudex esse cordis homo aliquis. Ad mon-
strandum itaque quòd lex ista decem præceptorum verè est lex diuina, expresse prohibet peccata cordis, pro-
hibendo illicitum appetitum tam boni delectabilis, quàm boni vtilis. Delectabilis quidem, dicendo, Non cõ-
cupisces vxorẽ alterius: vtilis verò, dicẽdo, Nõ concupisces domũ alterius, nõ seruum, nõ ancillã, &c. Exigit enim
deus præcipuè munditiam ac bonitatẽ internã. Et propterea in pœna & præmio primorũ præceptorũ, corda pen-
F sare se dixit (dum osoribus suis pœnã, & amatoribus suis præmium promisit, odium enim & amor dei in corde
sunt) & legẽ terminauit prohibendo peccata cordis, vt ex pincipio & fine legis perpenderemus quantũ libretur
à deo ea quæ sunt in cordibus nostris. Et quamuis nouerim hoc præceptũ distingui posse in duo præcepta, dupli-
citer, vel iuxta hîc scripta, alterum de appetitu rerum immobilium, significato per appetitum alienæ domus,
alterum appetitus rerum mobilium, significati appetitu alienæ vxoris, serui, ancillæ & cætera: habet enim quan-
dam specialem rationem alliciendi res immobilis atque perpetua, vt domus, ager, regnum, & huiusmodi. Vel
iuxta scripta Deuteronomij quinto, vbi hæc repetuntur præpostero ordine, dicendo, Non concupisces vxo-
rem proximi tui, nec concupisces domum proximi tui, agrum eius, & seruum eius & cætera, ita quòd alterum
inhibeat appetitum delectabilis in vxore aliena, alterum appetitum vtilis in re aliena tam mobili quàm immo-
bili: rationi tamen magis consentaneum visum est mihi, vt ipsa mixtura varia (videlicet hîc vxoris cum aliis
rebus

rebus quæ posidentur, in Deuteronomio autem domus cum aliis rebus tam mobilibus quàm immobilibus) G vt hæc (inquam) varia mixtura vxoris & domus, ex industria facta sit à Moyse ad insinuandum, quòd non refert quouis modo miſceas hæc appetibilia, quia vnius sunt præcepti, prohibentur enim omnia hæc appetenda, quia aliena. Vnde non prohibetur mulier, sed alterius vxor, & similiter domus & reliqua, quia alterius sunt, vt ex vna eadémque ratione prohibendi vnum præceptum intelligatur. AVCTOR CATENAE. Non concupiſces domum, &c. Aduertendum apud Septuaginta præponi præceptum concupiſcentiæ vxoris, præcepto concupiſcentiæ domus alienæ. Item ad præceptum concupiſcentiæ domus addi, οὐδὲ ἀγροῦ αὐτοῦ, Neque agrum eius, Item οὔτε παντὸς σκεύους αὐτοῦ, Neque omnem supellectilem eius. Quæ tamen ab Hebraicæ & Latinæ literæ sensu non deuiant. Communiùs tenetur, vt suprà dictum est, quòd duo sint præcepta ab inuicem distincta, alterum concupiſcentiæ vxoris, alterum verò rerum proximi. Cui sententiæ astipulatur lectio Septuaginta, quæ hoc in loco variat (vt dictum est) quo ad ordinem istorum præceptorum ab edi- H tione Hebraica, Chaldaica, & nostra. Et ponit ea ordine illo quo ponuntur Deuteronomij quinto, vt perspicuum sit alterum esse præceptum de non concupiſcenda aliena vxore: alterum verò de nō concupiſcendis rebus eiusdem quibuscunque. Quæ duo præcepta valde accusant nos apud deum, & peccatores constituunt, ac egentes gratia dei, nam etsi iusti posimus videri apud homines qui ea tantùm intuentur quæ de foris sunt & apparent, apud deum tamen qui cor intuetur, minimè. Cæterùm hæc duo vltima præcepta perspicuè explicant omnia priora, quòd non sint intelligenda de externis tantùm factis, sed etiam de affectibus cordis. Paulus enim ad Romanos scribens, has leges generaliter allegat, Peccatum (inquiens) non cognoui nisi per legem. Nam & concupiſcentiam non nouiſſem, nisi lex diceret, Non concupiſces. Peccatur enim non tantùm concupiſcentia domus aut vxoris proximi, verùm etiam concupiſcentia vindictæ, concupiſcentia impietatis & falsarum religionum. Deinde addit Paulus, Lex spiritualis est, qua voce manifestè significat, legem non exigere externa tantùm opera, sed exigere omnes hominis affectus, spirituales, sanctos, & ab omni vitio alie- I
*Matth. 22.* nos. Postremò idem etiam testatur compendium legis quod est, Diliges dominum deum tuum ex toto cor-
*Deut.6.* de, & cætera, & proximum sicut teipsum. Et hoc compendio perspicuè vides omnia tam externa quàm in-
*Leuit.9.* terna hominis, in toto Decalogo requiri iusta, sancta, & diuina. AVGVSTINVS DE DECEM
*Cap.9.* CHORDIS. Et hæc quidem diuini psalterij chordæ decem. In humanis spectaculis non idem est venator quod citharista. In spectaculis dei vnum est. Tangis enim has decem chordas, & feras occidis. Tangis primam chordam, qua colitur vnus deus, cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam, qua non accipis nomen dei tui in vanum, cecidit bestia erroris nefandarum hæresum, quæ id putauerunt. Tangis tertiam chordam, vbi pro spe futuræ quietis facis quicquid facis, interficitur crudelior cæteris bestiis amor seculi huius. Propter enim amorem seculi huius laborant homines in omnibus negociis. Tu autem in omnibus bonis operibus tuis labora, non propter amorem seculi huius, sed propter requiem sempiternam quam promisit deus. Vide quomodo vtrunque simul facis, & chordas tangis, & bestias occidis, id est, & cytharista es & K venator. Non nos delectant talia spectacula, vbi non promeremur oculos editoris, sed oculos redemptoris? Honora patrem tuum & matrem tuam, tangis quartam chordam, vt honorē parentibus deferas, cecidit bestia impietatis. Non mœchaberis, tangis quintam chordam, cecidit bestia libidinis. Non occides, tangis sextam chordam, cecidit bestia crudelitatis. Non furtum facies, tangis septimam chordam, cecidit bestia rapacitatis. Non falsum testimonium dices, tangis octauam chordam, cecidit bestia falsitatis. Non concupiſces vxorem proximi tui, tangis nonam chordam, cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Non concupiſces rem proximi tui, tangis decimam chordam, cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus & innocens in dei dilectione, & humana societate versaris. Tangens chordas decem, quot bestias occidis? Nam multæ bestiæ sunt sub istis capitibus. In singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum. THOMAS IN OPVSCVLIS. Hæc ergo sunt decem verba, de quibus dicit dominus Matthæi vigesimoprimo, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Duæ enim sunt radices principales omnium mandatorum, scilicet dilectio dei & proximi. Diligenti autem deum tria necesse est facere, scilicet quòd non habeat alium deum, & quantùm ad hoc dicit, Non coles deos alienos. Secundò quòd honoret eum, & quantum ad hoc dicit, Non assumes nomen dei tui in vanum. Tertiò quòd libenter quiescat in eo, & quantum ad hoc dicit, Memento vt diem sabbati sanctifices. Diligentem autem proximum oportet quòd primò faciat ei honorem debitum, vnde dicit, Honora patrem tuum. Secundò quòd abstineat à faciendo ei malum, & hoc vel facto, vnde dicit, Non occides, quod est in persona propria. Non adulterabis, quod est in persona coniuncta. Non furtum facies, quod est in rebus exterioribus. Item dicto, ibi Non falsum testimonium dices, vel corde, & quantum ad hoc dicit, Non concupiſces domum proximi tui, & non desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, &c.

6 *VNctus autem populus uidebat uoces & lampades & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyses ad populum, Nolite timere. Vt enim probaret uos uenit deus, & ut terror illius esset in uobis, & non peccaretis. Steitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat deus.* M

6 AMBROSIVS IN PROOEMIO EVANGELII SECVNDVM LVCAM. Nō cōgruit hæc elocutio, vt magis vox visa quàm audita credatur, Neque enim videtur vox, sed auditur. Vox enim quid



A quid est, nisi sonus, qui non oculis cernitur, sed aure percipitur? Verū altissimo ingenio volens declarare Moyses, quia vox videtur dei, interioris enim mentis videtur obtutu, ait: *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem.* At in Euangelio non vox, sed illud quod voce præstantius est, verbum videtur. Vnde & Ioannes sanctus Euangelista, Quod erat (inquit) ab initio, quod audiuimus, & quod *1.Ioan.1.* vidimus, & oculis nostris perspeximus, & manus nostræ scrutatæ sunt de verbo vitæ, & vita apparuit: & vidimus & testamur, & annunciamus vobis de vita, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Non enim prolatiuum verbum, sed subsstantiale signatur, verbum illud, quod caro factum est, & habitabit in nobis, non vulgare verbum, sed illud cœleste, cui Apostoli ministrarunt. Vides ergo quòd verbum dei & visum est Apostolis & auditum. Non solū enim secundum corpus viderunt dominū, sed etiam secundū verbum. Viderūt enim verbū qui cū Moyse & Helia, viderunt gloriam verbi. Isti enim viderunt Iesum, qui in sua viderunt gloria, alij non
B viderunt, qui corpus tantummodo videre potuerunt. Non enim corporalibus, sed spiritualibus oculis Iesus videtur. Denique Iudæi non viderunt eum, quia non videbant in spiritu. Vidit eum Abraham, quia scriptum est, *Ioan.8.* Abraham diem meū vidit, & gauisus est. Vidit ergo eū Abrahā, qui dominū vtiq; in corpore nō videbat, sed qui vidit in spiritu, vidit in corpore, qui autē vidit in corpore & non vidit in spiritu, nec in ipso vidit corpore quod videbat. Vidit eū Esaias, & quia vidit in spiritu, vidit & in corpore. Denique non habebat, inquit, speciem ne- *Esaiæ.53.* que decorem. Non viderunt eum Iudæi, obcæcatum enim erat insipiens cor eorum. Ipse quoque non se posse à Iudæis videri, testificatur, dicens, Duces cæci liquantes culicem, camelum autem glutientes. Non vidit *Rom.1.* enim Pilatus, non viderunt illi, qui clamabant, Crucifige, crucifige eum. Si enim vidissent, nunquam *Matth.24.* dominum maiestatis crucifixissent. Qui ergo deum vidit, vidit Emanuel, hoc est, vidit nobiscum deum. *Ioan.19.* Qui autem nobiscum deum non vidit, non potuit videre quem virgo peperit. Denique qui non credide- *1.Cor.2.* runt dei filium, nec filium virginis crediderunt. Quid est ergo deum videre? Nolo me interroges, Euan-
C gelium interroga, ipsum dominum interroga, imò dicentem audi, Philippe, Qui me videt, videt & pa- *Ioan.14.* trem qui me misit. Quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Vtique non corpus videtur in corpore, nec spiritus videtur in spiritu, sed solus ille pater videtur in filio, aut filius videtur in patre. Non enim dissimiles in dissimilibus videntur, sed vbi vnitas operationis est, atque virtutis, & filius in patre, & pater videtur in filio. Quæ ergo, inquit, opera facio, & ille facit. In operibus Iesus videtur, in operibus filij & pater cernitur. Vidit Iesum qui Galilæum illud mysterium vidit, quod nemo posset nisi mundi dominus elementa conuertere. Videō Iesum, quando lego: quia cæco liniuit oculos luto, & reddidit visum. Ipsum enim recognosco qui de luto finxit hominem, & viuendi spiritum, videndi lumen infudit. Videō Iesum, quando peccata condonat. Nemo enim potest peccata dimittere, nisi solus deus. Videō Iesum, quando Lazarum suscitat, & non viderunt qui viderunt. Videō Iesum, videō etiam patrem, quando oculos ad cœlum erigo, ad maria conuerto, ad terram retorqueo. Inuisibilia enim eius, per ea quæ fa- *Rom.1.*
D cta sunt intellecta conspiciuntur. HIERONYMVS IN ABDIAM. Cunctus autem populus *Cap.1.* videbat voces, & cætera. De Deuteronomio sumemus exemplum, in quo non res, sed verba cernuntur. At- *Deut.4.* tende (inquit) tibi, & conserua animam tuam vehementer, ne fortè obliuiscaris sermonum quos viderunt oculi tui. Et Ioannes in Epistola, Quod vidimus, inquit, oculis nostris, quod perspeximus, & manus no- *1.Ioan.1.* stræ palpauerunt de verbo vitæ. Et Moyses vocem domini quæ ad eum loquebatur, vidisse se dicit.

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Solet quæ- *Quæst.72.* ri quomodo populus videbat vocem, cùm vox non ad visum, sed potiùs ad auditum pertinere videatur. Sed sicut dicitur, videatur de omnibus quæ à me dicta sunt, sic videre, solet pro generali sensu poni, non solùm corporis, verùm etiam animi. Vnde est illud, Cùm vidisset Iacob quia sunt escæ in Aegypto, vn- *Gene.42.*
E de vtique absens erat. Quanquam nonnulli videre vocem, nihil aliud arbitrati sunt esse, quàm intelligere, qui visus mentis est. Cùm verò hîc breuiter dicendum esset, quòd populus audiebat voces & lampades, & vocem tubæ ac montem fumantem, quæstio magna oritur, quomodo audiebat lampades, & montem fumantem, quod pertinet ad sensum videndi? Nisi quis dicat, nec tam breuiter dicendum fuisse, sed vt totum diceretur, audiebat vocem, & videbat lampades, & audiebat vocem tubæ, & videbat montem fumantem. Duo quippe genera vocis erant, & de nubibus, sicut tonitrua, & tuba, si tamen ipsam dixit vocem quę de nubib⁹ edebatur, ac per hoc melius in iis quæ ad sensum audiendi pertinebant, generalis sensus est positus, hoc est, videndi, cùm breuiter totum vellet Scriptura complecti, quam vt in iis quæ pertinent ad videndi sensum, subintelligeretur auditus, quo more loqui nō solemus. Nam vide quid sonet, solemus dicere: audi quid luceat, non solemus.
IDEM SVPER IOANNEM. Quia vidisti me Thoma, credidisti. Nō ait tetigisti me, sed vidisti me, quo- *Tract. 121.*
F niā generalis quodāmodo sensus est visus. Nā & per alios quatuor sensus nominari solet, velut cū dicimus, Audi, & vide quā bene sonet: olfac, & vide quā bene oleat: gusta, & vide quā bene sapiat: tange, & vide quā bene caleat. Vbiq; sonuit vide, cū visus propriè nō negetur ad oculos pertinere. Vnde & hîc ipse dns, Infer (inquit) digitū tuū huc, & vide manus meas, quid aliud ait, quā tange & vide? Nec tamē oculos ille habebat in digito. BASILIVS IN PSALMVM XXVIII. Operæpretiū est, vt intelligamus quid sit vox dñi, quoad fieri potest adducere ex diuina scriptura quæ de voce sunt scripta. In genesi itaq; verbum domini ad Abraham conscriptū inuenimus. Ego (inquit) protector tuus ero, merces tua magna. Et respondit Abrahā, Dñe quid dabis mihi? Ego verò dispereo sine liberis. Et post pauca. Et statim facta est vox ad ipsum. Rursus in Exodo, Stent parati in tertiū diē. Et quādo cœperint audiri voces, & tubę, & nubes, ascēdēt illi in montē. Et post decalogū. Omnis verò populus videbat vocē ac lāpadas, & vocē tubæ. In Esaia quoq; scriptū est, Vox dicētis, clama. Est itaque vox percussio aëris, aut forma illa circa aërem, quam exprimere vult, qui vocem emittit. Qui carnis organa inter se sermocinantur, percusso aëre, & veluti forma quadam illi indita, vocem vi spiritus ad aures vsque illius impellunt, ad quem loquuntur. Vox verò domini non huius est rationis, propterea quòd imaginatione cum illis agit, quos vult audire vocem suam, ita vt analogiam imaginatio ista habeat cum ea quæ in somnis accidit. Illic

nanque sensus eorum quæ dicuntur, non per aures verberato extrinsecus aëre apprehenditur, sed mens ipsa in- G
tellecta accipit, quæ in memoria eorum quæ considerata sunt, permanere solent. Facta est itaque vox ad Abra-
ham quoniam aures habebat, quibus præcepta dei audire poterat, arcano modo insonante illi voluntate di-
uina. Vox verò illa, quæ ad populum facta est, visio erat, hoc est, cognoscibilis & omnibus intellectu com-
prehensibilis. Non enim colore aliquo depicta ac deliniata erat vox ista, vt oculis fuisset sensibilis, sed vidit
populus vocem, propterea quòd præceptum domini lucidum est illuminans oculos, neque vlla inest iis quæ di
cuntur obscuritas. Et Esaiæ quoque facta est vox dei præcipiens ac dicens, clama, quod idem est atque, mens
prophetæ à potentia, quæ illi indita est à deo, instructa ac formata. RVPERTVS. Cunctus populus
videbat voces, id est, intelligebat, sed eum qui voces formabat, deum non videbat. Nec verò lampades tantùm
micantes, sed & montem fumantem videbat, quia videlicet non erat in omnibus integritas fidei, vel perfe-
ctio timoris domini, qua Moyses perfectus fuit, & idcirco flammam in rubo sine fumo vidit. CAIETA- H
NVS. Cunctus autem populus videbat voces, & cætera. Non narrat hîc Moyses omnia, omittit siqui-
dem quatuor, quæ in Deuteronomio supplet. Primum est flamma ardens vsque ad cor cœlorum, secundum
est caligo, tertium nubes, quartum obscuritas: hæc enim omnia visa sunt ab vniuerso populo. Qualiter autem
disposita erant, non facilè dixerim. Potest enim intelligi, quòd essent nubes atræ in aëre supra montem,
in quibus nubibus fiebant tonitrua & coruscationes, & fortè etiam inde manabat vox cornea, in monte au-
tem flamma ardens mixta fumo & caligine, & propterea obscuritas erat tam in nubibus quàm in monte.
Fumus enim & caligo reddebant flammam subobscuram, videbatur enim flamma magna valde, pertransiens
illam aëris partem, in qua erat nubes supra cacumen montis, ex qua procedebat vox diuina (quia expressè
pluries dicitur in Deuteronomio, quòd deus è medio ignis locutus est, & hîc subiungitur quòd è cœlis locutus
est populo) sed flamma non conspiciebatur clara, sed subobscura. Et legendo videbat voces, hoc est, tonitrua,
memento, quòd videre pro certa notitia ad sensum quocunque sensu sæpe ponitur. Et cum his omnibus I
confer commemoratas aquas ex cœlis per nubes, & fluentes de monte Iudicum quinto in cantico Deboræ,
& dispone hæc omnia mirabiliter simul. AVCTOR CATENAE. Cunctus autem populus vide-
bat voces, id est, audiebat. Nam apud Hebræos, quod ad sensum attinet, alter pro altero vsurpatur. Sic
itaque voces quæ tonitrua sunt Hebræis, & lampades, lumina, & ignes terribiliter ardentes super montem,
& voces tubarum Angelorum ministerio excitatæ, ad terrorem populi exhibebantur. Timor enim seruilis
vulgo prodest ad pietatem & sanctimoniam suscipiendam. His igitur omnibus, *Perterriti ac pauore concussi,*
*steterunt procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur.* AVGVSTI-
*Quæst.73.* NVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Multum & solidè significa-
tur ad vetus testamentum timorem potiùs pertinere, sicut ad nouum dilectionem, quanquam & in vetere no-
uum lateat, & in nouo vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem dei, si hoc acci-
piendum est intelligere, cùm sibi loqui timeant, ne moriantur, non satis elucet. GREGORIVS VI- K
*Cap.17.* GESIMO OCTAVO MORALIVM. Dum rudes populos deus non aperta spiritus prædi-
catione edocuit, sed figurata locutione præceptis literæ astrinxit, adhuc infirma sapientes, verborum suo-
rum caligine quasi pannis infantiæ, obuoluit, vt mandatis grossioribus ligati crescerent, ne malè liberi in
suis voluptatibus perirent. Quos ad viam iustitiæ dum non iam charitas, sed adhuc timor astringeret, di-
uina dispensatio quasi pressit vt nutriret. Infirmus nanque populus cùm præceptorum pannos nolens per-
tulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione peruenit. Quia enim timor eum prius à culpa coercuit, com-
petenter postmodum in libertatem spiritus exiuit. Hos pannos infantiæ quos inchoantibus dedit, ipse per pro-
*Exech.20.* phetam dominus reprehendit dicens, Ego dedi eis præcepta non bona. Mala enim quasi mala esse desinunt
comparatione peiorum, & bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut peius delinquenti
ludææ de Sodoma atque Samaria dicitur, Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas
*Exech.16.* operata es: ita melioribus noui testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non L
bona esse memorantur. Neque enim mentes vsui vitæ carnalis inhærentes, euelli ab infirmis possent, nisi gra-
datim ducta prædicatione proficerent. INTERLINEARIS. Quasi ergo indigni accedere, dixe-
runt Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus. Ac si dicant, Tu doce nos, & obediemus. In quo formam boni
auditoris describit, qui promittit se præcepta magistri auditurum & impleturum. RVPERTVS.
Quòd autem ita laudabiliter dixerunt, claret in libro Deuteronomij ex commemoratione Moysi, dicentis,
Quòd cùm audisset dominus, ait ad me, Audi vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi, bene o-
mnia locuti sunt. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in
omni tempore, vt bene sit eis & filiis eorum in sempiternum? THOMAS IN EPISTOLAM
*Ca.12.le.4.* AD HEBRAEOS. Vox illa verborum significabat multitudinem præceptorum. Verborum (inquám)
dei per subiectam creaturam, scilicet per Angelum, ad Galatas tertio, Ordinata per angelos in manu mediato-
ris. Deus enim per Angelos ibi loquebatur, quę omnia adeò terribilia fuerũt, quòd illi qui vocẽ illam audierunt, M
excusauerunt se si eis fieret verbũ. Vnde dicitur in exodo, Perterriti atque timore fuerunt percussi, & steterunt
procul, dicentes Moysi, Loquere tu nobis & audiemus. Non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur. Cau-
sam autem huius excusationis ponit Apostolus, Quia non poterant verba dei portare. Vnde non portabant, id
est, non sustinebant quod dicebatur, Deuteronomij quinto, Quid est omnis caro vt audiat vocem dei viuen-
tis, qui de medio ignis loquatur, sicut nos audiuimus, & possit viuere? Tunc autẽ dicuntur nõ portari verba dei,
quando vel intellectu non capiuntur, vel excedunt affectũ. CAIETANVS. Et perterriti ac pauore cõcussi,
steterũt procul. In textu Hebræo habetur, Et viderũt populus, & mouerũt se, & steterũt procul. An hęc fuerint lo-
quẽte deo, an finito sermone dei, nõ facilè diffinitur. Rationi siquidẽ humanę cõsentaneũ est, vt tonitrua, fulgura,
& tubæ corneæ son°, & prœcesserint sermonẽ dei (propter quod meminit eorũ scriptura ante sermonẽ dei) & sub-
sequuta feurint sermonẽ dei & propterea scriptura iterũ meminit eorũ, finito scilicet dei sermone, expressè enim
dicitur



A dicitur Deuteronomij quinto quod dictis his decem deus siluit) loquente autem deo, hæc tria quieuerint.
Videmus enim quòd huiusmodi vocum & sonorum signa, antecedunt & sequuntur sermones regios, lo-
quente autem rege silent omnia. Reliqua verò quinque (videlicet flamma, fumus, caligo, nubes, & obscu-
ritas) continuò perseuerauerint. Nonum autem (scilicet magnus tremor montis qui fuit ante sermonem
dei) an fuerit repetitum, scriptum non est, & propterea cùm nec rationale sit quòd perseuerauerit loquente
deo (quoniam impedisset magni tremoris sonitu sermonem dei) intelligendum est quòd finitum fuerit an-
te sermonem dei, nec postea repetitum. Retrocessio autem populi, finito dei sermone cùm repeterentur to-
nitrua, coruscationes, & vehemens quasi tubæ corneæ sonus, fuit, timuit enim populus, ne iterum loque-
retur. Et propterea subditur, dicentes Moysi, Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis dominus,
ne fortè moriamur. Vt explanatur in Deuteronomij quinto, Capita tribuum dixerunt hæc verba Moysi. Et
B duæ rationes formidandæ mortis attulerunt. Alteram ex parte magni ignis, quæ hîc tacetur: alteram ex
parte locutionis dei cum eis immediatè, cuius hîc fuit mentio. Vbi considera, quòd homines qui nunquam
viderunt regem seu imperatorem, si coram maiestate regia tanquam allocuturi venerint, præsente regia ma-
iestate, & alloquente in maiestate, tremerent omnes: experientia enim testatur quotidiana, insolitos paue-
re & tremere. Multo minus præsentiam dei colloquentis in maiestate tot signorum terribilium, sufferre abs-
que pauore & tremore poterat populus, & arbitratus primam partem sermonis diuini duntaxat finitam tunc
esse, timens secundam partem, rogauit vt per. Moysen reliqua diuina mandata audiret, cognoscebant e-
nim quòd hæc decem præcepta non sufficiebant ad regimen populi, sed alia addenda erant, & propterea
rationabiliter cogitauerunt superesse multum diuini sermonis, & rationabiliter timuerunt, ac postularunt, vt
approbatio diuina scripta in Deuteronomio testatur. Et aptè deus operatus est in cordibus eorum hæc, nam
& rectæ rationis ordo poscebat, vt præcepta hæc decem quæ deus per seipsum indidit mentibus hominum,
C tanquam principia quæ cognoscuntur, statim cognitis terminis, per seipsum quoque Israëlitis sensibiliter
promulgaret, & præcepta alia quæ homo ab homine solitus est discere, per Moysen promulgaret. Et nomen
Elohim hîc scribitur, quia cum maiestate legislatoris deus loquebatur, & propterea timebant iterum au-
dire illum. AVCTOR CATENAE. Et perterriti ac pauore concussi. Hebraica sunt, וַיָּרֵא הָעָם
וַיָּנֻעוּ Vaiare haham vaianuhau, Vidítque populus, & contremuerunt. Sic habet & Chaldaica. Alij, Et vi-
dit populus, & mouerunt se, id est, expauerunt: Alij, Et moti sunt: Nonnulli, & vacillabant, subaudi vi-
delicet pro timore, verterunt. Septuaginta verò φοβηθέντες δὲ πᾶς ὁ λαὸς ἔσησαν, Perterriti autem omnis po-
pulus steterunt. Quæ omnia Latinæ versionis sententiam non immutant. Et verè verbum נוּעַ Nóah, Mo-
uere, commouere, concutere, agitare, vagari, & expauescere significat. Hinc discimus quanta sit humana
infirmitas, vt ad vocem domini corruat, & interire vereatur. Per omnia autem erudimur, legem veterem
rectè legem timoris dici & esse. Vide etiam quid quandoque faciat seruilis timor, auersatur id, quod sum-
D mum est bonorum omnium. At qui in libertatem filiorum dei vindicatus est, dicit, Audiam quid loquatur
in me dominus deus, & loquere domine, quia audit seruus tuus. *Et ait Moyses ad populum, Nolite timere. Vt enim pro-*
*baret vos venit deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* AMBROSIVS IN EPISTO- *Cap.13.*
LAM SECVNDAM AD CORINTHIOS. Omnis probatio, tentatio est, non tamen
omnis tentatio, probatio. Si enim deus tentare dicitur, probatio est: Si autem diabolus tentare dicatur,
tentatio est, quia euertere nititur. Et homo aliquando tentat vt probet, aliquando vt capiat. AVGV- *Quæst.74.*
STINVS. Alia litera, & dixit Moyses, Constantes estote: propterea enim venit deus ad vos tentare
vos, vt sit timor eius in vobis, ne peccetis. Sic illi cohibendi fuerant à peccatis, vtique timendo ne pœnas
sensibiles paterentur, quia nondum poterant amare iustitiam, & in hoc erat eis tentatio à domino, qua pro-
babantur, vt apparerent cuiusmodi essent, non vt deo notificarent, quem non latebat qualescunque essent,
sed vt inter se, ac sibimet. Multum tamen illis terroribus testamenti veteris differentia commendatur, quod
E etiam in Epistola ad Hebræos apertissimè dictum est. INTERLINEARIS. Quasi dicat Moyses, ve-
nit deus per signa & mirabilia ad vos, vt si non amore, saltem timore coerciti, non peccaretis.
CHRYSOSTOMVS, SVPER IOANNEM. Vt enim probaret vos venit deus. Ex *Cap.6.*
veteri testamento licet intelligi, vbi inquit, Quæ postquàm gesta sunt, tentauit deus Abraham. Ille re- *Hom.41.*
spondit, Adsum. Ait illi, Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac. Non dixit hoc, vt an pare- *Gene.22.*
ret experiretur, cùm omnia deus videat priusquàm fiant, sed hominis more vtrumque dictum est. Sicut enim
cùm dicit, Scrutatur corda hominum non ignorationis est, sed certissimæ cognitionis: ita tentauit, nihil aliud
quàm certam scientiam significat, vel quòd probatiorem ipsum fecit. CAIETANVS. Nolite timere. Val-
de amicum fuit Interpreti verbum nolo, infinities siquidem in vulgata editione inuenitur noli, seu nolite, ex
officina Interpretis, nam iuxta Hebræum habetur, Non timebitis, hoc est, ne timeatis: vt enim probaret vos
venit deus. Et est sensus, quòd deus venit præsens ad similitudinem tentantis vos qualiter vos exhiberetis in
F præsentia eius, an scilicet cum debita reuerentia & animi promptitudine ad obediendum, an secus. Humano
enim more de deo loquitur. Non enim deus propriè, sed metaphoricè tentat (sicut & irascitur) secundum si-
militudinem effectus, pro quanto facit effectum tentantis, facit scilicet apparere reuerentiam populi, & ani-
mi promptitudinem ad obediendum deo legislatori. Et vt terror illius esset in vobis, Iuxta Hebræum habetur,
Super facies vestras, & non peccaretis. Altera redditur ratio præsentiæ dei. Et directè est ratio maiestatis terribi-
lis in signis apparẽtibus, vt super eorũ facies ad sensum appareret vnde timerent deũ, ne peccarẽt, ita quòd timor
tutor esset eorũ, ne peccarẽt. Per timorẽ enim dei declinat quilibet à peccato, vt scribitur Prouerbiorũ quĩtodeci
mo. AVCTOR CATENAE. Et vt terror illius esset in seu corã vobis, id est, vt timeretis illũ. Chaldaica
ita locum legit, Dixítq; Moyses ad populum, Ne timeatis, quia vt probaret vos dominus, reuelata est gloria dei,
& vt sit timor eius super faciem vestram, vt non peccetis. Sed idem est sensus. Dicit itaque Moyses, Vt probaret
vos venit dominus, vt hoc experimento cognosceretis, vos nõdum exuisse spiritũ seruorum. Sed & terruit hoc

ſpectro, vt metus dei ſit in vobis, vtq; perpetuò caueatis, ne vnquam tam iuſtum dominum offendatis. Si G enim ſolo ſermone eius & alloquio ita concidiſtis, quid futurum putatis, cùm iuſtus iudex aduenerit ſontes puniturus? Tentat autem deus homines, non deo, quem nihil latet, ſed inter ſe, & in propriis conſcientiis.

*Quæſt.75.* *Stetítque populus de longè, Moyſes autem acceſsit ad caliginem in qua erat deus.* AVGVSTINVS. Id eſt, vbi expreſsiora fiebant ſigna, quibus cognoſceretur deus. Nam quomodo in nebula erat, cùm cœli cœlorum non ſufficiant, niſi quemadmodum nuſquam non eſt, qui in loco nullo deeſt? CAIETANVS. Stetítque populus de longè. Moyſes autem acceſsit ad caliginem in qua erat deus. Non eſt reuerſus populus in tabernacula ſua, ſed ſubſtitit, remotior tamen à monte, expectando reſponſionem diuinam per Moyſen eorum legatum ad deum, qui aſcendens in montem, vſque ad montis cacumen acceſsit, ad locum ſcilicet, in quo priùs fuerat cum deo. Deus enim non in monte, ſed in nube in aëre ſupra montem erat, & propterea dicitur in litera, quòd Moyſes appropinquauit ad caliginem (hoc eſt) ad nubem caliginoſam, quæ ſcilicet caligine continuabatur H cum cacumine montis, in qua erat deus legiſlator. Et tacet hîc Moyſes quæ ſuppleuit in Deuteronomio, quòd deus remiſit Moyſen ad populum, approbando petitionem populi, & concedendo vt reuerteretur in tabernacula ſua, ipſe verò Moyſes maneret cum deo auditurus alia præcepta. AVCTOR CATENAE. Moyſes autem acceſsit ad caliginẽ, hoc eſt, appropinquauit verſus, ſiue penetrauit vſque ad caliginem denſam (id enim eſt, עֲרָפֶל Haraphel) in qua erat deus, id eſt, gloria domini, vt habet Chaldaica, hoc eſt, vbi deus per noua ſigna oſtendebat ſeſe.

*Myſticè.* AVCTOR CATENAE. Sed quid voces, lampades, buccina perſtrepens, mons fumigans, & populus perterritus, hoc in loco nobis indicant, niſi (quod & iam ſupradictum eſt) legem Moyſi terrere conſcientias, & inſtruere, peccatáque oſtendere, & domini explicare voluntatem, cùm Chriſti Euangelium potiſsimum conſoletur, & charitate imbuat cum pietate? Quid quòd Iſraël procul ſtans dixit Moyſi, loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur, niſi quòd lex pædagogus noſter fuit I in Chriſto. Licet fuerint etiam in veteri lege qui ex charitate domino ſeruirent per omnia non ex timore ſeruili, more eorum qui ſub pædagogo proficiunt, vt Abraham & Moyſes cum cæteris, non tamen tot, vt in nouo, cùm lux Chriſtus mundo inclaruit? Sicut & hodie ſunt in Eccleſia, aliqua pars fidelium, qui ſub lege educantur, & ſpiritu ſeruitutis premuntur. Verè autem pij, verè in luce ambulant, in vitæ integritate Chriſtum ſequuntur. Omnes nos à mortificatione carnis quam lex dei docet, abhorremus, & vocem domini fugimus, & audire recuſamus tanquam moribus carnis contrariam. Verè enim loquente deo, omnis caro moritur, ni deus miſericordiam ſuam interponat. Stetítque populus de longè, Moyſes autem acceſsit ad caliginem, in qua erat deus. GREGORIVS. In ſacro eloquio intelligentiæ magna diſcretio eſt. Sæpe enim quibuſdam locis & hiſtoria ſeruanda eſt & allegoria, & ſæpe in quibuſdam ſola exquirenda eſt allegoria: aliquando verò ſola neceſſe eſt, vt teneatur hiſtoria. Nam in quibuſdam locis (ſicut diximus) hiſtoria ſimul tenenda eſt & allegoria, vt & tardiores paſcantur per hiſtoriam, & ve- K lociores ingenio per allegoriam. Vnde cum loquente deo populus lampades & ſonitum buccinæ & montem fumigantem cerneret, perterritus petiit, vt eis per Moyſen dominus loqueretur, Scriptúmque eſt, ſtetit populus de longe, Moyſes autem acceſsit ad caliginem in qua erat deus. Turba quippe populi, allegoriarum caliginem non valet penetrare, quia valde paucorum eſt ſpiritualem intellectum rimari. Quia enim mentes carnalium ſola ſæpe hiſtoria paſcuntur, loquente deo ſtetit populus de longè. Quia verò ſpirituales quique allegoriarum nubem penetrant, vt ſpiritualiter dei verba cognoſcant, Moyſes acceſsit ad caliginem in qua erat deus. GREGORIVS NYSSENVS. Dicamus & aliter. Quòd multitudo vocem illam audire non potuit, ſed commiſit Moyſi vt ipſe per ſeipſum ſecreta illa perciperet, populúmque poſtea doceret, quæcunque diuina doctrina didicerit, id quoque in Eccleſia fieri totum videmus, non enim permittitur omnibus ad myſteriorũ cognitionem ſeipſos intrudere, ſed eligitur vnus è multis diuinarum rerum capax, cui cæteri auditum cum obedientia præbeant, illud ſibi credendum faciendúmque putantes, quòd L ab eo qui initiatus eſt audiuerint. Non omnes, inquit, apoſtoli ſunt, ſed prophetæ omnes, quod hodie in multis Eccleſiis parum ſeruatur. Nam multi cùm adhuc prioris vitæ maculam non abſterſerint, ipſi illoti, ac amictu vitæ ſordido vtentes, irrationalem ſenſum in omnibus pluris facientes, diuinum aſſenſum rapere audent, vnde ipſi ſuis cogitationibus, quaſi lapidibus obruuntur. Nam hæreticorum opiniones lapides quidam ſunt, quibus prauorum inuentores dogmatum obruuntur. Quid autem ſignificat quòd in caliginem ſeipſum priùs Moyſes intromiſit, deinde in ea deum proſpexit? Contrarium enim id quodammodo videtur primæ viſioni, nam tunc in luce, nunc in caligine deum videt. Sed id quoque à ſerie anagogici ſenſus abhorrere non putamus. Per hanc enim diuerſitatem hiſtoriæ docemur, quòd veritatis cognitio iis lux eſt, à quibus primò percepta eſt. Veritatis enim oppoſitum tenebra eſt, cuius depulſio, non niſi lucis præſentia fit. Verùm mens hominis ad maiora ſemper & perfectiora procedens, quanto magis ad dei ſpeculationem accedit, tanto magis perſpicit, quòd diuina natura inuiſibilis atque incomprehenſibilis eſt. Nam cùm reliquerit non ſolùm omnia, quæ ſenſu perci- M piuntur, verumetiam cuncta quæ mente inſpiciuntur, ac ſemper ad interiora progrediatur, tunc caligine vndique circunſeptus, in inuiſibili & incomprehenſibili deum videt. In hoc enim conſiſtit dei vera cognitio, in hoc eſt eius viſio, vt videas quod videri non poſsit, quod omnem cognitionem cognitio eius excedit, quaſi caligine quadam ipſa incomprehenſibilitate vndique contenta. Quapropter diuinus etiam Ioannes, qui in ſplendidiſsimam hanc caliginem peruenerat, non dubitauit exclamare, Deum nunquam vllus vidit, non ſolùm hominibus, ſed intellectuali omni naturæ impoſsibilem diuinæ ſubſtantiæ cognitionem hac negatione determinans. Quare Moyſes etiam cùm virtutibus maior factus fuit, tunc confitetur in caligine deum vidiſſe, id eſt, tunc demum cognouiſſe illam eſſe diuinam naturam, quæ cognitionem & comprehenſionem omnem excedit. Intrauit enim Moyſes (hiſtoria inquit) in caliginem, vbi deus erat. Quiſnam deus? qui poſuit tenebras occultationé ſuam, vt cecinit Dauid ille, qui etiam in eadem caligine initiatus eſt, quam qui intrauit



A trauit, quæ per caliginem didicit, vt fiat firmior hæc ſententia nobis diuina voce atque auctoritate comprobata. Vetat enim in primis diuinum præceptum, ne alicuius rei, quam cognoſcas, deo ſimilem putes, omnis enim intellectus, qui phantaſtica quadam cogitatione, quaſi coniectura diuinam naturam apprehendit, ſimulachrum quidem dei finxit in mente, deum autem non intellexit. Verùm cùm, virtus quæ ſecundum veritatem eſt, bipartita ſit, partímque fide in deum, partim recta viuendi ratione conſtituatur (pietatis enim profectò pars non parua eſt, mundicies vitæ) primùm didicit quid oporteat de deo cognoſcere, quod quidem cognoſcere, nihil aliud eſt, quàm nihil eorum eſſe deum cognoſcere, quæ humana mens poteſt cognoſcere. Deinde aliam virtutis partem diligenter docetur: docetur enim quibus operibus bene viuendi ratio perficiatur, ac demum in tabernaculum, quod manus nulla fuerat fabricata ingreditur. Quis ſequetur hunc, qui per tot tantáque ſcandit? ac mentem ſemper in altius extollit? qui cùm in vnum cacumen aſcenderit, ad alterum B illud ſibi ſit gradus, & illud iterum atque iterum ad aliud, ita vt de altiori in altius ſemper aſcendat, ſempérque ſeipſo fiat præſtantior? Primùm cùm cæteri omnes ad aſcenſum deficerent, radices montis ſolus ſupergreditur. Deinde tubarum ſonitus auribus percepit altitudine montis mirabili. Ipſe quoque mirificè eleuatus, ad hæc inuiſibilia diuinæ cognitionis penetralia ingreditur. Nec ibi permanſit, ſed in tabernaculum nulla manu factum pertranſit, certè nanque ad hunc tandem ille finem peruenit, qui huiuſmodi aſcenſibus exaltatur. Sed illa quoque ſententia de cœleſti tuba ad diuinam perducente cognitionem, non eſt improbanda. Cœlum enim & omnia quæ in cœlo ſunt, ſiue varij motus, ſiue diuerſæ magnitudines, ſiue ſplendores alius alium fulgore perſtringentes, mirabilis fabrica ſapientiam dei voce magna exclamat, maximámque ipſius maieſtatem ac poteſtatem per ea quæ videntur enarrat. Vnde dictum eſt, Cœli enarrant gloriam dei. Hæc igitur eſt illa tuba, quæ ſonora, clara, magnáque voce continuè veritatis doctrinam prædicat, vt propheta etiam quidam ait, Cœlum tuba deſuper ſonum dedit. Hunc ſonum ex inſpectione rerum omnium fa- C ctum, ſi quis mundus eſt, ſi quis cordis auditum, ac ductus ipſius non ſegnis rectè ſuſcipit, tandem eò mentis inquiſitione peruenit, vbi deus eſt. Id verò caligo à ſcriptura nuncupatur, quo incognoſcibile ac incomprehenſibile ipſius, vt diximus, ſignificatur. Illuc autem cùm peruenerit, tabernaculum nulla manu fabicatum perſpicit, & imitatione inferioribus materiali oſtendit. HIERONYMVS SVPER PSAL- *Pſalm. 96.* MOS. Dominus in caligine eſt. Dominus aut in lumine eſt, aut in caligine. Incipientibus enim ſimpliciter loquitur, qui verò perfecti ſunt, illis myſticè loquitur. Denique Apoſtolis non loquebatur quaſi turbis, ſed intrinſecus loquebatur. Et quid dicit? Qui habet aures audiendi, audiat. Ergo hoc quod dicit, Et caligo in circuitu eius, hoc eſt & myſteria in circuitu eius. Propterea dicitur & in Exodo. Et omnis, inquit, populus ſtabat deorſum. Moyſes autem ſolus ingreſſus eſt in montem Sina in caligine. Non enim poterat omnis populus dei ſcire myſteria, quæ ſolus poterat noſſe Moyſes. Dicitur de deo, Poſuit tenebras latibu- *Pſalm. 17.* lum ſuum. THOMAS IN EPISTOLAS PAVLI. Dicit Apoſtolus quòd deus habi- *1. ad Timo.* D tat lucem inacceſsibilem. Lux in ſenſibilibus eſt principium videndi, vnde illud quo aliquid cognoſci- *6. Lect. 3.* tur quocunque modo, dicitur lux. Vnumquodque autem cognoſcitur per ſuam formam, & ſecundum quod eſt actu, vnde quantum habet de forma & actu, tantùm habet de luce. Res ergo quæ ſunt actus quidam, ſed non purus, lucentia ſunt, ſed non lux. Sed diuina eſſentia quæ eſt actus purus, eſt ipſa lux, Ioannis primo, Non erat ille lux, & cætera. Deus autem habitat apud ſe, & hæc lux eſt inacceſsibilis, id eſt, non viſibilis oculo carnis, ſed intelligibilis. Et tamen nullus intellectus creatus poteſt ad eum accedere. Notandum eſt tamen, quòd dupliciter poteſt intellectus accedere ad cognitionem naturę alicuius, ſcilicet vt attingat, & vt comprehendat. Ad comprehendendum autem deum impoſsibile eſt intellectum peruenire, quia ſic cognoſceret deum vt cognoſcibilis eſt. Deus autem perfectè cognoſcibilis eſt quantum habet de entitate & luce. Hæc autem ſunt infinita, ergo eſt infinitè cognoſcibilis. Virtus autem intellectus creati eſt finita. Et ideo etiam intellectus Chriſti non comprehendit deum. Sed alius modus eſt cognoſcendi deum, ſcilicet attingendo deum. E Et ſecundum hoc nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoſcendum id quod eſt deus. Et ratio huius eſt, quia nulla potentia poteſt in aliquid altius ſuo obiecto, ſicut viſus ad altius colore. Proprium autem obiectum intellectus eſt quod quid eſt, vnde quod ſuperat quod quid eſt, excedit proportionem omnis intellectus. In deo autem non eſt aliud eſſe & quiditas eius. Quomodo ergo cognoſcibilis eſt? Ergo accedamus ad eum cognoſcendum, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam, Pſalmus, Accedite ad eum, & illuminamini, & cætera. Sed qualiter ergo deus habitat lucem inacceſsibilem? Et in pſalmo, Nubes & caligo in circuitu eius. Exodi vigeſimo, Moyſes acceſsit ad caliginem in qua erat deus. Reſpondet Dionyſius, Omnis caligo eſt in inacceſsibile lumen. Eſt ergo idem quod hîc lumen, & ibi caligo eſt, ſed caligo eſt inquantum non videtur: lumen verò, inquantum videtur. Sed aliquid eſt inuiſibile dupliciter. Vno modo propter ſe, ſicut opaca: alio modo propter excedentiam eius, ſicut ſol ab oculo noctuæ. Sic quædam ſunt nobis non conſpicua propter defectum ſui eſſe, & quædam propter excedentiam eius. Et ſic deus nobis eſt in- F uiſibilis. Sed quomodo inacceſsibilis? Quem nullus, & cætera. Si intelligatur de comprehenſione, ſic abſolutè verum eſt etiam de Angelis, quia ſolus deus comprehendit ſe. Si autem de viſione quæ attingitur, ſic intelligitur tripliciter. Vno modo, nemo vidit oculo corporali. Alio modo, ſecundum eſſentiam oculo mentis viuens in carne niſi Chriſtus, Exodi trigeſimo tertio, Non videbit me homo & viuet. Tertio modo, nemo vidit quid eſt deus per ſeipſum, Matthæi vndecimo, Nemo nouit patrem, & cætera. Matthæi decimo ſexto, Caro & ſanguis non reuelauit tibi, & cætera. AVCTOR CATENAE. Vt autem hic Moyſes, ſic quoque Chriſtus in monte diſcipulis tantùm prædicat, turbis autem in planicie prope montem. Doctor à deo diſcere debet quod doceat Eccleſiam. Caligo dei, eſt etiam ſecretum ſacræ ſcripturæ, & ſpiritualis ſenſus verbi dei, quo ædificatur fides & charitas, ſpes & perſeuerantia in bono. Non ſunt quidem margaritæ ante porcos proiiciendæ, veritas tamen vitæ & doctrinæ nemini eſt neganda.

7 *DIxitque præterea dominus ad Moysen, Hæc dices filiis Israël, Vos uidistis quòd de cœlo locutus sim uobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis uobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica uestra, oues uestras & boues, in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Veniam ad te, & benedicam tibi. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.*

7 THOMAS. Præcepta iudicialia & cærimonialia ex sola institutione vim habent, quia antequàm
1.2.q.c.art. 11.in.cor. instituerentur, non videbatur differre vtrum sic vel aliter fieret. Sed præcepta moralia ex ipso dictami-
ne naturalis rationis efficaciam habent, etiam si nunquam in lege statuantur. Horum autem triplex est gradus, nam quædam sunt communissima, & adeò manifesta, quòd editione non indigent sicut mandata de dilectione dei & proximi, & alia huiusmodi, quæ sunt quasi fines præceptorum. Vnde in eis nullus potest errare secundum iudicium rationis. Quædam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre. Et tamen quia in paucioribus circa huiusmodi contingit iudicium humanum peruerti, huiusmodi editione indigent, & hæc sunt præcepta decalogi. Quædam verò sunt quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta, sed solùm sapientibus, & ista sunt præcepta moralia superaddita decalogo, tradita à deo populo per Moysen & Aaron. Sed quia ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi eorum quæ non sunt manifesta, alia præcepta moralia superaddita decalogo, reducuntur ad præcepta decalogi per modum cuiusdam additionis ad ipsa. Nam in primo præcepto decalogi prohibetur cultus alienorum deorum, cui superadduntur alia præcepta prohibitiua eorum quæ ordinantur in cultum idolorum, sicut habetur Deuteronomij decimo octauo, Non inuenietur in te qui lustret filium suum aut filiam suam ducens per ignem. Nec sit maleficus atque incantator, nec qui phitones consulat neque diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Secundum autem præceptum prohibet periurium, superadditur autem ei prohibitio blasphemiæ Leuitici quarto decimo, & prohibitio falsæ doctrinæ, Deuteronomij tertio decimo. Tertio verò præcepto superadduntur omnia cærimonialia. Quarto autem præcepto de honore parentum, superadditur præceptum de honoratione senum, secundum illud Leuitici decimo nono, Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Et vniuersaliter omnia præcepta inducentia ad reuerentiam exhibendam maioribus, vel ad beneficia exhibenda, vel equalibus, vel minoribus. Quinto autem præcepto quod est de prohibitione homicidij, additur prohibitio odij, & cuiuslibet violationis contra proximum, sicut illud Leuitici decimo nono, Non stabis contra sanguinem proximi tui. Et etiam prohibitio odij fratris, secundum illud, Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Præcepto autem sexto quod est de prohibitione adulterij, superadditur præceptum de prohibitione meretricij, secundum illud Deuteronomij vigesimo quarto, Non erit meretrix de filiabus Israël, neque fornicator de filiis Israel. Et iterum prohibitio vitij contra naturam, secundum illud Leuitici decimo octauo, Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coibis. Septimo autem præcepto de prohibitione furti, adiungitur præceptum de prohibitione vsuræ, secundum illud Deuteronomij decimo octauo, Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, & prohibitio fraudis, secundum illud Deuteronomij vigesimo quinto, Non habebis in saculo diuersa pondera: & vniuersaliter omnia quæ ad prohibitionem calumniæ & rapinæ pertinent. Octauo verò præcepto quod est de prohibitione falsi testimonij, additur prohibitio falsi iudicij, secundum illud Exodi vigesimo tertio, Nec in iudicio plurimorum acquiesce sententiæ vt à veritate deuies, & prohibitio mendacij, sicut ibi subditur, Mendacium fugies, & prohibitio detractionis, secundum illud Leuitici decimonono, Non eris criminator & susurro in populis. Aliis autem duobus præceptis nulla alia adiunguntur, quia per ea vniuersaliter omnis mala concupiscentia prohibetur. Quia ergo per alia moralia quæ decalogo superadduntur, homo conseruatur absque macula peccati, & anima eius ad deum conuertitur, ideo & quæ hîc sequuntur, posita sunt.

*Dixitque præterea dominus ad Moysen.* HVGO DE SANCTO VICTORE. A modo ad solum Moysen loquitur dominus præcepta & iudicia, quæ omnia quasi explanatio sunt decem prædictorum mandatorum. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et dixit dominus ad Moysen. Hæc post reditum populi ad tabernacula sua, regresso Moyse ad deum, dicta fuerunt. Et nominatur nomen domini tetragrammaton, ad significandum, quòd ab ipso fonte essendi data fuerint etiam hæc præcepta iudicialia, cærimonialia, & moralia. *Hæc dices filiis Israel, Vos uidistis quòd de cœlo locutus sim uobis.* Iuxta Hebræum plus habetur, videlicet, Locutus sum vobiscum, vt quamuis maiestas fuerit in loquente, familiaritas tamen fuerit in locutione. Et hinc vt prælibatum est, habetur, quòd non in monte, sed in aëre supra montem apparebat deus loquens. Hebraica enim consuetudine appellatione cœlorum comprehenditur etiam aër. Commemorandam autem hanc visionem præcipit, vt hinc perpendant, quòd ipse quem colunt, est verus deus, dominus cœlorum & terræ, & quòd non Moysi sunt artes seu figmenta, sed diuina opera quæ ipsi ad sensum viderunt. Non enim fingi potest quòd fuisset opus Moysi, quod vos vidistis & audistis, loquentem scilicet me de cœlis vobiscum, ita vt omnes intelligeretis sermonem meum decem præceptorum. AVCTOR CATENAE. Vos vidistis quòd de cœlo locutus sim vobis. Nil refert, quòd in Hebræo est עִמָּם Himmachem, Vobiscum. Idem est enim sensus. Postquàm autem constitutum est, vt deinceps Moyses solus audiat vocem domini, populus autem accipiat legem per Moysen, dicit dominus ad Moysen Deuteronomij quinto, Vade dic eis, Reuertimini in tentoria vestra. Tu verò hîc sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea & cerimonias atque iudicia, quæ docebis eos vt faciant, in terra quam, & cætera. Nunc igitur capesit Moyses officium & ministerium mediatoris, quantum quidem



A dem ad legem ferendam attinet, & audit à domino leges, quas populo proponere debeat. *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis uobis.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Repetitur quod in primo præcepto dictum est, & ex diis argenteis & aureis omnia simulachra intelliguntur, sicut in Psalmo centesimo tertio decimo, Simulachra gentium argentum & aurum opera manuum hominum. IDEM IN PSALMOS. Sunt quidem & ærea & lignea & fictilia simulachra, & huiuscemodi alterius alteriúsque materiæ, sed præcioſum eorum maluit commemorare spiritus sanctus, quia cùm in eo quisque quod illi charius est erubuerit, multò faciliùs auertitur à veneratione viliorum: nam dictum est alio loco scripturarum de simulachrorum cultoribus, dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuisti. Sed ne tibi sapientior videatur qui hoc non ligno & lapidi dixerit, sed auro & argento, huc aspiciat, huc aurem cordis intendat. Simulachra gentium argentum & aurum. Non abiectum aliquid & aspernabile nominatum est, & ei quidem animo qui terra non est, terra est & aurum & argentum, sed speciosior atque fulgentior, solidior atque firmior. Noli ergo addere manus hominum, vt ex eo metallo quod fecit verus deus, velis facere falsum deum, imò falsum hominem, quem pro vero venereris deo, quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret. Ducit enim & affectu quodam infirmo, rapit infirma corda mortalium formata similitudo, & membrorum imitata compago. Sed sicut fabricata singula ostendis, sic ostende officia singulorum, quorum te effigies & humana vanitas trahit. DAMASCENVS IN HISTORIA BARLAAM ET IOSAPHAT. Quid melius est dic mihi, Deo seruire omnipotenti cum filio suo vnigenito & spiritu sancto, Deo increato & immortali, principio & fonti bonorum, cuius imperium inæstimabile, & gloria incomprehensibilis, cui adstant millia millium, & decies centena millia angelorum & cœlestium ordinum, & pleni sunt cœli & terra gloria eius, per quẽ omnia de nihilo facta sunt, per quem omnia continentur & gubernantur, & prouidentia illius reguntur, an dæmonibus perditis & inanimatis idolis, quorum gloria & laus adulterium est, & puerorum corruptio, & cætera impietatis opera, quæ de vestris diis scripta sunt in institutionibus superstitionis vestræ? Non erubescitis miseri, & ignis inextinguibilis cibus? Similitudo generis Chaldaici, non confundimini mortuas statuas adorantes, manus humanæ opera? Lapidem enim dolantes, vel lignum cædentes, deum appellatis. Deinde meliorem de armentis taurum tollentes, vel aliud quod occurrerit decentissimum de animalibus, mortuo delubro sacrificatis. Stulte precioſius est tuo idolo animal quod offertur ei. Nam idolum homo fecit, animal deus creauit. Et ideo longè te rationali intellectualius est irrationabile animal. Nam illud cognoscit nutrientem se, tu verò deum ignoras, per quem de nihilo factus es, per quem viuis & conseruaris. Et appellas deum, quem paulò antè vidisti ferro cæsum, & igne conflatum, & malleis productum. Quem argento & auro circuntexisti, & de terra eleuans, in alto collocasti. Deinde corruens in terram, miserum lapidem, miserior illo, adoras, & non deum, sed opera manuum tuarum mortua & inanimata, imò neque mortuum vtique est iustum vocari idolum. Quomodo enim mortuum est quod nunquam vixit? Sed quoddam nouum oporteret inueniri sibi nomen, tanta fatuitate dignum. Nam lapideus puluis efficitur, ligneus corrumpitur, æneus fuscatur, aureus & argenteus conflatur. Nec hoc solùm, sed etiam distrahuntur dij tui, alij modico, alij precio multo. Non enim diuinitas inest eis. Deum enim quis emit? Deum quis vendit? Quomodo deus vocatur, qui non mouetur? An non cernis, quoniam quidem stans, nunquam sedet, sedens verò nunquam surgit? Erubesce stulte, & manum pone super os tuum fatue, talia laudans. Nam à veritate alienatus es, mendacibúsque figuris seductus, statuas fingens, & operibus manuum tuarum dei nomen imponens. Euigila infelicissime & intellige, quòd antiquior es tu deo à te facto. Ista plurimæ sunt insaniæ. Confidis enim temetipsum, cùm sis homo, deum posse facere. Et quomodo potest hoc fieri? Itaque non deum facis, sed effigiem hominis, vel alicuius animalis, linguam non habentem neque guttur, neque cerebrum, neque aliquid interius. Itaque neque hominis similitudo, neque animalis, sed omnino quiddam inutile & vanitate plenum. Cur ergo insensibilibus adularis? Cur immotis & inutilibus assides? Nisi enim ars fuisset cæsoris lapidum, vel architecti aut ferrarij, deum vtique non habuisses. Nisi custodes assiderent, vtique deum tu perderes. Quem enim sæpiùs vrbs populosa, insipienter precatur vt deum, vt ab eo custodiatur, huic custodes pauci assident, neà furibus rapiatur. Et si quidem aureus vel argenteus fuerit, solerter custodietur, si verò lapideus aut luteus, vel alterius cuiuslibet vilioris materiæ, semetipsum custodiet. Forsitan robustior est luteus apud vos aureo. Non est igitur congruum, vos insipientes & cæcos & sine intellectu, iustos subsannare, sed potiùs vosmetipsos deflere. Amentiæ quippe, non pietatis, sunt opera vestra. Nam studiosus bellorum militaris aspectus, simile idolum erigens, vocauit Martem. Alius autem mulierum concupiscentia succensus, vitium suum deum fecit, quem vocauit Venerem. Iste autem propter suam vinolentiam finxit idolum, quod vocauit Bacchum. Similiter verò & aliorum malorum concupiscentes, suorum vitiorum statuerunt idola. Nam passiones suas deum vocauerunt: & ideo in delubris suis impudicæ fiunt ab eis saltationes, & luxuriosa cantica resonant, & furiosi in impetu fiunt. Quis autem horum per ordinem abominabilem edicet actionem? Quis sustinebit, illorum turpitudines referendo, os suum inquinari? Sed omnibus manifesta sunt, etsi nos taceamus. Isti tui cultus sunt, ô Theoda, statuis insensibilior. Hæc me suades adorare? hæc colere? Tuæ veraciter est malitiæ & stultæ voluntatis, tale consilium. Sed similes illis fiant tu & omnes qui confiditis in eis. Ego verò deo meo seruiam, & sacrificabo totum meipsum deo creatori & prouisori vniuersorum, per dominum nostrum Iesum Christum spem nostram, per quem accessum habemus ad patrem luminum in spiritu sancto, per quem redempti sumus de amara seruitute in sanguine eius. Nisi enim humiliasset semetipsum vsque ad formam serui, nunquam nos filiorum adoptione digni essemus. Humiliatus est ergo propter nos, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Nam quod erat permansit, & quod non erat assumpsit. Locutus est hominibus, ascendit in crucem carne sua, positus est in sepulchro tribus diebus, descendit in infernum, eduxit eos quos vinctos tenebat sæuus mundi

*Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis uobis.* Quæst. 76.

Psalm. 113. Conc. 2.

Hierem. 2.

Philip. 2.

rector venundatos sub peccato, resurrexit die tertia, ascendit in cœlum, inde venturus iudicare viuos & mortuos. CAIETANVS. Non facietis, deficit mecum, deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Sciens deus pronitatem populi ad idololatriam, ex visis repetit principale præceptum. Et dicendo mecum, testatur, quòd ipsa prima fronte allocutionis, præceptum & fœdus quod ipse esset deus eorum, habitum fuerit. AVCTOR CATENAE. Et verum est quidem, quòd in Hebræo est dictio אתי Itti, id est, mecum, vt dicatur, Non facietis mecum deos argenteos, & cætera, vbi Chaldaica editio habet coram me. Et est sensus, Vos vidistis quòd supernè è cœlo, non è terra locutus sum vobis, neque tanquam idolum mutum. Ne igitur deos argenteos vel aureos faciatis mecum, hoc est, vt vnà eos mecum colatis. Volo vt me vnicum, & ne alium habeatis deum præter me, nolo habere sociũ, quem mecum adoretis. A me enim omne bonum contingit, ideóque soli mihi debetur omnis honor & gloria. Replicatio est igitur primi & principalis præcepti, quo solo seruato, facilè reliqua succederent. RABANVS. Quod autem additur, *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oues vestras & boues.* Ostendit ob hoc tantummodo interdictis simulachris altare esse concessum fieri de terrena materia, vt vni deo hostiæ & sacrificia in eo offerrentur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Altare de terra facietis mihi. In sequentibus tamen factum est æneum. Sed & illud tantùm terra implebatur, quando sacrificia fiebant, & hæc est sententia Iudæorum de altari.

1.2. q. 102. ar. 4. ad 7. THOMAS. Dominus præcepit altare construi ad sacrificia & munera offerenda in honorem dei & sustentationem ministrorum, qui tabernaculo deseruiebant. De constructione autem altaris datur à domino duplex præceptum. Vnum quidem in principio legis, Exodi vigesimo, vbi dominus mandauit quòd facerent altare de terra, vel saltem de lapidibus non sectis. Et iterum quòd non facerent altare excelsum, ad quod oporteret per gradus ascendere, & hoc ad detestandum idololatriæ cultum. Gentiles enim Idolis construebant altaria ornata & sublimia, in quibus credebant aliquid sanctitatis & numinis esse, propter quod etiã dominus mandauit Deuteronomij sexto decimo, Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare domini dei tui. Idololatræ enim consueuerunt sub arboribus sacrificare propter amœnitatem & vmbrositatem. CAIETANVS. Ad differentiam igitur altarium quæ construebantur Idolis præcipitur altare terreum, id est, lateritium. Differentia autem inter pacifica & holocausta, inferius patebit in loco proprio. AVCTOR CATENAE. Altare de terra facietis mihi, quasi dicat dominus, Ego externa illa ornamenta quæ possunt animum tuum à vero mei cultu auertere, paruifacio, satis enim mihi est, vt altare terreum ædifices mihi. Illic enim exaudiam te æquè atque in aureo altari. Super eo offeretis, seu immolabitis holocausta & pacifica vestra, & cætera. Chaldaica habet, Et sacrificia sanctificata tua. Hebraicè pax significat etiam sanitatem, incolumitatem ac valetudinem. Quæ autem sacrificia in horum gratiam offeruntur, pacifica vocantur. Indicio est & editio Septuaginta, quæ pro pacifica vestra, habet σωτήρια ὑμῶν, id est, salutaria vestra, quæ videlicet pro salute & pace offeruntur. Soliti etiam sunt Septuaginta, Selom quod pacem sonat, vertere ὑγίεαν, salubritatem, incolumitatem. Quia ergo Idololatræ altaria admodum solennia ex marmoribus & metallis erigebant simulachris suis, in eorum detestationem dominus altare suum in quo ei hostiæ cremabantur, lateritium extrui voluit, altare tamen incensi de lignis Sethim, & opertum auro construi mandauit, vt infra trigesimo capite patet. CAIETANVS. Sed occurrit quæstio ex Hieremiæ capite septimo, quoniam ibi deus dicit, Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti super verbis holocausti & victimæ. Qua itaque ratione stant hæc duo simul, hîc enim manifestè diuinus est sermo de holocaustis & victimis. Solutio est, quòd Hieremias verum dicit de sermone & præcepto domini ore proprio ad populum, & propterea dicit cum patribus vestris. Decem enim duntaxat præcepta dedit deus colloquendo cum populo per seipsum immediatè, nihil dicendo de holocaustis & victimis, hæc enim quæ de altari & sacrificiis præcipiuntur, mandauit deus postea populo per Moysen. RVPERTVS. Vel quod ait dominus, non sum locutus, id est, non præcepi, intelligitur. Nam quæcunque taliũ velut ex ore meo Moyses iusit, non me iubente, sed me permittente præcepit. Vincula enim quædã fuerunt, permissa videlicet propter transgressiones posita, scilicet vt dum taliũ sacrificiorum ritu detinerentur, non vacaret eis errare à deo suo in suis adinuentionibus, & illicitis Idolorum cultibus. AVCTOR CATENAE. An non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis super verbis holocausti & victimæ, primò & principaliter intelligere debemus, cùm propter aliud fuerint instituta. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi vnigeniti filij dei mortem designabant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctionem carnalis nostræ vitæ significabant? Qui ergo vmbras futurorum holocausta esse voluit tantummodo & victimas, rectè dicere potest in Hieremia non præcepisse victimas & holocausta. Quod enim non propter se, sed propter aliud institutum est, quodammodo dici potest non fuisse præceptum. *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei.* CAIETANVS. Electionem loci sibi reseruat dominus. Et est sermo de loco tabernaculi seu templi in terra promissionis. Nam præcepta hæc data post decem præcepta, non obligabant nisi in terra promissionis. Expressè enim dicitur Deuteronomij quinto de omnibus præceptis. AVCTOR CATENAE. In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Parum est quòd in Hebræo legitur אֲשֶׁר אַזְכִּיר אֶת שְׁמִי Aser azchir eth semi, Vbi, seu in quo recordari, vel memorari fecero nomen meũ. Alij, Vbi memoriam fecero nomini meo, siue meminisse, vel memoriam faciam nominis mei, Et sonant, In omni loco in quo instituam memoriam nominis mei. Septuaginta, ἐν παντὶ τόπῳ, οὗ ἐὰν ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου, ἐκεῖ, In omni loco vbi inuocauero nomen meum, illic: Chaldaica autem, In omni loco in quo habitare fecero gloriã meam, habent. Quorum omnium idem est sensus cum Latina editione. Neque (inquit) hoc altare cõstruetis vbicunque locorum pro vestro libito, sed tantùm eò loci quem ego elegero, quem nomine meo celebrabo, quicunq; tandẽ is sit. Ibi ergo tantũ mihi sacrificate sacrificia vestra & nõ alibi, si ea mihi grata esse, etsi ex hoc benedictionem meã obtinere volueritis. Locus autẽ huiusmodi ad vitandũ Idololatriæ periculũ, ad quã populus ille pronus erat valde, nisi vnus esse debuit, facilè enim ad illã declinassent, si vbiq; sacrificare potuissent. Quòd si alibi nõnulli sacrificasse reperiuntur, id ex diuina factũ est reuelatione, sicut Dauid ex iussu Gad Prophetæ in mõte Moria

3.Reg. 24.



Aria antequã templum ibi fundaretur, propter factam eo in loco angeli apparitionem. Et Helias in mõte Carmeli, ad conuincendum Prophetas Baal. Locus autem deputatus domino pro sacrificiis offerendis post ingressum filiorum Israël in terra promissionis, primò fuit in Sylo, vbi positum fuit tabernaculum & altare holocaustorum, & destructa Sylo translatum est Nobe, destructáque per Saulem Nobe, translatum in Gabaon, postea in Hierusalem templo fundato. In singulis tamen vrbibus erant loca quæ synagogæ dicebantur, vbi populus ad laudandum deum, & audiendum legem conueniebat. Alij membrum hoc copulabant cum inferiori, legentes, In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, *Veniam ad te, & benedicam tibi.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Cùm superius pluraliter loqueretur, facietis & immolabitis, dicit nunc, veniam ad te, & benedicam tibi, tanquam ipsi Israël & populo. INTERLINEARIS. Veniam autem, occulta inspiratione, benedicam corporali & spirituali benedictione. CAIETANVS. Exauditio promittitur sacrificantibus obediendo. AVCTOR CATENAE. Commodiùs (vt dictum est) cum præcedentibus iungitur hic versiculus, quàm quòd de per se ponatur, Quasi dicat deus, Si vbi ego voluero sacrificia tuleris, veniam ad te, benedicámque tibi, id est, te exaudiam, & felicem reddam. Cui sensui astipulatur & Chaldaica lectio, sic habens, In omni loco in quo habitare fecero gloriam meam, ibi mittam benedictionem meam, & benedicam tibi. *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur.* THEODORETVS. Propterea quod ferro vtebantur ij qui arcam construebant, similiter ij qui ex auro, argento, ære opera faciebant, itidémque sacerdotes in mactandis hostiis, & circuncisione facienda, magnam mihi lex hæc admirationem mouet. Quærendum igitur quonam pacto ferrum hæc quæ supradiximus, non pollueret. Sed tantummodo lapides qui ad altaris ædificationem cædebantur. Apertum itaque ac manifestum nobis esse debet, quòd legislator alia ex aliis vt sapiẽs architectus ædificat. Ne igitur Iudæis, cùm in terram promissionis peruenissent, altaria ex sectis lapidibus construentibus gentes illis vicinæ super Israëlitarum altaria sacrificarent, altaria quæ facilè dirui possint, fieri mandat. Nam & post templi ædificationem altaria alibi fieri non poterant. Atque ideo Helias in Carmelo monte necessitate adductus, duodecim lapides in modum altaris erexit, vt sacrificio peracto facilè dissoluerentur. DIODORVS. Ferro in mactandis hostiis in cædendis lignis vtebantur, quid ergo prohibebat lapides ad extruendum altare ferro cædi atque expoliri? Sed nimirum ratione qua & Dauid prohibitus est ne templum exædificaret, propterea quòd copiosum sanguinem in bello effuderat, eadem ratione lapides ferro cædi prohibebat, hoc est, cædem ac sanguinis humani effusionem hoc exemplo vitandam fugiendámque omnino docebat. PHILO HEBRAEVS. Hi qui naturam transmutare audacter aggrediuntur, hi mihi impolluta polluere videntur. Naturæ nanque opera perfecta absolutáque sunt, quæq; nulla additione indigeant. THOMAS. Verùm quia facto tabernaculo ad honorem dei non erant timendæ huiusmodi occasiones idololatriæ, ideo dominus mandauit quòd fieret altare holocaustorum de ære, quod esset omni populo conspicuum, & altare thymiamatis de auro, quod soli sacerdotes videbãt. Nec erat tanta preciositas æris, vt per huius copiam populus ad aliquam idololatriam prouocaretur. CAIETANVS. Ad differentiam idololatrarum facientium altaria ex marmore polito, & vario opere sculpto, prophanum censet quodcunque altare ex lapidibus sectis, vult enim altare suum vel lateritium, vel ex lapidibus, quales apponuntur in communibus fabricis. AVCTOR CATENAE. Non ædificabis illud de sectis lapidibus. Clariùs expresit Hebraica quæ sunt לֹא תִבְנֶה אֹתָהֶן גָּזִית Lo thibne ethhen gazith, Non ædificabis eos politos. Chaldaica, Sectos lapides, Sic & Septuaginta, id est, & iis lapidibus qui secti, excisi, expoliti & quadrati sunt. Vocat enim scriptura lapidem ferro politum, lapidem tonsum vel rasum. Est enim Gazaz, tondere, à quo dictio gazith. Si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur, id est, pro polluto habebo. Verbum tamen Hebraicum וַתְּחַלְלֶהָ Vatichalaléha, Pollues, seu contaminabis eum, nempe lapidem, quod Hebræis est fœminini generis, aptiùs redditur. Sed idem est. Cultrum autem vsurpat pro quocunque instrumento ferreo, etiam malleo quod eleuares super lapidem, ad poliendum eum scilicet. Vt igitur longissimè absit populus ab idololatria, nolo vt construatur mihi ara ex sectis cæsisq; lapidibus, sed rudibus ac natiuis, ne quid omninọ sit in ara, in quo populus hæreat, & quod admiretur. Quòd si ferreum quodcunque instrumentum lapidibus aræ incidendis admoueris, iam lapidem contaminauisti. Videtur autem & hæc lex ad cohibendam superstitionem rudium Israëlitarum lata esse. Nam cùm decalogus maximis miraculis in monte Horeb à deo promulgatus esset, existimarũt eum montem præ omnibus aliis locis ita sanctificatum esse, vt in eo solo deus habitaret, & illic instituenda essent preciosissima altaria, ad quæ quouis tempore peregrinarentur, & domino deo suo sacrificarent. Hanc superstitionem deus hac lege eximit, & iubet eos vilia altaria, vel ex terra, vel ex impolitis lapidibus facere. Et addit in quocunque loco fecero memoriam nomini meo, veniam ad te, & benedicam tibi, hoc est, Nolo existimetis, me in hoc tantùm monte habitare. Elegi quidem hunc montem, vt in eo promulgarem Decalogum, vnde concedo vobis, vt in eo offeratis holocausta vestra ad gratiarum actionem, non tamen ita habito in eo, vt velim huic loco affixus esse, & cupiam, vt vos huc ad colendum deum peregrinemini, vnde etiam nolo vt ædificetis altare aliquod preciosum. Sed in quocunque loco fecero memoriam nomini meo, vbicũque prædicabitur verbum meum, & statuetur tabernaculum ac propiciatorium, ibi veniam ad vos, Et benedicam vos, hoc est, ibi adero vobis præsens beneficiis meis, si quod ego præcipio, opere compleatis. Ex his apparet etiam hanc legem de altari è terra aut rudibus lapidibus facto, ad tempus tantùm latam esse. Nam postea ædificatur altare holocausti ex lignis Sethim capite vigesimo septimo. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* THOMAS. Hoc etiam fuit institutum ad excludendam idololatriam, quoniam in sacris priapi sua pudenda gentiles populo denudabant. Postmodum autem indictus est sacerdotibus fœminalium vsus ad tegmen pudendorum, & ideo sine periculo institui poterat tanta altaris altitudo, vt per aliquos gradus ligneos non stantes, sed portatiles in hora sacrificij sacerdotes ad altare ascenderent sacrificia offerentes. CAIETANVS. Multitudo graduum tanta prohibetur, quæ pudenda viri absque fœminalibus conspicienda redderet existentibus in planicie, & non prohibentur gradus pauci alieni à periculo huiusmodi, vt ratio subiũcta testatur. AVCTOR CATENAE.

Vbi supra

Vbi supra

CATENAE. Ne reueletur turpitudo tua,adde ex Hebræo ſuper eo, ſcilicet altari, ſic enim habet & Chaldai- G
ca,vel in eo,vt legunt Septuaginta,aut,iuxta illud, vt alij vertunt. Eſt enim עַל Halaf, quod tribus illis modis
reddi poteſt.Et eſt ſenſus,Aſcenſus non erit interciſus per gradus longè diſtantes,ſed decliuis & æqualis erit,ne
turpitudo reueletur nimia crurum diſtẽtione. Honeſtas nanque decet maxima ſacerdotes domini virtutum,&
diſciplina morum perfecta.Sed & arrogantia,& ambitio pompoſa graduum,qualis apud idololatras tunc in v-
ſu erat, domino non placent, & dignitatem non decet eius, qui poſitus eſt in exemplum vitæ & doctrinæ.Hæc
quidem ordinauit dominus, vt ad religionem factitiam & externam non relaberetur populus ille, vt erat ma-
ximè pronus ad gentilium cærimonias capeſſendas. Ideo proprias illi dare cærimonias voluit dominus per
Moyſen, & eum populum ſeruare in religione dei ſui, abominantis hæc externa. Diſce hinc ſacerdos honeſta-
tem, ne in publico miniſterio vel ſcurra appareas, vel diſiunctione veſtium eas corporis partes denudes, quæ
ſunt in publico populi conſpectu maximè tegendæ,vel nouitate veſtitus, aut inuſitato modo publicè veſtiendi, H
Eccleſiæ offendiculum præbeas.

*Myſticè. Cap.5.* HIERONYMVS IN DANIELEM. Iuxta tropologiam dicendum eſt,quòd omnes hæretici, & doctrina contraria veritati, quæ aſſumit verba Prophetarum, & teſtimoniis diuinæ ſcripturæ abutitur ad ſenſum ſuum, non deum verum habet, ſed deos aureos & argenteos, & æneos & ferreos, ligneóſque & lapideos. Aurei mihi videntur hi qui ſeculari ratione compoſiti ſunt. Argentei, qui habent eloquij venuſtatem, & rhetorica arte conſtructi ſunt. Qui autem inferunt fabulas poëtarum, & vetuſtis vtuntur traditionibus, habentes inter ſe multam vel elegantiæ vel ſtultitiæ differentiam, iſti vocantur ænei & ferrei. Qui autem penitus inepta proponunt, lignei appellantur & lapidei. Quos omnes in duas partes Deuteronomium diuidit, ſcribens, Maledictus *Deut.27.* qui facit ſculptile & conflatile, opus manuum artificis, & ponit illud in abſcondito. Abſcondunt enim omnes hæretici, & operiunt mendaciorum ſuorum dogmata, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. AVCTOR CATENAE. Deos etiam argenteos & aureos ſpiritaliter ſtatuunt ſibi cupidi & auari,qui omnem ſpem ſuam I *Iob 31.* in diuitiis ponunt & collocant,iuxta illud domini,Vbi eſt theſaurus tuus,ibi & cor tuum,quod ſanctus Iob à ſe & ſibi ſimilibus excludit,dicens, Si putaui aurum robur meum, ſi obrizo dixi, fiducia mea. GREGORIVS *Cap.20.* TERTIO MORALIVM. Altare de terra facietis mihi. Per terram mediatoris incarnatio deſignatur. Altare ergo de terra domino facere,eſt incarnationem mediatoris ſperare.Tunc quippe à deo munus noſtrum accipitur, quando in hoc altari noſtra humilitas (id eſt, ſuper dominicæ incarnationis fidem) poſuerit quicquid *Pſal. Miſe-rere.* operatur.In altari ergo de terra oblatum munus ponimus, ſi actus noſtros dominicæ incarnationis fide ſolidamus. IDEM IN SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES. Altare dei filius eſt, de quo ipſe dominus ait,Altare de terra facietis mihi.Quid eſt enim aliud altare de terra facere, niſi de dei filij incarnatione non dubitare:Ipſe eſt nanque cui in hac vita cordium noſtrorum ſacrificia imponimus, & in quo cogitatio- *Pſal.137.* nes illicitas ne conualeſcant mactamus. Vnde ſcriptum eſt, Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Ad petram quippe paruulos noſtros allidimus, cùm orientes motus illicitos imitationis Chriſti intentio- K *1.Cor.10.* ne mortificamus.Scriptum eſt enim,Petra autem erat Chriſtus.Ipſe ergo eſt petra,ad quam cogitationes noſtras *1.Pet.2.* tenemus,ipſe altare,cuius clementiæ peccatorum victimas imponere præſumimus.Denique peccata noſtra ipſe portauit. INTERLINEARIS. Super hoc altare etiam, id eſt, ſuper hac fide, offerimus holocauſta & pacifica, oues & boues noſtras in omni loco in quo eſt memoria nominis domini, hoc eſt, omnia virtutum opera tam ſimplicia quàm fortia & perfecta, non quidem in hæreticorum conuenticulis, ſed in generali dei Eccleſia per totum terrarum orbem diffuſa. AVCTOR CATENAE. Vel per terram quæ infimum eſt elementum, *D.in.3.* humilitatis virtus deſignatur,in qua deo facta oblatio acceptatur,iuxta illud Prophetæ,In animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Et in Pſalmo, Sacrificium deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non deſpicies. ISIDORVS. Deinde adiecit,Quòd ſi altare lapideum feceris mihi,non ædificabis illud de ſectis lapidibus.Si enim leuaueris ſuper eos cultrum, polluetur. Secti lapides hi ſunt, qui vnitatem ſcindunt, ac diuidunt ſemetipſos à ſocietate fraterna per odium vel ſchiſmata. Tales in corpore ſuo non L recipit Chriſtus,cuius corporis figuram altaris illius conſtructio obumbrabat.Iſti verò non ſecti lapides,ex quibus altare conſtrui iubetur,hi ſunt, qui fide morúmque vnitate ſolidantur, de quibus dicit Apoſtolus, Vos eſtis lapides viui, qui coædificamini in domos ſpirituales. His non eſt iniectum ferrum, quia incorrupti ſunt, & iacula maligni ignita non receperunt,quíque vnum altare faciunt, id eſt,vnitatem fidei vel concordiam charitatis ſequuntur.Non accedes per gradus ad altare meum,id eſt,non gradatim, vnum alij præferens, ad me peruenies, neque priorem atque poſteriorem tempore diſcernens, quia diuiſum & ſequeſtratum propitium non habebis. Hæc enim Arriani faciunt, qui inſecabilem patris & filij & ſpiritus ſancti ſubſtantiam diuidunt. INTERLINEARIS. Qui enim gradus in trinitate faciunt, & maiorem patrem, minorem filium, minimum ſpiritum ſanctum docent, hi per gradus ad altare domini aſcendunt, quod deo maximè abominabile eſt. RVPERTVS. Altare de terra facietis mihi, & cætera. Nunquid enim hoc iubet vt non niſi de terra congeſta ſibi altare fiat,vt vel idipſum altare plano ſolo non emineat:Non vtique,nam idem poſtmodum, Altare(in- M quit)facies mihi de lignis Sethim,& operies illud ære.Sed & Salomon altare fecit in templo æreum altitudinis *3.Reg.8.* decem cubitorum, Nunquid ſine gradibus illuc aſcendi poterat? Imò quindecim gradibus aſcendebatur in illa *2.Paral.7.* ſancta ſanctorum, iuxta quæ cantantur in Dauid, quindecim cantica graduum continentia quid ſignificauerunt gradus illi, ſcilicet virtutum profectibus aſcendendum eſſe in cœleſtia ſancta ſanctorum. Ergo potiùs ad id quod humiliato corde dixerant,Non loquatur dominus nobis,ne fortè moriamur,cuncta hæc figuratè dicta eſſe probantur. Nam huius quoque loci memor Moyſes, iterum in Deuteronomio decimo octauo dicit, Pro- *Deut.18.* phetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi dominus deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à domino deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti, Vltrà non audiam vocẽ domini dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo,ne moriar. Et ait dominus mihi, Bene omnia ſunt locuti: *Exod.23.* Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum eorum ſimilem tui,& cætera.Hunc Prophetam, id eſt,ſemetipſum, dicit



A dicit in iſto loco,Veniam ad te,& benedicam tibi.Et poſt aliqua, Ecce ego mittam angelũ meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obſerua eum, & audi vocem eius, ne contemnendum putes,quia non dimittet cùm peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Igitur cùm dixiſſet Moyſes, Vt enim probaret vos, venit deus,& vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis, videlicet quia initium ſapientiæ eſt timor domini,Dominus illum Prophetam, illum magni conſilij intendens angelum,Vos(inquit)vidiſtis quòd de cœlo locutus ſum vobis, dicens, Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis, & portare non potuiſtis.Dico ergo,altare de terra facietis mihi,id eſt,incarnationem Prophetæ illius quem ſuſcitabo vobis de fratribus veſtris,humiliter credetis.Et offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra,oues & boues in omni loco in quo fuerit memoria nominis mei. A ſolis ortu vſque ad occaſum, inquit per prophetã Malachiam,magnum *Malach. 1.* eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Hoc ergo B dicit,quia quicquid ritè offerre voluerit quis,ouem ſiue bouem,id eſt, minorem vel maiorem actionem in ſtructura altaris illius, id eſt, in fide dominicæ incarnationis ſolidabit. Veniam ad te, ſubauditur ſecundum illud altare,& benedicam,ſcilicet omni benedictione cœleſti & gratia ſpirituali.Quòd ſi altare lapideum feceris mihi,non ædificabis illud de ſectis lapidibus. Si enim leuaueris cultrum tuum ſuper eo, polluetur. Lapides virtutes animi ſunt, de quibus tunc altare domino facimus, dum fidem habentes incarnationis eius, ſuper hoc fundamentum illas ſuperædificamus. Ferrum autem ſiue cultrum arrogantia eſt, quo maximè vitio mens à creatore ſuo præciditur.Aedificatum ergo altare ſi ſuper eo cultrum leuaueris, id eſt, ſi tibi virtutes ipſas arrogaueris,polluetur.Non aſcendes per gradus ad altare meum,ſubauditur, de terra factum, id eſt, minorem patre non dices incarnatum filium,ne reueletur turpitudo tua. Turpius enim nil eſt turpitudine hæretica, ſiue non aſcendes per gradus,id eſt,non extolleris de tuis profectibus,propter quod vitium turpitudo reuelatur,quia profectò ſuperbiam mentis contumelia carnis comitatur. THOMAS. In Chriſto igitur qui eſt noſtrum altare, de- C bemus confiteri veram carnis naturam quantum ad humanitatem, quod eſt altare de terra facere, & quantum ad diuinitatem debemus in eo confiteri patris æqualitatem, quod eſt non aſcendere per gradus ad altare. Nec etiam iuxta Chriſtum debemus admittere doctrinam gentilium ad laſciuiam prouocantem. GRAECVS. Dum etiam vniuerſorum deus ex impolitis & natiuis lapidibus altaria conſtrui iubet, ſpiritualiter nos docet, Deum cogitationibus affectionibúſque ſimplicibus,minimèque arte compoſitis delectari.

## IN CAPVT EXODI VIGESIMVM PRIMVM, ARGVMENTVM.

*Præcepta iudicialia quo ad emptitios ſeruos & ancillas, furta, homicidia, parricidia, parentum maledicta, percutientes ſeruum aut prægnantem, rixas & talionis pœnas, atque cornupetam bouem.*

D

## CAPVT XXI.

*HAec ſunt iudicia quæ propones eis.Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.Cùm quali ueſte intrauerit, cum tali exeat.Si habens uxorem, & uxor egredietur ſimul.Sin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe uerò exibit cum ueſtitu ſuo. Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus diis, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabítque aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſeculum. Si quis uendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ* E *exire conſueuerunt.Si diſpliceuerit oculis domini ſui cui tradita fuerit, dimittet eam, populo autem alieno uendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpreuerit eam. Si autem filio ſuo deſponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Quòd ſi alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias & ueſtimenta, & precium pudicitiæ non negabit. Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia.* *Lectio 1.*

RVPERTVS. Rectè & ordinatè poſt data præcepta,iudicia proponuntur.Futurum nãque erat, non om- *Lectio 1:* nes obſeruare, vel audire præcepta, & idcirco neceſſarium fuit præſcribere, qualis tranſgreſſor, qualis reus foret iudicio. AVCTOR CATENAE. Præcepta moralia decem, de quibus dictum eſt ſuprà, quædam con- *Moralia:* cluſiones ſunt immediatè elicitæ à iuris naturalis dictamine, ſiue ex eius principiis, & ideo in noua lege manẽt, quia ius naturale eſt immutabile. Iudicialia verò & cærimonialia præcepta, per nouam legem euacuata ſunt, a- *Cærimonia-* F liter tamen & aliter. Cærimonialia enim ſic ſunt euacuata, quòd ea poſt ſufficientem Euangelij promulgatio- *lia.* nem obſeruare mortiferum eſt, vnde dicit Apoſtolus, Si circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Quod *Gal.5.* etiam de aliis cærimonialibus intelligendum eſt,quia cærimonię erant proteſtationes quædam & figuræ venturi Chriſti,& noui teſtamenti,ideo eas poſt Euãgelij publicationem ſufficientem obſeruare,dicere eſt,quòd tempus aduentus Chriſti ac noui teſtamenti nondum eſt impletum, nec figurarum veritas per ſaluatorem eſt impleta,quod quidem hæreticum eſt.Thurificatio tamen quæ de cærimonialibus erat veteris teſtamenti, in noua lege remanet,quia directè nihil ſignificabat futurum,ſed deuotionem duntaxat populi deum colentis,quæ maior eſt in nouo quàm in veteri eſſet teſtamento. Iudicialia verò ſic euacuata ſunt præcepta, quòd in lege noua *Iudicialia:* non obligant, obſeruare tamen non eſt mortiferum, veluti ſi Chriſtianus aliquis princeps ea in regno ſuo inſtitueret.Et ratio eſt,quia iudicialia ad ſtatum illius populi in pace per opera iuſtitię conſeruandum inſtituta erãt, ita quod de ſe vel per ſe,alicuius in noua lege futuri figuræ non extiterunt,ſed per accidens tantùm, pro quanto illius

illius populi ſtatus reſpectu ſtatus noui teſtamenti, figuralis erat, & ideo tempore noui teſtamenti obſeruari poſ- G ſunt, in quantum tamen noui teſtamenti tempore de nouo inſtituantur, & non aliter. Quòd ſi obſeruarentur tanquam ex lege veteri obligatoria, eſſet mortiferum, quia hoc eſſet aſſerere adhuc ſtatum populi veteris teſtamenti manere. De his ergo iudicialibus præceptis præſens loquitur lectio, dicens, *Hæc ſunt iudicia quæ propones eis.*

*Locut.91.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Diſtinctiùs amodò explicantur ea quæ ad proximum pertinent. Notanda verò locutio eſt, quòd cùm illud dictum ſit ad Moyſen, Hæc ſunt iudicia ſiue iuſtificationes, quæ propones eis, cætera iam dicuntur ad ipſum populum quaſi ad Moyſen. Si emeris ſeruum Hebræum, & cætera. Non enim hoc Moyſi dictum eſt, ſed quod populo, tantùm ipſi populo dicebat.

RVPERTVS. Hæc ſunt iudicia quæ propones eis. Non idem ſingulariter iudicium ſonat, quòd pluraliter iudicia. Nam ſingulariter iudicium, plerunque damnationem, pluraliter verò iudicia, tam rei vindictam, quàm innocentis ſignificat defenſionem. Vtriuſque partis, iudicij ſcilicet & miſericordiæ ſententias, poſt data H
*Pſal.18.* *Rom.7.* *Pſal.100.* decem præcepta proponit hîc lex domini ſancta & immaculata & iuſta & bona, & veraciter Pſalmiſtæ pſallenti in decachordo pſalterio, primum locus hic materiam videtur dediſſe, quatenus diceret, Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Cantandi nanque iudicij materia eſt inſignis, ab hoc loco vſquequo dicit, Qui immolat diis occidetur præter deo ſoli, miſericordiæ verò moduli dulces ſunt, ab eo quòd continuò ſubiungit, Aduenam non contriſtabitis, vſque ad id quod ait, Sex diebus operaberis, ſeptimo die ceſſabis, vt requieſcat bos & aſinus tuus, vt refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Res quidem obſcuræ & exiles, ſed iudicia ſplendida, & iuſtitiæ illuſtres. Verbi gratia: Si bos alienus bouem alterum vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter ſe diſpertient. Noli hîc attendere quantitatem peculij, ſed æquitatem iudicij. Quid enim de bobus curare tantæ maieſtati? Sed verè laudabilis ſapientia iudicantis de bobus cornupetis, ſicut & mirabilis fortitudo præliantis contra Pharaonem in ranis & muſcis. Hæc igitur iudicia domini, iudicia vera iuſtificata in ſemetipſis, quæ propones eis, inquit. Non ſunt illa iudicia de I
*Pſal.35.* *Rom.11.* *Pſal.118.* quibus Pſalmiſta, Iudicia tua (inquit) abyſſus multa, vel Apoſtolus, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, ſed eiuſmodi ſunt hæc, de qualibus idem Pſalmiſta dicit, In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Manifeſtam quippe habent æquitatem, conſpicuámque omni homini rationabiliter diſputanti, vnde & regibus gentium ante Chriſti quoque aduen-
*1.2.q.104. ar.1.in cor.* tum cum ſummo fauore, & collaudatione accepta hæc fuiſſe etiam hiſtoriæ tradunt. THOMAS. Hæc ſunt iudicia quæ propones eis. Præceptorum cuiuſcunque legis quædam habent vim obligandi ex ipſo dictamine rationis, quia naturalis ratio dictat hoc eſſe debitum fieri vel vitari, & huiuſmodi præcepta dicuntur moralia, eò quòd à ratione dicuntur mores humani. Alia verò præcepta ſunt quæ non habent vim obligandi ex ipſo dictamine rationis, quia ſcilicet in ſe conſiderata non habent abſolutè rationē debiti vel indebiti, ſed habent vim obligandi ex aliqua inſtitutione diuina vel humana, & huiuſmodi ſunt determinationes quædam moraliū præceptorum. Si igitur determinētur moralia præcepta per inſtitutionem diuinam in his per quæ ordinatur homo K ad Deum, talia dicentur præcepta cęrimonialia: ſi autem in his quæ pertinent ad ordinationem hominum adinuicem, talia dicentur præcepta iudicialia. In duobus ergo conſiſtit ratio iudicialium præceptorū, ſcilicet vt pertineant ad ordinationem hominum adinuicem, & vt non habeant vim obligandi ex ſola ratione, ſed ex inſtitu-
*Vbi ſupra ar.2.in cor.* tione. IDEM. Dupliciter autem contingit aliquod præceptum eſſe figurale. Vno modo, primò & per ſe, quia ſcilicet principaliter eſt inſtitutum ad aliquid figurandum, & hoc modo præcepta cærimonialia ſunt figuratiua, ad hoc enim ſunt inſtituta, vt aliquid figurent pertinens ad cultum dei, & ad myſterium Chriſti. Quædam verò præcepta ſunt figuralia non primò & per ſe, ſed ex conſequenti, & hoc modo præcepta iudicialia veteris legis ſunt figuralia, non enim ſunt inſtituta ad aliquid figurandum, ſed ad ordinandum ſtatum illius populi ſecundum iuſtitiam & æquitatem, ſed ex conſequenti aliquid figurabant, in quantum ſcilicet totus ſtatus illius populi qui per huiuſmodi præcepta diſponebatur, figuralis erat ſecundum illud primæ Corinthiorum decimo,
*Ibidem. ar.4.in cor.* Omnia in figuram contingebant illis. IDEM. Sciendum autem, quòd cùm lex ſit quaſi quædam ars humanæ vitæ inſtituendæ vel ordinandæ, ſicut in vnaquaque arte eſt certa diſtinctio regularum artis, ita oportet L in qualibet lege eſſe certam diſtinctionem præceptorum, aliter enim ipſa confuſio vtilitatem legis auferret. Et ideo dicendum eſt quòd præcepta iudicialia veteris legis per quæ homines ad inuicem ordinabantur, diſtinctionem habent ſecundum diſtinctionem ordinationis humanæ. Quadruplex autem ordo in aliquo præcepto inueniri poteſt. Vnus quidem principum populi ad ſubditos, alius autem ſubditorum adinuicem, tertius autem eorum qui ſunt de populo ad extraneos, quartus autem ad domeſticos, ſicut patris ad filium, vxoris ad virum, & domini ad ſeruum, & ſecundum iſtos quatuor ordines diſtingui poſſunt præcepta iudicialia veteris legis. Dantur autem quædam præcepta de inſtitutione principum & officio eorum, & de reuerentia eis exhibenda, & hæc eſt vna pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad conciues ad inuicem, puta circa emptiones & venditiones, & iudicia & pœnas, & hæc eſt ſecunda pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, puta de bellis contra hoſtes, & de ſuſceptione pere- M grinorum & aduenarum, & hæc eſt tertia pars iudicialium præceptorum. Dantur etiam in lege quædam præcepta pertinentia ad domeſticam conuerſationem, ſicut de ſeruis & vxoribus & filiis, & hæc eſt quarta pars iudicialium præceptorum. CAIETANVS. Hæc ſunt iudicia, hoc eſt, præcepta iudicialia ad gubernandum populum iuſtè. AVCTOR CATENAE. Hæc ſunt iudicia quæ propones eis, id eſt, leges quibus vtentur filij Iſraël ad lites ortas dirimendas. Referri autem videtur ad Moyſen qui populo propoſuerit iudicia, quæ & iudicibus præſcribuntur, vt ſecundum ea cauſas diſcutiant ſeculares, & iudicent. Quandoquidem carnis imbecillitas & concupiſcentia incitat ad proprium commodum cum iniuria proximorum, & audacter erumpere ſolet in opus, non obſtantibus legibus, niſi pœnis legalibus coërceatur, quibus præuaricatores iuſti iudices animaduertere debent. Sic enim noſtra malitia vltra leges pœnas quoque excogitare coëgit. Non autem hîc dicuntur iudicia iſta, dei iudicia, ſed abſolutè iudicia, quòd qui talia ſeruat, adhuc iuſtus coram deo non eſt, licet coram ho-



A ram hominibus iuſtus habeatur. Humana ergo retinacula ſunt populi qui maiora capere noluiſſet. *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis.* RVPERTVS. Subauditur, ſi voluerit, nam ingenuus eſt, & pater eius Iacob à ſemetipſo venditus, ſeptimo ſeruitij anno liber exiuit, quia voluit, nec enim ſe in perpetuum vendidit. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæ de *Quæſt.77.* ſeruo Hebræo præcipiuntur, vt ſex annos ſeruiat, & dimittatur liber gratis, ne ſerui Chriſtiani hoc flagitarent à dominis ſuis, Apoſtolica authoritas iubet ſeruos dominis ſuis eſſe ſubiectos, ne doctrina & nomen dei blaſphemetur. Illud enim ex hoc ſatis cōſtat in myſterio præceptum, quia & pertundi ſubula eius aurem ad poſtem præcepit deus, qui libertatem illam recuſaret. THOMAS. Ratio autem huius legis fuit, quia filij Iſraël erant à *1.2.q.105. ar.4. ad 1.* domino de ſeruitute liberati, & per hoc diuinæ ſeruituti addicti, ideo noluit dominus vt in perpetuum ſerui eſſent. Vnde dicitur Leuitici. 25. Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitu-
B te famulorum, ſed quaſi mercennarius & colonus erit: mei enim ſunt ſerui, & ego eduxi eos de terra Aegypti, vt non veneant conditione ſeruorum. Et ideo quia ſimpliciter ſerui non erant, ſed ſecundum quid, finito tempore dimittebantur liberi. AVCTOR CATENAE. Differentiam videmus in legibus etiam diuinitùs præſcriptis hominibus. Quædam enim innocentiam & puritatem quam deus à nobis poſtulat, oſtendunt ac indicant. Quædam his qui innocentes non ſunt, tribuunt aliquid ac donant. Quædam verò carnis audaciæ modum ponunt atque pœnam. Præſens ergo præceptum non datum eſt, vt ſi quis illud ſeruet, innocens & iuſtus ſit apud deum, ſed vt cupiditati & affectui diuitum ac potentum huius mundi, in quorum poteſtatem aliquando pauperes rediguntur, modum ponat, ne putent ſibi quod libeat licere. Vult autem ſeruitutem ſi inter fideles admittatur ac accidat imprudentia humana, humanam eſſe ac tolerabilem, clementem ac iuſtam, ſeptimo anno finiendam, & in libertatem reſtituendam. Eandem verò legem habes in Deuteronomio capite. XV. & in Leuitico capite. XXV. & Hieremiæ. XXXIIII. Quod verò dicitur, Egredietur liber in ſeptimo anno, alij exponūt
C de publico & generali anno ſeptimo, alij verò de priuato anno ſeptimo ſeruitutis. *Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat. Si habens vxorem, & vxor egredietur ſimul.* RVPERTVS. Cum quali veſte, id eſt, cum quali conditione intrauerit, cum tali exeat, quia videlicet pater eius Iacob nec plus nec minus, ſed tantum abduxit, quantum iure acquiſiuit. Si habens vxorem, & vxor egredietur ſimul. Quia pater eius habens vxores, vtramque ſororem, Liam & Rachel, quas facta conuentione acquiſierat, iam quando ſeruiendo pro gregibus intrauit, cum eiſdem egreſſus eſt. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Si in corpore ſuo veniet, in corpore ſuo exibit, ſi habens vxorem, & vxor eius egredietur ſimul. Nulla fit mentio veſtium, ſed propoſita ſubſtantia legis, apponuntur circunſtantiæ diuerſæ, iuxta diuerſas conditiones Hebræi empti in ſeruum. Et libratur conditio an ſolus intrauerit, an cum vxore, decernendo, quòd ſi ſeruitutem intrauit ſolus, exibit ſolus: ſi verò cum coniuge, exibit cum coniuge. AVCTOR CATENAE. Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat. Hebraica ſic ſe habent hoc in loco, אִם בְּגַפּוֹ יָבֹא בְּגַפּוֹ יֵצֵא Im begappo iabo begappo ieze. Sciendum autem dictionem גּוּף Guph, corpus ſi-
D gnificare ſiue cadauer. Vnde ſic redditur locus communiter, Si cum corpore ſuo intrauerit, cum corpore ſuo egredietur ſiue exeat. Hebraiſmus eſt, pro ſi ſolus ſine vxore venerit in domum tuam, ſine vxore exibit. Vnde & mox ſequitur, Si habens vxorem, & vxor egredietur ſimul, ſcilicet cum eo. Sic & Chaldaica intelligit, habens, Si ſolus intrauerit, ſolus egredietur, ſi maritus vxoris eſt, egredietur vxor eius cum eo. Docti autem quidam Hebræorum, radicem huius dictionis Gappo, dicunt eſſe גַּף Gaph, ſignificarēque alam ſiue veſtem. Vnde verterunt ſicut Interpres noſter, qui iniuſtè hoc in loco à nonnullis carpitur, videlicet, Si cum veſte intrauerit, cum veſte egredietur. Et eſt idem ſenſus cum priori. Qui enim ſeipſum vendit, nihil proprij habet prēter veſtes & vxorem, ſi quam habet. Alij reddunt, ſi cum perſona ingreſſus fuerit, cum perſona exibit. Qui & ipſi à dictione Guph, deſcendere faciunt dictionem Gappo. Sunt & qui, Si ſolutus venit, ſolutus exeat. Sed & hi ſenſum magis reddunt quàm verba. Vnde & Septuaginta ſermonis Hebraici proprietatem intelligentes, verterūt, ἐὰν ἄνυδρος μόνος εἰσελθῃ καὶ μόνος ἐξελεύσεται, hoc eſt, ſi ipſe ſolus ingreſſus fuerit, etiam ſolus egredietur. Sed hæc omnia eandem habent
E ſententiam quam & litera noſtra. Si igitur ſolus (inquit) hoc eſt, non vxoratus venit in ſeruitutem, ſuo tempore ſolus quoque exibit: ſi cum vxore ſeruire cœpit, cum eadem & deſinet, pariter liberandi. Obſerua autem vt poſt Decalogi, & diuini cultus præcepta, ſtatim leges de iudiciis ferat, quæ erga ſeruos ſeruanda ſint, contra miſeram mortalium arrogantiam, qui nunquam naturam ipſam ſciunt contemplari, in exteriori duntaxat ornatu & ſpecie occupati. *Sin autem dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo.* CAIETANVS. Heb. eſt, cum corpore ſuo. Alteram conditionem conſiderat, quòd ſi emptor illius dederit illi vxorem, quæ infra illos ſex annos genuerit filios aut filias, quia mulier illa eſt domini, remanebit cum filiis apud dominum, & Hebræus ſeruus exibit anno ſeptimo in corpore ſuo, hoc eſt, ſolus. Conſidera hîc prudens lector, abſque libello repudij alterum ſeparandi coniuges modum in lege Moyſi. AVCTOR CATENAE. Ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. Eadem eſt dictio בְּגַפּוֹ Begappo. Vnde quidam ſicut Interpres, & rectè, Cum veſtitu ſuo, ſiue veſte ſua, reddunt: Alij, Cum corpore ſuo: Alij, Cum perſona ſua, id eſt, ſolus ſine
F vxore & filiis egredietur: id quod & Chaldaica & Septuaginta intellexerunt, habentes & hîc, Et ipſe ſolus egredietur. Ad primum intuitum contraria hæc lex videtur legi naturæ & diuinæ, vt ab vxore maritus diſiungatur & filiis, & alteram ducere cogatur, primam deſerere, niſi perpetuus ſeruus eſſe eligat. Sed erat ſanè apud omnes ſemper gentes dura conditio ſeruorum, quæ apud hunc populum duræ ceruicis humanior eſſe non facilè potuit. Etenim non alia conditione accipiebant vxores ſerui permiſſione dominorum, quàm vt geniti filij dominorum eſſent, non ſeruorum, quos & dominus nutrierat vt ſuos. Sicut & ancillam ſeruo permiſſam, non ad omne tempus, ſed pro numero annorum ſeruitutis, propter quod fortaſsis legitimum matrimonium non habebatur, & ſeruo exeunti onus alleuiabatur, & liberatus erat à filiis educandis & vxore. An hoc fortè ex imperfectione legis fuit Moſaicæ, quæ nihil (Apoſtolo teſte) dicitur adduxiſſe ad perfectum? *Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus dius, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabúque aurem ſubula, & erit ei ſeruus in ſeculum.* HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD GALATAS. Seculum eſt *Cap.1.*

ſpacium

ſpacium longi temporis. Quærendum autem quid ſit inter ſeculum & ſeculum ſeculi, ſiue ſecula ſeculorum, & vbi pro breui temporis ſpacio, vbi pro æternitate ponatur, quia in Hebræo ſeculum, id eſt עוֹלָם vbi literam ו poſitam habuerit, æternitatem ſignificat: vbi verò ſine ו ſcribitur, annum quinquageſimum quem illi Iobileum vocant. Ob hanc cauſam, & ille Hebræus qui propter vxorem & liberos amans dominum ſuum, aure pertuſa ſeruitio ſubiugatur, ſeruire iubetur in ſeculum, hoc eſt, vſque ad annum quinquageſimum. Et Moabitæ & Amonitæ non ingrediuntur Eccleſiam domini, vſque ad quintam & decimam generationem, & vſque in ſeculum. *Deut.29.* Quia omnis dura conditio, Iobilei ſoluebatur aduentu. Quidam dicunt eundem eſſe ſenſum in ſeculis ſeculorum, quem in ſanctis ſanctorum, in cœlis cœlorum, in operibus operum, in Canticis Canticorum: & quam habent differentiam cœli ad eos quorum ſunt cœli, & ſancta quæ ſanctorum comparatione ſunt ſanctiora, & opera quæ operum prælatione meliora ſunt, & cantica quæ inter cantica vniuerſa præcellunt, eandem habere & ſeculum, quæ ſeculorum collatione ſunt ſecula. Præſens itaque ſeculum ita ediſſerunt, vt dicant ex eo tempore illud eſſe numerandum, ex quo cœlum & terra ſunt condita, & currere vſque ad conſummationem mundi, quo Chriſtus iudicaturus eſt omnia. Reuocant quoque vltra, & in priora promouent gradum, de præteritis & futuris ſeculis diſputantes, bona an mala fuerint ſeu futura ſint, & in tam profundas incidunt quæſtiones, vt libros quoque & infinita volumina ſuper hac diſſertione condiderint. AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. *Locut.91.* Alia litera: Pertundet ei dominus auriculam de ſubula, & ſeruiet in ſempiternum, vel in æternum, quod Græcus habet εἰς τὸν ἀῶνα. Ecce quemadmodum ſcriptura multis locis dicit ſecundum hoc verbum Græcum, ſempiternum vel æternum. Vbi non intelligitur æternitas illa ſecundum quam nobis æterna promittuntur, vel ſecundum quam à contrario igne æterno mali cremabuntur: neque enim ſeruus iſte qui viuere in æternum non poſſet, poſſet ſeruire in æternum, ſed intelligitur æternum dictum, cuius temporis finis non eſt, aut certè aliquid hoc ſacramento ſignificatur æternum. THEODORETVS. Seruum qui libertate donari recuſauerit, ad oſtium applicari, aurémque eius perforari iubet, vt libertatem omnibus rebus antiquiorem eſſe declaret, eúmque qui illam aſpernatus fuerit, ignominia dedecoréque dignum eſſe, cuíque ſeruitutis ſempiternæ nota inuratur. Nam per auris terebrationem, perpetuam ſub domino obedientiam, per ipſius ad oſtij applicationem, ſeruum è domo exire non poſſe ſine heri ſui iuſſu deſignat. Et ſeruiet (inquit) illi in æternum. Vel ex hoc loco manifeſtè colligimus, æuum vnde æternus deducitur, non vbique infinitatem ſignificare, ſed quandoque definitum determinatúmque tempus declarare, vnde & beatus Dauid ait, Seculum vel æuum noſtrum in illuminatione vultus tui, Quo loco humanę vitæ tempus expreſsit. RVPERTVS. Offerat (inquit) dominus diis, & cætera. Deos ſacerdotes intellige, ſecundum quod dictum eſt ad Moyſen, Ecce conſtitui te deum Pharaonis, videlicet ſecundum dignitatem diuini officij. Applicabitur (inquit) ad oſtium & poſtes, ſcilicet vt multos habeat inſpectores & teſtes. Perforabítque aures eius ſubula, videlicet vt amplius ſemel dictæ profeſsionis ſuæ delere vel abſcondere non poſsit monumentum. THOMAS. *1.2.q.105. ar.2.ad 10.* Lex vetus pœnam mortis inflixit in grauioribus criminibus, ſcilicet in his quæ contra deum peccantur, & in homicidio, & in furto hominum, & in irreuerentia ad parentes, & in adulterio, & in inceſtibus. In furto aliarum rerum adhibuit pœnam damni. In percuſſuris autem & mutilationibus induxit pœnam talionis, & ſimiliter in peccato falſi teſtimonij. In aliis autem minoribus culpis induxit pœnam flagellationis vel ignominiæ. Pœnam autem ſeruitutis induxit in duobus caſibus. In vno quidem, quando ſeptimo anno remiſsionis, ille qui erat ſeruus, nolebat beneficio legis vti, vt liber exiret, vnde pro pœna ei infligebatur, vt in perpetuum ſeruus remaneret. Secundo infligebatur furi quando non habebat quod poſſet reſtituere, ſicut habetur Exodi. XXII. Pœnam autem exilij vniuerſaliter lex non ſtatuit, quia in ſolo populo illo deus colebatur, omnibus aliis populis per idololatriam corruptis. Vnde ſi quis à populo illo vniuerſaliter excluſus eſſet, daretur ei occaſio idololatriæ, & ideo primo Regum. XXVI. dicitur quòd Dauid dixit ad Saul, Maledicti ſunt qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate domini, dicentes, Vade, ſerui diis alienis. Erat tamen aliquod particulare exilium. Dicitur enim Deuteronomij nono, Quòd qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui nullum contra ipſum habuiſſe odium comprobatur, ad vnam vrbium refugij confugiebat, & ibi manebat vſque ad mortem ſummi ſacerdotis, tunc enim ei licebat ad domum ſuam redire, quia in vniuerſali damno populi conſueuerunt particulares iræ ſedari, & ita proximi defuncti non ſic proni erant ad eius occiſionem. CAIETANVS. Quod dicitur, Offeret diis, iuxta Hebręum habetur Elohim, hoc eſt, iudicibus gubernatoribus ciuitatis. Et applicabitur ad oſtium & poſtes, Hebraicè habetur, vel ad poſtem, perforabítque aurem eius ſubula. Interpres actionem domini (videlicet facere appropinquare ſeruum ad oſtium ſeu poſtem) perſonaliter ſignificauit. Et eſt ſermo de oſtio ſeu poſte domus propriæ. Et exigebatur huiuſmodi appropinquatio ad poſtem vel oſtium, vt ſimul perforaretur auricula, & poſtis ſeu oſtium. Sic enim fiebat perforatio, tanquam detentio ſerui ad domum illam, & ſic deſcribitur in Hebræo Deuteronomij. XV. Et propterea dicitur diſiunctiuè vel poſtem, quia lignea erant poſtis & oſtium, ac per hoc penetrabile vtrumque erat ſubula. Fiebátque huiuſmodi perforatio publicè & auctoritate publica (à domino tamen illius ſerui petentis manere in ſeruitute) ad hoc vt rari inuenirentur Hebræi appetitores huiuſmodi ſeruitutis, vt ſi non horrerent ſeruitutem, horrerent ſaltem talem ignominiam publicam. Et erit ei ſeruus in ſeculum, hoc eſt, vſque ad Iubileum. AVCTOR CATENAE. Quòd ſi dixerit. Hebraicè eſt אָמֹר יֹאמַר Amor iomar, Dicendo ſiue dicens dixerit. Hebraiſmus eſt, quem alij verterunt, Quòd ſi conſtanter dixerit ſeruus ille, Non egrediar liber, id eſt, nolo donari libertate. Offerat eum. Verbũ הַגִּישׁוֹ Higghiſo, Alij Appropinquare, vel accedere faciet, Alij Adducet ſiue afferet, vt Septuaginta verterunt. Et alij, Applicabit, vt Chaldaica habet. Et ſic etiam verbum ſequens, Et applicabitur ad oſtium. Sed hoc parum eſt. Offerat (ait) eum dominus diis. In Hebræo eſt dictio אֱלֹהִים Elohim. Qua voce ſignificari nouimus etiam iudices, ac ſummos viros ſeu etiam ſacerdotes, quod innuit hîc ſacer contextus. Conſueuit enim ſcriptura quiduis excellens diuinum appellare. Et verè homines in homines ius habere, diuinum quiddam eſt. Septuaginta, προσάξει αὐτὸν ὁ κύριος αὐτὸν πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ, hoc eſt, Adducet eum dominus eius ad iudicium, ſiue ad tribunal dei. Quod idem & in ſequentibus ſemper fecerunt, vt de iudicibus & ſacerdotibus nunquam ſenſerint, ſed de deo ſemper, excepto ibi, Diis non detrahes. Nil autem prohiberet vt de deo hîc ſentiremus, non de iudicibus, vt præcipiat eum præſentari coram domino in tabernaculo vel templo, atque ibi eum ritum peragi, niſi obſtaret & Chaldaica editio, quæ vertit, Applicabítque eum dominus eius coram iudicibus, & applicabit eum ad oſtium aut ad poſtẽ. Et Rabbi Salomon, Siſtet (inquit) eum in forum iudicis. Et applicabitur ad oſtium & poſtes. Verba Hebraica אוֹ אֶל הַמְזוּזָה O el hamzuza, Aut ad poſtem, redduntur aptiùs. Quòd autem dicit, Adducet eum dominus, ſiue applicabit, ſubaudi ex ſententia iudicum. Et erit ei ſeruus in ſeculum, id eſt, longo tempore, hoc eſt, vſque ad Iubileum, ſiue is annus propè fuerit, ſiue longè abfuerit. Sic enim exponunt Hebræi communiter hunc locum. Eſt enim לְעֹלָם Leholam abſque litera ו Vau. Itaque præferre non debet ſeruus libertati ſuæ amorem domini, ſed ea vti, quam conſequi poſſet feliciore conditione, dono dei, & ſeptimo anno liber fieri. Auris illi perfoditur ad oſtium domus à domino, non ſine arbitris, ne dolus & fraus interueniat, & ſe conqueri ſeruus poſsit vim paſſum. Iubentur ergo pariter adire iudices, rémque cum autoritate trãſigere, nemo enim in propria cauſa ſui ipſius iudex ſit. Sunt qui oſtium & poſtes portarum vrbis intelligant, vbi iudices conueniebant, & cauſas decernebant. Veriſimiliùs poſtes domus intelliguntur eius, cuius ſeruitio deputatur perpetuò. Subula auris perfoditur, in teſtimonium indelebile & non obliuioni donandum, vt meminerit ſe ſemper obediturum domino quem elegit. *Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt. Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita fuerit, dimittet eam, populo autem alieno vendendi non habebit licentiam, ſi ſi reuerit eam. Si autem filio ſuo deſponſauerit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Quòd ſi alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias & veſtimenta, & precium pudicitiæ non negabit. Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæſt.78.* Obſcuriſimum locum inuſitatæ locutiones fecerunt, ita vt Interpretes noſtri quemadmodum eum explicarent penè non inuenirent. In ipſo quoque Græco eloquio multum obſcurum eſt quod hîc dicitur. Tamen quid videatur, vt potero aperiam. Si quis autem (inquit) vendiderit filiam ſuam in famulam, id eſt, vt ſit famula, quam δικέτιν Græci vocant, non abibit ita vt recedunt ancillæ, intelligendum eſt, non ſic recedet quomodo recedũt ancillæ Hebrææ poſt ſex annos. Eam quippe oportet etiam in fœminam Hebræam legem datam intelligi, quæ ſeruatur in maribus. Cur ergo iſta non ita recedet, niſi quia in illo famulatu intelligitur humiliata, quòd ei ſe dominus miſcuerit? Hoc enim in conſequentibus vtcunque clareſcit. Sequitur enim & dicit, Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita fuerit, dimittet eam, populo autem alieno vendendi non habebit licentiam: vel ſecundum aliam literam, Quòd ſi non placuerit domino ſuo, quam non adnominauit eam, id eſt, non eam fecit vxorem, remunerabit eam, hoc eſt quod ſupradixit, non abibit ita vt recedunt ancillæ. Iuſtum eſt quippe eam aliquid accipere pro eo quòd humiliata eſt, quia non ei ita ſe commiſcuit, vt faceret vxorem, id eſt, vt adnominaret eam ſibi. Hoc autem quod diximus, remunerabit eam, quidam Interpretes dixerunt, redimet eam. Quòd ſi in Græco dictum eſſet, ἀπολυτρώσεται ſcriptum eſſet, ſicut ſcriptum eſt, Et ipſe redimet Iſraël, nam & ἀπολυτρώσεται ibi ſcriptum eſt. In hoc autem loco vocabulum ἀπολυτρώσῃ legitur, vbi intelligitur quòd accipit magis aliquid, quàm precio datur vt redimatur. Quomodo enim dabit dominus eius vt redimat, quam ipſe famulam põſsidet? Genti autem exteræ non eſt dominus vendere illam, quoniam ſpreuit in ea, id eſt, non quia ſpreuit in ea, ideo dominus eſt vendere illam, id eſt, non tantùm ei dominabitur, vt etiam exteræ genti eam licitè vendat. Hoc autem eſt ſpreuit in ea, quod eſt ſpreuit eam. Spreuit autem eam, hoc eſt, humiliauit eam, id eſt, concumbendo, nec vxorem faciendo. Dixit autem Græcè ἠθέτησεμ, quod nos dicimus ſpreuit, quo verbo ſcriptura vtitur apud Hieremiam, Sicut ſpernit mulier eum cui commiſcetur. Deinde ſequitur & dicit, Si autem filio ſuo deſponſauerit eam, iuxta morem filiarum faciet illi. Aliter, Quòd ſi filio adnominauerit eam, ſecundum iuſtificationem filiarum faciet ei. Hîc iam aperire incipit quemadmodum ſupradixerit, quam non adnominauit. Nam quid eſt aliud, Si filio adnominauerit eam, niſi filio conjunxerit eam vxorem? quandoquidem dicit ſecundum iuſtificationem filiarum faciet ei, id eſt, vt ſic tradat tanquam filiam, dotem ſcilicet apponens ei. Deinde adiungit, Quòd ſi alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias & veſtimenta, & precium pudicitiæ non negabit. Vel, Quòd ſi aliam accipiet ei, id eſt, non iſtam deputauerit vxorem filio ſuo, ſed ei aliam accipiat, quæ opus ſunt, & veſtem, & conuerſationem eius non fraudabit ei. Simili lege quæ competunt, quoniam non manſit vxor filio eius, quemadmodum ei daret, ſi eam ſibi non adnominaſſet, & tamen concumbendo humiliaſſet. Quod autem nos diximus conuerſationem non fraudabit, Græcus habet ὁμιλίαμ, id eſt, locutionem, quo nomine intelligitur ſcriptura honeſtius appellare concubitum. Quid eſt autem concubitum non fraudabit, niſi pro concubitu mercedem dabit? Nanque apud Danielem contra Suſannam falſum teſtimonium dicentes ſeniores, Venit (inquiunt) ad eam adoleſcens qui erat in latenti abſconditus, & concubuit cum ea. Daniel autem de hoc ipſo interrogans, ait, Sub qua arbore vidiſti eos loquentes, quod illi dixerant, concubuit cum ea. Deinde alterum arguens, atque conuincens, dixit, Semen Chanaan & non Iuda, ſpecies delectauit te, & concupiſcentia euertit cor tuum. Sic enim faciebatis filiabus Iſraël, ſed illæ timentes acquieſcebant vobis. Græcus autem habet ὡμίλησαμ ὑμῖμ, quod poſſet Latinè verbum ex verbo dici loquebantur vobis, quo ſignificaretur concubitus. Quod ergo de hac de qua agitur, adiungit ſcriptura, & dicit, Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia, hoc intelligitur, Si eam ipſe concubitu non humiliauerit, neque filio ſuo coniunxerit, neque alia filio ſuo ducta iſtam eiecerit, abibit gratis, id eſt, ſufficiet ei non teneri in ſeruitute. Abibit enim nihil accipiens, vt ſeruus Hebræus, Non enim licet domino eius copulare illam viro non Hebræo, quam non licet exteræ genti tradi. Si autem ſeruo Hebræo eam copulauerit, hoc vtique intelligitur, quòd cum eo gratis exibit, nequaquã à marito ſuo ſeparata. RVPERTVS. Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam. Subauditur quemadmodum vendidit Laban matrem veſtram Liam, quam inrogatus protrudit & indotatam. Non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt. Videlicet autoritate patris veſtri Iacob præeunte, qui non paſſus eſt illam quaſi ancillam ſine omni dote exire. Egit nanque arte ſua ponendo virgas populeas in canalibus, quas ex parte decorticauerat, vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia, ac diuerſo colore reſperſa. Ita nempe quia cum fortiore Laban iudicio contendere non potuit pro dote

*Dan.13.*

non

non poſtulatæ vxoris,iuſta ſibi & illi arte prouidit, ditatúſque eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, G
ſeruos & ancillas,camelos & aſinos. Ita planè ſatagere licebit emptori, vt ei quam emit, quia filia eſt,non omne
dotis ſubſidium deſit, ſiue ſibi,ſiue filio illam deſpondere noluerit. Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita
fuerit,dimittet eam.Hîc clanculò illos ſuæ vel maternæ conditionis admonet, quia profectò cùm diſplicuiſſet
*Vbi ſupra ser.4.ad 4.* Lia(nam lippis erat oculis) iure Iacob dimittere eam poterat, quippe pro qua non ſeruierat, cui fidem coniuga-
lem non dederat. THOMAS. Nullus Iudæus poterat poſsidere Iudæum quaſi ſimpliciter ſeruum, ſed erat
ſeruus ſecundum quid, quaſi mercennarius vſque ad tempus, & per hunc modum permittebat lex quòd pau-
pertate cogente aliquis filium vel filiam venderet,& hoc etiam verba ipſius legis oſtendunt, dicit enim,Si quis
vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut exire ancillæ conſueuerunt. Per hunc etiam modum
non ſolùm filium ſuum,ſed etiam ſeipſum aliquis vendere poterat magis quaſi mercennarium, quàm quaſi ſer-
uum,ſecundum illud Leuitici. XXV. Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes H
ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercennarius & colonus erit. CAIETANVS. Si quis vendiderit filiam
ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ. Legunt Hebræi, ſicut ſerui exire conſueuerunt. Non eadem lex
decernitur de Hebræa vendita in ancillam, quæ decreta eſt de Hebræo vendito in ſeruum. Aliam ſiquidem le-
gem de muliere promulgat.Niſi enim de Hebræa loqueretur,non diceret,Non exibit ſicut ſerui,de quibus præ-
miſit legem.Si diſplicuerit oculis domini ſui cui tradita fuerit,dimittet eam.Iuxta Hebræum habetur, Si mala
in oculis domini ſui, qui non deſponſauerit ipſam, redimere faciet eam, & cætera vſque ibi,Prouidebit puellæ
nuptias & veſtimenta, & precium pudicitiæ non negabit.Vbi iuxta Hebræum habetur,Alimentum eius, operi-
mentum eius, & tempus eius non minuet. Si autem tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia. Lex
puellarum Hebræarum venditarum in ancillas, conſiderat multas diuerſitates quæ communiter eueniebant
tunc,quando licitum erat habere plures vxores:& ancillas ſpecioſas domini accipiebant in concubinas,hoc eſt,
in vxores quantum ad thorum, non autem quantum ad gubernationem domus, & propterea non vxores, ſed I
concubinæ appellantur. Et omnes hos euentus intellige ante ſeptimum annum à ſeruitute, nam non deterioris
conditionis cenſentur ancillæ Hebrææ quàm ſerui Hebræi in litera, vt patet. Conſiderat itaque lex, vt Hebræa
ancilla ſi ante ſeptimum à ſeruitute annum diſplicuerit domino ſuo, vel eſt incognita à domino ſeu filio eius,
& tunc licitè vendet eam,non tamen poteſtatem habebit vendendi eam populo ignoto, hoc eſt, vendendi eam
homini Hebræo alterius populi,vetat enim lex transferri puellam de ciuitate in ciuitatem, & meritò, tum quia
contra intentionem parentum qui in illa ciuitate filiam locauerunt, tum quia naturaliter exoſus eſt ignotus
conuerſatione populus puellis. Vel eſt cognita à domino vel filio eius, & tunc ſi diſplicentia trahit ad eiicien-
dum illam,tenebitur tractare illam vt filiam,hoc eſt,dotare illam dote, qua dotata fuiſſet à patre ſuo,& meritò,
quia abſtulit ab ea virginitatem, eſt enim dos quaſi precium pudicitiæ. Si verò diſplicentia non inducit ad eii-
ciendam eam,ſed ad accipiendam alteram concubinam,tunc tenebitur ad tria, videlicet ad alimenta, ad veſti-
tum, & ad tempore competente reddendum debitum coniugale. Et ſi hæc tria non fecerit, poterit ancilla illa K
exire à ſeruitute libera abſque precio aliquo,ex eo enim quòd non eiicitur,ſed ipſa recedit,quamuis ex cauſa ra-
tionabili(puta quia minuitur ei debitum coniugale)non dotatur, ſed vendicat ſibi libertatem, in caſu verò eie-
ctionis,vendicabat(vt dictum eſt)& libertatem & dotem.Hæc eſt lex puellarum Hebræarum,quæ vendebantur
in ancillas.Vbi prudens lector conſidera,quòd in huiuſmodi vilis conditionis perſonis(ſeruis ſcilicet & ancil-
lis, vtpote non dominis ſuimet)lex vetus diuortia ſine ſolennitate inſtituit,ſeu permiſit,iuxta vſum illius tem-
poris. Sunt enim ſeparationes iſtæ quædam ſpecies libelli repudij abſque ſolennitate libelli. Nam & ſeruus no-
lens perſeuerare cum coniuge ſerua domini ſui,tanquam repudians illam eſt:& ſimiliter ancilla cognita,cui mi-
nus bene prouidetur,tanquam repudiata habetur. AVCTOR CATENAE. Non egredietur ſicut ancil-
lę exire conſueuerunt.Hebraica ſunt כְּצֵאת הָעִבְרִיֹּת Chezeth hahabadim, Sicut egrediũtur ſerui.Sic & Chaldai-
ca,id eſt,quando libertate donabantur,nam nudi & ſine præmio egrediebantur, filiæ autem cum mercede. Sed
hoc parum eſt. Secundum aliquos autem videtur ſignificare, ſi emptor ſpem fecerit deſpondendi eam ſibi, vel L
dandi filio, tunc eam debere eſſe meliori conditione ſi dimittatur quàm cæteræ ancillæ. Si diſplicuerit oculis
domini ſui cui tradita fuerit.Verba Hebraica ſunt אֲשֶׁר לֹא יְעָרָהּ וְהִפְדָּהּ Aſer lo iehada vehephda.Locus difficil-
limus hic eſt, in quo enodando doctiſsimi viri valde deſudauerunt, non mirum ſi & nos ſolito longiores fue-
rimus in eius explicatione. Prima ergo verſio eſt, Quam non deſponſauit, ſeu cui non deſpondit (ſubaudi is
qui eam emerat) redimere faciet eam, ſiue ſinet eam redimi, id eſt, dabit pecuniam qua illa redimatur, aut re-
mittet illi pecuniam ſeruitutis, ac perinde quaſi pretium pro redẽptione eius accepiſſet, liberam eam abire per-
mittet. Hoc eſt,habebit rationem temporis quo ſeruiuit ei, quod ſeruitutis tempus, erit ei loco pecuniæ, quam
pro redemptione puellæ alioqui recepturus erat. Et ratio huius legis eſt, quia pecunia quam pro ipſa puella ex-
poſuit,fuit quaſi ſubarratio,atque ideo deſpondere eam ſibi debuit,& tandem ducere.Habẽt enim nuptiæ apud
Hebræos hos tres gradus, etiam ſi duo primi non admodum differant. Secunda verſio eſt, Si diſplicuerit in o-
culis domini ſui,qui nemini deſponſauit eam(pecuniam ſuam videlicet recuperando)redimere faciet eam,hoc M
eſt,dimittet eam liberam.Aiunt enim morem tunc fuiſſe viris, pro ducendis vxoribus pecuniam dare, iuxta il-
lud Geneſis. XXXIIII. Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis.Tertia verſio
doctorum quorundam virorum eſt,aſſerentium quindecim eſſe locos ſcripturæ, in quibus לֹא ſcribitur, & legi-
tur לוֹ cum vau,vnumque eorum iſtum eſſe. Reddunt itaque ſic locum, Si diſplicuerit in oculis domini ſui qui
ſibi deſpondit eam,redimere faciet eam,hoc eſt,liberam reddet illam. Cui verſioni fauet & Chaldaica, habens,
Si diſplicuerit in oculis domini ſui,quam ſibi deſponderat,liberam faciat eam.Sic legunt & Septuaginta,excep-
to quòd loco,Liberam faciat eam,vertunt, Redimet eam, quod eſt idem, ſicut ſæpius dictum eſt. Et huic ver-
ſioni valde conuenit ſequens verſus,nempe,Populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem,ſi ſpreuerit
eam,Vel cùm ſeu quia contempſerit eam, id eſt,violauerit & corruperit. Eſt enim בְּבִגְדוֹ בָהּ Bebigdo ba. Quaſi
dicat, Alteri vendere eam non poteſt, præſertim cùm humiliauerit eam, poſtea ſpreuerit, & non duxerit. Vnde
Chaldai-



A Chaldaica, Non habebit facultatem vt vendat eam viro alteri cùm dominatus fuerit eius. Septuaginta etiam ὅτι ἐξουθένησεν ἐν αὐτῇ, Quoniam ſpreuit in ea,ſubaudi quòd deguſtauit,videlicet virginitatem eius.Qui autem le-
gunt,Qui non deſponſauit eam ſibi,vertunt & ipſi,Cùm contempſerit eam,id eſt,fefellerit eam, non deſpõſan-
do eam ſibi.Sic & qui legunt,Qui alteri non deſponſauit eam,reddunt,Cùm ſpreuerit eam,ſupple non deſpon-
dendo eam alteri.Sequitur deinde.Si autẽ filio ſuo deſpõderit eam,iuxta morem filiarũ faciet illi,id eſt,tracta-
bit eam vt tractari ſolẽt puellæ deſpõſatę,hoc eſt,nõ ſubtrahet illi victũ & amictũ atque humiliationẽ,videlicet
concubitũ,ſiue debitũ cõiugale.Quòd ſi alterã ei acceperit,ſubaudi filio.Quanquam Chaldaica & Septuaginta
habeãt ſibi,nẽpe domino ancillæ.Quod etiã ſtare poteſt,nã ſiue ſibi, ſiue filio alterã vxorẽ ſuperinduxerit, facere
omnino tenetur quod ſequitur,videlicet Prouidebit puellæ nuptias & veſtimẽta, & pretiũ pudicitiæ non nega-
bit.Vbi Hebraica ſunt: שְׁאֵרָהּ כְּסוּתָהּ וְעֹנָתָהּ לֹא יִגְרָע Seera cheſutha vehónatha lo igraha,Alimẽtum ſiue cibum
B eius,& veſtimentũ eius,& horã eius(id eſt,tẽpus determinatũ vt reddat ei debitũ coniugale quod vir debet red-
dere vxori ſuæ)non minuet. Loco cuius alij verterũt, & ius ſiue debitum cõiugale.Alij,Et tẽpus eius,nẽpe mari-
talis cõgreſſus.Vnde & Chaldaica in hũc ſenſum legit,Nutrimẽtum eius, veſtimentumq; & concubitũ eius non
prohibebit.Sed & Septuaginta in hũc eundem ſenſum interpretati ſunt,ἐὰν δὲ ἄλλην λάβῃ ἑαυτῷ,τὰ δέοντα καὶ τὸν
ἱματισμὸν καὶ τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς οὐκ ἀποστερήσει,hoc eſt,Si autem aliam ſibi acceperit,neceſſaria,& veſtimentum,&
conuerſationem eius non defraudabit.Alij vertũt,Et victũ & veſtitũ eius,& mercedẽ pudicitię non negabit ei,
id eſt,antequã emittat eam à ſe,oportet vt prouideat illi de victu,veſtitu,& præmio ob pudicitiam eius à ſe cor-
ruptam.Rabbi Salomon reddit,Alimentum ſuum & veſtimẽtum,& tempus nubẽdi non auferet,quod in virtu-
te eſt idem cum litera noſtra,quæ eandem ſentẽtiã licet aliis verbis,elegantiùs tamen expreſsit. Demũ nonnulli,
Et tempus eius non imminuet,legunt,id eſt,pretiũ illi ob tẽpus quo opera eius vſus eſt,debitũ non imminuet.Si
tria(inquit)iſta non fecerit ei,egredietur gratis abſque pecunia.Tria hæc, videlicet, Si neque ipſe acceperit eam
C vxorem,neque filius,neque cognatorum quiſquã,potiuſquã alicui eam non ſuæ gẽtis vẽdat,liberã abſque pecu-
nia abire ſinet.Filiam igitur vẽdere quibuſcũque rationibus impiũ eſt. Sed ne progrediatur impietas ad intole-
rabilem iniquitatem,ac nimiam ſeruitutem,lex Moyſi cauet,cõſulens etiam hac lege oppreſsis, pro tãto,ſed non
in totũ.Videtur autẽ is eſſe cõmunior ſenſus.Si quis vẽdiderit filiam ſuã in ancillam occulta aliqua addita con-
ditione,vt puta ſi ſpem faciat emptor & herus deſpõſandam ſibi,vel filio dandã,quod ſi fiat, non exibit hæc an-
cilla cõmuni ancillarũ aut ſeruorũ lege,ſed meliore ac potiore.Quòd ſi poſtmodũ domino diſplicuerit,qui eam
ſibi non deſpõſauit,vel filio non promiſit, liberã eam dimittet.Vendẽdi autem eam alieno populo poteſtatẽ ne-
quaquã habebit,eo quòd ſpreuit eam.Quòd ſi eam filio ſuo deſpondet,iuxta ritũ puellarũ liberarũ dotabit eam.
Si verò filius aliam duxerit,alimentum ſuum,veſtem ſuam,& intereſſe ſuum(quod ad pudicitiæ honeſtatem &
famam attinet)non negabit,quo minus cõfuſa abiiciatur,& non inueniat cõditionem honeſti matrimonij, fœ-
data vel abiecta à domino vel filio eius,ob cõcubitum fœdũ quo illam diffamarũt & dehoneſtauerũt,quo diffi-
D ciliùs ſpõſum alium aſſequatur,id eſt,ſoluet virginitatis iacturã.Vel ſecũdum alios,Subminiſtrabit ei domi re-
tentæ,victum,veſtimẽta,& debitũ coniugale.Si verò hæc tria herus ancillæ negauerit,alimentũ quo illi obliga-
tur,& veſtes,ac intereſſe,tunc egredietur libera, reſtituetur veluti ſi vendita non eſſet, ex cõditione ſeruitutis in
totũ liberabitur, non ſe cogetur data pecunia redimere, vt libertati ſummo bono inter homines reſtituatur, &
gaudeat.Vel ſecundũ alios,Si tria hæc non fecerit,ſi herus vel filius vel cognatorũ aliquis non acceperit eam ſi-
bi vxorẽ,nec fuerit deflorata,gratis & abſque redemptione aliqua recedet.In hac autem lege vides quanta olim
permiſſa fuerit parẽtibus poteſtas in liberos. Et neceſſe habuerunt filij parẽtibus obedire iuxta illud, Honora pa-
trem tuum & matrẽ tuam. RVPERTVS. Sed quæri non fruſtra poteſt,cur de proponendis iudiciis hæc in
ordine priora ſunt?Et ad hæc inquam.Hæc Hebraicę genti iudicia propria,cætera verò cunctis hominibus ſiue
cunctis gẽtibus debẽt eſſe cõmunia. Quare hæc Hebræorũ ſunt propria?Quia videlicet pater eorũ Iacob ſex an-
nis pro gregibus Laban ſeruiuit,in ſeptimo dignitate ſua ſeruata liber exiuit, magis eligẽs cum patribus ſuis,A-
E brahã & Iſaac peregrinari, quã in terra vel cognatione patrũ ſuorũ plura ſeruiẽdo lucrari.Hęc ingenuitas patris,
illã ſuis poſteris apud dominũ theſaurizauit, quatinus lege defendat eos, vt nemo ex illis vltra ſex annos coga-
tur ſeruire,ſi nolit.E contrario mater ipſorũ Lia,per iniuſtitiã patris vẽdita quaſi in famulã,ſic egreſſa eſt,ſicut *Gene.31.*
ancillę exire cõſueuerũt.Vnde tam ipſa quàm ſoror eius Rachel,hoc modo cõqueſtę ſunt,Nũquid habemus re-
ſidui quicquam in facultatibus,& hæreditate patris noſtri?Nónne quaſi alienas reputauit nos & vẽdidit, come-
ditq; pretium noſtrum?Itaque hæc propria ſecundum literam Hebræorum iudicia ſunt.

AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. *Myſticè.*
Qui correxerit viam ſuam à iuuentute ſua, cuſtodierit verba dei in toto corde, quæſierit dominum deum
ſuum, nec repulſus ſit à mandatis dei, & dignus habitus cui committerentur arcana ſapientiæ, abſconderit
ea in corde ſuo ne peccaret deo, quaſi habens eloquia dei, gratias agit domino dicens, Benedictus es domi-
ne, & ſic deſiderat ipſum doctorem habere, cupiens cognoſcere ſecreta legis. Et quemadmodum interpre-
F tationem habeat, Si emeris puerum Hebræum, & ſeruierit tibi annis ſex, & reliqua, quibus præmiſſum eſt,
has iuſtitias dicere quas proponit in conſpectu filiorum Iſraël, hæc à domino quærit diſcere, quæ homines
docere non poterant, niſi deus antè docuiſſet, quæ poſteaquam à Chriſto didicerunt Apoſtoli, Eccleſia dicit, *Cant.6.*
Introduxit me rex in cubiculum ſuum, hoc eſt, in illud ſecretum ſuum, in quo ſunt theſauri ſcientiæ & co-
gnitionis ſuæ. Ideo tibi dicitur, Cùm oras intra in cubiculum tuum, quod ſignificat mentis animíque ſecre- *Matth.6.*
tum. In hoc cubiculum iuſtitiarum ſponſa ſe ſpopondit induci, cùm poſt odorem vnguenti excurrerit, quod
ſemper fluit, & nunquam deficit. GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Sciendum *Homil.3.*
eſt igitur quia cùm actiua & contemplatiua vita ex dei ſint gratia, quandiu tamen inter proximos viuimus,
vna nobis in neceſsitate eſt, altera in voluntate. Quis enim cognoſcens deum, ad eius regnum ingreditur,
niſi prius bene operetur? Sine contemplatiua ergo vita intrare poſſunt ad cœleſtem patriam, qui bona quæ
poſſunt opera non negligunt. Sine actiua autem intrare non poſſunt, ſi negligunt bona operari quæ poſſunt.

Illa ergo in neceſsitate, hæc in voluntate eſt. Illa in ſeruitute, iſta in libertate. Hinc eſt enim quòd ad Moyſen dicitur, Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis. Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat. Si habens vxorem, & vxor egrediatur ſimul. Sin autem dederit illi dominus vxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber, offerat eum dominus diis, & applicabitur ad oſtium & poſtes, perforabítque aurem eius ſubula, & erit ei ſeruus in ſeculum. Paulò latius teſtimonium dedimus, vt diſtinctionem ſeruitutis atque libertatis in vtraque vita monſtremus. Sed onerosum eſſe non debet, ſi hoc exponendo exequimur, vnde iſta quæ diximus, affirmemus. Hebræus enim tranſiens interpretatur. Et ſeruus Hebræus emitur, quando vniuſquiſque qui iam ab hoc ſeculo mente tranſit, ſeruitio omnipotentis domini ſubditur. Ille etenim verè deo ſeruire appetit, qui ab hoc ſeculo mente tranſire didicerit. Sic Moyſes tranſiit, vt videret viſum. Sic Dauid cùm videret impium exaltatum & eleua- H
*Pſal.66.* tum ſuper cedros libani, tranſiuit, & ecce non erat. Quia iniquorum potentias eſſe magnum aliquid fortaſſe credimus, niſi ad permanens ſeculum mente tranſeamus. Seruus verò Hebræus emptus ſex annis ſeruire præcipitur, ita vt in ſeptimo liber exeat gratis. Quid enim per ſenarium numerum, niſi actiuæ vitæ perfectio deſignatur? Quid per ſeptenarium niſi contemplatiua exprimitur? Sex ergo annis ſeruit, & ſeptimo egredietur liber, qui per actiuam vitam quam perfectè exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem tranſit. Et notandum quòd gratis liber egreditur, quia hi poſtquam omnia fecerint, dicunt ſe inutiles ſeruos. Eis proculdubio ſicut ipſa actiua fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplatiua. Cum quali veſte intrauerit, cum tali exeat, quia omnino neceſſe eſt vt vnuſquiſque noſtrum in hoc quod incipit perſeueret, atque vſque ad finem operis in ea quam inchoauit, intentione perduret. Ille quippe ad contemplatiuam tranſit qui in actiua vita intentionis ſuæ veſtem ad deteriora non mutauerit. Et ſunt nonnulli qui priuſquam omnipotentis dei ſeruitio in ſancta conuerſatione ſocientur, iam bona operari diligunt. Sunt verò alij qui bona opera poſt- I
quam ad ſeruitium omnipotentis dei venerint, diſcunt. Qui ergo operationem bonam, & priuſquam ad ſeruitium omnipotentis dei veniret habere ſtuduit, Hebræus ſeruus cum vxore emptus eſt. Et plerunque is qui talis eſt, poteſt ad contemplatiuam vitam tranſire, & tamen actiuam non deſerere. Vnde & illic ſubditur, Si habens vxorem, & vxor egrediatur ſimul. Cum eo enim ad libertatem & vxor egreditur, quando is qui ad contemplationem peruenit, etiam foris actionem boni operis qua prodeſſe poſsit aliis, non relinquit. Sin autem dominus dederit illi vxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo. Seruo empto dominus dat vxorem, cùm prædicator quiſque eum quem iuri omnipotentis dei manciparit, bonæ actioni coniungit. Nam & prædicatores domini vocantur, ſicut Heli-
*4.Reg.4.* ſæo Prophetæ de prædicatore ſuo dicitur, Scis quòd dominus tuus tollatur à te? Vxor verò ſerui emptitij filios & filias parit, quando bona actio fortes vel teneros fructus generat. Sed mulier quæ à domino data eſt, K
eidem domino cum filiis remanet, ipſe verò ſeruus exit cum veſtitu ſuo, quia bona actio, vel eiuſdem bonæ actionis fructus prædicatoris mercede reputantur. Ipſe verò in deſiderij ſui intentione perdurans, per ſupernam gratiam ad contemplationem liber egreditur. Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber. Seruus dominum ſuum diligit, quando prædicatoris verba ſolicita mente cuſtodit. Vxorem quoque amans & liberos, liber egredi recuſat, quãdo actiuam vitam ciúſque fructus diligens, tranſire ad contemplatiuam non vult, quia bona ſe opera habere in miniſterij ſui ſeruitute conſiderans, ad libertatis quietem recuſat ſecedere. Sed offerat eum dominus diis, & applicetur ad oſtium & poſtes, & perforet aurem eius ſubula, vt ſit ei ſeruus in ſeculum. Is enim qui in actiua diſpoſuit vita perdurare, à domino diis offertur, quando à prædicatore ſuo antiquorum patrum dictis imbuitur, qui nobis in via omnipotentis domini ſacerdotes fuerunt. Atque ad oſtium & poſtes tabernaculi ducitur, vt de ingreſſu cœleſtis habitaculi altius aliquid audiat, & tremendi iudicij diem ſubtiliter agnoſcat, ne per bona opera quę facit, placere hominibus appetat. Sícque auris eius ſubula perforatur, dum mens illius timoris dei ſubtilitate percutitur, vt verbi acumine L
transfixa, per omne quod agit, nouerit ingreſſum regni ſempet attendere, & quaſi ab oſtio & poſte tabernaculi perforatam aurem portare, qui erit ſeruus in ſeculo, vt eſſe poſt ſeculum liber poſsit. In ſeculo etenim ſeruus eſt, qui per actiuã vitam hominibus ſeruire diſpoſuit, vt poſt præſens ſeculum ad libertatẽ veram valeat peruenire.
*Rom.8.* De qua per Paulum dicitur, Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum dei. Tunc etenim in nobis vera libertas erit, cùm ad gloriam filiorum dei adoptio noſtra peruenerit. Nunc verò non ſolùm actiua vita in ſeruitute eſt, ſed ipſa quoque contemplatio qua ſuper nos rapimur, libertatem mẽtis adhuc perfectè non obtinet, ſed imitatur, quia illa quies intima in ænigmate videtur. Ipſa tamen in quantalibet ſit contemplationis anguſtia, actiua vita iam valde eſt latior atque ſublimior, quæ ad quandam mentis libertatem tranſit, temporalia non cogitans ſed æterna. RABANVS. Sed & quòd ſequitur, Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, & cætera, id nobis ſpiritaliter indicat, quòd ſi quis deuotam ſubiectionem, quam bonus animus genuit, cuilibet doctori ad obediendum tradiderit, non eſt æquum vt ſpreta ab illo & confuſa M
abiiciatur, ſed ſiue ſibi vel probato diſcipulo iungat ad conſortium diſciplinæ, ſi hoc elegerit, vel alio doctori eum commender, in cuius ſocietatem proficere poſsit, & ipſe beneuola mente eum cum ſolatio proſequatur, nec vacuum dilectione à ſe recedere permittat. Hæretico autem homini vel ſchiſmatico, qui alienus eſt à dei populo, non habet poteſtatem illum tradendi, ſed ſi ipſe laborem de eo ſubire noluerit, liberum recedere patiatur, vt ſibi magiſtrum quem velit eligat.

2 *Vi percuſſerit hominem uolens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed deus illum tradidit in manus eius, conſtituam tibi locum, quo fugere debeat. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo auelles eum, ut moriatur. Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & uendiderit eum, conuictus noxæ, morte moria-*



A *tur. Qui maledixerit patri ſuo uel matri, morte moriatur. Si rixati fuerint uiri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide uel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo, ſi ſurrexerit & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit qui percuſſerit, ita tamen ut operas eius & impenſas in medicos reſtituat. Qui percuſſerit ſeruum ſuum uel ancillam uirga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Sin autem ũmò die uel duobus ſuperuixerint, non ſubiacebit pœnæ, quia pecunia illius eſt.*

B CYRILLVS LIBRO VNDECIMO IN LEVITICVM. In prioribus iam data 2
fuerant præcepta, ſed non obſeruantem quæ maneret pœna non fuerat adſcriptum. Nunc ergo eadem repetuntur, & vniuſcuiuſque pœna peccati decernitur. Et ideo rectè hæc iuſtificationes & iudicia appellantur, quibus quod iuſtum eſt recipere, iudicatur ille qui peccat. Sed in vero ordine diuinæ ſapientiæ non continuò pœnas cum primis ſtatuit præceptis, vult enim vt non metu pœnæ, ſed amore pietatis, patris præcepta cuſtodias. Sed ſi contempſeris, non tam homini iam, quàm contemptori pœna mandatur. Primò ergo benignitate prouocaris vt filius: Ego enim dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Quòd ſi vt filius eſſe obediens non vis, contemptor plecteris vt ſeruus. CAIETANVS. Poſt leges autem ſeruorum, leges homici- *Pſal.81.*
dij promulgantur. Quarum prima ſimpliciter & abſolutè, pœnam homicidij decernit mortem. Ait igitur:

*Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed deus illum tradidit in manus eius, conſtituam tibi locum, quo fugere debeat.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM.
Secundum Septuaginta ſic legitur: ἐὰν δὲ πατάξῃ τὶς τινὰ, καὶ ἀποθάνῃ, θανάτῳ θανατωθήσεται· *Quæſt.79.*
θεὸς παρέδωκεμ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, δώσω σοι τόπον, οὗ φεύξεται, Si quis percuſſerit aliquem, & mortuꝰ fuerit, morte moriatur. Qui autem nolens, ſed deus tradidit in manus eius, dabo tibi locum in quem fugiat. Quæritur C
hoc quomodo dictum ſit, ſi autem nolens, ſed deus tradidit in manus eius, quaſi & ſi volens occiderit, poſſet occidere, niſi deus traderet in manus eius. Intelligitur ergo tantummodo deum feciſſe, cùm quiſque occiditur à nolente, & pro hoc tantummodo, quia deus id fecit, dictum eſt, ſed deus tradidit in manus eius. Cùm verò volens, & ipſe occidit, & deus tradidit in manus eius: hoc ergo intereſt, quòd illic tantùm deus fecit, hîc autem & deus & homo propter voluntatem facientis, ſed non fecit deus vt homo. Deus enim non niſi iuſtè, homo autem pœna dignus, non quia illum occidit, quem deus nollet occidi, ſed quia per iniquitatem. Non enim miniſterium deo iubenti præbuit, ſed ſuæ malignæ cupiditati ſeruiuit. In vno igitur eodémque facto, & deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia deus proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, ideo Iudas excuſatus eſt, qui eundem ad mortem tradidit Chriſtum? THEODORETVS. Eum qui per imprudentiam ac nolens homicidium perpetrauerit, fugere iubet, vt mentem illorum qui homicidiis gaudent, hac ratione medeatur, D
ac ſimul docens quòd ſi inuitus homicidium faciens, reus tamen pœnæ efficitur, quanto magis quando qui volens occiderit? Ad hæc eos qui lignis aut lapidibus aut huiuſmodi rebus aliquem offendunt, cautiores reddit. RABANVS. De loco autem refugij quomodo factum ſit, liber qui dicitur Ieſu Naue, manifeſtat, cùm commemorat Ioſue domino iubente, ſex ciuitates refugij decernere homicidis, qui homicidium *Ioſue.20.*
non ſponte fecerint, hoc eſt, Cades in Galilæa montis Neptalim, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipſa eſt Hebron, in monte Iuda, & trans Iordanem contra occidentalem plagam Iericho, vrbem Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine de tribu Ruben, & Ramoth Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan de tribu Manaſſe. Hæ ciuitates conſtitutæ ſunt cunctis filiis Iſraël, & aduenis qui habitant inter eos, vt fugeret ad eas, qui animam neſcius percuſsiſſet, & non moreretur in manu proximi, effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec ſtaret ante populum expoſiturus cauſam ſuam. RVPERTVS. Conſtituam (inquit) tibi locum, id eſt, ſeparabo tibi vrbes fugitiuorum, quo fugere debeat qui non eſt inſidiatus, ſed
E deus inimicum tradidit in manus eius. Exempli gratia, Perſequente Saule Dauid, cùm ille fuiſſet ingreſſus *1.Reg.24.*
ſpeluncam vt purgaret ventrem, Dauid & viri eius in interiori parte ſpeluncæ latebant. Et dixerunt ſerui Dauid ad eum, Ecce dies de quo locutus eſt dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, & cætera. Item venerunt Dauid & Abyſai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem & dormientem in tentorio. Dixítque Abyſai ad Dauid, Concluſit deus inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundo opus non erit. Planè Dauid non fuerat inſidiatus, ſed dominus inimicum gratis inſidiantem tradiderat in manus eius, Vnde & dicit, Animaduerte & vide quoniam non eſt iniqui- *1.Reg.26.*
tas in me, tu autem inſidiaris animæ meæ. Et ille ſecundum hanc legem locutus, Iuſtior (inquit) tu es, quàm ego, quia videlicet permiſſo legis poteras occidere me, legitimum habiturus refugij locum, donec temporis huius moreretur ſacerdos. CAIETANVS. Qui percuſſerit hominem volens occidere. Iuxta Hebræum habetur, Percutiens hominem, & morietur, morte moriatur. Quia verba formaliter intelligenda F
ſunt, ſenſus legis eſt, quòd percutiens ex intentione percutiendi hominem. Nullâque differentia fit inter Hebræum & non Hebræum, & ſimiliter nullum adiectiuum apponitur excuſans (puta hominem perſequutorem, aut aliquid huiuſmodi) ſed dicitur abſolutè hominem, vt ex re percuſſa iniquitas percutientis manifeſtetur. Iniquum eſt enim vt homo percutiat hominem, abſolutè loquendo. Dicendo autem, Et morietur, penſat lex effectum ſecutæ mortis ex percuſsione, non curando an ille percuſſerit animo occidendi, vel duntaxat animo percutiendi, & meritò, quia percuſsiones non menſurantur. Qui autem non eſt inſidiatus. Limitatio eſt antedictæ legis ex parte percutientis. Excipitur enim qui non eſt inſidiatus, hoc eſt, qui priùs non expectauit commoditatem ad percutiendum, vtpote nihil habens aduerſus hominem illum. Et ad hoc magis explicandum ſubiungitur, ſed deus illum tradidit in manus eius. Hebraicè, Et deus parauit manui eius. Homicidium repẽtinum iuſto dei iudicio ſcriptura attribuit, vt quamuis percutiẽs non parauerit occiſionem illius, deus tamen iuſto iudicio parauit illum occidendum inopinatè ab hoc. Et ſcribitur hoc, vt

discamus non casui aut fortunæ occursus istos attribuere, sed prouidentiæ supremi & occulti nobis iudicis. Constituam tibi locum quo fugere debeat. De ciuitatibus refugij est sermo, ad quarum aliquam confugiens huiusmodi homicida, liberabatur à pœna mortis. AVCTOR CATENAE. Qui percusserit hominem, volens occidere. Hoc addidit Interpres, vt elucidaret quando percutiens esset interficiendus, tunc enim cùm percutit animo occidendi. Hebraicè autem est וָמֵת Vameth, Et mortuus fuerit, videlicet percussus, tunc scilicet percutiens & ipse morte moriatur. Sic legunt & Chaldaica & Septuaginta. Qui autem non est insidiatus. Significat צָדָה Zada, propriè venari & insidiari pro fera. Sed deus illum tradidit in manus eius. אָנָה Ana verbum hîc positum, est causare, occasionem præbere, fortuitò occurrere, aut euenire. Vnde hîc vertunt, Sed deus causauit, vel occasionem præbuit, seu occurrere fecit ad manum eius, id est, vt veniret ad manum eius, & id quod vertit Interpres, vt cùm deus ob certam causam sibi notam, aliquem tradit in manus illius hominis vt occidatur ab eo, qui tamen nunquam cogitauit, etiam in hora cùm eum occidit, vllum hominem occidere. Hæc est igitur lex generalis, vt qui occidit hominem, occidatur. Et si rem probè discutias, tantum abest vt hæc lex pugnet cum lege naturali, vt potiùs è lege naturali oriatur, & sit legis naturalis munimentum. Nam lex dicit, Non occidas. Si autem hanc legem violaueris, & occideris hominem, eadem certè lex innuit te legitimè occidendum, ne plures occidantur. Etenim sicut in medicina præceptum, Ne noceas membris, non hoc vult, vt singulis membris siue sanis siue putridis parcas, sed potiùs vult, vt si aliter fieri non possit, putridum membrum abscindatur, vt reliqua conseruentur: ita cùm in lege dicitur, Non occidas, non intelligendum est, homicidam non esse legitimè occidendum, sed potius intelligitur homicidam esse interficiendum, quo obedientia huius legis, Non occidas, conseruetur. Quandoquidem autem varia sunt homicidiorum genera, mox subiungit exceptiones aliquas. Inuisissimum est autem domino deo homicidij crimen, vt maxima iubeatur pœna puniri, sine misericordia & dispensatione, si sit à proposito, & præter ius ac necessitatem commissum. Et hoc est quod ponderauit Latinus Interpres, dicens, Volens occidere, id est, à proposito, ex voluntate, ex intentione, nam de casuali statim subdit, Qui autem non est insidiatus, & cætera. Nullum fit homicidium sine dei prouidentia, in bonum scilicet occisi, aliquando etiam occisoris, deo enim & electis seruiunt omnia. Is ergo qui sola dei voluntate obuium sibi factum occiderit, liberat eum deus tantisper, dum apud iudicem causa agitur. Asyla ergo, id est, loca refugiorum à domino constituuntur, vt illuc confugiat qui præter propositum perpetrauit homicidium, & tutus sit, donec res coram iudicibus discutiatur, & hoc in defensionem innocentiæ, non in protectionem latronum. In hac igitur exceptione legis obseruandum est, quòd priuilegia quibus Ecclesiæ ad asyla publicè deputantur, sancta sunt & bona, ac in diuina ordinatione fundata, qua insons ab iniusta & illegitima violentia defendatur. Quare hæc priuilegia non sunt temerè abroganda, sed tanquam Reipublicæ necessaria, & tanquam bona ordinatio conseruanda. Deinde vides externa facta non esse iudicanda iuxta externam facti speciem, sed iuxta internum facientis animum. Nam si quis ferro è manu fortuna quadam elapso, interficit hominem, designat certè homicidium, si externam speciem respicias. Sed quia abest animus occidendi, non iudicatur homicidium supplicio dignum. Hoc & magistratibus obseruandum est, vt discant diligenter inter speciem facti & animum facientis discernere. Aduertenda sunt etiam hæc verba legis, Sed deus tradiderit illum in manus eius, significant enim dominum omnia administrare, & sicut non cadit capillus de capite sine voluntate patris, ita non elabitur ferrum è manu secantis ligna sine administratione dei. Quare quicquid tibi incommodi acciderit, hoc excipias tanquam manu domini immissum. Quod autem dominus immittit hoc immittit, aut vt nos probet, aut vt nos ad respiscentiam inuitet. Inuoca igitur dominum in omnibus afflictionibus quæ tibi accidunt, & respisce, vt seruetis. Sed quid fiet de sontibus? num & hi habent publica asyla? De hac re audi quæ fuerit lex in politia Mosaica. *Si quis* (inquit) *per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* RVPERTVS. Ab altari, id est, etiam si ad altare meum confugerit, illuc vsque persequeris eum, auulsúmque interficies, quia videlicet ei nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum, omnem fidem perdidit. Iure ergo nemo vel Salomonis iudicium, vel Banaiæ manum reprehendit, quia Ioab profugum in tabernaculum domini, tenentémque cornu altaris, & dicentem, non egrediar, sed hîc moriar, ibidem aggressus interfecit, quia occidit duos viros iustos, meliorésque se, Abner & Amasan principes militiæ, & effudit sanguinem belli in pace, id est, in osculo pacis, dicendo, 3 *Reg.* 2. 2. *Reg.* 20. Salue mi frater, tenens manu mentum more osculantis. Non (inquam) iure quisquam hoc reprehendit, quòd hic talis auulsus est ab altari & interfectus, dicente hîc domino de huiuscemodi, Ab altari meo euelles eum, vt moriatur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum hic locus legitur, Et quando studuerit vir super socium suum ad occidendum eum in ingenio. Multæ sunt in hac lege conditiones, quæ non fuerunt in lege de homicidio absolutè. Ibi enim decernitur de occiso homine, hîc verò de occiso socio. Ibi nihil dicitur de intentione occidendi, hîc verò non solùm intentio occidendi, sed mentis vtraque pars (hoc est, intellectus & voluntas) machinans ad occisionem describitur. Intellectus quidem, dicendo in ingenio: voluntas autem, dicendo studuerit. Nec describuntur hæc intus in animo, sed prodeuntia extra in actiones, dicendo ad occidendum, quemadmodum fecit Ioab occidendo Abner & Amasan. Ab altari meo euelles eum, vt moriatur. Non solùm pœna mortis infligenda decernitur, sed omnis spes refugij adimitur, statuendo quòd nec loco altaris deferatur. Et sic de facto fuit adimpletum in Ioab à Salomone. AVCTOR CATENAE. Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias. Rectè quidem transtulit Interpres, neque enim aliud sonant Hebraica, videlicet: וְכִי יָזִד אִישׁ עַל רֵעֵהוּ לַהַרְגוֹ בְעָרְמָה Vechi iazid is hal rehêhu lehargo beharma, Et cùm superbierit, vel cùm temerè egerit vir contra fratrem suum, vt occidat eum per insidias. Sic fere & Chaldaica, Et quando impiè egerit vir contra proximum suum, vt interficiat eum per insidias. Alij, Si quis superbierit contra proximum suum ad occidendum eum dolosè, vel cum fraude, vertunt, id est, cùm per arrogantiam & de industria interfecerit proximum dolo, nusquam erit tutus, sed etiam



etiam ab altari meo abstrahatur, vt ipse moriatur. Alij, Sin verò voluntariè egerit contra socium suum occidendo eum dolo. Sunt & qui, Et si homo machinetur in proximum suum, vt dolo occidat eum, reddunt. זד enim significat destinata malitia, & non fortuitò aliquid agere, & vt apud Venetos dicitur, Casus cogitatus. Septuaginta, ἐὰν δέ τις ἐπίθηται τῷ πλησίον τοῦ ἀποκτεῖναι αὐτὸν δόλῳ, καὶ καταφύγῃ, Si autem aliquis aggressus fuerit proximum vt occidat eum, & fugiat. Sed vna omnium est sententia, homicidam scilicet per insidias, dolum & industriam designari. Excluduntur autem ab hac lege, qui licet occidant, bonum tamen intendunt, vt magister verberando discipulum, pater corrigendo filium, medicus medicando infirmum, cùm non per dolum occidant vel per insidias. Locus ergo pius non patrocinabatur impietati & crudelitati, sed magis accusabat & damnabat. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* RABANVS. Quid est percutere patrem & matrem, nisi impium extitisse & contrarium legi quæ iubet parentes honorare, & ob hoc maledictum & dignum esse morte? CAIETANVS. Qui percusserit (inquit) patrem aut matrem, & cætera. Non dicitur, qui percusserit & mortuus fuerit, sed sola percussio patris aut matris, pœna mortis punitur. Et meritò, propter atrocitatem iniuriæ ex parte personæ percussæ, relatiuè ad percutientem. Et intellige semper leges formaliter, hoc est, ex intentione. Et est sermo de percussione quæ non excusatur propter imperfectionem actus, puta quia modicum pro nihilo reputatur. AVCTOR CATENAE. Qui percusserit patrem suum aut matrem. Quamuis in Hebræo sit vau, & dicat, patrem & matrem, rectè tamen fecit Interpres, vertendo aut, sic enim habent Chaldaica & Septuaginta. Nam &, pro aut, positum est more Hebraico. Infame crimen apud deum & homines percutere parentes, quibus nunquam gratiæ condignæ pro beneficiis rependi poterunt, quibus debetur à prole honor, charitas, officium, defensio, ac in necessitate alimentum, & seruitus fidelissima. Furor autem contra parentes, indicium est corruptissimi animi, qui nihil non audeat irritatus. Sicut igitur parentum honor vitam meretur diuturnam, sic percussio immaturam mortem & contemptibilem, aliis in exemplum. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Furans virum, & vendet ipsum, & erit inuentus in manu eius, morte moriatur. Furtum viri in vtroque casu punitur morte, siue vendiderit illum, siue apud se retineat illum. Hos enim euentus Hebraica significat litera, alterum, dicendo, Et vendet eum: alterum, dicendo, Et inuentus fuerit in manu eius, proculdubio furis. Et maiori ratione raptor viri puniebatur morte. AVCTOR CATENAE. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte moriatur. Rectè vertit Interpres Hebræa verba, & pro conuictus noxæ, ibi legitur וְנִמְצָא בְיָדוֹ Venimza biiado, Et inuentus siue deprehensus fuerit in manu eius. Hebraismus est, quem reddidit Interpres, videlicet, pro si conuincatur reus illius criminis. Dicunt alij quòd vau etiam hoc loco ponitur pro aut, vt sit sensus, Siue homo quem furatus est, fuerit venditus, siue adhuc repertus fuerit in manibus furis, fur interficiatur. Chaldaica habet hîc, Qui furatus fuerit animam de filiis Israël, & vendiderit eam, inuentáque fuerit in manu eius, morte moriatur. Vbi apertè anima ponitur pro toto homine. Furari hominem more plagiariorum vt vendant, indéque ditentur fures, crudelissima est inhumanitas. Crudeliter ergo occidendus venit, etiam si adhuc in manu furis inueniatur, propter crudelissimum institutum, multò magis si desperata fuerit venditi redemptio. Omnis excessus, inhumanitas & crudelitas in proximum, durissimè vindicanda docetur hoc præcepto, de similibus enim idem habendum iudicium. Et scriptura hoc loco & aliis, adhibito vno exemplo docet quid agendum in simili, vel maioribus per analogiam, id quod diligenter passim est annotandum. Sciendum autem apud Septuaginta ita haberi, Qui furatus fuerit aliquem filiorum Israël, & opprimens eum, vendet, & inuentus fuerit in ipso, morte moriatur. Sed hoc non dissentit à Latina editione, nisi quòd restringit legem ad furtum hominis Hebræi duntaxat, sic & Chaldaica. *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.*] CYRILLVS IN IOANNEM LIBRO DVODECIMO. Ait Euã- *Cap.* 34. gelista Ioannes, Cùm vidisset Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Prouidit matri, quasi parum de magnitudine doloris curaret. Nam & si acriter patiebatur, erat tamen etiam impassibilis. Commendauit autem eam discipulo Ioanni huic qui Euangelium conscripsit, vt officium filij in eam seruaret: matrem similiter admonuit, vt parentis in discipulum autoritatem haberet: amore videlicet atque charitate non minus illos coniungi voluit, quàm si naturæ maxima propinquitate coniuncti essent. Sunt autem qui dicunt carnis coniunctione Christum commotum fuisse, ac ita locum in ipso affectus habuisse contendunt, ad quam quidem opinionem non nisi mente capti delabuntur. Non enim hac ratione id factum à Christo est, sed re ipsa honorandos esse parentes docere nos voluit. Aequali enim verè supplicio in deum blasphemantes, & parentes paruipendentes, puniri lex statuit. Morte moriatur qui nomen domini nominauit, id est, in dominum blasphemauit. Et similiter qui patri aut matri maledicit, morte (inquit) moriatur. Quum igitur ita per legem ipse præceperit, quúmque omnis virtutis ipse fons sit, quomodo non oportebat ab ipso & per ipsum primùm nos discere, nec quando intolerabiles imminent ærumnę negligendos esse parentes? Optimus enim ille certè est, non qui magna in tranquillitate ac copia rerum, sed qui in tempestate & egestate, mandatorum non obliuiscitur. INTERLINEARIS. Maledictio autem in patrem vel in matrem fit, contradicendo verbo vel facto, vel malum imprecando, aut blasphemando. CAIETANVS. Quemadmodum autem de percussione parentum, ita de eorum maledictione intellige, nisi imperfectio actus excuset, puta si non deliberatè, aut leue verbum maledicentiæ dixerit. Et intelligo legem hanc de maledicentia per modum contumeliæ, secus autem de maledicentia per modum detractionis, quia contumelia coram fit, & directè contrariatur honori debito parentibus: detractor autem reueretur eum cui detrahit, eo ipso quòd occultè est maledicus. Sub contumelia autem continetur etiam publica detractio, nam ex eo quòd detractor palàm detrahit, nec est ei curæ an hæc in notitiam veniant parentum, reducitur detractio in naturam contumeliæ. Publicè enim detrahens, perinde se habet ac

si detraheret coram.Punitur autem contumelia in parentes morte,quemadmodum & blasphemia dei.Et est ratio legis, quia nec deo nec parentibus possumus reddere æquale: considerauit enim lex , quòd quemadmodum parentes in hoc conueniunt cum deo,ita pœna contumeliæ in parẽtes, cõueniat cum pœna cõtumeliæ in deum.

AVCTOR CATENAE. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Et hîc Hebræum vau, stat pro vel,sicut & doctè vertit Interpres,Hebraico more.Maledictio autem parentum, intelligitur de atroci & nimis contemptibili, interueniente blasphemia in deum, & assumptione diuini nominis, secundum Hebræos. Verùm scito hîc prudens lector, aliter legere locum hunc Septuaginta Interpretes, aliter haberi in Hebræo & Chaldaica. Nam vbi illi post percussionem parentum ponunt eorundem maledictionem cum pœna, isti ponunt præcedentem versiculum,Qui furatus fuerit hominem, & cætera, quo finito legunt, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur, sicut & nos fecimus. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno,& ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo, si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen vt operas eius & impensas in medicos restituat.*

2.2.q. 41. ar.1.in cor.

THOMAS. Sicut contentio importat quandam contradictionem verborum,ita etiam rixa importat quandam contradictionem in factis.Vnde super illud Gal.5.Rixæ, dicit glossa quòd rixæ sunt quando ex ira inuicem se percutiunt . Et ideo rixa videtur esse quoddam priuatum bellum,quod inter priuatas personas agitur, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate.Et ideo rixa semper importat peccatum. Et in eo quidem qui alterum inuadit iniustè, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque mortali peccato. In eo autem qui se defendit,potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum peccato mortali, secundum diuersum motum animi eius, & diuersum modum se defendendi. Nam si solo animo repellendi iniuriam illatam, & cum debita moderatione se defendat , non est peccatum , nec propriè potest dici rixa ex parte eius. Si verò cùm animo vindictæ vel odij vel cum excessu debitæ moderationis se defendat , semper est peccatum. Sed veniale quidem , quando aliquis leuis motus odij vel vindictæ se immiscet , vel cùm non multum I excedit moderatam defensionem . Mortale autem, quando affirmato animo in impugnantem insurgit ad eum occidendum , vel eum grauiter lædendum. CAIETANVS. Pondera huius legis conditiones singulas, vt perpendas censuram legis valde æquam.Ex eo enim quòd non gladio, non ex intentione, sed ex repentina rixa percusio facta est socij (sic enim Hebraicè legitur)& tantùm conualuit percussus, vt cùm prius in lecto iacuerit,postea cum adminiculo baculi ambularet,rationabiliter iudicatur percussor absoluendus à pœna mortis,cùm etiam si percussus fuisset mortuus,haberet ciuitates refugij. Quamuis autem à reatu mortis absoluatur, punitur tamen ad soluendum tam lucrum cessans tempore imbecillitatis percussi , quàm damnum emergens ex pretio medici & medicinarum. AVCTOR CATENAE. Si rixati fuerint viri . Hebraismus est pro aliqui.Et percusserit alter proximum suum. Dictum est sæpius dictionem רֵעַ Reáh, proximum, socium & amicum significare , & hinc fit quòd diuersæ quandoque fiunt huius dictionis versiones ab Interpretibus, vnus tamen semper apud omnes sensus est. Innocens erit qui percusserit(subaudi à cæde) id est, non censebitur K homicida . Ita tamen vt operas eius , & impensas in medicos restituat . Hebraicè ita legitur locus רַק שַׁבְתּוֹ יִתֵּן וְרַפֹּא יְרַפֵּא Rak sibto itten verappo ierappe, Veruntamen cessationem seu vacationem eius dabit, & sanitate sanabitur , siue curando curabitur , aut sanando sanabit , seu medendo mederi faciet . Hebraismus est, pro tantummodo iacturam temporis quam fecit cessando ab opere soluet,& curabit eum sanandum,subaudi impensis suis. Quod nil aliud est , quàm quod vertit Interpres . Vnde & Chaldaica, Sed restituet id quod fuit otiosus ab opere , & mercedem medici soluet. Sic & Septuaginta intellexerunt, πλὴν τῆς ἀργίας αὐτοῦ ἀποτίσει καὶ τὰ ἰατρεῖα, Præter otium eius, soluet & medicationes. Nam idem est otium, & operæ deperditæ hoc in loco . Concordiam igitur docet ac charitatem . Omne casuale damnum compensari iubet , & etiam negligentiam puniendam, ad aliorum exemplum , & diligentiam circunspectionémque docendum , vtque iracundiæ & rixis frena non laxentur, ne procedat ira ad cædes vel mortem. Siue hoc cominus fiat, vt pugno , aut manuum consertione: siue eminus, vt telo,sagitta,aut lapide.Si decumbet lecto,& conualebit,ita vt ambulare possit, etiam si baculo innitatur, innocens erit qui percussit. Non vocatur simpliciter innocens , quia damnatur ad impensas in medicos, & ad compensandum præiudicium vel damnum vacationis ab opere quo se alere debebat , vt si manum abstulisset , vel aliud , tenetur enim ei pro damno & dolore, sed innocens dicitur à talione mortis, curabit autem vt sanetur suo impendio. *Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga , & mortui fuerint in manibus eius , criminis reus erit.*

1.2.q.105. ar.4. ad 3.

*Sin autem vno die vel duobus superuixerint, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est.* THOMAS. Circa læsiones seruis illatas lex considerasse videtur vtrum sit certa vel incerta . Si enim læsio certa esset , lex pœnam adhibuit, pro mutilatione quidem , amissionem serui qui mandabatur libertati donandus: pro morte autem homicidij pœnam , cum seruus in manu domini verberantis moreretur . Si verò læsio non esset certa , sed aliquam apparentiam haberet , lex nullam pœnam infligebat in proprio seruo , puta cùm percussus seruus non statim moriebatur,sed post aliquot dies.Incertum enim erat vtrum ex percusione mortuus esset,quia si percussisset liberum hominem,ita tamen quòd statim non moreretur, sed super baculum suum ambularet, non erat homicidij reus M qui percusserat , etiam si postea moreretur , tenebatur tamen ad impensas soluendas , quas percussus in medicos fecerat.Sed hoc in seruo proprio locum non habebat,quia quicquid seruus habebat, & etiam ipsa persona serui, erat quædam possessio domini, & ideo pro causa assignatur, quare non subiaceat pœnæ pecuniariæ, quia pecunia illius est. CAIETANVS. Qui percusserit, & cætera . Criminis reus erit , hoc est, pœna homicidij punietur. Non tenebitur autem, si vno vel duobus diebus superuixerint , quia ius habebat dominus percutiendi virga seruum , eo ipso quòd erat seruus . Ex hoc enim iure excusat lex dominum à pœna homicidij, quando percussus non gladio sed virga seruus,vixit vno die,excesit enim non percutiendo,sed in mensura, nec tam enormiter,vt sub percusionibus fuerit mortuus. AVCTOR CATENAE. Et mortui fuerint in vel sub(est enim dictio תַּחַת Tâchath)manibus eius,id est,domino percutiente seruum vel ancillam. Criminis reus erit.Hebraicè est,יִנָּקֵם Nakom innakem,Vindicta seu vindicando vindicabitur.Hebraismus, quẽ reddidit Interpres



A Interpres.Alij vertunt,Vlciscendo vltio sumetur.Chaldaica, Iudicio iudicabitur.Septuaginta, δίκῃ ἐκδικηθήτω, pœna puniatur.Sed idem est. Si autem vno die vel duobus superuixerit, non subiacebit pœnæ, hoc est, non exigetur vltio de eo , vel non vindicabitur. Est enim idem verbum נָקָם Nakam. Chaldaica , Non iudicabitur. Septuaginta,οὐκ ἐκδικηθήσεται Non punietur.Quæ omnia idem dicunt.Quia pecunia illius est,seruus ille videlicet, quem emit pecunia sua. Iram itaque moderatur hæc lex dominorum in seruulos, ne cædendo excedant in periculum ac damnum tam seruorum quàm dominorum. Hîc videtur pœna occisoribus heris posita esse , quando certa erat lęsio , secus si non certa vt dictum est , nam mox sequitur non plectendum dominum , si seruus post duos dies moritur.Vt vindicando(inquit)vindicetur,id est,contra dominum actio constituatur,& iure veniat accusandus . Seruorum autem emptitiorum vel bello captorum conditionem longè miserrimam fuisse nemo miretur, præsertim apud hunc tam duræ ceruicis populum ac carnalem , sicut & hodie apud barbaras nationes habetur.

B RABANVS. Mysticè autem,Si quis per inuidiam aut odium mucrone malitiæ aliquem percusserit, & in mortem animæ seduxerit, æternæ morti ipse obnoxius erit.Vnde ipsa veritas ait, Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt mola asinaria addatur collo eius, & demergatur in profundum. Et Ioannes ait,Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.Hîc talis ab altari domini euelli iubetur,quia indignus dominicis sacramentis,à participatione sacri altaris meritò remouetur.Qui autẽ non voto malitiæ,sed per iniuriam aut ignorãtiam aliquem læserit, habet vrbes refugij,Ecclesiam videlicet catholicam,vbi se angustia pœnitentiæ coartans,per omne tempus præsentis vitæ , bonis operibus studium impendens maneat , & si spem suam in mortem pontificis summi , redemptoris videlicet sui posuerit , hic sine dubio in æternum saluabitur . Qui percusserit patrem suum & matrem, morte moriatur. Et paulopòst, Qui maledixerit(inquit)patri suo & matri, morte moriatur. Spiritaliter qui maledixerit patri, id est, blasphemiam in deum qui omnium pater est protulerit , vel contra Ecclesiam matrem vnitatis schismata ingesserit,æterna pœna multandus erit.Qui furatus fuerit hominem,& vendiderit eum,conuictus noxæ, morte moriatur. Hæreticos hæc sententia percutit , qui per dolum hominem Christianum à veritate catholicæ fidei seducunt,& malignis spiritibus per errorem obnoxium tradunt, æterna pœna eos damnandos esse ostendit.Si rixati fuerint viri,& percusserit alter proximum suum lapide vel pugno,& ille mortuus non fuerit, & iacuerit in lectulo, si surrexerit & ambulauerit foris super baculum suum, innocens erit qui percusit, ita tamen vt operas eius , & impensas in medicos restituat . Allegoricè , Si quis cum proximo suo per furorem contenderit, & vel lapide vel pugno illum percusserit, hoc est, duritia mentis , vel parcitate cordis spernendo, siue misericorditer non consulendo,exasperauerit,& ille infirmatus in tristitia,à feruore dilectionis languescat, necesse est vt reus per confessionem operas pœnitentiæ , & impensas promissæ emendationis in medicos , hoc est, doctores impendat, qui ægrotantem baculo consolationis suæ erigant , & fomentis prædicationum medicantes,in pristinum statum dilectionis reforment. Ita enim ad innocentiam veram peruenire possumus, si malè gesta dignis pœnitentiæ fructibus diluere satagamus . Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga , & mortui fuerint in manibus eius , criminis reus erit , & cætera. Sicut disciplina opus est in eruditione subiectorum,ita & discretione maximè opus est in exhibitione correptionum . Qui enim sibi commissum gregem vltra modum disciplinæ constringit , vbi vitam debuit propagare , inuenietur ibi mortem ingerere . Vnde & per sapientiam dicitur, Qui fortiter premit vbera, exhibet butyrum , & qui vehementer emungit , elicit sanguinem. Est ergo semper mensura in disciplina tenenda,vt rigor sit in refrigerio,& refrigerium in rigore, vt in disciplinato fides & dilectio vigeat,nec per desperationem vel odium funditùs intereat.

Mysticè. Matth.18. 1.Ioan.3. Prouerb.30

E *Si rixati fuerint uiri,& percusserit quis mulierem prægnantem , & abortiuum quidem fecerit , sed ipsa uixerit, subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, uulnus pro uulnere, liuorem pro liuore. Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ,& luscos eos fecerit,dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo uel ancillæ suæ simul dimittet eos liberos.* 3

*Si rixati fuerint viri,& percusserit quis mulierem,* & cætera, vsque ad liuorem pro liuore. ORIGENES. Alia litera:Quòd si litigabunt duo viri,& percusserint mulierem prægnantem, & exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur , quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum honore . Quòd si formatus fuerit , dabit animam pro anima , oculum pro oculo , dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustu- 3
ram pro combustura,vulnus pro vulnere,liuorem pro liuore. Primò omnium in his requirendum esse puto, sub Homil.10.
F quo legis titulo huiusmodi statuta censentur. Non enim (vt simplicioribus videtur) cuncta quæ statuuntur,lex dicitur , sed quædam quidem lex , quædam testimonia, alia mandata & iustitiæ , quædam iudicia appellantur. Quod euidentiùs in vnum collectum , octauus decimus edocet Psalmus , cùm dicit , Lex domini irreprehensibilis,conuertens animas,testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda , præceptum domini lucidum , illuminans oculos. Timor domini sanctus permanet in seculum seculi, iudicia domini vera, iustificata in semetipsa . Cùm ergo iste diuersitates eorum quæ in lege statuta sunt habeantur, nunc sermo qui habetur in manibus, sub titulo iustitiarum vel iustificationum scriptus est, sic enim dicit superius,Et hæ iustitiæ quas propones palam eis. Non est autem præsentis temporis vniuscuiusque horum exponere differẽtias,exigimur enim ad explanationem horũ quæ lecta sunt. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputauit,quòd tale in vtero geritur.Hîc de anima quæstio solet agitari, vtrũ quod for- Quæst.80.

matum non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici G
potest, si adhuc animam non habebat. Sequitur enim & dicit, Si autem formatum fuerit, dabit animam pro
anima. Vbi quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur? Nam hoc & in cæteris ex hac occasione iam præcepit,
Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustionem pro combustione,
vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore, talionis videlicet æquitate. Quæ lex ideo constituit, vt demonstraret
quæ vindicta debeatur. Nisi enim per legem sciretur quid vindictæ deberetur, vnde sciretur quid venia relaxa-
*Matth.6.* ret, vt dici posset, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Debitores igitur le-
ge monstrantur, vt appareat quid dimittatur, quando ignoscitur. Neque enim debita dimitteremus, nisi quid
nobis deberetur, lege indice disceremus. Si ergo illud informe puerperium iam quidem fuerit, sed adhuc quo-
dammodo informiter animatum, quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeri-
tate sententiæ, ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viua in eo corpore H
quòd sensu caret, si talis est in carne nondum formata, & ideo nondum sensibus prædita. Quod autem dixit, Et
dabit cum postulatione, quod maritus mulieris informi excluso dandum constituerit, non est in promptu in-
telligere. Ad animam quippe quod Græcus habet, pluribus modis intelligitur, & tolerabiliùs cum postulatione
dictum est, quàm si aliud diceretur. Fortasis enim postulabit, vt de eo modo deo satisfaciat, etiam si maritus
mulieris non expetat. IDEM LIBRO DVODECIMO CONTRA FAVSTVM MA-
*Cap.25.* NICHAEVM. Illud quod antiquis dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente, ad reprimendas flam-
mas odiorum, sæuientiúmque immoderatos animos refrenandos, præceptum est. Quis enim tandem facilè
contentus est tantum reponere vindictæ, quantum accepit iniuriæ? Nónne videmus homines leuiter læsos mo-
liri cædem, sitire sanguinem, vixque inuenire in malis inimici vnde satientur? Quis pugno percussus, non aut
iudicia concitat in damnationem eius qui percusserit, aut si ipse repercutere velit, totum hominem, si non etiam
telo aliquo arrepto, pugnis calcibúsque contundit? Huic igitur immoderatæ ac per hoc iniustæ vltioni, lex iu- I
stum modum figens, pœnam talionis instituit, hoc est, vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pen-
dat. Proinde oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est, non vt id quod sopitum erat,
hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, vltra extenderetur, impositus. Est enim quædam iusta vindicta, iu-
stéque debetur ei qui fuerit passus iniuriam, vnde vtique cùm ignoscimus, de nostro quodammodo iure largi-
mur. Vnde etiam debita dicuntur, quæ in oratione dominica humanitùs dimittere monemur, vt nobis & no-
stra diuinitùs dimittantur. Quod autem debetur, & si benignè dimittitur, non tamen iniquè repetitur, sed sicut
in iurando, etiam qui verum iurat, propinquat periurio, vnde longè abest qui omnino non iurat, & quamuis
non peccet qui verum iurat, remotior tamen à peccato est qui non iurat, vnde admonitio non iurandi conser-
uatio est à peccato periurij. Ita cùm peccet, qui per immoderationem iniustè vult vindicari, non peccat autem,
qui modum adhibens, iustè vult vindicari, remotior est à peccato iniustæ vindictæ, qui non vult omnino vin-
dicari. Peccat enim, qui exigit vltra debitum, non peccat autem qui exigit debitum, sed tutior longè est à pecca- K
to iniusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, præsertim ne cogatur & ipse reddere debitum ab eo, qui
nullum habet debitum. RABANVS. Si rixati fuerint viri. Hîc vt mihi videtur, talis est sensus: Quòd
si quis mulierem percusserit post conceptum semen, & pro hoc abortiuum quidem fecerit, ipsa tamen viuente,
*2.2.q.64.* tunc pecunia percussor læsionem recompensare possit, secundum id quod expetitus fuerit, & iudices decreue-
*ar.8.ad 2.* rint. Si autem mors illius fuerit subsecuta, tunc iam homicidij reus, puniẽdus erit ipse percussor. THOMAS.
Ille qui percutit mulierem prægnantem in rixa, dat operam rei illicitæ. Et ideo si sequatur mors mulieris vel
pueri animati, non effugiet homicidij crimen, præcipuè cùm ex tali percussione in promptu sit quòd mors se-
quatur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et percusserit quis mulierem, intellige volen-
tem iuuare alterum virum, contra quem ille pugnabat. CAIETANVS. Si rixati fuerint viri, & per-
cusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit. Iuxta Hebræum, Et exibunt
infantuli eius, & non erit mors. Subiacebit damno quantum expetierit maritus mulieris, & arbitri iudicaue- L
rint. Pondera & non erit mors, quoniam negatur mors tam matris quàm prolis. Considerat enim lex ista de per-
cussore mulieris grauidæ duos casus, alterum, Si non erit mors, siue matris siue prolis, & tunc punietur percus-
sor pœna arbitraria: alterum, Si interuenerit mors, & tunc punietur pœna homicidij. In vtroque autem casu
vita seu mors prolis, ex egressu prolis manifestatur, propterea enim dicit, Et exibunt infantuli eius. Et dicit plu-
raliter, quia contingere potest quòd mulier habeat plures proles in ventre. Meminit quoque fœtus sub nomine
infantuli seu puelli, ad differentiam aborsus fœtus non formati in puellum aut puellam. Si enim percussa mu-
lier grauida fœtum informem emitteret, nulla esset mors hominis quoad prolem, quia homo in potentia non
est homo. Si autem mors fuerit secuta, reddet animam pro anima. Hebraicè, Dabis animam pro anima, oculum
pro oculo, & cætera. Ad iudicem conuertitur sermo legis. Et nomine animæ, Hebræa consuetudine significa-
tur vita corporalis, non irrationabiliter, quia vita corporalis consistit in officio illius rei quam dicimus ani-
mam, non quocunque, sed animandi corpus, & propterea idem est tollere animam, quatenus est anima (hoc est, M
quatenus animat corpus) & tollere vitam corporalem. Et extendit lex iustum quod appellant contrapassum, ad
omnia nocumenta personalia. Et bene considera, quòd lex Moysi non statuit iustum contrapassum vniuersali-
ter, sed duntaxat in nocumentis personalibus personarum non qualificatarum. Omnia siquidem hîc numera-
ta, nocumenta sunt personalia. Secus autem iustum statuit in nocumentis rerum, vt patet in sequenti capitulo,
nam ad minus duplum reddendum statuit. Et similiter in nocumentis illatis personæ qualificatæ, longè maior
pœna statuta est, vt patet in percussione patris aut matris. Non enim repercutiendus, sed occidendus statuitur.
Et simile est iudicium de percussore principis, & cætera. AVCTOR CATENAE. Si rixati fuerint
viri, & percusserit quis mulierem prægnantem. Verbum נָגְפוּ Nágphu, percusserint, siue impulerint redditur.
Sed habuit respectum Interpres ad ea quæ sequuntur, vbi vnus tantùm punitur, nempe percutiens. Et abor-
tiuum quidem fecerit. Idem est in Hebræo וְיָצְאוּ יְלָדֶיהָ Veiázu ieladêha, Et egressus fuerit fœtus eius. Septua-



A Septuaginta, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς, Et egressus fuerit infans eius. Alij, Egressi autem sint pueruli: Alij, Vt egre
diantur nati eius: Demùm nonnulli, Ita vt abortiat, verterunt. Qui omnes idem dicunt in sententia cum litera
nostra. Sequitur, Sed ipsa vixerit, quod in Hebræo est וְלֹא יִהְיֶה אָסוֹן Velo ihie asón, Et non fuerit mors, Subau-
di matris vel prolis sequuta, sed tãtùm partus sit acceleratus. Septuaginta autem asón Hebræum verbum quod
mortem sonat, ad abortiuum retulerunt, vt si puer qui percussa matre egredietur, non fuerit perfectus & effi-
giatus, non fit is qui percusserit culpæ obnoxius, hoc modo, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, id est, Et
egressus infans eius non fuerit effigiatus. Subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudi
cauerint. Optimè sensum ex verbis Hebraicis elicuit Interpres, quæ sunt עָנוֹשׁ יֵעָנֵשׁ כַּאֲשֶׁר יָשִׁית עָלָיו בַּעַל הָאִשָּׁה
וְנָתַן בִּפְלִלִים Anos iehanes caaser iasith halaf báhal haissa, venathan biphlilim, Puniendo punietur, siue mul-
B ctando mulctabitur, sicut imposuerit super eum maritus mulieris. Et dabit ad arbitros, vel secundum iudices,
id est, iuxta sententiam arbitrorum, vel vt arbitrati fuerint iudices, aut pro arbitrorum sententia. Et est sensus,
Mulctabitur ea mulcta, quam imposuerit maritus sententia iudicum arbitrorum, dabítque quantũ arbitri cen-
suerint. Sic & Septuaginta interpretati sunt dictiones Hebraicas, καὶ δώσει μετὰ ἀξιώματος, Et dabit cum æstima-
tione, vel auctoritate, videlicet supradictorum iudicum, seu postulatione apud eosdem. Si autem mors nõ fue-
rit subsequuta, reddet animam pro anima. De suo addidit Interpres, subsequuta. Et, Reddes animam pro anima,
verti debet, quoniam verbum וְנָתַתָּה Venathatta, Est secundæ personæ dabis, id est, morieris, quia videlicet mor
tuus est fœtus animatus, vel mulier percussa, hoc est, tu qui percusseris, interficieris. Chaldaica tamen de mor-
te matris tantùm intelligit, vt infra videbitur, sicut & Latina editio, & ipsa etiam habet Reddet, in tertia per-
sona. Et Septuaginta δώσει, Dabit. Vbi autem nos legimus, Si autem mors eius fuerit subsequuta, ipsi legunt, ἐὰν
δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, Si autem figuratum fuerit. Et intelligunt hoc secundum membrum, quando fœtus egressus
fuerat animatus. Oculum pro oculo, & cætera, id est, si oculũ eruerit, oculus ei eruetur: si dentem excusserit, dens
C ei excutietur. Quamuis dicant Hebræi communiter, hunc locum non esse ad literam intelligendum, sed fieri
debere compensationem per bona externa, vt qui sic hominem læserit, teneatur ad quinque, vt scilicet com-
penset damnũ, vt si amputauerit manum vel pedem, sesionem, id est, operas quas interea dum decubuit amisit,
Dolorem quoq; & medicinam & cõfusionem, vt si in loco patenti, puta in facie esset læsus, & cætera. Legitur au-
tem tota hæc lectio hoc modo in Chaldaica, & valde cõsonat editioni nostræ, videlicet, Et quãdo rixati fuerint
viri, & percusserint mulierem prægnantem, & egressus fuerit fœtus eius, & non fuerit mors, condemnatione có-
demnabitur, sicut posuerit super eum maritus mulieris, & dabit per sententiam iudicum. Si autẽ mortua fuerit,
reddet animam pro anima, oculum pro oculo, & cætera. Videtur itaque hæc lex loqui de morte vel nocumento
quorumcunque, non tam fœtus immaturi, quàm matris ipsius percussæ, vt iuxta id quod maritus vxoris po-
suerit super percussorem, non ad ipsius libidinem, ne modus excedatur, sed ad arbitros & legitimos iudices re-
ferendum sit, qui integro iudicio decernant damnum vel mortis vindictam. Iungitur autem huic legi gene-
D ralis lex talionis, quę permissa est duro populo, & ad iram procliui, vt patet ex omnibus historiis tam sacris quàm
Iosephi. Charitas autem fidelium mitigatrix est huius legis, quæ dictat in bono vinci malum: nobilis est enim
victoria, quæ mansuetudine & patientia paratur. Iudæi autem hoc loco putant (vt dictum est) membra adem-
pta vel impedita, rependenda esse æstimatione argenti & pecunia. Alij ad literam intelligunt, nempe si quis ali-
cui vitam, hoc est, animam ademerit, vt & ipse vitam amittat: si oculum, adimatur ei & oculus: si dentem, dens,
vsque ad adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore luat. Cæterùm ab hac talionis lege
excipitur dominus percutiens seruum suum, vnde sequitur, *Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ, & lu-*
*scos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.*

CHRYSOSTOMVS IN COMMENTARIIS SVPER MATTHAEVM. Ait dominus, Si *Homi.11.*
offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte illic
munus tuum, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Vide misericordiam dei,
E quomodo hominum vtilitates amplius aspicit, quàm suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic
dixisset, Interim offer munus tuum, & postea vade, & reconciliare. Nunc autem dicit, Vade primùm, & recon-
ciliare, & sic veniens, offeres. Tanquam si dicat ad illum, Vade, ego libenter contemnor, libenter honoris mei pa
tior damnum, libenter expecto dominus seruos, tantummodo vt vos in amicitiam veniatis. Vade ergo, vt scias
quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quàm munera, quia munera hominum nullum deo faciunt lu-
crum, charitas enim illorum dei gloriam operatur. Ne dicas, ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi satisface-
re debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuæ iubet te dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare,
vt duplicem gloriam consequaris, vnam quia nocitus es, alteram quia prius rogasti. Si enim in illum nocuisti,
& ideo rogasti, parcet tibi deus quod nocuisti, quia prius rogasti, tamen nullam habes mercedem, quia reus con-
stitutus rogasti. Si autẽ ille te læserit, & prius rogaueris, magnã habebis mercedẽ. Festina ergo inimicũ tuũ præue
nire ad amicitias, ne fortè te tardante ille pręueniat te ad rogandũ, & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem.
F Nam si ille te nocuit, & ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim iustitiam fecisti ante deum, si roga
tus te placaueris? Non enim volens te deus substernere sub pedibus eius, iubet te prius rogare, sed volens tibi hu
militatis gloriam prouidere. Sed fortè dicis, ego volo reconciliari, sed dic mihi quomodo recõciliabor? Qua-
lis præcesit offensio, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare. Omne enim
peccatum quomodo committitur, eo modo & pœnitetur. Vt puta cogitasti malefacere alicui Christiano, non
potes munus tuum offerre ante deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene, quod cogi-
taueras male, & pœnituisti. Nam cogitationis peccatum contraria cogitatione dissoluitur. Quis testis? Prophe- *Psalm.4.*
ta, Quæ dicitis (inquit) in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Vides quia irasci, naturæ est,
exequi autem iracundiam, voluntatis? Si autem verbis læsisti fratrem tuum, vade, & verbis satisfac ei, & de to-
to corde pœnituisti. Quoniam autem verborum peccatum, verborum satisfactione dissoluitur, testis est Aaron.
Cùm enim detraxisset de Moyse, vadens, verbis rogauit eum dicens, Rogo domine, ne inferas in nos peccatum

hoc

hoc,quia ignorauimus & peccauimus in te.Si autē operibus aliquē offendisti,puta alicuius pecuniā fraude abstu G listi,aut rem aliquā per violētiā abstulisti,redde ei quæ abstulisti,& pœnituisti.Quoniā autē abstractæ rei peccatū rerū recōpensatione dissoluitur,testis est Zacheus dicens,Domine quęcunq; fraude abstuli,reddo in quadruplo. Si autem rem quidem alicuius non tuleris,sed fortè castigaueris hominem impotentem iniustè,dona ei aliquid pro iniuria dignum, sicut scriptum est in lege,Si percusseris seruum tuum, & fregeris illi dentem, dimitte eum liberum. Secundum hoc intelligendum est, etsi castigaueris aliquem , iniuriæ peccatum beneficio esse dissoluendum. Alioqui nisi quem factis læsisti,factis placaueris, sine causa oras ad dominum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios expoliasti.Quid prodest tibi, si alter pro te oret ad dominum , alter aduersus te interpellet deum? Et si ad istius orationem vult tibi deus misericordiam facere , illius interpellatio non permittit.Melius est, vt etsi nemini prodes, nemini noceas, quàm vt alios spolies , & alios vestias. AVCTOR CATENAE. Verbum שָׁחַת Sachath,hîc positū,perdere,disperdere, delere,& corrumpere significat. Vnde hîc H וְשִׁחֲתָהּ Vesichatha,Et corrumpet eum , scilicet oculum , nonnulli vt habet etiam Chaldaica vertunt: Alij, Vt pereat,nempe oculus, legunt. Septuaginta, καὶ ἐκτυφλώσῃ, Et excæcauerit , reddunt. Et hoc est quod intellexit Interpres,Et luscos eos fecerit, nam excæcato oculo, quis luscus remanet.Dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.Idem sensus est in verbis Hebraicis, לַחֻפְשִׁי יְשַׁלְּחֶנּוּ תַּחַת עֵינוֹ Lachaphsi iesallechénnu táchat heno, Liberum dimittet eum pro oculo eius.Sic habet & Chaldaica. Septuaginta sic etiam, præter quòd loquuntur pluraliter sicut & Latina litera,videlicet liberos dimittet eos pro oculo illorum . Habuerunt enim respectum tam ad seruum quàm ad ancillam.Sic & quod sequitur, Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ,similiter dimittet eos liberos, Hebraica & Chaldaica in singulari legunt, liberum dimittet eum pro dente eius. Septuaginta in plurali. Sed hæc parui sunt momenti. Admonet itaque lex moderaminis in verberando seruos, ne dominis omnia liceant iratis quæ volunt. Hæc est autem prudentissima lex. Nam quod non exigit à domino oculum pro oculo, sed libertatem serui, consulit saluti serui, & tamen non dimittit dominum impunem. Si enim I exigeret à domino oculum pro oculo,& non libertatem serui,vix vnquam posset inter dominum & seruū conuenire,præsertim si dominus admoneretur oculi sui propter seruum effossi.Duritiem autem seruitutis in populo suo forsitan ideo permisit clemētissimus deus, vt eum alacrem & gnauū faceret,vt animosi & fortes essent in propugnando patriā & libertatem,eóque libentiùs mortē oppeterent in prælio, quominus fœdę seruituti subderentur.Deinde ne dilapidarent & profunderent sua bona,& ne alieno ære sese constringerent,studerent parsimoniæ & frugalitati, quominus dederentur seruituti ob noxam.

*Mystice. Cap.47.* HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Considera legem Moysi, si intelligatur iuxta sensum carneum ludæorum, quomodo amara sit,effodiens oculum pro oculo, dentem pro dente, vide in Thamar fornicationem, & Osee iunctum fornicariæ,Hieremiæ περίζωμα,Moysi vxorem Aethiopissam, & interfectionem Aegyptij,& mille alia,quæ si intelligamus iuxta occidentem literam , & non iuxta spiritum viuificantem , amara sunt,& lectorem suum non tam ædificant quàm destruunt. ORIGENES. Nunc igitur ad ea quæ nobis K hîc scripta sunt,sermo vertendus est,vbi duo viri litigant,& percutiunt mulierem prægnantem,& ita percutiūt, vt exeat infans ex ea, vel formatus iam,vel nondum formatus. Primùm quidem videamus de eo qui nondum formatus exierit, quomodo iubetur damno pecuniæ percuti vnus ex his qui litigant, cùm ab scriptura culpa litis non ad vnum,sed ad vtrumque referatur. Quid etiam quòd vir mulieris indicit , vel imponit ei, & non eis? Et dabit,& non potiùs dabunt cum honore?Et quis iste est honor ? Quòd si infans iam formatus exierit,percussa à litigātibus viris prægnante muliere,animam dari pro anima facilè intelligimus,hoc est, vt morte vindicetur admissum. Quæ sequuntur autem operæprecium est explicare. Oculum pro oculo , dentem pro dente. Neque enim videtur esse possibile,vt infans quem percussa mulier abortierit, quamuis formatus exierit, intelligamus quòd viri litigantis calce percussus , oculum in ventre perdiderit,pro quo orbari oculo à iudicibus debeat.Sed pone sit & hoc,quia iam formatus refertur,quid & de dente dicemus?Nunquid in ventre matris dentes habuit, quos percutientis ictus excuteret ? Si verò hoc referamus ad eam quæ abortierit , quomodo rursus conueniet L vt abortiens mulier oculum perdat,aut dentes doleat? Sed pone quia percussa dicatur in oculo aut in dente, & inde causa abortus exorta sit,pone liuorem, pone vulnus acceperit,quid etiam dicemus combustura pro combustura? Nunquid litigantibus viris assistens mulier comburi potuit, vt combustura pro combustura soluatur? Quæ tamen singula videntur mihi nec in Deuteronomij quidem locis vbi similiter scripta referuntur, facilem habere exitum posse. Hæc autem à nobis dicta sunt,ostendere volentibus quòd in vtroque loco quæ scripta sunt,edisseri non facilè queant. Oportebat enim nos prius secundum historiam discutere quæ leguntur, & sic quoniam lex spiritalis est, spiritalem in his intelligentiam quærere.Verùm quantum ad præsens, etiam ipsa nobis allegoriæ pars, quæ semper patere latiùs solet,in angustū cogitur. Tamen prout possumus, quid nobis in hoc loco videatur, explanare tentabimus.Frequenter diximus, quòd in scripturis eisdem vocabulis,eisdémque officiis membra animæ nominentur, quibus vtuntur, vel appellantur corporis membra. Verbi causa, vt cùm dicitur, Vides festucam in oculo fratris tui, & ecce in oculo tuo trabes subiacet . Certum est enim quòd non de M oculo corporis dicat, in quo trabes iaceat, sed de oculo animæ. Et cùm dicit, Qui habet aures audiendi audiat, Et quàm specioſi pedes euangelizantium pacem,& multa his similia.Hæc autē idcirco præmisimus,vti ne super mēbrorū nos vocabulis similitudo conturbet.Sint ergo duo viri isti qui litigant,duo disputantes,& de dogmatibus vel quæstionibus legis secum inuicem conquirentes,&(vt Apostoli sermone dicamus) rixātes circa verborum pugnas.Vnde & idem Apostolus sciens inter fratres huiusmodi lites exurgere,præcipit & dicit,Noli verbis contendere,ad nihilū enim vtile est,nisi ad subuersionē audientiū.Et alibi,Quæstiones autē legis deuita,sciens & generant lites.Seruū autē dei nō oportet litigare. Quia ergo isti qui in quæstionibus litigant, ad subuersionē audientiū litigāt,idcirco percutiunt mulierē prægnantē,& eiiciunt infantē eius,vel formatum iam,vel nondū formatum.Mulier prægnans dicitur anima,quæ nuper dei concepit verbum. De tali autem conceptione legimus in alio loco scriptum,A timore tuo domine in vtero concepimus,& peperimus. Qui ergo concipiunt,& statim pariunt



A pariunt,isti nec mulieres existimandæ sunt, sed viri,& perfecti viri.Denique audi & Prophetam dicentem , Si peperit terra in vna die, & nata est gens de semel. Ista est generatio perfectorum, quæ statim sub die vt concepta fuerit, nascitur. Verùm ne tibi nouum videatur, quòd viros parere diximus, iamdudum præmisimus quo modo membrorū appellationē susciperе debeas, vt recedas à corporeis sensibus,& interioris hominis capias intellectū. Si autē vis vt adhuc & in hoc de scripturis tibi satisfaciā, audi Apostolū dicentē, Filioli mei,quos iterū parturio, donec Christus formetur in vobis. Perfecti ergo sunt & viri fortes, qui statim vt concipiunt pariunt, id est,qui conceptum fidei verbum in opera producunt.Anima autem quæ concepit, & in ventre retinet,& non parit,ista mulier appellatur, sicut & Propheta dicit, Dolores partus aduenerunt ei, & virtus pariendi non est in ea.Hæc ergo anima quæ nunc pro infirmitate sui mulier appellatur,duobus inter se litigantibus viris, & in certamine scandala proferentibus, quod habere semper verborum contentio solet, percutitur & scandalizatur,ita
B vt verbum fidei quod tenuiter conceperat, abiiciat & perdat. Et hæc est lis & contentio ad euersionem audientium. Si ergo nondum formatum anima quæ scandalizata est, abiecerit verbum,qui scandalizauerit,damnum dicitur pati.Vis scire quia est in aliquibus formatum verbum, in aliquibus nondum formatum ? Eūidenter nos docet Apostoli sermo, quem suprà memorauimus, cùm ait, Donec Christus formetur in vobis. Christus est autem verbum dei. Per quod ostendit, quia in eo tempore quo scribebat, nondum erat in illis formatum verbum dei. Si ergo nondum formatum exierit, damnum patietur. De damnis doctorum etiam Apostolus docet,cùm dicit,Si cuius autem opus arserit, damnum patietur, ipse autem saluus erit, tamen quasi per ignem. Sed & dominus in Euangeliis dicit, Quid enim prodest homini,si vniuersum mundum lucretur, animam verò suā perdat? aut damnum faciat? Vnde videtur ostendi,quòd quædam peccata ad damnum quidem pertineant,non tamen ad interitum, quia qui damnum passus fuerit, ipse tamē saluari dicitur, licet per ignē.Vnde credo & Ioannes Apostolus in Epistola sua dicit quædam esse peccata ad mortem,quædam non esse ad mortem. Quæ autem
C sint species peccatorū ad mortem, quæ verò non ad mortem sed ad damnum, non puto facilè à quoquam hominum posse discerni. Scriptum nanque est , Delicta quis intelligit? Veruntamen ex his quæ in Euangelio per parabolas referuntur, ex parte aliqua cognoscere possumus cuiusmodi sint ea quæ damna nominantur, cùm iterum videamus ad lucrum deputari quædam, quæ per negationem quæsita dicuntur.Verbi gratia cùm referuntur super quinque mnas acquisitæ esse alię quinque, vel super duas acquisitæ aliæ duæ. Aut cùm drachma vel denarius vel talentum ponitur,& quasi pecunia quædam in quæstu operum nominatur.Sed & cùm dicitur paterfamiliās ponere rationem cum suis seruis, & offertur ei vnus , qui debebat decem milia talenta . Talis ergo quędam ratio damni est,vt verbi gratia,qui pro mercede sua accepturus erat decem mnas,non accipiat decem, sed octo, vel sex, aut etiam minus: & hoc damno percuti dicitur is, qui causam scandali infirmiori & mulieri
D præbuit animæ. Dabit autem(inquit) secundum quod indixerit, vel imposuerit vir eius, & dabit cum honore. Animæ discentis vir magister Christus, qui omnium magister est, vel qui pro Christo Ecclesiæ præest doctor animarum. Ille ergo qui ad subuersionem audientium verbis contendit, patietur damnum pro anima illa, quæ nondum formatum abiecerit infantem. Quod potest fortè de scandalo catechumeni accipi nondum formati. Potest etiam fieri, vt rursum ipse qui læsit instruat, reparet , restituat animæ ea quæ perdidit , & hæc iam faciet cum honore,cū modestia, cū patientia, sicut Apostolus dicit, Cum mansuetudine corripientes eos qui resistunt veritati. Non cum lite, sicut prius, cùm scandalum intulit. Quòd si iam formatus fuerit infans, dabit animam pro anima. Formatus infans potest videri sermo dei in corde eius animæ, quæ gratiam baptismi consecuta est, vel quæ euidentiùs & clariùs verbum fidei concepit.Hæc ergo si nimia contentione doctorum percussa abiecerit verbum, & inuenta fuerit esse de illis, de quibus dicebat Apostolus, Iam enim quædam conuersæ sunt retro post Satanam, animam pro anima dabit. Vel in die iudicij accipiendum est apud eum iudicem qui potest animam & corpus perdere in gehennam.Quia & alibi dicit Propheta ad Hierusalem,Dedi commutationem tuam Aegyptum , Aethiopiam & Sidonem pro te . Vel certe potest fortasis etiam illud aptari, vt qui sibi conscius
E tanti scandali fuerit, ponat animam suam pro illius anima quem scandalizauerit,& vsque ad mortem det operam quomodo redeat, quomodo reparetur, quomodo restituatur ad fidem. Ponat etiam oculum pro oculo, si oculum læsit animæ, id est, intellectum eius turbauit, auferatur oculus ipsius ab eo, qui Ecclesiæ præest,& intellectus eius ille turbulentus & ferox, qui scandalum generat deferetur. Sed etsi dentem læsit auditoris, quo suscipiens cibum verbi dei, vel comminuere, vel molaribus terere solitus erat, vt subtilem ex his ad ventrē animæ transmitteret sensum, si hunc dentem ille vexauit & euulsit,vt contentione ipsius non posit anima subtiliter & spiritaliter suscipere verbum dei, auferatur dens eius, qui non bene scripturarum comminuit atque attriuit cibos.Fortasis enim propter hoc & alibi dicitur à domino,Dentes peccatorū cōtriuisti. Et alibi nihilominus scribitur, Qui manducat vuam acerbā,obstupescēt dentes eius.Et alibi,Molas leonū cōfregit dominus. Sic ergo per membra dicitur lædi anima & percuti,manum quoq; pro manu, & pedem pro pede deposcitur.Manus est animæ virtus, qua ipsa tenere aliquid & constringere potest, velut si dicamus actus eius, & fortitudo,& pes
F quo incedit ad bona vel mala. Quia ergo si scandalum patiatur anima, non solùm in fide, sed etiam in actibus deiicitur qui per manum significantur , & manus & pedes auferentur illius, qui offendiculum præbuit , manus quibus non bene operatur, & pedes quibus non bene incedit. Recipiet etiam combustura pro combustura, quia combusit & gehennæ tradidit animam . Per quæ singula ostenditur , vt iste percussor omnibus detruncatus membris, à corpore excidatur Ecclesiæ,vt cæteri(inquit) videntes,timorem habeant, & nō faciant similiter. Idcirco & Apostolus cū doctorem describit Ecclesiæ,inter cætera præcipit eum non esse percussorem, ne percutiēs prægnantes mulieres, animos insipientes, ponat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Tales sunt & illæ animæ quas etiam dominus in Euangelio deflet cùm dicit , Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, in quibus scandalizabuntur(si fieri potest) etiam electi . Sciendum tamen , quòd non est perfectorum scandalizari , sed aut mulierum, aut paruulorum , sicut & dominus in Euangelio dicit, Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis . Pusillus ergo est & minimus qui scandalizari potest. Spiritalis autem

diiudicat

diiudicat omnia,& omnia probat, & quòd bonum est continet, & ab omni se specie mala abstinet. Hæc prout G
nobis occurrere potuerunt,in præsenti capitulo diximus.Poscamus vera à domino,vt quæ perfecta sunt,ipse no
*Cap.21.* bis reuelare dignetur. AMBROSIVS SVPER LVCAM. Docuit itaque Moyses esse prægnantem,
quam si duo conculcauerint litigantes, abortiuum citò inducant. Et ideo bona fœmina litem fugiat, sequatur
pacem,vt partum possit absoluere,nec nouem mensium tempus expectet. Verbi partus non in temporis,sed di-
ligentiæ plenitudine est. Consummatus autem in breui iustus, impleuit tempora multa. At contra citò anima
imperfecta calcatur, & verbũ quod cõcepit amittit.Sed væ illi,qui scãdalizauerit vnũ de pusillis istis,væ illi qui
prægnantem calcauerit, nam si informe adhuc pignus excluserit, pecuniæ iactura est: si verò formatum, reddet
animam pro anima,oculum pro oculo,dentem pro dente,manum pro manu.Sed cur oculum aut manum,cùm
abortiuus & manum habeat, & oculum habeat, qui iam formatus excussus est.Vnde apparet pro eo modo,quo
nocuit vnumquemque damnãdum. Si enim catechumenum quis vel hæreticus vel schismaticus tanquam de H
vtero vel animæ vel Ecclesiæ parturientis excusserit, leuiùs punitur, si fidelem grauiùs. Et ideo cauendum, ne
*2.Tim.2.* cum talibus, litigando, Ecclesiam calces. Stultas enim pugnas, & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia
generant lites,quibus Ecclesia quasi parturiens, totius corporis conculcatione vexetur. Ergo citò reple ventrem
tuum, vt citiùs possis partum edere. Audi quomodo repleas,& quibus repleas. Ex fructibus(inquit) oris sui vir
*Prou.12.* implebit ventrem suum, fructibus autem labiorum suorum satiabitur. AVGVSTINVS IN QVAE-
*Quæst.80.* STIONIBVS SVPER EXODVM. Et mihi quoque videtur significationis alicuius causa di
ci hæc, magis quàm scripturã circa huiusmodi facta occupatam. Nam si illud attenderet, ne prægnans mulier
percussa in arbortum compelleretur,non poneret duos litigantes viros, cùm possit & ab vno hoc admitti, qui
cum ipsa muliere litigauerit, vel etiam non litigauerit, sed alienæ posteritati nocere volendo, id fecerit.

RABANVS. Mysticus ergo est intellectus, quòd si quis alicuius animam post conceptum semen verbi,
per incuriam vel fraudem læserit,ita vt vitale germen boni operis sanum proferre non possit, etiam si ipsa ad- I
huc in fide viuens perstiterit, percussor tamen vt damnum illatum per pœnitentiam restituat,secundum Euan-
gelij magisterium necesse habebit.Si autem ipsa anima per errorem necata, post prolatum abortiuum, hoc est,
opus mortiferũ, in infidelitate perseuerauerit, sine dubio seductor illius quasi verus homicida, æterna morte
reus erit. Sequitur. Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet liberos
pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. Hoc
est,si quis verò auditorem suum ad intuitum recti intellectus debilem fecerit,aut dẽtem discretionis per quem
subtiliter sententias scripturarum comminuens, ad pastum animæ redigere poterat, per proteruiam suam ex-
cusserit, bonum est ei, vt illi libertatem tribuat, alterius discipulatum subeundi, ne fortè pro eius animæ inte-
ritu,cùm sibi iniustam obedientiam impendere exigat,ipse pro hoc pœnas gehennæ luere cogatur.

4 *Si bos cornu percusserit uirum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comeden-* K
*tur carnes eius, dominúsque bouis innocens erit.Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius,*
*& contestati sunt dominum eius,nec recluserit eum,occideritque uirum aut mulierem, & bos lapidibus*
*obruetur,& dominum illius occident. Quòd si pretium ei fuerit impositum,dabit pro anima sua quicquid fuerit*
*postulatus.Filium quoq; & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. Si seruum ancillamque inua-*
*serit, triginta siclos argenti dabit domino,bos uerò lapidibus opprimetur.Si quis aperuerit cisternam,& fode-*
*rit,& non operuerit eam,ceciderítque bos uel asinus in eam, reddet dominus cisternæ, pretium iumentorum, quod*
*autem mortuum est, ipsius erit.Si bos alicuius bouem alterius uulnerauerit, & ille mortuus fuerit, uendent bo-*
*uem uiuum, & diuident pretium, cadauer autem mortui inter se dispertient. Si autem sciebat quòd bos cor-*
*rupeta. esset ab heri & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus, reddet bouem pro boue, & cada-* L
*uer integrum accipiet.*

4 AVCTOR CATENAE. Ex hac decima lege videre licet quanto odio prosequatur deus homici-
dia, vt ea nec in brutis inulta esse velit. *Si bos* (inquit) *Cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus*
*obruetur, & non comedentur carnes eius, dominúsque bouis innocens erit.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS
*Locut.94.* SVPER EXODVM. Septuaginta habent λίθοις λιθωθολιθήσεται ὁ ταῦρος, id est, lapidibus lapidabitur
taurus, quasi posset lapidari nisi lapidibus. Differt aliquid ista locutio ab illa qua diceret more scripturarum,
*Quæst. 81.* lapidatione lapidabitur, sed tamen similis est. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER
EXODVM. Ad iustitiam autem pertinet, vt animal hominibus noxium perimatur. Et quod de tauro posi-
tum est, à parte totum intelligendum est, quicquid de pecoribus vsu humano subditum, infestum est homi-
nibus. Sed si necesse est occidi, nunquid lapidari? Quid interest enim, animal quod auferendum est, qua mor- M
te auferatur? Deinde quod addit carnibus eius non esse vescendum, quò pertinet, nisi omnia ista significent
aliud, quod scriptura maximè solet intueri? CAIETANVS. Sed & quòd in detestationem & horro-
rem facti statuantur hæc circa animalia, dicere possumus. AVCTOR CATENAE. Lapidibus obruetur. Idem est in Hebræo סָקוֹל יִסָּקֵל הַשּׁוֹר Sakol isakel hasor, Lapidatione vel lapidando lapidabitur bos.He-
braismus. Dominus quoque bouis innocens erit,id est,habebitur pro insonte,& absoluetur.Homicidij itaq; cru
delitas obnoxia fit morti diuino iudicio,etiam in bestiis carentibus ratione, ad exemplum hominibus statuen-
dum, quò discant mansuetudinem,& temperare ab ira & effusione innoxij sanguinis, vt docemur etiam in Ge-
nesi.Latiùs enim exponenda hæc lex est,de rabido cane,& equo calcitroso,& omni pecore quod nocet. Vetatur
autem caro edi in execrationẽ facti,ne & ipsi efferi reddantur & atroces. Eatenus enim domino inuisum est ho-
micidium,vt nec bestiæ homicidæ carnes nobis permittat edẽdas,tantũ abesse à nobis debet omnis crudelitas
& atrocitas



A & atrocitas. Innocens autem erit dominus bouis nec veniet iure damnandus vel accusandus ad restitutionem
damni illati. Verùm obserua quòd neglectori & cessatori imputetur id peccatum quod negligentia ipsius ab
alio designatum est. *Quòd si bos* (inquit) *cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius,& contestati sunt dominum eius, nec recluserit*
*eum, occideríque virum aut mulierem,& bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident. Quòd si pretium ei fuerit impositum, dabit*
*pro anima sua quicquid fuerit postulatus.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. *Locut. 95.*
Ante hesternam & nudiustertianam diem,pro tempore præterito posuit,partem pro toto,quantumcunque il
lud fuisset more scripturarum. THOMAS. Animalia bruta mandabãtur occidi non propter aliquã ipso- *1.2. q. 105.*
rum culpam,sed in pœnam dominorũ qui talia animalia non custodierant ab huiusmodi peccatis, & ideo ma- *ar.2.ad.11.*
gis puniebatur dominus,si bos cornupeta fuerat ab heri & nudiustertius (in quo casu poterat occurri periculo)
quàm si subitò cornupeta efficeretur.Vel occidebantur animalia in detestationem peccati, & ne ex eorum aspe-
B ctu aliquis horror hominibus incuteretur. CAIETANVS. Quòd si pretiũ fuerit ei impositum. Tacendo
à quo,insinuatur à iudice,concedit enim lex quòd possit iudex decernere vt dominus bouis cornupetæ qui ne-
gligens fuit,redimat vitam suam pretio.Dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.Iuxta Hebræum habe-
tur,Fuerit positum super eum. Nulla mentio fit postulationis. AVCTOR CATENAE. Et cõtestati sunt
dominum eius. Idem dicitur Hebraicè וְהוּעַד בְּבְעָלָיו Vehuhad bibhalaf, Et testibus adhibitis denunciatum
fuerit domino eius,Vel admonitúsque fuerit dominus eius testibus adhibitis.Chaldaica & Septuaginta vt apud
nos. Et non recluserit eum.Verbum וְלֹא יִשְׁמְרֶנּוּ Ismerénnu, Et non custodierit vel seruauerit eum, redditur com-
muniter, sed Interpres respectum habuit ad modum custodiæ, videlicet per reclusionem. Et dominũ eius occi-
dent.Nihil aliud Hebraica continent, וְגַם בְּעָלָיו יוּמָת Vegam behalaf iumath,Etiam dominus eius interficietur
scilicet sententia iudicum.Dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.Iuxta Hebræum legitur וְנָתַן פִּדְיוֹן נַפְשׁוֹ
כְּכֹל אֲשֶׁר יוּשַׁת עָלָיו Venathan pidion naphso checol asher iusath halaf, Et dabit redẽptione animæ suæ quic-
C quid fuerit impositum super eum. Vel dabit redemptionem animæ suæ iuxta omne quod impositum fuerit ei,
id est, si habeat à iudicibus potestatem redimendi se, tunc pro redemptione vitæ suæ dabit viro quantum im-
peratum fuerit. Chaldaica,Dabit redemptionem animæ suæ, iuxta omnia quæ imposuerint super eum.Septua-
ginta etiam, δ῾σσα λύτρα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ὅσα ἂν ἐπιβάλωσιν αὐτῷ, id est, Dabit pretium redemptionis animæ suæ
quæcunque imposuerint ei,subintelligitur iusti iudices. Nec pugnat iste locus contra illum vbi dicitur, Nó ac-
cipies pretiũ redẽptionis ab homicida, quia ibi loquitur scriptura de homicida voluntario, hîc verò de eo pro-
pter cuius negligentiam homo interiit, cùm bouem ligare & recludere debuerit. Multa igitur cura præcipitur
& docetur adhibenda iumentis,ne proximis dãno sint,multo magis familiæ reliquæ & maioribus.Vicini enim
mutuis beneficiis certare debent & auxilio, non inferre damna vel lædere. Præmonendi diligenter sunt patres-
familiâs, ne eis etiam insciis familia noceat vicinis. Et non antea,& leui causa repetenda dãna, dicente scriptu-
ra,vt cõtestetur dñs iumenti prius,& admoneatur periculi,si fortè ignoret cornupetã bouem, & recludendũ nõ
D putet.Quòd si admonitus,negligens tamẽ fuerit,tunc demũ illati dãni reus erit.Verũ si pretiũ pro recuperatione
vitæ ei taxatũ fuerit,illud dabit,& se redimere poterit.Dabit autẽ(inquit)pro anima sua quicquid fuerit postu-
latus,id est, ab aduersariis,præuia tamen nõ iniqui iudicis moderatione.Qui enim morti obnoxius est,nihil de-
bet recusare,nullã conditionem renuere,vt viuus maneat, quàm enim cõmutationem dabit homo pro anima
suæ?Memorabilis lex,è qua discendũ est quòd deus imputet peccata filiorum parentibus,& subditorũ magistra-
tibus,si negligentia & cessatione parentũ ac magistratuũ cessatum fuerit. Exempla habes in Heli,primo Regum
IIII.Item in Achab, tertio Regum, XX. *Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit.* HVGO
DE SANCTO VICTORE. Filium quoque & filiam non intelligas illius cuius est bos,sed alterius,quod
apparet per hoc quòd subiungit de seruo AVCTOR CATENAE. Simili sententiæ subiacebit. Idẽ di-
citur in sententia Hebraicè,כְּמִשְׁפַּט הַזֶּה יֵעָשֶׂה לוֹ Camispat haze iehase lo,Iuxta iudicium hoc fiet ei.Sic & Chal-
daica & Septuaginta.Similiter(inquit)plectetur dominus bestiæ si vicini vel alterius filium vel filiã quantum-
E cunque sint paruuli occiderit. *Si seruum ancillámque inuaserit, triginta siclos argenti dabit domino, bos verò lapidibus op-*
*primetur.* CAIETANVS. Occisis personis liberis à cornupeta ex negligentia domini, pœna statuitur arbi-
traria:occisis autem seruis, quantitatis pœnæ ab ipsa lege diffinitur. AVCTOR CATENAE. Si seruũ
ancillámque inuaserit (subaudi bos cornupeta,vt est in Hebræo) vel offenderit aut percusserit. Est enim ver-
bum נָגַח Iggach,quod Chaldaica & Septuaginta,cornu percusserit reddiderunt, & toties suprà Interpres no-
ster. Iterum grauis & dura lex contra seruos, vt cura libertatis maior vigeret in populo dei, ne seruirent pecca-
tis,vnde recidere illos contingat in conditionem seruilem inter homines. De siclo argenti videantur scripto-
res. Hebræis à ponderando, pondus dicitur siclus, quod quantum sit, vel tunc fuerit, alibi ostensum est. Quod
autẽ in nostra editione dicitur siclus,Septuaginta didrachma posuerũt.Aiunt præterea Hebræi,quod dicitur de
impetitione bouis cornupetæ intelligendũ etiam si calcitratione, morsu,vel alio consimili occiderit modo, sed
de solo cornu locutam scripturam, vtpote quæ his quæ communiùs accidunt, aptatur magis. *Si quis aperue-*
F *rit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, ceciderítque bos vel asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum,*
*quod autem mortuum est, ipsius erit.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER *Locut.96.*
EXODVM. Iuxta Septuaginta,Si quis autem aperuerit cisternam, aut exciderit cisternam, & non ope-
ruerit, & ceciderit illuc vitulus aut asinus, dominus cisternæ reddet. Et hæc locutio à parte totum intel-
ligenda est. Non enim si equus ceciderit in cisternam, aut ouis, ideo non reddet, quia hoc scriptum non *Locut.97.*
est. Quod autem mortuum (inquit) fuerit, ipsi erit, pro ipsius erit. AVCTOR CATENAE. Si
quis aperuerit cisternam vel foueam, vt reddunt alij dictionem בּוֹר Bor, quæ scilicet priùs fuit facta & oper-
ta, sed quam quis incautè denuo discooperit. Et foderit, Hebraicè est אוֹ כִּי יִכְרֶה אִישׁ בֹּר O chi ichre is bor,
Aut si foderit quispiam cisternam vel foueam. Chaldaica, Aut quando aliquis vir foderit cisternam. Qui-
busquidem verbis duos comprehendit actus circa cisternam, alterum iam factæ apertionis, alterum fiendæ
effosionis, quorum vtroque super ostium non posuerit dominus operculum. Et ita etiam intellige in vulgata
editione

editione, Aperuerit & foderit, hoc eſt, vel aperuerit vel effoderit. Reddet dominus ciſternæ pretium iumento- G
rum. Doctè in vnũ coëgit Interpres quod verbis lõgioribus poſitũ eſt in Hebræo videlicet בַּעַל הַבּוֹר יְשַׁלֵּם כֶּסֶף
יָשִׁיב לִבְעָלָיו Bahal habor ieſalem, chéſeph iaſib libhalaf, Dominus ciſternæ damnum reſarciet, ſiue compenſa-
tionem faciet, aut rependet argentum, vel pecuniam reddet domino eius. Sic & Septuaginta. Chaldaica, Domi-
nus ciſternæ ſoluet argentum quod reddet domino eius. Quæ omnia idem dicunt cũ litera noſtra. Docetur au-
tem hîc ſolicita obſeruatio, ne lædatur quoquo modo proximus in perſona & rebus. Ideo pericula diligẽter præ-
cauenda vndique, circunſpectio & prouidentia commendatur in rebus omnibus. Aequitas naturalis inter ci-
ues & curanda indemnitas proximorum, quod ſi imprudentes læſerimus, amicè compenſemus damnum aliis,
vti vellemus nobis fieri. *Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & divi-*
*dent pretium, cadauer autem mortui inter ſe diſpertient.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER
*Quæſt.82.* EXODVM. Nunquid in ſolo tauro (ſic enim habet alia litera) hæc iuſtificatio ſeruanda eſt, & non de omni H
pecore in tali caſu? Proinde à parte totum & hoc intelligendum eſt, ſed hoc de carnibus occiſi pecoris fieri non
poteſt, quæ non veſcuntur. CAIETANVS. Nota quòd dicendo, ſi bos percuſſerit bouem, æqualitatem
animalium inſinuauit, & propterea non dixit vitulum aut agnum percuſſum. Et æqualitate inter percutiẽtem &
percuſſum ſuppoſita, ſtatuitur diuidendum tam pretium viui quàm mortuus bos, nam ſi inæqualitas eſſet (puta
quòd mortuum animal parum valeret) non eſſet æquis portionibus facienda diuiſio, ſed ad æquitatem reducen-
da. AVCTOR CATENAE. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit. Hebraicum & Chaldaica ha-
bent, Quando autem percuſſerit bos viri bouem proximi ſui. Sed idem eſt. Satis igitur patet æquitas legis v-
trinque in diuidendo occiſo boue vel iumento, iuxta iudicium boni viri, item in vendendo ſuperſtite, &
pretio diuidendo. *Si autem ſciebat quòd bos cornupeta eſſet ab heri & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum dominus ſuus, red-*
*det bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.* Si autem ſciebat. Hebraicè eſt, אִם נוֹדָע O nodaha, Si autem no-
tum vel manifeſtum aut agnitum erat vel fuerit. Sed hoc parum eſt. Addunt autem hîc Septuaginta, καὶ I
διαμεμαρτυρημένοι ὦσι τῷ κυρίῳ αὐτοῦ, Et conteſtati fuerint domino eius, ſicut & in principio huius legis cautum
eſt. Quod ratione quidem poſitum videtur, vt pro negligentia ſua dominus qui ſciuit bouem ſuum eſſe cor-
nupetam, & illi proteſtatum fuit, nec tamen incluſit, non dimidiatum, ſed integrum pro boue occiſo viuum
bouem, aut eius pretium ſoluere compellatur. Et cadauer integrum accipiet. Idem dicitur Hebraicè, וְהֻמַת יִהְיֶה
לוֹ Vehameth ihie lo, Et mortuus erit ipſius: Vel, mortuus autem illius erit cuius bos interfecit illũ bouem. Vi-
des iterum in hac lege, quanta ſollicitudine deus exigat, ne quid damni proximus noſtra ignauia patiatur. A-
deòque hæ leges quid aliud ſunt, quàm explicatio huius, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? Et, Quæcunq;
vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.

*Myſticè.* RABANVS. Et hæc quidem ſecundum literam dicta ſint. Cæterùm ſecundum altiorem intelligentiam,
bouis nomine contumax diſcipulus denotari poteſt, qui per factum ſuperbiæ laniat, & reliqua pecora gre-
gis dominici infeſtat. Talis ergo ſi inſcio magiſtro aliquem virum aut fœminam, hoc eſt, quemlibet for- K
tem aut infirmum, cornu proteruiæ ſuæ perfoderit, & eis mortem animæ intulerit, lapidibus duræ ſen-
tentiæ obruatur, & non comedantur carnes eius, hoc eſt, non imitentur actus eius. Dominus autem bouis il-
lius ita innocens eſſe probabitur, ſi neque conſenſu neque conſilio fouebat actum illius, quia (dicente domi-
*Ezech.18.* no) Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, & iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. Si
autem magiſter & doctor tales diſcipuli mores ſciebat, & à ſcripturis ſacris ſæpe conteſtatus, curam infeſti pe-
coris habere negligebat, iam actus illius particeps factus, pœnæ illius vtique meritò particeps erit, quia ſecun-
*Rom.1.* dum Apoſtolum, non ſolùm qui malefaciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte. Quod
ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quicquid fuerit poſtulatus. Eleemoſynis vtique & dignis
pœnitentiæ fructibus, à perpetua morte ſe feſtinet liberare. Filium quoque & filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili
ſententiæ ſubiacebit. In filij vel filiæ nomine, quem congruentiùs poſſumus accipere, quàm bonum auditorem,
quia ea quæ ſunt dei diligenter diſcere, atque operibus exercere ſtudet, & hoc pro vitæ æternæ deſiderio? Hunc L
quoque qui percuſſerit, homicidæ iudicio mulctandus erit. Quod autem ſequitur, ſi ſeruum ancillámque in-
uaſerit, triginta ſiclos argenti dabit domino, bos verò lapidibus opprimetur. Quis verò ſeruus vel ancilla me-
lius intelligi poteſt, quàm ille qui in domo Eccleſiæ exiſtens, præſentia tantùm diligit, & ob eorum quæſtum, la-
borem totum impendit? qui nondum in filiorum numero meruit adſcribi, quia hæreditatem cœleſtis patriæ
quærere neglexit? Huic quoque ſi ille ſuperbus cornupeta in rebus quas diligit, aliquid incommodi intulerit, &
eum in hoc contriſtauerit, prouiſor ipſius, damnum illatum iuſta emendatione ſecundum legis mandata per ſi
dem, ſpem & charitatem emendare debet, necnon & auctorem ſceleris duris diſciplinis corripere, qui contra id
quod ſcriptum eſt, Neminem concutiatis, neminem noceatis, procaciter egit. Et iterum, Quod tibi non vis fieri,
alteri ne feceris. Poteſt & aliter iſta ſentẽtia intelligi, vt ſignificatione bouis cornupetę, ſuperbum animi motum
accipiamus, quem ſi dominus ſuus, hoc eſt, ſpiritus qui rectè debuit in homine principari, non cõſtringit, & pro-
pter viam ſuam ſpiritualiter animalibus facit interitum, vel corporibus ingerit incommodum, reatus ſceleris M
*Prouer.4.* redundat in auctorem ſimul & cuſtodem illius, qui eum prohibere debuit, & non fecit. Vnde ſcriptura dicit, O-
*Prou.16.* mni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita ſeu mors procedit. Et item, Cor hominis diſponit viam ſuam.
*Ibidem.* Et item, Cor ſapientis erudiet os eius, & labiis illius addet gratiam. Et alibi, De fructu (inquit) oris viri replebi-
tur venter eius, & genimina labiorũ eius ſaturabunt eum. Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operue-
rit eam, ecciderítque bos vel aſinus in eam, dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum, & cætera. GRE-
*Cap.13.* GORIVS XVII. MORALIVM. Quid eſt aperire ciſternã, niſi intellectu valido ſcripturæ ſacræ arcã pe-
netrare? Quid autem per bouem & aſinum, mundũ ſcilicet & immundũ animal, niſi fidelis quiſq; & infidelis ac-
cipitur? Qui ergo ciſternã fodit cooperiat, ne illuc bos vel aſinus ruat, id eſt, qui in ſacro eloquio iam alta intel-
ligit, ſublimes ſenſus coram non capientibus per ſilentium tegat, ne per ſcandalum mentis aut fidelem paruu-
lum, aut infidelem qui credere potuiſſet, interimat. Ex morte enim iumentorum debet pretium, quia illud ſci-
licet



A licet admiſiſſe conuincitur, vnde ad agendam pœnitentiam reus tenetur. Quiſquis nãque ad alta ſcientiæ fluen
ta perueniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contexerit, pœnæ reus addicitur, ſi per verba eius in
ſcandalum, ſiue munda, ſeu mens immunda capiatur. Operienda eſt itaque ciſterna, quia coram paruulis menti-
bus tegenda eſt alta ſcientia, ne vnde cor docentium ad ſumma attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima di
labatur. THOMAS. Sed & aliter. Duplex eſt occaſio, ſcilicet data & ſumpta. Tunc quidem dat aliquis oc- *Quodlibet.*
caſionem alicui ruendi, quod eſt in ciſternam cadere, quando facit aliquid, vel dicit minus rectũ, ex quo datur *4.ar.23.ad*
proximo occaſio ruinæ, & tunc ruina proximi imputatur danti occaſionẽ. Aliquando autẽ non eſt occaſio data *3.*
ſed ſumpta, puta cũ aliquis inducit aliquẽ ad bonum, & ipſe ex hoc fit deterior, non eſt relinquenda monitio bo
na, propter hoc ille ſumit inde occaſionẽ ruinæ. Vnde & dominus nõ dimiſit prædicationẽ veritatis propter ſcã
dalum Phariſæorũ, vt habetur Matthæi 15. Et Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Bonifaciũ, vt habetur 23.q. 4. Ipſa
B pietas, & infra. Quòd ſi plurimi eſſent in domo ruitura, & inde ſaltem vnus liberari poſſet, atque id quia facere
conaremur, alij ſemetipſos præcipitatione vetarent, doleremus de cæteris, verũ de vnius ſaltẽ ſalute cõſolare-
mur. RABANVS. Si bos alienus bouẽ alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuũ,
& diuident pretiũ, cadauer autem mortuũ inter ſe diſpertient, & cætera. Typicè ſi quis ſub iugo diſciplinæ con-
ſtitutus, ſocium ſuum in agricultura domini ſimiliter laborantẽ, aliquo peccati vulnere letaliter ſauciauerit, vn
de & ipſe in anima moriatur cuſtos, illius vendat bouem viuũ, hoc eſt, redigat ſub pœnitentiam facinoroſum,
ſecundum illud Apoſtoli, Tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus ſit
in die domini. Et diuident pretium cuſtodes vtriuſque pecoris, hoc eſt, ſatis ſibi faciant in pœnitentia delin-
quentis. Cadauer autẽ mortuũ, inter ſe ſimiliter diſpertiant, cũ pro ſcelere facto, vterq; pœnitenti cõdoleat, iuxta
Pauli vocẽ, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Qui autem iniurioſum di *1.Cor.11.*
ſcipulum ſciebat, & eum quantum potuit, compeſcere non curauit, cõmiſſum ſcelus in reatũ propriũ conuertit.
C

## IN EXODI CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM, ARGVMENTVM.

*Furti damniq, illati pœna, depoſiti, commodati atque ſtupri lex. Malefici, cocuntis cum iumento, & idolatræ ſupplicium. Aduenæ, viduæ, & pupillo nocentium pœnæ. Mutui, Vſuræ, & pignoris lex, ac obedientiæ & decimarum.*

## CAPVT XXII.

D *SI quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit uel uendiderit, quinq; boues pro uno bo- Lectio 1.*
*ue reſtituet, & quatuor oues pro una oue. Si effringens fur domum ſiue ſuffodiens fuerit*
*inuentus, & accepto uulnere mortuus fuerit, percuſſor nõ erit reus ſanguinis. Quòd ſi or-*
*to ſole hoc fecerit, homicidiũ perpetrauit, & ipſe morietur. Si non habuerit quod pro fur*
*to reddat, ipſe uenundabitur. Si inuentum fuerit apud eum quod furatus eſt uiuens, ſiue bos*
*ſiue aſinus, ſiue ouis, duplum reſtituet. Si læſerit quiſpiam agrum uel uineam, & dimiſerit*
*iumentum ſuum ut depaſcatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro ſuo uel in uinea,*
*pro damni æſtimatione reſtituet. Si egreſſus ignis inuenerit ſpicas, & comprehenderit aceruos frugum, ſiue*
*ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit.*

AVCTOR CATENAE. De externo & corporali furti ſupplicio variatum eſt apud omnes penè *Lectio 1.*
gentes. Nam lex Moyſi, vt hoc loco habes, condemnat manifeſtum furem ouis, quadruplo, bouis autem quin-
tuplo. Vnde Zachæus in Euangelio dicit, ſe quadruplum redditurum, ſi quem defraudauerit. Quãquam autem
vltimum ſupplicium furibus inferẽdum vt paſsim fit noſtro tempore, videatur eſſe crudelius quàm deus in le-
E ge Moyſi ordinauit, lex tamen Moyſi non pertinet ad politiam noſtram, & ſupplicia externa poſſunt à magiſtra-
tu bona conſcientia augeri, ſi ratio temporis, feritas gentis, & aliæ circunſtantiæ delicti id exegerint. Magiſtra-
tus enim dei miniſter eſt, vltor ad iram ei, qui quod malum eſt, fecerit. Sed videamus nunc quid dicat dominus
ad Moyſen. *Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues*
*pro vna oue.* STRABVS. Secundũ literam quinq; boues pro vno boue, & quatuor oues pro vna oue reddũtur,
quia bos quinq; vtilitates habet, ouis quatuor. Bos enim immolatur, arat, paſcit, lac dat, coriũ etiã diuerſis vſib⁹
miniſtrat. Ouis verò immolatur & paſcit, lac & lanam tribuit. THEODORETVS. Quinq; boues p vno, &
quatuor oues pro vna reſtitui iubet, quia peccata maiora maiori mulcta pœnáq; digniora ſunt. Vnde & Dñs ait,
Cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo. THOMAS. Meritum importat quandam æqualitatem *3.1.q.49.*
iuſtitiæ, vnde & Apoſtolus dicit Romanorum quarto, Quòd ei qui operatur, merces imputatur ſecundum *ar.6.in cor.*
debitum. Cùm autem aliquis ex ſua iniuſta voluntate ſibi attribuit pluſquàm ſibi debeatur, iuſtum eſt vt di-
F minuatur etiam quãtum ad id quod ſibi debebatur: ſicut cùm furatur quis vnam ouem, reddet quatuor, vt di-
citur Exodi vigeſimo ſecundo. Et hoc dicitur mereri: inquantum per hoc punitur eius iniqua voluntas. Ita etiã
cùm aliquis ſibi ex iuſta voluntate ſubtrahit quod debebat habere, meretur vt ſibi amplius aliquid ſuperadda-
tur, quaſi merces iuſtæ voluntatis. IDEM. Sciendum quòd non ſolùm propter grauitatem culpæ, ſed e- *1.2. q. 105.*
tiam propter alias cauſas grauis pœna infligitur. Primò quidem, propter quantitatem peccati: quia maiori pec- *ar.2. ad.9.*
cato cæteris paribus pœna grauior debetur. Secundò propter peccati cõſuetudinẽ: quia à peccatis conſuetis non
faciliter homines abſtrahuntur niſi per graues pœnas. Tertiò, propter multam concupiſcentiã vel delectationẽ
in peccato: ab his enim de facili homines nõ abſtrahũtur niſi propter graues pœnas. Quartò, propter facilitatẽ cõ
mittendi peccatum, & iacendi in ipſo: huſuſmodi enim peccata quando manifeſtantur, ſunt magis punienda ad
aliorum terrorem. Circa ipſam etiam quantitatem peccati quadruplex gradus eſt attendendus, etiam circa vnũ
& idem factum. Quorum primus eſt, quando inuoluntarius peccatum committit, tunc enim ſi omnino eſt in-

uoluntarius

uoluntarius, totaliter excusatur à pœna. Dicitur enim Deuteronomij vigesimo, quòd puella quæ opprimitur in G agro, non est rea mortis: quia clamauit, & nullus affuit qui liberaret eã. Si verò aliquo modo fuerit voluntarius, sed tamen ex infirmitate peccat (puta cùm quis peccat ex passione) minuitur peccatum, & pœna secundũ veritatem iudicij diminui debet: nisi fortè propter cõmunem vtilitatem pœna aggrauetur ad abstrahendum homines ab huiusmodi peccatis, sicut dictum est. Secũdus gradus est, quãdo quis per ignorantiã peccauit, & tunc aliquomodo reus reputabatur propter negligentiã addiscendi, sed tamen non puniebatur per iudices, sed expiabat peccatũ suũ per sacrificia. Vnde dicitur Leuitici quarto, Anima quę peccauerit per ignorantiã, & cætera. Sed hoc intelligendũ est de ignorantia facti, non autẽ de ignorãtia præcepti domini, quod omnes scire tenebãtur. Tertius gradus est, quando aliquis ex superbia peccabat, id est, ex certa electione, vel ex certa malitia, & tunc puniebatur secundũ quantitatẽ delicti. Quartus autẽ gradus est, quando peccabat per proteruiam & pertinaciã, & tunc quasi rebellis & destructor ordinationis legis omnino occidendus erat. Secundũ hoc dicendũ est, quòd in pœna furti H considerabatur secundũ legẽ id quod frequenter accidere poterat, & ideo pro furto aliarũ rerũ quæ de facili custodiri possunt à furibus, non reddebat fur nisi duplũ. Oues autẽ non de facili possunt custodiri à furto, quia pascuntur in agris: & ideo frequentiùs contingebat, quòd oues furto subtraherentur. Vnde lex maiorem pœnã apposuit, vt scilicet quatuor oues pro vna oue redderentur. Adhuc autẽ boues difficiliùs custodiũtur, quia habentur in agris, & non ita pascuntur gregatim sicut oues, & ideo adhuc hîc maiorẽ pœnã appositit: vt scilicet quinq; boues pro vno boue redderentur, & hoc dico, nisi fortè idem animal inuentũ fuerit viuens apud eum, quia tunc solum duplum restituebat sicut & in cæteris furtis: poterat enim haberi præsumptio, quòd cogitaret restituere, ex quo viuum seruasset. Vel potest dici secundum glossam, quòd bos habet quinq; vtilitates: & ideo pro vno boue quinque boues reddebãtur. Ouis etiã quia habet quatuor vtilitates, ideo pro vna quatuor reddebãtur. CHRYSOSTOMVS IN PSALMVM QVINQVAGESIMVM. Iuxta hoc decretũ & rex Dauid ad sermonem Nathan Prophetæ respondit, Viuit dominus, quoniã filius mortis est vir qui fecit hoc: ouem reddet in quadruplum, & ipse gladio punietur. O iudicis supereffluentẽ iustitiã, non enim erat illa amoris & vmbra suspicionis, vt iustè non diceret. Iubet quidẽ in quadruplũ secundũ legẽ restitui. Lex enim præcepit furãtem quadruplici restitutione vinciri, iste autẽ & legem est prætergressus: iubet quippe & ipsum interimi: & in quadruplũ obnoxiũ detineri promisit, itaque sententiã & iudicium elimatum. CAIETANVS. Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, lege aut agnum. Et occiderit vel vendiderit. De occisione in macello loquitur litera Hebraica, & intendit, siue vendiderit animal viuum, siue occiderit comedendũ. Et exigit hæc lex duas conditiones, videlicet furtum & venditionem seu iugulationem, alioquin non est locus pœnæ huius legis. Et appellatione bouis & agni, intellige omnia animalia tã magna quàm parua: Lex enim similia omnia cõprehendit, alioquin oporteret multiplicare leges iuxta numerum rerum. Et scito quòd ista lex de furto, est iuxta textum Hebraicum vna, distincta in quinq; partes, quarum prima tractat de fure consummato, qui furatus est & vendidit: secunda de fure inuento nocte in furando, tertia de eodẽ inuento die, quarta de fure carente vnde reddat, & quinta de fure apud quẽ inK uenitur res furto ablata. Quinque boues pro vno boue restituet. Magnitudo pœnæ cum differentia subiuncta inferius, quòd si bos inuentus fuerit apud furem, duplum duntaxat restituet, cogit ad inuestigandum rationem tantæ pœnę. Et est ratio, quia vendens aut iugulans bouẽ, tollit & à se facultatem restituendi idem, ad quod realiter tenetur, & à domino facultatem inueniendi animal suum, nam verisimile est quòd vendet distrahendo, vt non facilè inueniatur à domino. Quia itaque furto accumulauit has impotentias, tam grandi pœna punitur. Et quatuor oues pro vna oue. Disparitatis istius (quòd pro boue quinq;, pro agno verò quatuor restituuntur) ratio est, quia maius crimen non solũ æquali proportionaliter pœna, sed etiã plus est puniendũ. Punirentur enim æqualiter secundũ proportionẽ, si quadruplum vtrobiq; restitueretur, punitur autem plusquàm proportionaliter fur bouis quã fur agni, restituẽdo quinq; boues pro vno, ne quis audeat maiora crimina attentare. Hæc intellige secũdum cõmunem lectionem, secus autem si Hebraica verba pensentur, nam Hebraicè & Chaldaicè habetur, Et quatuor oues pro agno. Iuxta hoc enim plus proportionabiliter punitur fur agni q̃ fur bouis, quia pluris sunt L quatuor oues, quàm quinque agni. Et ratio maioris pœnæ, est maior pronitas ad furandum agnum quàm bouem, ne passim itaque aut facilè furtum agni & similium committeretur, maior adiecta est pœna. AVCTOR CATENAE. Si quis furatus fuerit bouẽ aut ouem, & cætera. Scito dictionẽ שֶׂה Se Hebraicam, & pro agno & pro oue & pro pecore poni. Et hinc factum, quòd ouem aliqui, agnũ alij, nõnulli pecus trãstulerint. Furtũ igitur punitur redditione taxata lege, nõ morte vel furca. Et quia nihil ferè nõ prodest hominibus eorum quæ duo hęc proferunt animalia, propter magnitudinẽ damni magna etiã taxatur pœna. An quia animalia hæc passim in cãpis pascuntur, facilis corũ est ablatio? Vt ergo facilitatem & pronitatem reprimat animalia proximi furto auferendi, seueram taxat pro huiusmodi furtis pœnam. Sed quare iubentur reddi quinque boues, & tantùm quatuor oues? Respondẽt quidam Hebræi, quòd bos cũ multo maior sit oue, non posit facilè abscondi & abduci, nisi à fure furtis assueto. Alij, quòd interim dominus bouis labore eius in agri cultura fuerit destitutus, damnum hîc per quintum bouem sarcitur. Ouis autem nomine, pecus domesticũ dicunt intelligi, agni & capræ. Sicut verò quæM dam leges de seruitute præscriptæ, graues & duræ nobis videntur, sic Iudæis secularis nostra omnino dura videtur de furibus suspendẽdis in malã crucem. Et quia suprà dictũ est, iubente deo, nihil proximi esse concupiscendum, & alio loco diligendum esse proximum, ideo quæ hîc ponuntur, primũ contra legem dei sunt, deinde contra tranquillitatem Reipublicæ, ob quam conseruandã constitutæ sunt hæ pœne ciuiles: quatenus verò contra deum sunt, alia indigent expiatione, Christi scilicet. Non est igitur sentiendum, quòd fur eo solo quòd laqueo suspendatur, expiet peccatum suum coram deo. Nullum enim humanum supplicium potest pro peccatis in iudicio dei satisfacere, sed sola mors Christi. Sed expiat eo supplicio temporales pœnas quæ remissa culpa & reatu pœnę æternæ secundum dei iustitiam remanent exoluendæ. Satisfacit & coram hominibus, videlicet, vt & ipse deinceps non furetur, & alij à furto deterreantur. Quid ergo faciat fur iam suspendendus? num desperet de salute sua? minimè omnium, sed agnoscat humiliter peccatum suum, agnoscat se hoc supplicium meritum

*Lex.*



A meritum, & confidat quòd Saluatoris passio expiauerit etiã peccata sua. *Si effringẽs fur domum, siue suffodiẽs fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Intelligitur ergo tũc non per- *Quæst. 84.*
tinere ad homicidiũ, si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinere, hoc est enim quod ait, Si ortus fuerit super eum sol: poterat quippe discerni quòd ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, inuenitur, impunè occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem si se cum telo defenderit, iam enim plus est quàm fur. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ nulla fit domus mẽtio, sed habetur, Si in perfosione erit inuẽtus fur, ita quòd actus perfodiendi pensatur à lege, siue perfodiat murum domus, siue alium murum. Et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Hinc
B apparet, quòd præcedens lex, de nocturno fure duntaxat statuit. Vbi aduerte, quòd neque nocturnum, neq; diurnum furem permittit lex impunè occidi simpliciter & absolutè, etiam in actu furandi inuentum, sed præter intentionem, dicendo, Si erit percussus, & morietur, tanquam percusio fuerit intenta, mors autem per accidens secuta ex huiusmodi percusione in vno duntaxat casu in præcedẽti lege scripto, videlicet si nocte inuentus fuerit in actu perfodiẽdi, quia nocte perforans, præsefert seipsum inuasorẽ violentũ, & quantũ ex opere eius est, excitat ac prouocat dominũ seu custodem ad occurrendũ violentiæ ignotæ in nocte quo tẽdat. Violentiæ autẽ in nocte ignotæ, armis occurritur, & propterea ipse fur perforãs nocte, prouocat sui ipsius percusionẽ, quæ quia sine mensura fit, sibi imputet, si inde eius sequitur mors. Orto autẽ sole, etiã si perforans inuenitur, nõ impunè percutitur, quia videtur quo tẽdit violentia furis. Quod intellige, si nõ habet arma inuasiua, quia tũc non fur haberetur perforans, sed inuasor ad percutiendũ. AVCTOR CATENAE. Si effringens fur domũ siue suffodiens, &c. Optimè sensum ex Hebraico reddidit Interpres, ita enim ibi habetur: אִם בַּמַּחְתֶּרֶת יִמָּצֵא הַגַּנָּב וְהֻכֶּה וָמֵת אֵין לוֹ דָּמִים
C Im bamachtéreth immaze hagannab vehucca vameth, en lo damim. Sciendũ autem verbũ chathar, significare fodere siue perfodere, & inde venit dictio מַחְתֶּרֶת Machtéreth, quæ est fossio, siue fossa, quã fures faciũt in pariete ad furandũ. Vnde sic redditur locus iuxta Hebraeũ, Si in fosione, aut in fossa, vel effosione, aut suffosione, siue cũ perfossorio instrumẽto inuẽtus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, nõ illi sanguis, vel sanguines, id est, nõ fundetur sanguis percussoris propter occisum à se furẽ. Vel nõ imputabitur illi sanguis percusi & mortui, vt interficiatur & ipse. Est igitur horũ verborũ sensus, Si fur suffodiẽs domũ, in ipsa effractione deprehẽsus fuerit, & à domino domus occisus, nõ imputabitur domino homicidũ. Sic intellexit & Chaldaica habẽs, Si autẽ suffodiẽs domũ inuẽtus fuerit latro, & percussus fuerit, & mortuꝰ fuerit, percussor nõ erit reus sanguinis. Sic & Septuagita, ἐὰν δὲ ᾖ ὁ ἥλιος διαφῶγμαι εὑρεθῇ ὁ κλέπτης, καὶ πληγεὶς ἀποθάνῃ, οὐκ ἔστιν αὐτῷ φόνος, Si autem in effosione inuentus fuerit fur, & vulneratus mortuus fuerit, nõ est illi cædes, id est, non imputabitur hæc mors ad homicidiũ vulnerãti. Sequitur. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur. Hebraica אִם זָרְחָה הַשֶּׁמֶשׁ עָלָיו
D דָּמִים לוֹ שַׁלֵּם יְשַׁלֵּם Im zarcha hasẽmes halaf damim lo sallem ieshallem, Si ortus fuerit sol sup eũ, sanguis vel sanguines illi, reddẽdo reddet, Hebraismꝰ. Id est, percussor occidatur, fur autẽ diurnus reddet quod furto abstulerit. Sic & Chaldaica intelligit, habẽs hîc pro his verbis, Soluẽs soluet fur. Quãuis sint qui & hæc ipsa vltima verba, reddẽdo reddet, sicut & Interpres, prudẽter ad eundẽ percussorẽ referant, quasi dicat, morte & ipse morietur, quia homicidiũ perpetrauit. Vt in summa id innuatur, furẽ diurnũ non licere occidere. Vnde & Septuaginta legunt, ἀνταποθανεῖται, Simul morietur, scilicet percussor. Sed vide quomodo intelligat Chaldaica, Et si orto sole hoc fecerit, habet enim, Si oculus testiũ fuerit super eũ, sanguinis reus erit percussor. Et est sensus, ꝙ percutiẽs furẽ præsentibus testibꝰ, homicida est, cuius fortè ratio potuit esse, quia dñs domus si testes aderãt, potius auxiliũ implorare ab eis debuit ne domus eius suffoderetur, quã furẽ interficere, secus vbi nõ sunt testes præsentes, & fur in facto reperitur, de nocte præsertim. Ideo autẽ nõ homicida qui nocturnũ furẽ occiderit, quærentẽ perfodi domũ, vt ingressus furetur, est autẽ, qui diurnũ etiam perfodientẽ, nisi se telo quoq; defendat, quia præsumitur de voluntate
E latrocinãdi & occidẽdi in eo qui nocte furatur, & caueri non potest: secus si clara die domũ irruperit, nã præsumitur quòd tantũ animo furãdi, præter id quod potest fur diurnus cõpelli ad redditionẽ, & repelli sine periculo. Et quia superiùs dictũ est quid fur reddere debeat, hîc sequitur quid agendũ quãdo nõ est soluẽdo. *Si nõ habuerit* (inquit) *quod pro furto reddat, venũdabitur.* CAIETANVS. Vide disparitatẽ temporũ. Priscis tẽporibus fur nõ erat reus mortis, & tamẽ vẽdebatur, si nõ habebat vnde restitueret quod tenebatur reddere pro furto. Nostris aũt seculis fur laqueo suspẽditur, nec vnquã Christianus liber vẽditur. AVCTOR CAT. Si nõ habuerit quod pro furto reddat, ipse venũdabitur. Id quod est in Hebręo: אִם אֵין לוֹ וְנִמְכַּר בִּגְנֵבָתוֹ Im en lo venimcar bignebatho, Et si nõ (subaudi habet) vẽdetur pro furto suo. Sic & Chaldaica, Et si nõ habuerit, vẽdetur ꝓ furto suo. Sic & Septuaginta, ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχῃ αὐτῷ, πραθήτω ἀντὶ ἧς ἔκλεμμεν αὐτῆς, Si autẽ nõ est substãtia illi, vẽdatur pro furto suo. Ad superiora ergo hęc referẽda sunt, quãdo quis dãnatur ad reddendũ quinq; boues pro vno, & quatuor oues pro vna furto sublata, nec fur habet vnde satisfaciat. *Si inuentũ fuerit apud eũ quod furatus est, viuẽs siue bos, siue asinus, siue ouis, duplũ restituet.*
F CAIET. Altera primæ in hoc capitulo legis pars ex parte rei ablatę ꝓmulgatur. Prima enĩ pars fuit, si quis furatꝰ fuerit bouẽ, & vẽdiderit seu occiderit, altera pars est, si nec vẽdiderit, nec occiderit, sed apud se rẽtinuerit furto ablatũ animal viuũ. Et ex hoc ꝙ asinus adiũgitur, habẽtur duo. Alterũ, quod iã dictũ est, quòd appellatione bouis & agni, intẽlligũtur in hac lege animalia oĩa magna & parua. Alterũ, quòd ex eo ꝙ asinus, & nõ asinus subiugalis, nec asinus gregariꝰ dicitur, lex ista cõprehẽdit etiã bouẽ nõ gregariũ, & similiter equũ & mulũ, & reliqua animalia. AVCT. CAT. Si inuentũ fuerit, &c. Chaldaica litera & Hebraica sic habẽt, Si autẽ inuentũ fuerit in manu eius quod furto sublatũ fuerat, ab oue vsq; ad asinũ, & vsq; ad agnũ, si fuerint viui, duplũ restituet. Sed hoc idem est cũ litera nostra. Duplũ autẽ intelligi videtur debere quod reddat, bouẽ scilicet quẽ abstulit, & aliũ, sic pecudẽ quã est furatus, & aliã. Sic etiã quintuplũ intellige, quatuor, & illũ quẽ furatus est. Hîc videmus aliã esse pœnã furis apud quẽ furtũ adhuc est, aliã eius qui vẽdidit aut mactauit, maiorem scilicet. Nam cũ adhuc res sublata superest, restitui potest suo damno, datúrque quiddam pro contumelia: si verò perdita res est, rem soluet, & contume-

liam qua affectus est dominus. *Si laeserit quispiã agrũ vel vineã, & dimiserit iumentũ suũ vt depascatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro dãni æstimatione restituet.* CAIETANVS. Iuxta Hebrẽũ idẽ verbum est, quod Interpres variauit, modò lædere, modò depasci. Et prima significatio eligẽda est, nec habetur dimiserit, sed mittet. Duos cõplectitur casus lex ista, alterũ in genere, si lęserit: alterũ in specie, si quis miserit iumẽta sua. Quicquid (inquit) optimũ habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Legẽdum est, bonitatẽ agri eius, vel bonitatem vineæ eius restituet. Pronomen autẽ, eius, refert non dominũ iumentorũ non lædentẽ, sed læsum dominum vineæ seu agri, decernitur enim quod tenetur ad restitutionẽ tantũ, quanti ęstimatur bonitas vineæ seu agri, bonitas (inquã) læsa in vitibus, in fructibus, in arboribus, & reliquis. AVCTOR CATENAE. Si læserit quispiã agrum vel vineã. Verbũ בָּעַר Bahar, pascere, demetere, & lædere significat. Vnde hîc aliqui lædere, aliqui depasci verterunt. Sed vnus vtrobique est sensus, videlicet si deduxerit quis iumẽta sua in agrũ vel vineã proximi, & fecerit ea depasci. Vnde & Chaldaica habet, Quãdo pastum fecerit vir agrũ aut vineã. Sequitur, Et dimiserit iumẽtum suũ vt depascatur aliena. Idem dicitur in Hebræo וּבָעַר בִּשְׂדֵה אַחֵר Vbiher bisde acher, Et pascetur in agro alieno, sic & Chaldaica. Vel vt depascatur agrum alterius. Ita vt duos lex ista cõprehendere videatur casus, primus cùm dominus animal immittit in agrum proximi, & illũ depauerit: secundus, cùm animal ipsum sponte illum ingreditur ad depascendum, & dominus animalis nõ prohibet. Quicquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Hæc tria verba pro damni æstimatione, de suo pro clariori loci intelligentia addidit Interpres. Est autem hîc dictio מֵיטַב Metab nomen denominatiuum, & nõ est mem præpositio, sed heemantica litera. Et intelligitur optimũ illud, seu bonũ (vt vertunt alij) ne dum de fructu agri vel vineæ, verũ etiã de fundo ipso quẽ tenetur dare illi cui nocumentũ intulit, si prædium illius omnino deuastauit. Locus autẽ iste secundũ Septuaginta ita legitur, Si depastus fuerit quis agrũ vel vineã, & dimiserit iumentum suũ vt depascatur agrum alienũ, soluet ex agro suo iuxta fructũ eius. Si autẽ omnẽ agrum depastus fuerit, optima agri sui, vel optima vineæ suæ soluet. Quasi sit sensus, quod in dãno dato in parte agri seu vineæ, soluet dãnum iuxta æstimationẽ dãni, sed toto agro seu vinea damnificatis, optima dabit suorũ agri & vineæ pro æstimatione. Statuitur autẽ melius & optimum restituendum, vt tam ipse quã alij à talibus in posterum cõmittendis abstineãt. Et quod de agro & vinea hîc dicitur, idẽ de horto, oliueto & similibus, si in eis dãnum fiat, intelligendum est. Reddendũ enim est proximo, si quid nostra vel nostrorũ opera, ipsum læsimus, idq; nõ simpliciter, sed de melioribus, vt ostẽdamus ignorantiã ac voluntatẽ nostrã, & charitas læsa resarciatur beneficio. *Si egressus ignis inuenerit spicas, & cõprehenderit acervos frugũ, siue stantes segetes in agris, reddet damnũ qui ignẽ succenderit.* CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, Quãdo egredietur ignis, & inueniet spinas, & comedet aceruũ, vel segetẽ, vel agrum. Duo genera dãnorum tanguntur, alterũ sepis, dicendo & inuenerit spinas: alterũ fructus, dicẽdo aceruũ, proculdubiò frugũ, vel segetẽ ante messem, vel agrũ pascuorũ. Et significãter dicitur, quãdo egredietur ignis, ad differentiã incendiarij, ille enim qui ex intentione incẽderet, est pœna mulctandus, sed ille cuius negligentia egredietur ignis ad aliorũ damnũ, non tenetur ad pœnã, sed ad restituendũ quantũ damnificauit. Et ne vertatur in dubium quis fuerit negligens, decernit lex, quòd ille qui facit succendi ignẽ, restituet. In Hebręo sic legitur, Restituendo restituet, faciẽs succendere succensionẽ. Scriptũ enim est hoc, ne in ministros pauperes intorta culpa damnum passus priuetur restitutione. AVCTOR CATENAE. Si egressus ignis inuenerit spicas, &c. Hebraicè קְצִים Kozim hoc est, spinas legitur, nã de spicis paulò inferius loquetur. Sentit enim agrũ ea ratione lædi posse, si sepes exurãtur. Sic & Chaldaica. Septuaginta quoq; verterunt spinas, ἐξελθὼν πῦρ ἐὰν ἅψηται ἀκάνθας, id est, egressus ignis inuenerit spinas. Id quod etiã Interpretẽ nostrũ forsitan vertisse arbitramur. Et cõprehenderit aceruos frugũ. Propriè verbum וְנֶאֱכַל Veneechal, Et cõsumptus fuerit redditur, vt sequatur aceruus, siue stantes segetes, aut ager ipse. Est enim passiuũ ab Achal. Alij, Et succenderit, vertũt. Sic legit & Chaldaica. Septuaginta, ἢ πρόσεμπρήσῃ, & aduserit. Reddet damnũ qui ignem succẽderit. Optimè reddidit Hebraismũ Interpres: שַׁלֵּם יְשַׁלֵּם הַמַּבְעִר אֶת הַבְּעֵרָה Sallem iesallem hamabher eth habehera, Reddendo reddet (scilicet damnũ) qui incendit incensionem: vel exsultor quod exustũ est, Aut succẽdens succensionẽ. Quę oía idẽ dicunt cũ versione Latina. De dãno autẽ quod ex incuria ac negligentia alicuius alicui illatũ erat, hîc loquitur, quod Iurisconsulti nominant damnum infectũ. Tria autem hîc ponit, Si ignis depauerit segetes demessas, quę iam in manipulos & aceruos cõgestæ sunt, Aut quæ adhuc stant & nõ sunt demessæ, Aut quæ demessæ quidem sunt, sed adhuc in agro dispersæ iacent, nam hoc per agrum intendit. Quæ tria Septuaginta ἅλωνας ἢ σάχεις ἢ πεδίον, areas vel spicas aut campum appellant. Comprehende autem sub segete etiam alia, vt fœnum & arbores. Et quod dicitur si egressus fuerit ignis, etiam præter ipsum accendentis intentionem intellige, modò incuria & negligẽtia eius fuerit, qui debitam non adhibuit custodiam, nam his cessantibus, puta si canis vel cattus ignem deferret, restituere damnum nullatenus teneretur. Ex qua etiã lege discimus, quanta cura deus velit nos sollicitos esse, ne proximo negligentia nostra incõmodum afferamus.

*Mystice. Quæst. 83.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Si quis furatus fuerit bouẽ, &c. Quæ iustificatio est, vt pro boue vno, quinque reddãtur, pro oue autem, quatuor, nisi aliquid significare intelligatur? RABANVS. Possumus ergo hanc distantiã inter bouem & ouem facere, vt in boue accipiamus bene laborãtem doctorẽ in agro dominico, qui terrã cordium carnaliũ vomere Euangelico scindit, vt fructus virtutũ germinare possit. In oue, simplicẽ auditorem, qui tantũ sua simplicitate cõtentus est: quãtò enim maior est vtilitas in qualibet re, tãtò maius damnũ in eius perditione. Et quãtò minor cõmoditas in possessione aliqua, tãtò minor est dolor in ipsius amissione, qđ significat maior numerus in bouis restitutione, & minor in ouis. Qui enim quẽlibet doctorẽ à plebe dominica per fraudẽ euellit, multis nocet, & pro hoc necesse est vt oẽs sensus corporis sui pœnitentiæ studio subigat, quã secundũ legẽ domini, pleniter exoluat. Qui autẽ auditorẽ simplicẽ à statu suo per malitiã subuertit, corpus suũ quod quatuor elemẽtis cõstare manifestũ est, vt ieiuniis & vigiliis castiget necesse est, donec perfectam remissionẽ à domino recipere mereatur. Itẽ alio modo. Bos quippe subiugale est animal, & populũ priorẽ significat, qui sub lege Moysi constitutus, iudiciũ legis expectabat, Apostolo teste qui ait, Quicunq; in lege peccauerunt, per legẽ iudicabuntur. Ergo bos furatus & occisus, siue vẽditus, quinq; bobus rectè pẽsatur, cũ homo

*Rom. 2.*



homo Iudæus cõtra legem læsus secũdum legem vlciscitur. Vnde & in ipsa lege scriptũ est, Qui occiderit hominem, morte moriatur. Et item, Oculũ pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, & reliqua. Ouis autẽ quod simplex est animal, hominẽ Euangelicum sub gratia dei constitutum significat, mẽbrum videlicet illius ouis, de quo Propheta ait, Tanquã ouis ad occisionem ductus est, & nõ aperuit os suũ, cuius imitator existẽs, seruat illud quod in Euangelio scriptum est, Si quis percusserit te in dexterã maxillã, præbe illi & alteram. Et item, Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos: sed ne huius simplicis animalis læsio inulta præteriri videatur, legislator iubet quòd quatuor oues pro vna oue reddantur. Igitur ouis perdita quadruplã restitutionem posci, quia quisquis simplicitatem Christianã per fraudem læserit, necesse est vt secundũ Euangelicã doctrinã, digna pœnitentia iterum illam restituere festinet. Si effringens fur domum, siue fodiẽs fuerit inuentus, &c. Mysticè fures hæreticos possumus intelligere. Vnde ipsa veritas ait, Quotquot venerunt ante me, fures sunt & latrones. Et itẽ, Fur (inquit) nõ venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego autẽ veni vt vitã habeant, & abundantiùs habeant. Ergo fur, id est, hæreticus, si effringens vel fodiens, hoc est, per cõtentionem siue dolum, domum Ecclesiæ irrũpere tentauerit, & accepto vulnere iustæ correptionis in errore concepto perseuerãs perierit, doctor qui eum vt pœnitentiã ageret cõmunione priuauit, reatu pœnæ nõ cõstringitur. Quòd si orto (inquit) sole hoc fecit, homicidium perpetrauit. In sole orto, lumẽ rectæ sciẽtiæ exprimitur. Si enim hæreticus à prædicatore admonitus, erroris sui tenebras relinquens, ad lumen veritatis appropinquare tentauerit, non est æquum, vt anathematis telo perfodiatur, sed charitatis vinculo cõstrictus, vitæ reseruetur æternæ, secundum illã saluatoris sententiã: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eũ inter te & ipsum solũ. Et si pœnitentiã egerit, lucraris fratrem tuũ, & reliqua. Sequitur, Si nõ habuerit quod pro furto reddat, venundabitur, hoc est, si cor docibile nõ habuerit, vnde dignos pœnitentiæ fructus rependere posit, excõmunicetur, & secundum veritatis sententiã, vt ethnicus & publicanus reputetur. Si (inquit) inuentum fuerit apud eum quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis, duplũ restituat. Bos siue ouis quæ vngulã diuidunt & ruminant, munda sunt animalia, asinus autem immundũ. Si ergo homo Iudæus, ex lege in Christum credens, aut simplex quilibet Christianus, siue etiã paganus nondum in Christo renatus, apud hæreticũ viuens, id est, rectã intentionem verũ quærendi habens, cõmanere inuenitur, duplo restituatur, scilicet tam animo quã etiam corpore, ab hæretico in quo nõ est veritas separatus, iusto possessori Christo qui est via, veritas & vita, in Ecclesia per fidẽ & cõfessionem catholicã restituatur, vt ibi totũ inueniat, quod alibi frustra quærebat. Hinc etiã hortatur sapientia, dicens, Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Trãsite ad me oẽs qui cõcupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Qui audit me, non cõfundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidãt me, vitam æternã habebunt. Et in Euangelio dominus ipse dicit, Qui sitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ. Si læserit quispiã agrum vel vineã proximi sui, &c. Hac sententia cupiditas humana cõstringitur, & maximè contra Episcopos ac sacerdotes valet, qui alienas parochias inuadere quærunt. Igitur qui dimiserit appetitum carnalem, quem significat irrationabile iumẽtum, vt plebem ad se non pertinentem auaritiæ causa sollicitet, vt eius obsequia vel redhibitiones, in quæstum proprium cõuertat, pro damni æstimatione, agrum corporis sui, vel vineã cordis castigare cogatur, vt qui per voluptatẽ abusus est alienis, per ieiunium & eleemosynas discat expendere propria. Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, &c. Nimia cautela scriptura sacra quicquid agẽdum est, facere nos docet. Nam ignem succendimus, cũ correptionẽ subditis nostris præparamus, vt spinas vitiorũ in eis cõsumamus: sed prouidẽdum est, ne dũ vitia persequimur, virtutes lædamus, & eos qui fructus in se bonorũ operũ proferre cœperant, antequã illos ad maturitatem perducãt, per iniuriã noceamus. Ergo qui tale damnũ in plebe dei cõmiserit, necesse est, vt dignam pœnitentiam pro hoc gerat, & quod priùs per inertiam læsit, per studium bonum restaurare conetur.

*Si quis cõmẽdauerit amico pecuniã aut uas in custodiã, & ab eo qui susceperat furto ablata fuerint, si inueniatur fur, duplũ reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit q̃ non extẽderit manũ in rem proximi sui ad perpetrandã fraudem, tam in boue quàm in asino, & oue ac uestimento, & quicquid dãnum inferre potest, ad deos utriusque causa perueniet, & si illi iudicauerint, duplũ restituet proximo suo. Si quis cõmendauerit proximo suo asinum, bouẽ, ouem, & omne iumentum ad custodiã, & mortuũ fuerit, aut debilitatum, uel captum ab hostibus, nullúsque hoc uiderit, iusiurandũ erit in medio, quòd non extenderit manũ ad rem proximi sui, suscipiẽtque dominus iuramentũ, & ille reddere non cogetur. Quòd si furto ablatũ fuerit, restituet damnum domino. Si comestum à bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet. Qui à proximo suo quicquid horũ mutuo postulauerit, & debilitatum, aut mortuũ fuerit domino non præsente, reddere compelletur. Quòd si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maximè si conductum uenerat pro mercede operis sui.*

AVCTOR CATENAE. Lex hæc est de depositio pecuniæ & aliarum id genus rerum. Ait ergo, *Si quis cõmendauerit amico pecuniam vel uas in custodiã, & ab eo qui susceperat furto ablata fuerint.* CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, Quãdo dabit vir socio suo argentũ vel vasa ad custodiendũ, & furreptũ erit è domo viri. *Si inuenietur fur, duplũ reddet.* Prima est hæc lex circa deposita, & disponit de depositis inanimatis, in casu quo res deposita fuerit furto ablata ex domo. Et quia obscura est depositio huius legis, sentẽtia prælibãda est, & deinde litera exponenda. Disponit lex, quòd si inuenitur fur qui surripuit rem illam è domo, cogetur fur ad restituendũ duplũ, si verò nõ inuenitur fur (hoc est, si nõ potest depositarius probare quòd furto ablata sit res depositа è domo sua) & is qui deposuit, suspectum habet dominum domus, citabitur apud iudices, & inquiretur à iudice si dominus domus aliquo malo modo, vllo vnquam tempore extendit manum suam in socij sui rem cuiuscunque generis, argẽtum, aurũ, vestem, bouem, asinum, agrum, & cætera, & domo domus affirmãte se nunquã aliquid horũ patrasse, si ex opposito aliquis dixerit quòd ipse dominꝰ domus aliquid horũ patrauit, causa hęc inter hos duos à iu-

dice diffinietur,& qui dãnabitur,duplũ ſoluet ſocio ſuo. Hęc eſt diſpoſitio legis. In qua cõſidera,quòd cauſa cauſæ adiungitur,dum cauſæ depoſiti ſurrepti adiungitur cauſa imputationis furti ſeu fraudis ſeu rapinæ domino domus,& quo ad hanc ſecundã cauſam decernitur, quòd dãnatus à iudice,ſiue imputans ſeu imputatus, reddet duplũ,proculdubiò illius rei quę imputabatur. Verbi gratia, Si imputabatur fraus vnius bouis,ſoluebat ſuccũbés duos boues. Et hîc oportet ſubintelligere, quòd ſi dominus domus ſuccũbebat,quòd tenebatur etiã ſoluere rẽ depoſitã illi qui depoſuerat. *Si latet fur*, id eſt,non inuenitur, *Dominus domus applicabitur ad deos.* Iuxta Hebræũ nõ præcipitur hoc ſed dicitur, Et erit applicatus dominus domus ad deos, hoc eſt, iudices. Significatur enim quòd ſi ſuſpectus fuerit dominus domus, & erit citatus ad iudices: poſſet enim vir eſſe omni exceptione maior, cuius ſimplici verbo cõmuniter crederetur,& non citaretur ad iudices. *Et iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi ſui ad perpetrandam fraudem,tam in boue quàm in aſino,& oue ac veſtimento,& quicquid damnum inferre poteſt.* Nulla fit mẽtio iuramẽti in textu Hebraico,ſed dicitur, Si non miſit manum ſuam in rem ſocij ſui ſuper omnẽ rem malitię,ſuper H bouẽ,ſuper aſinum,ſuper agnum,ſuper veſtẽ,ſuper omne damnum. Quia qui ſemel malus,præſumitur iterũ malus in eodẽ genere mali: ideo innocentia domini domus manifeſtanda decernitur inquiſitione,ſi vnquam quacunque arte mala extenderit manum in rem alienam, hæc enim inquiſitio ſignificatur per hæc verba: *Ad deos vtriuſque cauſa perueniet.* Deeſt in vulgata editione vna integra clauſula ante iſtam particulam ad deos: prælegendũ enim eſt, Qui dicet quòd ipſum hoc. Deinde ſequitur, Vſq; ad iudices veniet cauſa duorũ ipſorũ. Decernitur enim ꝙ dicẽte aliquo cõtra dominũ domus ꝙ ipſum hoc, ſubaudi eſt (ſcilicet quòd extẽdit manum ſuã in rem alienã) cauſa horum duorũ (videlicet iſtius contradictoris & domini domus) diſcutietur à iudicibus. *Et ſi illi iudicauerint,duplum reſtituet proximo ſuo.* Iuxta Hebræũ, Quẽ faciẽt impiũ iudices, ſoluet duplũ ſocio ſuo. Hoc eſt, illę quẽ dãnabunt iudices. AVCTOR CATENAE. Si quis cõmendauerit amico pecuniã vel vas in cuſtodiã. Verbum Hebraicũ יִתֵּן Itten, dederit redditur, etiã à Septuaginta & à Chaldaica. Capitur tamẽ hîc dare, pro mutuo vel cõmodato dare, itẽmq; pro deponere. Vnde optimè ſignificatũ verbi in hoc loco expreſsit Interpres, I Si quis cõmendauerit, pro depoſuerit. Tã Septuaginta autẽ q̃ Chaldãica, habẽt argẽtum loco pecuniæ. Ad quod reſpiciẽs Interpres, pecuniæ nomẽ trãſtulit, quod iuxta legiſperitos latiſsimè patet. Quanquã nomẽ Hebraicum כֶּסֶף Chéſeph hîc poſitũ, argẽtũ,& pecuniã, & monetã ſignificet, ſicut vas omnẽ ſupellectilẽ in domo. Pari modo quod Septuaginta & Chaldaica trãſferunt, proximo ſuo,& noſtra editio habet amico, ac Græcè dicitur πλησίον, quod cognatos ſiue etiã familiares quibuſcũ habemus arctã ac domeſticã conſuetudinẽ ſignificat, Hebraicè רֵעַ Réah, ſocius, ſodalis, amicus, vel proximus dicitur. Et ab eo qui ſuſceperat furto ablata fuerint. Idẽ dicitur Hebraicè וְנֻגַּב מִבֵּית הָאִישׁ Vegunnab mibeth hais, Et furto ſublata fuerint de domo viri. Si inuenitur fur: Vel, Inuẽtus fuerit: eſt enim יִמָּצֵא Immaze, futuri tẽporis verbũ. Si latet fur. Hebraicè אִם לֹא יִמָּצֵא Im lo immaze, Si aũt nõ fuerit inuẽtus. Quod nẽpe idẽ eſt. Dominus domus applicabitur ad deos, id eſt, ad iudices, hoc eſt, vocabitur in ius. Vnde Chaldaica, Accedet dominus domus in conſpectũ iudicũ. Quamuis Septuaginta, τὸ κριτήριον τοῦ θεοῦ, corã deo vertãt. Et iurabit. Hoc addidit Interpres, cùm omnino aliquid ſubaudiẽdum ſit. Subaudiũt autẽ aliqui, Vt ſciatur, Vel vt ſciãt. Quaſi dicat, Ideo adducetur in iudiciũ qui depoſitũ ſuſcepit, vt ſciatur an nõ ipſe dominus domus furatus fuerit depoſitum. Illud enim ſignificat extendere ſiue mittere manum in rem proximi. Chaldaica nihil ſubintelligit: habet enim, Accẽdet dominus domus in conſpectũ iudicũ, ſi non extẽdit manũ ſuã in illud quod tradidit illi proximus ſuus. Septuaginta, εἰ δὲ μὴ ἐπέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ πρὸς τὸ πρᾶγμα τοῦ πλησίον, Et iurabit profectò non ipſum malignatũ fuiſſe in omni depoſito proximi. Ad perpetrandã fraudẽ tam in boue, &c. Locus eſt perobſcurus,& ad intelligendum difficilis, qui ſic legitur in Hebræo עַל כָּל דְּבַר פֶּשַׁע Hal col debar pẽſaha, Super omnẽ rem delicti: vel, De omni negocio trãſgreſsionis. Vel, Et ſuper omni re iniqua, aut præuaricationis, Quod eſt quodcunq; crimẽ. Tã in boue quã in aſino,& oue ac veſtimẽto, עַל שׁוֹר עַל חֲמוֹר עַל שֶׂה עַל שַׂלְמָה Hal ſor, hal chamor, hal ſe, hal ſalma, Propter vel ſuper bouẽ, ſuper aſinũ, ſuper agnum, ſuper veſtimẽtum. Vel, de boue, de aſino, de agno, de veſtimẽto. Id eſt, quęcunq; cauſa ſuper huiuſmodi rebus mota ſit עַל כָּל אֲבֵדָה אֲשֶׁר יֹאמַר כִּי הוּא זֶה Hal col abeda aſer iomar chi hu ze, Super omnẽ rem perditã qui dixerit quod hæc eſt, Vel, Et L per omnẽ rem perditã, de qua quis dixerit ꝙ apud illũ ſit, Aut, cùm quiſpiã dixerit, hoc ſic eſſe, id eſt, quod ea res ſit quæ perdita eſt, vel rem perditã eſſe apud accuſatum, ſiue de omni re quæ perierit, de qua quis dixerit, quòd hoc ſit, vel quia ipſa eſt, hoc eſt, ſi dixerit teſtis eum eſſe reũ, poteritq; id probare corã iudicibus. Et ſi illi iudicauerint, Hebraicè eſt אֲשֶׁר יַרְשִׁיעֻן אֱלֹהִים Aſer iarſihun elohim, Quẽ cõdemnauerint dij, id eſt, iudices, duplum reſtituet proximo ſuo. Chaldaica autem editio ſic legit locum hũc, Super omnem rem delicti, ſuper bouem, ſuper aſinum, ſuper agnum, ſuper veſtimentum, ſuper omnẽ rem perditã, qui dixerit quòd hæc eſt, in conſpectu iudicũ veniat cauſa amborũ,& quicunq; condemnatus fuerit à iudicibus, reddet duplum proximo ſuo. Hic verſus velut parentheſis eſt,& lex quædã generalis habetur, quæ per occaſionẽ in particulari declaratione interſeritur. In ſumma volens lites & controuerſias ciuiles iuramento dirimendas eſſe, & negligentiam cum fraude dãnabilem eſſe. Docẽtur itaq; hæc depoſita, bona apud aliquẽ fide, fideliter eſſe cuſtodiẽda, vbi volũtariè ſuſcipiũtur oblata ad cuſtodiã, lege charitatis & fidei, ne auferãtur furto. Quòd ſi fuerit vir qui furatus eſt deprehẽſus, is reddet (ni- M mirum domino ſecundũ legem) dupliciter. Si minus, inquit, inuẽtus fuerit fur, vir ille in cuius cuſtodiã & tutelam poſitum erat, pro neglecta charitate & dãnoſa incuria ſua, pertrahetur ad iudices pro præſtando iureiurãdo de fideli opera ſua,& ꝙ nihil neglexerit eorũ quæ ad cuſtodiã rei pertinuiſſent, nihil fraudis ſe cõmiſiſſe circa depoſitũ. Quod ſi fecerit, ſubintellige, liber erit depoſitarius. Nec ſolũ in hoc caſu, ſed quotienſcunq; quis in aliquo negocio inſimulatur fraudis, ſi ſcilicet bos vel aſinus dicatur perditus eſſe,& ſuſpicio ſit ꝙ véditus ſit, vel abuſu aliquo interẽptus, ſic de oue,& veſtimento,& qualibet re, quę fraude circũueniri poſsit,& perdi, vel deterior reddi, cùm id teſtimoniis claris cõteſtari nõ potuerit, negotiũ ad iudices deuoluetur,& ſtabitur ad iuramentum rei, quòd ſi iurare noluerit, duplum reſtituet proximo ſuo, condẽnatus ad hoc à iudicibus. Locum fortè hũc aſpiciẽs Apoſtolus, dicebat Hebræis loquens, Homines enim per maiorẽ ſe iurant,& omnis cõtrouerſiæ eorũ finis ad cõfirmationẽ eſt iuramentũ. THOMAS. Circa illũ verò qui rem alienã accepit, duo ſunt cõſiderãda, ſcilicet ipſa

2.2.q.62. ar.6.in.cor.



A ipſa res accepta,& ipſa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam reſtituere, quãdiu eam apud ſe habet, quia quod habet vltra, id quod ſuũ eſt, dicitur ei ſubtrahi & dari ei cui deeſt ſecundũ formam cõmutatiuę iuſtitiæ. Sed ipſa acceptio rei alienæ poteſt tripliciter ſe habere. Quandoque enim eſt iniurioſa, ſcilicet contra voluntatẽ exiſtens eius qui eſt rei dominus, vt patet in furto & rapina. Et tũc tenetur ad reſtitutionẽ non ſolũ ratione rei, ſed etiam ratione iniurioſæ acceptionis, etiam ſi res apud ipſum nõ remaneat. Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recõpenſare iniuriã paſſo, quãuis apud ipſum nihil maneat: ita etiã qui furatur vel rapit, tenetur ad recõpenſationẽm damni illati, etiã ſi nihil inde habeat. Et vlterius pro iniuria illata debet puniri. Alio modo aliquis accipit rem alterius in vtilitatẽ ſuam abſque iniuria, cum volũtate ſcilicet eius, cuius eſt res, ſicut patet in mutuis. Et tũc ille qui accepit, tenetur ad reſtitutionẽ eius quod accepit, non ſolũ ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiã ſi rem amiſerit: tenetur enim recompẽſare ei qui gratiam fecit quod non fieret, ſi per hoc damnũ incurrat. Tertio
B modo aliquis accipit rem alterius abſque iniuria, non pro ſua vtilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis. Quinimò accipiendo impẽdit obſequium. Tenetur autem ratione rei. Et propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, nõ tenetur ad reſtitutionẽ. Secus autẽ eſſet, ſi cũ magna ſua culpa rem depoſitam amitteret. *Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum,bouem,ouem,& omne iumentum ad cuſtodiã,& mortuum fuerit,aut debilitatum,vel captum ab hoſtibus,nulliſque hoc viderit,iuſiurandum erit in medio,quod non extenderit manũ ad rem proximi ſui,ſuſcipiétque dominus iuramentum,& ille reddere non cogetur.* CAIETANVS. Altera lex circa depoſita promulgatur, tractans de depoſitis animalibus. Diſponit autem in quinque caſibus, & primũ tres caſus ſimul, videlicet ſi depoſitum animal fuerit mortuum, vel fractum, vel prædatum, nemine videnteſtatuit enim quòd in his caſibus ſtetur iuramento depoſitarij, ita quòd dominus rei depoſitæ teneatur acquieſcere iuramento. Et dicitur captum ab hoſtibus, quod in prædam abductum eſt. Iungitur autẽ nemine videẽte, quia ſi fuiſſent teſtes, nõ opus eſſet iuramẽto. Et dicitur in Hebręo iuſiurandum Iehoua, vt deus in ſupremo numine inuocetur in teſtẽ, cui no
C mini maxima exhibebatur ab Hebręis reuerẽtia, vſq; adeò quòd erat eis nomen ineffabile. Deinde diſponit quartum caſum, videlicet ſi commẽdatum animal furto ablatum fuerit, inquiens, *Quòd ſi furto ablatum fuerit,reſtituet dãnum domino.* Depoſitarius videlicet reſtituet domino animalis. Non dicit reſtituet duplũ, ſed abſolutè reſtituet, vt intelligamus quòd ſufficit reſtituere tantũ, quanti pretij erat animal ſurreptum. Sed occurrit hîc quæſtio, quo iure decernitur hæc reſtitutio,& in lege immediatè præcedente decretum eſt contrarium, ſtatuendo quòd argẽtum depoſitũ furto ſublatum, non tenetur depoſitarius reſtituere, ſi nunquam aliàs manũ ſuam miſit in rem alienam. Iniuſtum prætérea videtur, vt depoſitarius teneatur reſtituere depoſitum furto ablatum ſine culpa ſua, cũ acceperit depoſitum in fauorẽ deponentis. Solutio eſt, quòd inter præcedẽs decretum & hoc manifeſta in litera ſignificatur diſparitas. Nã in illo res depoſita fuit ſurrepta ex domo depoſitarij, quæ domus electa implicitè fuit à deponente pro idonea ad cuſtodiam rei inanimatæ depoſitæ, ſciebat enim quòd non niſi in domo ſua depoſitarius cuſtodiret res inanimatas depoſitas. In hoc verò animal furto ſublatum cum ipſo depoſitario exiſtens, de-
D cernitur reſtituendum, quia nullus locus à deponente eſt electus,& negligẽtia depoſitarij præſumitur circa cuſtodiam loci ex quo ſurreptum eſt animal, ex eo quòd apud ipſum erat: explicatur enim in Hebræo, ſi erit ſurreptũ de cum ipſo, proculdubio depoſitario. Intellige tamen decretũ hoc, ſi illud animal tantùm eſt furto ſublatũ, nam ſi ſimul cum illo animalia propria depoſitarij furto ſublata fuiſſent, non teneretur reſtituere. Et hinc ſoluitur ſecũda obiectio, quia lex iſta loquitur in caſu quo rebus propriis depoſitarij ſaluis, animal commendatũ ſurreptũ eſt, bona enim fides, abeſſe præſumitur, ſi rebus tuis ſaluis depoſitas amiſiſti. Demũ quintũ caſum expedit, ſi animal comeſtum fuerit à beſtia. *Si comeſtum*(inquit) *à beſtia,deferat ad eum quod occiſum eſt,& non reſtituet.* Iuxta Hebræũ dicitur, Faciet venire ipſe teſtem, comeſtam non reſtituet. Et anceps eſt conſtructio, an iungas comeſtam appoſitiuè ad teſtem, an cum ſequenti particula non reſtituet. Certum tamẽ eſt, quòd ſiue per partem comeſti animalis, ſiue humano teſtimonio probetur raptus à beſtia, nõ tenetur depoſitarius reſtituere. AVCTOR CATENAE. Si quis commendauerit, vel iuxta Hebræum dederit, proximo ſuo aſinum, &c. Et mortuum fuerit, aut debilita-
E tum vel captum ab hoſtibus. Dictionẽ נִשְׁבַּר Nisbar, aliqui cõfractum reddunt, quoniam ſabar cõfringere ſignificat: ſed idem eſt. Iuſiurandum erit in medio vel vt Hebraica & Chaldaica habent, Iuramẽtum domini erit inter ambos: Aut, Iuſiurandum domini erit inter vtrumque, Hoc eſt, lis iſta finietur iuramento per dominũ deum, & iurabit qui depoſitum accepit, quòd ipſe non eſt furatus animal depoſitũ. Suſcipiẽtque dominus iuramẽtum. Rectè reddidit Interpres, eſt enim in Hebræo tantummodo וְלָקַח בְּעָלָיו Velakach behalaf, Et ſuſcipiet dominus eius, nempe animalis, ab eo qui depoſitum accepit, iuramentũ. Ita legit & Chaldaica, & ſuſcipiet dominus ab eo iuramentum. Et ſi furto ablatum fuerit, addeex Hebræo, ab eo, eſt enim מֵעִמּוֹ Mehimmo. Si comeſtũ à beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt,& non reſtituet. In hunc ſenſum eſt & Chaldaica, ſi dilaceratũ fuerit, afferat quod dilaceratum eſt in teſtimonium,& non reſtituet. Verùm dicunt aliqui Hebraiſmum hunc ſenſum non recipere. Quid enim cùm lupus ouẽ abſque vllis reliquiis aſportauerit? Vertũt ergo quod Hebraicè legitur אִם טָרֹף יִטָּרֵף יְבִאֵהוּ עֵד הַטְּרֵפָה לֹא יְשַׁלֵּם Im taroph ittareph iebiéhu hed, hatterepha lo ieſallem, Si lacerando laceratum fuerit,
F adducet ille teſtem ſiue teſtimonium (ſubaudi quod hoc ita ſit) & raptum, ſiue laceratum nõ reſtituet. Sed & hîc poſſet quis dicere, Et ſi lupus nemine vidẽte ouem rapuerit, quomodo adducet qui depoſitum accepit, teſtẽ domino beſtiæ? Cõſidera etiam quoniam dictio הוּ Hu, in fine verborũ poſita (iuxta Grãmaticos) valet eius, ei, eum, vt שְׁמָרֵהוּ Semarahu, cuſtodiuit eũ, ſic hîc verbum יְבִאֵהוּ Iebiéhu vtrũ reddi poſſet adducet illud, videlicet dilaceratũ à beſtia, hoc eſt, reliquias in teſtimoniũ, videlicet alterã partẽ animalis, quæ teſtari poſsit alterã partẽ fuiſſe dilaniatam. Nam & Chaldaica & Septuaginta ita intelligunt, quorũ maxima (vt noſti) apud omnes eſt auctoritas. Legũt enim hi ἄξει αὐτὸ ἐπὶ τὸ θύσιον, hoc eſt, Ducet ipſum ad oſtiũ, nempe domini animalis in teſtimoniũ. Cõmodatæ igitur res cum fide & dextrè ſunt tractandæ, ac conſeruandæ lege charitatis & amicitiæ. Hæc lex de rebus animatis decernit, ſuperiori lege decreuerat de inanimatis. Si quid igitur depoſitum de animalibus reſtitui non poterit, quia vel mortuum, vel debilitatum, vel raptum fuerit ab hoſtibus nemine videnteſtunc demum non tenebitur qui depoſitum accepit, ſi iuramento ſe purgauerit ex parte ſua fraudem in depoſito non in-

 terceſsiſſe

terceſsiſſe. Per iuramentum autem iuſiurandum domini intelligitur, quod præſtatur ſub dei nomine, pro G ſuſpicione purganda, ad quod ſtare cogitur dominus rei perditæ, & ad reſtitutionis moleſtiam accuſatum vltra cogere non poterit. Horum omnium ratio eſt, quia præcauere morti vel debilitationi commendati animalis, aut irruptioni hoſtium reſiſtere qui depoſitum acceperat, non poterat. Quòd ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino. Quādoquidem populus Iſraël pecorum cupidus erat, hîc præcipit talionem & redhibitionem, ne quis temerè alterius pecora furetur. In pecuniis verò & aliis rebus aliud alia lege diffinitur. Hoc ergo vltimū mēbrum de depoſito viuo intelligendum eſt, & pecora viua ſi abacta fuerint, facilè deprehendi poteſt: in vaſis & pecunia non ita. Negligentia ergo hîc & oſcitantia punitur. An dicamus hunc de furto teneri, quia pro cuſtodia mercedem habet, ſicut quotidie vſu venire nouimus, quando paſtori cōmendantur paſcēda & cuſtodiēda animalia, certa annuatim taxata mercede? quod innuit ſcriptura dicens, Si quis commēdauerit proximo ſuo ad cuſtodiam, vnde non eſt depoſitarius propriè ſicut ſuperior, nimirum ergo ſi ille per iuramentum eſt liber à furto, H quia gratis ſeruabat, non autem iſte. Si comeſtū à beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet. Quaſi dicat, ſi dixerit cuſtos rei pecus dilaniatum & deuoratum à beſtia, adducet eius facti teſtimonium, ne putetur vendidiſſe, vel mactaſſe, hoc eſt, ſigna violentiæ inducat & diſcerptionis, & fidelis cuſtodiæ teſtimonio non careat, ne cogatur reddere. Dantur hæ leges etiam populo dei, in quo plurimi ſemper impij habentur, quibus neceſſariæ ſunt leges, iuſto enim lex data non eſt. Sed vix bona fide diuitiæ & temporalia tractantur, maximè res alienæ. Ex his quæ dicta ſunt, apparet ciuilem magiſtratum poſſe bona conſcientia iuramētum ad explorandam veritatem exigere, & eum à quo iuramentum legitimè exigitur, poſſe bona conſcientia illud præſtare, modò verum dicat, & nō mentiatur. Nā quòd dominus dixit, Nolite iurare omnino, aliò pertinet. THOMAS. Inter mutuum autem & depoſitum hæc eſt differentia, quòd mutuum traditur in vtilitatem eius cui traditur, ſed depoſitū traditur in vtilitatē deponentis, & ideo magis arctabatur aliquis in aliquibus caſibus ad reſtituendū mutuū, quàm ad reſtituendū depoſitum. Depoſitum enim perdi poterat dupliciter. Vno modo ex cauſa ineuitabili I vel naturali, puta ſi eſſet mortuū vel debilitatum animal depoſitū: vel extrinſeca, puta ſi eſſet captum ab hoſtibus, vel ſi eſſet comeſtū à beſtia, in quo tamē caſu tenebatur deferre ad dominū animalis id quod de animali occiſo ſupererat. In aliis autē ſupradictis caſibus nihil reddere tenebatur, ſed ſolùm ad expurgandā ſuſpicionem fraudis tenebatur iuramentum præſtare. Alio modo poterat perdi ex cauſa euitabili, puta per furtum, & tunc propter negligentiam cuſtodis reddere tenebatur. Sed ſicut dictum eſt, ille qui mutuò accipiebat animal, tenebatur reddere etiam ſi debilitatum aut mortuū fuiſſet in eius abſentia: de minori enim negligentia tenebatur quàm depoſitarius, qui non tenebatur niſi de furto. *Qui à proximo ſuo quicquid horum mutuum poſtulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præſente, reddere compelletur. Quòd ſi impræſentiarum dominus fuerit, non reſtituet, maximè ſi conductum venerat pro mercede operis ſui.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Secundum aliam literam, Maximè ſi conductum venierat pro mercede operis ſui, legitur, quaſi dicat, Tunc non reddet quis mutuò acceptum quando præſente domino illud amittit, ſed & illud præſertim non reddet quod conduxerat, & præſente domino ſimiliter amittit: K & hoc dicit litera quod venierat, id eſt, venditum erat, non quidem finaliter, ſed pro mercede ſui operis, id eſt, quam mercedem expetebat ſuum opus, id eſt, vſus: & refertur ſuum, ad rem conductam. THOMAS. Intentio legis erat aſſuefacere homines ſuis præceptis, ad hoc quòd ſibi inuicē de facili in neceſsitatibus ſubuenirent, quia hoc maximè eſt amicitiæ fomentum. Et hanc quidē facilitatem ſubueniendi non ſolùm ſtatuit in his quæ gratis & abſolutè donantur, ſed etiam in his quæ mutuò conceduntur, quia huiuſmodi ſubuentio frequentior eſt, & pluribus neceſſaria. Huiuſmodi autem ſubuentionis facilitatem multipliciter inſtituit. Primò quidem vt faciles ſe præberent ad mutuum exhibendum, nec ab hoc retraherentur anno remiſsionis appropinquante, vt habetur Deuteronomij decimoquinto. Secundò ne eum cui mutuum concederent, grauarent vel vſuris, vel etiam aliqua pignora omnino vitæ neceſsaria accipiendo, & ſi accepta fuerint, quod ſtatim reſtituerētur. Dicitur enim Deuteronomij vigeſimotertio, Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram, Et vigeſimoquarto, Nō accipies loco pignoris inferiorē & ſuperiorē molam, quia animam ſuam appoſuit tibi. Et Exodi vigeſimoſecundo dicitur, Si pi- L gnus à proximo tuo acceperis veſtimentū, ante ſolis occaſum reddes ei. Tertiò vt non importunè exigerēt. Vnde dicitur Exodi vigeſimotertio, Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor. Et propter hoc etiam mandatur Deuteronomij vigeſimoquarto, Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris in domum eius, vt pignus auferas, ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit, tum quia domus eſt tutiſsimum vniuſcuiuſque receptaculum, vnde moleſtum homini eſt vt in domo ſua inuadatur, tum etiam quia non concedit creditori, vt accipiat pignus quod voluerit, ſed magis debitori, vt det quo minus indiguerit. Quartò inſtituit quod in ſeptimo anno debita penitus remitterentur. Probabile enim erat, vt illi qui commodè reddere poſſent, ante ſeptimum annum redderent, & gratis mutuātem nō defraudarēt. Si autem omnino impotentes eſſent, eadem ratione eis erat debitum remittendū ea dilectione, qua etiam erat eis de nouo dandū propter indigentiam. Circa animalia verò mutuata hæc lex ſtatuit, vt propter negligentiā eius cui mutuata ſunt, ſi in ipſius abſentia moriātur vel debilitētur, reddere ea cōpellatur. Si verò eo M preſente, & diligēter cuſtodiēte, mortua fuerint vel debilitata, nō cogebatur reſtituere, & maximè ſi erāt mercede cōducta, quia ita etiam potuiſſent mori & debilitari apud mutuantē, & ita ſi cōſeruationem animalis conſequeretur, iam aliquod lucrum reportaret ex mutuo, & non eſſet gratuitum mutuum. Et maximè hoc obſeruandum erat, quando animalia erant mercede conducta, quia tunc habebat certum pretium pro vſu animalium. Vnde nihil accreſcere debebat per reſtitutionem animalium, niſi propter negligentiam cuſtodiētis. Si autem nō eſſent mercede cōducta, potuiſſet habere aliquā ęquitatē, vt ſaltē tantū reſtitueret, quantū vſus animalis mortui vel debilitati cōduci potuiſſet. CAIETANVS. Lex iſta de cōmodato tractat animali, vt patet ex ipſo cōtextu, propter ꝙ incipit à poſtulatione. Priores enim leges de depoſito, incipiūt à dare, quia ex parte deponētis incipit depoſitū: hęc autē incipit à petere, quia perēte eo cui cōmodatur, fit cōmodatio. Et quia dupliciter cōtingit cōmodare, vel gratis, vel cū mercede, propterea lex priᵒ diſponit de animali cōmodato gratis, diſtinguēdo inter cōfractione ſeu

*Vbi ſuprà ad 4.*

*2.2. q. 105. ar. 2. ad 5.*



A ſeu mortem animalis præſente domino vel abſente eodē. Decernit enim quòd ſi dominus animalis comitatur commodatum animal, non tenebitur ad ſoluendum caballum caſu confractum aut mortuum ille, cui commodatus fuit, ſi verò fuerit abſens, tenebitur ad ſoluendum. Et ratio diſparitatis eſt, tum quia præſens dominus teſtis eſt innocentiæ vtentis equo, tum quia præſens dominus poterat & debebat inhibere periculum caſus aut mortis, ſi periculum tale erat, quòd poterat ei obuiam iri. Deinde diſponit lex, ſi ſub mercede fuit animal commodatum, dicendo, Maximè ſi conductum venerat pro mercede operis ſui. Iuxta Hebræum habetur, ſi mercenarius ipſe venit in mercede ſua. Non ad hominem, ſed ad animal refertur mercenarius. Et eſt ſenſus, Si caballus aut mulus eſt mercenarius (hoc eſt, mercede habitus, hoc eſt, conductus) venit ipſe equus ſeu mulus in mercede ſua, hoc eſt, abſque diſtinctione præſentiæ vel abſentiæ domini, non tenebitur conductor ad ſoluendū animal caſu confractum aut mortuum. Et ratio redditur, quia non in fauorem vtentis, ſed in mercede ſua venit. Ita
B quòd decernit lex, quòd ſi gratis conceſſus eſt vſus equi, tenebitur vtens ſoluere equū caſu confractum aut mortuū, quia in fauorem vtentis conceſſus eſt, & ipſi ſoli incumbebat cura animalis abſente domino. Si autē conductus erat, non tenebitur ſoluere, tanquam pretium mercedis faciat equū ire periculo domini, gratioſa autem cōceſsio, faciat equū ire periculo vtētis abſente domino. AVCTOR CATENAE. Qui à proximo ſuo quicquid horū mutuò poſtulauerit. Rectè ſenſum Interpres reddidit: ſunt enim Hebraica huiuſmodi, וְכִי יִשְׁאַל אִישׁ מֵעִם רֵעֵהוּ Vechi iſal is mehim rehéhu, Et cùm quis mutuùm poſtulauerit, ſeu mutuatus fuerit à proximo ſuo. Eſt enim Saal verbum quod vtrunque ſignificat. Subaudi autem, Equum ſcilicet, aut bouem, & id genus. Septuaginta, ἐὰν δὲ αἰτήσει τις παρὰ τοῦ πλησίον, Si autē petierit quis à proximo ſuo, ſubaudi commodatū. Chaldaica, Et quando mutuò acceperit vir à proximo ſuo. Quæ omnia idem dicunt. Et ſi impræſentiarū dominus fuerit, id eſt, præſens. Eſt enim עִמּוֹ Himmo, Cum eo. Maximè ſi cōductum venerat pro mercede operis ſui. Id eſt, quod Hebraicè legitur, אִם שָׂכִיר הוּא בָּא בִּשְׂכָרוֹ Im ſachir hu ba biſcharo, Si conductum fuerit veniēs pro mercede ſua. Hebraiſ-
C mus eſt, id eſt, ſi pecunia conduxerit eum. Satis fuerat dixiſſe conductū fuerit, verū amplius expoſuit cū addidit, Veniens pro mercede ſua, hoc eſt, quòd animal habetur data mercede. Alij, ſi mercenarius ſit, ſubaudi mulus vel equus, venit propter mercedem ſuam. Alij, Quandoquidem mercede conductus pro mercede ſua venit, reddunt. Vt ſi equum tibi pro mercede vtendum dedero, & is me præſente defecerit, non teneris ad eius reſtitutionem. Quaſi dicat, erit loco mercedis quod mortuum vel fractum fuerit. Sic & Septuaginta, ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτου, id eſt, erit ei pro mercede. Chaldaica, Si conductum fuerit, computetur pro mercede. Quæ omnia idem dicunt cum Latina editione. Domino igitur præſente non poteſt facilè contra eius voluntatem quid committi, ſecus eſt, ſi abeſt dominus animalis. Alleuiatur cura commodatarij in præſentia domini, qui rerum ſuarum non minorem curam præſens habere debet quàm commodatarius, cuius negligentia amiſſum non redundare poteſt in commodatarium, cùm propria ſit. Si autem in abſentia domini moriatur vel debilitetur, & pro mercede locatum eſt, vltra mercedem quam conductor amittet, nihil reſtituet poſſeſſori.

D AVCTOR CATENAE ET RABANVS. Præter id quòd hiſtoricus ſenſus in his legibus charitati ſeruit, & ædificat abundè Eccleſiā, diſsipando cupiditatis abuſus, ius æquúmq; ſtatuēdo, etiam ſpiritualis ſenſus prodeſt plurimum, & dulces animæ præſtat epulas. Nam amico pecunia aut vas in cuſtodiam commendatur, cū per quemlibet prædicatorem theſaurus verbi dei, & vaſa ſcripturæ ſacræ ſimplici auditori ad cuſtodiendum, in recta fide & operibus bonis commendantur. Sed ſi pecunia commendata, id eſt, fides recta per quemlibet peruerſum doctorem & hæreticum confuſo intellectu ablata fuerit, ille qui per malitiam doli damnum fecit in cuſtode pecuniæ dominicæ, ſi apparebit, redigatur ſub pœnitentiam, vt tam corde quàm etiam opere contribulatus, dignas commiſsi ſceleris pœnas luat. Sin autē latet auctor erroris, dominus domus applicabitur ad deos, ipſe vtique qui cuſtodiendam fideliter pecuniam domini ſuſcepit, in conuentum doctorum catholicorum præſentetur, à quibus diligenter diſcutiendus congruè ſatisfaciat, quòd non per fraudem aut nequitiam propriam in aliquo læſerit, nec quemlibet qui ad gregem domini pertinebat, ipſa doctrina maculauerit aut ſubuerterit, à
E quibus reatum ſibi conſciuerit. Sicque iudicio ſanctorum ſacerdotum proximo ſuo duplum reſtituat, cum prædicatori ſuo fidem & confeſsionem catholicam pleniter exoluat, vt qui priùs minùs intelligens aberrauerat, pleniter inſtructus, veraciter fidelē ſe per omnia oſtendat. Si quis commendauerit proximo ſuo aſinum, ouem, bouem & omne iumentum ad cuſtodiam, &c. Hîc proximum, redemptorem noſtrum poſſumus accipere, qui cùm in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, iſte proximus noſter, aſinum, ouem, bouem, aut omne iumentum in cuſtodia committit, cùm cuilibet prædicatori animalia ſua, hoc eſt, homines alios ingenio valentes, alios ſimplices & innocentes, alios brutos & hebetes, ad regendum committit. Si ergo his animalibus cuſtos gregis domini omnem ſollicitudinem impendit, & peruigili cuſtodia curam illorum habuit, non ei nocebit, ſi horum quiddam à malignis ſpiritibus ſeductum, aut proprio vitio mortuum fuerit, ſufficiet paſtori conſcientia pura, fides non ficta, quæ per dilectionem operans, pro ſalute illius deuotè
F laborabat: ſuſcipiet ergo dominus bonam deuotionem illius, & ſtudium bonum redundare faciet illi in vitam æternam. Vnde dicit Apoſtolus, Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus deo in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis quidem odor vitæ in vitam, & reliqua. Si autem dormitat paterfamiliâs, & furem venturum non obſeruauerit, & per deſidiam illius horum quiddā perierit, damnum domino ſuo reſtituet, qui per negligentiā dominicū pecus cuſtodire non curauit. Hinc dominus ad Prophetā ait: Si me dicēte ad impiū morte morieris, nō fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinē autem eius de manu tua requirā. Si autē annūtiante te ad impiū vt à viis ſuis cōuertatur, nō fuerit cōuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, porrò tu liberaſti animā tuā. Sēper quidē cautus eſſe debet paſtor & peruigil in cuſtodia ſua, & ſi aliquē ſuorū per beſtiā diabolicā laniatū cōſpexerit, ſtatim pro eo domino preces fundat, eúmq; admoneat, & curare feſtinet, ne eius interitus in ſuæ animæ pernitiē peruе-

*Philip. 2.*

*2. Cor. 2.*

*Ezech. 3.*

niat. Qui à proximo ſuo quicquam horum mutuũ poſtulauerit,& aut debilitatũ aut mortuum fuerit,&c. A pro- G
ximo noſtro mutuum poſtulamus, cùm pro æterna remuneratione curam gregis dominici ſuſcipimus. Sed ſi ti-
Gen.31. morem dei ſemper ante oculos cordis noſtri ponimus, & aduentum eius quaſi exigentem pecuniam nobis cõ-
2.Cor.5. miſſam formidamus, quaſi in præſentia ipſius ſemper ſumus. Vnde & Iacob ad Laban ait, Niſi deus patris mei
Abraham,& timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes. Et Apoſtolus dicit, Scientes timorẽ
domini hominibus ſuademus, deo autem manifeſti ſumus. Et item de deo inquit, Quaſi coram deo in Chriſto
loquimur. Interitus ergo debilitati aut mortui pecoris, paſtori non reputatur, ſi eius curam ſtrenuè geſſit,& quaſi
deo præſenti, redditurus rationem ſtudioſiſsimè laborauit. Si autem domino non præſente damni quicquam
factum fuerit, reddere compelletur, quia qui negligens eſt in cura paſtorali, & ſecundum illam ſententiam ſerui
Matth.24. nequam dixerit in corde ſuo, Moram facit dominus meus venire,& cœperit percutere pueros & ancillas,& edere,& bibere,& inebriari, veniet dominus ſerui illius in die quam non ſperat,& hora qua neſcit,& diuidet eum, H
partẽmque eius cum infidelibus ponet, & in carcerẽ miſſus non exiet inde, donec reddat nouiſsimũ quadrantẽ.

3 *SI ſeduxerit quis uirginem necdum deſpõſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxo-*
*rem. Si pater uirginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modũ dotis quam uirgines accipere conſue-*
*uerunt. Maleficos non patieris uiuere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occi-*
*detur, præter domino ſoli. Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum. Aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ae-*
*gypti. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, uociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, &*
*indignabitur furor meus, percutiámque uos gladio, & erunt uxores ueſtræ uiduæ, & filii ueſtri pupilli. Si pecu-*
*niam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecũ, non urgebis eum quaſi exactor nec uſuris opprimes.* I

3 *Si ſeduxerit quis uirginem necdum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si pater uirginis dare nolu-*
*erit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam uirgines accipere conſueuerunt.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Si allexerit vir virginem nondum deſponſatam, blandis videlicet verbis, ſignis,&c. Hoc enim relatiuè ad virginem, non irrationabiliter vocatur ſeducere. Et aduerte quòd hæc ſeductio tanquam furtum eſt virginitatis,& ideo inferitur hîc. AVCTOR CATENAE. Si ſeduxit quis virginem. Septuaginta habent, ἐὰν δὲ ἀπατήσῃ, id eſt, ſi deceperit. ἀπατάω ſiquidem, propriè eſt à via aliquem deducere, nam πάτος viam tritam ſignificat. Hebraicè autem eſt verbum פָּתָה phatha, quod ſeducere, decipere, lactare, ſuadere,& perſuadere ſignificat. Dotabit eam,& habebit eam vxorem. Non diſcrepat ab Hebraico quod eſt huiuſmodi, מָהֹר יְהִרְנָה לוֹ לְאִשָּׁה Mahor imharẽnna lo leiſſa, Dotando dotabit eam ſibi in vxorem, id eſt, aſsignata dote accipiet eam ſibi in vxorem. Sic & Septuaginta. Chaldaica, Deſponſabit eam ſibi in vxorem. Reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere conſueuerunt. Egregiè vertit Hebraica Interpres, quæ ſunt, כֶּסֶף יִשְׁקֹל כְּמֹהַר הַבְּתוּלֹת Chéſeph iſkol K
chemóhar habethuloth, Argentum ponderabit, ſeu appendet iuxta modum dotis virginum, id eſt, ſummam pecuniæ quæ virginibus dari ſolet perſoluet. Chaldaica, Argentum in pondere reddet iuxta dotem virginum. Sic & Septuaginta, niſi quòd argentum patri ſoluendum dixerunt. Clara igitur hæc lex eſt,& explanatione non indigens. Quæ vbi ſeruaretur etiam apud nos, pudicitia non tam facilè periclitaretur. Quanquam enim duræ ceruicis & contumax ſemper fuerit,& multis vitiis inuolutus Iudæorum populus, ſcortatione tamen non adeò legitur commaculatus fuiſſe, quod nimirum huic legi acceptum ferimus diligenter obſeruatæ. Iuxta modum dotis virginum, ad literam Rabi Salomon explicat dotis quantitatem eſſe quinquaginta ſiclos, vt habetur Deuteronomij vigeſimoſecundo de virgine corrupta antequam alicui ſit deſponſata, vt ſit duplex reddenda dos, vna quæ detur filiæ, altera autem patri. Vides etiam ex hac lege, quòd parentum conſenſus ad coniugium, ſuo modo neceſſarius ſit. Dixit enim lex, ſi pater virginis dare noluerit,&c. *Maleficos non patieris viuere.* HIERONYMVS
Cap.2. IN DANIELEM. Videntur mihi Incantatores eſſe, qui verbis rem peragunt, Magi qui de ſingulis philoſo- L
phantur, Malefici qui ſanguine vtuntur & victimis,& ſæpe contingunt corpora mortuorum. Porrò in Chaldæis γενεθλιαλόγους ſignificari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Conſuetudo autem & ſermo communis, magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quòd ſint Philoſophi Chaldæorum,& ad artis huius ſciẽtiam reges quoque & principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Vnde & in natiuitate domini ſaluatoris ipſi primùm ortum eius intellexerunt,& venientes in ſanctam Bethlehem adorauerunt puerũ, ſtella deCap.27. ſuper oſtẽdente. IDEM IN HIEREMIAM. Maleficos vel veneficos poſſumus appellare, vel dæmonum phantaſmatibus ſeruientes, qui Hebraicè dicuntur מְכַשְּׁפִי. RABANVS. Maleficos appellat illos, qui præſtigiis magicæ artis ac diabolicis figmentis cauſas agunt, & ab vno deo qui verus eſt auctor bonorum omnium, auertere ſatagunt, quos vltra valere ad hominum pernitiẽ lex non patitur, ſed magis extinguere iubet. THO-
4.d.34.ad 3.im.cor. MAS. Quidam dixerunt quòd maleficium nihil erat in mundo, niſi in æſtimatione hominum, qui effectus M
naturales quorum cauſæ ſunt occultæ maleficiis imputabant, ſed hoc eſt contra auctoritates ſanctorum qui dicunt, quòd dæmones habent poteſtatem ſupra corpora & ſupra imaginationem hominum, quando à deo permittuntur, vnde per eos malefici ſigna aliqua facere poſſunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis ſiue incredulitatis, quia non credunt eſſe dæmones niſi in æſtimatione vulgi tantùm, vt terrores quos homo ſibi ipſi facit, ex ſua æſtimatione imputet dæmoni, & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparẽt in ſenſu, tales quales homo cogitat,& tunc credunt dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam angelos de cœlo cecidiſſe,& dæmones eſſe credimus,& ex ſubtilitate ſuæ naturæ multa poſſe, quæ nos non poſſumus, & ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Maleficam non viuificabis. Et eſt ſermo de muliere quam vocamus incantatricem, pœna mortis mulctanda. Et fortè adiecta eſt lex iſta ſtupro virginis, ad inſinuandum frequentem vſum artis maleficarum circa venerea promouenda. Ad literam tamen præceptum hoc inferitur hîc, pro quanto lædit diuinum cultum incãtatio-



A tatio,& eſt quaſi furtum animarum à deo ad dæmones, quemadmodum & indirectè coitus cum bruto, eſt furtum coitus debiti humano generi. AVCTOR CATENAE. Maleficos non patieris viuere. Hebraicè eſt: מְכַשֵּׁפָה לֹא תְחַיֶּה Mechaſſepha lo thechaie, Maleficã non viuificabis. Eſt enim Mechaſſepha generis fœminini,& numeri ſingularis. Et dicunt Hebræi, quòd ideo ponitur in genere fœminino, quia illud genus maleficij crebriùs reperitur in fœmina quàm in viro. Quanquam autem exprimat fœminam phitoniſſam, tamen etiam de viro ſimilia tentanti intelligitur, idipſum tamen rariùs vſu venit, ideo à ſcriptura negligitur. Alij vertunt maleficam vel ſortilegam aut magam non ſines viuere. Chaldaica, Malefica non viuat. Apud Septuaginta autem legitur; φαρμακοὺς οὐ περιβιώσεπε, id eſt, veneficos non viuificabitis. Hos ergo (inquit) malos homines non patieris viuere, ſed iure ac teſtibus conuictos occides. De his ſuperſtitionibus quales ſint, & quibus modis illudantur infelices fœminæ, magis tacendum & dolendum, quàm aliquid loquendum, cùm per totum mundum videamus his peB ſtibus infectas, & dæmonum inuocatio ſit coniuncta infidelitati. Et cùm varia eius ſuperſtitionis genera ſint, hîc notantur illæ præcipuè perditiſsimæ fœminæ, quæ familiarem ſpiritum malum habent, cuius documentis & reuelatione vtuntur, iuſto dei iudicio. *Qui coierit cum iumento, morte moriatur.* RABANVS. Contra naturalem vſum brutis animalibus per fornicationis inſtinctum vetat hæc lex commiſceri. THOMAS. Grauitas in 2.2.q.154. peccato magis attenditur ex abuſu alicuius rei, quàm ex omiſsione debiti vſus. Et ideo inter vitia quæ ſunt con- ar.12.ad 4. tra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod conſiſtit in ſola omiſsione concubitus ad alterum. Grauiſsimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſeruatur debita ſpecies. Vnde ſuper illud Geneſis trigeſimoſeptimo, Accuſauit fratres ſuos crimine peſsimo, dicit Gloſſa, quòd cum pecoribus miſcebantur. Poſt hoc autem eſt vitium Sodomiticum, cùm ibi non ſeruetur debitus ſexus. Poſt hoc autem eſt peccatũ ex eo quòd non ſeruatur debitus modus concumbendi. Magis autem ſi non ſit debitum vas, quàm ſi ſit inordinatio ſecundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus. AVCTOR CATENAE. Quicunque coierit cum
C iumento. Rectè verſum eſt Hebraicum, כָּל שֹׁכֵב עִם בְּהֵמָה Col ſocheb him behema, Omnis cõcumbẽs cum iumento. Vel, Quicunque cum iumento concumbit. Vel, Omnis coiens cum animali. Chaldaica, Omnis qui concubuerit cum iumento. Septuaginta verò habent, πάντα κοιμώμενον μετὰ κτήνους θανάτῳ ἀποκτενεῖτε αὐτούς, id eſt, Omnem dormientem cum iumento morte occidetis eos. Dictúmque aliàs, honeſtiſsimum ſcripturæ modum loquendi, dormire pro concumbere. Dictio enim שָׁכַב Sachab, cubare, iacere, requieſcere, dormire,& concumbere ſignificat. Horribile ergo exprimitur opus, horribili iudicio puniendum, vt vitetur diligentiùs, quia naturæ & naturarum auctori infame eſt,& vehementiſsimè inuiſum. Sine omni miſericordia occidatur vel diſpenſatione, hoc eſt, enim morte moriatur. *Qui immolat diis, occidetur, præter domino ſoli.* INTERLINEARIS. Id eſt, dæmoniis, quia dij Gentium dæmonia ſunt:& alibi dicitur, Adorabis dominum deum tuum,& illi ſoli ſeruies. CYPRIANVS CONTRA DEMETRIANVM. Quid igitur te ad falſos deos humilias & inclinas? Quid ante inepta ſimulachra & figmenta terrena captiuum corpus incuruas? Rectum te deus fecit,& cùm cæteD ra animalia prona & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus,& ad cœlum atque ad deum tuum vultus erectus. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in ſupernis deum quære. Vt carere inferis poſsis, ad alta & cœleſtia ſuſpenſum pectus attolle. Quid te in lapſum mortis cum ſerpente quem colis, ſternis? Quid in ruinam diaboli per ipſum & cum ipſo cadis? Sublimitatem ſerua, qua natus es. Perſeuera talis, qualis à deo factus es. Cum ſtatu oris & corporis, animum tuum ſtatue. Vt cognoſcere deum poſsis, te antè cognoſce. Relinque idola, quæ humanus error inuenit, ad deum conuertere, qui ſi implorauerit, ſubuenit. Chriſto crede, quem viuificandis ac reparandis nobis pater miſit. IDEM DE EXHORTATIONE MARTYRII. Quæ comminatio dei ſit aduerſus eos qui Idolis ſacrificant, in Exodo oſtenditur, Sacrificans diis eradicabitur, niſi deo ſoli. Item in Exod.22. Deuteronomio, Sacrificauerunt dæmoniis & non deo. Item apud Eſaiam, Adorauerunt eos quos fecerunt digiti Eſa.2. eorum,& curuatus eſt homo,& humiliatus eſt vir,& nõ laxabo illis. Et iterum, Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia. Super hæc non indignabor dicit dominus? Item Hieremias, Nolite ambulare poſt deos alieE nos vt ſeruiatis eis, & ne adoraueritis eos, & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendos Hier.7. vos. Item in Apocalypſi, Si quis adorat beſtiam & imaginem eius, & accipiet notam in fronte ſua aut in manu, Apoc.14. bibet & ipſe de vino iræ dei mixto in poculo iræ eius, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum angelorum,& ſub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in ſecula ſeculorum aſcendet. Nec habebunt requiem die ac nocte, quicunque adorauerint beſtiam & imaginem eius. AVGVSTINVS LIBRO DECIMO DE CIVITATE DEI. Vni vero deo nos ſeruitutem quæ latria Græcè dicitur, ſiue in quibuſque ſacra- Cap.4.5. mẽtis, ſiue in nobis ipſis debemus. Huius enim templum ſimul omnes,& ſinguli templa ſumus, quia & omnium 6.7. concordiam,& ſingulos inhabitare dignatur, non in omnibus quàm in ſingulis maior, quoniam nec mole diſtẽditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum ſurſum eſt, eius eſt altare cor noſtrum, eius vnigenito cum ſacerdote placamur, ei cruentas victimas cædimus, quando vſque ad ſanguinem pro eius veritate certamus,& ſuauiſsimum adolemus incenſum, cùm in eius cõſpectu pio ſanctóque amore flagramus, ei dona eius in nobis nóſF que ipſos vouemus,& reddimus: ei beneficiorum eius ſolẽnitatibus feſtis,& diebus ſtatutis dicamus, ſacramúſque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio: ei ſacrificamus hoſtiã humilitatis & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis. Ad hunc videndum ſicut videri poterit, eíque cohærendum ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine conſecramur. Ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligentes vel potiùs religentes, amiſeramus enim negligentes, hũc ergo religentes, vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, vt perueniendo quieſcamus, ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim noſtrum de cuius fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quàm illi cohærere, cuius vnius anima intellectualis incorporeo, ſi dici poteſt, amplexu, veris impletur, fœcũdatúrque virtutibus. Hoc enim bonum diligere, in toto corde, in tota anima,& in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci,& quos diligimus, ducere. Sic complentur duo illa præcepta in quibus tota lex pendet & Prophetæ, Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima

tua

tua,& in tota mente tua,& diliges proximum tuum tanquam teipſum. Vt enim homo ſeſe diligere noſſet, conſtitutus eſt ei finis quo referret omnia quæ ageret, vt beatus eſſet. Non enim qui ſe diligit, aliud eſſe vult quàm beatus. Hic autem finis eſt,adhærere deo. Iam igitur ſcienti diligere ſeipſum, cùm mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi vt ei quantùm poteſt, commendet diligendum deum? Hic eſt dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas,hæc tantùm deo debita ſeruitus. Quæcunque igitur immortalis poteſtas quantalibet virtute prædita, ſi nos diligit ſicut ſeipſam, ei vult eſſe ſubditos,vt beati ſimus, cui & ipſa ſubdita beata eſt.Si ergo non colit deum,miſera eſt,quia deo priuatur:ſi autem colit deum, non vult ſe coli pro deo. Illi enim potius diuinæ ſententiæ ſuffragatur, & dilectionis viribus fauet,qua ſcriptum eſt,Sacrificans diis eradicabitur, niſi domino ſoli. Nam, vt alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obſequium quo colitur deus,ſacrificium certè nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi domino ſoli. Multa denique de cultu diuino vſurpata ſunt,quæ honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera, ita tamen vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, ſi autem eis multum additur,& adorandi.Quis verò ſacrificandum cenſuit,niſi ei,quem deum,aut ſciuit,aut putauit,aut finxit? Quã porrò antiquus ſit in ſacrificando dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel ſatis indicant, quorum maioris deus reprobauit ſacrificium,minoris aſpexit.Quis autem ita deſipiat, vt exiſtimet aliquibus vſibus dei eſſe neceſſaria, quæ in ſacrificiis offeruntur? Quod cùm multis locis diuina ſcriptura teſtetur, ne longum faciamus, breue illud de Pſalmo commemorare ſuffecerit, Dixi domino,deus meus es tu,quoniam bonorum meorum non eges. Non ſolùm igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, ſed ne ipſa quidem iuſtitia hominis deum egere credendum eſt,totúmque quod rectè colitur deus,homini prodeſſe,non deo. Neque enim fonti ſe quiſquã dixerit profuiſſe ſi biberit,aut luci,ſi viderit. Nec quod ab antiquis patribus talia ſacrificia facta ſunt in victimis pecorum,quæ nunc dei populus legitimè non facit,aliud intelligendum eſt,niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas,quæ aguntur in nobis,ad hoc vt inhæreamus deo,& ad eundem finem proximo conſulamus. Sacrificium ergo viſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Vnde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipſe Propheta quærens deum peccatis ſuis habere propitium: Si voluiſſes, inquit, ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium deo,ſpiritus contribulatus, cor cõtritum & humiliatum deus non ſpernet. Intueamur quemadmodum vbi deum dixit nolle ſacrificium, ibi deum oſtendit velle ſacrificium. Non vult ergo ſacrificium trucidati pecoris,ſed vult ſacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dixit,hoc ſignificatur,quod eum velle ſubiecit. Sic itaq; illa deum nolle dixit,quomodo ab ſtultis ea velle creditur, velut ſuæ gratia voluptatis. Nam ſi ea ſacrificia quæ vult, quorum hoc vnum eſt,cor contritum & humiliatum dolore pœnitendi,nollet eis ſacrificiis ſignificari,quæ velut ſibi delectabilia deſiderare putatus eſt, non vtique dehis offerendis in lege veteri præcepiſſet. Et ideo mutanda erãt opportuno certóque iam tempore, ne ipſi deo deſiderabilia,vel certè in nobis acceptabilia,ac non potius quæ his ſignificata ſunt crederentur. Hinc & alio loco Pſalmi alterius,Si eſuriero,inquit,non dicam tibi,meus eſt enim orbis terræ,& plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum,aut ſanguinem hircorum potabo? Tanquam diceret,vtique ſi mihi neceſſaria eſſent, non à te peterem,quę habeo in poteſtate. Deinde ſubiungens,quid illa ſignificent: Immola,inquit,deo ſacrificium laudis,& redde altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & magnificabis me. Item apud alium Prophetam,In quo,inquit,apprehendam dominum,aſſumam deum meum excelſum? ſi apprehendam illum in holocauſtis, in vitulis anniculis? Si acceptauerit dominus in milibus arietum, aut in denis milibus hircorum pinguium? Si dedero primogenita mea pro impietate mea, fructum vẽtris mei pro peccato animæ meæ? Si annunciatum eſt tibi homo bonum, aut quid dominus exquirat à te, niſi facere iudicium & diligere miſericordiam,& paratum eſſe ire cum domino deo tuo? Et in huius Prophetæ verbis vtrũque diſtinctum eſt, ſatiſque declaratum illa ſacrificia non requirere deum,quibus ſignificantur hæc ſacrificia, quæ requirit deus, in epiſtola quæ inſcribitur ad Hebræos. Benefacere,inquit,& communicatores eſſe nolite obliuiſci, talibus enim ſacrificiis placatur deus. Ac per hoc,vbi ſcriptum eſt: Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium: nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij. Porrò autem miſericordia, verum ſacrificium eſt. Vnde dictum eſt, quod paulò antè commemoraui, Talibus enim ſacrificiis placatur deus. Quæcunque igitur in miniſterio tabernaculi ſiue templi multis modis de ſacrificiis leguntur diuinitùs eſſe præcepta, ad dilectionem dei & proximi ſignificandam referuntur. In his enim duobus præceptis,vt ſcriptum eſt,tota lex pendet & Prophetæ. Proinde verùm ſacrificium eſt omne opus,quod agitur,vt ſancta ſocietate inhæreamus deo,relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſsimus. Vnde & ipſa miſericordia,qua homini ſubuenitur,ſi propter deum non fit,non eſt ſacrificium. Et ſi enim ab homine fit vel offertur,tamen ſacrificium res diuina eſt,ita vt hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellauerint. Vnde ipſe homo,dei nomini conſecratus,& deo deuotus,in quantum mundo moritur vt deo viuat,ſacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet,quam quiſque in ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt,Miſerere animę tuæ placens deo. Corpus etiam noſtrum,cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus,propter deum facimus,vt non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato,ſed arma iuſtitiæ deo,ſacrificium eſt. Ad quod exhortãs Apoſtolus ait, Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam,ſanctam, deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento vtitur anima, cùm eius bonus & rectus vſus ad deum refertur, ſacrificium eſt, quantò magis anima ipſa cùm ſe refert ad deum, vt igne amoris eius accenſa,formam concupiſcentiæ ſecularis amittat,eique tanquam incommutabili formæ ſubdita,reformetur,hinc ei placens, quòd ex eius pulchritudine acceperit, fit ſacrificium. Quod idem Apoſtolus conſequenter adiungens, Et nolite,inquit,conformari huic ſeculo,ſed reformamini in nouitate mentis veſtrę,ad probandum quæ ſit voluntas dei,quod bonum & beneplacitum & perfectum. Cùm igitur vera ſacrificia opera ſint miſericordiæ, ſiue in noſipſos,ſiue in proximos, quæ referuntur ad deum, opera verò miſericordiæ non ob aliud fiant, niſi vt à miſeria



A ſeria liberemur,ac per hoc,vt beati ſimus,quod non fit,niſi à bono illo,de quo dictum eſt,Mihi autem adhærere deo bonum eſt,profectò efficitur,vt tota ipſa redempta ciuitas,hoc eſt,cõgregatio ſocietáſque ſanctorum,Vniuerſale ſacrificium offeratur deo per ſacerdotem magnum, qui etiam ſeipſum obtulit in paſsione pro nobis, vt tanti capitis corpus eſſemus ſecundum formam ſerui. Hanc enim obtulit,in hac oblatus eſt,quia ſecundum hãc mediator eſt, in hac ſacerdos, in hac ſacrificium eſt. Quum itaque nos hortatus eſſet Apoſtolus,vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuam,ſanctam,deo placentem, rationabile obſequium noſtrum, & non conformemur huic ſeculo, ſed reformemur in nouitate mentis noſtræ ad probandum quæ ſit voluntas dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum, quod totum ſacrificium nobis ipſi ſumus. Dico enim, inquit, per gratiam dei, quæ data eſt mihi,omnibus qui ſunt in vobis, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut vnicuique deus partitus eſt fidei menſuram. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia
B autem membra non eoſdem actus habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto,ſinguli autem,alter alterius membra habentes dona diuerſa ſecundum gratiam,quę data eſt nobis. Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum,multi vnum corpus ſumus in Chriſto, quod etiam ſacramento altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, vbi ei demonſtratur,quòd in ea oblatione quam offert,ipſa offeratur. Meritò illi in cœleſtibus ſedibus conſtituti,immortales & beati,qui creatoris ſui participatione congaudent,cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere ſancti ſunt,quoniam nos mortales & miſeros, vt immortales beatíque ſimus, miſericorditer diligunt, nolunt nos ſibi ſacrificare,ſed ei,cuius & ipſi nobiſcum ſacrificiũ ſe eſſe nouerunt. Cũ ipſis enim ſumus vna ciuitas dei,cui dicitur in Pſalmo,Glorioſa dicta ſunt de te,ciuitas dei,cuius pars in nobis peregrinatur,pars in illis opitulatur. De illa quippe ſuperna ciuitate,vbi dei voluntas intelligibilis atque incommutabils lex eſt, de illa ſuper nos quodammodo cura geritur. Nanque ibi cura de nobis habita, ad nos adminiſtrata per angelos ſancta illa ſcriptura deſcendit,vbi legitur,Sacrificans diis eradicabitur, niſi domino ſoli. Huic ſcripturæ, huic legi, talibus
C præceptis tanta ſunt atteſtata miracula,vt ſatis appareat,cui nos ſacrificare velint immortales ac beati, qui hoc nobis volunt eſſe quod ſibi. CRHYSOSTOMVS SVPER GENESIM. Tulit (inquit ſcriptura) Cain de fructibus terræ ſacrificium domino. Sciebat enim, & clarè ſciebat,quòd congruum eſſet,ex ſuis poſſeſsionibus aliquid deo offerendum,non quòd eo dominus indigeat, ſed vt ſuam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur. Nulla enim re indiget deus, nullíſque noſtris opus habet. Quia ob ineffabilem miſericordiam ita noſtræ infirmitati ſe attemperat, & propter ſalutem noſtram hæc fieri tolerat, vt dei agnitio humanæ naturæ virtutis ſit ſchola. THOMAS. Oblatio ſacrificij ſit ad aliquid ſignificãdum. Significat autem ſacrificium quod offertur exterius, interius ſpirituale ſacrificium quo anima ſeipſa offert deo ſecundum illud Pſalmi, Sacrificium deo ſpiritus contribulatus,quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem ſe offert deo in ſacrificium, ſicut principio ſuæ creationis, & ſicut fini ſuæ beatificationis. Secundum autem veram fidem ſolus deus eſt creator animarum noſtrarum, in ſolo etiam eo animæ noſtræ beatitudo conſiſtit. Et
D ideo ſicut ſoli deo ſummo debemus ſacrificium ſpirituale offerre, ita etiam ſoli ei debemus exteriora ſacrificia, ſicut etiam orantes atque laudantes, ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus, vt Auguſtinus dicit decimo de ciuitate dei. Hoc etiam videmus in omni republica obſeruari, quòd ſummum rectorem aliquo ſigno ſingulari honorant, quod cuicunque alteri deferretur, eſſet crimen læſæ maieſtatis. Et ideo in lege diuina ſtatuitur pœna mortis his, qui diuinum honorem aliis exhibent. IDEM. Quidam putauerunt quòd offerre ſacrificium,& alia ad latriam pertinentia, non ſolùm ſummo deo, ſed etiam ſculptilibus & imaginibus eſſet debitum, & per ſe bonum, eo quòd cuilibet ſuperiori naturæ diuinam reuerentiam exhibendam putant quaſi deo propinquiori,ſed hoc irrationabiliter dicitur. Nam etſi omnes ſuperiores reuereri debeamus,non tamen eadem reuerentia omnibus debetur. Sed aliquid ſpeciale ſummo deo debetur, qui ſingulari ratione omnes excellit, & hoc eſt latriæ cultus. Nec poteſt dici ſicut quidam putauerunt, hæc viſibilia ſacrificia diis aliis congruere,illi verò ſummo deo tanquam meliori meliora, ſcilicet puræ mentis officia, quia
E vt Auguſtinus dicit in decimo de ciuitate dei,exteriora ſacrificia ita ſunt ſigna interiorum, ſicut verba ſonantia, ſigna interiorum ſunt rerum. Quocirca ſicut orantes atque laudantes, ad eum dirigamus ſignificantes voces,cui res ipſas in corde quas ſignificamus offerimus, ita ſacrificantes non alteri viſibile ſacrificium offerẽdum eſſe nouerimus,quàm ei cuius in cordibus noſtris inuiſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus. Alij verò æſtimauerunt latriæ cultum exteriorem non eſſe idolis exhibẽdum,tanquam per ſe bonum aut opportunum, ſed tanquam vulgari conſuetudini,vt Auguſtinus in ſexto de ciuitate dei, introducit Senecam dicentem, Sic (inquit) adorabimus,vt & meminerimus huiuſmodi cultum magis ad morem,quàm ad rem pertinere. Et in libro de vera religione Auguſtinus dicit,non eſſe religionem à Philoſophis quærendam,qui eadẽ ſacra recipiebãt cum populis,& de ſuorum deorum natura ac ſummo bono diuerſas contrariáſque ſentẽtias in ſcholis perſonabant. Et hunc etiam errorem ſecuti ſunt quidam hæretici aſſerentes non eſſe periculoſum,ſi quis perſequutionis tempore deprehenſus,exterius idola colat dum tamen fidem in mente ſeruet. Sed hoc apparet manifeſtè falſum. Nam
F cùm exterior cultus ſit ſignum interioris cultus, ſicut eſt pernitioſum mendacium ſi quis verbis aſſerat contrarium eius quod per veram fidem tenet in corde, ita etiam eſt pernitioſa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id quod ſentit in mente. Vnde Auguſtinus dicit cõtra Senecam in ſexto de ciuitate dei, quòd eò damnabilius colebat idola, quò illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret,vt eum populus veraciter agere exiſtimaret. CAIETANVS. Qui immolat diis,occidetur,præter domino ſoli. Nomen eſt tetragrammaton, ad clarè explicandum,quòd ſoli illi qui dat eſſe omnibus,eſt ſacrificandum. Ita quòd diruendus cẽſetur,qui ſacrificauerit cuicunque ſpirituali ſubſtantiæ,quæ non eſt creatrix omnium. Et has vocat heloim, quælibet enim gens appellabat deũ ſuũ elohim. Et hoc quoq; hîc inſeritur,quia ſacrificare alteri, eſt furari honorẽ deo. AVCTOR CATENAE. Septuaginta legũt, Sacrificãs diis alienis. Quod clariùs exprimit Chaldaica, dicẽs, Qui immolauerit idolis populorum,occidatur,præter nomini domini ſolius. Tametſi hæc lex moralis eſt,& ex decalogo, tamen hîc inter iudicialia ponitur, eo quòd pœna non erat addita, ſi quis deos alienos coluiſſet. Hîc ergo lex occidi

*Hom.18.*

*Vbi ſuprà. q.85.ar.2.*

*Ibidem. 4.94.ar.2. in.cor.*

occidi eos,ac omnino perdi iubet,qui præter dominum alios deos colunt.Sub eadem etiam mortis pœna, pro- G
hibita intelligitur oblatio omnis, libatio,& thurificatio, & quicquid deo in templo directè exhibebatur. *Ad-*
*uenam non contriſtabis, neque affliges eum. Aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Aegypti.* RABANVS. Dilectionem proxi-
mi per miſericordiæ compaſsionem commendat,ne fortè furore iracundiæ permoti,aut auaritiæ ſtimulo inci-
*Matth.7.* tati,naturæ ius ſeruare negligant,ſed ſemper illius ſententiæ veritatis reminiſcentes,qua dicit,Omnia quæ vul-
tis vt faciant vobis homines,hæc eadem facite illis.Et vt alibi ſcriptum,Quod ſibi quis fieri non vult,alij ne fa-
ciat.Vnuſquiſque ergo indigenti proximo ſuo in neceſsitate conſulat,nec vnquam noceat, ſed ſecundum vires
foueat. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Aduenam non decipies, & non vexabis eum,&c. Quòd
nulli eſt faciendum, ſpecialiter inhibetur faciendum peregrinis, tum quia facilius decipi & opprimi peregrinus
poteſt,tum quia Hebræi deſpiciebant reliquas gẽtes, & propterea exemplum à ſe ipſis olim peregrinis in Aegy-
pto adiungit. Et ad literam inferunt præcepta hæc peregrinos & viduas ac pupillos, pro quanto ſunt tanquam H
furta officiorum debitorum peregrinis,viduis & pupillis. AVCTOR CATENAE Aduenam non contri-
ſtabis,neque affliges eum.Duo verba hîc poſita ſunt quæ idem ferè ſignificant.Nam יָגֹה Iana,eſt contriſtare,affli-
gere,decipere,ſpoliare: לָחַץ lachaz verò ſignificat, arctare,coarctare,opprimere,affligere, atterere,tribulare.Vn-
de diuerſimodè locus ab interpretibus redditur,ſed ſemper in eũdem ſenſum cum Latina litera. Quidam enim,
Peregrinum non contriſtes, neque expiles eum.Alij,Aduenam ne decipias,ne expiles eum.Vel,Ne contriſtaueris
neque denudaueris,id eſt, ne priuaueris bonis.Sunt & qui vertant, Et peregrino non inferes vim, & non oppri-
mes eum.Chaldaica,Aduenam autem non decipietis,neq; affligetis.Septuaginta habent, καὶ πρσοήλυτον οὐ κακώ-
σετε, οὐδὲ μὴ θλίψετε αὐτὸν, Et aduenæ non malefacietis,neque affligetis eum. Quæ omnia huc tendunt, peregrino
nullam inferendam iniuriam.Hanc legem omnes ferè gentes philautia obcæcati negligunt. Omnes enim exte-
ros & aduenas contemnere ſolent.Apponit autem deus quod vim magnam habet affectum mouẽdi. Et vos(in-
quit)aliquando aduenæ fuiſtis,oppreſsi & afflicti in terra Aegypti.Hoc nunquam debet vobis excidere,quaſi di- I
ceret, Hac cauſa permiſi tãto tempore vos in Aegypto affligi,vt diſceretis oppreſsis & afflictis commiſereſcere,
& ne proximo quod vobis fieri noluiſtis,faceretis. *Viduæ & pupillo non nocebitis.Si læſeritis eos,vociferabũtur ad me,& ego*
*audiam clamorẽ eorum,& indignabitur furor meus,percutiamq; vos gladio,& erũt uxores veſtræ viduæ,& filij veſtri pupilli.* CHRY-
*Hom.69.* SOSTOMVS SVPER IOANNEM. Fiamus & nos mũdi,diſcamus benefacere. Et quomodo poſſumus?
Iudicate pupillo(ait dominus per Prophetam) iuſtificate viduam,& venite diſputemus.Frequenter in ſacris ſcri
pturis mentio fit viduarum & orphanorum,ſed nobis nulla eorum ratio. Veruntamen audi quantum illic mer-
cedis:Si fuerint peccata veſtra vt coccinum,quaſi nix dealbabũtur:& ſi fuerint rubra quaſi vermiculus,velut la-
na alba erunt.Neque enim habet defenſorem vidua, ideo multa de ea ratio habetur, quæ cùm ſecundis nuptiis
coniungi ſibi liceret,dei timore in viduitate multa perpetitur. Eis igitur manus porrigamus omnes viri & mu-
lieres,ne quando viduitatis moleſtias ſubeamus,& ſi ſubierimus,benignitatum in nos materiam benignitate no
ſtra comparemus.Non parua vis lachrymarum viduæ eſt,ſed ipſum poſſunt cœlum aperire. Nolimus eis inſul- K
tare,ne augeamus calamitatem,ſed pro viribus opitulemur.Ita nos & in hoc,& in futuro ſeculo muniemus,ne-
que enim in hac duntaxat vita,ſed in illa quoque nobis aderunt,& ob noſtra in ſe officia maximam peccatorum
noſtrorum partem præcidẽt,atque delebunt,& fidẽter faciẽt nos ante iudicis tribunal comparere. EX COL-
*Coll.9.* LATIONIBVS PATRVM. Diuerſas exauditionum cauſas eſſe ſecundum animarum diuerſum ac va-
*Cap.34.* rium ſtatum Euangelica ſiue Prophetica teſtãtur eloquia. Habes enim in duorum conſenſione fructum exaudi-
*Matth.18.* tionis dominica voce ſignatum, ſecundum illud, Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quan-
cunque petierint,fiet illis à patre meo,qui in cœlis eſt.Habes aliam in fidei plenitudine quæ grano ſinapis compa
*Eiuſdẽ.19.* ratur.Si enim(inquit)habueritis fidem ſicut granum ſinapis,dicetis monti huic,tranſi hinc,& tranſibit, & nihil
impoſsibile erit vobis. Habes in aſsiduitate orationum, quam propter indefeſſam petitionum perſeuerantiam,
*Luc.11.* importunitatem ſermo dominicus nominauit. Amẽ dico vobis,quia ſi non propter amicitiam vel propter im-
*Eccl.29.* portunitatẽ eius ſurget,& dabit ei quãtum opus habuerit.Habes in eleemoſynarum fructu. Include(inquit)elee- L
*Eſa.58.* moſynam in corde pauperis,& ipſa orabit pro te in tempore tribulationis.Habes in emẽdatione vitæ & operibus
miſericordiæ,ſecundum illud,Diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimẽtes. Et poſt pauca qui-
bus infructuoſa ieiunij ſterilitas caſtigatur.Tũc(inquit)Inuocabis,& dominus exaudiet te,& clamabis, & dicet,
Ecce aſſum.Nonnunquam ſanè exaudiri etiam tribulationum nimietas facit,ſecundum illud, Ad dominum cũ
*Pſal.119.* tribularer clamaui, & exaudiuit me. Et iterum,Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos,vociferabuntur
ad me, & ego audiam clamorem eorum,&c.Videtis ergo quot modis obtineatur exauditionis gratia, vt nullus
ad impetranda ea quæ ſalutaria ſunt & æterna, conſcientiæ ſuæ deſperatione frangatur.Vt enim miſeriarum no
ſtrarum contemplatione concedamus nos omnibus illis quas ſuprà memorauimus penitùs deſtitutos eſſe vir-
tutibus,& nec illam nos habere laudabilem duorum cõſenſionem, nec illam fidem grano ſinapis comparatam,
nec illa opera pietatis quæ Propheta deſcribit, num vel importunitatẽ quæ omni volenti ſuppeditat, habere nõ
poſſumus?Per quam etiam ſolam ſi nõ pro amicitiarum merito atque virtutum,interpellationis aſsiduitate da- M
*2.2.q.65.* turum ſe dominus quicquid oratus fuerit,repromittit. THOMAS. Viduæ & pupillo non nocebitis.Iniu-
*ar.4.ad 3.* riæ illatæ in viduas & in pupillos,magis exaggerantur,tum quia magis opponuntur miſericordiæ,tum quia idẽ
*Cap.8.* nocumentum huiuſmodi perſonis inflictum,eſt eis grauius,quia non habent releuantem. IDEM IN EPI-
*lect.3.* STOLAM AD ROMANOS. Si læſeritis eos vociferabuntur ad me,& ego exaudiam eos.Hoc autem fa-
ciunt non tantùm ſono vocis, quantùm intentione cordis, quæ quidem propter ſui magnitudinem clamor di-
citur,ſicut & ad Moyſen tacentem dicitur Exodi decimo quarto, Quid clamas ad me? ſcilicet intentione cor-
dis.Sed iſta magnitudo intentionis ex affectu filialis amoris procedit, quem in illis ſpiritus ſanctus facit.Vnde
dicitur,In quo,ſcilicet ſpiritu ſancto,clamamus abba pater.Vnde Eſaię ſexto dicitur, Quod Seraphin qui inter-
*Vbi ſupra.* pretantur ardẽtes,quaſi igne ſpiritus ſancti clamabant alter ad alterum. IDEM. Ira autẽ dei, vindicta ipſius
*Cap.1.* eſt,quæ dicitur ira dei ſecundum ſimilitudinẽ hominum iraſcẽtium,qui vindictam quærunt, tamẽ deus vindi-
*lect.6.* ctam



A ctam infert ex animi tranquillitate.Sapientiæ duodecimo,Tu autem dominator noſter cum tranquillitate iu-
dicas. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur,Viduã & pupillum non affligetis,ſi affligetis eos,&c.Simili-
ter cùm nullus affligendus ſit,inhibetur in ſpecie afflictio viduarũ & pupillorũ,vtpote qui facilè affligi poſſunt,
carendo patre ſeu marito.Et ne impunitatẽ ſibi promittant,ſeipſum deus vindicẽ manifeſtat futurũ, gladio oc-
cidente viros, &c. AVCTOR CATENAE. Viduè & pupillo non nocebitis . Non differt ab Hebræo: כָּל
אַלְמָנָה וְיָתוֹם לֹא תְעַנּוּן Col almana veiathom lo thehannun , Omnẽ viduam ſiue pupillum non affligetis.Vel vt
habet Chaldaica,Nullam viduã neq; pupillum affligetis.Apud Septuaginta etiam idẽ verbum οὐ κακώσετε repe-
titur,id eſt,non opprimetis,nõ affligetis,non malefacietis.Si læſeritis eos. אֹתָן Otho eſt in Hebræo,hoc eſt,eum;
ſed ſingulare pro plurali ponitur,videlicet pro eos, quod & in toto hoc membro fit, quod ſingularibus vocibus
conceptum eſt.Eſt autẽ hîc reticentia,& ſubaudiẽdum,poſteà te affligam. כִּי אִם Chi im,Quia ſi,vel nam ſi,voci-
B ferabuntur,&c.Indignabitur furor meus.Hebraiſmus,pro iraſcar valde.Eadem ratione viduæ,pupilli,pauperes
non affligendi,deſtituti alioqui humanis præſidiis,dominus enim eorum omniũ fert curam ſingularẽ.Eſt autem
ſermo cõminatorius,& admodum accuratus,quaſi dicat:Cauete ne vnquã affligatis aut contriſtetis viduas, aut
orphanos,quòd ſi affligẽdo affligetis eos, & ipſi clamando ad me clamauerint , ego exaudiendo exaudiam cla-
morẽ eorum(Hebraiſmi enim ſunt,qui apud eos habentur,& apud Septuaginta & Chaldæum)affectũ magnum
exprimentes.Nam mihi curæ ſunt in primis, quantò magis negliguntur ab aliis, neq; ego clamorẽ eorum negli-
gam.Hoc capitulum diligenter & crebrò inculcandum magiſtratibus & iudicibus,eſt enim in cœlũ clamãs grã-
de piaculũ,miſeros affligere,& reddere miſeriores. Nemo ergo admiretur populorum plagas magnas, vbi vide-
rit opprimi pauperes ſine clementia,orphanos affligi & exulare,hæreditatibus fraudari,viduas perſequi & cõtri-
ſtari.Hæc eſt enim familia dei,horum lachrymæ à deo diſſimulari non poſſunt, quin contra afflictores excãde-
ſcat clementia dei patris, & eo res omnes vertat, vt gladio cadentibus horum oppreſſoribus iniuſtis,ipſorũ vxo-
C res viduæ miſerabiles fiant,& filij eorũ orphani,mẽſura contra menſurã, par pari referẽdo. *Si pecuniã mutuam de-*
*deris populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes.* RABANVS. More ſuo domi-
nus prouocat ad miſericordiã & beneficentiã corda audientium, quòd cũ indigentibus proximis ex rerum abũ-
dantia opitulantur,dilectionis iura conſeruent, quæ æternã illis parient in cœlis remunerationẽ CAIETA-
NVS. Redeũdo manifeſtè ad materiã iniuſtæ acceptionis rei alienæ,inſinuat quare media inſeruit.Libra ita-
que tres conditiones,dicit populo meo,Iſraëlitas ſignificãdo,ab eo quòd ſunt populus dei.Nec eſt ſenſus, Si mu-
tuaueris populo meo in cõmuni,ſed alicui homini populi mei.Et appoſitiuè adiungit pauperi,& amplius appo-
nendo adiungit tecum,hoc eſt,conciui habitãti tecum in eadẽ ciuitate,vt intelligamus legem hãc ſic,Si mutua-
ueris alicui homini populi mei præſertim pauperi,præſertim habitanti in ciuitate in qua habitas tu, Nõ vrgebis
eum quaſi exactor,nec vſuris opprimes.Pulcher ſenſus, ſed in Hebræo habetur,non eris ei ſicut mutuator,nõ po-
netis ſuper eum morſum.Ordo præpoſterus,apud Hebræos frequens,priùs enim inhibendum eſt maius maluni,
D & deinde minus.Appellatione itaq; morſus,vſura ſignificatur,vt ex ipſo nomine manifeſtaret deus loquẽs, vſu-
ram eſſe illicitã,vtpote ex ſuo genere nociuã ſeu læſiuam,quemadmodum morſus ſuapte natura læſiuus eſt:mor
dendi itaq; officium exercet ſecundum diuinũ iudicium vſurarius. Et verè ſecũdum naturalis rationis ius, plus
ex mutuo velle quàm mutuatum ſit,iniquum eſt,apponere eſt mutuo vim mordẽdi res illius cui mutuatur.Hu-
iuſmodi morſum apponere præcipuè prohibet deus,& deinde circa modũ tam mutuandi quàm exigẽdi prohi-
bet,vt non ſit illi ſicut mutuator.Mutuator ſiquidẽ quia pecunia ſua non lucratur quãdiu mutuo gratis tenetur,
ſolicitat,ſtimulat,atque exigit,mutuando autem vult eſſe plus quàm ſecurus de pecunia quam mutuat . Mãdat
deus,vt erga pauperes populi ſui non fiat ſic. AVCTOR CATENAE. Nõ vrgebis eum quaſi exactor, vel
ſicut habet Chaldaica,Non eris ei quaſi fœnerator.Dictio enim נֶשֶׁה Noſe,vtrunque ſignificat.Nec vſuris oppri-
mes.Idem dicunt & Hebraica in ſententia לֹא תְשִׂימוּן עָלָיו נֶשֶׁךְ Lo theſimun halaf néſech , Non imponetis ſuper
eum vſuram.Sic & Chaldaica.Vel, Morſum.Vtrũque enim ſignificat dictio נֶשֶׁךְ Néſech . Verùm quia vſura eſt
E quodammodo morſus hominis,qui eum quandoque vſque ad viuum corrodit,hinc eſt quòd morſus pro fœno-
re ponitur. Eſt autem ſenſus, Non impones illi vſuram tanquam fœnerator, nec quicquam ab eo præter ſortem
exiges.Et perinde eſt ac ſi diceret, Mutuũ da, nihil inde ſperans.Vſura itaque pauperes non grauandi præcipiũ-
tur,pecuniam non mutuandam ad fœnus aut lucrum, & inclementer debita non exigenda à debitoribus, de ſu-
perfluis ſuccurrendum pauperibus.

RABANVS. Spiritaliter autem, virginem necdum deſponſatam ſeducere, eſt quamlibet ſententiam ca- *Myſticè.*
nonicam necdum ab alio expoſitam iuxta ſenſum patrum , ex proprio exponere . Sed dotem dare illi debet , &
ſic habere in vxorem , quia niſi per fidem catholicam eam acquiſierit , eius copula frui non licebit. Sequitur , Si
pater virginis eam dare noluerit , reddat pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere conſueue-
runt . Pater quidem virginis , hoc eſt , ſententiæ , ſenſus eſt hiſtoricus , de quo naſcitur oratio . Si ergo hiſto-
ricus ſenſus in qualibet ſententia inuenitur , qui charitatis regnum idoneè ædificet , & regnum cupiditatis ſuf-
F ficiẽter deſtruat , nõ videtur neceſſe allegorica interpretatione illum exponi. Quã tamen lector dote rectę fidei
honorare debet,& ſic intactã ſua expoſitione relinquere. Maleficos non patieris viuere. Typicè maleficos hære-
ticos poſſumus accipere , qui nõ ſpiritu dei,ſed ſpiritu maligno inſtigati,peruerſas ſectas ad hominũ deceptionẽ
introducunt,quos lex domini interimi iubet,id eſt,à cõſortio fidelium,qui deo vita vera viuũt,anathemate pe-
nitùs ſequeſtrari,donec maleficium,id eſt,error extinguatur,qui noxiè in eis viuere videbatur, ne eorum cõmu-
nio ſimpliciũ fratrum fiat contaminatio.Qui coierit cum iumento,morte moriatur. Stultorũ hominum prohi-
bet conſortium,quorũ ſocietas in fornicationẽ peſsimam,hominem facit incidere,id eſt,animã per errorẽ ſepa-
rari à deo,& iũgi per flagitium diabolo.Vnde ſcriptura dicit,Amicus ſtultorum,efficitur ſimilis . Qui immolat
diis,occidetur,præterquã domino ſoli.Id eſt,qui diuinum honorẽ ſoli cõpetentem deo, alicui creaturæ impẽde-
rit,nece ſpirituali in anima mulctatur,in Tartarum vtique gehennæ ignis ſine vllo remedio propter impietatẽ,
in æternum puniendus præcipitabitur.Aduenam nõ contriſtabis, neque affliges eum. INTERLINEARIS.

Id eſt

Id est,ad patriam cœlestem tendentẽ non scandalizabis, iuxta illud, Aduena ego sum & peregrinus sicut omnes G
*Psal.38.* patres mei. Viduæ & pupillo nõ læseritis,&c. RABANVS. In vidua sancta Ecclesia,quæ in die iudicij expectat Christũ,quem modò nõ habet præsentẽ,in pupillo Christianus populus cui mortuus est Mũdus pater,& Babylonia mater,accipi potest,quã prohibet contristari per persecutionem vel fastum mundanũ, ne fortè talis insectatio,ad pernitiem eorũ spiritualem perueniat,qui eos frustra odiis & contumeliis molestant.Si pecuniã mutuã dederis populo meo pauperi,&c.Pecuniã mutuã populo pauperi dare, est legis scientiam gentili populo impẽdere,qui pauper spiritu est.Quẽ tamen vrgere vel vsuris,hoc est,superabundãtia aliqua opprimere vetat, quia post perceptionẽ gratiæ,ad cęremonias legis veteris obseruandas retorqueri nõ vult,quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti.Item tropologicè,prædicatores Euãgelij admonet,vt superfluitatem rerum in præsenti non appetant, sed habentes victum & vestitum, his contenti sint magisque recordentur illius dominicæ
*Matth.10.* sententiæ qua dicit, Gratis accepistis,gratis date,& erit merces vestra multa in cœlo. H

4 *Si pignus à proximo tuo acceperis uestimentum,ante solis occasum reddes ei: ipsum est enim solũ quo operitur indumentum carnis eius,nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.Diis non detrahes,& principi populi tui non maledices.Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque & ouibus similiter facies. Septem diebus sit cum matre sua, die octauo reddes illum mihi.Viri sancti eritis mihi. Carnem quæ à bestiis fuerit prægustata,non comedetis,sed proiicietis canibus.*

4 *Si pignus à proximo tuo acceperis uestimentũ,ante solis occasum reddes ei:ipsum est enim quo operitur indumentũ carnis eius,nec habet aliud*
*Locut.99.* *in quo dormiat.Si clamauerit ad me,exaudiã eum,quia misericors sum.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Genus pro specie posuit,sic enim dictũ est,ac si de omni veste pignus dederit,cũ de illo specialiter se dicere ex cõsequentibus scriptura testetur,qui nõ habet nisi eam vestẽ,vnde se nocte cooperiat. HIE-
*Cap.1.* RONYMVS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS. Nõ id ipsum arrabo quod pignus sonat.Arrabo enim futuræ emptioni quasi quoddã testimonium & obligamentũ datur. Pignus verò hoc est, ἐνέχυρόν pro mutua pe-
*Cap.18.* cunia opponitur,vt cũ illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur. IDEM IN EZECHIELEM. Non omni autem debitori pignus reddendũ, alioqui multis occasio recipiendorum pignorum, fiet diuitiarum materia,sed ei debitori,de quo in lege scribitur,quod pauper sit,& propriũ opposuerit vestimentum,& ante solis occasum operimentum recipere debeat,ne cruciatus frigore,clamet ad dominum,qui vltor est eius iniuriæ.Sin autẽ iuxta ea quæ sequuntur,panem esurienti dare debemus, & nudũ operire vestimento, quãtò magis suum reddere,si tamen debitoris indubitata paupertas est? Possumus quoq; pignus reddere debitori, quãdo ei cui dilectione cõiungimur,& qui nobis debet mutuã charitatem,reddimus pignus suum,nihil debiti eius
*Cap.17.* apud nos vltra retinentes. AMBROSIVS IN LIBRO DE TOBIA. Si pignus à proximo tuo accepe- K
ris vestimentum,ante solis occasum redde ei.Reddite ergo pignora quæ tenetis, quoniam fideiussorem idoneũ reperistis. Sed obmurmurant adhuc dicentes,quia licet tenere pignora.Et se lege defendunt,aiunt enim,scriptũ est in Deuteronomio,Si fuerit tibi debitum à proximo tuo quodcunque,non introibis in domum ipsius pignerare pignus,sed foris stabis,& homo apud quem est debitum tuum,proferet tibi pignus foris. Si autẽ homo ille pauper fuerit,non dormies in pignore ipsius,sed redditione reddes ei pignus ipsius ad occasum solis,& dormiet in vestimento suo,& benedicet tibi,& erit in te misericordia coram domino deo tuo. Et alibi(inquiunt)scriptũ est,Non pignerabis molam neque lapidem superiorem molæ,quoniã hic pignerat.Et alibi, Non accipies pignus vestimenti viduæ.Vnde argumentãtur quòd specialia pignora sunt interdicta,non omnia,id est,pauperis & viduæ.Molam quoque & lapidem superiorem molæ prohibitum pignerari. Sed cũ per Ezechielem prophetã dicat dominus,iustum esse qui pignus reddidit,iniustum qui tenuit,vtique nõ speciale aliquod,sed generaliter omne pignus suadet reddendum esse,cũ dicat Iob,Cõscriptionem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptã, L
imponẽs coronã legebam. Et si non scindens eam reddidi,nihil accipiens à debitore.Cùm dominus nihil ab his quibus mutuum dederimus,sperãdum esse præcipiat quod recipere debeamus,quomodo pignus secundum legẽ
*2.2.q.99.* putant retinendum esse? THOMAS. In lege ponuntur aliqua tanquã præcepta,aliqua verò tanquã ad præ-
*ar.2.in cor.* ceptorum impletionem ordinata.Præcepta quidẽ sunt de his quæ sunt agẽda,ad quorum impletionem ex duobus homo inducitur,scilicet ex authoritate præcipientis,& ex vtilitate impletionis, quæ quidem est consecutio alicuius boni vtilis,delectabilis vel honesti,aut fuga alicuius mali contrarij. Oportuit igitur in veteri lege proponi quædam quæ authoritatem dei præcipientis indicarẽt, sicut illud Deuteronomij sexto,Audi Israël dominus deus tuus,deus vnus est,Et illud Geneseos primo,In principio creauit deus cœlum & terrã, & huiusmodi dicuntur testimonia.Oportuit etiam quòd in lege proponerentur quædam præmia obseruantium legem, & pœnæ transgredientium,vt patet Deuteronomij vigesimooctauo,Si audieris vocem domini dei tui faciet te excellentiorem cunctis gentibus,& cætera,& huiusmodi dicuntur iustificationes,secundũ quod deus aliquos iustè punit M
vel premiat.Ipsa autẽ agenda sub præcepto nõ cadunt,nisi in quantũ habẽt aliquã debiti rationẽ.Est autẽ duplex debitũ.Vnum quidẽ,secundũ regulã rationis, aliud autẽ secundũ regulã legis determinantis, sicut Philosophus in octauo Ethicorũ distinguit duplex iustũ,scilicet morale & legale. Debitũ autẽ morale est duplex,dictat enim ratio aliquid faciendũ vel tanquã necessariũ sine quo nõ potest esse ordo virtutis: vel tanquã vtile ad hoc quòd ordo virtutis melius cõseruetur:& secundũ hoc quædã moraliũ præcisè præcipiũtur vel prohibẽtur in lege, sicut Non occides,nõ furtũ facies, & hæc propriè dicũtur præcepta. Quædã verò præcipiũtur vel prohibẽtur,nõ quasi præcisè debita,sed propter melius,& ista possunt dici mãdata,quia quandã inductionẽ habent & persuasionẽ,sicut illud Exodi vigesimosecundo, Si pignus acceperis vestimentũ à proximo tuo,ante solis occasum reddas ei, & aliqua similia.Vnde Hieronymus dicit,quòd in præceptis est iustitia, in mãdatis verò charitas.Debitum autem ex determinatione legis, in rebus quidem humanis pertinet ad iudicialia, in rebus autẽ diuinis ad cęrimo-
nialia



A nialia.Quamuis etiam ea quæ pertinent ad pœnam vel præmia,dici possint testimonia,in quantũ sunt protestationes quædam diuinæ iustitiæ.Omnia verò præcepta legis possunt dici iustificationes, inquantũ sunt quædam executiones legalis iustitiæ.Possunt etiam aliter mandata à præceptis distingui, vt præcepta dicantur quæ deus per seipsum iussit:mandata autem quæ per alios mandauit,vt ipsum nomẽ sonare videtur. Ex quibus omnibus apparet,quòd omnia legis præcepta continentur sub moralibus cęrimonialibus,& iudicialibus:alia verò nõ habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad præceptorum obseruationem, vt dictum est. HVGO DE SANCTO VICTORE. Ipsum est enim solũ quo operietur.Hic de pauperrimo loquitur qui non habet nisi vnum vestimentum,nec viuere posset si ei non redderetur.Ne autem diues amittat suam pecuniã,poterit inducere testes, & coram eis reddere illi vestimẽtum,posteà requirat si voluerit. CAIETANVS. Quod dicitur
B ante solis occasum,Hebraicè habetur ad verbum,Vsq; venire solem,redde ipsum ei:ipsum enim est solũ quo operitur,ipsum vestis carnis eius,in quo dormiet.Diuersa dicuntur de vocato vestimento, Hebraicè autem panno; nam dicitur quod est operimẽtum eius vnicum,& quod est pannus eius, pelli eius,& quod est in quo iacebit. Extrema paupertas significaretur,si vna & eadem re sola opus esset ad operimentum hominis tam die quàm nocte, & nudum oportuisset manere vsq; ad aduentum solis,data re illa in pignus.Et quoniam casus absurdus est,ideo nulla vestis mentio hîc intelligẽda est,quamuis aliàs panni nomine apud Hebræos vestis appelletur,sed de operimento tantũ nocturno (panno scilicet, quo dormientes egent)litera loquitur,vt testatur spatium restituendi. Præcipitur enim ad literam,quòd restituatur,non simpliciter,sed vsque ad venire solem,hoc est,nocte vsque ad ortum solis.Et est sensus,quòd si acceptum fuerit in pignus operimentum vnicum necessarium ad dormiẽdum, restituatur quotidie hora vespertina vsque ad ortum solis.Et in hoc subintelligitur,quòd quotidie debitor repor
C tabit mane pignus ad creditorem.Hic est ad literam sensus planus legis huius.Vnde & deus subiũgit se tutorem pauperis simul & misericordem, vt illinc mutuator timeat priuare pauperẽ necessario operimento,& hinc imitetur diuinam misericordiam, concedendo vsum pignoris. AVCTOR CATENAE. Si pignus à proximo tuo acceperis . Hebraismum egregiè reddidit Interpres, videlicet אִם חָבֹל תַּחְבֹּל שַׂלְמַת רֵעֶךָ Im chabol tachbol salmath rehecha,Si in pignus accipiendo in pignus acceperis vestimẽtum proximi tui. Sic ferè & Septuaginta,ἐὰν δὲ ἐνέχυρισμα ἐνεχυριάσῃς παρὰ τοῦ πλησίον, Si autem pignus pigneraueris vestimentũ proximi.Chaldaica,Si pro pignore acceperis coopertorium proximi tui.Ante solis occasum reddes ei.Sic & Chaldaica habet, sic & Septuaginta.Hebraica verò litera est עַד בֹּא הַשֶּׁמֶשׁ Had bo hasẽmes,Quod variè exponitur.Alij enim vertunt,In solis occasu.Alij,Antequam occiderit sol.Vel sub occasum solis,Quod idem est.Nõnulli, Donec ingrediatur sol.Vt sit sensus,quia hac veste,seu operimento nocte pauper tegitur,restituas illud vsq; mane, vt habeat quo operiat nuditatem suam.Qui etiam sensus nõ recedit à superiori. Rabbi Salomon,contrariũ elicit sensum. Legit enim sic hunc textũ:Cũ abstuleris vestimentũ proximi tui in pignus,restitues illi ipsum vsque ad occasum
D solis,præsertim cũ aliud non habeat,quo interdiu cutem contegat. Sero verò licebit auferre vsq; mane, si nocte illa non opus habuerit . Sin nocte quoque loco tegumẽti vtatur,nunquã licebit auferre.Ipsum est enim solũ quo operitur indumentum carnis eius.Hebraicè כִּי הִוא כְסוּתָהּ לְבַדָּהּ Chi hi chesutho lebadda,Ipsum enim est operimẽtum eius solũ,siue vnicũ. Sic Septuaginta & Chaldaica, Quoniã ipsum est coopertoriũ eius הִוא שְׂמָלָתוֹ לְעֹרֵהוּ Hi simlatho lehoro,Ipsum vestimentum,seu indumentum eius cuti ipsius,id est,quo corpus suum contegit.Sequitur,In quo dormiat vel dormit,vt sit יִשְׁכָּב? Iscab futurum pro præsenti.Quamuis tam Septuaginta quã Chaldaica vt futurum pronũcient,& cum interrogatione,nempe,In quo cubabit? ἢ τίνι κοιμηθήσεται, In quo dormiet? Quasi dicat,Si non restitues ei vestimentum,quomodo nocte dormiet pauper pignorans illud? Redde ergo, vt habeat in quo dormiat. Mandat igitur dominus pignoris loco non esse eam rem à paupere auferendam, quæ ei est necessaria,sine qua commodè viuere non potest.Si reddere debitum non potest parcendum est illi, vbi commiseratio prodest: si potest restituere, honestioribus modis & mediis tentanda est iustitia.Vestimentum autem auferre quo indiget contra improbitatem frigoris & tempestatis,quo nocte cõtegitur ad necessitatem,repugnat
E humanitati.Adiicit autẽ dominus,Nam ego misericors sum,vt si omnino tam immitis & immisericors in eum fueris,vt frigore & penuria proximum perire sinas,ego tamen misericors in eum ero contra te, vindictam de te sumam pro eo.Hinc Christus dominus parabolam sumpsit de duobus debitoribus,concludens, Si vos non impenderitis clementiam rogantibus,nec ego clamorem vestrum exaudiam,sed oppressorum vociferationem. Si clamauerit(inquit)ad me,exaudiam eum,quoniam misericors sum.Obseruandum dictum, è quo discamus dominum deum nostrum maximè omnium respicere calamitates miserorum,& vindicare duritiem ac crudelitatem hominum,qui miserias miserorum augent. Sed cur in totum non prohibetur repetitio debitorum aut pignorum? Non vult destruere deus legitimum vsum in repetendis debitis, aut accipiendis pignoribus ab iis qui sunt soluendo, qui propter communem vtilitatem excogitatus & institutus est, vt in republica tranquillitas & charitas conseruetur. Quibus ordinationibus pius homo bona conscientia vti potest, tantummodo vt habeat rationem charitatis proximi,ac præsertim pauperis. *Diis non detrahes,& principi populi tui non maledices.* DIONY-
F SIVS AREOPAGITA. Inuenies quod Theologia deos etiã vocat cœlestes,& quæ supra nos sunt substãtias, *Quæst.88.* & amicissimos deo, ac beatissimos viros. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur quos dixerit deos,vtrum principes qui iudicãt populum,sicut dictum est de Moyse,quòd datus fuerit deus Pharaoni, vt per expositionem dictum sit quod sequitur,velut ostendendo quos dixerit deos, vbi ait, Et principem populi tui non maledices, quòd Græcus habet non dices male. An secundum illud accipiendum, quod Apostolus ait, Nam etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra,sicuti sunt dij multi & domini multi, addendo enim sicuti sunt,deos intelligi voluit,qui dignè etiam dicũtur, ita sanè vt λατρεία quæ
dicitur Græcè, & interpretatur Latinè seruitus, sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur non debeatur *1.Cor.8.*
nisi vni deo vero, qui nobis est deus. Illi autem qui dicuntur dij, etiam si qui sunt qui meritò dicuntur, prohibiti sunt maledici, non iussi sunt sacrificiis vel vllis latriæ obsequiis honorari. CYPRIANVS LIBRO *Cap.14.*
TERTIO AD QVIRINVM. Non esse autem maledicendum hoc in loco monstratur. Item in Psalmo

trigesimo

trigesimosecundo, Quis est homo qui vult vitam, & vult videre dies bonos? Contine lingam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. De hoc ipso in Leuitico. Et locutus est dominus ad Moysen dicens, Produc eum, qui maledixerit, extra castra, & imponent omnes qui audierint manus suas super caput eius, & lapidabit eum omnis synagoga filiorum Israël. De hoc ipso in epistola Pauli ad Ephesios, Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. De hoc ipso ad Romanos, Benedicentes, non maledicentes. De hoc ipso in Euangelio κατὰ Matthæum, Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit in gehennam ignis. De hoc ipso κατὰ Matthæum, Dico autem vobis, quia omne verbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die iudicij. De sermonibus enim tuis iustificaberis, & de sermonibus tuis condemnaberis. IDEM LIBRO QVARTO EPISTOLARVM. Quis autem nostrum longè est ab humilitate, vtrúm ne ego qui quotidie fratribus seruio, & venientes ad Ecclesiam singulos benignè & cum voto & gaudio suscipio, an tu qui te Episcopum episcopi, & iudicem iudicis ad tempus à deo dati constituis, cùm dominus deus in Deuteronomio dicat, Et homo quicunque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem, aut iudicem quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cùm audierit timebit, & non agent impiè etiam nunc? Et iterum ad Samuelem loquitur & dicit, Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et adhuc dominus in Euangelio, cum ei dictum esset, Sic respondes Pontifici? Custodiens & docens sacerdotalem honorem seruari oportere, contra pontificem nihil dixerit, sed innocentiam suam tantummodo purgans responderit, dicens: Si male locutus, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis? Item beatus Apostolus, cùm ei dictum esset, Sic insilis in sacerdotem dei maledicendo? nihil contumeliosè locutus sit aduersus sacerdotem, cùm & potuerit se constanter exerere aduersus eos qui dominum crucifixissent, & qui iam deum, & Christum, & templum, & sacerdotium perdidissent. Sed quamuis in falsis & spoliatis sacerdotibus vmbram tamen ipsam inanem sacerdotalis nominis cogitans, dixerit: Nesciebam fratres quia pontifex est, scriptum est enim, Principem plebis tuæ non maledices. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM Diis non detrahes, &c. Per deos, sublimes & sapientes viri designantur. Nam & ad Moysen dominus dicit, Posui te in deum Pharaonis. Et in legis etiam mandato præcipitur, Diis non detrahes. IDEM. Dij etiam aliquando in sancta scriptura electi prædicatores intelliguntur. De his enim ambæ quoque supradictæ auctoritates intelligi possunt. IDEM IN REGISTRO. In diuinis eloquiis aliquando sacerdotes dij, aliquando angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur, Applica illum ad deos, id est, ad sacerdotes. Et rursum scriptum est; Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et Propheta ait, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos nostra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut deos ipse etiam appellat deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cùm piæ memoriæ Constantino principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens, Vos dij estis à vero deo constituti. Ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est vt nos iudicemus deos. In qua tamen sententia pie domine sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum deum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum si Christianus imperator veri dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani (vt prædiximus) principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis seruiebant? CYRILLVS LIBRO DVODECIMO SVPER IOANNEM. Deos non maledices. Dei enim nomen etiam si falsò quibusdam imponatur, honorandum tamen putauit, nec creaturas colere idcirco iussit, sed deitatis nomen venerari. IDEM LIBRO SEPTIMO CONTRA IVLIANVM. Qui Israëlem incitat in altaria & delubra, dicens oportere in ipsis exuri deos, dixit ne etiam de illis, effare pre-cor, Diis non maledices? quamuis indignum cogitare, quòd diuina & incorruptibilis mens ab æquo aberret, & se decentia negligat, secúmque dissidens contrarias leges statuere vsquam deprehendatur. Est enim ea res etiam apud nos turpis & ridicula. Nunquid igitur mens diuinæ legis intelligi poterit dum dicit, Diis non maledices? Honorat humanam naturam appellatione summi dei. Factus est enim homo ad imaginem & similitudinem eius, & celebrat lex summis honoribus diuinorum altarium sacerdotes, & eos qui dignitatis excellentia super alios exaltati sunt, in vita pulcherrima & venerabili & sancta. Quod autem id quod dixi non mentitum, sed verum sit, & reprehendi nequeat, ex ipsis sciemus legis verbis, apponentes versiculum qui sequitur, Scriptum est enim, Diis non maledices, vt manifestam faceret dicti vim, subiungit statim, inquiens, Principi populi tui non maledices, hoc esse dico, diis non maledices. Quomodo enim linguæ parcerent sacris coërciti præceptis, qui igne iubentur templa, & quæ in illis sunt tollere. IDEM LIBRO NONO CONTRA EVNDEM. Igitur vir optime, quando audis in sacris literis nominari deos quosdam qui inter creaturas agunt, ne ignores quòd omnem rationem creaturam tali appellatione honorauit is qui verè & natura deus est. Vnde diuinus Paulus hoc sciens, dicit, quòd multi quidem dij in cœlo & in terra non sunt, sed potiùs nominantur. Veruntamen vnum natura, & super omnes patrem & deum, & cum ipso proprium eius & inseparatè insitum, & simul existens verbum, quod & primogenitum omnis creaturæ nominatum esse dicimus, quòd acceperit in fraternitatem gratiæ rationalem creaturam secundum similitudinem eius, & imaginem factam. Itaque tanquam imagines existentes eius, qui secundum deitatem filius est & deus, dij & filij appellantur, non Angeli solùm, sed etiam nos ipsi, Ego enim dixi, inquit, dij estis, & filij excelsi omnes. Igitur etiam si filiationis nomen creaturis quibusdam honestè tribuitur, vnus tamen est, qui natura & verè, cui configurati sumus, tam nobilem & illustrem agnominationem beneficij

*Eph.4.* *Rom.12.* *Matth.5.* *Matth.12.* *Epist 9.* *Deut.17.* *1.Reg.8.* *Ioan.18.* *Act.23.* *Cap.6.* *Ibidem.* *Cap.14.* *Lect.4.* *Epist.75.* *Malach.2.* *Cap.19.*



A beneficij loco ab ipso adepti. THEODORETVS. Diis non detrahes. Iudices deorum nomine appellat, propterea quòd ad vniuersorum iudicis imitationem iudicia illis credita sunt. Hoc manifestè docet nos beatus Propheta Dauid, nam cũ dixisset, Stetit deus in synagoga Deorum, mox subiũxit, Vsque quo iudicatis iniquitatem & facies peccatorum sumitis? iudicate pupillo & inopi, humilem & pauperem iustificate, eripite pauperem, & inopem de manu peccatoris liberate, deinde illos accusans adiunxit, Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Elohim non maledices, seu despicies. Prohibetur vt iudicibus debitum honorem non subtrahamus, officio linguæ contemnendo, tam coram, quàm in absentia. Maledictio enim comprehendit omnes maledicentiæ species. Et principi populi tui non maledices. Contumelia, detractio, imprecatióque mali inhibetur, vtpote tollens quantum ex se est, bonum principis. AVCTOR CATENAE. Diis non detrahes, & cætera. Duo verba hîc posita sunt, quorum primum קָלַל Kalal, signifi-
B cat maledicere, despicere, vilipendere, seu inhonorare. Secundum אָרַר Arar, itidem maledicere, & execrari. Vnde quod nos dicimus, Diis non detrahes, & Hebraicè est אֱלֹהִים לֹא תְקַלֵּל Elohim lo thekallel. Chaldaica habet, iudices non vilipendes, Et principi in populo tuo non maledices: vel execraberis seu blasphemabis, vt alij verterunt. Sed hæc idem sunt cum Latina litera. Præpositis ergo obediendum vice dei, sed non contra deum. Iterũ elohim pro iudicibus & magistratibus. Magni sunt igitur & meritò suspiciẽdi, quos deus nominat, & suo dignatur nomine. Et Paulus vocat eos ministros dei, cunctósque eorum subdit imperio. At meminerint vicissim illi ne quid admittant quod eos dedeceat, qui loco dei sedent, ne dei nomen optimi maximi & iustissimi, illis communicatum commaculent. Est autem solennis vulgi mos, vt maledicat & execretur iudices, si non pronunciauerint sententias iuxta ipsius libidinem. Quare necesse fuit, vt deus auctoritatem iudicum publica lege muniret, & improborum licentiam coerceret. Per deos etiam intelliguntur sacerdotes legem docentes, & per principem populi, summum ipsum sacerdotum caput. Nam statim post & minores ordi-
C nati sunt sacerdotes, & summus sacerdos Aaron frater Moysi. *Decimas tuas & primitias non tardabis offerre.*

HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Iuxta literam δεκάδα, hoc est decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis, Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabat sacerdotibus, & hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάτη. Erant quoque & aliæ decimæ quas vnusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, vt comederet eas cùm iret ad templum in vrbe Hierusalem & in vestibulo templi, & sacerdotes ac Leuitas inuitarent ad conuiuia. Erant autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur πτωχοδεκάδα. At verò primitiua quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionémque accepimus Hebræorum non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam, qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus, qui minimum, sexagesimam: inter quadragesimam & sexagesimam licebat offeri quodcunque voluissent. Quod igitur in pentateucho dubium derelictum est, hîc specialiter de-
D finitur propter sacerdotum auaritiam, ne amplius à populo exigant in primitiis deferendis, id est, vt sexagesimam partem offerant eorum quæ gignuntur è terra. Si enim corus qui Hebraicè appellatur חֹמֶר & à Septuaginta dicitur gomor, triginta habet modios, tam in aridis speciebus, quàm in liquentibus, Epha quoque & batus iuxta quod suprà diximus, decima pars est cori, præcipitúrque vt sexta pars tam Ephi quàm bati detur sacerdotibus in primitiis offerendis, quæ de tribus modiis dimidium facit modium, perspicuè supputatur, sexagesimam partem primitiarum sacerdotes accipere debere. IDEM IN MALACHIAM. *Cap.3.*

Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Et dixistis in quo reuertemur? Si affligeret homo deum, quia vos confligitis me, & dixistis, in quo confligimus te? in decimis & primitiis, & ideo in penuria vos maledicti estis, & me confligitis tota gens. Nunc sequamur ordinem Phophetæ: quia mihi non reddidistis decimas & primitias, idcirco in penuria & fame maledicti estis, & me vos supplantastis siue defraudastis, ecce annus expletus est, & nihil in meos thesauros sed in vestra horrea comportastis, & pro
E decimis & primitiis quæ parua erant vtà vobis darentur, vbertatem possessionum vestrarum, & omnem frugum abundantiam perdidistis. Vt autem sciatis hoc me irascente perfectum, quia fraudastis me parte mea, hortor vos atque commoneo, vt inferatis decimas in horrea mea, hoc est, in thesauros templi, & habeant sacerdotes & Leuitæ qui mihi ministrant cibos, & probate me, si non tantas pluuias effudero, vt cataractæ cœli apertæ esse credantur, & effundam benedictionem meam vobis vsque ad abundantiam. Verbum effusionis nomen largitatis ostendit, sed fieri potest vt agros irrigantibus pluuiis sit quidem fertilitas, verùm aut locusta veniet, aut brucus, aut erugo, aut eruca, & labores hominum vastabunt, propterea adiungit & dicit: Et increpabo pro vobis deuorantes, locustas videlicet & reliqua quæ prædiximus, & non corrumpent fructum terræ vestræ. Si quando fames & penuria & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira dei descendere, qui se in pauperibus (si non accipiant eleemosynam) fraudari loquitur, & suas possessiones possumus decimas & ptimitias interpretari. AVGVSTINVS DE RECTITVDINE
F CATHOLICAE CONVERSATIONIS. Vnusquisque fratres de quali ingenio vel artificio viuit, de ipso decimam deo in pauperibus vel in Ecclesiis donet, consideret quia omnia dei sunt per quæ viuit, siue terra, siue flumina, siue semina, vel omnia quæ sub cœlo sunt, vel super cœlos, & si ipse non dedisset, nihil vtique haberet, nam deus qui dignatur totum dare, decimam de suo dignatur à nobis repetere, non sibi penitus, sed nobis profuturam. IDEM IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Sic enim per Prophetam ipse promisit dicens, Inferte, inquit, omnem decimam in horreis meis, vt sit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit dominus. Si non aperuero vobis cataractas cœli, & dedero vobis fructum vsque in abundantiam. Ecce probauimus quomodo nobis decimæ magis quàm deo proficiant. O homines stulti, quid mali imperat deus vt nõ mereatur audiri? Sic enim dicit, Primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre mihi. Si tardiùs dare peccatum est, quanto peius est non dedisse? Et iterum dicit, Honora dominum deum tuum de tuis iustis laboribus, deliba ei de fructibus iustitiæ tuæ, vt repleantur

*Ser.219. de reddendis decimis.*

horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua redundabunt. Non præstas hoc gratis, quod citò recipies ma- G gno cum fœnore. Quæris fortè cui proficiat quod deus accipiat redditurus? Quæris iterùm cui proficiat quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: si dubitas, perdidisti. Decimæ fratres charissimi, tributa sunt e- gentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus. Quòd si decimas non habes fructuum terrenorum, quòd habet agricola, quodcunque te pascit ingenium, dei est, & inde deci- mas expetit vnde viuis: de militia, de negocio & de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra de- pendimus, aliud pro vsura vitæ pensamus. Redde ergo homo, quia possides, redde quia nasci meruisti: sic enim dicit dominus, Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis mor- bi neque casus. Ecce habes in scripturis sanctis cautiones domini tui, per quas tibi promisit, quòd si decimas dederis non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris. Replebuntur, inquit, areæ tuæ frumento, vino quoque torcularia tua redundabunt, & non erunt in eis morbi neque casus. H Cùm enim decimas dando, & terrena & cœlestia possis munera promereri, quare per auaritiam duplici be- nedictione te fraudas? Audi ergo indeuota mortalitas, Nosti quia dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium conditori? Non eget dominus deus, non præmium postulat sed honorem, non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negas auare? Quid faceres, si nouem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset? Quod certè iam factum est, cùm messis tua pluuiarum benedictione subtracta ieiuna defecit, & vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina de- coxit. Quid auide supputas? Nouem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Constat qui- dem quòd ipse non dederis, sed tamen deus exigit. Hæc enim est domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris: scriptum est enim, hæc dicit dominus, Quia decima agri tui primitiæ terræ vobiscum sunt. Vidi autem, & fallere me existimastis, intus in thesauris vestris & in domibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. Conuertimini quoque ad I me dicit dominus omnipotens, vt aperiam vobis cataractas cœli, & effundam vobis benedictionem meam desuper, & non corrumpam fructus terræ vestræ, neque languebit vitis in agro vestro, & beatos vos dicent omnes gentes. Benefacere deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur, quia à domino deo sibi dari vult omnia, & non vult ei quæ possidere videtur offerre. Quid si diceret deus, Meus est homo quem feci, mea est terra quam colis, mea sunt & semina quæ spargis, mea animalia quæ fatigas, mei sunt imbres & plu- uiæ, & ventorum flamina mea sunt, meus est solis calor? Et cùm omnia mea sint elementa viuendi, tu qui manus accommodas, solam decimam merebaris. Sed quia piè nos pascit omnipotens deus, amplissimum tribuit munus laboranti mercedem, sibi tantùm decimam vendicans, nobis omnia condonauit. Ingrate frau- dator ac perfide, diuina te voce conuenio: Ecce annus iam finitus est, redde domino pluenti mercedem, re- dime te homo dum viuis, redime te ipse dum potes: Rdime (inquam) te dum precium in manibus habes, re- dime te, ne dum te mors auara præuenerit, & vitam simul & præmium perdas: sine causa hoc dimittis vxo- K ri, quæ forsitan alterum habebit maritum. Sine causa hoc marito dimittis mulier, quia aliam cupit habere vxorem. Frustra parentibus ac propinquis curam tuam iniungis, nemo te post mortem tuam fideliter redi- met, quia in vita tu te redimere noluisti. Depone iam auaritiæ sarcinam de ceruicibus tuis, contemne crudelissimam dominam, quæ dum te iugo durissimo premit, iugum Christi suscipere non permittit. Sicut enim iugum auaritiæ in infernum premere, ita iugum Christi in cœlum leuare consueuit. Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit: & quanti pauperes in locis vbi ipse habitat decimas non dans, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit, quia à domino pauperibus delegatum, suis vsibus reseruauit. Qui ergo sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam, & de nouē partibus studeat eleemosynam dare pauperibus, ita tamen, vt quicquid excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, non lu- xuriæ reseruetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quicquid enim nobis deus L plusquàm opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit, quod si non dederimus, res alienas inuasimus. EX COLLATIONIBVS PATRVM. Theonas. Licet quorū- dam pia simplicitas huius rei amputet quæstionē, tamen quia etiam illa quæ alius interrogatione indigna du- xisset, scrupulosiùs perscrutantes, integram obseruantiæ nostræ ac mysterij veritatē desideratis agnoscere, eui- dentissimam huius etiam rei percipite rationem, vt manifestiùs approbetis nihil irrationabile nostros tradidis- se maiores. Lege Mosaica vniuerso populo generalis est promulgata præceptio, Decimas tuas & primitias offe- res domino deo tuo. Itaque qui substantiarum nostrarum omniúmque fructuum decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est vt ipsius quoque cōuersationis nostræ & humani vsus operumq; nostrorum decimas of- feramus, quæ profectò in supputatione quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierū numerus qui- bus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierū numero decimatur. In septem verò hebdoma dibus si dies dominici & sabbata subtrahantur, quinque & triginta supersunt dies ieiuniis deputati, scilicet ad- M iecta illa vigiliarum die, qua vsq; in gallorum cantum illucescente dominica, ieiūniū sabbati protelatur, nō so- lùm sex & triginta dierū numerus adimpletur, verū etiam pro decimis quinq; dierum qui residui videbantur, si illud quod supereſt, adiectū noctis spacium cōputetur, plenitudini totius summę omnino non deerit. Quid verò de primitiis dicā, quas ab omnib⁹ qui Christo fideliter famulantur, quotidie certū est exhiberi. Nā cū experrecti à somno, & quasi rediuiua post soporem alacritate surgētes, priusq; motum sensus vllius corde cōcipiāt, vel me- moriam aut curam rei familiaris admittant cogitationū suarū ortus atq; principia, diuinis consecrant holocau- stis, quod nisi primitias verè suorum fructuum per summū sacerdotē Iesum Christū pro vsu vitæ huius & ima- gine quotidianæ resurrectionis exoluunt. Quique etiam à somno excitati, hostiam iubilationis suæ deo simili- ter offerentes, primo linguæ suæ motu ipsum inuocant, ipsius nomen laudēsq; concelebrant, atque ad canendos ei hymnos, prima labiorum claustra reserantes, immolant deo sui oris officia. Cui etiam pari deferunt modo prima

*Colla.21. Cap.25. & 26.*

*Exod.22.*



A prima manuum suarum gressuúmque libamina, cùm è cubilibus cōsurgentes, in oratione consistunt, & priusquàm in propriis causis membrorum suorum fungantur officio, nihil sibi de ministerio eorum antè decerpunt: sed ad ipsius honorem promouent gressum, atque in eius laudatione defigunt, & ita cunctorum motuum suorum primitias protentione manuum, incuruatione genuum, & totius corporis prostratione persoluunt. Illud enim quod decantatur in Psalmo aliàs implere non possumus, Præuēni in maturitate & clamaui. Et *Psalm.118.* præuenerunt oculi mei ad te diluculo vt meditarer eloquia tua. Et mane oratio mea præueniet te, nisi vt *Psalm. 87.* post quietem somni in hanc lucem (vt suprà diximus) velut è tenebris & imaginaria morte reuocati, de vniuersis officiis mentis & corporis nihil omnino in nostris præsumere necessitatibus audeamus. Nullus nanque est alius, quem aut propheta preuenerit matutinus, aut nos præuenire similiter debeamus, nisi aut nosmetipsos, id est, occupationes nostras & affectus curásque mortales, sine quibus esse non possumus, aut B suggestiones subtilissimas inimici quas nobis adhuc quiescentibus ac sopore demersis, per phantasias inanium somniorum inferre conantur, quibus nos mox euigilaturos occupet & inuoluat, vt primitiarum nostrarum opima deflorans, primus ipse decerpat. Quamobrem omni nobis cautione curandum est: si tamen vim prædicti versiculi opere volumus adimplere, vt ita primos matutinarum cogitationum ortus, solers vigilantia tueatur, ne quid ex eis festina præsumptio liuentis attaminet inimici, nostrásque primitias tanquam viles iam atque communes, à domino faciat reprobari. Qui si præuentus à nobis peruigili mentis circunspectione non fuerit, anticipationis nequissimam consuetudinem non deponens, quotidie nos fraudibus suis præuenire non desinet. Et idcirco si placitas & acceptabiles deo primitias ex fructibus nostræ mentis optamus offerre, non mediocrem sollicitudinem debemus impendere, vt omnes nostri corporis sensus, matutinis præcipuè horis tanquam sacrosancta domini holocausta, in omnibus illibata atque intacta seruemus. Quod deuotionis genus multi etiam secularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem vel C diluculo consurgentes, nequaquam familiaribus ac necessariis mundi huius actibus implicantur, priusquàm cunctorum actuum suorum operationúmque primitias, ad Ecclesiam concurrentes diuino studeant consecrare conspectui. ISIDORVS. Decimas & primitias tuas, & cætera. Iubetur hîc Israëlitico populo decimas frugum, cunctarúmque primitias rerum offerre domino. THOMAS. Decimas & pri- *2.2.q.87. ar.1. in cor. & ad.2.& 3.* mitias tuas non tardabis reddere. Decimæ in veteri lege dabantur ad sustentationem ministrorum dei, vnde dicitur Malachiæ tertio, Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea: vnde præceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale inditum naturali rationali, partim autē erat iudiciale ex diuina institutione robur habens. Quod enim eis qui diuino cultui ministrabāt ad salutem populi, totus populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat: sicut & his qui cōmuni vtilitati inuigilant, scilicet principibus & militibus & aliis huiusmodi, stipēdia victus debentur à populo. Vnde & Apostolus hoc probat prima ad Corinthios nono, per humanas consuetudines, dicens, Quis militat suis stipēdiis vnquam? aut quis D plantat vineam, & de fructibus eius non edit? Sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris diuini cultus, non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina secundum conditionem illius populi cui lex dabatur: qui cùm in duodecim tribus esset diuisus, duodecima tribus, scilicet Leuitica, quæ tota erat ministeriis diuinis mancipata, possessiones non habebat. Vnde conuenienter institutum est, vt reliquæ vndecim tribus decimam partem suorum prouentuum Leuitis darent, vt honorabiliùs viuerent. Et quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri. Vnde quantum ad determinationem decimæ partis, erat iudiciale, sicut & alia multa specialiter in illo populo instituta erant ad æqualitatem inter homines ad inuicem conseruandam secundum populi illius conditionem: quæ iudicialia præcepta dicuntur, licet ex consequenti aliquid significaret in futurum, sicut & omnia eorum facta, secundum illud primæ ad Corinthios decimo, Omnia in figuram contingebant illis. In quo conueniebant cum cærimonialibus præceptis, quæ principaliter instituta erant ad significandum aliquid futurum. Vnde & præceptum de decimis soluendis significat aliquid in futurum. Qui enim E decimam dat quæ est perfectionis signum (eo quòd denarius est quodammodo numetus perfectus quasi primus limes numerorum, vltra quem numerum non procedunt, sed reiterantur ab vno) nouem sibi partibus reseruatis, protestatur quasi in quodam signo ad se pertinere imperfectionem: perfectionem verò quæ erat futura per Christum, esse expectandam à deo. Nec tamen propter hoc est cærimoniale præceptum, sed iudiciale vt dictum est. Est autem hæc differentia inter cærimonialia & iudicialia legis præcepta, vt suprà diximus, quòd cærimonialia illicitum est obseruare tempore legis nouæ: Iudicialia verò etsi non obligent tempore gratiæ, tamen possunt obseruari absque peccato, & ad eorum obseruantiam aliqui obligantur, si statuantur auctoritate eorum quorum est condere legem. Sicut præceptum iudiciale veteris legis est, quòd qui furatus fuerit ouem, reddat quatuor oues, vt legitur Exodi vigesimo secundo. Quod si ab aliquo rege statuatur, tenetur eius subditi obseruare. Ita etiam determinatio decimæ partis soluenda est auctoritate Ecclesiæ tempore nouæ legis instituta secundum quandam humanitatem, vt scilicet non minus populus nouæ legis ministris noui F testamenti exhiberet, quàm populus veteris testamenti exhibebat: cùm tamen populus nouæ legis ad maiora obligetur, secundum illud Matthæi quinto, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum, & cùm ministri noui testamenti sint maioris dignitatis quàm ministri veteris testamenti, vt probat apostolus secunda ad Corinthios tertio. Sic ergo patet, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex iure naturali, partim etiam institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum, posset aliam partem determinare soluēdam. Sciendum igitur, quòd præceptum de solutione decimarum quantum ad id quod erat morale, datū est in Euāgelio à domino, vbi dicit Matthæi decimo, Dignus est operarius mercede sua. Et etiam ab Apostolo, vt patet prima ad Corinthios nono. Sed determinatio certæ partis est reseruerta ordinationi Ecclesiæ. Sciendum præterea, quòd ante tempus veteris legis non erant determinati ministri diuini cultus, sed dicitur quòd primogeniti erant sacerdotes, qui duplicē portionē accipiebant. Et ideo etiā non erat determinata aliqua pars exhibēda ministris di-

uini cultus. Sed vbi aliquis occurrebat, vnuſquiſque dabat ei propria ſpõte quod ſibi videbatur. Sicut Abraham G quodam prophetico inſtinctu dedit decimas Melchiſedech ſacerdoti dei ſummi, vt dicitur Geneſis decimo quarto. Et ſimiliter Iacob decimas vouit ſe daturum, quamuis non videatur decimas vouiſſe quaſi aliquibus miniſtris exhibendas: ſed in diuinum cultum, puta ad ſacrificiorum conſummationem. Vnde ſignanter dicit,

*Vbi ſuprà. q.86.ar.4. in cor. & ad.1.& 2.*

Offeram tibi decimas. IDEM. Primitiæ autem ad quoddam genus oblationum pertinent, quia deo exhibentur cum quadam profeſsione, vt habetur Deuteronomij vigeſimo quinto. Vnde & ibidem ſubditur, Suſcipiens ſacerdos cartalum, ſcilicet primitiarum de manu eius qui defert primitias, ponat ante altare domini dei tui. Et poſtea mandatur ei quòd dicat, Idcirco nunc offero primitias frugum terræ quas dominus dedit mihi. Offerebantur autem primitiæ ex ſpeciali cauſa, ſcilicet in recognitionem diuini beneficij, quaſi aliquis profiteatur ſe à deo fructus terræ percipere, & ideo ſe teneri ad aliquid de huiuſmodi deo exhibendum, ſecundum illud primi Paralipomenon vltimo, Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Et quia deo debe- H mus exhibere id quod præcipuum eſt, ideo primitias quaſi præcipuum aliquid de fructibus terræ præceptum fuit deo offerre. Et quia ſacerdos conſtituitur pro populo in his quæ ſunt in deum, ideo primitiæ oblatæ à populo, in vſum ſacerdotum cedebant. Vnde dicitur Numeri decimo octauo, Locutus eſt dominus ad Aaron, Ecce dedi tibi cuſtodiam, primitiarum mearum. Pertinet autem ad ius naturale, vt homo ex rebꝰ ſibi datis à deo, aliquid exhibeat ad eius honorem. Sed quod talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege iure diuino determinatum. In noua autem lege diffinitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur vt primitias ſoluant ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ. Sciendum autẽ, quòd cærimonialia propriè erant in ſignũ futuri, & ideo ad præſentiam veritatis ſignificatæ ceſſauerũt. Oblatio autẽ primitiarũ fuit in ſignũ præteriti beneficij: ex quo etiã debitũ recognitionis cauſatur ſecundũ dictamen rationis naturalis. Et ideo in generali huiuſmodi oblatio manet. Sciẽdum præterea, quòd primitiæ offerebantur in veteri lege, non ſolũ propter beneficiũ fructuũ terræ promiſsionis I datæ à deo: ſed etiã propter beneficiũ fructuum terræ à deo datorum. Vnde dicitur Deuteronomij 25. Offero tibi primitias frugum terræ quas dominus deus dedit mihi. Et hæc ſecunda cauſa apud omnes eſt communis.

*q.85.ar.3. ad 3.*

IDEM. Demũ ſciendũ, quòd ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res deo oblatas aliquid fit, ſicut quòd animalia occidebantur, & cõburebantur, quòd panis frangitur & comeditur & benedicitur. Et hoc ipſum nomẽ ſonat. Nam ſacrificiũ dicitur ex hoc, quòd homo facit aliquid ſacrum. Oblatio autẽ directè dicitur cùm deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat, ſicut dicuntur offerri denarij vel panes in altari, circa quos nihil fit, vnde omne ſacrificiũ eſt oblatio, ſed non conuertitur. Primitiæ autem oblationes ſunt, quia deo offerebantur: vt legitur Deuteronomij vigeſimo nono: non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa eas fiebat. Decimæ autem propriè loquendo, nõ ſunt ſacrificia, neque oblationes, quia non immediatè deo, ſed miniſtris diuini cultus exhibentur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum ita legitur locus iſte, plenitudinem tuam & lachrymam tuam non differes. Senſus eſt, debitum ex frugibus tuis, & ex liquoribus tuis non differes deo reddere. Fruges K enim plenitudinem, & liquores vini ac olei, lachrymas à fluendo appellauit. Et videtur hac metaphora vti ad ſignificandum, vt quantumlibet parum quaſi ſtillantium lachrymarum vini ſeu olei collegeris, non differatur debita pars in alterum annum. Ita quòd vtrumque tempus (vbertatis & ſterilitatis) complectitur, illud ſub nomine plenitudinis, hoc ſub nomine lachrymæ. Et vtroque tempore non differendum debitum præcipitur, tolleretur enim res deo debita, quo ad tempus. Et nulla quota pars decernitur hîc à deo, vt litera teſtatur.

AVCTOR CATENAE. Decimas & primitias tuas nõ tardabis offerre. Senſum ex Hebraico reddidit Interpres, quod eſt huiuſmodi מְלֵאָתְךָ וְרִבְעֲךָ לֹא תְאַחֵר Meleáthcha vedimhacha lo theacher, Plenitudinẽ tuam (ſcilicet frugum) & lachrymam tuam (ſcilicet liquorẽ vini & olei) non tardabis, ſubaudi offerre, vel in annum alterũ. Eſt enim Melea, ſpica frumento plena: & dimaha, lachrymæ. Quæ hîc pro decimis & primitiis iuxta conſuetudinem linguæ Hebraicæ ponuntur. Exponunt igitur quidam Hebræorum Melea, abundantiam frugũ, quaſi dicat deus, Cùm impletæ fuerint, ſiue ad maturitatem peruenerint fruges tuæ, dabis primitias: deinde cũ L collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lachrymam, id eſt, vinum & oleum in vindemia quæ meſſem ſequitur. Alij vertunt, Muſtum tuum, & lachrymam tuam non tardabis offerre, id eſt, primitias muſti & olei tui primo quoque tempore offeres. Muſtúmque dici volunt Hebraicè Melea, quod magna copia è torcularibus defluere ſoleat: Oleum autem vocari lachrymam, quòd guttatim defluat cùm fit in lacu. Septuaginta & ipſi, ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου οὐ καθυστερήσεις, Primitias areæ tuæ & torcularis tui non tardabis offerre. Chaldaica habet, Primitias frumenti tui & vini non tardabis reddere. Quæ omnia idem dicunt quod vulgata editio, hoc eſt, de aridis & liquidis prouentibus tuis decimas & primitias domino pro gratiarum actione & recognitione ſuæ beneficentiæ non omittas offerre, ſecundum legem ſuam. *Primogenitum filiorum*

*Quæſt. 23.* *tuorum dabis mihi, de bobus quoque & ouibus ſimiliter facies.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER DEVTERONOMIO. Quærendum vtrum quæ Græcè dicuntur πρωτότοκα, nec Latinè dici niſi primogenita potuerunt, in his tantùm intelligenda ſint quæ naſcũtur ex matribus, M ipſa enim propriè pariuntur potius quàm gignũtur. Parere quippe eſt τίκτειν, quod eſt ex fœmina, vnde πρωτότοκον dicitur: Gignere autem eſt γεννᾶν, vnde propriè Latinè primogenitus dicitur. Ex fœminis autem dabãtur primitiua, id eſt, quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebãtur à viris, ſi fortè ex viduis quæ iam pepererant gignerentur. Non enim aliter eſſent quæ aperirent vuluam, quod proprium voluit eſſe lex eorum, quæ primò nata domino deo debebantur. Si ergo eſt in his verbis certa diſtinctio, non fruſtra dominus non dicitur à patre μονότοκος, ſed μονογενὴς, id eſt, vnigenitus, quod eſt vnicus: à mortuis autem primogenitus quidem Latinè dicitur, quia non potuit Latinum verbum ita componi ſecundum loquendi cõſuetudinem. Græcè autẽ πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενὴς, tanquam pater genuerit æqualem ſibi, creatura verò pepererit. Nam & quod dicitur primogenitus omnis creaturæ, quod ibi πρωτότοκος Græcè legitur, poteſt ita intelligi ſecundum nouam creaturam, de

*2.Cor.5.* qua dicit Apoſtolus, Si qua igitur in Chriſto noua creatura: ex qua ille primitiuus eſt, quia primitus ita reſurrexerit



A reſurrexerit, vt iam non moriatur, nec ei mors vltra dominetur, quod nouæ creaturæ quæ in illo eſt, futurũ prõmittitur in fine. Sed iſta diſtinctio nõ temerè affirmãda, ſed in ſcripturis diligẽtiùs perſcrutãda eſt. Mouet enim quemadmodum dici potuit in prouerbiis, Primogenite tibi dico fili, id eſt, ex cuius perſona dictum intelligatur: ſi enim ex dei patris perſona ad Chriſtum dicitur, cui ſententiæ vtrum ſequentia conſonent vix eſt aſſerere, eundem dicit primogenitum quem vnigenitum, quia etiam nos filij dei ſumus: vnigenitum verò quoniam ſolus ille de ſubſtantia patris, & patri æqualis atque coæternus eſt. Mirum eſt autem, vtrum inter pa-

rere & gignere euidentiſsimis documentis ſacra ſcriptura diſtinguat. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER NVMEROS. Ait ſcriptura, Primogenita omnia quæcunque fuerint in terra eorum, quantacunque attulerint domino, tibi erunt. Hîc primogenita non fœtus primitiuos pecorum dicit: nam ipſa Græcè πρωτότοκα nominantur, hæc autem πρωτογενήματα. Sed Latinè duabus his rebus, duo nomina reperta non

B ſunt. Et ideo iſta πρωτογενήματα quidam primitias interpretati ſunt, ſed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, & aliud ſunt. Hæc igitur tria ita diſcernuntur, quia πρωτότοκα ſunt primitiui animalium fœtus etiam hominum: πρωτογενήματα verò, primi fructus de terra ſumpti, vel de arbore, vel de vite: primitiæ autem de fructibus quidem, ſed iam redactis ab agro, ſicut de maſſa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitùs ſumebantur.

CAIETANVS. Primogenitum filiorum tuorum, & cætera. Ne furtum committatur in primogenitis tam virorum quàm animalium mandatur. AVCTOR CATENAE. Iudæi primogenita dare præcipiebantur domino, quòd ipſorum primogenita interfectis Aegyptiorum primogenitis ſeruauerat. *Septem*

*1.2.q.502. ar.3. ad.7.* *diebus ſit cum matre ſua, die octauo reddes eum mihi.* THOMAS. Quia animalia maculoſa ſolent haberi contemptui etiam apud homines, ideo prohibitum eſt ne deo in ſacrificium offerrentur, propter quod etiam prohibitum erat ne mercedem proſtibuli aut pretium carnis in domũ dei offerrent, & eadem etiam ratione non offerebant animalia ante ſeptimum diem: quia talia animalia erant quaſi abortiua, nondum plenè conſiſtentia

C propter teneritudinem. CAIETANVS. Decernitur ergo tempus offerendi primogenita animalium.

AVCTOR CATENAE. Die octauo reddes, vel dabis eum mihi. Eſt enim תִּתֶּנּוּ Tittenno, à verbo נָתַן Sed hoc parũ eſt. Nihil igitur deo offerendum, niſi integrum, immaculatum, & perfectũ. Ideo ante octauum diẽ iumentum nullum vel pecus domino offerendum, ſed coaleſcat commodè apud matrem ſuã, non diligit quicq̃ immaturum & imperfectũ dominus. Ex animo & fide ſyncera deus vult coli, cuius contrariũ apparet, ſi de imbecillioribus animalibus domino ſacrificia, velut Cain, ſacrificemus. *Viri ſancti eritis mihi.* CAIETANVS. Ne furripiant debita deo, in hominibus quæcunque munditia præcipitur, dicendo, & viri ſancti eritis mihi. AVCTOR CATENAE. Non ſatis eſt (inquit) primitias & primogenita obtuliſſe, niſi & ſancti ſitis, id eſt, detis operam vt mihi ex fidei ſanctimonia & puritate cordis placeatis. Ad perſonarum iuſtitiam reſpicio, non ad munera. Volo præberi mihi corda hominum, meæ ſunt alioqui feræ ſyluarum, & iumenta in montibus. *Carnem quæ à beſtiis fuerit præguſtata, non comedetis, ſed proiicietis canibus.* THEODORE-

D TVS. Carnem quæ beſtiis præguſtata fuerit, comedi vetat, vt illos vitam ratione degere doceat, quæq; nihil feritatis præ ſe ferat. Hac de cauſa, & inimicorum curam habere, & errantes boues reducere, & aſinum qui ceciderit ſuſcitare, aliáque id genus opera facere docet. CAIETANVS. Nec occaſione animalis rapti à beſtia vult eos pollui, ad inſinuandum quòd non ſolùm ipſi alieni eſſe debent à furto, ſed quòd nec etiam inquinari debent comedendo animal quaſi furto à fera occiſum. Proiicietis (inquit) canibus, intelli-

ge potiùs quàm comedetis, ſi vendere non poteritis commodè gentibus, vt intelligamus, quòd ad literam intelligendum eſt vt ſonat, ceſſante commoditate vendendi Ethnicis. AVCTOR CATENAE. Carnem quæ à beſtiis fuerit præguſtata, Hebraicè eſt וּבָשָׂר בַּשָּׂדֶה טְרֵפָה Vbaſar baſade tereph, Et carnẽ in agro dilaniatam vel raptam, Aut quæ in agro lacerata eſt, ſubaudi à beſtiis, non comedetis. Id eſt, abſtinete à carnibus ferarum ſeu aliorum animalium ab aliis beſtiis interfectorum. Septuaginta habent, καὶ κρέας ἐν ἀγρῷ θηριάλωτον οὐκ ἔδεσθε, hoc eſt, Et carnem in argro à beſtiis captam non comedetis. Chaldaica, Et carnem non dilace-

E ratam à beſtia agri non comedetis, quæ idem dicunt cum Latina verſione. Si quid (inquit) in animalibus fœdum & abominabile, non mihi offeratis, ſed feris proiicite illud. Nec vos immunda quoquomodo edatis, qualia ſunt, dilaniata in agro à beſtiis. Canibus & cæteris impuris animalibus deuorãda permittite. Sunt itaque hęc leges quædam ſtatum illius populi reſpicientes, quibus tanquam cancellis illorum effrenes affectus cohibebantur. Verùm ſupereſt, vt iam altiora horum ſecreta pandamus.

GREGORIVS DECIMO SEXTO MORALIVM. In ſcriptura ſacra pignoris appellatione, aliquando dona ſpiritus ſancti, aliquando verò ſignatur confeſsio peccati. Pignus nanque accipitur donum ſpiritus ſancti, ſicut per Paulum dicitur, Qui dedit nobis pignus ſpiritus. Ad hoc enim pignus acci-

*Myſticè. Cap.2. 2.Cor.1.* pimus; vt de promiſsione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo ſancti ſpiritus pignus dicitur, quia per hoc noſtra anima ad interioris ſpei certitudinem roboratur. Rurſus pignoris nomine, peccati confeſsio ſolet intelligi, ſicut lege ſcriptum eſt, Cùm debet tibi quippiam frater tuus, & abſtuleris pignus ab

F eo, ante ſolis occaſum pignus reſtitue. Frater etenim noſter debitor nobis efficitur, cùm quilibet proximus in nos aliquid deliquiſſe monſtratur. Peccata quippe debita vocamus. Vnde peccatori ſeruo dicit, Omne *Matth.18.* debitum dimiſi tibi. Et in dominica oratione quotidie precamur, Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & *Matth.6.* nos dimittimus debitoribus noſtris. A debitore autem noſtro pignus accipimus, quando ab eo qui in nos peccaſſe cognoſcitur, peccati eius iam confeſsionem tenemus, per quam relaxare peccatum quod in nos perpetratum eſt poſtulamur: qui enim peccatum quod commiſit fatetur, & veniam petit, iam quaſi pro debito pignus dedit. Quod nimirũ pignus ante ſolis occaſum reddere iubemur, quia priuſq̃ in nobis per dolorẽ cordis ſol iuſtitiæ occidat, debemus ei confeſsionem veniæ reddere, à quo confeſsionem accepimus culpæ, vt qui ſe deliquiſſe in nos meminit, à nobis mox relaxatum ſentiat quod deliquit. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. INTERLINEARIS. Id eſt, ſacerdotibus doctoribus qui Eccleſiæ principãtur, cùm enim omnis detractio pernicioſa ſit in illos eſt pernicioſior: ſed nec Chriſto domino maledicẽdum, cuius factus eſt prin-

*Esa.9.* cipatus super humerum eius. Decimas tuas & primitias non tardabis offerre. Primogenitum,& cætera. HIE-G
*Cap.45.* RONYMVS IN EZECHIELEM. In spirituali intelligentia loci huius primùm quærendum,quomodo dicatur,Honora dominũ de tuis iustis laboribus,& da ei de fructibus iustitiæ tuæ,vt impleantur cellaria tua frumento,& vino torcularia tua redundent: vt postquàm obtuleris primitias laborum tuorum atque virtutum,
*Deut.28.* & dixeris,Ecce nunc ego attuli tibi primitias frugum terræ, quas dedisti mihi domine, merearis audire, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus tu in agro: benedicti filij vteri tui,& genimina terræ tuæ,& fructus iumento-
*Ephe.1.* rum tuorum,& cætera: & possideas(iuxta Apostolum) omnem benedictionẽ spiritualium in cœlestibus in Chri sto: dum quicquid habes,non tuæ putas esse virtutis,sed eius misericordiæ,qui fruges dedit. Et si quidem tantam habuerimus scientiam scripturarum, vt mystica quæque pandamus,& doceamus homines,id est, rationale animal,damus primitias frumenti nostri. Si autem post Anagogen,puram tantùm sequamur historiam,quæ simpli-
*Psalm.35.* ces nutrire potest,iuxta illud quod scriptũ est,Homines & iumenta saluos facies domine: damus primitias hor- H
dei nostri,quod hordeum seuit Isaac,sed in terra alienigenarum: & ortum est ei centuplum. Qui hordei dat pri-
*Psalm.22.* mitias,potest dicere: Dominus pascit me,& nihil mihi deerit: in loco pascuę ibi me collocauit: super aquas refectionis educauit me. Qui autem rationalia pascit animantia, vertit sententiam & dicit: Præparasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Et postquàm olei & vini obtulerit primitias,iungit & loquitur: Impinguasti in oleo caput meum: & calix tuus inebrians quàm præclarus est? illo oleo quod absq; fece mundissimũ,
ad lucernam domini præparatur. Quod qui præparauerit,& exhilaratur facies eius in oleo,oleo exultationis quo
*Psalm.51.* vnctus est Christus præ participibus suis: & effectus oliua,cũ Propheta cantabit,Ego autẽ sicut oliua fructifera in
*Ioan.15.* domo dei. Et illo vino quod de vera vite redundat in torcularibus saluatoris, dicente domino: Ego sum vitis,
vos autem propagines,pater meus agricola. De his torcularibus tres psalmos legimus, Octauum & octogesimũ
*Ioan.3.* & octogesimum tertium: qui omnes ad Ecclesiæ sacramenta referuntur. Et in veteri quidem lege absq; mensura erant & numero primitiæ: non enim ad mensuram deus spiritum dabat. In secunda autem ædificatione templi, I
*Matth.7.* quod Ezechielis prophetia continet,certa mensura est,id est,sexagenarius numerus,quo mundus expletur: & dicitur nobis, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. ISIDORVS. Spiritualiter etiam primitiæ frugum vel primogenita,principia operum bonorum ostendunt,vel ipsam bonam voluntatẽ, quæ prior est opere,quam Pelagiani sibi tribuendo,offendunt. Deus autem dum illa sibi à nobis iubet offerri,indicat ad ipsius gratiam pertinere. In decimis itaque domino offerendis,denarius numerus perfectionem significat, quia vsque ad ipsum numerus crescit, ideóque sicut in primitiis principia voluntatum, ita in decimis consummationes nostrorum operum ad eum referre præcipimur,à quo & boni operis initium, & perfectionis donatur effectus.

RABANVS. Quòd autem iubentur primogenita animalium septem diebus cum matre sua manere,& in die octaua reddi domino,mysticè significat, in præsenti tempore quod per septenarium numerum designatur, eo quòd septem dierum numero discurrit, necessariò vnumquemque bonorum operum primogenita in Ecclesiæ vnitate debere seruare,& in fide catholica quicquid boni possit,elaborare, donec octaua dies veniat, id est, K
*1.Cor.4.* resurrectionis tempus,quando ante tribunal iudicis Christi præsentatus bonorum operum remunerationem ab ipso accipiet. Vnde dicit Apostolus, Nolite ante tempus iudicare quoadusq; veniat dominus,qui & illuminabit
*Rom.14.* abscondita tenebrarum,& manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à deo. Et iterum, Omnes (inquit) stabimus ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. AVCTOR CATENAE. Vnde in decimis & primitiis offerendis,gratias domino in genere referendas significat pro omnibus terræ nascentibus,& de eis pauperes & fidelium necessarios ministros sustentandos, prolem quoque nutriendam diligenter in gloriam dei, & salutem Christianæ reipublicæ, hoc enim nobis est primogenitum filiorum offerre domino. Sequitur, Viri sancti eritis mihi. Carnem quę à bestiis fuerit prægustata,& cætera. RABANVS. Licet fas non sit secundum historiam, carnem pollutam bestiali dente dilaceratam, homini diuinæ legi subdito, contra legem comedere, sed quasi immundam reputare, tamẽ allegorico sensu carnem conuersationẽ humanam, seu animalem doctrinam intelligere possumus. Bestiam verò, hæ- L
reticum siue diabolum. Carnem verò, hoc est, conuersationem, quæ ab hæreticorum opere venenato laniatur,
vel diabolica suggestione decipitur,non est licitum homini Christiano imitari, sed quasi immundam proiicere canibus(hoc est) malignis spiritibus, siue paganis aptam atque consimilem deputare, secundum illam veri-
*Matth. 18.* tatis vocem, qua iubet eum qui Ecclesiam non audierit,pro Ethnico & publicano haberi. Et Apostolus mãdat,
*1.Cor.5.* peccantem tradi satanæ in interitum carnis, vt spiritus sit saluus in die domini. Item per morticiniorum, & à
*1.Cor.10.* bestia captarum carnium prohibitionem,possumus aduertere, non communicandum esse mensæ dæmoniorũ his, qui pane cœlesti reficiuntur, iuxta illud Apostoli, Non potestis(inquit) mensæ domini participari, & mensæ dæmoniorum. In his enim sunt verè morticinia, & à bestiis capta, quia enim simul sanctus, simul autem & nutritor substantiæ nostræ intelligibilis, prædictus panis est (nec pollutos enim percipere præcipit) verè rursus mundatos prohiberi non vult, vtrumque enim planè & Paulus præcipit, Quicunque enim (inquit) comedit panem, & bibit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Ecce iste est pollutus M
*1.Cor.11.* & immundus. Hunc enim intelligis omni modo indignè comedentem, à sanctorum prohibitum partipatione. Quid autem his addidit? Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,& de calice bibat. Qui autem semetipsum probat,si peccati sibi conscius est,& pollutionem animæ se habere sentit,pœnitet sine dubio,& post pœnitentiam de pane comedere,& bibere rursus de calice sancto & impolluto potest.

IN



A IN CAPVT EXODI VIGESIMVMTERTIVM, ARGVMENTVM.

*Mendacium. Iudex. Pauper. Inimici. Munera. Peregrini. Sabbatum. Dij externi. Festum anni. Sanguis. Primitiæ. Seruire Deo. Chananæi quare paulatim expulsi.*

CAPVT XXIII.

B NOn *suscipies uocem mendacii, nec iunges manum tuam ut pro impio dicas falsum te-* Lectio 1.
*stimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à uero deuies. Pauperis quoque non misereberis in iudicio, si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si uideris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Non declinabis in iudicium pauperis. Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium. Nec accipies munera quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt uerba iustorum. Peregrino molestus non eris. Scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti.*

AVCTOR CATENAE. In hoc capite quædam sunt præcepta iudicialia, quædam cæremonia- Lectio 1.
lia, quædam moralia, quæ ad conscientiam confirmandam pertinent. Sunt enim miscellionum lege conscripta, & stylo castrensi,sine exacto ordine,sed vt quodlibet vsu decernendum obuenit. Ait ergo: *Non suscipies vo-*
C *cem mendacij, nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium.* RABANVS. Hinc scriptum est,Non credas omni verbo. Et alibi, Testis falsus non erit impunitus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Nec iunges manum tuam,& cætera. Consuetudinem confirmationis notat. THOMAS. Falsum testimoniũ ha- 2.2.q.70.
bet triplicem deformitatem. Vno modo ex periurio,quia testes non admittuntur nisi iurati. Et ex hoc semper est ar.4.3 Cor.
peccatũ mortale. Alio modo ex violatione iustitiæ,& hoc modo est peccatũ mortale in suo genere,sicut & quælibet iniustitia. Et ideo in præcepto decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimonium: cũ dicitur Exodi vigesimo, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non enim contra aliquem facit qui eum ab iniuria facienda impedit: sed solùm qui ei suam iustitiam tollit. Tertio ex ipsa falsitate, secundum quod omne mendacium est peccatum. Et ex hoc non habet falsum testimonium quòd semper sit peccatum mortale. CAIETANVS. Post leges circa furta, ad leges circa actiones iudiciales transit. Et quia initium iniuriæ in iudiciis est falsitas & suasio falsitatis, ideo primum præceptum datur, vt nullus admittat suaD sionem falsitatis. Non dicit non credes, nec dicit non audies, sed non suscipies auditionem falsitatis, sic enim est iuxta Hebræum: hoc est, non admittes, vt siquidem audias hominem nitentem persuadere tibi vt consentias machinatæ falsitati aduersus aliquem, non tamen admittas, non consentias. Nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium. Iuxta Hebræum habetur, Non pones manum tuam cum impio, vt sis testi torti. Aptè hoc præceptum iungitur primo, illud enim animum, hoc locutionem prohibet: illud causam, hoc effectum inhibet. Lex est clara. AVCTOR CATENAE. Non suscipies vocem mendacij. In Hebræo legitur לֹא תִשָּׂא שֵׁמַע שָׁוְא Lo thissa semaha sau, Non assumes rumorem falsum, Id est, ne sis auctor falsi rumoris contra proximum tuum, aut fingas in corde tuo, vnde illius fama lædi possit. Est autem rumor sermo sine vllo certo auctore dispersus, cui malignitas dedit initium, credulitas incrementum. Alij legunt non feres rumorem vanum, quod est idem cum superioribus. Alij, Non suscipies vel non admiseris auditionem vanam, hoc est, ne credito ita facilè iis quæ à vulgo circunferuntur, quod & ad
E mendacium & ad omnem turpem orationem spectare potest. A qua lectione Septuaginta quoque non dissentiunt habentes, ἀκοὴν ματαίαν, id est, auditionẽ vanã. Chaldaica prout est in litera nostra legit. Et quod sequitur, Nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium, Hebraicè legitur אַל תָּשֶׁת יָדְךָ עִם רָשָׁע לִהְיוֹת עֵד חָמָס Al táseth iadcha him rasaha, lihioth hed chamas, Nec pones manum tuam cum impio, vt sis testis iniquus vel falsus, vel mendax, id est, non adiuuabis causam improbi falso tuo testimonio, sed nec super hoc cum illo paciscéris. Nulla etiam publica fama, nullæ blanditiæ, nulla promissa moueant te, vt falsum testimoniũ pro impio dicas aduersus innocentem. Chaldaica legit in hunc eundem sensum videlicet, Nec pones manum tuam cum iniquo, vt sis ei testis falsus. Septuaginta eodem quoque modo habent, οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ ἀδίκου γενέσθαι μάρτυς ἄδικος, id est, non consenties vel non simul sedeas cum impio, vt sis testis iniquus. Generale est itaque mandatum, non lædendam famam proximi falsis inuentionibus, siue ne temerè cuiuis credatur aut communi famæ, tamen ad iudices specialiter pertinet, non ad allegata decernere, sed ad comprobata
F certis testimoniis. Non credere impiis hominibus, non fauere vel æmulari in votis, non fœdus ineundum cũ improbis,nõ misceri illorũ societati, vt ob eorũ cõsuetudinẽ aliquatenus dicas vel facias, aut decernas iniquũ vel cõsentias, aut fauore eorũ abducaris ad testimoniũ iniurioſum loquendo vel tacendo. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* AVGVSTINVS IN QVAE- Quæst.87.
STIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, non eris cum pluribus in malitia, videlicet ne se inde quisquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo non putet esse peccatum. CAIETANVS. In Hebræo non habetur turbã, sed multos. Post leges ne quis assentiat vni impio, subiunguntur duæ quoq; leges, ne quis sequatur multitudinem contra prouerbium, Malo errare cũ multis. Decernit sancta lex, vt ad opus malum non conueniat quis cum multitudine, vt si multitudo petat aliquem occidi, tu iudex non conuenias cum ea ad faciendũ homicidiũ, vt fecit Pilatus: & similiter si multitudo iudicum malefacit dãnando aliquẽ, tu cõiudex non sequaris eos, Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Iuxta Hebræum habetur,

Et non teſtificaberis ſuper litem ad declinandum poſt multos ad faciendum declinare. Altera eſt lex, prohi- G
bens ſequi multitudinem. Prima enim prohibet ſequi multitudinem ad opus malum, hæc autem prohibet ſe-
qui multitudinem ad teſtificationem obliquam. Contingit enim quòd ad complacendum multitudini vel ad
non diſplicendum multis, concurrat quis ad teſtificandum iniquè, & ideo hoc ſpecialiter prohibetur. AV-
CTOR CATENAE. Non ſequeris turbam ad faciendū malū. Non diſſentit ab Hebræo, quod ita legitur,
לֹא תִהְיֶה אַחֲרֵי רַבִּים לְרָעֹת Lo thihie achare rabbim lerahoth, Non eris poſt multos ad malefaciendum, ſiue ad
mala, id eſt, ne ſequaris multitudinem, ſiue maiorem partem ad malefaciendum. Verbi gratia, ſi plures in iudi-
cio cōdemnauerint innocentem, tu ſequeris pauciores, qui illum ſaluare conantur. Quamuis etiam Rabbim nō
tam multos, quàm primores & præcipuos ſignificet, ita vt etiam dicat, eo quòd princeps vel ſuperiores iniuſtè
fecerint, tu propter eorum auctoritatem non iniquè agito. Chaldaica, Non ſequeris multos ad malefaciendū.
Septuaginta, οὐκ ἔσῃ μετὰ πλεόνων ἐπὶ κακίᾳ, Non eris cum pluribus in malitia. Quæ cum Latinę editionis ſen- H
tentia conueniunt. Sequitur, Nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ. Senſum ex verbis Hebraicis
hauſit Interpres, quæ ſunt וְלֹא תַעֲנֶה עַל רָב לִנְטֹת אַחֲרֵי רַבִּים לְהַטֹּת Velo thahane hal rib lintoth achare rabbim
lehattoth, Et non reſpondebis in cauſa vt declines poſt multos ad declinandum, ſubaudi iudicium. Alij, Nec
loqueris in lite, vt declines poſt multos ad peruertendū, id eſt, in lite ne ſequaris plurium ſententiam, vt peruer-
tas iudicium, & ne inclines in iudicium cum multis. Quod ſi ita intelligatur, eſt prioris clauſulæ repetitio, ad
maiorem exaggerationem. Alii intelligunt, Non moueri debebis multitudine amicorum reum defenden-
tium in dandis ſuffragiis, ſed ſuſpendito votum, dum veritas agnoſcatur atque iuſtitia. Nonnulli reddunt,
Neque reſpondeas in iudicio, declinando poſt multos, vt peruerſum quid committas, & à vero deuies. Quod
idem eſt cum ſuperioribus. Septuaginta, οὐ προσεθήσῃ μετὰ πλήθους ἐκκλίναι κρίσιν, Non adiicies cum multitu-
dine ad declinandum iudicium. Chaldaica neſcio quid diuerſum habet, videlicet, Neque deſinas docere quod
tibi videtur in iudicio. Hæc ſunt quæ ſuper hoc loco ſatis obſcuro dici per nos potuerunt. Sed vt verum fa I
teamur, nec adhuc nobis ipſis ſatisfecimus pro eius enodatione. Si quid ergo ab aliis doctiùs & prudentiùs ex-
cogitatum fuerit, libentiùs nos eorum acquieſcemus ſentētiæ. Dicat ergo dominus, Ne te multitudo moueat,
vt eos ſequaris in ferenda ſententia, ſed veritas agnita, ac iuſtitia propriæ conſcientiæ, alioqui ſuſpende nego-
cium, & quod non tu ipſe intelligis, nolis damnare vel approbare. Nec dum iudex reſides, ad multitudini cō-
placendum declines à recta, quam noſti, ſententia. Non ſunt ergo ad iudicium adducendi amici & potentes,
ne videantur vel vincere velle, vel potentum multitudine, vel terrere iudicem ad partem aduerſam, vel male
ſentire de aſſeſſoribus iudicibus, quaſi fauore & multitudine flecti poſſint ad ſuam partem liberandam. Qua-
liſcunque cauſa ſit, peſſima eſt conſuetudo adducendi in iudicium amicos, & amicos cedere iudicio: indicium
eſt enim confracti & parùm integri ſenatus, qui nec ſibi quidem firmiter conſtare putetur, ſed flecti ad ſuſci-
piendam perſonam lege dei frequenter prohibitum & damnatum. Erudiuntur igitur hîc iudices in controuer-
ſiis, vt non moueantur nec multitudine nec auctoritate aliorum, ad pronunciandum iniquam ſententiam ad- K
uerſus innocentem. Neceſſaria etiam lex, ne quis iniquitati aut impietati ſuæ patrocinium quærat ex aliorum
vel multitudine, vel magnitudine, ſeu auctoritate. *Pauperis quoque non miſereberis in iudicio.* AVGVSTINVS IN
*Quæſt.88.* QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Niſi addidiſſet, in iudicio, magna eſſet quæſtio. Sed intelligē
dum eſſet, etiam ſi ſcriptum non eſſet. Suprà enim dixerat, Non apponeris cum multitudine, cū pluribus, vt de-
clines iudicium, ac per hoc & pauperis non miſereberis, poſſet intelligi, in iudicio. Sed cum additum eſt, nulla
quæſtio eſt hoc eſſe præceptum, ne fortè cùm iudicamus, videamus iuſtitiam eſſe pro diuite contra pauperem,
& nobis rectè facere videamur, ſi contra iuſtitiam pauperi faueamus cauſa miſericordiæ. Bona ergo eſt miſeri-
cordia, ſed non debet eſſe contra iudicium. Iudicium ſanè illud appellat ſcriptura, quod iuſtum eſt. HIERO-
*Pſalm.32.* NYMVS IN PSALMOS. Ait Propheta, Diligit miſericordiam & iudicium dominus. Quomodo au-
tem dicit, diligit miſericordiam, cùm in alio loco dicat, ne miſerearis pauperi in iudicio: id eſt, non propter
pauperem, nec propter diuitem, non propter proximum & longinquum, non propter cognitum & incognitum L
declines à recto iudicio, ſed priùs iudica rectum iudicium, & poſtea ſubueniat miſericordia. IDEM IN
*Cap.31.* PROVERBIA. Aperi (inquit) os tuum, decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem. Sicut in ver-
ſu ſuperiori pro cauſa & ereptione pauperis, os aperire præcipit ita in iſto ipſum pauperem vbi errauerit, iuſtè
caſtigare ac iudicare admonet. Iuxta quod Moyſes ait: Et pauperis in iudicio non miſereberis. Quod vtrumq;
dominum facere Propheta inſinuat, dicens, Sed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate manſuetos
*2.2.q.63.* terræ. THOMAS. Pauperis quoq; non miſereberis in iudicio. Non eſt contra hoc quod legitur Eccleſiaſti-
*ar.4.ad 3.* ci quarto, In iudicando eſto pupillis miſericors, quia homo in iudicio debet pauperi ſubuenire quantum fieri
poteſt, tamen ſine læſione. Alioquin non haberet locum quod hîc dicitur. CAIETANVS. Iuxta Hebraū
habetur, Et pauperem non pulchrifacies in lite ſua. Præcipit deus, vt in iudicio non habeatur ratio pauperis, ſed
iuſtitię dūtaxat, & propterea prohibet blandis ſermonibus ornari cauſam pauperis, & multo magis aliorū. O vti-
nam non ſæpiſsimè pulchrifierent cauſæ diuitum, tot enim coloribus ornantur, vt quamuis turpes, imò turpiſ- M
ſimæ, honeſtæ appareant, & propterea deus hoc vitium prohibet, etiam gratia miſericordiæ erga pauperem.
AVCTOR CATENAE. Pauperis quoque non miſereberis in iudicio. In codice Hebrço legitur, וְדָל לֹא
תֶהְדַּר בְּרִיבוֹ Vedal lo theddar beribo. Verbum autem hadar, decorare, honorare, gloriare, & glorificare ſignifi-
cat. Ita ergo redditur iuxta literam, Et pauperem non honorabis vel ornabis in lite vel cauſa, aut iudicio, vel ne-
gocio ſuo. Hoc eſt, ne habeas reſpectum perſonæ in iudicio, id eſt enim ornare ſiue honorare aliquē in iudicio.
Licet enim multo fauore deus vbique proſequatur pauperes, & nolit opprimi, nō vult tamē reſpectu paupertatis
iudiciū corrūpi, multo minus diuitū reſpectu violari debet iuſtitia in iudicio: Interpres autē noſter trāſtulit ſen-
ſum, illīque tā Septuaginta q̄ Chaldaica editio concordāt. Non ergo (inquit) iuſtificabis cauſam pauperis ex cle-
mentia ſola, quia pauperem vides. Eſt quidem, quando maxima paupertatis ratio habenda eſt, videlicet cū agi-
tur de adiuuando paupere ne inedia aut miſeria pereat: hîc maximè paupertas reſpicienda eſt. Sed cùm agitur
in iudicio



A in iudicio, de equitate & iniquitate cauſarum, ibi tum nullus eſt habendus reſpectus paupertatis, ſed tantùm
ipſius cauſæ & circunſtantiarum, quæ propriè ad illam pertinent. Vtinam hæc inculcari poſsint pectoribus iu-
dicum, vt de iuſtitia diligentiſsimè conſeruanda ſemper cogitent, & non flectātur affectibus, maximè id autem
ante prolatam ſententiam, poſtea enim vbi non exegerit, miſereri poſſunt, & temperare rigorem, prout charitas
publica id permiſerit, & lex diuina. AVGVSTINVS. Sed ne quis propter ſuperiorem ſententiam deum *Quæſt.88.*
putaret miſericordiam prohibere, quod ſequitur, opportuniſsimè ſequitur. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino er-*
*ranti, reduc ad eum.* Vt ſcias non te prohibitum facere miſericordiam, fac eam erga inimicos tuos, cùm poteſtas
eſt à iudicando libera: non enim cùm reducis errantem bouem inimici tui, & reddis, inter aliquos iudex reſides.
CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA SANCTORVM IOANNIS ET PAVLI. Ait do-
minus noſter in Euangelio, Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt, &
B reliqua. Per omnia vult nos dominus in præceptis ſuis eſſe perfectos. Nam dudum in lege præceptum eſt: Dili- *Leuit.9.*
ges amicos, & odies inimicos. Sed populo carnali & terreno ſecundum tempus data iſta præcepta ſunt, ſicuti & *Exod.21.*
illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Nunc autem Euangelica populo traduntur præcepta, cœleſtis ac
perfectæ iuſtitiæ vt inimicos diligamus, odientes amemus, pro calumniantibus, ac pro perſequentibus oremus,
vt verè filij dei eſſe mereamur, qui pro miſericordia ſua ſuper bonos ac malos, iuſtos atque iniuſtos, vitæ præ-
ſentis beneficia cœleſti dono largitur. Ad huiuſmodi præcepta Euangelica cuſtodienda etiam per Eſaiam hor-
tatur nos ſanctus ſpiritus, dicens: Audite verbum domini, qui timetis nomen eius. Dicite fratres his qui oderūt
& abominantur, vt domini nomen magnificetur, & appareat illis in iucunditate eorum, & illi confundantur.
Vnde non immeritò Dauid in pſalmo teſtatur, dicens: Domine deus meus ſi feci hoc, ſi reddidi retribuentibus *Pſal.7.*
mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Beatus quoque Iob idipſum ita commemorat, dicens: Qui *Iob.31.*
ſi gauiſus ſum in delicto inimici mei, ſi dixi in corde meo, bene factum eſt, audiat auris mea maledictionem.
C Hæc autem Euangelicæ gratiæ præcepta, quæ nunc ad ſalutem hominum data ſunt, inuenimus per mandata
legis in animalibus formata, cùm dicitur: Si videris bouem inimici tui ſub onere ruiſſe, non pertranſibis, ſed e-
leuabis eum. Vtinam tunc in lege Moyſi vnuſquiſque in animalibus diſceret, quodcunque ſecundum Euange-
lium facturus eſſet in homine. ISIDORVS. Aſinum autem reduci iubet odienti proximum ſuum, vt hac
ratione odientis animum ſibi cōciliet. Nam ſi omnino implacabilis atque inexorabilis non fuerit, fieri non po-
teſt, quin hac in illum humanitate animus illius non māſueſcat. AVCTOR CATENAE. Hæc lex mo-
dum ponit affectibus & inimicitiis, ne ſint nimiùm vehementes, & euadant ad pernitiem proximi. Prohibet au-
tem ſuo more ſcriptura rem ſub perſona, odium pro hoſte. Bouis autem nomine intelligit quæcunque habet is,
quem odis, per quæ illi incommodare vel impedire commodum potes. Vt enim odium non ſemper vt velles
exuere te poſſe credas, manum tamen potes continere, & pedes regere in alicuius rem, vel promouendam, vel
impediendam. Face ergo proximo quod tibi fieri optares, & optare deberes, & periculum eius aut damnum im-
D pediendo impedias. Et quia Iudæi crudeles erant, ideo ſancta lex ad pietatem etiam erga bruta animalia exer-
cendam inducit, vt ex hoc ad maiorem poſtmodum erga homines inducerentur. Ex hoc enim quòd videbat
inimicus ab inimico animal domum reductum, compellebatur quodammodo ad deponendum odium contra
eum ſuſceptum. *Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* CAIETANVS. Iuxta
Hebræum habetur, Et vetabis de auxiliari ei, auxiliando auxiliaberis cum ipſo, & eſt ſenſus, & cohibebis te ab o-
pem ferendo oppreſſo iumento, conſiderando te ſolum hoc non poſſe, iunctus ſimul cum ipſo quamuis oſore
tuo, auxiliaberis. Intendit enim per has leges, quòd in his quæ ſunt iudicij, non eſt habenda ratio inimici, & mul-
to magis aliena debet eſſe à iudicio ratio inimici, quàm in iſtis euentibus. AVCTOR CATENAE. Si
videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Hebraica lectio eſt וְחָדַלְתָּ
כִּעֲזֹב לוֹ עָזֹב תַּעֲזֹב עִמּוֹ: Vechadaltha mehazob lo, hazob tahazob himmo. Sciendum verò verbum עָזַב Hazab, &
relinquere ſeu dimittere, & adiuuare ſeu ſubleuare ſignificare. Et ſecundum duo hæc ſignificata dupliciter lo-
E cum hunc exponi. Quidam enim ſic reddunt, Et deſiceris adiuuare eum, adiuuando adiuuabis cum eo, vel ſuble-
uando ſubleuabis cum eo. Vt ſit ſenſus, minimè ceſſes ab adiuuando vel ſubleuando aſino ſub onere cum ini-
mico tuo. Quod clariùs reddunt, qui interrogatiuè legunt, hoc modo videlicet, Deſines auxiliari ei? Ac ſi dicat
minimè, auxiliando auxiliaberis ſecum. Secundum autem primam ſignificationem ſic legitur, Cauebis deſerere
vel dimittere eum (ſubaudi cum onere) Dimittens dimittes cum eo, id eſt, dimittens odium quod habebas in
corde tuo, dimittes aſinum ab onere vnà cum inimico tuo. Quem quidem ſenſum habet & Chaldaica, inquiēs,
Quando videris aſinum odientis te iacētem ſub onere ſuo, & deſieris adiuuare eum, & ſubleuabis cum eo. Alij
ſic legunt, Ceſſabis dimittere eum, relinquendo relinqueris cum eo, hoc eſt, ſi hactenus deſeruiſti eum, iam ab
hoc ceſſabis, & non dimittes eum, quin apud illum relinqueris, donec opem tuleris. Nonnulli autem ſic, Num
ceſſabis? Et derelinques eum? Num deſertum deſeres? Et ſubaudiunt, nequaquam. Nonnulli verò ſic reddunt,
Deſines derelinquere illum, auxiliando auxiliaberis cum eo. Id eſt, cauebis dimittere eum, exonerando exone-
F rabis cum eo, hoc eſt, cauebis deſerere aſinum cum onere, verùm detrahes illi onus illud cum inimico tuo. De-
mum quidam Hebræorum vertunt, Cauebis ne deſeras illi ſoli onus ſubleuandum, verùm ſubleuando ſubleua-
bis cum illo, vt animal faciliùs ſe errigat in pedes. Quorum omnium etſi verba ſunt obſcura, ſenſus tamē vnus
apertus eſt, qui & ab Interprete noſtro pauciſsimis exprimitur, quo cum etiam Septuaginta conueniunt. Dicat
igitur deus: Nunc credere aliquatenus potes, licere tibi per deum & cum deo, vt ſi videas hoſtis tui aſinum aut
bouem iacentem ſub onere, & non poſſe progredi, vt ceſſes adiuuare illum, ſed magis relinquendum pro inimi-
citia hoſtis indigni? Nequaquam id mentem tuam ſubeat, ſed potiùs quod charitas ſuadet & clementia, etiam
adiumentum, vt non ſinas perire. Non ſis tam intractabilis & crudelis in aſinum, vt dum potes non adiuues,
quin potiùs euince noxias paſsiones tuas, & accede contra improbitatem humani ſenſus, & adiuuando adiuues,
hoc eſt, non relinquas in mortis periculo beſtiam & hominem, ſed pariter adiua. Et dominus gratiam dona-
bit euadendi improbos affectus, & deponendi pectorum vtrinque infelicitatem, vt conciliemini, & vincatur
malum

malum in bono. Hæc & superior lex exponunt, quis nomine proximi intelligendus sit. Et hîc vides quòd cùm G Christus in Euangelio præcipiat, etiam inimicos diligendos, non ferat nouam legem, sed veterem tantùm exponat, ac planè idem doceat, quod verbis harum duarum legum disertè explicatur. Nam proximi, quem vt nos ipsos iubemur diligere, nomine, non continetur tantùm amicus, verùm etiam inimicus. Quare etiam inimico benefaciendum est. Eadem scripta sunt Deuteronomij vigesimo secundo. *Non declinabis in iudicium pauperis.*

HVGO DE SANCTO VICTORE. In hoc præcepto prohibet contemptum, & ne pro parua re dimittat iudicium. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Non declinabis iudicium miselli in lite sua. Dictio interpretata miselli, propriè significat quem vulgò dicimus meschino. Et apponitur pronomen tui, hoc est, à te pendentis, tanquam misellus non sit suimet, sed iudicis seu testis, à quo pendet efficacia iuris eius, quoniam ipse non potest se adiuuare. Nec rationem ergo inimici, nec rationem miselli haberi præcipit in iudicialibus. AVCTOR CATENAE. Non declinabis in iudicium pauperis. Quoniam locus obscurus est, He- H braica lectio ponēda est, quo fiat illustrior, quæ ita habet: לֹא תַטֶּה מִשְׁפַּט אֶבְיֹנְךָ בְּרִיבוֹ lo thatte mispat ebioncha beribo, Non declinabis iudicium pauperis, in causa eius. Sic habet & Chaldaica, quasi dicat, Non recusabis, non detrectabis esse iudex in causa pauperis contra diuitem. Et hoc enim frequenter contingit, vt pauper non possit habere iudicem in lite quam habet contra aliquem diuitem. Alij verò legunt, Non flectes, vel non peruertes iudicium egeni vel mendici in causa, vel negocio suo. Hoc est, Neque pauperi fauendum est, vt supradictum est, neque auersandus est is in iudicio, Quasi dicat, Non habebis respectus personarum in iudicio. Sic etiam interpretati sunt Septuaginta, οὐ διαστρέψεις κρίμα πένητος ἐν κρίσει αὐτοῦ, Non deprauabis iudicium pauperis in iudicio eius. Quæ omnia id videntur exprimere, vt contra pauperem non feras sententiam iniquam contemplatione diuitis. Nec malè reddunt qui legũt, Non inclinabis ius pauperis in causa sua, id est, non efficies dolo & fraude tua, quòd pauper qui bonum ius habet in causa, succumbat in ea. Verùm quia verbum Nata etiam extendere significat, posset etiam sic reddi locus, Non extendes iudicium pauperis tui in causa sua, Hoc est, quando eris iu- I dex in causa pauperis, non proroges expeditionem eius sicut fit communiter. Nam quotiescunque litigat pauper cum diuite, paupérque bonum ius fouet, nunquam potest finem litis suæ videre, adeò diuitis fauoribus opprimitur. Priùs igitur præceperat dominus ne ob misericordiam pro paupere iudicetur, nunc ne pauper propter inopiam vllo modo prematur, quominus ius suum consequatur. Pauperis tui, Emphasim & pondus habet, id est, qui tecum versatur, quem tu alere potes & debes: præceperat enim deus, ne pauperes in populo esse sinerent. In Ecclesia nostra non sunt grauandi, sed iuuandi pauperes, vt non præcludatur à diuitibus actio pauperibus in iudicio propter inopiam, sed iusta sententia defendantur ab improbitate diuitum ac potentum. Vt enim multi sunt superstitiosi iudices, qui cùm audiant in scriptura, pauperibus esse misericordiam præstandam, existiment etiam in iudicio ad iniustitiam pauperum conniuendum & iniquitatem eorum approbãdam esse, ita sunt multi ἄθεοι iudices, qui etiam iustissimas causas, quas habent pauperes aduersus diuites aut potentes, iudicent iniustas propter paupertatem, & putent nihil referre, etiam si pauper opprimatur. Quis enim vltor tam abiecti hominis K existeret? Non ergo declinent iudices à iustitia pauperibus propter diuitum fauorem administranda, siue eorum iustitiam iniustè peruertant, aut causas prorogent, hoc enim indicat, non declinabis in iudicium pauperis.

*Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium.* AVGVSTINVS IN LIBRO CONTRA MENDACIVM. Mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia vniuersaliter odisse debemus. Nullum est enim mendacium, quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, iustitia & iniquitas, peccatum & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors: ita inter se sunt veritas mendaciúmque contraria. Vnde quantò amamus istam, tantò illud odisse debemus. IDEM. Nam quæ in sacris libris posita sunt velut exempla mentiendi, ad hanc regulam mihi videntur redigenda, vt aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium: siue vbi tacetur verum, nec dicitur falsum: siue vbi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum, vel dictorum vel factorum abundat in propheticis literis, Aut quæ conuincuntur esse mendacia, non esse imitanda monstrentur, & si qua nobis vt alia peccata surrepse- L rint, non eis tribuendam iustitiam, sed veniam postulandam. GREGORIVS DECIMO OCTAVO MORALIVM. Et omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium, quia profectò ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Summoperè autem cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, si quis vitam præstando mentitur, sed quia scriptum est, Os quod mentitur, occidit animam, Et perdes omnes qui loquuntur mendacium, hoc quoque mendacij genus perfecti viri summoperè fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ, quanquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? RABANVS. Veritatem & iudicium dominus amat, & ad hæc sequenda populum suum per legem, Prophetas atque Euangelium exhortatur, quia non est personarum acceptor, sed singulis reddit secundum opera sua. THOMAS. Illud quod est secundum se malum ex genere, nullo M modo potest esse bonum & licitũ, quia ad hoc quòd aliquid sit bonum, requiritur quòd omnia rectè concurrãt. Bonum enim est ex integra causa, malum verò est ex singularibus defectibus: vt Dionysius dicit quarto capitulo de diuinis nominibus. Mendacium autem est malum ex genere. Est enim actus cadens super indebitam materiam. Cùm enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente. Vnde Philosophus dicit in quarto Ethicorum, quòd mendacium est per se prauum & fugiendum: verum autem est bonum & laudabile. Vnde omne mendacium est peccatum, sicut etiam Augustinus asserit in libro contra mẽdacium. IDEM IN QVINQVAGINTA PSALMOS. Nota verò quòd triplex est mendacium, scilicet pernicioſum, quod fit in nocumentum alterius, siue spiritualis siue temporalis rei, puta in doctrina: & hoc est grauissimum. Iocosum, quod dicitur ad delectandum. Officiosum, quod quis loquitur ad proficiendum, siue spiritualiter siue temporaliter. Et secundum Augustinum, Nullum menda-

*Ibidem.*

*Cap.2.*

*Sap.1.*
*Psal.5.*

*2.2. q. 110. ar.3.in cor.*

*Psal.5.*



A mendacium officiosum est sine peccato: quia si mentiris vt liberes aliquem, hoc non est bonum, quia Apostolus dicit Romanorum tertio, Non sunt facienda mala vt veniant bona. Præterea omne malum posset fieri propter bonum, potest tamen officiosum esse aliquãdo veniale. Sed iocosum semper est veniale, pernitiosum verò semper est mortale. CAIETANVS. Mendacium fugies. Iuxta Hebræum habetur, A verbo falsitatis elongabis te. Superiùs præceperat vt non susciperet auditam falsitatem, modò præcipit, vt nullus in iudicio dicat falsum. Minus dico, quia præcipitur elongatio à dicendo falsum. Superiùs prohibita est falsitas instante altero, modò prohibetur, ne quis motu proprio dicat falsum in iudicio. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium. Iuxta Hebræum habetur, Et mundum & iustum non occides, quia non iustificabo impium. Differentia inter mundum & iustum est, quia mũdus est, qui non commisit homicidium, adulterium, & cætera: iustus autem, qui fecit quidem opus, sed iustum. Neuter occidendus præcipitur iudicialiter, extra iudicium enim nec etiã iniquus & immundus occidendus est, iuxta commune præceptum Non occides. Et scito quòd cùm iudex non sit B deus sed homo, in foro eius ille est iustus & mundus, qui non est confessus aut conuictus, quamuis secundum rem fuerit iniustus seu immundus: & è conuerso ille est in foro eius iniustus seu immundus, qui est confessus aut conuictus, etiam si secundum rei veritatem esset innocens. Et hæc proculdubiò sunt regulariter vera, alioquin iudex qui non interfuit crimini, nunquam esset in conscientia sua securus. Adiungitur autem ratio diuini timoris, dicendo, quia non iustificabo impium, vt timeant iudices diuinum iudicium, scientes quòd si huiusmodi impietatem commiserint, non iustificabuntur in diuino iudicio, quamuis apud homines impunes euadent.

AVCTOR CATENAE. Mendacium fugies, Hebraicè est מִדְּבַר שֶׁקֶר תִּרְחָק Midebar seker tirkach, A verbo mendacij siue mendaci, procul eris. Quod est idem cum Latina versione. Alij, A verbo falso longè aberis: Vel, A sermone falso recedes, id est, à iudicio falso: hîc enim, dicunt hi, videtur dominus alloqui iudicem. Quibus fauent etiam Septuaginta habentes, ἀπὸ παντὸς κρίματος ἀδίκου ἀποστήσῃ, Ab omni iudicio iniquo recedes. C Chaldaica verò, A verbis otiosis procul eris. Est autem otiosum verbum vt Gregorius ait, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis caret, quod scilicet sine vtilitate & loquentis dicitur & audientis, velùti si omissis seriis de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. Sunt demum qui legant, A re falsa longè absis, quasi dicat, nec verbis nec factis à veritate vnquam recedas. Nam dictio seker, mendacium, seu falsum, vel falsitatem sonat. Insontem & iustum non occides. Vel innocentem & iustificatum, sic enim etiam verti posset, id est, aliorum sententiis absolutum. Hoc est, quem alij iustè absoluerunt, tu ne iniustè morti addicito. Vnde & Chaldaica, Et eum qui fuerit iustificatus, & exierit justus à iudicio, non occides. Quod autem sequitur, Quia auersor impium, in Hebræo legitur: כִּי לֹא אַצְדִּיק רָשָׁע Chi lo azdik rasaha, Quia non iustificabo impium. Sic & Chaldaica. Hebraismus est, pro, Non finam eum iudicem inultum, qui innocentem morti adiudicauerit, quod à sensu nostræ literæ non deuiat. Vel non iustificabo impium, id est, im- D pium volo iuxta impietatem suam iudicari. Quasi dicat, Si quis pessimè egerit, vt pessimus est, ita iudicabitur, neque eam sententiam accipiet, quam solent iusti accipere. Hoc autem aliquantulum diuersum fecerunt Septuaginta, dicẽtes, καὶ οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων, id est, Et non iustum existimabis seu iustificabis impium propter munera. Nam de seipso loquitur deus, de muneribus quoque non hîc, sed statim in alio præcepto infertur. Dicat igitur dominus, Ante omnia iudices longissimè absint à vanis & mendacibus sermonibus, & ab omni dolo malo aut calumnia, quanquam id ipsum pertineat ad omnes homines, vt verum ac iustum spectent, loquantur & agant. Occidenti innocentem & iustum, non propitiabor ego dominus, nisi sanguis illius etiam fundatur, qui innocentem interfecit. Terra innocentis sanguine commaculata, non ferre potest impios illos homicidas, sed euomet eos, nec reconciliabitur, nisi homicidarum hausto sanguine. Eiusmodi impietates & impios non patior inulta, sic non sinam sine legitima duráque vindicta. Sunt enim magistratus quidam, qui cùm liceat ipsis occidere nocentes, existiment sibi etiam licere occidere innocentes, tantummodo vt obseruent externam E quandam legitimi iudicij formam. Sunt alij, qui si à superiori magistratu iubeantur occidere innocentem, existiment se haudquaquam peccare si obediant, quemadmodum ciues Iezraëlitæ occiderunt Naboth ex præcepto reginæ Iezabel. Sed his ponitur lex ista: Longè esto à falsis negotiis, & non occides insontem ac iustum, etiam si iussus fueris à superiori magistratu. Quia non iustifico, inquit deus, impium, hoc est, quicunque impiè facit, siue suo siue alieno arbitrio, siue honesta, siue inhonesta specie, is aduersus deum peccat, & punietur propter peccatum. *Nec accipias munera quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum.* HIERONYMVS IN ESAIAM. Et hæc pars vitiorum est, iustificare impium pro muneribus, & non causas, sed dona considerare, quæ excæcant etiam oculos sapientium. Quod & in epistola Iacobi prohibetur, Ne honorantes impios diuites, & despiciẽtes sanctos pauperes, fiamus iudices iniquitatis. IDEM IN MICHEAM. Princeps (inquit Propheta) postulat, & iudex pacificè loquitur, accipit enim munera desiderium animæ suæ. Quod quia manifestum est, & inuidiam caueo principum iudicúmque, lectoris intellectui derelinquens, tantùm illud adiungam: mune- F ra excæcant oculos etiam sapientũ: viuificant quoque animã quam viuificare non debuerant, & interficiũt eam quæ merito suo & virtutibus viuit, & hoc faciunt propter dona quæ postulant impudenter, & turpiùs accipiũt.

*Cap.5. Iac.2.*

*Deut.16.*

AVGVSTINVS IN PSALMOS. Munera non solùm pecunia est, non solùm aurum & argentum, *Psal.25.* non solùm xenia sunt, neque omnes qui accipiunt ea, accipiunt munera. Aliquando enim accipiuntur ab Ecclesia, quod dico, Petrus accepit, dominus accepit, loculos habuit, ea quæ mittebantur Iudas auferebat. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, iudicare contra veritatem propter munera. Propter quæ munera? Non solùm propter aurum & argentum & huiusmodi aliquid: sed etiam propter laudem qui iudicat male, munus accipit, & munus quo nihil inanius. Patuit enim illi manus ad accipiendum iudicium linguæ alienæ, & perdidit iudicium conscientiæ suæ. GREGORIVS NONO MORALIVM. Nec accipias munera, & cætera. Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus nanque à corde est, captata gratia à cogitatione, munus ab ore, est gloria per fauorem. Munus ex manu, est

*Cap.26.*

nu, est præmium per dationem. Sed iustus quisque ab omni munere manus excutit: quia in eo quòd rectè agit, G nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere donationem quærit. Solus ergo in dei opere fraudem non facit, qui cùm ad studia bonæ actionis inuigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad
*Cap.27.* laudis verba, nec ad humani iudicij gratiam anhelat. IDEM DVODECIMO MORALIVM. Et ignis (inquit) deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Sicut enim corpus in tabernaculo, sic mens habitat in cogitatione. Sed ignis tabernacula deuorat, cùm æstus auaritiæ, cogitationes deuastat. Et fit plerunque vt hypocrita aurum vel quæq; bona corporalia ab hominibus accipere contemnat, sed quia hæc non accipit, maiores ab eis recipere laudes quærat, & fortasse munus se accepisse non æstimat, quia bona corporalia recipere recusat. Vnde sciendum est quia aliquando munus à manu, aliquando verò ab ore porrigitur. Nam qui nũmum tribuit, munus ex manu dedit: Qui autem verbum laudis impendit, munus ab ore protulit. RABANVS. Nec accipias munera, & cætera. Hinc per sapientiam dicitur, Auaro nihil est scelestius. Nihil est ini- H quius quàm amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. CAIETANVS. Quæ excæcant etiam prudentes. Pro prudentes, iuxta Hebræum habetur, apertos, hoc est, ad similitudinem videntium apertis oculis dispositorum quo ad oculos mentis. Et significatur ad literam, quòd tanta est vis munerum, vt non solùm parùm aut mediocriter videntes ea quæ sunt iuris, sed etiam perfectè videntes quæ iuris sunt, & excæcent intus, mutando enim affectum, efficiunt vt appareat & si non speculatiuè, saltem practicè: hoc est, vt appareat fouenda vel excusanda vel toleranda pars, à qua susceptit munera: qualis enim vnusquisque est secundum affectum, tale (hoc est, correspondens, seu consonum illi affectui) videtur ei prosequendum. Et subuertunt verba iustorum. Iuxta Hebræum habetur, Et torquebunt verba iustorum. Non solùm munus excæcat internos oculos, sed etiam torquet verba, flectendo illa hinc & inde, quod vtinam non sæpe palparetur. Vbi libra quod secundum vtranque partem optimè dispositi (videlicet in parte intellectiua videntes apertis oculis, & in parte affectiua iusti) incitantur suscipiendo munus, nec humana, sed diuina hæc est I sententia. Quid igitur eueniet ex munere in minus videntibus, in minus iustis? Nullus igitur tutus est suscipiens munus iudex. AVCTOR CATENAE. Nec accipies munera. Nil refert quòd tota hæc clausula in Hebræo concepta est per verba & nomina singularis numeri. Nam & singularis pro plurali, & è contra sæpe ponitur. Quæ etiam excæcant prudentes. Id quod Hebraicè est כִּי הַשֹּׁחַד יְעַוֵּר פִּקְחִים Chi hasochad iehaier pikchim, Quoniam munus excæcat prudentes, siue videntes aut oculatos, id est, sapientes, vel qui videntur esse sapientes. Et subuertunt vel peruertunt verba iustorum, id est, negocia & causas eorum, vel res iustas, & causas bonas. Sic & Chaldaica, Quia munus excæcat oculos sapientium, & peruertit verba iustorum. Septuaginta habent, τὰ γὰρ δῶρα ἐκτυφλοῖ ὀφθαλμοὺς βλεπόντων, id est, Dona enim excæcant oculos videntium, vbi Hebraicè posita est dictio pikchim, quæ videntes, siue qui habent oculos apertos, vel prudentes significat: certúmque est de oculo mentis intelligi, qui muneribus excæcatur, vt nihil rectum cernat, nihil iustum agat, videntibus enim oculis, cęcutiunt munerum admiratores. Beatus est autem & iustus, qui perseuerare potest in iudicio & causis tractandis, K paruis & magnis, qui excutit manus suas ab omni munere. Est autem munus à laude, officio, prece, & pretio. Subuertunt autem munera verba iustorum seu iusta, vt habent Septuaginta, quia priùs pro veritate & iustitia loquentes, repentè mutatos, contraria & sentientes, & loquentes efficiunt. *Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti.* INTERLINEARIS. Quomodo scilicet facilè contri-
*Cap.23.* stentur, non habentes vnde consolentur. HIERONYMVS IN ESAIAM. Nam omnis vagus, atque
*Cap.3.* in orbe peregrinus, & incertarum sedium, semper in angustia iugiter & in mœrore est. IDEM IN NAHVM.

Peregrini autem sunt, quibus placet habitare in vrbe non sua. AVGVSTINVS DE VITA CHRISTIANA. Populum Iudaicum quem ad se deus primùm de semine Abrahæ præ cæteris gentibus pertinere optauit, quomodo erudierit, quid eum vt sibi placeret facere, quid obseruare præceperit, scire nos conuenit. Primo in loco quid derelicta regione in qua semper habitare optauerat, patriáque deserta, in alienam prouinciam, hoc est, in Aegyptum migrare fecit, non sine causa, nec sine dei prouidentia factum esse reor. Sed hanc fuisse pu- L to rationem, quia deus populum suum quem elegerat, præceptis misericordiæ, pietatis, iustitiæ, cæterísque bonis operibus cupiens erudire, voluit eum in externa patria pro tempore peregrinum esse & captiuum, vt captiuitatis & peregrinationis miseriam disceret & labores, quò facilius postmodum misereri peregrinantibus & laborantibus nosceret si ipse antè peregrinationis miserias didicisset: nemo enim tam libenter peregrino & aduenæ miseretur, quàm qui peregrinationis exitus nouit. Nemo libentiùs hospitem sine tecto, suo introducit hospitio, nisi qui antè indiguerit alieno. Nemo ita esurientem cibat, nemo sic sitientem potat, nisi qui sitim esuriémque perpessus est. Nemo tam facilè nudum operit suis vestimentis, quàm qui nuditatis & frigoris nouit iniuriam. Nemo sic tribulato & misero & laboranti succurrit, quàm qui tribulationum & miseriarum casus expertus est & laborum. Meritò ergo deus misericordiæ & pietatis magister, qui legem postmodum erat editurus, per quam populo suo misericordiæ & pietatis omniúmque bonorum operum præcepta erat traditurus, voluit eum priùs omnes passiones, pressuras & tribulationes & angustias in terra perpeti aliena, quò facilius postea posset talia M patientibus misereri, & sic suis obtemperare mandatis. Vt putas eum bonum fuisse agricolam, qui priùs quàm semen mittat, diu terram aratris & rastris domat, ne quod illi traditurus est semen pereat: ita & deus populum suum diu antè macerat & domat, quàm ei salutarium mandatorum semen impartiat. Denique vt ob hanc causam hæc eum pertulisse euidentiùs clareat, ipsius domini intuemur mandata, dicentis, Aduenam non vexabitis
*Deut.10.* nec tribulabitis, fuistis etenim & vos aduenæ in terra Aegypti: Et iterum legimus, Deus magnus qui non acci-
*Deut.24.* pit personam nec munera, faciens iudicium proselytis, & orphano, & viduæ date panem & vestimentum, diligite proselytum, quia & ipsi fuistis in terra Aegypti peregrini: Et alibi dicit, Si autem messus fueris messem in agro tuo, & obliuiscaris manipulum, non reuertaris accipere illum, proselyto & orphano & viduæ erit, vt benedicat te dominus in operibus manuum tuarum, & memor eris quia famulus eras in terra Aegypti, ideo præcipio tibi verbum hoc. Vnde facilè videtur atque dinoscitur, eum populum ob hanc causam cunctis afflictum fuisse miseriis



A seriis, vt misereri alteri suo doceretur exemplo, sicut scriptum est, Docuisti enim populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustos esse & humanos. RABANVS. Ex sua itaque conditione vnusquisque quomodo aliis misereri conueniat, perpendere debet. Vnde & dominus in Euangelio dicit, Dimittite & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. HVGO DE SANCTO VICTORE. Scitis enim aduenarum animas, id est, affectus, quàm leuiter contristentur. CAIETANVS. *Sap.12.*

Iuxta Hebræum habetur, Et peregrinum non vexabis. Non est repetitio præcepti superioris, sed illud communiter, hoc specialiter datur iudicibus, testibus & accusatoribus. Scitis enim aduenarum animas, & cætera. Ad susciendum in seipsis peregrini personam, ad tractandum peregrinos in iudicialibus quemadmodum voluissent ipsi tractari quando erant ipsi peregrini in Aegypto, reuocat ad eorum memoriam, quòd ipsi experientia nouerunt qualis est animus peregrini. AVCTOR CATENAE. Peregrino molestus non eris. Hebraicè
B לָחַץ lachaz verbum positum est, quod arctare, coarctare, opprimere, affligere, atterere, seu tribulare significat. Vnde aliqui, peregrinum non molestabis, Alij, non premes, Alij, angustiis non afficies, vertunt. Chaldaica legit, Et aduenam non angustiabitis. Septuaginta, καὶ προσήλυτον οὐ κακώσετε, Et aduenæ non malefacietis. Quæ omnia in idem recidunt cum nostra versione. Scitis enim aduenarum animas, & cætera, id est, nostis animum aduenæ, Scitis quales sint peregrinorum affectus, satis est id pœnarum quòd peregrini sunt, ne addatis & alias molestias. Hebraismus. Mirus ergo affectus in verbis, vt peregrinos non affligant, sed adiuuet magis, dum eis affectus pristinos refricat, quos olim miseri & peregrini in Aegypto habuerunt, dum & ipsi sicut & patres ipsorum, aduenæ essent in terra aliena, plus enim mouet quod ipsi experti sumus. Eadem autem lex suprà quoque posita est, repetitur autem, vt videas quantæ curæ sint domino peregrini & aduenæ.

C Ex *annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam & re-* 2
*quiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit, edent bestiæ agri. Ita fa-*
*cies in uinea, & in olueto tuo. Sex diebus operaberis, septima die cessabis, ut requiescat bos & asinus*
*tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Omnia quæ dixi uobis custodite, & per nomen externorum*
*deorum non iurabitis, neque audietur ex ore uestro. Tribus uicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. So-*
*lennitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum,*
*quando egressus es de Aegypto. Non apparebis in conspectu meo uacuus. Et solemnitatem messis primitiuorum*
*operis tui, quæcunque seminaueris in agro, solennitatem quoque in exitu anni quando congregaueris omnes fru-*
*ges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo. Non immolabis super fermen-*
D *to sanguinem uictimæ tuæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane. Primitias frugum terræ tuæ defe-*
*res in domum domini dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ.*

THOMAS IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES. In veteri lege multa erant sacra ad solen- 2
nitatem temporum pertinentia. Erat enim quædam iugis solennitas, vt sacrificium vespertinum & matuti- *Cap.2.*
num, quædam autem quæ certis temporibus fiebant. Et horum quædam fiebant pluries in anno, quædam semel *lect.4.*
tantùm, sicut Pascha, scenophegia, & pentecosten, sed sabbatum & neomenia pluries, quia istud qualibet hebdomada, illud semel in mense. Et huius ratio erat, quia omnia festa tendunt ad honorem dei. Impendimus autem deo honorem, vel propter aliquod æternum, & sic est iuge sacrificium: vel propter aliquod temporale, & hoc quantum ad totum hominum statum, & sic sunt duo, scilicet creationis beneficium, & sic est sabbatum, Exodi vigesimo, Memento vt diem sabbati sanctifices. Et ratio ponitur ibi, quia septimo die requieuit. Et ratio allegorica est, quia significat quietem Christi in sepulchro. Et anagogicè quietem animæ in deo. Item beneficium
E propagationis & conseruationis quod fit per tempus. Et quia Iudæi obseruabant tempora à luna, ideo erat festum Neomeniæ, id est, nouæ lunæ. Sunt etiam aliæ causæ, scilicet liberationis specialis, & sic superadditæ fuerunt aliæ solennitates, quæ sabbata dictæ sunt, quia sabbatum est requies. Et hæ plures fuerunt nam & habebant septimum diem, & septem septimanas, scilicet pentecosten, quæ in septima septimana est à pascha, quæ est principium anni, & septimum mensem, & septimum annum in quo fit remissio debitorum. Item septimam septimanam annorum, quæ erat in iubileo. Tractat igitur dominus hoc in loco de aliquibus solennitatibus prædictis, vnde ait: *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius, anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea & in olueto tuo.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæri potest, quid colligant pauperes, si septimo anno *Quæst.89.*
ita parcitur terræ, vt ne seminetur quidem? Non enim ad vineam & oliuetũ pertinet quod dictum est, Edẽt pau-
F peres gentis tuæ, quia de terra non seminata nihil possunt sumere, vbi segetes nasci non possunt. De vinea enim & olueto postea dicit similiter esse faciendum, ac per hoc illud de aruis intelligitur, quæ frumentis seruiunt. An sic accipiendum, Sex annis seminabis terram tuam, & colliges fructum eius, hoc est, sex annis seminabis, & colliges, septimo verò non colliges, vt intelligatur seminabis, etiam si dictum non est, vt ad sex annos seminare, & colligere pertineat, ad septimum verò dimittere quod fuerit seminatum. Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet, quæ illis frugibus vesci possint, sicut sunt apri & cerui, & si quid huiusmodi. Quod tamen non diceretur; nisi alicuius significationis gratia. Nam si quod attinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est deo, quod non sic intelligitur, tanquam non ipse pascat ea, quæ nec seminant, nec metunt, neque congregant in horreum, sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem quomodo boui suo consulat, quanto minus ei cura est de feris bestiis præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur, cùm eas ipse pascat diuitiis naturæ vsquequaque fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit, cùm colliguntur quæ seminantur. CAIETANVS. Sex annis seminabis terram tuam, & congre-

congregabis fruges eius. Ad cærimonialia præcepta transit. Statuitur autem, vt memoria creationis non solùm G
secundum dies, septima quaque die, & vt inferius dicetur, secundum menses, septimo quoque anni mense, sed
etiam secundum annos, septimo quoque anno memoria haberetur, propterea enim septimi anni quies statuitur
à cultura agrorum, vinearum, & oliuetorum. Septimo autem anno dimittes eam, & requiescere facies. Iuxta
Hebræum plus habetur, & deiicies ea, vt tanquam si sperneret illam deserat. Vt comedant pauperes populi tui.
Eadem dictio est, quæ interpretata est miselli. Sed occurrit quæstio, quid miselli comedent, si ager non est satus?
Solutio est, quòd herbæ sponte nascentes in agris quiescentibus, erant miserorum, ita quòd vendebant eas, & ex
earum pretio viuebant, & propterea dicitur quòd comedent, & quicquid reliquum fuerit, edent bestiæ agri.

AVCTOR CATENAE. Et congregabis fruges siue prouentum eius. Vel fructum eius, vt legit Chaldaica. Omnia enim hæc significat dictio תְּבוּאָתָהּ Tebúatha. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere
facies. Optimè duo Hebraica verba reddidit hîc Interpres תִּשְׁמְטֶנָּה וְנָטַשְׁתָּהּ Tismeténna vntasta, Liberã dimit- H
tes, atque deseres eam, id est, non coles, neque seminabis eam, sed deseres, & quæ sponte nascentur, non cõgrega-
bis, sed dimittes pauperibus & bestiis terræ. Est enim septimus annus, sabbatum terræ. Sic & Chaldaica, Septimo
autem anno dimittes, & relinques eam. Septuaginta quoque, ἄφεσιν ποιήσεις, καὶ ἀνήσεις αὐτήν, Remissionem fa-
cies, & dimittes eam. Et ita quidem exponunt Hebræi. At nostrorum quidam etiam ita quo ad recollectionem
fructuum, sed non ita quo ad sationem terræ. Dicunt enim quòd septimo anno arabant quidem, & semina pro-
iiciebant in terram, sed illam deserebant & dimittebant, quia fruges non colligebant, sed eas pauperibus dimit-
tebant, quódque eis reliquum fiebat, à bestiis comedebatur. Sex ergo (inquit) annis seminabis & colliges, septimo
verò anno seminabis quidem, & exercebis terram, sed non colliges in horrea tua, verùm dimittes pauperibus
terræ, qui agros non habent. Et quod illis reliquum fuerit, bestiæ comedant, tantùm vt tu ditior ex septimo anno
nihil prouentus sperare debeas, non solùm de agris, sed de vinea, & oliuetis, ac reliquis, de quibus idem fuerit
iudicium. Septimus enim annus remissionis sit, ad consolationem indigentium, sine detrimento dominorum, I
ac abundantium. Sic legi diuinæ obsequentur, deus enim terram & terræ fructus omnibus hominibus producit,
vt ad gloriam suam illis fruantur, & dominium seruetur deo, qui pater est egenorum, non autem impiorum.
Vnde & deus addit promissiones suas obseruationi harum ordinationum de agricultura. In Leuitico enim ca-
pitulo vigesimo quinto ita scribitur, Quòd si dixeritis quid comedemus anno septimo, si non seuerimus, ne-
que collegerimus fruges nostras? dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium anno-
rum, feretisque anno octauo, & comeditis veteres fruges vsque ad annum nonum, donec noua nascantur, edetis
vetera. Quanquam (vt dictum est) dicant Hebræi, quòd anno septimo nec seminandum nec colligendum erat
à dominis, sed dimittere debebant quæ sponte nascebantur in terra pauperibus, quod & magis literæ consonat,
dicenti, Anno autem septimo dimittes eam, videlicet incultam, & requiescere facies, nempe ab exercitiis agri-
colandi. Quæ opinio verior est, & textui Leuitici citato consona, qui hoc apertè dicit. Ordinat autem dominus
agriculturam verbo suo, vt publicè significet, se non tantùm gubernare cœlestia, sed etiam terrestria, & non so- K
lùm membra hominis, verùm & agros terræ, adeóque totum orbem terrarum in manu sua habere atque admi-
nistrare. Quare si quid benedictionis ex agro tibi contingit, age domino gratias, qui agrum gubernat. Si autem
ager maledicitur, fer manum domini patienter, & resipisce, vt maledictio vertatur in benedictionem. Postremò
significat etiã dominus hac ordinatione, quantæ curæ sibi sint pauperes & aduenæ, Dicit enim: Dimittes eam, &
requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui, & cætera. Et in Leuitico: Erunt vobis in cibum, tibi & ser-
uo tuo, ancillæ & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinantur apud te. *Sex diebus operaberis, septima die cessabis, vt*
*requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.* HIERONYMVS IN AMOS. Septenarium *Cap.5.*
numerum esse sanctum, etiam sabbatum probat, in quo requieuit deus ab omnibus operibus suis. Et iubet ne
quid in eo operis seruilis fiat, nisi ea tantùm quæ ad animam pertinẽt, & ne in eo onera portemus. Vnde & in so-
litudine qui die sabbati ligna collegerat quæ arsura sunt, sententia domini condemnatur. Et septem hebdoma-
des complent numerum sanctæ pentecostes: & iubileus annus remissionis, tubarúmque clangentium, hoc nu- L
mero texitur. In septimo quoque mense figuntur tabernacula: & Hebræus cùm sex annis seruierit, anno septimo
liberabitur. Nouit & hoc secularis Philosophia & medicorum libri: quorum Galenus disertissimus atque do-
ctissimus scripsit ternos libros περὶ κρίσεως καὶ τῶν κριτικῶν ἡμερῶν. In quibus septenarij numeri ostendens poten-
tiam, ardentissimas febres septimo dicit solui die: aut si tanta humoris noxij & pituitæ fuerit magnitudo, vt
primæ hebdomadis nequaquam feruore consumpta sit: secundæ hebdomadis vltimus expectatur dies, id est,
quartus decimus. Quòd si hunc, vt iuxta Hippocratem loquar, νόσος vicerit, transeunt ad vigesimam primam
diem, hoc est, ad finem tertiæ hebdomadis, ita ab initio mundi diebus conditis, vt omnes labores & molestiæ
septimo numero conquiescant. Denique & captiuitas populi Israël templique subuersio, septuagesimo anno de-
solationis impleta est: & septem astra iuxta numerum dierum dicuntur errantia. De cuius numeri sacramentis
in Scipionis somnio plenius narrat Tullius, & obscurissimus Platonis Timæus liber est, qui ne Ciceronis qui-
dem aureo ore fit planior. CAIETANVS. Ne putaretur quòd anno septimo sufficeret requies à cultu M
terræ, & non tenerentur illo anno ad quietem septimo quoque die, repetitur præceptum septimi diei in omni-
bus & per omnia sicut aliis annis. AVCTOR CATENAE. Et refrigeretur filius ancillæ tuæ. Verbum
נָפַשׁ Néphes & refrigerare, & requiescere, & recreari, & respirare significat. Vnde & omnibus supradictis modis
reddi potest, & sensus erit idem. Occasione igitur remissionis in septimo anno, memoria quoque fit sabbati, cu-
ius semper magna fuit & ingens figura, non sine causa illustri toties repetita in lege & Prophetis, non tam ob o-
tium ab opere seruili, quàm ob vacationem sedulam rebus diuinis, quales sunt studium legis dei & charitatis
perfectæ, quibus delectatur deus & à nobis colitur, vt domini dei nostri bonitas ac voluntas à fidelibus disca-
tur, credatur, doceatur, & exemplum vitæ assumatur ab electis. Idq; non tantùm à viris & dominis, sed etiam à
mulieribus domesticis & cohabitatoribus, qui septimo quoque die in communi ac pariter religiosis studiis in-
cumbere, domino deo vacare, & dignè seruire iubentur toties in lege, non ludere, dormire, vel libidinari. Et
cùm



A cùm multæ sint causæ institutionis sabbati, illa tamen hîc recensetur, vt familia & iumenta nostra habeant al-
ternam quietem à laboribus suis. Vt requiescat (inquit) bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & ad-
uena. Quod est contra illos crudeles dominos, qui diebus festis magis opprimunt & excruciant seruos, nec eis
vel parum quid temporis ad diuinis interessendum impendere volunt. *Omnia quæ dixi vobis custodite, & per no-*
*men externorum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro.* ORDINARIA. Per nomen suum iurare permittit,
non quòd bonum sit iurare, sed quia sciebat homines pronos ad iurandum esse, non vult vt iurent per nomina
exterorum deorum, ne frequenti iuramento inducantur ad cultum eorum. Sic & hostias non approbat deus,
mauult tamen sacrificari sibi quàm idolis. HIERONYMVS IN HIEREMIAM. Et iurabis (inquit) *Cap.4.*
Viuit dominus, in veritate & in iudicio & in iustitia. Et quomodo Euangelium iurare nos prohibet? Sed hîc
iurabis, pro confessione dicitur, & ad condemnationem idolorum, per quæ iurabat Israël. Denique auferuntur
B offendicula, & iurat per dominum. Quódque dicitur, Viuit dominus in testamento veteri iusiurandum est, ad
condemnationem mortuorum per quos iurat omnis idolatra. Simúlque animaduertendum quòd iusiurandum
hos habeat comites, veritatem, iudicium atque iustitiam: si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed per-
iurium. RABANVS. Hîc apparet quantum præcellat vmbræ veteris legis, veritas Euangelij. Ibi enim iu-
rare per nomen externorum deorum tantummodo prohibentur, per nomen autem domini iurare non vetan-
tur. Hîc autem interdicitur omnino non iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierusalem, ne- *Matth.5.*
que per aliud aliquid, vt sit sermo noster tantùm, Est est, non non. Euangelica ergo veritas non recipit iuramen-
tum, cùm omnis sermo fidelis pro iureiurãdo sit. Sicut enim falsum loqui non potest, qui non loquitur: sic per-
iurare non potest qui non iurat. Ne igitur iuramenti vsus ad idola colenda prouocaret, veteribus quasi paruu-
lis sub lege, per nomen externorum deorum iurare non debere denunciatur, magísque in dei nomine si vellent,
iurare permittitur, cui cultum debitum per omnia impendere præcipitur, sicut victimarum carnalium oblatio
C concessa est iisdem in templo domini vni deo offerri, ne idolis exhiberent, cuius vsum penitus deserere noluis-
sent. CAIETANVS. Omnia quæ dixi vobis custodite. Quod in Hebræo habetur, Et in omni quod dixi
vobis, eritis custoditi: vniuersa enim à quibus cauere debent septimo die, comprehendit. Et per nomen externo-
rum deorum non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. Iuxta Hebræum habetur, Et nomen deorum aliorum
non memorabitis, non erit auditum super ostuum. Super præcepta prima prohibentia cultum aliorum deo-
rum, adduntur præcepta duo. Alterum, vt præteriti dij non memorentur, sed tanquam non fuerint, alieni sint à
commemorationibus. Alterum, vt de modernis pro tempore diis, nullus loquatur honorabiliter: honorabilis
enim loquendi modus significatur, dicendo super ostuum. Et has leges dedit deus ad penitùs exterminandum
ab Israëlitis cultum aliorum deorum, & longè plus prohibetur per leges has, quàm iurare per alios deos, vt pa-
tet. AVCTOR CATENAE. Omnia quæ dixi vobis custodite. Propria versio est, Et in omnibus quæ
dixi vobis cauti eritis: vel vt vertit Chaldaica, Estote admoniti, id est, magna diligentia obseruate quæ dixi.
D Hebraismus est, quem doctè Latinus Interpres reddidit, Et per nomen externorum deorum non iurabitis. Plus
dicitur in Hebræo, nempe, Et nominis deorum externorum non recordabimini. Nam verbum זָכַר zachar recor-
dari, meminisse, seu memorari significat, quod non ad iuramentum tantùm pertinet, sed omnem penitùs com-
memorationem. Sic quoque Septuaginta, καὶ ὄνομα θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθε, id est, & nomen deorum aliorum
non memorabitis. Quasi dicat, Non tantùm non coletis deos alienos, sed ne vllam quidem eorum mentionem
facietis, non solùm iurando, sed nec laudando, probando, aut obtestando, quæ sunt plus quàm iurare. Hoc igi-
tur addi videtur consequenter pro approbatione priorum, vt studiosè incumbant obseruantiæ eorum quæ pla-
cent domino ex lege, quæ nisi audiant & discant, seruari non poterunt. Tantùm autem abest vt deos alienos co-
latis, vt ne mentio quidem illorum apud vos fieri debeat. Sic & Paulus, Scortatio & omnis immunditia, & auа-
ritia, ne nominetur quidem inter vos. *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* RABANVS. Tres
festiuitates præcipuas hoc loco obseruandas præ aliis festiuitatibus maximè commendat, id est, paschæ, pente-
E costes, & scænophegiæ, quas consequenter enumerat. CAIETANVS. Instituit ergo deus præter septimum
quemque diem, tria festa singulis annis. AVCTOR CATENAE. Ter igitur in anno solenniter cœtus
celebrari debebat, & prolixior conuocatio vel festiuitas, in quibus conuenire eos oportebat omnes ad locum à
domino designandum, qui tandem Hierosolyma erat. Vbi de credendis, sperandis, ac agendis ex lege & Pro-
phetarum dei ore institui tantoperè debebant, vt reliquo tempore anni quisque paterfamiliâs suam quanque
domum ad fidem in deum, & charitatem ad proximum instituere, dirigere, & regere satis posset. *Solennitatem*
*azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum, quando egressus es de Aegypto. Non appare-*
*bis in conspectu meo vacuus.* IOSEPHVS IN ANTIQVITATIBVS LIBRO TERTIO. Secunda
azymorum die quæ est sexta & decima, frugum primitias quas metunt Iudæi antequam ex eis vescantur deum
iudicantes iustum esse primitiis honorari, quo sint hac vbertate completi, offerunt isto modo. Siccantes spica-
rum manipulum & contundentes, & munda ad coquendum hordea facientes, aræ dei assarium offerunt, & v-
F nam drachmam ex eo mittentes, reliquum sacerdotum vsui derelinquunt, & tunc iam licebit omnibus pro sua
metere voluntate. Immolant autem in primitiis frugum, agnum holocaustum domino. CYRILLVS IN
LEVITICVM LIBRO NONO. Alia est solennitas paschæ, alia azymorum, licet coniuncta videatur
azymis paschæ solennitas. Principium etenim azymorum, ad finem paschæ coniungitur. Pascha autem ille so-
lus dies appellatur, in quo agnus occiditur, reliqui verò azymorum dies appellantur, sic enim dicit: Facies so-
lennitatem azymorum septem diebus. Hæc est prima solennitas post hanc. Quum (inquit) demessueris messem *Leuit.23.*
tuam, & congregaueris natiuitates ex agro tuo, facies diem festum de initiis fructuum tuorum, qui dies est post
septem septimanas à festo paschæ, vnde etiam dici iubetur dies pentecostes in ipsa lege. THEODORETVS.
Non apparebis in conspectu domini dei tui vacuus. Quotienscunque ad orandum dominum deum tuum
accesseris, quæ potueris dona illi offer. Nos autem docet, vt si pecunia nobis presto fuerit, postquam curam pau-
perum habuerimus, eorúmque inopiam subleuauerimus, tunc demum deo preces fundamus. Sin vitam quæ
nihil

nihil posideat propter deum elegerimus, saltem animam non à bonis operibus vacuam atque inanem deo of- G
feramus. RABANVS. Hic autem mensis de quo in litera, apud Hebræos Nisan appellatur, apud Græcos verò Xanticus, apud Latinos Aprilis dicitur. Qui ideo mensis nouorum nominatur, quia nouæ fruges eodem mense primitus metebantur. CAIETANVS. Aduerte prudens lector, quòd numerando hæc tria festa, inchoat à festo paschali, nulla facta mentione agni paschalis, sed duntaxat azymorum, ea (vt reor) ratione, quòd non singulis annis omnes tenerentur ad immolandum agnum paschalem, sed omnes vbique tenerentur ad azyma septem illis diebus. Tempore (inquit) mensis nouorum, siue mẽsis primitiui, quod est tempus primi veris, postquam sol ingressus est arietem, nam in oppositione lunæ ad solem in ariete egressi sunt de Aegypto, & in regionibus illis incipiunt primitiæ etiam spicarum, & propterea mensis primitiuorum dicitur. Statuitur autem, vt non solùm personaliter, sed etiam cum aliqua oblatione spontanea veniatur ad tria hæc festa, vt & personarum & rerum fiat deo oblatio, qui dat & personas & res omnes. AVCTOR CATENAE. Solennitatem H
azymorum custodies. Abundat apud quosdam dictio quoque, nec in antiquis emendatis codicibus reperitur. Sicut præcepi tibi tempore mensis nouorum. Loco nouorum, Hebraicè est אָבִיב Abib, quòd propriè est maturitas frugum, quæ in Martio apud Hierosolymitanos & Aegyptios contingere solet, hoc est, circa æquinoctium vernum, sicut collectio aliorum fructuum in fine anni, hoc est, circa æquinoctium autumnale fieri solet. Incipiũt enim Hebræi annum suum circa æquinoctium autumnale, licet in sacris ab æquinoctio verno illum iubeantur auspicari. Proinde festũ messis, est festũ pentecostes, & festũ collectionis, festũ tabernaculorum. Vnde verterunt aliqui hoc in loco, Tẽpore mẽsis quo fruges matureſcũt, vel incipiũt matureſcere. Alij Hebraicã dictionem Abib intactã reliquerũt, & dixerũt, ſtato tẽpore mensis Abib. Quem eundem esse quem Nisan appellãt Hebræi, ac correspõdere partim Martio nostro, partim Aprili. Chaldaica, Sicut præcepi tibi in tẽpore mẽsis nouarũ frugum. Sic & Septuaginta, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ μηνὸς τῶν νέων, Iuxta tẽpus mẽsis nouorũ. Ex quibus omnibus cõcluditur ꝙ mẽsis nouorũ siue nouarũ frugũ, intelligitur mẽsis Nisan, quo fruges in partibus illis incipiebãt matureſcere. Quan- I
quam non desint doctissimi viri, qui tempus mensis nouorum, intelligãt cùm incipit aperiri tellus, & edere nouos partus. Quod sanè in veris initio contingit. Quando egressus es de Aegypto. Parum est quòd in Hebræo est כִּי בוֹ Chi bo, Quoniam in eo, scilicet mense, egressus es de Aegypto. Quasi dicat, In memoriam egressionis vestræ ex Aegypto, celebrabitis festum istud. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Sic Chaldaica & Septuaginta. Hebraicè enim legitur, וְלֹא יֵרָאוּ פָנַי רֵיקָם Velo ierau phanai rekam, Et non videbuntur facies meæ vanè, siue inaniter, vel vultus mei frustra, Hebraismus est, pro, Non apparebunt filij Israël coram me vacui, prout reddidit Interpres, id est, sine muneribus. Et ratio est præmissa, quia in tali die in cuius memoriam hũc celebrabitis, egressi estis de domo Aegyptiacæ seruitutis. De solennitate autem azymorum & paschæ quomodo celebranda, satis dictum est. Septem diebus continuanda præcipitur verno tempore, ad memoriam beneficij eductionis de Aegypto. In hac (inquit) solennitate non apparebitis in conspectu meo sine oblatione aliqua. Sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit, iuxta benedictionem domini dei sui, quam dederit ei. Vel vt religiosiùs dicatur, K
Ne pigeat vos toties ire ad locum nominis mei, vel Hierosolymam, suo olim tempore eligendam, mihíque ibi festiuitatem celebrare, nunquam frustra venietis, semper aliquid gratiæ & beneficiorum & mentis melioris reportabitis, non ego dimittam vos vacuos. Non me sine fructu quæretis. Nemo me inuocans repulsam patietur, non habebitis causam ad alia quæque loca currendi, & idola gentium inuocandi. Mos autem offerendi domino in diebus solennitatum insignium, institutus fuit, tum vt Israëlitæ declararent se gratos erga deum his oblationibus, tum vt ex eis alerentur sacerdotes & Leuitæ, qui non acceperãt partem terræ in diuisione terræ Chanaan, sicut aliæ tribus, & vt conseruarentur ministeria Ecclesiastica. *Et solennitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro.* IOSEPHVS. Septima septimana transacta post supradictum sacrificium, quarum septem hebdomadarum dies sunt quadraginta & nouem, pentecoste celebrabatur, quam Hebræi Asartha vocant, quod significat pentecosten, id est, quinquagesimam, in qua offerunt deo panes de alphita siccata factos, cum fermento
*vbi supra* assariorum duorum, & ad mactandum agnas duas. CYRILLVS. Post paschalem solennitatem cùm (in- L
quit dominus) demessueris messem tuam, & congregaueris natiuitates ex agro tuo, facies diem festum de initiis fructuum tuorum, qui dies est post septem septimanas à festo paschæ, vnde etiam dici iubetur dies pẽtecostes in ipsa lege. THEODORETVS. Quæri solet à plerisque quæ sit solennitas messis primitiuorum, tum illa quæ in exitu anni celebratur. Solennitatem primitiuorum Pentecosten vocat: solennitatem verò in exitu anni, scænopegiæ festum diem, idque nos docens subiungit, Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo tuo, hoc est, in solenni die paschatis, pentecostes, scænopegiæ. Recordare verò paschа exitus ex Aegypto, & libertatis tibi concessæ monimentum esse, Pentecosten verò ingressionis tuæ in terram promissam. In ea nanque serentes primitias frugum offerebant, in deserto etenim panem non satum neque aratum comederunt. Scænopegiam verò quadraginta annorũ curriculum repræsentare, quibus in deserto in tabernaculis commorati sunt. His itaque solennibus diebus eos ad templum conuenire iussit, vt & beneficiorum diuinorum memoriam haberent, & mutua inter se consuetudine atque beneuolentia copularentur, neque dæmonum festos M
dies aut lucos colerent, sed in templo omnium rerum conditoris, & omnium bonorum datoris, festis conuiuiis fruerentur. CAIETANVS. Secundum festum promulgatur, quod vocatur festum pentecostes, hoc enim quinquagesimo die à paschа tempore messis, vno die celebrabatur. Et fit mentio messis primitiuorum satorum, eo quòd primi panes tunc offerebantur deo, sicut in fine paschæ offerebantur primæ spicæ, propterea enim in vtroque festo fit mentio primitiuorum. AVCTOR CATENAE. Et solennitatem messis primitiuorum operis tui seu operum tuorum, quæcunque seminaueris in agro, subaudi, celebrabis, id est, celebrabis festum in quo offeres deo primitias frugum quas terra à te culta reddiderit. Dum ergo (inquit) cœperint apparere fructus laborum atque operum vestrorum, & primitiui fructus incipere mense primitiuorum, post septem scilicet hebdomadas post diem azymorum, quinquagesimo die festum ducetis. Eo enim tempore iam primitiæ anni & fructuum incipiunt, quo fuerant seminati, de quibus domino pro actione gratiarum quædam offerenda erant. Hoc autem



A autem festum celebratum est in monumentum legis datæ in monte Sinai. Lex enim data est quinquagesimo die postquam Israëlitæ egressi sunt de Aegypto. *Solennitatem quoque in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* RABANVS. Ostendit his verbis, quòd iam ex maturis frugibus hæc oblatio offertur. Exitum anni appellat finem ætatis, quando iam fructus totius anni collecti sunt. Et hæc eadem festiuitas in septimo mense, quem Hebræi Theseri Macedones ὑπερβερεταῖον vocant, Latini Octobrem, in cuius principio Iudæi solennitatem agentes, amplius tuba canebant, & plura offerebant sacrificia, quàm per singulos menses. In quo dies expiationum erant, & dies scenopegiæ eodem mense, decimoquinto die celebrabantur, solennitates scilicet tabernaculorum, in quo plurima & diuersa offerebantur sacrificia. CAIETANVS.

Iuxta Hebræum habetur, Et festum collectionis in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Tertium festum promulgatur tempore reconditarum frugum, quòd festum tabernaculorum voca-
B tur. Quod quintadecima die mensis septimi incipiebat, & per octo dies durabat, octauus enim dies erat festum cœtus, seu collectionis. Quod autem dicitur in exitu anni, nec spectat ad annum inchoatum primo vere (quoniam non in fine talis anni, sed in mense septimo fiebat hoc festum) nec spectat ad annum, vt multi dicunt apud Hebræos incipientem in autumno, quia dicendum fuisset in principio anni, & non in exitu anni, nam mensis qui dicitur septimus, est secundum istos initium anni, & festum hoc celebrabatur quintadecima die mensis septimi. Superest ergo, vt exitus anni referatur ad fructificationem terræ, nam tunc est vltima pars anni relatiuè ad fructus terræ, in regionibus præcipuè illis, quandoquidem & vuæ & oliuæ citiùs matureſcunt. Vnde & in Hebræo non significatur completus annus, sed per infinitiuum dicitur in exire anni, & similiter subiungitur in congregare tuo, vt intelligamus superesse adhuc aliquid anni & aliquid congregandum, quod optimè quadrat dicto tempori. AVCTOR CATENAE. Solennitatem quoque in exitu anni. Addendum post dictionem quoque, collectionis, est enim in Hebræo dictio אָסִף Asiph, quæ collectio siue con-
C gregatio redditur, vt dicat, Solennitatem quoque collectionis in exitu anni. Sic & Chaldaica legit, Et solennitatem congregationis in exitu anni. Septuaginta autem, καὶ ἑορτὴν συντελείας ἐπ' ἐξόδῳ τοῦ ἐνιαυτοῦ, id est, Et festum consummationis in exitu anni. Et intellige consummationis prædicto modo, videlicet collectionis fructuum. Quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Hebraicè est מַעֲשֶׂיךָ Mahasécha, opera tua. Et sic est in omnibus editionibus, sed in idem recidit. Ait ergo, Tertia quoque mihi erit solennitas mense septimo post collectionem fructuum omnium, in exitu eius anni in quo fructus percipiunt, hic enim anni exitus dicitur, tempus quo sol intrat, vel secundum alios libram egreditur. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo.* THO-
MAS. In veteri lege erant septem solennitates temporales, & vna continua, vt potest colligi Numeri vigesimo octauo & vigesimonono. Erat enim quasi continuum festum, quia quotidie mane & vespere immolabatur agnus, & per illud continuum festum iugis sacrificij, repræsentabatur perpetuitas diuinæ beatitudinis. Festorum autem temporalium primum erat quod iterabatur qualibet septimana: & hæc erat solennitas sabbati, quod ce- *1.2. q. 102. ar. 4. ad 10*
D lebrabatur in memoriam creationis rerum, vt suprà dictum est. Alia autem solennitas iterabatur quolibet mense, scilicet festum neomeniæ: quod celebrabatur ad commemorandum opus diuinæ gubernationis. Nam hæc inferiora præcipuè variantur secundum motum lunæ: & ideo celebrabatur hoc festum in nouitate lunæ, non autem in eius plenitudine, ad euitandum idolatrarum cultum qui in tali tempore lunæ sacrificabant. Hæc duo beneficia sunt communia toti humano generi, & ideo frequentiùs iterabantur, alia verò quinque festa celebrabantur semel in anno: & recolebantur in eis beneficia specialiter illi populo exhibita. Celebrabatur enim festum Phase primo mense, ad commemorãdum liberationis beneficium ex Aegypto. Celebrabatur autem festum Pentecostes post quinquaginta dies, ad recolendum beneficium legis datæ. Alia verò tria festa celebrabãtur in mense septimo, qui quasi totus apud eos erat solennis, sicut & septimus dies. In prima enim die mensis septimi erat festum tubarum, in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham inuenit arietem hærentem cornibus, quem repræsentabant per cornua, quibus buccinabant. Erat autem festum tubarum quasi quædam imitatio, vt præpa-
E rarent se ad sequens festum quod celebrabatur decimo die, & hoc erat festum expiationis, in memoriam illius beneficij quo deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli ad preces Moysi. Post hoc autem celebrabatur festum scenopegiæ, id est, tabernaculorum septem diebus, ad commemorandum beneficium diuinæ protectionis & deductionis per desertum, vbi in tabernaculis habitauerunt. Vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, id est, citrium & lignium densarum frondium, id est, mirtum, quæ sunt odorifera: & spatulas palmarum, & salices de torrente quæ diu retinent suum virorem: & hæc inueniuntur in terra promissionis, ad significandum quòd per aridam terram deserti eos duxerat deus ad terram delitiosam. Octauo autem die celebrabatur aliud festum, scilicet cœtus atque collectæ: in quo colligebantur à populo ea quæ erant necessaria ad expensas cultus diuini, & significabatur adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis.

CAIETANVS. Quamuis non explicetur in litera hîc, explicatur tamen Deuteronomij decimo sexto, quòd in præfatis tribus festis intelligitur hoc præceptum sese conferendi ad domum seu tabernaculum summi
F dei. Sed occurrit quæstio de possibilitate legis huius. Absurdum nanque est vt omnes ciuitates, omnia oppida, omnes villæ, vno eodẽmque tempore destitutæ manerent absque omni homine masculini sexus ter singulis annis. Solutio est, quòd lex ista non obligat nisi masculos à vigesimo vsque ad quinquagesimum ætatis suæ annum vel circa, quoniam tales duntaxat numerabantur, alij autem tanquam imperfecti vel emeriti habebantur, & propterea nihil absurdi lex ista præcipit. Et cùm hoc intellige exceptionem legitimi impedimenti, quoniam sale discretionis conditæ sunt leges diuinæ. AVCTOR CATENAE. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo. Vel vt alij vertunt Hebraica: אֶל פְּנֵי הָאָרֹן יְהוָה El pene haadon Iehoua, In conspectu domini dominatoris. Vnde Chaldaica, Coram dominatore seculi domino. Et est sensus, Tribus vicibus in anno mares omnes venient ad eum locum, vbi ego mei cultum instituero. Nempe in Hierusalem, offerentq; munera mihi in solennitate azymorum, & in solennitate hebdomadarum, videlicet Pentecostes, & in solennitate recollectionis, & tabernaculorum de quibus immediatè prædixerat. Locus

autem à domino electus dicebatur is, in quo erat arca propitiatorij,quæ fuit primùm in Silo, poſtremò transG lata eſt ad vrbem Hieruſalem. Et qui ad hũc locum venerat,is dicebatur apparere ante cõſpectũ domini dei ſui, propterea quòd dominus dicebatur habitare ſupra propitiatorium,de quo poſtea Exodi vigeſimoquinto. Intellige autem quòd his tribus omnibus vicibus maſculi non erant apparituri vacui coram domino, ſed cum muneribus ſuis,vt non ſolùm perſonarum, ſed etiam rerum ſolennis domino in omnibus his tribus feſtiuitatibus fieret oblatio.His igitur tribus vicibus,omne maſculinum pariter & vno loco ad hoc inſtituto conuenire iubetur coram domino dominatore in honorem dei ad illi gratificandum, & ad audiendum domini voluntatem, quam domi doceant reliquam familiam fœminarum,prolium ac ſeruorum. *Non immolabis ſuper fermẽto ſanguinem victimæ tuæ, nec remanebit adeps ſolennitatis meæ vſque mane.* CAIETANVS. In Hebræo habetur victimæ meæ. Et eſt ſermo de immolatione paſchali, quæ in azymis excluſo omni fermento & fermentato fiebat. Quamuis autem carnes victimæ poſſent ſeruari in diem alterum,adeps tamen incendi debebat eodem die per modum hoH locauſti. AVCTOR CATENAE. Non immolabis ſuper fermento(vel cum fermentato)ſanguinem victimæ tuæ, וְזִבְחִי Zibchi habetur in Hebræo, hoc eſt,victimæ meæ. Ita & Chaldaica editio, & Septuaginta quoque legunt,αἷμα τοῦ θυματός μου,id eſt,ſanguinem victimæ meæ.Et eſt ſenſus,Antequam immoles victimam paſchalem, remouebis fermentatum de domo tua.Sequitur, Nec remanebit adeps ſolennitatis meæ vſque mane. Hoc eſt,hoſtiæ quę mihi in die feſto immolatur.Verbum autem יָלִין Ialin,futurum à לִין lun,Aliqui,Et non dormiet,vt Septuaginta,Alij, Et non pernoctabit,reddiderũt.Sed idem eſt ſenſus cum litera noſtra. Vnde & Chaldaica habet, Neque manebunt extra altare adipes ſacrificij ſolennitatis vſque mane. Redundat autem hoc in loco tota hæc ſententia in Septuaginta codicibus. Vbi enim dictum eſt, Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram domino deo tuo,mox inferunt,Cùm enim eiecero gẽtes à facie tua,& propagauero fines tuos, nemo deſiderabit terram tuam. Hoc totum eſt ſumptũ ex alio loco, vt poſt videbitur. Non immolabis ergo,dicitur, ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ.In ſacrificiis & libaminibus, quibuſlibet quoque oblationibus I fermentum prorſus abſit, nullíſque placentis commiſceatur, quatenus ſint cum ſacrificiis oblaturi, ſed azymos tantùm offerant, & à fermento domus interim expurgatæ ſint diligenter. Sacrificium enim ſyncerum & infermentatum eſſe debet. Adeps quoque ſolennitatis in qua animalia offeruntur, non maneat in domo vſque in craſtinum. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum domini dei tui.* CAIETANVS. Superiùs ſtatuerat oblationem tum tempore plenitudinis,tum tempore ſterilitatis,modò in ſpecie ſtatuitur,vt primitiarum initia non ſolùm offerantur, ſed vehantur ad domum dei. AVCTOR CATENAE. Primitias frugum terræ tuæ. Parum eſt quod Hebraicè legitur רֵאשִׁית בִּכּוּרֵי Reſith biccure,Principium primitiarum.Et ſic etiam Chaldaica editio legit, Principium primitiarum terræ tuæ afferes in ſanctuarium domini dei tui. Alij reddunt, Primitias primitiuorum.Septuaginta,τὰς ἀπαρχὰς τῶν πρωτογεννημάτων, id eſt,primitias primitiuorum. Sed idem eſt cum litera noſtra.Deferes in domum domini dei tui,id eſt, offeres domino deo tuo.Vt igitur primogenita hominum & pecorum,ita & primitiæ frugum & quoruncunque terræ fructuum offeruntur domino.Nihil ergo munerum K diuinorum quæ tibi dominus è terra producit ad vſum,ſine prævia gratiarum actione percipias in vſum,quod vt minus à te negligatur,ordinatur à deo,vt de ſingulis generibus fructuum percipiendorum, primitiua domino conſecres & offeras,vt de reliquis tanto felicius per dei fauorem ſuſtenteris.Non tam cerimoniale eſt,quàm morale, ſemper ruminare beneficia dei cum gratitudine,& pauperibº cõmunicare dei dona,vt de reſiduo viuas religioſiùs & ſufficientiùs. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Non coques agnum.Quomodo intelligatur ad verborum proprietatem neſcio vtrum poſsit reperiri.Si enim alicuius ſignificationis cauſa prohibitum accipiamus, agnum in lacte coqui,nullus vſus eſt ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur, quis hoc habuit vnquam Iudæorum in obſeruatione,vt agnum non coqueret niſi cùm deſiſteret fugere? Quid eſt autem in lacte matris ſuę,quaſi poſſet,etiam ſi hoc intelligeretur, ſine huius præcepti tranſgreſsione coqui, ſi eo nato mortua matre eius, ab oue alia lactaretur? cùm alicuius profectò rei ſignificandæ cauſa eſſe præceptum nemo ambigat. Sed etiam illa quæ L poſſunt obſeruantia factitari, non ſine cauſa ita præcepta ſunt, ſignificant enim aliquid. Hoc verò quomodo obſeruetur ad proprietatem verborum, aut non eſt, aut non elucet. THEODORETVS. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. Sæpenumero diximus, quòd per omnia deus Hebræos humanitatem docet. Nonnulli igitur tradidere, legem hoc loco prohibere, quicquid recens natum fuerit, alij verò, non comedendum eſſe cum lacte materno, nam quodammodo hac ratione fit vt & mater vnà cum fœtu ſuo edatur. Simúlque vetet ne & matrem & natum ex ea deo offerat, ad quod facit, quòd & paſſerem matrem cum filiis ſuis capi prohibuit, id enim nihil aliud eſt quàm omnium auium genus delere. THOMAS. Etſi hœdus occiſus non ſentiat qualiter carnes eius coquantur, tamen in animo decoquentis ad quandam crudelitatem pertinere videtur, ſi lac matris quod datum eſt ei pro nutrimento, adhibeatur ad conſumptionem carnium ipſius. Vel poteſt dici, quòd gentiles in ſolennitatibus idolorum taliter carnes hœdi decoquebant ad immolandum vel ad comedendum, & ideo Exodi vigeſimotertio poſtquam prædictum fuerat de ſo-M lennitatibus celebrandis in lege, ſubditur, Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. IDEM. Affectus hominis eſt duplex. Vnus quidem ſecundum rationem, alius verò ſecundum paſsionem. Secundum igitur affectum rationis, non refert quid homo circa bruta animalia agat, quia omnia ſunt ſubiecta eius poteſtati à deo ſecundum illud pſalmi,Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius,& ſecundum hoc Apoſtolus dicit quòd non eſt cura deo de bobus: quia deus non requirit ab homine quid circa boues agat, vel circa alia animalia. Quantum verò ad effectum paſsionis, mouetur affectus hominis etiam circa alia animalia: quia enim paſsio miſericordiæ conſurgit ex afflictionibus aliorum, contingit autem etiam bruta animalia pœnas ſentire: poteſt in homine conſurgere miſericordię affectus etiam circa afflictiones animalium.Proximum autem eſt,vt qui exercetur in affectu miſericordiæ circa animalia,magis ex hoc diſponatur ad affectũ miſericordiæ circa homines.Vnde dicitur Prouerbiorum duodecimõ, Nouit iuſtus animas iumẽtorũ ſuorum, viſcera autem impiorũ crudelia.

*Quæſt.90.*

*1.2.q.102. ar.6. ad 4.*

*Ibidẽ ad 8.*

Et ideo



A Et ideo vt dominus populum Iudaicum ad crudelitatem pronum,ad miſericordiam reuocaret,voluit eos exercere ad miſericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa animalia fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur:& ideo prohibuit ne coqueretur hœdus in lacte matris, & quòd non alligaretur os boui trituranti:& quòd non occideretur mater cum filiis.Quamuis etiam dici poſsit quòd hæc prohibita ſunt eis in deteſtationem idolatriæ:nam Aegyptij nefarium reputabant vt boues triturantes de frugibus comederent,aliqui etiam malefici vtebantur matre auis incubante & pullis eius ſimul captis ad fœcunditatem & fortunam circa nutritionem filiorum: & quia etiam in auguriis reputabatur hoc eſſe fortunatum, quòd inueniretur mater incubans filiis. CAIETANVS. Non coques hœdum, & cætera.Iuxta Hebræum habetur, Non lixabis.Quia inter cærimonialia lex hæc promulgatur,& pluries repetitur in ſubſequentibus,intelligendum videtur, quòd ad literam prohibetur ritus idolatrarum lixantium hœdum in lacte matris, hoc eſt, quòd lac maB ternum erat loco aquæ, & ſi non totius, tamen partis. AVCTOR CATENAE. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ, id eſt, ſecundum aliquos, quàm diu fugit lac. Hoc eſt, ne offeras mihi hœdum poſtea coquendum miniſterio ſacerdotum, ne offeras(inquam) eum dum lac matris fugit. Ex quo Iudæi dicunt non eſſe domino offerendum quodcunque pecus antequam ablactetur, quod quàm aptè dicatur, lectores viderint. Quis enim Iudæorum hoc vnquam ſeruauit, vt agnum non coqueret, niſi fugere ceſſaſſet? Alij vertunt, Cum matre lactante,quaſi dicat,ſatis tibi ſit comedere hœdum, abſtineas matre,hoc enim præſefert crudelitatem quandam. Vetat ergo lex,vt non pariter agnus cum matre immoletur domino,nec pariter coquantur,ob pietatis quæ inter homines eſſe debet ac clementiæ non leuem horrorem. Hoc autem & de reliquis animalibus durum habetur, pullum cum matre necari, ſicut & alibi cauetur, ne mater auicula cum ſuis pullis inuenta occidatur, ſed ſinatur auolare,quibus manſuetudo & clementia docetur,domino deo gratiſsima,& proxima virtus charitati. Eſt autem deus charitas,& qui in charitate manet,in deo manet,& deus in eo.Eſſe igitur ænigmaticus ſermo videtur, C quo ſignificetur cauẽdum ab omni crudelitate. Alij ſub nomine hœdi intelligunt etiam vitulum & agnum, ac ſentiunt hac lege præcipi,vt Iſraëlitæ nec veſcantur hœdis,vitulis & agnis,nec offerant ea ante legitimum tempus quod eſt octo dierum.Vnde ſupra de primitiis boum & ouium dictum eſt,ſeptem diebus ſit cum matre ſua: Die octaua reddes illum mihi.Cui ſenſui fauere videtur & Chaldaica, habens, Non comedes carnem cum lacte,hoc eſt ante tempus debitum.Dicúntque vtilem eſſe legem, qua primùm conſulitur munditiei ciborum,ne veſcamur carnibus à ventre matris adhuc recentibus, quæ non ſolùm ſunt abominatio, verùm etiam officiunt hominis ſanitati. Deinde quia admonet hæc lex, vt infirmis parcamus, & imbecillitates eorum patienter feramus.Sicut enim hœdus ante legitimum tempus infirmior eſt quàm vt poſsit nobis in cibum vſui eſſe, ita multi ſunt in fide vel recentes vel infirmi, qui nobis magis oneri quàm vſui videntur. Hi tolerandi ſunt, non opprimendi. Rideres hîc ſi recenſerentur miræ miſerorum Iudæorum ſuperſtitiones, quas propter hæc verba tenaciſsimè obſeruant.

D RABANVS. Si quis autem quæſierit,quid ſecundum allegoriam præſens præceptum de ſeptimi anni fru- *Myſticè.* gibus dimittendis pauperibus populi & beſtiis terræ ſignificet, ſciat quia in ſenario numero perfectio operum, in ſeptenario requies animarum exprimitur.Bene ergo ſex annis ſeminare terram noſtram,& congregare fruges eius præcipimur, quia in præſenti vita quæ ſex ætatibus conſtat: terram carnis noſtræ exercere, & virtutum ſemina in ea ſerere debemus,vt in futuro vitam æternam accipiamus.Quod autem populi pauperes & beſtiæ agri comedere iubentur,quæ in ſeptimo anno de noſtro labore præterito creſcunt:ſignificatur quòd per eleemoſynarum & charitatis obſequia mercs nobis in futuro parabitur:quam etiam vinea & oliuetum,id eſt,gratiæ & miſericordiæ opera præparant.Si ergo non tantùm amicis,ſed etiam beſtiis,id eſt, inimicis benefici ſumus,ſine dubio in futura vita vbi iam non erit tempus operandi, de benefactis præmia æterna conſequemur. Vnde & ſaluator in Euangelio nos admonet,dicens, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.Hinc & doctor gẽtium ait,Qui parcè ſeminat,parcè & metet: & qui ſeminat E in benedictionibus,de benedictionibus metet vitam æternam. CYRILLVS LIBRO QVARTO SV- *Cap.51.* PER IOANNEM. Non ergo inſenſatos agros præcipuè quieſcere voluit, ſed à labore propter futurorum figuram illos remouebat, multis modis ſolennitatem Chriſti ſignificãs,in qua perfectam libertatem in ſanctificatione per gratiam ſancti ſpiritus adipiſcemur.Quod mandatis etiam quibuſdam Moyſes ſignificauit,dicens: Si frater tuus aut ſoror tua, id eſt, Hebræus aut Hebræa tibi vendetur, ſex annis ſeruiet tibi, ſeptimo verò anno dimittes. Nam qui peccato ſeruiuimus, & illecebris voluptatis diabolo nos vendidimus, iuſtificati per fidem Chriſti, ad verum & ſanctum perueniemus ſabbatiſmum, libertatem gratiæ induti, & bonis diuinitùs reſplendentes. RABANVS. Quod autem ſequitur, Sex diebus operaberis, ad eundem intellectum pertinet, vt ſcilicet in præſenti tempore bene laborando, vnuſquiſque ſtudeat tam diſciplinatus quàm hebes, tam ſeruus quàm liber:tam diues quàm pauper, quatenus æternæ requiei expers non fiat: quin potius meritò rectæ fidei ac bonorum operum, gaudij æterni particeps exiſtat. Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.

F HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD GALATAS. Dicat aliquis, ſi dies ſecundum Apoſto- *Cap.4.* lum obſeruare non licet,& menſes & tempora & annos, nos quoque ſimile crimen incurrimus, quartam ſabbati obſeruantes & paraſceuen, & diem dominicam,& ieiunium quadrageſimæ,& paſchæ feſtiuitatem,& pẽtecoſtes læticiam,& pro varietate regionum,diuerſa in honorem martyrum tempora cõſtituta.Ad quod qui ſimpliciter reſpondebit,dicet,non eoſdem Iudaicæ obſeruationis dies eſſe quos noſtros.Nos enim non azymorũ paſcha celebramus,ſed reſurrectionis & crucis.Nec ſeptem iuxta morem Iſraël numeramus hebdomadas in pẽtecoſte:ſed ſpiritus ſancti veneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea dies aliqui conſtituti ſunt,vt in vnum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior ſit dies illa qua conuenimus:ſed quo quacunque die conueniendum ſit,ex cõſpectu mutuo,læticia maior oriatur. Qui verò oppoſitæ quæſtioni acutiùs reſpõdere conatur,illud affirmat,omnes dies æquales eſſe:nec per paraſceuen tantùm Chriſtũ crucifigi,& die dominica reſurgere: ſed ſemp ſanctũ reſurrectionis eſſe diẽ, & ſemper cũ carne veſci dominica.

Ieiunia autem & congregationes inter dies,propter eos à viris prudentibus conſtitutos,qui magis ſeculo vacant quàm deo, nec poſſunt, imò nolunt toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus, deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora vel ieiunandi, ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem dominicam accepto domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: Non ita & Iudæis fas eſt omni tempore immolare agnũ,pentecoſten agere,tabernacula figere,ieiunare quotidie. ORDINARIA. Tribus vicibus,& cætera. Fidem ſcilicet ſanctiſimę trinitatis hîc exigit deus. In Paſcha enim immolatur filius, in pentecoſte datur ſpiritus ſanctus,in ſcenophegia paternæ maieſtatis potentia declaratur. RABANVS. Vel tribus vicibus per annos ſingulos feſta celebramus, cùm omni tempore præſentis vitæ in ſanctæ trinitatis confeſsione per fidem,ſpem & charitatem bonorum operum obſequia ſpiritaliter gaudẽtes, deo creatori noſtro exhibemus.Paſcha enim celebramus menſe nouorum, cùm per ſanguinem agni immaculati ab Aegyptia ſeruitute liberati,per ſpirituales aquas de veteri homine in nouum tranſimus, ambulantes non in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus:quo in terram promiſsionis per gratiam Chriſti domini & redemptoris noſtri peruenire valeamus.Solennitatem verò meſsis primitiuorum celebramus,cùm omnium operum noſtrorum,voluntatum & ſermonum primitias domino conſecramus. Solennitatem quoque in exitu anni, quando congregatis frugibus, id eſt,virtutum fructibus vſque ad finem vitæ ad introitum regni cœleſtis peruenire contendimus. In tabernaculis vtique ſeptem diebus commorãtes, quia per omne tempus vitæ præſentis peregrinos nos eſſe agnoſcimus: nec requiem hîc,ſed de futuro requirimus,ſedulò curantes,ne in cõſpectu dei vacui appareamus. THOMAS.

*Vbi ſupra ar.4.ad 10*

Figuralis autem ratio feſtorum omnium apud Hebræos eſt, quia per iuge ſacrificium agni figuratur perpetuitas Chriſti,qui eſt agnus dei,ſecundum illud Hebræorum vltimo,Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Per ſabbatum autem deſignatur ſpiritualis requies nobis data per Chriſtum: vt habetur ad Hebræos quarto. Per neomeniam autem quæ eſt intenſio nouæ lunæ, ſignificatur illuminatio primitiuæ Eccleſiæ per Chriſtum, I eo prædicante & miracula faciente. Per feſtum autem pentecoſtes ſignificatur deſcenſus ſpiritus ſancti in Apoſtolos.Per feſtum autem tubarum ſignificatur prædicatio apoſtolorum. Per feſtũ expiationis ſignificatur emundatio à peccatis populi Chriſtiani.Per feſtum autem tabernaculorum,peregrinatio eorum in hoc mũdo: in quo ambulant in virtutibus proficiendo. Per feſtum autem cœtus atque collectæ, ſignificatur congregatio fidelium in regno cœlorum:& ideo iſtud feſtum dicebatur ſanctiſsimum eſſe.Et hæc tria feſta erant cõtinua ad inuicem: quia oportet expiatos à vitiis proficere in virtute, quouſque perueniant ad dei viſionem, vt dicitur in Pſalmo.

*Cap.17.* GREGORIVS LIBRO SEPTIMO MORALIVM. Non apparebis (inquit) in conſpectu meo vacuus.In conſpectu domini vacuus apparet,qui nihil ſecum de fructu ſui laboris portat. Alius nãque adipiſcendis honoribus exudat, alius multiplicandis facultatibus æſtuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc quiſque moriens deſerit,ante dominum vacuus apparet: quia ſecum ante iudicem nihil tulit.Hinc ergo per legem ſalubriter admonemur, dicentem: Non apparebis in conſpectu domini vacuus. Qui enim promerendæ vitæ mercedem,bene agendo non prouidet, in conſpectu domini vacuus apparet. Hinc de iuſtis per

*Pſal.125.* Pſalmiſtam dicitur: Venientes autem venient in exultatione portantes manipulos ſuos. Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt,qui in ſemetipſis recta opera quibus vitam mereãtur oſtendunt. CHRY-

*Cap.1. Homil.1.* SOSTOMVS IN EPISTOLAM SECVNDAM AD TIMOTHAEVM. Non apparebis(inquit) in conſpectu meo vacuus. Iudæis iſta dicebantur, quanto magis nobis? Idcirco nempe pauperes ante fores adſtant,vt nemo vacuus ingrediatur,vt miſericordia comite ſecurus introeat.Intras vt miſericordiam conſequaris,prior ipſe miſerere:qui autem poſterior venit,amplius debet. Nam cùm cœpimus nos, ſecundus amplius ponit. Fac tibi debitorem deum, & ita demum illum exige. Fœnerare primò,tunc repete, vt cum vſura recipias. Vult ſanè ita deus, nec fœnus ſoluere renuit. Si cum eleemoſyna poſtules, gratias agit:ſi cum eleemoſyna repetas,fœneraris vſuras,quæ accipis. Ita obſecrò faciamus. Non ſola, ac ſimplici extenſione manuum exaudimur. Expande manus tuas,non in cœlum modò,verùm ad pauperũ manus: ſi ad pauperum manus extendas manum, L ipſum cœli cardinem attigiſti.Nam qui illic ſedet, eleemoſynam accipit, quòd ſi ſteriles manus extendas, nihil penitùs proficis.Dic enim quæſo, ſi accedens ad te rex purpuratus aliquid peteret, nónne promptè & alacriter omnia dares? Non ergo in extenſione manuum, neque in verborum multitudine, ſed in operis exhibitione nos

*Eſa.1.* exaudiri meminerimus.Audi nanque quid Propheta dicat:Si extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos

*Pſal.81.* à vobis: & ſi multiplicaueritis preces, non exaudiam.Tacere quippe illi conuenit, neque in cœlum aciem intendere,qui miſericordia indiget. Sedenim,quid ait ſcriptura?Iudicate pupillo, & humili, & iuſtificate viduam, & diſcite bonum facere.Ita exaudiri merebimur,quantumlibet manus infra habeamus, & ſi nihil loquamur,nihilque poſtulemus. Sequitur, Ter in anno apparebit omne maſculum tuum coram domino deo. RABANVS.

Quid eſt quòd fœminis tacitis de maſculis lex mandat in conſpectu domini præſentandis,niſi quòd creator noſter quicquid molle,quicquid fragile & infirmum in noſtra conuerſatione eſt reprobans, fortia virtutum opera à nobis exquirit? Si enim in fide patris & filij & ſpiritus ſancti, pro æternæ mercedis adeptu tempore vitæ M præſentis bonis operibus ſtudium impendimus, maſculinum noſtrum ſine dubio ante conſpectum domini digne ſtatuimus. Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ. THEODORETVS. Azymos panes altari offerebant, fermentatos verò offerri recuſat, vt per ea quæ ſenſibus ſubiacent, ea quæ intelligentia cernuntur,nos doceret.Nam quia azymus panis rudis ac ſimplex eſt,fermentatus verò neſcio quid fermenti veteris habet, idcirco diuina lex prohibet quicquam Aegyptiacæ doctrinæ diuinis rebus admiſceri. Ita & dominus ſacris præcipiebat Apoſtolis, Cauete vobis à fermento Phariſæorum & ſcribarum. RABANVS. Fermentum quod in ſacrificio domini offerri contradicitur, vt ſæpe diximus, malitiæ & nequitiæ amaritudinem ſignificat. Non immolabis (ait) ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ. Ac ſi diceret, Caueas ne in oblatione qua dominum placare deſideras, aliquid doli aut nequitiæ intermiſceas: Quia ſyncericas iuſtitiæ deo maximo placet. Item hac ſententia nos admoneri ſciamus, quòd in ſacrificio corporis & ſanguinis domini



A domini, munditiam cordis & operis ſtudeamus habere:ne in offerendo vitæ libamine, fœdi & nigrati coram domino appareamus.Sequitur.Nec remanebit adeps ſolennitatis meæ vſque mane. Per hanc ſententiam nos inſtruit,ne opus miſericordię vel cæterarum pinguedinem virtutũ,in mane reſurrectionis futurę faciendum differamus,quia ibi actionis tempus iam nullum erit:ſed dies iſte retributionis,vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit tempore carnis ſuæ,quando licuit operari.Primitias frugum terræ deferes in domum dei tui.Primordia vti-

• que omnium operum tuorum in Eccleſia domini dignè conuerſans,creatori tuo gratãter exhibeas:quia hæc eſt domus vna in qua agnus paſchalis comedi iubetur, necnon & omnium munerum aptiſsimus locus eſt ad offerendum.Non coques hędum in lacte matris ſuę. CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA INNOCENTVM. Sanctus Moyſes quod Chriſtus dominus infans,adhuc lactẽs minimè poſſet occidi,his verbis teſtatus eſt.Id ipſum ſignificans Chriſtum dominum noſtrum qui verus dei agnus eſt,non niſi maturo tẽpore pati oportere. AVGVSTINVS. Intellectum de Chriſto approbo, quòd hac prophetia prædictus eſt non occidẽdus *Quæſt.90.* à Iudæis infans,quando Herodes quærens eum vt occideret, non inuenit,vt,coques,quod dictum eſt,pertineat ad ignem paſsionis,hoc eſt,tribulationem,vnde dicitur,Vaſa figuli probat fornax,& homines iuſtos tẽtatio tri- *Eccleſia.17.* bulationis.Quia ergo non eſt tunc infans paſſus, cùm quærente Herode huiuſmodi periculum imminere videretur,prædictum eſt his verbis,Non coques agnum in lacte matris ſuæ. Illud quoque forſitan non abſurdum eſt quòd alij dicunt,id eſſe præceptum per Prophetam,ne ſe boni Iſraëlitæ ſociarẽt malis Iudæis à quibus Chriſtus paſſus eſt, tanquam agnus in lacte matris ſuæ, id eſt, eo tempore quo conceptus eſt(Dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint,lac colligere)illo nanque menſe paſſum eſſe Chriſtũ,& Paſchæ obſeruatio, & dies Eccleſiæ notiſsimus natiuitatis eius oſtendit. Qui enim menſe nono natus eſt octauo kalendas Ianuarias, profectò menſe primo conceptus eſt circa octauum kalendas Aprilis,quod tempus etiam paſsionis eius fuit in lacte matris ſuæ.

RABANVS. Vel Hœdus hîc ſub peccatoris figura introducitur, proinde peccans, non eſt coquendus in

C lacte matris,id eſt,non eſt purgãdus mediocribus tenerrimiſque Eccleſię diſciplinis,ſed auſterioribus præceptis, eius ſunt excoquenda peccata,cuius magna ſunt crimina:vt qui per laſciuiæ blandimenta ſe perdidit, fortiore diſciplina ſe redimat. THOMAS. Figuralis igitur ratio huius prohibitionis eſt,quia præfigurabatur quòd *Ibidem.* Chriſtus qui eſt hœdus per ſimilitudinem carnis peccati,non erat à Iudæis coquendus, id eſt, occidendus in la- *ar.6. ad 4.* cte matris, id eſt in tempore infantiæ.Vel ſignificatur, quòd hœdus, id eſt, peccator non eſt coquendus in lacte matris,id eſt,non eſt blanditiis deliniendus.

D *ECce ego mittam angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in uia, & introducat in locum quem præ-* 3
*parauí:obſerua eum & audi uocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, &*
*eſt nomen meum in illo.Quòd ſi audieris uocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis*
*tuis, & affligam affligentes te. Præcedétque te angelus meus, & introducet te ad Amorræum & Ethæum &*
*Pherezæum,Chananæúmque & Euæum & Iebuſæum, quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, nec coles*
*eos.Non facies opera eorum,ſed deſtrues eos,& confringes ſtatuas eorum,ſeruietíſque domino deo ueſtro, ut be-*
*nedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda nec ſterilis in terra*
*tua.Numerum dierum tuorum implebo, terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum*
*ad quem ingredieris,cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga uertam, emittens crabrones priùs, qui fu-*
*gabunt Euæum & Chananæum & Ethæum,antequam introeas. Non eiiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in*
*ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, &*
E *poſſideas terram, ponam autem terminos tuos à mari rubro,uſque ad mare Palæſtinorum,& à deſerto uſque ad*
*fluuium. Tradam in manibus ueſtris habitatores terræ,& eiiciam eos de conſpectu ueſtro. Non inibis cum eis fœ-*
*dus,nec cum diis eorum.Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris diis eorum, quod*
*tibi certè erit in ſcandalum.*

AVCTOR CATENAE. Poſt commemoratas aliquot leges, adduntur nunc promiſsiones obſeruantibus, & minæ violantibus eas. Et quæ hîc paucis dicuntur, ea poſtea Leuitici vigeſimo ſexto, & Deuteronomii vigeſimo octauo pluribus explicantur. Ait igitur, *Ecce ego mittam angelum meum qui præcedat te, & introducat in locum quem præparaui:obſerua eum, & audi vocem eius,nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, & eſt nomen meum in illo.* 3

AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Quod apud nos, Et audi vocem *Locut. 100.* eius,apud Septuaginta ἐισάκουε αὐτοῦ, hoc eſt, exaudi eum legitur. Angelum ſuum iubet deus exaudiri à populo, non vtique petentem, ſed iubentem. RABANVS. Hæc ſententia ſecũdum hiſtoriam Ioſue ducem populi

F Iſraëlitici denotat,qui ideo angelus denominatur,quia ad legationem domini peragendam deſtinatus eſt. Angelos enim Græcè nuncios vocamus.Et bene Ioſue nuncius dici poteſt,quoniam in Iſraëlitis domini mandata innotuit,& gentibus dei potentiam ac terrorem intimauit.Cuius voci dominus iubet populo ſuo obtemperare. Vnde & idem populus ad eum dixiſſe refertur,ſicut obediuimus Moyſi, ſic obediemus & tibi. Tãtùm ſit domi- *Ioſue 1.* nus tecum,ſicut fuit cum Moyſe.Qui contradixerit ori tuo,& non obedierit cunctis ſermonibus tuis quos præceperis ei,moriatur.Et eſt(inquit)nomen meum in illo. Bifariè nomẽ domini erat in Ioſue,qui & Iſraëlita fuit. Iſraël enim interpretatur vir videns deum,ſiue princeps cum deo. Et nomen Ieſu,id eſt, ſaluatoris in ſe habuit, quem & in officio & in nomine prefiguravit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et eſt nomẽ meum in illo,id eſt,Gloriam & potentiam meam manifeſtabo per illum. CAIETANVS. Poſt leges perpetuas in terra promiſsionis, legem ſtatuit interim (hoc eſt, in via ad terram promiſsionis ſeruandam) ne interim abſquè lege viuat populus. Et eſt ſermo de angelo non cœleſti, ſed terreſtri, hoc eſt, de Moyſe, quem vt nuncium deus

mittebat,vt teſtantur ſubiuncta verba,videlicet audi vocem eius,& rurſus,ſi audies vocem eius.Manifeſtant ſi- G
quidem hæc,quòd de Angelo locuturo populo eſt ſermo, perſpicuum eſt autem, quòd Moyſes fuit dei nuncius
loquens populo. Lex itaque in via ſeruanda, eſt obedire Moyſi. Qui præcedat te, & cuſtodiat in via. Iuxta He-
bræum habetur, Ad cuſtodiendum te in via, & ad introducendum te ad locum quem paraui. Duo officia huius
angeli deſcribuntur,Alterum,cuſtodire in via populum: alterum introducere eundem in terram promiſſionis,
quam ſe eis paraſſe deus dicit.Nec te moueat,quòd hoc non fuit verificatũ, nam teſtatur ipſe deus impedimen-
tum præſtaſſe ipſum Moyſen peccando in aquis cõtradictionis:intelliguntur enim huiuſmodi diuinæ promiſ-
ſiones,niſi impedimentum præſtetur peccando.Obſerua eum.Iuxta Hebræum habetur,Caue à facie eius,& audi
vocem eius. Duobus beneficiis angeli, iunguntur duo præcepta populo relatiuè ad angelum, alterum cautelæ,
alterum obedientiæ.Nec contemnendum putes.Iuxta Hebræum habetur,Non præuaricabis in ipſo. Explicatur
cautela à tranſgrediendo mãdata angeli.Et ratio ſubiungitur,quia non dimittet cùm peccaueris.In Hebręo non H
habetur ſimplex peccare,ſed grauiſsimum genus peccãdi,tanquam diceretur, quia non parcet ſceleribus veſtris.
Et verificatum eſt vt patet in vindictis tum Datham & Abiron, tum Chore & ſociorum, tum cladis populi per
Leuitas.Et eſt nomen meum in illo.Iuxta Hebræum redditur ratio,quia nomen meũ in intus eius.Ac ſi apertiùs
dixiſſet,quòd non animo vindicandi proprias iniurias Moyſes,ſed quia nomen meum erit in intimis eius,ideo
non parcet vindicãdo iniurias nominis mei. AVCTOR CATENAE. Ecce ego mittã angelum meum,
qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui tibi. Propria Hebraica ſunt prout
habet Chaldaica,Ecce ego mitto angelum meum ante te in via,& introducat te in locum quem præparaui.Ex-
cepta tamen dictione,meum,ſed hæc idem ſunt cum Latina litera.Eſt autem,Mitto, præſens tempus pro futuro
mittam,prout docte reddidit Interpres, ſiue præmittam. Obſerua eum. Hebraica ſunt הִשָּׁמֶר מִפָּנָיו Hiſſamer mi-
panaf,Sis cuſtoditus à conſpectu illius.Nonnulli vertunt,Obſeruãs ſis illius. Alij, Caue à conſpectu illius,id eſt,
proſpice tibi ab eo,& parce ei,Vel,Vide ne coram eo aliquod iniquum deſignes.Septuaginta, προσόχε σεαυτῷ,At- I
tẽde tibi.Chaldaica,Obſerua te à facie eius.Quæ omnia vnum ſunt cum litera noſtra. Quod verò ſequitur,Nec
cõtemnendum putes,Hebraicè legitur, אַל תַּמֵּר בּוֹ Al tammer bo,Non rebellabis ei,Vel,non eris ei rebellis,Aut
non exacerbes eum.Nam מָרָה Mara verbum,rebellare,inobedientem eſſe,exacerbare,& ad iracundiã prouocare
ſignificat.Vnde & omnibus his modis reddi poteſt.Septuaginta, μὴ ἀπειθῆς αὐτῷ, Non incredulus ſis illi.Chaldai-
ca,Ne ſis rebellis in conſpectu eius.Quę omnia in ſenſu non diſcrepant à verſione Latini Interpretis.Quia non
dimittet cùm peccaueris.Pro cùm peccaueris,in Hebręo eſt לְפִשְׁעֲכֶם Lephishachem,pręuaricationes vel iniqui-
tates veſtras,vel ſcelera,ſiue peccata veſtra,vt habet Chaldaica.Vel nõ parcet iniquitati,vel prævaricationi ve-
ſtræ.Sed hæc idem dicunt cum noſtra lectione.Septuaginta, οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε, Non enim dimittet te,ſub-
audi impunitum cùm peccaueris.Et eſt nomen meũ in illo,ſic & Septuaginta. Idem dicitur in Hebraico: כִּי שְׁמִי
בְקִרְבּוֹ Chi ſemi bekirbo,Quoniam nomen meum eſt in medio illius.Iſtud debet referri ad præcedẽtia.Obſerua
eum.Quaſi dicat,Caue tibi ab eo,quia angelus eſt legatus meus, & quæ dicet, nomine meo dicet. Id ita debere K
intelligi docet & Chaldaica,exprimẽs etiam quid ſit eſſe nomen dei in medio angeli, inquiẽs,Quoniam in no-
mine meo eſt verbũ illius,quaſi dicat,Quicquid loquitur,nomine meo loquitur. Angelus autem iſte quem miſ-
ſurum ante Iſraël dominus promittit,angelus ille eſt qui cuſtodiam populi illius gerebat,qui caſtra filiorũ Iſraël
præcedebat,viam eis oſtẽdendo per columnam ignis & nubis, qui & poſuit ſe inter caſtra Aegyptiorum & He-
bræorum,ad protegẽdum eos ab aduerſariis. Quaſi diceret deus, Sanctè ſitis,& innocẽter coram me ambuletis,
nam & angelus meus vobis ſemper aderit, & vos præcedet, cuſtodiẽtque, donec introducat vos in eam terram,
quam pollicitus ſum & decreui.Cauendum igitur tibi ſummoperè eſt, vt corã eo nihil iniquum & enorme vn-
quam deſignes,ne ſis contumax & rebellis præceptis illius, hoc eſt,voci meæ. Non offendas ipſum inobedientia
& rebellione tua ad eum: non enim impunè facietis ſi vos in illius mandata præuaricaueritis, quandoquidem
quod vobis loquitur & iniungit, meum eſt, nomine meo vobis ſemper adeſt, & loquitur. *Quòd ſi audieris vocem*
*eius, & feceris omnia quæ loquor,inimicus ero inimicis tuis,& affligam affligẽtes te.Præcedẽtque te angelus meus, & introducet te ad Amor-* L
*ræum & Ethæum & Pherezæum Chananæúmque & Euæum & Iebuſæum, quos ego conteram.* HIERONYMVS IN EPI-
*Cap.5.* STOLAM AD GALATAS. Quantum in nobis eſt,nullius debemus eſſe inimici, ſed cum omnibus ha-
bere pacem.Quòd ſi loquentes veritatem,aliquos meremur inimicos,non tam nos inimici eorum ſumus,quàm
illi inimici ſunt veritatis. Nam quòd & in Geneſi dicitur ad Abraham: Inimicus ero inimicis tuis, & aduerſa-
bor aduerſantibus tibi, ſicut ſupra intelligendum, non tam Abraham illis inimicum fuiſſe, quàm illos Abrahæ
virtutibus & religioni,per quam calcatis idolis cognitum venerabatur deum.Illud quoque quòd populo prẽci-
pitur Iſraël,vt odio ſempiterno & in poſteros tranſmiſſa diſcordia,inimici ſint Madianeis, quaſi his dicitur qui
*Matth.5.* ſub pædagogo erant,& in alio loco merebantur audire,Odio habebis inimicum tuum.Aut certè non tam perſo-
narum quàm morum eſt facta diſſenſio,vt quomodo deus vtiliter inter ſerpentem & mulierem inimicitias po-
ſuit, ne amicitiæ eorum inutiles eſſent homini, per quas proiectus eſt de paradiſo: Ita & in Iſraëlitis & Madia-
neis vita magis diſsimilis,quàm gens vna dãnata eſt. AVGVSTINVS CONTRA ADIMANTVM. M
*Cap.17.* His verbis nouiſsimè per deum cõmemoratis, tanquam contrarium opponit Adimãtus quod in Euãgelio ſcrip-
*Luc.6.* tum,dicente domino,Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros,benefacite his qui vobis maledicunt,&
benedicite his qui vos oderunt,& orate pro iis qui vos perſequuntur.Quo loco primo illud vidẽdum eſt,quòd
ſatis eſſe debuerit homini volenti quaſi contraria mõſtrare, quòd de occidẽdis inimicis in veteri lege ſcriptum
eſſe cõmonuit.Dominus enim de inimicis diligẽdis,vtique de hominibus præcepit,quos per noſtrã patientiã &
charitatẽ ad ſalutẽ poſſe cõuerti,& quiuis intelligit,& exẽplis ſępiſsimè demõſtratũ eſt. Quid ergo ſibi vult quod
adiũgẽda cõſequẽtia putauit,vbi ſcriptũ eſt,Deos eorũ ne adorabueritis,neque feceritis opera ipſorũ, ſed euerſio-
ne euertite illos,& delete eorũ memoriã: niſi quia & deos gentiũ Manichæi cogũt diligere. Et quòd in Euãgelio
dominus ait,Diligite inimicos veſtros,nõ ſolùm ad homines,ſed ad dæmonia quoq; vel etiã ad ſimulachra per-
tinere arbitrãtur.Quòd ſi ita eſt,quis nõ iſtam deteſtatur amẽtiam?Si autem non hoc arbitrãtur, iſte plurimùm
errauit



A errauit, qui ſuperſtitiones gentium euertendas eſſe præceptas in veteri teſtamento commemorare voluit, cùm
in nouo quòd ſcriptũ eſt de inimicis diligendis,tanquam cõtrarium vellet opponere.Nos autẽ neque illud quòd
de hoſtibus occidendis in veteribus libris illi populo dictũ eſt,cõtrarium eſſe dicimus huic præcepto euãgelico,
quòd nobis vt inimicos noſtros diligamus dominus iubet,quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali
adhuc populo cõgruebat,cui lex tãquam pędagogus data erat,ſicut Apoſtolus dicit.Hi verò qui tunc *in illo po-* *Gal.3.*
pulo* ſancti & ſpiritales homines erãt pauciſsimi,ſicut Moyſes,ſicut Prophetę,quo animo faceret illam inimico-
rum interfectionẽ,& vtrũ eos quos interficiebãt diligeret,multũ latet indoctos & impios, qui diligũt cæcitatem
ſuam,qui quoniam non ſunt idonei videre iſta,mole potiùs authoritatis vrgẽdi ſunt. Quid enim eſt quod dicit
Apoſtolus,Ego quidẽ abſens corpore,præſens autẽ ſpiritu,iam iudicaui quaſi præſens,eum qui ſic operatus eſt,in *1.Cor.5.*
nomine domini noſtri Ieſu Chriſti cõgregatis vobis & meo ſpiritu cum potentia domini Ieſu,tradere eiuſmodi
B Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini Ieſu. Quid enim habet illa interfectio quam mul-
tum iſti exaggerãt,& inuidioſè vẽtilant,niſi interitũ carnis?Sed quia expoſuit Apoſtolus quo animo faceret, ſa-
tis declarauit in aliquẽ inimicum vindictã cum charitate poſſe procedere. Et tamen hìc etiã alio modo fortaſſe
interitus carnis qui fit per pœnitẽtiã poteſt intelligi: Ipſi autẽ legũt ſcripturas apocryphas,quas etiã incorruptiſ-
ſimas eſſe dicũt, vbi ſcriptũ eſt Apoſtolũ Thomam maledixiſſe homini à quo per imprudẽtiam palma percuſſus
eſt,ignorãte quis eſſet,maledictumq; illud cõtinuò veniſſe ad effectum.Nam cùm ille homo,quoniam miniſter
cõuiuij erat,vt apportaret aquã exiſſet ad fontẽ,à leone occiſus & dilaniatus eſt,quod vt manifeſtaretur ad alio-
rum terrorẽ,canis manũ eius intulit mẽſis vbi cõuiuabatur Apoſtolus:atque ita cùm cauſa quęreretur à neſcien-
tibus eisq; panderetur,in magnũ timorẽ & magnũ honorẽ Apoſtoli eos eſſe cõuerſos:atque hinc Euangelij exor-
dium cõmendandi extitiſſe.Si vellet aliquis dẽtes Manichæorũ in ipſos cõuertere, quàm mordaciter iſta repre-
henderet.Sed quia & ibi tacitum non eſt quo animo factũ ſit,videtur dilectio vindicãtis.Sic etenim in illa ſcri-
C ptura legitur,quòd deprecatus fuerit Apoſtolus pro illo in quẽ tẽporaliter vindicatũ eſt,vt ei parceretur in futu-
ro iudicio.Si ergo tẽpore noui teſtamenti,quo maximè charitas cõmendatur,de pœnis viſibilibus diuinitùs in-
iectus eſt carnalibus timor,quãto magis tẽpore veteris teſtamẽti hoc cõgruit?Sed illi populo intelligendum eſt,
quem timor legis tãquam pædagogi coërcebat. Nam hæc eſt brẽuiſsima & apertiſsima differẽtia duorum teſta-
mentorũ,timor & amor, illud ad veterẽ, hoc ad nouum hominẽ pertinet, vtrunq; tamẽ vnius dei miſericordiſ-
ſima diſpẽſatione prolatũ atque cõiunctum.Et in veteri ſcriptura tacetur animus vindicantiũ, quia pauciſsimi
ſpiritales diuinis reuelationibus quid facerẽt,nouerãt vt populus cui terror vtilis erat, ſeueriſsimo imperio do-
maretur:& quẽadmodum videbãt dari in manus ſuas interficiẽdos inimicos impios cultoreſq; ſimulachrorum:
ſic ipſi formidarẽt in manus inimicorũ ſuorum dari,ſi dei veri iuſſa cõtemnerent,& ad cultũ idolorũ atque im-
pietates gẽtium laberẽtur.Nam & in ipſos ſimiliter peccãtes non diſsimiliter vindicatũ eſt.Sed omnis hęc tem-
poralis vindicta infirmos animos terret,vt enutritos ſub diſciplina eruditat, & à ſempiternis atque ineffabilibus
D ſuppliciis poſsit euertere:quia plus timent carnales homines, quòd in præſenti deus vindicat, quàm illud quod
futurũ minatur.Poteſt ergo eſſe dilectio in vindicante.Quod vnuſquiſque in filio ſuo probat,cùm eum in mo-
res peſsimos defluẽtem,ſeueriſsima coërcitione cõſtringit,& tãto magis,quãto magis eum diligit,atque hoc mo
do corrigi poſſe arbitratur. Non autẽ occidũt filios quos diligũt homines quãdo eos corrigere volũt: quia multi
hanc vitam pro magno bono habẽt,& totũ quare volũt educare filios ſuos,in hac vita ſperãt.Fideles autẽ atque
ſapiẽtes homines qui credũt eſſe aliam vitam meliorẽ,& quãta poſſunt ex parte nouerũt: nec ipſi vindicãt occi-
dendo cùm filios ſuos volũt corrigere,quia in hac vita eos poſſe corrigi credũt.Deus autem qui nouit quid vni-
cuique tribuat,vindicat occidẽdo in quos voluerit,ſiue per homines,ſiue occulto rerũ ordine:non quia eos odit
in quantũ homines ſunt,ſed in quantũ peccatores ſunt.Nam in ipſis veteribus libris legimus dictũ deo,Et nihil *Sap.11.*
odiſti eorũ quæ feciſti:ſed omnia,ſiue per pœnas, ſiue per præmia iuſtitia moderãte diſponit. Nónne Apoſtolus *1.Cor.11.*
Paulus Chriſtianis fidelibus loquebatur,cùm diceret,Probet autem ſe homo,& ſic de pane illo edat, & de calice
E illo bibat?Qui enim mãducat & bibit indignè,iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicãs corpus domini.
Propterea in vobis multi infirmi & ægri,& dormiũt ſufficiẽtes.Si autem noſipſos diiudicaremus,nõ vtique di-
iudicaremur.Dum iudicamur autẽ,à domino corripimur,ne cum hoc mũdo damnemur. Ecce manifeſtum eſt
deum cum dilectione corrigere,non ſolùm infirmitatibus & egritudinibus,ſed etiam mortibus tẽporalibus,eos
quos non vult damnare cum mundo. Attendãt hæc iſti, & videãt quomodo potuerint & impiæ gentes dari in
manus populi,quãuis adhuc carnalis,tamen vnũ deum colẽtis, vt ab eo interficerẽtur: cùm in eo tamen populo
ſi qui eſſent ſpiritales,ſine alicuius odio intelligerẽt diſpenſationẽ dei:& quomodo non ſit cõtrarium quòd do-
minus nobis in Euangelio præcepit,vt diligamus inimicos noſtros: de quibus tamen promittit ipſe vindictam,
cùm de illo iudice ſimilitudinẽ inducit, qui quotidianas interpellationes viduæ mulieris petentis vt ſe vindi-
caret,quãuis eſſet iniuſtus nec deum timẽs,nec homines reuerẽs, tamen ſuſtinere non potuit,& audiuit eam, ne
vlterius tædium pateretur. Ex cuius comparatione multo magis deum qui eſt benigniſsimus atque iuſtiſsimus
F dixit vindicare electos ſuos de inimicis ſuis.Huic iſti audeant obiicere quæſtionem,& dicãt ſi poſſunt,Quid eſt
quòd iuſsiſti, vt inimicos noſtros diligamus, & de illis nos vindicare diſponis? An fortè contra voluntatem
ſuorum ſanctorum facturus eſt eos quos illi diligunt, puniendo atque damnando, immo ipſi potiùs ab iſta ca-
lumnioſa cæcitate conuertantur ad deum, & in vtroque teſtamento intelligant eius voluntatem, ne in finiſ-
tra parte inueniantur inter eos quibus dicturus eſt dominus, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo *Matth.25.*
& angelis eius, Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare, & cætera talia. Diſplicet enim iſtis miſeris
quòd deus populo ſuo interficiendos tradidit inimicos, & ipſi panem mendicanti dari prohibent, non ini-
mico ſed ſupplici. Intelligant potiùs ſine odio eſſe poſſe vindictam, quam pauci intelligunt: & tamen quan-
diu non intelligitur, tandiu neceſſe eſt vt lector in libris vtriuſque teſtamenti magno labore aut errore ia-
ctetur, & putet contrarias ſibi eſſe ſcripturas. Quam vindictam ſine odio nondum Apoſtoli animo cœpe-
perant,quando irati eis à quibus non recipiebantur hoſpitio,quęſierunt de domino vtrũ vellet eos petere ignem

de cœlo ſicut Helias fecerat, quo igne homines inhoſpitales conſumerentur. Tunc reſpondit eis dominus, di- G
cens eos neſcire cuius ſpiritus filij eſſent,& quòd ipſe liberare veniſſet,non perdere:quoniam illi animo inimico
perdere cupiebant eos quos volebant igne conſumi. Poſtea verò cùm impleti eſſent ſpiritu ſancto,& perfecti fa-
cti eſſent, qui iam poſſent etiam inimicos diligere, acceperunt poteſtatem vindicandi, quia iam ſine odio pote-
rant vindicare. Qua poteſtate Petrus Apoſtolus vſus eſt in libro quem iſti non accipiunt, quoniam manifeſtè
continet paracleti aduentum, id eſt, conſolatoris ſancti ſpiritus, quem lugentibus miſit, cùm ab eorum oculis
ipſe aſcendiſſet in cœlum. Conſolator enim triſtibus mittitur ſecundum illam eiuſdem domini ſententiam,
*Matth.5.* Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Ipſe etiam dicit, Tunc lugebunt filij ſponſi, cùm ablatus fuerit ab
eis ſponſus. In illo ergo libro vbi apertiſsimè ſpiritus ſanctus,quem dominus conſolatorem promiſerat,veniſſe
declaratur,legimus ad ſententiam Petri cecidiſſe homines,& mortuos eſſe virum & vxorem, qui mentiri auſi e-
rant ſpiritui ſancto. Quod iſti magna cæcitate vituperant, cùm in apocryphis pro magno legant, & illud quod H
de Apoſtolo Thoma commemoraui,& ipſius Petri filiam paralyticam factam precibus patris, & ortulani filiam
ad precem ipſius Petri eſſe mortuam,& reſpondent,quòd hoc eis expediebat, vt & illa ſolueretur paralyſi,& illa
moreretur: tamen ad preces Apoſtoli factum eſſe non negant. Quis autem illis dixit, non expediebat gentibus
impiis interfici quas traditas eſſe diuinitùs in manus populi Iudæorum irridẽtes mirari ſe fingunt? Cùm autem
illa non odio, ſed bono animo Apoſtoli fecerint, vnde iſti conuincunt animos virorum ſpiritalium qui in illo
populo fuerunt,quòd eos oderant,qui per ipſos diuina iuſtitia de hac vita iubebantur auferri? Compeſcant po-
tiùs temeritatem ſuam & non decipiant imperitos,quibus aut non vacat legere, aut nolunt legere, aut peruerſo
animo legunt,& non attendunt & miſericordiam & ſeueritatem dei vtriuſque teſtamenti literis commendari.
*Pſal.7.* Nam de inimici dilectione, vt non reddatur malum pro malo in veteribus libris legitur, Domine deus meus ſi
feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis
meis inanis. Quis hoc diceret, niſi qui ſciret hoc deo placere, vt malum pro malo nemo reddat? Sed hoc perfe- I
ctorum eſt, vt non oderint in peccatoribus niſi peccata, ipſos autem homines diligant, & cùm vindicant, non
vindicent acerbitate fœuitiæ, ſed moderatione iuſtitiæ, ne ipſa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quàm
pœna vindictę. Nec tamen hoc fecerunt iuſti homines niſi authoritate diuina,ne quis arbitretur paſsim ſibi eſſe
permiſſum necare quem velit,aut iudicio perſequi,aut pœnis quibuſlibet affligere. Aliquando autem apertè po-
nitur in ſcripturis ipſa diuina authoritas,aliquando autem occultatur,vt & manifeſtis lector inſtruatur,& exer-
ceatur obſcuris. Certè inimicum & perſecutorem ſuum nimis ingratum & nimis infeſtum, Saul regem accepit
Dauid in poteſtatem vt ei faceret quod vellet, & elegit parcere potiùs quàm occidere. Non enim erat iuſſus
occidere, ſed neque prohibitus: imò etiam diuinitùs audierat ſe impunè facere quicquid vellet inimico: & ta-
men tantam poteſtatem ad manſuetudinem contulit. Dicatur mihi quem timuit, cùm interficere noluit? Nec
hominem poſſumus dicere timuiſſe, quem acceperat in poteſtatem, nec deum qui dederat. Vbi ergo nec diffi-
cultas fuit occidendi,nec timor,dilectio profecit inimico. Ecce Dauid ille bellator impleuit præceptum Chri- K
ſti quod accepimus,vt diligamus inimicos. Atque vtinam hoc imitarentur iſti, qui humanum effectum miſe-
ricordiæ,ad neſcio quæ crudelia deliramenta torſerunt. Dum enim credunt panem plorare,quod fieri non po-
teſt,non eum porrigunt homini quem plorantem vident. Fortaſsis dicant, ſicut ſolent cæci iactare inſana con-
uicia,meliorem fuiſſe Dauid qui pepercit inimico,quàm deum qui dederit ei occidendi poteſtatem, quaſi verò
deus neſciret cui dederit hanc poteſtatem. Nouerat vtique voluntatem ſerui ſui, ſed vt cæteris etiam homini-
bus ad imitandum innoteſceret,eáque in corde Dauid iam deo nota erat inimici dilectio,dedit in poteſtatem
inimicum quem nondum volebat occidi,propter certam rerum diſpenſationem,quam per illum impleri opor-
tebat. Ita & Dauid bonitas commendata eſt,vt haberent homines quod amarent:& Saulis regis malitia ad exi-
tum digniorem dilata eſt, vt haberent homines quod timerent. RABANVS. Quòd ſi audieris, & cætera.
Iuxta hiſtoriam, populum Iſraëliticum Ioſue introduxit in terram repromiſsionis, eiiciens gentes quas præno-
minauit à facie eorum,comminuens idola,& deſtruens aras eorum. CAIETANVS. Quòd ſi audieris vo- L
cem eius. Manifeſtato ſucceſſu non cauentis, manifeſtat ſucceſſum obedientis. Et feceris omnia quæ loquor.
Parui refert quòd Hebraicè habetur, loquar, niſi quòd ideo futuro vtitur, vt ſignificet ſermonem Moyſi angeli
ſui,ſermonem ſuum fore. Inimicus ero inimicis tuis. Et hoc quo ad internum odium. Et affligam affligentes te.
Iuxta Hebræum habetur,Et anguſtabo anguſtatores tuos. Et hoc quo ad actus exteriores. Et aduerte prudens le-
ctor,quòd iſtæ promiſsiones diuinæ pendent ex cõditione, Si audies vocẽ angeli,& facies totum quod loquar.
Præcedetq; te angelus meus. Iuxta Hebræum ratio redditur,dicendo,quia. Executio enim anguſtationis inimi-
corum promittitur ex hoc quia præcedet te angelus meus,hoc eſt,Moyſes. Quòd autem in fine dicit,Quos ego
conteram,Iuxta Hebræum habetur,Et faciam diruere ipſum,hoc eſt,vniuerſitatem ipſorum,tanquam ſi eſſet vi-
nus. Cerne & admirare promiſſa diuina contra hoſtes Hebræorum. Pollicetur enim mittendo Moyſen ante eos,
diruturum ſe omnes iſtas gentes. Et hęc ſunt pollicita in via,ſequentur poſtmodum pollicita poſt dirutas à deo
gentes illas. AVCTOR CATENAE. Quòd ſi audieris vocem eius. In Hebræo eſt, ſi audiendo audieris M
שָׁמוֹעַ תִּשְׁמַע Samoah tiſmaha. Sic & Chaldaica, Quòd ſi ſuſcipiẽdo ſuſceperis verbum eius. Hebraiſmus eſt. Et
feceris omnia quæ loquor. אֲדַבֵּר Adabber,futuri temporis eſt,loquar. Sed ſcripturæ mos eſt his temporibus pro-
miſcuè vti. Et affligam affligentes te. Præcedètque, Hebraicè eſt וְצַרְתִּי אֶת צֹרְרֶיךָ: כִּי יֵלֵךְ Vezarti eth zorrẽcha.
Chi ielech. Eſt autem verbum zarar,anguſtiare, tribulare, ſeu aduerſari. Vnde reddi poteſt locus, Et anguſtiabo
anguſtiantes te, vel, Aduerſabor aduerſantibus tibi,ſeu aduerſariis tuis. Quoniam præcedet,& cętera. Sic & Sep-
tuaginta. Chaldaica etiã, Et tribulabo tribulãtes te, quia ibit angelus meus ante faciẽ tuã. Quos ego cõteram. He-
braicè: וְהַכְחַדְתִּיו Vehichadtif. Verbũ autẽ כָּחַד chachad, ſignificat deſtruere, delere, perdere. Vnde redditur, Et ex-
terminabo eos. Septuaginta, καὶ ἐκτρίψω αὐτούς, Et delebo eos. Chaldaica, Et diſperdam eos. Alij vertunt, Et ex-
cindam, ſiue ſuccindam eum, nẽpe populum Chanaan in ſuprà dictas gẽtes diuiſum. Quæ omnia idem penitùs
dicunt cum Latina verſione, quod annotauimus, vt eius veritas & ſinceritas non hîc ſolùm, ſed vbique palàm
fiat



Afiat. Vertit igitur dominus pro more perſonam, iam vt angelus loquens, iam vt deus auctor illius, & dicit,
*Si feceris quæ ego loquutus fuero, & audiendo audieris vocem meam, & feceris omnia, ero inimicus inimicis*
*tuis, & affligentes te affligam.* Quem autem metuere poterant, qui deum habebant protectorem? Præcedétque
te Angelus meus,& cætera. Multi quidem hoſtes ſunt & fortiſsimi, ſed homines ad quorum iniquitatis menſu-
ram peruenit malitia, qui ſemper pergunt blaſphemare deum,opprimere homines,violenti,raptores, prædones,
homicidæ, & idolatræ (Chananæi generali nomine, ſed quinque, & plures aliquando gentes nominatę) quos
quidem omnes, & ſi qui alij erunt aduerſarij tui, miſſo meo Angelo coram te, extirpabo ego, & in illorum te
terram inducam. *Non adorabis deos eorum,nec coles eos. Non facies opera eorum, ſed deſtrues eos & confringes ſtatuas eorum.*
THOMAS SVPER EPISTOLAS PAVLI. Ait Apoſtolus, Qui commutauerunt veritatem dei *Ad Roma*
in mendacium, & cætera. Diuina natura poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, quod eſt ratio cognoſcendi *nos Cap. 1.*
B vt veritas prima, & quantum ad hoc dicit, Qui commutauerunt veritatem dei in mendacium. Quod quidem *Lect.7.*
poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quia veram cognitionem quam à deo acceperunt, peruerſa ratione ad
falſa dogmata conuerterunt. Sicut cùm dixerunt idola eſſe deos, vel deum non eſſe omnipotentem, vel omni-
ſcientem, Ieremiæ nono, Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium. Alio modo veritatem dei in mendacium
mutauerunt, quia diuinitatis naturam quæ eſt ipſa veritas, attribuerunt idolo quod eſt mendacium, inquantũ
non eſt deus vt dicitur Ieremiæ decimo ſexto, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatẽ quæ eis nõ
profuit. Nunquid faciet homo ſibi deos? & ipſi non ſunt dij. Alio modo poteſt conſiderari diuina natura ſecun
dum quod eſt principium eſſendi omnibus per creationem, & ſic debetur ei ab homine, Interius quidem cultus
ſecundum pium affectum,Ioannis nono, Si quis cultor eſt dei, & cætera: Exterius verò debetur ei ſeruitus latriæ
ſecundum illud Deuteronomij ſexto, Dominum deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Vnde & ſubdit,con-
tra eos ſcilicet, Coluerũt & ſeruierũt creaturæ potiùs,& cætera. Colebant enim cœleſtia corpora, & aërem & a-
C quam, & alia huiuſmodi, ſecũndum illud Sapientiæ decimo tertio, Aut ignem aut ſpiritum, aut citatum aërẽ,
& cætera. Et in hoc improbat ſapientes gentilium qui quamuis nunquam in imaginibus aliquid numinis eſſe
crederent,ſicut ſectatores Hermetis credebant,neque ea quæ à poëtis fabuloſè dicebantur de diis, crederent eſ-
ſe vera, creaturis tamen aliquibus cultum diuinitatis impendebant, ex quibus rationem fabularum aſsigna-
bant, ſicut Varro poſuit totum mundum eſſe deum propter animam eius, dicens quòd toti mundo & omnibus
partibus eius diuinitatis cultus impendi poteſt, ſcilicet aëri quem vocabant Iunonem, aquæ quam vocabant
Lieum,& ſic de aliis. Platonici etiam poſuerunt quòd omnibus ſubſtantiis rationabilibus quæ ſunt ſupra nos,
cultus diuinitatis debetur, puta dæmonibus, animalibus cœleſtium corporum, intelligentiis, id eſt, ſubſtantiis
ſeparatis. Quamuis autem iis quæ ſupra nos ſunt aliquam reuerentiam exhibere debeamus, non tamen cultum
latriæ, quæ præcipuè in ſacrificij oblatione conſiſtit, per quod homo profitetur omnium bonorũ deum eſſe au-
ctorem,ſicut & in quolibet regno aliquis honor ſupremo domino exhibetur, quem nõ licet transferre in alium.
D CAIETANVS. Dictio interpretata, Adorabis, ſignificat propriè ſignum honoris exhibere puta incuruа-
ri,genu flectere,& huiuſmodi. Non facies opera eorum. Quamuis vniuerſaliter de operibus gentium illarum
intelligi poſsit, directè tamen de operibus earum pertinentibus directè vel indirectè ad ſuperſtitiones deorum
videtur intelligendum, cùm dicitur,Non facies ſicut opera eorum,& ratio ſubditur,quia diruendo dirues eos,&
frangendo facies frangere ſtatuas eorum. Meritò non imitaberis eos, quia ex huiuſmodi operibus meruerunt
quòd tu diruas eos (hoc eſt,templa eorum) & frangas ſtatuas deorum eorum. AVCTOR CATENAE.
Non adorabis deos eorum. Clariùs reddit Chaldaica quid appellauerit deos eorũ, legens,Non adorabis ido-
la eorum. Non facies opera eorum,Hebraicè legitur כְּמַעֲשֵׂיהֶם Chemahaſehem,Secundum opera eorum. Sic &
Septuaginta & Chaldaica. Sed hoc idem eſt. Sed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum. Hîc in Hebræo He-
braiſmus eſt, prout legunt Chaldaica & Septuaginta, ſed deſtruẽs deſtrues eos, & confringẽs confringes ſtatuas
eorum, Quem conſultò Interpres mutauit, nil tamen de ſententia imminuens. Habebant gentes deos ſuos,ido
E la, ritus, ſacra à quibus ſuos omnino abſtinere vult deus, ne vllo pacto ſe eorum ſacris miſceant, ne opera
eorum, id eſt, cultus quos idolis fecerant, ſequantur, ſed vt primùm potuerint, & occaſio dabitur, diruendo
diruant, conterendo conterant ſtatuas, aras, delubra, lucos & omnia, ne ſi illa ſuperſtita fiant, quoquomodo
adorent ipſorum aliqua vel plura. Omnino enim vult dominus ſolus adorari, & coli, amari, haberíque qualis
eſt, deus beneficus & omnipotens illis, ſicut erat ſemper ipſorum patribus. *Serviétiſque domino deo veſtro, vt bene-*
*dicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.* CAIETANVS. Subiungit deus quòd con-
tritis ab eo gentibus illis,non ſolùm declinent à malo(idolatriæ videlicet)ſed etiam faciant bonum,ſeruitutem
debitam exhibendo ei qui dat eſſe omnibus, qui iam colitur ab eis vniuerſalis iudex. Inducitur enim hæc reli-
gionis ſeruitus, vt vna conditionum,imò vt præcipua conditio ſeruanda ſimul & ſucceſsiuè cum antedictis in
via. Vt benedicam panibus tuis. Iuxta Hebræum habetur copulatiuè, Et benedicet panem tuum, & aquas tuas,
& auferet infirmitatem de medio tui. De ſeipſo loquitur deus in tertia perſona. Ecce pollicita ſub conditioni-
F bus antedictis, pollicita(inquam) in terra promiſsionis quatuor valde deſiderabilia. Primum eſt multiplicatio
panis & aquæ, hoc eſt, vniuerſorum ſpectantium ad alimentum: ſecundum eſt ſanitas corporis, tertium eſt fœ-
cunditas fœminarum,& quartũ longæua vita, de quibus in ſequentibus. Quæ ideo impleta non ſunt,quia Iſraë-
litæ non ſeruarunt conditiones,ſed obicem poſuerunt diuinis beneficiis, præuaricando. AVCTOR CA-
TENAE. Vt benedicam, Hebraicè eſt וּבֵרַךְ Vberach, Et benedicet. Mutatio perſonæ eſt more Hebræorum,
pro, Et benedicam, vt doctus interpres reddidit, Id eſt, dabo tibi cibum & potum in magna abundantia. Id
enim eſt benedicere panibus ſuis, vel pani & aquis eius. Vnde & Chaldaica, Et benedicet cibum tuum. Redun-
dat autem apud Græcos τὸν οἶνόν σου, id eſt, & benedicam vinum tuum, cum ſubdãt καὶ τὸ ὕδωρ σου, Et aquam
tuam. Nulla enim huius in Hebraico mentio, quanquam ad declarationem ab illis poſitum eſſe poſsit. Cùm
fuerint (inquit) alieni Iudæi & remotiſsimi à ſtudiis, operibus, & ſuperſtitione Gentilium, tunc poterunt cole-
re deum verum, & illi toto corde ſeruire. Tunc itaque benedicet illis in omnibus, & ſe deum benigniſsimum
exhibebit

exhibebit ſemper,& ſufficientiſsimũ,cui vt verè pij in ſpiritu & veritate ſeruient. A quo & benedicendi ſint, di- G
tandi,multiplicandi,& auxiliandi per omnia in temporalibus, cibo, potu, & rerum omnium abundantia, & in
ſpiritualibus charitate,gaudio,& pace, vt cibo & ſanitate nõ deſtituantur, nec affligantur laboribus Aegypti.Cũ
itaq; piis incidit inopia aut morbus,ſit hoc, vt aut fides tentetur, quæ nuſq̃ expeditior eſt & ſecurior,quàm dum
omnibus huius vitæ bonis deſtituimur, etenim virtus in infirmitate perficitur, aut peccata corriguntur, ne li-
beat ſemper quod non licet. *Non erit infœcunda nec ſterilis in terra tua. Numerum dierum tuorum implebo.* AVGVSTI-

*Quæſt. 92.* NVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quãuis iſtę promiſsiones poſsint & ſpiritualiter intelligi,tamen cùm ſecundum temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad vetus teſtamentũ pertinent,vbi quanquam præcepta(exceptis his quæ in ſacramento aliquid ſignificant)eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur, promiſsiones tamen carnales atque terrenæ ſunt. Vnde in Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo penè lapſos & effuſos greſſus ſuos homo dei dicit, cùm zelaret in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ea H
quippe cernebat abũdare impiis, quæ ipſe ſecundum teſtamentum vetus expectabat à domino deo,cui hac mercede ſeruiebat. Et cùm hinc eis ſubrepere cœpiſſet ſenſus impius, quòd deum non curare exiſtimaret humana, correptum ſe dicit, dum auctoritatem ſanctorum non eſt auſus improbare, & incepit cognoſcere, & ait, Hoc labor eſt ante me, donec introeam in ſanctuarium dei, & intelligam in nouiſsima. Ibi enim præmia dabuntur ad nouum pertinentia teſtamentum, quæ impij non accipient, & pœnæ tunc futuræ ſunt impiorum, quas nullus piorum ſenſurus eſt. INTERLINEARIS. Non erit infœcunda, & cætera. Nota quòd propter peccata hominum ſterilitas mulierum & animalium & ipſius terræ ſæpe contingit.Numerum dierum tuorum implebo, vt moriaris ſcilicet ſenex & plenus dierum,cùm è contra de reprobis ſcriptum eſt, Viri impij non dimidiabunt dies ſuos. THEODORETVS. Numerum dierum tuorum implebo. Definitam hominibus vitã intelligit,hoc eſt,in longam ſenectutem vitam tuam producam: quemadmodum enim intempeſtiuam mortem non obedientibus ſibi Deus minatur, ita obedientibus ſibi longam vitam pollicetur.Neque enim quod plerique I
putant, credendum eſt, Certum quendam atque eundem terminum viuendi omnibus hominibus ſtatutũ eſſe. Quemadmodum enim omnibus mortalibus à deo ſtatutum eſt vt ſemel moriantur, neque vllus dari poteſt qui mortem effugiat: ſic ſi certus atque idem viuendi terminus definitus eſſet, neque iuſtus longiore, neque iniuſtus breuiore vita frueretur. Quòd ſi aliquis ob peccata moritur, vt ante diluuium, aut Sodomis, vt Pharao,vt plerique alij, quemadmodum & Apoſtolus ait, Propter hoc inter vos imbecilles multi,& dormiunt multi,multi tamen à morte liberati gratias deo liberatori egerunt. Præterea multos infantes nouimus qui neque menſem vnum vixerunt, alios annum vnum aut alterum, multos etiam viros ſcimus qui ſupra centeſimum annum vitam traduxerint.Itaque illud quod apud Dauidem ſcriptũ eſt, Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ideo dictum eſt, quia pauci admodum ſeptuaginta annorum circulum tranſcendunt. Vnuſquiſque igitur noſtrum eos dies viuet quos deus prænoſcit.Cæterùm dei prænotio terminus dici nõ debet, propterea quòd ſi dei prænotio etiam definitio eſſet, Deus qui Adam & luciferum caſurum prænouit, caſum quoque illorum K
ſtatuiſſet, quod ſanè impium dictu eſſe quis non videt? CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Non erit abortiens, nec ſterilis in terra tua. Sterilitate enim vel aborſu impeditur multiplicatio humani generis.

AVCTOR CATENAE. In Hebræo duæ ſunt dictiones,videlicet מְשַׁכֵּלָה Meſachela, quæ non parientem & infœcundam ſiue abortientem,vel abortum facientem ſonat, & eſt participium verbi tranſitiui: Altera עֲקָרָה Hakara, quæ ſterilem ſignificat. Septuaginta, ἄτεκνος,οὐδὲ ἄγονος, οὐδὲ σẽρα, id eſt, Non erit in vobis ſine filiis,neque infœcũda, neque ſterilis. Chaldaica, Nõ erit orbata & ſterilis in terra tua. Alij, Nõ erit abortiens ſiue abortiuum faciens,& ſterilis tranſtulerunt. Antiquitùs igitur benedictio domini, prolium erat abundantia, & ſterilitas & infœcunditas maledictionis loco interminabatur impiis. Impleri autem numerum dierum, Hebraiſmus eſt,pro ſenectutem laudabilem conſequi,& prolongari in annos vitam abſque vlla ægritudine.

*Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctoríumque inimicorum tuorum coram te terga vertam,emittens crabrones prius, qui fugabunt Euæum & Chananæum & Ethæum, antequàm introeas.* AVGVSTI- L

*Locut.101.* NVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Et mittam veſpas ante te,& eiiciet Amorræos,& cætera.A plurali ad ſingularem numerum ſe conuertit. Intelligitur autem, eiiciet Amorræos veſpa, ſicut rana,ſicut locuſta,non quòd vna ſit,ſed quòd per ſingularem numerum pluralis numerus intelligatur. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quæritur autem de iſtis

*Quæſt. 93. Sap.12.* beſtiis quid intelligendum ſit. Nam & promittit hoc deus, & liber Sapientiæ dicit impletum, vbi ait, Et miſit anteceſſores exercitus ſui veſpas. Non autem legimus factum, neque Moyſi temporibus, neque ſub Ieſu Naue, neque ſub Iudicibus, neque ſub regibus. Ac per hoc veſpæ iſtæ aculei timoris intelligendæ ſunt fortaſſe, quibus agitabantur memoratę gentes, vt cederent filiis Iſraël. Deus enim loquitur, in cuius ſermone ſi figuratè aliquid dicatur,quod ad proprietatem non ſit impletum,non impedit hiſtoriæ fidem, in qua perſpicitur veritas narrationis, Sicut nec Euangeliſtarum narratio ſecundum proprietatem impeditur,ſi aliquid à Chriſto dicitur figuratè. THEODORETVS. Mittam crabrones ante te. Quemadmodũ in Aegyptios ranas & cyniphes miſit,ita & in Chananæos, cæteráſque nationes crabrones immiſit, quæ profectò res excellentem Dei potentiam mirè declarat, quòd etiam per minuta admodum animantia ſuis auxiliatur, contráque aduerſáriis ſuis pernitiem infligit. Hoc & per beatum Dauidem conteſtatus eſt,Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet,pro nihilo vtique inimicos eorum humiliaſſem, hoc eſt, facilè admodum hoſtes eorum profligaſſem. EVSEBIVS CAESARIENSIS. Non crabrones hoc loco intelligit, ſed quia Hebræi multitudinem Alienigenarum formidabant, declarat quàm nullo negotio & labore Deus illos quaſi per minuta animalia deleturus ſit. CAIETANVS. Terrorem meum mittam ante te. Dixerat ſuperiùs Deus ſe diruturum gentes illas, manifeſtat nunc modum quo diruet. Et modus eſt, quòd immittam in animos populorum illorum timorem meum coram vobis. Et occidam omnem populum ad quem ingredieris. Dictio Hebraica interpretata occidam, anceps eſt ad frangam vel ſtupefaciam, ſeu attonitum reddam.Ita quòd primùm terrebit,deinde ſtupefaciet,ſeu franget animos



A mos. Et hoc ſecundum natum eſt ſequi ex primo, ſi timor eſt vehemens,ad ſignificandum enim magnitudinem timoris ſubiungit effectum hunc, & conſequenter alium effectum in factis, dicendo, Et dabo omnes inimicos tuos tibi occiput,Non ſolùm timebunt & ſtupefient, ſed obuiantes vertent tibi occiput, quæ eſt pars capitis directè contraria fronti. Emittens crabrones priùs. Iuxta Hebræum habetur,Et mittam crabronem ante te.Multitudo veſparum ſeu ſimilis animalis ſignificatur. Qui fatigabunt Heuæum & Chananæum & Hethæum anequàm introeas. Ecce quartum pollicitum in modo diruendi inimicos, loco pugnantium promittit animalia cum aculeis pugnantia pro Iſraëlitis,& tantæ efficaciæ vt expellant gentes illas.Nec hoc adimpletum eſt,impedientibus peccatis populi. AVCTOR CATENAE. Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, quòd eſt idem quod Hebraicè legitur לְפָנֶיךָ Lephanécha, Ante te,id eſt,Terrebo omnes te adueniente.Et occidam omnem populum ad quem ingredieris. Verbũ הָמַם Hamam, Et occidere, & cõterere,& perturbare,& tumultua-
B ri & amentem reddere ſignificat. Vnde dictionem וְהַמֹּתִי Vehammoti, Et conteram,vt Chaldaica.Vel,Tumultuari faciam,ſiue,frangam animos,ſiue,Et perdam,reddi poteſt.Demum ſicut etiã apud Septuaginta legitur,καὶ ἐκστήσω πάντα τὰ ἔθνη,Et amentes faciam omnes gentes.Cũctorúmque inimicorum tuorũ coram te terga vertam. Egregiè Hebraiſmum reddidit Interpres hoc in loco qui eſt, וְנָתַתִּי אֶת כָּל אֹיְבֶיךָ אֵלֶיךָ עֹרֶף Venathatti eth col obécha elécha hóreph, Et dabo omnes inimicos tuos tibi ceruicem, Id eſt, Conuertam eos in fugam coram te.Vel,Et dabo cunctos hoſtes tuos ad te tergum.Chaldaica,Et ponam omnes inimicos tuos coram te terga vertentes. Septuaginta autem legunt, καὶ δώσω πάντας τοὺς ὑπεναντίους σου φυγάδας,id eſt, & dabo omnes aduerſarios tuos profugos. Quæ omnia idem dicunt cum litera noſtra. Emittens crabrones priùs. Hebraicè וְשִׁלַּחְתִּי אֶת הַצִּרְעָה לְפָנֶיךָ Veſalachti eth hazirha lephanécha, Et mittam crabronem, ſiue veſpam ante te, ſingulare pro plurali, id eſt, crabrones vel veſpas. Speciem dicunt eſſe reptilis alati, venenoſum aculeum habentis, haud diſſimilis api.Et hæc vt dicunt quidam,in magna multitudine infeſtiſsima fuit habitatoribus terræ, vt cogerentur
C cedere, Græcè dictio eſt φυγία, quæ propriè veſpetam,ſeu veſparum cellas ſignificat.Antequàm introeas.Parum eſt quod Hebraicè eſt, מִלְּפָנֶיךָ Milephanécha,A facie tua. Sic & Chaldaica. Septuaginta ἀπὸ σοῦ, A te. Terrorem itaque meum mittam in præcurſum tuum. Rumore tantùm & fama veſtri, antequàm ad eos veniatis, terrebo, & attonitos eos faciam, vt eos nequaquam formidare debeatis. Ex meo enim arbitrio pendet ipſorum animus & fortitudo, vita & victoria. Hoc autem impletum legimus Ioſue quinto, vbi legitur, Diſſolutũ eſt cor eorum,nec remanſit in eis ſpiritus. Hos igitur omnes(inquit dominus) vel interficiam vbi obuiam venerint, & pellere viribus aggredientur,Vel terrebo, vt fuga ſibi conſulere cogantur, & terga obiecturi ſint vobis perſecutoribus. Et ita(inquit) terrebo, ita attonitos & ſtupidos reddam, vt etiam veſpæ ſint eis ſuperiores. Solis veſpis (ſi velim) expugnabo eos, tam fortiſsimas ſcilicet iſtas gentes, quas non per veſpas iectas legimus,ſed variis modis,diuina tantùm fortitudine deuictas & expulſas. *Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo,donec augearis & poſsideas terram.* INTERLINEARIS.
D Noluit deus ſimul delere omnes gentes, ne terra redacta in ſolitudinem, ſæuiùs contra eos beſtiæ ſæuirent.

RABANVS. Alia etiam cauſa alibi deſignatur ob quam gẽtes quarum terram Iſraëlitico populo ſe daturum promiſit, ſimul eiicere noluit, vtique vt experiretur & erudiret in eis Iſraël, vt eſſent qui peccantes arguerent, & ad timendum deum improbos compellerent. AVCTOR CATENAE. Non eiiciam eos anno vno. Et hîc eſt ſingulare pro plurali ſicut & ſuprà. Hebraicè enim legitur אַגְרְשֶׁנּוּ Agarſennu, Non eiiciam ſiue expellam eum.Sed & Chaldaica & Septuaginta habent vt vertit Latinus Interpres. Ne terra in ſolitudinem redigatur,Hebraicè eſt פֶּן תִּהְיֶה הָאָרֶץ שְׁמָמָה Pen tihie haárez ſemama, Ne fortè fiat terra deſolata,vel vaſta,ſiue ſqualida. Chaldaica, Ne terra ſit deſerta.Sic & Septuaginta,Quod eſt idem cum litera noſtra. Et creſcant contra te beſtiæ.Iuxta Hebræũ eſt, וְרַבָּה עָלֶיךָ חַיַּת הַשָּׂדֶה Verabba halécha chaiath haſade, Et multiplicetur contra te beſtia agri. Quod Chaldaica etiam plurali numero exprimit, ſicut Interpres & Septuaginta, Et multiplicentur contra te beſtiæ agri. Id eſt, multiplicentur in tuam perniciem feræ & animalia ſylueſtria. Paulatim expel-
E lam eos de conſpectu tuo. Et hîc ſimilis eſt loquendi modus, expellam eum pro eos.Sed & bis repetitur in codice Hebraico dictio מְעַט Mehat, quæ pauxillum ſignificat,& in Septuaginta etiam, κατὰ μικρὸν μικρὸν, hoc eſt, paulatim paulatim. Quæ omnia à ſenſu Latinæ verſionis non deuiant. Aliud igitur loquitur hîc deus, aliud in receſſu prætendit, Hoc autem vult,vt populus Iſraël perpetuò habeat cum quibus exerceatur,ne otio & ignauia torpeſcat. Sed cur non iam eam cauſam allegat? Nimirum inter initia adhuc eos lacte nutrit, & celat quod acturus eſt. Nam ſi illis nunc diceret, impatientia defeciſſent, dicentes, Num etiam in terra quæ promittitur, ab hoſtibus affligemur? His etiam verbis terræ illius deſignatur latitudo, quia cùm ipſi iam ſexcenta milia eſſent virorum, paruulis exceptis ac mulieribus, habitari tamen à filiis Iſraël non poſſet, donec non eſſent in maiori numero. Quanquam poſſumus etiam dicere quòd his dictis muniat eos conſolatione, quòd etſi Iſraëlitæ non ſtatim delere queant omnes Chananæos, non tamen deſpondeant animũ, quia hoc nõ fiet fortitudine Chananæorum, ſed clementia dei erga eos, ne videlicet terra redigatur in vaſtam ſolitudinem, & beſtiæ illam occupent, ſi vno anno omnes habitatores eius interficerentur, ſiue expellerentur. *Ponam autem terminos tuos à mari rubro vſque ad mare Palæſtinorum, & à deſerto vſque ad fluuium.* INTERLINEARIS. Mare rubrum ab oriente intellige,mare Palæſtinorũ,quod eſt mare mediterraneũ,mare magnum,& mare tyrrenum, ab occidẽte. Deſertum autem à meridie, nam poſt Bethleem vna tantùm eſt ciuitatula quæ Thecue,aliàs Theone dicitur,& poſt illam ſtatim ſequitur vaſtitas deſerti.Fluuium autẽ qui eſt Euphrates,à ſeptentrione. RVPERTVS. Quatuor climata terræ repromiſsionis diſtincta ſunt, dicendo à mari rubro vſque ad mare Palæſtinorũ, & à deſerto vſque ad fluuium.Mare Palæſtinorum alio loco legimus appellari mare magnum, quod iuxta terræ ſitum ipſorum, erat illis contra ſolis occaſum THEODORETVS. Mirum autem alicui videri poſsit, cur cum deus Iſraëlitis promiſerit terram illis vſque ad Euphraten fluuium ſe traditurum, id tamen opere non præſtiterit. Hanc rem deus per prophetam Hieremiam apertè declarauit. Repentè loqui de gente & de regno vt ædificem & plantem illud,ſi fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam,pœnitentiã agam ſuper bono

quod

quod locutus ſum vt facerem ei, & quæ ſequuntur. Introduxit ergo deus illos in terram quam promiſerat eis. G
Quia verò diuinam legem obſeruare noluerunt, non vniuerſam illis dedit, ſed quaſdã nationes reliquit quæ cũ
Iſraëlitis cõtinenter bellũ gererẽt, vt bello vexati diuinũ auxiliũ implorare cogerentur. Id quod egregiè admodũ
Iudicum hiſtoria patefecit. Dauidi tamen etiã has gentes ſubiecit, nam & Philiſtiim illi tributa pendebãt, tum
etiam Syria Damaſci, & Syria Soba. Ac ſanè Salomon quandiu pietatem coluit, his imperitauit, poſtquã à deo
diſceſſit, ab earũ imperio decidit. HIERONYMVS DARDANO. Et ego fateor hæc tibi Iudææ repro-
miſſa, non tradita, ſi obſeruaſſes mandata dei, & in præceptis illius ambulaſſes, ſi nõ pro omnipotente deo coluiſ-
ſes Beelphegor & Baal, Beelzebub & Chamos: quos quia prætuliſti deo, omnia quæ tibi promiſſa fuerunt, perdi-
diſti. Et mihi in Euãgelio promittuntur regna cœlorum, quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat. Sed ſi
non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me qui promiſſum accipere non
merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, fruſtra cupias quod promiſſum eſt. AV-H
CTOR CATENAE. Et à deſerto vſque ad fluuium, ſubaudi Euphratem, qui ab aquilone ſeu ſeptentrione
terminus eſt terræ promiſſionis, vt deſertum ab auſtro ſiue meridie. Vnde Septuaginta habent, καὶ ἕως τοῦ ποτα-
μοῦ τοῦ μεγάλου ἐυφράτου, hoc eſt, Et vſque ad fluuium magnum Euphratem. Sic & Chaldaica, Et à deſerto vſ-
que ad Euphratem. Quadratura hîc deſignata, alibi diligentiùs deſcripta eſt in Ioſue. *Tradam in manibus veſtris ha-*
*bitatores terræ, & eiiciam eos de conſpectu veſtro.* Tradam in manibus veſtris, & cætera. Quoniã præcedit dictio כִּי Chi,
Legendũ eſt, Nam tradã. Et eiiciam eos de cõſpectu veſtro. Parui refert quòd in Hebræo legitur, וְגֵרַשְׁתָּמוֹ מִפָּנֶיךָ
Vegeraſtámo mipanécha, Et expelles, ſiue eiicies eos à facie tua, ſiue à te. Sed Septuaginta & Chaldaica habent
vt apud nos. Nam in eo quòd filij Iſraël erant gentes expulſuri, dominus ipſe expellebat, cuius virtute erant eii-
ciendæ. Propterea præmiſit, Tradam in manibus veſtris habitatores terræ. Terrã igitur hanc poſſederunt filij Iſ-
raël pacificè ſub Salomone duntaxat. In ea autẽ dum deum coluerunt, ſemper victorias de hoſtibus experti ſunt
& acceperunt ad gloriã dei & ſuũ exercitiũ, quibus caruiſſent ſi ſine hoſtibus terrã ſemper inhabitaſſent. *Non I*
*inibis cũ eis fœdus, nec cũ diis eorum. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, ſi ſeruieris diis eorum, quod tibi certè erit in*
*Quæſt. 94.* *ſcandalum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera, Si ſeruieris
diis eorum, erunt tibi offendiculũ. Hîc Græcus δουλεύσῃς habet, nõ λατρεύσῃς. Vnde intelligitur, quia & δουλεία de-
*Cap. 5.* betur deo tanq̃ domino, λατρεία verò non niſi deo tanq̃ deo. GREGORIVS LIBRO SEPTIMO MO-
RALIVM. Diuina quippe hæc ſententia vetat ne plebs Iſraëlitica fœdus cũ alienigenis iungat, & vitam ſanctæ
religionis inquinet. RVPERTVS. Quod ſermonis huius fuit exordiũ, ipſum medium, ipſum & finis eſt. In
exordio nanq; dictum eſt, Non habebis deos alienos coràm me. In medio autem, Qui immolat diis occidetur, præ-
ter domino ſoli. Porrò hîc in fine dicitur, Non inibis fœdus cũ diis eorum, & cætera. Et rectè, quia bonorũ omniũ
radix eſt vnius dei diligentiſſima notitia, idcirco maximè circa hãc tota beniuoli plantatoris impenditur opera. Hac etenim in corde priùs radicata & fundata, quicquid inde pullulat, frondet ac floret in gratiã, & fructũ af-
*Rom. 1.* fert in vitam æternã. Sicut è cõtrario deorũ alienorũ ſeruitus, cauſa eſt perditionis, efficiens omnẽ fructũ nequã, K
& mortem afferens ſempiternã, teſtante Apoſtolo, cũ dicit, Propter quod tradidit illos deus in deſideria cordis
eorum, in immunditiã vt, contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutauerunt veritatem dei in
mendaciũ, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen, & reli-
qua. Ergo ſicut creaturæ ſeruitus contumelioſum reddit hominẽ, etiam in exterioribus carnis operibus: ſic è con
trario fida creatoris adoratio, glorioſum illũ efficit, ſuccedentibus fructibus ſpiritus. CAIETANVS. Nó ini-
bis cũ eis fœdus, & cætera. De tempore medio eſt ſermo, videlicet ne tẽpore medio inter poſſeſſam partem terræ
contentæ infra terminos dictos, & poſſeſſionẽ reliquæ partis paulatim poſſidendæ, permittãt illos idolatras ha-
bitare in terris poſſeſsis ab Iſraëlitis. Et ratio ſubditur periculi Idolatriæ propriæ, quia huiuſmodi cohabitatio
erit Iſraëlitis tanq̃ offendiculũ ad cadendũ: vel ſecundũ alios Interpretes, tanq̃ laqueus venatorius ad capiendũ
ſeu illaqueandum animos veſtros. AVCTOR CATENAE. Non inibis cũ eis fœdus, nec cũ diis eorum.
Et hîc Chaldaica legit, Nec cũ idolis ſuis. Si ſeruieris diis eorũ, quod tibi certè erit in ſcandalum, pendet à ſupe- L
riori verſu immediatè præcedenti, Ne fortè peccare te faciant. Hoc eſt tunc peccares in me, cùm ſeruires alienis
diis, quod eſſet tibi valdè facile vt eueniret, ſi iſti alienigenæ habitarent intra fines tuos. Quod ſi faceres, id de-
mum eſſet tibi ceſſurũ in maximã ruinam & in interitũ. Et hîc Chaldaica habet, Neq; ſeruias idolis eorum, quia
in ſcandalũ erunt tibi. Et quia in hac clauſula ſunt duo כ Chi in lectione Hebraica, reddunt aliqui, Quando co
lueris ſimulachra eorum, nam id eſſet tibi in laqueum, vel offendiculo, vel ruinæ, id eſt, id eſſe poſſet in cauſa
quòd peccares in me, colendo videlicet idola, ſi fineres gentes has habitare in regione tua. Sed prior ſenſus cla-
rior & lucidior, & à litera magis intentus. Sic igitur prohibet dominus ne faciant, quod nouit facturos. Vt excu-
ſatione careant, & prouidentiæ dei deſtinata opera perficiantur. Non vult pactum permittere deus populo ſuo
cum diis gentiũ, ſolus vult amari & coli. Sed & mandat ac conſiliũ dat, vt idolatras nullos viuere ſinant inter
ſe, ne fortè anſam habeant peccandi in legem dei & pietatẽ, ne proximi ſint periculo, quos nouit propẽſiores ad
idola, hos vetat cohabitare idolatris. Nouit deus figmentũ fragilitatis humanæ, maturè cõſilium miniſtrat, & vt M
pius ac fidelis pater, monſtrat periculum, ſcandalum manifeſtat, vt ipſi non imputetur, quòd eorũ fuerit contu-
maciæ & proteruię. Vt ſint inexcuſabiles, oblatam admonitionem poſtponentes.

*Myſticè.* RVPERTVS. Cũ omnia ſupradicta fecerit ſeruus Hebræus opera iuſtitiæ, nunquid ſtatim perfectus erit,
*Heb. 7.* & præmium accipiet vitæ æternæ? Non vtique, nam & Apoſtolus teſtatus eſt quia nihil ad perfectũ adduxit lex.
*Eſa. 64.* Et iuſtorum in lege de præcipuis vnus dicit lachrymoſa cõfeſsione, Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ
noſtræ. Bene igitur dominus, hîc poſt omnia non regnũ cœlorũ iam legis huius operariis repromittit, ſed dicit,
Ecce ego mittam Angelum meũ, qui præcedat te, & cætera. RABANVS. Secundum allegoriam Angelus
iſte, ipſe dominus & redemptor noſter intelligi poteſt. Nam ipſe per Prophetam propter diſpenſationem huma-
nitatis, magni conſilij Angelus nuncupatur, quia ſuæ & paternæ voluntatis eſt annunciator. Quem qui non au-
dierit, exterminabitur de populo ſuo. Nomen enim dei in illo veraciter eſt, quia cùm ſit homo, verus etiam deus

agnoſcitur



A agnoſcitur & eſt. RVPERTVS. Non eſt ergo hîc ille Angelus quem promittens dominus per Malachiam
prophetam, Ecce ego (inquit) mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meã. Ille nanq; eſt Ioan- *Malach. 3.*
nes Baptiſta propheta, & pluſq̃ propheta, Angelus, id eſt, nuncius, non præco venturi, ſed nuncius atq; index iam
præſentis huius magni Angeli, de quo confeſtim idem propheta ſubiungit, Et ſtatim veniet ad templum ſuũ do
minator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis. Propria huius Angeli differentia hîc poſita
eſt, dicente deo, Et eſt nomen meum in illo. Non dixit & eſt nomen meum ſuper illum, quod rectè dici queat de
quolibet infimo electorum, quorum omnium illa eſt prophetica vox, Tu autem in nobis es domine, & nomen *Hier. 14.*
tuum inuocatum eſt ſuper nos, ſed eſt (inquit) nomen meum in illo, id eſt, pro naturali diuinitate eodem quo &
ego, cenſetur nomine. Dicitur enim, & eſt, æquè vt ego deus, dominus, omnipotens, inuiſibilis, increatus, im-
menſus, æternus, & quicquid de deo ſubſtantialiter prædicatur, vt hoc ſolùm de nomine interſit, quòd ego
B ad illum relatiuè pater, ille ad me relatiuè filius dicitur. Hunc ego mittam, qui præcedat te, ſcilicet aperien-
do tibi portas iuſtitiæ, & cuſtodiat te in via quatenus quod arbitrio non præuales, eius conſequaris gratia, &
introducat ad locum quem paraui, ſcilicet manſionibus multis diſtinctum ab origine mundi, de quo ceciderũt
apoſtatæ angeli, quibus pes ſuperbiæ, & idcirco expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Obſerua eum & audi vocẽ eius.
Obſerua (inquam) eum non à ſeipſo loquentem, & opera mea facientem, & audi vocem eius, dum ſub duobus *Pſalm. 35.*
teſtibus, ſcilicet ſermone & opere, ſe in nomine dei patris ſui veniſſe profitetur. Nec contemnendum putes, quia
non dimittet cùm peccaueris, Ne contemnendum putes quòd homo eſt, quòd mortalis eſt, quòd mortuus eſt ex
infirmitate hominis, viuit enim ex virtute dei, habẽſque poteſtatem iudicium faciendi, non dimittet cùm pec
caueris, odio habendo illum gratis. Quòd ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero ini-
micis tuis, & affligam affligentes te, præcedetq; te Angelus meus, & introducet te ad Ammoræum, & cætera. Ini-
micos Iſraël, id eſt, omnium quærentium dominũ, & Aegyptũ huius mundi fugientiũ, malignos eſſe ſpiritus,
C eiſq; Ammorræi & Euæi, cæterarúmque gentium congruere nomina ſecundũ interpretationes ſuas, iam alio lo-
co dictum eſt. RABANVS. Spiritualiter igitur redemptor noſter, in nobis has ſeptem gentes cum ſimula-
chris eorum exterminat, cũ ſeptem principalia vitia à nobis eiicit, & omnẽ dolum inimici de cordibus noſtris
procul pellit: quatenus naturæ noſtræ terram pleniter ac perfectè poſſideamus. Radix quippe cuncti mali ſuper- *Eccleſi. 10.*
bia eſt, de qua ſcriptura atteſtante dicitur, Initium omnis peccati ſuperbia. Primæ autem eius ſoboles, ſeptẽ ni-
mirum principalia vitia, de hac virulẽta radice proferuntur, ſcilicet inanis gloria, inuidia, ira, triſtitia, auaritia,
ventris ingluuies, luxuria. Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco redẽptor noſter ad ſpi-
rituale liberationis prælium, ſpiritu ſeptiformis gratiæ plenus venit. Quòd verò iſtarum pernitioſarum gentiũ
regiones ſalubriter poſſidere præcipimur, ita intelligitur. Habet vnumquodque vitium in corde noſtro pro-
priam ſtationem, quam ſibi vindicans in animæ noſtræ receſſu, exterminat Iſraëlem, id eſt, contemplationem
rerum ſummarum atque ſanctarum, eiſque ſemper aduerſari non deſinit. Non enim poſſunt virtutes cum vi-
D tiis, pariter morari. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? ſed
cùm Iſraëlis populo, id eſt, à virtutibus contra ſe dimicantibus fuerint vitia ſuperata, locum quem ſibi in cor-
de noſtro concupiſcentiæ vel fornicationis ſpiritus retentabat, ibi deinceps caſtitas obtinebit. Quem furor
cœperat, patientia vindicabit. Quem triſtitia mortem operans occupauerat, ſalutaris & plena gaudio lætitia
poſſidebit. Quẽ accidia vaſtauit, incipiet excolere fortitudo. Quem ſuperbia conculcabat, humilitas honeſta-
bit, & ita ſingulis vitiis expulſis, eorum loca, id eſt, effectus, virtutes contrarię poſſidebunt. Quæ filij Iſraëlis, id
eſt, animæ deum videntes, non immeritò nuncupantur, qui cum vniuerſas cordis expulerint paſsiones non tam
alienas poſſeſsiones peruaſiſſe, quàm proprias recuperaſſe credendi ſunt. Etenim quantum docet vetus traditio,
has eaſdem terras Chananæorũ, in quas introducuntur filij Iſraëlis, filij Sem quondã fuerunt in orbis diuiſione
ſortiti, quas deinceps per vim atque potentiã poſteritas Cham per inuaſionis iniquitatem poſſedit. In quo & dei
iudicium rectiſsimum comprobatur, qui & illos de locis alienis quæ male occupauerant expulit, & iſtis ſanctis
E tanquam patrum poſſeſsionem, quæ proſapiæ eorum diuiſione orbis fuerat deputata, reſtituit. Quæ figura in
nobis quoque certiſsima ratione cognoſcitur. Nam voluntas domini poſſeſsionem cordis noſtri, non vitiis, ſed
virtutibus naturaliter deputauit. Quæ poſt præuaricationem Adæ inſoleſcentibus vitiis, id eſt, populis Cha-
nanæis à propria religione depulſæ, cùm rurſum eis per dei gratiam diligentia noſtra ac labore fuerint reſti-
tutæ non tam alienas occupaſſe terras, quàm proprias credendæ ſunt recepiſſe. Vt benedicam panibus tuis &
aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda nec ſterilis in terra tua. Numerum dierum
tuorum implebo. Benedictionem aliquam in hac præſenti vita ſancti accipiunt, dum fœcunditatẽ bonorũ ope-
rum illis dominus tribuit & copiam virtutũ, vt in progreſſu ſanctarũ actionũ, legem domini quæ eis data eſt ad
cuſtodiendum, opere conſumant, quatenus ad ęternæ beatitudinis præmia peruenire mereantur. Vnde prophe- *Pſalm. 83.*
pheta dicit: Etenim benedictionem dabit qui legem dedit, ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur deus
deorum in Sion. Ibi quippe numerus dierum eorũ implebitur, vbi ſumma perfectio tribuetur, & ſtabilitas ęter-
F nitatis largietur. RVPERTVS. Non erit infœcũda nec ſterilis in terra tua. Numerũ dierum tuorum imple
bo. Beati ſeminis fœcunditatem Eccleſiæ ſanctæ repromittit, quam & propheta Eſaias prævidens, Lauda (in- *Eſa. 54.*
quit) ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama quę non parturis, quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ ha-
bet virum. Nam poſtquàm nos angelus ille præceſsit, & in cœlum aſcendens dona ſancti ſpiritus hominibus de-
dit, non eſt in hac terra, quam ille ſanguine ſuo rigauit, quæ ſit infœcunda verbo dei, & ſterilis ab operibus bo-
nis. In omni loco mater Eccleſia ſpirituales filios parit, & de mortuis viuos in vitam æternam regenerando par-
turit. Cuius fœcunditatis præmium breuiter contingens, numerum (inquit) dierum tuorum implebo, id eſt, in ſe-
culorum ſecula, quæ dinumerari non poſſunt, vitam tuã extendam, & dilatabo. Terrorem meũ mittam in præ-
curſum veſtrum, & occidã omnem populum ad quẽ ingredieris, & cætera. Hęc facta ita eſſe nouimus, vt in figu-
ra terroris, quo per crucẽ Chriſti fulminati ſunt maligni ſpiritus inimici noſtri, cõtigiſſe veraciter prædicemus.
Vnde & ipſi inimicorum capiti fiducialiter dicamus, ô tortuoſe ſerpens, qui mille per meandros fraudẽſque

flexuoſas

flexuosas agitas quieta corda, discede, Christus hîc est, hîc est Christus, liquesce, signum quod ipse nosti dam-G nat tuam cateruam. Sed quinam sunt crabrones de quibus ait: Emittam crabrones priùs qui fugabũt Euæum, & Chananæum, & Ethæum, antequàm introeas? Qui (inquam) spiritualiter sunt crabrones intelligendi, quos scimus de equino stercore nasci, quos contra Chananæum se missurũ dicit, sicut contra Aegyptios muscas misit, nisi ignobiles & contẽptibiles huius mundi, quos vt nobilia & fortia cõfunderet, ante conspectum nostrum mi-
1.Cor.5. sit, vt per illos contrita superbia seculi, pacificè possemus ad vitam æternã ingredi: Isti crabrones qui se tanquam purgaméta mundi profitebantur & omnium peripsema, miluos vicerunt, diabolum principem mundi fugauerunt, & omnes pompas eius sub pedibus suis velociter conculcauerunt. Non eiiciam (inquit) eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Hoc est dicere, non absque legitimi certaminis labore vitia delebo, repugnantia proposito tuo vel intentioni tuæ, ne extollat te in superbiam repentina gloria victoriæ. Satius enim est pugnare cum hominibus quàm bestiis subdi, id est, tolerabilius est (ver-H bi gratia) colaphizari stimulo carnis, quàm deuastari elationis stimulo. Hæc enim humana, illa tentatio est
Psalm.83. diabolica. Ait ergo, Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis & possideas terram. Ac si dicat, Ascensiones quasi in corde tuo disposuisti in hac valle lachrymarum, in hoc loco quem tibi posuisti, in quem ô homo pro tuo vitio incidisti, paulatim per auxiliũ exercitantis gratiæ perficies, ibis de virtute in virtutem, donec videas deum deorum in Sion, quod est veraciter augeri, & possidere terram viuentium. RABANVS.

Electos igitur suos de corruptibilitate carnis expulsis multis vitiorum turbis, aliquibus dominus permittit
2.Cor.12. impugnari, quatenus habeant semper in quibus se exerceant, ne fortè per inertiã, in maiorem ruinam peccatorum cadant. Vnde & doctori gentium petenti vt dominus à se Angelum satanæ qui eum colaphizabat auferret, respõsum est, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Ponam autẽ terminos tuos à mari rubro vsq; ad mare Palæstinorum, & à deserto vsque ad fluuium. RVPERTVS. Spiritualiter termini Christianitatis hi sunt. Per mare rubrũ & per desertum, populum intelligimus Iudęorũ, rubrũ mare pro parte electo-I rum, qui primi rubenti sanguine Christi mundati sunt, & apud quos priores baptisma est Ecclesiæ celebratum, desertum autem pro parte reproborum, qui propter infidelitatem ab inhabitatore deo & homine Christo deserti sunt. Per mare autem Palæstinorum & fluuium magnum, quẽ alio loco nominat scriptura Euphratem, quod nos Latinè dicimus frugiferum, multitudinem intelligimus gentium siue profunditatem nationum, ad quas dilatati sunt termini Apostolorũ, incipientium ab Hierusalem, vbi sicut dictum est, primò sacratum est nostri baptismi mare rubrum. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. AVCTOR CATENAE. Significat interim perpetuum sanctis bellum esse gerendum cum vitiis, neque vnquam nobis cũ eis conueniendũ. Cohabitare quidem permittit, sed ne fœdus aut societatem cũ impiis & peccatis ipsis ineat. Semper nobis aderunt vitia & vitiosi, imò inter medios malos nobis habitandum est, sed perpetuò pugnandũ cum eis, nec vnquam redeundum cum eis in gratiam. Reliquiæ quidem peccatorum in piis etiam semper manent, vt sint stimuli & exercitamenta virtutis, & custodia humilitatis. Hostibus ergo suos deus carere non sinit, ne otio torpescant & dis-K fluant luxu. Nè fortè peccare te faciant in me, si seruieris diis eorum, quod certè erit tibi in scandalum.

RVPERTVS. Equidẽ nos hodie cuncti verbo palàm, creatoris adoratores sumus, sed auctoribus magnis,
Matth.6. Christo videlicet & Apostolo eius, simulachrorũ seruitus sic æquiuocatur, vt in illo sacrilegio pleriq; professores
Luc.16. Christianitatis inuoluantur. Nã Euangelica auctoritate, si auari sumus, nõ deo seruimus, sed Mãmonæ. Et Apo-
Eph.5. stolus testatur, quia auaritia idolorum est seruitus. Igitur & hîc, & suprà vbi dictum est, Non facietis deos argen-
Coloss.3. teos, nec deos aureos facietis vobis, apud nos idẽ est, ac si dicatur, Non studebitis auaritiæ, nõ seruietis Mãmonę.

## IN CAPVT EXODI VIGESIMVMQVARTVM, ARGVMENTVM.

*Moyses descendit de monte, Promittit populus omnia se facturum quæ deus iusserit. Scribit Moyses verba dei. Offeruntur domino sacrificia, & sanguine fœderis populus aspergitur. Videtur deus à senioribus populi. Mox ingreditur nubem Moyses, & stat cũ deo quadraginta diebus & totidem noctibus.*

## CAPVT XXIIII.

Lectio.1. *MOysi quoque dixit, Ascende ad dominum tu & Aaron, Nadab, & Abiu, & Septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul. Solúsque Moyses ascendet ad dominum, & illi nõ appropinquabunt, nec populus ascendet cum eo. Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia uerba domini atque iudicia. Respondítque cunctus populus una uoce, omnia uerba domini quæ locutus est faciemus. Scripsit autem Moyses uniuersos sermones domini, & mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duode-M cim tribus Israël. Misitq; iuuenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolauerúntque uictimas pacificas domino, uitulos duodecim.*

Lectio.1. CAIETANVS. Hactenus locutus quidem Moysi est deus, sed non facienda specialiter à Moyse, sed communiter ab omnibus, proponenda autem per Moysen populo, modò mandat specialiter facienda ab ipso Moyse cum quibusdam, & propterea dicitur. *Moysi quoque dixit, Ascende ad dominum tu & Aaron, Nadab, & Abiu, & Septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul.* INTERLINEARIS. Non hoc dominus dixit, sed Angelus qui in figura dei cum Moyse loquebatur. STRABVS. Septuaginta senes sunt, de quibus dicitur Numeri vndecimo, Assume tibi Septuaginta viros, & cætera, de quibus Heldad & Meldad fuerunt. HVGO DE SANCTO VICTORE.



A VICTORE. Moysi quoque dixit, Ascende ad Dominum tu & Aaron, & cætera. Ecce confusio ordinis, quomodo enim præcipitur hîc ascendere Moyses in montem, qui secundum competentiam narrationis cum eo est in monte, & solus audit iudicia quæ proferat ad populum? Sed sciendum est, quòd secundum ordinem rerum gestarum oportet hîc interponi totum sequens capitulum ab eo loco, Venit ergo Moyses & narrauit plebi, vsque, Ascenderúntque Moyses & Aaron, & cætera, & tunc congruè concordat istud capitulum, in quo præcipitur Moyses ascendere, cum illo in quo ascendit. Et illud secundum capitulum, Venit ergo Moyses, & cætera, concordat cum præterita narratione in qua exponit Moyses quæ ipsi præceperat dominus. CAIETANVS. Erat tunc Moyses cum deo, sed non erat cum deo ipse simul cum Aaron & cæteris subiunctis. Et propterea sensus est, postquàm promulgaueris leges quas dixi populo, ascendes tu & Aaron, & cætera. Et aduerte prudens lector, quòd nunquam tam in hoc mandato, quàm in executione eius quæ postea subiunge-
B tur, mentio montis fit. Non mandatur ascende in montem, nec in executione dicitur quòd ascenderint in montem, sed hîc dicitur, ascende ad summum deum. Dubium tamen non est quòd de ascensu locali est sermo, vt patet ex eo quòd subiungitur, & adorabitis procul, hinc enim patet mandari, quòd Moyses & Aaron & duo filij Aaron, & septuaginta senes, ascendant quidem, sed sistant procul. Etsi cum his collocatum fuerit quòd deus super verticem montis Sinai apparebat, & loquebatur Moysi, intelligemus, quòd sistere procul, relatiuè ad summitatem montis dicitur, & consequenter ascendere ad dominum, est ascendere partem montis. Nescitur autẽ quanta fuerit ista montis pars. AVCTOR CATENAE. Ascende ad dominum. Hebraismus est, pro, Ascende ad me. Antecedens pro relatiuo. Volunt aliqui prædictorum in capite decimonono epilogum esse, quod hîc scribitur. Pro quo notant tres fuisse ordines in populo dei. Quidam eorum, & maxima pars, non audebat accedere ad montem. Seniores & cæteri, cum Moyse aliquo-
C usque montem conscenderunt, solus verò Moyses dominum adire, & cum eo familiariter colloqui iubetur & permittitur. Vnde quod nunc ait sciptura, Moysi quoque dixit, ὕστερον πρότερον esse dicunt, & sic vertendum fuisse, Moysi enim dixerat deus, videlicet eo tempore, quo vocauit Moysen vt audiret leges iudiciales, quæ à capite vigesimo primo hucusque commemoratæ sunt. Postquàm enim Decalogus horrenda dei ipsius voce audiente, & extrema omnia metuente tota Israëlitarum multitudine promulgatus esset, conuenit inter populum & Moysen, vt deinceps solus Moyses audiret vocem dei, & ferret ab ipso leges. An simpliciter hîc intelligendus est locus, Ascende ad dominum tu, & cætera, scilicet postquàm descenderis, & populus legem receperit? Et profectò is videtur esse planus & germanus huius literæ sensus, nec tot ambagibus inuolutus. *Solúsque Moyses ascendet ad dominum, & illi non appropinquabunt, nec populus ascendet cum eo.*

INTERLINEARIS. Moyses vnus ascendere præcipitur, altitudinem contemplationis, perscrutaturus, & sententiam supernæ voluntatis. CAIETANVS. Iuxta Hebræum non habetur, ascendet, sed appropinquabit. Superiùs in capite decimonono concessum fuerat vt cum Moyse posset Aaron
D ascendere in montem, modò autem non permittitur quòd Aaron appropinquet cum Moyse ad verticem montis. Et illi non appropinquabunt nec populus ascendet cum eo. Vide disparitatem, Populus nec appropinquat nec ascendit, Aaron & septuaginta senes ascendunt quidem, sed non apropinquant, Moyses autem & ascendit & appropinquat. Et hic est finis sermonis dei ad Moysen, quando dedit ei leges promulgandas populo. AVCTOR CATENAE. Solúsque Moyses ascendet ad dominum. Hebraicè ponitur verbum נָגַשׁ nagas, quod accedere seu appropinquare significat. Et ita etiam legit Chaldaica, Et accedet Moyses solus coram domino. Sic & Septuaginta, καὶ ἐγγιεῖ μωϋσῆς μόνος πρὸς τὸν θεὸν, id est, Et appropinquabit Moyses solus ad deum. Sed hoc parum est, nam & accedere Moysen ad deum, erat ad illum ascendere. Solus ergo Moyses appropinquabat ad dominum, ipsi verò non admittebantur, & adhuc populus remotus stare iubebatur, & excedere decretos limites non permittebatur. *Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba domini atque iudicia. Respondítque cunctus populus vna voce, Omnia verba domini quæ locutus est fa-*
E *ciemus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia Quæst. 85. litera. Introiuit ergo Moyses, & narrauit populo omnia verba dei & iustificationes. Respondit autem omnis populus voce vna dicentes, Omnia verba quæ locutus est dominus, faciemus & audiemus. Vsque ad hunc locum scripturæ, iustificationes intelliguntur quæ datæ sunt populo ad obseruandum. Incipiunt autem quantum ipsa scripturæ verba indicant, vnde hoc nomen iustificationum exortum est, ab illo seruo Hebræo cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus iustificationibus considerandum est, quæ inde ad agendam vitam & morum bonorum conseruationem duci possint. Multa quippe in eis sacramenta sunt, significantia potiùs aliquid, quàm vitam nostram instruentia. Iustificationes sanè Latini Interpretes eas esse dixerunt, quas Græci δικαιώματα appellant. Notandum etiam, quòd iterum populus ità respondet, omnia verba quæ locutus est dominus, faciemus & audiemus, cùm videatur ordo postulare, vt diceretur, audiemus & faciemus. Sed mirum nisi aliquis sensus hîc latet, Nam si audiemus, pro eo
F positum est, quod est intelligemus, priùs oportet verbis dei reddere faciendi seruitutem, vt ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito deuotionis, qua non contemptæ, sed factæ sunt, ipse perducat. Sed videndum est, vtrum iste populus illi filio similis inueniatur, qui patri iubenti dixit, Ibo in vineam, & non iuit. Gentes enim quæ dominum penitùs contempserunt, posteà per vnius obedientiam iusti- Matth.21. ficatæ, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. HIERONYMVS IN ECCLE-
SIASTEN. Cap.5. Omnia quæcunque deus præcepit faciemus. Simplex intelligentia interpretatione non indiget. Melius est non promittere, quàm promissa non facere, quia displiceant deo, & inter insipientes computétur, qui promissa non expleant. Quòd si volumus & curiosius aliquid dicere præcipitur Christiano, vt fidem opere compleat, & non sit similis populo Iudæorum, qui spondentes atque dicentes, Omnia quæcunque dominus præcepit faciemus, adorauerunt idola. Et post verberatos seruos & lapidibus oppressos, nouissimè ipsum quoque patrisfamiliâs filium trucidarunt. Melius est ergo ancipitem diu deliberare sententiam, quàm in verbis facilem

bis facilem, in operibus esse difficilem. Seruus enim qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, vapulabit G
*Cap.11.* multis. IDEM IN ZACHARIAM. Qui quidem responderunt Moysi, Omnia quæcunq; dicit dominus faciemus, in fine temporum pro eo quòd eos elegit de medio nationum, & liberauit de Aegypti fornace ferrea, appenderunt mercedem suam triginta argenteos, pro suo sanguine dantes Iudæ proditori. IDEM IN
*Cap.3.* HABACVC. Aliud quidem promiserunt, & aliud fecerunt, dicentes ad Moysen, Omnia quæcunque dixerit
*Cap.19.* dominus faciemus, & nolentes in eum credere, qui à Moyse prædicatus est. GREGORIVS TRIGESIMO PRIMO MORALIVM. Profectò Iudæorum populum locustæ significant, subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cùm præcepta domini se implere promitterent, sed citiùs ad terram cadebant, cũ per praua opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quendam locu-
*Num.14.* starum saltum, Omnia verba quæ locutus est dominus, & faciemus & audiemus. Videamus ergo quomodo citiùs ad terram ruunt, Vtinam mortui essemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine. Vtinam pereamus, H
& non inducat nos dominus in terram istam. Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & casum per actionem. RVPERTVS. Memoriter tenendum est, hunc tertium diem mensis tertij (vt superiùs dictum est) non quinquagesimum, sed quadragesimum nonum meo iudicio esse, à quartadecima mensis primi, id est, ab immolatione agni. Cùm enim iuxta lunarem computationem mensis, alius triginta, alius vndetriginta sit, profectò sedecim dies à quartodecimo, qui residui fuerunt mensis primi, cùm triginta secundi, & istis tribus diebus mensis tertij, quadragintanouem sunt. Num ergo fallimur, dicentes, quia quinquagesimo die data est lex, quia quadragesimonono die locutus est deus cunctos sermones hos, venitque Moyses, & narrauit plebi omnia verba domini, atque iudicia, respondítque cunctus populus vna voce, Omnia verba domini faciemus, quæ locutus est? Non vtique, Nam videbis quid sequetur. CAIETANVS. Et venit Moyses, & narrauit populo, & cætera. Auditis diuinis legibus descendit Moyses à monte, & narrauit populo omnia tam verba moralia quàm iudicia pœnalia, non propria, sed domini, ipsius veri dei qui dat esse omnibus. Populus autem acceptat vnanimiter omnes leges, affirmando tum quòd illas pro- I
tulit dominus, tum quòd illas opere exequentur. Fidem itaque exhibent, & opera promittunt. AVCTOR CATENAE. Venit ergo Moyses, & cætera. Et hoc (dicunt prædicti) ad morem describentium dicitur, quo vsus est Moyses, non solùm tunc, sed frequenter. Nam non statim descendit de monte, sed tunc tandem, cùm & decem præcepta, & iudicia, & cæremonias, de quibus posteriùs, à domino accepisset, sermonémque omnem cum domino consummasset. Hucusque autem moralia ad institutionem interni hominis recensuerat. Deinde iudicialia pro puniendis transgressoribus, quorum vsus est ad vitam tranquillam. Cæremonias autem recensebit in sequentibus quæ & vt vmbræ essent futurorum, & vt populum in vnius dei cultu retinerent, ne ad cærimonias idololatrarum defluerent, propositæ sunt. Nos verò planiorem viam sequentes, dicimus hoc in loco seriem narrationis etiam ordinem facti concomitari, & tunc verè Moysen de monte descendisse & populo verba dei narrasse, cùm hoc fecisse ipsemet describit. Omnia (inquiunt) verba domini quæ lo- K
cutus est, faciemus. Hoc est, quas leges nunc proposuisti nobis de mandato domini, agnoscimus, & consentimus vt respublica nostra secundum eas constituatur & administretur. *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones domi-*
*Quæst. 86.* *ni, & mane consurgens ædificauit altare ad radicem montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel.* AVGVSTINVS.
Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum, significasse ipsum populum esse altare dei, sicut est templum dei. INTERLINEARIS. Non scripsit Moyses decem præcepta quę in tabulis ei scripta tradita sunt, sed alia videlicet superiores sermones. Altare autem vnum ex duodecim lapidibus extructum est, aut fortè duodecim altaria. RVPERTVS. Hoc mane quo surrexit Moyses, quinquagesimus est dies vt arbitror ego, quo demum data est lex. Dices, quomodo? Audies. CAIETANVS. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones domini. Per vniuersos sermones intelligo, tam per eũ, quàm ore proprio à deo promulgatos, legimus enim scriptas à Moyse etiam leges decem præceptorum. Et confirmatur hic sensus, ex eo quòd ille liber quem tunc scripsit Moyses, appellatur in hoc capitulo liber pacti: perspicuum siquidem est, quòd fœ- L
dus inter deum & populum præcipuè consistit in decem præceptis, vnde & inferiùs tabellæ decem præceptorum, appellantur tabellæ pacti. Et oportuit Moysen scribere in libro pacti in capite libri decem præcepta, tum vt integrum pactum simul celebraretur aspersione sanguinis, tum quia adhuc ei reuelatum non fuerat quòd deus vellet decem præcepta scribere in tabellis lapideis, quod postea factum est ad perpetuam memoriam, quòd in illis substantia pacti consistit, & reliqua sunt concomitantia, & adiecta ad conseruandum illa. Et mane consurgens. Non dicitur, & postridie surrexit mane, sed duntaxat quòd ædificaturus altare, & sacrificaturus surrexit mane. Quod ideo dixerim, quia non est scriptum quantum temporis intercesserit à promulgatione legum vsque ad istud mane, certum est quòd medium tempus fuit, quo scripsit Moyses vniuersas supradictas leges, comprehendendo (vt par est credere) etiam leges superiùs scriptas capite duodecimo, & tertiodecimo. Aedificauit altare domino. Superfluit, domino. Hoc est, secundum altare ædificatum à Moyse. Primum enim ædificauerat in Rephidim fugatis Hamalecitis. Ad radices montis. Iuxta Hebræum habetur, sub monte, vt cla- M
re intelligamus in planicie ædificatum altare immediatè sub monte, supra cuius verticem apparebat deus. Et duodecim titulos per duodecim tribus Israël. Iuxta Hebræum significantur duodecim lapides erecti iuxta numerum duodecim tribuum Israël. Ita quòd ædificauit vnum altare quadratum, habens quatuor lapides erectos per singula latera, quatuor enim lapides in quatuor angulis, & duo medij æquidistãtes in singulis lateribus, conficiunt duodecim lapides erectos tanquam integrantes altare, materia enim omnis media erat ad implendum interceptum vacuum. AVCTOR CATENAE. Scripsit autem Moyses, & cætera. Iudæi dicunt Moysen scripsisse omnia verba domini à principio Geneseos vsque ad decalogi tabulam, satis pueriliter, si non stultè. Dicendum est potiùs ea scripsisse, quæ vsque in hunc locum post decalogum præceptorum iudicialia legimus, decem enim præcepta quando & quomodo scripta sint, & quis ea scripserit, statim legemus. Rudes & impolitos lapides quos ferrum non tetigerat, in titulos erexit, qui & statuæ à consistendo vocantur.

*Missq;*



A *Misítque iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolauerúntque victimas pacificas domino, vitulos duodecim.* INTERLINEARIS. Fortè Nadab & Abiu, quia nondum electi erant sacerdotes de Leuitica tribu. HIERONY- *Cap.2.*
MVS IN AMOS. Non est locus iste contrarius ei quod dicitur à deo per Prophetam, Nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël? &c. Ex quo discimus, omnes hostias & sacrificia quæ in deserto obtulit Israël, non deo obtulisse, sed Moloch regi suo cuius portauerunt tabernacula, & imaginem idolorum suorum statuarúmque venerati sunt. Et quæ sit ipsa imago vel idolum, sequenti sermone demonstrat. Sidus dei vestri, quod Hebraicè dicitur כּוֹכָב id est, Luciferi, quẽ Saraceni hucusque venerãtur. Quam ob causam migrare eos fecit dominus trans Damascum, id est, in Assyrios atque Chaldæos. Cuius omnipotentia ex eo quòd deus exercituum est demonstratur. Quærimus quomodo hostias & sacrificium non deo obtulerint in deserto, sed regi suo, quem Luciferum nuncupant? Ex eo tempore quo aurum in caput vituli *Exod.32.*
B transformarunt, dicentes, Isti sunt dij tui Israël qui te eduxerunt de terra Aegypti, omnia quæ fecerunt, non deo, sed Idolis fecisse monstrantur. Et quòd postea quædam domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed *Matth.11.*
pœnarum fecerunt metu, & eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Dominus autem non ea quæ *Num.11.*
offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium. Denique vbicunque occasio fuit, semper corde reuersi sunt in Aegyptum, desiderantes allia & cepe, & cucumeres, & carnes Aegyptias, & Manna quod de cœlo datum est contemnentes. Quod vt sic intelligamus, Stephanus primus martyr Euangelij, dignus nomine suo, in Apostolorum narrat historia, Et vitulum fecerunt in illis diebus, & obtulerunt hostiam simulachro, & læ- *Act.7.*
tabantur in operibus manuum suarum. Conuertit autem deus, & tradidit eos seruire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum, Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israël? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus dei vestri Rhemphan, figuras quas fecistis adorare eas, & transferam vos trans Babylonem. Nec putandus est primus martyr errasse, qui pro eo quod in
C Propheta scriptum est, trans Damascum, dixerit trans Babylonem. Magis enim intelligentiam quàm verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, siue trans Babylonem. CAIETANVS. Misítque iuuenes, &c. Primogenitos filiorum Israël qui ante institutum sacerdotium Aaron, ante appropriatum sacerdotium tribui Leuiticæ sacerdotes habebantur, intellige, nam de ipsis subditur, quòd sacrificauerunt. Duo autem sacrificiorum genera obtulerunt, holocausta videlicet (quæ secundum omnes partes incendebantur) & pacificas victimas, quorum pars tantùm cremabatur deo, reliquis verò partibus vescebantur offerentes. Vitulos duodecim. Supererat duodecim, nec scribitur vitulos, sed tauros, vel (vt aliis placet) iuuencos. Et hoc ad solennitatem sacrificij spectat. Quot autem fuerint, nescitur. Si quæritur, quomodo verificatur hoc cum verbis Amos capite quinto in persona dei, Nunquid hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis? Solutio est, quòd in deserto fuerunt rara sacrificia, quæ non aduersantur sententiæ dei apud Amos loquentis de iugi sacrificio, & solitis in terra promissionis hostiis, neutrum enim horum in deserto seruatum est an-
D nis quadraginta. AVCTOR CATENAE. Misítque iuuenes de filiis Israël. Sic legunt & Septuaginta. At Chaldaica habet hîc, Misit primogenitos filiorum Israël. Et congruit quidem rationi, nam communiter dicitur, quòd primogeniti in populo ante Leuiticæ tribus electionem sacerdotio fungebantur. Et obtulerunt holocausta. Quia verbum עָלָה Hala, & adducere, & offerre significat, hinc est quòd verbum וַיַּעֲלוּ Vaiahalu hîc positum, aliqui, Et obtulerunt: aliqui, Et adduxerunt, vertêre. Sed idem vtrobique est sensus. Septuaginta & Chaldaica sunt cum Latino Interprete. Quòd autem in nostra editione legitur, Vitulos duodecim, redundat duodecim. Tantùm enim Hebraicè est פָּרִים Parim, id est, tauros, siue vitulos, aut boues, quod neque à Septuaginta Interpretibus est positum, qui veritati Hebraicæ consentientes, sic interpretati sunt, καὶ ἔθυσαν θυσίαν σωτηρίου τῷ θεῷ μοσχάρια, id est, Et sacrificauerunt sacrificium salutis, vel victimam salutaris (vel secundum Chaldaicam editionem, victimas sanctificatas) domino deo vitulos, seu boues. Nam & plures quàm duodecim esse potuerunt, vt sacrificium Salomonis atque aliorum, quibus innumerabiles penè hostiæ adhi-
E bebantur. Clarúmque est, non Interpretis, sed aliorum errorem esse. Cur enim peccaret ille in re manifesta? Adolescentes igitur ex tribubus variis primogeniti ad hoc apti eligũtur ad sacrificia, quòd functio sacerdotalis adhuc ex Leuitica tribu ordinata non esset. Et qui ob simplicitatem & vitæ innocentiam ad hanc rem essent maximè idonei. Pacifica sacrificia dicebantur, quæ dum omnia essent tranquilla, aut post adeptam victoriam, aut accepta alia beneficia, pro gratiarum actione & gratulatione offerebantur.

*Mysticè.*

AVCTOR CATENAE. Sed dicamus etiam spiritaliter. Moysi quoque dixit, Ascende ad dominum tu & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul. Notandus diligenter est modus loquendi scripturæ, sic enim scribitur: Et ad Moysen dixit, is scilicet, qui illi præscripserat præscriptas leges, nimirum dominus, vel eius Angelus. Is nunc subinde loquitur ad Moysen, & dicit, Ascende ad dominum. Ex quo patet, nonnullum discrimen eius qui loquitur Moysi, qui tamen vbique ferè dominus dicitur, vel eius Angelus, ab illo ad quem ascendere iubetur, nimirum domino, vt verbum dei quod loquitur
F Moysi, Christus nondum humanatus, qui & deus frequenter dicitur, iubeat Moysen ascendere ad dominum creatorem cœli & terræ, qui per verbum suum creauit omnia, pater per filium, deus per deum, vnus tamen essentialiter deus. Alioqui multos deos Moyses docere videretur, quorum vnus illi loqueretur, & se deum testatus, iuberet Moysen vt iret ad deum, ascendendo ad montem, cùm dicere potuerit, Ascende ad me ad montem. Vel respondeant Iudæi negatores patris & filij, dei omnipotentis & verbi sui, quid hoc modo loquendi Moyses voluerit, & quamobrem tantùm erroris scandalum posuerit studiosis, & piis vnius veri dei cultoribus? Ascende ad dominum tu & Aaron. INTERLINEARIS. Ideo autem solus Moyses ad deum ascẽdere iubetur, quia sola Ecclesiæ vnitas deum videre meretur. HIERONYMVS IN ESAIAM. *Cap.22.*
Ipse etiam solus appropinquat ad deum, cæteri autem non appropinquant, quia deus sanctis suis deus appropinquans est, & nõ de lõgè, dicit dominus. RABANVS. Quid est quòd dominus primũ præcepit, vt Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta senes ex Israël ascẽdant ad dominũ, & statim subiungit, quòd solus Moy-

ſes aſcendat ad dominum,cæteri autem non appropinquent,ſed adorẽt procul,niſi quòd moraliter nos inſtruit, G
vt vnuſquiſque perpendat diſcretè vires ſuas & vigorem animi,vt vltra quàm ſe præualere conſpicit, ad virtutum arcem,vel ad culmen contemplationis erigere non præſumat. Sed quantùm diuina clementia eum prouocat, vel ſcriptura ſancta edocet, tantùm progrediatur? Quod etiam quidam ait, In præcipitium pedem ponit, qui menſurarum ſuarum limitem diſcrete non attendit. HIERONYMVS IN ZACHARIAM. Sed
*Cap.8.* & ſeptuaginta ſenes qui cum Moyſe aſcendunt in montem,illi ſunt, de quibus ſcriptum eſt,Senectus honorabilis, non multi temporis, nec numero annorum æſtimabilis. Cani autem ſunt hominum prudentia, & ſenectus
*Sap.4.* vita immaculata,de quibus & dominus loquitur ad Moyſen, Conſtitue tecum ſeptuaginta ſenes quos ipſe noſti quoniam ſenes ſunt.Quamobrem & ante Abraham nullus appellatus eſt ſenex,de quo ſcriptum legimus,Deficiens Abraham mortuus eſt,nutritus in ſenectute bona,ſenex & plenus dierum. Gloria enim ſenum cani ſunt,
*Gen.25.* de quibus dicitur, Cani hominis ſapientia eius. RABANVS. Populus autem non aſcendat cum eo. Po- H
*Sap.4.* pulum infirmos auditores appellat, ſeu qui adhuc terrenis cupiditatibus implicantur. Quibus interdicit aſcendere cum Moyſe, quia ad arcem ſcientiæ diuinæ legis pertingere non poterunt, quos amor terrenus in inferioribus tenet. Ad radices autem montis Moyſes altare ædificat, & duodecim titulos per duodecim tribus ponit Iſraël, cùm lex diuina ante aſcenſum virtutum, aram fidei in cordibus noſtris iubet nos ſtatuere, & ſecundum doctrinam duodecim Apoſtolorum, ritum religionis formare. Miſitq; iuuenes de filiis Iſraël,& obtulerunt holocauſta,immolauerúntque hoſtias pacificas domino.Holocauſtum domino offert,qui ſeipſum deo dedicat.Et bene iuuenes de filiis Iſraël dicuntur offerre holocauſta, quia non niſi fortium eſt, vitæ perfectionem appetere. Cæterùm qui adhuc infans eſt,hoc eſt,rudis in fide,vel quem ſenectus debilitat,id eſt,quem conſuetudo carnalis premit,non eſt habilis ad holocauſta domino offerenda,ſed mandata legis inferiora ſeruet, per quæ ſaluetur. Vnde ipſa veritas in Euangelio ſciſcitanti de ſalute ſua,primùm reſpondit,Si vis ad vitam ingredi,ſerua man-
*Matth.19.* data.Et paulò pòſt de perfectione taliter docet, Si vis perfectus eſſe,vade, & vende omnia quæ habes,& da pau- I
peribus,& habebis theſaurum in cœlo,& veni ſequere me.Victimas ergo pacificas domino offert vitulos,qui cõpreſsis incentiuis vitiorum, iucunditatẽ bonorum operũ pacifica mente exhibet deo. INTERLINEARIS. Vel vituli immolati duodecim Apoſtolos ſignificant, qui orbem mugitibus impleuerunt, vel vnum Chriſtum, qui fide trinitatis quatuor mundi partes impleuit. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Sed notandum quòd ſecundum aliam literam legitur,Et immolauerunt hoſtiã ſalutis deo. Nec
*Quæſt.86.* dixit hoſtiam ſalutarem,ſed hoſtiam ſalutaris,quòd Græcus habet σωτηρίου, vel σωτηρίας.Vnde & in Pſalmo,Ca-
*Pſal.115.* licem,inquit,ſalutaris accipiam,non dixit, Calicem ſalutarem.Vbi videndũ eſt, ne fortè ille ſignificetur de quo
*Luc.2.* dixit Simeon,Quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.Hunc enim & Pſalmus commẽdat,vbi legitur, Bene
*Pſal.95.* nunciate diem ex die ſalutare eius. Quid eſt enim aliud ſi diligentiùs attendamus, quod ait diem ex die, niſi lumen ex lumine,hoc eſt,deum ex deo,quod eſt vnigenitus filius?

K

2 *VLit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis,& miſit in crateras,partẽ autem reſiduam fudit ſuper altare. Aſſuménſque uolumen fœderis,legit audiente populo.Qui dixerunt,omnia quæ locutus eſt dominus,faciemus,& erimus obedientes. Ille uerò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum,* Et ait, *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit dominus uobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his. Aſcenderúntque Moyſes & Aaron & Nadab & Abiu,& ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël,& uiderunt deum Iſraël.Sub pedibus eius,quaſi opus lapidis ſapphyrini,& quaſi cœlum cùm ſerenum eſt.Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël,miſit manum ſuam.Viderúntque deum,& comederunt,ac biberunt.*

2 AVCTOR CATENAE. Quò leges per dominum datæ,& per Moyſen modò populo recitatæ, haberent L
deinceps publicam auctoritatem, confirmauit eas Moyſes quibuſdam publicis ritibus & cæremoniis. Primùm enim ſcripſit eas omnes Moyſes in volumen. Deinde indixit publicum feſtum, & mane conſurgens, ædificauit altare ad radices mõtis,& duodecim titulos iuxta duodecim tribus Iſraël,poſteà iuſsit iuuenes, hoc eſt, primogenitos de filiis Iſraël,offerre holocauſta & pacifica.De quibus omnibus in ſuperioribus dictum fuit.Et quia alię quoque in hoc facto interuenerunt cæremoniæ,eas nunc ſancta lectio proſequitur,ac primùm quomodo tulerit Moyſes dimidiam partem ſanguinis de ſacrificio,& infuderit in crateres,reſiduam autem ſparſerit in altari.Poſtea legerit ex volumine leges quas conſcripſerat,toto audiente populo.Vnde ait, *Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis,& miſit in crateras,partẽ autem reſiduam fudit ſuper altare.Aſſuménſque volumen fœderis legit audiente populo.* AVGV-
*Quæſt.89.* STINVS. Notandum eſt,nunc primùm ſacrificaſſe Moyſen euidenter ſcripturam dicere,ex quo ex Aegypto eductus eſt populus.Primò enim de Iethro dictum erat ſocero eius,quamuis cum aliqua ambiguitate,quòd immolauerit deo.Et aduertendum,librum teſtamenti cum ſanguine hoſtiæ recitari, in quo libro iſtas iuſtificatio- M
nes conſcriptas debeamus accipere.Nam decalogum legis in tabulis lapideis fuiſſe conſcriptum,poſtea manifeſtum eſt. INTERLINEARIS. Dicitur autem volumẽ fœderis,eo quia ius legis qua fœderabatur deo populus,in eo ſcriptum continebatur. CAIETANVS. Tulit itaque Moyſes,&c. Nulla fiat vis in nomine vaſis,in Hebræo tamen aiunt ſignificari malluuia. Et rationabile eſt vt vaſa fuerint argentea in tam ſolenni actu. Partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Iuxta Hebræum habetur, Et dimidium ſanguinis aſperſit ſuper altare. Clarè deſcribitur diuiſio ſanguinis in duas partes æquales, dimidium aſpergendum ſuper altare, & dimidium aſpergendum ſuper populum.Aſſumènſque volumen fœderis.Ecce quod prius annotauimus, appellari librum hunc fœderis eo quòd eſt velut chirographum fœderis inter deum & populũ Iſraël,continet enim & promiſſa dei populo,& promiſſa populi deo. Et ſignificantiſsimè dicitur fœderis ſeu pacti,ad explicandũ,quòd per modũ contractus voluit deus promiſsiones ſuas intelligi,& ſimiliter quòd populus per modũ cõtractus obligaretur



A retur ad ſeruandũ præcepta dei,ad quæ tamen tenebatur ex eo quòd ſubditus erat. Et admirãda, immò ſtupẽda eſt dei benigniſsima ſuauitas, in hoc quòd cũ homo princeps ſolutus ſit à legibus, & nõ teneatur niſi ex cõtractu ipſe omnium princeps voluit promiſsiones ſuas ſubiacere cõtractui,vt vel ſic certiores redderet homines,quòd implerẽtur promiſſa,& ipſi arctiùs ſe obligatos agnoſcerent ad exequendũ quod promiſerunt.Et legit audiente populo.Iterũ promulgat leges legendo librũ,quæ priùs promulgatæ erãt antequã ſcriberetur liber. AVCTOR CATENAE. Aſſuménſq; volumen fœderis, cõtinens ſcilicet promiſſa dei populo,& promiſſa populi deo, in quo etiã Moyſes ſcripſerat omnes ſuprà dictas leges.Hebræi autem dicunt hoc eſſe volumen Geneſis,in quo cõtinebãtur pacta inita à deo cũ patribus eorũ,Abrahã,Iſaac & Iacob,& cætera geſta vſq; ad dationẽ legis.Legit(inquit)audiẽte populo.Egregiè vertit Hebraiſmũ qui eſt וַיִּקְרָא בְּאָזְנֵי הָעָם Vaikra beazne haham,Et legit in auribus, ſiue in aures populi.Sic & Septuaginta.Chaldaica,Et legit coram populo. Cùm ab antiquo mos fuerit inter ho-
B mines vt legis & fœderũ tranſgreſſores capite plecterẽtur, nec abſq; ſanguine fieret expiatio, Vtitur & hoc more hîc deus,aſpergi faciẽdo populũ ſanguine ſacrificiorũ in fœdere promiſſo oblatorũ,ac ſi diceret, Si pactum meũ illud nõ ſeruaueritis,ſine ſanguine expiari nullo modo poteritis.Quia autem inter deum & populũ fœdus inibatur, & ſanguis fuſus receptionis legis à populo, fœderiſque huiuſmodi inter ipſum & deum ſignũ erat, ideo dimidiũ ſanguinis quo populus erat aſpergendus,in crateras qui cyphi ſunt magni, vtrinque anſas habẽtes,& Hebraicè aganoth dicuntur,recepit,quia autem deus,pars altera cũ qua fœdus cõtrahebatur,ſpiritus eſt,& ſanguine aſpergi non poteſt,loco eius Moyſes altare in dei honorem ædificatũ, altera ſanguinis dimidia aſperſit. *Qui dixerũt,omnia quæ locutus eſt dominus faciemus,& erimus obedientes.* AVGVSTINVS. Alia litera,Faciemus & audiemus. *Quæſt. 99.*
Non aliter reſpondent ecce iam tertiò. RVPERTVS. Quæ profeſionis tertia repetitio, plena, inſolubilis quoque iam cõfirmatio eſt.Nam & primo die mẽſis dixerũt,Cuncta quæ locutus eſt dominus faciemus,& hîc dicunt, Omnia quæ locutus eſt do die dixerunt,Omnia verba domini quæ locutus eſt dominus faciemus,& hîc dicunt, Omnia quæ locutus eſt do
C minus faciemus,& erimus obedientes. CAIETANVS. Et iterum ergo acceptant fœdus, & exhibẽt fidem, profitendo eſſe ſermones dei. Faciemus & erimus obedientes. Iuxta Hebræum habetur,Faciemus & audiemus. Præpoſterus ordo apparet,ſed frequens Hebraico idiomati.Poteſt tamen & prout ſonat intelligi, faciemus modò in via,ſeruanda in via,& audiemus in terra promiſſa,exequenda ibi,iterũ enim promittitur quod priùs promiſerant. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ponitur hîc verbum שָׁמַע Samaa, quod & audire & obedire ſignificat.Rectè enim trãſtulit Interpres,faciemus & obedientes erim⁹. Sic enim habet & Chaldaica,Faciemus & obediemus. *Ille verò ſumptũ ſanguinẽ reſperſit in populũ, & ait,Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit dominus vobiſcũ ſuper cunctis ſermonibus his.* THOMAS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Huius hiſtoriæ meminit Apoſtolus in *Cap.9.*
epiſtola ſua dum ait ad Hebræos,Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſangui- *Lect.4.*
nem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit,dicens,Hic ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos deus.Hæc ille. Aſperſio autem libri legis & popu-
D li,fuit quaſi in cõfirmatione teſtamẽti.Dicit enim,lecto,& cætera,quia neceſſariũ fuit vt legeretur. Illa enim lectio,fuit legis promulgatio. Oportebat enim legẽ promulgari.Sed eſt duplex obiectio literalis.Vna,quia in Exodo nulla fit mentio de hirco,ſed de duodecim vitulis.Secunda, quia ibi etiã non fit mentio de aqua & cocco & hyſſopo.Reſpõſio ad iſta duo eſt duplex.Vna ſcilicet,quia Apoſtolus nutritus erat in lege,vnde ſciebat quòd ille vſus erat in emundationibus ſecundum legem quòd aſperſio fiebat de ſanguine hircorum & vitulorum & aquæ admixta cum hyſſopo & lana coccinea tanquam aſperſorio, & ideo licet non agatur de his in Exodo, tamen Apoſtolus hoc accepit ex conſuetudine ritus legalis. Vel poteſt dici, quòd iſta fuit prima conſecratio. Et ideo quaſi virtute continebantur in ipſa aliæ ſanctificationes futuræ, inter quas potiſsimè fuit illa quæ fiebat in die expiationis,de qua Leuitici decimoſexto,& alia de vitula rufa Numeri decimonono. In prima autem erat ſanguis vituli & hirci:In ſecunda verò aqua & lana coccinea & hyſſopus.Quia ergo illa prima cõtinebat iſtas duas, ideo Apoſtolus totum retulit ad iſtam. Dicit ergo,Accipiens ſanguinem,& cætera, aſperſit, dicens, Hic eſt ſan-
E guis teſtamenti,quod mandauit ad vos deus,ſcilicet confirmator teſtamenti, Eccleſiaſtici vigeſimoquarto, Legem mãdauit nobis Moyſes in præceptis iuſtitiarum CAIETANVS. Aſpergendo populum dimidio ſanguinis ſeruato in malluuiis, dicit, Ecce ſanguis pacti inter ſummum deum & vos, ſuper contenta in hoc libro, quæ pluries audiſtis. Humano ſiquidem more firmitas pacto adhibetur.Cùm enim arctiſsimum aliquod fœdus inter ſeſe confirmare volunt homines, communione ſanguinis(vel humani, vel hoſtiæ ſacræ)mixti vino id faciũt,vt ex cõmunione in vno eodẽmque ſanguine,vnus atque idem omnium eorum animus cõprobetur,firmus, atque ſtabilis habeatur. Iuxta hunc morem(qui frequẽtior fortè apud antiquos erat)aſſumptus eſt ſanguis victimæ diuinæ quaſi ſanguis dei, qui eſt princeps in hoc pacto,& æquis portionibus diuiſus in duas partes, & altera aſperſum eſt altare vice dei,& altera aſperſus eſt populus,vt ex cõmunione vnius atq; eiuſdẽ ſanguinis diuini,firmaretur ſolenniter pactũ inter deum & populũ,& propterea Moyſes dicit,Ecce ſanguis pacti dei vobiſcũ.Et niſi ſolennitas iſta in firmandis pactis nota tunc fuiſſet cõmuniter populo,non demõſtratiuè dixiſſet populo,hic eſt
F ſanguis pacti vobiſcũ. *Aſcẽderúntq; Moyſes & Aaron,Nadab & Abiu,& ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael,& viderũt deũ Iſrael.* AVGVSTINVS. Cõſtat inter eos qui rectè intelligũt,nullo deũ contineri loco,nec aliquo velut ſitu corporis *Quæſt.101.*
mẽbra ponere,ſicuti eſt noſtri corporis ſitus,ſedere,iacere,ſtare,& ſi quid huiuſmodi eſt.Hæc enim ſunt niſi corporũ,deus autẽ ſpiritus eſt.Quòd autẽ ſe oſtendit ſpecie corporali,vel ſignis corporaliter expreſsis, non ſubſtãtia eius apparet,qua eſt ipſe quod eſt,ſed aſſumptio formarũ vilibiliũ eius omnipotentiæ ſubiacet. IDEM FORTVNATIANO EPISCOPO, DE VIDENDO DEO. Magni quidã viri,& in ſcripturis ſanctis doctiſsimi,qui plurimũ Eccleſiã & bona ſtudia fideliũ ſuis literis adiuuerũt,vbi eis occaſio data eſt,dixerũt inuiſibilem deum inuiſibiliter videri, hoc eſt, per eam naturã quæ in nobis quoque inuiſibilis eſt, munda ſcilicet mente vel corde.Beatus Ambroſius de Chriſto cũ ageret,ſecundum id quod verbũ eſt,Non enim corporalibus(inquit)ſed ſpiritualibus oculis Ieſus videtur.Et paulò pòſt, Nõ eum viderũt,inquit,Iudæi,obcœcatũ enim erat inſipiens cor eorũ.Hinc oſtẽdens vnde videatur.Itẽ cũ de ſancto ſpiritu loqueretur,interpoſuit verba domini, dicẽtis,Roga- *Ioan.14.*

bo patrem,& alium paracletum dabit vobis,qui vobiscum sit in æternum,spiritum veritatis,quem hic mundus G
nō potest accipere,quia non vidit eū,nec cognouit eum.Meritò ergo se,inquit,in corpore demōstrauit,quoniam
in diuinitatis substantia nō videtur.Vidimus spiritū, sed in specie corporali,videamus & patrē: sed quia videre
nō possumus,audiamus.Et paulò pōst,Audiamus ergo,inquit,patrē,inuisibilis enim pater, sed & filius inuisibilis
*Ioan.1.* secundū diuinitatē,Deū enim nemo vidit vnquā.Cū ergo filius deus,in eo vtiq; quòd deus est, filius nō videtur.
Sanctus autē Hieronymus ait,Videre deum sicuti est in natura sua, oculus hominis nō potest, Nō solùm homo,
nec angeli,nec throni,nec potestates,nec dominationes,nec omne nomen quod nominatur. Neq; enim creatu-
ra potest aspicere creatorē suum.His verbis vir doctissimus satis ostēdit,quid etiā de futuro seculo senserit,quod
ad hanc rem attinet . Quantūlibet enim oculi corporis nostri mutētur in melius, angelorum oculis æquabūtur.
Hīc autē & ipsis,& vniuersæ omnino cœlesti creaturæ inuisibilem naturam dixit esse creatoris. Aut si & hinc sit
quæstio,& infertur vlla dubitatio,vtrum nō simus futuri angelis potiores, ipsius domini est hinc aperta sentētia, H
*Luc.20.* vbi ait de resurrecturis in regnum, Erunt æquales angelis dei. Vnde idē ipse sanctus Hieronymus alibi sic dicit,
Homo igitur,dei facie videre non potest, Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciē dei,
Et nunc in speculo videmus,& in ænigmate,tunc autē facie ad faciem,quādo de hominibus in angelos profece-
rimus,& potuerimus cū Apostolo dicere,Nos autem omnes reuelata facie gloriā domini speculantes,in eandem
imaginē transformamur à gloria in gloriam,tanquā à domini spiritu(licet faciem dei iuxta naturę suæ proprie-
tatem nulla videat creatura,& tunc mente cernatur,quādo inuisibilis creditur.In his verbis hominis dei multa
considerāda sunt.Primùm,quia secundū apertissimam domini sententiam, etiā ipse sentit tunc nos visuros fa
ciem dei,cùm in Angelos profecerimus,id est,æquales Angelis facti fuerimus,quod erit vtique in resurrectione
mortuorum.Deinde Apostolico testimonio satis apparuit,nō exterioris,sed interioris hominis faciē intelligen-
dam cùm videbimus facie ad faciem.De facie quippe cordis loquebatur Apostolus,cū diceret quod hinc cōme-
*2.Cor.2.* morauit,Nos autem reuelata facie gloriā domini speculātes,in eandem imaginē transformamur.Quōd si quis I
quam dubitat, recenseat eundem locum, & attēdat vnde Apostolus loquebatur, de velamine scilicet quod ma-
net in lectione veteris testamenti, donec quisque transeat ad Christum, vt auferatur velamen. Ibi quippe dicit,
Nos autē reuelata facie gloriam domini speculantes,quæ facies in Iudæis non erat reuelata,de quibus dicit,Ve-
lamen super cor eorum positum est, vt ostendat cordis faciem nobis esse reuelatā velamine ablato. Postremò ne
quisquā ista minus intuēs,minúsque discernēs, visibilem deum vel angelis vel hominibus, cùm æquales angelis
facti fuerimus,siue tunc esse,siue futurū esse crederet,euidentissimè quid sentiret expressit,dicēs, quòd facie dei
iuxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura,& tunc mente cernatur, quando inuisibilis creditur.Vnde
sufficiēter significauit,quādo visus est ab hominibus per oculos corporis, tanquā ipse corporeus, non eū secundū
naturæ suæ proprietatē fuisse visum,in qua tunc mēte cernitur,quādo inuisibilis creditur.Quibus inuisibilis:nisi
aspectibus corporalibus etiā cœlestibus,sicut supra de angelis & potestatibus & dominationibus dixit,quātò ma
gis terrestribus?Vnde alio loco euidētiùs dicit, nō solū patris diuinitatē, sed nec filij quidē & spiritus sancti,quæ K
*Matth.5.* vna in Trinitate natura est,posse oculos carnis aspicere,sed oculos mētis,De quibus ipse saluator ait, Beati mū-
do corde,quoniam ipsi deum videbunt.Quid hac manifestatione lucidius? Si enim tantummodo dixisset, nec
patris,nec filij, nec spiritus sancti diuinitatem posse oculos carnis aspicere, nec deinceps addidisset, sed oculos
mentis,fortè diceretur carnem iam non esse appellandā,cùm corpus fuerit spiritale.Addendo ergo, & dicendo,
Sed oculos mentis,ab omni genere corporis alienauit huiusmodi visionem.Ne quis putaret eum tantū de præ-
senti tempore locutum,subiecit etiam domini testimonium, volens ostendere quos dixerat oculos mentis, quo
testimonio non præsentis,sed futuræ visionis promissio declaratur,Beati mūdo corde, quoniā ipsi deū videbūt.
Beatissimus quoque Athanasius Alexandrinus Episcopus,cùm ageret aduersus Arrianos, qui tantummodo deū
patrem inuisibilem dicunt, filium verò & spiritum sanctum visibiles putāt æqualē Trinitatis inuisibilitatē scri-
pturarum sanctarum testimoniis,& diligentia suæ disputationis asseruit, instantissimè suadens, deum non esse
visum nisi assumptione creaturæ,secundum deitatis autē suæ proprietatem,omnino deū esse inuisibilem,id est, L
deum patrē & filium & spiritū sanctum, nisi in quantum mente ac spiritu nosci potest.Gregorius etiam sanctus
Episcopus orientalis,apertissimè dicit deum natura inuisibilem, quando patribus visus est, sicut Moysi, cū quo
facie ad faciē loquebatur,alicuius cōspicabilis materiæ dispositione assumpta,salua sua inuisibilitate videri po-
*Luc.1.* tuisse.Hoc est quod etiā noster dicit Ambrosius,& patrem & filiū & spiritum sanctum ea specie videri,quam vo
*Ioan.1.* luntas elegerit,nō natura formauerit,vt & illud verū sit,quòd nemo deum vidit vnquā,quæ vox ipsius domini
*1.Timot.6.* Christi est:& quem nemo hominum vidit nec videre potest, quæ vox Apostoli,imò eius per Apostolum Christi
est:& illa non repudiētur testimonia scripturarū,quibus deus visus esse narratur,quia & inuisibilis est per propriā
deitatis naturam,& cùm vult,videri potest per assumptam sicut placuerit creaturā. Porrò si naturæ ipsius est in-
uisibilitas sicut incorruptibilitas,nō mutabitur vtiq; in futuro seculo illa natura,vt de inuisibili visibilis fiat,quia
neque poterit de incorruptibili incorruptibilis fieri , simul enim & incommutabilis est. Et vtique naturam eius
*1.Timot.1.* cōmendauit Apostolus,cùm duo ista simul poneret,dicens,Regi autem seculorum inuisibili,incorruptibili,soli M
deo honor & gloria in secula seculorū.Vnde non audeo ego ista distinguere,vt dicā,Incorruptibili quidē in se-
cula seculorum,inuisibili autem non in secula seculorum, sed tantū in hoc seculo.Verū quia nec ista testimonia
*Matth.3.* falsa esse possunt,Beati mundo corde,quoniam ipsi deum videbūt, Et scimus quia cùm apparuerit,similes ei erī-
*1.Ioan.5.* mus,quoniam videbimus eum sicuti est,negare non possumus filios dei visuros deum,sed sicut videntur inuisi-
bilia,sicut seipsum ostensurum promittebat qui hominibus apparebat in carne,visibilis quando dicebat, Et ego
diligam eum, & ostendam meipsum illi,cùm ante oculos hominū conspicuus loqueretur.Vnde autē inuisibilia
videntur,nisi oculis cordis?de quibus paulò ante dixi quid Hieronymus senserit ad videndum deum . Hinc est
etiam quòd memoratus Mediolanensis Episcopus , in ipsa resurrectione dixit nō facile esse videre deum nisi iis
qui mūdo corde sunt,& ideo scriptū esse,Beati mundo corde, quoniam ipsi deū videbūt. Quātos beatos,inquit,
iam numerauerat,& tamen eis videndi deum non promiserat facultatē.Deinde adiungit,& dicit,Si ergo ij qui
mundo



A mundo sunt corde,deū videbunt,vtiq; alij deum nō videbunt.Et ne alios illos acciperemus de quibus dictū est,
Beati pauperes,Beati mites,& cætera,cōtinuò subiunxit,Neq; enim indigni deū videbunt.Indignos vtique illos
volens intelligi,qui licet resurgant,deum videre non poterunt,quoniā ad damnationē resurgēt, quia per fidem
verā,quæ per dilectionem operatur,cor mundare noluerunt. Et ideo sequitur, & dicit, Neq; is qui deum videre *Gal.5.*
noluerit,potest deum videre.Deinde quia occurrebat etiā impios omnes velle videre deū, statim vt ostenderet
quare dixerit,qui deum videre noluerit,quia vtique illo modo nō vult deum videre impius, quia cor mundare
non vult,quo ille videri poterit,secutus adiunxit,& ait,Nec in loco deus videtur,sed mundo corde, nec corpo-
ralibus oculis deus quæritur, nec circunscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu,nec sentitur incessu.
Quibus verbis beatus Ambrosius voluit admonere,qui debeant homines præparari qui volunt deū videre, hoc
est,cor mundare per fidem quæ per dilectionē operatur dono spiritus sancti, vnde pignus accepimus, quo illam
B visionem desiderare nouerimus. IDEM PAVLINAE DE VIDENDO DEO. Inuisibilis est igitur na- *Epist.112.*
tura deus, nō tantùm Pater, sed & ipsa Trinitas,vnus deus.Et quia nō tantū inuisibilis,verùm etiam incommu-
tabilis,sic apparet quibus voluerit, in qua voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis incōmu-
tabilisque natura.Desiderium autē veraciter piorum quo videre cupiunt deum,& inhianter ardescunt,non opi-
nor in eam speciē contuendā flagrat,qua vt vult apparet quod ipse nō est,sed in eam substantiā qua ipse est quod
est.Huius enim desiderij sui flammā sanctus Moyses fidelis famulus eius ostendit, vbi ait deo cum quo vt ami- *Exod.33.*
cus facie ad faciē loquebatur,Si inueni gratiā ante te,ostende mihi temetipsum.Quid ergo? ille nō erat ipse? Si
non esset ipse,nō ei diceret,Ostende mihi temetipsum,sed ostende mihi deum, & tamen si eius naturā substan-
tiāmque cōspiceret,multo minus diceret,Ostende mihi temetipsum.Ipse ergo erat in ea specie qua apparere vo-
luerat,non autē ipse apparebat in natura propria, quā Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in
alia vita.Vnde quod responsum est Moysi,verū est,quia nemo potest faciē dei videre & viuere,id est,nemo potest
C eum in hac vita videre viuens sicuti est.Nam multi viderunt,sed quod voluntas elegit,nō quod natura forma-
uit.Et illud quod sanctus Ioannes ait,sic rectè intelligitur,Dilectissimi nunc filij dei sumus, & nōdum apparuit
quod erimus.Scimus quia cùm apparuerit,similes ei erimus, quoniā videbimus eum sicuti est,non sicut eum ho *1.Ioan.3.*
mines viderunt, quando voluit in specie qua voluit, non in natura qua in semetipso etiā cùm videretur latuit,
sed sicut est,quod ab eo petebatur cùm ei diceretur,Ostende mihi temetipsum, ab eo qui cum illo facie ad faciē
loquebatur.Non quia dei plenitudinē quisquam non solùm oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquādo com-
prehendit.Aliud est enim videre,aliud est totum videndo cōprehendere,quandoquidem id videtur quod præ-
sens vtcunque sentitur,totum autem cōprehenditur videndo, quoḍ ita videtur vt nihil eius lateat videntē, aut
cuius fines circūspici possunt,sicut te nihil latet præsentis volūtatis tuæ,circunspicere autē potes fines anuli tui.
HIERONYMVS IN ESAIAM. Quærat aliquis quomodo propheta Esaias dominum vidisse se dicat,& *Cap.7.*
non absolutè dominum,sed dominum sabaoth,vt in consequētibus ipse testatur,cùm Euangelista Ioannes dixe *Ioan.1.*
D rit,Deum nemo vidit vnquam.Et ad Moysen loquatur deus,Non poteris faciem meā videre,neque enim vide- *Exod.33.*
bit homo faciē meam,& viuet.Ad quod respondebimus,non solùm patris diuinitatē,sed ne filij quidē & spiritus
sancti quia vna in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis . De quibus ipse saluator
ait,Beati mundo corde,quoniā ipsi deum videbunt. Legimus quòd Abrahā visus sit dominus in hominis figu-
ra.Et cū Iacob quasi homo luctatus sit, qui deus erat.Vnde & appellatus est locus ille Phanuel,hoc est,facies dei,
Vidi enim,ait, dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea . Et Ezechiel quoque vidit dominum in *Ezech.1.*
forma hominis sedentem super Cherubim,à lumbis eius & deorsum erat quasi ignis,& superiora habebant spe-
ciem electri. Ergo deus natura nō cernitur,sed videtur hominibus vt voluerit. GREGORIVS DECIMO *Cap.36.*
OCTAVO MORALIVM. Sed valde mirum est,quod Iob dicit de diuina sapientia,Absc̄dita est ab ocu-
lis omnium viuentium.Sappientia quippe quæ deus est,si omniū viuentium oculis occulta est, hāc pioculdubiò
sanctorum nemo vidit.Sed ecce huic sentētiæ Ioannem audio concordantē, qui ait, Deum nemo vidit vnquā. *1.Ioan.4.*
E Rursūmq; cùm testamēti veteris patres intueor,multos horū teste ipsa sacræ lectionis historia, deum vidisse co-
gnosco.Vidit quippe Iacob dominum, qui ait,Vidi dominum facie ad faciē, & salua facta est anima mea.Vidit *Gen.32.*
Moyses deum,de quo scriptū est, Loquebatur dominꝰ ad Moysen facie ad faciē,sicut loqui solet homo ad ami- *Exod.33.*
cum suum . Vidit idē Iob dominum,qui dicit, Auditu auris audiui te,nunc autem oculus meus videt te.Vidit
Esaias dominum,qui ait, Anno quo mortuus est Ozias,vidi dominum sedentem super solium excelsum & ele- *Esa.6.*
uatum.Vidit Micheas dominum,qui ait,Vidi dominum sedentem super solium suū,& omnem exercitum cœli *3.Reg.22.*
assistentem ei à dextris & à sinistris.Quid est ergo,quòd tot testamēti veteris patres deum se vidisse testati sunt,
& tamen de hac sapientia quæ deus est dicitur , Absc̄ondita est ab oculis omnium viuentium,Et Ioannes ait,
Deum nemo vidit vnquam,nisi hoc quòd patenter datur intelligi, quia quandiu hīc mortaliter viuitur, videri
per quasdam imagines deus potest,sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest, vt anima gratia spiritus afflata,
per figuras quasdam deum videat , sed ipsam vim eius essentiæ non pertingat . Hinc est enim quòd Iacob qui
F deum se vidisse testatur , hunc non nisi in angelo vidit . Hinc est quòd Moyses qui cum deo facie ad faciem
loquebatur , sicut loqui solet homo cum amico suo , ei inter verba ipsa suæ locutionis dicit, Si inueni gratiam
in conspectu tuo , ostende mihi teipsum manifestē , vt videam te . Certè enim si deus non erat , cum quo lo- *Exod.33.*
quebatur , ostende mihi deum diceret , & non ostende temetipsum . Si autem deus erat cum quo facie ad fa-
ciem loquebatur , cur petebat deum videre , quem videbat ? sed ex hac eius petitione colligitur , quia eum si-
tiebat per incircunscriptæ naturæ suæ claritatem cernere , quem iam cœperat per quasdam imagines videre,
vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset,quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata tempo-
raliter interesset.Et viderunt ergo patres testamenti veteris dominum, & tamen iuxta Ioannis vocē, deum ne-
mo vidit vnquam.Et iuxta beati Iob sententiam,Sapientia quæ deus est,absc̄ondita est ab oculis omniū viuen-
tium, quia in hac mortali carne consistentibus, & videri potuit per quasdam circunscriptas imagines, & videri
non potuit per incircunscriptum lumen æternitatis. CHRYSOSTOMVS IN GENESIM. Et visus est *Hom.32.*

(inquit)deus Abrahæ.Et quomodo alibi dicit, Nullus videbit deum, & viuet? Quid igitur dicemus nunc scri- G
ptura dicente,Et visus est?Quomodo visus est iusto?Num ipsam substantiam vidit?Non,absit.Sed quid?Sic visus est,vt ipse solus scit,& vt illi possibile erat videre.Sapiēs enim & misericors dominus noster,multas scit vias quibus se humanæ attemperat naturæ,& semetipsum his qui se anteà præparauerunt,dignè manifestat.Idq; demonstrat per Prophetam,dicens, Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus fui.Quoniam & Esaias vidit eum sedentem,hoc autem deo indignum. Deus enim non sedet.Aut quomodo cùm sit incorporea,& locis incomprehensa natura? Et Daniel modò quoque vidit eum vt antiquum dierum . Zacharias autem aliter eum contuitus est.Sed & Ezechiel aliter,vnde dicebat, Ego visiones multiplicaui, hoc est, vnicui-
*Vbi suprà. Hom.58.* que apparui pro sua dignitate. IDEM. Et ne admireris dilecte, quòd tanta humiliationis illius magnitudo,sed cogita quòd & Patriarchæ cùm apud quercum sederet, in hominis figura cum Angelis hospes fuerit,præ-
signans nobis iam multo antea & ab initio,quòd humanam naturam susceptorus esset , vt sic omnē humanam H
naturam à diaboli tyrannide liberaret , & ad salutem reduceret.Verùm tunc quidem quoniam initium & principia erant,in figura vnicuique illorum apparebat,sicut ipse per alium Prophetam dicit,Ego visiones multiplicaui,& in manibus Prophetarum assimilatus sum . Quando autem dignatus est dominus humanam formam susc ipere,& primitias nostras recipere,non putatiuam,neque apparentem tantùm carnem,sed veram induit. Et ea propter voluit per omnia nostra transire,& ex muliere nasci,& infans fieri,& panniculis inuolui, & lacte pasci,aliáque omnia ferre,vt dispensationis veritas credibilior esset,& hæreticorū ora dissueret . Propterea & dormit in naui,& iter facit,& fatigatur,& omnia humana sustinet,vt per res ipsas certísque argumentis persuadeat: propter hoc etiam tribunali assistit,& crucifigitur, & mortē sustinet ignominiosissimam, & in sepulchro ponitur,vt sua incarnatio per omnia fiat manifesta . Nam si non verè carnē nostrā assumpsit, neque crucifixus est,neque mortuus,neque sepultus,neque resurrexit . Quòd si non resurrexit, omnis de incarnatione sermo subuersus est. IDEM IN HOMILIA DE SANCTO SPIRITV. Vidit quidem & Abraham olim deum,sed I
extrinsecus apud quercum Mambre.Vidit & Iob,sed extra,per turbinem & nebulas.Vidit Moyses deum,sed extrà,per cauernam & in petra.Vidit Esaias, sed extra, in throno excelso.Vidit Ezechiel, sed extra, in animalibus oculatis.Vidit & Daniel , sed in visione noctis.Vident deum & qui nunc apud nos mundi corde, at non extra, sed intrinsecus,sicut filij & hæredes dei,cohæredes autem Christi.Etenim Prophetiæ spiritus acceperunt omnes qui ante Christum iusti,non adoptionem filiorum,Nondum enim,inquit Lucas, spiritus sanctus erat in hominibus. Non enim audierant à deo, qui ante Christum fuerunt,Regnum cœlorum intra vos est . Non audierunt qui ante Christum,Veniam ego & pater meus,& mansionem apud vos faciemus.Idcirco dicit vobis,qui in eum creditis , Multi Prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ vidistis , & audire quæ auditis, & non audierunt. Tantùm fidelibus in nouissimis deus spiritum suum sanctum demisit & inhabitauit, & conuersatus est in nobis. RVPERTVS. Viderunt deum Israël,sed non sicuti est.Non enim(inquit) videbit me homo,& viuere potest. Et longè post visionem istam, deum(inquit Ioānes baptista)nemo vidit vnquam. HVGO DE SANCTO K
VICTORE. Ascenderúntque Moyses & Aaron,&c. Hîc tertiò ascendit Moyses . Primus enim ascensus eius fuit in die quo venerunt in montem Sina,siue primo,siue tertio mēsis,in quo admoniti sunt de purificatione ad susc ipiendam legem tertia die.Secundus ascensus fuit post audita decem mandata à domino,ad audiēdum iudicia quæ hucusque narrata sunt.Modò ascendit tertiò,ducens secum Aaron,Nadab,& Abiu,& septuaginta seniores de Israël qui essent ei testes.Vnde omnes illi ascenderunt cum eo versus medium montis vsque dum viderent deum,& statim iussi sunt omnes redire præter Iosue,de quo tamen non est omnino certū an cum Moyse per illos quadraginta dies manserit in monte. CAIETANVS. Ascenderúntque Moyses & Aaron,Nadab, & Abiu,& septuaginta de senioribus Israël.Ecce executio mandati à deo Moysi, vt cum Aaron & aliis ascenderet.Et viderunt deum Israël.Et scribitur non Iehoua,sed elohe Israëlis.Textus clarè sonat,quòd viderunt deum Israëlis.Qua autem visione viderint,non dicitur,nec sub qua specie deum viderint,certū est enim quòd non viderunt deum in seipso,quoniam hoc est proprium beatorum. Et ad hoc insinuandum scripsit Moyses quòd viderunt elohe Israëlis,& non scripsit,quòd viderunt Iehoua,hoc est enim nomē diuinæ essentiæ, illud autem est L
nomē officij , vt intelligamus quòd viderūt deū in specie summi iudicis. AVCTOR CATENAE. Ascēderúntque Moyses,&c. Secundum aliquos hoc tunc factum est,quum dominus in montem descendit, vt superiùs capite decimonono descripsit Moyses, & res eo ordine non sunt scriptæ quo gestæ.Nos cum historia trāsire putamus etiam rei gestæ ordinem. Singuli autem ascenderūt, non ad dominum omnes,sed ad sua quique loca, seniores remotiùs,alij propinquiùs,Moyses familiariùs & solus domino colloquebatur. Et viderunt deū Israël, sic etiam legitur Hebraicè.Quod Septuaginta Interpretes nescitur quamobrem non ita verterunt,non eos scilicet vidisse deum,sed locum in quo stetisset, καὶ εἶδον ἐν τόπῳ οὗ εἱστήκει ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραήλ,Et viderūt locum vbi stetit deus Israël.Chaldaica autē ferè idem cum nostra litera habet,id est,Et viderunt gloriam dei Israël.Sancti ergo dicuntur deum vidisse,dum diuinā eius præsentiam sunt experti, innotescēte se eis domino in specie aliqua vel forma,qua & illi placuit,& illos decuit ac profuit,ferréq; fragilitas potuit. *Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini,& quasi cœlū cùm serenū est.* CAIETANVS. Iuxta Hebræū habetur, Et sub pedibus eius sicut opus lateris M
sappir,& sicut proprietatē cœlorū in munditia.Narratur quòd non solū viderunt Elohe Israëlis,sed quòd etiam viderūt pauimentū sub pedibus eius,tanquā stratum lateribus sapphyrinis, & tanquā cœlos cùm apparent nobis mūdi.Non est perspicuū an de cœlis simul cū stellis,an de cœlis solis sit sermo, ex eo tamen quòd nulla sit stellarum mentio,innuitur quòd ad augēdum colorem sapphyri adiunxerit colorē cœli apparentem, cū nulla immūditia nobis offuscatur.Et hinc apparet,quòd visio illa fuerit,vel imaginaria,vel exteriori visu,nā ex parte Elohe visi describuntur pedes,ad insinuandum,quòd sub specie iudicis quasi hominis visus est,& ex parte loci tanquā artis opus , pauimentum latentium non ex luto , sed ex sapphyris visum est . Istæ nanque similitudines corporearum rerum insinuant , quòd vel imaginaria , vel exterior fuerit visio. AVCTOR CATENAE. Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini . Sic & Hebraicè est כְּמַעֲשֵׂה לִבְנַת הַסַּפִּיר Chemahasē libnath hasappir



A sappir,Quasi opus lapideum sapphyrinum.Alij vt Septuaginta vertunt,Lateris,aut mensæ sapphyrinæ,id est,ex sapphyro lato & complanato in modum lateris & mēsæ. Cuiusmodi visio etiam Ezechieli facta est.Chaldaica, Et sub throno gloriæ eius quasi opus lapidis pretiosi. In Hebræo autē apertè posita est dictio sappir, quæ sapphyrum lapidem significat, & à Græcis postmodum accepta est, ס phe cum dagues in vnū p tenue & alterū crassum commutato,scilicet πφ vt σάπφειρος. Quod autē sequitur, Et quasi cœlū, cùm serenū est, Hebraicè legitur: וּכְעֶצֶם הַשָּׁמַיִם לְטָהַר Vchēzem hasamáim latóhar.Est autē hēzem Hebræis,substantia,vel ipsummet.Tóhar autem,purificatio,munditia,siue emundatio.Sic igitur verti potest, Et sicut substātia vel corpus cœli, vel quasi ipsummet cœlum in,siue,præ puritate,vel munditia,siue claritate . Nō enim potest sermone humano exprimi thronus illè
B dei.Alij vertunt,Et sicut aspectus cœli in serenitate.Alij,Et quasi ipsum cœlum clarum.Chaldaica,Et quasi aspectus cœli,cùm serenus est.Septuaginta,καὶ ὥσπερ εἶδος στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ τῇ καθαριότητι,Et sicut species firmamēti cœli puritate.Quæ omnia diligenter perpensa, idem dicunt cum litera nostra. Opus igitur veluti pauimētum quoddam factum ac stratum ex latere vel lapide(quod pro eodē capitur)sapphyrio,id est,pretiosissimo & splendidissimo,significabat secundū Hebræos,lateres fidelium in Aegypto versas in sapphyrum,seruitutem corporis in libertatem spiritus, secundum nos, vel omnipotentissimam ac splendidissimam dei maiestatem, qua præsidet cœlo, cui insidet, & terram totam scabelli instar pedibus subiectam regit & moderatur. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel,misit manum suam.* INTERLINEARIS. Id est,non se abscōdit eis.Ponere enim manum est deo,se ne videatur abscondere,vnde alibi Moysi dicit,Ponam manum meam,donec pertranseam,&c.
C CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et ad primates filiorum Israël, non misit manum suam. Primates appellantur Moyses,Aaron,& filij,& Septuaginta senes.Et mittere manum metaphorico sermone sumitur,& significat percutere seu affligere.Et hinc insinuatur, quòd visio illa fuerit secundum exteriorem visum, nam non existimabatur quòd videns deum imaginaria visione, pateretur mali aliquid, sed putabatur quòd videns deum exteriori sensu, moreretur , vt ex pluribus scripturæ locis apparet, & ad narrandum quòd nullum malum euenit istis videntibus deum exteriori sensu , dicit quòd deus non misit manum suam læsiuam ad primates filiorum Israël,qui viderunt ipsum,quod & melius explicabit in sequentibus. AVCTOR CATENAE. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël,misit manum suā.Hebraicè וְאֶל אֲצִילֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל לֹא שָׁלַח יָדוֹ Veel azile bene Israël lo salach iado.Est autem verbum אָצַל Azal,separare,vnde descendit dictio Azile,quæ separatos vel longinquos significat . Et quoniam principes magnates & viri honorati sunt diuisi & separati à reliquo vulgo, ideo hæc dictio principes,magnates,& præcipuos in republica viros designat.Ita ergo redditur locus,Et ad principes filiorum Israël non misit manum suam,Alij,Selectis autem ex filiis Israël non intulit manum suam,vertūt. Et est sensus verborum,Quanquam cerneretur in visione dominus tūc, non solùm à Moyse, sed etiam à primoribus gentis , ac principibus Israëlis , qui ex toto populo velut meliores erant electi, vt montem conscenderent cum Moyse, non tamen misit deus ipse in sua sic maiestate visus , manum suam in eos. Non illos terruit poten-
D tia sua , non occidit , nec visio illa aliquid læsionis eis attulit , sed se illis videndum sic præbuit, vt etiam gaudium ex visione non paruum caperent . Nam & biberunt & comederunt postea , quod argumentum fuit , illos non fuisse à deo occisos, cùm tamen scriptum sit , Non videbit me homo & viuet . Quod autem sit germanus huius loci sensus , docet Chaldaica , ita habens , Principibus autem filiorum Israël nullum incommodum fuit. Principes igitur istos , videlicet senes filiorum Israël , designauit Latinus Interpres, in illis verbis,super eos qui steterunt procul . Nam de illis supra dixerat dominus, Solúsque Moyses ascendet ad dominum , & illi non appropinquabunt. Sunt & qui dicant innui his verbis,non fuisse cognitam diuinam potentiam principibus Israël qui intelliguntur Nadab & Abiu & Septuaginta senes , quamuis visionem eam viderint . Vnde Auen Esdra, Sunt(inquit)qui dicunt hunc esse verborum sensum,Viderunt quidem eum,sed eis non porrexit ipse deus manum suam , quemadmodum Moysi . Hoc est , non dedit prophetiam sicut dedit Moysi , ideo non viderunt deum tam clarè . Viderunt quidem, sed hac visione non fuerunt ita spiritu dei satiati , vt posteà non comede-
E rint & biberint , opúsque non habuerint corporali refectione . At Moyses quadraginta diebus & noctibus sine cibo perstitit . Nec prætereundum,aliquos ex recentioribus, sicut & Complutensis editio locum hunc ita legere, Necnon super eos qui procul recesserant de filiis Israël,misit,id est,extendit manum suam, hoc est, & se quoque ab illis qui in remotiori parte consistebāt, videndum præbuit, cuius contrarium penitùs significari volunt quidam, legentes , Nec super eos, videlicet quòd à populo dominus deus non fuerit visus . Quid autem hîc senserint Septuaginta Interpretes difficile admodum est intelligere,sic enim legunt ipsi, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐπιλέκτους τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς,Et electorum Israël non dissonuit neque vnus . Prudens lector cogitet. *Viderúntque deum , & comederunt ac biberunt.* CAIETANVS. Significatur quòd non solùm euaserunt læsionem in corpore , sed penitùs omnem pœnalitatem (puta magni timoris, seu quòd semianimes fuerint redditi) dicēdo quòd sic viderūt deum , quòd tanquam omnino incolumes , & comederunt & biberunt . Non quòd in illa parte montis in qua adorauerunt & viderunt deum , comederint & biberint, sed quod ex tali visione non impediti sunt, quin libe-
F rè comederent & biberent . Et nihilominus quia rationi consentaneum est, vt hæc adoratio & visio fuerit mane ante horam prandij , intelligi potest significatus etiam redditus in castra ad comedendum & bibendum. Hanc apparitionem intelligo fuisse illam, cuius Moyses in Deuteronomio trigesimotertio capite meminit, & cuius meminit Dauid in Psalmo sexagesimo octauo . Et verè quadrat , vt deus in specie summi iudicis vniuersorum , cum sanctorum angelorum infinito apparatu visus fuerit , sed Moyses hîc solius speciei iudicis & pauimenti meminit , vt ex istis manifestatis , reliqua intelligeremus quæ postea in Deuteronomio explicauit clarè , dicens , quòd filiis Israël deus apparuit cum sanctorum millibus. AVCTOR CATENAE. Cùm Hebraicè legatur וַיֶּחֱזוּ אֶת הָאֱלֹהִים Váiechezu eth haelohim, id est, Et viderunt deum, Chaza enim verbum, videre , aspicere , & contemplari significat , & Chaldaica habeat , Et viderunt gloriam dei , mirum quid sibi voluerint Septuaginta Interpretes hanc dei visionem subterfugientes , & dicentes, ἠ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ θεοῦ , id est , Et apparuerunt in loco dei . Sic ergo deus se illis videndum præbuit , vt gaudium maximum

ex eius visione perceperint, quas spirituales delitias fortasis per edere & bibere circũloquitur. Sicut & Christus G dominus, Ego vobis dispono (inquit) vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Ad quod alludit & Chaldaica editio, ita habẽs, Et gauisi sunt in sacrificiis suis, quæ accepta fuerunt, quasi comedissent & bibissent. Nisi simpliciùs significetur, tali visione diuina, nihil animo vel corpore mutatos fuisse, quominus edere vel bibere potuerint postea, vt priùs, cùm reliqui hominum ad huiusmodi spectacula toti concidant, vt patet de Prophetis passim, & ipso Moyse, qui quadraginta diebus illis nihil bibit vel comedit. Vel verè post dei visionem in maxima lætitia & iucunditate comederunt & biberunt, iuxta quod alibi dicitur, Comedite pinguia, & bibite mulsum, dies enim domini sanctus est.

*Mystice.* AVCTOR CATENAE. Sed iam dante domino ad altiorem intelligẽtiam conscendamus. Primùm tamen sciendum, quòd in veteri testamento nihil penè absque sanguine emundabatur, vt videret absque effusione sanguinis peccata non posse dilui. Hircorum tamen & taurorum sanguis ad iustificationem tantùm carnis, H & ad externam quandam irregularitatem tollendam adhibebatur, conscientia tamen abluebatur & sanctificabatur per viuam fidem in deum, per Christi mysterium promissum, qui per spiritum sanctum seipsum immaculatum deo obtulit ab initio mundi, & purgat conscientiam electorum ab operibus mortuis, ad seruiendum deo viuenti in iustitia & fide. Hic autem filius dei non potuit sanguinẽ suum fundere, donec fieret homo. Igitur priusquam factus esset homo, & sanguinem suũ funderet pro peccatis, iam inde ab initio orbis terrarum, adumbratio huius sanguinis celebrata est per sanguinem pecorum, vt publicis, iisque sacris cæremoniis significaretur, sanguinem filij dei, qui suo tempore effundendus esset, confirmaturum pacta dei, & purificaturum nos ab omnibus peccatis. Hinc est quòd Abel statim obtulit primogenita gregis sui, hoc est, effudit sanguinem primogenitorum in sacrificium, qua cæremonia concionabatur de passione Christi, quia audiuerat à parente suo, futurum vt sanguis filij dei purificaret nos à peccatis. Sic Patriarchæ obtulerunt sacrificia, significante spiritu, sacrificium Christi futurum, cuius sanguine peccata verè expiarentur. Sic & gentes retinuerunt sacrificia, nõ quòd piè sacrificauerint, quia seruierunt idolis, sed quòd sacrificia à Patriarcha Noe & filiis eius (ab his enim humanum genus I in totum orbem terrarum sparsum est) veluti per manus accepta, cõseruauerint iuxta externam speciem, & amissa fide, imitati sint tantùm opus Patriarcharum. Vnde & alicubi apud gentes Idololatras mos inoleuerat sacrificandi homines, quòd & si fuit crudelissimum, & instinctu Satanæ factum, apparet tamen id factum forsan esse hac occasione, quòd à Patriarchis prædicatum fuerat, hominem venturum, qui sacrificio & sanguine suo placaret iram dei, & expiaret peccata nostra. Itaque gentes, vt Paulus ait, detinuerunt veritatẽ in iniustitia. Postquam ergo Iesus Christus venit in hunc mundum, & expiauit sacrificio suo peccata, mox sacrificia tam Iudæorum quã Gentium ita abrogari cœpta sunt, vt hoc tempore ne reliquiæ quidem eorum sacrificiorum, in vlla publica gente, in toto orbe terrarum supersint. Id quod maximum argumentum est, Christum venisse, & sacrificium suum, in quod omnia alia respexerunt, peregisse. De qua re etiam Prophetæ multa vaticinati sunt. Dicitur ergo hîc, Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super K altare. RVPERTVS. Eximius Apostolus loci huius memor, ad Hebræos nono cùm dixisset, Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum viuit, cõtinuò subiunxit, Vnde nec primũ quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens, Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos deus. Dedicatum hîc primùm asserit testamentum, in eo quòd ędificato altari cum duodecim titulis duodecim tribuum, legem recitatam profitẽtium, & immolatis victimis, dimidiam partem sanguinis fundens super altare, residua parte Moyses populũ aspersit, dicens, Hic est sanguis fœderis. Quid autem esse putamus hanc dedicationem testamenti, nisi acceptionem cõscriptio-
*Ezech.16.* nis propter promissiones testatoris, vt ipse eis in deum, ipsi autem illi essent in populum, secundum similitudinẽ fœderis maritalis? Et dicit Apostolus super dicto capitulo, Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis. Cœlestia sunt secundum Euangelicam vel Apostolicam fidem, sancta illa in quæ introiuit Iesus, id est, ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui dei pro nobis. Hæc L
*Heb.8.* autem sancta populo illi tradita, illorum sunt exemplaria, quemadmodum idem Apostolus cum testimonio scripturæ præsentis ait, Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestiũ, sicut responsum est Moysi, cùm consummasset tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in mõte. Proinde præsentem locum cum cœlestibus quorum hæc & cætera quæ sequuntur, exemplaria sunt, iam nunc libet conferre diligentiùs. Primò sanguis vitulorum quo hæc exemplaria mundata sunt, sanguinis exemplar fuit cœlestis hominis Iesu Christi, quo cœlestia simul & terrena pacificata sunt. Salutis nanque quam sanguis eius in veritate contulit, signum
*Psal.102.* hircorum vel vitulorũ sanguine præcucurrit. Porrò quod iuuenes potiùs quàm senes de filiis Israël Moyses misit, vt offerrent holocausta, illius sunt iuuentutis exemplar, de qua Psalmista, Renouabitur (inquit) iuuentus tua vt aquilæ. Neque enim veteres, sed nouos homines, neque in vetustate literæ; sed in nouitate spiritus missurus M erat dominus Iesus Christus duodecim Apostolos, sacerdotes nouos, noui & veri sacrificij ministros. Quid deinde nobis illud exemplificat, quod dimidiam partẽ sanguinis super altare fudit, & dimidiam in populum respersit, nisi quòd cœlestia duo simul de vno eodémque deriuata sunt sanguine Christi filij dei, Alterum, quo per baptismum in remissionem peccatorum aspergimur: alterũ, quo verum cum carne vera sanguinem de sancto altari sumimus? Missus itaque sanguis in crateras, partim in altare funditur, partim in populum respergitur, quia reconditum verbum dominicæ passionis, in Apostolorum, omniúmque sacerdotum Christi cordibus, sic per os linguámque illorum in hæc sacramẽta diffunditur, vt & veraciter in morte Iesu Christi baptizati, sanguine eius
*Heb.9.* respersi simus, & de sancto altari sanguinem eius in veritate bibamus. Apostolus aspersionem illam exemplarem cum aqua & lana coccinea & hyssopo factam esse testatur. Sic nimirum & de latere Christi cũ aqua sanguis effluxit, & idcirco rectè, cum vino aquam misceri in sacramento sanctæ Ecclesiæ, fides Apostolica sanxit. Quòd autem



A autem in celebratione sancti baptismi, aqua per verbum crucis per potentiam sancti spiritus, virtutem accipiat sanguinis Christi, ad abluenda peccata credentis, nullus dubitat fidelis. Hyssopus herba humilis humilem significat fidem dominicæ passionis, quia sicut illa tumorem pulmonis, sic fides Christi superbiam cordis sanando deprimit. Per lanã coccineam, propositã nobis eiusdem passionis imitationem intelligimus, quia Christus passus est pro nobis (vt ait beatus Petrus apostolus) vobis relinquẽs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sed & ipsum *1.Pet.2.*
librum aspersum esse Apostolus asserit, quia videlicet sic sancta scriptura penè vbique fidem continet passionis Christi, vt sine illa nullatenus intelligi possit. INTERLINEARIS. Vel quia sanguine Christi vasa Ecclesiæ, id est, Apostoli & sequaces redempti & consecrati sunt, dimidiam partem sanguinis misit in crateras. Vt autem significaret nullum sacrificium deo placere nisi in fide passionis Christi offeratur, & per ipsam consecretur, partem residuam fudit super altare, id est, super Ecclesiam quæ est altare dei & templum. AVCTOR CA-
B TENAE. An sanguis super aram sparsus, effusum significat in Christo innocentissimum sanguinem? Qui verò in crateribus sanguis est, crucem signat perpetuò portãdam à fidelibus? Scripta denique in libro fœderis obligant fideles ad obedientiam, quia sanguine Iesu Christi respersa, id est, confirmata sunt. ATHANASIVS *Cap.9.*
IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Quamobrem autem & liber & populus asperguntur? Nimirum vt pretiosum sanguinem præfiguret, quo sumus ipsi & corda hæc nostra aspersi, quæ profectò nobis pro codicibus insunt, vti & superiùs dixit, Dedit leges in cordibus ipsorum. Vel baptismi aquam designat. Hunc enim & sanguis & aqua conficiunt, & ex duobus his alteris constat. Seorsum tamen baptismus, qui etiam cùm per aquam conficitur, domini mortem denunciat, quam sanguinis demonstrat effusio. Hyssopum verò intelliges eo inductum, quia & dẽsius sit, & bibulum magis, & liquore quouis perfunditur. Nec secus & lanam, vel quia & eius nomen sortitus est Christus, veluti ex parte totum acceperit. Est nanque & agnus denominatus & ouis, quæ hisce velleribus obducuntur & lana. Quin etiam & coccineam dici hanc volunt & rubram, quia colore ipso figuram
C sanguinis præferat, dicens, Hic sanguis testamenti, quod mandauit deus ad vos. Christus sanè sic inquit, Hic sanguis noui testamenti in remissionem peccatorum. In veteri verò, nec nouum dicitur, nec peccatorum remissio. Vides vt sanguinem dixerit testamentum? Necesse est igitur vt Christi mortem intelligas, vbi testamenti fit mẽtio. RABANVS, ET INTERLINEARIS. Sanguis ergo ille quo Moyses populum aspergit, ac purificat librum legis & tabernaculum testamenti, & omnia quæ in eo erant, dicens, sanguis hic, sanguis testamenti, quasi diceret, morte Christi quæ in hoc sanguine significatur, testamentum confirmabitur, mirificè domini Iesu sanguinem prædicare monstratur, quo omnium credentium corda purgantur, quo fides Ecclesiæ signatur, quo omnia, id est, corpus omne tabernaculi sanctificatur, dicente domino discipulis, Hic sanguis meus noui testa- *Matth.26.*
menti, qui pro multis effundetur. Adimpletum ergo in veritate id est, quod per Moysen fuerat ostensum in imagine. THOMAS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Iste ergo sanguis fuit figura sanguinis Chri- *Cap.9. lect.4.*
sti per quem nouum testamentum confirmatum est. Et ideo Christus verbis istis vsus est, Matthæi vigesimosex-
D to, Hic est sanguis noui testamenti, confirmatiuus scilicet. Figuratur autem per sanguinem hirci propter similitudinem carnis peccati, & vituli propter fortitudinem. Miscetur autem cum aqua, quia baptismus à sanguine Christi efficaciam habet. Aspergitur autem cum hyssopo qui mũdat pectus, per quod significatur fides, Actorum quintodecimo, Fide purificans corda eorum, & lana coccinea, quæ est rubei coloris, per quam significatur charitas, Canticorũ quinto, Dilectus meus candidus & rubicundus, quia per fidem & dilectionem passionis Christi mundatur populus. Aspergitur & liber legis, quia passio Christi adimpleuit legem, Ioannis decimonono, Con- *Lib.1.*
summatũ est. Matthæi quinto, Non veni soluere legem, sed adimplere. AMBROSIVS IN EPISTOLIS. *Epist.2.ad*
Motum te cùm legeres significasti mihi, quid sibi velit quòd Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas do- *Simplicianum.*
mino salutares hostias, dimidiã partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit. Sed quid est quòd ipse dubites, & à nobis requiras, cùm fidei & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia, totum orbem peragraueris, & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ huius tẽpus deputaueris, acri præ-
E sertim ingenio etiam intelligibilia complectẽs? Vtpote qui etiam Philosophiæ libros quàm à vero sint deuij demonstrare soleas, & plerosque tam inanes esse, vt priùs scribentum in suis scriptis sermo, quàm vita eorum defecerit. Tamen quia collatio sermonis vt pecuniæ, magno est vsui, atque ea maximus in commune emolumentũ negociationis profectus paratur, quòd mirabilis sit ista sanguinis diuisio reticere non queo. Pars enim eius moralem sapiẽtiæ disciplinam videtur significare, pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est: hæc quæ ad altare effunditur, mystica, eo quòd diuino munere & aspiratione quadam humanis infundatur mentibus, vt conuenientia & fidei plena de deo sentiant. Denique qui locuti sunt de eius maiestate & de cœlestibus, vel Apo- *2.Cor.12.*
stoli, vel sancti Prophetæ, non nisi ex reuelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Vnde Paulus & raptum se in paradisum, & audisse se verba quæ non licet homini loqui in epistola sua testificatus est. Stephanus quoque vidit *Esa.6.*
cœlos apertos, & Iesum ad dextram dei stantem. Et Esaias propheta vidit sedentem. Nam de Moyse quid loquar, de quo dicit scriptura, quòd non surrexit amplius Propheta in Israël sicut Moyses, qui vidit dominum facie ad
F faciem in omnibus signis & prodigiis, quæ fecit in terra Aegypti. Mystica ergo deo libantur, qui splendore diuinæ sapientiæ, cuius pater & genitor est, inflammat animæ vigorem, ac mentem illuminat. Sapientia autem dei Christus, in cuius pectore recumbebat Ioannes, vt de principali illo secretóque sapientiæ hausisse diuina prodere-tur mysteria. Denique ipse cõscius muneris hoc scripsit, qui sibi quod acceperat vendicare, & suo assignare ingenio reformidabat. Sed & ipse dominus dicebat Apostolis, os suum aperiens, Accipite spiritum sanctum, quo *Ioan.20.*
declarauit sese esse qui Moysi dixerat, Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Ergo hæc sapien- *Exod.4.*
tia diuina inenarrabilis, impermixta atque incorrupta, sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognitionem reuelat, vt speculentur eius gloriam. Illa autem moralis sapientiæ disciplina est, quæ mittitur in crateras, & ex illis percipitur atque hauritur. Crateres igitur sensuũ receptacula. Crateres oculi sunt duo, aures sunt, nares sunt, os quoque, & aliæ partes conuenientes muneri. Oculi enim visum recipiunt & ministrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum, &c. In istos crateres verbum illud in quo est principatus sacerdotij vel prophetiæ, effun-

dit

dit sanguinis sui partes, vt viuificet atque animet irrationabiles portiones, & faciat rationabiles. Denique vbi G legis diuinæ præcepta numerauit atque annunciauit populo, Theoriam postea intelligibilis illius arcæ testimonij vel candelabri, vel thymiamatis locuturus, immolauit hostias & libauit, sanguinis partem infundens altaribus sacris, partem autem infudit crateribus. Fit ergo diuisio mysticæ illius, hoc est, diuinæ moralisque sapientiæ: λόγος enim diuisor est animarum atque virtutum: λόγος autem verbum dei validum & acutum, quod pertransit & penetrat vsque ad diuisionem animæ, virtutes quoque distinguit & diuidit, cuius minister Moyses diuisione sanguinis virtutum genera distinxit. Et quia nihil præ cæteris in lege, nisi Christi aduentus annunciatur, atque eius præfiguratur passio, vide ne ista sit hostia salutaris, quam verbum deus in semetipso obtulit, atque in suo immolauit corpore, Quod primò moralem in Euangelio, sed etiam in lege docuit disciplinam, & in sua patientia atque in ipso actu & opere monstrauit, tanquam in crateras, ita in mores nostros sensúsque transfundens, velut substantiam quandam & vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum viuificauit ad virtutis seH minarium & institutа pietatis, deinde accedens ad altare effudit hostiæ suæ sanguinem. Itaque siue ita hæc accipias, pius vt arbitror sensus est, siue secundum Salomonem velis, concurrit æquè. Vt quia sanguinē misit in crateras Moyses Propheta, cognoscas ipsum esse sanguinem de quo scriptum est, quia sapientia miscuit in cratere
*Prouerb.9.* vinum suum, dicens vt relinquerent insipientiam, & quærerent sapientiam. Hauritur ergo de cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur vitæ emendatio, hauritur morum & consI liorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incrementum, fons vbertatis. Quod verò ad altare effundit sanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabi-
*Ioan.1.* lis naturæ, sed diuinæ potētiæ, de quo dictum est, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mūdi. Non solùm enim mundauit sanguine delicta vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit. An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cuius latere supra ipsum passionis altare aqua cucurrit & sanguis? RVPERTVS. Absque
*Ioan.3.* aspersione igitur huius pretiosi sanguinis, deum nemo videbit. Nam nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu
*Marc.16.* sancto (Christus ait) non potest videre regnum dei. Item, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Bene ergo antequam sanguine illo exemplari respersus fuisset populus, ait dominus, Descende, & contestare populum,
*Exod.19.* ne fortè velint transcendere terminos ad videndum, & pereat ex eis plurima multitudo, at nunc post aspersionem, Ascenderunt (inquit scriptura) Moyses & Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël. Et viderunt deum Israël. Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi cœlum cùm serenum est. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam. Viderúntque deum, & comederunt, & biberunt. Ergo visio hæc, cœlestis visionis dei qua videbimus eum sicuti est, exemplar est. Quod enim dicitur, sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi cœlum cùm serenum est, regni illius in quo videndus promittitur, so*Cap.1.* liditatem, puritatem, atque altitudinem mysticè innuit. HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Vel sicut Crystallo purissima quæq; atque lucentia in cœlestibus demonstrantur, quæ nostrum oculatum corpus il-K luminant, sic in sapphyro, id est, in throno dei, & super firmamentum quod cœlum accipimus, absconditа atque secreta & incomprehensibilia dei sacramenta monstrantur. Qui posuit tenebras latibulum suum, & in nube videtur & in caligine. Vnde & in Exodo scribitur, Et sub pedibus dei erat quasi opus lateris sapphyri. Et sicut spe-
*Cant.5.* cies firmamenti cœli mundissimi. Vnde & sponsa pulchritudinem sponsi describit in cantico, Venter eius tan-
*Apoc.21.* quam tabula eburnea super lapidem sapphyrum. Et in Ioannis Apocalypsi, Primùm fundamentum iaspidis, Se-
*Exod.28.* cundū, sapphyri scribitur. Et in rationali pontificis in versu & ordine lapidum singulorum, secundus ordo carbunculum habet & sapphyrum & iaspidem. RVPERTVS. Nec super eos (inquit) qui procul recesserāt de filiis Israël, misit manum suam. Tanquam diceret, Antequam respersi essent sanguine fœderis, quod pepigit cum
*Exod.19.* eis dominus, miserat super eos manum suam, manum terribilem ac tremendam, dicendo, Omnis qui tetigerit montem, morte morietur, lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, nunc quia fœderati, quia sanguine fœderis erant conspersi, non misit super eos manum suam, non prohibuit eos à visione sua, qui præ timore superiùsL dicto, procul recesserant, terminósque constitutos ascendere non audebant. Viderúntque deum, sicut iam dictū est, & comederunt ac biberunt, quod totum illius fuit visionis exemplar, in qua comedemus & bibemus, eadémque visione saturabimur, & inebriabimur. Dicit enim Psalmista, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Item, Ine-
*Psal.16.* briabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. AVGVSTINVS. Quis autem
*Psal.36.* dubitet, illos quos nominatim expressit, & septuaginta seniores nunc appellatos electos Israël, qui procul dubiò
*Quæst.102.* personam gerebant eorum, qui electi sunt in populo dei. Nō enim omnium est fides. Et nouit dominus qui sunt
*Rom.9.* eius. In magna autem domo sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Quoniam ergo quos ante præscIuit, & prædestinauit, quos autem prædestinauit, illos & vocauit, quos autem vocauit, ipsos & iustificauit, quos
*Rom.8.* autem iustificauit, ipsos & glorificauit, profectò de electis Israël non dissonuit nec vnus. Significatur autem in quaternario numero, hoc est, Moyse, & Aaron, & Nadab, & Abiu propter quatuor Euangelia, & totius orbis qui in quatuor partes diuiditur promissionem, & septuaginta de senioribus Israël, numero scilicet septenario decuM plato, qui pertinent ad significādum spiritum sanctum. Sapphyro autem significatur vita cœlestis, maximè quia dictum est iuxta aliam literam, Sicut aspectus firmamenti. Firmamentum autem cœlum appellari quis nescIat? Et forma lateris in eodem sapphyro, quadraturam ipsam, vel stabilitatem, vel eiusdem quaternarij numeri sacramentum figurat. Quòd autem manducant & bibunt in loco dei, suauitatem saturitatēmque præfigurat vel
*Matth.5.* significat in illo regno æternitatis. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
*Luc.6.* Vnde & dominus dicit venturos multos, quos vtique nisi electos, præscitos, prædestinatos, vocatos, iustificatos,
*Matth.8.* glorificatos, & recubituros cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum? Nam & alio loco ipse hoc promittit fidelibus suis, quòd faciat eos recumbere, & transeat, & ministret eis.

*Dixit autem*



A *DIxit autem dominus ad Moysen, Ascende ad me in montē, & esto ibi, dabóque tibi tabulas lapideas & le-* 3
*gem ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos. Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius, ascendénsque Moyses in montem dei, senioribus ait, expectate hìc, donec reuertamur ad uos. Habetis Aaron & Hur uobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cúmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem & habitauit gloria domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die uocauit eum de medio caligInis. Erat autē species gloriæ domini quasi ignis ardens super uerticē montis, in cōspectu filiorū Israël. Ingressúsque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

B BEDA DE TABERNACVLO. Locuturi iuuante domino de figura tabernaculi & vasorū atque vtē- 3
siliū eius, primò loci situ, & circunstantias rerum quomodo sese habuerunt, quandóq; hæc fieri præcepta sunt in- *Lib.i.*
spicere, atque attentiùs cōsiderare debemus. Omnia enim sicut Apostolus ait, in figura contingebant illis, scripta *Cap.i.*
sunt autē propter nos, omnia videlicet, non solū facta, vel verba quæ sacris literis cōtinentur verū etiam locorū *i.Cor.10.*
& horarū & temporum situs, & ipsarū quoque in quibus gesta siue dicta sunt circunstātia rerū. Ait ergo scriptura: *Dixit autē dominus ad Moysen, Ascende ad me in montem, & esto ibi, dabóque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi vt doceas eos.* RVPERTVS. Et supradictū est, Ascenderūt Moyses & Aaron, Nabab, & Abiu & septuaginta de senioribus Israël, sed nō dictū est, ascēderunt ad dominū: hîc autem dictū est, Ascende ad me, quod significat illum inuitari ad colloquiū familiare, additúmq; est, & esto ibi, subauditur, nō vna hora, vel vno die, sed esto ibi, id est, mane ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Dabóq; tibi tabulas lapideas, & legē ac mādata quæ scripsi. Nō ait, & legem quā scripsi, sed mādata quæ scripsi: legē enim Moyses ipse scripsit, sicut & de iudiciis supraC scriptis dictū est, quia scripsit Moyses vniuersos sermones domini, mādata autem digitus dei scripsit, sicut ipse Moyses in Deuteronomio dicit, Deditq; mihi dominus duas tabulas lapideas scriptas digito dei. Hîc demū so- *Deut.9.*
lennis & ritè peracta legislatio est. Nā præterito die, quadragesimus nonus erat, quod factū est, quasi quædā catechizatio est dicēda. Aliud nēpe est dicere, Ecce lex sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredere, si nō potes, liber discede. Aliud, postulatæ legis professionē confirmatā manu propria signare. Sanè secundū literaturę ordinē, sic mādata in duabus tabulis illis distincta fuerūt, vt in altera continerentur quę ad dilectionē dei pertinent, quorum primū est, Non habebis deos alienos coram me: in altera quæ ad dilectionē proximi, quorum primū est, *Eph.6.*
Honora patrem tuū & matrem tuā. Vnde & Apostolus hoc primū dicit mādatum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Ascende ad me in montē, &c. Hoc sic intelligendum est, vt de colle in quo erat, ad altiora mōtis procederet. Nec tamen adhuc ad ipsum cacumen montis vocatur, sed in sequētibus vbi dicitur, Septima autem die, &c. CAIETANVS. Interiori autē sermone allocutus est dominus ad Moysen post reditum in caD stra. Mādat verò non solùm ascendere in montē, sed morari in eo, & hoc vt Moyses disponat de agēdis interim quod ipse erit in monte, ne improuisa populo contingat mora Moysi in monte. AVCTOR CATENAE. Vt doceas filios Israël. Hebraicè est, לְהוֹרֹתָם Lehorotham, Vt doceas eos, id est, vt hæc doceatur populus iste. Sed idem est. Oportet igitur vt populus instruatur præceptis à deo datis. Iubetur itaq; sequestrare se totū ab aliis omnibus tam plebibus quā principibus, & sese familiariùs applicare deo, ad contemplationē rerū diuinarū. In loco solitudinis, vt domino docēte discat, quę populū sit mādata domini docturus. Nec alias proponat leges, nisi quas à domino susceptit dictatas, & in tabulas lapideas proprio suo digito descriptas. *Surrexerūt Moyses & Iosue minister eius, ascēdénsq; Moyses in montē dei, senioribus ait, expectate hîc donec reuertamur ad uos. Habetis Aaron & Hur uobiscū, si quid natū fuerit quæstionis, referetis ad eos.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Nō puto quòd in colle eos præceperit expectare, sed in planitie cū populo, quod exigit sequens litera, Si quid natum fuerit quæstionis, &c. CAIETANVS. Iste est Iosue qui fuerat dux in prælio cōtra Amalechitas, hūc dūtaxat assumpsit secū Moyses ascēsurus in montē.
E Et dicitur minister eius, quoniā erat domesticus seruitor eius, quemadmodū magnus cubicularius principis. Et dicēdo surrexerunt, innuit quòd mane surrexerint à somno ad hoc vt ascenderēt. Ascendénsq; Moyses in montē dei, senioribus ait, Iuxta Hebræū habetur, Et ascēdit Moyses ad montē Elohim, & ad senes dixit. Vide frequentiā præposteri ordinis, nā priùs allocutus est senes, & postea ascēdit. Expectate hîc, Iuxta Hebręū habetur, Sedete nobis in isto, vsq; quo reuertemur ad vos. Duo hinc habētur. Alterū, quòd cū Moyse ascendit Iosue, alioquin nō diceret vsq; quo reuertemur ad vos. Alterū, quòd Moyses monet, vt quiescāt in eo quod acceperāt, hoc est, in institutis acceptis, in statu in quo erāt. Et addidit nobis obsecrādo, hoc est, intuitu nostro, tanquā spiritus loqueretur timendo inopinatū euentum, nō enim quieuerunt in illo statu, nulla ratione habita Moysi & Iosue ducis eorū in bello. De arduis autē quæstionibus intelligendum est quod mādat ad Aaron & Hur deferendum, si institutі iam erāt iudices ad cōmunes causas, de quibus sermo habitus est capite decimooctauo. AVCTOR CATENAE. Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius. Parū est quod Hebraicè est וַיָּקָם Vaiákam, Et surrexit Moyses. Sed InF terpres habuit respectum etiā ad Iosue, qui surrexit cū eo. Ascendénsq; Moyses ad montē dei. Ita est etiā Hebraicè. At Chaldaica declarare volens quis esset mōs iste, habet, Et ascendit Moyses in montē in quo reuelata fuerat gloria domini. Expectate hîc. Idem dicitur in Hebræo שְׁבוּ לָנוּ בָּזֶה Sebu lánu baze, Expectate nos hîc, Sic & Chaldaica. Alij vertūt, Sedete nobis hîc, id est, sedētes expectate nos hîc. Sed idē est. Et quod habent Septuaginta, ὑπομείνατε ἐνταῦθα, Manete hîc. Si quid natū fuerit quæstionis, referetis ad eos. Scitè admodū reddit hîc Hebraismum Interpres, qui est huiusmodi: מִי בַעַל דְּבָרִים יִגַּשׁ אֲלֵהֶם Mi báhal debarim iggas alehem, Qui dominus (subaudi fuerit) verborū, accedet, vel accedat, id est, qui causas habuerit loquendi, hoc est, qui habuerit lites, illos conueniat. Quod & Chaldaica expressit. Quicunq; habuerit iudiciū, accedat coram eis. Vertūt alij, Qui vel quisquis habuerit causas. Sed idē sunt hæc cum Latina litera. Docemur hîc exēplo Moysi, nō relinquendā Ecclesiam sine præsidibus & custodibus, qui causas agāt fideliter, & respondeāt populo. In multitudine enim populi nihil est periculosius ἀναρχίας. Talis autē Ecclesiæ Episcopus ac Præsul, nonnunquā secretiùs dominū contempletur & oret, pro

sapientia

sapientia vera ac iustitia,exẽplo Salomonis & Moysi,imò & Christi domini.Is autẽ Hur dicitur fuisse filius Ma- G
riæ & Caleph à Iudæis,ab aliis verò eius maritus.Sine Aaron autem sacerdote futuro nõ dimittit populum,qui
& illi præesse iubetur,ne quid agatur interim infeliciter,ad quẽ habeatur recursus in negociis arduis, sicut & ad
Moysen. *Cúmque ascẽdisset Moyses, operuit nubes montẽ,& habitauit gloria domini super Sinai,tegens illum nube sex diebus.* RV-
PERTVS. Gloriam domini habitasse super Sinai dixit,quia expertus est magnam & gloriosam multitudinẽ
dulcedinis domini,quam abscondit quidẽ timentibus se,sed huic ostendit non parua ex parte,vt in illa epulare-
tur,non vno die, sed quadraginta diebus & quadraginta noctibus. HVGO DE SANCTO VICTORE.
Cúmque ascendisset Moyses,recedens ab Aaron & senioribus,aliquantulũ progrediens versus cacumen, non ta-
men ad ipsum accedens ante septimũ diem, in quo iterum vocabitur. CAIETANVS. Cúmq; ascendisset H
Moyses.Iuxta Hebræum habetur,Et ascendit Moyses ad montem.Bis scribitur iste ascensus,semel ad narrandũ
gesta in initio ascensus, hoc est,cùm ascensurus esset, & iterum ad narrandum factum subsequutum ascendẽdo,
hoc enim factum subiungitur,dicẽdo,Et operuit nubes montẽ,& habitauit gloria domini super Sinai.Parui re-
fert quòd iuxta Hebræũ habetur,Honor domini super montem Sinai.Duo effecta narrantur.Alterum,quòd nu-
bes operuit montem,alterum,quòd honor dei erat super verticem montis. Intellige(vt sequẽtia testantur)quòd
Moyses cum Iosue ascendit in montem Choreb,qui est quædã pars montis Sinai,& propterea verificatur bis di-
ctum quòd Moyses ascẽdit in montẽ,& quòd ibi subsiterunt videtes reliquũ montis versus superius opertũ nu-
be & gloriã dei apparentẽ super verticem montis. AVCTOR CATENAE. Et habitauit gloria domini,
sic & Hebraicè.Est enim כְּבוֹד יְהוָה Chebod Iehoua, Et perinde est ac si diceret, Dominus glorioſus. Quãuis di-
ctio Cabod,& gloriã, & honorem significet.Tegens illum nube sex diebus . Iuxta Hebræum est וַיְכַסֵּהוּ הֶעָנָן Vai-
chasséhu héhanan,Cooperuítq; eum(subaudi montem)nubes. Sic & Chaldaica & Septuaginta . Moyses ergo in I
montem ascendit,& deo appropinquauit non territus horribilibus spectris,fide firmatus, & familiari gratia dei.
RVPERTVS. Quasi autem quæreres, quomodo tãdiu durauit homo sine cibo, & sine potu, cùm vltra septẽ
dies natura humana sine omni alimonia durare non posit. *Septimo autem die* (inquit)*vocauit eum de medio caliginis.*
Fuerit hoc omnino humanæ possibilitatis,quòd præauiditate cœlestium epularum sex diebus panẽ non come-
dit,& aquam non bibit.Cæterũ nisi septimo illum die dominus vocasset,natura hominis in semetipsa residens,
in breui penitùs aruisset.Vocauit ergo illum de medio caliginis,cuius vox suauis,ac super mel & fauum est dul-
cis,& vocatione sua sic inopem hominis naturam ditauit,vt vsque ad quadragesimum diem,non solùm cibi &
potus, sed & totius humanæ conditionis posset obliuisci. Sic in semetipso meruit experiri,vt veraciter diceret,
quod non in solo pane viuat homo,sed in omni verbo quod procedit de ore dei. CAIETANVS. Dixerat
operuisse nubẽ montem,dixerat tempus quo substitit Moyses videns montem opertum nube, videlicet sex die-
bus:subiungit nũc,quòd die septimo vocauit dominus ex intimis nubis Moysen, vt intelligamus quòd sex die-
bus substitit cum Iosue Moyses,& die septima diuina vox sensibiliter tanquam in intimis nubis formata,audita
est vocans Moysen. AVCTOR CATENAE. Septimo autẽ die vocauit eum (subaudi dominus) de me- K
dio caliginis,siue nubis.Est enim dictio עָנָן Hanan,quæ vtrumq; significat.Quasi dicat vocauit eum de parte nu
bis quæ densissima erat.Non ergo statim vocatus est Moyses ad colloquiũ dei, sed post sex dies,vt discamus pa-
tiẽter & fortiter ferre,si dominus nostris votis nõ subitò & orationibus affulserit, & gratificetur, qui nouit quid,
quando,cui,& quomodo donet. *Erat autẽ species domini quasi ignis ardẽs super verticũ montis in conspectu filiorũ Israel.* CA-
IETANVS. Iuxta Hebræũ habetur.Et aspectus honoris domini,sicut ignis consumẽs in vertice mõtis oculis
filiorũ Israël.Dicendo sicut ignis, insinuat quòd non erat verus ignis, sed erat similitudo ardẽtis ignis,quemad-
modum linguæ igneæ quæ apparuerunt Apostolis.In capite ergo montis erat hæc similitudo ignis quæ videba-
tur à filiis Israël existẽtibus in castris,inferiores autẽ partes mõtis opertæ erãt nube. AVCTOR CATENAE.
Erat autem species vel visio.Est enim Hebraicè מַרְאֵה Mare,quod propriè visionem significat.Sic habet & Chal-
daica.Septuaginta vt apud nos,εἶδος species.Sed idem est hoc in loco species & visio. In cõspectu, vel oculis fi- L
liorũ Israël.Vtroque enim modo verti potest, לְעֵינֵי Lehene,Id est, talis apparebat dominus multitudini,qui an-
tea visus fuerat similis lapidi sapphyrino principibus Israëlitarum. Filiis itaque Israël qui ad radicẽ montis sta-
bant,videbatur species domini,quẽadmodum ignis omnia deuorantis & consumentis,cùm priùs cęteris qui cũ
Moyse aliquantisper ascenderant, velut opus constratum sapphyro visa fuerit. *Ingreſúsque Moyses medium nebulæ,*
*Cap.3.* *ascẽdit in montẽ,& fuit ibi quadraginta diebus,& quadraginta noctibus.* HIERONYMVS SVPER MATTHAEVM.
In quadraginta dierum & totidẽ noctium numero,quadragesimæ nobis ostẽditur sacramentũ,in quo & Moyses
ieiunauit in mõte Sinai,& Helias iuxta montem Horeb. CYPRIANVS DE IEIVNIO ET TENTA-
TIONIBVS. Moyses in mõte quadraginta diebus cũ domino perseuerãs,& dei familiare colloquiũ, & legis
ministeriũ ieiunio promeretur.Helias quoq; eodẽ dierum numero abstinẽs in eremo conuersatur. Vtilitas ieiu-
niorum tẽporibus Christianis clariùs patuit,& à multis frequentata,in plurimos se effudit.Quotquot viros vir-
tutũ vidimus,sine ieiunio nõ legimus ascẽdisse:nec aliquid magnũ moliti sunt, nisi priùs abstinẽtia præcessisset.
Quoties aliquid à deo obtinere conati sunt,ieiuniis incubuere & lachrymis,& pernoctãtes in orationib⁹,ciliciis M
carni hærentibus,supplices beneficia postularunt.Nec defuit prouentus,vbi ad pedes dei sacrificiũ cõtriti cordis
*Cap.4.* offerẽs se prostrauit humilitas,sed prope fuit inuocãtibus se deus,& porrexit manũ naufragis,& subuenit afflictis.
AMBROSIVS SVPER LVCAM. Quadraginta autẽ dies,mysticũ numerum recognoscis.Tot enim die-
bus aquas abyssi effusas esse meministi,& tot ieiunio dierum sanctificato Propheta, refusam cœli serenioris esse
clementiã.Tot ieiunio dierum sanctus Moyses perceptionẽ legis emeruit . Tot annos in eremo cõstituti patres,
panẽ Angelorum & cœlestis alimoniæ gratiã consecuti sunt:nec antequã mystici numeri tempus explerent, ter-
ram repromissionis intrare meruerũt. Tot ieiunio dierum domini nobis in Euangeliũ patescit ingressus. Vnde
si quis Euãgelij gloriã,fructúmq; resurrectionis optat adipisci,mystici ieiunij præuaricator esse nõ debet.Quod
& in lege Moyses,& in Euangelio suo Christus,vtriusq; testamenti autoritate præscripsit fidele virtutis esse cer-
*Ser.38.* tamen IDEM IN SERMONE DE IEIVNIIS ET QVADRAGESIMA. Superest nunc, vt quẽ-
admodum



A admodum famuli eius Moyses & Helias hunc sacratissimum numerum obseruando,gratiam meruerunt,ita &
nos hoc ipsum tempus custodiendo mereamur,sitq; similis remuneratio in perceptione præmij, quorum similis
labor est in obseruatione ieiunij. AVGVSTINVS IN SERMONIBVS DE TEMPORE. Omne vi- *Ser.64.*
tæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cœleste brauium tota virtute contende-
re.Sed hoc præcipuè in quadragesimæ diebus implendum est,qui abstinentia ac ieiuniis dedicati,tantum nobis
ad virtutem animi conferunt, quantũ & de corpore voluptatem decerpũt. Est autem legitimus numerus iste ie-
iunij , & qui in sanctis celebratur exemplis . Moyses legem accepturus à deo quadraginta dies & noctes absque
cibo potúque transegit,& ad suscipiendam domini voluntatem ieiunus præparatus est. Helias post quadragin-
ta dierum ieiunia curru igneo ad superna cœlorum de hoc mundo translatus est.Ipse quoque dominus ac salua-
tor noster quadraginta diebus ieiunans, de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij
B iam victor accederet.Meritò verò etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiuniis,quem per ta-
lia exempla legimus consecratum. IDEM. Quantũ sit bonum ieiunij, videamus. Moyses primus quadra- *Vbi suprà.*
ginta diebus ac noctibus cùm ieiunasset, legẽ domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetraue- *Ser.65.*
runt vnius hominis ieiunia,quod totius populi saturitas desperauerat.Aduertamus ergo quanta sit inter ieiuniũ
& saturitatem distantia,inter ventrẽ vacuum & pulmones epulis æstuantes.Moyses ergo quia ieiunauit, domi-
num vidit:populus quia manducauit & bibit,idola fabricatus est.Sed quid de Moyse & Israëlitica multitudine
loquar?Princeps ille humani generis Adam,quãdiu ieiunauit seruans mandatum,in paradiso fuit: vbi verò co- *Gen.3.*
medit,eiectus est de paradiso.Et qui in paradiso dei virgo fuerat,eiectus de paradiso cognouit vxorem.Semper
enim iũcta est saturitati lasciuia.Vicina sibi sunt venter & genitalia,& pro membrorum ordine, ordo vitiorum
intelligitur.Eiecit ergo nos de paradiso cibus,reducat esuries,reducat ieiunium. GREGORIVS IN HO- *Hom.16.*
MILIIS. Quia quadragesimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est,cur hæc ipsa abstinentia per qua-
C draginta dierum numerum custoditur Moyses enim vt legem acciperet, secũdò diebus quadraginta ieiunauit.
Helias in deserto quadraginta diebus abstinuit. Ipse auctor hominũ ad homines veniẽs, in quadraginta diebus
nullum omnimodo cibum sumpsit.Nos quoque in quantum possumus,annuo quadragesimæ tempore carnem
nostrã per abstinẽtiam affligere conemur. BASILIVS IN QVADRAGINTA MARTYRES. Vnũ
erat omnium votum.Quadraginta in stadium intrauimus,totidem domine coronas tribue . Non desit nume-
ro,nec vnus quidẽ. Pretiosum est tempus, quod quadraginta dierum ieiunio ornasti, per quod diuina lex in or-
bem transiuit. Quadraginta item dierum ieiunio Helias dominum exquirens videre meruit. Et oratio quidem
eorum talis. EX COLLATIONIBVS PATRVM. Tempus hoc quo anniuersariæ dierum nostrorum *Coll.21.*
decimæ deo tribuuntur,quadragesimæ nomẽ accepit,quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo de- *Cap.28.*
bere censeri, quòd Moyses vel Helias vel ipse dominus noster Iesus Christus quadraginta diebus ieiunasse tra-
duntur.Ad cuius numeri sacramentum illi quoque quadraginta anni quibus Israël est in solitudine cõmoratus,
D Et quadraginta similiter mansiones quibus eam mysticè pertransisse describitur , non incongruè coaptantur.
RVPERTVS. Fuit autem Moyses,per id temporis cibi potúsque omnis expers,diuina tantùm sustẽtatus vir-
tute.Quod nec in Helia ieiunante similiter quadraginta diebus & quadraginta noctibus,scriptura tacuit,quòd
non hoc de hominis possibilitate habitum, sed de virtute dei pro munere sumptũ est . Vbi enim illum Angelus *3.Reg.19.*
domini secundò tetigit,dicens,Surge & comede,postquam comedit & bibit,statim subiunctum est,Et ambula-
uit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus,& quadraginta noctibus. In fortitudine cibi illius scriptura sic
dixit,vt subintelligas,quòd nõ erat nec esse poterat in natura quamlibet fortis,& in ieiuniis exercitati hominis.
CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et venit Moyses intra nubem, & ascendit in montem. Hinc clarè
apparet,quòd Moyses substiterat extra partem montis opertam nube,& quòd nisi vocatus ausus est ingredi nu-
bem die septimo,& tunc ascendit sub nubem.Quod ideo dico , quia scriptura nõ dicit quòd ascẽderit ad cacu-
men montis,quod tamen colligitur ex forma mandati diuini,Ascende ad me in montem,& esto ibi,dicendo si
E quidem ad montem ad me,mandat vt vsque ad ipsum ascendat,& cùm ipse esset in vertice montis, consequẽs
est vt Moyses ascẽderit ad summitatem montis,immò ad hoc insinuãdum interposita est descriptio loci gloriæ
domini inter vocationem Moysi & executionem.Et fuit ibi quadraginta diebus,& quadraginta noctibus.Non
est quæranda ratio numeri,quia diuini miraculi opus fuit.Nec est quærendum quid fecerit,quia perspicuum est
contemplationi vacasse,immò minus dico,quia sequentia monstrant ipsum raptũ in spiritu, abstractum ab vsu
sensuum,in contemplatione diuina absorptum. AVCTOR CATENAE. Ingressúsque est Moyses mediũ
nebulæ,siue nubis.Est enim eadem dictio עָנָן Hanan. Non enim fuit deterritus augusta illa specie. Quadraginta
autem diebus & noctibus intelligitur sine cibo & potu corporeo perstitisse verbo dei sustentatus.
BEDA. Daturus dominus legem Moysi,primùm illum in verticem mõtis euocat, vt in alto secum mora- *Mysticè.*
tus,liberiùs audiat quæ ad inferiora rediens,populum præcepta doceat,simúlque ex altitudine loci colligat,quã
excelsa,quantúmve ab humanis secreta doctrinis sit lex quã accipit, & quomodo ab illis solũmodo intelligi vel
F custodiri possit,qui sese à terrenis contagiis sublimiùs ac perfectiùs viuendo separauerunt.Vnde & populum in
inferioribus expectare donec Moyses redeat præcepit,vt insinuet typicè quia cœlestia quidem sint arcana suæ le-
gis, & quæ à perfectioribus tantùm capiantur,nec tamen infirmis occasio salutis desit, si sapientiæ maiorum hu
militer auscultare studuerũt. Sic & in Euangelio dominus nouos gratiæ præcones in montem conuocans, præ-
ceptis salutaribus instituit, vt ex loci etiam situ patesceret,quia sublimia illis vel mandata viuendi,vel promissa
daret remunerandi,iuxta illud Psalmistæ,Iustitia tua sicut montes dei.Sed & post resurrectionem rursum eisdẽ *Psal.35.*
in monte sancto apparẽs,eósque ad prædicandum non vni tantùm populo Israël,sed mittẽs toto mundo,Eũtes, *Matth.28.*
inquit,docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti,docẽtes eos seruare omnia
quæcunque mandaui vobis.Et legis ergo & Euangelij præcepta dominus in mõte dedit, vt sublimitatẽ per hoc
vtriusque testamenti commendaret.Verùm quia scriptura legis vni tunc populo Israël committẽda, gratia verò
Euangelij ad omnes per orbẽ nationes Apostolis prædicantibus erat peruẽtura, rectè ad discendã accipiẽdámq;
legem

legem ſolus Moyſes aſcendit in montem,doctrinam verò Euangelij Apoſtoli ſimul omnes in mõte cum domino poſiti,auſcultantibus & turbis audierunt.Sed & aduentu ſpiritus ſancti, quo hæc eadẽ gratia & veritas Euãgelij manifeſtiùs Eccleſiæ data eſt,nõ Apoſtoli ſolummodo, verùm etiam plurima ſimul caterua fidelium in cœnaculo montis Sion conſtituta ſuſcepit, & hoc in variarum diuiſione linguarum, vt tali eſſe miraculo Eccleſia cunctarum,per orbem gentium linguis deum collaudatura ſignaretur. Dabóque tibi,inquit,tabulas lapideas, & legem,ac mandata quæ ſcripſi, vt doceas eos.Huic ſimile eſt illud Euangelij quod ſupra poſuimus,Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.Non ergo Moyſes,non Apoſtoli,non quilibet doctorũ alia debet populum dei docere præcepta,quàm quæ ipſe dominus docuit,quæq; conſilij ſui decreto nobis obſeruãda præſcripſit,& in quorum obſeruatione vitam nos habere æternã voluit, ſicut nec de illis quæ fieri iuſsit, doctores quicquam prætermittere oportet,ſed omnia quæcunque ille mandauit,ſuis neceſſe habent auditoribus committere. Scripſit autem hæc in tabulis lapideis,quia in cordibus electorũ fide fortibus fixa intentione cuſtodienda firmauit.Quorum exempla cùm nobis ad imitandum proponit,quaſi ſcripta in lapide ſtatuta ſuæ legis oſtẽdit. Nam *Dan.12.* & Daniel vidit dominum in figura lapidis exciſi de monte ſine manibus, contriuiſſe pompam regni mundialis, *1.Pet.2.* vt regnum ipſius ſolum ſine fine permaneat.Et Petrus fideles admonet,dicens, Et vos tãquam lapides viui ſuper ædificamini domos ſpirituales. RVPERTVS. Sed & altiori intelligentia,hoc cœleſtium exẽplar fuit.Quorum cœleſtium? Eorum videlicet quæ facta ſunt per nouum hominem Ieſum Chriſtum, qui aſcendit ad deum, *Pſal.67.* non in montem terrenum,ſed in ipſum cœlum,vt acciperet nobis non occidẽtem literam, ſed viuificantem ſpi- *Epheſ.4.* ritum.Vnde eſt,Aſcendiſti in altum,cœpiſti captiuitatem, accepiſti dona hominibus. Quæ dona? Et ipſe dedit *2.Cor.3.* quoſdam quidem Apoſtolos,quoſdam autem Prophetas,alios verò Euangeliſtas,alios autem paſtores & doctores. Hæc & huiuſmodi dona ſpiritualia ſcripſit nobis non in tabulis lapideis , ſed in tabulis cordis carnalibus. *Act.2.* Scripſit autem non calamo neque atramento,ſed digito dei,id eſt,ſpiritu ſancto.Nam quinquageſimo die poſtquam ſurrexit à mortuis,cuius etiam hic dies quinquageſimus exẽplar fuit,cùm eſſent omnes diſcipuli eius pariter congregati,miſſus eſt ad ſcribendum hic dei digitus,hic ſpiritus ſanctus multiplex,ſubtilis,diſertus,certus ac diſcretus.Prima ſcriptoris experientia claruit in hominibus, qui priùs erant idiotæ,& ſine literis,in eo quòd ſtatim cœperũt loqui linguis magnalia dei.Illa & quæ deinceps ſubſecuta ſunt,opera cœleſtia fuerunt,vt rectè hæc *Pſal.8.* ſcriptura data in tabulis lapideis,illorum dicatur exemplar cœleſtium.Nam de huiuſmodi ſcriptum eſt,Quoniã videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.Sed dicit quis, Iſtæ tabulæ lapideæ digito dei ſcriptæ, poſtmodum *Exod.32.* confractę ſunt.Reuerſus nanque Moyſes de monte,cùm appropinquaſſet,vidit vitulũ,& choros,iratúſq; valde, proiecit de manu tabulas,& cõfregit eas ad radices montis.Quid hoc ad exemplar pertinuit cœleſtiũ? Planè & hoc pertinuit,quia videlicet gens illa,cuius tabulis priùs inſcripta ſunt dona cœleſtia digiti dei, ecce rebellãdo *Exod.34.* confracta atq; proiecta eſt. Præcide(ait)tibi duas tabulas lapideas inſtar priorũ, & ſcribã ſuper eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti. Iſtæ iuniores tabulæ non confractæ ſunt. Etenim reprobatis illis,quibus oportebat *Act.13.* primũ loqui verbũ dei,gentibus annunciatũ eſt. SEVERVS. Aenigmati ſimile eſſe videtur,quo pacto cùm K Moyſes vnà cum Aarone & ſenioribus in montem aſcenderit,iterum audiat,Aſcende ad me in mõtem,& dabo tibi duas tabulas lapideas,& legem & mãdata. Dicã quod ſentio, & inenarrabile myſteriorum pelagus audietis. Duplex erat lex.Vna quæ in ſuperficie literæ præcepta continebat,ſed in profundo ſpirituales ſenſus cõplectebatur.Ob id enim intrinſecùs & extrinſecùs ſcripta fuiſſe perhibetur, & Paulus legem alicubi teſtamentum literæ, alicubi verò ſpiritualem illã appellat. Literalem igitur legẽ quam populus ille rudis capere poterat, quũ deſcendiſſet Moyſes,toti populo conteſtatus eſt.Poſtmodum verò aſſumptis Aarone & ſenioribus Iſraël, eos vſque ad primũ montis verticem ſubduxit,hoc eſt,ad altitudinem particularis diuinorũ oraculorũ aſcenſionis,per quam litera ipſa tantummodo reuelabatur. Quũ autem interiorem ſcripturam, ſpiritualem dico ſenſum, & profunda legis accepturus eſſet,Ieſum Naue ſecum aſſumpſit, qui figuram Ieſu domini & ſeruatoris noſtri gerebat, neque enim ſine Ieſu profunda legis & Euãgelij myſteria intelligi poterãt.Sequitur, Surrexerũt Moyſes & Ioſue mini- *Quæſt.103.* ſter eius. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quid ſibi vult quòd Ieſus L Naue,non cõmemoratus in illis quatuor,ſubitò cum Moyſe apparet,& cũ illo aſcendit in montem ad accipiendas tabulas legis,& ſubitò rurſus idem Ieſus abſcõditur, id eſt,tacetur, & Moyſes accepit legẽ in duabus tabulis, & cũ eo iterum apparet? An fortè ſignificat nouũ teſtamentũ nomine Ieſu,& abſcõditum eſſe in lege,& aliquãdo apparere intelligentibus? Quod verò Ieſus iam vocatur,cũ in libro Numerorum quãdo id nomen acceperit ſcriptura teſtatur, quod iam prope eſſet vt terram promiſsionis intraret, per prolepſim, hoc eſt, per prꝛeoccupationẽ anticipat ſcriptura,quod poſtea factum eſt.Omnia quippe iſta poſteaquã facta ſunt ſcripta ſunt, ac per hoc quãdo factũ eſt quomodo commemoratur, nondum vocabatur Ieſus,ſed quando ſcriptum eſt,iam hoc vocabatur. BEDA. Igitur Ioſue miniſter Moyſi dominũ ſaluatorem & nomine deſignat & actione . Qui miniſter Moyſi *Matth.5.* rectè vocatur,quia apparens in carne, Moſaicæ legis in ſe cærimonias ſuſcipere dignatus eſt, quia nõ ſoluere legem,ſed venit adimplere.Moyſi in omnibus veſtigia ſequitur, quia in cunctis quæ loquitur vel ſcribit Moyſes, *Ioan.5.* ille vel typicè,vel manifeſtè deſignatus,quaſi comes indiuiduus, ſi bene quæritur, inuenitur . Hinc etenim dicit M Iudæis,Si credideretis Moyſi,crederetis forſitan & mihi,de me enim ille ſcripſit.Aſcendẽnſq; Moyſes in montem dei,ſenioribus ait,Expectate hîc,donec reuertamur ad vos.Habetis Aarõ & Hur vobiſcũ,ſi quid natũ fuerit quæſtionis,referetis ad eos.Aaron mõs fortitudinis,Hur interpretatur ignis ſiue lumẽ.Vnde Aaron ſaluatorẽ domi- *Eſa.2.* num,Hur deſignat ſpiritũ ſanctũ,quia & de hoc dicit Eſaias,Et erit in nouiſsimis diebus prꝛeparatus mõs domus domini in vertice montiũ.Et ille ſuper Apoſtolos in lumine ignis apparuit. Aſcendẽs ergo ad dominũ Moyſes, Aaron & Hur,hoc eſt,montẽ fortitudinis,& lumen ignis,in cãpeſtribus ad regimẽ populi dereliquit.Et nos ſi doctores noſtros ad altitudinẽ diuinę cõtẽplationis ſequi nõ poſſumus,curemus ſolliciti ne aliqua nos tẽtatio à vicinia mõtis dei retrahat,ſed iuxta modulũ noſtrum virtutũ operibus inſiſtamus,inhærẽtes ſtabili corde ſacramẽtis noſtri redẽptoris,quibus imbuti ſumus,& gratiã ſpiritus eius qua ſignati ſumus,intemeratã in nobis conſeruare curãtes.Et ſi qua nos aduerſitatũ quæſtio pulſauerit,mox adiutoriũ inuocemus eiuſdẽ noſtri redẽptoris,qui

fideles



A fideles ſuos per donũ ſancti ſpiritus protegere à malis omnibus ac liberare cõſueuit.Nec dubitãdũ, quia ſi in cœptis perſiſtimus,per montẽ fortitudinis infirmitas atq; humilitas noſtra cõfirmata exaltetur, & cunctis hoſtiũ tẽtamentis fortior efficiatur,per lumen quoq; & ignẽ ſpiritus ſancti noſtra illuſtretur ignorãtia,noſter ad dilectionem eiuſdẽ pij cõditoris animus inardeſcat.Cúmq; aſcẽdiſſet Moyſes,operuit nubes montẽ.Sicut mõs in quo legẽ accepit Moyſes,altitudinẽ perfectionis,quæ in eadẽ lege erat cõſcribenda, deſignat: ita nubes qua mõs tectus eſt,gratiã diuinæ inſinuat protectionis,qua tãtò amplius quiſq; fruitur,quãtò altiùs ad ſcrutãda mirabilia de lege dei reuelatis oculis cordis aſcẽdit.Nãque nec montẽ ſolũmodo in quo Moyſes aſcẽdit, nubes operuit, ſed & populũ per deſerta gradientẽ,qui nequaquã ad altiora poterat aſcẽdere,nihilominus nubes cœlitùs miſſa obumbrauit.Vnde ſcriptũ eſt,Expãdit nubẽ in protectionẽ eorũ,quia nimirũ dominus oẽs timentes ſe, puſillos cũ maioribus,cœleſti benedictione protegit.Et habitauit gloria domini ſuper Sinai,tegẽs illũ nube ſex diebus,ſeptimo B autẽ die vocauit eũ de medio caliginis. Nõ tantũ ſublimitas, verũ etiã nomẽ mõtis,in quo lex data eſt,perfectionem ipſius legis figuratè denũciat.Sinai nanq;,interpretatur mẽſura mea,ſiue amphora mea.Diuinitùs ergo procuratũ eſt,vt mõs in quo lex daretur,amphora mea vocaretur,quaſi ipſo domino per hoc vocabulũ ſignificãte,ꝙ lex ſua perfectã viuẽdi regulã omnibus promulgaret,& vnicuiq; ſecundũ opera ſua redderet, iuxta hoc quod ait ipſe,In quo enim iudicio iudicaueritis,iudicabimini.Et in qua mẽſura mẽſi fueritis,remetietur vobis.Bene au- *Matth.7:* tem dicitur,ꝙ Moyſe aſcendẽte,nubes & gloria domini ſex diebus montẽ operuerit, ſeptimo autẽ die illũ ad al- *Marc.4.* tiora mõtis vocauerit.Sex nanq; diebus in lege operari,in ſeptimo requieſcere iubemur.Aſcẽdénſq; montẽ Moyſes,ſex diebus nube & gloria domini tegitur, vt inſinuetur myſticè, quia quicunq; mãdata domini operibus iuſtis exequitur,diuina vtiq; protectione dignus exiſtit.Idẽ nanq; dominus, qui Moyſen aſcendere in mõte iuſsit, aſcendentẽ quoq; ſua nube & claritate circũdedit,quia qui donum nobis bene operãdi tribuit,ipſe nos bene operãtes ne deficiamus illuſtrat,ne tentamẽtis antiqui hoſtis quaſi ſeruoribus ſolis exuramur,protegit.Septimo autẽ C die vocat ad altiora dominus Moyſen, quia poſt operũ perfectionẽ, requiẽ nobis lex promittit æternã, vt qui in altitudine rectæ actionis domino aſsiſtere curauimus, iam ad eius viſionẽ atq; colloquium aſcẽdere mereamur, iuxta illud Pſalmiſtę,Etenim benedictionẽ dabit qui legẽ dedit.Ambulabũt de virtute in virtutẽ,videbitur deº *Pſal.83.* deorũ in Sion.Quod etiã in hac vita nõnullis electorũ cõſtat eſſe donatũ, vt poſt actiuæ perfectionẽ cõuerſationis,ad diuinæ gratiã ſpeculationis aſcẽderint,qualiſcunq; & quãtulacunq; hæc ab hominibus carne indutis fieri poteſt,quod & plurimis Patriarcharũ & Prophetarũ, & præ cęteris ipſi Moyſi cõceſſum eſt,de quo ſpecialiter di- *Exod.33.* ctũ eſt,quia locutus ſit cũ deo facie ad faciẽ,ſicut loqui ſolet homo cũ amico ſuo.Vnde & de illo ſpecialiter intelligi valet,ꝙ ſex diebus in mõte nube & gloria domini protectus ſit, ſeptimo autẽ die vocatus ad colloquiũ eius, altiora mõtis conſcẽderit,quia nimirũ per bona opera quæ domino donãte acceperat,magis ab illo illuſtrari,atque ab omnibus malorũ incurſibus meruſt obumbrari, ac ſic ad ſublimiora viſionis & collocutionis illius dona peruenit.Mediũ nanq; caliginis,vnde vocatus eſſe dicitur, nõ ineſſe deo tenebras vllas ſignificat,ſed quia lucem *1.Timot.6.* D inhabitat inacceſsibilẽ.Et ſicut idẽ dicit Apoſtolus,Quẽ vidit nullus hominũ,ſed nec videre poteſt.Caligo nãq; *Ibidem.* illa obſcuritas eſt,arcanorũ cœleſtiũ,terrenis quidẽ cordibº inacceſsibilis,ſed Moyſi,& cæteris mũdo corde beatis,diuina reſerãte gratia penetrabilis, quibus dicitur in Pſalmo, Accedite ad eũ & illuminamini. Inacceſsibilis *Pſal.33.* nanq; eſt lux eius viribus noſtris,ad quã tamen acceditur muneribus ipſius.Vbi aptè ſubiũgitur,Erat autẽ ſpecies gloriæ domini quaſi ignis ardẽs ſuper verticẽ mõtis in cõſpectu filiorũ Iſraël.Quaſi ignis nanq; ardẽs ſpecies gloriæ domini apparuit,quia corda electorũ,& dono ſciẽtiæ cœleſtis illuſtrat, & ardore ſuæ charitatis inflãmat. In nube ergo,caligine & igne gloria domini viſa eſt,In nube videlicet, quia nos ab æſtu tẽtationũ protegit:In caligine verò,quia potẽtia maieſtatis eius à nulla poteſt creatura ad integrũ cõprehendi.Pax enim dei exuperat om- *Philip.4.* nẽ ſenſum:In igne autẽ ardẽte, quia mẽtes fideliũ ſupernorũ bonorũ, & cognitione irradiat, & ſpe ac dilectione accẽdit.Et hãc quidẽ domini gloriã filij Iſraël de lõgè & ab inferioribus aſpiciũt . Moyſes verò altiùs aſcendẽdo penetrat,quia nimirũ abdita myſteriorũ diuinorũ perfecti quique perfectè ac ſublimiter vidẽt.At nos noſtrę meE mores fragilitatis & inertiæ, etſi huc intrare cõprehendẽdo nequiuimus,ſaltẽ credẽdo,ſperãdo, diligẽdo,in proximo manere atq; aſpectare curemus.Quaſi enim filij Iſraël à lõgè oculos ad montẽ dei atq; ad conſpectũ gloriæ eius habẽt,cũ infirmi quiq; in Eccleſia,ſe deum videre ſummoperè deſiderãtes,oculos mẽtis ſedulò in memoriã æternæ claritatis fixos tenẽt.Quibus in vicinia mõtis dei, in quẽ Moyſen aſcẽdiſſe nouerunt, cõmorantur, cũ in illo ſe moderamine viuẽdi coẽrcẽt,quo nunquã greſſum ſuæ operationis lõgiùs ab imitatione ſummorũ virorũ abſtrahãt,tametſi necdum plenè illorũ ad perfectionẽ ſequi veſtigia poſsint. AVCTOR CATENAE. Sed & in hoc nobis duplex hominũ genus adumbratur,eorũ quos dominus ſuo ſpiritu dignatur,qui de cõſortio domini nõ terrẽtur, ſed mirè afficiũtur,cũ appropinquãt ad dominũ,& eorũ qui adhuc carnei ſunt, quibus dominus horribilis eſt,cuius prꝛeſentiã & colloquiũ ferre nõ poſſunt. RVPERTVS. Talis quoq; ſpecies glorię domini,cœleſtiũ exẽplar fuit. Nã vbi quinquageſimo die gratia cœleſtis effulſit, erat itidẽ ſpecies gloriæ domini quaſi ignis.Et apparuerũt(inquit)illis diſpartitæ linguæ tanquã ignis,ſeditq; ſuper ſingulos eorum.Vtrobiq; viuacitas F ignis,zelũ & feruorẽ ſpiritus aduerſus peccata prꝛeſignauit. BEDA. Ingreſſusq; Moyſes medium nebulæ,aſcẽ- *Cap.2.* dit in montẽ,& fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Moyſes mediũ nebulæ ingreſſus aſcẽdit in mõtem,cũ prędicatores diuinæ legis,in quibus ipſe Moyſes eximius erat,ad intuẽda ſublimiter incerta & occulta ſapiẽtię diuinę inuitãte ac ducẽte domino penetrãt . Fuit autẽ cũ domino Moyſes quadraginta diebus ac noctibus,vt hoc numero tẽporis diſceret,quòd illi ſolũmodo decalogum legis,quẽ cũ ſuo populo acceperat,poſſent implere,quos Euãgelicæ gratia veritatis quæ quatuor libris erat deſcribẽda iuuaret. Quater enim deni, quadraginta faciunt.Vel certè quòd vẽturum eſſet tẽpus, quãdo eadẽ præcepta decalogi, quæ tunc cũ vno filiorũ Iſraël populo accepit,in notitiã cunctarũ gẽtium, quæ quatuor orbis partibus cõtinentur, diuina gratia largiẽte pãderẽtur,omnéſq; per horũ nationes obſeruantiã ad ſalutẽ peruenirẽt æternã. AVCTOR CATENAE. In medium nebulæ ingreditur Moyſes,Chriſtus autẽ corã diſcipulis ſuis apparuit cũ ſplendore & gloria cãdidis veſtimẽtis,ſicut & reſurrexit,vt oblectati mirũ in modũ diſcipuli,cuperẽt ſemper hac ſpecie frui. Tãta eſt diſtãtia in-

ter

ter legẽ & Euangeliũ,inter Moyſen & Chriſtũ,inter gratiã & peccatum,inter timorem & charitatẽ. GREGO- G
RIVS NYSSENVS. Itaq; ad penetralia diuinorũ ingreſſus Moyſes,nec Iudæis amplius viſibilis,ſolus erat cũ inuiſibili,vt nos(vt arbitror)his geſtis inſtrueret, quòd oporteat ſi quis velit eſſe cum deo, omnia hæc quæ videtur cõtemnere,ac mentẽ ſuã ad inuiſibile atque incõprehenſibile quaſi ad ſummitatem mõtis dirigere, ibíq; credere deũ eſſe,quò peruenire cogitatio nõ poteſt.Quid autẽ ſignificat, quòd in caliginẽ ſeipſum priùs Moyſes intromiſit,deinde in ea deũ proſpexit?Cõtrarium enim id quodãmodo videtur primæ viſioni,nã tunc in luce,nũc in caligine deũ videt.Sed id quoq; à ſerie anagogici ſenſus abhorrere nõ putamus, per hãc enim diuerſitatẽ hiſtoriæ docemur, quòd veritatis cognitio iis lux eſt, à quibus primò percepta eſt. Veritatis enim oppoſitũ tenebra eſt,cuius depulſio,nõ niſi lucis preſentia fit.Verũ mens hominis ad maiora ſemper & perfectiora procedẽs,quãtò magis ad dei ſpeculationẽ accedit, tãtò magis perſpicit, quòd diuina natura inuiſibilis atq; incõprehenſibilis eſt.Nã cũ reliquerit nõ ſolũ omnia,quæ ſenſu percipiũtur,verũ etiã cũcta quæ mẽte inſpiciũtur,ac ſemper ad in- H
teriora progrediatur,tunc caligine vndiq; circũſeptus, in inuiſibili & incomprehenſibili deũ videt.In hoc enim cõſiſtit dei vera cognitio,in hoc eſt eius viſio,vt videas quod videri nõ poſsit, quòd omnẽ cognitionẽ cognitio eius excedit,quaſi caligine quadã ipſa incõprehenſibilitate vndiq; cõtenta.Quapropter diuinus etiã Ioãnes, qui in ſplẽdidiſsimã hanc caliginẽ peruenerat,nõ dubitauit exclamare,Deũ nullus vnquã vidit,nõ ſolũ hominibus, ſed intellectuali omni naturæ impoſsibilẽ diuinæ ſubſtãtiæ cognitionẽ hac negatione determinãs.Quare Moyſes etiã cũ virtutibus maior factus fuit,tũc cõfitetur in caligine deũ vidiſſe,id eſt,tunc demũ cognouiſſe illã eſſe diuinã naturã,quæ cognitionẽ & cõprehenſionẽ omnẽ excedit. Intrauit enim Moyſes(hiſtoria inquit)in caligi- I
nẽ,vbi deus erat.Quiſnam deus?qui poſuit tenebras occultationẽ ſuã,vt cecinit Dauid ille,qui etiã in eadẽ caligine initiatus eſt,quã qui intrauit,quæ per caliginẽ didicit, vt fiat firmior hæc ſentẽtia nobis diuina voce atque auctoritate cõprobata. Vetat enim in primis diuinũ præceptum, ne alicuius rei quã cognoſcas deo ſimilẽ putes, omnis enim intellectus,qui phãtaſtica quadã cogitatione,quaſi cõiectura diuinã naturã apprehẽdit,ſimulachrũ quidẽ dei finxit in mente, deũ autẽ nõ intellexit.Verũ cùm virtus,quæ ſecundũ veritatẽ eſt,bipartita ſit, partímque fide in deũ,partim recta viuẽdi ratione cõſtituatur (pietatis enim profectò pars nõ parua eſt mũdicies vitæ) primũ didicit quid oporteat de deo cognoſcere:quod quidem cognoſcere,nihil aliud eſt,quã nihil corũ eſſe deũ cognoſcere,quæ humana mẽs poteſt cognoſcere.Deinde aliã virtutis partẽ diligẽter docetur,docetur enim quibus operibus bene viuendi ratio perficiatur, ac demũ in tabernaculũ,ꝙ manus nulla fuerat fabricata ingreditur. Quis ſequetur hũc,qui per tot tãtáque ſcandit?ac mentẽ ſemper in altius extollit? qui cũ in vnũ cacumen aſcenderit,ad alterũ illud ſibi ſit gradus,& illud iterum atque iterũ ad aliud, ita vt de altiori in altius ſemper aſcẽdat, ſempérque ſeipſo fiat præſtãtior? Primũ cùm cæteri omnes ad aſcẽſum deficerent, radices mõtis ſolus ſupergreditur.Deinde tubarũ ſonitus auribus percepit altitudine montis mirabili.Ipſe quoque mirificè eleuatus,ad hæc inuiſibilia diuinæ cognitionis penetralia ingreditur.Nec ibi permãſit, ſed in tabernaculum nulla manu factum pertrãſit,certè nanq; ad hũc tandẽ ille finẽ peruenit,qui huiuſmodi aſcenſibus exaltatur. RVPERTVS. Nebulã ſiue caliginẽ quã in his locis ſcriptura ſæpius expreſsit,nõnulli lucẽ inacceſsibilẽ dixerunt,videlicet quia di- K
1.Timot. 6. cit Apoſtolus,Quẽ vidit hominũ nemo,nec videre poteſt, qui lucẽ habitat inacceſsibilem.Verũ hic ſenſus,vt in vocabulo nebulæ,ſeu caliginis lux intelligatur per antiphraſim, pluribus ſcripturarũ tractatoribus nõ cõplacuit. Porrò præter typicam intelligentiã,id quod Moyſes mediũ nebulæ ingreditur,moraliter quoque appetendã eſſe quietem atque cordis munditiã,eis qui ad cõtemplationem tendũt,innuit.Quid enim eſt, quod hîc vt ſublimia dei præcepta perciperet,alta cõſcendit,atque vt interna penetraret,ab exterioribus tumultibus occultatus eſt,niſi quòd ſancti viri qui exterioribus miniſteriis deſeruire officij neceſsitate cogũtur, ſtudioſè ſemper ad cordis ſecreta refugiũt,ibíque cogitationis intimæ cacumen aſcendũt:Et legẽ quaſi in monte percipiũt, dũ poſtpoſitis tumultibus actionũ temporaliũ,in cõtemplationis ſuæ vertice ſupernæ voluntatis ſententiã perſcrutantur. Sed & in eo quòd ibi fuit ſine cibo & potu quadraginta diebus & totidẽ noctib⁹ Moyſes, vtiliter ſatis prouidit diuinitas,quatenus idoneũ haberet teſtimoniũ Chriſti humanitas.Ille nãq; ieiunare habebat quadraginta dieb⁹ & qua- L
draginta noctibus,vt pro gula peccatoris primi hominis,innocẽs hic homo ſecũdus, ordinata ſatisfactione vapularet,nobíſq; in ſe credẽtibus,quẽ ille mãducando perdidit,cibũ vitæ æternæ,ieiunãdo acquireret.Sed hoc(vt prædictũ eſt)ſupra naturã hominis eſt,& idcirco hæretica prauitas,quæ illũ nõ verè, ſed in phantaſmate hominẽ apparuiſſe cõtendit,tã diuturnũ ieiuniũ in ſuæ veſanię patrociniũ procaciter arripuit.Vtiliter ergo nobis(vt iam dictũ eſt)diuinitas prouidit,vt duos teſtes veritatis ieiunantis hominis Chriſti,humanitas obtineret: Alterũ ſcilicet ex lege,alterũ ex Prophetis.Imò(ſi libet)dicimus,quia nõ duos tantũ,ſed & tres habuit teſtes in hoc negocio hic deus & homo verus ſaluator noſter. Vnus enim Moyſes, ſecundò ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.Igitur in ore non tantùm duorum,ſed etiam trium ſtabit & hoc verbum.

## IN CAPVT EXODI VIGESIMVM QVINTVM, ARGVMENTVM.

*Dona volũtaria exigit deus à populo pro cõfectione tabernaculi,Forma arcæ,propitiatorij,Cherubim,mẽſæ,ſacrorũ vaſorũ,cãdelabri,Incenſi.* M

## CAPVT XXV.

*Lectio prima.*

*LOcutúſq; eſt dominus ad Moyſen,dicẽs,Loquere filiis Iſrael,ut tollãt mihi primitias.Abomni homine qui offert ultroneus,accipietis eas.Hæc ſunt autẽ quæ accipere debetis.Aurum & argentũ & æs hyacinthũ,& purpurã,coccúmq; bis tinctũ & byſſum, pilos caprarũ,& pelles arietũ rubricatas, pelléſq; Ianthinas & ligna Sethim,oleũ ad luminaria cõcinnãda, aromata in unguentũ & thymiamata boni odoris, lapides onychinos & gẽmas ad ornandum Ephod ac Rationale.Faciẽntque mihi ſanctuarium,& habitabo in medio eorum,iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi,& omnium uaſorum in cultum eius.*

RVPERTVS



A RVPERTVS. Tabernaculum verũ quod fixit deus & non homo,tabernaculi quod fixit Moyſes,exemplar fuiſſe,auctor eſt idem deus, & non homo. Ait enim,Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.Cuius dicti memor Apoſtolus,Non enim in manufactis(inquit)ſanctis,Ieſus introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum. Hæc tanta auctoritas Architecti dei illius tabernaculi manufacti ſtructuram toti mundo ſpectabilem fecit. Vbi? In hac ſancta & veridica ſcriptura, quæ retinuit, & obliuioni ſuſtulit ædificationis illius menſuras vniuerſas, numeróſque & pondera. Diuertunt huc omnes, qui in hoc mundo peregrinantur, regni cœlorum milites, qui pertranſeunt, & manentem hîc ciuitatem non habentes, futuram inquirunt, atque cœleſtium quæ iam ex parte cognoſcunt, hîc exemplaria contemplantur, vt proficiant ad cognoſcendum.Qui & mirantes dicunt,Quàm dilecta tabernacula tua domine vitutum.Et nos igitur quos ad hũc locũ recta propoſiti noſtri via perduxit,pauliſper immoremur hîc,quatenus ex pulchritudine tabernacu- B
li allecta,concupiſcat & deficiat anima noſtra in atria domini, corde & carne exultantibus in deum viuum,vbi paſſer domum, & turtur inuenit ſibi nidum. Aſpiciat deus & paſſerem ſecũdum cor in illam cœleſtem domum tendentem, & turturem ſecundum carnem præſenti tabernaculo laborantem,& quia tam ſancta quàm alta ſunt quæ molimur,auxilium gratiæ eius,& ad bene cogitandum præueniat paſſerem,& ad bene agendum ſubſequatur turturem.Sed iam tabernaculi ipſius ſtructuram deo duce, & candelabro quod ille eſt,prælucente ingrediamur. *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, vt tollant mihi primitias.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Primitias dicit non ſegetum, quod exigeret proprietas vocabuli, ſed partem quandam ſeparatam deſtinatæ pecuniæ cuiuſque in opus diuinum, ad conſtruendum tabernaculum, ſicut primitiæ ſolẽt deo ſeparatim dari, quantum quiſque vult, non pars determinata,ſicut decima,& hoc notat litera quę ſequitur,Qui offert vltroneus.Non enim vult vt cogantur, ſed quiſque quantum vult offerat. CAIETANVS. Nomen eſt tetragrammaton,ad ſignificandum quòd infrà ſcripta ab ipſo ſummo deo reuelata ſunt. Nec eſt dubiũ quòd C
locutio iſta fuerit intellectualis.Quod autẽ dicitur primitias, Iuxta Hebræũ habetur,eleuationẽ.Quod offerebatur deo,appellatur eleuatio,tum ab actu eleuãdi cũ offerebatur deo eleuatis manibus,tum à dignitate,quia ex re profana eleuabatur in rem diuinã,res enim deo oblata in diuinũ trãſlata eſt ordinẽ. AVCTOR CATENAE. Vt tollant mihi primitias.Hebraicè dictio eſt תְּרוּמָה Teruma,hoc eſt,oblationem vel eleuationẽ & anathema, earum videlicet rerũ quæ ſuſpenduntur.Et quidẽ aliquando capitur hæc dictio pro primitiis,vt vertit Interpres, aliquando pro ritu quodam oblationis,quando quid à communibus vſibus ſeparabatur,& domino offerebatur, vt cum armus & pectuſculũ in altum corã domino leuabantur,aliquãdo pro donatione & cõtributione.Hîc ergo quarũcunq; rerum munificũ & liberale donũ ſignificat,quod dño ſeparatur.Vertere igitur poſſumus oblationem(de bonis ſuis ſcilicet) Et in eadẽ ſignificatione intellexit Interpres primitias, prout largo modo hæc dictio accipitur,videlicet pro quacunq; oblatione.Septuaginta etiam ipſi,λαβέτωσάμ μοι ἀπαρχὰς habent,id eſt, Sumite mihi primitias.Chaldaica quoq; editio,Vt ſeparent corã me,ſeparationẽ primitiarum. Quæ igitur appellantur D
hîc primitiæ,quædã ſunt ad opus tabernaculi extruendũ pro dei cultu,liberæ cõtributiones & collectæ, auri, argenti,gemmarũ & materiarũ,ex quibus cortinæ,tecta, funes,& reliqua vaſa multa confici poſſent, quæ Hebraicè eleuationes dicuntur & ſuſpenſiones.Eſt enim רוּם Rum,à quo deſcendit hæc dictio eleuare aut exaltare,quia tollebantur & colligebantur à ſponte offerentibus,& à cõmunibus ſeparatæ vſibus veluti anathemata quaſi ſuſpẽdebantur ad diuinum cultũ ex illis promouendũ. RVPERTVS. Deinde exponens quid dixerit, vel quid intelligi voluerit,dicendo,primitias,continuò ſubiunxit. *Ab omni homine qui offert vltroneus accipietis eas.* Vltroneus offert qui non coacta ſeruitute,ſed ſpontanea charitate quiſpiam offert.Ergo charitatis oblationes,ſiue magnæ ſiue paruæ ſint, primitiæ domino ſunt,& ad cœleſtis tabernaculi eius ornatum proficiunt.E cõtra quicquid ex triſtitia offertur,ſerotinũ eſt,& ad decorẽ domus dñi proficere non poteſt. Proinde Apoſtolus cũ dixiſſet, Qui parcè ſeminat,parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus,de benedictionib⁹ & metet, cõtinuò ſubiunxit, Vnuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo,nõ ex triſtitia aut ex neceſsitate,hilarẽ enim datorẽ diligit deus,& cę- E
tera.Bene ergo dixit quòd opportunè audiant omnes tabernaculi dei,id eſt,Eccleſiæ Chriſti auditores, ab omni homine qui offert vltroneus,accipietis eas.Quod de corporalibus dictum eſt,itidem de ſpiritualibus dicendum eſt,& ſentiendum.Nam quicquid boni ſiue corporale ſiue ſpirituale ſit, ſi idcirco faciemus coram hominibus,vt videant opera noſtra bona,& glorificent patrẽ noſtrum qui in cœlis eſt,primitiũ eſt,& primitiarũ acceptor deus ſuſcipi iubet.E contra ſi quis faciat coram hominibus,ad hoc tantũ vt videatur ab eis,nullam ſibi in tabernaculo dei collocat memoriam.Nam in eo quòd viſus eſt ab hominibus, recepit mercedẽ ſuam. RABANVS. Bene ergo præcipit Moyſes ab homine qui offert vltroneus,accipere primitias,hilarem nanq;(vt dictum eſt)datorẽ diligit deus.Quod ſe facere ſciens Propheta gloriatur,domino dicens, Volũtariè ſacrificabo tibi. CAIETA- F
NVS. Iuxta Hebræum locus iſte ita legitur.Ab omni homine qui ſponte volet,ipſe,cor eius accipietis eleuationem meam.Conditiones offerentis deo deſcribuntur ab ipſo deo duæ.Altera,quòd ſponte velit: altera appoſitiuè,quòd cor eius velit.Vult enim quòd non ſolũ ſponte, ſed ex intimo corde velit offerre,quicunq; offert. Et dicendo accipietis,docet miniſtros Eccleſiaſticos,vt non niſi à talibus accipiant oblationes,per hoc enim excludit non ſolũ extortas & minus ſpontaneas,ſed etiã minus lætas oblationes. AVCTOR CATENAE. Ab omni homine qui offert vltroneus.Optimè redditus eſt Hebraiſmus ab interprete qui eſt אֲשֶׁר יִדְּבֶנּוּ לִבּוֹ Aſer iddebênnu libbo,Qui ſpõte offert cor ſuũ:vel, qui volũtariũ exhibuerit cor ſuũ: Alij vertũt,Cuius cor ſiue animus, voluntariè dederit. Alij,Quem ſponteneum faciet cor eius.Nonnulli, Cuius cor ſpõte offeret eam(nempe oblationem)Septuaginta,οὗς ἂν ὁδήγῃ τῇ καρδίᾳ, Quibus viſum fuerit cordi. Chaldaica editio, Ab omni (inquit) viro qui voluerit ex corde ſuo.Quorum omnium vnus atque idem ſenſus.Nam verbum Hebraicum נָדַב Nadab,voluntariè ſeu ſponte offerre, vltroneum afferre, ſeu liberalem eſſe ſignificat. Accipietis eas. Id quod eſt Hebraicè, תִּקְחוּ אֶת תְּרוּמָתִי Tikchu eth terrumathi, Accipietis ſeparationem meam, Sic habet & Chaldaica. Vel oblationem meam,id eſt, quæ mihi & non idolis debetur.Alij reddunt,Accipietis mihi oblationẽ.Septuaginta, τὰς ἀπαρχάς μου,Primitias meas legunt. Eſt autem eadem dictio Teruma, de qua ſuprà iam ſatis diximus.

*Hæc ſunt autem quæ accipere debetis: Aurum & argentum & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelléſque Ianthinas, & ligna Sethim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum & thymiamata boni odoris, Lapides Onychinos, & gemmas ad ornandū Ephod ac rationale.* RVPERTVS. Ergo vt primitiæ ſint quę offeruntur, non oblationū quantitas, ſed offerentiū bona efficit voluntas. Multū enim ab auro & argento, pili caprarum in pretio differunt, & tamen ſub eodē vocabulo primitiarū poſiti ſunt. Nec dubitandū, pilos caprarū & pelles arietum, interdum auro & argento lapidibuſq; pretioſis priora fuiſſe apud cordium inſpectorem deum, *Matth.12.* Nam eiuſdem tabernaculi inſpector deus ac dominus, cùm ſederet contra gazophylacium, aſpiciens quomodo *Luc.21.* turba iactaret æs in gazophylaciū, multiq; diuites iactarent multa, venit vna vidua pauper, & miſit duo minuta, quod eſt quadrans, & conuocans diſcipulos ſuos, ait illis, Amen dico vobis, quoniā vidua hæc pauper plus omnibus miſit. Omnes enim quod abundabat illis miſerūt, hæc verò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum. CAIETANVS. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis. Aurum & argentum & æs, H hyacinthum & purpuram coccúmq; bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelléſque ianthinas. Iuxta Hebræum habetur, & pelles techaſim, hoc eſt, taxorum vt quidam interpretantur, vel animalium quorundā maculoſas habentium pelles, tanquam naturaliter pictæ pelles ſignificantur. Et ligna Sittim. Aiunt Hebræi nonnulli ſignificari ligna magnarum cedrorum. An verum ſit neſcio, rationabile tamen eſt, vt ſignificentur ligna magnarum arborum in illis regionibus, vtpote ex quibus conſtructum eſt tabernaculum. Ita quòd ſinguli aſſeres erant decem cubitorum ſecundum longitudinem, & vnius ac dimidij cubiti ſecundum latitudinem, vt in ſequenti patet capitulo. Oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum & thymiamata boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod ac rationale. Nomina ſunt eorū quibus induebatur ſacerdos. Primùm amictus erat humerorum, alterum amictus erat pectoris. Et in Hebræo illud humerale, hoc pectorale vocatur, de quibus erit ſermo diffuſus. AVCTOR CATENAE. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis. Hebraicè eſt וְזֹאת הַתְּרוּמָה אֲשֶׁר תִּקְחוּ מֵאִתָּם Vezoth hateruma aſer tikchu meittam, I Hæc autem eſt oblatio quam accipietis ab eis. Chaldaica, Hæc eſt autem ſeparatio, quam tolletis ab eis. Septuaginta habent etiam hîc ἀπαρχήν, id eſt, primitia. Sed hæc non variant literæ noſtræ ſenſum. De qua materia ſint faciendæ collectæ ſigillatim ſcribitur, & notatur aurum, argentum, æs, hyacinthus, qui Hebraicè dicitur תְּכֵלֶת Thechéleth, & lana eſt tincta cærulei coloris, id eſt aërei, prout experientia docet, nam & allatus aliâs ex Conſtantinopoli hyacinthus pulcherrimus, penitùs cæruleus erat odore laudatiſsimo. Alij coloris eſſe volunt crocei, ſiue flaui & pallidi, vt aurum. Purpura autem rubei eſt coloris ſiue rutili & ſubruffi, de ſanguine videlicet purpuræ, de quo apud Plinium multa. Quaſi dicat dominus, accipere debetis veſtes hyacinthinas, ſiue pannos hyacinthinos, & veſtes ſiue pannos purpureos. Coccus verò bis tinctus ſiue vermiculus coccineus, videtur eſſe lana vel ſericum illud cocco tinctum ſubtiliſsimum, de vermibus multa diligentia deſumi ſolitum, quod duplicatur, imò decuplicatur & contorquetur, vt in fila promoueantur aptiſsima & ſubtiliſsima. Eſt autem & ipſe rubei coloris, qui vulgo carmeſinus nuncupatur, ſed lucidior quàm purpura. Scribitur autem in Hebræo K תּוֹלַעַת שָׁנִי Tholáhat ſani, quæ vtraque dictio coccum vermiculúmque ſignificat ſecundum Hebræos, & mirum eſt, cur ita bis eandem expreſſerit ſignificationem. Fortè melius à Sana verbo, quod ſecundare ſeu iterare ſignificat, deductum dicere poſſemus, vt eſſet ſenſus, coccúmque duplicatum ſiue iteratum. Ex quo Interpres noſter prudenter bis tinctum verterit. Quæ lectio à Septuaginta non diſcreparet, qui κόκκινον δίπλοῦν, id eſt, coccinum duplum habent. Vertunt alij, Vermiculum cocci. Chaldaica habet duntaxat, Et coccinum. Quæ tamen omnia idem dicunt. Byſſus autem ſecundum Hebræos linum eſt tenuiſsimum & candidiſsimum, quod etiam ſecundum aliquos eorum, tantùm in Aegypto reperiebatur, & aliis coloribus minimè tingebatur, cuius tela adhibita eſt in opus tabernaculi. Neſcitur autem cur Septuaginta, καὶ βύσσον κεκλωσμένην, id eſt, byſſum retortam addiderint, cùm Hebraicè dictio שֵׁשׁ Ses tantùm ſit poſita, quæ byſſum ſignificat. Ni fortè eò tendant, vt innuant linum tortum, & iam telam effectum. Quod ſæpiſsimè ponetur inferiùs. Pro pilis caprarum, Hebræi עִזִּים Hizzim, hoc eſt, capras habent, quarum pili, vel etiam pelles ſiue lana caprina, vel etiam veſtes ex hu- L iuſmodi pilis confectæ, in vſu fuiſſe videntur. Pelles autem arietum rubricatæ, Hebraicè מְאָדָּמִים Meoddamim, hoc eſt, ruffæ, & rubentes dicuntur, vt eſt corium rubicundum, & in ſanguineum colorem tendens, ſicut eſt huius vocabuli paſsim vſus. Septuaginta etiam, δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα, hoc eſt, pelles arietum rubefactas ſeu rubricatas dixerunt. Sic & Chaldaica. Pelléſque ianthinas. Hebraicè עֹרֹת תְּחָשִׁים Horoth techaſim. Quos Hebræorum aliqui taxos ſiue taſos, quod animantis genus etiam noſtris regionibus notum eſt. Alij beſtiam quæ ſolùm ea tempeſtate inueniebatur coloris varij, & quæ inter munda animalia cenſeretur, plurimáſque haberet maculas, Nonnulli bouem eſſe dixerunt. In eorum etiam Talmud hæ pelles mira varietate diſtinctæ eſſe narrantur. Et vt verum fateamur, minus hæc videntur habere cognita Hebræi quàm omnes aliæ gentes: ſi quid abſtruſius retegendum eſt, inueniuntur quàm omnes perplexiones. Nullam enim tenent hiſtoriarum peritiam, non norunt naturam animaliū, non herbarum nomina, non earum colores, nō proprietates. Quidā ergo reddūt Hebraica, Pelles Melium, id eſt, taxorum. Chaldaica editio, Pelleſq; taxorū: Septuaginta, καὶ δέρματα ὑακίνθινα, Et M pelles hyacinthinas. Verū Latinus Interpres, Pelléſq; ianthinas vertit, quæ vox Græca eſt, ab ἴον, id eſt, viola, & ἄνθος flore, quaſi dixeris florum ſimiles, quaſi floribus diſtinctas ac varias, ac ſi violacei coloris pelles nominaſſet. Et ligna Sethim. Vox Hebraica eſt Sittim, quā Septuaginta verterunt ξύλα ἄσηπτα, id eſt, ligna incorrupta. Mittimus hîc quoque diſcordias Hebræorū ſuper hoc ligno, quæ tot ſunt, vt pudeat nos eorū inſcitiæ. Sunt autem qui putent eſſe cedrum, & eam quidem optimam, alij piceam, alij buxum, placet ſtare ſententiæ ipſorū Septuaginta. Hoc lignum cū nō inueniretur in deſerto, dicunt Hebræi, ſecum filios Iſraël ex dei præcepto ex Aegypto aſportaſſe. Quod neſcimus an verū ſit, an fictum ab ipſis, vt multa eiuſmodi apud illos reperiuntur. Opinati ſunt hæc, quia in deſerto non erant arbores. Interiectum eſt autem in Græcorum codicibus, hoc quod in contextu Hebraico non habetur hîc, ſcilicet καὶ λίθους σαρδίνους, Et lapides ſardios, eſt enim inferiùs. Oleum ad luminaria concinnanda. Oleum quoque offerebant pro lucernis in candelabro die noctuq; lucentibus. Aromata in vnguentū.

Quod



A Quod nos dicimus in vnguentum, Hebraicè eſt לְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה Leſémen hamiſcha, id eſt, in oleum vnctionis. Et ſic habet Chaldaica. Alij vertunt, Pro oleo vnctionis, ſicut & Septuaginta. Nonnulli, Ad vnguentū odoriferum. Quæ omnia nihil aliud ſunt quàm quod vertit Latinus Interpres. Et thymiamata boni odoris. Hebraicè eſt, וְלִקְטֹרֶת הַסַּמִּים Veliktóreth haſammim. Sciendum verò dictionem ketóreth, ſignificare ſuffumigationem, incenſum, ſiue thymiama. Sam verò, omne aromatum genus, ſolúmq; in plurali numero inueniri, videlicet ſammim, Vnde rectè verti poſſet, Et in incenſum aromatum, & ſic habet Chaldaica. Alij legunt, Et aromata ad ſuffitum. Alij, Et pro incēſo ſuauium odorum. Alij, Et ad ſuffitum odoratū. Nónulli vertunt, Et pro thymiamate aromatum, Vt ſit ſenſus, Accipias & aromata ad componendum vnguentum odoriferum, & incenſum odoratum, hoc eſt, thymiama boni odoris, ſicut doctus Interpres noſter vertit. Septuaginta etiam, εἰς τὴν σύνθεσιν τοῦ θυμιάματος, In compoſitionem thymiamatis. Aromata ergo pro oleo vnctionis ſacræ offerenda præcipiuntur, quo
B tam tabernaculum ipſum, quàm vaſa eius cum ſacerdotibus vngerētur, ad comparandam eis in populo auctoritatem pro ſanctimonia quadā inſigni, quā talis indicare debebat inunctio. Suffitum quoque ſuauiſſimi odoris amabat in ſacris, ideo thymiamata odorifera quæque inferre ſponte iubentur. Lapides onychinos, & gemmas ad ornādum ephod ac rationale. Hebraicè eſt, וְאַבְנֵי מִלֻּאִים לָאֵפֹד וְלַחֹשֶׁן Veabne milluim laephod velachóſen, Et lapides plenitudinum, ſiue impletionum in, vel ad ſuperhumerale & pectorale. Lapides verò plenitudinū vocat gemmas, quæ auro & argento includi ſolent, atque ita replent locum factum in re aliqua argentea, quem palam vocant, vt videmus in anulis. Has autem gemmas parabant ad ornandum ſuperhumerale & pectorale. Vertunt alij, Et lapides qui includantur in Ephod & in pectorali, id eſt, qui implent loca vacua, & capſulas pro ipſis includendis fabrefacta, & inſculpuntur. Vnde Chaldaica habet, Et lapides vt impleant cęlaturas ephod & rationalis. Septuaginta, καὶ λίθους εἰς τὴν γλυφὴν εἰς τὴν ἐπωμίδα, καὶ τὸν ποδήρη, Et lapides in ſculpturā ad ſuperhumerale, & tunicam talarem. Sed hæc omnia nequaquam à Latinæ literę ſenſu diſcordant. Ephod autem fuit veſtis
C quædam humeralis, poſteriorem partem, atque humeros tegens, & pectorale fuit ornamentum ex ſerico, auro, & pretioſis lapidibus factum, quod ſummus ſacerdos in pectore ſuo, & ſuper cor ſuum portabat, in quo erant Vrim & Thummim, vnde reſponſa diuina dabantur. Habuerunt enim Hebræi temporum ſucceſſu triplex oraculi genus, Prophetiam, Vrim, & Thummim, & tandem cùm iſta ceſſaſſent, vſi ſunt in templo ſecundo voce quadam è cœlo lapſa, vnde futura didicerunt. Duorum autem horum ornamentorum ſiue amictuum, primus à Septuaginta vocatur ἐπωμὶς, hoc eſt, ſuperhumeralis, ſecundus huic oppoſitus ποδήρης, id eſt, talaris tunica, non quòd ad talos applicetur, ſed quòd à pectore deſcendens, vſque in talos ſeſe porrigat. Quo habitu vtūtur etiam apud nos ſacerdotes, appellantúrque tam à Latinis quàm à Græcis poderes, quod Latinè verti poteſt talaris. Gemmæ ergo pretioſæ, impletionum lapides dicuntur, quia auro circundabantur ad decorem, & inſerebantur rationali, quod & implebant, vel quia conſecrata habebantur & ſacra, myſterium continentes duodecim Patriarcharum, & duodecim tribuum Iſraël, quorum nomina ſingula in ſingulis gemmis ſculpta erant in rationali. Duo enim
D Onychini ſuper rationale, in Ephod vel ſuperhumerali proſtabant, ad gloriam & magnificentiam ſummi pontificis. Et hæc omnia diligenter annotaueris, quia in ſequentibus pluries de his fiet mentio, & nos ſuperſedebimus ab iſtis denuò commemorandis. *Faciéntque mihi ſanctuarium, Et habitabo in medio eorum, iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi, & omnium vaſorū in cultū eius.* AVGVSTINVS CONTRA ADIMANTHVM. *Cap.10.*
Commouent etiam hîc Manichæi quæſtionē, & huic ſcripturarum loco illud in Euangelio dicūt eſſe cōtrarium quod ait dominus, Non iurabis neq; per cælum, & cætera. Diſputant enim, & magnū aliquid ſibi videntur dicere cū dicūt, Quomodo ille deus cuius cœlū ſedes, & terra ſcabellum pedū eius eſt, in tabernaculo habitat quod ex auro, & argento, & ære, & purpura, & pilis pecorū, pellibuſq; cōſtructū eſt? Adhibētes etiā teſtē Apoſtolū Paulum, quia dicit deū lucē habitare inacceſsibilē. Quibus nos parē quæſtionē referim⁹, & quod de nouo teſtaméto protulerunt, de veteri teſtamento proferimus. Ibi enim inuenitur priùs ſcriptū, Cœlū mihi ſedes eſt, terra autē ſcabellū pedū, & cæt. Ecce habent vbi libri veteris teſtaméti prędicāt deū in tēplis manufactis non habitare, & tamē *Matth.5.* *1. Tim. 6.* *Eſa.66.*
E filius dei noſtri in flagello de reſtibus facto expulit de tēplo eos, qui boues & colūbas vendebant, & numulariorū euertit mēſas, & ait, Domus patris mei, domus orationis vocabitur, vos autē feciſtis illā ſpeluncā latronū. Si ergo aliquis iſtis duobus ex aduerſo capitulis cōſtitutis, velit imperitos decipere, & dicere in veteri teſtaméto magnificari deū, cuius dicitur ſedes cœlū, & terra ſcabellū pedum eius, & negatur habitare in domo manufacta: in nouo autē teſtaméto domus eius dicitur templū conſtructū ab hominibus, nōne Manichæi vel ſerò fatebūtur, & habitaculū dei per manus hominū factum, ad aliquā ſignificationē in vtroq; teſtamento accipi, & deum nō habitare in locis ab hominibus fabricatis, in vtroq; teſtamento prædicari? THOMAS IN EPISTOLAM *Ca.3.Lect.3.*
PRIMAM AD CORINTHIOS. Eſt de ratione templi quòd ſit habitaculum dei, ſecundū illud pſalmi, Deus in tēplo ſancto ſuo. Vnde omne illud in quo deus habitat, poteſt dici templū. Habitat enim deus principaliter in ſeipſo, quia ipſe ſolus ſe cōprehendit, vnde & ipſe deus templū dei dicitur Apocalypſis vigeſimoprimo, Dominus deus omnipotēs templum illius eſt. Habitat etiam deus in domo ſacrata per ſpiritualem cultū qui in
F ea ſibi exhibetur, & ideo domus ſacrata dicitur templū, ſecundū illud pſalmi, Adorabo ad templum ſanctū tuū, & cætera. Habitat etiam deus in omnibus per fidem quę per dilectionē operatur, ſecundū illud Epheſiorū tertio. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, vnde & ad probandū quòd fideles ſint templum dei, ſubiungit quòd inhabitantur à deo cū dicit, Et ſpiritus dei habitat in vobis. Et Romanorū octauo dictum eſt, Spiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtū, habitabit in nobis. Et Ezechielis 37. Spiritum meū ponam in medio veſtri. Ex quo patet q⁹ ſpiritus ſanctus eſt deus, per cuius inhabitationē fideles dicūtur templū dei. Sola enim inhabitatio dei, templum dei facit, vt dictū eſt. Eſt autem cōſiderandū q⁹ deus eſt in omnibus creaturis, in quibus eſt per eſſentiā, potentiam & præſentiam, implens omnia bonitatibus ſuis, ſecundum illud Hieremiæ vigeſimotertio, Cœlum & terram ego impleo. Sed ſpiritualiter dicitur deus inhabitare tanquam in familiari domo in ſanctis, quorum mens capax eſt dei per cognitionem & amorem, etiam ſi ipſi in actu non cognoſcant & diligant dummodo habeant per gratiam habitum fidei & charitatis, ſicut patet de pueris baptizatis. Et cognitio ſine dilectione

non sufficit ad inhabitationem dei, secundum illud primæ Ioannis quarto, Qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Inde est quòd multi cognoscunt deum vel per naturalem cognitionem vel per fidem informem, quos tamen non inhabitat spiritus dei. AVCTOR CATENAE. Iuxta omnem similitudinẽ tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius. Sic est in Hebræo hæc litera, prout legitur in Chaldaica, Iuxta omnia quæ ego ostendo tibi, similitudinẽ tabernaculi, & similitudinem omniũ vasorũ eius. Sic & Septuaginta. Quod tamen à nostra litera non discordat. Et est sensus, Omnino vt ego ostendã tibi exemplar vel similitudinẽ tabernaculi, & exemplar omnium vasorũ eius, sic faciatis. מקדש Mikdas autem sanctuariũ, generale est vocabulum, quo tam tabernaculũ à Moyse cõstructum, quàm templum postea à Salomone ædificatum intelligitur. Sic dictum, quòd sacra in eo peragantur. Et additur sanctuario promissio, Habitabo in medio eorum. Quod non ita intelligitur, vt in manufactis ædificiis sic includatur dominus, vt nõ & alia loca impleat, cùm dicat ipse, Cœlum & terrã ego impleo, sed quòd in eo loco publica sacra tractentur, & deus tam verbo suo quàm sacrificiis, & signorũ ostensionibus ibidem specialiùs quàm alibi reueletur. Sanctuariũ igitur sibi fieri iubet, vt in eo dominus deus illis semper adesse credatur certiùs & religiosiùs, qui nusquam abest, vt eum timeant præsentem semper, & reuereantur illius prouidentiam, omnia exactissimè vsque ad minima dispiciẽtem, ne quis abesse sibi omnium patrem ac iudicem cogitet, sed admoneatur præsentiæ dei sui. Sic & nos omnia scientem & gubernantem, in verbis, in factis, ac cogitationibus expauescere debemus, ne quid peccemus in oculis maiestatis suæ omnia contemplantis. Sanctuarium etiam sibi fieri dominus iubet quo populum ad idololatriam promptũ ab ea auerteret. Iuxta (inquit) similitudinem tabernaculi, & cætera. Exemplar totius operis ostendit Moysi dominus, cùm quadraginta diebus & noctibus cum domino habitauit in monte, quali figura, magnitudine, materia omnia perficeret, tabernaculum ipsum, & vasa illius plura, ne quid suo sensu & arbitrio confingere putaretur, & vt scirent hæc domino accepta & placita.

*Mystice. Cap. 3.*

BEDA. Locutusq; est dominus ad Moysen, dicens, Loquere filiis Israël, vt tollant mihi primitias, ab homine qui offert vltroneus, accipietis primitias mihi. Et nos primitias bonorum nostrorum domino tollimus, quando si quid boni agimus, totũ hoc diuinæ gratiæ tribuimus, veraciter, & intimo ex corde profitentes, quòd ne initium quidem bonæ actionis aut cogitationis aliquod nisi à domino posimus habere, mala verò nostra semper à nobis ipsis diabolo instigante, & cœpta & consummata, nec nisi domino donante, laxanda esse fatemur. Pelagiani primitias bonorũ suorum nolunt domino tollere, sed sibimetipsis posidenda retinere, quia se boni aliquid à seipsis absque gratia dei habere stulta præsumptione autumant. Hæc sunt autem quæ accipere debetis, aurũ, argentum, & æs, hyacinthum ac purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietũ rubricatas, pelles ianthinas, & ligna Sethim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata, vnguentum & thymiama boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod ac rationale. Cuncta hæc quæ dominus sibi à priore populo ad faciendum sanctuariũ materialiter offerri præcipit, nos quoque qui spirituales filij Israël, id est, imitatores dei videntis populi esse desideramus, spiritali intelligentia debemus offerre, quatenus per huiusmodi oblationes voluntarias, & ipsi sanctuarium ei in nobis facere mereamur, & ipse in medio nostrum habitare, hoc est, in nostro sibi corde mansionem consecrare dignetur. Cui videlicet aurum offerimus, cùm claritate veræ sapientiæ, quæ est in fide recta, resplendemus. Argentum, cùm & ore nostro confessio fit in salutem. Aes cùm eandem fidem publica prædicatione diuulgare gaudemus. Hyacinthum, cùm sursum corda leuamus. Purpuram, cùm corpus passioni subiicimus. Coccum bis tinctum, cùm gemina, id est, dei & proximi dilectione flagramus. Byssum, cùm carnis castitatem sentimus. Pilos caprarum, cùm habitum pœnitẽtiæ ac luctus induimus. Pelles arietum rubricatas, cùm ipsos dominici gregis ductores suo sanguine baptizatos videmus. Pelles ianthinas, cùm nos post mortem spiritalia in cœlis corpora habituros esse speramus. Ligna Sethim, cùm expugnatis peccatorum spinetis, munda carne & anima domino soli seruimus. Oleum ad luminaria concinnanda, cũ fructibus charitatis & misericordiæ refulgemus. Aromata, vnguentum & thymiama boni odoris, cùm opinionem bonæ nostræ actionis multis ad exemplũ bene viuendi, longè latèque diffundimus. Lapides onychinos & gemmas ad ornandum ephod ac rationale, cũ miracula sanctorum, quibus cogitationes deo deuotas, & opera virtutum ornauere, digna laude prædicamus, atque hæc in adiutorium nostræ fidei vbi opus fuerit assumimus. Quia enim in humeris onera gestare solemus, rectè per ephod, id est, superhumerale, opera iustorum, & pij pro domino labores insinuantur. Quia verò in pectore cogitationum sedes est, rectè in rationali, qui est habitus pectoris sacerdotalis, mundæ electorum cogitationes exprimuntur. Lapidésque onychini & gẽmæ ornant ephod ac rationale, cũ eximiis summorum patrum actibus & cogitationibus, etiam miraculorum insignia iunguntur. Neque aliquid vetat in lapidibus onychinis, qui sanguinei feruntur esse coloris, addita bonis operibus martyrij merita intelligi. De quibus singulis suo loco pleniùs opitulante dei gratia dicẽdum est. RVPERTVS. Aliter. Quæ ad spiritualem ædificationem conferantur, spiritualia bona sunt, quorum vtique cui plus cõmittitur, plus ab eo exigitur, ad consummationem cœlestium sanctorum, quorum illa (vt sæpe dictũ est) nobis exemplaria sunt. Vnde cùm dixisset Apostolus, Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem doctores, & pastores, signanter adiecit ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Hæc & huiusmodi dona grandia, aurum sunt, argentum sunt, lapides pretiosi sunt. Videmus quia legimus longos ordines beatorum hominum, virorum pariter & mulierum, puerorum ac puellarum, ad cœleste ministerium Christi procedentiũ, qui in sanctuarium domini talia fideliter ac deuotè obtulerunt. Et nos igitur exigui, quoniam tale quid cœlesti offerre sacerdoti non possumus, ne tamen vacui omnino coram illo appareamus, bona voluntate ad videndum sanctuarium alacres ingrediamur, placere nobis omnia veraciter profitentes, sacerdotis ordinem, ministrantium religionem, offerentium charitatem. Faciẽtque mihi (inquit) sanctuarium, & habitabo in medio eorum, & cætera. BEDA. Ostendit Moysi dominus tabernaculum in monte, & vasa in cultum eius consecrata, quia eidem secum tanto tempore demoranti manifestè demõstrauit, quãta pietate, humilitate & munditia virtutes angelicæ suo creatori gaudeãt obedire

*Ephes. 4.*



A obedire. Quæ sunt perfectum in omnibus tabernaculum eius, qui nunquam in eis ex quo conditi sunt, manere atque inhabitare cessauit. Quorum etiam nobis in resurrectione similitudo vitæ & communis ante dominum conuersatio promittitur, quicunque modò relictis huius mundi contagiis, eorum in terris vitam imitari studemus, videlicet in laudando ac diligendo dominum, & proximum quoque in deo diligendo ac iuuando, inimicos etiam ad amorem dei pietatis officiis prouocando, quales erant quibus ait Apostolus, Vos autem fratres non estis in carne sed in spiritu. Tabernaculum ergo quod Moysi in monte monstratum est, superna est illa ciuitas & patria cœlestis, quæ illo quidem tempore ex solis extitisse creditur angelis sanctis, post passionem verò, resurrectionem & ascensionem in cœlos mediatoris dei & hominum, & multitudinem præclaram & copiosam sanctarum recepit animarum. Vasa verò tabernaculi illius, singulæ quæque sunt personæ spirituum beatorum, ex quibus omnibus ipsa Hierusalem quæ est mater omnium nostrum, in vera pace & vnitate *Rom. 8.*

B consistit. Notandúmque diligentiùs, quòd sanctuarium domino facere filij Israël iubentur, non ex parte simile, sed iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendit Moysi, omniúmque vasorum in cultum eius. Si autem ad angelorum in cœlis consortia tendimus, debemus vitam eorum in terris, quantum non noxia corpora tardant, terreníque hebetant artus, moribundáque membra semper imitari. Quòd si fortè requiris, in quo hoc tabernaculum cœleste homo terrigena, spiritales carnalis imitari valeas? Diligunt deum & proximos, hoc imitare. Subueniunt miseris, & si non angelis qui omnes beati sunt, certè hominibus, hoc imitare. Humiles sunt, mites sunt inuicem, placati sunt, diuinis parent iussis, hoc inquantũ vales imitare. Nihil mali, nihil ociosi, nihil iniusti loquuntur, agunt, cogitant, diuinis indefessi laudibus verbo & mente assistunt, hoc quantum potes imitare, & sanctuarium domino iuxta exemplum quod Moysi in monte monstratum est, ædificasti, veniénsque dominus & saluator noster cum patre, mansionem apud te faciet, quin & post hanc vitam in illud tabernaculum quod imitabaris, perpetuò beatum introducet. Sequitur. BERNARDVS DE INTE- *Cap. 6.*

C RIORI DOMO. Et nos igitur mundemus conscientiam nostram, & semper parati simus, vt quacunque hora venerit dominus, & nobiscum habitare voluerit, paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Ipse nanque dixit, Facite mihi sanctuarium, & ego habitabo in medio vestri. Studeamus ergo templum deo ædificare in nobis, primò quidem vt in singulis nobis, deinde vt in omnibus simul inhabitet, quia nec singulos dedignabitur, nec vniuersos. Primò igitur studeat vnusquisque ne dissideat ipse à semetipso, quoniam omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet, nec intrabit Christus vbi parietes inclinati fuerint, & maceriæ depulsæ. Vult habere anima corporis sui domum integram, & exire eam necesse est, si fuerint à se inuicem membra dispersa. Videat igitur & ipsa si desiderat Christum per fidem inhabitare in corde suo, id est, in seipsa videat, & sollicitè caueat ne à se inuicem membra eius dissideant, id est, ratio, voluntas & memoria. Dignum habitaculum parat deo, cuius nec est ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria inquinata. Felix illa anima est, quæ domum cordis sui sic de peccatorum sordibus studet emunda- *Luc. 11.*

D re, & sanctis ac iustis operibus adimplere, vt in ea non solùm angelos, verũ etiam dominum Angelorum habitare delectet. Mundata domo, cunctísque malis ab ea exclusis, omnibus bonis impleatur, ne sit nobis necessarium aliquid foris quærere, qui omnia forinseca relinquimus. RVPERTVS. Sed hîc quærere libet, cur in ratione exemplarium, diuinæ dictionis Apostolus immutauerit modũ. Nam deus dicit, Iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius, sic facietis illud. Item inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Manifestè hîc, eorum quæ mandabat facere Moysi, ea quæ demonstrabat illi, exemplaria esse dixit. E contra Apostolus in ea quæ fecit Moyses, illorum *Heb. 8.*

exemplaria nuncupauit, quæ deus illi demonstrauit. Ait enim, Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cùm essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiunt cœlestium. Et continuò subiungit testimonium iam dictum, quo deus cœlestia potiùs exemplaria esse dixit terrestrium, sicut responsum est Moysi, vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte. Hoc er-

E go quærimus, & deo donante citiùs inueniemus. Moysi deus loquebatur, & ei cœlestia, priùs quàm faceret terrestria: Spiritualia priùs demonstrabat, quàm faceret carnalia. Quomodo vel quali visione demonstrabat? Visione interna, visione prophetica. Loquebatur enim illi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Quomodo loqui solet homo ad amicum suum? Non celando illi consilium suum, faciendo illum secretorum suorum conscium. Cùm ergo loqueretur ad illum, sicut loqui solet homo ad amicum suum, nunquid illi occultaret summum amicitiæ suæ fructum, id est, futurum Christi filij sui cœleste sacerdotium? Imò tam de præteritis, quàm de futuris docuit eum. Nunquid non cum auctoritate scripturæ Mosaicæ dicit Ioan- *Ioan. 1.*

nes, In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum, hoc erat in principio apud deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil? Etenim prior ille sic loquutus est, quia dixit deus, Fiat, & factum est, quod æquipollens est. Nam si dixit, fiat, & factum est, per verbum factum est. Er-

F go multo magis illud amico suo non abscondit, quòd verbum caro futurum esset, quòd deus & homo Christus, propitiatio pro peccatis nostris futurus esset, quòd idem in tabernaculo suo (quod est præsens Ecclesia) mensam corporis & sanguinis sui positurus esset, quódque idipsum tabernaculum, Christus ipse magnum candelabrum cunctis spiritus sancti donis lucens illustraturus erat. Itaque quoniam priùs hæc spiritualia siue cœlestia vidit, & postmodum carnalia populo illi sancta sanctorum fecit, ipsa cœlestia illi exemplaria dicuntur & sunt. Porrò Hebræi (ad illos enim illa epistola Apostolus loquitur) priùs tabernaculum manufactum, priùs arcam, propitiatorium, mensam, candelabrum, & cætera omnia manufacta nouerunt, & de illorum similitudine commonebantur ab Apostolo, vt se extenderent ad cognitionem cœlestium. Rectè igitur istis è contra terrestria hæc dicta sunt exemplaria fuisse cœlestium, exemplaria verorum, exemplaria (inquam) & vmbræ futurorum.

2 *SIcque facietis illud. Arcam de lignis Sethim compingite, cuius lõgitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum ſimiliter & ſemiſſem, & deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris. Faciéſque ſupra coronam auream per circuitum, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Duo circuli ſint in latere uno, & duo in altero. Facies quoque uectes de lignis Sethim, & operies eos auro. Inducéſque per circulos qui ſunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui ſemper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis. Ponéſque in arca teſtificationem quam dabo tibi.*

2 AVCTOR CATENAE. Præcipua ſanctuarij pars eſt arca cum propitiatorio. Primùm igitur omnium videamus compoſitionem arcæ, deinde vſum eius. *Sícque facietis illud.* CAIETANVS. Non ſolùm dixit, ſed monſtrauit deus formam tabernaculi (hoc eſt, templi mobilis) & omnium vaſorum eius, H hoc eſt, omnium contentorum in eo, & pertinentium ad illud, more enim Hebraico vaſis nomen communiſsimum eſt. RVPERTVS. Principium ergo ædificationis arca eſt, quæ ſic incipit. *Arcam de lignis Sethim compingite, cuius longitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum ſimiliter ac ſemiſſem, & deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS
*Locut. 105.* SVPER EXODVM. Quòd dicitur, Et deaurabis eam auro, locutio eſt ſimilis illi, Lapidibus lapidabitur. BEDA. Quæritur autem cuius quantitatis ſit iſte cubitus quem Moyſes in tabernaculo, Noe in arca poſuerit, Et ait Ioſephus factam eſſe arcam longitudinis quinque palmorum, latitudinis trium. Vnde patet, quia illum deſignat cubitum, quem duo palmi faciunt. Nec putandum hominem Iudæum, ingenio præditum, in ſcripturis diuinis & ſecularibus doctiſsimum, hoc potuiſſe latere. RVPERTVS. De lignis autem Sethim arca fieri præcipitur, quæ ſunt imputribilia & ſpinoſa, & à qualitate albæ ſpinæ non multum diſtantia. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facient thecam de lignis Sithim. Dicendo thecam, proculdubio integram ſignificat thecam. Quod ideo dixerim, ne quæras de operculo thecæ, ſicut I non quæris de fundo nec lateribus eiuſdem, manca ſiquidem fieret, ſi quid omitteretur. Vnde tam longitudo quàm latitudo cum altitudine deſcribitur, vt aſſerum omnium menſura haberetur. Et deaurabis eam auro mundiſsimo. Iuxta Hebræum plus habetur, Et veſties eam auro mundo intus & foris. Ad deaurandum ſat fuiſſet foliis auri colorare eam, ſed mandatur vt veſtiatur laminis aureis intus & extra, ſic enim intelligunt propter verbum veſtiendi, tam hîc quàm vbique inferius. Quod apud me non eſt certum, neque enim credo vniuerſos aſſeres veſtitos laminis aureis, quamuis exponendo ſequar alios. AVCTOR CATENAE.

Arcam de lignis Sethim compingite. Hebraicè eſt וְעָשׂוּ vehaſu, quod facient autem, ſiue faciẽntque redditur, ſicut etiam legit Chaldaica editio. Septuaginta autem, καὶ ποιήσεις κοιβωτὸν, hoc eſt, & facies arcam vertunt. Sed hoc parum eſt. Parum etiam eſt, quòd loco, Et deaurabis, Hebraicè eſt וְצִפִּית Vezippitha, Et operies, ſiue cooperiéſque. Sed idem eſt. Vitauit autem & eiuſdem verbi repetitionem Interpres poſt illa verba, K intus & foris, vbi eſt תְצַפֶּנּוּ Tezappénnu, Cooperies eam. Satis enim ſibi viſum eſt, verbum ſemel pauloantè poſuiſſe, licet Septuaginta illud etiam ipſi adduplicent, non autem Chaldaica. Arca dei principale erat in ſanctuario ſacramentum præſentiæ diuinæ, quæ & habebatur vt ſcabellum pedum eius, & propitiatorium deſuper, non aliud æſtimari debebat, quàm ſedes domini dei Sabaoth, vnde & reſponſa dabantur ſummo pontifici, qui illam ſolus aſpiciebat impunè, ſed rarò, & non niſi in neceſsitate annuente deo permittebatur. De cubito autem docti quidam aliter quàm Ioſephus ſuſpicantur, videlicet continere ſex palmos, id eſt, ſeſquipedem. Et palmus quatuor habet digitos, digitus autem minima ſtatuitur menſurarum. Nihil verò pretioſius auro, non per ſe, ſed hominum opinione, cui etiam dominus conniuet, & hominum more hæc ſibi placere oſtendit, ob fidem electorum, quibus hæc proficere debent ad reuerentiam dei. Alia enim prætioſa materia commodiùs intus & foris obduci ad maieſtatem non potuit. *Faciéſque ſuprà coronam auream per circuitum, & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos.* AVGVSTINVS IN QVAESTIO- L
*Quæ. 104.* NIBVS SVPER EXODVM. Iuxta Septuaginta, Et facies in ea cymacia aurea verſatilia in circuitu. Cymacia dixit quæ in quadratura extant per quatuor partes, ſicut menſæ quadræ fieri ſolent. Nec quod ait verſatilia, mobilia debemus accipere. Fixa ſunt enim ſicut dixi menſas habere ſolitas, ſed verſatilia dixit tortilia, quæ Græcè vocantur στρεπτὰ, vel canalibus, ſicut ſunt columnæ tortiles, aut implicatis duabus virgulis in modum reſtis, ſicut etiam torques fieri ſolent. HVGO DE SANCTO VICTORE. Faciéſque ſuprà coronã auream per circuitum. Iſta impropriè dicitur corona, nõ enim eſt rotunda, ſed ad formam & quantitatem arcę, quædam gyratio (quæ & limbus) fiebat per circuitum in ſuperiori parte arcæ. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facies ſuper eam limbum auri in circuitu: non ligneum auro veſtitum, ſed aureum ornamentum hoc erat ſuper thecam circumcirca. De figura autem eius in litera nihil dicitur, & ideo nulla habetur ratio vnius figuræ magis quàm alterius, niſi quatenus artis opificio cõſonat magis vna quàm altera. Et quatuor circulos aureos. Iuxta Hebræum habetur, Et fundes ei quatuor anulos auri. Fuſorio opere fieri debebãt iſti anu- M li aurei, quos pones per quatuor arcæ angulos. Hebraicè, Et dabis ſuper quatuor angulos eius. Præpoſitio ſuper, ſignificat ſitum ſuperioris partis cuiuſlibet anguli, mandatur enim quòd non ponantur iſti circuli in inferioribus partibus angulorum, quæ ſunt iuxta fundum thecæ, ſed in ſuperioribus partibus angulorum, quæ ſunt iuxta operculum thecæ. AVCTOR CATENAE. Faciéſque iuxta coronam auream. Dictio זֵר Zer, ſignificat labium ſiue coronã vel limbum, quod Chaldaica editio clariùs expreſsit, videlicet, Faciéſque ſuper eam circul ũ aureũ per circuitũ, permultũ enim is arcæ ornatui addebat. Et quatuor circulos aureos. Hîc duæ dictiones ponuntur in Hebræo præcedentes וְיָצַקְתָּ לוֹ Veiazákta lo, Et fundes ei. Chaldaica, Et effundes ei quatuor annulos aureos. Sed hæc Interptes reduxit ad verbum, Et facies, præmiſſum. Septuaginta, καὶ ἐλάσεις αὐτῇ τέσσαρας δακτυλίους χρυσοῦς, Et immittes ei quatuor anulos aureos. Sed & hoc idem cum litera Latina. Sic igitur & ſuperiori parte ornatur arca corona aurea. Adiiciuntur autem & quatuor circuli aurei in quatuor angulis eius.





A *Duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Ad quatuor angulos occurrũt quatuor anuli, ſinguli in ſingulis, & per angulorũ numerũ fit, vt quod *Vbi ſuprà.* in duobus lateribus ponitur, etiam in omnibus quatuor ponatur. Vnus enim angulus duobus lateribus communis eſt, alioquin non occurrit, vt bini anguli ponãtur per quatuor latera, cùm ſint quatuor anuli, octo quippe eſſe debuerunt, ſi aliter intelligimus quàm quod dixi fieri numero angulorum. Ad hoc enim anuli in angulis ponuntur, quòd inducantur ſupportatoria vel geſtatoria, quibus arca quatuor hominibus hinc atque inde portaretur. CAIETANVS. Latera thecæ frequenti vſu conſueuimus appellare partes thecæ extremas ſecundum longitudinem, & ideo proculdubio intelligendum eſt, quòd in angulis ex ea parte qua terminant longitudinem thecæ, affigendi erant circuli iſti. Ita quòd theca vehebatur ſecundum latitudinem, ſic quòd anterior pars qua aperiebatur obuiaret occurrenti. Et hoc ad dignitatem ſpectabat, ne tanquam oneraria theca ſeB cundum longitudinem portaretur. *Facies quoque vectes de lignis Sethim, & operies eos auro, inducéſque per circulos qui ſunt in arcæ lateribus vt portetur in eis, qui ſemper erunt in circulis, neque vnquam extrahentur ab eis.* AVCTOR CATENAE. Inducéſque per circulos, ſubaudi vectes. Eſt enim in Hebræo אֶת הַבַּדִּים Et habaddim, id eſt, vectes. Quatuor anuli vel circuli prope quatuor angulos, aurei quoque erant, per quos vectes immittebantur, vt à ſacerdotibus quatuor, non ob ponderis magnitudinem, ſed ad magnificentiam maiorem geſtarentur in humeris. Quæſtionem autem, ſi inter vectes protenſa fuerit longitudo arcæ vel latitudo, aliis inquirendam relinquimus, primum nobis videtur rationabilius; licet ſecundum Ioſepho videatur & noſtris.

*Ponéſque in arca teſtificationem quam dabo tibi.* AVGVSTINVS DECIMO DE CIVI- *Cap. 17.*
TATE DEI. Proinde lex dei quæ in edictis data eſt angelorum, in qua vnus deus deorum religione ſacrorum iuſſus eſt coli, alij verò quilibet prohibiti, in arca erat poſita, quæ arca teſtimonij nuncupata eſt. Quo nomine ſatis ſignificatur, non deum qui per illa omnia colebatur, circuncludi ſolere, vel contineri loco, cùm C reſponſa eius, & quædam humanis ſenſibus darentur ſigna ex illius arcæ loco, ſed voluntatis eius hinc teſtimonia perhiberi, quod etiam ipſa lex erat in tabulis conſcripta lapideis, & in arca (vt dixi) poſita, quam tempore peregrinationis in eremo cum tabernaculo, quod ſimiliter appellatum eſt tabernaculum teſtimonij, cum debita ſacerdotes veneratione portabant. Signúmque erat, quòd per diem nubes apparebat, quæ ſicut ignis nocte fulgebat. Quæ nubes cùm moueretur, caſtra mouebantur, & vbi ſtaret, caſtra ponebantur. Reddita ſunt autem illi legi magni miraculi, teſtimonia, præter iſta quæ dixi, & præter voces quæ ex illius arcæ loco edebantur. Nam cùm terram promiſsionis intrantibus, eadem arca tranſiret Iordanem, fluuius ex parte ſuperiore ſubſiſtens, & ex inferiore decurrens, & ipſi & populo ſiccum præbuit tranſeundi locum. Deinde ciuitatis, quæ prima hoſtilis occurrit, more gentium deos plurimos colens, ſepties eadem arca circumacta, muri repentè ceciderunt, nulla manu oppugnati, nullo ariete percuſsi. Poſt hoc etiam cùm iam in terra promiſsionis eſſent, & eaD dem arca propter eorum peccata fuiſſet ab hoſtibus capta, hi qui eam cœperant, in templo dei ſui, quem præ cæteris colebant, honorificè collocarunt, abeuntéſque clauſerunt, apertóque poſtero die, ſimulachrum cui ſupplicabant, inuenerunt collapſum, deformitérque confractum, Deinde ipſi prodigiis acti, deformiúſque puniti, arcam diuini teſtimonij populo vnde ceperunt reddiderunt. Ipſa autem redditio qualis fuit? Impoſuerunt eam plauſtro éique iuuencas à quibus vitulos ſugentes abſtraxerant ſubiunxerunt, & eas quo vellent ire ſiuerunt, etiam hinc vim diuinam explorare cupientes. At illæ ſine homine duce atq; rectore, ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec reuocatæ mugitibus eſurientiũ filiorum, magnum ſacramentum ſuis cultoribus reportarunt. Hæc atque huiſcemodi deo parua ſunt, ſed magna terrendis ſalubriter erudiendíſque mortalibus. Si enim Philoſophi, præcipuéque Platonici rectiùs cæteris ſapuiſſe laudantur, ſicut pauloantè commemoraui, quòd diuinam prouidentiam hæc quoque rerum infima, atque terrena adminiſtrare docuerint, numeroſarum teſtimonio pulchritudinum, quæ non ſolùm in corporibus animalium, verùm etiam in herbis, fœnóque gignuntur; quanE to euidentiùs hæc atteſtantur diuinitati, quæ ad horam prædicationis eius fiunt, vbi ea religio commendatur, quæ omnibus cœleſtibus, terreſtribus, infernísque ſacrificari vetat, vni deo tantùm iubens, qui ſolus diligens & dilectus, beatos facit, eorúmque ſacrificiorum præfiniens tempora imperata, eáque per meliorem ſacerdotem in melius mutanda prædicens, non iſta ſe appetere, ſed per hæc alia potiora ſignificare teſtatur, non vt ipſe his honoribus ſublimetur, ſed vt nos ad eum colendum, éique cohærendum igne amoris eius accenſi, quod nobis, non illi, bonum eſt excitemur. RVPERTVS. Ponéſque in arca teſtificationem quam dabo tibi, ſubauditur, vrnam auream habentem manna, & virgam Aaron quæ fronduerat, & tabulas teſtamenti. CAIETANVS. Tabulas decem præceptorum appellat teſtificationem ratione officij, quia ad officium teſtificandi fœdus inter deum & populum ponebantur in theca. AVCTOR CATENAE. Dictio עֵרוּת Heduth etiam teſtimonium verti poteſt, & ita etiam vertunt nonnulli, TeF ſtimonium quod daturus ſum tibi, id eſt, quod tibi teſtabitur meam voluntatem. Chaldaica, Ponéſque in arca teſtamentum quod dabo tibi. Septuaginta etiam legunt, τὰ μαρτύρια. Teſtimonia. Quæ omnia idem F ſunt penitùs cum litera noſtra. Teſtificatio igitur imponenda arcæ, ſunt tabulæ teſtamenti, & præcepta ipſa decalogi, in quibus ſeſe nobis deus promittit patrem futurum & dominum, vt viciſsim nos quoque illius beneplacitis ſtudeamus, & vitæ innocentiam ſecundum ipſius præcepta conſeruemus, hoc eſt, enim pactum & fœdus domini dei noſtri ad homines. Et ob tabulas arcæ impoſitas, dicitur arca teſtamenti fœderis, memoriale præſentiæ dei, & debiti noſtri, quid ille nobis eſſe promiſerit, & in quo nobis illi ſit obſequẽdum & complacendum ſemper.

BEDA. Arca quæ primò omnium in tabernaculo fieri iubetur, non incongruè ipſam domini & ſaluatoris noſtri incarnationem deſignat, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Quæ vi- *Myſticè.*
delicet arca, bene de lignis Sethim compingi iubetur. Ligna quippe Sethim, leuis atque imputribilis ferun- *Cap. 4.*
tur eſſe naturæ, non multum (vt iam dictum eſt) à qualitate albæ ſpinæ diſtantia. Arca ergo de lignis Sethim facta eſt, quia corpus dominicum ex membris conſtabat omni vitiorum labe carentibus. Et hæc eadem ſunt

ligna ſpinis ſimillima,quia etſi non in carne peccati, tamẽ in ſimilitudine venit carnis peccati,vt Apoſtolus ait. G
*Rom.5.* RVPERTVS. Principiò igitur ſanctuarij arca compingitur,quia principio ſanctæ Eccleſiæ, filio dei corporis humani membra compegit ex virgine ſanctus ſpiritus. Compingitur autem arca de lignis Sethim, lignis imputribilibus, quia de ſemine patrum fidelium, æterna memoria redolentium, dei filius eſt incarnatus. Cuius (inquit) longitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum vnum & dimidium, altitudo ſimiliter cubitum & ſemiſſem,videlicet vt homini ſalua reuerẽtia ſit acceſsibilis, & attrectabilis intus & foris,prout eſt menſura vel ſtatura hominis.Staturæ nanque humanæ longitudo,à planta pedis vſque ad collum, tricubitalis eſt.Cùm ergo altitudo arcæ tantùm vnius cubiti ſit & ſemiſsis, palàm eſt, quia curuaturam corporis humani non excedit, & longitudo cùm ſit duorum cubitorum ac ſemiſsis, porrectis manibus ad dexteram & ad ſiniſtram, ad quemlibet actum religionis vltro accedit. Latitudo cubiti quoque & ſemiſsis, liquet incumbentis manibus quàm accommoda ſit.Quod totũ myſticè nobis illud innuit,quia incarnata diuinitas omnibus mo H
*Baruch. 3.* dis menſuræ,id eſt,capacitati hominis benigna ſe charitate indulſit. Deus appropinquans in terra viſus, & cum hominibus conuerſatus eſt,oculis hominum expoſitus,auribus hominum propoſitus,manibus hominum appo-
*1.Ioan.1.* ſitus eſt.Quod fuit ab initio(inquit Ioannes)quod audiuimus,quod vidimus oculis noſtris,quod perſpeximus,& manus noſtræ tractauerunt de verbo vitæ. BEDA. Vel longitudo arcæ, longanimem domini ac redemptoris noſtri patientiam,qua inter homines conuerſatus eſt,inſinuat.Latitudo, amplitudinem ipſam charitatis,qua ad nos venire, & inter nos habitare voluit.Altitudo,ſpem futuræ ſublimitatis, qua vel ſeipſum poſt paſsionem ſuam glorificandum vel glorificaturum eſſe præuidit.Vnde & aptè longitudo arcæ duorum erat cubitorũ, pro-
*Act.1.* pter videlicet doctrinam & opera quibus refulgebat in mundo.Hinc enim & Euangeliſta Lucas ſermonem ſe fe-
*Matth.15.* ciſſe aſſerit de his quæ cœpit Ieſus facere & docere.Et ciues illius admirantes dicebant, Vnde huic ſapiẽtia hæc & virtutes? Sapientiam videlicet referentes ad ea quæ miranda dicebat, virtutes ad ea quæ gerebat. Quod verò poſt duos cubitos etiam ſemiſſem arca in longitudine habebat,poteſt ad humanæ tarditatem fragilitatis refer-I ri,quæ dicta vel opera ſaluatoris ſublimia,necdum prout dignũ erat capere valebat.Vnde & de quibuſdã myſti-
*Ioan.12.* cis eius actibus apertè dictũ eſt,Hæc non cognouerunt diſcipuli eius primũ,ſed quãdo glorificatus eſt Ieſus. Si-
*Luc.15.* militer & de dictis illius ſublimioribus, Et erat verbũ iſtud abſconditũ ab eis, & nõ intelligebãt quæ dicebãtur. Habebat arca duos cubitos longitudinis,quia dñs in carne clarus verbo & actibus apparebat. Habebat & dimidium cubiti,quia etiã tarditatẽ diſcipulorũ,qua necdũ perfecti dicta vel acta ipſius capere poterant, longanimi ter ferebat.Vnius erat cubiti latitudo arcæ, ob diſpenſationẽ ipſius dominicæ charitatis, qua electos ſuos in deo
*Ioan.17.* adunare curauit.Vnde & pro eis ſupplicans patri dicebat, Non pro his autem rogo tantùm,ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me,vt omnes vnum ſint,ſicut tu pater in me,& ego in te,vt & ipſi in nobis vnũ ſint. Et paulopòſt,Et notũ feci eis nomen tuum,& notum faciã,vt dilectio qua me dilexiſti, in ipſis ſit, & ego in ipſis.Habebat poſt vnum cubitum etiam ſemiſſem,videlicet ob ſignificationem noſtræ fragilitatis, qua necdum in hac vita poſiti,perfectè vel ipſi deum diligere,vel dilectionem quam erga nos habet deus,comprehendere ſuffi-K
*1.Cor.13.* ficimus, quin potiùs, ſicut Apoſtolo teſte, ex parte cognoſcimus , & ex parte prophetamus, ita nimirum etiam ex parte diligimus. Habet ergo arca vnum cubitum, habet & dimidium, quia dominus vnica nos pietate ſibi ac patri aſſociandos diligit, & noſtræ quoque capacitatem dilectionis,qualiſcunq; in hac vita eſſe poteſt,æquè pia benignitate cõplectitur,donec ad eius viſionem,vbi eum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus intrare mereamur.Altitudo quoq; arcæ aptiſsimè erat cubiti vni⁹ & dimidij, videlicet propter ſignificationẽ vnicæ ſpei,qua vel dominus ipſe cùm eſſet in carne nobiſcum, futuræ ſuæ reſurrectionis,& poſterioris gloriæ præſtolabatur euentum, vel nos inter aduerſa ſeculi propter futurorum præmia bonorum gaudere ſemper admonet.Habet ergo arca plenum cubitum in altitudine, quia dominus & ſaluator noſter pleniſſimè nouerat, ipſe etiam corruptibili adhuc cõuerſatus in carne, quanta vel ſibimetipſi,vel membris ſuis, quæ nos ſumus,eſſet gloria conſeruata in futuro.Habet & dimidium cubitum altitudinis , quia noſtræ quoque deuotionem paruitatis libenter in ſuo corpore ſuſcipit,qui pia quidem intentione futuram patriam diligimus, ſed necdũ perfectè quæ L ſit eius felicitas capere valemus,attamẽ quantũ capimus,hoc non niſi ab illo habemus.Et deaurabis eã auro mũdiſsimo intus & foris. RVPERTVS. Quia veræ diuinitatis auro,& intus per inſitam ſapientiã,& foris per diuina opera,clarificatus eſt Chriſtus,quòd ſit dei filius. Faciéſque ſuprà coronam auream per circuitum. Suprà corona aurea arca circundatur,quia filio dei quaſi diadema capitis eſt,hic miſerationis ornatus, quòd & per bonitatis gratiam voluit,& per maieſtatis potentiam valuit hominẽ aſſumere,quod non potuiſſet niſi deus. Creaturarum quippe ordo vel natura non patitur,vt altera alteri ſubſtãtialiter inſeratur,verbi gratia, homo angelo, vel angelus homini,ergo & pro hac humilitate omnipotẽtiſsima,mirabilis,verus & victorioſus prædicetur de⁹. BEDA. Arca igitur intus & foris auro mũdiſsimo deauratur,quia aſſumpta à filio dei humana natura, & intus virtute ſpiritus ſancti plena erat,& foris hominibus apertè ſpiritus ſancti opera præmonſtrabat.Cui nimirũ arcę bene corona aurea ſupercircundari præcipitur, quia apparens in carne, atq; ad redemptionem humani generis veniens filius dei,certum expectabat tempus & horã,quando ſuſceptam pro nobis mortem,cum ipſo mortis au-M
*Hebr.2.* ctore ſuperaret,atque ad patrem victor in cœlos aſcenderet.De hac corona dicit Apoſtolus,Eum autem qui modico quidem ab Angelis minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſsionem mortis gloria & honore coronatum.
*Apoc.6.* De hac in Apocalypſi Ioannes,Et vidi(inquit)& ecce equus albus,& qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum,& data eſt ei corona,& exiit vincens vt vinceret.Equus quippe albus Eccleſia, eques qui illi præſidebat,domin⁹ eſt, qui habebat arcum,quia contra poteſtates aërias ad bella veniebat.Datáque eſt ei corona victoriæ,quia regnum mortis moriendo ſubuertit. AMBROSIVS DE NOE ET ARCA. In exodo deauratur foris & intus arca illa quæ in ſanctis eſt mundi intelligibilis imitatrix imago. Sicut enim pretioſius aurum bitumine, ita illa quæ in ſanctis eſt,arca,quàm iſta præſtãtior. Deniq; hîc ſimpliciter ligna poſuit,ibi autem ligna quidem,ſed imputribilia cõprehendit,declarãs merita ſanctorũ.Addidit etiã illic ſupportatoria immobilia eſſe, quòd ſanctorum ſtatio ſtabilis & firma ſit,quia vitæ probabilis tramitem virtutis ductu ſecuti ſunt, corruptelæ declinantes

conſortia



A conſortia.Hæc autem arca,vtpote in diluuio huc atque illuc motu impellebatur incerto, eo quòd peccatorum ſtatus mobilis ſit, & vitæ eorum quodam redundantium paſsionum diluuio corruptioni obnoxiæ, errore inconſtanti vagentur. BEDA. Et quatuor circulos aureos quos pones per quatuor arcæ angulos. Duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero. Quatuor circuli aurei, quatuor ſunt Euangeliorum libri. Qui meritò aurei ſunt,propter claritatem ſapientię qua fulgent.Meritò circulis comparati,quia æterna eſt ipſa dei ſapientia quam prædicant,neque incipiens ex tempore, neque eſſe deſinens æterna diuinitas, quam homo Chriſtus accepit.Vnde imminente hora ſuæ paſsionis,precatur patrem,dicens,Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum,clari- *Ioan.17.*
tate quam habui priuſquam mundus eſſet apud te. Quatuor autem angulos habet arca, quia ſacramentum dominicæ incarnationis per omnes mundi plagas in quibus ſancta Eccleſia dilatatur, celebrare non deſinit, & per eoſdem angulos quatuor,quatuor circuli ſunt poſiti,quia in cunctis mundi finibus Euangelium Chriſti ſaluan-
B dis fidelium cordibus prædicatur.Duo autem circuli in latere vno,& duo ſunt in altero,vel quia duo Euangeliſtæ diſcipulatui Saluatoris in carne prædicantis, & miracula facientis adhæſerunt: duo autem alij poſt reſurrectionem aſcenſionẽmque eius ad cœlos,ad fidem eius venerunt.Vel quia in figura quatuor animalium,duo qui per hominem & vitulum deſignati ſunt, paſsionis & mortis eius indicia prætulerunt: duo verò illi qui per leonem & aquilam præfigurati ſunt,victoriæ qua mortem deſtruxit,inſignia demonſtrarunt.Homo quippe dominus per incarnationem mortalis factus apparuit . Vitulus verò idem oblatus pro nobis in altari crucis extitit: Item leo fortiter ſubigendo mortem,aquila ad cœlos aſcendendo factus eſt. Atque ideo duo circuli in latere vno,& duo ſunt in altero,quia nimirum duo Euangeliſtæ per ſuam figuram aſſumptionem in domino humanæ fragilitatis:& duo alij victoriam qua de eadem aſſumpta fragilitate ac morte triumphauit,inſinuant.Nam quaſi læuum latus arcæ duos habuit circulos , cùm Euangeliſtæ duo incarnationem domini ac paſsionem figurant. Similiter lateri dextero duo inerant circuli , quod æquè duo Euangeliſtæ reſurrectionem & aſcenſionem eius,
C quæ ad futuræ gloriam vitæ pertinent,figuraliter exprimunt. Facies quoque vectes de lignis Sethim, & operies auro,inducéſque per circulos ſingulos qui ſunt in arcæ lateribus,vt portetur in eis,qui ſemper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis . Vectes quibus arca portatur , ſancti ſunt doctores , qui dominum prædicando audientium cordibus inferunt.Qui videlicet vectes, ſemper eſſe iubentur in circulis, quia nimirum neceſſe eſt vt quicunque aliis cœleſtia ſacramenta prædicant,nunquam ipſi mentem à memoria ſacræ ſcripturæ,nunquam manus à diuinorum obſeruantia mandatorum contineant. GREGORIVS IN PASTORALI. Vel *Par.2. c.11.*
per arcam ſancta Eccleſia figuratur. Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos iubentur adiungi,quia in eo quòd per quatuor mundi partes dilatata tenditur, proculdubio quatuor ſancti Euangelij libris accincta prædicatur. Vectéſque de lignis Sethim fiunt , qui eiſdem ad portandum circulis inſeruntur , quia fortes perſeuerantéſque doctores velut imputribilia ligna quærendi ſunt , qui inſtructioni ſacrorum voluminum ſemper inhærentes,ſanctæ Eccleſiæ vnitatem denuncient,& quaſi intromiſsis circulis arcam portent.Vectibus quippe arcam
D portare , eſt bonis doctoribus ſanctam Eccleſiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere . Qui auro quoque iubentur operiri , vt dum ſermone aliis inſonant , ipſi etiam vitæ ſplendore fulgeſcant . De quibus aptè ſubiungitur, qui ſemper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Quia nimirum neceſſe eſt, vt qui ad officium prædicationis excubant , à ſacræ lectionis ſtudio non recedant . Ad hoc nanque vectes eſſe in circulis ſemper iubentur,vt cùm portari arcam opportunitas exigit,de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur,quia videlicet cùm ſpiritale aliquid à ſubditis paſtor inquiritur,ignominioſum valde eſt ſi tunc quęrat diſcere,cùm quæſtionem debet enodare. Sed circulis vectes inhæreant , vt doctores ſemper in ſuis cordibus eloquia ſacra meditantes, teſtamenti arcam ſine mora eleuent , ſi quicquid neceſſe eſt protinus doceant. Vnde bene primus paſtor Eccleſiæ paſtores cæteros admonet , dicens , Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe. Ac ſi apertè dicat , vt ad portandam arcam nulla mora præpediat , ve- *1.Pet.3.*
ctes nunquam à circulis recedant. BEDA. Bene autem ſequitur,Ponéſque in arca teſtificationem quam da-
E bo tibi . Quia illa ſolummodo de incarnatione filij dei loqui & credere debemus , quæ nobis ipſe dominus per auctores ſacræ ſcripturæ reuelare dignatus eſt.Si autem vis ſcire quæ ſit illa teſtificatio,quam in arca ponendam à domino Moyſes accepit , Apoſtolum audi , Poſt velamentum autem (inquit) ſecundum tabernaculum quod *Heb.9.*
dicitur ſancta ſanctorum,aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti , circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna,& virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti. Vrna ergo aurea in arca habens manna , anima eſt ſancta in Chriſto , habens in ſe omnem plenitudinem diuinitatis . Virga Aaron quæ exciſa fronduerat , poteſtas eſt inuicta ſacerdotij eius , de qua dicit Propheta, Virga æquitatis , virga regni tui. Quæ poſtquam ad tempus per mortem viſa eſt eſſe ſucciſa, illuceſcente mane reſurrectionis,viuaciùs refloruiſſe inuenta eſt,ac perpetuò inuiolabilis atque immarceſsibilis permanſura eſſe innotuit.Chriſtus enim reſurgens *Pſal.44.* *Rom.6.*
ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Tabulæ teſtamenti in arca, omnem in Chriſto & ſcientiam paternorum ſecretorum,& potentiam iudiciorum deſignant.In tabulis nanque teſtamenti,& fides
F erat inſcripta æternæ diuinitatis, quæ mundum crearet & regeret, & mandata quibus deo ſeruiri oporteret, & diſcretio iudicij,qua ipſe odientes ſe,verè condemnaret, & diligentes ſe miſericordia remuneraret. Hæc eſt ergo teſtificatio quam dominus Moyſi in arca ponendam dedit , cùm nobis confitendam in Chriſto ſignificauit veritatem carnis,animæ & verbi,ipſamque carnem poſt paſsionem mortis reſurrectione glorificatam,& æterni regis ac pontificis dignitate ſublimatam monſtrauit, & ipſum tantùm paternorum conſcium ſecretorum,quaſi eiuſdem cum patre maieſtatis iudicem omnium docuit ſeculorum. AMBROSIVS DE FVGA SE- *Cap.3.*
CVLI. Caput omnium Chriſtus eſt,ex quo totum corpus producitur,& mutua ſibi connexione coniungitur, incrementum ſui in ędificationem charitatis accipiens.Hoc eſt igitur verbum,quod ſupereminet, quod Moyſi in illius arcæ teſtimonij ædificatione dicit,Immittes in arcam teſtimonia quæcunque dabo tibi, & facies impoſitionem propitiatorij.Et infrà,Impones propitiatorium ſuper arcam deſuper,& immittes teſtimonia quę dabo & innoteſcam tibi inde,& loquar tibi deſuper,hoc eſt,inde vbi ſuper cœlos eſt,vbi apud patrem eſt,inde tibi loquar

*Cap.28.* quar. CYRILLVS LIBRO QVARTO SVPER IOANNEM. In ſuperioribus diximus quomodo totus nobis Chriſtus in integritate tabernaculi notabatur. Aedes enim dei eſt ſanctiſsimum Chriſti corpus, in quo propter nos habitare voluit. In his verò per arcam quæ in tabernaculo erat, idem rurſus nobis quaſi per partes oſtenditur. Conſtituta enim fuit ex lignis quæ putredinem non patiũtur, vt incorruptibile corpus Chriſti eſſe perdiſcas. Auro etiam puro intra & extra fuit deaurata, quia precioſa regaliáque omnia in ipſo ſunt, non

*Coloſſ.1.* ſolùm quæ deitati, verùm etiam quæ humanitati eius attribuuntur. In omnibus enim primus eſt (ait Paulus) & aurum honoris, atque præſtantiæ loco ſuper omnes accipitur. Hoc modo conſtituta deauratáque arca, diuinam legem in ea repoſitam continebat. Quæ quoniam verbum dei eſt, non ſubſiſtens, ſed mãdatum, dei verbum ſubſiſtenti carni coniunctum ſignificabat, velo autem tabernaculum tegitur, quia in carne deus latebat, & quaſi velamine corporis tectus ignorabatur. Vnde multi deitatis poteſtatem, quæ in ipſo miraculis fulgebat, percipere

*Ioan.6.* propter carnem nolentes, modò criminabantur, quia deum ſe faceret, quum eſſet homo: modò ſine rubore clamabant, Nónne hic eſt filius Ioſeph, cuius noſcimus patrem, & matrem? quomodo nunc dicit quia de cœlo deſcendi? Eo igitur velo quo tabernaculum tegebatur, non cognitum iri à pluribus Iudæorum Ieſum denotabatur. Præcedebat autem populum ſuum in deſerto, quia ipſius dei locum tenebat, qui populum ſuum (vt Pſalmiſta quoque teſtatur) ſolus ducebat. Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto,

*Pſal.67.* terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerũt. Vides Chriſti figuram fuiſſe arcam? Quum enim arca præcederet, deus

*Num.14.* præceſsiſſe apertè dicitur, quod inde liquidiùs demonſtratur. Nam cùm per Moyſen deus in montem Seir, ad expugnandum Amorrhæum Iudæos aſcendere iuberet, tunc illi timore perculſi, nec dei virtutem, ſed vires ſuas conſiderantes, ſedebant in radicibus montis plorantes, vt ſcribitur. Moyſes autem irritatus, non deducturum ſe illos in repromiſsionis terram minitabatur. Ita commoti, raptis armis abſque iuſſu ductoris aſcendebant, deus verò per Moyſen ſibi futurum euentum cecinit: Non aſcendatis, ne cadatis in cõſpectu hoſtium noſtrorum, non ſum enim vobiſcum. At illi ex inobedientia non attendentes, aſcendebant, arca verò non aſcendit cum eis, ſed ſtetit fixa in caſtris. Audiſti dicentem, non ſum vobiſcum, vides non conſcendiſſe cum illis arcam, nónne igitur

*Ioſue 6.* clarè hîc intelligis, dicentis dei locum eam tenuiſſe? Per Hierico etiam ſacerdotum manu circunducta, non machinis nec arietibus, aut vineis, ſed tubarum clangore alta deiecit mœnia. Ipſe nanque Chriſtus per ſanctos viros modo vbique circunductos, non armis aut machinis, ſed buccinarum clangore, ſed Euangelica apoſtolicáque doctrina, vniuerſas diaboli vires euertit, quum omnium penè gentium conſenſus fide dominum ſuum ſuſcipiat. Quod & in glorificationibus in Eccleſia publicè fieri videmus, pontificali buccina reſponſionem populi præcedente. Pontificis enim vocem quaſi buccinam quandam intelligimus, & hoc pacto aduerſarios fundimus atque fugamus. Non enim corporea ſunt arma noſtra (vt ait Paulus) ſed ſpiritualia, & diuinæ virtutis pleна. Quod autem per ſanctos viros circunuehatur Chriſtus, tum Habacuch propheta docet, dicens, Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio, Tum maximè ipſe ſaluator de Paulo ad Ananiam dicens, Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram omnibus gẽtibus. BERNARDVS IN SERMONIBVS. Arca etiam teſtamenti typum tenet ſanctæ dei genitricis. Illam fecit Bezeleel, iſtam condidit Emanuel. Bezeleel Olyab in opere ſocium habuit, & virgo quoque virginum condita, prælecta, præſeruata, præparata, & ornata per ſpiritum ſanctum, & eius omnipotentem filium fuit. Bezeleel interpretatur vmbra dei. Olyab protectio mea, prior ille ſpiritus ſancti, iſte verò typum tenet filij. De illo dicitur ad Mariam in conceptione filij beatiſsimi, Virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Item ad Ioſeph, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim ex ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Iſte verò ad patrem clamat in pſalmo, Protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Item de eodem, De ventre matris meæ tu es protector meus. Item tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Bezeleel ergo cum ſocio arcam teſtamenti fabricauit, ſancta quoque Trinitas virginem ſibi ſanctificauit, ac templum ſanctiſsimum conſecrauit, hoſpitiúmque mundiſsimum ſibi præparauit, thalamum quoque de quo ſponſus præ filiis hominum ſpecioſus ad publicum procederet, decenter præornauit. Neque enim pater abeſſe potuit, vbi eius ſpiritum & filium cooperari voluit. Quæcunque enim pater facit, hęc eadem ſimiliter & filius facit, neque enim filius poteſt à ſe facere quicquam, niſi quòd viderit patrem facientem. De ſpiritu quoque legitur in libro pſalmorum, Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Apoſtolus quoque de tribus perſonis ita, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria. Pater ergo in conſecratione virginis exhibuit claritatem, filius humilitatem, ſpiritus ſanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, filius cinerem humiliationis, ſpiritus ſanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, filius ſapientiam, ſpiritus ſanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, filius humilitatem contra mundum, ſpiritus ſanctus charitatem erga deum & proximum. Filius carnis mortificationem, ſpiritus ſanctus compunctionem, pater cœleſtium contemplationem. Filius docuit eam diuina operari, ſpiritus ſanctus amare & amari, pater cœleſtia contemplari. Filius eam erudit, ſpiritus eam prouehit, pater eam perficit. Filius eam purificat, ſpiritus ſanctus eam pacificat, pater eam honorificat. Hæc dicens, opera vel dona trinitatis non diuido, ſed fideliter inſeparabilia aſſero. Sicut enim in eſſentia vnitas, ita in operatione identitas. Arca verò teſtamenti de lignis Sethim facta eſt, & Maria de ſpinoſo & hiſpido Iudæorum populo & arido procreata eſt, qui vtique ſpinoſus detractione, hiſpidus ſuperſtitione, aridus fuit vnctione diuinę gratię. Vnde ſpinoſus ſpineam coronam regi ſuo exhibuit, & in eum ſicut ignis in ſpinis exarſit. Sethim enim interpretantur ſpinæ. Aliter. Eua ſpina, roſa Maria. Reuera Eua ſpina fuit, quæ & virum ſuum ad mortem pupugit, & poſteritati ſuæ peccati aculeum infixit. Vnde Apoſtolus, Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ſic in omnes pertranſiit. Ligna verò ſancti patres fuerũt, qui licet in radice aruiſſent arboris, ſpem tamen certiſsimam habentes in aduentu ſaluatoris, tanquam peregrini & incolę in hoc mundo habitabant, tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes. Caſtigabant cum vitiis & concupiſcentiis corpora ſua, Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Vnde quidam ita, Conuerſus ſum (inquit) in ęrumna mea, dum configitur ſpina. Ad commendationem verò gratiæ ſuæ, & ad deſtructionem humanæ ſapientię ſuæ, deus de fœmina

*Ioan.5.* *Pſal 32.* *Rom.11.* *Rom.5.* *2.Cor.6.* *Pſal.125.* *Pſal.31.* *Habac.3.* *Act.9.* *Ser. de beata Maria, incipiente, Aue Maria.* *Luc.1.* *Matth.1.* *Pſal.16.* *Pſal.70.* *Ibidem.* *2.Cor.10.*



A de fœmina, ſed virgine, deſcendente de ſpinoſa patrum origine, dignatus eſt carnem aſſumere, vt ſimilem ſimili redderet, contrarium contrario curaret, peſtiferam ſpinam euelleret, peccati chirographum potentiſsimè deleret. Humilitas per ſexum fœmineum commendatur, gloria virginis & maieſtas opitulatur, peccatum gratia eiicitur. Eua ergo ſpina fuit, Maria roſa extitit. Eua ſpina vulnerando, Maria roſa omnium affectus mulcendo. Eua ſpina infigens omnibus mortem, Maria roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem. De liquore ſpinei corticis fit incauſtum, vnde ſcribitur, de carnali mente tua fluxus naſcitur concupiſcentiæ, qui in ipſa & in Adam peccatum actuale, in poſteris originale transfudit. De hac verò Apoſtolus ita clamat, Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Ac ſi diceret, Per vnum hominem mors, & per vnum hominem reſurrectio mortuorũ. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Maria autem roſa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem: candida carne, rubicunda mente: candida virtutem ſectando, rubicunda vitia calcando: candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando: candida deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo. De lignis verò Sethim condita eſt arca, in qua thuribulum, manna, & virga ſunt recondita, quia licet Maria de patrum natura per peccatum vitiata, duceret originem, præelecta tamẽ per ſpiritum ſanctũ & præſeruata ad purum, deum nobis obtulit & hominem. Thuribulũ ſacroſanctũ, carnem ſignificat ſaluatoris, quæ aurea dicitur, quia nullius paſſa eſt detrimentum pudoris, agnus ſcilicet ſine macula, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, de quo per propheticum dicitur eloquium, Ecce puer meus electus, poſui ſuper eum ſpiritum meum. Carbones thuribuli, ſunt opera Ieſu Chriſti. Carbones iſti aliquãdo mortui, quandoque verò ſunt ignei, quia in ſaluatore noſtro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat diuinitas. Ignis in carbone, diuinitas eſt innocens in opere. Ignis in prunis, euidens eſt indicium diuinitatis. Carbo mortuus, in præſepe iacens, igneus, dæmonia expellens: mortuus, in Aegyptum fugiens, igneus, vendentes & ementes columbas de templo eiiciens: mortuus, dormiens in naui, igneus, imperans ventis & mari: mortuus,

B ſubditus parentibus, igneus, quatuor ſatians hominum milia de ſeptem panibus: mortuus, ad puteum Iacob rogans potum, igneus, circa Hierico illuminans cæcum & ſanans leproſum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur: igneus, dum ei ab angelis miniſtraretur. Mortuus in proditione diſcipuli, igneus, in filio reguli. Sopitus ante præſidem, igneus circa Tyberiadem. Sopitus dum ei Herodes illuderet, igneus, dum mortuorum ſuſcitator magnificus fieret. Sopitus dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur, igneus, dum ab eo decem leproſi mundarentur. Sopitus dum à Iudæis ſe abſconderet, ſopitus dum cum publicanis & peccatoribus ederet, igneus dum ambularet ſuper vndas, igneus dum ex aqua facto vino lætificaret conuiuas. Sopitus, iacens in cunabulis, igneus, fulgens in miraculis. Sopitus ante tribunal præſidis, igneus, in filia Chananitidis: ſopitus in cruce, igneus in monte. Prunæ ergo mortuæ, erant humanitatis opera, ignitæ, diuinitatis miracula. IDEM IN SENTENTIIS. Duæ quoque ſunt arcæ in veteri lege. Textus hiſtoriæ literalis, quæ habet in ſe homines & iumenta, & ſenſus continentiæ ſpiritalis, quæ habet manna & virgam Aaron.

C

D

*2.Cor.3.* *1.Cor.15.* *1.Pet.2.* *Eſa.42.*

3 *Acies & propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius: & cubitum ac ſemiſſem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciántque ſe mutuò uerſis uultibus in propiciatorium, quo operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium ſcilicet, ac de medio duorum Cherubim qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.*

*Facies & propiciatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius: & cubitum ac ſemiſſem latitudo.* 3

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Propitiatorium ad quid dicat ſuperimponendum ſuper arcam quæri ſolet: ſed cùm aureum fieri iubeat, eiúſque longitudinem & latitudinem tantam exprimat, quanta & ipſius arcæ dicta eſt, proculdubio velut tabulam auream tantæ formæ fieri præcepit, qua tegeretur arca. BEDA. Propitiatorium tabula erat aurea, eiuſdem menſuræ cuius arca, ſic dicta, quia ibi deus Moyſi apparens, & cum eo loquens, propitiabatur populo. CAIETANVS. Tabula autem hæc erat non lignea ſed aurea, æqualis tam ſecundum longitudinem quàm ſecundum latitudinem dictæ thecæ. Et quoniam nihil dicitur quàm groſſa eſſet, intelligentiæ humanæ relinquitur, vt ſic eſſet groſſa, ne tenuitate flecteretur, hinc & inde tantummodo ſuſtentata. AVCTOR CATENAE. Facies & propiciatorium. Hebraicè eſt dictio כַּפֹּרֶת Chappóreth, quod erat tegmen, ſiue operimentum, aut velamen, & cœlum, quale rebus pretioſis ſuperponere ſolemus. Erat autem tabula quæ ſuperponebatur arcæ. Vnde & Septuaginta, ἱλαστήριον ἐπίθεμα, Propitiatorium ſuperpoſitionem dixerunt. Interpres autem propitiatorium vertens, magis habuit rationem verbi à quo deducitur, quàm rei. Verbum enim כָּפַר Chaphar, aliquando ſignificat remouit iram, ſiue placauit, condonauit iniquitatem & peccatum. Solebat autem dominus apparere Iſraëlitis ſuper operimentum illud, & illinc eos alloqui, & oſtendere voluntatem ſuam (vt paulò pòſt dicit) vtrum iratus eſſet, an placatus illis. Vnde factum, vt Interpres verterit propitiatorium, quaſi dicat, locus in quo dominus placatus alloquebatur populum. Quandoque etiam pro eo vertit oraculum, propterea quòd illinc dominus oracula ſua edebat, id eſt, Moyſi loquebatur, docebátque eum quid populum Iſraëliticum facere vellet. *Duos quoque cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero.* BEDA. Cherubim nomen eſſe angelicarum virtutum Ezechiel Propheta manifeſtè declarat. Quas etiam iuxta exemplum quo hîc fieri iubentur, cum alis ſibi apparuiſſe deſignat, dicens, Et vox alarum audiebatur vſque in atrium exterius, ſicut vox domini loquentis. Et quidem numero ſingulari Cherub, plurali autem Cherubim dicitur, & eſt nomen generis maſculini. Sed græca cõſuetudo neutro genere Cherubin poſuit, m litera, in n mutata. Verùm noſter Interpres Hebræum ſequutus idioma, maſculino genere poſuit, Duos Cherubim aureos & productiles facies, non duo Cherubin aurea &

E

F

*Quæſt.105.* *Cap.5. Ezech.1.*

rea & productilia. Quod ſcriptorum incuria credimus in eius tranſlatione eſſe corruptum, vt pro Cherubim G
antiquorum more, ſcriberetur Cherubin. Interpretatur autem Cherubim ſiue Cherubin, ſcientiæ multitudo, vel
ſcientiæ intellectus, quod videlicet tantò rectiùs angelicis poteſtatibus congruit, quantò perfectè ab omni im-
pulſu impuræ cogitationis alienæ, viſioni ſui conditoris adhærent. Idcirco autem alas vel in figura Cherubim
Moyſes facere iubetur, vel in ipſa eorum ſpecie vidiſſe ſe Propheta teſtatur, quod etiam licentia ſolet imitari
pictorum, vt in alto ſedem habere angeli, & quaſi leui volatu vbique diſcurrere poſſe ſignentur, neque vllam
habere tarditatem, quin confeſtim vbique voluerint adſint. Quod ipſum nobis quoque poſt reſurrectionem
ſpirituali corpore veſtitis indubitanter promittitur. Duo autem ſunt propter ſignificandam ſocietatem angeli-
cę pacis, quia minùs quàm inter duos haberi charitas non poteſt. HIERONYMVS IN EZECHIELEM.

*Cap.10.* Quanquam plerique τὰ χερουβεὶμ neutrali genere, numeróque plurali dici putent, nos ſcire debemus ſingula-
ri numero eſſe Cherub generis maſculini, & plurali eiuſdem generis Cherubim, non quo ſexus in miniſtris dei H
ſit, ſed quo vnumquodque iuxta linguæ ſuæ proprietatem diuerſis appelletur generibus. Angeli vocantur nu-
mero plurali Malachim, & Cherubim, & Seraphim eiuſdem generis & numeri. Porrò Sabaoth, quod interpre-
tatur militiarum, ſiue exercituum atque virtutum, dicuntur genere fœminino, numero plurali, & deſinunt in
extremam ſyllabam ת oth IDEM MARCELLAE. Et in Exodo cæteríſque locis, vbi deſcribuntur
veſtes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, id eſt, varium atque depictum eſſe factum deſcribitur, ita tamen
vt ו vau literam Cherubim non habeat, quia vbicunque cum hac litera ſcribitur, animalia magis quàm opera
ſignificat. RVPERTVS. Iuxta literam, qualis factura, qualis vel vnde ſumpta fuerit Cherubim forma, non
exprimit ſcriptura, creaturæ tamen angelicæ monimentum eſt, quam fortitudinem cum gladio flammeo atque
verſatili ante paradiſum collocatam, in Geneſi ſcriptum eſt, cui licentia pictorum alas effingit, non ſine auc-
toritate ſcripturæ præſentis, videlicet propter velocitatem naturæ ſpiritualis. CAIETANVS. Duos quo-
que Cherubim aureos & productiles facies. Hebraica dictio eſt Cherubim, & ſignificat magnos, non quantitate I
molis, ſed virtute, ſeu potentia, ſeu ſcientia, & huiuſmodi. Et angelis appropriatur, quia verè ſunt magni magni-
tudine ſpirituali, tum naturæ, tum ſcientiæ, tum potentiæ. Et ambo iſti non lignei, ſed aurei erant. Non opere fu-
ſorio, ſed malleo aurum ducẽdum erat ad faciendum has ſtatuas, mirabilẽque apparet opus, vt nulla eſſent fru-
ſta ſtatuæ, ſed ex integro fieret ſtatua ductilis. Ex vtraque (inquit) parte oraculi. Iuxta Hebræum habetur, à duo-
bus extremitatibus propitiatorij. Intellige extrema propitiatorij, hoc eſt, extrema longitudinis, quemadmodum
de lateribus thecæ dictum eſt. Et facies Cherub vnum ab extremitate hinc, & Cherub vnum ab extremitate hinc
propitiatorij. Diſtribuit Cherubim hinc & hinc. Priùs enim abſque diſtributione dixerat ad duo latera modò
ſuum cuique extremum deputat. AVCTOR CATENAE. Duos quoque Cherubim aureos. Cherub ſe-
cundum Hebræos eſt dictio compoſita, idem ſignificans quòd, Quaſi puer. Cherubim autem plurale eſt, habe-
bant enim formam & figuram puerorum. Vt autem ſcribit Ioſephus, fuerunt animalia volatilia, quæ talem ha-
buerunt figuram, qualis à nullo hominum conſpecta eſt. Sed Ezechiel vidit ſimilitudinem quatuor animalium K
quam vocat Cherubim. Et cùm in primo capite commemoret quatuor facies animalium, videlicet hominis,
leonis, bouis, & aquilæ, poſteà capite decimo pro facie bouis ſubſtituit faciem Cherub. Deinde vocat totum a-
nimal quatuor faciebus conſtans, Cherubim. Et productiles facies ex vtraque parte oraculi. Hebraicè eſt
מִקְשָׁה תַּעֲשֶׂה אֹתָם מִשְּׁנֵי קְצוֹת הַכַּפֹּרֶת Miksa tahaſe otham miſene kezot hacapporeth. Dictio Miksa, ductile propriè
metallum ſignificat, ſcilicet percuſſum malleo, & induratum, vel complanatum. Licet dicant aliqui, quòd hoc
in loco æquale vel planum, id eſt, opere plano & æquali ſignificat. Sic igitur redditur locus hic, Ductiles ſeu pro-
ductiles facies eos ex duobus lateribus propitiatorij. Sic & Chaldaica. Alij vertũt, Et opere ductili facies, Quod
eſt idem. Alij, Opere integro & ſolido, vt ſcilicet tam operculum, quàm Cherubim fuerint opus vnum, abſque
vlla iunctura factum. Idẽmque ſentiendum dicunt de cãdelabro & cyphis, floribus, ſphærulis atque ramis eius.
Alij, Solidos facies eos in duabus extremitatibus propitiatorij. Septuaginta, χρυσᾶ τορευτὰ, Aureos tornatiles di-
cunt. Sed hæc non deuiant à Latinæ literæ ſenſu. Oraculum autem hîc vertit Interpres, operimẽtum ſeu cœlum, L
quod ſupradixerat propitiatorium, propterea quòd (vt iam diximus) ex eo loco dominus loquebatur Moyſi, &
per orationes diuinum impetrabatur reſponſum. Quod verò ſequitur, Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in
altero. In Hebræo ſicut & in Chaldaica legitur, Faciéſque vnum Cherub ex latere eius hinc, & Cherub vnum ex
latere eius inde. Quod tamen idem eſt cum litera noſtra. *Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operi-
entes oraculum, reſpiciántque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi.*

RVPERTVS. Reſpiciant (inquit) non aſpiciant. Nempe & alis propitiatorium operire, & mutuos vultus
in ſe conuertere, id eſt, non ante ſe aſpicere, ſed alam verſus caput deuertendo, in alterutrum reſpicere iubentur.
Quo operienda eſt (inquit) arca. Ergo propitiatorium ſublimius quàm arca, & ita dictum eſt, quo operienda eſt
*Heb.9.* arca, ac ſi diceretur, cui ſubmittenda eſt arca. Vnde Apoſtolus, Supràque eam Cherubim gloriæ obũbrantia pro-
pitiatorium. Hîc quidem neutro genere obumbrantia dictum eſt. Cæterùm maſculino genere Cherubim enun-
ciari, ex hoc loco, duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, & ex aliis pleriſque locis magis patet. M

CAIETANVS. Vtrumque latus propitiatorij tegant. Hebraicè, Facietis Cherubim ſuper duas extremi-
tates eius. Applicatio ſignificatur Cherubinorum ad extremitates propitiatorij illis deputatas. Et eſt ſermo de
applicatione ad ſuſtentandum propitiatorium. Præpoſitio autem, ſuper, ſignificat quod propitiatorium non e-
rat locandum ſuper capita Cherubinorum, ſed & ipſi Cherubini ſecundum partem eorum ſuperiorem, eſſent e-
minentiores propitiatorio. Hunc autem eſſe ſenſum literalem ipſe contextus inſinuat, nam primùm duos, dein-
de à duobus lateribus poſteà diſtribuit, & demum explicauit eoſdem. Expandentes alas. Iuxta Hebræum plus
habetur, Et erunt Cherubim extenſores alarum ad ſuperna. Alas expanſas non ad latera dextrum & ſiniſtrum,
ſed verſus partes ſuperiores præcipit fieri. Et operientes oraculum. Iuxta Hebræum habetur, tegentes in alis ſuis
ſupra propitiatorium. Quia diuerſimodè intelligi poteſt ſitus alarum expanſarum ad ſuperiora, determinatur
vt ſitus ſit talis, quod internæ ſuperficies alarum, ſint verſus propitiatorium, talis enim ſitus ſignificatur dicẽdo,
tegentes



A tegentes in alis ſuis ſupra propitiatorium. Officium enim tegendi conuenit alis ſecundum internas ſuperficies,
& propterea ab officio tegendi deſcribitur expanſarum alarum interna ſuperficies verſus propitiatorium, ita
quòd vmbra earum erat directè ad tegendum propitiatorium hinc & inde. Reſpiciántque ſe mutuò, verſis vul-
tibus in propitiatorium. Iuxta Hebræum, Et facies eorum vir ad fratrem ſuum, ad propitiatorium erunt facies
Cherubim. Iunge hæc duo ſimul (videlicet quòd facies Cherubinorum erant ſic ſituatæ, quòd altera verſus alte-
ram, & quòd ambæ verſus propitiatorium) & manifeſtè penſatis antedictis perpendes, quòd propitiatorium erat
medium inter duos Cherubinos ſecundum lineam rectam, ita quòd duo Cherubini non ex obliquo, non tor-
quendo collum, ſed ſecundum rectam lineam mutuò ſe reſpiciebant, & propitiatorium medium inter eos. Et
caue ne fallaris ex ſitu Cherubinorum deſcripto tertio Regum ſexto, quoniam Salomon non fecit Cherubinos
illos iuxta deſcriptionem Moyſi hîc mandatam. Vt cõuincitur, tum ex eo quòd fecit illos ligneos, cùm hîc præ-
B cipiantur aurei, tum ex eo quòd inter duos Cherubinos fecit diſtantiam decem cubitorum, cùm tamen propi-
tiatorium duorum cubitorum & dimidij eſſet, & iuxta latera medij propitiatorij eſſe deberent Cherubini. Et ex
hac litera dicente, Vir ad fratrem ſuum, inſinuatur quòd figuræ humanæ erant Cherubini. Quo operienda eſt
arca. Iuxta Hebræum habetur, Et dabis propitiatorium ſuper thecam de ad ſuperna. Locus propitiatorij defini-
tur, & ordo motus aſcenſus & deſcenſus inter ſuperficiem thecæ, & locum propitiatorij inſinuatur, vt videlicet
ex propitiatorio deſcenderetur ſuper thecam, & ex conuerſo ex theca aſcenderetur ad propitiatorium, quemad-
modum ex gradu ſuppedaneo aſcenditur ad ſedem, & è conuerſo ex ſede deſcẽditur ad gradum ſuppedaneum.
Huiuſmodi enim locorum ordo ſignificatur, dicendo ſuper thecam de ad ſuperna. Nec nos huiuſmodi ordi-
nem confingimus, ſed hunc eſſe ſenſum literæ teſtimonio ſacræ ſcripturæ comprobamus. In pſalmo enim no-
nageſimonono clarè dicitur, Adorate ſcabellum pedum eius, loquendo ad literam de hac theca. Et in pſalmis
octuageſimo & nonageſimonono dicitur deus ſedens ſuper Cherubim. Erat igitur theca tanquam ſcabellum
C ſuppedaneum ſedenti ſuper propitiatorium, ſuſtentatum à Cherubinis. Qui erant non habentes pedes ſuper the-
cam, vt conuincitur ex hoc, quòd propitiatorium oportuiſſet eſſe minus longum quàm ipſa theca, tanto minus,
quantum occupatum fuiſſet thecæ hinc & inde à Cherubinis. Sed ſtabant ſuper pauimentum iuxta poſteriores
partes laterum thecæ, ſuſtentantes propitiatorium, ita quòd ſi quis ſediſſet in propitiatorio, pedes habuiſſet ſu-
per thecam, & alæ Cherubinorum hinc & inde extenſæ ac eleuatæ ad ſuperna, erant velut ſpondæ ſedis diuinæ.
Deus enim infigurabilis in ſede ſic diſpoſita adorari voluit, ad exterminandam idololatriam, & docendũ quòd
ipſe infigurabilis omnino eſt. In qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Non eſt repetitio ſed manifeſtatio ex-
cellentiæ propitiatorij relatiuè ad thecam, quanuis continentem diuinum teſtimonium tabularum decem præ-
ceptorum. AVCTOR CATENAE. Vtrumque latus propitiatorij, & cætera. Tota hæc litera ita habe-
tur in Hebræo, ſicut & in Chaldaica, videlicet, Ex propitiatorio facietis Cherubim ſuper duo latera eius. Erún-
que Cherubim expandentes alas ſuas ſurſum, obumbrantes alis ſuis ſuper propitiatorium, & facies vniuſcũiuſ-
D que è regione alterius, contra propitiatorium erunt facies Cherubim. Ponéſque propitiatorium ſuper arcam
deſuper, & in arca pones teſtimonium quod dabo tibi. Quod autem ait, Ex propitiatorio, intelligitur ex auro
quo propitiatorium eſt tectum, facietis duo Cherubim, quaſi velit eſſe eiuſdem materiæ cum operimento. Alij
autem quod Hebraicè eſt מִן הַכַּפֹּרֶת Min hacappóreth, In ipſo propitiatorio, vertunt, vt ſit ſenſus, quòd Cheru-
bim in opertorio fiant. Nonnulli etiam ita hoc loco legunt, A propitiatorio facietis Cherubim expandent alas
ſupernè, tegentes alis ſuis propitiatorium, & facies eorum erit altera ad alteram, ad propitiatorium erunt facies
Cherubim. Et pones propitiatorium ſuper arcam ſupernè, & in arca pones teſtimonium quod dabo tibi. Quo-
rum omnium vnus ſenſus eſt cum Latina litera, quòd ex ambabus arcæ extremitatibus Cherubim formari de-
bebant ex auro, figura alarum vel alatorum angelorum, vel iuuenum mutuò ſeſe aſpicientium, & alis protegen-
tium deſuper oraculum vel propitiatorium. Sic nominatum, quia inde dominus reſponſa ſacerdoti dabat ſum-
mo, & cõteſtabatur de ſacroſancto ipſius beneplacito, vel etiam Moyſi donec viueret, ante quod ipſe dominum
E deum ſuum adorabat in cœlis reſidentem, & mundum implentem, ibi tamen ſui memoriale, & gratiæ ſignacu-
lum, & præſentiæ ſuæ locum eſſe volebat. Vnde & meritò ſequitur. *Inde præcipiam & loquar ad te, ſupra propitiatorium
ſcilicet, ac de medio Cherubim qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.* BEDA. Super propitia-
torium loquitur dominus ad Moyſen cuncta quæ per illum mandat filiis Iſraël, Quia per gratiam propitiatio-
nis dei factum eſt, vt hominibus poſt culpam prævaricationis apparere, & eis viam veritatis poſt errorem de-
monſtrare dignatus ſit. Et de medio Cherubim loquitur, quia per angelicam viſionem, & non in ſua ſubſtantia
deus apparuit, & locutus eſt Moyſi, atteſtante Apoſtolo, quia Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veni- *Gal.3.*
ret ſemen cui promiſerat, ordinata per angelos in manu Mediatoris. CAIETANVS. Iuxta Hebræum ha-
betur, Et ero paratus tibi ibi, & loquar tecum deſuper propitiatorium, de intra duos Cherubim, qui ſupra the-
cam teſtificationis, omnia quæ præcipiam tibi ad filios Iſraël. Ne vanum reputaretur propitiatorium, declarat
deus quòd ipſe non in illo contentus, ſed ſuper illud, à ſupernis paratus erit ad officium audientiæ. Et ſpecialiter
F dicit ibi, ac ſi apertiùs dixiſſet, Non oportebit te venire in hunc montem Sinai ad conſulendum me, ego enim
facto propitiatorio ero ibi paratus ad audiendum te. Humano more loquitur deus more principis ſtatuentis lo-
cum audientiæ, vbi etiam clarè vides ſitum propitiatorij inter duos Cherubinos. Quod autem dicitur de Cher-
rubinis qui ſuper thecam, intellige non ſuper thecam habentes pedes, ſed ſupra thecam, hoc eſt, eminentiores
theca. Immo cùm theca eſſet altitudinis vnius cubiti & dimidij duntaxat, crura Cherubinorum cum omnibus
ſuperioribus partibus erant ſupra thecam. Probatum eſt enim ex ipſa longitudine propitiatorij quod erat inter
Cherubinos, non poſſe intelligi quòd Cherubini haberent pedes ſuper thecam, & eadem ratione nec genua.

AVCTOR CATENAE. Inde præcipiam & loquar ad te. Hebraica litera eſt וְנוֹעַדְתִּי לְךָ שָׁם Venohadti
lecha ſam. Verbum יָעַד Iahad conuenire, ſtatuere & conſtituere ſignificat. Vnde ſic verti poteſt, Et conueniam
tecum illic. Siue te ibi, Vel, Et teſtificabor tibi, ſubaudi, quòd tecum ſim. Aut conteſtabor te inde, & loquar te-
cum, hoc eſt, hunc locum tibi præſcribo, vbi tecum ſim loquuturus. Pro quo Septuaginta, καὶ γνωσθήσομαί σοι
ἐκεῖθεν

ἐκεῖθεν, id est, Et cognoscar tibi illinc, habent: Chaldaica autem, Et statuam ibi verbum meum tibi. Et loquar ad G te supra propitiatorium. Dictionem מֵעַל Mehal, aliqui vertunt, De sine è propitiatorio, id est, de superiori parte propitiatorij, vt declarant Septuaginta. Chaldaica, De super propitiatorij. Quę tamen omnia idem dicunt cum litera nostra. Quæ mandabo per te filiis Israël. Sensus rectè est redditus, Verba autem sunt, אֲשֶׁר אֲצַוֶּה אוֹתְךָ אֶל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל: Aser azaue óthcha el bene Israël, Quæ mandabo tibi ad filios Israël. Sic & Chaldaica, hoc est, loquar (inquam) tibi quęcunque iniungam dicenda filiis Israël. Quod non est aliud, quàm quod vertit vetus Interpres. Habes igitur ex omnibus supradictis quis esset vsus propitiatorij. Principiò enim propitiatorium cum Cherubim in hunc vsum constructum est, vt esset operculum arcę. Pones (inquit) illud super arcam. Deinde institutum est, vt quemadmodum deus antea collocutus est cum Moyse è rubo, postea è nube, ita nunc deinceps colloquetur cum ipso de propitiatorio ac medio duorum Cherubim, & reuelabit ei leges, ac statuta quæ in Republica Israëlitica obseruãda erunt. Sic enim mox sequitur, Inde (inquit dominus) testificabor tibi, & loquar ad te, nempe de propitiatorio ac medio duorum Cherubim, qui erant supra arcam testimonij, cuncta quæ mandabo per te ad filios Israël. Et in Numeris capite octauo, Cùm ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, & cætera. Quo stupendo miraculo propitiatorium consecratum est in publicum sacramentum, quo Israëlitæ certificarentur, Deum tam præsentem quàm propicium esse Israëlitis, ac velle ipsos defendere, & tueri in omnibus aduersis. Vnde & ei nomen propitiatorij inditum est, & dictus est deus habitare aut sedere super Cherubim, Psalmo septuagesimonono, & Esaiæ trigesimo septimo. Et tabernaculum in quo propitiatorium situm erat, vocatum est tabernaculum fœderis domini.

*Oratione 3.* CHRYSOSTOMVS ADVERSVS IVDAEOS. Iam conabor vobis facere fidem ô Iudæi, quòd non suapte virtute vestra omnia diruerũt Romanorum imperatores, sed quia deum habuistis iratum qui vos deseruerat. Etenim si quod gestum est humanum erat opus, oportuit vestras calamitates excidio finiri, nec longiùs proferri vestram ignominiam. Ponamus enim iuxta vestram sententiam, mœnia ab hominibus fuisse subuersa, ciuitatem dirutam, altare deiectum, num & illud ab hominibus factum, quòd Prophetæ cessarunt? num & spiritus gratiam sustulerunt? num alia quæ apud vos fuere magnifica destruxerunt? veluti vocem de propitiatorio reddi, vim vnctionis, declarationem quæ fiebat in lapidibus sacerdotum, neque enim Iudaica religio origines omnes habebat ex inferioribus, sed plures ac magnificentiores supernè è cœlis. Hoc autem dico. Permisit sacrificia fieri. Altare quidem erat ex inferioribus, quemadmodum gladius & ligna, nec non sacerdos. Cæterùm ignis venturus in adyta illa victimásque consumpturus, è supernis habet originem. Nec enim homo inferebat ignem in templum, sed flamma è sublimi immissa suo ministerio consummabat hostiam. Rursum siquando cognoscendum erat aliquid è propitiatorio, vox quæpiam è medio Cherubim prodibat, prædicens futura rursus è lapidibus qui erant in pectore summi sacerdotis, id vocabant declarationem, relucebat fulgor quidam futura significans. Præterea quoties esset aliquis inungendus, defluebat spiritus gratia, & insiliebat in vnguentum. Hæc autem administrabant Prophetæ. Quin & nebula frequenter & fumus adyta corripiebat. Itaque ne Iudæi per- K fricta fronte hominibus imputarent suarum rerum vastationem, non solùm ciuitatem deus passus est dirui, ac templum vastari, verùm etiam illa quæ cœlitùs habebant originem, è medio sustulit, videlicet ignem, vocem, è lapidibus reddi solitum fulgorem, & huius generis alia vniuersa. Proinde cùm tibi Iudæus dixerit, Homines nos expugnarũt, homines insidiis adorti sunt, dicito illi, Profectò nequaquam expugnassent homines, nisi deus hoc permisisset. Verùm esto sanè, murum vestrum diruerint homines, num & ignem ex alto deuehi vetuit homo? Num vocem assiduè ex propitiatorio audiri solitam inhibuit homo? Num declarationem in lapidibus? num sacram vnctionem? num cætera omnia sustulit homo? An non deus hæc omnia submouit? Nemini non perspicuum est. Sed qua de causa sustulit? An non manifestum est ideo fecisse, quòd vos odisset, quódque semel auersatus esset. Nequaquam (inquiunt) sed quoniam ciuitate caremus, ideo caremus & istis. Quin potiùs vt ex abundanti impudentia illorum ora claudamus, agè & hoc scripturarum testimoniis demonstremus, quòd templi apparatus non fuerit causa destructionis cæterorũ à Prophetis prædictæ, sed ira dei, & quòd magis etiam ipsum L prouocarint insanientes in Christum, quàm tum cùm vitulum adorarent. Nam cùm vaticinaretur Moyses, nec templum erat nec altare, sed cùm persisterent in innumeris impietatibus, tamen prophetię donum non cessauit. Verùm & hic ipse egregius vir, & alij rursus præter hunc septuaginta tum extitere Prophetæ, nec id solùm, verùm & post datum templum reliquámque totam culturam, deinde hoc incenso cunctisque deportatis in Babylonem, rursus extiterunt Ezechiel & Daniel, qui nec sancta sanctorum aspicerent, nec altari assisterent, sed in media barbarorum regione & impurorum hominum consortio agentes, spiritu repleti futura prædicebant, idq; de rebus multo tum pluribus, tum admirabilioribus quàm præcesserant, ac diuinam visionem viderunt, quatenus ipsis videre licuit. Itaque dicite mihi, quam ob causam non habetis nunc Prophetas? An non perspicuum est hanc esse causam quòd deus vos repulerit? Sed quam ob causam repulit? Clarum item & hoc, quòd ob illum crucifixum, & impium illud facinus. Vnde hoc liquet inquis? Ex hoc quòd cùm antehac impiè viueretis, nihil non obtinebatis, nunc verò quum videamini modestiùs viuere post crucem, atrociores luitis pœnas, neque quic- M quam eorum contigit habere, quæ priùs habebatis.

*Leuit. 9.*

*Mysticè. Quæst. vbi supra.* AVGVSTINVS. Sed & in omnibus supradictis magnum inest sacramentum. Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum dei. In arca iussa sunt poni lex & manna, & virga Aaron. In lege præcepta sunt, virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verùntamen quia lex à quouis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est vt propitius sit deus, & ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia iudicio. Duo verò Cherubim pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando, quoniam mysteria ista ibi sunt, & inuicem se attendunt, quia consonant, duo quippe ibi testamenta figurantur. Et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam domini, in qua vna spes est, valde commẽdant. Denique hinc se promisit locuturum deus ad Moysen de medio Cherubim, de sursum propitiatorij. Porrò si creatura rationalis in multitudine scientiæ (quo-



A tiæ (quoniam hanc interpretationem habent Cherubim) duobus ipsis animalibus significatur, ideo duo sunt, vt societatem charitatis commendant, ideo pennis suis propitiatorium obũbrant, quia deo non sibi tribuunt pennas suas, id est, deum honorant virtutibus quibus præstant, & vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia cuicunque profectui ad multitudinem scientiæ spes non erit nisi in dei misericordia. GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Quid est quòd in tabernaculo propitiatorium fieri iubetur, super quod duo *Homil. 6.* Cherubim vnum à summitate vna, & alterum à summitate alia ex auro mundissimo ponuntur, expandentes alas, & operientes oraculum? Quid est quòd se mutuò respiciunt, versis vultibus in propitiatorium, nisi quòd vtraque testamenta ita sibi in mediatorem dei & hominum concordant, vt quod vnum designat, hoc alterum exhibeat? Quid enim per propitiatorium, nisi ipse Redemptor humani generis designatur? de quo per Paulum *Rom. 3.* dicitur, Quem proposuit deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Quid verò per duo Cherubim quæ B plenitudo scientiæ dicuntur, nisi vtraque testamenta signata sunt? Ex quibus vnum à summitate vna propitiatorij, aliud verò à summitate altera stat, quia quod testamentum vetus de incarnatione nostri redemptoris cœpit prophetando promittere, hoc testamentum nouum perfectè narrat expletum. Duo autem Cherubim ex auro mundissimo facti sunt, quia vtraque testamenta pura ac simplici veritate describuntur. Expandunt verò alas, & oraculum operiunt, quia nos qui omnipotentis dei oraculum sumus, à culpis imminentibus scripturæ sacræ ædificatione protegimur. Cuius dum sententias sollicitè aspicimus, ab errore ignorãtiæ eius alis velamur. Duo ergo Cherubim inter se mutuò respiciunt versis vultibus in propitiatorium, quia vtraque testamenta in nullo à se discrepant. Et quasi ad semetipsa vicissim facies tenent, quia quod vnum promittit, hoc aliud exhibet, dum inter se positum mediatorem dei & hominum vident. Facies quippe à semetipsis Cherubim auerterent, si quod vnum testamentum promitteret, aliud negaret. Sed dum cõcorditer de mediatore dei & hominum loquuntur, vt vicissim se respiciant, in propitiatorium intendunt. CYRILLVS DE INCARNATIONE VNI- *Cap. 13.* C GENITI. Facies & propitiatorium, & cætera. Aenigma certissimum id sit, deum verbum etiam in humanitate deum mansisse, & in sua gloria & maiestate, etsi propter dispensationem factus sit similis nostri. Propitiatorium nanque per fidem factus est nobis Emanuel. Id autem nobis comprobauit sapientissimus Ioannes dicens, *1. Ioan. 1.* Filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, cõsolatorem habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nec non etiam Paulus, Quem proposuit (inquit) deus *Rom. 3.* propitiatorium in fide, in suo sanguine. Cæterùm cerne Cherubin circunstantia propitiatorium, superobumbrantia quidem pennis, conuersa autem ad propitiatorium, & penè nutui dominico oculum intendentia: ad dei enim voluntatem tantùm respicit sancta cœlestium spirituum multitudo, & nunquam dei satiatur aspectu. Ita filium propheta Esaias vidisse se dicit, in sede altissima & eminentissima, circunstantibus Seraphin, & obsequentibus ei vt deo. RVPERTVS. Faciésque propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos tenebit & dimidium longitudo eius, semissem & cubitũ latitudo. Longitudinis & latitudinis eiusdem, propitiatorium, D cuius & arca est, quia videlicet eadem charitatis intẽtione filius dei pro nobis passus, qua & incarnatus est. Propitiatorium nanque nobis idem incarnatus deus est, sed per passionem & mortem suam. Per illam enim propitiatus nobis est deus, & per illam peccatorum remissionem accepimus, in qua baptizati sumus (vt ait Apostolus) *Rom. 6.* quicunque baptizati sumus in eodem Christo Iesu. Ergo quia nisi deus incarnatus, etiam mortuus fuisset, ipse solus maneret. Post arcæ fabricam facies (inquit) & propitiatorium. Vnde? de auro mundissimo. Aurum, diuinæ in Christo substantiæ significat pretium. Signanter & expressè dixit mundissimo, qui videlicet ex eo quòd deus ab omni est sorde mundissimus, ex eo (inquam) propitiatorium nobis factus est Christus dei filius, ex eo peccata *Heb. 7.* mundi tollere potuit, agnus dei, sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Hoc duo testamenta consonis vocibus categorizant, hoc lex & Euangelium vno spiritu eodémque sensu prædicant. Sequitur ergo duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Porrò iuxta prædictam exemplarium rationem, duo Cherubim quod nomen plenitudo scientiæ interpretatur, duo testa- E menta sunt, vnde scientiam dei sitientes haurimus, vbi nihil deest eorum quæ de deo quærenda vel scienda sunt. Duos ergo (inquit) Cherubim aureos & productiles facies. Duo Cherubim, duo testes sunt, quorum in ore stat omne propitiationis nostræ verbum. Aurei sunt, quia vetus & nouum testamẽtum eadem dei sapientia vera lucent, eadem simplici veritate descripta sunt, Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum. Productiles, quia profectò inter tunsiones & pressuras, sancta vtriusque testamenti scriptura condita est. Expandũt alas suas & oraculum protegunt, quia videlicet humilitatem crucifixi domini nostri Iesu Christi, à Iudaicis & hæreticis blasphemiis defendunt. Nam Iudæi putauerunt eum quasi leprosum, & percussum à deo, & humilia- *Esa. 53.* tum, ipse autem duobus Cherubim attestantibus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter *Ioan. 11.* scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Mortuus est pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios dei qui dispersi erant congregaret in vnum. Versis vultibus respiciunt in propitiatorium, quia vtraque testamenta in nullo à se discrepant. Quod enim vnum promittit, aliud exhibet, & ita disposi- F situm inter se mediatorem dei & hominum vident. Notandum autem quàm sonora dixit Apostolus enunciatione, supráque eam Cherubim gloriæ. Duo nempe testamenta vbique gloriam filij dei spirare sapit, quisquis *Heb. 9.* spiritus sancti delibutus est vnctione. Alterum nanque eorum inquit, Gloria & honore coronasti eum. Alterum *Psal. 8.* verò, Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. In his quidem dictis, nomen quoque, sed vbique *Ioan. 1.* in tota serie scripturarum res est glorię, personantis iugiter consona fide. Inde præcipiam (inquit) & loquar ad te, super propitiatorio scilicet, ac medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonij. Quid est, inde præcipiam & loquar ad te? Nunquid non aliunde poterit homo responsa dei percipere? Non vtique, nam nisi per *Ephes. 2.* mortem Christi filij sui, parietem inimicitiarum deus diruisset, non erat accessus homini ad deum, non erat aliud quod daret homo reconciliationis precium. Per mortem repropitiatoris huius recõciliati sumus, & perinde reconciliationis spiritum accepimus, de quo alibi propitiator ipse dicit, Nisi abiero, paracletus non veniet ad *Ioan. 16.* vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Ergo quia per illum paracletum accipimus, qui doceat nos omnem

veritа-

veritatem, & quæ ventura ſunt annunciat nobis, inde (inquit) præcipiam & loquar ad te cuncta quæ mandabo G per te filiis Iſraël. BEDA. Propitiatorium non aliud quàm dominum ſaluatorem, ſed ſpecialiùs in eo viſcera pietatis deſignat, de quo dicit Apoſtolus, Quem propoſuit deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. Nam & ideo deſuper arcam ponitur, quia ſuperexaltat miſericordia iudicium. Vnde & Pſalmiſta, Suauis (inquit dominus) vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. ORDINARIA. Cherubim autem angelicam militiam ſignificat. Et quia angeli ſumma concordia & quiete Chriſtum contemplantur, hinc eſt quòd verſis ad inuicem vultibus propitiatorium reſpiciunt, quia illam beatitudinem ſe habere dei gratia confitentur. BEDA. Vel per duos Cherubim poſſunt duo (vt iam dictum eſt) teſtamenta ſignari, quorum vnum futuram domini incarnationem, aliud factam clamant. Reſpiciúntque ſe mutuò, quia in atteſtatione veritatis quam prædicant, in nullo ab inuicem diſcrepant. Vertunt vultus in propitiatoriũ, quia & miſericordiam domini in qua vnica mundo ſpes eſt, valde commendant, atque ideo ſunt ex vtraque parte oraculi, quia & præ-H cedentia ante incarnationem dominicam tempora & ſequentia, prædicatione ſpiritualis ſcientiæ replent. Quibus etiam nomen ſcientiæ multitudinis, vel ſcientiæ multiplicatæ conuenit; quòd videlicet ſcriptura ſacra, ſpirituali & diuina ſcientia plena eſt, eadémque ſcientia ex qua ipſa ſcriptura condi cœpit, augeri ſemper ac multiplicari non deſinit. Vnde & angelus Danieli, Pertranſibunt (inquit) plurimi, & multiplex erit ſcientia. Nanque Moyſen ampliorem Patriarchis ſcientiam percepiſſe teſtatur ipſe dominus, qui illi apparens ait, Ego dominus qui apparui Abraham & Iſaac & Iacob in deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Multiplicata eſt ergo ex tempore ſcientia diuinæ cognitionis, cùm hoc de ſeipſo dominus Moyſi, quod Patriarchis non indicauerat, oſtendit. Dauid qui in lege domini meditabatur die ac nocte, videamus an ſe, ipſo qui legem ſcripſit Moyſe, aliquid amplius de domino intellexiſſe ſenſerit. Quomodo (inquit) dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea eſt. Statímque ſubiunxit, Super omnes docentes me intellexi. Vnde & alibi gloriatur in domino, dicens, Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Item Apoſtolos maiora Prophetis noſſe declarat dominus ipſe, qui eiſdem loquitur, dicens, Multi Prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, audire quæ auditis, & non audierunt. Sed eiſdem poſt reſurrectionem aſcéſionémque ſuam maiorem adhuc ſcientiæ gratiam repromittit, dicens, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quibus & in futuro maius omnibus quæ in hac vita cognoſci poſſunt reuelaturum ſe eſſe pollicetur, dicens, Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Rectè ergo Cherubim ſcientia multiplicata dicitur, quia in vtroque teſtamento fidelibus magis ex tempore, magíſque cognitio veritatis innotuit. Rectè Cherubim gloriæ propitiatorium obumbrare dicuntur, quia teſtamento creſcente per tempus, & multiplicata ſcientia, propitiationem nobis domini ſaluatoris prædicant, & hanc gratis ſemper vocibus quaſi expãſis ad volatum alis, honorare non ceſſant. Quia enim verba colloquentium quaſi volando per aërem ab ore dicentium ad cor perueniunt audientium, meritò expanſis Cherubim alis, & velut ad volandum aptatis poſſunt deſignari. De medio autem duorum Cherubim loquitur dominus, quia per verba vtriuſque teſtamenti, conſona nos voce ad fidem veritatis erudit. Vel certè de medio Cherubim loquitur, quia per vnigenitum filium ſuum, qui in medio duorum teſtamentorum in carne apparuit, humano generi deus pater voluntatem ſuam manifeſtare dignatus eſt. Quo ſenſu etiam illud poteſt accipi quod Abacuch ait, In medio duorum animalium innoteſces. Poteſt autem in arca etiam ſancta Eccleſia figuraliter accipi, quę de lignis imputribilibus, hoc eſt, animabus ſanctis ędificatur, & in fide ſancti Euangelij per quatuor mundi plagas diſtenta, coronam vitæ à deo expectat æternam, habens in ſe tabulas teſtamenti in meditatione continua legis dei. Habens & vrnam auream cum mãna in fide dominicæ incarnationis. Habens etiam virgam Aaron quæ fronduerat, in participatione regni & ſacerdotij dominici, dicente Apoſtolo Petro, Vos autem genus electum, regale ſacerdotium. Habens propitiatorium deſuper, vt cuncta quæ habet bona, largiente diuina gratia ſeſe accepiſſe meminerit. Habens & Cherubim gloriæ in propitiatorio, vel angelica videlicet præſidia, quibus à deo ſemper adiuuetur propitio, vel teſtamenta, quibus qualiter viuere, L & quomodo auxilium rectè viuendi à diuina propitiatione quærere debeat inſtituatur. Sic autem ſunt Cherubim ſuper propitiatorium poſiti, quomodo ciuitas Chriſti, id eſt, ſancta Eccleſia, ſuper mórem, id eſt, ſuper ipſum Chriſtum eſſe conſtituta dicitur, non quòd altior illo poſsit eſſe ciuitas ſua, ſed quòd eius ſubſidio ſuſtentata proficiat. Cherubim ſupra propitiatorium habet arca, quia vel angelica miniſteria, vel eloquia diuina eò veraciùs Etcleſiam iuuant, quò ipſa in fundamento ſummæ veritatis ſtabilita conſiſtunt.

*Rom.3.* *Pſal.144.* *Dan.12.* *Exod.6.* *Pſal.118.* *Pſal 50.* *Matth.13.* *Luc.10.* *Ioan.16.* *Habac.3.* *1.Pet.2.*

4 *FAcies & menſam de lignis Sethim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem, & inaurabis eam auro puriſſimo. Faciéſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam, alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiuſdem menſæ per ſingu-M los pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur uectes per eos, & poſsit menſa portari. Ipſos quoque uectes facies de lignis Sethim, & circũdabis auro, ad ſubuehendam menſam. Parabis & acetabula ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo, & pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.*

4 AVCTOR CATENAE. Arca cum propitiatorio & Cherubim in loco ſanctiſsimo tanquam res ſacratiſsimæ, pactum dei cum humano genere continentes, ſtare debebant in ſancto ſanctorum. Menſa autem in loco exteriori in ſancto, ad dextrum latus ingredienti, hoc eſt, ad aquilonare latus. Cuius hîc forma deſcribitur & materia, & ipſa geſtanda humeris, ſi quando proficiſcendum eſſet. *Facies* (inquit) *& menſam de lignis Sethim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem, & inaurabis eam auro puriſſimo.*

CAIE-



A CAIETANVS. Deſcripto opificio thecæ cum propitiatorio, deſcribitur opificium menſæ propoſitionis. Quod autem dicit de altitudine, intellige altitudinem pedum menſæ. Pedes enim menſæ non erant ſeparati à menſa, ſed erant de integritate menſæ, tanquam partes ipſius, ita quòd vnico motu mouebatur menſa ſimul cum pedibus quatuor. Et inaurabis eam. Iuxta Hebræum habetur, Et veſties eam auro mundo, erat enim veſtienda laminis aureis. Verùm aduerte, quòd theca veſtita eſt auro intus & extra, de menſa autem non dicitur quòd veſtiatur auro ſuper & ſubtus, ſed duntaxat veſties eam auro, propter quod ambiguum relinquitur, an inferior ſuperficies menſæ eſſet veſtienda auro. Crediderim ego omni ex parte veſtitam auro quemadmodum & pedes eius. *Faciéſque illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam, alteram coronam aureolam.* RVPERTVS. Labium aureum per circuitum, id eſt, auri tenuis prominentiam extra tendentem. Et ipſi labio coronam interraſilem, id eſt, anaglypham vel ſculptam. HVGO

B DE SANCTO VICTORE. Faciéſque illi labium aureum. Labium iſtud erat quædam gyratio dependens. Coronam interraſilem. Similiter de iſta corona dicimus ſicut & de ſupradicta, quòd erat ſcilicet limbus quidam adhærens menſæ, & de ipſa menſa ſculpta ſecundum eius quantitatem. Quod dicit interraſilem, ſic eſt intelligendum, quòd artificioſè erat ſculpta ad modum anuli torno raſi. Quod dicit, & ſuper illam, alteram coronam aureolam, ſignificat eam de ſimplici opere, ſed tamen auream, & minorem inferiore, & ſimiliter adhærentem ei continuè quaſi idem. Item coronam interraſilem altam quatuor digitis, id eſt, ambitum labij, qui corona dicitur non pro rotunditate ſed pro circuitione. Quod autem ſequitur, Et ſuper illam, alteram coronam aureolam, id eſt, auream, Hebraica veritas habere non videtur. CAIETANVS. Quod Interpres appellauit labium, planiùs appellatur limbus. Nec dicitur quòd limbus fiat ſuper menſam circumcirca, quemadmodum deſcriptus fuerat limbus thecæ, ſed dicitur & facies illi limbum circumcirca. Intelligo itaque hunc aureum limbum circumcirca, non ſuper menſam, ſed applicatum menſæ, ita quòd augebat longitudi-C nem & latitudinem eius. De figura autem eius nihil dicitur. Et ipſi labio coronam interraſilem, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, Et facies ei clauſuram quatuor digitorum in circuitu, & facies limbum auri clauſuræ eius in circuitu. Nihil hîc dicitur de corona aliqua, nec de figura aliqua, ſed materia clauſuræ, & materia limbi videtur diuerſa, quoniam limbus etiam iſte aureus deſcribitur, clauſuræ autem materia nulla manifeſtatur, propter quod crediderim ſubintelligi quòd clauſura ſit lignea, veſtienda tamen auro tanquam pars menſæ. Menſura autem quatuor digitorum, proculdubio intelligenda eſt ſecundum altitudinem & latitudinem, an autem ſecundum profunditatẽ vndique eſſet quatuor digitorũ, nihil dicitur, ipſa tamen turpitudo ſuadet partem negatiuam, turpis enim apparuiſſet menſa vnius tantùm cubiti ſecundum latitudinem, clauſa circũcirca muro groſſo quatuor digitis. Intelligendũ itaque videtur, quòd clauſura hæc lata quidẽ inferius, & ſimiliter alta erat quatuor digitis, hoc eſt, quantũ lata eſt manus, ſed groſsitudo eius fabrili arte diuerſis ordinibus cęlata. Dicędo itaq; & facies ei, pronomen ei, mẽſam demõſtrat, quia menſa claudẽda pręcipitur circũcirca, ne aliquid poſsit è menſa D elabi. Et huic clauſuræ alter limbus aureus circũcirca apponendus mãdatur, nec ſcribitur cuius figuræ erat limbus. Quocirca ſi diligẽtiùs perſpiciatur, mẽſa iſta cõponebatur ex quatuor partibus, videlicet ipſo corpore menſæ, ſua clauſura circũcirca, & duobus limbis aureis, quorũ alter ambiebat corpus mẽſæ, alter verò ambiebat clauſuram. Hęc erat ſuperior menſæ diſpoſitio, de inferiore autem eius diſpoſitione mox ſubiũgetur. AVCTOR CATENAE. Facieſq; illi labium aureum per circuitũ. Quod nos labium dicimus, Hebraicè זֵר Zer, id eſt, corona, vel limbus vel circulus dicitur. Septuaginta, σχεπτὰς κυμάτια vertunt, id eſt, vertibiles vndas, Chaldaica autem, circulum aureum. Quæ omnia idem ſunt. Quodq; nos, Et ipſi labio coronã interraſilem altam quatuor digitis, Hebraicè eſt וְעָשִׂית לוֹ מְזֶגֶרֶת טֹפַח סָבִיב Vehaſitha lo miſgéreth tophach ſabib. Eſt autem miſgéreth illud quod aliquam rem conſtringit, & eam continet in circuitu, videlicet corona vel clauſura, quod gallicè dicitur *Soubaſſement*. Tophach autem, quatuor digitorum ſeu palmi menſura. Legunt itaque hîc Hebræi, Et facies ei clauſuram ad menſuram pugni (id eſt, altam quatuor digitis) in circuitu. Alij autem, Sed & clauſuram facies ei qua-E tuor digitis latam, ſiue palmarem in circuitu vel per circuitum. Alij, Sed & limbo palmario eam circumcludas, ſubaudi ſemper primam clauſuram ſiue coronam. Septuaginta, καὶ ποιήσεις αὐτῇ σεφάνην παλαιστὴν κύκλῳ, hoc eſt, Et facies ei coronam pugillis in circuitu. Chaldaica verò, Facies ei coronam interraſilem altam pugillo per circuitum. Demum quod nos, Et ſuper illam, alteram coronam aureolam habemus, dicunt Hebræi, וְעָשִׂית זֵר זָהָב לְמַסְגֶּרְתּוֹ סָבִיב Veasítha zer zahab lemiſgarto ſabib, id eſt, Et facies circulum ſeu labium vel coronã auream ipſi clauſuræ, vel clauſuræ eius in circuitu vel per circuitum. Vertunt alij, Et huic limbo addas per ambitum auream coronam. Septuaginta autem, καὶ ποιήσεις σχεπτὸν κυμάτιον κύκλῳ τῇ σεφάνῃ, Et facies vertibilem vndulam in circuitu coronæ. Chaldaica verò, Et facies circulum aureum ipſi coronę interraſili per circuitum. Ex quibus omnibus id habetur in ſumma, limbum fuiſſe pro clauſura menſæ, & circuncirca limbum, coronam quatuor digitorum, & ſuper eandem coronam, auream coronulam pro decoro quodam ornatu, prout Latinus vertit Interpres. Dicitur autem opus interraſile, quod ſculpturas habet aliquas, ſpacia verò intermedia plana quaſi raſa. Sunt ta-F men qui dicant fuiſſe ſupra menſam quaſi ſertum quoddam aureum, quod tabulam menſæ ambiebat, & quod infra tabulam alius erat ambitus, veluti fimbria quædam, quam Hebraiſmus clauſuram appellat, & ſub illa in quatuor pedibus menſæ erant quatuor circuli, porrò ſupra menſam ponebantur varia vaſorum genera, nempe magnæ & latæ ſcutellæ, cochlearia formam manus concauæ habentia, & dimidiatæ fiſtulæ, quarum officium erat ſuſtentare panes facierum, id eſt, propoſitionis, & conſeruare à putrefactione. Et quoniam longè erãt menſam excedentes, conſurgebant è terra quaſi quædã furculæ, quas Interpretes vertunt cyathos, quæ dictas fiſtulas ſuſtinebãt. *Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiuſdem menſæ per ſingulos pedes. Subter coronã erũt circuli aurei, vt mittãtur uectes per eos, & poſsit mẽſa portari.* AVGVSTINVS. Alia litera, Erũt anuli in thecis ſupportatoriis ad tollẽdã mẽſam. Hoc autẽ intelligẽdum eſt, quòd anulli eſſent velut thecę ſupportatorię, id eſt, quo ſupportatoria tãquam in thecas inducãtur. Erunt quippe in thecis, ita dictũ eſt, tãquam diceretur, erunt pro thecis. *Quæſt.166.*

HVGO DE SANCTO VICTORE. Subter coronam auream erunt circuli. Modò duas illas coronas quasi vnam coronam dixit, Et ostendit quòd anuli qui erant in pedibus mensæ ad eam portãdam, statim iuxta mensam, & non versus terram in imo erant. CAIETANVS. Intelligendum autem videtur quemadmodum superius dictum est, circulos siue anulos aureos, opere fusorio conficiendos. Et pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes. Iuxta Hebræum habetur, Et dabis anulos super quatuor angulos, qui quatuor pedibus eius è regione clausuræ. Si exactè hæc considerentur, apparebit quòd mensa subtus erat sic disposita, quòd pedes quatuor non erant in postremis partibus extremitatum mensæ, sed aliquantulum mensæ hinc & inde supererat vltra pedes, & quòd istis portionibus mensæ erant in subtus in quatuor angulis affixi anuli quatuor, è regione respondentes clausuræ in superiori superficie existenti: sic enim locatis anulis, verificatur ad literam quòd erant contra clausuram, verificatur quòd erant in quatuor angulis, verificatur quòd erant in angulis qui pedibus quatuor supererant, verificatur & suauis vectio mensæ. Nam vectibus intra anulos sic situatos missis, suauissimè mensa portabatur. Nec te moueat quod dicitur super angulos, quia licet subter mensam essent, affixio tamen fiebat super angulos, hoc est, in suprema parte angulorum ex opposito ad clausuram. Erunt circuli aurei vt mittantur vectes per eos ad portandum mensam. Iuxta Hebræum habetur, Erunt anuli domus vectibus ad portandam mensam. Officium anulorum describitur, quòd erunt domus (hoc est, loca propria) vectibus quibus portabitur mensa. AVCTOR CATENAE. Quatuor quoque circulos aureos præparabis. Hebraicè est, וְעָשִׂיתָ לוֹ Vehasítha lo, Facies illi. Sed hoc idem est. Eiusdem mensæ per singulos pedes. Ibidem est, אֲשֶׁר לְאַרְבַּע רַגְלָיו Aſer learbaha raglaf, Qui sunt in quatuor pedibus eius, vel iuxta Chaldaicam, Qui sunt ad quatuor pedes eius. Verùm & hoc idem cum sensu literæ nostræ. Subter coronam. Hebraicè est לְעֻמַּת הַמִּסְגֶּרֶת lehummath hamisgèreth. Dictio autem lehummath, & subter, & è regione, siue ex aduerso, aut contra significat. Vnde etiam diuersimodè locus est redditus. Nam aliqui vt Interpres legunt: aliqui, Ex aduerso clausuræ. Septuaginta ὑπὸ τὴν σχεπτὴν σεφάνην, Sub vertibilem coronam. Chaldaica, Contra coronam interrasilem erunt anuli, Vt mittantur vectes per eos. Sic legit & Chaldaica, Redditúsque est Hebraismus qui est לְבָתִּים לְבָרִים Lebattim lebaddim, In domos vectibus, Vel pro domunculis vectium. Septuaginta, εἰς θήκας τοῖς ἀναφορεῦσιν, In positiones vectibus. Et posit mensa portari, לָשֵׂאת אֶת הַשֻּׁלְחָן Laseth eth hasulchan, Ad portãdam mensam illam, siue, Vt portetur mensa. Sic & Chaldaica. Est igitur sensus, E regione additamenti illius inferioris, vel contra coronam in parte inferiori, collocabuntur anuli, per quos traiicientur vectes ad portandam mensam. Quæ si diligenter perspexeris, eadem sunt in sensu cum litera nostra. In quatuor ergo angulis tabulæ, pedes quatuor subsistere debebant similiter deaurati, quibus mensa eleuari debebat cubitu & semis. In quibus pedibus statim sub corona anuli erant, quibus immissis vectibus gestaretur, dum esset transmigrandum, omnia aurea.

*Ipsos quoque vectes facies de lignis Sethim, & circundabis auro ad subuehendam mensam.* Etiam hîc verbum צִפָּה Zapha est positum, quod cooperire aut tegere significat. Ad subuehendam mensam. Hebraicè est, וְנִשָּׂא בָּם אֶת הַשֻּׁלְחָן Venissa bam eth hasulchan, Vt in eis mensa portetur, siue, Et portabitur cum illis mensa. Chaldaica, Et portabunt cum eis mensam. Septuaginta, καὶ ἀρθήσεται ἐν αὐτοῖς ἡ τράπεζα, Et subuehetur in ipsis mensa. Sed hoc parum est.

*Parabis & acetabula ac phialas, thuribula & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo, & pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* INTERLINEARIS ET RVPERTVS. Acetabulum vas erat duodecim dragmas appendens. Acetabulis autem acetum ferebatur. Porrò phyalæ dictæ, quòd ex vitro sint. Vitrum enim, græcè ὕαλη dicitur. Sunt autem patulo ore. Nam cyathum è contra constat oris angu- *Cap.1.* stioris esse, & dragmas decem appendere. HIERONYMVS IN MALACHIAM. Panes verò propositionis iuxta traditiones Hebraicas, ipsi sacerdotes serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere *Cap.1.* debebant. IDEM IN EPISTOLAM AD TITVM. Relegamus autem Regum libros, & inueniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse priùs dare Dauid & pueris eius, nisi interrogaret, vtrum mundi essent pueri à muliere, non vtique aliena, sed coniuge. Et nisi eos audisset ab heri & nudius tertius vacasse ab opere coniugali, nequaquam panes quos priùs negauerat concessisset. CAIETANVS. Iuxta Hebræum quatuor vasorum genera habentur, sed Interpretes dissentiunt ita, vt non possim percipere qualia fuerint hæc vasa, nisi tertium quod significat medios calamos, hoc est, vas aureum ad similitudinem dimidiæ cannæ, scissa grossitudine cannæ in duas partes æquales. Est enim aliud certum in textu Hebraico, quod singulis nominibus vasorum apponitur pronomen eius, ad significandum, quòd omnia hæc vasa erant vasa eius, hoc est, mensæ illius, & omnia significantur in numero plurali. Ingenuè fateor me nescire diuinare, tum formas vasorum, tum (quod magis vrget) officia vasorum opportuna huic mensæ, crediderim tamen, quòd erant vasa ad panes mensæ, & ad thus eiusdem opportuna. Quæ tamen interpretatio propiùs accedit ad Hebræum, videtur hæc. Et facies scutulas eius, & cochlearia eius, & calamos medios eius, & mundatoria eius, in quibus offerenda sunt libamina. Iuxta Hebræum habetur, Quibus parabitur in eis. Ecce officia vasorum, videlicet quòd in eis parabitur, proculdubio panis proponendus cum thure, hæc enim omnia aurea esse debebant pro reuerentia diuina. Et mundatoria quidem non est difficile intelligere, ad officium mundandi panes infra hebdomadam. Calamos quoque medios secundum grossitudinem cannæ, aiunt supponi debere panibus, ne panes calidi super mensam auream contraherent aliquid indecens, vitabatur enim hoc intercepto aëre sub panibus, quanta erat altitudo semicalami secundum grossitudinem. Cochleariorum autem & scutularum officia libenter discerem. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Iuxta Hebræum, Et dabis super mensam panes facierum faciebus meis iugiter. Duodecim panes iuxta numerum filiorum Israël, singulis sabbatis renouati, quare appellentur panes facierum, non facilè patet, fortè notati erant faciebus seu characteribus duodecim filiorum Israël, ita vt iugis esset quasi assistentia filiorum Israël coram deo. Et fortè denominatione extrinseca nuncupantur panes facierũ à diuina facie: erant enim semper tanquã ante faciem dei, ita vt appositiuè litera intelligatur, panes facierũ appositiuè faciebus meis. Facies enim apud Hebræos caret numero singulari, & propterea deus dicit faciebus meis



A meis, hoc est, faciei meæ. AVCTOR CATENAE. Parabis & acetabula. Hebraicè est וְעָשִׂיתָ קְעָרֹתָיו Vehasítha keharothaf, Et facies scutellas eius, in quibus scilicet ponebantur panes. Sunt autem vasa quædam concaua admodum, quæ Hebraicè dicuntur keharoth. Vbi nota hoc in loco koph esse cum seuà præter normam, quia debuerat esse cum pathach, vt dicunt docti Hebræorum. Chaldaica, Facieſq; acetabula eius, vt etiam vertit Interpres. Septuaginta autem, τὰ τρύβλια αὐτοῦ, id est, catinos eius. Quod autem nos legimus, ac phialas, Hebræi habent וְכַפֹּתָיו Vechappothaf, Et cochlearia vel thuribula eius, in quibus ponebatur thus. Hebraicè autem Chappoth dicta, fortasse quòd volæ cauitatem imitarentur. Quæ dictio aliàs in mortariola versa est, vnde Septuaginta, καὶ τὰς θυΐσκας, habent, id est, & mortariola. Chaldaica phialas legit sicut & Latinus Interpres. Et quod nos thuribula legimus, Hebræi וְקַשְׂוָתָיו Vkſothaf habent, id est, & opercula eius, quibus videlicet thus tegebatur. Licet aliqui dictionem קְשׂוֹת kesoth, pro mediis calamis vacuis accipiant, quos ponebant in summita-
B te vniuscuiusque panis, vt ingrederetur ventus siue aër inter ipsos panes, ne mucidi efficerentur, erántque velu-ti operimentum ipsis panibus. Transferunt ergo hi, Et medios siue dimidiatos calamos eius. Alij, Et dimidiatas fistulas eius. Nonnulli propriè thuribula esse volunt, quibus adoletur incensum, rectéque vertisse Interpretem, cui & Chaldaica consonet, Et thuribula eius, habens. Est autem dictio kesoth, quæ non nisi in plurali numero inuenitur. Septuaginta, καὶ τὰ σπόνδια legunt, hoc est, & libatoria. Demũ quod nos cyathos, Hebræi וּמְנַקִּיֹתָיו Vmnakkiiothaf habent, id est, & crateres eius. Significat autem dictio Menakkiioth, vasa quædam quibus panes tegebantur, vt kesoth opercula thuris aut è contra, nam horum vasorum ordo satis incertus est. Alij cyathos eius, sicut Interpres habet, Septuaginta & Chaldaica, vertunt. Dixerunt quidam, quòd erant furculæ instar palorum aureæ, quę stabant in terra, & eleuabantur supra mensam ad coniungendum calamos, ne frangerentur pondere panis. Demum nonnulli reddunt, Et instrumenta quibus purgantur, & subaudiunt, supradicta vasa vel pa-
C nes, de quibus dicet paulò pòst. Qualia verò fuerint hæc omnia vasa, & quibus assignata ac adaptata vsibus, dum non constet per singula, non videtur operosiùs & anxiùs nunc insistendum. Aben Ezra dicit hoc loco, De his quidem vasibus, scimus quid dixerint magistri nostri, & addit nihil, quasi dicere voluerit, Scimus quidem quid dixerint, sed quàm bene & scitè dixerint ignoramus. Circa eorum ergo, & quarundam aliarum rerum difficultates, nolumus lectores afficere tædio vel sollicitos reddere. In quibus offerenda sunt libamina. Sic & Chaldaica. Iuxta Hebraicum legitur אֲשֶׁר יִסַּךְ בָּהֵן Aſer iussach bahen, Quibus libabitur in eis. Hebraismus est, pro, In quibus (subaudi vasis) libandum est. Alij, Quibúsque funditur, vertunt. Septuaginta, ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς, In quibus libabis in ipsis. Quæ à sensu literæ nostræ non deuiant. Ex auro purissimo. Adde ex Hebræo, תַּעֲשֶׂה אֹתָם Tahase otham, Facies ea. Sed Interpres hæc verba subintellexit, deuitans totiens eorum repetitionem. Et pones (inquit) super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Hebraicè לֶחֶם פָּנִים léchem panim, id est, panes facierum. Quare fit vt variis modis hoc omnes interpretentur. Dicunt nonnulli Hebræorum panem fa-
D cierum appellatum, quòd quatuor angulis esset expressus, quos illi facies vocant, hócque genus panis sacrum erat, & tantùm sacerdotibus licebat contingere. Alij aliter exponunt. Nam cùm Hebraicè panim, faciem significer, non solùm (inquam) ipsam humanam faciem, sed & omnem præsentiam, & assistentiam, & anteriorem partem, propterea appellari panes facierum existimant, hoc est, panes assistentiæ, panes propositos, qui semper coram deo reperirentur, quod certè videtur esse verissimum, mox enim vbi dixit panes faciei, intulit לְפָנַי lephanai, id est, faciei meæ, præsentiæ meæ. Atque inde videntur appellati, quòd semper coram domino starent positi. Hoc idem sentiunt & Septuaginta, qui hos panes appellarunt ἐνωπίους, quasi dixeris præsentes, siue expositos. Alij sic dictos asserunt, quasi propositos ad spectandum in conspectu dei & hominum. Secundum autem nostram editionem propositionis panes dicuntur, quia semper (vt dictum est) coram domino positi essent in mensa aurea, vt nunquam abessent. Per singula autem sabbata noui parabantur & proponebantur. Proponebantur autem in conspectu domini ante propitiatorium vnà cum thure, vt essent publicum memoriale, quo admonerentur Israëlitæ sacrificij placationis. Sic enim scribitur Leuitici vigesimoquarto, Accipies similam, & coques ex ea duo-
E decim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam statues, & pones super thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis domini.

BEDA. Sed iam tempus est vt ad excellentioris sensus alta tendamus. Facies (inquit) & mensam de li- *Mystice.* gnis Sethim. Mensa de lignis Sethim facta, scriptura est sacra de fortibus sanctorum patrum verbis actibús- *Cap.6.* que compacta, quæ dum nobis quæ sint æternæ gaudia beatitudinis, & quomodo ad hæc perueniatur, ostendit, cibum profectò nobis salutis ac vitæ suggerit. Hæc habet longitudinem, cùm perseuerantiam nobis cœptæ religionis: latitudinem, cùm amplitudinem charitatis: altitudinem, cùm spem perpetuæ remunerationis insinuat. Et bene longitudo duorum est cubitorum, quia actualis nostra conuersatio in duabus maximè virtutibus consistit, misericordia videlicet & innocentia, dicente Apostolo Iacobo, Religio autem munda & immacula- *Iac.1.* ta apud deum patrem hæc est, visitare pupillos ac viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. In eo nanque quòd pupillos ac viduas in tribulatione eorum visitare præcipit, cuncta quæ er-
F ga proximos necesse habentes misericorditer agere debemus, ostendit. In eo verò quòd immaculatos nos ab hoc seculo custodire admonet, vniuersa in quibus nosipsos castè viuere oportet, exprimit. Quos duos cubitos bonæ actionis, & dominus ipse mensæ verborum suorum inesse declarauit, cùm ait, Sint lumbi vestri præcin- *Luc.12.* cti & lucernæ vestræ ardentes. Lumbi videlicet præcincti, vt à contagione seculi huius perduremus immunes. Lucernæ verò ardentes, vt per opera misericordiæ coram domino clari fulgeamus. Nam quod sequitur, Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis, Ad altitudinem eiusdem mensæ, hoc est, ad spem futuræ retributionis pertinet. Quod verò mensa vnum habet cubitum in latitudine, vnitatem ipsius dilectionis, quam tota nobis testamenti veteris & noui series commendat, figuratè denunciat, hoc est, simplex & pura mentis pietas, qua & deum & proximos, & ipsos quoque inimicos amare iubemur, quanuis magna distantia ac distinctione rectissima ipsius amoris, deum primo loco, inimicos vltimo diligere debeamus. Ipsis quoque proximis pro differentia meritorum dispar sit modus

impendendus amoris, sicut Patriarcham Iacob, cùm omnes diligeret filios, Ioseph tamen singularis merito in-G
*Cantic.2.* nocentiæ præ cæteris diligere scriptura teste nouimus. Vnde pulchrè in Cãticis canticorum dicit Ecclesia Christo, Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Porrò quòd altitudo cubitum ac semissem habebat, cubitus æquè vt in latitudine, vnitatem ipsius spei nostræ cœlestis insinuat, qua expectamus dominum nostrum, quando reuertatur de cœlis remuneraturus seruos, quos vigilantes accinctis lumbis, & ardentibus bo-
*Ioan.14.* norum operum lucernis inuenerit. Nam etsi pro diuersitate meritorum multæ sunt mansiones in domo patris, vnum tamen est regnum cœli, in quo omnes recipiantur electi. Semisse verò qui supereſt, initium vitæ contemplatiuæ, quo nonnulli sanctorum etiam in carne adhuc positi frui meruerunt indicat, quibus non solùm spera-
*Esa.6.* re cœlestia præmia, verùm etiam ex parte videndo præguſtare donatum est, vti Esaias & Micheas cæteríque pro-
*Matth.17.* phetæ qui viderunt dominum sedentem in solio gloriæ suæ, circunstante cœlorum exercitu, vt Petrus, Iacobus
*2.Cor.12.* & Ioannes, qui clarificatum inter Moysen & Eliam dominum in sancto monte viderunt, vt magister gentium, H cui priusquam carnis debitum solueret, donatum est in paradisum ac tertium cœlum rapi, & audire arcana verba quæ non licet homini loqui. In his ergo & huiusmodi famulis Christi mensa nobis tabernaculi, hoc est, diuina scriptura, qua Ecclesia sancta sine cessatione reficitur, super cubitum communis spei semissem in altitudine adiungit, quia supernæ beatitudinis gaudia præmonstrata illis priusquam reddita demonstrat, quæ nimirum præmonstratio, quia raptim & in transitu sanctorum mentibus apparet, rectè per dimidium cubiti, & non per plenum cubitum figuratur. Et inaurabis eam auro purissimo. Mensa tabernaculi inauratur, quia & scriptura sancta sapientiæ cœlestis sensu clara refulget, & ipsi qui eam condidere Prophetæ, præclari vita ac sermone fuerunt. Faciésque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis. Labium aureum fit mensæ per circuitum quia doctrina sacri eloquij per mundissima nobis prædicatorum fidelium ora ministratur. Neque illorum locutio qui diuina nobis arcana tradiderunt, humanæ confabulationis sermonibus vllatenus attaminari consentiebat, quin potiùs non tantùm nociua sed & ociosa hominum verba I grauiter ferre ac redarguere curabant. Vel certè labium fit aureum mensæ per circuitum, quia scriptura sancta omni ex parte suæ locutionis, cùm rectè intelligitur, claritatem nobis sapientiæ cœlestis insonat. Cui videlicet labio corona additur, quia lingua prædicantium suis auditoribus retributionem vitæ promittit æternæ. Et bene ipsa corona quatuor digitis alta fieri præcipitur, quia celsitudo nobis coronæ perennis, per quatuor sancti Euangelij libros ostenditur, vel quòd per custodiam euangelicæ fidei & operationis, ad coronam nos vitæ peruenire oportet. Pulchrèque per digitos libri designantur, quia nimirum & tabulæ legis digito dei esse scriptæ
*Ioan.8.* referuntur, & in Euangelio dominus distinctionem legis temperaturus, digito scribebat in terra, dicens de a-
*Luc.11.* dultera quam accusabant pharisæi & scribæ, Si quis vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.
*Matth. 11.* Digitus autem dei spiritus dei intelligitur. Vnde illud quod Lucas dominum dixisse refert, Si ergo in digito dei eiicio dæmonia, Matthæus clariùs exponendo dixit, in spiritu dei. Itaque in labio mensæ aureo corona aurea quatuor digitis alta superponitur, quia purissima sanctorum prædicatorum eloquia, spem supernæ bea-K titudinis expectant, quæ ministerio sancti spiritus, in quatuor sancti Euangelij libris descripta continetur. Nec solùm prædicatores ipsi præmium in cœlis sui laboris accipiunt, verùm etiam omnibus sibi obtemperantibus eandem vitæ coronam certa Euangelicæ veritatis auctoritate promittunt. Bene autem eadem corona interrasilis fieri præcipitur, quia nimirum æterni retributio regni non indifferenter omnibus datur, sed pro qualitate accipientium distincto diuinitùs examine singulis quibusque distribuitur. Corona etenim aurea mensæ domini pura & non interrasilis esset, si claritas futuræ iustorum retributionis æqualis omnibus panderetur, instar videlicet huius solis mundani, cuius splendorem deus indifferenter super bonos & malos facit
*Matth.5.* oriri. At quia sicut stella à stella differt in claritate, ita erit & resurrectio mortuorum, Corona mensæ do-
*1.Cor.15.* mini variis distincta scripturis, sed competenter ordinatis apposita est. Aeterna etenim vita futura omnibus est promissa iustis, sed multiformis in illa pro diuersitatè meritorum gloria est singulorum. Quòd verò descripta priùs vna corona subiungitur, Et super illam, alteram coronam aureolam, de illorum potest præmio L rectè intelligi, qui generalia scripturæ sanctæ mandata spontanea vitæ perfectioris electione transcendunt, ideóque specialem præ cæteris fidelibus retributionem voluntariæ oblationis expectant. Coronáque aurea quatuor digitis alta labio mensæ aureo apponitur, cùm per Euangelium his qui mandata diuinæ legis custo-
*Matth. 19.* diunt, vita æterna promittitur, dicente domino ad diuitem, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed eidem coronæ altera corona aureola superponitur, cùm
*Ibidem.* protinus subinfertur, Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœ-
*Apoca.14.* lo, & veni sequere me. Ad hanc coronam pertinet canticum illud nouum quod virgines tantùm coram agno cantasse referuntur, qui empti sunt ex hominibus primitiæ deo & agno. Ad hanc quòd iidem sequuntur agnum quocunque abierit. Vel certè corona aurea labio mensæ domini apponitur, cùm in verbis sacræ scripturæ dicimus, egredientes carne animas ad æterna in cœlis præmia esse recipiendas. Et super illam altera aureola su- M peradditur corona, cùm in eadem scriptura reperitur, quòd eis sublimior in fine seculi gloria in corporum quoque immortalium receptione seruetur. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes. Hæc vt supra de arca exposuimus, etiam hîc accipienda sunt. Quatuor nanque circuli aurei, quatuor Euangeliorum sunt libri, per quorum fidem contigit, vt omnis scriptura sancta, per mundum legeretur & intelligeretur vniuersum. Quatuor autem pedes habet mensa, quia quadriformi ratione omnis diuinorum eloquiorum series distinguitur. In libris nanque omnibus sanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuncientur, quæ agenda præcipiantur vel moneantur. Item mensa tabernaculi quatuor habet pedes, quia verba cœlestis oraculi, vel historico intellectu, vel allegorico, vel tropologico, id est, morali, vel certè anagogico solent accipi. Historia nanque est, cùm res aliqua quomodo secundum literam facta siue dicta sit plano sermone refertur, quomo-



A quomodo populus Israël ex Aegypto saluatus, tabernaculum domino fecisse in deserto narratur. Allegoria est, cùm verbis siue rebus mysticis præsentia Christi, & Ecclesiæ sacramenta signantur. Verbis videlicet, vt Esaias ait, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Quod est apertè dicere, Nascetur vir- *Esa.11.*
go Maria de stirpe Dauid, & Christus de stirpe eius orietur. Rebus autem, vt populus de Aegyptia seruitute per sanguinem agni saluatus, Ecclesiam significat passione Christi à dæmonica dominatione liberatam. Tropologia, id est, moralis locutio, ad institutionem & correctionem morum, siue apertis siue figuratis prolata ser-
monibus respicit. Apertis videlicet, vt Ioannes admonet dicens, Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua; *1.Ioan.3.*
sed opere & veritate. Figuratis verò, vt Salomon ait, Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de *Ecclesia. 9.*
capite tuo non deficiat. Quod est apertè dicere, Omni tempore sint opera tua munda, & charitas de corde tuo non deficiat. Anagoge, id est, ad superiora ducens, locutio est, quæ de præmiis futuris, & ea quæ in cœlis est
B vita futura, siue mysticis seu apertis sermonibus disputat. Apertis scilicet, vt, Beati mundo corde, quoniam *Matth.7.*
ipsi deum videbunt. Mysticis verò, vt, Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas illis in ligno vitæ, & per por- *Apoc.22.*
tas intrent in ciuitatem. Quod est patenter dicere, Beati qui mundant cogitationes & actus, vt potestatem habeant videndi dominum Christum qui ait, Ego sum via & veritas & vita, & per doctrinam atque exempla præcedentium patrum, intrent in regnum cœlorum. Subter coronam erunt circuli aurei vt immittantur vectes per eos, & ponsit mensa portari. Ipsos quoque vectes facies de lignis Sethim, & circundabis auro ad subuehendam mensam. Aptè subter coronam erant circuli, quia libris sancti Euangelij in hac vita vtimur, coronam verò vitæ supernæ futuram in cœlis speramus. Per quos videlicet circulos immittuntur vectes ad subuehendam mensam, quia doctores sancti vt verbis sacri eloquij corda audientium reficiant, ipsi per omnia mentem suam necesse est in Euangelica lectione fixam teneant, quatenus ad fidem sensúmque illius, omnem interpretationis ac doctrinæ suæ intentionem dirigant, curéntque sedulò, ne quid aliud agendum, sperandum amandúmve
C in scripturis omnibus, quàm quod in quatuor Euangelij libris inuenitur doceant. Qui dum vniuersa scripturarum eloquia ad eam quæ in Euangeliis scripta est fidem ac dilectionem referunt, quasi totam domini mensam cum panibus ac vasis ipsius, in quatuor circulis portant. RVPERTVS. Sed dicamus & aliter. Facies & mensam de lignis Sethim, duos habentem cubitos longitudinis. Longitudo hæc vni tantùm homini assidenti satis expeditè accommoda est. Et altitudinem cubitum ac semissem. Altitudo hæc paulò sedentis hominis genu supereminet. Et in latitudinem cubitum. Latitudo hæc oppositum conuiuam seorsum aut diuisiuè epulantem non sustinet. Quæ est igitur hæc mensa post propitiatorium parata in tabernaculo domini, nisi mensa corporis & sanguinis domini, initium habens à passione eiusdem domini nostri Iesu Christi? Siqui- *Psal.22.*
dem dum anxiaretur iam venditus, & continuò tradendus, dum tristis esset vsque ad mortem anima eius, *Psal.21.*
*Matth. 26.*
dum factus in agonia prolixiùs oraret, & sudor eius velut sanguis in terram decurreret, interea propitiatio- *Luc.22.*
nis & redemptionis nostræ opifex mensam parauit, accipiendo panem quem benedixit ac fregit, deditque di-
D scipulis suis, dicens, Accipite & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Similitérque calicem, hic est (inquiens) calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur. Hæc mensa domini est, si tantùm fides non desit, nostro modulo satis accommoda, sic tamen, vt vnus assistat pro omnibus, quod iam dictis mensæ illius manufactæ mensuris significatur. Vnus enim est mensæ vel conuiuij pater, vnus sacerdos siue pontifex noster Christus, & vna mensa est, de qua Psalmista, Parasti (inquit) in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribu- *Psal.22.*
lant me. Item, Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum qui requirunt eum, viuent corda eo- *Psal.21.*
rum in seculum seculi. Et inaurabis eam (inquit) auro purissimo. Cur non fusilis aut ductilis est tota ex auro, sed facta de lignis Sethim, inauratur auro purissimo? Videlicet quia species vtraque panis & vini de terra sumuntur, vtræq; de communi vel publico, hæc granario, illa de apotheca capiuntur: sed accedit substantiarum atque specierum creator deus atque formator spiritus sanctus, aurúmque verbi incarnati, aurum Christi crucifixi,
mortui, ac sepulti, atque post glorioſam resurrectionem assumpti in cœlum ad dexteram patris non superficie
E tenus inducit, sed efficaciter hæc in carnem & sanguinem eius conuertit, permanente licet specie exteriori. Hîc labio confessionis opus est. Sequitur ergo, Facies illi labium aureum per circuitum. Et quia corde credenti ad *Rom.10.*
iustitiam, & ore confitenti ad salutem, præmium tribuitur, vt quod credit intelligat. Et ipsi (inquit) labio coronam interrasilem altam quatuor digitis, id est, palmo, quo donum intellectus mysticè significatur. Cubitus enim quem latitudo mensæ non excedit, sex palmorum est, quo numero operatio significatur, ac proinde palmus coronæ, quia septimus est, requiem contemplationis, qua fides remuneratur credentis rectè significat. Et super illam (inquit) alteram coronam aureolam. De huius coronæ, quæ super illam est, factura siue mensura rectè scriptura tacuit, quia videlicet remunerationem, qua ipsa præsens contemplationis quies, vel intelligentiæ *Esa.64.*
dignitas coronanda est, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quatuor quoque aureos circulos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ per singulos pedes, & cætera, vt supra de quatuor circulis aureis, per quatuor arcæ angulos dispositis. Sicut enim arca dominicæ incarnationis, sic &
F mensa corporis & sanguinis eius, quatuor vbique Euangelij libris defenditur. Et sicut fortes & perseuerantes doctores incarnationis fidem, sic & mensæ huius sacramentum portare, id est, prædicare debent, quasi vectes circulis intromissi, id est, fortiter sacrorum voluminum semper inhærentes instructioni. Sequitur, Parabis & acetabula ac phialas, thuribula & cyathos, & cætera. BEDA. Varia vasa quæ ad offerenda sunt libami- *Cap.7.*
na facta, variæ sunt distinctiones eloquij diuini, pro dispari capacitate audientium. Non enim vna eadémque omnibus potest conuenire doctrina. Aliter nanque sapientes, aliter insipientes, aliter diuites, aliter pauperes, aliter sani, aliter infirmi, aliter senes, aliter iuuenes, aliter viri, aliter fœminæ, aliter cælibes, aliter coniugati, aliter prælati, aliter subditi docendi sunt. Quæ tamen vasa omnia ad mensam tabernaculi, omnia ad offerenda libamina pertinent, quia quæcunque prudens doctor diuersa pro diuersitate audiétium loquitur, vniuersa in regula sacræ scripturæ reperiuntur. Atque ad offeréda domino vota bonorum operũ, corda excitant auditorũ. Quæ videlicet opportuna diuersitas sanctæ prædicationis, ipsius domini ore designabatur cùm diceret,

Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis in G
tempore tritici mensuram? Mensuram quippe tritici conseruis dat in tempore fidelis dispensator & prudens, quando discretus verbi minister, non solùm tempus opportunum in dicendo obseruat, verùm etiam qualitatem sensúmque auditorum diligenter exquirit, & iuxta distantiam huius, modum sui sermonis temperat.

INTERLINEARIS. Quid autem per acetabula, nisi mordax & quæ vitia corrodat, & quid per thuribula, nisi dulcis & suauis, & quæ ad orandum excitet audientem, prædicatio exprimitur? GREGO-
*Homil.6.* RIVS IN HOMILIIS. Quid verò per phialas & cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, vt singulis scilicet iuxta capacitatem ingenij conferatur? Debet enim subtiliter qui docet prospicere, ne plus studeat quàm ab auditore capitur prædicare. Debet enim infirmitati audientium sese contrahere, ne dum paruis sublimia, & ideo non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse. Iubente autem domino non solùm phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. In phialis larga prædi-H
catio, in cyathis minima & tenuis significatur. In mensa ergo domini phialæ & cyathi, quia in doctoribus sacri eloquij non solùm exhibenda sunt magna & arcana quæ delectent, sed etiam parua & subtilia, quæ quasi per gustum notitiam præstent. Alius enim doctrina veritatis plenus, auditores inebriat, & quasi phialam porrigit. Alius explere quod sentit non valet, sed etiam quia vtcunque denunciat, per cyathum gustum præbet. Qui ergo per doctrinam sapientiæ ministrare phialas non possunt, quantum pro diuina largitate sufficiunt, propinent proximis cyathos verbi. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. BEDA. Panes propositionis super mensam positi semper, doctores sunt spirituales, qui in lege domini die ac nocte meditantes, cunctis Ecclesiam intrantibus, refectionem verbi cœlestis offerunt. Qui rectè propositionis panes vocantur, quia in propatulo semper esse debet vniuersis fidelibus sermo salutis, neque vnquam in Ecclesia deesse oportet piis auditoribus verbum solatij, quod dominus per præcones veritatis mundo proponens, in conspectu suo apparere, & vsque in finem his qui esuriunt & sitiunt iustitiam, incessanter abundare voluit. RVPERTVS. I

Sed & panis propositionis ipse Christus est sicut catholica tenet fides, quem in conspectu dei sancta Ecclesia proponit semper. Nam ille panis propositionis qui in typum huius panis positus est, iamdudum scelere Iudæo-
*Malach. 1.* rum pollutus est. Vnde per Malachiam prophetam, Offertis (inquit dominus) super altare meum panem pollutum. Ac deinceps, Munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. HIERONY-
*Vbi supra.* MVS ET AVCTOR CATENAE. Tantùm autem interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur. Si ergo figuratos panes suscepturis tanta erat necessaria corporis munditia quanta putas opus esse sanctissimi corporis & sanguinis domini verissima sacramenta sumpturis?

5 *ACies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius & calamos, scyphos, & sphærulas, ac-* K
*lia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaéque simul & lilia, & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaéque simul & lilia. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulaéque per singulos & lilia. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt procedentes de hastili uno. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, uniuersa ductilia de auro purissimo. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex aduerso. Emunctoria quoque & ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. Omne pondus candelabri cum uniuersis uasis suis, habebit talentum auri purissimi. Inspice & fac secundum* L
*exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

5 RVPERTVS. Totam candelabri æquè vt cæterorum quæ præscripta sunt fabrefacturam, scriptura legentium oculis præsentare laborat, vt quia tota diuina, & diuino spiritu peracta est, rebus ipsis, secundum materiam permanere non valentibus, ipsarum ratione permanente, sit rerum æterna memoria *Facies* (ergo inquit) *& candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius & calamos, scyphos & sphærulas ac lilia ex ipso procedentia.*

CAIETANVS. Transitur ad describendum candelabrum septem lucernarum, & non fusorio opere decernitur efficiendum candelabrum, sed ex auro ducendo vi mallei. Iuxta Hebræum autem non scribitur lilium in specie, sed flos in genere in tota ista materia. AVCTOR CATENAE. Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo. Sic legitur hæc litera in Hebræo vt habet Chaldaica, Faciésque candelabrum de auro mundissimo, ductile facies candelabrum siue fiet. Sed Interpres consultò vitauit Hebraismum. M
Opere autem ductili fieri mandat, id est, malleo, non fusione. Alij dictionem מִקְשָׁה Miksa, opere integro vertũt, eadem sententia. Volunt enim candelabrum fuisse factum non ex diuersis partibus in vnũ coagmentatis, verùm ex crasso stipite. Malleis siquidem producebãtur calami, scyphi, & cætera. Quod autem nos ductile, Septuaginta τορευτὸν, tornatile verterũt. Licet Miksa (vt iam dictum) metallum propriè malleo percussum & induratũ significet. Hastile eius. Hebraica dictio est יְרֵכָה Ierecha. Est autem Ierech, latus siue hastile. Vnde aliqui vertũt, Hastile eius, videlicet basis ipsius candelabri: aliqui, latus eius. Sed per latus & ipsi candelabri pedem intelligunt. Alij vertunt, Scapus eius, per quod hastile ipsum, seu truncum significant. Chaldaica & Septuaginta, hastile legunt. Et calamos. Hebraicè est וְקָנָהּ Vekana, Et calamus eius. Sic omnes versiones reddũt, & per calamum intelligitur medius cãdelabri stipes. Vnde & aliqui vertunt hîc, Et medias stipes eius. Scyphos. Hebraicè est גְּבִיעֶיהָ Gebihêha. Est autem Gebiha, scyphus in modum calicis factus. Vnde hîc scyphi eius, vel cyathi eius, aut calices eius reddi



A reddi potest. Et per ipsos partes quædam extantes intelliguntur, quæ calicis formam habebant. Chaldaica & Septuaginta habent vt apud nos. Et sphærulas. Hæ Hebraicè dicuntur כַּפְתֹּרֶיהָ Caphtoréha, Et sphærulæ eius, id est, nodi, Sicque ab omnibus vertitur. Ac lilia ex ipso procedétia. Sic legitur iuxta Hebraicum וּפְרָחֶיהָ מִמֶּנָּה יִהְיוּ Vphrachéha mimménna ihiu, Et lilia eius ex ipso erunt, vel fient. Sic habet & Chaldaica, & Septuaginta. Vertũt alij, Et flores eius. Dictio enim Perach, vtrumque significare potest. Sed idem est. Et est sensus, Ex eadem materia, & non ex alia fient hæc omnia. Malleo enim ex ipso trunco & stipite cuncta formabuntur. Hæc est autem candelabri ratio. Erat corpus eius quasi statua aurea, habens basim, hastile, & medium stipitem, calamum, mediam septem lucernarum sustinentem, scyphis, sphærulis & floribus ornatum. Ex quo vtrinque cannæ tres prodibant, infimis duabus longioribus, mediis duabus mediocribus, supremis duabus breuioribus, in eandem cum quarta lucerna altitudinem sublatis. Qui omnes sex calami decentissimo ornatu gestabant suos quosque tres
B scyphos, amygdali secundum aliquos habentes figuram, sphærulas & flores seu rosas & germina pro decore passim facta cum sex singulis lucernis, erántque receptacula olei, & ellychnij. *Sex calami egredientur è lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos sphærulæq; simul & lilia, & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæq; & lilia.* RVPERTVS. Sphærularum atque liliorum in candelabris quæ hodiéque passim fiunt vel habentur, pauca supersunt vestigia. Nam sphærulæ, id est, nodi rotundi in hastilibus, lilia verò in capitibus candelabrorum passim visuntur. Cæterùm scyphi si auctoritate scripturæ præsentis fierent, vel si vsquam fiunt, profectò intuentium oculis & ipsi operoso decore placent. CAIETANVS. Verùm iuxta Hebræum, Tres calices amygdalati in calamo vno, habetur. Vbi scito quòd dictio Hebraica significans poculum, optimè interpretatur calix, ad exprimendum poculum cum pede, ita tamen quòd nomine calicis intelligamus poculum habens pedem absque differentia figuræ. In hodiernum enim vsque diem in fornice Titi
C in vrbe Roma apparet candelabrum hoc sculptum vt ductum est sub triumpho, & apparent ibi calices diuersarum figurarum, & apparent amygdalati, hoc est, non habentes superficiem planam, sed in concauas conuexásque distributam partes, tanquam amygdalas. Et sic in tota ista materia intellige scyphos instar nucis apud vulgatam editionem. Sphærulæ autem & lilia iuxta Hebræum in numero singulari habetur, videlicet sphærula & flos. Et propterea in quæstionem versum est, an cuilibet calici responderet vna sphærula & vnus flos, an essent tres calices cum vna sphærula & vno flore. Pulchritudini magis quadrat, vt cuilibet calici adiuncta sit sphærula cum flore. Isti tamen calices decem & octo in istis sex hinc & inde calamis, non apparent in illo sculpto candelabro, & fortè quando constructum fuit secundi templi candelabrum, desueuerat huiusmodi ornatus haberi pro ornatu, & conformando se tempori, construxerunt istos sex calamos cum sphærulis & floribus absque huiusmodi poculis, ita quòd loco poculorum simplices calamos construxerunt, tale enim apparet candelabrum sculptum. AVCTOR CATENAE. Sex calami egredientur de lateribus. Adde ex Hebræo, eius. Est enim מִצִּדָּיו Mizidêha, De lateribus eius, nempe candelabri. Sed Interpres subintellexit dictionem eius.
D Tres ex vno latere, & tres ex altero. Breuibus se expediuit doctus Interpres, vltro vitans verborum repetitionem, & sensum integrum seruans. Sic enim est in Hebræo, Septuaginta & Chaldaica, Tres calami ex vno latere candelabri, & tres calami ex secundo latere candelabri. Sequitur autem, Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæq; simul & lilia, & cætera. Tota hæc litera sic est in Hebræo & Chaldaica, Tres scyphi figurati in calamo vno, sphærula & lilium, & tres scyphi figurati in calamo vno, sphærula & lilium. Quanuis dictionem מְשֻׁקָּדִים Mesukkadim, aliqui vertant amygdalati, hoc est, instar amygdali sculpti, vel formam amygdali habentes, siue in speciem nucis amygdalinæ deformati. Id quod & Septuaginta, & Latinus Interpres, in nucis modum reddiderunt. Et profectò sekedim à qua supradicta dictio venit, amygdalas significat. Habebant ergo scyphi siue calices candelabri amygdalarum formam pro præcipuo eius ornamento. *Hoc erit opus sex calamorum qui producendi sunt de hastili. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæq; per singulos & lilia.*
CAIETANVS. Istorum quatuor calicum in hastili candelabri duo siti inter pedem candelabri &
E sphæram vnde exeunt infimi calami laterales, apparent in sculpto candelabro, alij autem duo locandi in hastili inter supremam sphæram vnde exeunt supremi calami laterales & lucernam, non apparent ibidem. Ratione fortè temporum abstinuerunt ab huiusmodi calicibus, & ad deferendum auctoritati exempli diuini, duos calices construxerunt, vt vel sic seruaretur antiquæ structuræ memoria. AVCTOR CATENAE.

Hoc erit opus sex calamorum qui producendi sunt de hastili. Hebraica hîc ita leguntur, מִן לִשְׁשַׁת הַקָּנִים הַיֹּצְאִים מִן הַמְּנֹרָה Chen leséseth hakanim haiozim min hamenora, Sic de sex calamis qui egrediuntur ex candelabro, subaudi dicendum est. Nempe vt singuli habeant tres scyphos amygdalatos, sphærulam & lilium. Aliqui reddunt, Et sic pro sex calamis qui ex ipso candelabro procedunt. Alij, Sic sex calamis egredientibus de candelabro, subaudi, facies. Ita & Septuaginta. Vnde Chaldaica, Sic facies in sex calamis qui egrediuntur de candelabro. Quæ omnia in virtute idem sunt cum Latina litera. Sequitur, In ipso autem candelabro, id est, in hastili candelabri & trunco. In nucis modum. Est eadem dictio מְשֻׁקָּדִים Mesukadim de qua suprà, dic ergo vt ibi.
F Spherulæq; per singulos & lilia. Hebraicè est, כַּפְתֹּרֶיהָ וּפְרָחֶיהָ Caphtoréha vphrachéha, Spherulę eius & lilia eius. Sic & Chaldaica. Verùm hæc non discrepant à sensu literæ nostræ. *Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso. Sic sex calamis egredientibus è candelabro. Tres sphærulæ in hastili describuntur, sic dispositæ, quòd ex qualibet earum egrederentur duo calami, alter hinc, alter inde. Et quælibet erat sub duobus calamis, ad significandum quòd calami egrediebantur ascendendo non per lineam rectam, sed per lineam circularem, ita quòd quilibet duo calami, hinc & inde constituebant semicirculum, & sex isti calami constituebant tres semicirculos ad vnam eadémque lineam rectam diametralem terminatos, ad quam terminabatur hastile candelabri, secundum enim vnam & eandem literam rectam, erant omnes lucernæ. AVCTOR CATENAE. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca. Abbreuiauit Interpres totum hoc membrum, quod ter repetita habet hæc eadem verba,

videlicet וְכַפְתֹּר תַּחַת שְׁנֵי הַקָּנִים מִמֶּנָּה Vechaphtor táchath ſene hakanim miménna, Et ſphærula ſub duobus ca- G
lamis ex ipſo, Et ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo, Et ſphærula ſub duobus calamis ex ipſo. Sequitur, Quæ
ſimul ſex fiunt procedentes de haſtili vno. Iuxta Hebræum habetur, לְשִׁשֶּׁת הַקָּנִים הַיֹּצְאִים מִן הַמְּנֹרָה Leſéſeth ha-
kanim haiózim min hamenora, Sex vel ſub ſex calamis exeũtibus de cãdelabro, vel procedẽtibus ex cãdelabro.
Quorum omnium hic eſt ſenſus, Sub ſingulis duobus calamis erit ſphærula vna, hoc eſt, ſphærula prima erit ſub
duobus primis calamis, qui vtrinque ex ipſo ſunt candelabro, & ex eadem materia candelabri. Deinde alia ſphę-
rula erit ſub duobus ſecundis calamis, qui vtrinque ex ipſo ſunt. Poſtremò ſphærula vna erit ſub duobus poſtre-
mis calamis, qui vtrinque ſunt ex ipſo candelabro, ex eadẽmque materia candelabri. Atque ita fit, vt ſint ſub ſex
calamis de candelabro procedentibus. Chaldaica etiam non diſcrepat ab hoc intellectu, habens, Sphæruláque
ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius, & ſphærula ſub duobus calamis eius. Sic facies
ſex calamis qui egrediuntur de candelabro. Quaſi dicat, Erit ſemper ſub duobus quibuſque calamis qui ex ipſo H
candelabro prodeunt, ſphærula vna, Et cum ſex calami prodeant ex haſtili candelabri, tres erunt ſphærulæ ſub
dictis ſex calamis. Hoc etiã indicare voluit Interpres Latinus in ſuis verbis abbreuiatis. Septuaginta etiam cum
Hebraico conueniunt, hoc excepto, quòd bis tantùm replicat verba prædicta. *Et ſphærulæ igitur & calami ex ipſo e-
runt, vniuerſa ductilia, de auro puriſſimo.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Et ſphærulæ igitur & calami ex ipſo e-
runt, totum ipſum ductile vnum auri mundi. Opificium candelabri ſine conciſione partium, ita quòd totum ſit
vnum continuum, mandat fieri, & non fuſorio opere, ſed ductili. AVCTOR CATENAE. Et ſphærulæ
igitur & calami ex ipſo erunt. Parui refert quòd in Hebræo eſt, Sphærulæ eorum & calami eorum ex ipſo erunt.
Sic habet & Chaldaica. Eſt enim in Hebræo כַּפְתֹּרֵיהֶם וּקְנֹתָם Caphtorehem vknotham. Ex ipſo autem erunt, di-
cit, hoc eſt, egredientur ex ipſo candelabro. Vel ex eadem candelabri materia erunt, malleo enim ex ipſo trunco
producentur. Vniuerſa ductilia ex auro puriſſimo. Sic & Chaldaica. Hebraica verò ſunt, גְּלָף מִקְשָׁה אַחַת זָהָב
טָהוֹר Cula mikſa achath zahab tahor, Totum ipſum ductile vnum ex auro mundo. Quaſi dicat, Totum ipſum I
opus ſit res vna integra ſolida & non vacua neque ex partibus coniuncta, hoc eſt, Non fient calami, ſcyphi ſphæ-
rulæ & lilia, membratim & ſeorſum per partes, & poſtea coniũgentur more artificum, ſed totum fiet fuſura vna
in vaſe aurificis, poſtea percutietur malleo, ac percuſsione huiuſmodi protrahentur membra, & diuidentur par-
tes eius hac & illac. Vertunt hîc alij, Totúmque ipſum erit opus vnum & integrum ex auro mundo. Chaldaica,
vt apud nos. Quæ omnia à Latinæ literæ ſenſu non deuiant. Et hoc etiam loco quod nos ductilia, Septuaginta
legunt, ὅλοι τορευτοί, Omnes tornatiles. *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum vt luceant ex aduerſo.*

RVPERTVS. Id eſt, contra menſam, hoc enim poſtmodum exprimit, dicendo, Et contra menſam cande-
labrum pones in latere tabernaculi meridiano. Menſa enim ſtabit in parte Aquilonis. CAIETANVS. Fa-
cies & lucernas ſeptem. Vnam in ſummitate haſtilis, & ſex in ſummitatibus calamorum. Et pones eas ſuper can-
delabrum. Iuxta Hebræum habetur, Et accendere facies lucernas eius. Ad hoc enim fiebat candelabrum, vt ſer-
uiret lucernis accẽdendis. Vt luceant ex aduerſo. Iuxta Hebræum, Et faciẽt lumen ſuper plagam faciei eius. Fa- K
cies cãdelabri proculdubio verſa erat verſus menſam propoſitionis, vt infra patet, & propterea facere lumen ſu-
per plagã faciei candelabri, eſt illuminare directè diaphanum verſus menſam propoſitionis, candelabrum enim
erat ſic locatum, vt omnes ſeptem lucernæ reſpicerent ex æquo menſam illam è regione ipſius. Et hinc habetur,
quòd lucernæ non erant in forma lampadis, nam lampas æquè diffundit lumen circunquaque, de his autem lu-
cernis mandatur, quòd faciant lumen ad certam partem. Erat igitur quælibet lucerna tanquam habens roſtrum
in vna parte in quo ardebat, & propterea mandando quòd faciant lumen ſuper plagam faciei, mandatur quòd
roſtra lucernarum, ſint verſus illam plagam. Et hic eſt literalis ſenſus, qui comprobatur figura lucernarum ſcul-
ptarum in prædicto candelabro, nam roſtratæ ſunt. AVCTOR CATENAE. Facies & lucernas ſeptem.
Adde ex Hebræo eius. Nam eſt ibi נֵרֹתֶיהָ Nerothéha, lucernas eius. Sic & Chaldaica & Septuaginta. Et pones eas
ſuper candelabrum. Hebraica litera eſt, וְהַעֲלָה אֶת נֵרֹתֶיהָ Vehehela eth nerothéha, Et accendere facies lucernas
eius. Alij vertunt, Et collocabis lampades eius in ſublimi, quaſi dicat, In ſummitate calamorum pones lucernas. L
Nonnulli, Et diſponet, ſeu aptabit, aut aptare faciet lucernas eius. Vt ſit modus loquendi abſque expreſsione per-
ſonæ de qua loquitur. Eſt enim tertia præteriti perfecti perſona in Hiphil ab עָלָה Hala verbo. Chaldaica, Et in-
cendes lucernas. Septuaginta, καὶ ἐπιθήσεις τοὺς λύχνους αὐτῆς, Et impones lucernas eius. Vides quot ſunt Interpre-
tes, tot eſſe loci verſiones. Eſto itaque verborum ſenſus, quòd Moyſes in ſummitate calamorum aptabit lucer-
nas, & ardere eas faciet. Sequitur, Vt luceant ex aduerſo. Et hîc aliquantulum Hebraica variant. Sic enim ibi le-
gitur, וְהֵאִיר עַל עֵבֶר פָּנֶיהָ Veheir hal heber panéha, Et lucebit contra partem faciei eius. Vnde & Chaldaica, vt
luceant contra faciem eius. Alij vertunt, Vt luceant ad latus faciei eius. Hebraiſmus eſt, pro, Vt verſus eam par-
tem lumen emittant, ad quam verſum erit candelabrum. Nonnulli, Et lucere facies vel faciet contra faciem
eius. Eſt enim & hîc tertia præteriti perſona in Hiphil, à verbo אוֹר or. Aliqui, Et lucebit ex aduerſo. Demum ali-
qui, Vt illuminet (quæque) partem lateris ſui. Septuaginta, καὶ φανδσιμ ἐκ τοῦ ἑνὸς πρσσώπου αὐτῆς, Et lucebunt ab
vna facie eius. Quæ omnia Latinus Interpres pauculis verbis expreſsit, Vt luceant ex aduerſo, nempe menſæ M
contra quam ponendum erat candelabrum. Eleganter igitur & lucidè reddita eſt nobis figura ac conſtitutio
huius candelabri, quod totum ductili auro ac ſolido conſtabat. *Emunctoria quoque & vbi ea quæ emuncta ſunt extin-
guantur, fiant de auro puriſſimo.* Emunctoria Hebraicè מַלְקָחַיִם Melkachaim dicuntur, & ſunt forcipes quibus accí-
pimus prunas, & reperitur tantùm in Hebræo in numero duali, quia ex duabus conſtant. Accipiuntur etiam pro
emunctoriis lucernarum vt hoc in loco. Porrò vaſa vbi quæ emuncta ſunt ponuntur ad extinguendum, hoc eſt,
fauillæ ellychniorũ, Hebraicè dicuntur מַחְתָּה Machta. Significat etiam vas in quo portatur vel ſuſtẽtatur ignis,
id eſt, thuribulũ. Vnde Chaldaica, Et forcipes eius & thuribula eius ex auro mundiſsimo, habet. Septuaginta, καὶ
τὸν ἐπαρυσῆρα αὐτῆς, καὶ τὰ ὑποθέματα αὐτῆς, Et emũctoriũ eius, & ſuppoſitiones eius, id eſt, vaſa prædicta quę ſuppo
nũtur ad ea quæ emũcta ſunt ſuſcipiẽdũ. Pro his duob⁹, vertũt aliqui, Et forcipes ei⁹ & receptacula ei⁹. Quę om-
nia idẽ dicũt cũ litera noſtra. Inſtrumẽta itaq; ad lucernas pertinẽtia, quib⁹ vel emũgebãtur lychni, vel extingue-
bantur



A bãtur, ne fœtor eſſet in ſanctuario vel macula, vt forcipes & receptacula emunctionũ, vel etiã vaſa ad cõſeruan-
dum ignem, omnia aurea erant, lucida & magnifica. *Omne opus candelabri cum vaſis ſuis habebit talentum auri puriſſimi.*

CAIETANVS. Menſura ſecundum pondus ſignificari videtur, ſed quantum auri pondus compre-
henderet neſcimus. AVCTOR CATENAE. Omne pondus candelabri cum vniuerſis vaſis ſuis
habebit talentum auri puriſsimi. Senſus eſt idem, verùm Hebraica verba aliquantulum variant, prout eſt etiam
in Chaldaica videlicet, Ex talento auri mundiſsimi facies illud & omnia vaſa hæc. Vel talentum auri mundi fa
cies illud cum vniuerſis vaſis iſtis. Septuaginta, τάλαντον χρυσίου καθαροῦ ποιήσεις πάντα τὰ σκεύη ταῦτα, Talentum
auri puri facies omnia vaſa hæc. Eſt igitur ſenſus, Totũ opus iſtud conſtabit talento vno. Sicut & Interpres red-
didit. Continet autem vulgare talentum ſexaginta libras, illud âutem quo in templo vtebantur, duplum erat ad
profanum. Dictio autem כִּכָּר Chiccar, Hebraica hîc poſita, maſſam ſiue talentum ſignificat, vt ex literæ & cauſæ
B circunſtantia ſatis patet, licet Hebræi non tam talentum, quàm centenarium talentorum exponant pro magni-
dine operis, & pondere candelabri, & vaſorum pertinentium ad illud. *Inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in
monte monſtratum eſt.* CAIETANVS. In hac concluſione comprehenditur mandatum reliquorum quæ non
ſunt ſcripta, puta de quantitate haſtilis ſecundum longitudinem, de forma lucernarum & capacitate earum, de
pede candelabri, qui pulcherrimus apparet ductus ſub Triumpho Titi, & cæteris. AVCTOR CATENAE.
Inſpice & fac. Sic redduntur hæc duo verba etiã à Chaldaica וְעָבֵד Vre vahaſe. Ab aliis verò, Vide vt fa-
cias, ſiue, Vide facias. Et ſic reddunt Septuaginta. Secundũ exẽplar. Dictio Hebraica תַּבְנִית Tabnith, & ſimilitu-
dinem ſignificat & exemplum. Et hinc factum quòd aliqui, Iuxta ſimilitudinem eorum verterunt, ſicut & Chal-
daica habet. Septuaginta, κατὰ τὸν τύπον, Iuxta figuram. Quod tibi in monte mõſtratum eſt. Hebraica paulò ali-
ter habent, verùm ſenſus eſt idem. אֲשֶׁר אַתָּה מָרְאֶה בָּהָר Aſer atta mare bahar, Quod ſeu quam tu videre factus
in monte. Eſt enim מָרְאֶה Mare participium præteritum hiphil, à raa verbo. Chaldaica, Quæ monſtrata ſunt ti-
C bi in monte. Septuaginta iuxta figuram, τὸν δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει, oſtenſam tibi in monte. Alij vertunt, Quæ ti-
bi mõſtrata eſt in monte. Sed omnia hæc vnum ſunt cũ litera Latina. Exemplar autem omnium dominus Moyſi
oſtendit in monte, cùm quadraginta diebus & totidem noctibus illic ieiunus conſtitit, ne humanum commen-
tum cogitaretur, & præſumptum ſine deo.

RVPERTVS. Sed quoniam omnia hæc ſunt exemplaria cœleſtium, cœleſte ex ipſo ſpeculemur can- *Myſticè.*
delabrum, id eſt, Chriſtum incarnatum. GREGORIVS IN EZECHIELEM. Facies & candelabrũ
ductile de auro mundiſsimo, haſtile eius & calamos & cyphos, & ſphærulas ac lilia ex ipſo procedentia. Quis in *Homi. 6.*
candelabro niſi redemptor humani generis deſignatur? qui in natura humanitatis infuſit lumen diuinitatis, vt
mundi candelabrum fieret, quatenus in eius lumine omnis peccator in quibus iaceret tenebris videret. Qui pro
eo quòd naturam noſtram ſine culpa ſuſcepit, candelabrum tabernaculi ex auro puriſsimo fieri iubetur. Ductile
autem feriendo producitur, quia & redemptor noſter qui ex conceptione & natiuitate perfectus deus & homo
D extitit, paſſionum dolores pertulit, & ſic ad reſurrectionis gloriam peruenit. Ex auro ergo mundiſsimo ductile
candelabrum fuit, quia & peccatum non habuit, & tamen eius corpus per paſsionis contumelias ad immortali-
tatem profecit. Nam Iuxta virtutes animæ quibus percuſsionibus potuiſſet proficere, omnino non habuit. In mẽ-
bris autem ſuis (quæ nos ſumus) quotidie percuſsionibus proficit, quia dum nos tundimur & efficimur vt eius
corpus eſſe mereamur, ipſe proficit. De eius autem corpore ſcriptum eſt, Ex quo totum corpus per nexus & con- *Coloſſ. 2.*
iunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum dei. Corpus quippe illius nos omnes ſumus.
Per nexus verò & coniunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis ma
nus, digiti manibus ſunt coniuncti, ac membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur, ſicut ſancti
Apoſtoli qui redemptori noſtro propinqui ſteterunt, quaſi pectus capiti inhæſit. Quos quia martyres ſunt ſe-
quuti, quaſi coniuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum paſtores & doctores ſubiuncti ſunt per bona ope-
ra, manus brachiis inhæſerunt. Hoc verò omne corpus redemptoris noſtri quotidie per nexum & coniunctio-
E nem ſubminiſtratum eſt in cœlo, quia cùm ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei ſua membra colligantur. De
quo bene dicitur, Subminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum dei, quia deus omnipotens redemptor
noſter qui in ſe quo proficiat non habet, adhuc per membra ſua quotidie augmentum habet. Vnde rurſum ſcri-
ptum eſt, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Haſtile verò *Ephe. 4.*
eiuſdem cãdelabri ipſa Eccleſia debet intelligi, quæ corpus eius eſt, quia inter tot aduerſa libera ſtat. Calami au-
tem qui de haſtili procedunt, prædicatores ſunt, qui dulcem ſonum in mũdo ediderunt, videlicet canticum no-
uum. Cyphi autem vino repleri ſolent. Quid ergo mentes auditorum niſi cyphi ſunt, quæ ſanctis prædicantibus
vino ſcientiæ replentur? Sphærula autem quid eſt aliud niſi volubilitas prædicationis? Sphæra autem ex omni
parte voluitur. Et prædicatio quæ nec aduerſitate retineri poteſt, nec proſperitatibus eleuatur, ſphæra eſt. Et in-
ter aduerſa fortis, & inter proſpera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In curſu ergo ſuo figi
non valet, quia per cuncta ſe volubiliter trahit. Bene autem poſt calamos, cyphos & ſphærulas, in candelabro li-
F lia deſcribuntur, quia poſt eam quam diximus prædicationis gratiam atque volubilitatem, illa virens patria ſe-
quitur, quæ animabus ſanctis, id eſt, floribus vernat æternis. Sphærulæ ergo ad laborem pertinent, lilia ad retri-
butionem. RVPERTVS. Vel ſex calami de lateribus candelabri, id eſt, maioris haſtilis egrediebantur, quia huius noſtri candelabri prima claritas quam nouimus, ex eo eſt, quòd per illud ſenario dierum nume-
ro cuncta fecit deus. Tres ex vno latere, & tres ex altero calami egrediebantur, quia videlicet tribus primis die-
bus per verbum ſuum mundi fabricam explicuit deus, diebus autem reliquis tribus impleuit illum creaturis mo
bilibus atque ſenſibilibus. Igitur quia & ſex diebus omnia per verbum facta ſunt, ſeptimus autem dies in quo
requieuit deus, ipſe eſt filius, ſicut aliâs diximus, rectè de vno haſtili, id eſt, de vno candelabro, ſex calami egre-
diebantur. Et quia quando verbum ipſum caro factum eſt, quando egreſſa eſt virga de radice Ieſſe, & flos de ra- *Eſa. 11.*
dice eius aſcendit, requieuit ſuper eum ſeptiformis ſpiritus domini, rectè nihilominus ſuper candelabrum ſeptẽ
lucernæ dinumerantur. Chriſtus ergo ſuper quem requieuit ſpiritus domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus,
ſpiritus

*Esa.11.* spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & repleuit eum spiritus timoris domini, ipse est can- G
delabrum cœli, candelabrum & lux mundi, septē eiusmodi semper lucens inextinguibilibus lucernis. Qui propter incarnationis mysterium per arcam, propter passionis & sanguinis sui pretium, per propitiatorium: propter corporis & sanguinis sui sacramentum, quod nobis in cibum & potum tradidit, per mensam: ipse propter septiformem spiritum qui super eum requieuit, quēmque gloria & honore coronatus, & ad dexteram patris residens, hominibus dedit, per candelabrum septem lucernarum rectè figuratus est. Vt luceant (inquit) ex aduerso. Per hoc mysticè innuitur quia lux candelabri nostri, id est, Euangelica gratia domini nostri Iesu Christi filij dei patris nobis effulsit, qui eramus in parte aquilonis, illius videlicet, de quo Diabolus, sedebo
*Esa.14.* (inquit) in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Nobis (inquam) qui eramus aquilonarij, id est, infidelitate frigidi, mensa prædicta proposita est, & à meridiana charitate dei, cœlestis sanctuarij candelabrum Christus effulsit. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis, id est, cum emunctoriis, & vbi quæ emuncta H
sunt extinguantur, Habebit (inquit) talentum auri mundissimi. Talentum maximum, centum librarum est & viginti. Magnum pondus, grande significat talentum mundi, quod appensum in libra crucis, appositam lancem prægrauando excusit, & peccata nostra in mare proiecit. Quod quia mundissimum aurum est, id est, quia deus ab omni sorde mundissimus Christus est, tota in pondere eius redemptio nostra peracta est. Et quia cum perfectus deus & homo sic, passionum dolores pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam peruenit, rectè
*Cap.8.* candelabrum ductile fuit. BEDA. Sed dicamus & aliter. Facies & cādelabrum ductile de auro purissimo. Candelabrum tabernaculi sicut & mensa vniuersalem præsentis temporis Ecclesiam designat. Ideo namque sunt ante velum intra quod arca testamenti posita est, quia necdum ad visionem in cœlis sui redemptoris meruit intromitti. Sed mensa est, quia his qui esuriunt & sitiunt iustitiam, victum quotidie cœlestem, ne tentationibus deficiant impendit. Candelabrum est, quia iter lucis errantibus ostendit. Mensa pariter & candelabrum est, quia sanctis edocta literis, & animam esurientē satiare bonis, & sedentibus in tenebris atque vmbra mortis lucernam verbi subministrare didicit. Cui lucernæ dum se humiliter subiecit, ad agenda videlicet quæ dei ser- I
mo præcipit à suis se voluptatibus cohibens, ad speranda ac diligenda quæ promisit, à visibilibus se gaudiis sustollens, quasi candelabrum eius efficitur, quia suis per omnia voluntatibus imperium cœleste præponit, seseque humilians claritatem verbi dei omnibus & prædicando & faciendo prænonstrat. Hastile eius, calamos, scyphos & sphærulas ac lilia ex illo procedentia. Hastile candelabri, ipse qui est caput Ecclesiæ, mediator dei & hominum homo Christus Iesus, debet intelligi, De cuius corpore, quod nos sumus, quasi de calamis ex ha-
*Coloss.2.* stili procedentibus dicit Apostolus, Ex quo totum corpus per connexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum dei, quia nimirum omnipotens deus redemptor noster, qui in se quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Calami ergo procedentes de hastili, præ-
*Esa.42.* dicatores sunt, qui instituti à domino dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet canticum nouum. Ca-
*Psalm.39.* lami sunt omnes Ecclesiæ filij, qui sibi (dicente Propheta) Cantate domino canticum nouum, laus eius ab K
extremis terræ, libenter obtemperant resonantes laudem domino, ac dicentes, Et direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum hymnum deo nostro. Quia verò scyphi vino repleri solent, non immeritò per eos mentes audientium designantur, qui ad vocem prædicantium vino scientiæ replentur. Et quoniam eodem vino internæ dilectionis inebriata corda fidelium infatigabili desiderio ad deum tendunt, rectè in candelabro post scyphos sphærulæ fiunt. Sphæra enim ex omni parte voluitur, quia nimirum mentes electorum nec aduersitatibus seculi vllis retineri, nec prosperitatibus possunt corrumpi, quin in omnibus quæ occurrunt, ad deum per sancta desideria proficiant. Et bene post calamos, scyphos & sphærulas in candelabro lilia deformantur, quia post gratiam prædicationis, post ebriationem potus spiritalis, post irreuocabilem sanctæ operationis procursum, illa virens patria sequitur, quæ animabus sanctis, id est, floribus vernat æternis. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. Constat quidem numerum senarium in quo factus est mundus, operum perfectionem designare. Sed quoniam ita positus est in descriptione calamorum, vt in L
bis ternos diuidatur, magis de ternario dicendum. Tres nanque calami de vno latere hastilis, & tres egrediuntur de altero, quia fuerunt doctores ante aduentum domini in carne, qui fidem sanctæ trinitatis mystica voce
*Psalm.32.* designarent, & quantum rudes adhuc capere poterant prædicarent. Vnde est illud Psalmistæ, Verbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nomine etenim domini patrem, nomine verbi filium, spiritum verò sanctum ipso suo nomine, spiritum oris eius appellat. Cuius videlicet sanctæ trinitatis vnam esse potentiam, voluntatem, & operationem designat, cùm & cœlos verbo domini, & omnem virtutem eorum spiritu oris eius esse firmatam asseuerat. Sunt modò doctores, qui eandem fidem sanctæ Trinitatis apertè prædicent, ita vt omnes qui ad Christum pertinent, eadem debeant fide consecrari, dicente Apostolis do-
*Matth.28.* mino, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Vnde &
*2.Cor.13.* Paulus pro fidelibus orans, eósque in fide accepta confortari desiderans, ait, Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis. Item tres calami ex vno latere can- M
delabri, & tres prodeunt ex altero, quia & ante & post incarnationem dominicam terni fuere gradus eorum qui fideliter in Ecclesia domino seruirent, coniugatorum videlicet, continentium & rectorum, quorum di-
*Ezech.14.* stantiā Ezechiel propheta mysticè describit, cùm veniente plagarum articulo, tres tantummodo viros, Noe videlcet, Daniel & Iob, liberandos esse prædixit. In Noe nanque qui arcam in vndis rexit, præpositos Ecclesiæ: In Daniele, qui in aula regia continenter viuere studuit, continentes siue virgines: In Iob, qui in coniugali
*Matth.24.* *Luc.17.* vita positus mirandum cunctis exemplar patientiæ præbuit, bonorum vitam coniugatorum ostendit. Item eorundem in nouo testamento distantiam dominus sub figura insinuat eorum qui in lecto, in agro, in mola reperiendi sint in die iudicij, è quibus singulos assumendos, & singulos dicit esse relinquendos. Nanque in lecto quies continentium: in agricultura, industria prædicantium: in gyro molæ, labor exprimitur coniugatorum. Et quia in omnibus his gradibus quidam eligendi, quidam verò sunt reprobandi, rectè de singulis dicitur, quia vnus



A vnus de duobus assumetur, & alter relinquetur. Quia verò in parte electorum sublimius est meritum prædicantium, quàm eorum qui solummodò continentiæ & non etiam operi doctrinæ student, item sublimior continentium quàm coniugatorum conuersatio, rectè supremi calami, qui hinc & inde de hastili procedebant, eos qui in vtroque testamento inter virtutes alias doctrinæ studiis sese subdidere designant. Rectè inferiores calami, qui æquè ex vtroque hastilis latere prodeunt, vitam continentium deo deuotam, rectè infimi calami, & ipsi ex eodem vnius candelabri stipite orti, bonorum vitam coniugatorum, in vtriusque testamenti tempore vni eidēmque domino fideliter seruientem typicè demonstrant. Diuersis ergo locis calami procedunt de hastili, qui tamen omnes suo quique loco & ordine reflexi in altum, ad vnam peruenium summitatem, quatenus æqualem supra se positionem lucernarū valeant conseruare, quia nimirum electi, & si meritorum sunt gradi
B bus discreti, vna sunt fide veritatis imbuti, ad vnam in cœlis lucem æternæ veritatis peruenturi, & quanto quisque altiùs in hac vita Christo adhærere curauerit, tanto vicinior in illa vita eius visione fruitur, ita vt de quibusdam pro magnæ merito virtutis dicatur, Hi sunt qui sequuntur agnum quocunque abierit. De quibus paulo antè quasi de proximis candelabro calamis præmissum est, Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, *Apoc.14.* & ante quatuor animalia & seniores. Vbi ostenditur quòd omnes sancti per plateas supernæ illius ciuitatis canticum lætitiæ nouum domino cantant. Sed illi præ cæteris ibi specialis gaudio carminis sublimantur, qui hîc generalem vitam fidelium priuilegio sacræ virginitatis transcenderunt. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæq; simul & lilium, & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæq; & lilium. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili. Nucem in figura præsentis Ecclesiæ po- *Ibidem.*
ni solere testatur Salomon, qui ex persona doctorum fidelium loquitur, Descendi (dicens in Cantico canticorum) ad hortum nucum vt viderem poma conuallis. Sicut enim nux dulcem quidem habet fructum interiùs, *Cant.6.*
sed non hunc ostendere foris, nisi fracta testæ duritia potest, sic iustorum vita præsens, ita suauitatem gratiæ
C spiritalis intimo corde conseruat, vt hæc à proximis quanta sit nullatenus valeat perspici, donec soluto corporis domicilio, liberè se animæ ipsorum alterutrum in cœlesti luce conspiciant, & quanta singulæ gratiæ sancti spiritus fulgeant, quantum vnaquæq; diligatur ab altera, nulli prorsus remaneat occultum. Fiúntque scyphi in candelabro ad nucis modum, cùm quilibet electi vino sapientiæ repleri desiderantes, ad exemplum sese informare satagunt præcedentium iustorum, quos magna visibilium bonorum dulcedine ac dilectione plenos esse nouerunt. Quòd autem per singulos calamos tres fuere scyphi, sphærulæ & lilia, significat ternas temporum differentias, quibus electi & ante incarnationem dominicam, & postea deo deuoti vixerunt. Fuerunt etenim iusti ante legem, fuerunt sub lege, fuerunt temporibus prophetarum. Item post ascensionem dominicam congregata est Ecclesia primitiua de Israël, congregatur nunc Ecclesia de gentibus, congreganda est in fine mundi de reliquiis Israël. Habebat ergo calamus primus in vno latere tres scyphos, sphærulas & lilia, quia in parte doctorum ante incarnationem domini erant tres ordines eorum, qui haustum gratiæ cœlestis quasi
D scyphi sitirent, in viam domini promptissimè quasi sphærulæ currerent supernæ donum retributionis quasi candorem liliorum odorēmque gaudenter expectarent, id est, ante legem, sub lege, sub prophetis. Secundus calamus & ipse habebat tres scyphos, sphærulas & lilia, quia continentes illius temporis æquè tres ordines sanctorum in præfata distinctione temporum habebant, potum spiritalem desiderantes, viam mandatorum domini currentes, & cœlestia præmia præstolantes. Tertius similiter calamus tres scyphos & sphærulas & tria habebat lilia, quia multi erant coniugati ante legem, multi sub lege, multi in diebus prophetarum, qui verbum domini audire, qui viam eius currere, qui bonorum præmia operum ab ipso expectare gauderent. Item ex alio latere hastilis, & primus calamus & secundus & tertius, tres scyphos & sphærulas, tria quoque lilia habebat, quia in nouo quoque testamento, & in doctoribus & in continentibus & in coniugatis deo deuotis, tres fuere ordines temporum distantium, hoc est, in primitiua Ecclesia de Israël, in nostra electione de gentibus, in vltima collectione reliquiarum Israël, qui vniuersi suo quique tempore verbo vitæ debriari, in viam
E pacis prosperare, candorem perpetuæ lucis videre desiderarent. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæq; per singulos, & lilia. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili vno. Diximus ipsum candelabrum, id est, stipitem candelabri medium, de quo calami procedebant, dominum saluatorem designare, de cuius gratia iusti quicquid boni habent acceperunt. Vnde ipse in Euangelio cùm dixisset discipulis, Ego sum vitis, vos palmites, continuò subiunxit, Sicut pal- *Ioan.15.*
mes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Quasi aliis verbis diceret, Ego sum candelabrum, & vos calami mei, sicut calamus non potest se erigere ad supportandam lucernam, nisi fixus manserit in stipite candelabri, sic nec vos, nisi in me manseritis lucem veritatis & fidei in vobis ferre valetis. In quo nimirum candelabro quatuor scyphi sunt facti, quia in quatuor libris sancti Euangelij, qui de domino sunt conscripti, gustum vini noui, hoc est, doctrinæ cœlestis inuenimus, quod non vtres veteres, hoc est, mentes terrenis adhuc desideriis inhærentes, sed tantùm innouata per spiritum gratię corda
F fidelium capere queunt. Sunt per singulos scyphos sphærulæ simul & lilia deformata, quia idem dominus qui poculum nobis sapientię spiritalis propinauit, cursum quoque piæ operationis inoffensum ac promptum, & habendum nobis ostendit, & vt habere posimus ipse donauit, & ne in vacuum curreremus, claritatem nobis patriæ cœlestis ad quam intenderemus promisit, & huius nobis aditum sua gratia patefecit. Vel certè quia sub duobus calamis per tria loca scyphi, sphærulæ & lilia fieri mandantur, possumus hæc ita mysticè interpretari, quia tribus fidelium gradibus, de quibus sæpius diximus, coniugatorum scilicet, continentium & virginum, & doctrinam veritatis aperuit, & cursum boni operis imperauit, & hæreditatis semper immarcesibilis atque incorruptæ benedictionem promisit atque donauit. Et aptè scyphi, sphærulæ & lilia candelabri, non super calamos, sed sub calamis esse iubentur, quia corda prædicantium, imò omnium electorum, ne ad infima delabi possint, donis, mandatis & promissionibus dominicis sustentantur, atque ad amanda & quærenda cælestia *Cant.2.*
subleuantur. Hinc etenim sancta Ecclesia, videlicet sponsa Christi de ipso gloriatur, dicens, Læua eius sub capite meo

te meo, & dextera illius amplexabitur me. Lęua quippe sponsi sub capite est posita sponsæ, quia temporalibus be- G
neficiis dominus mentes fidelium à terrenis voluptatibus & concupiscentiis segregans, ad speranda ac desi-
deranda perpetua bona erigit. Et dextera illius amplexabitur eam, quia ostensa diuinæ maiestatis eius visio, il-
lam sine fine glorificat. Aptè scyphi, sphærulæ & lilia sub duobus sunt calamis, quia in vtroque testamen-
to fidelibus, quamuis cærimoniis distantibus, eadem deuotio domino seruiendi mandata, eadem est glo-
ria regni cœlestis conseruata. Quartus autem scyphus, sphærula & lilium, quæ supra calamos omnes iuxta
summitatem fuere candelabri ipsius, propriè ad dominum pertinet saluatorem, qui non solùm electis suis
virtutum scientiam, operationem & remunerationem tribuit verùm etiam in seipso idem homo Christus, fi-
guram ostendens scyphi cùm se plenum spiritu sancto declarauit, formam prætendit sphæræ, cùm apparens
*Psalm.18.* in mundo absque vllo circunstrepentium rerum obstaculo, Exultauit vt gigas ad currendam viam, speciem
monstrauit lilij, cùm resurgens à mortuis atque ad cœlos ascendens, clarificatus est ea claritate quam habuit H
priusquàm mundus esset apud patrem. Et rectè hîc scyphus, sphæra & lilium calamis altior eminebat, quia ni-
mirum dona quæ mediatoris dei & hominum homini Iesu Christo deus pater contulit omnem humanæ capa-
citatis modum transcendunt. Vnicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis
*Ephes. 4.* Christi. In ipso autem Christo (sicut Apostolus ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Bene au-
tem sequitur, Et sphæræ igitur & calami ex ipso, erunt vniuersa ductilia de auro purissimo. Omne enim o-
pus candelabri, hoc est, & stipes medius, & calami ex ipso procedentes, cũ omni suo ornatu, de auro fiunt, quia
& dominus ipse specialiter immunis à peccato, atque operibus iustitiæ per omnia præclarus, in mundo appa-
ruit, & eandem innocentiam atque iustitiam membra eius in hac interim vita, quantum valent, imitantur, in
futuro autem veraciter ipsi adhærendo proficiunt. Et aptè idem aurũ ductile fuit, ductile nanque feriendo pro-
ducitur, quia & redemptor noster, qui ex conceptione & natiuitate perfectus deus & homo extitit, passionum
*2.Timot.3.* dolores pertulit, ac sic ad resurrectionis gloriam peruenit. Et omnes qui volunt piè viuere in illo, persecutio- I
nem patiuntur, quia & ipsi quasi metallum feriendo dilatati, per contumelias ad immortalitatis gratiam proficiunt. Vnde & in Psalmo quarto qui inscribitur, In carminibus, quibus in mysticis fidei calamis dicit Ecclesia
suo redemptori, In tribulatione dilatasti. Ac si aurũ ductile suo artifici diceret, In percussione fabrili amplificasti
me, & maiorem tundendo mihi profectũ dedisti. Facies & lucernas septẽ, & pones eas super candelabrũ vt luceãt
ex aduerso. Lucernæ septẽ, septẽ sunt dona spiritus sancti, quæ & in domino ac in redẽptore nostro cuncta sem-
per mãserunt, & in mẽbris eius, hoc est, omnibus electis pro eius voluntate distributa sunt. Ponũtur ergo lucernæ
septem super candelabrũ, quia super redemptorem nostrũ primogenitũ de radice Iesse requieuit spiritus sapien-
*Esa.11.* tiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scięti̇æ & pietatis, Et impleuit eũ spiritus timoris domi-
*Esa. 61.* ni. Et sicut idem ipse per eundẽ loquitur Prophetã, Spiritus domini super me, eo ꝙ vnxerit me dominus. Quod
autem dicitur, vt luceant ex aduerso, hoc est, quod Propheta subsequenter adiecit, Ad annunciandũ mansuetis
misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiã, & clausis apertionẽ, vt prædicaré an- K
*Ioan.1.* num placabilem domini, & diem vltionis deo nostro. Lucernæ nanque candelabri lucebant ex aduerso, & taber-
naculum domini illustrabant, cùm dominus existens plenus gratia & veritate, nobis omnibus de plenitudine
sua tribuit, & gratiam pro gratia, cùm mansuetis & pauperibus spiritu, verbum Euangelij commisit, cùm pœ-
nitentibus medelam indulgentiæ contulit, cùm nunc tempus placendi domino, futurum verò esse diem vni-
*Apoc.5.* uersalis iudicij declarauit. Cõsonat huic lucernarũ numero & positioni quod in Apocalypsi dicit Ioannes, Et vi-
di, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum, ha-
bentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus dei missi in omnem terram. Si enim septem
cornua ibi, siue septem oculi agni, septem dona sancti spiritus insinuare possunt, quare non eadem etiam septem
lucernæ candelabri meritò designare credantur? Imò sicut in cornibus & oculis rectè signatur, propter omnipo-
tiam virtutis qua cuncta regit, & plenitudinem scientiæ qua cũcta perspicit, ita etiam spiritus idem septiformis
aptè per figuram lucernarum exprimitur propter lucem gratiæ, qua in nocte huius seculi tenebras nostræ cæcita- L
tis illustrat. Vnde & aptè subiungitur, Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta sunt extinguantur, fient de auro
purissimo. Sunt etenim quædam in scripturis diuinis ita præcepta, quæ perpetuo iure & in hac vita & in futura
*Exod.20.* semper obseruari debeãt, vt est illud, Non habebis deos alienos coram me: &, Diliges dominum deum tuum ex
*Matth.22.* toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Sunt alia quæ to-
*Luc.10.* to huius vitæ tempore obseruanda iubentur, sed in futura vita mercedem suæ obseruationis æternam percipiũt,
vt & illud Euangelij, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Hîc enim ad tempus Eleemosynæ faciendæ, ibi perpetuò eleemosynarum est fructus recipiendus. Sunt item
alia quæ tempore veteris testamenti diligenter iubente domino seruata sunt, nunc coruscante per orbem Euan-
gelio, non iuxta literam, sed iuxta sensum mysticum in Ecclesia iubentur obseruari, vt est custodia sabbati, ve-
ritus hostiarum, & sanguis agni paschalis, & cætera huiusmodi, quæ suo quidem tempore solerter custodita à po-
pulo dei, quibus lucinia in lucernis candelabri ardebant, infusa oleo pię deuotionis, & incensa igne verbi cæ- M
lestis, cùm verò ab Apostolis atque Apostolicis viris prædicabatur, his & huiusce modi obseruationibus finem
domino impositum, cuncta ea spiritualiter magis in Ecclesia, quàm iuxta literam sunt seruanda. Quibus emun-
gebantur lucinia candelabri, vt reparata meliùs lucerent, quia sublimiùs intellecta per spiritum sanctæ Ecclesię,
lucem doctrinæ salutaris præbebant. De qua reparatione lucernarum tabernaculi, hoc est, diuinarum scriptura-
*Leuit.26.* rum intelligentia, sublimi ore promittit in Leuitico dominus suo populo, dicens, Multiplicamini, & firmabo
pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proiicietis. Mul-
tiplicatis quippe filiis Israël, consummatum est cum eis pactum dei, cùm etiam gentibus ad fidem vocatis nouæ
gratia testamenti in cordibus electorum firma radice plantata est. Comedimúsque vetustissima veterum, cùm
mandatum vetus, quod ab initio datum est generi humano, dulci cordis memoria retinemus diligentes domi-
num deum nostrum ex toto corde nostro, tota anima, tota virtute, & proximum tanquã nosipsos. Et vetera nouis



A uis superuenientibus proiicimus, cùm typica legis Mosaicæ statuta iuxta literam seruare cessamus, sed eadem
ipsa gratiùs intellecta per spiritum innouato in spem regni cœlestis corde custodimus, iuxta illud Apostoli, Si *2.Cor.5.*
qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Et in Apocalypsi, Et dixit qui *Apoc.21.*
sedebat in Throno, ecce noua facio omnia. Emunctoria autem quibus hæc agebantur, ipsa sunt verba sacri elo-
quij, quibus manifestè designatur literam legis in plurimis soluendam, & eam spirituali solummodo sensu esse
seruandam. E quibus est illud in Actibus Apostolorum, vbi prohibiti sunt credentes ex gentibus circuncidi, &
absque cærimoniis hostiarum legalium Euãgelicæ gratiæ sunt obedire præcepti. Et quod Apostolus ad Hebręos *Hebræ. 10.*
exponens versiculum psalmi, ait, superiùs dicens, Quia hostias & oblationes & holocaustomata pro peccato
noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio, vt faciam deus volũtatem
tuam. Aufert primum vt sequens statuat, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Chri-
B sti. Emunctoria ergo & vasa vbi quæ emuncta sunt extingũtur, fiunt de auro purissimo, quia & diuina sunt ver-
ba, quibus cessatio cærimoniarum legalium prædicatur, & dei gratia sunt illustrata eorum corda, in quibus ea-
dem figurata legis adumbratio finem accepit, vt succedens Euangelij veritas clariùs mundo luceret. Constat e-
nim primos Apostolos in Euangelio ante passionem dominicam soluisse sabbatum, & post ascensionem domi-
ni & aduentum spiritus sancti penitùs hostiis finem imposuisse legalibus, ac pleraque legis literæ decreta Euan-
gelicæ gratia libertatis mutasse. In his ergo lucinia quę emũcta sunt extinguebantur, in quibus literalis obser-
uatio completa exordium gratiæ mundo clariùs fulgens exhibuit. Item quia finita mortali, & succedente vita im-
mortali cessabunt maxima ex parte opera vel dona lucis, quibus nunc vtimur, vt sequantur æternæ præmia lucis
in præsentia diuinæ visionis. Illa scripturarum testimonia, quæ hæc futura esse testãtur, emunctoria nimirũ sunt
aurea, quæ spe futuræ claritatis eximia. Vasa quoque in quibus ea quæ emuncta sunt extinguntur, corpora vtiq;
sunt, & corda omnium iustorũ immortalia. Et ideo rectissimè auro assimilata, in quibus exoptatissima hæc im-
C mutatio fiet, vt post temporalia dei beneficia ad æterna perueniant. Denique Apostolus emunctoria nobis lucer-
narum dei, & loca vbi ea quæ emuncta sunt extinguantur aurea præbet, cùm de differentia præsentium & fu-
turorum bonorum loquitur dicens, Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destrue- *1.Cor.13.*
tur, ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autẽ venerit quod perfectum est, euacuabitur
quod ex parte est. Et paulò pòst, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc
cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Omne pondus candelabri cum vniuersis va-
sis suis habebit talentum auri mundissimi. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis, omne corpus
Christi est cum ipso capite nostro mediatore dei & hominum, vniuersi electi sui à summis vsque ad infimos, ab
his quibus maior inter natos mulierum nemo est, vsque ad eos de quibus dicit, Videte ne contemnatis vnum
de pusillis istis, qui in me credunt. Qui nimirum omnes, in diuersis licet gradibus, ætatibus, sexibus, conditio-
nibus, ingeniis, temporibus, vni eidémque auctori ac datori perpetuæ lucis, suo quiq; tempore ac loco candela-
D bro aureo fixa radice mentis inhærent, quo eiusdem participes lucis fieri possint. Quod videlicet candelabrum,
rectè talentum auri mundissimi habere debere memoratur, talentum nanque pondus plenum ac perfectum est,
quia iustus dominus in omnibus viis suis, & qui suam gratiam in hac vita fidelibus vt bene operentur tribuit, *Psal.144.*
ipse coronam iustitiæ in illa vita bonis eorum operibus reddit. Cui contra Zacharias propheta iniquitatem su- *Zach.5.*
per talentum plumbi sedere describit, quia & reprobis in eodem iusto examine iuxta actus ipsorum restituet. *Psalm.61.*
Quia tu reddes (inquit) singulis secundum opera ipsorum. Sed distat vtrum quis aurum an plumbum ad exa-
men diuinum afferat. Qui enim instar auri bonis fulgent operibus, in candelabrum domini proficiunt, quia glo
riæ sui cõditoris participes existunt. At qui peccatis graues in districto examine apparent, demergũtur tanquam
plumbum in aqua validissima, quia merito scelerum in abyssum pœnæ grauantis decidunt. Vtrumque tamẽ, &
plumbum scilicet & aurũ, talenti habet mensuram, quia in damnando impios, & in saluando ac coronando ele-
ctos, iusta est nostri sententia conditoris. Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.
E Huius mysterium præcepti facilimè ex eis quæ superiùs exposita sunt, patet. Ostensum nanque est Moysi in mon
te exemplar candelabri quod faceret, quia in altitudine intimæ contemplationis didicit apertè multifaria Chri
sti & Ecclesiæ sacramenta, quæ tamen non apertè populo quem erudiebat, proferre volebat, sed typicè potiùs per
figuram & opus candelabri ac vasorum eius signabat, donec veniret ipse dominus ac redemptor noster in car-
ne, qui interiorem eiusdem figuræ sensum Ecclesiæ suæ, data sancti spiritus gratia, reseraret, vt & moriendo in
cruce velum templi discidit, atque ea quæ tecta fuerant arcana sanctorum patefecit, & post resurrectionem di-
scipulis apparens, aperuit illis sensum, vt & hæc & alia scripturarũ secreta spiritaliter reuelatis oculis mentis per-
spicere possent. Sed & omnis scriba doctus in regno cœlorum, cùm ea quæ in literis sanctis de fide catholica
vel pia actione didicerit, & ipse diligenter sequi, & alios docere præcipitur, quid aliud quàm inspicere & face-
re, secundum exemplar quod sibi in monte ostensum est, iubetur? Inspicit enim diligenter exemplar monstra-
tum, & secundum hoc ad inferiora rediens facit, quando ea quæ per sublimitatem diuini sermonis intus cre-
F denda siue agenda intelligit, sedulo corde scrutatur, horúmque semper exemplar auditoribus suis, & executio-
ne recti operis, & verbo doctrinæ salutaris ostendit. GREGORIVS IN PRIMVM LIBRVM RE- *Cap.10.*
GVM. Omnia (inquit dominus Moysi) fac, sicut ostensum tibi est in monte. Hæc profectò forma est electæ
obedientiæ, vt in omni quod foris agimus, ad potentiam conditoris vbique præsentem respiciamus. Sic nimi-
rum in subditione obedientiæ nostræ habere possumus, & rectitudinem operis, & incrementa deuotionis. Re-
cti quidem tunc sumus opere, quia pro eo quem non cernimus, nos in labore obedientiæ exercemus. Deuoti e-
tiam sumus, quia ei nos placere credimus, quem inspectorem nostrorum laborum attendimus, & largitorem
æternæ retributionis. BERNARDVS DE VITA SOLITARIA Quid respõsum est
Moysi cùm fabricaturus esset tabernaculum? Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar quod ostensum
est tibi in monte. Non à seculi hominibus decet fieri tabernaculum dei cum hominibus. Ipsi quibus in altitudi-
ne mentis ostenditur exemplar veri decoris domus dei, ipsi ædificent sibi. Ipsi quibus solicitudo interiorũ suo-

rum

rum contemptum & negligentiam indicit omnium exteriorum, ipsi ædificent sibi formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, & paternæ frugalitatis liniamenta. Nulla sic aptabit artificium industria, sicut eorum negligentia. Ergo obsecro in peregrinatione huius seculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, vtpote citò inde vocandi, & emigraturi in patriam & ciuitatem nostram, & in domum æternitatis nostræ. In castris quippe sumus, in alieno militamus, in alieno laboramus, facile est quicquid naturale est. Nunquid non facile est solitario, & sufficiens naturæ, & vtile conscientiæ, ipsi sibi cellam de virgis contexere, de luto plasmare, vndecunque operire & decentissimè inhabitare? & quid amplius est requirendum? Credite fratres, & vtinam experiri vobis non contingat, quia pulchritudines istæ & forenses honestates, citò virile propositum eneruant, & masculinum animum effœminant. Nam & si ipso sæpe vsu sopiuntur earum delectationes, etsi sint aliqui qui vtantur huiusmodi quasi non vtentes, tamen contemptu meliùs quàm vsu, extirpantur & vincuntur huiusmodi affectiones. Conferunt etiam nó modicùm interioribus nostris exteriora nostra ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito suo modo respondentia. Pauperior enim cultus in aliis frenat concupiscentiam, in aliis circa amorem paupertatis afficit conscientiam. Sed & intentum interioribus suis animum, magis decent inculta omnia, & neglecta exteriora quibus animus ipse dum sæpiùs alibi conuersari dignoscitur, sèque alibi magis occupatam intentio sancta denunciat, & efficaciter bonæ conscientiæ conciliat interiora, cui omnia exteriora viluisse renunciat. Obsecro ergo vt maneant cellæ illæ delicatiores sicut factæ sunt, sed non crescat numerus eorum. Sintque in valetudinaria fratribus, animalibus & infirmioribus, donec conualescant, hoc est, incipiant desiderare nó valetudinaria infirmiorum, sed tabernacula militãtium in castris dei. Maneant in exemplum posteris vestris, quia tales habuistis, & spreuistis. Vos autem qui spirituales estis, sicut Hebræi, id est, transeuntes, non habentes hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirentes, ædificate nobis sicut petistis, casulas in quibus habitetis. In casulis enim habitauerunt patres nostri, habitantes in terra repromissionis quasi in aliena, cum cohæredibus repromissionis expectantes ciuitatem habentem fundamenta, cuius artifex & conditor est deus, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes quia hospites sunt & peregrini super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere meliorem, hoc est cœlestem. THOMAS. Pro clariori autem intelligentia eorum quæ in toto vigesimoquinto Exodi capitulo scripta sunt, sciendum quòd eorum quæ in tabernaculo cõtinebantur, ratio reddi potest & literalis & figuralis. Literalis quidem, per relationem ad cultum dininum, & quia dictum est, quòd per tabernaculum interius quod dicebatur sancta sanctorũ, signabatur seculũ altius spiritualium substantiarum, ideo in illo tabernaculo tria continebantur, scilicet arca testamenti, in qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ in quibus erant scripta decem præcepta legis. Hæc autem arca sita erat inter duos Cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant, & super arcam erat quædam tabula aurea quæ dicebatur propitiatorium, super alas Cherubim, quasi ab ipsis Cherubim portaretur, ac si imaginaretur quòd illa tabula esset sedes dei, vnde & propitiatorium dicebatur, quasi exinde populo propitiaretur ad preces summi sacerdotis, & ideo quasi portabatur à Cherubim quasi deo obsequentibus, arca verò testamenti erat tanquam scabellum sedentis supra propitiatorium. Per hæc autem tria designãtur tria quæ sunt in illo altiori seculo, scilicet deus, qui super omnia est, & incomprehensibilis omni creaturæ, & propter hoc nulla similitudo eius ponebatur ad repræsentandam eius inuisibilitatem, sed ponebatur quędam figura sedis eius, quia scilicet creatura comprehensibilis est quæ est subiecta deo, sicut sedes sedenti. Sunt etiam in illo altiori seculo spirituales substantiæ quæ angeli dicuntur, & hi significantur per duos Cherubim mutuò se respicientes, ad designandum concordiam eorum adinuicem, secundum illud Iob vigesimoquinto, Qui facit cõcordiam in sublimibus. Et propter hoc etiam non fuit vnus tantùm cherub, vt designaretur multitudo cœlestiũ spirituum, & excluderetur cultus eorum ab his quibus priùs præceptum erat vt solũ vnum deum colerent. Sunt etiam in illo intelligibili seculo rationes omnium eorum quæ in hoc seculo perficiuntur quodammodo clausę, sicut rationes effectuum clauduntur in suis causis, & rationes artificiatorum in artifice, & hoc significabatur per arcam, in qua repręsentabantur per tria ibi contenta, tria quæ sunt potissima in rebus humanis, scilicet sapiẽtia, quæ repręsentabatur per tabulas testamenti: potestas regiminis, quæ repræsentabatur per virgam Aaron: vita quę repręsentabatur per manna, quod fuit sustentamentũ vitæ. Vel per hæc tria significabãtur tria dei attributa, scilicet sapientia in tabulis, potẽtia in virga, bonitas in manna, tum propter dulcedinẽ, tum quia ex dei misericordia est populo suo datum, & ideo in memoriã diuinæ misericordiæ conseruabatur, & hæc tria etiã figurata sunt in visione Esaiæ. Vidit enim dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim assistentes, & domum impleri à gloria dei, vnde & Seraphim dicebant, Plena est omnis terra gloria eius, & sic similitudines Seraphim non ponebantur ad cultum quod prohibebatur primo legis præcepto, sed in signum ministerij, vt dictũ est. In exteriori verò tabernaculo quod significabat præsens seculum, continebantur etiam tria, scilicet altare thymiamatis, quod directè erat contra arcam. Mensa autem propositionis super quam duodecim panes apponebantur, erat posita ex parte aquilonari, candelabrum verò ex parte australi. Quæ tria videntur respondere tribus quæ erant in arca clausa, sed magis manifestè eadem repręsentabant, oportet enim rationes rerum ad manifestiorem demonstrationem perduci, quàm sint in mente diuina & angelorum, ad hoc quòd homines sapientes eas cognoscere possint, quæ significantur per sacerdotes ingredientes tabernaculum. In cãdelabro igitur designabatur sicut in signo sensibili sapientia, quæ intelligibilibus verbis exprimebatur in tabulis. Per altare verò thymiamatis significabatur officium sacerdotum, quorum erat populum ad deum reducere, & hoc etiam significabatur per virgam, nam in illo altari incendebatur thymiama boni odoris, per quod significabatur sanctitas populi acceptabilis deo. Dicitur enim Apocalypsis septimo quòd per fumum aromatum significantur iustificationes sanctorum. Conuenienter autem sacerdotalis dignitas in arca significabatur per virgam. In exteriori verò tabernaculo per altare thymiamatis, quia sacerdos mediator est inter deum & populum, regens populum per potestatem diuinam, quam virga significat, & fructum sui regiminis, scilicet sanctitatem populi acceptam deo offerre

1.2.q.102. ar.4.ad.6.



offerre, quasi in altari thymiamatis. Per mensam autem signatur temporale nutrimentum vitæ, sicut & per manna, sed hoc est conuenientius & grossius nutrimentum, illud autem suauius & subtilius. Conuenienter autem candelabrũ ponebatur ex parte australi, mensa autem ex parte aquilonari, quia australis pars est dextera pars mũdi, aquilonaris autem sinistra, vt dicitur in secundo de cœlo & mundo: sapientia autem pertinet ad dextram, sicut & cætera spiritualia bona: temporale autem nutrimentum ad sinistram, secundum illud Prouerbiorum tertio, In sinistra illius diuitiæ & gloria. Potestas autem sacerdotalis media est inter temporalia & spiritualem sapientiam, quia per eam & spiritualis sapientia, & temporalis dispensantur. Potest autem & horum alia ratio assignari magis literalis. In arca enim continebantur tabulæ legis, ad tollendam legis obliuionem, vnde dicitur Exodi vegesimoquarto, Dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israël. virgo verò Aaron ponebatur ibi ad comprimendã dissensionem populi de sacerdotio Aaron. Vnde dicitur Numeri decimoseptimo, Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt reseruetur in signum rebellium filiorum Israël. Manna autem conseruabatur in arca ad commemorandum beneficium quod dominus præstitit filiis Israël in deserto. Vnde dicitur Exodi decimosexto, Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, vt norint panes quibus alui vos in solitudine. Candelabrum verò erat institutum ad honorificentiam tabernaculi, pertinet enim ad magnificentiã domus, quod sit bene luminosa. Habebat autem cãdelabrũ septem calamos (vt Iosephus dicit) ad significandũ septẽ planetas, quibus totus mundus illuminatur, & ideo ponebatur candelabrũ ex parte australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus. Altare verò thymiamatis erat institutum, vt iugiter in tabernaculo esset fumus boni odoris, tum propter veneratiõnẽ tabernaculi, tũ etiã in remediũ fœtoris quẽ oportebat accidere ex effusione sanguinis ex occisione animaliũ. Ea enim quę sunt fœtida, despiciũtur quasi vilia: quæ verò sunt boni odoris, homines magis appretiãtur. Mensa autẽ apponebatur ad significandũ quod sacerdotes templo seruientes, in templo victũ habere debebant. Vnde duodecim panes suppositos mensæ in memoriam duodecim tribuũ, solis sacerdotibus edere licitum erat, vt habetur Matthæi duodecimo. Mensa autẽ non ponebatur directè in medio ante propitiatoriũ ad excludendũ ritum idolatriæ, nam gentiles in sacris Lunæ proponebãt mẽsam coram idolo Lunæ, vnde dicitur Hieremiæ septimo, Mulieres cõspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli. In atrio verò extra tabernaculum cõtinebatur altare holocaustorũ, in quo offerebantur, deo sacrificia de his quæ erant à populo possessa, & ideo in atrio poterat esse populus, qui huiusmodi deo offerebat per manus sacerdotũ, scilicet ad interius altare in quo ipsa deuotio & sanctitas populi offerebatur, non poterant accedere nisi sacerdotes, quorũ erat deo offerre populũ. Est autẽ hoc altare extra tabernaculũ in atrio cõstitutum, ad remouendũ cultũ idolatriæ, nam gentiles infra tẽpla altaria cõstituebant ad immolandũ idolis. Figuralis verò ratio omniũ horũ assignari potest ex relatione tabernaculi ad Christũ qui figurabatur. Est autẽ considerandum quòd ad designandã imperfectionẽ legaliũ figurarum, diuersæ figurę fuerunt institutę in templo ad significãdum Christũ. Ipse enim significabatur per propitiatoriũ, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris, vt dicitur prima Ioannis secundo. Et cõuenienter hoc propitiatoriũ à Cherubim portatur, quia de eo scriptum est, Adorent eum omnes angeli dei, vt habetur Hebręorũ primo. Ipse etiã significatur per arcam, quia sicut arca erat cõstructa de lignis Sethim, ita corpus Christi de membris purissimis cõstabat. Erat autẽ deaurata, quia Christus fuit plenus sapientia & charitate, quæ per aurum significatur. Intra arcam autẽ erat vrna aurea, id est, sancta anima habens manna, id est, omnẽ plenitudinem sanctitatis & diuinitatis: erat etiã in arca virga, id est, potestas sacerdotalis, quia ipse est factus sacerdos in æternum. Erant etiam ibi tabulæ testamenti, ad designandum quòd ipse Christus est legisdator. Ipse etiam Christus significatur per candelabrum, quia ipse dicit, Ego sum lux mundi. Per septem lucernas, septem dona spiritus sancti. Ipse etiam significatur per mensam, quia ipse est spiritualis cibus, secundum illud Ioannis sexto, Ego sum panis viuus. Duodecim enim panes significabant duodecim Apostolos, vel doctrinam eorum. Siue per candelabrum & mensam potest significari doctrina & fides Ecclesiæ, quæ etiam illuminat & spiritualiter reficit. Ipse etiam Christus significatur per duplex altare, scilicet holocaustorum & thymiamatis, quia per ipsum oportet nos deo offerre omnia virtutum opera, siue illa quibus carnem affligimus, quæ offeruntur quasi in altari holocaustorum, siue illa quæ maiore mentis perfectione per spiritualia perfectorum desideria deo offeruntur in Christo, quasi in altare thymiamatis, secundum illud ad Hebræos vltimo, Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper deo.

## IN CAPVT EXODI VIGESIMVMSEXTVM, ARGVMENTVM.

*Forma tabernaculi. Velum. Situs arcæ, propitiatorij, mensæ, & candelabri. Tentorium.*

## CAPVT XXVI.

*TAbernaculum uerò ita facies, Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, uariatas opere plumario facies. Longitudo cortinæ unius habebit uiginti octo cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius mensuræ fient uniuersa tentoria. Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint inuicem copulari. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam ueniat, & altera alteri possit aptari. Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum uela iungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat.* Lectio.1.

BEDA

*Lectio.1. L.2. Cap.1.* BEDA DE TABERNACVLO. Tabernaculũ quod fecit domino Moyſes in ſolitudine, ſicut & templum quod fecit Salomon in Hieruſalem, ſtatum ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ deſignat, quæ partim iam cum domino regnat in cœlis, partim in præſenti adhuc vita decedentibus ac ſuccedentibus ſibi membris ſuis, peregrinatur à domino. Et quidem in vtriuſque conſtructione domus, hæc principalis ſolet eſſe diſtantia figurarum, quòd tabernaculum præſentis ædificium Eccleſiæ quo quotidie in laboribus exercetur, templum futuræ requiem deſignat, quæ quotidiana animarum hinc poſt labores exeuntium receptione perficitur. Quia nimirum tabernaculum Moyſes cum populo dei in via adhuc poſitus, qua ad terram repromiſſionis pergebat, condidit: Salomon autem templum, ipſa iam in terra repromiſſionis, & regno in ea potitus conſtruxit. Moyſes tabernaculum in ſolitudine, Salomon templum in Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis, quoniam hîc quidem Eccleſia in labore & ærumna vitæ labentis, in ſiti & eſurie regni perennis ædificatur, *3.Reg.6.* illic autem in viſione ac perceptione veræ pacis conſummatur. Vnde bene in templi conſtructione dictum eſt, quòd malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita in eo cum ædificaretur, præparatis extra Hieruſalem cunctis lapidibus ac lignis, atque in poſitionem ordinis ſui decenter aptata eſſe, quæ ibi facilimè atque indubitanter ſuo quæque loco reddita, aut cemento necterentur, aut clauis, quia videlicet in pace ſupernæ beatitudinis non eſt tribulationibus noſtra examinanda fides, aut vita probanda, ſed quæ in præſenti iam ſeculo caſtigata, & cœleſtibus erat ſedibus regulariter aptata, ibi glutine & vinculis mutuæ charitatis, ne perpetuò diſſolui queat, in conſpectu etiam ſui conditoris ac regis ad inuicem copulanda. Nam cùm in hac vita multitudinis credentium fiat cor & anima vna, & ſint illis omnia communia, quid niſi lapides viui in ædificium futuræ domus domini quadrantur, qui hinc inde tranſlati, abſque vllius labore tarditatis, ſuis quique ordinibus inſerantur, & ſibimet alterutrum copula diuinæ ſimul & propriæ dilectionis iungantur? Item figura vtriuſque ſanctuarij poteſt ita generaliter diſtingui. Opus tabernaculi, tempus ſynagogæ, hoc eſt, antiquæ dei plebis: opus verò templi, Eccleſiam, id eſt, illam electorum multitudinem, quæ poſt incarnationem dominicam ad fidem venit, ſignificet, quoniam videlicet tabernaculum Moyſes cum ſola Hebræoruum plebe conſummauit: Templum verò Salomon collecta proſelytorum multitudine perfecit, adiuuante etiam Tyrio Rege cum artificibus ſuis, qui neque natura Iudæi, neque profeſsione fuerunt. Conſtat quia priori dei populo non niſi ex ipſa eorum gente præfuerunt: at verò Eccleſiæ rectores primi quidem fuere de Hebræis, verùm mox creſcente ea ac dilatata per orbem, etiam de gentibus ſtructores ſunt eius exorti, adeò vt ipſe quoque Euangeliſta Lucas & Timotheus ac Titus viri Apoſtolici, deuotione gentium ad præſulatum eius peruenerint. Verùm ſi diligentiùs ſingula inſpiciamus, vtriuſque domus ædificatio, totius Eccleſiæ præſentis ſtatum myſticè deſcribit, quæ ab initio mundanæ conditionis vſque ad vltimum qui in fine ſeculi naſciturus eſt electum, ſemper ædificari non deſinit: & futuræ quoque gloriam vitæ, qua nunc ex parte fruitur, ſed poſt huius terminum ſeculi, in omnibus ſuis membris in æternum fruitura eſt, mirabili figurarum varietate depingit. Vnde nos aliqua de tabernaculo, domino opitulante dicturi, primùm ipſum inuocantes, humili etiam prece depoſcimus, reuelari oculos cordis noſtri, vt conſiderare queamus mirabilia de lege eius, & in precioſorum decore metallorum ac veſtimentorum intelligamus ornatum nobis morum, fide ac deuotione fulgentium, eſſe commendatum. Neque enim nobis aliter ſermo ille Apoſtolicus poteſt conuenire, quo ait, *2.Cor.6. Leuit.26. Apoc.21.* Vos enim eſtis templum dei viui, ſicut dicit deus, quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo. Et quod Ioannes audiuit vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Quem ornatum tabernaculi ſiue templi materialem, religioſè mundi cordis & corporis cultu imitemur. Sed antequàm de ſpiritali ſenſu diſſeramus, primò de materiali textu literæ pauliſper videamus. Erat tabernaculum domus domino conſecrata, habens longitudinis cubitos triginta, latitudinis decem, altitudinis æquè decem, tectum habens æquale per totum, quomodo in Aegypto & Paleſtina domos moris eſt ædificandi. Cuius quidem parietes tres, auſtralis, ſeptentrionalis, & occidentalis de tabulis ſunt compacti ligneis, ab vtroque latere deauratis. Porrò pro orientali parte vnus vectis erat, vnde introitus fuit, qui per medias tabulas ab angulo vſque ad angulum peruenire, id eſt, à ſummitate vltima huius parietis, vſque ad parietis alterius ſummitatem. Cui cortinæ tabernaculi & tectum incubuere, vbi & tentorium erat quinque columnis ſuſpenſum. Tegebatur autem domus & deſuper & vndique cortinis mira varietate contextis, quæ propriè tabernaculum vocabatur. Tegebatur & hoc vndique ſagis cilicinis, vſque ad terram pertingentibus. Sed & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis. Factum eſt & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus. Erat etiam & velum opere plumario variatum, columnis quatuor appenſum, quo ſanctuarium & ſanctuarij ſanctuaria diuidebantur, intra quæ poſita erat arca teſtamenti, & contra arcam extra velum altare thymiamatis. Item in medio ipſius ſanctuarij candelabrum in parte auſtrali, Menſa verò ſtabat in ſeptentrionali. Altare holocauſti foris ante ingreſſum ſanctuarij. Labrum æneum inter hoc altare & tabernaculum. Et circa omnia atrium tabernaculi longitudinis habens cubitos centum, Latitudinis quinquaginta. His ergo dilucidandi gratia breuiter prælibatis, videamus ipſa verba hiſtoriæ, quò per hæc altiùs atque apertiùs ad ſenſum allegoriæ peruenire queamus. Cùm Moyſi dominus in monte Sinai ſecum quadraginta diebus ac noctibus, conſtituto, legis cærimonias & ritum viuendi traderet, ait inter alia. *Tabernaculum verò ita facies.* THOMAS. *1.2.q.102. ar.4. 2 cor. & ad.1.* Totus exterior cultus dei ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines deum in reuerentia habeant. Habet autem hoc humanus affectus, vt ea quæ communia ſunt & non diſtincta ab aliis, minus reuereatur: ea verò quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem ab aliis, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum conſuetudo inoleuit, vt reges & principes quos oportet in reuerentia haberi à ſubditis, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes poſsideant. Et propter hoc oportuit vt aliqua ſpecialia tempora, & ſpeciale tabernaculum, & ſpecialia



A & ſpecialia vaſa, & ſpeciales miniſtri ad cultum dei ordinarentur, vt per hoc animi hominum ad maiorem dei reuerentiam adducerentur. Sciendum autem, quòd cultus dei duo reſpicit, ſcilicet deum qui colitur, & homines colentes. Ipſe igitur deus qui colitur nullo corporali loco clauditur, Vnde propter ipſum non oportuit ſpeciale tabernaculum fieri aut templum. Sed homines ipſum colentes corporales ſunt, & propter eos oportuit ſpeciale tabernaculum vel templum inſtitui ad cultum dei propter duo. Primò quidem, vt ad huiuſmodi locum conuenientes, cum hac cogitatione quod deputaretur ad colendum deum, cum maiori reuerentia accederent. Secundò, vt per diſpoſitionem talis templi vel tabernaculi, ſignificarentur aliqua pertinentia ad excellentiam diuinitatis vel humanitatis Chriſti. Et hoc eſt quod Salomon dicit tertio Regum octauo, Si cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui tibi: & poſteà ſubdit, Sint oculi tui aperti ſuper domum hanc de qua dixiſti, Erit nomen meum ibi, vt exaudias deprecatio-
B nem ſerui tui, & populi tui Iſraël. Ex quo patet quòd domus ſanctuarij non eſt inſtituta ad hoc quòd deum capiat, quaſi localiter inhabitantem. Sed ad hoc, quòd nomen dei inhabitet ibi, id eſt, vt notitia dei ibi manifeſtetur per aliqua quæ ibi fiebant vel dicebantur, & quòd propter reuerentiam loci orationes fierent ibi magis exaudibiles ex deuotione orantium. CAIETANVS. Aduerte prudens lector duo. Alterum, quòd Moyſes tranſit ad opus tabernaculi omiſſo altari thymiamatis (quod medium fuit inter candelabrum & menſam propoſitionis) non ex obliuione, ſed ex induſtria, vt intelligamus ex hoc ſilentio hîc, quòd multa tacet hîc, quæ ei dicta & monſtrata ſunt in monte. Alterum, quòd deus appellat tabernaculum, opificium conſtans ex decem ſubiunctis cortinis lineis. Et meritò ſibi nomen tabernaculi vendicauit, quia reliqua erant opertoria tabernaculi, vel erant latera tantùm tabernaculi: Structura enim tabularum tria tantùm latera conſtituebat, nullum enim tectum tabulatum erat. Ita quòd exactè inſpiciendo textum & contextum,
C apparet, quòd tabernaculum conſtituitur ſubſtantialiter ex ſubiunctis decem cortinis. Coaſſatio autem tabularum per tria latera, erat ad ſuſtinendum tabernaculum: Cortinæ verò ex filis caprarum, erant ad operiendum tabernaculum. Vnde & in Hebræo non habetur aduerbium ita, ſed & tabernaculum facies. AVCTOR CATENAE. Cùm Iſraëlitis in deſerto quadraginta annis errandum, & locus ſubinde mutandus eſſet, non fuit eis integrum, vt in deſerto domum fixam & immobilem pro templo, aut loco ſacrorum ædificarent. Quare præcepit eis dominus per Moyſen vt conſtruerent tabernaculum, quod de loco in locum transferri poſſet, quo etiam pro templo non in deſerto tantùm, verùm etiam in terra Chanaan tantiſper vſi ſunt, dum Salomon ſuum illud memorabile templum ædificaret. Itaque cùm dixiſſet, Tabernaculum verò ita facies, ſtatim appoſitiuè ſubiungit. *Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho ac purpura, coccóque bis tincto variatas opere plumario facies.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXO- *Queſt.173.*
D DVM. Quoniam liber qui Exodus dicitur, in conſtitutione tabernaculi ſumit terminum, de quo tabernaculo etiam per ſuperiora eiuſdem libri multa dicta fuerant, quæ faciebant difficultatem intelligendi, ſicut ſolet omnis τπογραφία, id eſt, loci alicuius deſcriptio in omni hiſtoria facere, viſum eſt mihi de toto ipſo tabernaculo ſeparatim dicere, quo intelligatur, ſi fieri poteſt, quale illud & quid fuerit, interim proprietate narrationis inſpecta, & in aliud tempus dilata figurata ſignificatione: neque enim ibi aliquid fuiſſe putandum eſt, quod iubente deo conſtitueretur ſine alicuius magnæ rei ſacramento, cuius cognitio fidem formámque pietatis ædificet. Iubet ergo deus Moyſi facere tabernaculum decem aulæorum de hyacintho & purpura & cocco torto, & byſſo torta Cherubim opere textoris, αὐλαίας quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgò vocant. Non ergo decem atria fieri iuſsit, ſicut quidam negligentes interpretati ſunt, non enim aulas, ſed aulæas dixit. Opere ergo textils Cherubim iuſsit in aulæis fieri. RVPERTVS. Porrò cortinæ aulæa ſunt, id eſt, vela: dictæ autem cortinæ, eo quòd primitus de corio fiebant. De byſſo (inquit) retorta, &c. Byſſus quoddam genus eſt lini candidiſsimi. Hyacinthus autem aërini coloris eſt, Purpura marini, coccus ignei. Variatas autem (ait) opere plumario, id eſt, in modum plumæ, acu depicto.
E HVGO DE SANCTO VICTORE. Opere plumario. Pluma eſt acus, per quam facto iam panno inferuntur filia aurea aut argentea vt fiat auriphrygium, aut diuerſæ figuræ in ipſo panno. CAIETANVS. Decem cortinas lini torti, ita incœpit, vt clarè intelligeremus, corpus tabernaculi eſſe iſtas decem cortinas lineas & ſericeas. Et hyacinthi, ac purpuræ, coccíque bis tincti. Iam dictum eſt quòd ſupereſt, biſtincti. Variatas. Iuxta Hebræum habetur, Cherubim. Deinde ſequitur, Opere plumario facies eas. Clariùs dictum fuiſſet, opere polymitario, non enim ſignificatur quòd fierent cortinæ ſuendo, ſed texendo, ita quòd fila lini retorti cum filis ſericeis, purpureis, hyacinthinis & cocceis, conſtituebant materiam cortinarum. Et tale texturæ opus à multiplici varietate filiorum, polymitarium Græcè appellatur, Hebraicè autem ponitur hîc quædam dictio, ſignificans artificem ingenij, eo quòd ingenio oportet pollere, qui varietatem filorum texendo, pictor ſit, ad huiuſmodi enim picturam ſignificandam dicitur Cherubim. Formas enim Cherubinorum texendo fieri præcipitur. Nec intelligas Cherubinos duntaxat textos, ſed adiun-
F ctis floribus & aliis conſonis. Deſcripta itaque eſt cortinarum, tum materia, in filis variis, tum forma, artis polymitariæ, tum ſpecies Cherubinorum. AVCTOR CATENAE. Decem cortinas. Sciendum iuxta Hebraicam veritatem iſtas duas dictiones עֶשֶׂר יְרִיעֹת Hêſer ierihoth, iungi ſuperioribus verbis principij capituli, vt dicat, Tabernaculum verò facies ex decem cortinis. In cuius ſignum, poſt duas has dictiones eſt punctus Athnach ʌ, id eſt, coma, quod non principium nouę, ſed finem eſſe ſuperioris clauſulæ indicat. Simul & id nobis clarè manifeſtat, tabernaculum propriè nil aliud quàm has decem cortinas fuiſſe. De byſſo autem retorta, hyacintho, purpura, coccóque bis tincto, vide in ſuperiori capitulo. Variatas opere plumario facies. Hebraica litera eſt, כְּרֻבִים מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב תַּעֲשֶׂה אֹתָם Cherubim mahaſe choſeb tahaſe otham. Sciendum autem ſecundum viros doctos Hebræos, dictionem Cherub, genus eſſe, & vniuerſale nomen ad omnem figuram, niſi quòd ea quæ ſunt in lege, humanam habebant effigiem, quo pacto modò depingun-

 tur, quæ

tur, quæ verò sunt in Ezechiele, animalium ibi descriptorum habebant figuram, חָשַׁב Chasab autem, cogitare significat, à quo חֹשֶׁב Choseb participium descendit, cogitans, siue cogitabat. Et dicunt significare etiam opus polymitarium vel plumarium, eo quòd multa cogitatione & industria fiat. Sic igitur vertitur locus iste, Cherubim opere artificis peritissimi facies eas, id est, eas cortinas, siue ea aulæa sparges imaginibus alatis, vsus opera artificis peritissimi. Sic etiam intelligit Chaldaica, habens, Figuras Cherubim facies, opere artificis facies eas. Alij etiam, Cherubim opere phrygionico facies eas. Sunt autem Phrygiones, qui vel acu, vel textura varias figuras & picturas in aulæa & tapetia introducunt, sicut modò faciunt Turcæ. Vertunt alij, Atque picturas opere artificis facies in eis. Hique non speciatim Cherubim, sed quascunque alias figuras intelligunt in cortinis cælandas, sicut & Interpres noster. Et in eundem sensum alij, Picturásque phrygias facies opere polymitario. Aliqui legunt, Cum figuris Cherubim phrygionatæ, opere cogitantis facies eos, id est, opere phrygionis, siue acu pictoris, qui vernacula lingua dicitur, *Reçamator*, sic appellatus, quòd multa indigeat cogitatione in arte sua. Sed hi à priori expositione non deuiant. Septuaginta χερουβὶμ ἐργασίᾳ ὑφάντου ποιήσεις αὐτάς, Cherubim opere textoris facies eas. Per hyacinthum autem intellige pannum tinctum colore hyacinthino, & per coccum bis tinctum, pannum cocco tinctum, vel sericum coccineum. Describuntur ergo cortinæ faciendæ, nempe decem numero, ex filata, retorta, vel duplicata byssо, hoc est, forti, durabili, non ruptili, & tamen subtili, & elegantissimo opere, texturáque ex materia alba, rubea, crocea, & coccinea, quatuor elegantissimis coloribus distincto, cum figuris Cherubinorum, siue alarum, florum, & ramorum, ingenioso opere picturato, subtili, ac decoro artificio. *Longitudo cortinæ vnius habebit vigintiocto cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria.* CAIETANVS. Dicendum fuisset, omnes cortinæ. Et intellige de cubito humano vniuersa scripta in hoc opificio. AVCTOR CATENAE. Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria. Cortinas, Chaldaica, ἀυλαίας Septuaginta, יְרִיעֹת Ierihoth Hebræi legunt, quæ omnia idem significant: ideo autem fortè Interpres tentoria appellauit, quia ad modum tentorij cortinæ tendebantur. INTERLINEARIS. In erectione autem tabernaculi vt vnum operimentum fiat, *Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.* AVGVSTINVS. Cohærere inuicem aulæa, & coniungi inter se, quinque hinc & quinque inde mandat, vt spacium quod eis cingeretur, hoc esset tabernaculi spacium. CAIETANVS. Iuxta Hebræum plus exprimitur, Quinque cortinæ erunt coniungentes, mulier ad sororem suam: & quinque cortinæ coniungentes, mulier ad sororem suam. Significantur duo. Tum quòd segregentur quinque & quinque, & hoc vt cùm mouerentur, nec singulæ seorsum dissoluerentur, nec omnes simul iunctæ inuoluerentur, sed quinæ & quinæ, hoc enim commodum erat. Tum quòd tanquam sorores iungantur pares collateraliter, & non confuantur simul. AVCTOR CATENAE. Quod bis in Hebræo repetitur אִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ Issa el achotha, id est, mulier ad sororem suam, & Septuaginta, Bis quinque cortinæ erunt mutuò coniunctæ, altera & altera, dicunt. Chaldaica etiam bis repetit, Quinque cortinæ erunt coniunctæ vna cum alia, scitè admodum Interpres noster transtulit, Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt. AVGVSTINVS. Quomodo autem inter se connecterentur eadem quina aulæa, ita præcepit. *Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, vt possint inuicem copulari. Quinquagenas ansulas cortina habebit in vtraque parte, ita inserias, vt ansa contra ansam veniat, & altera alteri posit apari.* Id est, facies ansas ora summa aulæi vnius ex vna parte in commissuram, & sic facies summam ad commissuram secundam, id est, vbi committitur aulæum aulæo, tertium scilicet secundo, quod secundum iam cum primo commissum est, id est, coniunctum atque connexum, faciem contra faciem consistentia ex aduerso singula, quoniam inter se iussit ea coniungi, vt ex aduerso constituerentur. Vtrum autem quadrum spatium his concluderetur, an rotundum, nondum apparet, sed apparebit cùm de columnis cœperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo amplius quàm de trium connexione dicere voluit, quæ fit in duabus commissuris, secundi ad primum, & tertij ad secundum, vt ex hac veluti regula cætera iungerentur. CAIETANVS. Non facile est proprium inuenire vocabulum istarum ansularum, quas Hebræi fenestellas interpretantur, non enim erant superadditi aliqui laqueoli cortinis, sed in ipso corpore cortinæ erant concisiones quinquaginta, texendo constructæ ex filis hyacinthinis in extremitate longitudinis, eo modo quo vtimur in extremitate diploidis in pectore. Cùm hac tamen disparitate, quòd extremitatum diploidis, est masculina, altera fœminina: extremitates autem cortinarum quæ coniungendæ erant, ambæ fœmineæ erant, & erant tanquam sorores, habentes singulæ, quinquaginta concisiones fœmineas. Ita quòd quælibet concisio vnius extremitatis, respondebat compari in extremitate alterius cortinæ, ita vt concisio concisioni responderet, vt mulier sorori suæ. Iuxta Hebræum itaque habetur, Et facies fenestellas hyacinthi super oram cortinæ vnius ab extremitate in coniunctione, & sic facies in ora cortinæ extremæ, in coniunctione secundæ. Quinquaginta fenestellas facies in cortina vna, & quinquaginta fenestellas facies in extremitate cortinæ quæ in coniunctione secundæ è regione fenestellæ, mulier sorori suæ. Et horum quidem sensus iam expositus est, sed per hæc non apparet integer modus coniunctionis cortinarum, deest enim vinculum, quo istæ concisiones vinctæ essent. Et hoc est quod mox subiunget. AVCTOR CATENAE. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies, &c. Quanquam Hebraica hîc aliter se habeant, sensus tamen est integer. Sunt igitur illa sicut & in Chaldaica, Faciésque ansulas ex hyacintho super ora cortinæ vnius in latere quo iungenda est, & similiter facies in ora secundæ cortinæ in loco quo iungenda est. Quinquaginta ansulas facies in cortina vna, & quinquaginta ansulas facies in latere cortinæ secũdæ in loco quo iungẽda est, respiciẽtibus se mutuò ansulis, ita vt ansula sit è regione alterius. In eundẽ sensum & Septuaginta, καὶ ποιήσεις ἀγκύλας ὑακινθίνας ἐπὶ τὸ χείλους τῆς αὐλαίας τῆς μιᾶς, ἐκ τοῦ ἐνὸς μέρους εἰς τὸ συμβολήν. καὶ οὕτω ποιήσεις ἐπὶ τὸ χείλους τῆς αὐλαίας τῆς ἑξωτέρας πρὸς τῇ συμβολῇ τῇ δευτέρᾳ. πεντήκοντα δὲ ἀγκύλας ποιήσεις τῇ αὐλαίᾳ τῇ μιᾷ, καὶ πεντήκοντα ἀγκύλας ποιήσεις ἐκ τοῦ μέρους τῆς αὐλαίας τῆς τοῦ συμβολῆμ τῆς δευτέρας, ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι εἰς ἄλληλας ἑκάστη. Et facies

*Vbi suprà.*

*Ibidem.*



A Et facies ansulas hyacinthinas in labio cortinæ vnius, ex vna parte ad copulationem, & sic facies in labio cortinæ exterioris ad copulationem secundam. Quinquaginta autem ansulas facies cortinæ vni, & quinquaginta ansulas facies ex parte cortinæ iuxta copulationem secundæ, contrariæ contracadentes ad inuicem vnicuique. Vertunt alij, Facies quoque laqueos hyacinthinos in ora cortinæ vnius, quæ est in extremitate coniunctionis, & similiter facies in ora cortinæ extremæ, quæ secundo loco est coniungenda. Quinquaginta laqueolos facies in extremitate cortinæ quæ secundo loco est coniungenda, vt scilicet laqueoli illi mutuò sese excipiant. Alij, Et facies laqueolos hyacinthinos in ora cortinæ vnius ab extremo in coniunctione, & sic facies in ora cortinæ extremæ in coniunctione secundæ. Quinquaginta laqueolos facies in cortina vna, & quinquaginta laqueolos facies in extremo cortinæ, quæ est in coniunctione secundæ. Demum nonnulli, Facies quoque ansulas hyacinthinas in oris vniuscuiusque aulæi, vt extremis suis alterum alteri consocietur. Vni-
B cuique scilicet aulæo facies quinquaginta ansulas in oris, vt extremis suis alterum alteri consocietur, excipientibus sese mutuò ansulis. Quæ omnia idem in sensu dicunt cum litera nostra. Nec desunt qui, quod nos dicimus ansulas, & Hebraicè לְלָאֹת Luloth scriptum est, fenestellas exponant, quanquam idem sit. Nam quibus cortinæ cortina adiungebatur, ansulas rectè appellauit Interpres noster. Non minus quoque rectè Septuaginta, qui eas interpretati sunt ἀγκύλας, hoc est, ansulas siue vncinos. Decem igitur cortinarum quinque coniungebantur mutuùm per ansulas hyacinthinas ad margines longitudinis vtrinque. Nempe affigendo quinquaginta ansulas singulis cortinis vtrinque secundum longitudinem, quibus combinari possent, vt ex omnibus tandem componeretur & connecteretur vnum velum, totum vndique operiens tabernaculum ex tribus lateribus, australi, boreali, & occidentali. AVGVSTINVS. Ansas ergo præcepit fieri (vt arbitror) primo aulæo quinquaginta ex vna parte, qua illi fuerat committendum secundum, & ansas quinquaginta tertio aulæo ex ea parte qua secundo coniungebatur: ipsum autem secundum, id est, inter vtrasque ansas
C quinquagenas medium, circulos habere voluit quinquaginta aureos, vtique ex vna parte per quos coniungeretur quinquaginta ansis aulæi primi, ac per hoc consequens erat vt ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos coniungeretur ansis aulæi tertij. Quod breuiter scriptura ita dixit. *Facies & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum tabernaculum fiat.* Circuli ergo quinquaginta aurei secundi aulæi, inserebantur quinquaginta ansis tertij aulæi, & deinceps ita cætera connectebantur, vt quinque complecterentur, atque ex alia parte similiter quinque. CAIETANVS. Dictio interpretata circulos, & ab aliquibus vncinos, nullam certam figuram sonat, nisi auri figuræ flexæ. Consentaneum est autem rationi, quòd esset figuræ vncini vtrinque, vt simili officio vtriusque cortinæ concisiones vinciret. Quinquaginta autem huiusmodi vncinos intellige per singulas coniunctiones, ita quòd in qualibet coniunctione duarum cortinarum opus erat quinquaginta vncinis. Vnde & iuxta Hebræum dicitur, & coniunges cortinas, mulier ad sororem suam in vncinis, & erit tabernaculum vnum. Clarè enim de cortinis singulis loquitur, quas dixe-
D rat mulierem ad sororem suam, & ex his omnibus clarè dicit construi tabernaculum vnum, vt apertè intelligamus manifestatum quod suprà diximus, tabernaculi corpus componi ex his decem cortinis, sic dispositis, quòd cuiuslibet cortinæ longitudo extensa fuit ad construendum tres partes tabernaculi, tectum videlicet, & latus dextrum, & latus sinistrum. Et hoc intellige vsque ad septimam cortinam & dimidium octauæ. Nam triginta tantùm cubitorum erat longitudo tabernaculi, quæ replebatur sic extensis septem cortinis cum medietate octauæ, quoniam cuiuslibet cortinæ latitudo erat quatuor cubitorum. Ex dimidio autem octauæ cortinæ, & duabus aliis cortinis construebatur postrema pars tabernaculi pendendo à tecto vsque ad terram, decem enim cubitorum erat altitudo tabernaculi carentis parte anteriori. Hæc erat dispositio tabernaculi carentis parte anteriore, nihil enim cortinarum in ea parte pendebat. Et vt facilè ex his patet, non per modum testudinis, sed per modum superficiei rectæ, tectum erat tabernaculi. Et non tangebant terram cortinæ hinc
& inde, sed vno cubito ad minus distabant à terra, quoniam non triginta, sed vigintiocto cubitorum erat
E longitudo cuiusque cortinæ, & ad tegendum terram hinc inde opus erat triginta saltem cubitis, decem (vt aiunt) pro tecto, & decem hinc, & decem inde. Patet etiam & pulchra species tabernaculi, tum in tecto, tum in lateribus ex ornatu aureo tam frequenti in tot coniunctionibus cortinarum. AVCTOR CATENAE. Facies & quinquaginta circulos aureos. Quòd nos circulos habemus, Hebraicè dicitur קְרָסַי Karse, id est, circulos, vel vncinos, seu fibulas, quarum caput est curuum, & solùm hæc dictio inuenitur in numero plurali. Tam Septuaginta autem, quàm Chaldaica, Fibulas habent. Sequitur, Quibus cortinarum vela iungenda sunt. Paulò diuersius est in Hebræo, sed sensus non discrepat וְחִבַּרְתָּ אֶת חֲמִשַּׁת יְרִיעֹת אִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ בַּקְּרָסִים Vechibbarta eth hairihoth issa el achotha bakeraſim, Et coniunges cortinam mulierem ad sororem suam circulis, seu fibulis. Hebraismus est, quem & Septuaginta & Chaldaica reddiderunt. Habent enim illi, καὶ συνάψεις τὰς αὐλαίας ἑτέραν τῇ ἑτέρᾳ τοῖς κρίκοις, Et coniunges cortinas alteram alteri fibulis. Ista verò,
F Et coniunges vnamquanque cortinam cum altera fibulis, & erit tabernaculum vnum, Vertunt alij, Et coniunges cortinam vnam cum altera per vncinos. Alij, Et coniunges cortinas alteram ad alteram cum vncinis. Nonnulli, Et consocia fibulis illis aulæum cum aulæo. Sed hæc omnia vnum sunt. Nempe ansulæ singulæ singulis totidem ad hoc fabrefactis fibulis iungebantur aureis, ad decorem eximium, quod aspicientes oblectare posset. Ex omnibus igitur decem tapetiis, aulæis vel cortinis, quæ pro eodem accipimus, conficiebatur velamen ingens, connexione decem cortinarum per ansulas pulchras, cuius velaminis longitudo erat quadraginta cubitorum, secundum longitudinem tabernaculi, & altitudinem occidentalis parietis, vsque ad bases pertingere potens à fronte introitus. Latitudo autem huius amplæ cortinæ connexæ ex decem habebat vigintiocto cubitos pro tegendis duobus lateribus, & supernè latitudinem tabernaculi. Et hæc ingens cortina dicitur proprio quasi nomine hîc & alibi frequenter Miscan, id est, habitaculum, quo nomine etiam totum tabernaculum sancti & sancti sanctorum pariter nuncupatur. Hoc autem admonitum velimus lectorem ne alicubi hæreat. Et tantùm de Miscan gloriosa illa cortina ex decem concinnata.

*Mystice.* AVGVSTINVS. Mystice autem, Decem aulæorum iubet deus fieri tabernaculum, cùm sit decalogus le-G
*Quæst.107.* gis. Aulæa verò significant latitudinem, propter facilitatem. Charitas quippe plenitudo legis est, & non nisi cha-
*Rom.13.* ritati sunt præcepta facilia, vnde ipsa dilatatio commendatur cùm dicitur, Dilatasti gressus meos subtus me, &
*Psal.17.* non sunt infirmata vestigia mea. Sed quoniam ista dilatatio per gratiam fit dei, Charitas enim dei diffusa est
*Rom.5.* in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis, ideo hîc mystice ipse nu-
merus etiam commendatur, qui pertinet etiam ad spiritum sanctum, per quem lex posit impleri. Dicitur enim
aulæum longitudinem debere habere in cubitis vigintiocto. Iste autem numerus, quia per septenarium diuiden-
dus est, significauit cùm dicit latitudinem aulæi in cubitis quatuor, quater enim septem fiũt vigintiocto. Et est
etiam iste numerus perfectus, quia sicut senarius suis partibus constat. Quod verò tam sæpe dicit, Cherubim fa-
cies ea opere textoris, quid aliud quàm in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur
*Cap.2.* Cherubim? BEDA. Aliter tabernaculum domini fit ex decem cortinis diuersa colorũ specie variatis, quia H
sancta vniuersalis Ecclesia in qua deus habitat, ex multis electorum personis, ex multis per orbem Ecclesiis, ex
variis virtutum floribus ædificatur. Cuius omnis perfectio in denario numero continetur, quia quaque versum
Ecclesia per mundum in diuersis gentibus, & tribubus, & populis, & linguis diffusa est, tota in sola dei & proxi-
mi dilectione, quæ decalogo legis est comprehensa, subsistit. Neque aliter quisquam potest veraciter ad Ecclesiæ
membra pertingere, nisi integro corde, & eum per quem ædificatur, & eos in quibus ædificatur Ecclesia, hoc est,
deum & electos eius amare didicerit. Varius autem colorum decor quo eædem sunt cortinæ distinctæ, varia-
rum est gratia virtutum, quibus sancta Ecclesia mirabili ac prorsus cœlesti arte composita in cõspectu sui resplẽ-
*1.Pet.4.* det auctoris, qua profectò varietate, & quasi opere plumario beatus Petrus tabernaculum dei ædificare studuit,
cùm ait, Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multi-
*1.Cor.12.* formes gratiæ dei. Hanc inesse cortinis tabernaculi, hoc est, mentibus fidelium vidit Paulus, cùm dicit, Alij qui-
dem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, & cætera illius loci. Et quidem byssus quæ I
prima ponitur, quia decus virtutum designet, testatur in Apocalypsi Ioãnes dicens, Quia venerunt nuptiæ agni,
*Apoc.19.* & vxor eius præparauit se, & datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti candido. Byssinum enim iustifi-
*Prou.31.* cationes sunt sanctorum. Dicit de eadem vxore agni, id est Ecclesia Christi, Salomon, Byssus & purpura indu-
mentum eius. Verùm Ioannes vnius coloris figuram exponens, cæteros etiam figuraliter interpretãdos insinuat.
Byssus ergo, quæ de terra quidem oritur, sed eruta de terra, longo exercitio siccandi, tundendi, purgandi, coquẽ-
di & nendi, gramineum solet perdere, & candidum in sese recipere colorem, corpora designat, castitatis nitida
decore, quæ cum carnis quidem illecebris nascentia, magno continentiæ labore, quasi natiuum exudant humo-
rem, atque ad decorem deo dignæ puritatis solerti ieiuniorum & vigiliarum, orationum & lectionis, patientiæ,
*1.Cor.6.* & humilitatis instantia perueniunt. De quibus posit illud apostolicum rectè dici, An nescitis quoniam mem-
*1.Pet.1.* bra vestra templum sunt spiritus sancti qui in vobis est? Retorquetur autem hæc byssus in cortinas tabernaculi
quoniam non modò lumbos carnis, verùm etiam vt Petrus admonet, lumbos mentis nostræ in sobrietate suc-K
cingimus, vt videlicet & carnem à lasciuis motibus, & cor ab illecebrosis refrenemus cogitationibus. Hyacin-
*Colos.3.* thus, quoniam aëris & cæli speciem imitatur, eorundem mentes electorum, omni spe ac desiderio cœlestia quæ-
rentes significat. Cuius nobis coloris sacramentum commendans Apostolus, ait, Si consurrexistis cum Christo
quæ sursum sunt quærite. &c. Purpura, quia colorem sanguinis ostendit, & vera quoque purpura conchyliorum
*Act.21.* sanguine tingitur, deuota eorum corda designat qui dicere cum Apostolo possunt, Ego non solùm alligari, sed
*Psal.43.* & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen domini Iesu. Et cum Propheta Dauid, Quoniam propter
te morte afficimur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Coccus, quia ignis habet speciem, meritò flagran-
tissimæ sanctorum dilectioni comparatur. Vnde & quidam ex eis, qui hanc præsente & comitante secum domi-
*Luc.24.* no conceperant, aiebant, Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis scri-
*Matth.24.* pturas? Cui contra de reprobis dicitur, Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Hæc
quasi bis tingitur, cùm amore dei & proximi flammescit, cùm illum ex toto corde, tota anima, tota virtute, hunc L
sicut nosipsos diligimus. Itaque in his quatuor cortinarum coloribus, quatuor iustificationes exprimuntur ele-
ctorum. In byssо retorta, caro castitate renitens. In hyacintho, mens superna desiderans. In purpura, caro passio-
nibus subiacens. In cocco bis tincto, mens inter passiones dei & proximi dilectione præfulgens. GREGO-
*Hom.38.* RIVS IN HOMILIIS. Meritò itaque cortinis tabernaculi intexi etiam coccus bis tinctus iubetur. Vos
estis fratres, vos estis cortinæ tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis. Sed corti-
nis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse. Coccus quippe ignis speciem habet. Quid verò est charitas nisi
ignis? Sed ista charitas esse bis tincta debet, vt tingatur & per amorem dei, tingatur & per amorem proxi-
mi. Qui enim sic amat deum, vt per contemplationem illius negligat proximum, coccus quidem est, sed
bis tinctus non est. Rursum qui sic amat proximum, vt tamen contemplationem dei per eius amorem re-
linquat, coccus est, sed bis tinctus non est. Vt ergo charitas vestra bis tinctus coccus esse valeat, & ad a-
morem se dei, & ad amorem proximi accendat, quatinus nec ex compassione proximi, contemplationem M
relinquat dei, nec plusquam debet inhærens contemplationi dei, compassionem abiiciat proximi. Omnis
itaque homo inter homines viuens, sic ad eum anhelet quem desiderat, vt tamen hunc non deserat cum
quo currebat: & sic huic adiutorium ferat, vt ab illo nullatenus torpeat ad quem festinabat. Sciendum quo-
*Tob.4.* que est, quòd ipsa dilectio proximi in duobus præceptis subdiuiditur, cùm quidam sapiens dicat, Omne quod
*Matth.7.* tibi odis fieri, vide ne ipse alteri facias. Et per semetipsam veritas prædicat, dicens, Quæ vultis vt faciant
vobis homines, & vos eadem facite illis. Si enim & quod impendi nobis rectè volumus, hæc illis impartimur, & quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere ipsi deuitamus, charitatis iura illæsa seruamus. Sed ne-
mo cùm quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi priùs ipsam vim suæ dilectionis ex-
aminet. Nam si quis quemlibet amat, sed propter deum non amat, charitatem non habet, sed habe-
re se putat. Charitas autem vera est, cùm & in deo diligitur amicus, & propter deum diligitur inimicus.

Ille



A Ille enim propter deum diligit eos quos diligit, qui iam & eos diligere à quibus non diligitur, scit. Probari enim
charitas per solam odij aduersitatem solet. Vnde & per semetipsum dominus dicit, Diligite inimicos vestros, *Luc.6.*
benefacite his qui oderunt vos. Ille ergo securus amat, qui propter deum illum amat, à quo se intelligit non
amari. Magna sunt hæc, alta sunt hæc, & multis ad exhibendum difficilia, sed tamen ista est vestis nuptia-
lis. Quisquis autem hanc recumbens in nuptiis non habet, iam solicitus metuat, ingrediente rege quando mit-
tatur foras. RVPERTVS. Rectè autem post arcæ, propitiatorij, mensæ, atque candelabri facturam, ta-
bernaculum vt fiat, quòd locus ipsorum sit, ordinatur, quia videlicet post incarnationem, passionem, corpo-
ris & sanguinis communicationem Christi filij dei, factámque per illum missionem spiritus sancti, Ecclesia
sancta quæ locus ipsius est, & de antiquis in cœlum collocatur, & de nouis hominibus in terra congregatur.
Quomodo? Quali institutione, vel ordine? Ait, decem cortinas de byssо retorta, & hyacintho, ac purpura,
B coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies. Denarius numerus, secunda vnitas est triangula, quod
melius Arithmeticis notum est. Ergo denarius secunda vnitas triangula, vnam trinitatis vnicæ fidem signi-
ficat. Et hic cortinarum numerus decalogo, quo eidem deo seruitur, bene consonat. Quatuor autem supra-
dictis coloribus præcipuis, illa omnis varietas virtutum designatur, de qua in Psalmo canitur, Omnis gloria *Psal.44.*
eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Illam denique gloriam quæ ab intus est,
quam solus rex Christus, in filiæ regis sponsa sua videt, textura huiusmodi significat, in eo maximè quod sa-
gis cilicinis subtegenda est. BEDA. Longitudo (inquit) cortinæ vnius habebit vigintiocto cubitos. La-
titudo quatuor cubitorum erit. In longitudine cortinarum, longanimis Ecclesiæ sanctæ patientia. In latitu-
dine amplitudo exprimitur charitatis, quæ non solùm amantem, sed deum & proximum redamare, sed &
odientem se aduersarium expanso suæ dulcedinis gremio consueuit excipere, suósque persequutores flexis in
oratione genibus domino commendare, dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Quæ latitudo aptè *Act.7.*
C quatuor erat cubitorum, quia quatuor sunt Euangeliorum libri, in quibus domini redemptoris nostri exem-
plis ac verbis, qualiter eadem charitas sit tenenda, docemur. Quatuor virtutes, in quarum operatione eadem
est charitas exercenda, id est, temperantia, fortitudo, iustitia, prudentia, vt videlicet incorrupta in deo cha-
ritas, atque integra custodiatur, quod est temperantiæ, nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis: nul-
li alij seruiat, quod est iustitiæ: vigilet in discernendis rebus, ne fallacia dolúsve paulatim surripiat, quod est
prudentiæ. Longitudo autem cortinarum vigintiocto erat cubitorum, qui est numerus quaternarius septies
ductus, septenario autem numero propter diem sabbati solet requies æterna sanctorum figurari. Longitudo
ergo cortinarum, in quater septenos extenditur cubitos, quia per fidem & custodiam doctrinæ Euangelicæ,
per quam exercitia spiritualium, de quibus diximus, virtutum patientia longanimis sanctæ Ecclesiæ ad re-
quiem tendit æternam. Est & aliud in duodetricenario numero sacramentum, æquè ad septenarium perti-
nens. Si enim ab vno vsque ad septem omnes in medio numeros pleno ordine numerare volueris, viginti &
D octo complebis, vnum nanque, & duo, & tria, & quatuor, & quinque, & sex, & septem, fiunt viginti & octo.
Quia ergo in partibus septenarij numeri, numerus viginti & octo inuenitur, meritò in eo cortinarum longitu-
do continetur, quoniam fides & patientia sanctorum, virtutum varietate distincta, in omnibus quæ agit &
patitur, non humani gloriam fauoris, sed supernæ beatitudinem quietis expectat. Hinc est enim, quòd huius
numeri Psalmus in consummatione tabernaculi adtitulatur, quem totum de perfectione sanctæ Ecclesiæ con-
stat esse cantatum, maximè ex eo quòd in illo dicitur, Adorate dominum in atrio sancto eius. Et iterum, Et in
templo eius omnes dicent gloriam. Aptè etenim vigesimus octauus Psalmus de cõsummatione tabernaculi in- *Psal.28.*
scribitur, quia nimirum in hoc est perfectio peregrinantis in hoc seculo Ecclesiæ, vt per fidem & per opera bo-
na ad requiem tendat seculi futuri. Bene autem sequitur. Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria. Etsi enim
variante pictura cortinæ ab inuicem differebant, vna tamen omnes erant longitudinis mensura temperatæ.
Quòd etsi donationes habent electi secundum gratiam, quæ data est illis, differentes, vnus tamen dominus,
E vna fides, vnum baptisma, vnus deus & pater omnium. RVPERTVS. Latitudinis etiam huius mensu-
ræ, longitudinis septima est. Quater enim septem, vel septies quatuor, viginti & octo sunt. Porrò septima pas-
sim contemplationis requiem designat. Ergo & ipsæ mensuræ quæ sagis operiendæ sunt, illos confirmant ordi-
nes Ecclesiæ significari, qui in cõtemplationis quiete viuũt. BEDA. Quinque cortinæ sibi iungẽtur mutuò,
& aliæ quinque nexu simili cohærebunt. Narrat Iosephus quòd tabulæ testamenti ita fuerunt decalogo legis
conscriptæ, vt vtraque tabula etiam quina verba contineret. Vnde aptè etiam cortinæ decem, quæ pulchritu-
nem tabernaculi iunctę complebãt, ita tempore congruo disiungebãtur, vt quinæ in vtraque parte simul perma-
nerent, quatenus hæc intuẽtes ministri sanctorum cum populo dei admonerentur, semper obseruãdæ legis, quæ
decẽ quidem verbis in duabus tabulis esset comprehẽsa, sed numero quinario per vtrãque tabulã distinctis. Verũ
nos propter hãc sentẽtiam possumus de numero cortinarum bis quinario etiam ita differere, quod dei sequaces
in vtroque testamento diuino signauerint. Et priores quidem quinque, quæ frontem ac primam tabernaculi par-
F tem protegebãt, siue faciebãt, antiqui dei populi typum gesserũt, qui decreta legis in sacramẽto circuncisionis &
hostiarum & variam cęrimoniarum obseruãtiam secundum literam implebat. Sequẽtes verò quinque cortinæ,
quæ posteriora tabernaculi tegebãt, vel etiã suo tegmine faciebãt, nos designauerint, qui post aduentum domini
in carne nati, libros ac sacramẽta legis spiritaliter ipso reuelãte ac donãte seruamus. Et quidem omnes cortinæ
vnius operis, eisdémque erãt depictæ coloribus, sed quinæ sibimet mutuò coniunctæ, quia omnes vtriusque te-
stamenti cultores, in vnum eundémque deum credebãt, vnius eiusdémque pietatis & castitatis operibus seruie-
bant, sed in celebratione sacramentorum suas vterque populus discretus partes agebant. Nam passionis domi-
nicæ, per quod vtrique sumus redempti sacramentum: illi in carne ac sanguine victimarum, nos in oblatio-
ne panis & vini celebramus: illi venturam in carne natiuitatem dominicam, prædicationem, virtutum opera-
tionem, tentationem, passionem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem, aduentum spiritus sancti; fi-
dem gentium credebant, & confitebantur: nos hæc omnia iam facta, neque vlteriùs fienda credimus & con-

fitemur. Attamen eo tempore quo erigebatur tabernaculum,omnes ad inuicem cortinæ nectebantur,quia cùm G
vniuersa catholicæ Ecclesiæ pulchritudo ab initio vsque ad terminum seculi protenditur, profectò quasi vna
decem cortinarum connexio tabernaculum domini condecorat. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summi-
tatibus facies cortinarum, vt possint inuicem copulari.Hyacinthum diximus, quoniam aërij coloris est, cœle-
stium bonorum significationi congruere. Ansulis ergo hyacinthinis cortinæ inuicem copulantur, cùm vnica
spes supernæ beatitudinis omnia per orbem corda electorum in vna eademque deuotione coniungit. Quæ vi-
delicet ansulæ aptè dicuntur, quia non solùm in lateribus cortinarum, verùm etiam in summitatibus, hoc est,
extremis angulorum terminis fieri deberent. Neque enim vita tantùm & operatio sanctorum communi ad
perfectionem itinere rectæ intentionis properat, sed ipsum quoque initium bonæ conuersationis, quod per cō-
fessionem fidei,& sacramentorum cœlestium perceptionem geritur,nequaquam ab inuicem diuersum, sed pari
& indissimili habent omnes veritatis gratia connexum. Terminum quoque vitæ temporalis cuncti vnius eius- H
demque spei habemus certitudinis communem,cùm ita oculos in monte claudimus, vt percepto priùs viatico
mysterio cœlesti,citiùs nos in vera inueniendos vita, atque in hac perpetuò mansuros esse confidamus. Cōgruit
huic loco quod in libro Numerorū præcipitur filiis Israël,vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponen-
tes in eis vittas hyacinthinas. Filij quippe Israël in palliorum angulis fimbrias & vittas habent hyacinthinas,
cùm electi quique,& qui deum videre desiderant,ita operibus se iustitiæ induere laborant, vt horum finem non
*Matth.6.* in laudem mortalium ponant,ne fortè dicatur de eis,quia receperunt mercedem suam, sed in eis potiùs inter-
ni arbitri oculos,& præmia requirant æterna.Vnde & ibi protinus exponendo subiungitur, Quas cùm viderint,
recordentur omnium mandatorum domini, ne sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornican-
tes.Quibus verbis & nobis vtendum est in ansularum hyacinthinarum expositione, vt dicamus idcirco corti-
nas huiusmodi ansulis esse coniunctas, vt & filij Israël tunc ista præ oculis habentes, admonerentur mandato-
rum cœlestium, & nos modò ista legentes, meminerimus quòd in hac vita degentes filij promissionis æternæ, I
& temporibus ab inuicem dirimimur & locis,sed in cœlis est patria, quæ suos ciues à quatuor ventis cœli colle-
*Leuit.25.* ctos, indiuisibili in perpetuum societate coniungat. Quinquagenas ansulas cortina habebit in vtraque parte ita
insertas,vt ansa contra ansam veniat,& altera alteri possit aptari.Legimus quinquagesimum annum in lege iu-
bileum, hoc est, dimittentem siue initiatum iussum esse vocari, in quo omnis populus ab vniuerso labore terræ
*Act.2.* quiesceret,& omnium debita solui deberent. Et in nouo testamento scimus gratiam spiritus sancti Pentecoste,
hoc est, quinquagesima dominicæ resurrectionis in Apostolos superuenisse, atque initia nascentis Ecclesiæ suo
consecrasse aduentu.Vnde constat eo numero vel gratiam spiritus sancti, vel futuræ gaudium beatitudinis, ad
quam per eiusdem spiritus donum peruenitur, & in cuius perceptione sola veraciter requiescitur atque gaude-
tur,rectè posse figurari.Et aptè quinquagenas ansulas habebant cortinæ, quibus inuicem necterentur, quia non
nisi dono sancti spiritus agitur,vt in societate pacis,quod est vinculum perfectionis, sibimet inuicem copulētur
electi.Non alia enim quàm futuræ spes ac memoria societatis ac pacis [illegible]i discretos in hac vita temporibus si- K
ue locis, Christi famulos vna facit pietate concordes. Bene etiam dicitur, quòd ansas cortinæ in vtraque parte
haberent, vt videlicet proximas sibi & vtroque latere cortinas,singulæ quæque cortinæ quasi extensis hinc & in-
de brachiis amplecterētur.Quia nimirū necesse est, vt omnes fideles,& eos videlicet qui nos in Christo præcesse-
runt,& eos qui sequuti sunt,obuiis sinceræ pietatis vlnis amplectamur, & illo[illegible]qui nos erudiebant in Christo &
quos ipsi Christo donāte eruditiuimus,vno omnes in Christo veneremur affectu. Sic enim oportet nos ad videdā
faciē nostri creatoris beneviuendo properare, vt currentē nobiscum nequaquā deseramus proximū,sed vnà cum
ipso ante conspectū diuinæ gloriæ peruenire studeamus, quia & cortinæ singulæ ita per adminicula tabularū ad
superiora tendebāt,ita intus in superioribus variato suæ picturæ florę refulgebat, vt nequaquā eas quę secum pa-
riter vel in altū ferebantur,vel in alto positæ fulgebāt, cortinas desererent, quarū instar nos decet & proficientes
nobiscum in dei seruitio fideles monitis exēplisque iuuare, & in quacunq; virtute proficere potuimus, similiter
eiusdē virtutis consortes digna virtutibus veneratione tractare. Ansa ergo contra ansam venit,vt altera alteri L
possit aptari, cùm iusti ad inuicem concordi ac parili virtutum qualitate fœderantur. Facies & quinquaginta
circulos aureos, quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum tabernaculum fiat. Hic locus in sequenti-
bus pleniùs explicatur, cùm dicitur, Et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum an-
sas, & fieret vnum tabernaculum. Quinquagenarius ergo numerus veram in spiritu sancto requiem designat.
Et quia circulus nec initium videtur habere nec terminum, aurum verò præ sui claritate cæteris est precio-
sius metallis, Quid in quinquaginta circulis aureis, nisi perpetua claritas, & clara perpetuitas summæ quiē-
tis exprimitur? Mordéntque cortinarum ansas circuli, vt vnum ex omnibus tabernaculum fiat, cùm super-
ni gloria regni puris fidelium mentibus sese ita infundit, vt tali glutine salutiferæ inspirationis vna ex vtra-
que populo, imò ex omnibus electis Christi Ecclesia perficiatur. RVPERTVS. Vel ansulæ hyacin-
thinæ cœlestia vincula sunt charitatis fraternæ. Et quia per fraternam charitatem ascenditur ad dei dile-
ctionem, Ideo quinquaginta circuli aurei confici iubentur, quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum M
tabernaculum fiat. Circuli nanque auræi vincula sunt diuinæ dilectionis, quæ fraternæ dilectioni quasi ansulis
inserta hyacinthinis,sanctam illam & deo dignam efficit. Et quia charitas hæc multitudinem operit peccatorū,
bene ansulæ quinquaginta in singulis lateribus, & quinquaginta circuli habentur, quo numero remissio signifi-
catur,& ex lege imperatur.Vnde & quinquagesimus annus iubileus dicitur,id est,dimittens. GREGORIVS
*Hom.19.* SVPER EZECHIELEM. Quia per quinquagenarium numerum ad æternā requiem prouocamur, etiam
nos hoc omnino instruit dominus, quod in tabernaculo decem cortinæ iussæ sunt fieri, quæ haberent ansulas
quinquagenas, & circulos aureos quinquagenos à latere & summitate. Cortinæ tabernaculi, sancti omnes sunt,
qui ex diuersis virtutum coloribus in sanctæ Ecclesiæ ornamento proficiunt. Qui & interiora velant, & ex-
teriora omnimodo exornant, quia eorum vita inquantum videtur,ornamentum est,& eorum intellectus intus
absconditus,dum cœlestia quæ in mente seruant,edicere non possunt,in eis aliquo modo velatur.Rectè autē de-
cem



A cem cortinæ sunt,quia per decalogi studium,ipsa sanctorum corda profecerunt.Hyacinthinæ verò ansulæ cor-
tinarum fieri quinquaginta præceptæ sunt. Hyacinthus cœli speciem habet. Ansulæ ergo cortinarum sunt præ-
cepta cœlestia,in quibus ligantur animæ,vt ab inferioribus subleuatæ,superiùs pendeant. Quæ videlicet ansulæ
habent & circulos aureos,intellectum scilicet vera sapientia fulgentem.Qui intellectus, quia esse debet per om-
nia circunspectus,& cautæ solicitudinis vigilantia munitus, rectè per circulos designatur. Et notandum quòd
à latere & summitate iubentur ansulæ vel circuli in cortinis fieri,quia præcepta cœlestia & intellectus spiritalis,
non solùm debet nos sursum in dei amorem suspendere,sed etiā proximo in charitate sociare.In eo enim quòd
conditorem nostrum diligimus,quasi per superiores ansulas in aëre pendemus. In eo verò quòd sicut nosmet-
ipsos proximos amamus ansulas & circulos à latere habemus, vt cortinæ tabernaculi, id est, fidelium animæ,
per charitatem coniunctæ sint,& non per discordiam diuisæ.
B

*FAcies & saga cilicina undecim,ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit trigin-* 2
*ta cubitos,& latitudo quatuor. Aequa erit mensura sagorum omnium.E quibus quinque iunges seorsum,*
*& sex sibi mutuò copulabis,ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. Facies & quinquaginta ansas*
*in ora sagi unius, ut coniungi cum altero queat, & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copu-*
*letur. Facies & quinquaginta fibulas æneas quibus iungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.*
*Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate eius*
*operies posteriora tabernaculi, & cubitus ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum*
*longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum ru-*
C *bricatis,& super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.*

RVPERTVS. Pulchra quidem cortinarum varietas, & pretiosa textura est, sed foris relinquenda nuda 2
non est, nec enim imbrium aut grandinis iniuriam sustinet.Sequitur ergo. *Facies & saga cilicina undecim, ad ope-*
*riendum tectum tabernaculi.* AVGVSTINVS. Alia litera, Et facies vela capillacea operire super tabernaculum, *Quæst.173.*
id est, quæ venirent super, non à parte tecti, sed supercingendo. Dicimus enim & sic aliquid superponi, non
quemadmodum tectum domus, sed quemadmodum tectorium parietis, tanquam super lineam fasciam. Vn-
decim igitur vela facies ea. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facies cortinas caprarum ad ten-
dendum super tabernaculum,undecim cortinas facies eas. Alias cortinas fieri præcepit, quarum materiam de-
cernit ex lana seu pilis caprarum, officium autem, operire tabernaculum, numerum verò, undecim. Nec vi-
D lescant in oculis tuis cortinæ istæ, sed recole, quod ex lana caprarum fit quod vocatur Symballottum, ex quo
fiunt vestes nobilium, nobiles itaque cortinæ significantur symballotti. AVCTOR CATENAE. Facies
& saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi.Hebraica sunt, וְעָשִׂיתָ יְרִיעֹת עִזִּים לְאֹהֶל עַל הַמִּשְׁכָּן
Vehalitha ierihoth hizzim leōhel hal hamiscan, Faciēsque cortinas de pilis caprarum, in, siue ad operimen-
tum, vel vt extendantur super tabernaculum. Sic habet & Chaldaica. Et significat aulæa quibus tegetur ta-
bernaculum. Dictionem Ierioth, quam supra verterat Interpres cortinas, siue tentoria, hîc interpretatus est sa-
ga. Facilè igitur intelligitur is locus eo modo expositus, quid sagorum nomine Interpres noster intellexerit.
Vertunt hîc Septuaginta, καὶ ποιήσεις δ' ἐρίφεις τριχίνας σκέπην ἐπὶ τῆς σκηνῆς, Facies saga cilicina cooperimentum
super tabernaculum.Licet viri docti aliqui Δέρρεις pelles vertant,dicántque Septuaginta innuere, non fuisse ve-
lum ex pilis caprarum contextum, sed ipsas pelles. Hebraicè est (vt iam dictum est) Ierioth hizzim, hoc est,
aulæa vel cortinæ caprinæ, hoc est, ex caprinis pilis confectæ, quanquam etiam possit verti, ex pilis caprinis.
E Consultò autem Hebraismum hîc sequentem doctus Interpres vitauit, videlicet עַשְׁתֵּי עֶשְׂרֵה יְרִיעֹת תַּעֲשֶׂה אֹתָם
Haste hesre ierihoth tahase otham. Vndecim cortinas facies eas. Sic & Chaldaica & Septuaginta,præter quod
loco cortinarum, Δέρρεις legunt. Sed omnia hæc Latinæ versioni non aduersantur. *Longitudo sagi unius habebit*
*triginta cubitos, & latitudo quatuor. Aequa erit mensura sagorum omnium.* CAIETANVS. Disparitas inter has corti-
nas & priores decernitur, tum in numero, quia illæ decem, istæ vndecim: tum in longitudine, quia illarum
quælibet vigintiocto cubitorum, istarum autem quælibet triginta cubitorum fit. In latitudine autem æquales
erant istæ illis. AVCTOR CATENAE. Aequa erit mensura sagorum omnium.Idem sensus qui & in He
bræo & Chaldaica, Mensura vna erit vndecim cortinis. *E quibus quinque iunges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita*
*vt sextum sagum in fronte tecti duplices.* AVGVSTINVS. Quomodo aulæa voluit quina coniungi, sic ista vela *vbi suprà.*
quinque & sex,quæ vndecim erant,& non decem.Et duplicabis(inquit)velum sextum secundum faciem taber-
naculi,ne videlicet moueretur, quia impariliter alterutrum incurrebant sex & quinque. BEDA. Iuxta lite- *Cap.3.*
F ram,Frōtem tecti,ingressum tabernaculi dicit,vbi non tabulas(vt breuiter diximus) sed columnas & vectem ab
angulo tabularū,vsque ad angulū protentum poni præceptum est. Ideóq; quantū ad formam operis ipsius perti-
net,ibi magis opus erat geminato sagorū munimēto,vbi solida parietis firmitas aberat. INTERLINEARIS.
Decem(inquit)sagis operiebatur tabernaculum, vndecimum duplicatum ponebatur in fronte,ne vi ventorum
lucernæ extinguerentur. CAIETANVS. Circa ansas & coniunctiones nulla est disparitas inter has & su-
periores cortinas, nisi quòd illæ coniungebantur vncinis aureis, istæ vncinis æreis. Rursus illæ erant segrega-
tæ in quinque & quinque cùm mouebantur, istæ autem in quinque & sex, & non in duas partes æquales. Est
& alia differentia, quia illæ omnes erant extensæ simpliciter, istarum autem prima, ex parte ingressus in ta-
bernaculum erat reflexa in seipsam in dimidio sui, vt maiorem haberet facultatem obstandi contrariis in
extremitate anterioris tabernaculi. Et hæc reflexa cortina appellatur in litera sexta cortina, in fronte te-
cti duplicata, quia ad hoc adiuncta erat sexta, vt prima reflecteretur in seipsam in dimidio latitudinis suæ,

AVCTOR CATENAE. E quibus quinque iunges seorsum, &c. Sensum optimè retinuit Interpres. Verba autem Hebraica sunt sicut & in Chaldaica, videlicet, Et iunges quinque cortinas seorsum, & sex cortinas seorsum,& duplicabis cortinam sextam,quę est super faciem tabernaculi.Licet quidam Hebraica, אֶל מול פְּנֵי הָאֹהֶל El mul pene haóhel,Versus faciem tabernaculi vertãt.Alij,Iuxta faciem,siue introitum tabernaculi. Aliqui, Cõtra faciem tecti.Demum nonnulli, E regione prospectus tabernaculi. Quorum omnium & literæ nostræ sensus vnus est, videlicet, quòd ex quinque particularibus aulæis faciet vnum magnum, & ex sex particularibus aliis, faciet aliud magnum,verùm sextum duplicabit in anteriori parte tabernaculi. Quod tamen aliqui de medietate eius duntaxat intelligunt,nam alia medietas latitudinis eiusdem sagi duplicabitur in posteriori parte tabernaculi,hoc est,occidẽtali,vt mox videbis paulò inferiùs. Quomodo autem sextum sagum hoc in frõte tecti duplicetur, sic clarè intelligitur,si videas à basibus occidentalibus quæ sub asseribus sunt,sursum numerari decem cubitos,& inde versus orientem vsque ad frontem tabernaculi,triginta cubitos,habebis quadraginta.Cùm autem adhuc restent quatuor cubiti,latitudo vnius sagi,vndecimi scilicet,illum duplicabis plica duorum cubitorum,sub qua tali plica stabunt vectes deaurati vel columnæ aureæ,ex quibus pendebit velum in introitu tabernaculi,vt fortiùs defendantur tali plica tam columnæ illæ aureæ quàm velum.Verùm quòd sagum hoc pro medietate in anteriori, & pro alia medietate in posteriori tabernacnli parte duplicaretur, communiùs & probabiliùs tenetur. • AVGVSTINVS. Deinde dicit etiam ista vela capillacia quemadmodum sibimet iungerentur.Et idem dicit quod supra,& fortassè planiùs. *Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt cõiungi cũ altero queat, & quinquaginta ansas in ora sagi alterius,vt cum altero copuletur.* Ansas in aulæis hyacinthinas dixerat,in velis autem capillaciis quoniam tacuit cuiusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibiliùs accipimus? Est autem sensus,Facies quinquaginta ansas in ora veli vnius,videlicet quod contra medium est,id est,contra secũdum, quia ipsum erit medium inter primum & tertium secundum iuncturam, & quinquaginta ansas facies super oram veli,quod coniunctum est ad secundum velum,id est,super oram tertij veli,quod coniungitur secundo. AVCTOR CATENAE. Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt cõiungi cum altero queat, & quinquaginta ansas in ora sagi alterius,vt cum altero copuletur.Et hîc sensum optimè verborum assequutus est fidus Interpres,quæ in Hebræo ita sunt, sicut & in Chaldaica leguntur. Et facies quinquaginta ansulas in ora cortinæ vnius in latere quo iungenda est, & quinquaginta ansas in ora cortinæ secundæ, in loco quo iungenda est. Alij vertunt,Et facies quinquaginta laqueolos in ora cortinæ vnius,in ora extremæ quę cõiungẽda est alteri,& quinquaginta laqueolos in extremitate cortinæ alterius,quæ iungenda est cum altera. Alij, Facies quoque quinquaginta laqueolos in ora cortinæ vnius,in extremitate(inquam)cõiunctionis, & quinquaginta laqueolos in extremitate cortinæ secundæ huic coniungendæ. Nonnulli, Et facies quinquaginta laqueolos in ora cortinæ vnius extremæ in coniunctione, & quinquaginta laqueolos in ora cortinæ [illegible]unctionis secundæ. Verùm quia sunt eadem verba quæ superiùs in primis cortinis tabernaculi posita sunt, vlterius non insistimus,quæ quomodocunque reddantur,cum Latinæ versionis sententia concordãt. Quinquagenas igitur & quinquagenas fieri ansas in loco quo cortinæ cortinis erant iungendæ præcipit,quoniam duo magna saga simul per ansas & torques æneas iungebantur,sicut & de superioribus cortinis dictum est.Vnde & sequitur. *Facies & quinquaginta fibulas aneas quibus iungantur ansæ,vt vnum ex omnibus operimentum fiat.* AVGVSTINVS. Circulos medio velo apponi iubet, id est,secundo,quibus quinquagenis ansis iungeretur primo & tertio. Nihil hoc loco aliud est, nisi quòd circulos non aureos,sed æreos fieri nunc præcepit. AVCTOR CATENAE. Quibus iungantur ansæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat. Et hîc paululum variant Hebraica verba, nequaquam autem sensus. Sunt autem huiusmodi sicut & in Chaldaica leguntur,Et induces fibulas in ansulis & coniunges tabernaculum,vt sit vnum. Alij dictiones קַרְסֵי Karse & לֻלְאֹת lulaoth,in vncinos & laqueolos vertunt,& pro, Et coniunges tabernaculum vt sit vnum, legunt, Coniungésque operimentum siue tentorium illud,vt fiat vnum. Alij,Et coniunges tectum vt sit vnum.Quæ omnia idem dicunt.Nam & dictio אֹהֶל óhel,& tabernaculum, & operimẽtum, & tentorium, & tectum significat. Ansulis itaque quinquaginta & totidem vncinis, vel fibulis vtrinque positis iungebantur saga in marginibus, quæ & resoluebantur quando deponendum tabernaculum esset, & proficiscendum dominus iudicabat,religioso negocio sacerdotum,de quo posteriùs.Per coniunctionem autem sagorum huiusmodi, totius tabernaculi vnum fiebat operimentum. *Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, vnum sagum quod amplius est,ex medietate eius operies posteriora tabernaculi.* RVPERTVS. Medietas sagi duo cubiti sunt secundum latitudinem,quæ est quatuor cubitorum. Non ergo sagum vnum scindendum erat à capite vsque deorsum, vt vna pars in fronte tecti duplicaretur,reliqua verò posteriora tabernaculi operirentur. Non vtique, sed vndecimum hoc sagum,vt quoniam decem tantummodo cortinæ sunt, super extenso sagorum operimento, quatuor exuberent cubiti,qui sunt vnius sagi latitudo.Ita ergo sagorum coniunctorum extensio moderetur,vt in fronte duo cubiti descendant,qui & in sinum reducti duplicentur,duo verò nihilominus in posteriora tabernaculi ad protegendum demittantur. Nam & in vtraque latera tabernaculi, bini qui supersunt in longitudine sagorum, vltra longitudinem cortinarum dispertiuntur cubiti. HVGO DE SANCTO VICTORE. Quod autem superfuerit in sagis,&c.Constructio distorta est,sensus autem talis est,quòd superabundantia sagorum vltra cortinas vnum sagum est,secundum longitudinem tabernaculi,ex cuius vna medietate operiatur vna frons tabernaculi, & ex altera medietate reliqua frons, & duo cubiti in longitudine sagorum omnium protegentes ex toto vsque ad terram latera tabernaculi. CAIETANVS. De vndecimæ cortinæ medietate secundum latitudinem(hoc est, duobus cubitis latitudinis cortinæ)est sermo. Medietas enim vndecimæ cortinæ reflexa est in parte anteriori,& medietas pendebat ad terram ad protegendum tabernaculum in parte posteriori.Nec sis ita rudis, vt intelligas vnius atque eiusdem cortinæ dimidium in parte anteriori reflexum, & dimidium pendens in posteriori ad terram, sed intellige quòd quantitas dimidij(hoc est,duo cubiti)erat antè, & quantitas dimidij (hoc est,duo alij cubiti superflui)pendebat retro.Ad hoc enim vndecima addita est cortina,vt duo ante,& duo pòst superfluerent cubiti, erat enim latitudo quatuor cubitorum. AVCTOR CATENAE. Quod autem superfuerit



A superfuerit in sagis quæ parantur tecto,id est,vnũ sagum quod amplius est. Et hîc Interpres sensum optimè reddit ex Hebraicis verbis,quæ sunt וְסֵרַח הָעֹדֵף בִּירִיעֹת הָאֹהֶל Vesêrach hahodeph birihoth haóhel, Et superfluum excedés ex cortinis tabernaculi.Siue & quod superfuerit,siue supereſt in,siue ex cortinis tabernaculi.Sic & Chaldaica.Aut secundum alios,Et excessus qui superfluit in cortinis operimenti,Vel,Et superfluitas quæ superfluit in cortinis tecti.Aut,Et quod excedit abundãtque in aulæis tentorij. Sequitur, Ex medietate eius operies tabernaculi posteriora. Iuxta Hebræum legitur חֲצִי הַיְרִיעָה הָעֹדֶפֶת תִּסְרַח עַל אֲחֹרֵי הַמִּשְׁכָּן Chazi hairiha hahodêpheth, tisrach hal achore hamiscan, Dimidium cortinæ quæ supereſt, extendes super posteriora tabernaculi. Sic & Chaldaica.Alij,Dimidium cortinæ superfluentis excedet etiam in posterioribus tabernaculi,vertunt. Quidam, Dimidium cortinæ quæ superfluit, superfluet in posterioribus tabernaculi.Nõnulli,Dimidiũ aulæi quod abundat,excedet in posterioribus tabernaculi.Demum quidam,Ex medietate sagi quod amplius est,extendes,siue fa-
B cies superfluere super tabernaculi posteriora.Quæ omnia idem dicũt cum litera nostra. Septuaginta hîc vix intelliguntur,ita enim legunt,καὶ ὑποθήσεις δὲ πλεονάζομ ῳ ταῖς δ' ἐξέξεσι τῆς σκηνῆς, ὃ ἥμισυ τῆς ἐξέξεως δὲ ὑπολειπόμενον; ὑποκαλύψεις δ' πλεονάζομ σῦ δ' ἐξέξεως τῆς σκηνῆς, ἐπικαλύψεις ὀπίσω τῆς σκηνῆς, Et suppones superfluum in sagis tabernaculi,dimidium sagi reliquum cooperies residuum sagorum tabernaculi, cooperies post tabernaculũ. Obscuritatem profectò magnam peperit hic versus, quoniã cum superioribus videtur pugnare,vbi dicitur, Ita vt sextum sagum in fronte tecti duplices, quæ duobus solui modis consueuit. Primò, si posterior tabernaculi pars ea habeatur,qua intratur ab ortu solis,anterior autem,vbi ceu digniore in loco arca dei constituta erat, & sanctum sanctorum dicebatur ab occasu.Ista enim vndecimi sagi plica, à fronte erat tabernaculi, quæ posterior hîc dicitur,prout nostro quoque modo loquendi retro in Ecclesia est, qui prope postremum ostium est in templo, cuius chorus(vt dicitur) reuera est pars anterior & sacratior. Alter dicendi modus & communior est,non intelligendo de eodem sago in numero,quia idem in priori & posteriori parte tabernaculi esse non poterat, sed de eodem
C per æquialentiam,quia ex omnibus sagis vnum fiebat operimentum tabernaculi. Et duo cubiti primi sagi erãt in fronte tabernaculi, & vltimi sagi duo cubiti, in posteriori erant parte tabernaculi,ita vt cubiti isti quatuor, diuersorum sagorum,vni tantùm sago æquiparentur integro. Et pars posterior propriè occidentalis erit, quæ è regione est ab introitu tabernaculi. *Et cubitus ex vna parte pendebit,& alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, virũque latus tabernaculi protegens.* BEDA. Hæc vt pleniùs intelligi queant, paulò latiùs de tota ipsius tabernaculi positione disputare necesse est. Diximus parietes tabernaculi quæ ex tabulis & columnis constabant, longitudinem habuisse triginta cubitorum,latitudinem decem, altitudinem similiter decem. Si quis ergo vellet domum in latitudine cingere funiculo,verbi gratia à basi tabulę vnius meridiani lateris,vsque ad basim tabulę quæ esset è regione in latere septentrionali,constat profectò eundem funiculum triginta cubitorum longitudinis esse debere,hoc est, decem cubitos habens ascẽsionis in meridiano pariete, decem alios æqualitatis sursum inter parietes,decem tertio descensionis inter parietem septentrionalem. Item si per longitudinem domus extendere fu-
D niculum velis,hoc est,à basibus columnarum sursum, & per longitudinem totius domus ad occidentalem vsq; parietem,ac deinde vsque ad bases eius deorsum,habebit funiculus ille quinquaginta cubitos longitudinis,Decem videlicet ascensionis iuxta columnas,Triginta æqualitatis secundum longitudinem domus,Decem rursus descensionis iuxta occidentalis parietis tabulas. His ergo consideratis, intuere mensuras cortinarum quibus tegenda erat domus,qualiter præfatis possint conuenire mensuris. Decem erant cortinæ, habentes singulæ longitudinis vigintiocto cubitos,latitudinis quatuor,quæ simul iunctæ & in vnum compositæ,tabernaculum implebant de latitudine sua,cubitos quadraginta. Suspende igitur cortinas quæ habent singulæ longitudinis viginti octo cubitos,& pone in domo cuius est mensura in transuersum triginta cubitos, & videbis quia cortinæ habebunt in æqualitate quæ est inter parietes cubitos denos,in ascensu autem,siue descensu qui est iuxta parietes,habebunt cubitos nouenos,sicq; fit,vt summitas cortinarum terram tangere non possit, sed mensura vnius cubiti à terra altior ablit. Item videbis quòd cortinæ habent in æqualitate per longitudinem domus cubitos triginta,
E in ascensu autem siue descensu,qui est in orientali & occidentali latere domus, cubitos quinos.Ideóque eadem lateralis summitas cortinarum nequaquam ad terram vsque pertingit, sed quinis cubitis est terra altior, vnde necesse fit vt quini illi cubiti cortinarum,qui cessantibus parietibus supersunt,inducantur ad inuicem in orientali simul & occidentali latere, sibique mutuò iungantur, ac sic fiat, vt vndique domum cortinæ (excepto vno iuxta terram cubito)contegant. Hæc de cortinis.Porrò saga tricenos habebant cubitos longitudinis,quaternos latitudinis. Et quia vndecim erant coniuncta ad inuicem per latera, quadraginta quatuor cubitos implebant. Pone ergo & has in domo, & quia concordat longitudo sagorum, cum funiculo quo domum metiebaris in transuersum,fit vt summitas eorum ad terram vsque pertingat. Habebunt enim denos cubitos æqualitatis inter parietes, denos æquè ascensionis siue descensionis in vtroque latere. Et hoc est quod ait scriptura, quia cubitus ex vna parte penderet,& alter ex altera, qui plus esset in sagorum longitudine, vtrumque latus tabernaculi protegens. Tabernaculum nanque propriè vocat ipsam cortinarum facturam siue coniunctionem,quas vno vtique
F cubito transibant saga ab australi latere domus,altero à septentrionali.Ideóque ad terram peruenieb ãt, quia hæc triginta cubitos longitudinis,illæ duo minus habebant. Item mensura sagorum per longitudinem domus, quadraginta quatuor cubitis tendebatur,triginta videlicet, cubitos in æqualitate habens à fronte domus, vsque ad summitatem tabularum in plaga occidentali, & septem cubitos dependentes à fronte domus, septem similiter dependentes in plaga occidentali.Sicque fuit,vt sagorum mensura in occidentali latere,duobus cubitis excederet mensuram cortinarum,quia nimirum cortinæ desuper venientes,sicut & suprà commemorauimus,quinque cubitos eiusdem occidentalis parietis tegebant,& tres relinquebant intactos,& hoc est quod nũc dicitur. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, vnum sagum quod amplius, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi.Medietas nanque sagi in latitudine, sunt duo cubiti, ex qua videlicet medietate cooperiebantur posteriora tabernaculi, id est, cortinarum, quæ propriè tabernaculum vocabantur, quia duobus cubitis eas(vt diximus) ad inferiora tendens sagum vltimum,transibat.Itêmque saga desuper venientia,septem solummodo

modo cubitos occidentalis parietis cooperiebant,nec tamen tres reliqui qui remanſerant vſque ad terram,nudiG tempeſtatum iniuriis patebant, ſed adductis ad inuicem ab vtroque latere ſagis ſeptenorum cubitorum,qui deficientibus parietibus ſupererant,his poſteriora domus firmiſsimè ad terram vſque contegebãtur. Neque autem hæc tantùm ad inuicem pertingere,& inſtar cortinarum ſeſe in medio parietis contingere poterant,ſed quia ſeptenorum erant cubitorum,medium parietis in vtramque partem duobus cubitis excedebãt,ac ſibi inuicem ſuperpoſita iungebantur.Quod eodem modo per omnia etiam de orientali parte domus intelligendum eſſe putamus. Ideóque ſupra præceptum eſt, vt ſextum ſagum in fronte tecti duplicaretur. Hæc de re difficillima prout nobis intellexiſſe viſi ſumus,ſtrictim explicare curauimus, parati diſcere in his veriora,ſi quis docere nos voluerit. CAIETANVS. Et cubitus ex vna parte, &c. Diſtributa vndecima cortina, diſtribuuntur duo cubiti quibus iſtæ cortinæ erant longiores illis.Iſtæ enim triginta,illæ viginti & octo cubitorum erant.Et dicitur quòd illorum duorum cubitorum alter hinc, alter inde pendebit pluſquam cortinæ tabernaculi, ad protegendum ta-H bernaculi latera hinc & inde verſus terram. AVCTOR CATENAE. Et cubitus ex vna parte pendebit, &c.Nihil diſcrepat in ſenſu ab Hebraico. Verùm verba aliquãtò diuerſa וְהָאַמָּה מִזֶּה בְּעֹרֶף בְּאֹרֶךְ יְרִיעֹת הָאֹהֶל יִהְיֶה סָרוּחַ עַל צִדֵּי הַמִּשְׁכָּן מִזֶּה וּמִזֶּה לְכַסֹּתוֹ Vehaamma mize vehaamma mize bahodeph beórech ierihoth haóhel,ihie ſarúach hal zidde hamiſcan mize vmize lechaſſotho, Et cubitus hinc & cubitus illinc in ſuperfluẽte in longitudine cortinarum tabernaculi, ſiue tecti,erit ſuperfluum in lateribus tabernaculi hinc & inde ad tegendum illud.Vertunt alij,Vt cubitus hîc,& cubitus illic,excedat ſiue abundet in longitudine cortinarum operimenti,ſiue aulæorum tentorij,ſitq; exceſſus in lateribus tabernaculi hinc & hinc,vt ipſum operiat.Alij, Et cubitus hinc & illinc,qui ſupereſt in longitudine cortinarum tabernaculi, redundabit,vel extendetur, ſiue extendatur ſuper latera tabernaculi hinc & illinc, ſiue inde,vt cooperiat illud,Sic & Chaldaica.Et eſt ſenſus,Hęc cortina cilicina ſiue caprina, longiùs cubitis duobus extendetur quàm cortina prior quæ vigintiocto cubitos habebat,hæc enim triginta cubitos habet. Septuaginta & hîc obſcuriſsimi ſunt, ſed tamen & ipſi in eundem ſen-I ſum ſubſcribunt.Iſti igitur duo ſuperabundantes cubiti,de quibus hîc loquitur, propendebant vtrinque ad auſtrales & aquilonares baſes vſque,vel circiter.Aliis putantibus vtrinque deficere duobus cubitis,pro eo quòd latitudinem tecti,ſicut & totius tabernaculi,intelligunt duodecim eſſe cubitorum,vt pertingere ad baſes non poſſit,deficientibus quatuor cubitis in latitudine ſagi. *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & ſuper hoc rurſum aliud operimentum de ianthinis pellibus.* AVGVSTINVS. Vtrum velis capillaciis & altero hoc operimento vniuerſum tabernaculum cooperiri velit,cum atrio ſcilicet de quo circumponendo poſteà loquitur,an hoc interius tabernaculum quod decem aulæis fieri iuſsit, incertum eſt. Quod verò adiecit ſecundum aliam literam, Et operimenta pelles hyacinthinas deſuper, hoc non in circuitu, ſed à tecto velut camera accipiendum eſt. STRABVS. Primùm erat tabernaculi operimentum,cortinarum ex byſſo,purpura & cocco.Secũdum ſagorum vndecim.Tertium ex rubricatis pellibus arietum, poſtremum erat hyacinthinarum pellium. Cortinæ autem ita operiebant,vt ad latera deſcenderent,ad terram tamen non pertingerent. Saga autem tectum & late-K ra operiebant,& ad terram pertingebant.Pelles verò rubricatæ vel hyacinthinæ tectum tantùm operiebant, nec ad latera declinabant. RVPERTVS. Notandum autem quia prout quæq; viliora vel minus operoſa ſunt, ita quæq; in tabernaculo ſuperiora,& tempeſtatibus viciniora ſunt.Nam poſt cortinas,ſaga cilicina,deinde pelles arietum rubricatas,ac deinde pelles habet hyacinthinas. CAIETANVS. Hoc operimẽtum ex pellibus arietum rubricatis,non erat æquale operimẽto ex lana caprina, nam illud operiebat vniuerſum tabernaculum, hoc autem tegebat tectum duntaxat. Et quia male fuiſſet protectum à pluuia tectum, ſi omnia eius operimenta fuiſſent plana, ideo intelligendum eſt, quòd hoc operimentum ſupra tectum eleuabatur in angulum medium ſuperius,ita vt hinc & inde pendentes eſſent pelles,eo modo quo ex teguls teſtaceis operiuntur domus. Et ſuper hoc(inquit)rurſum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus.Sententiam expoſuit clariùs Interpres, nam in Hebræo habetur,Et operimentum pellium taxorum deſuper. Duo itaque ſignificantur operimenta pellium,tum dicendo copulatiuè & operimentum,tum adiũgendo deſuper.Taxos autem intellige vt ſupra. Et verè opus erat L hoc alio tegmine,quoniam pelles arietum ineptæ ſunt ad ſuſtinendam pluuiam: ſunt enim impatientiſsimæ(vt experientia teſtatur) aquarum. AVCTOR CATENAE. Facies & operimentum aliud tecto, ſiue tabernaculo,hoc eſt,ſuper ipſum tabernaculum.Eſt enim לְאֹהֶל Laóhel,quod vtrumque ſignificat.Vnde Chaldaica, Faciêſque coopertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis.Idem & Septuaginta.Sed hoc idem eſt cum noſtra litera, nam tectum non intelligit niſi tabernaculi. Et ſuper hoc rurſum aliud operimentum de ianthinis pellibus. Iuxta Hebræum ita legitur, וּמִכְסֵה עֹרֹת תְּחָשִׁים מִלְמָעְלָה Vmichſe horoth techaſim milmáhela,Et coopertorium(ſubaudi aliud ſuper iſtud)de pellibus taxorum deſuper.Sic & Chaldaica.Vertunt alij, Et operimentum ex pellibus taxorum ſiue thaſorum ſupremum,vel ſuperne.Quidam,Et ſummum operimentum ex pellibus melium.Nõnulli, Ex pellibus violacei coloris, nempe Ianthinis.Septuaginta, καὶ ἐπικαλύμματα δ' ἔξωθεν ὑακινθίνα ἐπάνωθεμ, Et ſuperoperimenta pelles hyacinthinas deſuper. De his pellibus Techaſim ſatis in ſuperioribus dictũ eſt.Sunt qui operimenta hæc tantùm tecto impoſita fuiſſe dicãt,& non irrationabiliter, ob defenſionem domus M & aulæorum ab iniuria cœli & imbrium,non ſine ſignificatione myſtica,de qua mox ſubiungetur.

*Myſticè.* *Queſt.108.* AVGVSTINVS. Et facies (inquit dominus)vela capillacia, ſeu ſaga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi. Quæ capillacia, id eſt, cilicina vela ſunt,vndecim dicuntur eſſe. In peccatis quippe tranſgreſsio eſt.Tranſgreſsio verò vndenario numero ſignificatur, quoniam tranſgreditur denarium, id eſt, legem, ideo ipſa vndecim per ſeptenarium multiplicata,faciunt ſeptuaginta ſeptem. Vbi ſignificauit dominus vniuerſam remiſsionem peccatorum,dicens,Non ſolùm ſepties, verùm etiam ſeptuagies ſepties, quot generationes reperiuntur, cùm Lucas à baptiſmo domini enumerans ſurſum verſus, aſcendit & peruenit per Adam vſque ad deum. Ad hoc enim fit ſignificatio peccatorum in his velis, vt per confeſsionem exprimantur, & per gratiam quæ data eſt Eccleſiæ aboleantur,hoc eſt,tegantur.Vnde dicitur,Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata. Deinde iubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus cui non

*Matth.18.*



A non occurrerat Chriſtus paſsione cruentatus? Significantur his etiam martyres ſancti, quorum orationibus propitiatur deus peccatis populi ſui, ipſis denique ſuperiaciuntur pelles hyacinthinæ, vt ſignificetur vita æterna viriditate, tanquam vigore perpetuo. IDEM DECIMOQVINTO DE CIVITATE DEI. Quoniam ergo lex denario numero prædicatur, vnde eſt memorabilis ille decalogus, profectò numerus vndenarius, quoniam tranſgreditur denarium, tranſgreſsionem legis, ac per hoc peccatum ſignificat. Hinc eſt quòd in tabernaculo teſtimonij quod erat in itinere populi dei, velut templum deambulatorium, vndecim vela cilicina fieri præcepta ſunt. In cilicio quippe recordatio eſt peccatorum, propter hœdos ad ſiniſtram futuros, quia confitentes in cilicio proſternimur, tanquam dicentes quòd in Pſalmo ſcriptum eſt, Peccatum meum ante me eſt ſemper. PROSPER. In opertoria ſanè tabernaculi,pelles hyacinthinas, aliáſque rubratas, & vndecim vela ex pilis caprarum conficienda, diuina auctoritas mandat. Quæ omnia ſigna fuiſſe ipſius legis reſonant teſtimonia. In hyacinthino colore pallor quidam eſt cum ſplendore concordans,iciuniis eleemoſynísque conueniens. Vnde & ſanctus Raphael archangelus ad Tobiam, Bona eſt(inquit)oratio cum iciunio & eleemoſyna,In iciuniis pallor,in eleemoſyna ſplendor refulget, qui hyacinthi figuram oſtẽdit. Byſſum verò mundum, vt Apocalypſis dicit, Iuſtitiæ ſanctorum ſunt. Quod dictum eſt, tortum, per multas tribulationes oportet iuſtos introire in regnum dei. Purpura veſtis eſt regia, qua ipſe rex noſter Chriſtus dominus, in ſua paſsione indutus eſt. In cocco bis tincto, martyria ſancta rutilant, Quæ ſemel baptiſmo Chriſti in ſanguine tinguntur, atque ſuo effuſionis cruore denuo retincti. Sic enim & ipſe tinctus eſt dominus, ſemel in Iordane, iterum in paſsione, de qua dicit diſcipulis ſuis, Baptiſmo habeo baptizari quod vos ignoratis. Hoc autem hîc pelles rubricatæ hyacinthinæq; teſtantur. BEDA. Facies & ſaga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi. Hic locus in ſequentibus ita repetitur, Fecit & ſaga vndecim de pilis caprarum,ad operiendum tectum tabernaculi. Saga ergo quibus operitur tabernaculum, Rectores ſunt ſanctæ Eccleſiæ, quorum induſtria ac labore decus eiuſdem Eccleſiæ protegitur, atque inceſſabili cura munitur, ne videlicet vita fidéſque electorum, hæretica ſeductione corrumpi, ne falſorum catholicorum improbitate fœdari, ne tentantium vitiorum ſorde attaminari, ne temporalium ſubſidiorũ inopia poſsit ad triſtitiam deduci. Qui quantò ſe attentiùs ad ſuſtinẽdas ſiue repellendas irruentium tentationum violentias accinguntur, tantò ampliorem ſubditis domino ſeruiendi libertatem tribuunt,& quaſi intus fulgendi copiam cortinis præſtant,dum inſtar ſagorum ipſi foris tempeſtatis afflictionem tolerant. Rectè eadem ſaga & cilicina ſiue de pilis caprarum, & vndecim facta eſſe referuntur, quia nimirum ſancti prædicatores, quò altiores merito, eò humiliores eſſe debent animo, iuxta illud viri ſapientis, Quantò magnus es, humilia te in omnibus.Vndecim quippe qui denarium tranſeunt, neque ad duodenarium, hoc eſt,apoſtolicum numerum perueniunt, tranſgreſsionem decalogi legis ſignificant. Et in vndecimo Pſalmo propheta defeciſſe ſanctos, & filios hominum veritates vanitatibus ac dolis mutaſſe queritur, dicens, Saluum me fac domine,quoniam defecit ſanctus, &c. Etiam hoc numero deſignans, quod huiuſmodi D homines duplicis linguæ & cordis neque legalia Decalogi præcepta cuſtodiant, neque apoſtolicam Euangelij percipere gratiam poſsint. Cilicium quoque habitus eſt pœnitentium, etiam Pſalmiſta teſte qui dicit, Ego autem dum mihi moleſti eſſent,induebam me cilicio,hoc eſt,habitum pœnitẽtiæ & humilitatis, quo furorem perſequentium aut leuiùs ſufferrem placidus,aut etiam mitigarem,aſſumpſi.Nam ſi capræ ſemper, aut pili ſiue pelles caprarum,fœtorem peccantium,& non aliquoties humilitatem pœnitentium ſignificarẽt,nequaquam ipſum animal inter munda computaretur,neque in laude ſponſæ diceretur, Capilli tui ſicut grex caprarum. Saga ergo quæ ſanctos prædicatores inſinuãt,& cilicina ſunt,& vndecim,quia quò ſtudioſius fide corda purificãt,eò plura in quibus ſeipſos reprehendant, inueniunt. Vnde humiliter fatentur, quia in multis offendimus omnes. Et ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quorum tamen corda quantæ ſint perfectionis, ſequentia verba myſticè declarant, quibus dicitur, longitudo ſagi vnius habebit triginta cubitos, & latitudo quatuor. Ecce hîc longitudinis non vndenarium, ſed denarium habens nuE merum, & hunc tertiò multiplicatum, quo patenter inſinuatur virtus eorum, qui decalogum legis in fide ſanctæ trinitatis quæ per dilectionem operatur, perficiunt, qua videlicet perfectione, in hac duntaxat vita, nulla eſſe poterit ſublimior.Habes & latitudinis quatuor cubitos, quo amplitudinem ſynceræ charitatis, hoc eſt, eius quæ in Euangelio nobis per Ieſum Chriſtum & commendatur & datur, ſignificari prædiximus. Operiunt ergo tectum tabernaculi ſaga vndecim, & hæc de pilis facta caprarum,ſed in longitudine cubitos triginta,in latitudine quatuor habentia, quia ſummi illi prædicatores, qui vitam fidelium ſuis exhortationibus & interceſsionibus quotidiana ſolicitudine, vigiliis, ieiuniis, ſuáque nuditate protegunt, ſeſe quidem humiliter ipſi, contemplata ſupernæ puritatis excellentia, peccatores profitentur. Qui tamen quantùm ad humanæ modum perfectionis attinet, mundi inter homines ac ſublimes apparent. GREGORIVS VIGESIMOQVINTO MORALIVM. Verùm dicendum & aliter. Sunt nonnulli, qui ſi parum quid de ſpiritali conuerſatione inchoant, cùm rectores ſuos tẽporalia agere,& terrena conſiderant, mox ordinem ſupernæ diſpoſitionis accuſant, F quod nequaquam bene ad regendum prælati ſint,per quos conuerſationis infimæ exempla monſtrantur. Sed hi nimirum dum temperare ſe à rectorum ſuorum reprehenſione negligunt,culpæ ſuæ exigentibus meritis, vſque ad reprehenſionem conditoris excedunt, cuius profectò diſpenſatio inde ab humilibus rectior agnoſcitur,vnde ab elatis non rectè iudicatur. Quia enim poteſtas regiminis miniſtrari non poteſt ſine ſtudio curæ temporalis, aliquando omnipotens deus mira diſpenſatione pietatis vt tenerę ſpiritualium mentes à terrena cura diſiunctæ ſint, onus regiminis duris ac laborioſis cordibus iniungit, vt tantò illæ ab hoc mundo ſecuriùs lateant, quantò æ in terrenis ſolicitudinibus valenter elaborant. In exhibitione quippe ſuſcepti oneris, pro ipſis quoque vtilitatibus ſubditorum, duræ vitæ ſunt mundanæ ſeruitutis. Et ſæpe (vt dictum eſt) miſericors deus quò ſuos tenerè diligit, eò ſolicitè ab externis actionibus abſcondit. Nã & plerunque paterfamiliãs ad eum laborem ſeruos dirigit, à quo ſubtiliùs filios ſuſpendit, & inde filij ſine vexatione decori ſunt, vnde ſerui in puluere fœdantur. Quod quàm rectè in Eccleſia diuinitùs agitur, ipſa tabernaculi conſtructione ſignatur. Ad Moyſen

*Parte 2. Cap.2.* *Tob.12.* *Act.14.* *Luc.12.* *Ecclſ.3.* *Pſal.34.* *Iac.3.* *1.Ioan.1.* *Cant.4.* *Cap.22.*

Moyſen quippe diuina voce præcipitur, vt ad tegenda interiùs ſancta ſanctorum ex byſſo, cocco atque hyacin- G
tho vela texantur, iuſſúmque eſt, vt ad protegendum tabernaculum, vela cilicina & pelles extenderet, quæ ni-
mirum, vel pluuias, vel ventos, vel puluerem tolerarent. Quid ergo per pelles, & cilicia quibus tabernaculum
tegitur, niſi groſſas hominum mentes accipimus, quæ aliquando in Eccleſia occulto dei iudicio quamuis du-
ræ ſint, præferuntur? Quæ quia ſeruire curis temporalibus non timent, oportet vt tentationum ventos & plu-
uias de huius mundi contrarietatibus portent. Quid verò per hyacinthum, coccum, byſſúmque ſignatur, niſi
ſanctorum vita tenera, ſed clara? Quæ dum cautè in tabernaculo ſub ciliciis & pellibus abſconditur, ſua in-
tegra pulchritudo ſeruatur. Vt enim in interiora tabernaculi byſſus fulgeat, coccus coruſcet, hyacinthus cæru-
leo colore reſplendeat, deſuper pelles & cilicia, imbres ventos & puluerem portant. Qui igitur magnis virtu-
tibus in ſanctæ Eccleſiæ ſinu proficiunt, præpoſitorum ſuorum vitam deſpicere non debent, cùm vacare eos
rebus exterioribus vident, quia hoc quòd ipſi ſecuri intima penetrant, ex illorum adiumento eſt, qui contra H
procellas huius ſeculi exterius laborant. Quam enim candoris ſui gratiam retineret, ſi byſſum pluuia tangeret?
Aut quid fulgoris atque claritatis coccus vel hyacinthus oſtenderet, ſi hæc ſuſceptus puluis fœdaret? Sit ergo
deſuper textura cilicij fortis ad puluerem, ſit inferius color hyacinthinus aptus ad decorem. Ornent Eccle-
ſiam qui ſolis rebus ſpiritalibus vacant: tegant Eccleſiam, quos & labor rerum corporalium non grauat. Nequa-
quam ergo contra rectorem ſuum exteriora agentem murmuret is, qui intra Eccleſiam ſanctam iam ſpiritua-
liter fulget. Si enim tu ſecurè interiùs vt coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accuſas? RVPER-
TVS. Poſſunt etiam per ſaga quæ byſſum & purpuram, hyacinthum & coccum ne procellarum iniuriis pa-
teant, ſubtegunt, ſeculares intelligi diuites, qui in Eccleſia ſunt, qui ſanctis vel in ſancto propoſito deo ſer-
uientibus, ne vllam habeant neceſsitatem vagandi foris, quod non expedit animabus eorum, neceſſaria vitæ
de facultatibus ſuis ſubminiſtrãt pro redemptione peccatorum ſuorum. Vnde & vndecim ſaga & cilicina ſunt,
quia videlicet (quod ipſi non diffitentur) præcepta decalogi tranſgreſsi ſunt, & idcirco quaſi in vndenario nu- I
mero ſunt, ſed pœnitentiæ quæ per cilicium deſignatur, dignos fructus facere cupientes, tabernaculum (vt di-
ctum eſt) protegunt. Sed & ipſe tricenus in longitudine cubitorum numerus, qui coniugatorum eſt, quem-
admodum & viduarum ſexagenus, & virginum centenus, huic ſenſui bene concinit. Sequitur. Aequa erit
menſura ſagorum omnium, è quibus quinque iunges ſeorſum, & ſex ſibi mutuò copulabis, ita vt ſextum ſa-
gum in fronte tecti duplices. BEDA. Vna erit menſura ſagorum omnium, quia nimirum vna eſt fides, in
*Matth. 20.* qua tota ſaluatur Eccleſia, vna eadémque vita, ad quam feſtinat æterna. Vnde & hi qui in vinea domini di-
uerſo tempore ad operandum intrauerunt, vno omnes denario remunerantur. Diuiſio ergo ſagorum in quin-
que & ſex, iuxta illud intelligi poteſt, quod ſupra de cortinis in quinque & quinque diuiſis expoſuimus, quia
videlicet doctores vtriuſque teſtamenti deſignent. Quinque etenim ſaga, antiquis populi dei magiſtris aptè
comparantur, vel quia Moſaicæ tantùm legis ſacramenta prædicabant, quamuis & Euangelicæ veritatis ar-
cana prædicebant, vel quia in quinque mundi ætatibus vitam ducebant. In ſex autem ſagis poſſunt non in- K
conuenienter noui teſtamenti doctores accipi, quia videlicet omnia, quæ diuina ſcriptura in ſex ætatibus ſe-
culi facta ſiue dicta refert, in adiutorium atque exemplum ſuæ prædicationis, ſpiritualiter intellecta aſſumunt,
quia paſsionem dominicam per quam mundus ſexta ſabbati redemptus eſt, palàm ſuis auditoribus creden-
dam confitendámque pronunciant, ac per huius ſolummodo ſacramentum eos ſaluari poſſe conteſtantur.
Vnde rectè præcipitur ſextum ſagum in fronte tecti duplicari, propter confeſsionem videlicet & imitationem
eiuſdem dominicæ paſsionis. Neque enim ſufficit credentes in confeſsione mortis & reſurrectionis domini
baptizari & conſecrari, niſi baptizatus quiſque pro poſſe ſtuduerit ſimilitudini mortis domini cõtinenter vi-
uendo, ac patiendo pro illo aſsimilari, vt & reſurrectionis eius particeps exiſtere mereatur. Myſticè ergo in
fronte tecti ſextum ſagum duplicatur, cùm omnes qui ſanctam intrant Eccleſiam, ita fide & ſacramentis do-
minicæ paſsionis initiantur, vt in huius quoque imitatione ſibi ſemper eſſe viuendum intelligant. Quaſi enim
in ingreſſu ſanctuarij nobis ſextum ſagum duplicatur, cùm dominicæ paſsionis ſacramentis conſecramur, & L
*1. Pet. 1.* exemplis inſtruimur. Dicit nanque de ſacramentorum ſuſceptione Petrus, Qui ſecundum magnam miſeri-
*1. Pet. 4.* cordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis. Dicit de imita-
tione paſsionum, Chriſto igitur paſſo in carnem, & vos eadem cogitatione armamini. Facies & quinqua-
ginta anſulas in ora ſagi vnius, vt coniungi cum altero queat: & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, vt
cum altero copuletur, & quinquaginta fibulas æreas quibus iungantur anſæ, vt vnum ex omnibus operi-
mentum fiat. Hæc vt ſuprà in cortinis expoſuimus, etiam hîc intelligi poſſunt, quòd videlicet recordatio
ſupernæ requiei quæ numero quinquagenario ſolet exprimi, corda ſanctorum vinculo pacis adunet. Aut ſi
noui aliquid audire delectat, Saga humilitatem ſublimium deſignant virorum, quia magis ſuorum memi-
niſſe delictorum, quàm virtutes ſuas prædicaſſe cupiunt, amplius de eis quas apprehendere nondum poſſunt
virtutibus compungi, quàm de illis quas iam apprehenderant ſtudent gloriari, poteſt numero anſarum ſiue
fibularum quinquagenario, ipſa compunctionis eorum humilitas deſignari. Quinquageſimus nanque Pſalmus M
non niſi pœnitentiæ eſt, & rectè, quia donum pœnitentiæ non niſi ſpiritu ſancto largiente conceditur: donum
veniæ pœnitentibus, non niſi eadem ſancti ſpiritus gratia adminiſtrante tribuitur. Et bene quinquagenæ an-
ſæ vel fibulæ ſaga inuicem nectunt, quia nulla magis virtus quàm humilitas fidelis in vnam charitatis co-
pulam ligat. Nam quantò ſe quiſque amplius infirmum eſſe perpendit, tantò ſtudioſius auxilium proximi
quo confortetur requirit. Et bene fibulæ ſunt æneæ, quia multùm vocale conſtat eſſe metallum, quia nimi-
rum magnam apud deum habet vocem humilis conſcientia iuſtorum. Vnde & pauper ille Dauidicus cùm
anxiatus eſſet, & non in auribus hominum vociferaretur, ſed in conſpectu domini effunderet orationem
*Pſal. 101.* ſuam, Domine exaudi orationem meam (inquit) & clamor meus ad te perueniat. Sequitur. Quod autem ſu-
perfuerit in ſagis quæ præparantur tecto, id eſt, vnum ſagum quod amplius eſt, ex medietate eius operies po-
ſteriora tabernaculi, & cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus eſt in ſagorum longitudi-
ne



A ne, vtrumque latus tabernaculi protegens. In his omnibus patet allegoriæ ſenſus perlucidus. Saga nanque
cortinas, & deſuper, & infra, & ex omni latere protegebant, atque vt illæ intus libera facie ſuæ venuſtatis ful-
gerent, hæc ab omni eas iniuria tempeſtatum, pluuiarum & caumatum foris immunes reddebant, quia ni-
mirum perfecti ſanctæ Eccleſiæ præpoſiti, ita vitam fidelium ſibi commiſſorum ſolerti ſolent cura circunſpi-
cere, vt nec ſubſidia carnis, nec vitæ ſpiritualis eis auxilia deſint. Abſint & dogmata hæreticorum, & prauo-
rum exempla catholicorum. Adſit doctrina ſalutaris, qua confortati, & ſapienter malè docentium verba re-
pellere, & ſibi mala ingruentia patienter poſsint tolerare. Adſit vita ipſorum cœleſtis, qua confirmati, & ta-
cente lingua quaſi viua ſemper lectione vtantur. Repellunt enim ſaga imbres, obſiſtunt procellis, arcent ſo-
lis ardores, cuncta foris aduerſantia fortiter abigunt, vt decus cortinarum interius intemeratum perſiſtat,
cùm Auguſtinus omnia quæ fidem turbare poterant, hæreticorum venena euacuat: cùm Gregorius ea quæ bo-
B nos mores impugnant, tentamenta antiqui hoſtis explicat: cùm Cyprianus infirmos ne in martyrio labantur,
piis confortat exhortationibus: cùm alij venerabiles Epiſcopi ac doctores, quæq; turbare Eccleſiam poterant
longiùs tentamenta propellant, & quæ eiſdem ſint ad ſalutem proficua, ſolerti indagine proſpiciunt, quate-
nus vndiquè tuta conuerſatio religioſa fidelium, libero corde virtutibus ſtudere, atque in conſpectu ſui con-
ditoris, etiam opere præfulgida lucere, & ipſius quoque contemplationi poſsit oculum mentis intende-
re. RVPERTVS. Sed & aliter, totum hoc myſticè ad prædictum refertur ſenſum, quia videlicet vi-
ta ſpiritualium, vt quieta ſit, quæ per pulchritudinem ſignatur cortinarum, vndique ſubſidiis indiget ſe-
cularium fidelium. BEDA. Verùm quia inter ſanctos prædicatores illi ſunt maximo digni honore,
qui excepto quòd officio prædicationis, & populorum regimini deſeruiunt, & pro Chriſto ſanguinem fun-
dunt rectè ſubditur, Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis. Arietum quippe *Cap. 4.*
vocabulo ſolent nonnunquam ſancti doctores accipi, eo quòd ſint duces ſequentium domini gregum. Vnde
C pulchrè Pſalmiſta, Afferte domino (inquit) filij dei, afferte domino filios arietum. Quod eſt apertè dicere, *Pſal. 128.*
Afferte domino, ô Angeli dei, quibus huius officij cura delegata eſt, afferte domino in cœlos filios fidelium,
qui per imitationem vitæ & fidei, filij beatorum Apoſtolorum fieri meruerunt. Hinc eſt quòd ſexta manſio
egreſsi ex Aegypto populi dei, Elim, id eſt, arietum cognominatur, in qua erant duodecim fontes aquarum,
& ſeptuaginta palmæ, vt videlicet, & nomine, & ſpecie figuram Apoſtolorum apoſtolicorúmque virorum te-
neret. Rubricantur autem pelles arietum ad operiendum tectum tabernaculi, cùm Apoſtoli ſiue Apoſtolici
viri vſque ad paſsionem martyrij verbo doctrinæ inſtare non deſinunt, quo tutiùs ſubiectos ab ingruenti-
bus tentationum periculis protegant, dum ipſi perpeti perſecutionem propter iuſtitiam ad mortem vſque
non refugiunt. Operiúntque tabernaculum domini pelles arietum rubricatæ, atque ab iniuria tempeſtatum
defendunt, cùm ſancti prædicatores exemplo paſsionis & patientiæ ſuæ corda infirmorum, ne in preſſuris
tribulationum deficiant, muniunt. Et quomodo inter præcipua Chriſti & Eccleſiæ membra eximium ſacra
D virginitas locum tenet, aptè poſt variatum decus cortinarum, poſt ciliciorum munimina ſanctorum, poſt ru-
bricatas arietum pelles, adhuc additur, Et ſuper hoc rurſum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus.
Hyacinthus nanque cœleſtis eſt coloris, pellis verò mortui animantis pars & indicium eſt. Et quid per pel-
les hyacinthinas, niſi virtus exprimitur illorum, qui mortificatis ad purum cunctis concupiſcentiæ carnalis
illecebris, cœleſtem quodammodo in terris vitam gerunt, atque inter homines poſiti, angelicam magis pu-
ritatem imitantur, & hoc quòd tempore futuræ immortalitatis cunctis promittitur electis, quia non nubant, *Matth. 22.*
neque ducant vxores, ſed ſint æquales Angelis dei, ipſi adhuc mortali carne retenti, præuenire ſatagunt? Vn-
de meritò tam magnæ virtutis permagnum reſtat præmium, quia atteſtante Propheta, Hæc dicit domi- *Eſa. 56.*
nus Eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo
eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis,
quod non auferetur. De quo videlicet loco ac nomine & Euangeliſta Ioannes, qui erat vnus ex ipſis, refert *Apoc. 14.*
E audiſſe ſe cantantes eos canticum nouum ante ſedem dei, quod nemo alius poterat. Statímque adiunxit, Hi
ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſunt qui ſequuntur agnum quocun-
que abierit. Meritò ergo pelles hyacinthinæ ſupremum in domo dei locum tenent, colórque cœleſtis proxi-
mam cœlo ſedem ſortitus eſt, vt chori virginales & animi & corporis ſpeciali vicinia agnum ſequuturi, &
hymnorum ei laudes deſignentur cantaturi. Bene autem de velis cortinarum ac ſagorum dicitur, quòd etſi
in alto poſita, ad terram tamen demiſſa penderent, quamuis cortinæ nequaquam ad terram vſque pertinge-
re potuerint. Columnæ quoque ac tabulæ tabernaculi, etſi in altum erant erectæ, baſes tamen in quibus ſta-
rent habebant in terra poſitas. At verò de rubricatis atque hyacinthinis pellibus, quod in alto tectum ope-
rient dicitur, quòd verò ad terram eſſent deflexæ, non additur, quia nimirum cætera virtutum ſpecies com-
mune aliquid cum his qui in terra adhuc detinentur, habere videtur: certamen verò martyrij, & decus deo
dicatæ virginitatis, quaſi ab infimis ac terrenis rebus ſuſpenſum, & ſupernis ciuibus ſpecialiter conſtat eſſe
F coniunctum. Nam & martyr in tormentis poſitus, nil aliud toto animo intendit, quàm vt omnia quæ ſunt
in hoc mundo, & ipſum ſimul mundum citiùs relinquat, atque abſolutus doloribus cunctis ad videndum
mundi conditorem, & ea quæ vltra mundum ſunt gaudia poſsidenda perueniat. Et cœlibes dum commu-
nem generis humani legem, qua dictum eſt, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, intuitu maio- *Gen. 1.*
ris præmij tranſcendunt, iure velut altiorem cæteris fidelibus, imò ipſo mundo ſedem ſibi eligunt, ſicq; ſo-
cialiter in Eccleſia viuunt, vt ſocialem Eccleſiæ conuerſationem honore meriti ſublimioris antecedant. Vn-
de de talibus rectè ſcribit Ioannes, Qui empti ſunt ex hominibus primitiæ deo & agno. Rectè tales Latino ſer-
mone, vel virgines quaſi virtute inſignes, vel cœlibes quaſi cœlo beati cognominantur, id eſt, cœli ciuium in *Apoc. 14.*
terra vitam imitantes. RVPERTVS. Vel aliter. Rubeus ſiue hyacinthinus color pellibus arietum non
per naturam adeſt, ſed per induſtriam affertur. Bene ergo per hæc fidelis ſecularium concordia deſignatur, qui
virtutum copiam non quidem actu habent, ſed in eis qui habent, & ipſi amando poſsident. Hinc nanque illud *Pſal. 121.*
in

in Psalmo, quod cùm præmissum esset, Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, statim subiectum est, Et abun-G dantia diligentibus te. Abundat enim spiritualibus bonis Hierusalem, id est, anima sancta quæcunque suam quærit pacem, deúmque videt per contemplationem, qui autem non eodem proposito stabilitus, amat sic incedentem, perfruitur & ipse abundantia cum eadem Hierusalem.

3 *FAcies & tabulas stantes tabernaculi de lignis Sethim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur, atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. Quarum uiginti erunt in latere meridiano, quod uergit ad austrum, quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur. In latere quoque secundo tabernaculi quod uergit ad aqui-H lonem, uiginti tabulæ erunt, quadraginta habentes bases argenteas. Binæ bases singulis tabulis supponentur. Ad occidentalem uerò plagam tabernaculi facies sex tabulas, & rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. Eruntque sibi coniunctæ à deorsum usque sursum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.*

3 AVCTOR CATENAE. Iam de ipso ligneo corpore tabernaculi tractatur, constituto ex quadraginta octo tabulis vel asseribus de lignis Sethim. *Facies* (inquit) *& tabulas stantes tabernaculi de lignis Sethim, quæ singulæ de-*
*Cap.5.* *nos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem.* BEDA. Ligna Sethim de quibus tabernacu-I lum fiebat, imputribilis sunt naturæ, eximij candoris ac leuitatis, & non multùm ab alba spina, nisi magnitudine tantùm distantia. Vnde & Hieronymus nonnunquam in libro Hebræorum nominum & in aliis opusculis suis, Sethim absolutè spinas interpretatus est. Verbi gratia, Abel sethim, luctus spinarum. Non autem facilè hoc genus ligni nisi in desertis Arabiæ vbi tabernaculum ædificabatur, solet inueniri. Vnde Græci vel Latini Interpretes, nomen ei aliud præter Hebræum ponere nequiuerunt, vtpote cuius apud eos notitia nulla erat, quamuis quidam qualitatem naturæ eius exprimere volentes, ligna imputribilia transtulerint. CAIETANVS. Descripto tabernaculo describuntur parietes sustentantes ipsum. Et materia quidem decernitur lignea, forma autem, non trabium, sed tabularum, non qualitercunque sitarum, sed stantium, ita quòd quælibet erat erecta, longitudinis decem cubitorum, latitudinis verò cubiti & dimidij. AVCTOR CATENAE. Quod omnes editiones tabulas habent, soli Septuaginta, καὶ ποιήσεις σύλους τῆς σκηνῆς ἐκ ξύλων ἀσήπτων, id est, Et facies columnas tabernaculi de lignis imputribilibus, dixerunt, similique modo vbique in K hoc capite legunt. Asserum autem huiusmodi spissitudo non scribitur, putatur tamen fuisse quatuor digitorum à Iosepho. Tanta reuerà fuit, vt commodè capere potuerit ad latera, secundum spissitudinem incastraturas duas, quibus sese contingentes confirmare poterant, & conseruare rectitudinem planam, & mutuò connecti. De his autem incastraturis statim subditur. *In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabu-*
*Quæst.109.* *læ connectatur, atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.* AVGVSTINVS. Alia litera, Facies duos anconiscos columnæ vni consistentes ex aduerso. Sic facies omnes columnas tabernaculi. Quod dicit ex aduerso, hoc est, vnum hinc, & vnum inde de lateribus columnæ. Anconiscos autem dicit, quos vulgo vocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo verbi à cubitis vbi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui Græcè dicun-
*Quæst.173.* tur ἀγκῶνες. IDEM. Quare autem iusserit fieri hos anconiscos, non satis mihi apparet. Si enim ad columnas portandas, fierent quatuor, in vnum fierent: si autem vbi serræ incumberent, etiam plures fierent, L nam quinas serras singulis columnis distribuit. Nisi fortè in his anconiscis non aliquis vsus, sed sola significatio sit, sicut in velo vndecimo capillacio. Nam columna duos anconiscos velut brachia hinc atque hinc extendens, figuram crucis reddit. CAIETANVS. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur. Si sic clarè sonaret textus Hebræus, nulla esset difficultas, sed in Hebræo habetur, Duas manus tabulæ vni graduatas, mulierem ad sororem suam. Vbicunque in his tabulis legeris incastraturas, lege manus. Et quia bases erant sub manibus, ita quòd singulis manibus submissæ erant singulæ bases (vt clarè dicitur in litera) ideo manus istæ erant in imo tabulæ. Et quia basis vnius tabulæ non impediebat coniunctionem immediatam vnius tabulæ cum alia, consequens est quòd bases cuiuscunque tabulæ non erant in extremitatibus tabulæ hinc & inde (impedissent enim contiguitatem tabularum) sed erant citra extrema latitudinis cuiuslibet tabulæ, ita quòd hinc & inde vltra bases erat aliquid tabulæ nudum. Et hinc percipitur quòd manus duæ in imo tabulæ quæ in bases duas introibant, non erant in extremitatibus tabulæ hinc & in-M de, sed citra extrema latitudinis hinc & inde. Immò rationabile videtur, vt si exempli gratia latitudo fuisset quinque palmorum, duo extremi palmi & tertius essent nudi, secundus autem & quartus constituerent duas manus comprehensas à duabus basibus, nam sic optimè sustinerent absque detrimento roboris partium infirmarum ex incisionibus manuum. Nec intelligas manus istas cum discretis digitis, sed quantitatem tabulæ claudendæ inter basem secundum quantitatem & formam fortè manus. Incisiones seu sectiones itaque concurrentes ad constituendum manum quamlibet, erant duæ, exempli gratia, altera inter primum & secundum palmum, altera inter secundum & tertium, sic enim manus media inter duas sectiones inueniretur. Et quia graduatæ describuntur (hoc est ad similitudinem graduum ligneorum in domibus) ideo sectiones istæ non erant perpendiculariter rectæ. Sed quantò magis distabant ab imo, tantò inter sese magis distabant, ita vt manus media esset stricta in imo, & lata vtrinque in summo, sic nanque manus duæ cuiuslibet tabulæ erant gra-
duatæ



A duatæ. Et quia æquales erant in omnibus incisiones, spatia, arctitudines, latitudines & altitudines, ideo dicitur mulierem ad sororem suam. AVCTOR CATENAE. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur. Nihil clariùs dici potest quàm quod hîc reddidit Interpres, licet de suo posuerit dictiones duas quæ in Hæbræo non habentur, nempe in lateribus. Sed hoc necessitate rei facere compulsus fuit. Aliæ autem versiones locum satis obscurum fecerunt. Sunt enim Hebraica שְׁתֵּי יָדוֹת לַקֶּרֶשׁ הָאֶחָד מְשֻׁלֶּבֶת אִשָּׁה אֶל אֲחֹתָהּ Sette iadoth lakéres haechad mesullaboth issa el achotha. Dictio autem iadoth, pro manibus sedis quæ erant ad similitudinem manus hominis, quandoque ponitur, vt tertio Regum decimo, Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus. Quandoque autem pro incastraturis tabularum, vt hîc rectè transtulit Interpres. Dictio quoque Mesullaboth, participium est fœmininum præsens in piel à verbo salab quod coniungere significat & connectere. Vertunt itaque nonnulli hîc, Duæ ma-
B nus erunt in tabula vna, distinguentúrque ad inuicem. Et est sensus secundum istos, quòd de tabula enitebant duæ partes in serratura relictæ, quæ basibus immissæ, tabulam erectam continebant. Hi ergo nedum duas manus, sed etiam duos pedes vertunt, idem per vtrumque significantes. Alij, qui dictionem iadoth pro cardinibus ostiorum capiunt, sic vertunt, Duos cardines habebit vnaquæque tabula instar graduum scalæ dispositos, alter è regione alterius, id est, duo illi cardines, qui erunt in extremitate tabularum, erunt veluti duo parui vectes qui præ se ferent figuram scalarum. Cardines enim hi vocant vectes, qui sunt sicut pistellus ferreus mortarioli. Huic versioni partim, partim & Latinæ fauet Chaldaica, habens, Duos cardines habebit vnaquæque tabula, & duabus incastraturis erunt coniunctæ vna cum alia. Alij legunt, Duo denticuli fiant in vnoquoque assere, incisi alter è regione alterius, vt videlicet tabula tabulæ aptè connecti possit. Per incastraturas itaque prædictas Iosephus & eum sequentes, cardines (vt dictum est) intelligunt. Porrò secundum alios incastratio tabulârum fiebat, dum vna (vt vulgò dicitur) incauabatur in sua extremitate, & altera atte-
C nuabatur, quatenus attenuata infigeretur concauatæ in sua concauitate, & ita Latinus Interpres intelligit. Nec desunt qui dicant, quòd incastratio erat insertio tabulæ in tabulam per medios clauos compacta, quæ ideò fiebat, ne rimula aliqua appareret ibi, aut parietis planicies esset inæqualis. Demum nonnulli has incastraturas, duos fuisse dicunt prominentes quasi clauos aut pedes in inferiori parte tabulæ ex serratura relictos, qui basibus immissi, continebant tabulam erectam. Et quod nostra translatio habet, Quibus tabula alteri tabulæ connectatur; Legunt hi, vnusquisque pes sit gradatim ab altero distinctus. In hac tanta opinionum varietate quid potest certi diffiniri? Placet magis audire alios quàm nostram promere sententiam. Sequitur, Atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. Parui refert quòd in Hebræo legitur כֵּן תֵּעָשֶׂה לְכָל קַרְשֵׁי הַמִּשְׁכָּן Chen tahase lecol karse hamiscan, Sic facies in omnibus tabulis tabernaculi, nam idem est sensus vtrobique, quòd omnes tabulæ erant similes in longitudine, latitudine, & incastraturis. Septuaginta ve-
D rò, Δύω ἀγκωνίσκους τῇ μιᾷ σύλῳ τῇ ἑνὶ, ἀντιπίπτουσας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ, id est, Duos cubitulos columnæ vni concurrentes alterum alteri. *Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum, quibus quadraginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Bases non eas tantùm videtur dicere scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur, sed *Quæst.100* etiam superiores quæ capitella nos dicimus. Ideo dicit secundum aliam literam, Duas bases columnæ vni in ambas partes eius. Nam quæ sunt ambæ partes, nisi inferior & superior? BEDA. Quanta fuerit longitudo tabernaculi, specialiter non exprimitur, sed ex eo innuitur, quòd parietes eius ex tabulis viginti compacti essent, & hæ singulæ singulos cubitos ac semissem latitudinis habuisse perhibentur. Viginti nanque cubiti, & vicies semis cubiti, triginta cubitorum summam complebunt, quam fuisse tabernaculi longitudinem etiam Iosephus scribit RVPERTVS. Quia tabulæ stantes sunt, & habent in latitudine singulos ac semissem, profectò triginta cubitorum constat esse vtriusque tabulati longitudinem, vt paulopost etiam videtur, & non pertingit vsque ad extenti desuper tecti quantitatem, Quadraginta cubitos longitudinis explican-
E tem, secundum numerum vel extensionem decem cortinarum, quarum singulæ, quatuor in latitudine cubitorum erant. CAIETANVS. Nulla est in textu Hebraico mentio fusorij operis, nec cuius figuræ erant bases istæ, quæ erant duo fundamenta cuiusque tabulæ. An autem bases istæ essent acutæ inferius, ad hoc vt figerentur in terram, an essent inferius planæ (vt etiam super marmoreum stratum locari potuissent, tabulámque tanquam pedes sustinere) scriptura non dicit, quia tamen fundamenti vices tenent, rationabile videtur, quòd fuerint planæ, rotundæ & suauis ambitus ad stabiliendam tabulam. AVCTOR CATENAE. Quarum viginti erunt, & cætera. Consultò aliquot verba dimisit Interpres, quæ id quod dicitur hîc, in Hæbræo præcedunt, videlicet וְעָשִׂיתָ אֶת הַקְּרָשִׁים לַמִּשְׁכָּן Vehasitha eth hakerasim lamiscan, Et facies tabulas tabernaculo. Quæ ideo dimissa sunt, vt vitaretur verborum repetitio Hebræo idiomati propria, nam iam suprà dixerat, Facies & tabulas stantes tabernaculi. Sequitur, Quibus (subaudi viginti tabulis) quadraginta bases argenteas fundes. Propria Hebraica sunt prout habet Chaldaica, Et quadraginta bases argenteas facies sub
F viginti tabulis. Sed hoc idem cum Latina litera, præter quod non exprimitur de fusione basium. Vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur. Egregiè epilogauit interpres, quod longioribus verbis exprimitur in Hebræo, vt videbitur. Et est sciendum, quòd dictionem Iadoth, quam suprà incastraturas vertebat, hîc reddit angulos. Est igitur sensus, quòd quælibet tabula subtus se duas habebat bases, vnam in vno angulo siue extremitate sui, aliam in alio. Ipsa autem tabula duas in se habebat incastraturas, vel cardines, siue manus, aut pedes, vel dentulos (quomodocunque voces) quæ in basibus per foramina quædam suscipiebantur ac claudebantur. Hebraica etiam ipsa hoc dicunt, quæ sic habentur vt in Chaldaica, videlicet, Duæ bases erunt sub tabula vna in duobus cardinibus eius, & duę bases sub tabula alia in duobus cardinibus eius. Nec moueat repetitio, quia genus locutionis est, vt omnes ita intelligantur, de quibus non dicit, more suo geminando, sicut puteos, puteos: aceruos, acernos: generationes & generationes, & similia. Quidam ex recentioribus reddunt, Duas bases (subaudi facies) subter tabulam vnam, duabus incastraturis eius, siue pro duobus
pedibus

pedibus, aut denticulis eius, & duas baſes ſubter tabulam alteram duabus incaſtraturis eius, Vel pro duo- G
bus pedibus, ſiue denticulis eius. Vt ſit ſenſus, Non ſtabunt hæ tabulæ viginti intra vel ſupra terram, ſed ha-
bebunt ſingulæ ſub ſe duas baſes argenteas terræ infixas fortiter & immobiliter, foramina ſingula habentes,
quibus immittentur pedes duo, vel incaſtraturæ, quæ ſubtus erunt fabrefactæ in aſſeribus, & erit ſecundus
modus figendi tabulas, ne dimoueantur. Quæ omnia idem ſunt in ſumma cum ſuperioribus, & cum ver-
ſione Latina. Baſes autem Hebraicè dicuntur אֲדָנִים Adanim, id eſt, ſuſtentacula & fundamenta. Hinc He-
bræis dominus, Adonai dicitur, ſicut Græcis rex βασιλεὺς, quòd ſit baſis & ſuſtentaculum populi. Erant igi-
tur ſub viginti tabulis quadraginta baſes argenteæ pro auſtrali latere tabernaculi, quod reddebat altitudi-
nem decem cubitorum, longitudinem autem triginta. *In latere quoque ſecundo tabernaculi quod vergit ad Aquilo-* H
*nem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes baſes argenteas. Binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur.* Iuxta Hebræum
ſimilis eſt locutio ſicut in ſuperioribus aſſeribus, & ſicut legitur in Chaldaica, Videlicet, Duæ baſes ſub
vna tabula, & duæ baſes ſub alia tabula. Quæ omnia ſummatim egregiè perſtrinxit Interpres, dum ait, Bi-
næ baſes ſingulis tabulis ſupponentur. Nec replicatur bis etiam in textu Hebraico, In duobus cardinibus
ſeu incaſtraturis eius, ſicut in parte meridionali poſitum erat, quod licet non fiat, intelligitur tamen. Alij
ergo viginti aſſeres ſtatuuntur è regione ab aquilonari plaga, eandem altitudinis & longitudinis menſu-
*Quæſt.173.* ram facientes. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Sed
videamus num in columnis vel tabulis vt dicunt alij, forma tabernaculi poſsit aduerti, vtrum quadra,
an rotunda ſit, an oblongam habeat quadraturam, lateribus longioribus, breuioribus frontibus, ſicut ple-
ræque baſilicæ conſtruuntur, hoc enim potiùs hîc euidenter exprimitur. Nam videmus vicenis columnis
porrecta duo latera tabernaculi aquilonis & auſtri, duo verò ſunt reliqua, orientale & occidentale, quæ ſi
totidem columnas habuiſſent, proculdubiò quadratum eſſet. Quod autem habent, de occidentali non
tacetur, de orientali tacetur. Vtrum quia non habuit, & ſola illic ſine columnis extendebantur aulæa, ab I
extrema columna vnius lateris vſque ad alterius alteram extremam, an etiam aliqua cauſa taceatur, vt etiam
tacitè intelligantur, neſcio. Poſtea quippe ex ipſa parte orientis decem columnæ commemorantur, ſed atrij de
quo poſtea loquitur, quod huic tabernaculo circumponi iubet. Commemoratis ergo lateribus tabernaculi a-
quilonio & auſtrali, & vicenis columnis, deinde ſequitur & adiungit, dicens, *Ad occidentalem verò plagam ta-*
*bernaculi facies ſex tabulas, & rurſum alias duas, quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi: erúntque ſibi coniunctæ à deor-*
*ſum vſque ſurſum, & vna omnes compago retinebit.* Alia litera, Et retro tabernaculum per partem quæ eſt contra ma-
re, facies ſex columnas, & duas columnas facies in angulis tabernaculi à poſterioribus, & æquales deorſum
verſus, & in ſe conuenientes erunt, ac æquales de capitibus in commiſſuram vnam. Latus itaque occiden-
tis (nam hoc eſt ad mare) columnis octo extenditur, Sex mediis, & duabus angularibus, quas æquales ad
vnam commiſſuram dicit eſſe debere. Credo quòd angulus duo in ſe latera committet, & ſic columna an-
gularis lateri vtrique communis, iſta occidentali & aquilonari, & iſta occidentali & auſtrali. Quòd autem di- K
cit, etiam æquales deorſum verſus, hoc vtique dicit, vt ad perpendiculum libraretur, ne robuſtiores eſſent
infrà quàm ſuprà, ſicut pleræque columnæ ſunt. BEDA. Ioſephus ſcribit de tabernaculo, quòd decem
cubitos habebat latitudinis. Scribit etiam, quòd tabulæ eius menſuræ quatuor digitorum fuerint à terra ſu-
ſpenſæ, ex quo videtur velle intelligi, quòd tantæ altitudinis factæ fuerint ipſarum baſes tabularum. Qui rur-
ſus de hoc quod modò propoſuimus capitulo, ita dicit: Poſterioris autem parietis nouem cubitos ſex tabulæ
faciebant, quibus coniunctæ ſunt aliæ duæ tabulæ ex medio cubito ſectæ, quas angulares poſuerunt, ad inſtar
aliarum tabularum. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et vna omnes compago retinebit, id eſt,
conſimilis iunctura ligabit omnes. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et duas tabulas facies an-
gulis tabernaculi in extremitatibus. Iſtæ duæ tabulæ, ſimul cum antedictis ſex, conſtituebant integram lati- L
tudinem tabernaculi, ita quòd paries occidentalis conſtabat ex octo tabulis, ſed iſtæ duæ angulares ſeorſum
deſcribuntur propter diſparitatem ab aliis ſex. Quæ diſparitas in vulgata editione non legitur, ſed legitur,
Erúntque ſibi coniunctæ à deorſum vſque ad ſurſum, & vna omnes compago retinebit. Iuxta Hebræum enim
habetur, Et erunt geminatæ inferiùs, & ſimiliter erunt æquatæ ſuper caput ſuum ad annulum vnum. Hæc eſt
litera Hebraica, in qua deſcribitur diſparitas tabularum angularium ab illis ſex. Et conſiſtit diſparitas in hoc,
quòd vtraque angularis tabula non per totum, ſed tam in parte inferiori, quàm in parte ſuperiori erat veſti-
ta fruſtis tabulæ, ſic enim conſueuerunt veſtiri anguli, vt hæc fruſta ſint quaſi capita & baſes angulorum,
Quod autem dicit ad annulum vnum, ſignificat ſitum cuiuſlibet fruſti, non in tabulæ ſummo & imo ab-
ſolutè, ſed immediatè ad annulum vnum tam in ſummo quàm in imo. Et eſt ſermo de annulis ſubiun-
gendis, & ſignificatur ad literam, quòd fruſtum ſuperius locandum erat immediatè ſub vecte ſummo, &
fruſtum inferius locandum erat immediatè ſuper vectem infimum, ſic enim verificatur, quòd vtrumque
erat ad annulum vnum. AVCTOR CATENAE. Et rurſum alias duas quæ in angulis erigantur
poſt tergum tabernaculi. Senſus idem eſt, ſed verba diuerſa. Sunt enim Hebraica vt habet etiam Chal- M
daica, Et duas tabulas facies ad angulos tabernaculi. in extremitate eius. Licet dictionem בִּירֵכָתַיִם Baiar-
chathaim, alij in concurſu duorum laterum, alij in duobus lateribus, vertant. Sed idem valet, nam in extremi-
tate illius partis hinc & inde latera duo erant ſecum reſpectiuè copulanda, videlicet meridionale & aquilonare.
Erúntque ſibi coniunctæ à deorſum vſque ad ſurſum. Hebraicè eſt וְיִהְיוּ תוֹאֲמִם מִלְמָטָּה Veihiu thoamim mile-
matta. Pro quo ſciendum dictionem thoamim, ſecundum alios ſignificare, coniunctas: ſecundū alios, geminatas
vel gemellas. Sic igitur redditur locus, Et erunt coniunctę ab inferiori parte. Sic habet & Chaldaica. Alij legunt,
Et erunt gemellę in parte ima, hoc eſt, tam aptè coniungentur inter ſe aſſeres in parte ima, vt videantur gemelli.
Loquitur autem de omnibus tabulis prędictis, non autem de proximis duabus tantùm. Alij, Et erunt geminatę in-
fernè, ſed idem eſt. Septuaginta, καὶ ἔσονται ἀφ' ὑποκάτω ἕν, Et erunt ex æquo ab infra. Et vna omnes compago re-
tinebit



A tinebit. Hebraica ſunt וְיִהְיוּ יְחִדָּיו תַּמִּים עַל רֹאשׁוֹ אֶל הַטַּבַּעַת הָאֶחָת Veiachdau ihiu thāmim hal roſo el hatabbā-
hath haechath, Smúlque erunt coniunctę in capite ſuo in annulo vno. Sic habet & Chaldaica. Alij reddunt,
Et pari modo erunt coniunctæ in capite ad circulum ſiue vncinum vnum. Quaſi dicat, Continebuntur tabu-
læ adinuicem, infrà per baſes, & ſuprà per circulos, vno ſcilicet circulo duas complectente tabulas, ne à ſeip-
ſis diſſideant. Quidam legunt, ſic gemini erunt (ſubaudi aſſeres) in capite ſuo ad annulum vnum. Vel, Et ſi-
mul deſinent in faſtigio eius in circulum vnum. Id eſt, tam bene compacti erunt, vt ex duobus aſſeribus vi-
deatur vnus, qui in ſummitate iungentur circulo vno. Nonnulli, Et pariter erunt geminatæ ſuper ca-
put eius ad annulum vnum. Septuaginta, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἔσονται ὅσοι ἐκ τῶν κεφαλῶν εἰς σύμβλωσιν μίαν,
Et in idipſum erunt æquales à capitibus in copulationem vnam. Quæ omnia rectè intuenti idem ſunt in ſen-
ſu cum Latina verſione. Iſtæ autem duæ tabulæ quæ in angulis occidentalis parietis ponendæ erant, vt com-
B muniter dicitur, non erant latitudinis tantæ vt cæteræ, quoniam vnaquæque earum habebat in latitudine
cubitum medium, erant tamen in longitudine & ſpiſsitudine cæteris æquales. Ita quòd vna harum dua-
rum fuit erecta in vno latere ſeu extremitate parietis occidentalis, altera verò in alio illius parietis latere.
Cùm enim ſex tabulæ prædictæ non implerent niſi nouem latitudinis cubitos, dimidius cubitus ab vtra-
que parte vacuus apparebat. Ideo tabula vno cubito lata per medium ſecta eſt, & inde ſunt factæ duæ
tabulæ ſemicubitales, quæ vtrinque partibus illis oppoſitæ, clauſerunt & impleuerunt duos illos ſemicubi-
tos vacuos, parietémque occidentalem compaginauerunt & coniunxerunt aliis duobus parietibus collate-
ralibus. *Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur.* RVPERTVS. Iuxta
hiſtoricam poſitionem duas tabulas in angulis poſt tergum tabernaculi erectas, ad quid niſi ad ornatum va-
lere arbitremur? CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Sic erit duabus ipſis, duobus angulis erunt. Quod
ergo dicitur de vna tabula vnius anguli, idem intellige de altera alterius anguli, duo enim duntaxat an-
C guli erant in tabernaculo. AVCTOR CATENAE. Duabus quoque tabulis quæ in angulis
ponendæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur. Idem eſt in virtute quod in Hebræo legitur, בֵּן יִהְיֶה לִשְׁנֵיהֶם לִשְׁנֵי
הַמִּקְצֹעֹת יִהְיוּ Chen ihie liſnehem, liſne hamikzohoth ihiu, Sic erit ambabus ipſis, in duobus angulis erunt.
Vertunt alij, Sic erit de duabus illis tabulis quæ ponentur in angulis. Alij, Sic erit pro duabus illis, pro
duabus (inquam) quæ in angulis ſunt. Chaldaica, Sic erit ambobus, hoc eſt, duobus angulis. Septuagin-
ta, οὕτω ποιήσεις ἀμφοτέρας ταῖς γωνίαις ταῖς δυσὶν, ἴσαι ἔσωσαι, Sic facies vtriſque angulis duobus, æquales
erunt. Eſt autem ſenſus, Sic erunt coniunctæ tabulis proximis duæ ſemicubitales tabulæ, quemadmodum
cæteræ ſibi inuicem connectentur, adeò vt duæ occidentales anguli in omnibus æquales ſint. *Et erunt ſi-*
*mul tabulæ octo, baſis earum argenteæ ſedecim, duabus baſibus per vnam ſupputatis.* CAIETANVS. Summa hęc
tabularum manifeſtat duo. Alterum, quòd dictarum duarum tabularum altera in vno, altera in altero angulo
erat, alioquin plures quàm octo fuiſſent in pariete occidentali. Alterum, quòd paries iſte occidentalis ex
D octo tabulis, erat duodecim cubitorum ſecundum latitudinem, nam abſque exceptione aliqua, præſcripta
eſt quantitas cuiuſque tabulæ tabernaculi, vt videlicet longitudo ſit decem cubitorum, & latitudo ſit cu-
biti & dimidij. Quocirca ſi quantitas tabernaculi exactè ſummetur, altitudo quidem inuenietur decem cu-
bitorum, longitudo verò pertingebat ad trigeſimum cubitum, latitudo autem duodecim inuenitur cubi-
torum. Et talis figura decentior apparet, quàm ſi latitudo eſſet decem duntaxat cubitorum. Baſes earum
argenteæ ſedecim, duabus baſibus per vnam tabulam ſupputatis. Hinc apparet, quòd fruſta adiuncta angula-
ribus tabulis, affixa erant tabulis ipſis, non enim proprias habebant baſes, ſed contenta erant baſibus ſuæ tabulæ.
Sedecim enim baſes duntaxat ſummantur pro octo tabulis, quarū duæ angulares, erant geminatę ſuperiùs & in-
ferius. AVCTOR CATENAE. Duabus baſibus per vnā tabulā ſupputatis, id eſt, duabus baſibus vnicuiq; ta
bulę ſuppoſitis. Succinctè & cōcinnè admodū Hebraiſmū expreſsit, qui eſt vt in Chaldaica, videlicet, Duę baſes
ſub vna tabula, & duę baſes ſub alia tabula, ſubaudi erūt, pro quo Septuaginta dixerūt, Et duę baſes colūnę vni,
E & duę baſes colūnæ vni, & duę baſes colūnę vni in ambas partes eius. Fortè enim reſpectū habuerūt ad omnes ta
bulas tabernaculi, videlicet laterū aquilonaris, occidentalis & meridionalis ſimul. Ad occidentalē ergo plagam
claudendū erat tabernaculū octo aſſeribus, eiuſdem cū reliquis altitudinis, ſed fortè non eadem latitudine. Nam
quibuſdā tabula quælibet vnius cubiti latitudinem habuiſſe videtur ex menſura cortinarū præmiſſa. Aliis ſex ta
bulas, cubitum & ſemiſſem, duas verò angulares dimidium cubiti habuiſſe placet, vt latitudo occidētalis lateris
decem fuiſſe videatur cubitorum. Maximè quòd earum tabularum latitudo, non diffinita legitur. Et ſi hoc dica-
tur, quædam difficultates ceſſabunt, quæ mouere attentū poterant lectorem. Nec tamen moramur iudicia aliorū
dicentium, iuxta cubiti & ſemis latitudinē tabulę, tabernaculi latitudinem fuiſſe duodecim cubitorū, ſed id di-
centes, de ſuo, nō euadent alias quæſtiones. Hîc autē primū de ſex aſſeribus dicitur, quomodo vt reliqua baſibus
ſuſtententur, & incaſtraturis reliquis ſimilibus. Sed ad angulos rectos ſtatuendos, alię quoq; duę vt ſint octo, ap-
plicabantur, ad angulos auſtralē, & aquilonarem cōtra occaſum, hoc pacto, vt idoneis nimirū incaſtraturis appli
F carent ſe ad cōponendum angulum rectum, cū reliquis duobus lateribus, auſtrali & boreali. Habētes inſuper ſub-
tus & ſupernè vncinos, quibus latera fortiùs comprimebantur, vt immobiliter ſtarent tres illi parietes, ex tabulis
Sethim apparati & erecti, & hoc erat tertia fixura pro ſtabiliendo opere cū ſedecim argenteis baſibus ſub octo ta
bulis terræ infixis, ibidem ad occidentalem parietem inſiſtentibus.

PROSPER DE PROMISSIONIBVS ET PRAEDICTIONIBVS DEI. Non ſine myſte- *Myſticè.*
rio vndecim velis cilicinis tabernaculum deſuper operitur, quo reum eſſe oſtendat totum mundum deo, ac ſub *Par. 1. cap.*
pœnitentiam degere. Ipſius enim numerus Pſalmi habet principium, Saluum me fac deus, quoniam defecit ſan- *eodem.*
ctus. Et cur defecerit narrat. Quoniam diminutæ ſunt, ait, veritates à filiis hominum, pro quibus ſaluan- *Pſalm. 11.*
dis veritas ipſa de cœlo deſcendit, quæ dignata eſt habitare cum hominibus in terra. Interiora verò taber-
naculi, his ex rebus ornantur. Bis denæ in parte columnæ ſiue tabulę ex lignis imputribilibus, non tam ſanctos

Apostolos,quam doctores quoque Ecclesiarum præsignant,quos etiam Paulus ostendit, dicens, Petrus & Ioan- G
*Gal.2.* nes qui videbantur columnæ esse,dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis. Barnabas enim in Apostolatum
*Act.13.* est susceptus in ordine,domino præcipiēte & dicente, Separate mihi Barnabam & Paulum in opus,in quod pro-
*Prou.9.* uocaui eos. In quo opere ipsa sapientia fabricans sibi domum, subdidit columnas septem. Quas,terra cū defluxisset, peccatis incursantibus, columnas eius ipsa confirmauit. Vel harum columnarum numerus in duabus
*Psalm.74.* partibus tabernaculi æqualiter positus, quadragesimum diem ascensionis domini demonstrat, in qua suis ait discipulis, Vos sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. RVPERTVS. Facies & tabulas stantes tabernaculi, de lignis Sethim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos & semissem. Tabulæ in tabernaculo stantes, prælatos significant in Ecclesia præminentes, scilicet simplicitate decoros, prudentia tutos, in secularibus prouidos,in diuinis rebus consideratos.In tabulis enim neque decor cum teneritudine, vt in cortinis, neque munimentum est cum squalore, vt in sagis. Prælatos ergo rectè H
designāt, qui neque curam subditorum propter amorem cœlestium, nec cœlestium contemplationem negligere debent propter temporalem subditorum curam. Minuitur tamen illis quies contemplationis propter studiū operationis. Vnde & rectè denos in longitudine cubitos absque diminutione, in latitudine autem singulos ac semissem habent. Quod enim cadit in semissem, integri vel totius non significat plenitudinem. BEDA. Tabulæ ergo tabernaculi Apostolos eorúmque successores, per quorum sermonem Ecclesia per orbem dilatata est, & eorum exemplo & doctrina munita designant. Latitudo enim tabularum, dilatatio est fidei & sacramentorum, quæ priùs in vna Israëlitica plebe latebat, sed horum ministerio ad totius orbis plenitudinem peruenit. Quamuis rectè in latitudine tabularum, ipsa quoque dilatatio cordis sanctorum valet intelligi, per quam mundum despicere, atque ad appetenda cœlestia solent sublimiter accendi, per quam non solùm amicos in deo,sed etiam inimicos gaudent diligere propter deum.Denique videamns vnam de tabulis tabernaculi,videli
*2.Cor.6.* cet Apostolum Paulum qualiter vtroque modo se dilatatum insinuet:Dicit de interno,id est,cordis latitudine, I
Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est: non angustiamini in nos, angustiamini autem in visceribus vestris. Tanquam filiis dico, dilatamini & vos. Dicit & de illa, qua ad profectum tabernaculi, id est, sanctæ Ecclesiæ vti solebat, Ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illiricum, impleue-
*Matt.13.& Marc.4.* rim Euangelium Christi. Factæ sunt autem tabulæ de lignis Sethim, id est, spinarum. Spinæ iuxta eloquium saluatoris, curæ sunt huius seculi, diuitiæ & voluptates fallaces. Sed & punctiones peccatorum non incongruè
*Prou.26.* spinis assimilantur. Hinc etenim scriptum est, quia spinæ nascuntur in manibus temulenti, id est, peccatain operibus stulti. Quia ergo prædicatores sancti, & à punctionibus se vitiorum expurgare, & omnibus mundi curis ac delectationibus exuere studuerunt, quatenus libera mente in amore dei & proximi dilatari, atque ad prædicandum verbum longè latèque possint discurrere, rectè dicitur, quia de lignis spinarum tabulæ sunt factæ tabernaculi.Factæ sunt nanque de spinis,sed his quæ omnes aculeos spinosos prorsus exuerant, & solo candore nitebant. Nam & sancti quique ac virtutibus splendentes, etiam cùm ipsi in peccato primæ præuari- K
*Gen.3.* cationis concepti & nati sint, ad ipsos quoque generalis illa damnatio pertinet, qua Adæ peccanti dictum est, Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Sed gratia dei per Iesum Christum spiculis sunt omnium peccatorum exuti, ac digno virtutum exercitio in structuram domus eius aptati. Habebunt autem (inquit) singulæ tabulæ denos cubitos in longitudine, & in latitudine cubitum ac semissem.Longitudo tabularum, altitudo est, quæ decem cubitos habebat,quia sancti doctores,per obseruantiā decalogi legis,ad perfectionem tendunt,quia pro perceptione denarij diurni in vinea Christi laborāt,id est,illa intentione verbo doctrinæ insistunt,vt imaginem in se sui conditoris ac regis,quam Adam peccante perdiderunt,ipso donante restaurent,vt nomē eius quod peccando amiserant,rectè viuendo recipiant.Solet nanque in denario,regis nomē & imago cōtineri.Sed & hoc quod denarius ex eo nomen accipit,quia decem nummis cōpleatur,statui futuræ nostræ beatitudinis aptè con- L
gruit,quæ in vera dei & proximi dilectione perficitur. Deus nanq; solet ternario sæpe numero, propter eam quæ
*Deut.6.* ipse est trinitatē,figurari: homo,septenario,quia corpus ex quatuor notissimis habet elemētis. Animæ verò,hoc est,interioris hominis substantia,triplici solet in scripturis distantia comprehendi. Hinc est enim quòd diligere deum ex toto code,tota anima,tota virtute nostra præcipimur. Bene ergo tabulæ quibus erectis ac stantibus tabernaculum omne continetur, decē cubitos habent altitudinis, quia doctores ac rectores sanctæ Ecclesiæ, hac intentione deo deseruiunt,vt ipsum anima & carne immortales ac beati, in æternum videre mereantur, & ad hunc finē vitę omnes suos auditores & verbo semper & opere prouocare,ac veluti suspendere contēdunt.Quod verò ipsę tabulę cubitos ac semissem in latitudine habebant,plenus ille cubitus perfectionem bonæ operationis, dimidium cubiti quod supereſt, inchoationē diuinæ ostendit cognitionis,quia nimirum iusti in hac vita perfectè eleemosynis insistere,orationibus vacare,ieiuniis castigari,ceterisq; huiusmodi actib⁹ religiosis possunt operam dare,Deum verò interim fide cognoscimus,sed plenā eius cognitionē in futuro speramus, dicente ipso deo
*Ioan.8.* ac domino nostro Iesu Christo,Si manseritis in verbo meo,verè discipuli mei eritis & cognoscetis veritatē.Qui
*Ioan.17.* rursus ad patrem,Hęc est autē(inquit)vita ęterna,vt cognoscant te solū verū deum,& quē misisti Iesum Christū. M
*1.Cor.13.* Hinc etiam Apostolus ait,Ex parte enim cognoscimus,& ex parte prophetamus.Nūquid ait,ex parte laboramus pro Christo,ex parte verò prędicationi instamus, ex parte bonis operibus seruim⁹? Plenū ergo boni operis cubitū habent in hac vita electi,sed cubitum beatę retributionis ex parte habēt,in quantū gaudia regni perennis & præsentiam sui conditoris, possunt desideriis prægustare cœlestibus. Cuius etiam cubiti adimpletione tunc beatifi-
*Psam.90.* cantur,cùm fuerit sermo,quem omni electorum populo promisit in fine futurum,dicens, Eripiam eum,& glorificabo eum. Longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum. In lateribus (inquit) tabulæ, duę incastraturę fient quibus tabula alteri tabulæ connectatur, atque in hunc modum cunctę tabulę parabuntur. Incastraturę in lateribus tabularum, virtutem designant humilitatis in mentibus iustorum, per quam maximè sibi inuicem fraterna charitate iunguntur. Dum enim singuli quique eorum corde cōtrito & humiliato,receptaculū in se proximorū dilectioni prępărant, & diligēdis se fratribus meritò pietatis ac deuotionis exhibent



A bent, quasi tabulæ omnes tabernaculi in alterutrum per incastraturæ nexum copulantur. Et quidem erecto tabernaculo, ac regulariter ante ordinata compage tabularum, figura incastraturæ non cernitur, quanta tamen virtute tabulas sibimet coadunauerit, ipsa parietis inconcussi firma stabilitas ostendit, quia nimirum humilitas cordis sanctorum qua sibi alterutrum fœderantur, foris hominibus videri non potest, sed quid intus operetur, ex ipso sanctæ Ecclesiæ pacatissimo statu, palàm omnibus patet. Per quam mira diuinæ dispensationis gratia agitur, vt nos in quos fines seculorum deuenerunt, etiam eos qui in primordio seculi fuerunt fideles, syncero affectu diligamus, & non minus illos, quàm eos qui nobiscum in præsenti viuunt, in sinu nostri amoris susçipiamus, & nos quoque ab illis per complexum charitatis susçipiendos esse credamus. Quod autem iubetur duas in tabulis singulis incastraturas fieri,hoc est,in vtroque latere illarū,dupliciter accipi per figuram potest,vt & in prosperis simul atque aduersis,inuiolata erga fratres iura charitatis seruemus.Per arma iusti-
B tiæ,iuxta exemplum Apostoli,incedentes à dextris & sinistris, & maiores minoréſque, hoc est, & eos qui nos in *1.Cor.6.*
Christo præcesserunt,& eos qui sequuti sunt,vnius omnes eiusdēmq; dilectionis brachiis tenentes,ad perfectionis fastigia tendamus. Sequitur.Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad austrū, quibus qua- *Cap.6.*
draginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur. Bene triginta cubitorum numero tabernaculi longitudo comprehenditur,vt ex viginti asserum latitudine constat,quia tres sunt virtutes in quibus principaliter omnis sanctæ Ecclesiæ perfectio consistit,videlicet fides,spes,& charitas,quæ per decem multiplicantur,vt tricenarius numerus impleatur,dū virtutibus mentis opera bona iunguntur,quę decalogo legis cōtinentur,ne quis sibi fidē,spem,& dilectionē in deum,absque operū executione putet sufficere posse. Quod verò numerus tabularum vicenarius est,& hoc magnæ sanctorum perfectionis mysteriū continet. Quater enim quini faciunt viginti,& cū lex Mosaica quinque libris, gratia autem & veritas noui testamenti quatuor sancti Euangelij voluminibus comprehensa est,meritò sancti Doctores, vicenario numero exprimuntur, quia
C miro veritatis consensu, & reuelata atque completa in Euangelio legis arcana manifestant, & præfigurata fuisse in lege Euangelij sacramenta declarant.Dumq; & vetus testamentum in nouo dilucidatū,ac latiori sensu propalatum esse docent,& nouum in veteri adumbratum,ac multifaria typorum reuelatione præsignatum insinuant, quasi in latitudine suæ locutionis,& quatuor per quinque,& quinq; tabularum numerum per quatuor esse multiplicatum demonstrant.Bases autem quibus tabulæ sustentabantur,verba sunt & libri legis ac Prophetarū,quibus Apostoli & Euangelistæ,ea quæ scripsere ac prædicauere,vera esse ac diuina probant. Vnde est illud in Euan *Matth.1.*
gelio sæpissimè repetitū, Tunc adimpletū est, quod dictū est per Prophetam, & alibi, Hoc autem totum factum *Matth.24.*
est,vt adimplerentur scripturæ Prophetarum.Et Apostolus Petrus de domino testimoniū perhibens, adiecit, Et *2.Pet.1.*
habemus firmiorem propheticum sermonem,cui benefacitis attendentes.Bene autem singulis tabulis binæ bases supponuntur,vt consensus propheticæ attestationis,in omnibus quæ Apostoli dixere monstretur. Vel certè binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciuntur,vt bene suffultis angulis tota rectè & indeclinabiliter posit
D tabula consistere, quia omnis Euangelici & Apostolici sermonis,in propheticis literis, & initiū præsignatum inuenitur & finis. Omnis Apostolorum successorūq; illorū vita,ab initio fidei vsq; ad terminū vitæ præsentis, eisdem mystici testamenti veteris reperitur inserta esse paginis.Bene autem eædem bases argenteæ sunt factæ, propter nitorem videlicet verbi cœlestis.Eloquia enim domini eloquia casta,argentum igne examinatum, & cæte- *Psal.11.*
ra. GREGORIVS VIGESIMO OCTAVO MORALIVM. Possunt itaque per bases Prophetæ *Cap.9.*
signari,qui dum primi apertè de dominica incarnatione locuti sunt quasi quasdam bases eos conspicimus à fundamento consurgere, & superpositæ fabricæ pondera sustinere. Vnde ad Moysen dominus cùm tabernaculi tabulas erigi præcepit,fundi earū bases argenteas iubet. Quid enim per tabulas, nisi Apostoli extensa in mundū prædicatione dilatati? Quid per bases argenteas nisi Prophetæ signantur? qui superimpositas tabulas ipsi infirmi ac fusiles sustinent,quia Apostolorū vita dum eorum prædicatione instruitur,eorū & auctoritate solidatur.Vn-
de & coniunctæ binæ bases singulis tabulis superponūtur,quia dum Prophetæ sancti in verbis suis de mediato-
E ris incarnatione concordant,subsequentes prædicatores Ecclesiæ indubitanter ædificant, vt cū à semetipsis non discrepant illos in se robustiùs figant.Nec immeritò bases quibus Prophetę signantur,vt ex argento fundi debeāt præcipitur.Argenti quippe claritas ex vsu seruatur,sine vsu autē in nigredinem vertitur.Prophetarū quoq; dicta ante mediatoris aduentum quia in vsu spiritalis intelligentiæ non erant,dum cōspici præ obscuritate non poterant,quasi nigra remanebant. At postq̄ mediator veniens, ea ante oculos nostros incarnationis suæ manu terſit, quicquid in eis lucis latebat inclaruit, sensusq; patrum præcedentium in vsum dedit,quia verba rebus exposuit.

BEDA. In latere quoq; secundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem,viginti tabulæ erunt,quadraginta habentes bases argenteas.Binæ bases singulis tabulis supponentur.Latus meridianum tabernaculi quod vergebat ad austrum,antiquam illam dei plebem designat quæ lucem scientiæ legalis iandudum accipiens,amore sui conditoris feruere solebat.Porrò latus secundum quod vergebat ad aquilonem, eam quæ tenebris ac frigore in-
fidelitatis,vsque ad tempus dominicæ incarnationis torpere non destiterat, gentium multitudinem figurat,de *Esa.43.*
F cuius vocatione pulchrè dominus per Prophetam,Dicam(inquit)aquiloni,Da:& austro, Noli prohibere. Quod est apertè dicere,Dicam populo gentiū diutiùs sine fide algenti,Da de tuis filiis, qui ad meæ fidem confessionis & amoris conueniant.Dicā & plebi Israëliticæ quæ iam meæ lumine cogitationis fruebatur,Noli prohibere gētes in sortē electionis recipi,Dicā Cornelio ac domui eius,Fidē & Baptisma Christi susçipite. Dicā Iudæis,Nolite cogere credentes ex gentibus circuncidi, quibus fonte baptismi cōsecratis, fides & confessio veritatis ad salutem sufficit. Vnius autē numeri & mēsurarū,& facturæ tabulas,vtrūque latus habuit,quia nimirū vna eadēmque fides,spes,& charitas,vtriq; populo per Apostolos prædicatur,ad vna vterq; promissa regni cœlestis vocatur *Mar.16.*
de vtroq; generale præceptū saluatoris accipitur, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ,id est,præputio & circuncisioni.Vbi & absque vlla differentia subinfertur,Qui crediderit & baptizatus fuerit,saluus erit.Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas, & rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergū tabernaculi.Iuxta allegoriæ sensum,occidentalis plaga quæ vtrūque in se parietē reci-

piens, ædificium tabernaculi consummat, rectè adimpletionē totius vniuersalis sanctæ Ecclesiæ quæ cum fine G huius mundi perficitur, designat. Ad quam vsque fides & operatio recta, vtriusque populi perseueratura, quasi gemini longitudo parietis pertingit. Neque enim credibile est, vel ante tempus dominicæ incarnationis vnquam defuisse qui ex gentibus crederent, vel nunc quamuis grauiter damnato ob perfidiam populo Iudæorum, non esse aliquos ex illis, tametsi paucissimos, qui inter Christianos exultantes, quotidie credendo, ad salutem perueniant. Quòd si quis negare præsumpserit dicamus quod negari nullatenus potest, quòd videlicet spirituales vtriusque testamenti doctores atque Interpretes, qui iuxta sermonem domini proferant de thesauro suo noua & vetera, vsque ad finem seculi sint in sancta Ecclesia permansuri, & aptè tabernaculum in occidentali plaga consummaturi, in qua diem sol claudere, & cuncta solent astra occidere, propter scilicet vel obitum vniuscuiusque electi, vel generalem totius seculi terminum. Quasi enim occidit ei sol, qui ab hac temporali luce per tenebras transitoriæ mortis ad gaudia lucis & vitæ transmigrat H æternæ. Quasi occidit omni Ecclesiæ sol in occidente, vt veriùs in oriente præteritis tenebris oriatur, cùm finita in aduentu domini vita seculi præsentis, mox verum seculi futuri mane, iustis dies vera æternitatis apparebit. Et quia tunc iustis cum domino regnantibus, reprobi in æternum pereunt, rectè de hac plaga tebernaculi in sequentibus dicitur, quoniam mare respiceret. Significat autem mare rubrum, in quo demersus cum suo exercitu Pharao, & de quo saluatus Israël à domino ad montem Sinai, vbi tabernaculum faceret, ascendit. Respicit ergo mare plaga occidentalis tabernaculi, cùm sancta Ecclesia post operum bonorum perfectionem coronata in Christo, libero aspectu intuebitur vitia vel pœnas impiorum quas ipso iuuante cauefecit, Esaia attestante, qui ait, Quia sicut cœli noui & terra noua, quæ ego stare facio coram me, dicit dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. Et paulò pòst, Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Maris nanque fluctus profundi, amari & turbulenti, & peccata possunt significare, quibus reprobi in hac vita I malè delectati intereunt, & futuræ quoque barathrum perditionis, cùm in vltimo examine in ignem cum diabolo mittentur æternum. Nec prætereundum, quòd tabernaculum cùm ædificaretur in monte Sinai, mare rubrum habuit ad occasum, cùm introductum per Iesum in terram repromissionis, & collocatum esset in Silo, eadem plaga cœli habuit mare magnum. De quo ita mysticè possumus sentire, quòd sancti in hac vita domino seruientes, eique in corde suo tabernaculum facientes, superbam impiorum iactantiam quasi citiùs occasuram fixa mente despiciant, in futura etiam patria cum domino positi, perpetuam eorum pœnam absque vlla suæ felicitatis intermissione respiciant, vt eò maiores ei gratias referant, quò non solùm fruantur bonis, quæ donauit, verùm etiam intueantur mala à quibus eos liberauit. Bene autem plaga tabernaculi occidentalis, vel quæ mare respicere dicta est, sex tabulis constabat, vel quia senario numero solet perfectio boni operis exprimi, eo quòd dominus in illo mundi ornatum consummauerit, in illo hominem in primordio creauerit, in illo genus humanum sua passione restaurauerit, vel quia sunt sex ætates se- K culi huius, in quibus oportet nos bonis operibus perfici, vt ad æternam requiem in futuro & resurrectionis gloriam, peruenire possimus. Nam quòd rursum aliæ duæ tabulæ exceptis sex primis, in angulis iubentur erigi post tergum tabernaculi, quæ venientem ab orientali plaga parietem excipiant, & occidentalis plagæ parieti coniungantur, ad remunerationem futuræ pertinet vitæ, quæ post labores & tempora seculi huius secutura est. Quod bifariam diuiditur, in sabbatismum scilicet, hoc est, requiem animarum sanctarum post absolutionem corporum, & in gloriam resurrectionis post incorruptibilium receptionem corporum. Quæ vtraque portio remunerationis, vtrique populo communis, nullo vnquam fine terminatur. Nam & animarum requies superueniente tempore resurrectionis, nullam sui diminutionem, sed augmentum potiùs accipit, & ipsa immortalitatis coniunctio, carnis spiritúsque nostri in cœlis semper inuiolabilis permanet. Bene autem de eisdem tabulis subinfertur, Erúntque coniūctæ à deorsum vsque sursum, & vna omnes compago retinebit. Quia nimirum omnis electorum vita, vna eadémque fide & charitate ad cœle- L stia tendit, in vnum eundémque finem diuinæ visionis peruenit, in vna eadémque voce recti dogmatis omnis sanctorum prædicatorum sermo concordat. Dehisceret nanque ab inuicem compago tabularum, si quod vnus Propheta aut Apostolus dixisset, hoc alius negaret. Verùm quod concors fabricam Ecclesiæ sermo diuinorum eloquiorum erigit, profectò vna omnes tabernaculi tabulas iunctura compaginat, ac ab inuicem seiungi non sinit. Duabus quoque (inquit) tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur, & erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per vnam tabulam supputatis. Angulares tabulæ sunt tabulis parietum per omnia coniunctæ, quia futuræ requiei & immortalitatis gloria, præsenti nostræ conuersationi per fidem, spem, & charitatem firmissimè connexa est. Imò ideo stabilis & inconcussa præsens nostra conuersatio perdurat, quia futuræ dona retributionis credit, sperat, diligit, quia crebro supernorum ciuium adiutorio, ne flatibus turbulentis immundorum spirituum decidere possit continetur. Et hæ autem tabulæ, quæ vel perfectionem bonæ nostræ actionis, vel futuræ pro bo- M nis præmia designant actibus, binis singulæ basibus sustentantur, quia hæc quoque omnia ad confirmationem Euangelicæ & Apostolicæ prædicationis, Prophetæ sancti futura esse, consona voce prædixerunt.

RVPERTVS. Vel per octo tabulas ad occidentalem plagam positas, rectè octo beatitudines intelligimus, post finem præsentis vitæ dignè merentibus succesuras. Duabus (ait) tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur. Quia videlicet duabus beatitudinibus primæ & octauæ, eadem positio gloriæ, id est, promissio regni cœlorum seruatur. Istis quoque tabulis, binæ bases singulis supponuntur, quia profectò beatitudinum earundem spes, tam Prophetica, quàm Euangelica, vel Apostolica fide solidatur.

Facies



A *Facies & uectes de lignis Sethim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittētur per medias tabulas, à summo usque ad summum. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos uectes tabulata contineant, quos operies laminis aureis. Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est.* 4

AVCTOR CATENAE. Vt tabulæ tabernaculi stare possent, & vi ventorum non vacillarent, gemino opus habuerunt robore, videlicet basium & vectium. Cúmque iam de basibus suprà mentionem fecerit, nunc vectium materiam explicat, ait ergo: *Facies & vectes de lignis Sethim, quinque ad continendas tabu-*
B *las in vno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas, à summo vsque ad summum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER *Quæst.175.* EXODVM. Alia litera habet, & facies serras de lignis imputribilibus, quinque vni columnæ ex vna parte tabernaculi, & quinque serras columnæ lateri tabernaculi secundo, & quinque serras columnæ posteriori lateri tabernaculi, quod est ad mare. Mirum si dubitari potest latus orientale columnas non habuisse in hoc interiore tabernaculo, cui postea circumponitur atrium. Singulas quasque igitur columnas omnium trium laterum, habere serras quinas iubet. Et serra (inquit) media inter medias columnas pertranseat, ab vno latere in aliud latus. Hoc videtur dicere, vt de columna in columnam serra peruenire, & per interuallum columnarum porrigeretur à latere vnius vsque in latus alterius, ac per hoc vna ex his omnibus columna non erat habitura proprias quinque serras, ad quam extremam quinque perueniebant à columna sibi proxima venientes. HVGO DE SANCTO VICTORE. Non potest tene-
C ri quod eiusdem numeri vectes lateris & frontis erant, sed illi sex cubitorum erant, isti verò duorum, à summo vsque ad summum, id est, in medio duarum extremitatum. CAIETANVS. Nulla est mentio in Hebræo continendi, sed tantummodo dicitur, quòd fiant quinque vectes tabulis vnius lateris tabernaculi, & similiter quinq; tabulis alterius lateris, & similiter quinque tabulis occidentalis lateris, quod constabat ex octo duntaxat tabulis. Et ex hoc quòd tam in lateribus longitudinis, quàm in paruo latere latitudinis tabernaculi disponuntur quinque vectes, manifestè significatur, quòd solius altitudinis ratio habetur, nam in sola altitudine conueniebat occidentale latus cum latere meridionali, & latere aquilonari. Erant igitur quinque vectes dispositi secundum longitudinem cuiusque tabulæ, ita quòd sic erant distributi, vt duo essent extremi, alter in summo, alter in imo, tres verò essent medij æquidistantes. Qui (inquit) mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum. Iuxta Hebræum habetur, Et vectis medius intra tabulas claudens ab extremo ad extremum. Tria describuntur circa quemlibet vectem. Primùm est, quòd quilibet vectis sit intra ta-
D bulas, ne ambigeres an foris vel intus ponendi essent vectes. Quamuis etiam hoc potuisset intelligi ex eo, quòd vectes mandantur vestiendi laminis aureis, ornatus enim iste non exigebatur foris, sed intus. Secundum est, quòd quilibet vectis iret medius ad claudendum tabulas, vt intelligeremus, quòd secundum latitudinem tabularum meatus esset vectium: sic enim officium claudendi tabulas exercebat. Et meare sic medium, conuenit vectibus, tam in medio distributis, quàm in summo & imo, quilibet enim meat medius tabulas claudendo. Tertium est, quòd quilibet extendebatur ab extremo ad extremum totius lateris tabernaculi.

AVCTOR CATENAE. Facies & vectes de lignis Sethim quinque ad coniūgendas tabulas, & cætera. Dictio בְּרִיחִם Berichim Hebraica vectes significat, vnde optimè transtulit Interpres. Quod verò de suo addidit, ad continendas, non inconuenienter posuit, sic enim habet & Chaldaica. Nam vectes illi ita tabulas constringebant & compaginabant adinuicem, vt nec humiditate excrescere, nec siccitate diminui possent, quod quotidie fieri videmus in aliis asseribus glutino etiam compaginatis. Ex quo vel curuatura vel
E scissio prouenire consueuit. Quinque autem fuerunt vectes in vnoquoque latere ita dispositi secundum aliquos, vt videlicet quælibet contignatio vnius parietis habuerit tres ordines vectium, sed superior ordo & similiter inferior constaret duplici vecte, & medius vno, qui tamen longitudine duobus superioribus æqualis fuerit. Et quinque (inquit) alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam. More suo perstringit Hebraica Interpres, sensum reddens, verborúmque multiplicitatem fugiens. Sic enim sunt Hebraica sicut legit & Chaldaica, nempe, Et quinque alios vectes ad continendas tabulas lateris secundi tabernaculi, & quinque vectes ad continendas tabulas posterioris partis tabernaculi ad occidentem. Præter dictionem, continendas. Quanquam quod nos dicimus, ad occidentalem plagam, propriè in Hebræo scriptum est, לַיַּרְכָתַיִם יָמָּה Laiarchathaim iamma, Ad duo latera maris, Quod alij reddunt, In latere angulorum occidentis. Nam vt sæpiùs dictum est, Mare in hoc libro ponitur pro occidente. Qui mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum. Hebraicè est, וְהַבְּרִחַ הַתִּיכֹן בְּתוֹךְ הַקְּרָשִׁים מִבְּרֹחַ מִן הַקָּצֶה אֶל הַקָּצֶה Vehabeniach hatichon
F bethoch hakerasim, mabríach min hakaze el hakaze, Et vectis medius in medio tabularum pertransiens siue traiectus (subaudi erit) ab extremo ad extremum. Alij, Et vectis medius qui est in medio tabularum, traiicietur ab extremitate ad extremitatem, id est, per totam illam compagem traiicietur. Quidam vertunt, Medius autem vectis per medium asserum traiiciens, cōtinget à fine ad finem. Non desunt qui legāt, Medius autē vectis per medium asserum fugiens. Vectis enim ab vna parte immissus fugere videtur. בָּרַח Barach enim propriè fugere significat. Et quoniam vectis qui per medias tabulas mittitur, mouetur de vno extremo ad aliud, inde est quòd Beriach dicitur. Chaldaica, Et vectis medius qui mittetur per medias tabulas, transiet à summo vsque ad summum, Hoc est, de extremo ad extremum. Septuaginta, καὶ ὁ μοχλὸς ὁ μέσος ἀνὰ μέσον τῶν σύλων διήκων ἀπὸ τοῦ ἑνὸς κλίτους ἐις τὸ ἕτερον κλίτος, Et vectis medius inter columnas perueniat ab vno latere in aliud latus. Quod ego dicitur de medio vecte duntaxat, Latinus Interpres omnibus quinque vectibus ascribit, vt transeat de latere in latus. Quarta itaque constabilitio parietum, addita est ex vectibus de lignis

Sethim numero quinque ſecundum ordinem, ſed ſecundum aliquos reuera erant quindecim à quolibet trium G laterum, ad longitudinem parietum, à fine ad finem parietum, vno vecte tranſeunte per medium, à baſibus æquè diſtans & tecto, quinque cubitis, altero ſupernè prope tectum, tertio prope baſes, reliquis duobus intermediis ab inuicem ordine diſtantibus duobus cubitis & dimidio, vel aliter pro commoditate. Ex quibus ſequitur, ad minus quinque in ſingulis tabulis annulos fuiſſe non paruos, per quos vectes illi immittebantur, à ſummo vſque ad ſummum, hoc eſt, ſecundum longitudinem tabernaculi, extrà verſus latus occidentale, deinde ſimiliter in latere occidentali. Videtur quibuſdam vnum tantùm vectem protenſum à fine ad finem, medium ſcilicet, aliis quatuor habentibus medietatem longitudinis, vt fuerint in lateribus tribus tres prolixi & quatuor breuiores & dimidiati. Non intra ſancta ſanctorum, vt videtur, ſed foris ſub tegumentis. *Ipſas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant quos operies laminis aureis.* AVGVSTINVS. Alia litera habet, Et columnas inaurabis auro, & annulos ſa- H *Vbi ſuprà.* cies aureos, in quos induces ſerras, & inaurabis auro ſerras. Ne columnæ foraminibus cauernarentur, quo intrarent ſerræ, annulos fieri iuſsit, quibus ex vtraque parte continerentur fines ſerrarum. Proinde intelliguntur hi annuli fixi à ligno anſulis pependiſſe, vt extremas partes ſerrarum poſſent capere & continere.

BEDA. Scribit Ioſephus, quòd ſingulæ tabulæ annulos habebant aureos, per exteriores frontes eminentes, velut quibuſdam radicibus confixos, per ordinem ad inuicem per circuitum reſpicientes, & per eos deaurati vectes immiſsi, vtroque habente magnitudinem cubitorum quinque, erántque ad coniunctiones tabularum, intrabátque caput vectis vniuſcuiuſque in alio vectis capite, velut in modum cochleæ. Et poſt tergum parietum in longitudine poſitorum, erat ordo, per tabulas omnes vadens, quo per vncinos vtriuſque parietis, latera continebantur, incaſtrationibus factis, & immiſsis ad inuicem, quod propterea ſic exquiſitum eſt, vt neque à ventis moueretur, neque alia cauſa tabernaculum conturbaret, ſed immobile ſecura quiete ſeruaretur. CAIETANVS. Ipſas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis I annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, Et tabulas veſties auro, & annulos eorum facies ex auro domos vectibus, & veſties vectes auro. Vult quòd laminis aureis veſtiendæ ſint tabulæ & vectes, & quòd annuli qui ſunt tanquam domus vectium, ſint non lignei veſtiti auro, ſed ſint aurei, & ſint affixi tabulis, hanc enim affixionem ſignificat adiunctum pronomen, dicendo annuli ſui, ſeu annuli earum. Perpende itaque internas ſuperficies parietum veſtitas auro, & præter hoc in ſuperficie cuiuſque tabulæ quinque ordines annulorum aureorum, per quos tranſibant vectes quinque auro veſtiti, tanquam quinque zonæ, non ſolùm fulcientes, ſed etiam ornantes tabernaculum circumcirca. Et oportuit hos vectes apponi, quia non erant tabulæ clauis fixæ, ſed ex his vectibus fiebat totum corpus vnum, ita vt nulla pars poſſet ſine altera moueri, nam vectes in angulis ſe interſecabant, quamuis ſcriptum explicitè non ſit, non enim omnia ſcripta ſunt explicitè. AVCTOR CATENAE. Ipſas quoque tabulas deaurabis. Verbum תְּצַפֶּה Tezappe, futuri temporis, tegere & cooperire ſignificat, Vnde & Chaldaica K habet, Tabulas autem cooperies auro. Sed hoc idem eſt cum litera noſtra. Et fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant. Hebraica ſunt, וְאֵת טַבְּעֹתֵיהֶם תַּעֲשֶׂה זָהָב בָּתִּים לַבְּרִיחִם Veeth tabbehóthehem tahaſe zahab battim laberichim, Et annulos eorum facies aureos domos vectibus, vel, vt ſint loca vectibus, vt habet Chaldaica, hoc eſt, vt annuli ſint receptacula per quæ vectes traiiciantur. Septuaginta verò, εἰς οὓς εἰσάξεις τοὺς μοχλούς, hoc eſt, in quos immittes vectes. Quæ omnia idem in ſenſu ſunt cum litera Latina. Vt ergo illuſtriſsimum haberetur, & eſſet admirabile & reuerendum in oculis omnium hoc tabernaculum, myſterium præſentiæ dei ſummi, quem alioqui cœli cœlorum capere non poſſunt, voluit totum videri aureũ, tabulis ſcilicet deauratis obductum, vt etiam annuli vectiũ aurei fuerint, & vectes quoque aureis laminis obtecti. Vt nihil enim pretioſius communiter eſt hominibus quàm aurum, quo habito reliqua omnia neceſſaria acquiruntur & adſtant, ſic præſentia dei, & prouidentia de nobis ac omnibus fidelibus, pretioſiſsima eſſe debet electis, vt nunquam animum excidat adeſſe ſibi deum ſuum, videre & ſcire deum omL nia quæ fiunt, dicuntur, & cogitantur à nobis, vt ſemper timeamus ab offenſa in præcepta illius, conſeruata in arca, propter quæ venerabilis erat maximè, tanquam voluntatis diuinæ monimentum certiſsimum. *Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* CAIETANVS. Duo hinc habentur. Alterum, quòd tabernaculum ſuſtentabatur ſuper hanc ſtructuram tabularum, tanquam in parietibus. Alterum, quòd multa præter explicitè ſcripta, ſunt facta, quæ implicitè inſinuantur dicendo, iuxta exemplar tibi monſtratum. AVCTOR CATENAE. Et eriges tabernaculum iuxta exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Sic habet & Chaldaica. Quod in Hebræo legitur וְהָקַמְתָּ אֶת הַמִּשְׁכָּן כְּמִשְׁפָּטוֹ אֲשֶׁר הָרְאִיתָ בָּהָר Vahakémotha eth hamiſcan, chemiſpato aſer harétha bahar, Et erigere facies tabernaculum ſecundum diſpoſitionem eius, quam factus es videre in monte. Alij, Et eriges tabernaculum ſecundum ordinem ſuum, vt oſtenſum eſt tibi in monte, vertunt. Septuaginta, κατὰ τὸ εἶδος τὸ δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει, Secundum formam oſtenſam tibi in monte. Quæ idem dicunt cum li- M tera noſtra. Epilogus breuiſsimus eſt, quaſi dicere velit, Hoc pacto parabis tabernaculum nomini meo, teſtimonium beneuolentiæ meæ ad vos, quem timere debetis, & colere vobis præſentiſsimum, & ad defendendum ac benefaciendum propenſiſsimum. Omnia autem hæc perfecta ſunt, non præſumptione humana, ſed oſtenſione diuina.

*Myſticè.* PROSPER. Spiritaliter tamen ternis ſerris connectuntur columnæ, quoniam fidei, ſpei, & cha- *Vbi ſuprà.* ritatis, Trinitatis vinculo, Doctores Eccleſiarum ſalubriter aſtringuntur, ex baſibus argenteis, capitibúſque aureis tanquam in operibus miſericordiæ, vt ſanctitate virginali columnarum omne decus exurgat.

RVPERTVS. Tabulæ vt ſtare poſsint, baſium atque vectium robore fulciuntur, quia videlicet Eccleſiæ rectores, Apoſtoli vel Apoſtolici viri, tam & ſpiritualium quàm & carnalium præſidio neceſſariò fulciuntur. Sicut enim per baſes eloquia prophetica ſignantur, quorum cum auctoritate ſpiritualia ſeminant, ſic per



A ſic per vectes, diuitum atque potentum ſubſidia rectè figurantur, de quorum abundantia carnalia metunt. Qui & ipſi, æquè vt tabulæ, auro veſtiuntur, quia profectò potentes ſeculi homines, qui quaſi tabulis per angulos aureos inſeruntur, vt eas contineant, dum prædicatoribus fidei per eandem fidem communicantes, neceſſaria miniſtrant, ipſorum mercede remunerari iure creduntur. Qui enim recipit prophetam (ait dominus) in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iu- *Matth. 10.*
ſti accipiet. Et rectè quidem vectes in ſingulis lateribus, & eiuſdem numeri ad occidentalem plagam mitti iubentur, quia videlicet carnales homines quantum in hoc ſeculo diuites ſunt, tantùm in quinque ſolis ſenſibus corporalibus, & in his quæ per ipſos ſunt tranſigenda, magis occupantur. BEDA. Sed & ali- *Cap. 7.*
ter. Vectes quinque qui tabulas tabernaculi continent, quinque ſunt libri Moſaicæ legis, quorum munimine ſancta Eccleſia mirabiliter ab omni tentantium ſcelerum ſceleratorúmque ſpirituum impulſione tutatur.
B Et hoc in vtroque latere, quia non ſolùm priorem dei populum litera legis erudiebat ad fidem & opera bona, ſed etiam nos noui tempore teſtamenti deo ſeruientes, eadem litera ſpiritualter intellecta, maioris gratia dulcedinis & in præſenti ad fidem operationémque virtutum inſtituit, & in futuro ad ſpem perpetuæ remunerationis accendit. Eiuſdem quoque numeri vectes ad occidentalem plagam ſunt, quia ipſam quoque completionem boni operis, quando ad præmia futura de carne egredimur, lex nobis bene intellecta prædicat. Vnde interroganti diuiti ac dicenti, Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Reſpondit idem magiſter bonus, Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata, & non illi alia, quàm legis man- *Matth. 19.*
data ſubdidit. Sequitur. Ipſaſque tabulas deaurabis, & fundes eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant. Tabulæ tabernaculi deauratæ præfulgent, cùm omnis vita, omnis ſermo ſanctorum prædicatorum, lucem præmonſtrat. Sapientiæ cœleſtis, nihílque in eis aliud, quàm virtutum decus aſpicitur. Annuli autem aurei per quos vectes tabulata continebant, ipſam vitæ cœleſtis beatitudinẽ deſignant, quæ propter ſuæ
C gloriam claritatis, rectè auro: propter æternitatem, rectè circulo comparatur. Vnde & Apoſtolus de illa, *2. Timot. 4.*
Repoſita eſt (inquit) mihi corona iuſtitiæ. Quinque autem circulos ſingulæ habebant tabulæ, non quia quinquepartita eſt diſtinctio patriæ cœleſtis, ſed quia eadem perpetua claritas, & clara perpetuitas regni illius, in Geneſi, eadem in Exodo, eadem in Leuitico, eadem in libro Numerorum, eadem in Deuteronomio ſcripta continetur. Et quinque annuli aurei ſingulis tabernaculi tabulis erant infixi, quia corda iuſtorum multum dilatata per amorem in omnibus legis Moſaicæ libris, non ſolùm correctionem operum, ſed & perpetuam ſupernæ retributionis lucem legunt. Et fundes eis (inquit) annulos aureos per quos vectes tabulata contineant. Vectes per annulos aureos tabulata continent, cùm verba ſacri eloquij, per promiſsionem regni cœleſtis, ſtatum ſanctæ Eccleſiæ confirmant, vt eò minùs perturbationes mundi timeat, quò certiùs ſtabilitatem perpetuæ remunerationis didicit. Bene autem de eiſdem vectibus ſubditur, Quos operies laminis aureis. Laminis quippe aureis vectes operiuntur, cùm verbis diuinæ legis quæ eſſe iuxta literæ ſenſum
D fortia videntur, atque ad confirmandam vitam fidelium aptiſsima, ſuperior intellectus, id eſt, euangelica claritate præfulgidus, ineſſe monſtratur. Vt enim exempli gratia vnum teſtimonium ponam, cùm legimus hiſtoriam ſancti Noe, quomodo diluuium quod impios deleuit, mirabiliter cum ſuis in arca ſeruatus euaſerit, patet omnibus in eo, quòd deus diligens iuſtitiam, & odio habens iniquitatem, pios nouerit de tentatione eripere, impios verò iuſta diſcretione punire. Ideóque talis lectio, inſtar vectium imputribilium, tabernaculum domini continet, quia mentes fidelium verbis infictæ veritatis, ab incurſu tentationum præmunit. Verùm quaſi vectes lignei laminis veſtiuntur aureis, cùm hæc eadem lectio, per ſpiritualem intelligentiam ſacratioribus plena myſteriis oſtenditur, cùm arca Eccleſiam catholicam, aqua diluuij baptiſmum *1. Pet. 3.*
ſignificare dignoſcitur, munda & immunda animalia, ſpirituales & carnales quoſque in Eccleſia, ligna arcæ læuigata & bituminata, doctores gratia fidei roboratos. Coruus de arca egreſſus, nec reuerſus, eos qui
E poſt baptiſma ad apoſtaſiam decidunt, ramus oliuæ per columbam illatus in arcam, eos qui foris quidem, hoc eſt inter hæreticos baptizati ſunt. Sed quia pinguedinem caſtitatis habent, per gratiam ſancti ſpiritus, in vnitatem catholicam merentur introduci. Columba de arca egreſſa, neque vltrà reuerſa, eos qui carne ſoluti, ad liberam lucem patriæ cœleſtis peruolant, nequaquam amplius ad labores terrenæ peregrinationis redituri. Circundantur itaque auro vectes lignorum Sethim, cùm firmiſsima ſacræ ſcripturæ teſtimonia, per interpretationem myſticam, his & huiuſmodi ſenſibus cœleſtibus ac ſpiritualibus, probant eſſe perlucidam. Et eriges tabernaculum iuxta exemplum, quod tibi in monte monſtratum eſt. Exemplum tabernaculi in monte mõſtratum eſt Moyſi, quia moratus in ſecreto cum domino, vidit ſublimem angelicæ puritatis & immortalitatis vitam, ad cuius inſtar, humanam in terra conuerſationem quantum mortalibus imitari poſsibile fuit, inſtituere iubebatur, vt cum exemplo angelorum mutuæ in deum dilectioni, diuinæ laudationi, vnanimi paci, ſynceræ caſtitati, cæteriſque huiuſmodi virtutibus, in terra vacaremus, & conſortes eorum in cœlis eſſe mereremur iuxta promiſſum domini, dicentis, Illi autem qui digni habebun- *Matth. 22.*
F tur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt vxores, neque etiam vltrà mori poterunt, æquales enim ſunt angelis, & filij dei, cùm ſint filij reſurrectionis. Exemplum enim nobis Moyſes angelicæ conuerſationis, quam in monte contemplationis vidit, præceptis legalibus oſtendit, per quorum obſeruantiam & ipſi de terra editi, ad conſortium angelorum in cœlis peruenire poſsimus. Exemplum idem nobis vitæ perfectioris, & beatæ retributionis in figura tabernaculi & miniſterij ſacerdotalis ac Leuitici, quod deſcribit, præbuit. Erigitur autem tabernaculum iuxta exemplum quod illi in monte monſtratum eſt, quando electi quique ad imitationem angelicæ puritatis, quam ipſe in occulto contemplari meruit, opus animúmque componunt.

5 *EAcies & uelum de hyacintho & purpura, coccoque bistincto, & bysso retorta, opere plumario & pulchra uarietate contextum, quod appendes ante quatuor columnas de lignis Sethim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Inseretur autem uelum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo & sanctuarium & sanctuarij sanctuaria diuidentur. Pones & propitiatorium super arcam testimonij in sancta sanctorum, mensámque extra uelum, & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte aquilonis.*

5 BEDA. Hactenus de pariete templi meridiano, septentrionali, & occidentali, prout dominus dedit, expositum est, in sequentibus autem, etiam orientale latus qualiter sit compositum monstratur. Sed priùs scriptura de medio pariete qui sancta sanctorum à priore tabernaculo diuidebat, intimandum iudicauit. Sequitur H igitur. *Facies & uelum de hyacintho & purpura, coccóque bistincto, & bysso retorta, opere plumario & pulchra uarietate contextum.* Cap. 8. Velum hoc quo tabernaculum diuidebatur medium, ita positum refert Iosephus, vt viginti quidem cubiti longitudinis ad priorem domum, decem verò pertinerent ad secundam. Quod per omnia mensuris templi quod postea factum est à Salomone, liquet esse conueniens. Quod cùm esset sexaginta cubitorum longitudinis, & viginti latitudinis, tertiam longitudinis partem, id est, viginti cubitos ad interiorem domum hoc est, sanctum sanctorum habebat separatam, ita vt longitudo & latitudo eiusdem domus interioris vna esset. Sic ergo tabernaculi pars interior longitudinem & latitudinem similem, hoc est, denorum habebat cubitorum. CAIETANVS. Materia autem huius veli eadem describitur quæ & tabernaculi, & similiter forma artis eadem. Nam cùm dicitur opere plumario, intellige per omnia vt suprà, hoc est, opere polymitario: Et similiter cùm dicitur pulchra varietate contextum, intellige Cherubim, hoc est, formas Cherubinorum, vt superiùs dictum est. AVCTOR CATENAE. Quod apud nos, cocco bistincto, Hebraicè שָׁנִי I Vetholáhath sani dicitur: & quod nos, opere plumario & pulchra varietate contextum legimus, iuxta Hebræum habetur, מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב יַעֲשֶׂה אֹתָהּ כְּרֻבִים Mahasè choseb iahasè otha Cherubim, Opere artificis doctissimi facies illud, Cherubim. Hebraismus est, pro, Artifex peritissimus sparget illud magna industria imaginibus alatis, formam pueri habentibus. Vertunt alij, Opere artificis facies illud cum picturis. Alij, Cherubim facies in eo opere textorio, vel artificioso, aut ingenioso, siue phrygio, aut polymitario. Septuaginta verò, ἔργον ὑφαντὸν ποιήσεις αὐτό χερουβίμ, Opus textum facies illud Cherubim. Chaldaica etiam, opere artificis facies illud figuris Cherubim, legit. Putamúsque præceptum esse, vt opus esset variatum Cherubinis intextis, aut quòd Cherubini essent pulchra varietate contexti. Sed de his omnibus ne toties eadem inculcentur, vide suprà vbi de decẽ cortinis tabernaculi actum est. *Quod appendes ante quatuor columnas de lignis Sethim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur non ante, sed super quatuor columnas dandum velum. Quæ quidem (inquit) deauratæ erunt. Iuxta Hebræum habetur, vt sæ- K pe dictum est, vestitas auro, hoc est, laminis aureis. Et habebunt capita aurea. Iuxta Hebræum habetur, Et vncini earum aurei super quatuor bases argenteas. Nihil scribitur de capitellis columnarum, ac per hoc insinuatur, quòd capitella erunt lignea sicut columnæ, sed mandatur quòd catenæ quibus columnæ adinuicem colligabantur vt firmiter starent, sint aureæ. Et quanuis dictio interpretata vncini non propriè significet vncinos, sed nescio quid ad firmandum seu roborandum columnas, ab extremis tamen partibus cuiusque catenæ aduncis appellantur vncini, quia non affixæ erant columnis, sed stabiliebant columnas.

AVCTOR CATENAE. Quod appendes ante quatuor. Propriè dicendum est, super vel contra, vel iuxta quatuor columnas. Est enim dictio עַל Hal. Vnde tam Septuaginta habent, ἐπὶ πρόσωπον σύλων, quàm Chaldaica, Et pones illud super quatuor columnas. Sed hoc parum est. Sequitur, Quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Iuxta Hebræum legitur vt in Chaldaica, Co- L opertas auro, capita earum aurea, super quatuor bases argenteas. Sic ferè & Septuaginta. Quibus se optimè conformauit Latinus Interpres. Licet quidam hîc dictionem וְוֵיהֶם Vauehem, Et vncini earum, pro capita earum transferant. Dicúntque hi, non columnarum catenas, sed paxillos seu clauos quosdam esse in capitibus columnarum affixos, ex quibus pendebant cortinæ & velamina. Nam וְ Vau vncinum appellant instar literæ Vau, qui & vulgari lingua dicitur, *lharpione.* Sic ergo comparatum erat velum, vt prostarent versus occidentalem partem tabernaculi quatuor columnæ de lignis Sethim, deauratæ, super bases argenteas stantes, & capitella gestantes aurea vel aureos vncinos, ex quibus pendebat velum pretiosissimum & pulcherrimum, variegato colore & opere contextum, figuris alarum, florum & surculorum. *Inseretur autem uelum per circulos, intra quod pones arcam testimonij, quo & sanctuarium & sanctuarij sanctuaria diuidentur.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæst.112.* Id est, inter sanctum & sanctum sanctorum sit hoc velamen de quo nunc loquitur, in quatuor columnis extensum. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et dabis velum super vncinos. Quamuis non sit eadem dictio hîc & pauloantè, significari M tamen intelligimus catenam vtrinque aduncam & hîc & ibi. Et isti vncini si fuissent super capitella columnarum, frustra adderetur situs veli subter vncinos, non enim pendere poterat nisi sub vncinis. Ex hoc itaque quòd sub vncinis pendet velum, insinuatur, quòd vncini erant siti inter columnam & capitellum. Et quadrat talis situs vsui quem videmus seruari in ferris ligantibus columnas. Quia tamen hîc clarè significantur vncini, & non vt paulò antè, ideo hæc litera propriè intelligitur de vncinis, & non de catenis, & decernitur, quòd velum non immediatè pendeat sub catenis antedictis, sed mediantibus vncinis aureis, ita quòd sicut cortinæ iunguntur vncinis aureis, ita velum pendeat sub vncinis aureis à catenis aureis. Et aduerte, quòd nihil exprimitur de quantitate columnarum, incertúmque relinquitur an columnæ essent altæ vsque ad tectum, an breuiores, ex eo tamen quòd ad sustinendum velum segregans sanctum à sancto sanctorum fiebant, rationabile est, quòd quemadmodũ segregabant secundum latitudinem integram, ita & secundũ altitudinẽ. Erant itaq; quatuor



A quatuor hæ columnæ sic dispositæ, quòd duæ extremæ erant fere contiguæ parietibus (altera aquilonari, & altera meridiano) aliæ autem duæ mediæ erant æquidistantes. Ita quòd tres aditus inter quatuor columnas patebant. Intra autem partem tabernaculi clausam hoc velo, vehenda erat theca cuius superiùs mentio facta est. Quo (inquit) & sanctuarium, & sanctuarium sanctuariorum diuidentur. Officium veli dicitur segregare sanctitatem sanctitatum, à sanctitate, imponuntur enim nomina vtrique parti tabernaculi. Et pars intra velum appellatur
• sanctitas sanctitatum, ad significandum locum excellentissimè sanctum. Pars verò extra velum, appellatur sanctitas, ad significandum locum quidem sanctum, sed non tam sanctum sicut alterum. Et scito quòd in Hebræo adiungitur pronomen vobis, dicendo quòd velum diuidet vobis, ad insinuandum, quòd relatiuè ad humanam venerationem fit ista diuisio, vt alter locus sit altero apud homines venerabilior. Et sic verè fuit. Nam solus pontifex semel in anno ingrediebatur sanctum sanctorum, vt inferiùs dicetur. Nihil autem dicitur de loco colum-
B narum & veli penes longitudinem tabernaculi, an diuiderent tabernaculum in partes æquales, an in partes inæquales secundum longitudinem, & propterea ambigua diuisio hęc est quo ad longitudinem. Ex eo tamen quòd Salomon tertiam partem templi constituit sanctum sanctorum, credimus quòd diuisio ista tabernaculi, fuerit secundum partes inæquales, ita quòd tertia pars tabernaculi secundum longitudinem erat intra velum, & duæ partes extra velum. AVCTOR CATENAE. Inseretur autem velum per circulos, Hebraicè legitur, וְנָתַתָּה אֶת הַפָּרֹכֶת תַּחַת הַקְּרָסִים Venathatta eth haparócheth táchath hakerasim, id est, Et pones velũ subter circulos. Nam dictio táchath, sub, subter, subtus, vel deorsum significat: kerasim autem circulos, vncinos, seu fibulas, quarum caput est curuum. Vertũt alij, Pones autem velum sub vncinis, id est, appendes vncinis, vel facies vt pendeat ab vncinis. Quidam, Pones autem velum per vncinos, qui scilicet secundum eos in superiori aulæo quod tabernaculum tegebat, duas magnas cortinas vnà cum laqueolis coniunctos tenebant. Nonnulli, Affigásque velum illud suis fibulis. Chaldaica, Et pones velum sub fibulis. Quæ omnia à litera nostra non discrepant.
C At Septuaginta paulò diuersiùs legunt, καὶ θήσεις τὸ καταπέτασμα ἐπὶ τοὺς σύλους, hoc est, Et pones velum super columnas. Intra quod pones arcam testimonij, quo & sanctuarium & sanctuarij sanctuaria diuidentur. In Hebræo legitur sicut & in Chaldaica, Et introduces ibi vltra velum arcã testimonij, vt diuidat velum vobis inter sanctum & inter sanctum sanctorum. Sic ferè & Septuaginta. Alij quia dictio מִבֵּית Mibeth, Intra, & קֹדֶשׁ kódes, sanctitatem etiam significãt, sic vertunt, & introduces, siue vt reponas illic intra velum arcam testimonij, & distinctionem faciat, siue, & diuidet velum vobis inter sanctitatem, & inter sanctitatem sanctitatum, Vel inter sanctuarium, & inter sanctum sanctorum, id est, hoc velo exterior pars tabernaculi quæ dicitur sancta, separabitur à sacrario illo sanctissimo, quod ob excellentiam sanctum sanctorum nuncupabitur. Sed hæc idem dicunt cum litera nostra. Inserebatur igitur velum funibus sustentandum per aureos circulos, vt illis mediantibus trahi & retrahi posset, ex columnis istis quatuor, à lateribus duobus & in medio stantibus infixis eleganti opera, vt quadratum reddiderit ad rectos angulos ipsum sanctum sanctorum, & reliqua posterior pars sanctuarij, quæ sancta
D dicebatur, viginti nihilominus cubitorum longitudine constaret. In hoc sanctum sanctorum intulit Moyses suo tempore arcam fœderis & testimonij, supra quam posuit & propitiatorium, cum suis ornamẽtis Cherubim, ad diuinæ maiestatis gratiam & præsentiam designandum, perpetuò affuturam fidelibus suis, de quo iam superiùs. Vnde & subiungit, *Pones & propitiatorium super arcam testimonij in sancta sanctorum, mensámque extra velum, & contra mensam candelabrum in latitudine tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte aquilonis.* CAIETANVS. Nihil dicitur de Cherubinis, eo quòd tanquam partes erant propitiatorij, sustinebant enim ipsum. De mensa autem propositionis est hîc sermo, vt non intra velum, sed in parte tabernaculi extra velum locetur in parte septentrionis, & è regione illius locetur candelabrum in parte meridiana. Homini itaque ingredienti tabernaculum, theca cum propitiatorio (post velum tamen) è regione occurrebat, vtpote in occidente, mensa autem propositionis extra velum à dextris, candelabrum autem à sinistris, nam ingressus erat ab oriente. Hæc erat dispositio eorum quæ erant in tabernaculo. Deficit tamen altare thymiamatis, de quo inferiùs est sermo, quod erat extra velum
E inter mensam propositionis & candelabrum, & erat locatum ante velum ad occidentalem plagam, directè ad thecam & propitiatorium, ita quòd ingredièti homini in tabernaculum, occurrebat hoc altare è regione, quemadmodum & arca cum propitiatorio. AVCTOR CATENAE. Pones & propitiatorium super arcam testimonij in sancta sanctorum, siue in sancto sanctorum vt legit Chaldaica, vel in sanctitate sanctitatum. Est enim בְּקֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים Bekódes hakadasim, quod omnibus prædictis modis reddi potest. Septuaginta hîc paulò vertunt diuersiùs, καὶ κατακαλύψεις τῷ καταπετάσματι τὴν κιβωτὸν τοῦ μαρτυρίου ἐν τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων, Et cooperies velo arcam testimonij in sancto sanctorum, vbi nullam faciunt de propitiatorio ipso mentionem, sed de velo duntaxat prædicto. Quam arcam non sic operiri iussit velamine (inquit) Augustinus, vt super arcæ cooperculum iaceret velamen, sed vt contra mensam statueretur. In sanctuario igitur exteriori extra velum, ad quos sacerdotes ingredi tantùm poterant, ponere iubetur Moyses de domini mandato mensam auream ad latus aquilonare, è regione eius ad austrum, candelabrum cum septem lucernis totum aureum similiter locare, illam pa-
F nibus propositionis onerans: Istud verò quotidie quo arderent lucernæ, promouens, & sollicitè ab extinctione præseruans, à vespera vsque ad mane.

PROSPER. Sancta sanctorum (vt vidisti) in interioribus sunt tabernaculi, habentia arcam testamenti refertam mysteriis. In qua ingreditur sacerdos in anno semel cum sanguine alieno, ex qua accipiens responsum, *Mysticè.* diuinum illud verbum resonat. Quod verbum carnem suscipiens nostram ob redemptionem, consecrauit arcam non veteris sed noui testamenti, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Ad quam cum suo san- *Coloss.2.* guine verus ipse princeps sacerdotum introiit semel in sancta, quoniam semel Christus oblatus est, vt multo- *Heb.9.* rum peccata portaret. Cui dicit Propheta, Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctitatis tuæ. Mensam *Psal 31.* quoque positam & arcam, quæ carnem sacram & sacrificantis exciperet, quid aliud in his quàm crucem intelligimus, in qua noster agnus immolatus est? Ipse sacerdos & victima, panem sanctificatum, suum sacratum corpus in sua mensa cõfirmans. Cui lucerna septiformi spiritu accensa, toti lucet tabernaculo. Quoniam fulgor illius,

vt lumen

vt lumen: atria verò huius ſpiritalis tabernaculi, corda piorum, ſcilicet confitentium & laudantium deum. De G
quibus Propheta dicit Dauid, Atria eius in hymnis confitemini ei. RVPERTVS. Hactenus per compoſi-
*Heb.9.* tionem tabernaculi ſermo properantior cucurrit, nunc demum ad capitulum Apoſtoli ſuperiùs memoratum redeundum eſt. Tabernaculum (inquit) factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta. Poſt velamentum autem ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, & cætera. Poſt velamentum autem quod illic memorat, iſtud eſt, de quo præſenti loco dominus, Facies (inquit) & velum de hyacintho & purpura, coccóque biſtincto, & byſſo retorta, opere plumario, & cętera. Poſt velamentum quod ait ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, ſuperque eam Cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium, idem quod hîc dicitur, intra velum pones arcam teſtimonij, & quo ſanctuarium & ſanctuarij ſanctuaria diuiduntur. Pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſancta ſanctorum. Porrò quòd ait idem Apoſtolus, In primo tabernaculo erant cãdelabra, & men- H
ſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta, id eſt, quod ſubiunctum eſt, Menſamque pones extra velum, & contra menſam candelabrum. Itaque menſa, & propoſitio panum, cãdelabrúmque inter duo vela poſita erant (Nam de altero velo poſteà loquuturus eſt) arca autem & propitiatorium cum duobus Cherubim, vltra velum ſecundum. Igitur parabolicam iſtam ſpiritus ſancti ſignificationem ipſo iuuãte breuiter diſcutiamus. Tabernaculum ſecundum in quo erat arca, ſuperque eam Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium, myſticè illud eſt, in quod introiuit Ieſus tabernaculum non manu factum, ſancta non exemplaria verorum, ſed ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui dei pro nobis. Nam in eo quòd ſemel in anno ſolus pontifex introibat, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia, hoc ſignificabat ſpiritus ſanctus, quòd nunc ſemel Chriſtus in conſummationem ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit, ſemel oblatus ad multorum exhaurienda peccata, ſecundo ſine peccato apparebit, expectantibus ſe in ſalutem per fidem. Columnæ quatuor quæ illic factæ ſunt, baſes argenteas, & capita habentes aurea, quatuor præfigurauerunt Euangelia, prædictum I
pontificis Chriſti introitum concorditer atteſtantia, quorum ſermo, dum cum prophetica veritate conſonat, verámque humanitatem, atque glorioſam vnius eiuſdémque diuinitatem Chriſti prædicat, veraciter columnæ
*2. Coloſſ. 5.* baſes argenteas, & capita habent aurea. Velum ante dependet, quia videlicet nondum videmus ſicuti eſt. Per fi-
*Rom.8.* dem enim ambulamus, & non per ſpeciem, per fidem tenemus, quia propitiatorium illic eſt Ieſus Chriſtus, qui
*Pſal.129.* mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt à dextris dei, qui etiam interpellat pro nobis. Vnde Propheta in pſalmo, Quia apud te propitiatio eſt. Thuribulum quoque illic eſt, ſcilicet ſuauiſſima noſtræ recõciliationis memoria, iugiter apparentibus vulnerum cicatricibus, quæ pro nobis pertulit dei filius in carne noſtra. Illic arca eſt, vera ſcilicet carnis noſtræ quæ de virgine ſumpta eſt, & in cruce pependit ſubſtantia, virtute reſurrectionis nullatenus abſumpta, ſed tantùm in gloriam immortalitatis, atque incorruptionis gloriam immutatam, habẽs virgam
*Mat.vlti.* & manna & tabulas teſtamenti. Virgam, id eſt, poteſtatem patris ſuper omnia opera, de qua dicit, Data eſt mihi
*Act.5.* omnis poteſtas in cœlo & in terra. Manna, id eſt, gratiæ dulcedinem, hunc enim deus ſuſcitauit, & principem & K
ſaluatorem exaltauit (ait Apoſtolus Petrus, protinus ſubiungens) ad dandum pœnitentiam & remiſsionem pec-
*Dan.7.* catorum. Tabulas teſtamenti, id eſt, librum iudicij, de quo Daniel dicit, Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt, Nam de his quæ in libris teſtamenti ſunt ſcripta, futurum eſt iudicium, & aperiendæ ſunt conſcientiæ ſingulorum. Vnde nec duo Cherubim illic deſunt, per quos intelligimus ea quæ per duo teſtamenta nobis prædicta ſunt, mi-
*Pſal.24.* ſericordia ſcilicet, & iudicium. Nam vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas. Mutuò ſe reſpiciunt verſis vultibus in propiciatorium, quia in eo totum eſt negocium, vt miſericordia ſuperexaltet iudicium. Hæc omnia quia per fidem tenemus, & nondum per ſpeciem videmus, rectè velum ante columnas appenditur. Tabernacu-
*Heb.9.* lum quod deinde iuxta deſcriptionem, ſecundum, iuxta ordinem ingrediendi, primum eſt (vt Apoſtolus ait) præſentem ſignificat Eccleſiam, illic menſa eſt, & contra menſam candelabrum. Etenim in hac Eccleſia, immo in hac Eccleſiæ peregrinatione, & tabernaculo eius temporali, menſa eſt domini parata laborantibus in agone certaminis, menſa geminæ refectionis. Nam hîc propoſitus eſt panis, id eſt, ſcriptura ſancta, quæ magna verbi dei L
copia mentem reficit, & panis corporis eius, & calix ſanguinis, quem de ſancto altari Chriſtianus ad vitam æternam ſibi profuturum percipit. Candelabrum quoque hîc eſt, & dignè conuiuantibus lucet, videlicet Chriſtus
*Mat.vlti.* qui dicit, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Semel cãdelabrum iſtud ob teſtimonium præſentiæ ſuæ, lucernarum ſuarum flammam viſibiliter quoque oſtendit, tunc ſcilicet, quando
*Act.2.* iam aſſumptus in cœlum ſpiritum ſanctum, quo Apoſtolos illuminaret, palàm in linguis igneis demonſtrauit. Et notandum quia menſam in parte aquilonis, candelabrum autem in latere tabernaculi meridiano, dominus ſtare iuſsit. Ad nos enim, qui eramus pars aquilonis, id eſt, regnum diaboli, infidelitate frigidi, & à deo alieni, menſa domini profecta eſt, & contra tenebras noſtras, meridianum gratiæ candelabrum deus poſuit, vt edamus
*Pſal.22.* & bibamus, paritérque in lumine ambulantes decantemus, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Nam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

CHRYSOSTOMVS HOMILIA. II. DE CRVCE ET LATRONE. Velum quidem erat pre- M
cioſiſsimum, quod in diebus celeberrimis ſuſpendebatur, precioſiſsimum (inquam) valde de purpura & byſſo & cocco & auro & ſerico & hyacintho contextum. In tempore autem dominicæ crucis, terra mota eſt, ſol non fulſit, petræ ſciſſæ ſunt, velum diſruptum eſt, monumenta patuerunt, & ſicut gloria domus eſt, vbi velum pendet habitante intrinſecùs domino domus, ſic ignominia templi eſt, vnde receſsit ſpiritus ſanctus. Poſtquam enim impias in filium dei intulerunt manus, iniuria deo facta eſt, qui habitabat in templo, & ideo recedente domino,
*Luc.13.* deſerta remanſit domus, ſicut ipſe dixit, Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Egreſſo rege gloriæ, diſrupta ſunt ſymbola regni, aperta ſunt monumenta, & ſurrexerunt mortui, & intrauerunt in ſanctam ciuitatem, vt in-
excuſabilem relinquerent cauſam, & domini reſurrectio firmaretur. BEDA. Facies & velum de hyacintho
*Heb.9.* & purpura, & cætera. Quid idem velum figuraliter exprimat, Apoſtolus ad Hebræos manifeſtè declarat, Vbi & hoc pariter exponit ad ſenſum allegoricum, quare in priore quidem tabernaculo ſemper introirent ſacerdotes ſacrifi-



A ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine quem offerebat pro ſua & populi ignorantia. Velum hoc, cœlum interpretatur. Quod autem in priore tabernaculo quotidie per annum introibant cum ſacrificiis ſacerdotes ſuper huius vitæ ſtatu ediſſerit, vbi ſancti domino ſine intermiſsione famulantes, quotidianos ſuæ fragilitatis erratus, ſine quibus eſſe in hac vita nullatenus poſſunt, quotidianis bonorum operum victimis, quotidianis lachrymarum ſuarum libaminibus, quaſi veri ſacerdotes dei & Chriſti eius, expiant. Summum verò ſacerdotem, qui ſemel in anno ſancta ſanctorum cum ſanguine victimarum ingrediebatur, ipſum intelligit eſſe pontificem magnum, cui dictum eſt, Tu es ſacerdos in æternum *Pſal.109.* ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ſemel oblatus pro peccatis noſtris, ipſe ſacerdos & hoſtia, per proprium ſanguinem in ipſum cœlum intrauit, vt appareat nunc vultui dei pro nobis. Quod autem idem velum de hyacintho, & purpura, & cocco biſtincto, & byſſo retorta, pulchra varietate contextum eſt, quis non videat etiam
B iuxta literam, pulchritudini cœleſtis congruere viſionis? Si enim decorem flammáſque aſtrorum, ſi multifariam nubium ſpeciem, ſi ipſam Irim conſideras, mille trahentem varios aduerſo ſole colores, nónne videris tibi multo plures ac pulchriores, quàm velo tabernaculi intextæ ſunt, inditas cœlo colorum notare picturas? Quatuor autem columnæ ante quas appenſum eſt hoc velum, cœleſtium ſunt poteſtates agminum, virtutibus quatuor eximiis præclaræ, de quibus & ſuprà diximus, hoc eſt, fortitudine, temperantia, prudẽtia, & iuſtitia, quæ quidem virtutes aliter in laboribus & ærumnis vitæ huius à nobis, aliter in cœlis ſeruantur ab angelis & animabus ſanctis. Ibi nanque regnanti deo ſubditum eſſe, immortalis omnino Iuſtitiæ eſt: nullum bonum deo præponere vel æquare, Prudentiæ: deo firmiſsimè cohærere, Fortitudinis: nullo defectu noxio delectari, Temperantiæ. Hîc autem quod agit iuſtitia in ſubueniendo miſeris, quod prudentia in præcauendis inſidiis, quod fortitudo in perferendis moleſtiis, quod temperantia in coërcendis delectationibus prauis, non ibi erit, vbi nihil erit omnino mali. Bene autem hæ columnæ de lignis Sethim ſunt factæ, vel quia ſpiritus angelici incorruptibilis naturæ, &
C immortalis ſunt conditi, vel quia abſque peccato conditi, intemeratam ſuæ conditionis puritatem ſemper cuſtodiunt. De quibus aptè ſubditur, Quæ ipſæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, ſed baſes argenteas. Deauratæ quippe ſunt columnæ, ante quas appenderetur velum, quia poſitæ intra velum cœli virtutes angelorum, ſummæ claritatis ſunt gratia veſtitæ. Capita habent aurea, quia mentem qua reguntur, habent præſentia diuinæ cognitionis ac viſionis illuſtratam. Habent & baſes argenteas, quia omnis eorum natura in hoc quaſi fundamento ſpecialiter ſubſiſtit, vt laudes hymnorum ſuo conditori decantent, vt voluntatem eiuſdem conditoris nobis adhuc in terra peregrinantibus, quaſi extra velum poſitis, ſuis conciuibus narrent. Vnde & ipſi gratulantes eorum in laudibus, exhortando dicimus, Benedicite domino omnes angeli eius, & cætera. Auro enim ſæpe in ſcripturis ſapientiæ ſplendor, argento nitor verborum oſtendi conſueuit. Sequitur. Inferetur autem velum per circulos, intra quod pones arcam teſtamenti, quo ſanctuarium, & ſanctuarij ſanctuaria diuidentur. Circuli qui neque initium habere, neque finem videntur, nonnunquam in ſcriptura ſacra pro ęternitate poni ſolent.
D Et aptè velum quo cœlum figuratur, per circulos ſuſpenſum eſſe perhibetur, Vel quia in æterno erat conſilio diuinitatis, quando mundus crearetur, in quo primum atque eximium locum habet natura cœleſtis, vel quia ita factum eſt firmamentum cœli, vt nunquam eius factura ſoluatur. Nam quod dominus ait, Cœlum & terra tranſibunt, de cœlo aëreo accipiendum. De quo Hieremias, Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, Illud enim cœ- *Matth. 24.* *Hiere.8.*
lum in iudicio igne periturũ eſt, quod conſtat in diluuio periiſſe. Vnde Petrus, Cœli erant priùs & terra de aqua, *2.Pet.3.*
& per aquam conſiſtentes verbo dei, per quem tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc ſunt, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diẽ iudicij. Intra hoc autem velum templi poſita eſt arca teſtamenti, quia mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui ſolus paternorum eſt conſcius arcanorum, poſt paſſionem ſuam, reſurrectionémque à mortuis, ſuper cœlos cœlorum aſcendens, ſedet ad dexteram patris. Hoc velo ſanctuarium, & ſanctuarij ſanctuaria diuiduntur, quoniam Eccleſia quæ ex angelis ſanctis & hominibus conſtat, partim adhuc peregrinatur in infimis, partim æterna patria regnat in ſupernis, adhuc ciues ſuos dirimente
E velo cœli, habet ab inuicem ſegregatos, Pones & propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in ſancta ſanctorum. Aptè propitiatorium ſuper arcam poſitum eſſe dicitur, quia ipſi mediatori dei & hominum, ſpecialiter à deo patre donatum eſt, vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris. Vnde etiam Apoſtolus Paulus dicit, Ieſus Chriſtus *Rom.8.*
qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. Menſamque (inquit) extra velum, & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Menſa enim ſtabit in parte aquilonis. Menſa & candelabrum tabernaculi, temporalia dei beneficia deſignant, quibus in præſenti reficimur & illuminamur, vt his interim confortati & adiuti, creſcente gratia meritorum ad panem angelorum in cœlis manducandum, & ad videndam veram mundi lucem intrare valeamus. Quę ſunt ambo extra velum, quoniam in hac ſolummodo vita, vel ſcripturis ſanctis ac doctoribus, vel cæteris redemptionis noſtræ ſacramentis, opus habemus: in futuro autem ſeculo, vbi dominus palàm de patre annunciabit nobis, id eſt, palàm patrem oſtendet nobis: Et vbi, ſicut Ioannes ait, Videbimus eum ſicuti eſt, non iam opus erit nobis externo ſalutis adminiculo, *1.Ioan.3.*
F cùm inhabitans in electis ſuis deus omnipotens, interiùs ſicut lux vitæ illuſtrat, & ſicut panis vitæ ſatiat, quos introducens in gaudium regni ſui, perpetua beatitudine ſublimat. Diximus autem ſuprà, quia latus tabernaculi meridianum, antiquam dei plebem ſignificaret, quæ prior lucem diuinæ cognitionis, prior feruorem diuinæ dilectionis accepit. Pars verò ſeptentrionalis eiuſdem tabernaculi, congregatam de gentibus Eccleſiam, quæ diutius in tenebris & in vmbra mortis remanſerat, indicaret. Vnde recta diſtinctione etiam candelabrum quod in parte auſtrali collocatur, poteſt gratiam quæ priori populo data eſt, inſinuare. Menſa verò quæ in parte aquilonis ſtabat, ea quæ nobis ſunt donata dei beneficia, deſignare. Rectè cãdelabrum contra menſam poſitum eſſe dicitur, quia nimirum ſcriptura legis & Prophetarum, per omnia ad gratiam Euangelij reſpicit, huic videlicet teſtimonium perhibens, & per hanc ſe ſenſu ſpirituali reuelandam eſſe ſignificans. AVCTOR CATENAE.

Vel candelabrum & menſa extra velum in loco qui dicebatur ſanctum, poſita, ſignificant, quòd & ſi conſiſtente adhuc tabernaculo, Chriſtus nondum fuit orbi terrarum manifeſtatus, ſemper tamen extiterint promiſ-

ſiones

siones de semine Abrahæ & Dauid,hoc est,de Christo,in Israël, quæ veluti lampades luxerũt non solùm in cor- G
dibus piorum Israëlitarum,verùm etiam aliquo modo inter gentes, ad quas Israëlitæ dispersi fuerunt, vt quot-
*Quæst.112.* quot eas per spiritum sanctum fide exceperint,ad veram salutem cõseruati & perducti sint. AVGVSTINVS. Vel in sanctis figura figuræ, quia figura est veteris testamenti, in sanctis autem sanctorum, figura est ipsius veritatis, quia figura est noui testamenti. Totum quippe vetus testamentum in his rebus & celebrationibus, quæ ita obseruanda præcipiuntur,figura est.

6 FAcies *& tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho & purpura, coccóque bistincto, & byssо retorta opere plumarij. Et quinque columnas deaurabis lignorum Sethim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea,& bases æneæ.*

6 BEDA. Expleta narratione veli quod sanctuarium & sanctuarij sanctuaria diuidebat, redit exponere de H
orientali latere sanctuarij,quod intermissile ad tempus videbatur,cùm cætera eius latera,australe videlicet,sep-
*Cap.9.* tentrionale & occidentale describeret. Et ait, *Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho & purpura, coccóque*
*Quæst.173.* *bistincto, & byssо retorta, opere plumarij.* AVGVSTINVS. Cui vsui velamen hoc fiat quinque columnis extensum,post apparebit, nam hîc iuxta Septuaginta non apparet. Vult enim illud esse velamen ostij tabernaculi huius, videlicet interioris, cui circumponitur atrium. CAIETANVS. Quod Interpres tentorium appellat, tegmen est loco parietis occidentalis,vniuersum enim latus orientale tabernaculi appellatur ostium tabernaculi,quia inde erat ingressus.Nec latus hoc operiebatur tabulis,sed cortina vna, cuius materia eadem describitur, quæ & interni veli,sed forma artis diuersa,nam cortina hæc opere acupictoris,illa verò opere polymitario construenda erat, & rursus in illa Cherubinorum fit mentio, in hac minimè, quanuis Interpres semper scripserit opere plumario. AVCTOR CATENAE. Facies & tentorium in introitu tabernaculi,Hebraicè est מָסַךְ לְפֶתַח הָאֹהֶל Masach lepheth hachaohel,Velum,seu opertorium,vel operimentum,aut expansorium,vel aulęum pro ostio tabernaculi,subaudi exteriore.Chaldaica,Faciésque velum in ostio tabernaculi.Sed hoc idem est cum litera nostra.Septuaginta tamen habent,καὶ ποιήσεις ἐπίσπαστρον, Et facies tentorium. Nec ad quid sit faciendum exprimunt.Opere plumarij. Hebraicè est,מַעֲשֵׂה רֹקֵם Mahaserokem,id est, opere plumario, hoc est, polymitarij. Rakam enim variegare,polymitare,id est,opere vario fila intexere,vel diuerso colore vestem contexere,siue acu depigere significat.Vnde Septuaginta, ἔργον ποικιλτοῦ, id est, opus variegatum, Chaldaica, opere polymitarij legunt.Recentiores, opere acupictoris transtulere. Aliud igitur aulæum siue velum parari mandatur pro foribus tabernaculi,pro quarto eius latere à parte orientali,qua patet tantùm ingressus,ex pretiosa materia,pulcherrimis coloribus,pulchra varietate contextum, & figuris elegantibus florum, furculorum, & alarum, exornatum insigniter. *Et quinque columnas deaurabis lignorum Sethim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea, & bases aneæ.*

CAIETANVS. Ecce alia disparitas,nam internum velum quatuor sustinent columnæ,hoc autem exter- K
num sustinent quinque columnæ,quæ erant sic dispositæ,quòd duæ extremæ iungebantur extremitatibus tabularum tabernaculi versus plagam orientalem, & tres erant mediæ æquidistantes, ita quòd quatuor patebant ingressus inter columnas quinque.Et erant vestitæ laminis aureis, quemadmodum & quatuor internæ. Quarum erunt capita aurea.Iuxta Hebræum habetur,Vncini earum aurei.Vncini ligantes inuicem columnas, aurei describuntur, non ferrei nec lignei.Et bases æneæ.Iuxta Hebræum habetur,Et fundes eis quinque bases æneas.Fusorio opere & has solas bases ex ære fieri mandauit deus, cùm non solùm internarum columnarum, sed etiam singularum tabularum bases argenteas fieri iusserit, quod eo mirabilius est, quòd corpora istarum columnarum laminis aureis vestiri mandantur. AVCTOR CATENAE. Et quinque columnas deaurabis lignorum Sethim. Hebraica litera est וְעָשִׂיתָ לַמָּסָךְ חֲמִשָּׁה עַמּוּדֵי שִׁטִּים וְצִפִּיתָ אֹתָם זָהָב Vehasitha lamasach chamissa hammude sittim,vezippitha otham zahab,Et facies velo quinque columnas de lignis Sethim,& cooperies eas auro. Sic ad verbum & Chaldaica, sic & Septuaginta. Et hoc pro velo ipsо sustinendo, quod & Interpres intellexit L
cùm dixit,Ante quas ducetur tentorium.Quæ verba licet non sint in canone Hebræo,necessariò tamen subauditur. Quid enim est dicere velo fieri columnas quinque, nisi vt ante eas ducatur tentorium? Quod autem Hebraicè וָוֵיהֶם זָהָב Vauehem zahab dicitur,Et recentiores quidam,& vncini earum aurei reddunt, non solùm Interpres,sed Septuaginta & Chaldaica, capita, siue capitula, aut capitella eorum legunt. Estq; eadem dictio,de qua paulò ante mentio facta est,Et bases æneę.Breuibus summam rei comprehendit doctus Interpres more suo. Sunt autem Hebraica sicut habet & Chaldaica, Et fundes eis quinque bases æneas. Loco cuius Septuaginta habent,καὶ χονεύσεις,Et conflabis.Alij vertunt,Et fundentur illis,seu pro illis quinque bases æneæ. Quod idem est. Pendebat igitur velum illud secundum ex quinque columnis ligneis deauratis, commodè stantibus, duabus quidem infixis iuxta duos parietes, reliquis tribus æqualiter à se & duabus reliquis distantibus, quarum erant capitella aurea,bases æneæ.Simúlque ex vncinis velum istud pendebat, & cedebat tantùm ingredientibus, non M
amouebatur, nisi dum loco soluendum erat domino iubente. Tunc enim omnia à sacerdotibus resoluebantur, & in fasciculos consarcinabantur, à Leuiticis ordinibus baiulanda. BEDA. Sanè quia de orientali plaga loquimur,non reticendum censemus de vecte illo singulari,quem ab angulo tabularum ad angulum vsque parietis alterius porrectum esse,ac totam parietum constantiam,ne vi & impulsu procellarum concuti, atque huc
*Cap.10.* & illuc posset inflecti,continere iam diximus.Scriptum est in sequentibus sacræ historiæ,vbi omnia quæ dominus imperarat,Moyses expleuisse narratur: fecit enim vectem alium qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum perueniret. Hic ergo vectis à prima tabularum summitate, vsque ad alterius lateris summitatem per decem cubitos latitudinis tabernaculi, protensus esse credendus est, capite vtroque firmiter tabulis impositus, vt per hoc & ea tabernaculi plaga,quæ non tabulis sed columnis constabat, non minus fixa quàm cæteræ,vento licet impellente persisteret.

*Mystice.* IDEM. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & cætera. Tentorium in introitu tabernaculi



A naculi pulchra colorum varietate contextum, primitiuæ est decus Ecclesiæ, diuersis virtutum floribus glorificum. De quibus scribit Lucas,Quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, & non erat separa- *Act.4.*
tio in eis vlla, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, & cætera. Inerat nanque ei hyacinthus, quia cœlestia cogitare, cœlestem in terris vitam ducere solebat. Inerat purpura, quia mori erat parata pro Christo.Inerat coccus bis tinctus,quia dei & proximi dilectione flagrabat.Inerat byssus retorta,quia continentia carnis & animi castitate gaudebat.Et quinque columnas deaurabis lignorum Sethim, ante quas ducetur tentorium.Columnæ quibus tentorium suspendebatur,sancti sunt doctores, de quibus Lucas consequenter adiungit, Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri. Quorum mens quantò robustiùs ipsa ad superna erigitur, tantò firmiùs docendo, & alios ad amorem supernorum sufficit attollere.Sicut enim Apostoli & Apostolici viri,per tabulas possunt rectè designari,propter latitudinem do-
B ctrinæ,qua euntes in mundum vniuersum prædicant Euangelium omni creaturæ: vel charitatis, quam non solùm vsque ad amicos, sed vsque ad diligendos etiam ipsos se extendunt inimicos, & orationibus ac beneficiis prosequuntur eos qui se odio habent: ita etiam propter inexpugnabile cordis robur, & intentionem ad cœlestia semper erectam,non inconuenienter vocabulo,& factura columnarum figurantur,Apostolo attestante, qui ait, *Gal.2.*
Iacobus, Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse. Quæ nimirum columnæ, bene quinque sunt factæ, propter totidem libros legis,quibus necesse est,vt sancti doctores suæ verba prædicationis communiãt. Et maximè qui primitiuam instituere Ecclesiam, quæ ex Hebræorum populo congregata, sola Mosaicæ legis auctoritate nouerat institui,cùm necdum Euangelica & Apostolica per orbem scriptura effulgeret.Bene autem eædem columnæ de lignis quidem Sethim fieri,auro verò iubentur operiri,vt insinuentur prædicatores sancti,& firmitate cordis intus integri,atque in nullo deficientes,& operum claritate forinsecus esse debere conspicui.Vel certè columnæ lignorum Sethim deaurantur, cùm iidem doctores, fortitudinem suæ actionis diuino semper ad- *Matth.6.*
C iutorio protegendam docent, cùm in omnibus quæ faciunt, gloriam patris qui in cœlis est requirunt, cùm in *2.Cor.4.*
vniuersis quæ loquuntur,Christum sonare gaudent, dicentes, Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum dominum nostrum.De quibus aptè subditur,Quarum erunt capita aurea,& bases æneæ. Aurea quippe capita illum designant,de quo dicit Apostolus,Et omnia constant in ipso, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, *Col.1.*
qui est principium & primogenitus ex mortuis. Neque incongruum videatur per quinque capita columnarum *Ephes.5.*
vnum caput Ecclesiæ Christum figurari,tot enim fuere capita,quot columnæ. Quia nimirum idem ipse dominus Christus, omnium sanctorum caput est, in se quidem ipso manens semper æqualis atque indiuisibilis, sed singulis quibusque electis gratiam sui spiritus pro accipientium capacitate diuidens. Vnde non solùm omni generaliter Ecclesiæ,verùm etiam specialiter vnicuique membrorum eius licet illud propheticum cum fiducia proclamare,Nunc autem exaltauit caput meum super inimicos meos.Cuius nimirum capitis significantię con- *Psal.26.*
uenit aptè,quod eadem capita columnarum,non deaurata vt columnæ & tabulæ,sed aurea fieri iubentur.Quia
D sancti quidem omnes participes sunt facti spiritus sancti & gratiæ cœlestis, Ipse autem plenus erat gratiæ & veritatis. Et sicut præcursor suus de illo aiebat, Non enim ad mensuram dat illi deus spiritum. Pater enim diligit *Ioan.3.*
filium,& omnia dedit in manu eius.Bases autem æneæ,Prophetæ sunt,quorum attestatione Apostolorum sermo confirmatur.Et bene æneæ,vel propter insuperabilem mentis propheticæ fiduciam,vel quia sermo eorum senescente siue transeunte mundo, nulla vnquam vetustate potest consumi. Neque enim venit dominus soluere legem aut Prophetas,sed adimplere.Habent enim columnæ tabernaculi bases æneas,habent aurea capita,quia nimirum Apostoli & Apostolici viri,verbis Prophetarum & fide sunt confirmati,& ad videndam faciem sui conditoris supernorum desiderio erecti. Item capita aurea, sed bases habent æneas, quia quæcunque per dominum cœlesti sibi auctoritate data perceperunt, cuncta hæc pridem prophetico eloquio prædicta esse sacramenta didicerunt. RVPERTVS. Vel quinque columnę ingressus huius tabernaculi,quinque libri Moysi sunt,Ecclesiæ præsenti perhibentes testimonium.Bases columnarum æneæ, vilem significat literaturam scripturæ Mosai-
E cæ.Nam capita columnarum aurea,excellentem designant gloriam spiritualis intelligentiæ. Qui sensu paruuli sunt,bases tantùm æneas attingere,id est,non valde nobilem literam legere possunt.Qui autem viri proficiendo facti sunt, aurum attingunt,id est, capita columnarum dum occidentem negligentes literam, extendunt se ad viuificantem spiritum.Velum quod ante columnas depẽdet,velamen est,quod nobis quidem in passione Christi scissum,Iudæorum autem cordibus superpositum est. Idcirco nobiscum non ingrediuntur,quia quod in columnis, id est,in libris Moysi rutilat aurum, obstante velamine videre non merentur. THOMAS SVPER *Cap.27.*
MATTHAEVM. Notandum, quòd in templo Iudæorum duplex velum erat sicut in tabernaculo, quia erat velum intra sancta sanctorum, & erat velum aliud quod non erat in sanctis. Et ista duo duplicem velationem signabant, quia velum interius significabat velationem mysteriorum cœlestium quæ nobis reuelabantur. Tunc enim similes ei erimus, cùm apparuerit gloria sua.Aliud quod exterius erat, significabat velationem mysteriorum quæ ad Ecclesiam pertinent. Vnde illud exterius fuit scissum, alterum non, ad significandum quòd myste-
F ria manifestabantur per mortem Christi, quæ ad Ecclesiam pertinent. Sed aliud non fuit diuisum, quia secreta cœlestia adhuc remanent velata. Vnde Apostolus secundæ Corinthiorum tertio, Cùm autem Israël conuersus fuerit ad deum,amouebitur velamẽ.Vnde per passionem omnia mysteria quæ in lege & Prophetis scripta sunt, aperta fuerunt,vt habetur Lucæ vltimo,Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis,interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Vel significabat dispersionem populi Iudæorum. Et quia gloria eorum erat in velo quod in passione domini scissum est, significabatur quòd tota gloria diuidebatur ab eis. BEDA. Quòd si vectis etiam sacramentum scire desideras,ipsum absque omni ambiguitate Redemptorem nostrum figuratè denunciat.Qui quasi ab angulo vsque ad angulum peruenit, quia à plebe Iudaica quam priùs elegit, sese ad saluandam etiam gentium multitudinem propitiatus extendit.Vnde meritò sicut in Prophetis lapis angularis,ita etiam in lege vectis angularis potest rectè nuncupari. Lapis videlicet angularis propter templum quod de lapi- *Esa.28.*
dibus viuis deo constituitur,vectis verò angularis,propter tabernaculum, quod ei de lignis imputribilibus,hoc est,de

est,de animabus electorũ,corruptionis labe carẽtibus ædificatur. THOMAS. Sed adhuc pro clariori intelli- G
2.2.q.102. ar.4. ad 3. gẽtia in hoc capitulo cõtentorũ,sciendũ quòd ratio vnitatis tẽpli vel tabernaculi potest esse & literalis & figuralis.Literalisquidẽ est ratio,ad exclusionẽ idolatriæ,quia gẽtiles diuersis diis diuersa templa constituebãt,& ideo vt firmaretur in animis hominũ fides vnitatis diuinæ, voluit deus vt in vno loco tantùm sibi sacrificium offerretur: & iterum vt per hoc ostenderet quòd corporalis cultus non propter se erat ei acceptus, & ideo compescebantur,ne passim & vbique sacrificia offerrent.Sed cultus nouæ legis in cuius sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundum se deo acceptus, Et ideo multiplicatio altarium & templorum acceptatur in noua lege. Quantum verò ad ea quæ pertinebant ad spiritualem cultum dei qui consistit in doctrina legis & Prophetarum, erant etiam in veteri lege diuersa loca deputata, in quibus conueniebant ad laudem dei, quæ dicebantur synagogæ,sicut & nunc dicuntur Ecclesiæ, in quibus populus Christianus ad laudem dei congregatur, & sic Ecclesia nostra succedit in locum & templi & synagogæ, quia ipsum sacrificium Ecclesiæ spirituale est, Vnde non H
distinguitur apud nos locus sacrificij à loco doctrinæ.Ratio autem figuralis esse potest,quia per hoc significabatur vnitas Ecclesiæ,vel militantis,vel triumphantis.Notandum præterea,quòd corpus tabernaculi constabat ex
Vbi supra ad 8. quibusdam tabulis in longitudinem erectis, quæ quidem interiùs tegebantur quibusdam cortinis ex quatuor coloribus variatis,scilicet de byssо retorta,& hyacintho,ac purpura,coccóque bistincto,sed huiusmodi cortinę tegebant solùm latera tabernaculi. In tecto autem tabernaculi erat operimentum vnum de pellibus hyacinthinis, & super hoc aliud de pellibus arietum rubricatis, & desuper tertium de quibusdam sagis cilicinis, quæ non tantùm operiebant tectum tabernaculi, sed etiam descendebant vsque ad terram, & tegebant tabulas tabernaculi exteriùs. Horum autem operimentorum ratio literalis in communi, erat ornatus & protectio tabernaculi, vt in reuerentia haberetur. In speciali verò, secundum quosdam per cortinas designabatur cœlum sydereum, quod est diuersis stellis variatum:per saga,aquæ quæ sunt supra firmamentum:per pelles rubricatas, cœlum empyreum in quo sunt angeli: per pelles hyacinthinas, cœlum sanctæ Trinitatis. Figuralis autem ratio horum est, I
quia per tabulas ex quibus construebatur tabernaculum, significantur Christi fideles, ex quibus cõstruitur Ecclesia.Tegebantur autem interiùs tabulæ cortinis quatuor coloribus, quia fideles interiùs ornantur quatuor virtutibus.Nam in byssо retorta(vt glossa dicit)significatur caro castitate renitens,in hyacintho mens superna cupiês, in purpura caro passionibus subiacens, in cocco bistincto mens inter passiones, dei & proximi dilectione præfulgens. Per operimenta verò tecti designantur prælati & doctores, in quibus debet renitere cœlestis conuersatio, quod significatur per pelles hyacinthinas, promptitudo ad martyrium, quod significant pelles rubricatæ: austeritas vitæ & tolerantia aduersorum,quæ significantur per saga cilicina,quę erant expositа ventis & pluuiis, vt glossa dicit. Demum sciendum, quòd sicut in vnitate templi vel tabernaculi repræsentabatur vnitas dei, vel
Ibid.ad 4. vnitas Ecclesiæ:ita etiam in distinctione tabernaculi vel templi repręsentabatur distinctio eorum quæ deo sunt subiecta,ex quibus in dei venerationem consurgimus.Distinguebatur autem tabernaculum in duas partes,in vnam,quæ vocabatur sancta sanctorum,quæ erat occidẽtalis:& aliam, quæ vocabatur sancta, quæ erat ad orien- K
tem:& iterum ante tabernaculum erat atrium. Hæc igitur distinctio duplicem habet rationem, vnam quidem secundum quod tabernaculum ordinatur ad cultum dei, sic enim diuersæ partes mundi in distinctione tabernaculi figurantur,nam pars illa quæ sancta sanctorum dicitur, figurabat seculum altius, quod est spirituаlium substantiarum.Pars verò illa quæ dicitur sancta,exprimebat mundum corporalem, & ideo sanctaà sanctis sanctorum distinguebatur quodam velo quod quatuor coloribus erat distinctum, per quos quatuor elementa designantur,scilicet byssо,per quod designatur terra,quia byssus,id est,linum de terra nascitur. Purpura, per quam significatur aqua, fiebat enim purpureus color ex quibusdam conchis quæ inueniuntur in mari. Hyacintho, per quem significatur aër, quia habet aëreum colorem: & cocco bis tincto, per quem designatur ignis. Et ideo quia materia quatuor elementorum est impedimentum,per quod velantur nobis incorporales substantiæ,in interius tabernaculum,id est,sancta sanctorum solus summus sacerdos,& semel in anno introibat,vt designaretur quòd hæc est finalis perfectio hominis, vt ad illud seculum introducatur:in tabernaculum verò exterius,id est,in san- L
cta introibant sacerdotes quotidie, non autem populus, qui solùm ad atrium accedebat, quia ipsa corporalia populus percipere potest, ad interiores autem eorum rationes soli sapientes per considerationem attingere possunt.Secundum verò rationem figuralem,per exterius tabernaculum quod dicitur sancta,significatur status veteris legis, vt Apostolus dicit ad Hebræos nono, quia illud tabernaculum semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes.Per interius verò tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, significatur vel cœlestis gloria,vel etiam status spiritualis nouæ legis,quæ est quædam inchoatio futuræ gloriæ, in quem statum nos Christus introduxit, quod figurabatur per hoc quòd summus sacerdos semel in anno solus in sancta sanctorum intrabat.Velum autem figurabat spiritualium occultationem sacrificiorũ in veteribus sacrificiis, quod velum quatuor coloribus erat ornatum,byssо quidem, ad designandam carnis puritatem: purpura autem, ad figurandum passiones quas sancti sustinuerunt pro deo:cocco bis tincto,ad significandam charitatem geminam M
dei & proximi:hyacintho autem significabatur cœlestis meditatio.Ad statum autem veteris legis aliter se habebat populus,& aliter sacerdotes, nam populus ipse corporalia sacrificia considerabat quæ in atrio offerebantur, sacerdotes verò rationem sacrificiorum considerabant, habentes fidem magis explicitam de mysteriis Christi. Et ideo intrabant in exterius tabernaculum, quod etiam quodam velo distinguebatur ab atrio, quia quædam erant velata populo circa mysterium Christi, quæ sacerdotibus erant nota, non tamen eis erant plenè reuelata. Sicut postea in nouo testamento,vt habetur Ephesiorum tertio.



A IN CAPVT EXODI VIGESIMVMSEPTIMVM, ARGVMENTVM.

*Altare & atrium tabernaculi,tentorium,columnæ, & oleum lucernarum formari iubentur.*

CAPVT XXVII.

B *FAcies & altare de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem* Lectio 1.
*in latitudine,id est,quadrum,& tres cubitos in altitudine.Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt,& operies illud ære.Faciésque in usus eius lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas & ignium receptacula.Omnia uasa ex ære fabricabis. Craticulámque in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor anuli ænei, quos pones subter arulam altaris. Erítque craticula usque ad altaris medium. Facies & uectes altaris de lignis Sethim duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, erúntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non solidum, sed inane & cauum intrinsecùs facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.*

AVCTOR CATENAE. Descripto tabernaculo & his quæ erant intra tabernaculum,describuntur mo- Lectio 1.
dò illa quæ erant extrà,ad ipsum tamen pertinentia. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SV- Quæst.173.
PER EXODVM. Ex quibus iubet primùm dominus altare fieri sacrificiorum & holocaustomatum,& dicit
C quemadmodum fiat,nondum autem dicit vbi ponatur, sed hoc quoque pòst apparebit. *Facies* (inquit) *& altare* Quæst.113.
*de lignis Sethim,quod habebit quinque cubitos in longitudine,& totidem in latitudine,id est,quadrũ,& tres cubitos in altitudine.* Quęritur quomodo tribus cubitis altum voluerit esse altare,cùm tanta ferè sit staturæ hominis altitudo? Quomodo ergo ministrabatur altari, cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda (inquit) tua reueles super illud. Sed illud dicebat de altari quod terra vel lapidibus construendum esset, vbi gradus ipsi cædificati, ad corpus altaris vtique pertineret:nunc verò de tabulis fieri altare præcepit, quòd si apponeretur ad horam administrationis aliquid vbi staret minister altaris,& peracto ministerio tolleretur,ad corpus altaris non vtique pertineret.Item quæritur, quomodo super altare ligneum, sacrificium quod inferebatur posset incendi, præsertim quia concauum fieri iubet, & craticulam deponi vsque ad medium eius, id est, medium concauitatis eius opere factum reticulato? An quoniam secundum aliam literam dixit, Et facies cornua in quatuor angulos, ex seipso erunt cornua, & teges illa æramento, non ad sola cornua referendum est quod ait, teges illa æramento, sed ad
D omnia de quibus loquebatur de altari fabricando præcipiẽs. CAIETANVS. Facies & altare,& cætera.De altari holocausti(quod extra tabernaculum sub diuo erat ante ostia tabernaculi) sermo est. Significanter autem dicit de lignis, & non dicit de tabulis, quia vt subiungetur, nullæ concurrebant tabulæ ad construendum hoc altare,sed hæc ligna erant tigilla quædam, vacuitatem altaris ambientia, iuxta subiunctam quantitatem longitudinis,latitudinis,& altitudinis.Et per altitudinem intellige tigillos sub quatuor angulis(quorum quilibet erat longus tres cubitos)quasi quatuor altaris pedes. AVCTOR CATENAE. Facies & altare, scilicet holocaustorum extra tabernaculum sub dio.Propria Hebraica hîc sunt, sicut habet & Chaldaica, nempe, Faciésque altare de lignis Sethim. Quinque cubitos habebit longitudo eius, & quinque cubitos latitudo, quadratum erit altare, & tres cubitos habebit altitudo eius, quod est penitus idem cum litera nostra. Altare itaque holocaustorum in quo cremabantur sacrificia domino offerenda, ligneum quidem erat, sed ære intus diligenter opertum. Forma huius aræ scribitur secundum longitudinem & latitudinem quinque habuisse cubitos, quadratum sci-
E licet & capax lignorum,ignis & superpositorum holocaustorum, Altitudo autem trium tãtùm cubitorum.Erat autem ad modum quadratæ arcæ,fundo & operculo carentis,superficiémque terræ pro fundo habebat, intúsque concauum erat. *Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt,& operies illud ære.* CAIETANVS. De cornibus his duo manifestantur in litera.Alterum, quòd erant super quatuor angulos altaris: alterum, quòd non erant adiectitia, sed ex ipso altari prodibant, vt intelligamus tigillos officium pedum exercentes, cornuum quoque officium exercuisse. Ita quòd tigilli isti iuxta hæc duo officia, habebant duas figuras, erant enim figuræ quadræ seu columnaris secundum tres cubitos,& erant figuræ fortè cornu secundum partem eminentem supra altare, nam tigilli longitudinis & latitudinis altaris,iungebantur & sustinebantur super istos quatuor sub cornibus.Et operies illud ære.Vniuersa hæc tigilla secundum omnes partes vestiebantur ære. Si quæris quo pacto deus qui inter prima mandata Moysi præceperat fieri altare de terra aut de lapidibus impolitis, modò mandat altare fieri ex ligno & ære. Solutio est quòd æquiuocatur de altari, nam in primis mandatis, altaris nomine intelligitur cor-
F pus altaris,super quod fit ignis,& immolatur hostia: hîc verò nomine altaris, intelligitur id quod ambit altare, vt enim patet ex vniuersa hac structura,nulla mensa,nullum corpus construendum mandatur in hoc altari: sed ea tantùm,quæ circuncirca erant,construi præcipiuntur,partim ex ligno & ære,partim ex ære, vacuo remanente corpore altaris nisi in fundo: vt infra manifestabitur. AVCTOR CATENAE. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, id est, ex eadem materia & eodem ligno, non aliunde assuta. Hebraica litera, prout Chaldaica habet, Faciésque cornua eius super angulos eius, ex ipso erunt cornua eius. Verùm quia in Hebræo est עַל אַרְבַּע Hal arbaha, oportet dicere, Faciésque cornua eius in vel super quatuor angulos. Quod est idem cum litera nostra. Cornua autem in quatuor angulis non intelligenda sunt fuisse ad similitudinem cornuum bouis vel hirci, sed Hebraico more, radij quidam elegantes erecti, directi sursum, cum ornamento aliquo pomelli vel lilij: sicut & Moyses non erat cornutus, sed apparuit radios splendoris effundens de facie.Omnia autem ære operiebantur,ne igni obnoxia consumerentur. Erant autem cornua in altaris parte superiori. Sciẽdum

verò

verò,quòd altaria tria in lege fieri demandata ſunt, quamuis non ſanè intelligentibus plura videantur. Vnum G enim eſt altare aureum vt ſuper ipſum in tabernaculo domini adoleretur incenſum. Alterum verò ligneum ære munitum. Vnde aliquando dicitur altare æneum. Et hoc terra replebatur. Vnde nominatur aliquando altare terreum. Tertium verò lapideum. Et hoc quoque terra replebatur. Ligneum autem factum fuit pro tabernaculo vago & portatili. Lapideum verò fecit Salomon in templo lapideo & ſtabili. Et vtrumque iſtorum pro adolendis ſacrificiis erat. Et illud cooperimentum æneum, licet valde ſubtile fuerit, nunquam tamen aduſtum vel conſumptum fuit: præſeruatum quidem eo miraculo, quo & locus ſacrificiorum à muſcis. Nulla enim muſca (vt aſſeritur) vnquam viſa fuit vbi ſanguis animalium fundebatur: quò ſolent muſcæ confluere, & inde generari. Quo miraculo læti Hebræi irridebant Chaldæos & Allophylos, in quorum ſacrificiorum loco ſolebant abun-
4. Reg 1. dare muſcæ. Hinc vocabant deum ipſorum Behelzebub, id eſt, patronum muſcarum. Fugabantur autem in ſa-
Eccle. 10. crificiis dei, muſcæ: quæ morientes (vt ſapiens ait) vnguenti ſuauitatem perdunt. Muſcæ enim importuniſsimæ H & inutiles, animalia dæmoniaca ſunt, malos ſpiritus ſignificantia: qui ſpiritus mortis ſunt, & ad mortem deducentes & immundi. Hinc cùm turbent ſacrificia munda, quæ ſunt deo viuo: & perdant odorem illum ſacrificiorum, qui ſolebat ſuauiſsimus aſcendere coram deo, à ſacrificiis amouebãtur. *Faciéſque in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes atque fuſcinulas, & ignium receptacula. Omnia vaſa ex ære fabricabis.* INTERLINEARIS. Lebetes ollæ ſunt æneæ quibus cineres arculæ, & carbones holocauſti cremati recipiebantur. Forcipes inſtrumenta ad altaris ignem emendandum. Fuſcinulæ batilla quibus ignis & carbones ab altari holocauſtorum ad altare thymiamatum transferebantur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Faciéſque in vſus eius, id eſt, altaris, lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & forcipes atque fuſcinulas, & ignium receptacula. In Hebræo ſic habetur, Facies eius ollas, ad ſuſcipiẽdos cineres eius, & eius palas, & eius pelues, & eius vncinos, & eius ignium receptacula. Palas videlicet ad tollendos cineres, ollas ad ſuſcipiendos, pelues ad ſanguinem fundendum, vncinos ad tollendas carnes de cacabis: ignium receptacula, ad portandas prunas. CAIETANVS. Iuxta Hebræum I inter prima vaſa ad remouendum cinerem, & vltima in quibus recipiebatur ignis, ponuntur tria alia, quum tamen in vulgata editione non niſi duo habeantur. Et apponitur ſemper pronomen, dicendo, & ſcopas eius, & malluuia eius, & fuſcinulas eius. Malluuia autem intellige ad recipiendum ſanguinem holocauſtorum, & fuſcinulis etiam hodie vtimur ad quaſi excutiendum ignem ex lignis minus diſpoſitis ad ardendum, receptacula ignis neceſſaria erant ad communicandum ignem altaris tam interno thuribulo, quàm multitudini ſacrificiorum quæ extra illud altare coquebantur. Et ne omnia inſtrumenta opportuna numerata crederes, ſubiungitur vniuerſaliter, omnia vaſa eius facies ex ære. Nihil ex ferro admittitur. AVCTOR CATENAE. Faciéſque in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres. Iuxta Hebræum legitur וְעָשִׂית סִירֹתָיו לִרְשָׁנוֹ Vehasítha ſirotaf ledaſſeno, Et facies lebetes ſiue ollas eius (vtrumque enim ſignificat dictio ſir) ad ſuſcipiendos, ſiue excipiendos cineres eius. Eſt enim רֶשֶׁן Deſen cinis, à quo deſcendit verbum רָשַׁן Daſan in coniugatione piel hîc poſitum, quod remouere ſiue colligere cineres ſignificat, & ſi Latinè fas eſſet, diceretur decinerare. Vertunt alij, Facies & ollas K pro eo ad tollendum cineres eius. Alij, Et facies lebetes eius ad remouẽdum cinerem eius. Chaldaica, Et facies lebetes vt colligatur cinis. Quæ idem ſunt cum Latina verſione. Horum igitur vſus in tabernaculo fuit, vt exciperent cineres holocauſti ab altari. Septuaginta hîc paulò diuerſiùs legunt, videlicet καὶ ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, Et facies coronam altari. Sequitur, Et forcipes. Hebraicè eſt וְיָעָיו Vaiahaf. A verbo יָעָה Iaha, quod eſt afferre ſiue remouere, venit dictio יָעִים Iahim, quæ ſunt inſtrumenta quibus accipiebant prunas ſeu carbones de altari holocauſti, Vel quibus voluebantur carnes quæ cremabantur ſuper altare. Alij inſtrumenta eſſe volunt quibus pauimenta verruntur, id eſt, ſcopas, quod illis ab altari cineres amouerent. Vnde ſic verti poteſt, Et forcipes eius. Alij reddunt, Et palas eius. Erant autem palæ inſtrumenta quibus cinis ab altari amouebatur, id eſt, ſcopæ. Vt idem ſit dicere, Et palas eius, vel ſcopas eius. Chaldaica, Et batilla eius habet. Septuaginta & hîc quid diuerſum habent, καὶ τὸμ καλυπτῆρα ἄυτοῦ, Et cooperimentum eius. Deinde eſt, Atque fuſcinulas. Dimittitur hîc vna dictio quæ in Hebræo legitur וּמִזְרְקֹתָיו Vmizrekothaf. Eſt autem verbum זָרַק ſpargere, aſpergere, diſpergere, fundere, ef- L fundere. Et inde venit dictio Mizrak, ſignificans phialam vel peluim, ſiue vas in quo recipiebant ſanguinem, vel aquam ad aſpergendum, vel ſecundum alios quo excipiebatur cinis ab altari, & è quo effundebatur in ollas. Vnde vertitur hîc, Et pelues eius, ſiue & phialas eius. Sic & Septuaginta. Alij, Et pelues eius ſparſorios. Quidam, Et crateras eius. Chaldaica verò, Et acetabula. Sequitur in Hebræo וּמִחְתֹתָיו Vmizlegotaf, Et fuſcinulas, ſiue tridentes eius. Eſt autem fuſcinula inſtrumentum dentes recuruos habens, quo caro ex olla extrahebatur. Hîc autem eſt plurale, & fœmineum. Græcè dicitur κρεάγρα, quia inſtrumentum eſt quo capiuntur τὰ κρέα, id eſt, carnes. Vnde & Septuaginta hîc, τὰς κρεάγρας ἄυτοῦ, Et fuſcinulas eius legunt. Sic & Chaldaica. Secundum alios inſtrumenta ſunt ferrea, quibus vel ligna vel carbones, aut in igne componebantur, aut de igne altaris extrahebantur. Sequitur, Et ignium receptacula. Vbi Hebraicè eſt וּמַחְתֹתָיו Vmachtothaf. A verbo חָתָה Catha, quod eſt fouere, ſcilicet ignem, ſiue congregare aut portare illum, deſcendit dictio Machta, quæ ſignificat vas in quo accenditur aut ſuſtentatur vel portatur ignis ſiue prunæ, id eſt, thuribulum aut acerra. Vnde hîc reddi poteſt, Et thuribula M eius. Et ſic habet Chaldaica. Alij vertunt, paterâſque eius, dicúntque & ipſi vas fuiſſe patens, in quo carbones recipiebantur. Vnde aptè Interpres, Et ignium receptacula interpretatus eſt. Septuaginta, καὶ τὸ πύξιον ἄυτοῦ, Et focum eius legunt, quod idem eſt. Inſtrumenta igitur neceſſaria erant ad aram pro amouendis aliquando cineribus, pro mouendis ignibus, & lignis applicandis, carnibúſque imponendis & diſponendis, vtcumque Hebræis nominentur, vel reddantur Latinè. Similiter & receptacula cineris, pro exportandis illis extra caſtra ad locum definitum. Omnia autem huiuſmodi vaſa ex ære fabricanda iubentur *Craticulámque in modum retis æneam, per cuius*
Cap. 12. *quatuor angulos erunt quatuor anuli ænei, quos pones ſubter arulam altaris. Erítque craticula vſque ad altaris medium.* BEDA. Altare quidem totum cauum fieri præceptum eſt, vt in ſequentibus manifeſtiùs edocetur. Sed in medio ſui habens craticulam, per totum in modum retis diſtinctam, in qua victimarum carnes comburendæ imponerentur, & ſubter eam, arulam in qua compoſitis lignis arderet ignis, ſemper ad deuoranda ſuperpoſita holocauſta paratus.

Erat



A Erat enim contra arulam oſtium in pariete altaris orientali, vnde vel ligna ad alendũ ignem immitti, vel carbones & cineres poſſent egeri, quomodo in pictura Caſsiodori ſenatoris cuius ipſe in expoſitione Pſalmorũ meminit, expreſſum vidimus. In qua etiam vtrique altari, & holocauſti videlicet & incẽſi, pedes quatuor fecit, quod vtrũque eum ſicut & tabernaculi & tẽpli poſitionẽ à doctoribꝰ Iudęorũ didiciſſe putamus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Craticulamq; ſubaudiatur, facies ei, in modũ retis æneã, per cuius quatuor angulos erũt quatuor annuli ænei: quos pones ſubter arulã altaris, eritq; craticula vſq; ad altaris mediũ. De hac craticula magna ambiguitas eſt tã apud Hebræos q̃ apud noſtros, præcipuè cũ Hebraica veritas nonnihil à noſtra trãſlatione diſcrepare videatur. Sic enim ibi habetur, Facies michbar facturã retis ænei: & facies ſuper rete quatuor annulos æneos ſuper quatuor fines ſiue cornua eius, & dabis illã, ſcilicet michbar, ſiue pones illud, ſcilicet rete, ſubtus fundũ aræ de ſubtꝰ: eritq; rete vſq; ad altaris mediũ. Secũdũ hãc itaq; lectionẽ nõ videtur michbar craticulã ſonare,
B cui aſſandę carnes ſuperponerẽtur, ſed opus quadrãgulum propter leuitatẽ vndiq; perforatũ in ſimilitudinẽ vaſis factũ: in quo quaſi ſedere altare videtur, cui parietũ altitudo altare ambiens vſq; ad mediũ altaris eleuata eſſet, in cuius quatuor angulis ſurſum quatuor annuli pendebãt, per quos vectibus inſertis altare ipſi inſidẽs portaretur. Altare enim alios annulos nõ legitur habuiſſe, quibus portaretur præter annulos retis. Sed hoc rete vtrũ ſeorſum per ſe ab altari diuiſum & ſeparabile eſſet, & ſuo fundo inferiorẽ partẽ altaris cõtineret, & ſic parietibꝰ ſuis altaris parietes ambiẽs includeret: an deorſum inferiori margini parietũ opere fuſili cohæreret, & aliquo interuallo latitudinis fundo ſuo in circuitu à parietibꝰ remotũ, ſic tãdẽ parietes ſuos vſq; ad mediũ altaris erigeret: nõ ſatis patet, niſi quòd ſequẽs diſpoſitio cõueniẽtior videtur. Quidã hoc altare nec tectũ deſuper, nec fundũ deorſum habuiſſe dicũt, ſed parietes tãtũ poſitos terra repleri. Secundũ quod dicit, Altare de terra facietis mihi, & in eius arca ſuperiori ignẽ cõſtrui, vbi holocauſta impoſita cremabãtur. Fuerũt etiã qui aſſererẽt inter parietes altaris craticula poſita, & vſq; ad mediũ altitudinis eius, erecta ſub ipſa craticula arula parua, formata: in eadẽ ignẽ extrui per
C oſtium ad oriẽtalem altaris parietẽ patẽs, & ſic carnes craticulæ ſuperpoſitas introrſum cremari fumo per os altaris deſuper apertũ egrediẽte. Et ne fortè de ligneis introrſum altaris parietibus igne vicino comburẽdis, aliqua ſuſpitio naſceretur, eadem ligna incõbuſtibilia aſſeuerãt. Sed ſi hæc ligna talia fuiſſe putãda ſunt, vt vel aqua vel igne omnino corrũpi non poſſent, quid opus fuerit æneis laminis extrinſecus tegi non videtur. Sed nec qualiter introrſum ipſa craticula vectibus ſuis aptè collocaretur, aut quemadmodum per annulos eius vectibus inſertis altare portaretur, ſiue etiã quomodo ſub illa arula interiori annuli craticulę ponerẽtur, ſatis patere poteſt. CAIETANVS. Litera iſta iuxta Hebræũ ita ad verbũ affertur, Et facies ipſi cribrũ, opus retis æris, & facies ſuper rete quatuor annulos æris ſuper quatuor extremitates eius, & dabis ipſum ſuper ambitu altaris de inferno, & erit rete vſq; ad mediũ altaris. Hæc eſt litera Hebraica, in qua ſi ſingula librata fuerint, clarè apparebit, quòd rete hoc ambiebat circũcirca altare, ſurgẽdo ab imis altaris vſque ad mediũ eiuſdẽ, nã dicendo facies ipſi cribrũ, manifeſtat, quòd rete hoc pars eſt altaris, & locus eius deſcribitur ſub ambitu, hoc eſt, ſub tigillis ambiẽtibus longitudi-
D nem & latitudinẽ. Et ne intelligeres quòd immediatè ſub ambitu locaretur rete, ſubiungit de inferno, vt de imo intelligeremus ſurgere rete. Et ne ambigeretur vſque quo extẽderetur verſus partẽ ſuperiorẽ altaris, manifeſtatur quòd vſque ad mediũ altaris erit. Ex quibus habetur, quòd rete hoc erat viginti cubitorũ, vt pote ambiẽs altare quinque cubitorũ quadrũ, ſecũdũ altitudinẽ verò erat cubiti vnius & dimidij, nã tota altitudo altaris erat trium cubitorũ. Forma autẽ huius retis in litera deſcribitur, ſimilis cribro, & ſimilis reti. Si enim rete dũtaxat nominaſſet, intelligeremus quòd inter filos æreos ad inſtar retis, vniuerſum vacuũ pateret, & ſimiliter ſi nominaſſet cribrũ dũtaxat, intelligeremus tãquã coriũ æreũ cum foraminibus paruis tanquã cribrũ, ita vt vacui parũ eſſet. Sed nominãdo vtrũque, & dicẽdo cribrũ opus retis, inſinuauit vt aliquid cribri, & aliquid retis intelligeremus. Et retis quidẽ figurã ſeu formã, dicẽdo opus retis, cribri autẽ tegmẽ, dicẽdo facies cribrũ. Tegmẽ autẽ dico, vt nõ ex filis æreis, ſed ex lineis latis æreis, paruis vacuitatibus interceptis rete hoc cõſtrueretur, vt defenderet à vẽti impetu ignẽ internũ, & tamẽ videretur tã focus q̃ ignis per huiuſmodi rete. Anuli autẽ quatuor ſup quatuor retis ex-
E tremitates quæ in angulis erãt, locati erãt, ex eo enim quòd annuli cõueniebãt in materia cũ reti, ſuper rete facti ſunt, & ex eo quòd ſupremũ retis ad mediũ altitudinis altaris aſcẽdebat, annuli in medio altitudinis altaris erãt in quatuor angulis, loco idoneo ad hoc vt vectibus per anulos trãſeũtibus portaretur altare. AVCTOR CATENAE. Craticulamq; in modũ retis æneã. Sic ſunt Hebraica hoc in loco prout etiã habet Chaldaica, Et facies ei craticulã opere retis ex ęre ſiue reticulato ęneã. Sic & Septuaginta. Alij legũt, Facies quoq; illi cribrũ quaſi opus retis ænei, ſiue opere reticulato æreũ. Quidã, Facies quoq; illi cãcellulos æreos opere reticulato. Eſt enim Hebraica dictio מִכְבָּר Michbar, quę & cribrũ & craticulã, & rete & cãcellos verti poteſt. Quę omnia idẽ dicũt quod & Latina litera. Per cuius quatuor angulos erũt quatuor annuli ænei. In Hebręo & Chaldaica, Et facies ſup rete quatuor annulos ex ære ſup quatuor lateribꝰ eius. Vel ſecũdũ alios, Et ſup ſiue ad rete illud, vel in reti facies quatuor circulos æneos ſiue æreos in quatuor extremitatibus eius. Eſt enim dictio עַל hal, quæ vt ſępiꝰ diximꝰ, & ſup & in reddi poteſt, prout loci opportunitas exegerit. Septuagita καὶ ποιήσεις τῇ ἐχάρᾳ τέσσαρας δακτυλίους χαλκοῦς ἐπὶ
F τὰ τέσσαρα κλίτη, Et facies craticulę quatuor anulos ęneos ad quatuor latera. Quę cũcta nequaquã à noſtra verſione diſcrepãt. Quos pones ſubter arulã altaris. Hęc à Septuaginta accepit Interpres. Arula eſt inſtrumentũ ſeu vas in quo ponitur ignis. Vnde in Hieremia habetur, Quòd arula poſita fuit ante Ioachim regẽ plena prunis. Craticula autẽ fuit ſup arulã poſita. Hebraicè verò ita legitur וְנָתַתָּה אֹתָהּ תַּחַת כַּרְכֹּב הַמִּזְבֵּחַ מִלְּמָטָּה Venathatta ottha táchath carcob hamizbéach milemátta, Et pones eã, ſubaudi craticulã nõ autẽ annulos (eſt enim pronomẽ otha fœminini generis) ſub circulo altaris deorſum. Sic & Chaldaica. Quod enim Interpres arulã vertit, Hebręi circulũ, circuitũ, vel ambitũ dicũt dictione carcob. Reddũt alij, Poneſq; rete illud ſub ambitu altaris infernè. Alij, Et pones ipſum (ſubaudi cribrũ) ſubter ambitũ altaris deorſum. Ab ambitu autẽ illo dicũt q̃ altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quãdo ſcriptura dicit, altare in altitudine habuiſſe tres cubitos, id Hebręi intelligẽdũ aiũt ab ambitu, alioquin ad ambitũ ipſum ſacerdotes aſcẽdebãt, licet nõ p gradꝰ: vnde colligitur altare maiorẽ habuiſſe altitudinẽ q̃ triũ cubitorũ. Infra hũc ambitũ atque intra altare ipſum, pẽdebat cribrũ ſeu cancellatũ illud rete, cùm

m altare

altare esset vacuũ & cõcauũ intra tabulas ipsas. Vnde & cõsequẽter infert de ipsa craticula, Eritq; craticula vsque G
ad altaris medium. Sic & Septuaginta. Chaldaica etiam, Et erit rete vsque ad dimidium altaris, id est, perue-
niet. Legunt alij, Vt sit rete ipsum in meditullio altaris. Vel, vt sit rete hoc internè vsque ad medium aræ. Quæ
omnia vnum sunt cum Latina versione. Cratis ergo ænea, siue cribrum, aut rete (idem enim est) intra aram erat,
ad quantitatem altaris & concauitatis, iuxta medium altitudinis, sustentatum vncinis & anulis in angulis aræ
positis, vt sine impedimento ignis cineres deciderent, & subtus per aptata foramina, instrumentis aptis commo-
dè extrahi possent à Leuitis & auferri. *Facies & vectes altaris de lignis Sethim duos, quos operies laminis æneis, & induces per circulos, erúntque ex vtroque latere altaris ad portandum.* BEDA. Si quem mouet iuxta literam, quomodo ligna altaris
tanto igne vicino incombusta permanere potuerint, accipiat beati Hieronymi de hac quæstione responsum.
Altaris (inquit) ligna, quæ de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur. Nec mirum
hoc de sanctuario & interioribus templi, & altari thymiamatis credere, cùm etiam ἄμιαντον quod ligni genus est H
vel ligni habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inueniatur. AVCTOR CATENAE.

Facies & vectes altaris de lignis Sethim duos. Deest in Hebræo dictio duos. Erúntque. Ex Hebræo addendum
vectes. Est enim הַבַּדִּים Habaddim. Ex vtroque latere altaris ad portandum, vel dum portabunt illud, sic enim
redduntur dictiones בְּשֵׁאֵת אֹתוֹ Biseth otho. Sic habet & Chaldaica. Alij legunt ad gestandum ipsum. Quidam
Dum portabitur. Septuaginta, ἐν τῷ ἄρασθαι αὐτόν, In leuando illud. Sed hæc parua sunt, nec sensum immutant. Duo-
bus ergo vel pluribus vectibus portandum erat altare, qui annulis inserebantur ad exteriora duo latera altaris,
quibus gestaretur ad locum de loco, dum castra mouenda essent cum tabernaculo. Hæc autem ara ante taber-
naculum stabat sub diuo in atrio sacerdotum. *Non solidum, sed inane & cauum intrinsecùs facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Vacuum tabularum facies illud, sicut tibi in monte
monstratum est. Neque locus mensæ altaris plenus, neque locus laterum altaris inter rete & tigillos supremos
plenus, sed vacuus describitur, dicendo vacuum tabularum. Hæc enim duo loca capacia & idonea erũt vt essent I
tabulata, & propterea de his locis intelligitur quum dicitur, vacuum tabularum facies ipsum. Erat itaque altare
omnino sine tabulis, ex tigillis & reti in parte inferiori constãs. De corpore autem altaris nihil dicitur: sed iuxta
primò mandata, terreum relinquitur intelligendum & faciendum. Et quoniam corpus altaris ædificatum sæpe
legimus, ideo intelligendum est, quòd in vacuo contento inter hæc tigilla, ædificandum erat corpus altaris ex
lateribus seu lapidibus impolitis. Et quoniam ignis super corpus altaris defendendus erat à reti, consequens est,
vt parua esset altitudo corporis altaris, videlicet dimidij cubiti vel circa: sic enim & ignis defendebatur per rete
à ventis, & ex vacuo inter rete & tigilla suprema, ligna ponebantur in foco, & animalia offerẽda in holocaustum
ponebantur super ligna, & vniuersaliter omnia officia exercenda super corpus altaris fiebant, ideo enim vniuer-
sa illa pars circumcirca relicta est vacua. Ex quibus potes prudens lector, conspicere formam altaris holocausto-
rum iuxta Hebraicam literam, longè differentem à solitis conspici. AVCTOR CATENAE. Hebraicè
habetur נְבוּב לֻחֹת תַּעֲשֶׂה אֹתוֹ Nebub luchoth tahase otho, id est, concauum seu vacuum tabulis facies illud. Vt K
dubium sit, vtrum vacuum tabulis, hoc est, prorsus sine illis id ædificari, an ex tabulis, cõcauum tamen fieri præ-
cipiat. Septuaginta tamen huic posteriori applaudunt sententiæ, dicentes, κοῖλον σανιδωτὸν ποιήσεις αὐτό, hoc est,
concauum tabulatum facies illud, Chaldaica etiam habens, Concauum ex tabulis facies illud: sic & recentiores,
legentes, Vacuum siue cum vacuo tabulas facies illud. Sicut tibi in monte monstratum est: addendum esset ex
Hebræo, sic facient, Est enim כֵּן יַעֲשׂוּ Chen iahasu. Sed vitauit Interpres more suo verborum repetitionem, &
sufficere arbitratus est dicere, Et cauum intrinsecùs facies illud, sicut tibi in monte monstratum est. Hæc autem
vacuitas cùm castra & altare firmabantur, terra impleri solita erat, & super eam ignis fieri.

*Mysticè. Homil. 22.* GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Quid autem est altare dei spiritaliter, nisi mens bene viuentium? Qui peccatorum suorum memores, lachrymis se lauant: carnem per abstinentiam macerant, nullis se
mundi huius actionibus miscent quæ habent, indigentibus tribuunt, & habere quæ non habent, non concupi-
scunt. Rectè igitur horum cor altare dei dicitur, vbi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur. L
Et nunquid non tales, fratres charissimi, quotidie in sancto hoc fideli populo quasi in templi atrio videmus?
Nunquid non eorum vitam nobis ad exemplum propositam indesinenter aspicimus? Altare ergo ante faciem
tabernaculi est, cùm multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt propositi: qui æterni iudicij memores, semetipsos
*Rom. 12.* quotidie deo sacrificium in lamento compunctionis mactant. Qui vt prædictum est, corpora castigant, quate-
nus hoc quod per magistrũ gentium dicitur impleant, Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam,
deo placentem. Hostia quippe occiditur, vt offeratur: sed hostia viuens, est corpus domino afflictũ. Quod & ho-
stia dicitur & viuẽs, quia viuit in virtutibus, & est à vitiis occisum. Hostia videlicet, quia iam huic mundo est à
prauis actibus mortuũ: Viuẽs autem, quia cũcta quæ prævalet, bona operatur. Sed quia sub altaris nomine de cõ-
punctionis flãma sermo se intulit, necessariũ puto, quæ sit diuersitas eiusdẽ compũctionis ostendere. Alia quippe
cõpunctio est, quę per timorẽ nascitur, alia quæ per amorẽ, quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia deside-
rare. Vnde etiã in tabernaculo per legẽ duo altaria fieri iubẽtur. Vnũ videlicet exterius, aliud verò interius. Vnum M
in atrio, aliud ante arcam. Vnũ quod ære coopertũ est, aliud quod auro vestitur. Atq; in altari ęreo cremãtur car-
nes: in altari verò aureo incẽdũtur aromata. Quid est hoc fratres charissimi, quòd foris cõcremãtur carnes, intus
aromata: nisi hoc quòd quotidie videmus, quia duo sunt cõpunctionis genera? Quia alij adhuc per timorẽ plã-
gũt: alij verò iam se per amorẽ in lamẽtis afficiũt. Multi nãque peccatorũ suorũ memores, dum supplicia æterna
pertimescũt, quotidianis se lachrymis affligunt. Plãgunt mala quæ fecerũt, & incendũtur vitia igne cõpũctionis,
quorũ adhuc suggestiones in corde patiũtur. Quid isti nisi altare sunt æreum, in quo carnes ardẽt, quia adhuc ab
eis carnalia opera planguntur? Alij verò à carnalibus vitiis liberi, aut longis iam fletibus securi, amoris flamma
in cõpunctionis lachrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciunt, supernis iam ciuibus in-
teresse cõcupiscũt. Dura eis apparet seruitus lõgitudo peregrinationis suæ, regem in decore suo videre desiderãt,
& flere quotidie ex eius amore non cessant. Quid isti nisi altare sunt aureum, in quorum corde aromata incen-
sa sunt, quia virtutes ardent? Bene autem de eodem altari dicitur, quòd ante velum accesserit positum in sancto

sancto-



A sanctorum. Arca quippe testamenti ipse nobis factus est: de quo scriptum esse nouimus, In quo sunt omnes the-
sauri sapientiæ absconditi. Arca intra velum, est redemptor noster in cœlo, altare verò aureum in quo thymiama *Col. 2.*
incenditur ante velum: quia sanctorum corda quæ cum magnis virtutibus in dei amore succensa sunt, per san-
ctum desiderium in illo ardent, quem adhuc reuelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe & altare ve-
lum est: quia hoc quod nos adhuc à visione dei separat, corruptionis nostræ obstaculum remotum non est. Sed
quousque ante velum sumus, oportet vt quasi thymiamatis incensum flamma amoris ardeamus. Per cõpunctio-
nis autem lachrymas nil terrenum, nil transitorium quærere debemus. Solus nobis desiderium perficiat, qui facit
omnia. Transcendamus per desiderium omnia, vt mente colligamur in vnum. Non iam timore pœnarum, non
memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus lachrymis cum odore virtutum. BEDA. Hoc *Cap. 11.*
igitur altare, quod propriè holocausti vocabatur, corda electorum designat, quæ ad offerenda deo sacrificia bo-
B norum operum ipsius sunt dono consecrata. Quod aptè de lignis Sethim fieri præcipitur: quia munda & incor-
rupta decet esse corda & corpora in quibus spiritus dei habitet. Habet quinque cubitos longitudinis, & totidem
latitudinis, cùm fidelis quisque omnes sui corporis sensus in longitudine patientiæ, & in latitudine charitatis
exercere satagit, vt in omni suo visu, auditu, gustu, olfactu & tactu, semper se diuino meminerit mancipatũ esse
seruitio, iuxta illud Apostoli, Siue manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriã dei facite. Ha- *1. Cor. 10.*
bet & tres cubitos altitudinis, cùm eadem corda electorum, per fidem, spem & charitatem ad cœlestia tendunt.
Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære. Quatuor angulos habet altare holocausti,
quia per quatuor mũdi plagas sancta dilatatur Ecclesia: quæ propter vnum cor & animam vnam totius creden-
tium multitudinis, rectè factura vnius designatur altaris, ex quo videlicet altari cornua fiunt quatuor, cùm qua-
tuor virtutibus sæpe ante dictis iustorum corda muniuntur. De quibus in laude sapientiæ dicitur, Sobrietatem *Sap. 8.*
enim & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominis. Hæc cornua ex ipso
C altari producuntur, cùm munimenta virtutum fideles non specie tenus & ad faciem hominum ostentant, sed
ex intima cordis sui radice deo teste generant. Cornua sunt quatuor per quatuor angulos altaris, cùm in omni-
bus mundi terminis Ecclesia, virtutum potentia spiritali, cunctis hostium insidiis inuiolabilis persistit, imò ipsa
cunctis se impugnantibus fortior efficitur, quod videlicet altare operitur ære, cùm virtus cœpta fidelium perse-
ueranter vsque ad finem firma tenetur: quia enim æris metallum longo solet tempore incorruptibile durare, re-
ctè per hoc virtus valet perseuerantiæ designari. Faciésque (ait) in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, &
forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula. Omnia vasa ex ære fabricabis. Vasa altaris diuersa, vel diuersas
fidelium personas, vel certè multifarias ipsorum actiones siue cogitationes in famulatum sui conditoris dispo-
sitas, accipere debemus. Et quidem primo lebetes ad suscipiendos cineres facere præcipitur. Cinis autem hostia-
rum, quòd in magno mysterio debeat accipi, testatur cinis vitulæ rufæ aspersus: qui etiam Apostolo teste inqui- *Heb. 9.*
natos sanctificabat ad emundationem carnis, in quo ipse præfiguratum intelligit sacramentum dominicæ pas-
D sionis. Tempus autem & actionem passionis Christi designat cinis crematus, qui nos in perpetuum purificans
saluat. Ergo crematio vitulæ rufæ, ipsum qui ad emundationem immũdorum seruabatur, mysterium iam com-
pletæ eiusdem passionis, quo nos quotidie à peccatis nostris expiamur, insinuat. Quia ergo omnia sacrificia &
victimæ quæ incendebantur in altari, vel passionem domini, vel deuotionem sanctorum eius flamma charitatis
ardentem, figuratè denunciat, meritò cinis holocaustorum, vel consummationem dominicæ passionis, vel certè
perfectionem exprimit virtutis iustorum: cùm toti in dei seruitium per ignem sancti spiritus oblati, ipsa iam
bona opera finire, & ad percipienda operum præmia in æternam vitam rapi meruerunt. Lebetes ergo cineres
sanctos suscipiunt, cùm fideles quique, vel exempla ac sacramenta dominicæ passionis ad custodiam sui pia
mente retractam, vel certum exitum præcedentium iustorum diligenter aspiciunt, qui magnis pro domino e-
laboratis agonibus, nunc cursu consummato, de percepto iam brauio sine fine lætantur, quatenus consideratis
maiorum virtutibus, & ipsi magni fieri possint, iuxta præceptum Apostoli, dicentis: Mementote præpositorum *Heb. 13.*
E vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Post
lebetas autem, forcipes atque fuscinulæ, & ignium receptacula fieri sunt iussa. Forcipes ad emendandum altaris
ignem fieri debere credendum est. Vnde per eos rectè sancti prædicatores designantur, qui ignem in nobis cha-
ritatis quasi in altari dei accendere suis exhortationibus solent. Nãque hi velut gemino dente forcipis, ad hunc
ignem accendendum titiones in altari componunt, quando consonis vtriusque testamenti nos paginis instí-
tuunt, & eloquia veritatis in nostro corde, quibus amplius ad æternorum desideria inflammentur, collocant.
Vel certè forcipe, duplici videlicet ferramento, sacerdotes ignem altaris emendant, cùm in omnibus quæ do-
cent prædicatores sancti, virtutem nobis geminæ charitatis infundere, & huius gratia nos ardere simul & luce-
re præcipiunt. Fuscinulæ quæ Græcè vocantur κρεάγρα, ad hoc in ministerio habebantur altaris, vt carnes victi-
marum per eos de caldariis coctæ proferrentur, atque ad esum eorum qui iis erant reficiendi, adferrentur. Qua-
rum vsus æquè sanctorum prædicatorum figuræ congruit: quorum ministerij est, animas fidelium verbo fidei *1. Pet. 2.*
F reficere, & iuxta regulam apostolicæ discretionis, rudibus adhuc discipulis, rationabile & sine dolo lac doctrinæ *Heb. 8.*
simplicibus adhibere, perfectioribus autem solidum cibum doctrinæ sublimioris ministrare. Quicunque enim
sacramenta Christi summatim agnoscere, atque ad imitationem suscipere norunt, hi quasi carnibus hostiæ sa-
lutaris refecti satiantur. Et quia doctorum est spiritualium, quæ cuique personæ mysteria audienda cõmit-
tant, solertissimè discernere: rectè fuscinulas facere iubetur sacerdotibus Moyses, quibus carnes hostiarum prout
oportuerit componant, & alia quidem hominibus, sed mundis edenda offerant, alia verò altaris ignibus consu-
menda relinquant: quia sunt in verbis dei nonnulla quæ nostræ humilitati reuelare, ad nostræ epulas refectionis
concedere dignatus est: sunt item alia tantæ profunditatis, quæ sancti spiritus solummodo scientiæ pateant, no-
stræ verò capacitatis per omnia mensuram transcendant. Porrò ignium receptacula ad hoc deputata sunt, vt
per hæc, ignis sanctus ab altari holocausti ad altare thymiamatis vespere, & mane ad incensum ponendum
deferretur, quæ & ipsa patenter figuram tenent doctorum, qui tãquam ignem de altari holocaustorum ad altare

deferunt incensi, cùm suos docent auditores de virtute in virtutem semper proficere, meritísque crescentibus, G paulatim ad altiora & interiora diuinæ visionis arcana penetrare. Sed & omnes qui feruentia pietate corda proximorum videntes, imitari festinãt, quasi receptacula ignium fiunt, quia flãmam cœlestis sacrificij, quam in fraternis cõspiciunt, in suis quoque accendere mentibus satagũt. Quæ nimirum cũcta ex ære vasa fiunt cùm deuotio fidelium perseuerãter diuinis curat obsecundare præceptis. Vel certè cùm hoc quod ipsa rectè agit, proximis quoque agendum clara voce sedulę exhortationis insonat, æternamq; nonnũquam (vt sæpius dictum est) & propter diuturnitatem suæ incorruptibilitatis, perseuerãtiam mentis fideliũ, & propter claritatem soni, vocem solet designare doctorũ. Craticulam quoque (inquit) in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erũt quatuor anuli ænei, quos pones subter arulam altaris. Eritq; craticula vsque ad altaris mediũ. Habet altare dei in medio *Cap.12.* sui craticulam ad suscipiẽda holocausta paratam: quia præparãt electi locum domino in intimo sui cordis affectu, vbi deuotas ei cogitationes collocent. Habet arulam subter craticulã, in qua ligna & ignem holocaustorum H suscipiat, quia eadem ipsa electorũ corda, receptaculũ in se præparant auditui verborũ cœlestium, quibus calefacti, imò & inflãmati per donum sancti spiritus, grata deo referãt vota cogitationum piarum. Ligna nãque arulæ altaris sacerdos imponit, cùm doctor quisque desiderãtibus atque inhianter quærentibus fidelium mẽtibus sanctarum testimonia scripturarũ, quibus amplius in fide ac dilectione cõfirmentur ingerit. Addit & ignem lignis, cùm intellectũ verbi atque efficaciã piæ operationis, à deo quærẽdam edocet. Ardentq; ligna in altari, cùm charitas dei diffunditur in cordibus nostris per spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Atque hoc igni superpositũ cõsumitur holocaustũ, cùm vniuersa quæ bene agere disposuimus, donãte gratia sancti spiritus, per virtutẽ dilectionis deo acceptabilia reddũtur. Vnde bene craticula quæ holocausta gerat instar retis fieri præcipitur, quo per crebras illius aperturas, ignis suppositus, ad cõsumendas omnes hostiarũ partes liberè penetret. Sic etenim sic & omnino necesse est, vt nequaquã obduremus corda nostra, neque obseramus more Pelagianorum aduersus gratiam dei, sed diligenter aperiamus ea, & quasi plurimis simul patefactis ianuis, seduli deprecemur, vt per omnia quæ I inchoamus, vel agere desideramus bona, quasi per singula victimarũ eius frusta, sua nos misericordia illustrare, & in amorẽ ipse suum accẽdere dignetur. Nãque Pelagiani, qui sine gratia dei se aliquid boni perficere posse præsumunt, non in altari sui cordis maculosam instar retis craticulã igni sacro superponunt, sed quasi parietẽ potius solidum inter se & ignem sancti spiritus, nequãdo in dilectione calefiãt interponũt. Quatuor autem anuli ænei, qui per totidẽ angulos altaris fieri iubẽtur, quatuor sunt Euãgeliorũ libri, qui aptè annulis assimilãtur, quia perpetuam auditoribus suis coronã vitæ promittũt. Aptè ænei sunt, quia in omnem terrã exiuit sonus eorum. Aptè per quatuor angulos altaris positi, vt Ecclesiã fidelium per omnes mũdi plagas diffusam, verbo fidei & veritatis confirmẽt: aptè subter arulã altaris infixi, vt animos humiliũ munimine suæ cõsolationis alleuent. Sequitur, Facies & vectes altaris de lignis Sethim duos, quos operies laminis æneis. Vectes quibus altare portabatur, doctores sunt, qui sanctã Ecclesiam quasi portare solẽt, dum fidem ac sacramẽta veritatis, vel eis qui nescibant prędicantes, vel in eis qui iam nouerãt & acceperãt confirmãtes, roborãt. Qui quoniam non sua prædicãt, sed ea quæ K sunt Iesu Christi, non indoctas fabulas secuti, sed cognitã cœlesti oraculo virtutem domini nostri mũdo notam faciũt: aptè vectes, vt portare queant altare, mittũtur in circulos. Vectibus nãque altare domini per circulos portare, est sanctis doctoribus corda fidelium per verba Euãgelij, quæ nec cœlo & terra trãseuntibus præteribũt, exhortãdo erigere. Duo sunt autem vectes, vt vtrique populo, & Iudæo videlicet & gẽtili, verbũ prædicetur. Quod ipsum sequẽtibus quoque verbis astruitur, cùm subinfertur: Eruntq; ex vtroque latere altaris ad portãdum. Erũt enim doctores qui Iudæam, erũt qui gentilitatẽ in vnã eandemq; fidei gratiam cõsono ore & opere aduocẽt: vel certè ex vtroque latere altaris ad portãdum erũt vectes, cùm mentes fideliũ sancti prædicatores, & in prosperis & in aduersis incõcussam tenere virtutũ constãtiam docẽt: ne aut hæc blandiẽdo extollãt, aut illa terrẽdo conturbent. Non solidũ (inquit) sed inane & cauum intrinsecùs facies illud idcirco altare non solidum sed inane & cauum fieri præceptũ est, vt copiosum haberet locum, vbi vel ignem sacrosanctũ & ligna ad ignem, vel holocausta quæ igni erãt cõsumẽda, reciperet. In cuius exẽplum & tu si vis esse altare dei, exinani teipsum, & euacua ab omni contagio rerũ mundanarum: quatenus in te ligna verborũ cœlestium, & hostiæ virtutũ locum possint habere sufficientẽ. Capiasq; flãmam sancti spiritus, qua eadem hostia domino consecrẽtur, & ad finem perfectionis firmum producãtur. Vbi aptè in cõclusione subiungitur: Sicut tibi in mõte monstratum est. Nam cũcta quæ nobis mysticè in altaris & tabernaculi totius cõstructione facienda signauit Moyses, priùs in illa cœlesti cõuersatione, in qua cum domino diebus quadraginta permãsit, facta à supernis ciuibus indefessa & perenni obseruatione cernebat. Neque enim dubitãdum est, eum potuisse ante solium dei videre altare illud sacrosanctum, quod videre *Esa.6.* meruit Esaias, viuis carbonibus internæ charitatis plenissimum: videre & forcipes sanctos quos idem vidit Propheta, & quorũ vno tulerat angelus carbonẽ de altari, quo eius labia purgaret. Eiusdem nãque gratia spiritus, quo angeli inflãmãtur ad amandum semper deum in cœlis, & hominibus in terra & dimittũtur peccata, & virtutum dona conceduntur. Itaque altare cauum & inane fieri iubetur sicut Moysi in mõte monstratum est: quià sicut angeli ac spiritus iustorum in cœlis vacui à peccatis, & pleni sunt pietatis ac iustitiæ: ita & nos in terra pro modulo M nostro declinare à malo, & facere bonum debemus. Quod ipsum exhortationibus apertis verbi cœlestis, item & mysticis tabernaculi ac vasorum & cæremoniarum eius figuris, semper agere docemur. RVPERTVS. Vel altare quod extra positum est, Iudæorum est ministerium, sanctum quidem, antequam Christus qui per hoc promittebatur, veniret, nunc autem ex quo ille sancta sanctorum ingressus est, cum ministris suis eum non sequen- *Heb.9.* tibus reprobatum, & velut immundum abiectum est. Habuit quidem priùs hoc iustificationes culturæ & sanctum seculare, sed non poterat iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & potibus, & variis baptismatibus & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Nunc autem ex quo *Phil.3.* tempus correctionis aduenit, seruientem in supradictis, non solummodo perfectum facere non potest, sed nec vllius boni saltem initium est, imò & cum Apostolo detrimenta reputandum, & vt stercus abiiciendum est. Proinde nos atrium ingressi Patriarcharum, fiducialiter altare illud prę-

bases



A bases æneas, columnarum aspernantes, & aurea capita gratanter aspicientes, id est, occidentem legis literam relinquentes, & viuificantem spiritum amplectentes, atque inde ad mensam domini fideliter accedimus, vbi non carnes taurorum immolantur, aut sanguis hircorum potatur, sed panis vitæ æternę quod est corpus Christi proponitur, & calix salutis perpetuæ, qui est sanguis eiusdem Christi filii dei libatur, tandem illud cœleste sanctuarium ingressuri, quo præcursor pro nobis Christus idem peruenit.

2 *Facies & atrium tabernaculi, in cuius australi plaga contra meridiem, erunt tentoria de byſſo retorta. Centum cubitos unum latus tenebit in longitudine, & columnas uiginti, cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. Similiter & in latere aquilonis per longum, erunt tentoria*
B *centum cubitorum, columnæ uiginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri, & capita earum cum cælaturis ſuis argentea. In latitudine uerò atrii quod reſpicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos & columnæ decem, baſeſque totidem. In ea quoque atrii latitudine quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres & baſes totidem. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres & baſes totidem.*

AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Hîc iam de atrio loquitur vsque 2
ad finem, quod circumponendum est tabernaculo illi, de quo priùs constituendo locutus est. *Facies* (inquit) & *Quæſt.173.*
*atrium tabernaculi, in cuius australi plaga contra meridiem, erunt tentoria de byſſo retorta. Centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine; & columnas viginti, cum baſibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea.* Atrium Græcè dicitur αὐλὴ nõ αὐλέαν, quod quidã Interpretes nostri non discernẽtes, & hoc & illa aulæa, quas aulæas, non aulas Graeci dicunt,
C atria interpretati sunt, dicentes, Et facies tabernaculũ decem atriorũ, vbi decem aulæorũ dicere debuerũt. Nonnulli autẽ multò imperitiores, ianuas interpretati sunt, & aulas & aulæas. Sicut autẽ in lingua Latina inuenimus aulæa, quas Græci aulæas vocãt, ita quam illi appellant αὐλὴν, nostri aulam vocauerũt. Sed iam non atrium isto nomine, sed domus regia significatur in Latina lingua, apud Græcos autem atrium. CAIETANVS. Circa opificium atrij quia clarè in litera scribitur, tria aduertenda sunt, & quædam declaranda. Aduertẽdum primùm est, quòd vniuersum spatiũ atrij tam venerabiliter ambiebat tabernaculũ, vt secundũ longitudinẽ triginta quinque cubitorũ spatium ex parte occidẽtis, & triginta quinque ex parte oriẽtis interciperetur, secundũ latitudinem verò ex parte meridiei ferè viginti, & similiter ex parte septentrionis ferè viginti cubitorũ spatium interciperetur, æqualiter spatia atrij distribuendo. Aliud est, quòd ingressus atrij qui ex parte oriẽtali erat, tãtæ erat latitudinis, vt vniuersum tabernaculũ ab existentibus extra atrium videretur, nam latitudo tabernaculi ad summũ erat duodecim cubitorũ, latitudo autem ingressus atrij viginti erat cubitorũ. Et quoniam quatuor habebat colũnas
D medias æquidistãtes, consequẽs est, quòd quinque aditus inter sex colũnas paterẽt in ingressu atrij. Tertium est, quòd cortina operiẽs ingressum atrij, differebat in materia & forma artis à reliquis cortinis atrij, nam omnes aliæ erant ex puro lino textæ, hæc autem erat ex lino & sericis filis diuersis, ex quibus erãt vela tẽpli, & fiebat opere polymitario. Adde & his, quòd nec in atrio admissum est aliquid ferreum. Sed etiam claui aërei præcipiuntur. Declarandæ sunt autem quædam particulæ literæ, & in primis vna quæ repetitur, quæ capita cum cælaturis suis habebũt argentea, nam iuxta Hebræum habetur, Et vncini columnarum, & cingula earum argẽtea. Sed aduerte quòd appellatione vncinorũ intelligas catenas vtrinque aduncas, ligãtes colũnas inter se ad firmãdum colũnas, consueuerũt enim fieri catenæ ferreæ inter colũnas, sed istæ erãt argenteæ. Et quia atrium oportebat esse dissolubile, ideo catenæ non erãt affixione firmatæ, sed aduncis extremitatibus, & ab extremitatibus denominãtur vncini. Cingula verò argẽtea ad ornatum cuiuslibet colũnæ erant. AVCTOR CATENAE. Quod nos dicimus & Chaldaica etiam, In cuius australi plaga contra meridiẽ, Hebraicè legitur, לִפְאַת נֶגֶב תֵּימָנָה Liphath nẽ-
E geb temãna, Ad latus siue angulum australem ad siue versus meridiem, Septuaginta, εἰς τὸ κλίτος τὸ πρὸς λίβα, hoc est, Ad latus quod ad austrũ. Sed nulla est sensus mutatio. Erũt tentoria (subaudi atrio, hoc est, pro atrio constituendo, est enim in Hebræo לְחָצֵר lechazer) Sed hoc parum est. De byssо retorta. Dicunt Hebręi cortinas atrij aliter fuisse cõtextas, quàm cortinas tabernaculi, nam erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingressum, sed aspectum non prohibebãt. Centũ cubitos vnum latus tenebit in lõgitudine. Hæc verba apud Hebræos copulantur cum superiori mẽbro, Quod verò sequitur, Et colũnas viginti cum basibus totidẽ seu viginti, est inceptio alterius clausulæ de per se. Sed & hoc minimum est. Quod autem legimus, Et capita cum cælaturis suis habebunt argẽtea, & Chaldaica, Capita colũnarum & cælaturæ earũ erunt de argẽto, Hebraicè est וָווֵי הָעַמֻּדִים וְחִשֻּׁקֵיהֶם כֶּסֶף Vaue hahãmudim vachasũkehem chãseph, Et capitella colũnarum cum zonis suis argẽtea. Hebraica enim vox chazuk, significat filum vel circulos, & alia ornamenta quę per gyrum ambiunt columnas, velut circulus doliaris qui coniungit lignea dolia. Vnde hîc quidam, Et vncini columnarum & fila cingentia illas, siue & cincturæ
F earum argentea verterunt. Alij legunt, Capitella autem columnarum, & complexus siue cincturæ earum, erunt argenteæ. Est autem & hîc dictio illa Vau, de qua satis suprà diximus, quam quidam significare dicunt capitella columnarum, alii paxillos siue vncinos in capitibus columnarum affixos, è quibus tentoria & velamina dependebant. Vnde & hîc Septuaginta legunt, καὶ οἱ κρίκοι αὐτῶν, καὶ αἱ φαλίδες αὐτῶν ἀργυραῖ, Et fibulæ earum & forcipes earum argẽteæ. Atrium ergo constitui mãdatur, hoc est, spatiũ circum tabernaculũ, & altare holocaustorum. Cuius primo describitur latus australe, cõstitutis viginti colũnis, habentibus in altitudine quinque cubitos, infixis basibus totidem æneis, superimpositis capitellis argẽteis. Erant autem colũnæ vestitæ laminis argẽteis ad decorem, & quinque cubitorum spacio vna distabat à proxima. Ex istis autem colũnis pendebãt tentoria vel aulęa de byssо retorta vncinis argenteis affixa, ad ornatum & prohibitionem accessus vulgi. Centum ergo cubitorum erat longitudo tentorii australis. Nam secundum ordinationem diuinam, nullus tabernaculum ingrediendi facultatem habiturus erat præter sacerdotes. Leuitę autẽ, quæ ad cultum ac cęrimonias pertinebãt, in atrio speciali

circum tabernaculũ erigendo exequi debebant,quod ex reliquis tribubus & populis nemini ingredi permitteba- G
tur,ex dei instituto,quo haberetur tam tabernaculũ, quàm cultus dei & sacerdotum cum Leuitis, in maiori au-
ctoritate,reuerentia & honore.Omnino enim enitendum est,vt floreat apud quẽcunque populũ ẽstimatio digna
& cultus venerabilis sacerdotũ, non tam propter ipsos,quàm ob verbũ domini, & ad legitimum sacramẽtorum
vsum,quæ per illos administrãda sunt.Propter quod & sacerdotes ipsi quoque neutiquã omittere debẽt quæ ad
honestatẽ spectãt & reuerẽtiam,in moribus,verbis,habitu vestium,familia & cõuersatione,domi & foris,maxi-
mè autẽ dum assistũt officio fungẽdo corã Ecclesia,dum in publicum progrediũtur. *Similiter & in latere aquilonis per longum,erunt tentoria centum cubitorum,columnæ viginti & bases æneæ eiusdem numeri,& capita earum cum cælaturis suis argentea.*
Eadem litera per omnia cum superiori est etiã in Hebræo.Sicut ergo cẽtum cubitorum erat lõgitudo tẽtorij au-
stralis,similiter & aquilonaris. *In latitudine verò atrij quod respicit ad occidentem,erunt tẽtoria per quinquaginta cubitos,& colum-* H
*næ decem,baseſq; totidem.* CAIETANVS. Quæstio est de angularibus columnis, an in singulis angulis fuerint
duæ,an vna cõmunis lõgitudini & latitudini.Et ratio dubij est,quia si ponitur vna,existẽtibus sexaginta colum-
nis,oportet vel in longitudine viginti duas,vel in latitudine duodecim inueniri,vt patet supputãti. Et quia v-
trumque aduersatur literæ,ideo intelligẽdum est,quòd quilibet quatuor angulorũ atrij constabat ex duabus co-
lumnis,quarũ vna lõgitudini cortinæ,altera cortinæ quæ erat secundũ latitudinẽ seruiebat:sic enim integer ser-
uatur numerus colũnarum & basium earũ,vt viginti inueniãtur in lõgitudine, & decẽ in latitudine cum toti-
dem basibus. AVCTOR CATENAE. In latitudine verò atrij quod respicit ad occidentẽ. Et hoc in lo-
co in Hebræo est, לִפְאַת יָם Liphath iam,Ad latus maris,quod idem est cum ad occidẽtem.Sic & Septuaginta, τὸ
κατὰ δᾴλασσαν legunt,id est,Quod ad mare,nẽpe rubrum, quod ad occidentale erat tabernaculi latus. Tentoria
per quinquaginta cubitos. Intellige prout sunt Hebraica קְלָעִים חֲמִשִּׁים אַמָּה kelaim chamisim amma, Tentoria
siue cortinæ quinquaginta cubitorum . Pro media igitur parte breuius erat occidentale tẽtorium quinquaginta
tantùm cubitorum, quod & ipsum, vt alia duo, sine introitu erat. *In ea quoque atrij latitudine quæ respicit ad orientem,* I
*quinquaginta cubiti erunt,in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vni deputabuntur,columnæq; tres, & bases totidem.Et in latere al-*
*tero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim,columnæ tres,& bases totidem.* In ea quoque atrij latitudine.Parum est quod
Hebraicè legitur וְרֹחַב הֶחָצֵר Veróchab hechazer,Et latitudo atrij. In quibus quindecim cubitorum tentoria la-
teri vni (subaudi ostij vel ingressus atrij)deputabuntur.Hoc verbũ de suo Interpres addidit pro loci intelligen-
tia,nam in Hebræo pro more deficit verbum.Columnæq; tres,& bases totidẽ. Siue, Colũnæ earum tres, & bases
earum tres.Sic enim est in Hebræo.Sed hoc minimum est. Et in latere altero,subaudi ostij vel ingressus vt suprà.
Colũnæ tres,& bases totidem.Vel colũnæ earum tres,& bases earum tres. Sic enim est in Hebræo. Sed hoc mini-
mum est.Et in latere altero,subaudi ostij vel ingressus vt suprà.Colũnæ tres,& bases totidem.Vel colũnæ earum
tres,vt superiùs quoque dictũ est.Quæ omnia nil penitus de Latinæ literæ sensu immutãt. Ab oriẽte(inquit)pa-
tebit ingressus spacio viginti cubitorũ, residuis triginta cubitis tentorij diuisis vtrinque,quindecim ad aquilo- K
nem,& quindecim ad austrum ingredientibus relictis,cum tribus columnis,basibus & capitellis.Vt sic fuerit to-
tum atrium quadratum, altera parte duplo longiùs quàm latitudo . Vnde sequitur latitudinem atrij vsque ad
tabernaculi parietes , fuisse circiter viginti cubitorum ad austrum & aquilonem : latitudinem verò orientalem
& occidentalem inter tabernaculum & tentorium,triginta quinque cubitorum præcisè fuisse.In cuius orientali
parte inter ingressum atrii & tabernaculi,altare stabat holocaustorum.

*Mystice. Cap.13.* BEDA. Facies & atrium tabernaculi,in cuius plaga australi erunt tentoria de byssо retorta.Sicut & sancta
sanctorum,eam quæ in cœlis est sanctæ Ecclesiæ partem designat,& priùs tabernaculum,perfectam fidelium vi-
tam in hoc duntaxat seculo commorantium typicè denunciat : ita atrium tabernaculi quod exterius erat prima
incipientium rudimenta demonstrat.Vnde bene tentoria eiusdem atrii de byssо retorta erant facta , quia prima
*2.Cor.7.* incipientibus cura impendenda est,vt illecebras carnis simul & spiritus refrenent, iuxta illud Apostoli quod de
filiis adoptionis loquens adiecit: Has igitur habentes promissiones charissimi,mũdemus nos ab omni inquina-
mento carnis & spiritus.Byssus nanque(vt sæpius cõmemoratum est)de terra viridis nascitur, sed eruta de terra L
siccatur,contunditur,coquitur,torquetur, ac magno & longo exercitio ad cãdidum de viridi producitur colo-
re.Sic & caro nostra vt ad virtutem decorẽmque castitatis perueniat , arctis se necesse est ieiuniorũ orationibus,
vigiliarum & totius continentiæ laboribus subigat,quibus naturales & velut ingenitas eius delectationes exic-
care,atque ad eam quam desideramus dignitatem virtutis ascendere queamus . Retorquetur autem byssus ne fa-
cilè possit dissolui,cùm non solùm luxuria carnis restringitur,verumetiam tota eius memoria ab intimo corde
radicitùs euellitur.Centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine, & colũnas viginti cum basibus totidem
æneis,quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.Constat numerum centenarium, qui in computo digi-
torum de lęua transfertur in dexteram, nonnunquam in scripturis vitæ cœlestis habere figuram, quæ sicut dex-
tera læuæ,ita meritò præfertur vitæ præsenti,cuius nimirum numeri frequens in diuinis literis mysterium repe-
ritur. Aedificationem arcæ Noe centesimo anno compleuit, quia sanctam Ecclesiam, quam in hac interim vita
ædificat dominus,in futura perficit. Abrahæ centenario filius promissionis nascitur Isaac, quia nimirum bene- M
dictio hæreditatis,quæ in semine eius omnibus familiis terræ promittitur, in futura & cœlesti patria reddetur.
Centum annos peregrinatur ipse in terra repromissionis,quia qui filii Abrahæ per fidem efficimur , in spe super-
næ hæreditatis debemus peregrinam in præsenti Ecclesia ducere vitam . Seuit itaque Isaac in Geraris, quod
interpretatur incolatus , & inuenit in ipso anno centuplum , quia quæcunque filii promissionis in hac vita
peregrinantes bona operamur, mox egressi de corpore in cœlesti vita recipimus . In qua figura & semen Euan-
gelici sermonis , quod in terram bonam cecidit , exortum fecit fructum centuplum , & qui temporalia bona
propter Christum & propter Euangelium relinquit, centuplum accipit in præsenti, & in seculo futuro vi-
tam æternam , id est , gaudium fraternæ societatis nunc in spe vitæ cœlestis ,& tunc in seipsum vitam re-
gni cœlestis. Centum ergo cubitos habet latus tabernaculi in longum, quia vniuersi quique ad membra
Ecclesiæ pertinent, necesse est pro æterna in cœlis vita laborem in se patientiæ & continentiæ tempo-
ralis



A ralis assumãt.Columnæ autẽ quibus hæc tentoria susp̃enduntur in altum,doctores sunt sancti,qui suorum corda
auditorum à terrestribus contagiis extracta,ad cœlestia desideranda sustollunt, & hæc quasi vestem domini di-
ligenter extendunt,ne quid in his esse duplicitatis valeat,sed simplici ac munda intẽtione coram domino velut
tentoria byssina niteant.Quæ videlicet columnæ æneæ fuere,sed argento vestitæ,vt in sequentibus manifestiùs
dicitur.Aeneæ quidem,propter perseuerantiam virtutis, siue propter sonum ipsius prædicationis,Argẽto autem
• vestitæ,quia non aliud quàm verbum dei sonant,Cuius sæpe claritas argẽto figuratur,non aliud viuẽdo in actiõ-
bus,quàm obseruãtiæ diuinorum mõstrant eloquiorum.Non solùm inargentatæ erant , sed & capita tota habe-
bant argẽtea,quod propriè doctorum est,totos se verbis sacræ scripturæ subiicere , hísque animũ corpusq; medi-
tando,prædicãdo,operãdo mancipare.Sicut enim membra nostra sine capite subsistere & viuere nequeũt,sic elo-
quia diuina illi suam vitã æstimãtes,nunquã hæc obediẽdo portare,& semet humiliãdo exaltare desistũt. Quid
B autem in basibus colũnarum æneis aptius quàm initiũ sapientiæ timorem dei debemus intelligere?De quo & fi- *Eccle.1.*
lius Sirach ait:Radix sapiẽtiæ est timere deum.Vbi & pulchrè subiũxit,Rami enim illius lõgæui:quia nimirum
germina virtutũ multifaria,quæ de timore dei tãquam opus & cælaturæ columnarum de basibus prodeũt,nun-
quã fructu,suæ mercedis carebũt.Quare autem viginti fuerint colũnę in vno latere atrij,suprà iam expositũ est,
vbi eiusdẽ numeri tabulæ in vno latere tabernaculi sunt fieri præceptæ. Similiter(inquit)in latere aquilonis per
longũ erunt tẽtoria centũ cubitorũ,colũnę viginti,& bases æneæ eiusdẽ numeri,& capita earũ cum cęlaturis suis
argẽtea.Eadẽm de latere aquilonis repetũtur,quæ iam de latere australi erãt præmissa : quia vtriusque testamẽti
præcones cõsono nos ore ad cœlestia erigũt:tametsi cęrimonias sacramẽtorum habuerint pro temporum ratione
differẽtes,imò hoc in tẽpore noui testamẽti,quicũque de vtroque populo ad salutẽ pertingũt,non solùm eandem
fidem,cõfessionem & operationẽ,sed & sacramẽta habẽt eadem in emũdationem peccatorũ & perceptionẽ vitæ
cœlestis, in gratia dei per Iesum Christũ dominũ nostrũ.In latitudine verò atrij quæ respicit ad occidẽtem, erũt
C tentoria per quinquaginta cubitos,& colũnæ decem,baseſq; totidem.Latitudo atrij quę ad occasum respicit so-
lis,vbi terminato labore diurno,noctis sopor & gratia succedit,meritò tempus significat illud,quando cessante
post mortẽ vita actuali, quies electorũ & merces æterna sequitur. Denique illi qui in vinea sumni patrisfami-
liãs operabãtur,cùm sero esset factũ,præmia sui percepere laboris, quia nimirum singuli quique iustorũ cùm ad
huius finẽ vitæ peruenirũt, tum veræ ingressum vitæ sortiũtur.Vnde in Apocalypsi Ioannes audiuit vocẽ de cæ- *Apoc.14.*
lo dicẽtẽ, Beati mortui qui in domino moriũtur.Amodo iam dicit spiritus,vt requiescãt à laboribus suis.Pro-
pter quam requiem rectè occidẽtale latus atrij tẽtoria habebat per quinquaginta cubitos, & colũnas decẽ,quin-
quagenarius nãque numerus cõsuetè annum significat in lege quinquagesimũ,qui libertati,qui & remissioni to-
tus erat cõsecratus,propter quòd & iubileus vocari præceptus est,Iobel nanque dimittẽs aut mutatus interpreta-
tur.Denariũ quoque numerũ constat eadem superna præmia designare, vbi humana natura in vtraque sua sub-
stantia immortaliter subleuata,in diuina præsentia visionis lætatur. Deus nãque trinitas est. Corpus nostrum ex
D quatuor elemẽtis subsistit.Interior homo noster ternario numero cõprehẽditur,cùm ex toto corde,tota anima, *Psal.72.*
tota virtute deum diligere iubemur.Et cùm quatuor nostra visioni sanctæ Trinitatis in æternũ iunguntur,iuxta
illud Psalmistæ:Mihi autẽ adhærere deo bonũ est,hoc est,vtique denariũ quod cultores dominicæ vineæ, con-
summatis diei laboribus pro mercede accipiũt.Quia ergo nobis sancti prædicatores, finita hac vita præsentiam
nostri cõditoris,& requiẽ promittunt ęternã,his quoque promissis desideria nostra ab appetitu infimorũ ad cœ-
lestia quærẽda erigũt,quasi in occidẽtali latere atrij tẽtoria quinquaginta cubitorũ longitudinis, decem colũnæ
subleuãtes extollũt.In ea quoque(ait)atrij latitudine quę respicit ad oriẽtem,quinquaginta cubiti erũt.Ea latitu-
do atrij quæ ad oriẽtem respicit,primordium bonæ nostræ cõuersationis quæ à fide incipit,significat.Quæ pro- *Luc.1.*
pter primam cœlestis gratiæ,perceptionem,rectè ad oriẽtem respicere dicitur, iuxta illud beati Zachariæ:Visita-
uit nos oriens ex alto,illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedẽt.In qua nimirũ plaga quinquaginta
erunt cubiti,quia in ipso mox ingressu conuersionis,omnes qui catechizantur remissionẽ peccatorũ,& requiem
E sperare docẽtur æternã.Nam & quinquagenarius numerus ad remissionẽ peccatorũ pertinet,vnde & in psalmo
eiusdem numeri,pœnitẽtia,cõfessio,& remissio descripta est peccatorũ: ita vt is qui domino peccauerat & ma-
lum corã eo fecerat,cognoscendo ipse iniquitatem suam,ablutus sit ab eo cui peccauerat,& super niuem dealba-
tus: rursumq; lætitiam salutaris dei,hoc est,domini Iesu quem offenderat, receperit, & spiritu illius spiritali, ne
vltra labi potuisset,cõfortatus fuerit.Itaque oriẽtalis atrij latitudo quinquaginta habet cubitos, cùm prima fidei
confessio remissione peccatorũ,& spe futuræ in Christo quietis gaudet ac pacis.Denique in symbolo Apostolo-
rum cõfitemur nos credere sanctã Ecclesiam,remissionẽ peccatorũ, carnis resurrectionẽ, quod vniuersalis syno-
dus patrũ sequentiũ plenius exprimi voluit, dicẽs: Confiteor vnũ baptisma in remissionem peccatorũ,spero re-
surrectionem mortuorũ,& vitã futuri seculi.Quinquaginta ergo cubitis plagæ oriẽtalis , generaliter initia cre-
dentium designãtur,qui in remissionẽ peccatorũ & spem futuræ beatitudinis celebrãtur. Quorũ tamen cõtinuã
alia specialis distinctio subinfertur,quæ ad vnũ eundemq; finem bene cõsiderata refertur.Sequitur enim,In qui-
F bus quindecim cubitorũ tẽtoria lateri vni deputabũtur,colũnæq; tres & bases totidẽ, & in latere altero erũt ten-
toria cubitos obtinẽtia quindecim,colũnas tres,& bases totidem.Quindecim nãque, quæ septenario numero &
octonario constãt,rectè gaudia designãt vitæ æternæ,quæ à sabbatismo incipiẽs animarũ , in resurrectione cor-
porũ perficitur.Nam dominus septima sabbati requieuit in monumẽto, octaua die,id est, post septimã sabbati,
resurrexit à mortuis. Quod autem in latere quindecim cubitorũ columnæ tres cum basibus totidẽ, sanctos desi-
gnant prædicatores,fide,spe & charitate præminẽtes,mentẽmque suam in stabilitate timoris dei firmissimè col-
locãtes.Ingressurus quoque atrium tabernaculi,habebit ab vtroque latere tentoria cubitorum quindecim,ternis
suspẽsa colũnis:quia quicũque sanctã ingressurus Ecclesiã sacramẽta fidei discere proposuerit,siue ad synagogam
seu ad Ecclesiam gentium intuitum mentis conuerterit , in vtraque portione fidelium doctores inueniet fidẽ
fortes,spe sublimes,charitate feruentes, in timore domini fundatos, auditoribus suis requiem animarum beata-
rum, ac resurrectionem immortalium promittere corporum . Qui velut tentoria de byssо retorta in se suspen-

dunt,cùm eosdem auditores exemplo sui docent quæ sursum sunt quærere,non quæ super terram,integrúmque G
spiritum suum & animam & corpus sine querela in diem domini custodire. RVPERTVS. Dicamus & aliter. Atrium tabernaculi, Patriarcharum & sanctorum omnium qui ante legem fuere, latitudinem & vitam, non eatenus legis scriptura districtam designauit. Nam & paxilli ænei, qui per gyrum dispositi quidem, non aliud quàm Patriarcharum fidem significãt, sine qua nec atrium nec tabernaculum stare,vel sanctum esse possit. Centum(inquit)cubitos vnum latus tenebit, & cætera. Centenarius longitudinis numerus, tertia vnitas tetragona(decies enim decem centum sunt) longanimem fidem, longanimem significat Patriarcharum spem, more quadrati lapidis,vbique tam in aduersis quàm in prosperis constantem. Quam illorum longanimitatem Apo-
Heb.11. stolus pia consideratione permetiens,Iuxta fidem(inquit)defuncti sunt omnes,non acceptis promissionibus,sed à longè eas aspicientes & salutantes,& confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Ergo tabernaculi veri cuius hoc exẽplar est, principes sunt, vnde & protinus idem Apostolus,Qui enim(inquit)hæc dicunt,signi- H
ficãt se patriam quærere. Et paulò suprà,Expectabant(ait)fundamenta habentem ciuitatem,cuius artifex & conditor deus.Itaque & secundum illos patres in tabernaculis,siue in casulis propter spem futurę ciuitatis commorantes, cœleste tabernaculum de virtutibus compactum, isto exemplari quod Moyses fecit priùs est,. Latitudo decem cubitorum,longitudinis prædictæ est medium, ipso quinquagenario numero futurum præsignans iubileum,quia videlicet per latitudinem charitatis,Abraham,Isaac,& Iacob,in repromissionem,Iubileum,id est,remissionem peccatorum acceperunt per Christum,& benedictionem omnium gentium. Ad hanc illorum perfectionem spectat numerus sexaginta colũnarum.Nam in meridiano latere viginti,& in aquilonari item viginti, & in occidentali latitudine decem columnæ, ac totidem in orientali, sexaginta sunt. Qui numerus ex senario denarióque compositus,bene perfectionem significat eorundem patrum, qui legem scriptam non habentes, decalogum tamen legis bene & perfectè operando,laudabiliter adimpleuerunt.Attamen omnes columnæ atrij,bases habentes æneas,& capita argentea,cunctis quæ in tabernaculo erant, minus insignes extiterunt. Sed discretis
mentibus non eo despicabiles antiqui patres qui ante legem fuerunt videantur,quòd quædam quæ in lege prohibenda erant,ipsi admiserunt,verbi gratia,quòd Abraham vxorem habens Saram, de concubina Agar genuit filium, vel quòd Iacob duas sorores in vnum duxit coniugium. Nam hoc pacto, columnæ quidem minus speciosæ sunt,nec enim tale quid trahendum est in exemplum, sed in eo satis excusantur, quia nihil horum fuerat lege prohibitum. In ea atrij longitudine quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vni deputabuntur,columnæq; tres & bases totidem.Patet litera,quia ab oriente introitus in atrium, & inde in tabernaculum, per quindenos cubitos ternásque hinc inde columnas porrigitur.Et videtur in hoc exemplaris siue cœlestium ratio deficere. Nam vbi de cœlestibus manifestè loquitur spiri-
Apoc.21. tus,ita præmittens,Et ostendit mihi ciuitatem Hierusalem sanctam,descendentem de cœlo à deo, habẽtem claritatem dei.Paulò pòst ita subiungit,Ab oriente portæ tres,ab aquilone portæ tres,ab austro portæ tres,& ab occasu portæ tres,Hîc autem ab oriente tantùm in quatuor colũnis introitus patet.Cuius quidem ratio in sequen- K
tibus explicabitur. AVCTOR CATENAE. Demum dicere etiam possumus quòd in atrio adumbrauit spiritus sanctus vniuersitatem Ecclesiæ.Sic enim ipse exponit Psalmo sexagesimoquarto,Beatus quem elegisti & assumpsisti,inhabitabit in atriis tuis,hoc est,membrum erit Ecclesiæ tuæ.Et huc conueniunt,quæ hoc loco & aliàs de atrio scribuntur. Primum enim atrium fuit multo longius & latius reliquis duabus partibus tabernaculi. In longitudine(inquit)occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta. Nam cùm Euangelium post ascensum Christi in cœlum,longè latéque sparsum sit,Ecclesia ita dilatata est, vt pertingat ab ortu in occasum,& à meridie in septentrionem. Tametsi enim pauci dicantur electi, & angusta sit via, quæ ducit ad vitam, ac pauci sint,qui inueniant eam,si conferantur cum multitudine impiorum ac infidelium hominum, tamen si Ecclesiam Christi per se consideres,tanta est multitudo electorum, vt superent numerum arenæ maris, & stellarum cœli.Suspice(inquit dominus ad Abraham)cœlum, & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum. Quod certè non tam de externa gente Abrahæ dicitur, quàm de credentibus in Christum, qui sunt veri filij Abrahæ, L
intelligendum est. Et Esaias quinquagesimoquarto de Ecclesiæ multitudine dicit, Lauda sterilis quæ non paris,decanta laudem & hinni quę non paries,quoniam multi filij desertæ magis quàm eius quę habet virum,& cætera.Et capitulo sexagesimo,Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum,quando conuersa fuerit ad te multitudo maris,fortitudo gentium venerit tibi, & cætera. Idem significatur in Apocalypsi capite septimo,Audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati,ex omni tribu filiorum Israël.Et mox:Post hæc vidi, & ecce turba multa, quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus & populis & linguis,stantes ante thronum,& cætera.Deinde atrium fuit quidem circumseptum cortinis,sed ita vt habuerit satis amplum ostium, per quod homines in atrium ingrederentur, cortinæ quoque vt quidam volunt,ita contextæ fuerunt,vt habuerint foramina,quibus ea quæ in atrio agebantur, conspici potuerint.Quibus rebus spiritus sanctus significauit,Ecclesiæ mysteria,seu sacra non talia esse,qualia sunt in Eleu- M
sinæ Cereris,quæ non communicabantur peregrinis,aut in Coo Iunonis,à quibus arcebantur serui,sed quæ vulgata sunt in totum orbem terrarum.Et quanquam publicè impij & scelerati arcẽtur à participatione sacramentorum in Ecclesia,omnibus tamen respicientibus patet ianua Ecclesiæ,vt cuicunque libet, ingredi, & omnibus Ecclesiæ bonis frui liceat. Ad hæc in atrio positum est altare holocausti & lauacrum, quo sacerdotes sordes suas abluebant.Hoc significat in Ecclesia esse baptismum,quo abluuntur per Christum sordes peccatorum, esse quoque prædicationem Euangelij de Christo,qui obtulit seipsum tanquam holocaustum, pro peccatis nostris. Atque hæc discriminatim omnibus ita proponuntur,vt vnicuiuis liceat participem eorum fieri.Non enim est personarum respectus apud deum,sed in quauis gente,qui timet ipsum,& operatur iustitiam, is acceptus est illi.Vides autem iterum ex his figuris, quòd nec in lege, alia fuerit vera iusticia, quàm ea, quæ est in Christo per fidem dilectione operantem,& eam esse veram Ecclesiam,quæ Christum per fidem eandem agnoscit.

*In in-*



A *IN introitu uerò atrij fiet tentorium cubitorum uiginti, ex hyacintho & purpura, coccóque bis tincto,* 3
*& byſſo retorta opere plumarij, columnas habebit quatuor cum baſibus totidem. Omnes columnæ atrij*
*per circuitum ueſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis & baſibus æneis. In longitudine oc-*
*cupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de byſſo re-*
*torta, & habebit baſes æneas. Cuncta uaſa tabernaculi in omnes uſus & cærimonias, tam paxillos eius quàm*
*atrij, ex ære facies.*

*In introitu verò tabernaculi fiet tentorium cubitorum viginti,ex hyacinto & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta opere plumarij,* 3
*columnas habebit quatuor cum baſibus totidem.* AVCTOR CATENAE. In introitu quoque atrij, vel in o-
B stio,siue in porta,quæ idem sunt.Est enim dictio שַׁעַר Sahar, quæ propriè portam significat. Fiet tentoriũ. מָסָךְ Masach etiam aulæum, siue velum reddi potest. Opere plumario, siue phrygionis, aut acupictoris. Est enim in Hebræo מַעֲשֵׂה רֹקֵם Mahase rokem, de quo multa iam in superioribus diximus. Columnas habebit quatuor. Hebraicũ עַמּוּדֵיהֶם אַרְבָּעָה Hammudehem arbaha,Columnæ earum quatuor,subaudi cortinarum,ex quibus tentorium viginti cubitorum erit concinnatum. Septuaginta autem & Chaldaica legunt, Columnæ eius quatuor, & bases eius quatuor. Vbi dictio eius, ingressum atrij, non cortinas refert. Verùm hæc modica sunt,nec literæ Latinæ sensui officiunt. Ingressum in atrium velamine pulcherrimo claudi mandat, sicut erat velum tabernaculi, vario colore, & pretiosa materia artificiosè conficiendo, arte acu pictoria, latitudinem eius viginti cubitorum fore,pendereque ex quatuor columnis,obductis argenteis laminis,insertis basibus æneis, & capitellis argenteis decoratis supernè ad operis maiestatem. Vnde & sequitur, *Omnes columnæ atrij per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis,& baſibus æneis.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Omnes columnæ
C atrij in circuitu cinctæ argento,& vncini earum argentei,& bases earum æneæ.Dixerat cingula columnarum argentea,declarat nunc modum cingendi, dicendo in circuitu,hoc est, circumeundo columnam à summo vsque ad imum, secũdum formam lineæ helicæ. AVCTOR CATENAE. Omnes columnæ atrij per circuitũ vestitæ erunt argenteis laminis. Iuxta Hebræum מְחֻשָּׁקִים כֶּסֶף Mechussachim céseph,Cęlatæ erunt ergento.Sic & Chaldaica. Vertunt alij,Cincturas habebunt argenteas, Vel cinctæ erunt argento. Vt sit sensus, quòd columnæ circum circa in rotunditate earum argentea fila habebunt ad earum pulchrum ornatum, vel cælaturas, hoc est, sculpturas ex argento fabrefactas. Dictio enim mechussakim est à verbo chasak, quod quandoque vestire siue cooperire aliquid laminis siue cælaturis aureis vel argenteis, eo quòd adhæret & iungitur illud aurum vel argentum ei rei cui apponitur, significat. Vnde & rectè quoque transtulit Interpres, cui & Septuaginta fauent legentes, *κάτηργυρωμένοι ἀργυρίῳ*, deargentatæ argento.Sequitur,Capitibus argenteis.Sic & Chaldaica & Septuagin ta, Capita siue capitula earum erunt argẽtea. Iuxta Hebræum autem legitur וָוֵיהֶם כֶּסֶף Vauehem Cáseph,Quod
D nõnulli vertunt,Vncini earum argentei. Et est eadem dictio וָו Vau, de qua etiam satis suprà dictum est. Illuc ergo prudentem mittimus lectorem.Et basibus æneis.Vel vt habet Chaldaica, Et bases earum erunt ex ære, siue æneæ. Quod idem est. Summat ergo,& exquisitiùs perstringit columnarum qualitatem, capitúmque & basium earum. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietq́ de byſſo retorta,& habebit baſes æneas.* CAIETANVS. Aduerte quòd longitudo atrij comprehẽdit non solùm spatium vacuum inter columnas, sed etiam spatium quod occupatur ab ipsis columnis: & quia nescimus quantum spatij quælibet columna cum sua basi occupabat,consequens est vt nesciamus quantum vacui erat inter columnas, hoc tamen certum est,quòd columnæ erant æquidistantes.Et hæc eadem intellige de latitudine atrij.

AVCTOR CATENAE. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, siue & longitudo atrij erit cẽtum cubitorum. In latitudine quinquaginta.Hebraicum est huiusmodi וְרֹחַב חֲמִשִּׁים בַּחֲמִשִּׁים Veróchab chamisim bachamisim,Et latitudo quinquaginta in quinquaginta,id est,latitudo erit per omnia æqualis in v-
E troque latere.Sic & Septuaginta, *πεντήκοντα ἐπὶ πεντήκοντα*, Quinquaginta ad quinquaginta. Putant autem quidam ita esse dictum, quòd atrium versus orientem quadratum fuerit, alteram verò atrij partem occupauerit tabernaculum,& spatium quod post illud erat.Altitudo(subaudi cortinarum) quinque cubitorum erit. Vt scilicet singula cortina sit alta quinque cubitis,nam altitudo cortinarum,atrij altitudo erat. Quod quidem & Chaldaica editio expressè ponit,inquiens,Et altitudo cortinarum quinque cubitorum. Statim autem in Hebræo absque aliquo puncto sequitur שֵׁשׁ מָשְׁזָר Ses maszar,Ex byssо retorta(subaudi erunt cortinæ illæ) Vt dicatur, Et altitudo quinque cubitorum ex byssо retorta. Sic est etiam in Chaldaica & apud Septuaginta, vt omnino cogamur altitudinem de qua hîc, ad cortinas referre.Et habebit bases æneas. Hebraicè est, וְאַרְנָ יִהְיֶה נְחֹשֶׁת Veadnehem nechóseth, Et bases earum(subaudi columnarum)in quibus expandentur vela atrij,ex ære,siue æneę,supple erunt.Epilogus ergo prædictorũ est de atrio tabernaculi,quàm fuerit longum,latum & altum tentorium vniuersum, quo sanctuarium ambiebatur, consistens in medio.Habitaculum glorię dei inter homines,conuersantis,
F non corporaliter, sed in mysterio, & beneficiorum præsentia, & exauditione ad fideliter orantem fidelem populum,vt in religione vnius & veri summi dei conseruaretur,neque ad idolatriam prolaberetur gẽtilium. *Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus & cærimonias, tam paxillos eius quàm atrij, ex ære facies.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum nihil habetur de cærimoniis, sed dicitur, omnibus vasis tabernaculi in omni seruitio ipsius. De reliquis (quorum scilicet mentio facta non est) intellige: decretum siquidem priùs fuit, quòd tam vasa mensæ propositionis quàm candelabri essent aurea.Siue autem clauos, siue paxillos intelligamus, ferrum excluditur. Et clauis quidem opus fuit in tabernaculo,tum ad figendum frusta tabularum angularium, tum ad figendum bases tabularum: paxillis autem opus fuit, ad figendum extrema vectium in angulis. Paxillo enim penetrante vtrumque vectem in angulo,connectebantur vectes,& amoto paxillo soluebantur vectes, cùm tabernaculum dissoluendum erat. AVCTOR CATENAE. In omnes vsus & cerimonias eius.Hebraicè est בְּכָל עֲבֹדָתוֹ Becól habodatho,In omne ministerium eius. Sic habet Chaldaica.Siue,In aut cum omni ministerio eius. Sed hoc parum

rum est. Tam paxillos eius quàm atrij ex ære facietis. Siue, Et omnes paxilli eius, & omnes paxilli atrij erunt ex ære. Sic enim est in Chaldaica & in Hebræo. Quod est idem cum Latina litera. Erant autem paxilli veluti clauí quibus affigebantur cortinæ illæ, ne à vento agitatæ dimouerẽtur. Et hinc factum, quòd aliqui hoc in loco dictionem וְיָתֹדֹת Ithdoth, clauos verterunt. Etiam claui & paxilli quibus tentoria seruabantur contra ventum, non negliguntur, quin ærea, hoc est, solida, firma & perpetua, & imputribilia fiant, quò durent diutiùs, donec scilicet tabernaculo templum Salomonicum succedat Hierosolymis, & idem templo Christi domini benedicta humanitas, in perpetuum regnatura in cœlis super spiritus & corda fidelium, in spirituali regno, nunquam per omnia secula finiendo.

*Mysticè.* BEDA. In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, & cætera. Mysticè in introitu atrij quatuor sunt columnæ, quia non nisi per fidem & sacramenta Euangelij quę quatuor libris continentur, vnitatem sanctæ Ecclesię quis ingredi poterit. Vnde pulchrè in ipsa Ecclesia mos antiquitùs inoleuit, vt his qui catechizandi, & Christianis sunt sacramentis initiandi, quatuor Euangeliorum principia recitentur, ac de figuris & ordine eorum in apertione aurium suarum solerter erudiantur: quo sciant exinde ac meminerint, qui & quot sint libri, quorum verbis maximè in fide veritatis debeant erudiri. In quo introitu tentorium quoque fieri cubitorum viginti præcipitur, qui est numerus idem quaternarius quinquies ductus. Quinque autem sunt notissimi corporis nostri sensus, visus videlicet, auditus, gustus, olfactus, & tactus. Bene ergo in introitu atrij tentorium viginti cubitorum in quatuor columnis suspẽditur: quia omnes qui sanctam Ecclesiam intrant, ad regulam Euangeliorum fidem suam pariter & actus componere debent, vt continentes ab illecebris carnalibus, cunctos sui corporis sensus diuinis subigant imperiis. Non solùm enim hoc tentorium quatuor columnis subleuatur, sed & ipsum in longitudine sua quinarium numerum per quatuor multiplicatum habet, cùm quilibet humiles ac pij auditores ad fidem venientes, non solũ Euangelij verbis imbui, verùm etiam Euangelicã ipsi agere vitam desiderãtes, cunctos sui corporis sensus in obedientiam charitatis expendunt. Rectè autem hoc in introitu atrij tentorium, non sicut in reliquo atrio, de byssо retorta, sed de quatuor fit coloribus nobilissimis, hyacintho scilicet & purpura, coccóque bis tincto, & ipsa byssо retorta, opere plumarij: quia pulchra quidem in his qui catechizantur, Ecclesiæ facies exterius fulget, sed multo præclarior eius dignitas ac virtus apparebit his, qui eam per sacramentum baptismatis ingredi merentur. Nemo enim repentè fit summus, sed gradatim necesse est à minoribus ad perfectiora tendamus. Diximus autem sæpius, quòd hyacinthus spem cœlestium bonorum, purpura tolerantiam temporalium malorum, coccus bis tinctus ardorem perfectæ dilectionis, byssus retorta refrenationem carnalis delectationis significet. Qui vdelicet colores, opere plumarij sunt inuicem variati, cùm vnaquæque virtus fidelium vicinarum sibi virtutum societate, & velut quadam cõsanguinitate amplius clarescit. Quamuis etiam singuli colores præfati, singulis electorum possint conuenire personis, quia enim aliquis altiùs cœlestia speculari meretur, hyacinthus est. Qui feruentiore in deum & proximum dilectione flammescit, coccus bis tinctus est, ille qui specialiter integritate carnis virginalis albet, byssus retorta est. Et cùm iusti in vna eadẽmque fide & pietate euangelica de suis alterutrum virtutibus congaudent, quasi introitum atrij domini tentorium decorant, pulchra variantium colorum diuersitate contextum. Omnes (ait) columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenti laminis, capitibus argenteis & basibus æneis. Diligentiùs ea quæ dixerat inculcat, vt sedulò lectorem admoneat neminem inter doctores veritatis (columnas videlicet atrij cœlestis) posse computari, qui non instar æris inuincibilem inter aduersa patientiam habere didicerit, non se cœlestium & obseruantia & annunciatione verborum, vndique velut argenti laminis munire atque exornare curauerit, non se omni subiectione præceptis diuinis quasi argenteo capiti supponere studuerit, non in timore dei velut ænea basi constiterit. In longitudine occupabit (inquit) atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit. Centum cubitos longitudinis habet Ecclesia: quia vlnas suas eleuat ad bona opera propter vitam æternam. Quinquaginta latitudinis, quia requiem sperat sempiternam in gratia spiritus sancti, quæ quinquagenario numero voluit designari, cùm Pentecostes, id est, quinquagesimum paschalis festiuitatis diem suo aduentu consecrare dignatus est. Altitudo quinque cubitorum erit, iuxta numerum sensuum corporis nostri: quia tunc recipiet vnusquisque propria corporis sui prout gesit, siue bonum siue malum. Sed in atrio domus domini eorum solummodo figura exprimitur, qui bonum in corpore fecerunt, pro quo in requiem vitæ perpetis merentur introduci, qui nunc in operibus iustitiæ quæ casto & corpore & corde agũt, quasi byssus retorta nitent, & tũc in eodẽ corpore immortalitatis gloria sublimato, perceptis in æternum iustitiæ præmiis lętantur. *Matth.23.* At in euangelica parabola vtriusque simul partis mentio est, vbi quinque virgines quæ cum operibus lucis ad sponsum venerant, statim cum eo ad nuptias intrant, quinque aliæ quæ opera castitatis non casto animo exercuerant, repulsæ cum suis tenebris procul à regni ianuis eiiciuntur. Quinque enim erant & quinque, quia vtraque secundum ea quæ in carne gesserat iudicata erat. Tota ergo longitudo, & latitudo atrij, per centenos & quinquagenos cubitos distenta est. Quinque habet cubitos altitudinis, quia necesse est, vt qui promissionem habemus quietis & patriæ cœlestis, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: nec solùm ab inquinamento mundemus, sed & perficiamus sanctificationem in timore dei, quatenus apparente hora promissæ retributionis, nõ solùm spiritu verùm etiam in carne lætari mereamur in amore dei. Propter quam vtriusque nostræ substantiæ, hoc est, & animæ & carnis emundationem in timore dei subsequenter hoc quod & suprà dictum erat, vt diligentiùs memoriæ commendetur, repetitur: Fiętque de byssо retorta, & habebit bases æneas, Ac deinde subiungitur, Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus eius & cærimonias, tam paxillos eius quàm atrij, ex ære facies. Vasa tabernaculi in omnes vsus eius & cærimonias præparata, homines sunt Ecclesiæ, in diuersis meritis gradibúsque domino seruientes: quæ vasa cuncta fieri iubentur ænea, illius nimirum, vt sæpe dictum est, figura mysterij, vt si quis pulsatur aduersis, perseueret in finem, nec promissam sibi salutem desidia perdat, siue vt fidem quã didicit, etiam inimicis oblu&tantibus palàm confiteri non metuat, sed & amicis dona quæ percepit, sedulus insonare meminerit. Aes nanque sonorum, & naturæ diu durabilis est. Paxilli autem, quos



A quos dicit, tabernaculi siue atrij, ad hoc erant facti, vt infixi columnarum summitatibus, foris emineret, & impositis sibi velorum siue tentoriorum funibus, sic ea leuantes à terra suspenderent. Quorum factura & positione, non absurdè ipsa doctorum potest lingua designari, quæ prædicando audientium corda tangit, ac tangendo subleuat. Funibus enim solet aliquotiens scriptura sacra designari. Vnde scriptum est: Funiculus triplex difficilè rumpitur, quia nimirum scriptura quæ historico, allegorico, morali consueuit sensu interpretari, nulla hæreticorum siue paganorum valet peruersitate corrumpi. Ipsa autem tentoria siue vela, vt recipere funes possent, habebant necesse est in superioribus suis ansas siue circulos, quibus item funes immitterentur. Tu quoque si vis tentorium dei fieri, præpara in corde tuo receptaculum sermonibus eius, quo posis ad superna suspendi. Imponantur verò paxillis columnarum, funes tentoriorum, vt sic expansa atque in altum elata, pulchritudinem tabernaculi compleant, Committant sancti prædicatores fidelium cordibus eloquia diuina, eóque per hæc ad
B exemplum sui ab infimis erigi commoueant. Expansa funibus ac subleuata vela siue tentoria, decus sui operis mirificum qnod inuoluta nequiuerant, cunctis longè latéque demonstrant. Ostendant fideles amplitudinem bonæ operationis, pulchritudinem mentis & internæ gratiæ, quam donante domino perceperant, vt videntes proximi bona eorum opera, glorificent patrem qui in cœlis est, dicántque: Quàm amabilia sunt tabernacula tua domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. *Psalm.83.* GREGORIVS SVPER EZECHIELEM. Sed & aliter. Ab Abel sanguine passio iam cœpit Ecclesiæ. Et vna est Ecclesia electorum *Hom.15.* præcedentium atque sequentium. Sed tamen quia discipulis dicitur: Multi reges & prophetæ voluerunt videre *Luc.10.* quæ vos videtis, & non viderunt, antiquis patribus quasi foris stetisse, est redemptoris nostri præsentiam corporaliter non vidisse. Exteriùs igitur, sed tamen non diuisi à sancta Ecclesia fuerunt, quia mente, opere, prædicatione, ista iam fidei sacramenta tenuerunt, istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos adhuc prestolando, sed iam habendo conspicimus. Sicut enim nos in præterita passione redemptoris nostri, ita illi per
C fidem in eadem ventura sunt saluati. Illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus. Vnde & in constructione tabernaculi, vt columnæ argenteæ interiùs starent, paxilli ærei figi per circuitum exteriùs iussi sunt, in quibus religatum tabernaculum teneretur. Columnæ itaque argenteæ interiùs, paxilli verò ærei in circuitu figuntur, atque in ipsis funes ligati sunt, vt tabernaculũ fixũ maneret: quia videlicet vt sancti Apostoli in luce sermonis sui solidi starent, & totum tabernaculum, id est, sancta Ecclesia in fidei integritate consisteret, tanquã paxilli ærei, patres testamenti veteris ac prophetę exteriùs fixi sunt, qui verborum suorum funibus prædicatorum mentes in soliditate stringerent, atque in hoc dei paxilli sunt, vt habitaculum in statu fidei ligarent. Extrà ergo paxilli sunt, qui ante tempus huius sanctæ Ecclesiæ fuerunt. Sed tamen eos ligant qui in ipsa sunt, quia dum cœlestia mysteria ventura prædicant, hæc postquàm ostensa sunt, credibilia omnibus fecerunt. Vt ergo intùs colũnę immobiles stent, foris paxilli funes continent, quia vt sancti Apostoli perfectè incarnationis dominicę mysteriũ crederẽt, illorũ prædicatio obtinuit, qui hoc priùs quàm fuerit, & videre & prædicare potuerũt. Vnde rectè quo-
D que ipse primus Apostolorum, magna scilicet columna veri tabernaculi, loquitur dicens: Habemus firmiorem *2.Pet.1.* propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. In quibus verbis indicat quamuis ad altiora surrexit ex culmine, vbi religata persistat in fide. Quæ tamen lucerna prophetici sermonis iam quidem intelligentibus lucet, sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus permanet. Vnde etiam per Psalmistam de hisdem dictis Prophetarum dicitur, Tenebrosa aqua in nubibus *Psalm.27.* aëris, quia videlicet occulta est scientia in Prophetis. Nec immeritò columnæ argenteæ, paxilli verò ærei facti sunt: quia quod clarè iam Apostoli prædicant, l oc Prophetæ sub intellectu mystico obscurè locuti sunt. Rectè ergo per æris metallum signati sunt, qui clari in suis prædicationibus non fuerunt. Sancti verò Apostoli qui ad redemptoris nostri mysterium lucem prædicationis habuerunt, argenteis columnis expressi sunt. Et notandum quòd argentũ sonat & lucet, æs verò sonat & nõ lucet, quia prædicatores noui testamenti apertè locuti sunt quæ etiam mõstrare potuerunt. Prædicatores verò testamenti veteris, quia per allegoriarũ vmbras de cœlesti mysteE rio obscura dicta protulerunt, quasi sine luce sonitum dederunt. RVPERTVS. Prosequemur & nos iuxta superioris instituti ordinem. In introitu (inquit) atrij fiet tentorium cubitorum viginti. Columnas habebit quatuor cum basibus quatuor. Adde quòd ab oriente captato introitu, facies introeuntis in occasum spectat, quo nihil boni significatur. Igitur quoniam & altare, ad quod primum per ipsum introitum peruenitur, totúsque ordo eius antiquari & senescere habebat, & interiturum erat, in occasum situs eius vergebat. Portarum quoque non miranda nobis diuersitas, scilicet quòd in hoc typicum & vmbraticum tabernaculum, ab vna parte introitus patebat, per quatuor columnas velum habens altitudinis quinque cubitorum, in ipsa autem cœlestia sancta, quorum hoc erat exemplar, à quatuor mundi partibus eadem introeuntibus facultas, per ternas (vt prædictum est) offertur portas. Nam & ille populus, qui hoc vsus est exemplari, iustitiam præsumit ex operibus legis, vocatio autem cunctarum gentium, ad vera tendens & cœlestia sancta, solam quærit iustitiam fidei, baptismum vocantis Christi susciens, in nomine patris & filij & spiritus sancti.

F

**Præcipe filiis Israël ut afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum, ut 4**
**ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij extra uelum quod oppansum est testimonio, & collocabunt eam Aaron & filii eius, ut usque mane luceat coram domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filiis Israël**

BEDA. Dispositio omni ornamento tabernaculi, consequenter etiam lumen lucernæ prędidetur, vt decor 4
eius admirabilis, sicut interdiu lumine solari, ita etiam noctu lucernalibus flammis illustretur, ne vnquam *De tabernaculo lib.3.*
in domo dei aliquis tenebrarum locus, aliqua vmbrarum possit hora subrepere. Ait ergo, *Præcipe filiis Israel vt* *cap.1.*
*afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij, extra velum* *Locut.11.*
*quòd oppansum est testimonio.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM.

Alia

Alia litera habet extra velum, quod est super testamentum. De lucerna accẽdenda cũm diceret, hoc ait, G id est, quod foris accẽderetur vbi est sanctum, non intra velamen quod est super testamentum, hoc est, sanctum sanctorum. Ergo super, non sic ait tanquam est tectum, vel camera, vel firmamentum cœli, vel arcæ coopertulum, sed etiam quod vice parietis oppositum esset, super dixit, sicut dicimus superiorem discumbere aut stare, non vtique alterum portari ab altero. CAIETANVS. Iuxta Hebræum oliua non molita sed tusa describitur, vt oleum ex carne oliuæ seu pulpa oliuæ, & non ex osse eiusdem fieret, molendo enim etiam ossa franguntur, tundendo autem seu premendo, sola caro frangitur. Et quia dicit, vt ardeat lucerna semper, hinc apparet, quòd indeficiens lumen erat candelabri tam die quàm nocte. AVCTOR CATENAE. Quod autem nos dicimus, Præcipe filiis Israël, Est in Hebraico וְאַתָּה תְצַוֶּה Veatta tezaue, Tu autem præcipe, siue præcipies autem. Sed hoc minimum est. Oleum de arboribus oliuarum purissimum, H pilóque contusum, Hebræi dicunt, שֶׁמֶן זַיִת זָךְ כָּתִית לַמָּאוֹר Semen záith zac cathith lamaor, Oleum oliuæ purum contusum ad luminare seu pro luminari. Exponúntque doctores Hebræorum, quòd conterebant oliuas in mortario, & non molebant eas molis, ne essent in illo feces, & eductis guttis prioribus, congregabant ad molas, illásque molebant, & oleum secundum prophanum non contusum quod molendo educebatur, conueniens erat pro sacrificiis, & non prophanum pro candelabro. Septuaginta, ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν ἄτυγον, καθαρὸν, κεκομμένον, εἰς φῶς, hoc est, Oleum ex oliuis defecatum, purum, contusum, in lumen. Chaldaica, Oleum mundissimum de oliuis contusis, vt luceat. Sed hoc idem cum Latina litera. Sequitur, Vt ardeat lucerna semper. Sic & Septuaginta, & est singulare pro plurali. Loquitur enim de septem lucernis quæ sitæ erant in candelabro, prout in vigesimo quinto capitulo visum est. In Hebræo est, לְהַעֲלֹת נֵר תָּמִיד Lehahaloth ner tamid, Ad accendendas lucernas semper, id est, singulis noctibus, vt ipse postea exponit, cùm ait, Vt vsque mane luceat coram domino. Interdiu enim erant extinctæ secundum aliquorum opinionem. Alij vertunt, Vt ardere faciant lucernam semper, diebus scilicet ac noctibus. Alij, Ad accendendam lucernam iugiter. Quidam, Quod iugiter in lucernam fundas. Chaldaica, Vt incẽdantur lucernæ semper. Quæ à Latina versione non discrepant. In tabernaculo testimonij. In Hebræo hîc incipit clausula de per se, nec dependet à superioribus, est enim ante hæc verba punctus soph pasuk, id est, colum, quod membrum distinguit à membro, & orationis nouæ principium indicat. Sunt autem hîc duæ dictiones בְּאֹהֶל מוֹעֵד Beóhel mohed, quæ redduntur, In tabernaculo conuentionis, siue congressus aut congregationis. Vox Hebraica Mohed, dicitur à conueniendo, eo quòd illuc conueniret deus vt loqueretur Moysi & successoribus eius, vt capite vigesimo quinto Deus ipse exponit quare ita sit appellatum, ait enim, Et conueniam tecum illuc. Pro quo Interpres noster transtulit, Inde præcipiam tibi. Item Numeri vigesimo septimo, Coram testimonio, vbi conueniam vobiscum. Pro quo Interpres vertit, Vbi loquar ad te. Sunt & qui licet à conueniendo dictum dicant tabernaculum conuentionis, aliam tamen assignent rationem, quòd illuc videlicet conueniret cœtus Israël ad orandum & sacrificandum. Verùm arca vocatur arca testimonij, propter legem, quia sæpe vocatur testimonium, eo quòd lex domini iu- K stis sit testimonium ad vitam, impiis ad mortem. Aut etiam quia testatur de dei voluntate. Alij hîc vertunt, In tabernaculo fœderis, quod illic dabat deus hominibus responsa. Sic enim habet & Chaldaica. Quidam, In tabernaculo constituto. Nonnulli, In tabernaculo Ecclesiæ. Septuaginta, vt apud nos. Quæ omnia vnũ & eundẽ locum designant. Quod oppansum est testimonio. Quidã dicũt hîc subintelligendã esse vocem, arca, hoc modo, Quod oppansum est arcæ testimonij. Et quia Hebraica sunt אֲשֶׁר עַל הָעֵדֻת Aser hal haeduth, vertunt hoc loco aliqui, Quod iuxta testimonium, hoc est, arcam testimonij, Nam velum pendebat ante locum sancti sanctorum, vbi sita erat arca. Chaldaica, Quod est ante testamentum, id est arcam testamenti. Præcipitur ergo olei adductio purissimi, hoc est, sine fece, ac clarissimi, quod de oliuis duntaxat pilo tusis conficiendum mandatur, lucernísque noctu siue interdiu arsuris imponeretur, ne vnquàm tenebræ admitterẽtur in tabernaculum, & vt in sanctuario lumen esset perpetuum. *Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram domino.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Et concinnabunt eam Aaron & filij eius, Non erat Leuitarum officium, sed sacer- L dotum qui ex stirpe erant Aaron disponere lucernas candelabri. Vt vsque mane luceat. Iuxta Hebræum habetur, A vespere vsque mane. Nec additur luceat, non enim tempus lucendi, sed tempus disponendi lucernas decernitur, vt scilicet disponantur, vt vnica dispositio sufficiat à vespere vsque mane. Et similiter subintelligatur quòd vnica alia dispositio sufficiat à mane vsque ad vesperum, vt explicatur inferiùs capitulo trigesimo. Et subditur coram domino ne vile officium pontifici & sacerdotibus imponi videatur, facies enim Iehoua dignitate maximam confert officio componendi lucernas ad ardendum. AVCTOR CATENAE. Et collocabunt eam Aaron & filij eius. Verbum יַעֲרֹךְ Iaharoch, Ordinabunt, disponent, component, & præparabunt etiã reddi potest, nec est aliqua copula, vt hæc lectio pendeat à superiori, & dicatur, In tabernaculo testimonij extrà velum quod oppansum est testimonio, collocabunt eam Aaron & filij eius. Est autem Iaharoch dictio singularis numeri quæ pro plurali ponitur. Septuaginta, καύσει αὐτὸ, Incendet illud, nempe lumen de quo prædixerat, Aduertendum autem quòd Chaldaica dimittit hîc filios Aaron, & lucernæ compositionem Aaron duntaxat M deputat, ita inquiens, Ordinabit eas Aaron. Sequitur, Vt vsque mane luceant coram domino. Et hoc loco occasionem sumpserunt quidam dicendi quòd lucernæ candelabri non lucebant in die, sed nocte tantùm, cùm Hebraica sint מֵעֶרֶב עַד בֹּקֶר לִפְנֵי יְהוָה Mehéreb had bóker liphne iehoua, A vespere vsque ad mane coram domino. Sic Septuaginta & Chaldaica. Et refertur ad superiora, videlicet quòd Aaron & filij lucernas ordinabunt à vespera vsque ad mane, vt sit sensus, quòd vna ordinatio lucernarum per totam noctem sufficiat. Nam quòd & mane Aaron ordinaret lucernas sicut & vespere, clarè ex hoc ipso Interprete nostro infrà eodem trigesimo capite habetur, Vbi ait, Mane quando componet lucernas, incendet illud, Aaron videlicet, de quo paulò antè dixerat. Non desunt tamen magnæ auctoritatis viri, qui teneant omnino lucernas in die non luxisse, cùm sint alij qui tres tantùm accensas fuisse asseuerent. *Perpetuus erit cultus per successiones eorum à filiis Israel.* AVGVSTI-

 NVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Eo modo perpetuus siue sempiternus



A nus, quo multa superiùs diximus. AVCTOR CATENAE. Perpetuus erit cultus per successiones eorum à siue coram filiis Israël. Hebraica enim dictio est מֵאֵת Meeth. Et est sensus, Perpetuum hoc erit statutum Israëlitis, seruabitur apud filios Israël perpetuò. Chaldaica habet, Ritu perpetuo in generationibus suis à filiis Israël. Septuaginta, νόμιμον αἰώνιον εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν παρὰ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, Legitimum sempiternum in generationes vestras à filiis Israel. Quæ omnia idem sunt, & vt aliâs pluries diximus intelligenda.

BEDA. Præcipe filiis Israël, vt offerant tibi oleum de arboribus oliuarum, & cætera. Iuxta mysticos sen- *Mysticè.*
sus quid significat lumen lucernæ, dominus in Euangelio declarat qui cùm per parabolam dixisset: Neque
accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo *Matth.5.*
sunt, mox apertè subiunxit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Lucer-
B næ ergo lucis in domo dei, sunt opera iustorum, quæ mentes intuentium suis exemplis illuminant. Verùm diligentiùs intuendum, quòd vt lucerna semper in tabernaculo dei possit ardere, filij quidem Israël oleum offerre, Aaron autem & filij eius ipsam lucernam collocare iubentur. Quæ est ergo hæc distinctio, vt ad nutriendum lucem populus oleum offerat in domo domini, & sacerdotes lucernam componant? nisi fortè hoc figuratè imperatur, vt fideles & religiosi auditores, prompta ad obediendum fidei corda afferant: doctores verò eis ignem verbi cœlestis, quo illuminẽtur ad agnoscendum, & inflammentur ad diligendum deum, prædicando ministrent. Per olei nanque pinguedinem, qua & lassi atque infirmi artus recreantur, & gratia præstatur luminis, interna sæpe dilectio mentis, & opus misericordiæ designatur. Hinc etenim Psalmista, Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei, speraui in misericordia dei *Psalm.51.*
mei in æternum, & in seculum seculi, ac si patenter dicat: Ego quia misericordiæ fructum indigentibus
exhibui, mihi quoque in æternum à deo rependendam misericordiæ gratiam speraui. Ergo filij Israëlof-
C ferant oleum, Aaron autem & filij eius allato igne componant lucernam, quæ ardeat in tabernaculo dei. Offerant humiles auditores deuotionem mentis, & ministerio sermonis doctores doceant eos cœlestis arcana scientiæ, quibus regulariter instituti, & in conspectu sui conditoris igne charitatis ardeãt, & hominibus foras lucem bonæ actionis ostendant. Notandum autem quòd non indifferenter oleum offerre filij Israël, sed cum distinctione oleum de arboribus oliuarum præcipiuntur, & insuper additur, purissimum, pilóque cõtusum. Solet nanque oleum nardinum, solet raphaninum, solet de nuce vel de lino, aliísque diuersi generis speciebus fieri: sed nullum offerri licet tabernaculo dei, nisi quod de lignis oliuarum conficitur, sicut nec ignis quàm qui de cœlo descendit, vel in lucernis sanctis ardere, vel in altari dei debet accendi: Sanctus enim spi- *Sapien.8.*
ritus disciplinæ effugiet fictum. Offerant ergo filij Israël oleum ad lucernam dei, non qualecunque, sed de li-
gnis oliuarum, & hoc purissimum pilóque contusum. Offerant boni auditores spiritalibus doctoribus con-
scientiam puram, & charitatis gratia fœcundam, pilóque sedulæ probationis ab omni nequitiæ commixtione
D permundatam, quæ sola videlicet intentione placendi & seruiendi domino, verbo eius audito delectetur. Offerat Aaron cum filiis suis ignem, non alienum, sed desuper missum ad accendendam lucernam, sicut etiam ad
consummanda holocausta, ac redolenda thymiamata, prædicent verbum doctores, non suum, sed domini,
protestantes cum fiducia: Non enim nos sumus sicut plurimi adulterantes verbum dei, sed ex synceritate, sed *2.Cor.2.*
ex deo sicut coram deo, in Christo loquimur. Hoc igne vtuntur ad illustranda cognitione fidei corda audientium, hoc ad perficienda ac deo sacranda holocausta bonorum operum suorum, hoc ad incendenda thymiamata ôrationum sanctarum. Bene autem dicitur vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij: quia nũquam in sancta Ecclesia lux prędicationis, nunquã debet humilitas auditorum pura quę hanc libenter excipiat, imò & solerter inquirat, deesse. Bene autem additur: Extra velum, quod oppansum est testimonio. Non enim intra velum cœli opus habemus lucerna scripturarum, vbi arca est domini, & Cherubim gloriæ propitiatorium obumbrant, id est, agmina cœlestis militiæ gloriam incarnati filij dei, quem posuit deus propitiatio-
E nem pro peccatis nostris, consona voce prædicant. Bene sequitur: Et collocabunt eam Aaron & filij eius, quia non omnium est sacramenta fidei prædicare in populo, sed eorum solummodo, qui & castitate fidei, & executione boni operis ad filios summi sacerdotis, domini videlicet & saluatoris nostri, pertinere probantur. Cæterùm quisque vel à puritate fidei prauo dogmate aberrat, vel integritatem cognitæ & seruatæ fidei, operum nequam improbitate commaculat, talis & si sacerdotis nomine vel persona præminere videtur, nihilominus auditurus est à domino: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os *Psalm. 49.*
tuum? Tu verò odisti disciplinam, & cætera. Quales & Iacobus à collocatione lucernæ dei, hoc est, à ver- *Iac.3.*
bo prædicationis benigna exhortatione retrahit, dicens, Nolite plures fieri magistri fratres mei, scientes
quoniam maius iudicium sumitis, illud videlicet iudicium quod præmisimus iandudum Psalmistæ voce
præmissum. Bene autem adhuc additur: Et vsque mane luceat coram deo. Cùm enim nocte transacta se-
culi huius, mane futuri seculi claruerit, de quo Propheta dicit: Mane adstabo tibi & videbo: non iam vltra lu-
F cerna librorum indigemus, apparente & illustrante nos vera luce mundi, de quo dicit & Propheta, Vobis au- *Psalm.5.*
tem timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Perpetuus (ait) erit cultus per successiones eorum à fi- *Malach.4.*
liis Israël. Et hæc clausula sicut & præcedentia quæ de tabernaculo ac vasis atque vtensilibus eius dicta sunt, spiritali magis sensu quàm carnali intelligenda atque exponenda est: Quomodo enim iuxta literam perpetuus
esse poterit cultus officij sacerdotalis, vbi & ipsum sacerdotium & tabernaculum in quo gerebatur, & populus cui gerebatur, iandudum esse cessauerunt? Vnde constat hoc in sancta Ecclesia verbum esse complendum, vbi succedentibus sibi per ordinem doctoribus simul & auditoribus, veritatis nunquam deerunt spiritales & filij Israël, qui in domum domini dona pietatis offerant, & filij Aaron, id est, veri sacerdotis nostri, qui illis lucem verbi ministrent, donec completo seculi huius statu, & ipso quoque tabernaculo dei toto, id est, vniuersa electorum multitudine ad regnum cœleste translata, non erunt vltra qui ab hominibus eruditur homines, cùm sit deus omnia in omnibus. RVPERTVS. Præcipe filiis Israël, & cætera. Respostulare

videretur

videretur, vt in eo quod ſacratius erat, id eſt, in ſecundo tabernaculo iuxta velum lucerna ſemper arderet cultu G
perpetuo. Quid ergo niſi myſterium & in hoc ritu propoſitum eſt, videlicet, quia in illis ſanctis non manu fa-
*Apoc.21.* ctis quæ Ieſus ſemel introiuit, lucerna opus non eſt? Sic enim in Apocalypſi de illa ſancta & æterna ciuitate di-
cit Ioannes: Nam claritas dei illuminabit eam, & lucerna eius agnus eſt. Igitur extra velum in priore tabernacu-
*Matth.5.* lo ſemper ardeat lucerna coram domino vſque mane cultu perpetuo, id eſt, in præſenti Eccleſia luceat quiſque
fidelium ea quam habet, ſpiritus ſancti gratia, vt videant homines eorum opera bona, & inde aperiant oculos
ſuos ad glorificandũ patrem, qui in cœlis eſt. Nam hæc intentio charitatis, oleum puriſsimum eſt, pilo contu-
ſum, id eſt, propter ædificationem proximorum, ſponte laboribus preſſum. Collocabunt eam (inquit) Aaron &
filij eius, videlicet qui legitimi ſunt ſacerdotes domini, iure ſucceſsionis. Etenim veræ charitati ſtudere, atque
in operibus bonis, non ſuam ſed dei gloriam quærere, id planè eſt dignum atque legitimum deo ſacerdotẽ eſſe.
*2.Tim.1.* Ad huiuſmodi lucernam collocandam, Paulus dilectum diſcipulum commonebat, cùm diceret, Propter quam H
cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Ardeat (inquit)
vſque mane, id eſt, vſque ad finem præſentis vitæ. Nam in ipſo die lumine lucernę non indigebimus, quando ſi-
cuti eſt, & facie ad faciem videbimus. CYRILLVS. Vel lucerna illa ardens ac lucens in tabernaculo, Ioan
nis Baptiſtæ præcurſoris typus fuit, cuius doctrina maximè naſcentem Eccleſiã illuminauit. Et collocabunt (in-
quit) eam Aaron & filij eius. Chriſtus in ſacerdotem, dei patris conſilio vocatus eſt, vnà tamen cum illo tanquam
filij cooperatores Apoſtoli cæteríque diſcipuli vocati ſunt, qui toto orbe terrarum omnibus gentibus quę ſub ſo
*Quæſt.173.* le ſunt, Euangelium prædicarunt. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS. Nunc iam
quoniam ſatis tractatum eſt quomodo illa omnia intelligenda ſint quæ in tabernaculi conſtitutione videban-
tur obſcura, breuiter ſi poſſumus enitamur oſtendere, quid ſit eadem tractatione confectum. Ab occidente igitur
trahebatur, & prima erat ingrediendi porta atrij quæ patebat viginti cubitis, & habebat quatuor columnas, qui-
bus dependebat velum viginti cubitis extenſum. Erectum autem cubitis quinque, quatuor illis ſæpe commemo- I
ratis coloribus, acu picto, opere variato. Hac porta ingrediens excipiebatur atrio, cuius latera dextera læuá-
que quindenis cubitis & ternis columnis porrigebantur introrſus, vt in medio ponerent oſtium tabernaculi in-
terioris in ea parte qua perueniebant, ſicut in medio ponebant portam atrij ab ea parte vnde incipiebant. Hoc
itaque atrium latius erat quàm longius. Nam longitudo eius erat à porta ipſius vſque ad oſtium tabernaculi in-
terioris in cubitis ferme quindecim, latitudo autem circa portam, in cubitis viginti, circa oſtium verò, in cu-
bitis triginta: Vnde obliqua illa latera fuiſſe intelliguntur, quæ dextera læuáq; in columnis ternis & quindenis
cubitis erant. In hoc atrio erat altare ſacrificiorum quadratum, quinque ſcilicet cubitis longum, & totidem la-
tum. Inter portam & altare ſpacium erat, vbi verſabantur qui ſacrificia imponebant altari, introrſus verò in-
ter altare & oſtium tabernaculi, locus erat cineris ante altare, & deinde labrum æreum, vbi manus & pedes
ſacerdotes lauabant, vel altari in atrio ſeruituri, vel tabernaculum interius ingreſſuri. Tentoria porrò huius
atrij in lateribus ternarum columnarum byſina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis. Ab K
hoc ergo atrio intrabatur oſtium tabernaculi, cùm tranſiſſet altare & labrum æneum. Intrabatur autem apertis
aulæis quibus decem, quinque hinc & quinque inde exaduerſo ſibimet conſtitutis, totum ipſum interius ta-
bernaculum cingebatur. Quo oſtio ingreſſo, occurrebat velum quod ad oſtium fuerat oppoſitum in quinque
columnis extentum, variatum illis quatuor coloribus: quod velum cùm faciendum præciperet, adductorium
vocauit, credo quòd curreret, ducendo & reducendo, cùm operiret atque aperiret ingreſſum. Tranſito iſto ve-
lo, excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum & illud alterum interius, quod columnis quatuor fuerat
impoſitum, ex illis quatuor coloribus factum, & ſeparabat inter ſancta quæ forinſecus erant, & ſancta ſancto-
rum interiùs poſita: In hoc itaq; medio ſpacio inter iſta duo vela, menſa erat aurea, quæ habebat panes propoſi-
tionis in parte Aquilonis, & contra eam candelabrũ aureũ ſeptem lucernarũ in parte auſtri. Hucuſque ſecundis L
ſacerdotibus licebat intrare. Interiùs autem, id eſt, in ſanctum ſanctorum, intra velum quatuor columnarum, ar-
ca erat teſtimonij deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ legis, & virga Aaron, & vrna aurea cum manna, & pro-
pitiatorium deſuper aureum, vbi ſtabant duo Cherubim alis obumbrantes propitiatorium, & intuentes inui-
cem ad ipſum. Ante arcam verò, id eſt, inter arcam & velum, poſitum erat altare incenſi, quod aliquando au-
reum dicit ſcriptura, aliquando deauratum: aureum vtique appellans, quòd erat inauratum. Ad hæc ſancta
ſanctorum niſi ſummo ſacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferẽdum incẽſum: ſemel autem in an-
no cum ſanguine ad purificandum altare, & ſi quando fortè exigebat neceſsitas pro peccato ſacerdotis, aut vni-
uerſæ ſynagogæ, ſicut in Leuitico ſcriptum eſt. Sic intrabatur in tabernaculum ab occidente, id eſt, á porta au-
ſtri vſque ad latus orientale introrſus, vbi erat arca teſtimonij. Hoc autem interius tabernaculum quod inci-
piebat non à porta atrij, ſed ab oſtio quod appellabatur oſtium tabernaculi, & finiebatur in longum latere orien
tis, vbi erat arca teſtimonij, decem aulæis concludebatur, quorum erant ſingula viginti octo cubitorum, quin-
que hinc & quinque inde, ſibimet connexa auſulis & circulis ex aduerſo ſibimet conſtituta, & columnis vicenis
in lateribus longioribus aquilonis atque auſtri, & columnis octo à latere occidentis, à latere autem orientis M
nullis columnis, ſed ſolis aulæis. Quæ aulæa decem erigebantur in cubitis quatuor, & per totum circuitum
tendebantur in cubitis ducentis octoginta, quorum centena in lateribus erant longioribus auſtri & aquilonis
per vicenas columnas, quadragena verò cubita in reliquis duobus lateribus breuioribus, vno occidentis per
columnas octo: altero orientis vbi columnæ non erant, ſed ſola tendebantur aulæa, de ſolis duabus angu-
laribus columnis, mediis autem nullis. Et erant hæc aulæa decem de quatuor coloribus texta. Hoc autem
interius tabernaculum circundabatur atrio ab auſtro viginti columnis, & ab aquilone viginti. Quæ duo atrij
latera æqualem habebant longitudinem cum lateribus interioris tabernaculi, quia & ipſa vicenis columnis
porrigebantur in cubitis totidem, id eſt, centenis. A latere autem orientis atrium concludebatur columnis de-
cem, cubitis quinquaginta. Qui ordo columnarum rectus erat, & incurrebat in illas duas angulares interio-
ris tabernaculi, quas ſolas orientis pars habebat. Proinde cum ipſis complebantur decem. A latere verò occi-
dentis



A cidentis, habebat quidem atrium decem columnas, non tamen recto ordine, ſed ſicut iam oſtendimus tanquã
triporticum, quatuor à porta, & ternis à lateribus. Vniuerſum autem atrium in circuitu tabernaculi tento-
riis byſsinis cingebatur, quæ erigebantur cubitis quinque, his ſuperueniebant vela capillacia vndecim, ex vna
parte ſibimet quinque connexa, ex alia ſex. In connexione ergo quinque velorum, cubita erant centum quin-
quaginta. Ex alia verò parte in connexione ſex velorum, cubita erant centum octoginta, quoniam vela ſin-
gula tricenorum fuerant cubitorum. Sed vt alia pars alteri coęquaretur, duplicatum eſt vnum velum à facie ta-
bernaculi, id eſt, ab oriente, & ſubtectum eſt dimidium velum à parte poſteriore, id eſt, ab occidente: atque ita
ſubtracta ſunt cubita triginta, quanta erat veli vnius longitudo, & remanſerunt centum quinquaginta, quan-
ta etiam ex parte altera fuerunt. Circumitus itaque velorum capillaciorum quo cingebatur atrium taberna-
culi, trecentis cubitis tendebatur: ſicut circuitus decem aulæorum interioris tabernaculi, cubitis ducentis
B octoginta. Aulæa quippe ſingula habebant cubita vicena & octona in longitudine, capillacia verò vela tri-
cenis cubitis longa erant. Quapropter ex ambitu aulæorum interioris tabernaculi, qui erat in cubitis du-
centis octoginta, centena cubita in lateribus longioribus erant auſtri & aquilonis, & quadragena in duo-
bus breuioribus orientis & occidentis. Ex ambitu autem capillaciorum velorum quo atrium exterius tege-
batur, quia ambitus erat in cubitis tricenis, centena erant in lateribus longioribus auſtri & aquilonis, quo-
niam æqualia erant lateribus tabernaculi interioris, quinquagena autem in reliquis duabus partibus orien-
tis & occidentis: ac per hoc duo illa cubita quibus longius erat aulæo velum capillacium, non lateribus au-
ſtri & aquilonis, quæ paria erant atrij exterioris & tabernaculi interioris, ſed lateribus orientis & occiden-
tis proficiebant. In eis enim lateribus creuerat tabernaculi latitudo circumpoſito extrinſecus atrio, ſed quin-
quagena cubita velorum capillaciorum à parte orientis per decem columnas recto ordine tendebantur, eíſ-
que proficiebat vnum cubitum, ex duobus illis quibus eorundem velorum maior fuerat longitudo: alia ve-
C rò cubita quinquaginta, quæ occidentali lateri debebantur, quibus alterum ex duobus illis cubitum proficie-
bat, non tendebantur per columnarum ordinem rectum. Ibi enim erat illa tanquam triporticus, quæ con-
cludebat ſpacium atrij, vbi eſſet altare ſacrificiorum, quatuor columnis à porta & lateribus ternis, ac per hoc
non poterant etiam cingere illa cubita quinquaginta, ſed vſque ad cooperienda obliqua illa latera tendeban-
tur, quæ in columnis ternis & quindenis cubitis erant. Erigebantur autem capillacia vela cubitis quatuor,
eíſque tegebantur atrij tentoria byſsina, quorum erat erectio in cubitis quinque, pelles verò rubricatæ ſuper
capillacia vela veniebant. Deſuper autem, id eſt, à parte tecti, vice cameræ tabernaculum pellibus hyacin-
thinis tegebatur: vtrum cum atrio & ſpatium illud interius non apparet, ſed credibilius eſt, atrij ſpatia quæ
inter exteriores & interiores columnas erant, velum apertum habuiſſe, maximè illud occidentis, vbi erat al-
tare ſacrificiorum.

D IN CAPVT EXODI VIGESIMVMOCTAVVM, ARGVMENTVM.

*Pontificalia indumenta & ornatus Aaron ſacerdotis & filiorum eius.*

CAPVT XXVIII.

E *APplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſraël,* Lectio.1.
*vt ſacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadad & Abiu, Eleazar, & Ithamar. Faciéſ-*
*que veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis ſapien*
*tibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctifi-*
*catus miniſtret mihi. Hæc autem erunt veſtimenta quæ faciant. Rationale & ſuperhu-*
*merale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim & baltheum. Facient veſtimenta ſancta fra-*
*tri tuo Aaron, & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. Accipientque aurum & hya-*
*cinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum.*

RVPERTVS. Venimus ad ſacerdotalia veſtimenta, quę & primùm dante domino more Iudaico ſim- Lectio.2.
pliciter exponenda ſunt, & deinde ſingillatim myſtica ſcrutanda eſt intelligentia. Porrò non eodem ordine hîc
deſcripta ſunt, quo in veſtiendo ſacerdote ſumuntur. Nam fœminalia linea, quibus operitur primùm carnis tur-
pitudo, poſtremò in hac deſcriptione poſita ſunt, & è conrario rationale, quo præter laminam auream in pon-
tificis fronte ligandam, nihil ſanctius erat in veſtibus, primùm deſignatum eſt, cùm dicitur, Hæc autem erunt
F veſtimenta quæ facient. Rationale, & cætera. BEDA. Deſcripta igitur factura tabernaculi, conſequen- Cap.2.
ter ſacerdotes qui in eo miniſtrent ordinantur. Sic igitur præcipit deus: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum*
*cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.* CAIETA-
NVS. Ordo præpoſterus. Priùs enim faciẽdæ ſunt veſtes, & deinde appropinquabunt Aaron & filij ad Moyſen
vt veſtiantur & cõſecrentur. AVCTOR CATENAE. Applica quoque, ſiue accedere, ſeu appropin
quare fac, Eſt enim הַקְרֵב Hakreb, Imperatiuum in Hiphil. Dimiſit autem conſultò Interpres, poſt dictiones E-
leazar & Ithamar, hæc verba quæ ſunt in Hebræo, בְּנֵי אַהֲרֹן Bene Aharon, Filij Aaron. Nam ſufficere putauit
quod dixerat, cum filiis ſuis. Quid eſt autem dicere, applica ad te Aaron fratrem tuum, & cætera, niſi quòd ne-
mo ſibi ſacerdotium ambire debet, ſed qui vocatur à deo ſicut Aaron cum filiis ſuis, is dignus habebitur filio-
rum dei præfectus, curator & paſtor? Quod autem impij quandoque, rebelles & ſeditioſi ad ſacerdotium aſſu-
mantur, hoc ex diuina permiſsione propter populi peccata fit. Ob quam rem ne cùm fieri videas in Eccleſia ſcã-
dalizeris, dominus ipſe & ſaluator noſter ſummi patris ſapientia, Iudam præuaricatorem in Apoſtolum elegit,
& hîc

& hîc Nadab & Abiu ad ſacerdotium applicantur,quo tandem abuſi, duriſsimè dignèque puniti ſunt iuſto dei iudicio,igne abſumpti cum reliquis ſuis complicibus. *Faciéſque veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.*

Veſtem ſanctam vel ſanctitatis,pro veſtes ſanctas.Eſt enim Hebraicè בִּגְדֵי Bigde. Sic etiam legunt Septuaginta & Chaldaica.Vnde Latina editio ſingulare poſuit pro plurali.In gloriam & decorem,id eſt,ad ornamentũ, aut,quibus ornabitur.Aaron & filij ſui rudi populo in honorabilibus veſtibus in gloriam & decorem ſummi dei ſtatuuntur,ac ad diuini cultus celebritatem & admirationem, quo diſcant qui in Eccleſia præſunt, maturo inceſſu, & veſtitu coram Eccleſia vti, eorum ſtatui conuenienti. Veſtibus enim pro hominum more honor datur. Virtuti ergo veſtitus nonnihil adſtipuletur,vt auctoritatis coram populo ratio idonea habeatur,cõuerſatio quoque ſancta, & eruditio doctrinæ ſacræ adſtipuletur.Non ridiculo prodeant ſacerdotes veſtitu, & prorſus ſordido, ſed nec notabili nimis.Verùm quid de illis Iudaicis olim veſtibus Moyſes ſcripſerit, videamus. *Et loqueris* (inquit)*cunctis ſapientibus corde,quos repleui ſpiritu prudentiæ,vt faciant veſtes Aaron,in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.* AV-
*Quæſt.114.* GVSTINVS. Alia litera habet,Et tu loqueris omnibus ſapiẽtibus mente,quos repleui ſpiritu intellectus,διάνοιας quidem Græcus habet,quem Latinè ſenſum,non intellectum dicere ſolemus. Sed ſcriptura de ſenſu interiore quem intellectum vocamus,ſic loqui ſolet,ſicuti eſt ad Hebræos, Perfectorum eſt autem ſolidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent ſenſus,ad diſcernẽdum bonum & malum.Ibi enim quod poſuit ſenſus,Græcus habet διανοίας. Quem ergo iſtum ſpiritum,niſi ſpiritum ſanctum debemus accipere? AVCTOR CATENAE. Et loqueris cunctis ſapientibus corde.Hebraiſmus,pro, peritis artificibus. Quos repleui ſpiritu prudentiæ,pro ſapientiæ. חָכְמָה Chochma enim ſapientiam ſignificat, ſed frequenter vnum pro altero vſurpatur. Quidam etiam relatiuum אֲשֶׁר Aſer,ad cor referunt,vt legant,Quod repleui ſpiritu ſapientiæ.Sed hæc minima ſunt. In quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Hebraica ſunt, לְקַדְּשׁוֹ לְכַהֲנוֹ לִי Lekaddeſo lechahano li,Vt ſanctificaretur ad miniſtrandum mihi.Sic habet & Chaldaica. Vel ad ſanctificandum eum vt miniſtret mihi, id eſt, ad ſeparandum & dedicandum eum,vt agat ſacerdotium coram me. Septuaginta, εἰς τὸ ἅγιον ἐμοὶ ἱερατεύσῃ μοι, I Ad ſanctuarium, in qua (ſubaudi veſte, pro veſtibus) ſacerdotio fungetur mihi. Sed hæc in nullo diſcrepant à ſenſu latinæ editionis.Quia igitur non neglecta opera conficienda erant ſacerdotalia indumenta,ideo iubet eligere ex omni populo prudentiores ad artificium faberrimè perficiendum, vt etiam ingenium artis mechanicæ, donum dei eſſe nemo ignoret, nullus verò abuti eo velit ad promouendum vanitates & ſuperbiam. Et ſacræ hæ veſtes, non ad hominum eis vtentium faſtum adhibebantur, ſed vt fungerentur ad plebem ſacerdotio illuſtri ad gloriam dei. *Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient, Rationale & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & baltheum.* HIERONYMVS AD MARCELLAM. Vbicunque in Septuaginta Interpretibus,hoc eſt,in codicibus noſtris,ἐπωμὶς,id eſt,ſuperhumerale legitur,in Hebræo ſcriptum eſt ephod.Quod quare alibi interpretari voluerint, & alibi ininterpretatum reliquerint,non eſt mei iudicij, cũ hoc ipſum in pluribus fecerint, vt quæ alibi aliter atque aliter expreſſerant, nouiſsimæ tranſlationis varietate laſſati, ipſa Hebræa verba poſuerint.Aquila autem id quod illi ἱμάτιον dixerunt, ἐπίφαμμα & ἐπένδυμα dixit,quod ſcilicet tunica eſt,& quod He- K
braeo ſermone vocatur מְעִיל Mehil,ſuperiorẽ tunicam:ἔνδυμα verò,id eſt,ἐνωμὶς quod Hebraicè dicitur ephod,
*Vbi ſuprà.* cùm ſuperiùs pallium ſignificet,quo tota ſacerdotalis protegatur ambitio. AVGVSTINVS. Secundum aliam literam habetur, Et ſtolas quas facient, pectoralem, humeralem, & tunicam talarem, & tunicam cũ cornibus.Has appellatas ſtolas eſſe,& cætera,cùm ſuperiùs vnam ſtolam faciendam propoſuiſſet,notandum eſt. Tunicam verò cum cornibus,honeſtiùs putarunt Latini Interpretes dici,quàm ſi dicerent cum cirris, quibene
*Cap.3.* diſpoſiti, ornamento eſſe veſtibus ſolent. BEDA. Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient, Rationale & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & baltheum. Quomodo hæc ſingula facta ſint,plenius in ſequentibus explicatur. Rationale autem pectoris habitus, ſuperhumerale eſt humerorum, tunica & linea ſtricta, id eſt, camiſia, totum corpus operiunt, cidaris caput ornat, baltheus vtramque tunicam ſimul & ſuperhumerale arctius ad corpus aptat. Quibus ſex indumentis inferiùs ſeptimum iungitur & octauum, fœminalia videlicet linea, ad cooperiendum carnem turpitudinis, & lamina aurea ſuper cidarim, quæ titulo nominis domini cæteris altior omnibus eminebat. Lineam autem ſtrictam dicit, quoniam adhærebat corpori, & ita arcta L
erat adſtrictis manicis, vt nulla ei omnino ruga ineſſet. Aſcendebat autem vſque ad crura,vnde & Græcè ποδήρης, id eſt,talaris vocabatur.His octo generibus veſtiũ pontifex tempore ſacrificij ſolebat indui.E quibus erãt quatuor & minoris ordinis ſacerdotibus conceſſa.Fœminalia videlicet, linea ſtricta, & baltheus, & cidaris. Decebat enim vt quo maiore quis gradu eſſet inſignis,eò pluribus & virtutum actibus admirãdis fulgeret. CAIETANVS. Iuxta Hebræum,loco rationalis,habetur pectorale.In iſtis autem ſex enumeratis ornamentis cõprehenduntur omnia ornamenta ſacerdotalia,ſiue Aaron,ſiue filiorũ eius,& propterea ſola hęc enumerantur. AVCTOR CATENAE. Dictiones Hebraicè,hîc poſitæ,videlicet, חֹשֶׁן Choſen,pectorale ſiue rationale, מְעִיל Mehil tunicam ſiue pallium vel interulam, כְּתֹנֶת Chethóneth quoq; tunicam ſimiliter ſignificãt, quam vltimã Interpres Latinus lineã nominauit,quia ex lino erat confecta.Pro quo ſciendum, quòd Hebraicè legitur תַּשְׁבֵּץ Vchthónet tasbez.Deſcendit autẽ dictio tasbez,à verbo ſabaz,quod arctare vel ſtringere ſignificat,ſcili- M
cet byſſo,vel ſerico,aut auro,ſicut polymitarij faciũt in capicio veſtimenti,ne facilè rumpatur, aut includere,ſcilicet auro vel argento,ſicut artifices faciũt,qui gẽmas auro vel argento includunt.Ideoq; doctus interpres à prima ſignificatione lineam ſtrictã vertit,ſicut & Septuaginta,necnon & Chaldaica habẽs,& tunicas ſtrictas.Alius autem à ſecunda vertit,Et tunica incluſos habens lapides,quòd Hebraicè diceretur, tunica incluſionis, hoc eſt, quæ fulgebat variis ornamentis,& præſertim incluſis lapidibus & margaritis,quos ſepiebãt roſulæ,ſpecula,& ornamenta ex aureis facta filis,& hæc interior erat veſtis,quam tegebat interula, alia veſtis linea,& hãc rurſus cingebat ephod,quod cinctorium quoddã erat,ſiue veſtis quædam extima breuiſsima,quæ manicis carebat,pectus ſub axillis ambiens,atque in duabus humeralibus hærens fimbriis, & quodam modo arctabat & conſtringebat laxitatem interiorum omniũ veſtium.Verùm quoniam verbum ſabaz in pihel haddaghus eſt facere opere phrygionico aliquid oculatim, quod vulgò (*Recamar ad occhi*) dicitur, ſicut cùm veſtis eſt plena oculis intextis, & ſi

Latinè



A Latinè dici fas eſſet,oculare, aut ocellare,vel oculeare diceretur. Hinc factũ, quòd nonnulli ex recẽtioribus viri docti,Tunicam ocellatã,id eſt,opere phrygionico quibuſdã veluti ocellis intextam verterũt.Sequitur cidarim. Hæc Hebraicè dicitur מִצְנֶפֶת Miznépheth, & verti etiã poteſt, pileus ſiue vitta,quæ capiti circumuoluitur.Quãuis alij galerum,alij tiaram reddant. *Faciẽt veſtimẽta ſancta Aaron fratri tuo,& filiis eius, vt ſacerdotio fungãtur mihi.* INTERLINEARIS. Aliter enim non debebant fungi. *Accipiéntque aurum & hyacinthum & purpuram,coccúmque bis tinctum, & byſſum.* CAIETANVS. Vniuerſa materia ornamentorum decernitur in his quinque, non quòd quodlibet ornamentũ conſtrueretur ex omnibus his, ſed quia nullum ornamentum erat, quòd nõ ex iſtorum aliquo, vel aliquibus,vel etiã omnibus conſtrueretur, vt patet in textu.Verùm circa aurũ aduerte, q̃ ſignificatur tã aurum in filis,quàm aurum in ſubſtantia ductili,concurrebant enim ad hæc ornamenta,& fili aurei opere textili,& anuli aurei opere ductili,& catenulæ,& cætera, vt patebit. AVCTOR CATENAE. Ad parãdas igi-
B tur has veſtes,neceſſaria erant aurũ,hyacinthus,purpura,coccus bis tinctus,hoc eſt,pretioſior & pulchrior,byſſus retorta,ſubtilis ſcilicet & fortis.Omnia hæc ingenioſo opere adaptari debebant & polymito.

BEDA. Applica quoq; ad te Aarõ fratrẽ tuũ,&c.Sacerdotũ ordinatio & habitus,rectè Eccleſię ſacerdotibus *Myſticè.*
cõgruit,ita vt omne quod illic in ornatu veſtiũ clarũ extrinſecus fulgebat,hoc intellectũ ſpiritualiter,in ipſis ſacerdotũ noſtrorũ mẽtibus altũ intus emineat,hoc in eorũ actibus præ cęteris fideliũ meritis,foris glorioſum clareſcat.Vnde aptè præcipitur Moyſi,vt applicet ad ſe Aaron fratrẽ ſuum cũ filiis de medio filiorũ Iſraël,ad fungẽdum ſacerdotio corã domino.Neceſſe eſt enim,vt quicunq; ad maiorẽ in ſancta Eccleſia gradũ promouẽdi ſunt, maiore mẽtis induſtria ſeſe ad legẽ dei applicẽt,id eſt,diuinorũ obſeruantiæ mandatorũ,ſolertiore præ cęteris animo copulẽtur.Hoc eſt enim eos qui ſacerdotio functuri ſunt,de medio filiorũ Iſraël ad Moyſen applicari,præſules ac doctores ſanctæ Eccleſiæ cõmunem vitã electorũ ſingulari mentis culmine trãſcendere, & familiari inſpectione quid lex generaliter oĩbus electis,quid verò paucis perfectioribꝰ ſpecialiter loquatur attẽdere,vt altiori
C excellentia meritorũ,ad altiora poſsint præmia peruenire. AMBROSIVS LIB. PRIMO EPISTOLARVM. *Epiſt.6. ad Irenæũ.*
Pythagoricũ mandatũ in aliquorũ ſcriptis prædicari inuenimus,quòd ille diſcipulos ſuos cõmunẽ atq; vſitatam populo prohibuerit ingredi viã.Sed hoc vnde aſſumpſerit nõ eſt incognitũ.Nã cũ ex populo Iudæorũ(vt pleriq; arbitrãtur)genus duxerit,ex eiꝰ diſciplina deriuauit etiã magiſterij præcepta,meritóq; magnus apud Philoſophos habitus,equalẽ(vt aiũt)vix reperit.Legerat itaq; in Exodo,Moyſi diuino præceptũ eſſe oraculo,Solue calciamẽtũ pedũ tuorũ.Id etiã præceptũ Ieſu Naue,videlicet,vt detritę & popularis vię deponerẽt puluerẽ,qui viã dñi ambulare deſiderarẽt. Legerat præceptũ eidẽ Moyſi,vt montẽ cũ ſacerdotibus aſcẽderet,populus autẽ deorſum ſtaret. Separauit igitur ſacerdotes à populo,& poſtea ipſum Moyſen introire intro nubẽ præcepit.Legerat itẽ in Exodo eidẽ Moyſi mandatũ,vt applicaret ad ſe Aaron fratrẽ ſuũ cum filiis ſuis de medio filiorũ Iſraël,vt ſacerdotio fungerentur corã eo.Vides diuiſiones?Nihil in ſacerdotibus plebeiũ requiri,nihil populare, nihil cõmune cum ſtudio atque vſu,& moribus incõditæ multitudinis.Sobriã à turbis grauitatẽ,ſeriam vitã,ſingulare põdus dignitas
D ſibi vendicat ſacerdotalis.Quomodo enim poteſt obſeruari à populo,qui nihil habet ſecretum à populo,diſpar à multitudine?Quid enim in te miretur,ſi ſua in te recognoſcat,ſi nihil in te aſpiciat,quod vltra ſe inueniat,ſi quę in ſe erubeſcit,in te quẽ reuerẽdũ arbitratur offendat? Superegrediamur igitur plebeias opiniones,& ſtrata quædam gregalis cõuerſationis ac detritæ viæ orbitas declinemus,ac vulgaris ſemitæ ſolũ,quã currit ille,cuius vita leuior curſore de quo dicitur,Trãſiuit, & nõ vidit, ſed quæramus nobis viã inacceſſam ſermonibus inſolentiũ, inuiã operibus imperitorũ,quã nullus maculoſus deterat,maculoſus ſcilicet ignauię ſuę ſordibꝰ,& fumo iniquitatis oblitus,tenebriſq; & parietinis quibuſdã animæ ruinoſus,qui nullã virtutis ſuauitatem guſtauerit,aut certè limis eã ſpectandã magis quã directo affectu, & aperto ſinu mẽtis ſuſcipiendã arbitratus ſit,& q̃ pleriq; amant, *Iob.6.*
qui ſibi faceti atque vrbani videtur,pulchritudinẽ ſapientiæ in dedecus verſutiæ trãsfigurantes, verã nõ intuens gratiã tanquã in nocte poſitus nõ credit in die viuẽtibus.Quia de numero Themanorũ & Sabæorum eſt deficiẽtium & auertentiũ ſe à veritate,de quibus dicit Iob,Videte vias Themanorũ,& ſemitas Sabæorũ,quia cõfuſionẽ
E incidẽt qui in ciuitatibus & diuitiis ſpẽ habẽt.Ita & vos inſurrexiſtis in me ſine miſericordia,vnde viſo vulnere *Iob.12.*
meo timete.Has igitur deuias ſemitas declinantiũ,& illũ deficiẽtium puluerẽ,qui propter ſuã appetentiã cecideruũt ſæpe in deſerto,derelinquamus.Cõuertamur autẽ, & ſequamur ſapiẽtiæ viã, quã nõ calcauerũt filij glorificãtiũ ſe & iactãtium,quã interitus ignorat,mors neſcit,quia deus direxit eã. Abyſſus dixit nõ eſt in me,mare dixit nõ eſt mecum.Sed ſi quæris viã ſapiẽtiæ & diſciplinæ,colere deum atq; ei ſubditũ eſſe,ſapiẽtia eſt: abſtinere autẽ à peccatis,diſciplina eſt.Quid igitur nobis cũ iſtius ſeculi via,in qua eſt tẽtatio,immò ipſa vita hoĩs tẽtatio eſt,& exilior quã ſermo fabularũ,habitare in luteis domibus,dies & noctes in lucris ponere,& de lucris ſemp cogitare, & ſicut mercenarius diurnã mercedẽ quærere,atq; vt cicadas aiunt,aura quadã paſci cupiditatũ?Verè ſicut cicadas,quia de die in diẽ viuunt, queſtúq; rũpuntur ſuo. Quid enim aliud ſunt homines nullius põderis,nullius diſciplinæ,niſi vt videãtur,niſi cicadę ad mortẽ nati diurnã,ſtrepẽtes magis quã loquentes? Qui ſub ardore feruẽtium cupiditatũ ſe mulceãt cantu ſibi noxio,ſtatimq; occidãt,nullum fructũ ferẽtes,nihil habẽtes gratiæ.Horum
F igitur viæ noxię tortuoſæq; ſerpẽtium,qui venenato lapſu corporis ſeſe trahunt,atq; in ſpirã nequitiæ ſeſe colligũt,& erigere nõ queũt ad cœleſtia.Ingrediamur autẽ portas domini,portas iuſtitiæ,quas iuſtus qui fuerit ingreſſus,confitetur domino.Sed hęc paucorũ ingreſſio.Vnde dñs ait,Quia anguſta porta,& arcta eſt via quæ ducit ad vitã,& pauci ſunt qui inueniũt eã. Lata aũt porta,& ſpacioſa via quã multi gradiũtur,ad mortẽ dirigit,& viatores ſuos eò ducit.Sit ergo via noſtra anguſtior, virtus exuberãtior, trames preſsior,fides ſublimior,callis arctior; *Eſa.51.*
vigor mẽtis exũdãs,ſemitę rectę,quia inflexibilia ſunt virtutũ veſtigia.Vnde Salomon,O qui dereliquerũt ſemitas rectas ſit greſſus ad ſuperiora,quia meliꝰ eſt aſcẽdere quã deſcẽdere.Deniq; ſicut lectũ eſt hodie,Vę iis qui deſcẽdũt in Aegyptũ.Nõ vtiq; trãſire in Aegyptũ,criminoſum eſt,ſed trãſire in mores Aegyptiorum, trãſire in eorũ perfidiã,eſcę cupiditatẽ,luxurię deformitatẽ,qui eò trãſit,deſcẽdit,qui deſcẽdit,cadit.Declinemꝰ itaq; Aegyptiũ, hoĩem,& nõ deũ,Vitiis enĩ ſuis etiã ipſe rex Aegyptiorũ in poteſtatẽ eſt datꝰ,cuius cõparatione Moyſes deꝰ exiſtimatꝰ eſt, imperãs regnis,ſubiiciẽs ſibi poteſtates. Vnde ei dictũ legimꝰ,Faciãte in deũ regi Pharaoni. CYRIL. Ve- *Exod.7.*

rùm dicamus & altiùs. Moyses ad se Aaronem fratrem applicat, quia lex quæ per Moysen significatur, infirma & atque imbecillis est sine Christo. Impossibile est enim sanguine taurorum & hircorũ auferri peccata. Christus autem pro peccatis veram affers hostiam, in perpetuum sanctificatos consummauit. BEDA. Quòd autẽ fratrem suũ Moyses cũ filiis in sacerdotiũ ordinare præcipitur, quid nobis aliud mysticè cõmendat, nisi quòd omnes qui officiũ doctoris sortiuntur, tãtò debẽt studio & amore meditationi diuinæ legis adhærere, vt quasi germana ei videantur cognatione cõiuncti? Neq; hoc quòd primi filiorũ Aaron, post orationẽ cum ignem alienum offerrẽt coram domino, igne cœlesti perierunt, à significatione miserabilis nostri tẽporis aberrat, vbi nonnulli sacerdotum ac doctorũ loco potiti (quod dictu quoque graue ac lugubre satis est) dum ignẽ cupiditatis igni supernæ dilectionis anteponunt, igne supernæ vltionis absumuntur. Quorũ perpetua damnatio, tẽporali est filiorum Aaron morte figurata. Quãuis excellentioris figura mysterij quomodo tabernaculum cũ ornatibus & vasis suis sanctam designant Ecclesiam, pulcherrima virtutum siue personarũ fidelium varietate distinctã, ita etiam summus eiusdem tabernaculi sacerdos, figuram tenet veri põtificis Iesu Christi, qui semetipsum obtulit oblationẽ & hostiam deo pro nobis in odorem suauitatis. Qui etiam iure potest frater Moysi vocari: quis enim amplius alteri fraterno est fœdere cõnexus, quàm Christus Moysi, legi gratia, nouum Testamentum veteri? cùm & ipse Moyses
*Deut.18.* tale deo testimoniũ reddat, dicens populo quẽ docebat, Prophetam de gẽte tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit dominus deus tuus, ipsum audies. Et paulò pòst ex persona domini, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorũ similem tui, & ponam verba mea in ore eius. Cuius operibus admirandis, quæ nemo alius fecit, rectè habitus Aaron mira varietate insignis cõparatur. Vel certè vestes Aaron multifariè, omnem electorũ cœtum in
*Gal.3.* varia personarũ meritorúmq; distantia, Christo adhęrentem designant, teste Apostolo, qui ait, Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christũ induistis. Cùm autẽ in persona Aaron dominũ saluatorẽ figuraliter insinuatũ accipimus, quid filios Aaron, qui & ipsi in sacerdotium vncti sunt, nisi Apostolos Christi, Apostolorúmq; successores, & cunctos fideliũ magistros significare dicamus? Hæc quidẽ ita principaliter de domino possunt accipi, sed nos magis in eis quæ ad significantiam nostræ in domino piæ cõuersationis pertineant, quæq; ad correctionem nostrorum respiciant morũ, decet intueri. Sequitur, Faciésque vestẽ sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorẽ, & loqueris cunctis sapientibus corde quos repleui spiritu prudentiæ, vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. Vestes sanctæ Aaron quas illi Moyses fecit, opera sunt iustitiæ & sanctitatis, quæ scriptura sacræ legis doctoribus habenda cõmendat, quorúmque in his qui præcessere in Christo, exempla quæ imitentur ostẽdit. Sapientes autem corde, quos ad faciendas easdem vestes deus spiritu prudentiæ repleuit, ipsi sunt Prophetæ & Apostoli, cæteríq; doctores veritatis, qui nobis apertissimè quomodo viuere sacerdotes, & ministri altaris, qualiter docere debeant, siue exemplo suæ actionis, seu verbo exhortationis ostendũt. De quibus est illud
*Tit.1.* Apostoli ad Titum, Oportet enim Episcopum sine crimine esse, vt dei dispensatorem, non superbum, non iracũdum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem. Cuncta autem quæ fiunt sacerdoti indumenta, de auro preciosisque coloribus fiunt, quia nihil vile ac sordidum in sacerdotis ore vel opere debet apparere, sed cuncta quæ agit, vniuersa quæ loquitur, omnia quæ cogitat, & coram hominibus præclara, & in conspectu interni arbitri oportet esse glorioſa.

2 *FAciẽt autẽ superhumerale de auro & hyacintho ac purpura, coccóque bis tincto, & byssо retorta, opere polymito. Duas oras iunctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant. Ipsa quoque textura & cuncta operis uarietas erit ex auro & hyacintho ac purpura, coccóque bis tincto, & byssо retorta. Sumésque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël, sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum opere sculptoris, & cælatura gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israël, inclusos auro atque circundatos, & pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israël. Portabítque Aaron nomina eorum coram domino super utrumque humerum ob recordationem. Facies & uncinos ex auro, & duas catenulas auri purissimi sibi inuicem cohærentes, quas inseres uncinis.*

2 AVCTOR CATENAE. Imprimis superhumerale describitur, Ephod Hebræis dictũ. Vestis erat ex humeris pendens, vsque vltra cingulum, sine manicis, ante & retro contexta miro artificio & ornatu, ex aureis filis, cũ subtegmine trium colorum, hyacinthino, coccineo, & purpureo, cúmque stamine byssino. De qua sic dicitur: *Facient autem superhumerale de auro & hyacintho ac purpura coccóque bis tincto, & byssо retorta, opere polymito.* HIERONYMVS
*De vestibus sacerdotũ.* AD FABIOLAM. Hoc vestimentum Hebraica lingua dicitur אפד Ephod, Septuaginta ἐπωμίδα, id est, superhumerale appellant. Aquila ἐπίζαμμα, nos Ephod suo ponimus nomine. Hoc autem esse pontificis vestimentum omnis scriptura testatur, & sacrum quiddam esse, & solis conueniens pontificibus. Nec statim illud occurrat, quòd Samuel qui Leuita fuit, scribitur in Regnorũ primo libro, habuisse ætatis adhuc paruulæ Ephod bad, id est, superhumerale lineum, cùm Dauid quoque ante arcam domini idem portasse referatur. Aliud est enim ex quatuor supradictis coloribus, id est, hyacintho, byssо, cocco, purpura, & ex auro habere contextum, aliud in similitudinem sacerdotum simplex & lineum. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER
*Quæst.41.* IVDICVM. Quæri solet quid sit Ephud, vel Ephod, seu Ephot. Quod quidem si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, vel potiùs superindumentum, quod ἐπενδύτης Græcè dicitur, vel ἐπωμὶς quod magis superhumerale interpretari Latinè potest, meritò mouet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est, Et factum est pondus inaurium aurearum quas petierat sibi mille septingenti auri sicli, præter brachialia, & torques, & operimenta purpurea quæ erant super reges Madian, præter torques quæ erant in ceruicibus camelorum ipsorum, & fecit illud Gedeon in Ephud, & statuit illud in ciuitate sua in Ephra, & fornicatus est omnis Israël post illud ibi, & factum est Gedeon & domui eius in scandalum. Quomodo ergo ista vestis de tanto auro fieri potuit? Nam & mater Samuelis fecit filio suo, sicut legimus, Ephud bad, quod



A quod nonnulli interpretati sunt Ephud lineum, quando eum dedit domino in templo nutriendum. Vbi euidentiùs apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est, statuit illud in ciuitate sua, vt hinc intelligeretur aureum fuisse factum? Non enim dictum est, posuit, sed statuit, quoniam ita erat solidum & validum vt statui posset, hoc est, positum stare. Hoc ergo illicitũ cùm fecisset Gedeon, fornicatus est post illud omnis Israël, id est, sequendo illud contra legem dei. Vbi non frustra quæritur, cùm idolum non fuerit, id est, cuiusquam dei falsi & alieni simulachrum, sed Ephud, id est, vnum de sacramentis tabernaculi quod ad vestem sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quod præter tabernaculum dei vbi erant ista quæ sibi fieri iusserat deus Israël, extra simile aliquid fieri phas non erat. Ideo sequitur & dicit scriptura, Et factum est Gedeon & domui eius in scandalum, id est, vt ab offenso deo discederet, quia & hoc quoddam genus idoli quodãmodo erat, quod extra dei tabernaculum, quodlibet manu factum
B pro deo coleretur, cùm illa ipsa quæ iussa sunt in tabernaculo fieri, ad dei potiùs cultum referrentur, quàm pro deo aliquid eorum, aut pro dei simulachro colendum haberetur. Quanquam per Ephud vel Ephod, ea locutione quæ significat à parte totum, omnia possunt intelligi quæ constituit Gedeon in sua ciuitate veluti ad colendum deum similia tabernaculo dei: & propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe scriptura commemorat, vt hoc sit peccatum Gedeon, quod extra dei tabernaculum fecerit aliquid simile, vbi coleretur deus, non quòd solido auro velut ad adorandũ constituerit Ephud, sed quod essent ex auro ipso, quòd etiam ex præda fecerit ea quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta sacrarij, quæ omnia per Ephud significata sunt propter excellentiam, vt dixi, vestis sacerdotalis. Nam & ipsum Ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sacerdotalis vestis, veruntamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco, & byssо vt fieret, diuinitùs imperatum est, sed quia hoc ita posuerunt Septuaginta Interpretes, vt cõmemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent, & fecit illud Ge-
C deon in Ephud, videtur ita dictum, tanquam ex toto illo quod commemoratum est hoc factum esse credatur, cùm possit etiam illic intelligi locutio quæ significat à toto partem, vt quod dictum est, fecit illud in Ephud, intelligatur, fecit inde Ephud, vel fecit ex eo Ephud, non secundum illud totum consumens in Ephud, sed ex illo quantum sufficiebat impendens. Nam in illa interpretatione, quæ ex Hebræo est, sic legitur, Fecítque ex eo Gedeon in Ephod. Quod enim apud Septuaginta scriptum est Ephud, hoc in Hebræo perhibetur dici Ephod. Non autẽ omnes sacerdotes tali vtebantur superhumerali quod esset ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco, & byssо, sed solus summus sacerdos. Vnde illud quod de Samuele commemorauimus factum illi ab eius matre, non erat vtique tale, quoniam cùm datus est nutriendus, non erat summus sacerdos vtique puer. Vnde vt dictũ est, Ephud bar appellabatur, vel potiùs Ephud bat, sicut asserunt qui Hebræam linguam nouerũt, quod interpretatur Ephud lineum. Sed Gedeon existimo illud fecisse quod erat præcipuum summi sacerdotis indumentũ atque ornamentum, per quod & cætera significata sunt opera sacrarij, quod in sua ciuitate præter dei tabernaculũ
D constituerat, & propter hoc peccatum factum & illi & domui eius in scandalum, vt sic interiret, quod postea scriptura narrat, tãta eius numerositas filiorum. CAIETANVS. Ornamentum istud erat in forma loricæ tegentis ante & retro corpus, ab humeris vsque ad vmbilicũ, vel circa, ex parte anteriori, & æqualiter ex parte posteriori, quia baltheo cingebatur vt patebit. Et opere polymitario textum erat, ex filis aureis, laneis vel sericis diuersi coloris, & lineis: nec erat pars posterior consuta cum parte anteriore, sed quælibet pars habebat extremitatem suam, tam in humeris quàm in lateribus. AVCTOR CATENAE. Opere polymito. Hebraicè est, מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב Mahase choseb, Opere ingenioſi artificis, siue textura peritissimi artificis. Vertunt alij, Opere Phrygionico, Alij, Opere textorio polymito. Verùm si πολυμίτῳ legas, ingenioso & artificioso dicere poteris: si autem πολυμίτῳ, ex multis & variis filis contexto. Cui sensui magis fauent Septuaginta legentes, ἔργον ὑφαντὸν ποικίλτου, Opus contextum variegatoriè. Chaldaica habet, Opere artificis. Sed & de dictione chosеb, satis dictum in superioribus. Hebræis autem Ephod est cinctorium seu pallium: אָפַד Aphad enim, cingere aut cõstringere significat,
E & hinc dictum est superhumerale, eo quòd constringeretur cum rationali. Nec vnum tãtùm Ephod genus fuit. Alterum enim erat Ephod generale, quod vocarunt lineum, quo in faciendis sacris non solùm sacerdotes & Leuitæ, verùm etiã qui de aliis tribubus erant vtebãtur. De sacerdotibus scribitur primo Regum vigesimosecũdo, Trucidauit in die illa octoginta quinque viros portãtes Ephod lineũ. De Samuele qui erat Leuita, habes primo Regum secũdo, Samuel administrabat ante faciem domini puer accinctus Ephod lineo. De Dauide autem, qui erat de tribu Iuda, scribitur secundo Regum sexto, Dauid saltabat totis viribus ante dominum, & accinctus erat Ephod lineo. Nam de hoc generali Ephod sentiunt scriptores tam Hebræi quàm Latini, quòd fuerit simplex, lineum, & toto cãdore purissimum. Alterum Ephod fuit personale, quod contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byssо retorta, soli summo sacerdoti in sacris faciendis gestare licuit. Et huius Ephod textura in hoc loco describitur. Primùm igitur ad conficiẽdum hoc summum & pontificale Ephod, materia pretiosissima sumitur, Faciẽt (inquit) Ephod de auro, hyacintho, purpura, coccóq; bis tincto, & byssо retorta. Deinde ita
F conficitur, vt ab humeris quidẽ pẽdeat, sed humeris in vtroque latere connectatur, quo corpori firmiter incũbat, ac quodãmodo corpus cõstringat, & propterea adiũgit: *Duas oras iũctas habebit in vtroq; latere summitatũ, vt in vnũ redeãt. Ipsa quoq; textura & cũcta operis varietas, erit ex auro & hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto, & byssо retorta.* HIERONYMVS. Auri (inquit) lamine, id est, bracteę mira tenuitate tendãtur, ex quibus facta fila torqueãtur, cũ subtegmine triũ colorũ, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino, & efficiatur palliolũ miræ pulchritudinis, perstringẽs fulgore oculos in modũ caracallarum, sed absq; cucullis. Cõtra pectus nihil contextũ erit, & locus futuro rationali derelinquetur. BEDA. De hoc in sequentibus ita dicitur, Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho & purpura. Et paulò pòst, Duásq; oras inuicẽ copulatas in vtroq; latere summitatũ. Ex quo verisimile videtur, quòd plicata veste coniũctę sibi fuerint oræ vtriusq; partis in vtroq; latere, à sursum vsq; deorsum, ita vt dimidiũ vestis intuentiũ oculis foris appareret, dimidium verò aliud interius lateret, sed oræ vtrorumq; coniũctæ vsque ad extremos angulos, ad inferiora descẽderẽt. CAIETANVS. Duas oras iũctas, &c. Iuxta Hebrę ũ habetur, Duę orę

in humero iunctæ erunt ſibi ad duas extremitates, & coniungetur. Ecce quòd partes anterior & poſterior habent proprias oras in ſummitatibus, quibus iungendæ ſunt tam in dextro quàm in ſiniſtro humero, & ſic non ſuendo coniungetur veſtis iſta. Ipsáque (ait) textura & cuncta operis varietas. Iuxta Hebræum, Et artificium accommodationis eius quod ſuper ipſum, ſicut opus ipſius ex ipſo, erit ex auro & hyacintho ac purpura coccóque bis tincto, & byſſo retorta. Dictio interpretata, accommodationis, non ad proprietatem nominis explicandam, ſed ad prope accedendum interpretata ſic eſt. Intelligimus enim deſcribi texturam quandam ſuper hanc veſtem circumcirca firmiorem, ad hoc vt veſtis iſta accommodetur corpori per annulos, palas & catenas. Et hæc textura ſuper extrema circumcirca, non adiicienda veſti, ſed ex ipſa veſte fieri & eſſe præcipitur, & ex eadem materia quinque filorum, & eodem polymitario opere. AVCTOR CATENAE. Ad Hebraicã literã ſic habetur locus iſte, שְׁתֵּי כִתְפֹת חִבֻּרֹת יִהְיֶה לֹו אֶל שְׁנֵי קְצוֹתָיו וְחֻבָּר Sette chethephoth chóbroth íhie lo el ſene chezothaf vechubbar, id eſt, Duæ oræ iunctæ erũt ei ad duas extremitates eius, ſiue in duabus extremitatib⁹ eius, & iungetur. Vertũt alij, Duo latera coniũcta erunt illi in extremitatibus eius, & ita cõiungetur, ſubaudi, ſuperhumerale. Et hi optimè dicũt. Verbũ enim חֻבָּר Cubbar hîc poſitũ, præteritum paſsiuũ eſt in pihel tertiæ perſonę ſingularis numeri, quod propter literam vau tranſit in futurum. Nonnulli, Duæ oræ iunctæ erunt ei ad duas extremitates eius, & coniungentur. Alij, Duo humeri ſibi cohærentes erunt, ádque duas extremitates committentur. Quibus & alij conueniunt, legentes, Duo humeri coniuncti illi erunt in duabus illius extremitatibus, atque copulati. Septuaginta, Δύο ἐπωμίδες ἔσονται αὐτῷ συνέχουσαι ἑτέρα πρὸς ἑτέραν, ἐπὶ τοῖς δυσὶ μέρεσιν ἡρμοσμένα, hoc eſt, duo ſuperhumeralia erunt illi, continentia alterum alterum, in duabus partibus ſuſpenſa. Credimus autem etiam eos duo ſuperhumeralia appellare duas illas oras Ephod ſuper vnoquoque humero conſiſtentis, quas inuicem copulari vult in extremitatibus. Chaldaica etiam, Duo humeruli coniuncti erunt ei, in duobus lateribus eius coniungentur. Dictio autem chateph, ſiue cheteph, & pro ora veſtimenti, latere, ſeu parte, & pro humerulis alicuius baſis ponitur, & hinc in tranſlationibus varietas orta eſt. Cùm itaque duæ ſint lecturæ, vtrique earum Latina editio accommodari poteſt. Videlicet, quòd oræ laterum ſuperhumeralis, iungerentur in lateribus ſacerdotis vncinis, & aureis anulis ſiue nodulis. Vel quòd extremitates Ephod necterentur ſuper vtroque humero hinc & inde vna ad alteram. Sic & quod ſequitur, Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas, &c. Hebraicè legitur וְחֶשֶׁב אֲפֻדָּתוֹ אֲשֶׁר עָלָיו כְּמַעֲשֵׂהוּ מִמֶּנּוּ יִהְיֶה Vecheſeb aphuddatho aſer halaf chemahaséhu miménnu ihie, id eſt, Et textura ſiue artificium ipſius ſuperhumeralis quæ ſuper ipſum, ſicut opus eius ex ipſo erit. Hoc eſt, frigia quæ circumcirca ſuperhumerale ambiunt, necnon cætera ornamenta ſuper ipſum confecta, & eodem opere, & ex eodem panno, ac materia eadem conficientur. Dictio enim Cheſeb, vt aliàs dictum eſt, ipſam ingenioſam & ſubtilem contexturam ſignificat, quam multis verbis Interpres noſter expreſsit. Vertunt alii, Artificium quoque cincturæ eius, quæ eſt in ſummitate eiuſdem, non diſsimile erit operi eius, ſed ex ipſo erit. Alii, Textura polymita lumbi eius, quæ eſt ſupernè in eo, ſit quemadmodum opus eius, quòd ex ipſo ſit. Quidam, Et Baltheus ſiue cingulum ſuperhumeralis eius, qui eſt ſuper illud, ſicut opus ipſius, ex ipſo erit. Cui lectioni fauet & Chaldaica, habens, Et baltheus ornatus eius qui eſt ſuper illud, ſicut opus eius, ex ipſo erit. Septuaginta verò, Καὶ τὸ ὕφασμα τοῦ ἐπωμίδος ὃ ἔσται ἐπ' αὐτῷ κατὰ τὸ ποίκιμα αὐτοῦ ἔσται, hoc eſt, Et cõtextus ſuperhumeralium quod eſt in ipſo, ſecundum factionem ex ipſo erit. Quæ ſi diligentiùs omnia conſiderata fuerint, nihil dicunt aliud, quàm quod Latinus vertit Interpres, nempe, quòd ſuperhumerale ſeu eius contextus atque varietas, necnon ornatus omnis deſuper appoſitus, quantùm ad ſuam materiam, ex panno de filis harum quinque ſpecierum contexto, videlicet auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta pulchra varietate diſtinctis, & intermixtis, conficiendus erat. *Sumésque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum.* Quod nos habemus, Iuxta ordinem natiuitatis eorum, & Chaldaica etiam ita habet, Hebraicè legitur כְּתוֹלְדֹתָם Chethóldotham, quod etiam, Iuxta generationes eorum reddi poteſt, in quòd verbum etiam Septuaginta conueniunt, dicentes, κατὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν, hoc eſt, Iuxta generationes eorum, תּוֹלָדָה Tholada enim vtrumque ſignificare poteſt. Sed hoc in loco vtrumque vnum & idem eſt. Et eſt ſenſus, quòd habita ratione natiuitatis & ætatis ſingulorum, inſculpat eorum nomina, vt videlicet maior natu ſit prior. Pro onychinis autem Hebræus habet שֹׁהַם Soham, quod etſi Septuaginta tranſtulerint ſmaragdum, alij tamen Interpretes, conſtanter tranſtulerunt onychen. Eſt autem Onyx gemma candorem habens vnguis humani ſimilitudine, vnde & nomen habet, ὄνυξ enim vnguem ſignificat. *Opere ſculptoris & cælatura geminarij. Sculpes eos nominibus filiorum Iſrael, incluſos auro, atque circundatos, & pones in vtroque latere ſuperhumeralis, memoriale filiis Iſrael. Portabítque Aaron nomina eorum coram domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem.* HIERONYMVS. In vtroque humero habebit (inquit) ſingulos lapides clauſos & aſtrictos auro, qui Hebraicè dicuntur Soham, ab Aquila & Symmacho, & Theodotione onychini, à Septuaginta ſmaragdi tranſferuntur: Ioſephus ſardonycas vocat, cum Hebræo Aquiláque conſentiens, vt vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret. Et in ſingulis (inquit) lapidibus ſena Patriarcharum nomina erũt, quibus Iſraëliticus populus diuiditur. In dextro humero maiores filij Iacob, in læuo minores ſcripti erũt, vt pontifex ingrediẽs ſancta ſanctorum, nomina populi pro quo rogaturus eſt dominum, portet in humeris. BEDA. Tres ob cauſas Aaron nomina Patriarcharum inter ſacrificia ſemper in humeris ſicut & in pectore portabat, videlicet vt ipſe fidem vitámque Patriarcharum meminiſſet imitari, vt duodecim tribuum quæ de his natæ ſunt, in orationibus & ſacrificiis memor exiſteret, vt idem populus ſcripta in veſte præſulis ſui patrum nomina videns, curaret ſedulò, ne ab illorum meritis deſciſcens, ad errorum contagia declinaret. CAIETANVS. Cùm mandat lapides includi atque circundari auro, de auro ductili intellige, quod vterque lapis habebat velut propriam domum auream ſub ſe & circa ſe, quemadmodum habent lapides pretioſi domos in anulis. Loca autem iſtorum lapidum definiuntur ſuper humeros in oris veſtis ſuperhumeralis, alter in dextro, alter in ſiniſtro humero. Et ſicut priùs geniti filij, erant priùs ſculpti, ita priùs nati erant in dextro. Cùm autem dicit memoriale filiis Iſraël, manifeſtatur officium lapidum eſſe ad memoriam filiorum Iſraël. Qualis autem memoria intelligatur ſubiungendo manifeſtat, dum dicit quòd Aaron portabit hæc nomina coram domino ad memoriam, non itaque ad memoriam gloriæ, ſed ad memoriã ſuffragij præſtãdi à pontifice apud dominum vniuerſo populo Iſraël, ſculpta erãt nomina filiorum Iſraël in his lapidibus geſtatis ſuper humeros pontificis, & propterea non ſunt ſculpta in eis nomina Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, & Iacob. Si enim de memoria gloriæ eſſet ſermo, Patriarcharum nomina fuiſſent ſculpẽda, ſed quia de memoria ſuffragij (quo Patriarchæ ſuperiores erãt) agitur, ideo nomina filiorum Iſraël in memoriam ſuffragij pro vniuerſis tribubus ſculpta ſunt. AVCTOR CATENAE. Opere ſculptoris. Hebraicè legitur מַעֲשֵׂה חָרָשׁ אֶבֶן Mahaſe charas ében, Opere artificis lapidum. Artificem autem lapidum, gemmarium appellat. Vertunt alij, Opere lapicidæ, ſiue gemmarij. Nonnulli, Opere artificis qui gemmas ſcalpit. Septuaginta, ἔργον λιθουργικῆς τέχνης, Opus lapicidariæ artis. Chaldaica, Opere artificis lapidis pretioſi. Quæ omnia vnum ſunt cum Latina litera. Et cælatura gemmarij ſculpes eos nominibus filiorum Iſraël. Iuxta Hebraicum legitur פִּתּוּחֵי חֹתָם תְּפַתַּח אֶת שְׁתֵּי הָאֲבָנִים עַל שְׁמֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Pittuche chotham tephattach eth ſette haabanim hal ſemoth bene Iſraël, Sculpturis ſigilli (id eſt, quibus vti ſolent in anulis) Sculpes duos, vel ambos lapides cum, ſiue in nominibus filiorum Iſraël, hoc eſt, curabis vt gemmarius ſculptura qua ſolet vti in anulis, ſculpat in illis lapillis nomina filiorum Iſraël. Alij, Et qui ſigilli cælaturas facit, ſiue, & ſigna cælat, ſculpes duos illos lapides nominibus, &c. Septuaginta, γλύμμα σφραγίδος διαγλύψεις τοὺς δύο λίθους ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, Sculptura ſigilli ſculpes duos lapides in nominibus filiorum Iſraël. Chaldaica, Scriptura diſtincta ſicut ſculptura quæ fit in anulis, ſculpes duos lapides per nomina filiorum Iſraël. Quæ omnia idem prorſus dicunt quod & Latina litera. Sequitur, Incluſos auro atque circundatos. Hebraicè eſt מְסִבֹּת מְשֻׁבְּצוֹת זָהָב תַּעֲשֶׂה אֹתָם Muſabboth misbezoth zahab tahaſe otham. Dictum eſt aliàs, verbum שָׁבַץ Sabaz, coarctare vel conſtringere ſignificare. Aquo venit dictio misbezoth, quæ ſunt capſelæ aureæ vel argenteæ, quibus lapides pretioſi includuntur. Vnde hîc quidam vertunt, Circundatos palis aureis facies eos (ſubaudi lapides duos) hoc eſt, conſtringes eos capſulis ſiue palis aureis, id eſt, curabis affigendas duas palas aureas pro locis gemmarũ. Alij, Et curabis vt circundentur atque includantur auro. Quidam, Curabíſque vt aureis ſpintribus circundati includantur. Demum nõnulli, Circũdatos & coarctatos, ſiue incluſos auro facies eos. Et ſic habet Chaldaica, quæ verba apud Septuaginta penitùs deficiunt. Sed cuncta hæc in nullo à Latinæ editionis ſenſu recedunt. Deinde quod ſequitur, Et pones in vtroque latere ſuperhumeralis memoriale filiis Iſraël, Hebraicè habetur, וְשַׂמְתָּ אֶת שְׁתֵּי הָאֲבָנִים עַל כִּתְפֹת הָאֵפֹד אַבְנֵי זִכָּרֹן לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל Veſamta eth ſette haabanim hal chithphoth haephod abne ziccaron libne Iſraël, Et pones ambos lapides illos in lateribus ſeu in humeris, vel in oris Ephod, lapides memoriæ filiis Iſraël, vel vt ſint lapides pro memoriali, ſiue, vt ſint gemmæ monumẽti pro filiis Iſraël. Chaldaica, Ponéſque duos lapides ſuper humerulos ſuperhumeralis, lapides memoriales filiis Iſraël. Sic ferè Septuaginta. Quorũ omnium vnus cum litera noſtra ſenſus eſt, quòd duæ gemmæ illæ poſitæ in humeris Ephod reuocabunt in memoriã Aaroni filios Iſraël. Sequitur enim, Portabítque Aaron nomina eorum corã domino ſuper vtrumque humerum ob recordationem. Sic & Chaldaica, Siue, in, vel ad memoriam, Vel pro memoriali, aut ad monumentum. Septuaginta, μνεμόσυνον περὶ αὐτῶν, Memoriale de ipſis. Dictio enim לְזִכָּרוֹן Leziccaron omnibus prædictis modis verti poteſt, & ſenſus vbique eſt idem. In vtroque igitur humero habere debebat pontifex ſingulas gemmas pretioſiſſimas & pulcherrimas, auro conſtrictas, Et in ſingulis lapidib⁹ iſtis ſena Patriarcharum nomina deſcripta geſtare, pro quorum peccatis libaturus erat domino ſacrificia. *Facies & vncinos ex auro, & duas catenulas auri puriſſimi ſibi inuicem cohærentes, quas inſeres vncinis.* AVGVSTINVS. Alia litera, Facies & Aſpidiſcas. Aſpidiſcas in veſte ſacerdotali quas dicat, vtrum ſcutulas, quæ à ſcuto Latinè appellantur, quia & Græci ſcutum ἀσπίδα appellãt: An verò Aſpidiſcas propter diligentem colligantiã dicit, ab aſpide ſerpente, ſicut etiam murenulæ appellãtur. BEDA. Facies & vncinos, &c. Vncinos quos dicit, in ſupremis erant angulis ſuperhumeralis fabrè affixi. Catenulæ autem quas iungit, non in ipſo ſuperhumerali, ſed potiùs in rationali, hoc eſt, in ſuperioribus eius angulis, per anulos aureos videntur fuiſſe adnexæ, vt cũ indueretur pontifex, catenulæ quæ de rationali pendebant, poſſent cum vncinis ſuperhumeralis annecti, quatenus vtraque ſibi mutuò firma poſitione cohærerent. Scriptum nanque eſt apertiùs in poſterioribus, Fecerunt in rationali & catenulas ſibi inuicem cohærentes de auro puriſſimo, & duos vncinos, totidémque anulos aureos. Porrò anulos poſuerunt in vtroque latere rationalis, è quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerunt vncinis, qui in ſuperhumeralis angulis eminebant. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facies palas aureas. Ad coniungendas oras ſuperhumeralis ſic textas, laminas aureas in ſimilitudinem palarum hinc & inde ſuper vtrumque humerum apponendas præcipit. Et erãt palæ iſtæ perforatæ, vt catenula aurea per foramina immitti poſſet, ita quòd nõ erant in ſimilitudinem exiguorum circulorum, quibus communiter vtimur iungendo extremitates veſtis, laqueolo per frequentes circulos immiſſo, ſed erant in ſimilitudinem palarum perforatarum ad maiorem decorem. Et ſine numero dicitur facies palas aureas, non quatuor aut ſex, vt intelligeremus tot palas fieri, quot opus erat, ſuper vtrumque humerum vtrinque. Et duas catenulas auri puriſsimi ſibi inuicem cohærentes quas inſeres vncinis. Hæc clauſula iuxta Hebræum ſic habetur. Et duas catenas auri mundi terminatas facies ipſas opus funis, & dabis catenas funis ſuper palas. Catenæ iſtæ loco laqueorum duæ fiunt, vt altera illaqueet partes ſuperhumeralis in altero humero, & altera in altero, & propterea forma earum eſt ad ſimilitudinem funis, & immittuntur ſuper palas per earum foramina illaqueando, & materia catenarum mundum aurum decernitur. Quòd autem dicitur terminatas, ſignificat quòd quælibet catena eſſet terminata quaſi aculeo idoneo, ad hoc vt per foramina palarum facilè & ſuauiter immitteretur illaqueando. Et ſic completum eſt opificium veſtis ſuperhumeralis ſecundũ ſeipſam. Dico autem ſecundum ſeipſam, quia relatiuè ad pectorale iudicij, deſunt ei quidam annuli & quædam palæ, de quibus inferiùs erit ſermo. AVCTOR CATENAE. Facies & vncinos ex auro. Sic & Chaldaica. Alij dictionem מִשְׁבְּצוֹת Misbezoth, de qua paulò ante mentio facta eſt, vertunt palas. Dicúntque, Facies itaque palas aureas. Hebraicè, incluſoria erant, quibus includebantur lapilli illi. Pala eſt enim pars anuli plana & latior, in qua gemma inſeritur, & etiam ſine lapide, dicta quòd ſit palàm. Eſt autem

secundum istos recapitulatio eorum lapidum, de quibus iam dixerat. Reddunt alij, Facies proinde fibulas au- G reas. Dicúntque fuisse duo ornamenta, ex quibus catenulæ aureæ propendebant. Nonnulli, Coarctaturas, siue texturas. Quidam, aurea spintra. Sequitur, Et duas catenulas auri purissimi sibi inuicem cohærentes: sic & Chaldaica. Et rectè quidem: nam dictio גבול Gebul, significat quando terminus vel finis alicuius rei, iungitur cum termino vel fine alterius, & maximè quando ambæ sunt similes. Quia etiam eadem dictio terminum vel confinium significat, vertunt aliqui, Definitæ magnitudinis. Vocat autem secundum hos catenas definitæ magnitudinis, breues. Alij finitimas. Quidam, Quæ terminentur. Et subaudiunt, ad pectorale. Septuaginta, καταμεμιγμένα ζῷ ἄνθεσιν, Commixtas in floribus. Desunt autem hîc aliquæ dictiones quæ habentur in Hebræo, Videlicet תַּעֲשֶׂה אֹתָם מַעֲשֵׂה עֲבֹתֹת Tahasse otham mahasse haboth. Dictio עֲבֹת Haboth, & in plurali Habothoth, secundum terminationem fœmininorum, ponitur quandoque pro funiculis, vel laqueis, seu vinculis sibi inuicem cohærentibus, ad similitudinem ramorum arboris condensæ se inuicem complectentium. Verti- H tur ergo locus hic, Facies eas opere cohærente. Reddunt alij, Et opere intorto. Quidam, Opere funis intricati, Siue, opere intricato facies eas. Nonnulli, Opere plectili, id est, se inuicem complectentes. Demum quidam, Et in extremitatibus opere complicato facies. Chaldaica, Facies eas opere fimbriarum. Septuaginta, ἔργον πλοκῆς, opus cõtexturæ. Quæ omnia idem dicũt. Sequitur, Quas inseres vncinis. Hebraicè est, וְנָתַתָּה אֶת שַׁרְשֹׁרֹת הָעֲבֹתֹת עַל הַמִּשְׁבְּצֹת Venathatta eth sarseroth hahabothoth hal hamisbezoth, Et pones, seu dabis catenulas illas intortas palis illis, seu super palas illas. Alij, Et adhibebis catenulas illas intricatas, ad fibulas incluſas. Quidam vertunt, Et pones catenas plectiles in palis. Nonnulli, Et inseres catenulas istas aureas complicatas spinturibus fibulatis. Chaldaica, Et pones catenulas fimbriatas super vncinos, Quas tamen Septuaginta cohærẽtes dixerunt. Quod non est aliud nisi quod tribus verbis Latinus Interpres expressit, Quas inseres vncinis. In tanta ergo varietate iste sit sensus, quòd duorum lapidum constrictura aurea, duos anulos continebat, quorum vnus erat versus pectus, & anterior, alter posterior, & contra dorsum inclinãs. Ex anterioribus autem anulis, ex humerorum gemmis auI ro inclusis pendentibus, dependere debebant catenulæ duæ aureæ circulis inuicem insertis super pectus. Similiter & versus dorsum, aliæ duæ catenulæ ex alteris anulis. A prioribus autem catenulis pendere habebat rationale vel pectorale iudicij, de quo consequenter dicetur.

*Mystice.* HIERONYMVS. Dicamus priùs quod ab Hebræis accepimus, & iuxta morem nostrum, spiritualis postea intelligentiæ vela pandamus. Quatuor colores ad quatuor elementa referuntur, ex quibus vniuersa subsistunt. Byssus terræ deputatur, quia ex terra gignitur. Purpura mari, quia ex eius cochleolis tingitur. Hyacinthus aëri propter coloris similitudinem. Coccus igni & ætheri, qui Hebraicè שָׁנִי Sen appellatur, quòd Aquila διάφωνον, Symmachus διάφανον interpretatus est. Pro cocco iuxta Latinum eloquium, apud Hebræos תּוֹלַעַת Tholahath, id est, vermiculus scribitur, & iustum esse commemorant, vt pontifex creatoris, non solùm pro Israël, sed & pro vniuerso mundo roget, siquidem ex terra, & aqua, & aëre, & igne, mundus iste consistit, & hæc elemẽta sunt omnium. Quod autem supradicti colores auro intexti sunt, id significari volunt, quòd vitalis calor, & diuini sen- K sus prouidentia, vniuersa penetret. Superhumerale autem ipsum, & duos lapides, vel smaragdinos, vel onychinos, qui desuper sunt, & vtrumque humerum tegunt, duo hemisphæria interpretantur, quorum aliud super terram, aliud sub terra sit, siue solem & Lunam, quæ desuper rutilant. RVPERTVS. Et Hebræi quidem, non tam dei quàm suo spiritu vel ingenio legisperiti, & cœlestia nescientes, quorum secundum exemplar, etiam hæc fieri iussa sunt, sicut totiens dominus repetens, Facies (inquit) iuxta exemplum quod tibi in monte monstratum est, talem de superhumerali pontificis rationem ediderunt. Nos autem qui prædicta cœlestia, & fide credimus, & scientia iam ex parte nouimus, hæc eadem altiùs interpretamur. Vnum pontificem magnum Iesum Christum, Põtificẽm cœlestem & verum intueamur, cuius in habitu cœlesti, hæc esse completa non dubitamus, quem & imitari oporteat nos, vt simus regale sacerdotium, & gens sancta. Superhumerale igitur huius sacerdotis magni obedientia charitatis est, qua idem Christus filius dei portãdis, imò tollendis peccatis nostris, humeros suos supposuit, & cùm illis in crucem ascendit. Nam dominus (inquit Propheta) posuit in eo iniquitates omnium no- L strum. *Esa.53.* Et bene ex quatuor coloribus supradictis, qui quatuor respondent elementis mundi, auro quoque intextũ *1.Ioan.2.* superhumerale fieri debuit, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tãtùm, sed etiam pro totius mundi, non coacta, sed spontanea charitate, quæ cæteris virtutibus ita præminet, vt cæteris metallis aurum præpollet. Duæ ore iunctæ, & in singulis humerum singuli lapides onychini, nominibus duodecim filiorum Israël inscripti, duo sunt populi, temporibus quidem disiuncti, sed causa, vel sacramento coniũcti, quorum Christus peccata in corpore suo pertulit. Neuter quippe aliter, nisi per Christi gratiam saluari potuit, & vterque vno eodémque peccatorum portitore Christo indiguit. Et rectè lapides onychini, quæ species gemmæ siue lapidis, colorem habet vnguis humani, Vnde & vocabulum sortitum est (Græci nanque vnguem onychen dicunt) rectè (inquam) quia pro hominibus deus homo factus est, peccatorũ superhumerali oneratus est. Lapides eiusmo- M di nominibus filiorum Israël, id est, electorum omnium inscripti sunt, ipse enim cunctos nouit ex nomine, quorum super se peccata tulit. Vnde & appropinquans articulo passionis, Ego (inquit) scio quos elegerim. Iuxta ordinem (inquit) natiuitatis eorum, sculpes eos. Ergo cũcti maiores in vno, cũcti minores natu scripti sunt in lapide altero. Maiores filij Israël sunt, qui ante minores qui post aduentum humerosi huius portatoris peccatorum conscripti sunt. Maiores (inquam) qui ex Iudæis, minores qui ex gentibus sunt. Nam de illo populo loquitur deus ad *Exod.4.* Pharaonẽ, Filius primogenitus meus Israël. PROSPER. Vel superhumerale, principatum eius ostendit, de *Parte 2.* *Cap.3.* quo dicit Esaias, Datus est nobis filius, & factus est principatus super humeros eius. Duo lapides in humeris, duo *Ioan.13.* præcepta sunt dilectionis dei & proximi, quibus duodecim tribuũ sculpta nomina cõtinentur, duodecim discipulos in hoc numero iã designãtes, quos noster sacerdos in humeris perfecta dilectione portauit. Cũ enim dile- *Gal.5.* xisset (ait Euangelista Ioannes) suos qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos. Ex his catenulæ portantes vmbones, fructus sunt spiritus, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, con- *Cap.4.* tinentia. BEDA. Dicamus & aliter, quod & ipsum ad Ecclesiæ militãtis non modicã spectet ædificationẽ.

Quoniam



A Quoniam in humeris onera portare solemus, quid per superhumerale pontificis, nisi labores bonorum operum, quæ iugiter coram domino ferre debet quilibet, qui ad sacerdotij ministerium assumitur, ostenduntur? Et aptè primò de superhumerali faciendo præcipitur, quia quisquis ad sacerdotium magisteriúmque populi dei promouendus est, primùm eius debent opera cognosci, vt dum hoc quod foras omnibus patet, irreprehensibile apparuerit, conueniẽter ex tempore etiam integritas cordis eius, & fidei synceritas scrutetur. Superhumerale ergo, quod in humeris gestabat pontifex, illud Euangelicũ onus accipiamus, de quo dominus ait, Iugum enim meum *Matth.11.* suaue est, & onus meum leue. Quod manifestiùs alibi nobis commendans aiebat, Si quis vult post me venire, *Luc.9.* abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. HIERONYMVS. Quia ergo non sufficit nobis primùm ablutio peccatorum, baptismi gratia, doctrina secretior, nisi habuerimus & opera, hinc est quod conficitur Ephod, id est, superhumerale, quod rationali copulatur, vt non sit laxum, neque dissolutum, sed B hæreãt sibi inuicem, & auxilio sint. Ratio enim operibus, & opera ratione indigent, vt quod mente percipimus, opere perpetremus. Duóque lapides in superhumerali, vel Christum significant & Ecclesiam duodecim Apostolorum, qui ad prædicationem missi sunt, nomina continentes, vel literam & spiritum, in quibus continentur legis vniuersa mysteria. In dextra spiritus, in læua litera est. Per literas ad verba descendimus, per verba venimus ad sensum. AVCTOR CATENAE. Vel duo lapides onychini signum fuerunt duorum lapidum supremorum, ad quos sacerdos omnis oculos mentis semper intentos habere debet, de quorum altero Iacob dum Io- *Gen.49.* seph benediceret ait, Inde egressus est lapis pastor Israël. De altero verò Esaias dixit, Ponam in Sion lapidem an- *Esa.28.* gularem pretiosum. Vtrumque autem complectens Christus dictus fuit cũ mysterio, lapis angularis, & lapis fundamentalis. Fundamentalis enim, Iuxta illud Apostoli, Nemo potest ponere aliud fundamentũ, nisi quod posi- *1.Cor.3.* tum est quod est Christus Iesus. Angularis verò, faciens vtraque vnũ, dextrã videlicet & sinistram, de quo Apostolus, Ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templũ sanctum *Ephe.2.* C in domino. Nec vacat mysterio, quod hîc lapis abundare dicitur in flumine Phison, quod è voluptate emanat, vt in Genesi legimus, vbi dicitur, Ibi inuenitur Bdelium & lapis onychinus. Vnde indicatur, quòd omnia ista sunt exemplaria cœlestium, vnde prouenit lapis ille. GREGORIVS IN PASTORALI. Rectè autẽ su- *Parte 2.* pernę vocis imperio vtroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, vt contra aduersa ac pro- *Cap.3.* spera, virtutum semper ornamento muniatur, quatenus iuxta vocem Pauli, Per arma iustitiæ à dextris sinistrís- *2.Cor.6.* que gradiens, cùm ad sola quæ anteriora sunt nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera eleuent, non aduersa perturbent, non blanda vsque ad voluptatem demulceant, nõ aspera vsque ad desperationem premant, vt dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in vtroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod rectè superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri byssо præcipitur, vt quanta sacerdos claresсere virtutum diuersitate debeat demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyaD cinthus (qui aërio colore refulget adiungitur) vt per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat, ne dum incautus suis laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque & hyacintho purpura permiscetur, vt videlicet sacerdotale cor cũ summa quæ prædicat sperat, in semetipso suggestiones vitiorum reprimat eísque velut ex regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cœlestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe no- *1.Pet.2.* bilitate spiritus per Petrum dicitur, Vos autem genus electum, regale sacerdotium. De hac etiã potestate qua vi- *Ioan.1.* tia subigimus, Ioannis voce roboramur, qui ait, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei *Psal.138.* fieri. Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens, Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus, nimis confortatus est principatus eorum. Quia nimirum sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cùm exteriùs perpeti abiecta cernuntur. BEDA. Quamuis (vt superius sæpe dictum est) in purpureo coE lore possit ipsa effusio sanguinis pro Christo, vel diuersarum tolerantia pressurarum intelligi. Ipsa enim est crux, quam sequentes dominum quotidie ferre iubemur, vnde meritò talis species inter alias humero sacerdotis refulget, vt ipsum ad patienda aduersa semper doceat esse paratum. GREGORIVS. Auro autem, hyacintho ac purpuræ, bis tinctus coccus adiungitur, vt ante interni iudicis oculos, omnia virtutum bona ex charitate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flammam intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia deum simul & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, vt proximorum curam negligat, vel sic proximorum curam exequitur, vt à diuino amore torpescat, quia vnum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cùm mens ad præcepta charitatis tenditur, restat proculdubiò vt per abstinentiam caro maceretur. Vnde & bis tincto cocco torta byssus adiungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet byssus torta, pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ canF dorem ducitur, cùm per abstinentiam caro fatigatur. Cúmque inter virtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diuersa superhumeralis specie byssus torta candescit. BEDA. Potest & de cocco qui ignis specie refulget, & hoc non inconuenienter dici, quia fortassè ideo bis tinctus fieri præceptus sit, quòd ignis duplicem habere vim soleat, vrendi scilicet, & lucendi. Cuius naturam imitari præsulem in verbo nimirum doctrinæ salutaris oportet, vt & lucem videlicet scientiæ desiderantibus aperire, & rubiginem peccatorum in contemptoribus curet increpando comburere. Cùm enim auditoribus suis dulcissima scripturarum arcana siue miracula, aut parabolas domini Euangelicas exponit, velut in habitu suo fulgorem lucis ostendit. At cùm proteruiam superbientium commemorata æterna vltione percutit, quasi terrorem flammæ vorantis in eodem aspectantibus demonstrat. Neque enim quisque verbum faciens ad populum, vel solùm increpandis prauorum reatibus, vel solùm debet scripturarum referendis insistere secretis, ne vel de peccatorum tantummodo correctione disputans, fortè minùs libenter audiatur, vel mysteriorum tantũ abdita referans,

minùs fortassè eis quos emendare debuit prosit. Sed cùm ex vtroque sermonem temperat, & suauitatem videli- G
cet cœlestium secretorum audientibus pandendo, & correctionem morum per quam horum participes fieri valeant suadendo, quasi bis tinctum in habitu suo pontifex cocci fulgorem demonstrat. Duas oras (ait) iunctas habebit in vtroque latere summitatum, vt in vnum redeant. In quo quid aliud nobis typicè intelligendum, nisi vt cùm bona foris opera proximis ostendimus, eadem intus coram domino integra seruemus? ne vnquam vel castitatem puræ cogitationis minor pia actionis perfectio sequatur, vel perfectionem quæ videtur operis imperfectioris, mentis intentio ex parte solitariam relinquat, sed quasi duæ oræ superhumeralis sibi inuicem copulãtur, dum omnia quæ foris bona monstramus, intus pura & simplici intentione deo placendi gerimus. Et hoc in vtroque latere superhumeralis, vt inter aduersa & prospera concordi semper actione & cogitatione, conditori nostro seruiamus. Deserit nanque ora breuior latiorem, ac discordante mensura in vnum redire nequeunt, si cũ extrinsecus bona facere pro æterna retributione cernimur, intẽtione placendi hominibus in secreto mentis im- H
plicamur, humaníque fauoris magis quàm vitæ inuisibilis præmia requirimus. Ipsáque (inquit) textura & cuncta operis varietas, erit ex auro & hyacintho & purpura coccóque bis tincto, & byssо retorta. Non in vna parte superhumeralis aurum, in altera hyacinthus, in alia rursum alij atque alij colores fuerunt, sed omnes colores vtique per omnia cum auro ipso fuere contexti, quia nimirum in actione sacerdotali, nunquam aliqua magnarum virtutum vel ad horam debet intermitti, sed semper auro sapientiæ lucidus, semper hyacintho spei in superna erectus, semper regni cœlestis purpura aduersus vitiorum bella magnanimis, semper cocco bis tincto geminæ dilectionis flammeus, semper retorta byssо castitate carnis sacerdos siue doctor fidelium debet esse nitidus. Sumêsque lapides duos onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël, sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum, &c. Nũc quoque pontifex in superhumerali nomina gestat Patriarcharum, cùm doctor quisque siue præsul Ecclesiæ, in omnibus quæ agit, patrum præcedentium facta considerat, atque ad eorum imitationem vitam dirigere, & onus Euãgelicæ perfectionis ferre satagit. Quæ videlicet no- I
mina patrum, aptè in lapidibus pretiosis sculpi iussa sunt, lapides quippe pretiosi, opera sunt virtutum spiritualium. Habétque sacerdos in humeris lapides pretiosos, & in eis nomina patrum inscripta, cùm & ipse claritate bonorum operum cunctis admirandus extiterit, & eandem claritatem non à se nouiter inuentam, sed antiqua sibi patrum auctoritate traditam esse docuerit. Duplici autem ratione hæc in humeris portat, vt & ipse præceptis dominicis humiliter subditus incedat, & auditoribus suis semper cœlestia, siue sua, siue patrum exẽpla, quæ sequantur proponat. Aptè etiam iidem lapides includi auro atque circundari iubentur. Auro nanque, vel intellectus (vt suprà dictum est) vel certè charitas insinuatur, quia sicut aurum metallis, ita charitas virtutibus præstat cæteris. Includuntur verò auro lapides, & circundantur pretiosi, cùm operatio virtutum à deo puro vndique- uersum intellectu circunspicitur, vt nil in eis vitiorum latere, nil remanere sordidum permittitur, cùm ipsæ virtutes ita vinculo charitatis continentur, vt nulla rerum mutabilitate à suo statu decidere, nunquam de habitu sacerdotis torpente mentis custodia valeant prolabi. Bene autẽ sequitur, Portabítque Aaron nomina eorum co- K
ram domino super vtrumque humerum ob recordationem. Sacerdos nanque ob recordationem nomina patrum super vtrumque portat humerum, cùm (vt dictum est) diligenter omni hora præcedentium sanctorum vitam perpendens, & in aduersis & prosperis virtutum semper ornamẽto munitur. AVCTOR CATENAE. Vel quod sacerdos nomina filiorum Israël gestat in superhumerali, id nobis indicat, quòd memoriam pastoris nunquam excidere debet salus, profectus, sanctitas & pietas commissi sibi populi, supportando videlicet imbecillium infirmitates, & omnium curam sollicitis studiis gerendo.

3 RAtionale quoque iudicii facies opere polymito iuxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byssо retorta. Quadrãgulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine, ponésque in eo quatuor ordines lapidum. In primo uersu erit lapis L
sardius, & topatius, & smaragdus. In secundo carbunculus, sapphyrus, & iaspis. In tertio ligurius, achates, & amethystus. In quarto chrysolitus, onychinus, & berillus. Inclusi auro erunt per ordines suos, habebúntque nomina filiorum Israël. Duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus. Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo, & duos anulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate, catenásque aureas iunges anulis qui sunt in marginibus eius, & ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit. Facies & duos anulos aureos quos pones in summitatibus rationalis, & in oris quæ è regione sunt superhumeralis, & posteriora eius aspiciunt, nec non & alios duos anulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem iuncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali, & stringatur rationale anulis suis M
cum anulis superhumeralis uitta hyacinthina, ut maneat iunctura fabrefacta, & à se inuicem rationale & superhumerale nequeant separari. Portabítque Aaron nomina filiorum Israël in rationali iudicii super pectus suũ quando ingreditur sanctuarium, memoriale coram domino in æternum. Pones autem in rationali iudicii doctrinam & ueritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram domino, & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu domini semper.

3 HIERONYMVS. Secundum vestimentum mensura paruum, sed cunctis sacratius fieri mãdatur. Intende quæso animum, vt quæ dicuntur intelligas. Hebraicè vocatur חשן Chósen, Græcè autẽ λόγιον, Nos rationale possumus appellare, vt ex ipso statim nomine scias mysticum esse quod dicitur. Hoc quale sit, audi. *Rationale quoque*



A *quoque iudicij facies opere polymito iuxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho & purpura coccóque bis tincto, & byssо retorta. Quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine.* Pannus igitur est breuis, ex auro & quatuor textus coloribus, hoc est, iisdem quibus & superhumerale, habẽs magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facilè rumpatur, & fortiùs gemmarum pondus sustineat. AVGVSTINVS. Quod Latini rationale vestimentum hoc interpretati sunt, inopia linguæ fecit, Græcus enim habet λόγιον, non λογικόν. Rationale autem illud solemus appellare, quod Græci dicunt λογικόν. Sed quoniã λόγος in Græca lingua ambiguum est, vtrum verbum significet, an rationem, quia vtriusque rei nomen est, vbi putatum est à verbo ductum λόγιον, eloquium nostri interpretati sunt. Nam quod habemus, Eloquia domini, eloquia casta, Græci habent λόγια. Hîc verò in veste sacerdotali quod ex auro & hyacintho, & purpura, & cocco duplici torto, & byssо duplici torta fieri præceptum est, quadratum duplex, quod esset in pectore sacerdotis, & λόγιον vocaretur, incertũ vtrum à ratio-
B ne, an à verbo ductũ fuerit, interpretes nostri à ratione dictũ putantes rationale appellauerunt. BEDA. Opere autem polymito, opere multifario dicit. CAIETANVS. Iuxta Hebræum, non rationale, sed pectorale iudicij vocatur hoc ornamentum, cuius tam materia quàm forma artis, similis erat materiæ & arti superhumeralis. Et verè appellatur pectorale, quia pectus tantùm operiebat, ita quòd pars anterior superhumeralis in pectore tegebatur hoc ornamento. Quadrum autem erat, hoc est, quatuor laterum æqualis quãtitatis. Et duplex: Quia in ornamento hoc ponendi sunt duodecim lapides pretiosi, ideo non vnius telæ (vt superhumerale erat) sed ex duabus telis constabat, & propterea duplex dicitur. Mensuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine. Ecce quantitas laterum, ecce quantitas huius ornamenti. AVCTOR CATENAE. Tota hęc litera sic habetur in Hebræo, vt est in Chaldaica, Faciésque rationale iudicij opere artificis, iuxta opus superhumeralis facies illud, ex auro, hyancintho, & purpura, & cocco, & byssо retorta facies illud. Quadratum erit & duplicatum, mensuram palmi habebit in longitudine eius, & mensuram palmi habebit in latitudine eius. Quæ idem
C sunt cum litera nostra. Rationale autem aliqui appellant pectorale, & ita reddunt dictionem חשן Ideóque pectorale iudicij nuncupant quidam, eo quòd erant super illud Vrim & Tummim, quæ indicabant iudicium hominum per illa interrogantium, hoc est, sententiam dei. Alij pectorale iudicij vocatum dicunt, quod sacerdos nunquam dicebat ius in re graui, nisi cum habebat pectorale hoc super pectus collocatũ. Erat autẽ summa ac dignissima inter sacerdotalia induméta vestis, sicut arca summa res erat inter tabernaculi vasa, & vtrinque respõsa dabantur. Sed & rationale Græcis & Latinis dictum est, quòd contineret quæ summa prudentia & exacta ratione consideranda erãt à summo pontifice, nempe Vrim & Tummim, & nomina filiorum Israël. Quod autem apud nos legitur, Opere polymito. Hebraicè est מַעֲשֵׂה חֹשֶׁב Mahasè choseb, De quo opere plura diximus in superioribus. Illuc ergo te mittimus benignissime lector. Conficiendum igitur mandat dominus rationale seu pectorale ex eadem materia qua Ephod, siue superhumerale, figura quadrãgulum siue quadrum, æquilaterum, densitate duplex, ad Ephod relatum, Longitudine & latitudine, mensura palmi. *Ponésque in eo quatuor ordines lapidum.*
D *In primo uersu erit lapis sardius, & topatius, & smaragdus. In secundo carbunculus, sapphyrus, & iaspis. In tertio ligurius, achates, & amethystus. In quarto chrysolitus, onychinus, & berillus. Inclusi auro erunt per ordines suos. Habebúntque nomina filiorum Israel. Duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum, per duodecim tribus.* HIERONYMVS. Intexti (inquit) erunt ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretij, per quatuor ordines, ita vt in singulis versiculis terni lapides collocentur. Symmachus autem dissentit in smaragdo, Ceraunium pro eo transferens. Satísque miror, cur hyacinthus pretiosissimus lapis in horum numero non ponatur, nisi fortè ipse est alio nomine lyncurius. Scrutans eos qui de lapidum scripsere naturis atque gemmarum, lyncurium inuenire non potui. In singulis lapidibus secundum ætates, duodecim tribuum sculpta erunt nomina. Hos lapides in diademate principis Tyri, & in Apocalypsi Ioannis legimus, de quibus extruitur cœlestis Hierusalem, & sub horum nominibus & specie, virtutum vel ordo vel diuersitas indicatur. INTERLINEARIS. Sardius (vt aiunt) rubræ terræ similis, vulgò Corneolus appellatur. Topatius preciosissimus, omnium colorum, & maximè aurei, vnde ita dicitur, quasi topadion,
E id est, omnium colorum. Smaragdus viridissimus lapis est. Carbunculus nocte lucere dicitur, & circa se omnia illustrare. Sapphyrus sereno cœlo similis. Iaspis obtusi viroris est, qui contra phantasmata opitulari dicitur. Ligurius hyacinthini coloris fertur, & in bouis renibus inuenitur. Achates ab Achate Siciliæ fluuio vbi inuenitur, & nigri fertur esse coloris, candidos habens in superficie ramos. Amethystus purpurei & violacei coloris. Chrysolitus totus aureus. Onychinus humani vnguis colorem habet, ideóque & sic dictus. Berillus aquatici est coloris, qui (vt aiũt) sculpi nõ potest. CAIETANVS. Proculdubiò secundũ sub & supra disponũtur isti quatuor ordines, & nõ distribuũtur secundũ quatuor latera, vt cõuincit ex hoc, ꝙ quilibet ordo habebat tantũ tres lapides, & erãt lapides duodecim, & propterea minor erat distantia vnius ordinis ab altero, q̃ distantia lapidũ vnius ordinis inter se, quia ab imo vsque ad summũ erant quatuor lapides, inter dextrum autẽ & sinistrũ erãt tres. De nominibus autem lapidũ ne sis sollicitus, quia periisse aiunt apud Hebræos notitiã nominum propriorũ lapidum, animalium atque locorum. Eo autẽ modo quo lapides figuntur in anulis, claudendi auro mandantur. Sententia
F quoque hæc clarè refert sensum Hebraicæ literæ, vnum tamen tacet, videlicet, quòd per modum sigilli sculpta erant nomina. AVCTOR CATENAE. Ponésque in eo quatuor ordines lapidum. Hebraice sic habetur locus וּמִלֵּאתָ בּוֹ מִלֵּאַת אֶבֶן אַרְבָּעָה טוּרִים אָבֶן Vmilletha bo millúath ében arbaha turim áben, Et implebis in eo impletionem lapidis, quatuor ordines lapidis. Male verbum est, quod implere significat, eo quòd lapides illi implebant eum locum vacuum in quo includebantur. Vertunt alij, Implebis quoque ipsum impositione lapidum, seu lapidis, nempe quatuor ordinibus lapidum vel lapidis. Quidam, Et implebis in eo impletione lapidum, quatuor ordines lapillorum. In eo (inquit) id est, palas in eo dispositas replebis lapidibus. Septuaginta, καὶ καθυφανεῖς ἐν αὐτῷ ὕφασμα κλῖθρον τετράσιχον, id est, Et texes in eo texturam secundum lapidem quadriformem. Chaldaica quoque, Et implebis in eo impletionem lapidis pretiosi, quatuor ordines lapidum pretiosorum, quod idem dicũt cum litera nostra. In primo versu erit lapis sardius. Versum ponit pro ordine. In Hebræo enim est טור Tur, quod ordinem, siue lineam designat. Et iaspis, Quod nos iaspidem legimus, Septuaginta quoque & Chaldaica,

& Hebraicè dicitur יַהֲלֹם Iahalom, aliqui Adamantem verterunt. Dicunt enim descendere à verbo הָלַם Halam, G quod percutere, quassare, & excidere significat, eo quòd alias gemmas durissimas diuidat & frangat, perforétque vnionem, seu margaritum. In tertio lygurius. Sic Septuaginta & Chaldaica. Hebraicè est לֶשֶׁם Lésem. Plinius libro trigesimoseptimo capite tertio, vocat lyncurium, quæ gemma est è lyncis vrina coacta. In quarto autem ordine chrysolitus. Hîc in Hebræo dicitur תַּרְשִׁישׁ Tarsis, quem Interpres modò chrysolitum vt hîc, modò hyacinthum transtulit, vt Canticorum quinto, Plenæ hyacinthis. Et berillus. Sic & Septuaginta & Chaldaica. Hebraicè יָשְׁפֵה Iáspe dicitur. Hunc volunt quidam Iaspidem esse. Et profectò valde conformis est Latina appellatio Hebraicæ nomenclaturæ. Illud sciendum in his lapidibus interpretandis, Interpretem semper Septuaginta fuisse sequutũ, & eorum ea in re editionem approbasse, quibus magis standum est, quàm Hebræis vehementer in his discrepantibus, cùm leuior apud eos hisce de rebus inueniatur cognitio, quàm apud omnes alias gentes. Sequitur, Inclusi auro erunt per ordines suos. Pro, per ordines suos, Hebraicè legitur, בְּמִלּוּאֹתָם Bemilluotham, In re- H pletionibus suis, id est, in palis quas replent. Alij legunt, In suis impositionibus. Quidam, In plenitudinibus suis. Nõnulli, In palis suis. Septuaginta, περιπεκαλυμμένα χρυσίῳ, καὶ συνδεδεμένα ἐν χρυσίῳ ἔσονται ΚΨΙ τὰ σίχοι αὐτῶν, id est, Circuntecti auro & colligati in auro sint per ordinem eorum. Quæ omnia vnum sunt cum litera nostra. Sequitur, Habebúntque nomina filiorum Israel. Breuioribus verbis Hebraica expressit, quæ sunt וְהָאֲבָנִים תִּהְיֶיןָ עַל שְׁמֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל שְׁתֵּים עֶשְׂרֵה עַל שְׁמֹתָם Vehaabanim tihiẽna hal semoth bene Israël settẽ hesre hal semotham, Et lapides siue lapilli illi, aut gemmæ istæ erunt iuxta nomina, siue cum, vel pro nominibus filiorum Israël, Duodecim (scilicet) iuxta vel secundum nomina, vel pro nominibus illorum, hoc est, erunt totidem, quot sunt Patriarchæ. Septuaginta, ἡ δὲ λίθοι ἔσονται ἐκ τῶν ὀνομάτων τῶν υἱῶν Ισραὴλ, Δεκαδύο ΚΨΙ τὰ ὀνόματα αὐτῶν, Et lapides sint ex nominibus filiorum Israël, duodecim secundum nomina eorum. Chaldaica, Lapides autem erunt duodecim iuxta nomina filiorum Israël. Sequitur, Duodecim nominibus cælabũtur, singuli lapides nominibus singulorum, per duodecim tribus. Iuxta Hebræum legitur, פִּתּוּחֵי חוֹתָם אִישׁ עַל שְׁמוֹ תִּהְיֶיןָ לִשְׁנֵי עָשָׂר שָׁבֶט Pittuche chotham I is hal semo, tihiẽna lisne hasar sábet, Sculpti erunt singuli nominibus suis iuxta duodecim tribus. Alij vertunt, Sculpturæ anuli quisque iuxta nomen suũ, erunt pro duodecim tribubus, Id est, insculpentur sculptura anuli expressa, & quæ legi possit. Alij, Exculptæ (nempe gemmæ) vt signa cælari solẽt, singulæ nominibus suis iuxta duodecim tribus. Quidam, In modum sigilli sculpti erunt singuli nominibus suis, iuxta duodecim tribus. Nonnulli, Sculpturis sigilli singuli cum nomine suo erũt duodecim tribubus. Septuaginta, γλυφαὶ σφραγίδων ἑκάστου κατ' ὄνομα ἔσονται εἰς τὰς δώδεκα φυλάς, Sculpturæ sigillorum cuiuslibet secundum nomen sint in duodecim tribus. Chaldaica, Sculpti sculptura distincta sicut sculptura anuli, singuli lapides per nomina singulorum erunt per duodecim tribus. In quibus vnus atque idem cum Latina litera sensus est, quòd lacinia huiusmodi quadrata, ex pulcherrima & pretiosa materia contexta, duodecim habebit pretiosos lapides, & in singulis lapidibus huiusmodi secundum ætates & honores constitutos, duodecim Patriarcharum nomina gestabit insculpta. *Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo, & duos anulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate, catenásque au-* K *reas iunges anulis, qui sunt in marginibus eius, & ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis quod rationale respicit.* BEDA. Ordo operis quantùm nobis videtur, hic fuit: Duo erant vncini supra in duobus superhumeralis angulis impositi, & duo contra anuli in duobus rationalis anulis sursum. E quibus pendebant duæ catenæ aureæ, quæ tempore induendi inserebantur vncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant, vt in sequentibus apertiùs scriptum est, vt superhumerale & rationale mutuò necterentur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Facies in rationali catenas sibi inuicẽ cohærentes. Non sic accipiendum quod dicitur, sibi cohærentes, quasi vna catena alteri cohæreat. Sed facturam catenæ exprimit, in qua circuli cum circulis cohærent, vel fila cum filis contorquentur. Vnde pro eo quod nos dicimus, cohærentes, Hebræus expressiùs habet, Plexas opere plexo, & spisso. Secundum Chaldaicum sonat terminatas, id est, in oris siue marginalibus angulis, quasi in termino, id est, fine rationalis positas. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facies super pectorale catenas terminationis, opus funis ex auro mundo. Catenæ istæ ideo terminationis appellantur, quia erãt L loco extremitatum pectoralis circumcirca, ab officio siquidem terminandi omni ex parte illud pectorale, appellantur catenæ terminationis. Cerne disparitatem, Vestis superhumeralis artificio texturæ est vndique terminata, Pectorale autem aurea catena simili funiculo vndique terminatur. Et duos anulos aureos. Iuxta Hebræum alia est clausula, Et facies super pectorale duos anulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate. Completo siquidem opificio pectoralis in seipso, describitur modò relatiuè ad accommodãdum ipsum gestationi in pectore pontificis, & inchoat à duobus anulis aureis in parte superiori pectoralis locandis super duos angulos superioris partis, vt clarè subiungitur in Hebraica litera. Catenásque aureas iunges anulis qui sunt in marginibus eius. Iuxta Hebræum habetur, Et dabis duos funes aureos super duos anulos angulorum pectoralis. Isti funiculi alij sunt ab omnibus antedictis, Et numerus eorum determinatur, & loca & officium, duo enim, & alter in anulo vnius anguli, alter in anulo alterius anguli versus sursum locandus censetur. Officium autem vtriusque subiungitur. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis, quod ra- M tionale respicit. Iuxta Hebræum clariùs habetur, Et duo extrema duorum funium dabis super duas palas, & dabis super humeros superhumeralis contra facies eorum. Ecce palæ duæ quæ deerant vesti superhumerali relatiuè ad pectorale, & describitur locus earum, videlicet super humeros vestis, hoc est, altera super vnum humerum, & altera super alterum. Et ne hæsitetur an de humero vestis anteriore vel posteriore sit sermo, manifestatur quòd de humero posteriore est sermo, dicendo: Contra facies eorum, contra facies enim extremitatum catenarum ascendentium à pectore, occurrunt vestis humeri posteriores, vtpote è regione ipsarum, ad istas (inquam) palas perforatas applicanda erant extrema funiculorum pectoralis, vt ab illis pendens pectorale sustentaretur. AVCTOR CATENAE. Vt clariùs videantur omnia, sic Hebraica sonat litera וְעַשִׂיתָ עַל חֹשֶׁן מַרְשֶׁת גַּבְלֻת מַעֲשֵׂה עֲבֹת זָהָב מָהוֹר Vehasítha hal hachósen sarsoth gabluth mahase haboth zahab tahor, Et facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes opere catenato ex auro mundissimo. De quibus omnibus dictionibus satis supradictum



A pradictum est. Alij vertunt, Facies in pectorali catenas termini, opere tortili, siue plectili ex auro mũdo. De summa parte pectoralis loquitur. Catenas autem termini vocat terminatas, & præfinitæ magnitudinis siue terminãtes. Opus tortile quale est funium. Alij, Facies quoque pectorali catenulas complicato opere ex auro mũdo, quæ sint in extremitate. Quidam, Facies quoque pro pectorali catenas terminabiles opere intricato, de auro mundo. Septuaginta, καὶ ποιήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον κρουσοὺς συμπεπλεγμένους, ἔργον ἀλυσιδωτὸν ἐκ χρυσίου καθαροῦ, hoc est, Et facies super rationale catenas connexas, opus catenatum ex auro puro. Chaldaica verò, Faciésque in rationali catenulas sibi inuicem cohærentes opere fimbriarum ex auro mũdissimo. Quod idem est cum nostra editione. Sequitur, Et duos anulos aureos. Plura verba sunt in Hebræo & Chaldaica quàm sunt hîc posita, ita enim dicitur ibi, Et facies super rationale duos anulos aureos siue ex auro. Alij vertũt, Et ipsi rationali facies duos anulos aureos, hoc est, in superiori parte eius. Alij, Et super ipsum pectorale facies duos circulos aureos. Est enim dictio יוֹל B hal, de qua toties sermo habitus est. Sic igitur intelligenda est Latina litera, quòd videlicet in suprema parte pectoralis futuri erant anuli isti, sicut manifestè postea dicit, cùm ait, Quos pones in vtraque rationalis summitate. Pro quo in Hebræo & Chaldaica est, Et pones duos anulos in duobus lateribus rationalis. Siue vt legũt Septuaginta, ἐπὶ ἀμφοτέρας τὰς ἀρχὰς τοῦ λογείου, Super vtraque initia rationalis. Alij vertunt, Quos pones in vtraque pectoralis extremitate. Alij, Et pones eosdem duos vel ambos anulos siue circulos in duabus extremitatibus pectoralis. Est enim in Hebræo dictio קְצוֹת Kezoth, quæ & extremitates, & summitates, & latera verti potest. Sed hæc idem sunt cum litera Latina. Quod autem sequitur, Catenásque aureas iunges anulis qui sunt in marginibus eius, Hebraicè & Chaldaicè ita legitur, Et pones duas fimbrias aureas in duobus anulis in lateribus rationalis. Alij dictiones שְׁתֵּי עֲבֹתֹת Sette habothoth, duos funes vertunt, dicúntque, Et inseres duos funes aureos tortiles siue complicatos, in duos anulos qui sunt in extremitatibus pectoralis, id est, duas catenas aureas factas opere intorto instar funis. Alij legunt, Duas quoque intricatas aureas catenulas inseres in duos circulos, qui sunt, C in extremitatibus pectoralis. Quidam, Et pones duas catenas aureas in duobus anulis in extremitatibus pectoralis. Septuaginta, καὶ ἐπιθήσεις τοὺς κρουσοὺς ἐπὶ τὰς ἁλυσιδωτὰς χρυσίου ἐπὶ τοὺς δύο δακτυλίους ἐπὶ ἀμφοτέρων τῶν κλιτῶν τοῦ λογείου, hoc est, Et impones catenas & catenata auri super duos anulos super vtraque latera rationalis. Sed hæc sensum Latinæ literæ non immutant. Sequitur, Et ipsarum catenarũ extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis, quod rationale respicit. Vncinos autem intelligit qui adhærent palis duorum lapidum onychinorum. Hîc sensum optimè assequutus est Interpres, sed verba paulò diuersa sunt iuxta Hebræum. Est enim, וְאֶת שְׁתֵּי קְצוֹת שְׁתֵּי הָעֲבֹתֹת תִּתֵּן עַל שְׁתֵּי הַמִּשְׁבְּצוֹת Veeth sette kezoth sette hahabothoth titten hal sette hamisbezoth, Et duas extremitates duarum catenarũ pones super duos vncinos, seu copulabis duobus vncinis. Vertunt alij, Et duo extrema duorum funium (id est duarum catenarum instar funis intortarum) inseres duobus vncinis. Alij, Et alias duas extremitates duarum catenularum complicatarum inseres in duo spintra fibulata, vel, Figes in duabus inclusis fibulis. Quidam, Et duas extremitates duarum catenarum pones in duabus D palis. Septuaginta, καὶ δύο κλίτη τῶν δύο κρουσῶν ἐπιθήσεις ἐπὶ τὰ δύο ἐμπλόκια, Et duo latera duarum catenarum impones super duas connexiones. Chaldaica, Et duas fimbrias quæ sunt in duobus lateribus eius, pones super duos vncinos. Et quia replicantur eædem dictiones quæ suprà, non insistimus declarare vlterius, vniuscuiusque vim & proprietatem. Demũ sequitur in Hebræo, וְנָתַתָּה עַל כִּתְפוֹת הָאֵפוֹד אֶל מוּל פָּנָיו Venathatta hal chithphoth haephod el mul panaf, Ponésque (subaudi, funes illarum catenarum) in lateribus ipsius superhumeralis è regione faciei eius, id est, in parte anteriore. Vertunt alij, Ponésque in humeris Ephod ex aduerso faciei eius. Vnde & Chaldaica, Et pones in humerulis superhumeralis contra faciem eius, habet. Alij, Et pones in oris superhumeralis contra faciem eius. Septuaginta, καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τοὺς ὤμους τῆς ἐπωμίδος ἀπὶ ἀναντίας κΨΙ πρόσωπον, Et impones super humeros superhumeralis ex aduerso secundum faciem. Quæ omnia idem dicunt cum litera nostra, quæ (vt verum fateamur) hoc in loco omnibus aliis est clarior & dilucidior. Catenæ igitur istæ innectebãtur annulis illis per fistulas aureas, & extendebantur annulis illis per fistulas aureas, & extendebantur vsque ad pontificis scapulas, super quas immittebantur ac inserebantur duobus vncinis aureis firmiter infixis superhumerali. E *Facies & duos anulos aureos quos pones in summitatibus rationalis, & in oris quæ è regione sunt superhumeralis, & posteriora eius aspiciunt.* BEDA. Superior connexio rationalis & superhumeralis supra descripta est, hîc autem de inferiori loquitur, quæ erat subtus ascellas. Quod ergo dicit, & in oris quæ è regione sunt superhumeralis, non significat in oris superhumeralis, sed in oris illis quæ è regione sunt superhumeralis, hoc est, in oris rationalis, quæ videlicet orę è regione superhumeralis sunt. Anulli enim illi qui in vltimis & infimis erãt angulis rationalis, habebant contra se in vtroque latere superhumeralis æquè anulos alios, quibus ipsi vittis ligãtibus iungerentur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et facies duos anulos aureos, & dabis eos super duo extrema pectoralis, super oram eius quæ ad latus superhumeralis intrinsecus. Alij duo anuli eiusdem pectoralis, non in reliquis duobus angulis sunt locati, sed in duabus extremitatibus, dextera videlicet & sinistra eiusdem pectoralis. Et appositiuè adiungitur, super oram eius (scilicet pectoralis) quæ respicit latus superhumeralis. Quòd autem adiungitur intrin- F secus, ad pectorale refertur, locandi siquidem isti anuli mandantur in extremis, non foris, sed intus, foris enim tegerent catenulã auream, & nõnihil molesti essent infimo ordini lapidum, intus autem positi liberam relinquũt vniuersam externã superficiem pectoralis. AVCTOR CATENAE. Quos pones in summitatibus, Vel in duabus extremitatibus, siue in duobus lateribus, Aut in duobus extremis, siue super duas alas, vt Septuaginta veterũt. Est enim Hebraicè שְׁנֵי קְצוֹת Sene kezoth. Sequitur, Et in oris quæ è regione sunt superhumeralis, & posteriora eius aspiciũt. Hebraicè est, עַל שִׁפְתּוֹ אֲשֶׁר אֶל עֵבֶר הָאֵפוֹד בְּיָתֵד Hal sephatho aser el héber haephod báitha, In labio scilicet eius, quod est in latere superhumeralis intrinsecus. Vel, è regione Ephod interius, Id est, in parte interiori rationalis quæ contingit superhumerale. Labium autẽ vocat orã, vel extremum. Alij vertũt, In ora eius quæ est versus Ephod intus. Quidam, In ora eius quæ est in latere superhumeralis intrinsecus. Septuaginta, ἐπὶ δὲ ἄκρου ἀπὸ ἄκρου τοῦ ἐπωμίδος ἔσωθεν, In summitatem à summitate posteriori superhumeralis intrinsecus. Quæ omnia idem dicũt in sententia cum litera nostra. Et est sensus in summa, quòd angulis rationalis quatuor

mandat

mãdat fieri anulos aureos correſpondentes quatuor angulis in ſuperhumerali inſertis, atque per anulos illos pa- G riter ſtringi habebat ſuperhumerale ac rationale cum ligaminibus hyacinthinis, quæ tranſitura erant per anulos illos. Quod noſtra editio habet, Et poſteriora eius aſpiciunt, Hebraicè eſt dictio, baitha, quam recentiores intrin ſecus vertunt, & Septuaginta ἔσωθεν legunt, id eſt, intrinſecus, Sic & Chaldaica. BEDA. Quod autem ſubſe- quenter adiungitur, de duobus ſuperhumeralis anulis intelligitur. *Necnon & alios duos anulos aureos, qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali.* Contra fa- ciem dicit iuncturæ inferioris, quia de iunctura ſuperiore quæ erat ſuper ſcapulas ante dixerat. Inter quas vide- licet iũcturas hoc diſtabat, quòd ſuperior catenulis, inferior verò erat vittis facta ligãtibus. CAIETANVS. Ecce anuli duo qui deerant ſuperhumerali relatiuè ad pectorale: præcipitur enim quòd in lateribus poſterioris partis ſuperhumeralis, duo anuli aurei locentur, alter ſub dextera, & alter ſub ſiniſtra, è regione anulorum pecto- ralis, ita quòd laqueo hyacinthino per anulum pectoralis & anulum ſuperhumeralis ligetur pectorale cũ ſuper- H humerali in vtroque latere, vt neutrum ab altero ſeparari poſsit. Quòd autem dicitur, Quod reſpicit contra fa- ciem iuncturæ interioris, vt aptari poſsit cum ſuperhumerali, iuxta Hebræum habetur, E regione faciei eius, cõ- tra coniunctionem eius, ad artificium ſuperhumeralis. Recole ſuperhumerale circumcirca quodã ſpeciali arti- ficio contextum, & intelliges anulos iſtos locãdos in huiuſmodi artificio, vtpote parte firmiore, quæ è regione eſt pectoralis, non abſolutè, ſed ſecundum coniunctionem eius ad ipſum artificium. AVCTOR CATENAE. Qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum. In hunc ſenſum & Hebraica ſunt, nempe וְנָתַתָּה אֹתָם עַל שִׁתֵּי כִתְפוֹת הָאֵפוֹד מִלְמַטָּה Venathatta otham hal ſette chithpoth haephod milemátta, Et pones eos (vi- delicet anulos prędictos) in duobus lateribus ſuperhumeralis inferiùs. Vertũt alij, Quos ponas in duabus partib⁹ Ephod deorſum. Septuaginta, Καὶ ἐπιθήσεις ἐπ' ἀμφοτέρους τοὺς ὤμους τ ἐπωμίδος κάτωθεν αὐτ, Et impones ſup vtroſq; humeros ſuperhumeralis ab infrà eius. Chaldaica, Et pones eos in duob⁹ humerulis ſuperhumeralis inferius. Qui oẽs idẽ dicunt quod & litera noſtra. Sequitur, Quod reſpicit contra faciẽ iuncturæ inferioris, vt aptari poſsit cũ I ſuperhumerali. Hebraica hîc ſunt huiuſmodi, מִמּוּל פָּנָיו לְעֻמַּת מַחְבַּרְתּוֹ מִמַּעַל לְחֹשֶׁב הָאֵפוֹד Mimul panaf lehum- math machbarto, mimáhal lechéſeb haephod, Contra faciem eius, è regione iuncturæ eius, ſuper ingenioſam cõ texturam ſuperhumeralis. Legunt alij, In anteriore parte, è regione vtriuſque iuncturæ eius, ſupra cingulum, vel baltheum, aut artificium ſuperhumeralis. Cùm autem iunctură dicunt, ſingulare eſt pro plurali. Eæ autem erant in lateribus ſuperhumeralis. Partem etiam anteriorem vocant poſteriorem ſuperhumeralis, quæ vergit verſus pe ctus ſubtus aſcellas. Alij, E regione iuxta commiſſuras eius, ſupra texturam polymitam ipſius Ephod. Quidam, Contra faciem eius, & ex oppoſito comparis ſui ſupra tamen ingenioſum opus Ephod. Nonnulli, E regione fa- ciei eius, contra coniũctionem eius, ſupra baltheum ſuperhumeralis eius. Septuaginta, κατὰ πρόσωπον κατὰ τὸν σύμ- βολὸν ἔνωθεν τῆς συνυφῆς τῆς ἐπωμίδος, Secundum faciem, ſecundum copulationem deſuper contexturæ ſuperhu- meralis. Quæ omnia nequaquam à ſenſu Latinæ verſionis diſcrepant. Mãdat itaque in poſteriori ſuperhumera- lis parte inferiùs in duobus lateribus duos anulos aureos fieri, correſpondentes duobus aliis anulis poſitis in in- K feriori parte rationalis in vtroque latere eius, per quos rationale & ſuperhumerale conſtringi poſsint in vtroque latere ſacerdotis. *Et ſtringatur rationale anulis ſuis cum anulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, vt maneat iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari.* HIERONYMVS. Per quatuor rationalis angulos quatuor anuli erant aurei, habentes cõtra ſe in ſuperhumerali alios quatuor, vt cùm appoſitum foret λόγιον in loco quem in Ephod diximus derelictum, anulus veniret contra anulum, & mutuò ſibi vittis copularentur hyacinthinis. Porrò ne magnitudo & pondus lapidum contexta ſtamina rumperet, auro ligati erant atque concluſi, nec ſuffe- cit hoc ad firmitatem, niſi & catenæ ex auro fierent, quæ ob pulchritudinem fiſtulis aureis tegerentur, habe- rẽntque & in rationali ſupra duos maiores anulos, qui vncinis ſuperhumeralis aureis necterentur, & deorſum alios duos, nam poſt tergum in ſuperhumerali contra pectus & ſtomachum, ex vtroque latere erant anuli au- rei, qui catenis cum rationalis inferioribus anulis iungebantur, atque ita fiebat, vt aſtringeretur & rationale ſu- perhumerali, & ſuperhumerale rationali, vt vna textura contra videntibus putaretur. BEDA. Et ſtringa- L tur rationale, &c. Non autem putandum eſt vtrumque indumentum ſimul eſſe terminatum. Nam rationale quod menſuram palmi in altitudine, ſicut & in latitudine habuit, non multo amplius quàm pectus ſolum te- gere ſufficiebat. Superhumerale autem vſque ad cingulum pertingebat, ſicut in poſterioribus manifeſtiſsimè oſtenditur. Hæc ante & retro ita conueniebant ſibi, vt ſuperhumerale & rationale mutuò necterentur, ſtric- ta ad baltheum, & anulis fortiùs copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxè fluerent, & à ſe inuicem mouerentur. INTERLINEARIS. Iunctura autem fabrefacta dicitur, hoc eſt, ingenioſè vel artificioſè compoſita, faber autem quilibet artifex dicitur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ad eſſendum ſuper artificium ſuperhumeralis, & non ſeparabitur pectorale à ſuperhumerali. Situs anulorum & ligaminis definitur, vt ſic ſit in inferiori parte ſuperhumeralis vt tamen non ſit in penitùs infima, ſed ſit ſuper artifi- cium terminans oram inferiorem ſuperhumeralis. AVCTOR CATENAE. Et ſtringatur rationale, &c. Parum eſt quòd in Hebræo eſt וְיִרְכְּסוּ Veircheſu, Et ſtringent. Quod alij vertũt, Et coniungent, vt legit Chaldai- M ca. Hebræorum tamen aliqui dicunt, quòd verbum rachas, quod Interpres ſtringatur reddidit, ſignificat ele- uare, vel ſurſum trahere, vnde hîc ipſi legunt, Et eleuent rationale de anulis ſuis, ad anulos ſuperhumeralis, ſcilicet vt ora rationalis ſit ſuppoſita anulis ſuperhumeralis, & firmiter ſtringantur ad inuicem. Septuaginta tamen & ipſi noſtræ conſonant editioni, καὶ σφίγξεις, id eſt, & conſtringes, habentes. Dictionem etiam פְּתִיל Phetil, quod Interpres & Chaldaica, Vitta, reddiderunt, quidam filo vertunt, quod vulgò dicitur *il cordone.* Sequitur, Vt maneat iunctura fabrefacta. Hebraica ſunt לִהְיוֹת עַל חֹשֶׁב הָאֵפוֹד Lihíoth hal chéſeb haephod, Vt ſit ſuper ingenioſam texturam ſuperhumeralis, videlicet rationale. Vertunt alii, Vt (ſcilicet) ſit ſupra cin- gulum ipſius ſuperhumeralis. Quod alii dixerunt, ſupra texturam polymitam, alii ingenioſum opus, alii ve- rò baltheum, vt habet Chaldaica. Septuaginta, ὕφασμα, contexturam. Eſt enim dictio חֹשֶׁב Chéſeb de qua ſu- prà ſermo habitus eſt. Et eſt ſenſus, quòd rationale debebat ſuperponi texturæ ipſius ſuperhumeralis, hoc eſt, ſic



A ſic connecti cum eo, vt oras eius excederet ac cooperiret. Et à ſe inuicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari. Vel vt legit Chaldaica, Et non auferatur rationale à ſuperhumerali, quod Septuaginta, ἵνα μὴ χαλᾶ- ται, Vt non defluat, verterunt. Verbum autem וְחַת Zachach, quod leuare & ſeparare ſignificat, nullibi reperitur niſi in hoc loco. *Portabítque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicij ſuper pectus ſuum quando ingredietur ſanctuarium, memoriale coram domino in æternum.* CAIETANVS. Rationem reddit ſculptorum nominum filiorum Iſraël in pectorali, quemadmodum reddiderat rationem eorundem ſculptorum ſuper humeros. Super pectus (inquit) ſuum. Iuxta Hebræum habetur, Super cor ſuum, quando egredietur ſanctuarium. Corporeum pectorale iudi- cij geſtabat Aaron in pectore, ſed nomina filiorum Iſraël quatenus iudicanda geſtanda erant ſuper cor, hoc eſt, habenda erant in intimis cordis pontificis. Memoriale coram domino in æternum. Iuxta Hebræum ad memo- riam coram domino iugiter. Quemadmodum ſuper humeros pontificis ſculpta erant nomina filiorum Iſraël
B in memoriam ſuffragij apud deum, ita in pectore pontificis eadem ſculpta erant in memoriam iudicij coram domino, hoc eſt, ſecundum rationes diuinas, vt perpenderet pontifex, & in corde ſuo iugiter retineret iudicium populi Iſraël ſibi datum ſecundum deum, non ſuperficie tenus, ſed ſecundum intima veritatis diuinæ: propterea enim nomen Iehoua appoſitum eſt, vt ſcilicet in iudiciis haberetur ratio ſummi dei fontis eſſendi, vt ſic iudi- cia fiãt, vt tamen dei eſſe, & ipſum iudicem, & eos qui iudicantur, meminerit iudex. Et ex iudicio ornamentum hoc nominatur pectorale iudicij, & propterea nomina Patriarcharum nec in pectorali ſunt ſculpta, vtpote ſu- periorum iudicio pontificis legalis. AVCTOR CATENAE. Super pectus ſuum, Vel ſuper cor ſuum. Hebraicè enim eſt לִבּוֹ Libbo, quod aptiùs redditur cor ſuum. Verùm idem eſt hoc loco pectus & cor. Memoria- le coram domino, id eſt, pro memoriali. Dictio לְזִכָּרוֹן Leziccaron, etiam pro monumẽto, ſiue in memoriam red- di poteſt. Quaſi dicat, Vt deus memor ſit duodecim Patriarcharum, Vel vt ipſe Aaron ſit duodecim Patriar- charum memor, cùm erit coram domino. In æternum. Pro hoc in Hebræo eſt dictio תָּמִיד Tamid, quod iugiter,
C ſiue ſemper redditur, hoc eſt, ſemper quando ingredietur ſanctuarium, geſtabit ſuper cor pectorale iudicij. Sed hæc minima ſunt, & quæ ſenſum literæ noſtræ non alterant. Diſcimus ex hoc loco, profectum, honorem, vtilita- tem ſibi commiſſorum, & ſalutem animarum ſacerdotem ſemper habere debere in votis & pectore, quos & hu- meris geſtare, & adiuuare ſedulò obligatur. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem quæ erunt in pectore Aa- ron, quando ingredietur coram domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo in conſpectu domini ſemper.* AVGVSTI- *Quæſt. 117.* NVS. Alia litera, Et impones ſuper ſuperhumerale iudicij demõſtrationem & veritatem. Quid ſibi hoc velit, vel in quali re, vel metallo poneretur ſuper rationale demonſtratio & veritas, quoniã talia dicit fieri in veſte ſa- cerdotis quæ corporaliter fiunt, inuenire difficile eſt. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuiſſe, cuius color ſiue ad aduerſa, ſiue ad proſpera mutaretur, quando ſacerdos intrabat in ſancta, & hoc eſſe quod ait, Et afferet Aaron iudicia filiorum Iſraël ſuper pectus ſuum, oſtendens videlicet in illa demonſtratione & veritate, quid de illis iu- dicauerit dominus, quanquam poſsit intelligi demonſtrationem & veritatem literis impoſitam ſuper λόγιον.
D HVGO DE SANCTO VICTORE. Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem. Pro do- ctrina & veritate, in Hebræo habetur, Vrim & Tummim. Nã Vrim doctrina ſiue iudicium interpretatur, Tum- mim veritas. Hinc & ſortes quibus antiquitùs ad iudiciũ veritatis vtebãtur, Vrim Tummim dictæ ſunt. Erãt- que characteres inſcripti diuerſis literis, quibus proiectis ex iũctura literarum deſuper apparẽtium quid facien- dum ſiue vitandum foret vero indicio monſtrabatur. Pones ergo in rationali iudicij doctrinam ac veritatem, hæc nomina ſcilicet ſcripta in textura. In conſpectu domini ſemper. In ſolitis horis quando miniſtrabatur corã domino. CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, Et dabis ad pectorale iudicij Vrim & Tummim, & erunt ſuper cor Aaron veniente ipſo coram domino, & portabit Aaron iudicium filiorum Iſraël ſuper cor ſuum corã domino ſemper. Quid intelligatur nominibus Vrim & Tummim, nullus (quantùm nouimus) hactenus explica- uit, Diuerſi diuerſa dicunt, nec certi aliquid habetur. Scito certũ eſſe, quòd vrim & tummim nomina ſunt plu- ralis numeri, & quòd alterum lucem, alterum perfectionem ſonat, tanquam vrim ſignificet lumina, & tummim
E ſignificet perfectiones, ita quòd proculdubiò mandatur, vt dentur pectorali iudicii illuminationes & perfectio- nes. Et hoc non vertitur in dubium, ſed neſcitur materia luminũ & perfectionum, neſcitur modus quo hæc po- nebantur in pectorali iudicii. AVCTOR CATENAE. Pones autem in rationali iudicii doctrinã & ve- ritatem. Recentiores expoſitores hîc, ſicut & Chaldaica, Hebraica vocabula integra reliquerunt, videlicet אוּרִים Vrim & תֻּמִּים Tummim, pro quibus Septuaginta, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, Manifeſtationẽ & veritatem dixerũt. Prima igitur harum dictionum quæ ab אוֹר or, quod illuminare ſeu lucere ſignificat deſcendit, & plurale eſt di- ctionis vr, illuminationes interpretari poſſunt: altera à תָּמַם Tamam verbo, quod complere, perficere, ſeu imma- culatum eſſe ſignificat, vertit, & veritatem vel perfectionem ſicut alibi Latinus vertit Interpres, ſeu integritatem ſonat, & in ſumma nomen diuinum ambæ dictiones exprimunt. His itaque duobus nominibus nomen tetragrã maton intelligẽdum eſſe Rabbi Salomon aſſerit, dictúmque eo modo exiſtimat, quòd ſacerdotem illuminaret, doceretque viam rectã perſequi, & vt ſciret, quid ei foret dicendum. Vnde ait, Doctrina & veritas, erat ſcriptu-
F ra nominis tetragrãmaton, quæ erat poſita, vbi coniungebatur ſuperhumerale, per quod nomen ſacerdos lumen verbis ſuis adhibebat, & diuinitùs loqui videbatur. Hoc autem nomen יְהוָה Trinitatis myſterium continet, vt veteres Iudæi qui Chriſtum præceſſerunt dixere in ſuis traditionibus. Nam per י intelligitur pater qui eſt prin- cipium & origo omnium rerum. Per ה filius per quem omnia quæ facta ſunt eſſe cœperunt. Per ו quæ eſt coniun ctio copulatiua, intelligitur ſpiritus ſanctus, qui eſt amor & nexus vtriuſque qui ab vtroque procedit. Gemina- tur autem ה propter duplicem naturã quæ eſt in Chriſto: per primum ה natura diuina intelligitur, per ה poſtre- mum natura humana. Hæc autem ſcriptura nominis dei Iehoua, dicebatur Vrim & Tummim, id eſt, illumina- tiones & perfectiones, quod ex huius trinitatis intellectu, mens illũminetur & perficiatur. Quidam exiſtimant Vrim & Tummim, quæ (ſicut iam dictum) ſignificant illuminationes & perfectiones, hoc eſt, ſummam illumi- nationem & perfectionem, ideo dominum iuſsiſſe inſcribi pectorali, vt admoneretur ſummus ſacerdos, oporte- re eum eſſe ſumma doctrina præditum, qui lumen & illuminatio ſæpe dicitur in ſcripturis, & morum ſumma integritate

integritate. Sunt qui contendant, Vrim & Tummim fuisse illas ipsas duodecim gemmas quæ commemoratæ G
sunt, quæ sicut suprà vocatæ sunt lapides מְלֵאִים Milluim, id est, plenitudinum, quòd ipsis impleretur pectorale,
& quòd in vsum pectoralis consecrati fuerint, ita nunc vocentur אוּרִים Vrim, propterea quòd velut ignis in pe-
ctore summi sacerdotis, vt est natura tot simul coniunctarum gemmarum, splenduerint, ac perspicuam lucem
de se proiecerint (or enim ignem significat) vocentur & תֻּמִּים Tummim, propterea quòd fuerint perfecti & inte-
gri, nec vllo vitio notati, nam תָּם tam significat perfectionem & integritatem. Et quod dicitur hîc, Pones in ra-
tionali iudicij Vrim & Tummim, volunt repetitionem ac inculcationem eorũ esse quæ priùs mandata fuerãt,
vt quod minimè prætereundum, aut negligendum erat, bis aut ter inculcaretur, non autem quòd aliquid noui
superadderet, aut adiiceret gemmis. Ad quod persuadendum aliquibus rationibus vtuntur, illâque præcipuè,
quòd in capite trigesimonono huius libri cùm commemorasset scriptura Moysen mandato dei obsecutum esse,
ac posuisse duodecim gemmas, in pectorale iuxta verbum domini, ibi ne verbum quidem additur de Vrim & H
Tummim, quod certè haudquaquam omissum esset, si Vrim & Tummim aliud quàm duodecim gemmæ fuis-
sent, præsertim cùm alia longè minora & abiectiora diligentissimè & magna solicitudine iuxta præceptum dei
confecta esse recensentur. Ad hæc, cùm Moyses magna religione in describenda sacrarum vestium materia &
forma versetur, quò singula perspicuè tradat, profectò paulò pluribus descripsisset Vrim & Tummim, si aliud
quàm duodecim lapides per ea intellexisset. Alij sunt, inter quos Iosephus & Suidas numerantur, qui dicant, ex
fulgore seu obscuritate lapidum horum duodecim, addito etiam adamante secundum Suidam, signa quædam
prouenire solita, ex quibus sacerdos summus cùm Ephod indutus esset, omnia futura, & belli aliàs incertos euẽ-
tus certissimè prænoscebat ac prædicebat. Non desunt inter Iudæos Rabbini etiam docti, qui quid sit Vrim &
Tummim ingenuè fateantur ignorare, cùm quibus etiam nos in præsentia transibimus, potiùs quàm certi ali-
quid ea in re statuere præsumamus. Quicquid tamen id fuerit, quod summi pontifices in Israël ornatu Ephod &
Chosen, id est, rationalis & superhumeralis, ad sciscitanda oracula dei, præsertim pro magistratu & publica sa- I
lute populi aliquoties vsi fuerint, multa loca scripturæ testificantur. In Numeris enim capite vigesimoseptimo
ita scribitur de Iosue, Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat dominum. Pro quo iuxta He-
bræam veritatem ita habetur, Stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui sciscitetur oraculum pro eo, per iudicium
Vrim, hoc est, organo, & ornatu chosen, in quo inclusa erant Vrim & Tummim, seu duodecim pretiosæ gemmæ.
Et primo Regum vigesimotertio, Cùm Dauid resciisset, quòd præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar
sacerdotem, Applica Ephod, cui scilicet affixum erat chosen, in quo continebatur Vrim & Tummim. Et capite
trigesimo, Confortatus est Dauid in domino deo suo, & ait ad Abiathar sacerdotem filium Ahimelech, Applica
ad me Ephod. Et applicuit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid dominum, videlicet per sacerdotem
Abiathar, indutum Ephod cum chosen, iuxta põtificiam consuetudinem. Idẽ habes capite vigesimoctauo, Cùm
Saul consuluisset dominum, non respondit ei dominus, neque per somnia, neque per Vrim, neque per Prophetã.
Ex his perspicuè vides oracula dei quæsita esse per chosen, seu per Vrim & Tummim, quæ erant in chosen. Quo K
autem modo deus responsa sua dederit, aut voluntatem suam significauerit, siue per Angelum, siue per splendo-
rem gemmarum, siue per occultam spiritus sancti reuelationẽ, siue per aliud quoddam organum, quia nihil certi
de hac re, vel in scriptura sacra, vel in scriptis Interpretũ (quod nos quidẽ sciamus) extat, nec nobis libet diuinare.
Contenti igitur simus hac cognitione, quòd deus per sacerdotem ornatu chosen indutum, responsa sua dederit.
Sequitur autem in litera, Quæ erunt in pectore Aaron. Et hîc, & statim subsequẽter vbi dicitur, Et gestabit iudi-
cium filiorum Israël in pectore suo, in Hebræo est, לֵב Leb dictio, quæ (vt suprà dictum est) cor significat. Sed hoc
parũ est. Iudiciũ autẽ pro pectorali iudicij accipitur. Vel secundum alios, iudicium pro memoriali ponitur, quo
reuocabat filios Israël deo in memoriã. Ipsum autẽ pectorale, rationale iudicij dictũ est, siue vt iã supradiximus,
quia per Vrim & Tummim fiebat iudicium ac demonstratio, num negocium de quo oraculũ quæritur, esset fa-
ciendum, vel non. Vel secundum alios, eo quòd gestatio chosen sit propitiatio diuini iudicij, & supplicij, quod
pro iniquitatibus inferẽdum esset. Sed quia מִשְׁפָּט non iudicium tantùm, verùm etiam ius & statutum significat, L
& iubẽtur nomina duodecim tribuum in gemmas insculpi, vt Aaron portet ea pro memoriali super pectus suũ
coram domino, manifestum est, pectorale ideo chosen iudicij vocari, vt hac nomenclatura significaretur, singu-
las tribus Israël suum habere ius in omnibus promissionibus dei, quæ ad Abrahã, Isaac, & Iacob dictæ sunt, vi-
delicet quòd singulæ tribus sint de numero populi dei, & quòd ad vnamquanque tribum pertineat suum hære-
ditatis ius, in regno & sacerdotio ac aliis quæcũque Patriarchis promissa sunt. Vnde dicitur, Aaron portabit iu-
dicium, hoc est, ius filiorum Israël super pectus suum, videlicet, vt singulæ tribus quarum nomina insculpta erãt
in gemmas, admonerentur sui iuris, quod haberent in promissionibus dei. Sequitur, In cõspectu domini semper,
id est, quotiescunque ingredietur tabernaculum. Causam igitur (ait dominus) salutis Israëliticæ plebis coram
deo assumet Aaron, quando orationis & oblationis tempore tabernaculum ingredietur, & pro ipsa sollicitus erit
cogitando iudicium dei quod imminet ipsis. Et hæc quidem iuxta literam.

*Mystice.* HIERONYMVS. Rationale in medio positum, terram edisserunt Hebræi, quæ instar puncti, licet omnia M
in se habeat, tamen à cunctis vallatur elementis. Duodecim lapides, vel zodiacum interpretantur circulum, vel
duodecim menses, & in singulis versiculis singula assignant tempora, & his ternos deputant menses. Nec alicui
gentilis videatur expositio. Non enim si cœlestia & dei dispositionem, idolorum nominibus infamarunt, idcir-
co dei est neganda prouidentia, quæ certa lege currit & fertur, & regit omnia. Nam & in Iob, Arcturum & Orio-
nem & Mezaloth, hoc est, Zodiacum circulum, & cætera astrorum nomina legimus, non quòd eadem apud He-
bræos vocabula sint, sed quòd nos non possumus quæ dicuntur, nisi consuetis vocibus intelligere. Pulchrè au-
tem hoc ipsum quod in medio est, appellatur rationale. Ratione enim cuncta sunt plena, & terrena hærent cœ-
lestibus, imò ratio terrenorum & temporum, caloris & frigoris, & duplex inter vtraque temperies, de cœli cursu
& ratione descendit. Vnde & rationale cum Ephod fortiùs stringitur. Porrò quod dicitur in ipso rationali
Δήλωσις esse & ἀλήθεια, id est, manifestatio atque doctrina, vel veritas, hoc ipsum significat, quòd nunquam in dei



A. dei ratione mendaciũ sit, sed & ipsa veritas multis signis & argumẽtis monstretur hominibus, & vsque ad mor-
tales veniat. Vnde factum est, vt rationem solis & lunæ, & anni, & mensium, & temporum, & horarum, tempesta-
tum quoque, serenitatis atque ventorum & rerum omnium nosceremus, accipientes insitam à deo sapientiam,
& ipso habitatore atq; doctore, domicilij sui nobis & fabricæ scientiã demõstrante. IDEM SVPER EZE- *Cap.28.*
CHIELEM. Verũ dicamus nos secundũ altiorem intellectum. Habitationi paradisi in Ezechiele propheta co-
pulatur, Omnis lapis pretiosus operimentũ tuũ, siue colligatio tua, & circũdatio, sardius, topatius, & iaspis, chry-
solitus, & onyx, & berillus, sapphyrus, & carbũculus, & smaragdus, siue vt in Septuaginta, diuerso ordine nomi-
nibúsque aliis duodecim lapides cõtinentur. Hoc obseruandũ est, non omni lapide pretioso regẽ Tyri fuisse cir-
cundatũ, siue opertum, & vt Symmachus trãstulit, vinctum atq; constrictum, sed omnẽ lapidem quẽ habuit prin
ceps Tyri fuisse preciosum. Alioquin multi sunt precioli lapides, quos in præsenti loco scriptura non nominat;
B chalcedonius, sardonix, chrysoprasus, hyacinthus, Chrystallus quoq; & preciosissimum margaritũ. Sed & Aquila
& Symmachus ac Theodotio in præsenti loco multũ inter se & Septuaginta Interpretes nõ solùm ordine, sed &
numero discrepant atq; nominibus. In Apocalypsi quoque Ioannis, vbi de viuis lapidibus Hierusalem extructa *Apoc.21.*
memoratur, paululũ in extremis partibus ordine cõmutato, iidẽ in fundamẽtis eius ponũtur lapides, ita vt portæ
illius chrystalli lumine scribãtur ędificatæ. Sed & in pectore põtificis, per quatuor ordines in rationali iidẽ lapi-
des describũtur, Et in humeris eius duo lapides onychini, in quibus duodecim Patriarcharũ scripta sunt nomi-
na, quos verus pontifex, de quo scriptum est, Tu es sacerdos in æternũ, secundũ ordinem Melchisedek, portat in *Psal.109.*
pectore, portat in humeris, vt in duodecim lapidibus, Apostolorũ numerum, & in duobus, vtriusq; testamẽti sa-
cramenta demõstret, quorum vnus Ioannes Euangelista recubuit in pectore eius, vt hauriret fluenta sapientiæ, &
posset dicere, In principio erat verbum, & verbum erat apud deũ, & deus erat verbũ, hoc erat in principio apud *Ioan.13.*
deũ. Isti sunt viui lapides, de quibus ędificatur Ecclesia, & de quibus scribit Apostolus Petrus, Si credidistis, quia *1.Pet.2.*
C suauis est dominus, ad quẽ accedentes lapidem viuentẽ, ab hominibus quidem reprobatum, à deo autem electũ,
honorabilẽ, & ipsi sicut lapides viuentes ędificamini domus spirituales in sacerdotium sanctũ, offerre spiritua-
les victimas, placentes deo per Iesum Christũ, quoniam dicit scriptura, Ecce ponã in Sion lapidem angularẽ, ele- *Esa.28.*
ctum, precioſum, & qui credit in eo, non cõfundetur. Super quo & vas electionis, pari voce cõsentit, dicẽs, Super- *Ephe.2.*
ędificati in fundamẽto Apostolorũ & Prophetarũ, ipso angulari lapide Christo Iesu domino nostro, in quo omnis
ędificatio cõstructa, crescit in templũ sanctũ dei. Hi sunt lapides, de quibus & in alio loco legimus, Lapides san- *Zach.9.*
cti voluuntur super terram instar rotarum, paululũ tangentes humum, & volubilitate sua ad cœlestia festinãtes. *Esa.54.*
De quibus & scriptura cõmemorat, Ecce ego præparo carbunculũ lapidem tuum, & fundamẽta tua sapphyrũ, &
ponam propugnacula tua iaspidem, & portas tuas lapide crystallo, & murũ tuũ lapidibus electis, & omnes filios
tuos doctos à deo, & in multa pace filios tuos, & in iustitia ędificaberis. Super quo quid nobis videretur, in eiusdẽ
Prophetæ explanationibus diximus. De huiuscemodi lapidibus & vigesimus Psalmus canit, Domine in virtute
D tua lætabitur rex, & super salutare tuũ exultabit veheměter. Desideriũ animæ eius tribuisti ei, & volũtate labiorũ
eius nõ fraudasti eum. Quoniã præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronã de
lapide precioso. Istæ sunt margaritæ Prophetarũ & Apostolorũ, quæ cõparatione Christi omnes venundãtur in *Matth.13.*
Euãgelio, vt ematur preciosissimũ margaritum, & lapis de quo Zacharias scribit, quòd septẽ habeat oculos, id est, *Zach.3. 4.*
septẽ gratias spiritus sancti. Lege Esaiam. Et ponitur per Apostolũ Paulũ in fundamento Ecclesiæ, super quo ędi- *1.Cor.3.*
ficẽtur aurum, argentũ, & lapides precioſi, quorũ colores atq; naturas & efficientias singulorũ, non est huius tem-
poris disserere, sed propriũ volumen desiderant, ita vt in Ezechiele, & in Exodo, & in Apocalypsi, & in Esaia, sibi
omnes lapides, & lapidũ ordines cõparati, magnam & legenti & differenti faciãt quæstionem. Super quibus &
vir sanctus Epiphanius episcopus, propriũ volumẽ mihi præsens tradidit. Et trigesimus septimus liber Plinij Se-
cundi, naturalis historiæ, post multiplicem omniũ rerum scientiã, de gemmis & lapidibus disputat. Ad quorum
notitiã diligens à nobis mittendus est lector. GREGORIVS VIGESIMO OCTAVO MORALIVM.
E Sacerdos igitur cùm tabernaculũ ingreditur, duodecim lapides portare in pectore iubetur, quia videlicet per se- *Cap.9.*
metipsum pro nobis sacrificiũ offerens põtifex noster, dum fortes in ipso exordio prædicatores exhibuit, duode-
cim lapides sub capite in prima sui corporis parte portauit. Sãcti itaq; Apostoli, & pro prima ostensione ornamẽ-
ti lapides sunt in pectore, & pro prima soliditate ędificij, in solo fundamenta. RVPERTVS. Pulchrè quidẽ
rationale interpretantur Hebræi, sed cũ toti terreni sint, cœlestem eorũ non attingit interpretatio põtificem, imò
cœlis excelsiorem factũ, ideo altioris sensus gradum nos ascendere conuenit. Sicut redimentis nos filij dei mise-
ricordia in superhumerali intelligitur, ita veritas in rationali. Vnde & dicitur rationale iudicij, doctrina quoq;
& veritas inscribitur illi. Rationale igitur iũgitur superhumerali, quia misericordia & veritas obuiauerunt sibi.
Qui enim in misericordia redemit, idẽ ipse in veritate iudicabit. Vnde nõ vno aut duobus lapidibus onychinis *Psal.84.*
in rationali, sicut & in superhumerali cũcta filiorũ Israël nomina, sed singulis lapidibus singula inscripta sunt. Nã
vna quidẽ gratia cunctos Christus redemit, & cunctorũ super humeros suos peccata tulit, sed in iudicio reddet
F vnicuique secundũ opera sua. Et electorum quoq; omnium eadẽ erunt præmia, sed pro diuersis differentia meri-
tis. Multæ enim sunt (inquit) mansiones in domo patris mei. Multitudinem mansionum cœlestium, multiplex & *Ioan.14.*
distinctus signat ordo lapidum pretiosorum. Etenim apud Ezechielẽ contra principẽ Tyri nouem ordines An- *Ezech.28.*
gelorum per nouẽ designantur nomina lapidum. Notandũ autem, quòd in superhumerali non solùm catenulæ,
sed & vncini sunt qui rationale iudicij constringant, quia videlicet in misericordia redẽptorum, nostræ spei an-
choræ sunt, vt semper misericordia superexaltet iudiciũ. Hoc in pectore suo portat pontifex, nã in præsentia sua
scriptos habet omnes, omniúmq; condignas meritis ab origine mundi parauit mansiones. HIERONYMVS
AD FABIOLAM. Sed & aliter, Quã pulcher ordo, & ipso habitu sacramẽta demõstrans. In humeris opera
sunt in pectore ratio. Vnde & pectusculum comedunt sacerdotes. Hoc autẽ rationale duplex est, apertum & ab-
scõditum, simplex & mysticum, duodecim in se lapides habẽs, & quatuor ordines, quos quatuor puto esse virtu-
tes, prudentiã, fortitudinẽ, iustitiam, & tẽperantiam, quæ sibi hærent inuicẽ, & dum mutuò miscẽtur duodenariũ

efficiunt

efficiunt numerum, vel quatuor animalia, quæ in Apocalypsi describuntur plena oculis, & domini luce radiãtia G
mundũ illuminãt. In vno quatuor, & in quatuor singula. Vnde & ἀπόκλωσις & ἀλήθεια, id est, manifestatio, vel doctrina, & veritas in pectore sacerdotis est. Cũ enim indutus quis fuerit veste multiplici, cõsequens est, veritatem quam corde retinet, sermone proferre, & ob id in rationali veritas est, id est, sciẽtia, vt nouerit quæ docenda sint, & manifestatio atq; doctrina, vt possit instruere alios, quod mente cõcepit. Vbi sunt qui innocentiam sacerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex nouæ cõgruit, idipsum Moyses quod Apostolus. Ille sacerdotis scientiam ornat in vestibus, iste Timotheũ & Titum instruit disciplinis. Sed & ipse vestimentorũ ordo præcipuus. Legamus Leuiticum. Nõ priùs rationale, & sic superhumerale, sed antè superhumerale, & deinceps rationale. A mãdatis tuis (inquit) intellexi: priùs faciamus, & sic doceamus, ne doctrinæ auctoritas, casis operib⁹ destruatur. Hoc est quod in Propheta legimus, Seminate vobis in iustitia, & metite fructũ vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Primùm seminate in iustitia, & fructũ vitæ æternæ metite, postea vobis scientiã vendicate. Nec statim absoluta perfectio H
est, si quis superhumerale & rationale habeat, nisi hæc ipsa inter se forti compage solidentur, & sibi inuicẽ connexa sint, vt & operatio rationi, & ratio operibus hæreat, & his præcedẽtibus, doctrina sequatur & veritas. Quatuor elemẽta de quibus supradiximus, & duos lapides, vel onychinos, vel smaragdinos, & gẽmas duodecim, quæ ponuntur in rationali, si esset tempus vt discuterem, singulorũ naturas & causas tibi exponerem, & quid vnusquisque valeat, & quomodo virtutibus singulis cõparentur, pleniùs quæsita demonstrarem. Sufficiat, quod & sanctus papa Epiphanius egregiũ super hoc volumen edidit, quod si legere volueris, plenissimam scientiam consequeris.

*Cap. 5.* BEDA. Rationale quoque iudicij facies opere polymito, iuxta texturã, &c. Sicut in superhumerali operũ perfectio, ita in rationali iudicij, quo pectus sacerdotis tegebatur, simul & ornabatur, cordis & cogitationũ eius castitas exprimitur. Et bene post superhumerale, rationale iudicij sequitur, vt cũ ante homines quis innocens manibus apparuerit, multò magis in cõspectu summi iudicis mundus corde assistere contendat, omni agens industria, vt quicquid foris erga proximos agit, aut iudicat, totũ ex regula internæ rationis probatũ, ac suo conditori I
placidũ fulgeat. Duplex autẽ factum est rationale. Hæc duplicatio vestis in legalis pectore sacerdotis, typicè nos admonet, vt rationẽ nostri examinis, & inuisibilis intus arbiter probet, & nunquã humana foris existimatio meritò condemnet. Seu certè duplex in pectore ferimus rationale iudicij, quando & ea quæ de fide veritatis ac vita inuisibili loquimur aut cogitamus, ratione fixa subsistunt, & ea quoque quæ visibiliter agimus, aut agenda disponimus, æquè iudicio iustæ discretionis probantur esse librata. Quòd autẽ mensurã palmi habebat per quadrũ, conatũ infatigabilem ac perpetuũ piæ intentionis ostẽdit. Qui enim palmo aliquid metitur, summo vtique conamine dispansis digitis manũ extendit, vt possit mensuram quærere plenè, & absque scrupulo dubietatis tenere. Vnde meritò sicut per manũ operatio, ita per palmũ exprimitur ipsa inflexibilis contentio bonæ operationis, dum suam quisque dexterã in vniuersa quæ valet insignia virtutum dilatare satagit. Et bene idẽ rationale tam in longitudine quã in latitudine mensuram palmi habere præcipitur, quia siue in lõgitudinem vitæ æternæ desiderium mẽtis erigat, seu in latitudinẽ charitatis erga curam proximi suũ inclinet affectum, necesse est per om- K
nia cor sacerdotale nequaquam segne & desidiosum manere, sed ardente semper studio extendi ad comprehendendum brauium supernæ vocationis dei in Christo Iesu. Ponẽsque in eo (ait) quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis sardius, &c. Hæc gemmarum positio diuersarum in rationali, multiplicem variarum virtutũ operationem designat, quæ cõcordi serie disposita, in sacerdotis debet corde semper apparere. Singuli autem lapides singulis patrum nominibus inscribuntur, dum sanctorum vitam rector inspiciẽs, qui quibus maximè virtutum operibus floruerunt, sedula inquisitione scrutatur, & hæc cuncta in abditis sui pectoris meditando colligere, atque operando proferre satagit. Neque enim sine certi ratione sacramenti ita vtraque vestis lapidibus preciosis redimita, ac patrum nominibus insignita est, vt ipsa nomina in superhumerali quidem duobus lapidibus vnius eiusdẽmque generis, in rationali verò duodecim nominibus diuersi generis inscripta sint. Sed quòd patres in lapidibus preciosis vnius atque dissimilis generis sculpti sunt, significat apertè, quòd vna fides in deum, eadẽ charitas, cõmunis spes vitæ cœlestis, omniũ corda patrum replet. Quod verò diuersi generis lapidibus iidẽ inscri- L
pti sunt, denũciat figuratè, quia multiplex est varietas & gratia bonorum operũ, quibus præfata sanctorum fides, spes, & charitas cõfirmata refulget. Quòd autẽ in rationali quatuor ordines fuerũt, & horũ singuli quique tres habuere lapides, quid nobis intimarũt typicè, nisi vt in virtutibus, quę distinguũtur in quatuor principales, fidẽ sanctæ trinitatis nõ fictã teneamus? Quatuor nanq; ordines gemmarũ habet in pectore sacerdos, quãdo omne quod cogitat, prudentia circunspectũ, fortitudine firmũ, iustitia eximium, temperantia à malis omnibus fuerit secretũ. Sed iidem ordines ternas habent gẽmas, cùm eadem prudentia fortitudo, iustitia, temperantia, sanctæ trinitatis fuerit fide cõsecrata. Quia enim fides nostra in præsenti, fide & operatione recta consistit, aptè sacerdos vt operatione sit præcipuus, quatuor versus gemmarũ in pectore baiulat. Vt verò cũ operibus, fidei synceritate sit castus, ternas in singulis versibus habet gẽmas, quatenus omnibus sese intuentibus, & veræ fidei confessionem, & exempla semper bonæ actionis ostendat, vt & ipsa imitatione rectæ fidei, & operationis summæ membra sacerdotalis actus mereantur effici. Possumus sanè in vario decore lapidum, non solùm claritatem multifariam sacerdo- M
talis actus & cogitatus, verùm etiam spiritualium accipere charismata virtutum, ac miracula sanitatũ. De qui-
*Matth. 10.* bus ipse dominus Apostolis, Infirmos (inquit) curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Et
*Marc. vlt.* iterum, Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Verùm siue hoc, siue illud, siue vtrumque designent, rectè duodenarius in rationali numerus fieri præcipitur, vt eorum solummodo actus & miracula, qui Apostolicæ fidei & charitatis vnitatem sequũtur, accepta deo esse nouerimus. Cæterũ si quis loquatur lin-
*1. Cor. 13.* guis, si quis facultates pauperibus omnes tribuat, si quis tradat corpus suum vt ardeat, si vnitatem catholicæ charitatis non habuerit, nihil sibi prodest. Rectè etiã duo lapides onychini in superhumerali eodẽ duodenario erãt patrum numero sculpti, vt doctrinam fidẽmque Apostolorum, vtrique populo Iudæorũ, videlicet & Gentium, profuturam esse designarent. Iuxta quod eidem intellectuali Hierusalem, hoc est, Ecclesiæ suæ dominus per Prophetam



A phetam manifestè promisit, dicens, Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis, & semen tuum gentes hæredi- *Esa. 54.*
tabit. Quod autem onyx rubri fertur esse coloris, cingulos videlicet habens albis cingentibus zonis, quis nõ videat, quòd vel ardorem charitatis, vel lucem designet scientiæ, comitante zona castitatis? Cuiusmodi lapidibus insc.pta patrum vocabula gestat sacerdos, cùm exempla præcedentium iustorum, charitati, castitati, humilitati, doctrinæ cæterisque virtutũ operibus, iuge studium impendit. Et hoc in vtroque humero, vt siue Iudæus quis,
seu de gentibus adsit, claritatẽ semper in doctore veritatis & pietatis, per quam ipse ad meliora profecerit aspectet. Facies in rationali catenulas, & cætera. Quia verò (quod sæpius dictum est) superhumerale ad operum consummationem bonorum, rationale autem ad significandam cogitationum munditiam pertinet, connexio quę
hæc in alterutrum sociat, rectè illam mentis industriam figuratè denũciat, qua doctorum fidelium intellectus
ac fides cum operatione coniungitur. Manet enim iunctura fabrefacta, vt à se inuicem rationale ac superhume-
B rale nequeant separari, quoniam tanta eruditione, tanto operis studio præminet rector, vt nihil ex eis quæ facienda esse cognouerit, imperfectum relinquat: nil ex eis quæ recta facere cernitur, per incuriam cordis virtute rectitudinis priuet. Defluunt nanque indumenta pontificis, & à se inuicem mouentur, si vel decus operis boni, minor cordis custodia sordidat, vel castitatem puræ cogitationis, integritas non sequitur perfectæ actionis. Sed ne hæc adinuicem valeant dissolui, habeat sacerdos in rationali duas catenulas ex auro purissimo, id
est, continuationem castæ & non fictæ dilectionis cordi suo firmiter affixam, quæ nunquam manus & linguã illius ab æquitate puri sensus dissentire permittat. Et bene duas, vt & in his quæ ad diuinæ cultum seruitutis, & in eis quæ ad fraternæ subsidium necessitatis pertinent, ritè ornatus incedat. Et quidem aptè opus charitatis per catenulas exprimitur aureas, quia sicut catenula ex pluribus auri virgulis vna contexitur, ita charitas ex
ex multifaria virtutum operatione perficitur. Quas profectò virgulas exponens Apostolus, ait, Charitas patiens *1. Cor. 13.*
est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua
C sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati: omnia suffert,
omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Habeat autem & anulos aureos, è quibus eædem catenæ pendeant, id
est, iugem memoriam perpetuæ & nunquam finiendæ claritatis in cœlesti patria, ex qua solùm memoria fieri
cõsueuit, vt continua nobis possint vincula charitatis manere. Habeat duos vncinos superhumeralis aureis anulis eminentes, quibus inserantur catenæ, hoc est, in ipso exordio cuiusque bonæ actionis habeat firmam deo placendi intentionem, quæ apta sit per omnia suscipiendæ & continendæ in se dilectioni dei & proximi, ita vt siue
prospera seu aduersa quæque occurrerint, nunquam saluberrima piæ deuotionis retinacula laxet. Hoc est nanq;
sacerdotem in vtroque humero vncinos, qui catenulas rationalis excipiant, habere, & in prosperis eum, & in as-
peris rerum euentibus, fixum deo placendi studium tenere, & huius intentionẽ studij, in ipsius simul & proximi
amore firmati. Inserunt ergo se vncini superhumeralis catenulis aureis, quæ de rationalis summitatibus offerun
tur, cùm ea quæ mens rationabiliter de interna luce claritatis degustat, mox alacritas bene operandi libenter am
D plexata suscipit. Fortè citiùs habitus rationalis pulcherrimus à pectore sacerdotis relaberetur, si non eum accelerans boni operis vncinus qui contineat apprehendat. Subrogantur eisdẽ catenulis in auxilium & vittæ hyacinthinæ, quibus vterq; sacerdotis habitus ad inuicẽ copuletur, id est, ligaturæ desiderij cœlestis fortissimæ, quę anulis aureis immissæ, superhumerale cum rationali constringunt, cùm agnita luce patriæ perennis, in illam ineffabilem gloriam suspiramus, vtq; ad hanc intrare mereamur, concordi semper fide & vita, opere & professione,
in tabernacula præsentis Ecclesię domino seruire studemus. Quod autẽ superhumerale strictum erat baltheo,
vt in sequentibus vbi pontifex induebatur, apertiùs indicatur, & de superhumerali (inquit) imposuit, quod stringens baltheo aptauit rationali, quis non videat, quòd custos bonorum operum fidelissima virtus est continentia? de qua dominus in Euangelio, Sint (inquit) lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, lumbi videlicet præcincti, per continentiam, lucernę ardẽtes per operationem virtutum. Portabítque Aaron nomina filiorum Israël
in rationali iudicij super pectus suum quãdo ingredietur sanctuarium, memoriale coram domino in æternum.
E Semper quidẽ oportet sacerdotem memoriã patrũ in pectore suo ferre, sed permaximè tunc, quando ministraturus coram domino ad altare ascendit, vt quò sacratius est ministerium, eò solertiùs toto se permundãs studio,
tota industria mentis exornans & corporis sanctorũ exempla respiciat, horumq; sedulus imitator existens, aptum
se diuinis exhibere curet aspectibus. Item nomina filiorũ Israël Aaron super pectus suũ memoriale corã domino
portat in æternũ, quando præsul quisq; fidelis, nunquam eorũ quibus prælatus est, curam intermittit habere, sed
vitam iugiter illorum exhortando, increpando, consolando, ipse confortare, & confortandũ tutandumq; domino crebris in orationibus commendare satagit. Pones autẽ in rationali iudicij doctrinam & veritatẽ, quæ erunt
in pectore Aaron quando ingredietur corã domino. Ideo doctrina & veritas in rationali iudicij, siue literis est
impressa seu nominibus, vt eadẽ veste indutus, meminisset se studiis doctrinæ & veritatis inquirendis, non autẽ
curãdis, rimandisq; secularibus negotiis in præacceptũ sacerdotiũ fuisse consecratũ, vt quod exterius typicum in
veste præfulgebat, intus in corde veraciter expressum coruscaret. Item doctrina & veritas erant in rationali po-
F sitæ, vt apertè figuraretur, quia vestis illa non solũ legalem induebat pontificem, sed & Euangelicũ prænuncia-
bat, vel ipsum videlicet dominum, de quo scriptum est, Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum *Ioan. 1.*
Christum facta est. Vel certè Apostolos eius omnes, imò eiusdem gratiæ & veritatis præcones. GREGORIVS *Par. 2. cà. 2.*
IN PASTORALI. Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immũditia polluat, qui hoc
suscepit officij, vt in alienis quoq; cordibus pollutionis maculas tergat, quia necesse est, vt esse mũda studeat manus, quę diluere aliorũ sordes curat, ne tacta quęq; deteriùs inquinet, si sordida in se mens lutũ tenet. Hinc nanq;
per Prophetã Esaiã dicitur, Mundamini qui fertis vasa domini. Etenim vasa domini ferunt, qui proximorũ ani- *Esa. 3.*
mas ad æterna sacraria perducendas in suę cõuersationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantũ debeant
mundari circunspiciant, qui ad æternitatis tẽplum vasa viuentia in sinu propriæ sponsionis portãt. Hinc diuina
voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligãtibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor ne-
quaq̃ cogitationes fluxę possideãt, sed ratio sola cõstringat, ne indiscretũ quid vel inutile cogitet, qui est ad exem

plum aliis constitutus, ex grauitate vitæ semper debet ostendere, quantam in pectore rationem portát. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim nomina Patriarcharum describantur. Ascriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Quod bene rationale iudicij vocatur, quia debet rector semper subtili examine bona maláque discernere, & quæ, vel quibus, quando, vel qualiter congruant, studiosè cogitare: nihil quoque proprium quærere, sed sua commoda propinquarum bona deputare. Vnde illic scriptum est, Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram domino, & gestabit iudicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu domini semper. Sacerdoti quippe iudicium filiorum Israël in pectore coram domini conspectu gestare, est subiectorum causas pro sola interni iudicis, intentione discutere, vt nihil se ei humanitatis admisceat, in eo quod diuina positus vice dispensat, ne correptionis studia priuatus dolor exasperet, cúnque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt non exequatur, ne tranquillitatẽ iudicij, aut latens inuidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror eius qui super omnia præsidet, videlicet iudicis intimi, non sine magno regantur timore subiecti. Qui nimirum timor dum mentem rectoris humiliat, purgat, ne hanc aut præsumptio spiritus leuet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum cupiditatem importunitas pollutæ cogitationis obscuret, quæ tamen non pulsare rectoris animũ nequeũt, sed festinare necesse est, vt repugnatione vincantur, ne vitium quod per suggestionem tentat, mollicies delectationis subigat. Cúmque hæc ab animo tardè repellitur, vereor ne consensus succedat. AVCTOR CATENAE. Demum cùm iubetur sacerdos in pectore portare doctrinam & veritatem, vel (vt habet Hebraica veritas) Vrim & Tummim, quod rectè interpretando dicimus, illustrationes & puritates, vel innocentias, aut immunitatem ab omni macula, docemur, quòd sacerdos debet esse illustratus maximè in doctrina legis, iuxta illud Malachiæ, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent (scilicet populi) ex ore eius, quia Angelus domini exercituum est. Vnde per Aggæum dicitur, Interroga sacerdotem legem, & respondebit tibi. Et in Oseæ, Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Debet quoque præ se ferre puritatem, innocentiam & immunitatem ab omni macula.

4 *Facies & tunicam superbumeralis totam hyacinthinam, in cuius medio supra erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis uestium partibus, ne facilè rumpatur. Deorsum uerò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum. Et uestietur ea Aaron in officio ministerij, ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu domini, & non moriatur.*

4 HIERONYMVS. Tertium describitur pontificis vestimentum מְעִיל Mehil dictum, id est, tunica talaris, tota hiacinthina, ex lateribus eiusdem coloris, assutas habens manicas, & in superiori parte qua collo inducitur aperta, quod vulgò capitium vocant, oris firmissimis ex se textis, ne facilè rumpantur. In extrema parte, id est ad pedes, septuaginta duo sunt tintinnabula, & totidem mala punica ex tribus contexta coloribus. Inter duo tintinnabula vnum malum est, inter duo mala vnum tintinnabulum, vt alterutrum sibi media sint, causaque redditur. Idcirco tintinnabula vesti apposita sunt, vt cùm ingreditur pontifex in sancta sanctorum, totus vocalis incedat, statim moriturus si hoc non fecerit. Hanc igitur describens dominus tunicam, ita loquitur:

*Quæst.118.* *Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cuius medio suprà erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumpatur.* AVGVSTINVS. Secundum aliam literam, Et facies tunicam talarem hyacinthinam, id est, vsque ad talos dependentem, & erit peristomium ex ea medium, id est, qua caput eiiciatur, hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον, Oram habens in circuitu peristomij, opus textoris, contextam, id est, ne ipsa ora extrinsecùs assuatur, hoc videtur dicere commissuram contextam.

*Cap.6.* Vnde etiã addidit, ex ipsa, ne rumpatur, id est, vt ex seipsa sit ipsa ora contexta cum veste. BEDA. Facies & tunicam, &c. Tunicã dicit superhumeralis, cuius pars nõ minima superhumerali tegebatur, ad distinctionem tunicæ quæ erat interior lineæ, quarum pariter superiùs meminit dicens, Hæc autem erunt vestimenta quæ facient, rationale & superhumerale, tunicam, & lineam strictam. Interior autem erat linea siue byssina, quod lini esse genus nobilissimum constat. Exterior verò tunica tota hyacinthina, nihil omnino coloris alterius admittens. CAIETANVS. Materia autem huius pallij sericum erat hyacinthinum. Vbi aduerte, quòd si verum est fuisse coloris aërei, falsò scribitur hyacinthus, non semel sed millies: & è conuerso, si vere erat color hyacinthinus, falsò clamatur aëreus, nam nec hyacinthus lapis, nec hyacinthus herba coloris est aërei, sed lapis est violaceus, & suaue rubens hyacinthus. Appellatur autem tunica hęc serica, tunica superhumeralis, quia immediatè erat sub veste superhumerali. In cuius (inquit) medio supra erit capitium. Iuxta Hebræum habetur, Et erit os capitis eius intra ipsum. Cerne differentiam inter hanc tunicam & superhumerale. Hæc enim tunica quia consuta erat in humeris, habebat os in summitate sua, per quod transibat caput cũ indueretur pontifex, vestis autẽ superhumeralis non est descripta cum huiusmodi ore, quia non erat consuta in humeris. Et erat ista tunica similis Dalmaticæ, qua vtitur noster subdiaconus. Et ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumpatur. Iuxta Hēbræum habetur, Ora erit ori eius in circuitu opus textoris, sicut os loricæ erit ei, non lacerabitur. De solo ore summitatis mandatur vt fiat firmius textorio opere, quemadmodum os loricæ fieri solet: & ratio redditur, ne inter vestiendum facilè frangeretur.

AVCTOR



A AVCTOR CATENAE. Facies & tunicam superhumeralis, id est, quæ suberit superhumerali. Quandoquidem non superinduebatur sacerdos ea, iam humerali & pectorali indutus, sed antea. Quanquam Septuaginta non tunicam superhumeralis, sed ὑποσύτιον ποδήρους, id est, tunicam talarem, legunt. Quòd autem nos habemus, In cuius medio suprà erit capitium, Hebraicè est וְהָיָה פִּי רֹאשׁוֹ בְּתוֹכוֹ Vehaia phi roso bethocho, Et erit os, siue foramen capitis, vel capitij eius, siue summitatis in medio eius. Per quod scilicet caput immittatur. Vel in cuius summæ partis medio foramen erit: siue, In summo eius circa medium eius sit foramen. Quę idem dicunt cum Latina versione. Chaldaica autem paulò quid diuersius, nempe, Et erit capitium eius duplicatum intrinsecus. Sequitur, Et ora per gyrum eius textilis. Sic Hebraicè & Chaldaicè habetur, Ora erit capitio eius per gyrum opere textili. Quod alij dixerunt, Et circum foramen limbus opere textorio fiat illi. Alij etiam, Ora erit ori eius in circuitu opere texentis. Denique quidam, Habens fimbriam iuxta foramen suum

B per circuitum. Quæ à Latina litera non deuiant. Sequitur, Sicut fieri solet, in extremis vestium partibus, ne facilè rumpatur. Hîc sensum ex verbis reddere voluit doctus Interpres, & vt faciliùs intelligeretur, Hebraica circumloquendo, de suo quædam protulit, Ea enim sunt sicut in Chaldaica, nempe, Sicut os loricæ erit ei, vt non rumpatur. Vel vt alij vertunt, Quemadmodum limbus loricæ erit, ne frangatur: siue, Sicut labium loricæ fiet illi, ne rumpi possit. Quod autem dicitur hoc est, Vestis hæc quæ superhumeralis erit, quoniam super eam pontifex immediatè superhumerale induet, quæ etiam poderes appellabitur, quia talaris erit, & pedes tangens, tota fiet hyacinthina, & in superiori parte habebit aperturam, per quam intrabit pontificis caput dum eam induet, & circumcirca aperturam limbus erit in modum oris loricæ opere textoris fabrefactus, ne facilè frangatur, seu dilaceretur. Septuaginta diuersum penitus, videlicet, τῷ συμβολῷ συνυφασμένῳ ἐξ ὑακίνθου, id est, copulationem textam ex ipso. *Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursumque tintinnabulum*

C *aliud aureum, & malum punicum.* CAIETANVS. Non tot circunlocutiones habentur in Hebræo. Dicitur enim, Et facies super fimbrias eius malogranata, Ecce fimbriæ in infima parte vestis, & super fimbriam circum circa appendebantur malogranata & tintinnabula. Verùm malogranata erant serica ex hyacintho, purpura & cocco, quamuis in communi editione addatur byssus, tintinnabula autem erant aurea. Et erant appensa sic ordinatè, vt tintinnabulum sequeretur malogranatum, & è cõuerso. AVCTOR CATENAE. Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies. Hebraica sunt וְעָשִׂיתָ עַל שׁוּלָיו רִמֹּנֵי Vehasitha hal sulaf rimmone. Est autem sul, sinus, seu ora inferior vestimenti, scilicet illa pars vestimenti quæ est deorsum secus pedes, & solùm inuenitur in numero plurali. Vnde optimè hîc transtulit Interpres. Reddi etiam potest, Et facies super oras, siue in fimbriis inferioribus vestimenti malogranata vel mala punica. Quod Septuaginta verterũt, καὶ ποιήσεις ἐπὶ τὸ λῶμα τοῦ ὑποσύτου κάτωθεν, Et facies supra marginem tunicæ ab infrà, & cætera. Chaldaica, Faciésque in inferiori parte per circuitum malogranata. Sequitur, Ex hyacintho &

D purpura & cocco bis tincto. Primùm quod post hæc verba in quibusdam codicibus hîc legitur, & byssо retorta, deest in Hebraica & Chaldaica lectione, & ex Septuaginta Interpretibus additum est. Deinde post eadem verba sciendum ita legi in Hebræo עַל שׁוּלָיו סְבִיב Hal sulaf sabib, In circuitu, siue per circuitum, vel per ambitum fimbriarum eius, Vel in fimbriis eius per circuitum. Quod Interpres noster expresit, dum suprà dixit, Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitũ. Mixtis in medio tintinnabulis. Loco cuius est in Hebræo & Chaldaica, Et tintinnabula aurea (subaudi facies) in medio eorũ (scilicet malorum punicorũ) per circuitũ. Alij legunt, Et tintinnabula aurea inter illa per ambitum. Quæ idem sunt cum Latina litera. Demum quod dicitur, Ita vt tintinnabulum sit aureum & malum punicum. Idem dicitur in Hebræo & Chaldaica, Tintinnabulum aureum & malum granatum, tintinnabulum aureum & malum granatum in inferiore parte pallij per circuitum. Quæ vltima verba subticuit Interpres, vitare volens Hebraismum, cùm semel suprà dixisset, Ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum. Loco quorum vertunt alij, In fimbriis pallij, vel tunicæ, vel interulæ laxioris, in

E circuitu, siue per ambitum, vel per circuitum. Est enim Hebraicè, עַל שׁוּלֵי הַמְּעִיל סָבִיב Hal sule hamehil sabib. Et est sensus, Alternatim ponas tintinnabula & malogranata. Ait igitur dominus Moysi, Tintinnabula & pomella facies pendentia pro fimbriis in margine seu extremitate inferiori tunicæ hyacinthinæ, situata inter se modo interscalari, ita quòd inter duo mala punica sit vnum tintinnabulum, & è contrario. Tintinnabula autem secundum aliquos fuerunt septuaginta duo, & malogranata totidem, secundum alios quinquaginta & quinquaginta. *Et vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu domini, & non moriatur.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Secundum Septuaginta legitur, Et erit Aaron cùm cœperit fungi sacerdotio, audietur vox eius intrãti in sanctuarium in conspectu domini, & exeunti, vt non moriatur. Intranti & exeunti, datiuus scilicet pro genitiuo, hoc est, pro intrantis & exeuntis, locutio est, & vox pro sonitu, nam tintinnabulorum magis sonus quàm vox est. CAIETANVS. Et vestietur ea Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus. Præcipitur F quòd tintinnabula sic fiant, vt ingrediente pontifice in tabernaculum corã domino, sonent, vt intelligeremus, quòd ad officium sonandi appensa erant, & non ad simplicem ornatum. Et non moriatur. Iuxta Hebræum, Et non morietur. Pœna mortis pontifici ingredienti sanctum sanctorum absque his tribus ornamentis promulgatur, manifestando quòd mortem euadet pontifex ingrediens & egrediẽs tabernaculum, vestitus sic. Et propterea non est quærendum quid confert sonus ad euadendum mortem, obedientia enim est illa, quæ confert. Et quòd hic sit sensus literalis, testatur subiuncta eiusdem mortis euasio post præceptum feminalium, obedientia siquidẽ diuinæ legi debita, vtrobique pensanda insinuatur. AVCTOR CATENAE. Et vestietur ea Aaron, & cætera. Hebraicum & Chaldaica ita habent, Eritq; super Aaron (videlicet tunica hæc hyacinthina) quando ministrauerit: & audietur sonitus eius, quando ingredietur in sanctuariũ coram domino, & quando egressus fuerit, & non morietur. Quod vltimum Hebraismus est, pro, vt non moriatur. Id est, vt non subitò percutiatur plaga mortis tanquam trangressor præcepti, si istud non fecerit. Sed hoc totum idem est eum litera nostra.

*Locut.11.*

*Mystice.* HIERONYMVS FABIOLAE. Dicamus priùs quod ab Hebræis accepimus. Sicut veſtimentum linеum terram ſignificat, ſic hyacinthinum aërem in colore demonſtrans, quia de terrenis paulatim ad excelſa ſuſtollimur, & ipſa veſtis hyacinthina à capite vſque ad talos veniens, indicat aërem de cœlis vſque ad terram fuſum. Mala autem punica & tintinnabula in inferioribus poſita, fulgura tonitruáque demonſtrant, ſiue terram, & aquam, & omnium elementorum inter ſe conſonantiam, & ſic ſibi vniuerſa perplexa, vt in ſingulis omnia reperiantur. Quod autem ſupradicti colores auro intexti ſunt, id ſignificari volunt, quòd vitalis calor, & diuini ſenſus prouidentia, vniuerſa penetret. RVPERTVS. At nobis excelſiùs ſpeculantibus, Tunica hyacinthina cum tintinnabulis & malis punicis, myſticè vita vel conuerſatio glorioſa eſt eiuſdem pontificis noſtri, domini Ieſu Chriſti à baptiſmo Ioannis. Ex tunc enim tintinnabulis cœpit perſtrepere, id eſt, aperta & publica prædicatione perſonare, malis punicis intermicantibus, id eſt, miraculorum operibus, per ſingula penè verba concurrentibus. Ipſe color tunicæ hyacinthinæ, cœleſtem eorundem operum eius exprimit dignitatem. Vnde & dicitur in Canticis, Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthinis. Illic in manibus, hîc in veſtitu, ſecundum hyacinthi colorem aëreum eius (vt dictum eſt) opera deſignantur, qui non de terra eſt, neque de terra loquitur, ſed de cœlo venit, & ſuper omnes eſt. Et bene per tunicæ circuitum deorſum ad pedes mala rubẽt & tintinnabula concrepãt in ingreſſum ſanctuarij, quia videlicet maximè in fine vitæ mortalis, operoſa claruit dilectio vel doctrina redemptoris. Cùm enim (inquit Euangeliſta) dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem quoque dilexit eos. Tintinnabula, id eſt, dilectionis præcepta, quibus illa in cœna perſonuit, totus mundus audiuit, & mala rubentia, ſcilicet vitæ æternæ fructum, de illo ingreſſu eius in cœleſte ſanctuarium totus orbis conſecutus eſt. ATHANASIVS. Talaris tunica typus eſt humanæ carnis, qua ſe totũ dei verbum induere non recuſauit. AVGVSTINVS IN QVESTIONIBVS SVPER EXODVM. Sed & aliter. Teſtimonia quædam ſignificari voluit in veſte ſacerdotali, qua vtique ſignificatur Eccleſia, per hæc tintinnabula, vt nota ſit conuerſatio ſacerdotis, ſicut Apoſtolus dicit, Circa omnes teipſum bonorum operum præbens exemplum. Aut illud, Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc eadem commenda fidelibus, & his qui idonei ſunt & alios docere. An quid aliud, magnum tamen eſt, vbi tantùm obſeruationis poſuit, vt diceret ne moriatur. PROSPER. Vel in quinquaginta tintinnabulis totidêmque malis granatis, linguæ ſunt deſignatæ Eccleſiarum, quæ per ſanctum ſpiritũ die Pentecoſtes in ſpecie ignis diuiſæ diſcipulis inſederunt. Vt etiam numerus ipſe oſtendit, ex quo mala granata omnis Eccleſia per mundum connexos, vt grana intrinſecus, continens populos in vinculo pacis & gratiæ, vnum eos tegmen operiat charitatis. Reſonantibus enim tintinnabulis Apoſtolis, mala granata ſtatim mota ſunt in Actibus Apoſtolorum dicentia, Nónne hi qui loquuntur natione ſunt Galilæi? & quomodo agnoſcimus in illis ſermonem in quo nati ſumus? & ſequitur, Variis enim linguis magnificabant deum. Sed hæc omnia greſsibus liberi ſacerdotis mouentur, dum ingreditur in ſancta ſanctorum, quò pro nobis noſter iam Mediator aſcendit apparere ante faciem dei. HIERONYMVS. Hæc ipſa hyacinthina tunica, à Septuaginta ὑποδύτης, id eſt, ſubucula nominatur, & propriè pontificis eſt, ſignificátque rationem ſublimium non patere omnibus, ſed maioribus atque perfectis. Hanc habuerunt Moyſes & Aaron & Prophetæ, & omnes quibus dicitur, In montem excelſum aſcende tu, qui Euangelizas Sion. Demum tanta debet eſſe ſcientia & eruditio pontificis dei, vt & greſſus eius & motus & vniuerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet & ornatu, vt quicquid agit, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum. Abſque tintinnabulis enim diuerſis coloribus & gemmis floribúſque virtutum, nec ſanctã ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſsidere. GREGORIVS IN REGISTRO. Præconis quippe officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium aſcendit, vt ante aduentum iudicis qui terribiliter ſequitur, ipſe ſcilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? Hinc eſt enim quòd ſuper paſtores primos in linguarum ſpecie ſpiritus ſanctus incedit, quia nimirum quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit. Hinc Moyſi præcipitur, vt tabernaculum ſacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne ſuperni ſpectatoris iudicium ex ſilentio offendat. Scriptum quippe eſt, Audiatur ſonitus quando ingreditur vel egreditur ſanctuarium in conſpectu domini, & non moriatur. Sacerdos nanque ingrediens vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur, quia iram contra ſe occulti iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit. Aptè autẽ tintinnabula veſtimentis illius deſcribũtur inſerta. Veſtimenta etenim ſacerdotis, quid aliud quàm recta opera debemus accipere? Propheta atteſtante qui ait, ſacerdotes tui induantur iuſtitiam. Veſtimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum linguæ ſonitu ipſa quoque bona opera clament ſacerdotis. Sed cùm Rector ſe ad loquendum præparat, ſub quanto cautelæ ſtudio eloquitur attendat, ne ſi inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientiũ corda feriantur. Et cũ fortaſſe ſapiens videri deſiderat, vnitatis cõpagem inſipienter abſcindat. Hinc nanq; veritas dicit, Habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos. Per ſal quippe, verbi ſapientia deſignatur. Qui loqui igitur ſapienter nititur, magnoperè metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur. Hinc Paulus ait, Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ. Hinc in ſacerdortis veſte iuxta diuinam vocẽ tintinnabulis mala punica cõiunguntur. Quid enim per mala punica, niſi vnitas fidei deſignatur? Nam ſicut in malo punico vno exteriùs cortice multa interius grana muniũtur, ſic innumeros ſanctæ Eccleſiæ populos vnitas fidei cõtegit, quos intus diuerſitas meritorũ tenet. Ne igitur rector incautus ad loquendũ proruat, hoc quod iã præmiſimus, per ſemetipſam veritas diſcipulis clamat, Habete ſal in vobis, & pacẽ inter vos habete. Ac ſi figuratè per habitum ſacerdotis dicat, Mala punica in tintinnabulis iungite, vt per omne quod dicitis, vnitatem fidei cauta obſeruatione teneatis. SEVERVS. Tunica igitur talaris ſignificat, in ſacerdotibus nihil à virtute à capite vſque ad talos nudum ac vacuũ eſſe debere, BEDA. Facies & tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinã, Huius ſpecie vniformi, vita manifeſtè ſacerdotalis qualis eſſe, debeat docetur, hoc eſt, ſupernis ſolũ deſideriis inceſſanter intẽta, & cõuerſationẽ iuxta Apoſtolũ habens in cœlis, ac ſui ſaluatoris inde deſideranter expectans aduentum. Quæ videlicet tunica ſicut & byſsina, ad pedes vſque pertingebat

*Cant.5.* *Ioan.3.* *Ioan.13.* *Quæſt.119.* *Tit.2.* *Par.2.ca.3.* *Coloſ.3.* *Act.2.* *Hebr.9.* *L.1.cap.24.* *Act.2.* *Pſalm.131.* *Mar.9.* *Rom.12.* *Cap.6.* *Philipp.3.*



A tingebat, vnde vtraque Græcè poderes dicta eſt, vt oſtenderetur nil in ſacerdotali vita infimum ac ſordidum remanere, ſed omne quod agere, quaſi æthereo colore ſpecioſiſsimũ, vniuerſa membra eius à capite vſque ad pedes, gratia virtutum contecta eſſe debere. Item tunica talari ſacerdos tota hyacinthina veſtitur, vt admoneatur opus cœleſte non inchoandum tantũmodo, verumetiam vſque in finem in eo eſſe perſeuerandum omnibus qui ſalui eſſe voluerint. Tunica nanque hyacinthina vſque ad pedes veſtiri, eſt bonis operibus vſque ad finem vitæ huius inſiſtere, præcipiente ac promittente domino, Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc.2.*

Et quia ita ſolummodo ad perfectionem bonæ actionis infatigabili propoſito peruenimus, ſi hanc fixa intentione ſupernæ remunerationis incipimus, rectè de eadem tunica ſubiungitur, In cuius medio ſuprà erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facilè rumpantur. Capitium quippe tunicæ hyacinthinæ firmiſsimam habet oram, & ex ſeſe textam, ne facilè rumpatur, cùm pri-

B mordium bonæ noſtræ actionis, forti radice timoris diuini ſubnixum, & contra omnes inſidias hoſtis antiqui probatur eſſe munitum. Talis nanque ora collum ſacerdotis per gyrum veſtit & ornat, quando rectori fiduciam loquendi ſubdit, ac prædicandi cœleſtia maximam præbet, hoc quòd ipſe non ſolùm in procurſu vitæ ſuæ rectè vixerit, ſed ipſum quoque exordium à rectitudine cœperit, iuxta exemplum beatorum, Samuelis, Hieremiæ & Ioannis Prophetarum, qui ab ipſa infantia ſpiritus ſancti gratia repleti, & in doctorum ordinem ſunt ſegregati. Vox ſiquidem in collo eſt, ideóque per collum rectè loquendi vſus exprimitur. Aptè autem cùm ora capitij per gyrum textilis fieri præciperetur, ſtatim adiunctum eſt, ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus. Scut enim veſtibus opera, ita extremis veſtium partibus poteſt non inconuenienter ipſa operum conſummatio figurari. Vel certè extremæ veſtium partes, vltimæ ſunt noſtræ ſolicitudines, quibus ſeſe quique fideles cùm vitam hanc finire coguntur, intentiùs ſolitò ab omnium labe malorum expurgare contendunt, cùm metu & pauore procurantes, ne ante diſtrictum iudicem perducti, pro

C ſordido vitiorum habitu expellantur, atque in tenebras præcipitentur æterna, quin potiùs appareant induti, ſicut electi dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſuper omnia autem hæc charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, & ideo veraciter indumentum nuptiale, quod in conuiuio ſuo, id eſt, in Eccleſia ſancta rex & iudex noſter inuenire delectatur. Tunica ergo ſacerdotis hyacinthinam habet oram capitij textilem, ſicut in extremis veſtium partibus fieri ſolet, cùm doctor quiſque egregius à tanta perfectione opus virtutum incipit, ad quantam quilibet alius diutiſsimè laborans, vix aliquando peruenit, cùm tanto timore famulatur omni hora, & iuxta ſermonem Prophetæ, Solicitus ambulat cum domino deo ſuo, quantum altiùs quis vel moriturus, & ad iudicium domini ſui vltimum ingreſſurus, vix habere ſufficit. Verùm quia tota perfectio ſacerdotis in operibus & doctrina veritatis conſiſtit, iuxta hoc quod beatus Lucas deſcripto Euangelio dicit feciſſe ſe ſermonem de his quæ cœpit Ieſus facere & docere, rectè ſubiungitur, Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi *Mich.6.* *Act.1.*

D mala punica. Facies ex hyacintho & purpura coccóque bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Deorſum nanque ad pedes tunicæ fiunt quaſi mala punica & tintinnabula per gyrum, quando ad tantam excellentiam deuotæ deo conuerſationis ſacerdos peruenerit, vt nil in illo aliud quàm ſplendor & gratia flóſque (vt ita dixerim) varius bonorum operum videatur, nil ab illo aliud cùm os aperuerit, quàm ſuauiſsimus horum ſonus audiatur. Quia enim in malo punico multa interiùs grana vno foris cortice teguntur, rectè per mala punica, multifaria virtutum operatio, vno charitatis munimine vndiqueuerſum tecta, deſignatur. Fit autem eadem malorum punicorum effigies ex hyacintho & purpura & cocco bis tincto, & (vt in ſequentibus inuenitur) etiam ex byſſo retorta, quibus quatuor coloribus quæ virtutum varietas intimetur, ſæpius inculcatum eſt. His verò in medio tintinnabulo permiſcentur, cùm neque opus ſacerdotis vnquam à ſonitu verbi quod loquitur diſcrepat, neque à rectitudine operis territus, aduerſus linguæ ſonitus diſſentit. vbi pulchrè additur, Ita vt tintinnabulum aliud ſit aureum & malum punicum, rurſúmque tintinnabulum

E aliud aureum, & malum punicum. Aurea quippe tintinnabula hyacinthinæ pontificis tunicæ inſeruntur, & omni ex parte circundantur, cùm omnis ſermo eius claritatem ſupernæ lucis reſonat, idem ſonitus velut hyacinthinæ tunicæ firmè infixus, operum quoque ipſius ſublimitate, audientium mentibus commendatur. Fiúntque bina mala circum ſingula tintinnabula, & circum ſingula mala, bina tintinnabula, cùm & omnia quæ loquitur bonis confirmantur actibus, atque in adiutorium alterius cor defigit, & vniuerſa quæ agit, quàm ſint rationabilia, diſcreto ſermonis ſonitu produntur. Bene autem ſequitur, Et veſtietur ea Aaron in officium miniſterij, vt audiatur ſonitus quando ingreditur ſanctuarium in conſpectu domini, & non moriatur. Si Ioſephi verbis intendere voluerimus, quibus dicit mala in tunica pontificis ſeptuaginta duo fuiſſe, & eiuſdem numeri tintinnabula, congruit hoc figuris myſteriorum, vt ſicut in humero ac pectore apoſtolicum ferre numerum iuſſus eſt, ita etiam diſcipulorum ſeptuaginta duorum circa pedes numerum adſignatum haberet. Conſtat enim ſicut duodenarius Apoſtolorum numerus Epiſcopalis gradum dignitatis inchoauit, ſic

F diſcipuli ſeptuaginta duo qui & ipſi ad prædicandum verbum ſunt miſsi à domino, gradum ſacerdotij minoris, qui nunc presbyteratus vocatur, ſua electione ſignarunt. Vnde & propter hoc numerus in vltima parte ſacerdotalis habitus, ille in prima figuratus eſt. Decebat enim, vt qui maiores gradu in corpore ſummi ſacerdotis, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti erant futuri, ſublimiorem in habitu typici pontificis locum typicè haberent. Verùm ſi quis ipſos etiam numeros vtriuſque ordinis myſticè vult interpretari, duodecim gemmas Aaron in pectore præferebat, vt ſignificaret tempus inſtare futurum, quo fides ſanctæ Trinitatis in omnibus quadrati orbis partibus generi humano prædicaretur. Vel certè (ſicut & ſuprà docuimus) duodecim gẽmas, id eſt, ter quaternas geſtabat, vt omnes admoneret doctores, opera iuſtitię quæ quatuor virtutibus principaliter comprehẽduntur, ſimul cum fide veritatis, quæ in Trinitate eſt, & ipſos habere ſemper, & ſuis commendare diſcipulis. Portabat & ſeptuaginta duo tintinnabula aurea cum totidem malis punicis, vt oſtẽderet myſticè, quòd eadem fides & operatio iuſtitię, vniuerſum eſſet mundum ab errorum tenebris ad verã lucem productura. Tres nanq; dies ac

noctes,habent horas ſeptuaginta duas.Et quia ſol iſte viſibilis omnes mundi partes in ſeptuaginta duabus ho- G
ris ſuprà infráque luſtrando, tribus vicibus circuit, aptè hic numerus tintinnabulorum & malorum diuerſitate
colorum tunicæ pontificis inditus eſt, ad docendum figuratè,quòd ſol iuſtitiæ Chriſtus, orbem eſſet illumina-
turus vniuerſum,eiuſq; donum præbiturus & veræ fidei,quæ eſt in agnitione & confeſsione ſanctæ Trinitatis,&
bonæ operationis quæ in variarum eſt ſplendore virtutum.Poſſumus ſanè in duodenario numero gemmarum
rationalis etiam hoc intelligere figuraliter expreſſum,quod idem ſol iuſtitiæ cuncta noſtra tempora, cunctas or-
bis plagas ſua eſſet luce repleturus, in exemplum ſolis mundani,qui per menſes duodecim ſigniferũ luſtrare cir-
culum,& totum ambire conſueuit.Nam & hoc quod quatuor ordines in rationali ternos habebant lapides,con-
gruit anni vertentis ordini,qui per ternos menſes in quatuor tempora diſtinguitur. Annum autem in ſcripturis
vocari totum hoc ſalutis noſtræ tempus,quo pro æterna retributione certamus teſtatur ipſe ſaluator, qui iuxta
*Eſaiæ.61.* ſermonem Eſaiæ miſſuseſt prędicare annũ domini acceptum , & diem retributionis,cùm de eodẽ anno & Pſal- H
*Pſal.64.* miſta canit,dicens,Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Quibus enim in præſenti dedit benignitatem re-
ctæ fidei & operationis,dabit in die retributionis coronam perpetuæ benedictionis. AVCTOR CATE-
NAE. Cùm igitur legimus Aaronis tintinnabula,admoneamur Euangelij, & imitemur tam ad fidem & bona
opera,quàm ad gratitudinem,quòd nos qui audimus nunc clarum & manifeſtum ſonitum Euangelij, tantò fe-
liciores ſumus Iſraëlitis,quantò lux tenebras,dies noctem excellit.

5 *FAcies & laminam de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris, ſanctum domino. Ligabíſque eam*
*vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti pontificis . Portabítque Aaron iniquitates*
*eorum quæ obtulerunt & ſanctificauerunt filij Iſraël in cunctis muneribus & donariis ſuis. Erit au-*
*tem lamina ſemper in fronte eius,ut placatus ſit eis dominus.Stringéſque tunicam byſſo,& tiaram byſſinam fa-* I
*cies,& baltheum opere plumarij.*

5 BEDA. Lamina aurea in fronte pontificis collocanda confici mandatur,in qua ſanctum domino,ſiue ſan-
ctum domini,vt in ſequentibus appellatur,ſculptũ eſt,quod ſacratius cæteris erat indumẽtis illius. Et meritò ſi-
*Cap.7.* cut diuina potentia cunctis quæ creauit ſupereminet,ita oportebat vt nomen eius cæterum pontificis habitũ or-
natúmque tranſcendens,altiùs præmineret,& velut cuncta ſanctificans,eximiam in eius fronte ſedem teneret.

*Facies* (ergo inquit)*& laminam de auro puriſſimo in qua ſculpes opere cælatoris, ſanctum domino.* HIERONYMVS. Hæc
Hebraicè צִיץ זָהָב Ziz zahab dicitur,in qua ſcriptum eſt nomen dei Hebraicis quatuor literis י iod, ה he, ו vau,
*Quæſt.120* ה he, quod apud illos ineffabile nuncupatur. AVGVSTINVS. Alia litera,Et facies laminam auream pu-
ram,& formabis in eadẽ formatione ſanctitatem domini. Quomodo autem formetur in lamina ſanctitas do-
mini,non video,niſi aliquibus literis,quas quidem quatuor dicunt eſſe Hebræas,quod vt Græci appellãt τετρα- K
γράμματον, nomẽ dei ineffabile credũt fuiſſe,vel eſſe adhucuſq;.Sed quælibet ſint, vel quomodolibet ſe habeãt il
læ literæ , vt dixi , ſanctitatem domini, vel ſanctificationem ( ſi hoc magis dicendum eſt , quod Græcus habet
ἁγίασμα) non niſi in auro literis formari potuiſſe crediderim. BEDA. Sanctum autem domini quod in la-
mina ſculpi iubetur, nomen eius ſanctum & venerabile ſignificat,quod apud Hebræos quatuor literis vocalibus
ſcribi ſolet, cuius interpretatio lingua eorũ ineffabile ſonat,non quia dici non poteſt,ſed quia finiri ſenſu & intel
lectu creaturæ nullius poteſt.Et quia nihil de eo ſatis dignè dici poteſt,ideo ineffabilis rectiſsimè vocatur, iuxta
*Philipp. 4.* illud Apoſtoli,Et pax dei quæ exuperat omnem ſenſum,cuſtodiat corda veſtra.Et Pſalmiſta,Magnus(inquit)do
*Pſal.144.* minus & laudabilis nimis,& magnitudinis eius non eſt finis. CAIETANVS. Facies & laminam de auro
puriſsimo, in qua ſculpes opere cælatoris. Iuxta Hebræum habetur , ſculpturis ſigilli . Figura huius laminæ
incerta eſt , materia ſola cum forma artis deſcribitur in litera, ſanctum domino . Iuxta Hebræum habe-
tur , Sanctitas iehoua . Et eſt datiui caſus iehoua . Iſtæ duæ dictiones erant ſculptæ in lamina illa aurea, L
ſignificantes , tum quòd ſanctitas eſt propria deo , aduerſus falſa ſentientes de natura diuina, ipſe enim
ſolus mundus eſt ab omni potentialitate, ſolus enim eſt actus purus, vt etiam Philoſophi confitentur. Tum
quòd ſanctitas inuenitur in omnibus operibus dei , contra blaſphemantes aliquod dei opus . Tum quòd ſan-
ctitas debetur deo in omnibus quæ referuntur ad ipſum , tam internis mentis & animi motibus, quàm exter-
nis oblationibus, ſacrificiis, & cætera. Et hoc aduerſus minùs religioſos. AVCTOR CATENAE.
Quod nos dicimus, In qua ſculpes opere cælatoris ſanctũ domino,Hebraicè legitur, וּפִתּוּחֵי חֹתָם קֹדֶשׁ
לַיהוָה Vphittachta halaf pittuche chotham kódes laihoua . Dictio autem kódes, & ſanctitas, vel ſanctifica-
tio, aut ſanctum, vel conſecratum reddi poteſt. Et iehoua , tam domini, quàm domino, propter la-
med articulum, qui tam genitiuo quàm datiuo caſui ſeruit . Sic igitur verti poteſt hic locus , Et ſculpes
in ea ſculpturis anuli ſiue ſigilli , ſanctitas domini ( ſubaudi eſt) Id eſt, ſanctitas decet dominum. Qua-
ſi dicat , Procul eſte prophani , ſanctè colendus eſt deus . Verti etiam poteſt, Sanctitas domino ( ſupple M
eſt ) Id eſt, deus ſanctiſsimus eſt. Sculpturas antem anuli vocat explanatas, quæ facilè legi poſsint . Vn-
de & Chaldaica habet, Et ſculpes ſuper ea ſcriptura diſtincta, ſanctum domino. Alij vertunt, Et ſcalpes
in ea cælaturas, vt ſolent ſigilla cælari, ſanctum domino. Quidam, In qua ſculpes cælaturas in modum
ſigilli, ſanctum domino. Septuaginta, καὶ ἐκτυπώσεις ἐπ᾽ αὐτῷ ἐκτύπωμα σφραγίδος ἁγίασμα κυρίου, Et ſculpes
in ea ſculpturam ſigilli ſanctificationem domini. Quæ omnia idem dicunt cum litera noſtra.Voluerunt tamen
nonnulli inſculptum fuiſſe in ea,non hæc verba, ſanctum domini,ſed nomen ipſum ſanctum tetragrammaton,
hoc eſt יְהוָה Iehoua. *Ligabíſq; eam in vitta hyacinthina,& erit ſuper tiarã imminens fronti pontificis.* HIERONYMVS. Hæc
(vt vides)ſuper pileolum lineum & commune omnium ſacerdotum,in pontifice plus additur, vt in fronte vitta
hyacinthina conſtringatur,totámq; pontificis pulchritudinẽ,dei vocabulum coronet & protegat. CAIETA-
NVS. Sententia hæc clariùs in Hebræo habetur, Et pones ipſam ſuper vnũ filum hyacinthi,& erit ſuper mitrã,
ad cõtra



A ad contra faciem mitræ erit, & erit ſuper frontẽ Aaron.Situs laminæ deſcribitur, in primis quòd non ſit cincta,
ſed ipſa ſit ſuper filium quod ambiendo mitram,ſuſtinet laminam,& rurſus ſit ſuper filum, hoc eſt, vt filum ſit
in infima parte laminæ,his enim duobus modis lamina ſuper filum eſt vnicum, non filos duos hinc & inde,ſed
vnum ambiens mitram,deinde quòd lamina non flectatur ad mitram,ſed ſit recta contra faciem mitræ, & de-
mum quòd ſit ſupra frontẽ pontificis.Si collegeris itaque has tres relationes laminę,& penſaueris exactè,appare-
bit quòd vnicum filum ex ſerico hyacinthino rotundum, tanquam circulus ad menſuram capitis ſupra frontẽ,
deuinctum erat internæ ſuperficiei laminæ, in infima laminæ parte,ita quòd poſito iſto filo tanquam capitis cin
gulo ſuper frontem pontificis prẹhabentis mitram, manebat lamina recta tanquam ſtans,& non inclinabatur ad
mitram.Et ex tali diſpoſitione inſinuatur,quòd paruæ quantitatis erat hæc lamina , quæ ſoli fronti reſpondere
dicitur,& vnico filo infimo ſuſtineri è regione mitræ.Nec fiat vis in verbo mitræ,quoniam incerta eſt nobis for-
B ma illius mitræ. AVCTOR CATENAE. Ligabíſque eam vitta hyacinthina,& cętera.Non diſcordat ab
Hebraico quod eſt prout habet Chaldaica,Ponéſque eam ſuper vittam hyacinthinam, & erit ſuper tiaram, è re-
gione tiaræ erit. Alij vertunt, Et pones illam ſuper faſciam hyacinthinam,vt ſit ſuper tiara in anteriori parte, ſi-
ue ex aduerſo faciei tiaræ.Alij,Et pones illam ſuper funiculum hyacinthinum,vt ſit ſuper galerum,ſit autem in
exteriori eiuſdem galeri facie. Quidam etiam , Et pones eam cum filo hyacinthino , & erit ſuper mitram, è re-
gione mitræ erit. Septuaginta, καὶ ἐπιδήσεις αὐτὸ ἐπὶ ὑακίνθου κεκλωσμένῃ, καὶ ἔσαι ἐπὶ τῆς μίτρας, κατὰ πρόσωπον
τῆς μίτρας ἔσαι, Et impones illud hyacintho retorto, & erit ſuper mitram, ante faciem mitræ erit . Quæ om-
nia idem ſunt in virtute cum litera noſtra. Nec mireris quòd dictionem פְּתִיל pethil faſcia, vitta, vel filum
reddatur,omnia enim hæc ſignificat.Similiter etiam, מִצְנֶפֶת Miznáphet , ſeu miznéphet, & mitram , & gale-
rum , & tiaram deſignat . Lamina ergo aurea ſacroſancta , ſuper frontem pontificis pileolo lineo affigi, &
vitta hyacinthina conſtringi mandatur. *Portabítque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt & ſanctificauerunt filij Iſ-*
C *raël in cunctis muneribus & donariis ſuis.* AVGVSTINVS. Iuxta aliam literam , Vt auferat pecca- *Quæſt.120.*
ta ſanctorum , quæcunque ſanctificabunt filij Iſraël omnis datus ſanctorum eorum . Quod arbitror dictum in
eis ſacrificiis quæ offeruntur pro peccatis ſuis, vt non ſanctorum hominum intelligamus, ſed ſanctorum ab
eo quòd ſunt ſancta quæ offeruntur pro peccatis. Vt ſit ſenſus, quòd ſacerdos auferet quæcunque offerunt pro
peccatis ſuis, quæ dicuntur & ſancta , quia iuſtificant: & peccata, quia pro peccatis offeruntur, ſicut multis lo-
cis hoc ipſum euidenter ſcriptura commemorat. CAIETANVS. Hebraicè ita ſonat hæc litera, Et
portabit Aaron iniquitatem ſanctificationum, quas ſanctificabunt filij Iſraël ad omnes donationes ſanctifica-
tionum ſuarum. Ratio redditur quare pontifex portet hanc laminam, vt videlicet profitendo ſanctitatem ſum-
mo deo,tollat immũditiam ſacrificiorum & oblationum filiorũ Iſraël. Quod vt intelligas, aduerte quòd quem-
admodum ſcriptura altare & tabernaculum mundanda ſingulis annis cenſet ab iniquitatibus filiorum Iſraël;
tanquam peccata populi redundent in tabernaculum dei, ita ſacrificia & oblationes filiorum Iſraël immunda
D modò dicuntur, & eorum iniquitas tollenda dicitur per hanc geſtatam laminam,profitentem ſanctitatem deo.
ſanctitas enim directè opponitur immunditiæ & conſequenter cuilibet generi immunditię,& præcipuè immũ-
ditiæ iniquitatis.Ad tollendum ergo maculam ſacrificiorum & oblationum,profeſsio ſanctitatis in hac lamina
à pontifice portatur. AVCTOR CATENAE. Portabítque Aaron iniquitates eorum quę obtule-
runt & ſanctificauerunt filij Iſraël. Hebraica ſunt eiuſmodi וְהָיְתָה עַל מֵצַח אַהֲרֹן וְנָשָׂא אַהֲרֹן אֶת עֲוֹן הַקֳּדָשִׁים אֲשֶׁר
יַקְדִּישׁוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Vchaia hal mézach Aharon, venaſa Aharon eth hauon hakadaſim aſer iakdiſu bene Iſraël.
Eritque ſuper frontem Aaron(nempe lamina aurea),& portabit,ſiue vt portet Aaron iniquitatem ſanctificationũ,
quas ſanctificabunt filij Iſraël.Vertunt alij,Et hæc erit in fronte Aaron, vt ferat Aaron iniquitatem conſecrato-
rum vel ſanctificatorum quæ conſecrant ſiue ſanctificant filij Iſraël. Chaldaica. Eritque ſuper frontẽ Aaron im-
minens oculis,& portabit Aaron iniquitates eorũ quæ ſanctificauerunt filij Iſraël.Sequitur,In cũctis muneribus,
& donariis ſuis,in Hebræo eſt קָדְשֵׁיהֶם Kadſehem, Sanctificationum ſuarum, vel eorum, vt dicatur, In cunctis
E muneribus ſanctificationum eorum,& ſic habet Chaldaica.Alij vertunt,Cunctis donis vel oblationibus ſuis ſan
ctis.Alij,In omnibus muneribus ſanctificationũ ſuarũ.Quorũ omniũ hic eſt ſenſus: Tollet Aarõ, auferet & aſpor
tabit iniquitatẽ quã admittere poſſent Iſraëlitę in ſanctificationibus ſuis,hoc eſt,in oblationibus ſuis ſanctis,&
in omnibus aliis donis,ſi quid peccent,nõ ritè offerẽdo,aut ea offerẽdo quę offerri non debent,condonabitur eis
propter ſacerdotẽ ſummũ,qui Chriſtũ repręſentabat.Et hoc modo intelligẽda eſt etiã Latina editio, quæ hoc idẽ
dicit.Alij ſic exponunt,quòd cũ lamina ipſa ſanctificatis oblationibus,peccatorũ propitiationẽ adipiſcatur Aa-
ron filiis Iſraël.Alij etiã,quod põtifex aſſumet orationẽ & immolationẽ pro remiſsione peccatorũ filiorũ Iſraël;
pro quorũ remiſsione ipſi offerent & ſanctificabunt,id eſt,diuino cultui deputabunt,quęcunq; ex rebus ſibi con-
ceſsis oblaturi & dedicaturi ſunt deo per manus ſacerdotũ,aut ſponte daturi. *Erit autẽ lamina ſemper in fronte eius,vt*
*placatus ſit eis dominus.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Quod hîc dicitur de lamina in fronte ſemper
geſtanda ſemper intellige,congruo ſcilicet tempore. CAIETANVS. Ne erraretur audiendo quòd Aaron
F geſtando laminam tolleret iniquitatem ſacrificiorum,explicatur modus tollendi iniquitatem,dicendo quòd la
mina hæc erit iugiter ſuper frontem Pontificis ad placandum ſummum deum eis(hoc eſt filiis Iſraël)pręſentan-
do diuinæ faciei ſanctitatem deo. Placatio itaque diuina ſignificatur, tollens iniquitatem. Et hæc quarta ratio
ſcriptorum in lamina ſola,redditur in litera,quia ſola ſpectat ad ordinem gratiæ,aliæ enim res ſupradictæ , ad
naturæ ordinem ſpectant. AVCTOR CATENAE. Quod nos dicimus,vt placatus ſit eis dominus,He
braicè habetur, לְרָצוֹן לָהֶם לִפְנֵי יְהוָה Lerazon lahem liphne iehoua. Ad beneplacitum eis coram domino. Sic
habet & Chaldaica. Hebraiſmus eſt, pro, Vt ipſos reconciliet domino. Siue vt doctus vertit Interpres , Vt pla-
catus ſit eis dominus,ſacerdote ſcilicet pro peccatis eorum deprecante. Vertunt alij,Pro reconciliatione eorum
coram domino.Septuaginta, δεκτὸν αὐτοῖς ἐναντι κυρίου, id eſt, Acceptabile eis corã domino:Sed vnus in omnibus
eſt ſenſus. *Stringéſque tunicã byſſo,& tiaram byſſinã facies,& baltheũ opere plumarij.* HIERONYMVS. Tunica hæc ex
lino & ποδήρης, id eſt,talaris dicta,duplici ſyndone,quam & ipſam Ioſephus byſsinam vocat, appellaturq; כְּתֹנֶת

Chethóneth,id est,χιτῶν,quod Hebræo sermone in lineam vertitur.Hæc adhæret corpori,& tam arcta est,& stri G
ctis manicis vt nulla omnino in veste sit ruga,& vsq; ad crura descẽdat. Volo pro legẽtis facilitate abuti sermo-
ne vulgato. Solent militantes habere lineas,quas camisias vocãt,sic aptas mẽbris,& astrictas corporibus,vt expe
diti sint vel ad cursum,vel ad prælia,dirigere iacula,tenere clypeũ,ensem librare,& quocunq; necessitas traxerit.

1.Reg.20. BEDA. Qualem & Ioab habuisse legitur,quando Amasam interfecit,strictam scilicet ad mensuram habi-
tus sui. HIERONYMVS. Ergo & sacerdotes parati in ministeriũ dei, vtuntur hac tunica, vt habentes pul-
chritudinem vestimentorum,nudorum celeritate discurrant.Et tiaram(inquit)byssinam facies.Hæc rotundum
est pileolum,quale pictum in Vlysse conspicimus,quasi sphæra media sit diuisa,& pars vna ponatur in capite,hoc
Græci & nostri τιάραμα,Nonnulli galerum vocant. Hebræi מִצְנֶפֶת Misnepheth:non habet acumen in summo,nec
totum vsque ad comam caput tegit,sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit,atque ita in occipitio vitta
constrictum est,vt non facilè labatur ex capite.Est autem byssinum, & sic fabrè opertum linteolo, vt nulla acus H
Cap.8. vestigia extrinsecùs appareãt. BEDA. Qualiter autem facta fuerit tiara hæc,Iosephus docet,dicẽs: Super ca
Anti.lib.3. put gestabat sacerdos pileum in modum paruuli calamaci aut cassidis,quod extenditur supra summitatem capi-
cap.11. tis,& modicè verticis medietatem excedit,& tale est,vt videatur ex lini textura confectũ, habens vittas quę cõ-
uolutæ sæpius nectuntur,ne facilè dilabatur.Qui videlicet Iosephus, huic pileo superadditum esse narrat aliud
maius velamen,quod totam capitis superficiem celaret, aptatum perfectè,ne laborante sacerdote circa sacrificia
corruat,quod tamen cuius esset coloris non ostendit.Et hæc quidem de minoris sacerdotis pileo. De Pontificis
verò tiara,hoc modo testatur. Pileum autem priori similiter operatum habet Pontifex,sicut reliqui sacerdotes,
& alium consutum ex hyacintho variatũ.Circundatur autem ei & aurea corona, tribus vicibus facta, supra quã
surgit in media fronte quasi calyculus quidam aureus, similis herbæ quæ apud nos *Acharo* nuncupatur, quam
Græci hyoscyamon dicunt. Et paulò pòst descripta mira varietate subintulit,dicens,Habet autem flores similes
plantagini,& per circuitum tota corona his floribus est celata, ab occipitio vsque ad vtrumque tempus: in fron- I
te verò hoc quidem non habet, sed lamina est aurea,quæ sacris literis dei nomen habet inscriptum.Hęc quidem
de secundo velamine,& coronis Pontificum aureis scriptura sancta tacere videtur. Coronarum verò breuiter fe
cit in sequentibus mentionem,dicens,Fecerunt & tunicas opere textili Aaron & filij eius,& mitras cum coronu-
lis suis ex byssо: sed de qua materia factæ essent, non dixit. Cùm enim dicat, & mitras cum coronulis suis ex
byssо,poterat intelligi vtrasque ex byssо factas esse,si non Iosephus coronas esse aureas designaret, qui stante ad-
huc templo,& legali obseruantia celebrata, cùm esset de genere sacerdotali, facillimè potuit modum omnem
sacerdotalis indumenti,non tamen legendo,sed videndo cognoscere. HIERONYMVS. Quod autem se-
quitur, Et Baltheum opere plumarij, vestimenti genus est, quod Hebræi appellant אַבְנֵט Abnet, nos cinglum,
vel baltheum,vel zonã possumus dicere,Babylonij nouo vocabulo הֶמְיָנִין hemianin vocãt. Diuersa vocabula
ponimus, ne quis erret in nomine.Hoc cingulum in similitudinẽ pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in ro-
tundum textum est,vt marsupium longius putes. Textum est autem sub tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & K
stamine byssino, ob decorem & fortitudinem, atque ita polymita arte distinctum, vt diuersos flores ac gem-
mas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. Lineam tunicam de qua suprà diximus, inter vmbili-
cum & pectus hoc stringunt baltheo,qui quatuor digitorum habens latitudinem,& ex vna parte ad crura depen
dens,cùm ad sacrificia cursu & expeditione opus est,in lævum humerum retorquetur. BEDA. Sed & eo tu-
nica hyacinthina,simul & superhumerale stringebatur. Nam in sequẽtibus apertè de coniunctione superhume-
ralis & rationalis dictum est,Hęc & ante & retro ita conueniebant sibi,vt superhumerale & rationale mutuo ne-
cterẽtur,stricta ad baltheum, & anulis fortiùs copulata. Quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxè fluerent, & à
se inuicem mouerentur. Nulli autem dubium, quin baltheus siue cingulum quo superhumerale astringebatur,
tunicam hyacinthinam, quæ & superhumeralis tunica vocabatur, cingebat: cuncta etenim, quæ hucusque di- L
cta sunt, ad Pontificis habitum pertinent. HVGO DE SANCTO VICTORE. Stringésque tuni-
cam byssо, hoc est,tunicam de byssо factam compones vel adaptabis. CAIETANVS. Iuxta Hebręum
habetur, Et stringes tunicam byssinam, & facies mitram byssinam. Quintum ornamentum describitur, tunica
linea stricta, longa proculdubio vsque ad terram, hoc enim erat primum ornamentum, & erat sub tunica hya-
cinthina. Sextum quoque cuius iam meminerat (mitra videlicet) describitur quo ad materiam, quod sit linea.
Vbi clarè vides non sericam aut auream, sed lineam scribi mitram Pontificis.Facies & baltheum opere pluma-
rio. Iuxta Hebræum opere acupictoris. Septimum ornamentũ est cingulũ,quod ex arte acupictoris apparet fuis-
se latum ac pulchrum. Et hoc cingulum ponebatur super vestem superhumeralis, ita quòd cingebat non solùm
hyacinthinam tunicam, sed etiam superhumeralem vestem in loco vbi communiter cingimur. Et hoc cingu-
lum appellatur cingulum superhumeralis, quia immediatè cingit superhumerale. AVCTOR CA-
TENAE. Stringésque tunicam byssо. Sic habet & Chaldaica,hoc est,baltheo byssino strictè ad corpus apta-
bis.Vel tunicam ex byssо factam,strictam arctámque facies.Alij autem Hebraica וְשַׁבַּצְתָּ הַכְּתֹנֶת שֵׁשׁ
hachethóneth ses, Vertunt, Et oculabis tunicam byssinam, id est,veluti oculis opere phrygionico factis, ac fo- M
raminibus distingues. Alij, Ornabis quoque tunicam lineam.Hæc enim(inquiunt)erat interior vestis sacerdo-
talis quæ cuti adhærebat,& iubetur fieri ex lino,picto quidem & ornato variis inclusionibus,hoc est,rosulis gem
matis,& speculis atque margaritis lucentibus.Quidam,Facies quoque strictam tunicam byssinam.Demum ali-
qui,stringésque tunicam byssinam.Septuaginta verò paulò diuersiùs reddunt, videlicet, καὶ ὃι κόσυμβοι τῶν χι-
τώνων ἐκ βύσσου, id est, Et nodi tunicarũ ex byssо, cùm in Hebræo de nodis nulla fiat mentio. Opere plumarij, si-
ue polymitarij,vel acu pictoris,vel phrygio,siue phrygionis,aut variegatoris.Est enim in Hebræo, מַעֲשֵׂה רֹקֵם Ma
hase rochem,De quo multa in superioribus.

*Mysticè.* HIERONYMVS. Porrò secundum Hebræos cidaris & vitta hyacinthina cælum monstrat, & auri lami-
na quæ in fronte Pontificis est, inscriptúmque nomen dei, vniuersa quæ subter sunt, dei arbitrio gubernari.
Idipsum ego puto sub aliis nominibꝰ & in Cherubim & in quatuor animalibꝰ figuratũ, quę ita sibi permixta sunt
& hærent



A & hærent,vt in vno inueniantur & cætera,& quòd instanter & ante se vadant,& non reuertãtur.Labuntur enim
tempora,& præterita relinquentia,ad futura festinant.Quòd autem semper in motu sunt,illud significant,quod
& Philosophi suspicãtur,currere mundum suo ordine,& incessabiliter velut rotam in suo axe torqueri:vnde &
rota in rota,id est, tempus in tempore,& annus in semetipsum reuoluitur, & ipsæ rotæ eleuantur ad cœlum, &
super crystallum thronus ex sapphyro est, & super thronum similitudo sedentis,cuius inferiora lignea sunt, su-
periora electrina,vt demonstrẽt quæ inferiora sunt,igne & purgatione indigere:quæ sursum,in conditionis suæ
puritate persistere.Et quomodo hîc in habitu sacerdotis,auri lamina est desuper,ita in Ezechiele electrum in pe-
ctore, & in virtute collocatur. Zonam autem illam qua sacerdotis pectus arctatur, & linea tunica, id est, terra
constringitur,interpretantur oceanum. Iustum ergo erat vt pontifex dei, creaturarum omnium typum portans
in vestibus suis,indicaret cuncta indigere misericordia dei,& cùm sacrificaret ei,expiaretur vniuersalis condi-
B tio,vt non pro liberis ac parentibus & propinquis, sed pro cuncta creatura & voce & habitu precaretur. Tetigi-
mus expositionem Hebraicam, & infinitam sensuum syluam alteri tempori reseruantes, quædam futurę domus
strauimus fundamenta. RVPERTVS. Secundum autem sublimiorem intelligentiam,lamina aurea fron-
ti imminens,corona est gloriæ & honoris in capite redemptoris.Gloria(inquit)& honore coronasti eum,& con- *Psal.8.*
stituisti eum super opera manuum tuarum.Omnia subiecisti sub pedibus eius.Et Apostolus cùm dixisset,Chri-
stus factus est pro nobis obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis, continuò subiunxit: Propter *Philip.2.*
quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomẽ. Huius rei mysterium, scilicet
nominis quod est super omne nomen,in eo est,quòd laminæ sanctum domini insculptum est,id est,nomen do-
mini tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur enim quatuor literis Ioth, he,vau, he, quæ in syllabam
aut vocem articulatam comprehendi nequeunt. Arcanum scripturæ hactenus latet, nisi quia ex interpretatione
elementorum colligi potest,quòd Euãgelicam fidem non minimè delectat.Interpretatur enim Ioth,principium,
C He,iste,Vau & He,iste. Estq; continuus literarum sensus, principium iste & iste. Hoc(inquam)iure nos delectet,
quia principium iste pater,& principium iste filius est.Patrem esse principium videns,vltro cõsentit, principium
se quoque esse filius defendit, qui interrogantibus Iudæis, Tu quis es?Principium ait, qui & loquor vobis. Hoc *Ioan.8.*
nomen profectò super omne nomen est, quia super principium nil esse potest. Igitur maximum pontificis decus
est, aurea lamina, insculptum habens ineffabile nomen, quod dicitur sanctum domini, quia videlicet Christo
pontifici propter passionem mortis octaua sua,id est, resurrectionis gloria coronato nomen quod est super om-
ne nomẽ,pater donauit,vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cœlestium, terrestrium & infernorum. Et omnis
lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Cidarim quoque super caput pontifex
accipit, ne Cherintus vel Arrius,seu quilibet alius hæreticus,Iesu Christi filij dei caput,id est, initium se vidisse
arbitretur. Non enim sicut nos, ita & ille à carne existendi initium habuit iuxta blasphemiam Cherinti, qui il-
lum ante Mariam extitisse negauit, sed diuinum caput, quod erat in principio & ante secula, ibi abscondit. Ci-
D daris ergo caput tegit pontificis, quia videlicet incomprehensibilis est antiquitas, vel origo diuinitatis Christi.
Tunica verò linea stricta,id est, subucula quam vulgò camisiam vocant, noua est eiusdem cœlestis hominis vi-
ta,quia videlicet sicut nouo & inusitato ordine conceptus & natus,sic noua, & veteri vitæ contraria, pulchritu-
dine inter homines conuersatus est.Baltheus demum circa renes,fortitudo diuinitatis est,per quam commoue-
ri non potuit.Vnde & in Psalmo cùm dixisset, Insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei, conti- *Psal.15.*
nuò subiunxit, Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.
Etenim sic ille cognouit figmentum nostrum, & ita vsque ad noctem, id est, vsque ad mortis tribulationem sui
renes increpuerunt eum,vt experimento sciret,id quod nullo vnquam passibili modo titillatus est, non ex ipsa
carnis natura,sed ex diuinitate esse,quæ à dextris erat.Vnde verissimè Apostolus dicit,Non enim habemus pon- *Heb.4.*
tificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque pec-
cato.Denique ex eo didicit compati infirmitatibus nostris,quotiens tentamur à renibus nostris, quia sicut aliis
E infirmitatibus tentatus est,sic & tentatione peccati tẽtatus fuisset, si non esset deus, quod non sumus nos. AV-
CTOR CATENAE. Sed & aliter. Quanquam gestatio laminæ in fronte pontificis fuit externa & ciuilis
reconciliatio Israëlitarum, qua admitterentur ad publica & externa sacrificia, non tamen fuit vera & cœlestis
reconciliatio peccatorum,qua admittentur ad cœlum, & felicitatem sempiternam. Sed respexit & adumbrauit
Iesum Christum dominum nostrum,ac docuit quòd Christus in hoc à deo patre suo consecratus & sanctifica-
tus sit,vt morte sua expiet peccata nostra, & impetret nobis vitam æternam. Vnde & Dauid ad hunc locum re-
spexit, cùm de Christo vaticinatus est Psalmo centesimo trigesimoprimo. Super ipsum efflorebit sanctificatio
eius, quasi diceret, super ipsum erit lamina diadematis seu coronæ eius. Nam & ipse Christus minimè obscurè,
sed aperta fronte præ se tulit,ac publicè concionatus est,se à domino sanctificatum,& ordinatum esse,vt recon-
ciliet peccatores cum deo patre. Ego (inquit) non dico vobis quòd rogaturus sim pro vobis patrem, videlicet,
tanquam adhuc alienum à vobis & hostem vestrum: Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidi-
F stis quòd à deo exiuerim.Et iterum,Nemo venit ad patrem nisi per me.Ego sum via veritas & vita.Tunica au-
tem stricta, fortassis sic dicta quòd constringebatur baltheo, nam baltheus huic tunicæ circundatus fuit, vt est
Leuitici octauo, quod quidem vestis genus externo suo vsu pertinet aliàs ad corporis munitionem, in summo
pontifice significat Christum thorace seu lorica diuinæ potentiæ ita vndique munitum & constrictum, vt nulla
vis aduersaria possit ei nocere. Deus(inquit Petrus) suscitauit Iesum, solutis doloribus inferni, iuxta quod im-
possibile erat teneri illum ab illo.Quòd si nec mors quicquam mali potuit Christo inferre, quomodo non fuis-
set etiam aduersus omnes alias afflictiones probè munitus? Cæterùm, quia Christus impetrauit morte sua, vt
quotquot credũt in ipsum,fiant membra corporis sui,ideo qua lorica Christus,aduersus vires afflictionum mu-
nitus & tutus est,eadem tuti sunt omnes in Christum credentes.Tiara autem siue Cidaris,aut mitra,illa est quæ
pro diademate strophio,aut pileo capitis,non quouis vulgari,sed insigni ponitur, quale genus principes & reges
gestare solent.De quo in Ezechiele vigesimo primo dicitur,Aufer Cidarim,& tolle coronam,hoc est, auferetur
regnum

regnum & maiestas eius à rege Israël. Et Esaiæ sexagesimo secundo habetur, Eris corona gloriæ in manu domi- G
ni, & Cidaris seu diadema regni in manu dei tui. Ornatur igitur summus pontifex regio ornamento, vt significetur Christum dominum nostrum regem esse regum, & dominum dominantium, sed non externum huius seculi regem. Regnum enim meum (inquit) non est de hoc mundo. Porrò qualis Christus rex est, tales etiam reges facit suos Christianos, qui sunt membra corporis eius, reges videlicet in regno cœlorum, vt dominentur peccato, Satanæ, morti, & inferno, ac possideant regiam maiestatem iustitiæ & perpetuæ felicitatis. Balthei verò vsum explicat Esaias capite vigesimo secundo vno verbo, dicens, Cingulo seu baltheo tuo confortabo eum. Nam baltheus fortiter continet vestes ne diffluant, vt qui baltheo cinctus est, reddatur tum agilior, tum etiam robustior, & constantior ad conficienda opera sua. Vnde in baltheo seu cingulo veritas & constantia designari solet. State (inquit Paulus) Succincti lumbos vestros in veritate. Igitur summus pontifex cingitur baltheo, seu zona, quemadmodum Ecclesiasticus ait, iustitiæ, hoc est, probitatis, & obseruationis promissorum, vt id planè significetur, H
quod postea Esaias de Christo magis perspicuè explicuit capite vndecimo: Erit, inquiens, iustitia cingulum lumborum eius, & fides (hoc est, veritas, & constantia in seruandis pactis & promissis) cinctorium renum eius. Nam cùm alij principes ac reges multa interdum polliceantur, paucissima tamen præstare soleant, hîc rex Messias, vt liberalissimus est promissionibus, ita multò liberalior est promissionum obseruatione & implectione. Vnde & Paulus secunda Corinthiorum primo, ait, Quotquot enim promissiones dei sunt, in illo est, ideo & per ipsum deo amen ad gloriam nostram. Et Christus ipse dicit, Cœlum & terra præteribunt, verba autem mea non præteribunt. CYRILLVS. Vides igitur quia militaris propemodum Aaronis habitus fuerit, nempe quia Christus pro nobis bella gesserit in manu forti, sicut scriptum est, Arcum suum tetendit, & parauit illum, Et sagittas suas ardentibus effecit. Et deposuit potentes de sede, & de dæmonibus triumphauit. IDEM LIBRO NO-
*Cap.2.* NO THESAVRI. Verùm quemadmodum Aaron non natus pontifex fuit, sed multis annis postea factus, talarem indutus vestem, & superhumerale cæteráque pontificalis vestis ornamenta, quæ mulierum erant opera, I
sibi circumposuit, eodem modo verbum erat in principio, & erat deus vnà cum patre, sed multis annis posteà
*Esa.53.* pro nobis factus est pontifex, talarem vestem, hoc est, templum ex muliere assumens. Et vt proprio sanguine populum mundaret, seipsum obtulit deo, quasi agnum immaculatum. Peccatum enim non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. Fidelis ergo pontifex tanquam verus, constans & immutabilis, saluator iure potest appellari. Vnam enim pro vniuersis hostiam obtulit, vnam & eandem semper, quæ nunquam mutabitur. Semel enim pro nobis mortuus est, non videbit vnquam in posterum mortem. HIERONYMVS. Sed & nos cœptum prosequamur sensum. Cùm parati ad indumentum Christi tunicas peccatorum pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste linea, nihil in se mortis habente, sed tota candida, vt de baptismo consurgentes, cingamus lumbos in veritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur. Vnde & Dauid, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Lamina autem aurea rutilat in fronte, nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi dei scientia coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacinthinis, sacrato baltheo cin- K
gimur, dantur nobis opera, rationale in pectore ponitur, accipimus veritatem, profert sermo doctrinam, imperfecta sunt vniuersa, nisi tam decoro curru dignus quæratur auriga, & super creaturas creator insistes, regat ipse quæ condidit. Quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo ostenditur crucis. Auro legis, sanguis Euangelij pretiosior est. Tunc signum iuxta Ezechielis vocem gementibus figebatur in fronte, nunc portantes crucem dicimus, Signatum est super nos lumen vultus tui domine. AVCTOR CATENAE. Sacerdotes
*Apoc.14.* igitur Christiani non in lamina aurea sensibus patente, sed in fronte & in anima portant nomen ipsius dei. Hinc in Apocalypsi dicitur, Quòd supra montem Sion stabat agnus, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, duodecim millia videlicet pro qualibet tribu, quia omnes habebãt nomen agni, & nomen patris eius scriptum
*Ioan.16.* in frontibus suis. In quo nomine docemur impetrare gratiam & omnem cœlestem influxum. BEDA. Fa-
*Cap.7.* cies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctũ domino. Significat hæc lamina ipsam
*Gal.6.* professionis nostræ fiduciam, quam in fronte portamus, dicentes singuli cum Apostolo, Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Et rectè hoc vnum in toto pontificis habitu de auro est solo factum, L
vt munditiam cordis siue corporis, in qua mysteria redemptionis nostræ recondere vel gestare debemus ostenderet. Vel certè auro inscriptum in fronte sacerdos sanctum domini gestat, vt insinuet mystícè, quòd ita passionem domini & saluatoris nostri, per quam redempti sumus, venerari & amplecti debemus, vt claritatem in illo diuinæ maiestatis, per quam creati sumus pariter confitẽdam esse nouerimus, ita mortem absumptæ ab illo humanitatis cõfiteri, vt eandem mox humanitatem in æternam de morte gloriam resurrexisse fateamur. Sanctum autem domini auro sculptum in fronte portamus, quando expurgati à sordibus vitiorum, quæ ex primo parente habuimus, imaginem & similitudinem nostri conditoris ad quam creati sumus, in nobis recipimus, & hanc nos
*1.Cor.15.* recepisse non in secreto celamus, sed cũctis palàm factis & voce promulgamus, iuxta illud Apostoli, Sicut por-
*Coloss.3.* tauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis, quod loquens ad Colossenses apertiùs explicat, dicens, Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de M
ore vestro: nolite mentiri inuicem, expoliantes veterem hominem cum actibus eius, & induite vos nouum eum
*Apoc.14.* qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum. De quo videlicet sancto domini, & Ioannes in Apocalypsi scribit, Vidi (inquiens) agnum stantem supra montem Sion, & cum eo cẽtum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Qui rursus claritatem supernæ patriæ describens ait, Et sedes dei & agni in illa erunt, & serui eius seruient illi, & videbũt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum. Cùm ergo idem nomen sacratissimæ venerationis omnes agnum sequentes, hoc est, vniuersi fideles in ipsa suæ professionis fronte debeant habere, quanto magis necesse est eos qui accepto sacerdotio ac magisterio spiritali, ducatum gregis dominici sortiti sunt, exemplum virtutis omnibus in seipsis ostendere? Ligatur autem lamina quæ sanctum domini continet, vitta hyacinthina cùm tiara pontificis, cùm spe cœlestium bonorum quam hyacinthus significat, in fide confortamur, & eo arctiùs vel sacramenta nostræ redem-



A redemptionis, vel imaginem ac similitudinem nostri conditoris ac redemptoris intemeratam seruare contendimus, quo nullum esse aliud salutis iter cognouimus. Verùm quia sacerdos tantæ industriæ, talis esse debet meriti apud deum, qui peccata populi sua exhortatione, increpatione, admonitione corrigere & castigare, suis valeat precibus abluere, rectè subiungitur, Portabítque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt & sanctificauerunt filij Israël, in cunctis muneribus & donariis suis. Portat namque pontifex iniquitates subditorum, id est, exportat & aufert, cùm aut eos docendo ad pœnitentiam commissorum prouocat: aut pro pœnitẽtibus supplican-
do, gratiãm eis iusti iudicis conciliat. Facit autem hoc in muneribus & donariis quæ ipsi obtulerunt domino & sanctificauerunt, cùm pro fructibus dignis pœnitentiæ, id est, eleemosynis cæterísque operibus iustitiæ, quę fecerint pœnitentes, à reatu scelerum, quæ quondam patrauerunt, absoluit. Hæc quidem ita gerenda institutio diuina & in habitu pontificis mysticè figurauit, & in verbis sacri eloquij manifestè docuit. Sed longè aliter, proh
B dolor, quidam præsulum faciunt, qui & donaria siue munera accipere, imò exigere volunt à populo, & nil pro iniquitatibus eius vt exportentur & castigentur, veniámque accipiant, curant laborare: cùm ob hoc solùm dona temporalia sumere debeant à subditis, quo eos æterna bona prædicando, ab errore correxerint, atque ad viam veritatis adduxerint, ad imitationem primorum sanctæ Ecclesiæ doctorum, qui illis à quibus temporalia percipiebant subsidia, confidenter aiebant, Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Verùm præsul quisque siue minister verbi, ita solùm pro subditis efficaciter laborare, siue prædicãdo verbum, seu domino supplicando potest, si animus eius semper diuini nominis sit memoria præditus. Aptè igitur subiungitur, Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit eis dominus. Si enim lamina nomine domini scripta semper fuerit in fronte Aaron, placabitur filiis Israël dominus, quia cùm doctor ipse fideliter se diuino seruitio pura mente subdiderit, mox etiam subditi exemplis illius ac monitis accensi, & ipsi rectè viuere, *1.Cor.9.*
gratiámque interni aspectoris promereri satagunt. Stringésque (inquit) byssо tunicam. Hæc tunica quia sicut *Cap.8.*
C hyacinthina, ad pedes vsque pertingebat, & ipsa Græcè poderes, id est, talaris vocata est, cuius significatio mystica in promptu est, cùm enim constet lino vel byssо, continentiam & castitatem significari corporis nostri, iuxta quod sæpius suprà explicatum est, strictam habent lineam siue tunicam de byssо sacerdotes, cùm propositum continentiæ nequaquam eneruiter & fluxa mente custodiunt, sed tanta prorsus instantia, vt nil belli concupiscibilis caro contra spiritum, aut contra carnem gerat spiritus. Lineam habent strictam, cùm concupiscentia hac deficiente omnimodè anima, in atria domini cor illorum pariter & caro, socia germanitate exultant in deum viuum. Hæc autem linea non solùm stricta, verùm etiam poderes est, videlicet ad pedes vsque descendens, cùm continentia non vnicuilibet membro violenter imposita, sed in toto est corpore delectabiliter consummata. Hæc etenim linea manus & brachia debet stringere sacerdotis, ne quid nisi vtile faciat: pectus, ne quid inane cogitet: ventrem, ne delitias vltra modum appetendo, deum se gulosus facere præsumat: subiecta etiam ventri
D membra, ne lasciuiendo tõtam sacerdotalis habitus pulchritudinem corrumpant: genua, ne ab orationis instantia torpeant: tibias & pedes, ne ad malum currant. Induatur ergo sacerdos primò linea stricta, vt & corpus ab iniquis operibus, & à prauis mentem cogitationibus compescat. Accipiat deinde hyacinthinam, vt propter descriptionem cõtinentiæ salutaris, æquè corpus & animum, spiritualium virtutum habitu venustet. Verùm quia sensus quinque sunt corporis, visus, gustus, olfactus, auditus, & tactus, quorum primi quatuor propriè capitis, vltimus toto est corpori communis, tunica hęc quam diximus, vtique propriè, continentiam tactus & iustitiam designat. Consequenter verò & aliorum quatuor sensuum, quàm sit vel curanda innocentia, vel sanctificatio conquirenda, figurato pontificis habitu monstratur, cùm dicitur, Et tiaram byssinam facies. Tiara nanque quæ & Cidaris & Mitra vocabatur, caput tegebat & ornabat pontificis, vt hoc indumento admoneretur, omnes capitis sensus deo consecratos habere, ne vel oculi eius viderent vanitatem, vel aures libentiùs audiendo opprobrium acciperent aduersus proximum suum, vel os abundaret malitia, & lingua concinnaret dolum, siue etiam cor crapula & ebrietas grauarent, vel olfactus aspersum myrrha & aloë & cynnamomo lectum meretricis am-
E plecteretur. Quin potius oculi eius viderent æquitatem, aures inclinarentur ad audienda verba prudentiæ, dulcia essent faucibus eius eloquia domini super mel & fauum, donec supereſſet halitus in eo, non loqueretur iniquitatem, nec ab innocentia sua recederet. Curandum & de quinto sensu, qui toto est corpori communis, vt fiat illud propheticum, Recedite recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Et sicut admonet Apostolus, Munde- *Esa.52.*
mus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei. Siue autem byssinæ, seu fuerint aureæ coronæ, cùm constet eas factas esse cum mitris, dicamus breuiter de figura. Mitras cum *2.Cor.7.*
coronulis habent sacerdotes ex byssо, qui sic visum, auditum, gustum, olfactum, & tactum suum in venustate castimoniæ custodiunt, vt pro eadem custodia se coronam vitæ, quam repromisit deus diligentibus se, accipere sperent. Nam qui sic continentiæ vel bonis operibus studet, vt pro his æterna præmia retributionis quærere negligat, Mitram quidem byssinam habere videtur in capite, sed coronulas non habet, quia videlicet imaginem virtutis coram hominibus præfert, sed mercedem virtutis cum domino non inuenit. Siue ergo coronulæ fue-
F rint aureæ, claritatem perpetuæ lucis significant: siue fuerint byssinę, ipsam nostri corporis immortalitatem, quę perennis futura est, figuratè denunciant. Et rectè sacerdos cum stolis byssinis coronas superadditas gestat, vt & incontinentia ipse sua iugiter æterna præmia meditetur, & in prædicatione continentiæ vel bonæ operationis, simul eadem gaudia supernæ beatitudinis audientibus promittat, ne si absque spe retributionis pondus imponat laboris, iugum Christi suaue, atque onus leue, asperum suis auditoribus reddat & durum. Cùm verò dominus tiaram faciendam præciperet, addidit, Et baltheum opere plumarij. Baltheus ille qui de quatuor coloribus illis nobilissimis, ac deo dignis factus est, meritò à pontifice habetur, quem singulari virtutum decore semper oportebat accingi. Aptè pontifex variante flore colorum fulgentium accinctus incedebat, quia sicut alius quilibet necesse est industria continentiæ præcingatur, ne caro repugnans, internam mentis pacem aliquando conturbet. Ita pontifex ac doctor fidelium, edomito iam omni concupiscibili motu animi siue corporis, ipsa virtu- *Esa.11.*
tum gloria debet circundari, vt iuxta exemplum floris illius qui egressus est de radice Iesse, id est, domini salua-

toris

toris,sit iustitia cingulum lumborũ eius,& fides cinctorium renum eius. SEVERVS. Vestis sancta Aaron, G ex auro, hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byssо confecta, varietatem virtutum declarat. Baltheus verò corporis sanctimoniam. Declaratio & veritas in rationali, sacerdotem supernis reuelationibus illustratum inter homines versari debere.

6 *PORRÒ filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem. Vestiésque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum consecrabis manus, sanctificabísque illos ut sacerdotio fungantur mihi. Facies & fœminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ à renibus usque ad fœmora, & utentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonij, uel quando appropinquant ad altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum Herit Aaron & semini eius post eum.*

6 AVCTOR CATENAE. Hactenus descriptus est vestitus & ornatus summi sacerdotis. Nunc describitur etiam vestitus aliorum inferiorum sacerdotum. Etenim hi quoque ornantur splendidis vestimentis in gloriam & decorem, non tamen tanta maiestate, quanta summus sacerdos. Ait igitur, *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem.* BEDA. Neque enim de baltheis eorum, vtrum & ipsi opere plu-
*Cap.9. Leuit.8.* marij, an vnius coloris fieri debuerint, aliquid decernitur. Notãdum tamen interea, quòd cùm in hoc libro Exodi, Aaron octo vestibus induendus asseueraturvidetur in Leuitico addita & nona, baltheus videlicet, quo linea fuerit tunica ante indutam hyacinthinam præcincta. Sic etenim scriptum est, Cúmque lauisset eos, vestiuit pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod stringens cingulo, aptauit rationali. CAIETANVS. Porrò filiis Aaron. Hinc apparet quòd supradi-I cta septem ornamenta erant propria pontifici, subiuncta autem quatuor erant communia pontifici & sacerdotibus. Tunicas lineas parabis & baltheos ac tiaras. Iuxta Hebræum non habetur lineas. Trium enim istorum ornamentorum nulla materia in litera scribitur, nec forma artis aliqua circa tunicam cingulum aut tiaram dicitur. Nec eadem dictio habetur hîc ad significandum tegmen capitis, quæ habetur superiùs circa tegmen capitis Aaron. Et inde apparet disparitas inter hæc duo tegmina, inter proprium pontifici, & commune pontifici & sacerdotibus. Et quia proprium pontifici lineum erat, consequens est, vt commune quoque fuerit lineum, & similiter tam cingulum quàm tunica ex lino fuerit. In gloriam (inquit) & decorem, seu ad honorem & gloriam. Et refertur hoc ad omnia ante dicta, vt videlicet constructio omnium ornamentorum tam ex parte materiæ quàm formæ, sit honorabilis & glorioſa, quia hæc ad honorem & gloriam sacerdotij fiunt. AVCTOR CATENAE.

Siue in gloriam & decorem veri summi dei cuius sacerdotio functuri sunt. Parui autem refert, quòd hæc litera ita legitur in Hebræo sicut in Chaldaica, Et filiis Aaron facies tunicas, & facies eis balthea, & mitras facies K eis in honorem & decorem. Sed idem est cum litera nostra, quæ consultò præteriit eiusdem verbi facies, tam crebram repetitionem. *Vestiésque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum consecrabis manus, sanctificabísque illos, vt sacerdotio fungantur mihi.* *Quæst.121.* AVGVSTINVS. De Aaron & filiis Aaron cùm præcipiat loquens ad Moysen, quomodo vestirentur & vngerentur, quid est quod ait secundum aliam literam, Et implebis manus eorum, vt sacerdotio fungantur mihi? An fortè muneribus quæ offerenda sunt deo? BEDA. Omnibus quidem his vestiendus erat Aaron & filij eius, sed ea distinctione, vt ipse quidem omnibus his vteretur, filij autem vltimis tribus, quæ illorum propriè nomini ascripta sunt, cùm dicitur, Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem. CAIETANVS. Vestiésque his omnibus & cætera. Hinc clarè apparet, quòd hæc tria ornamenta communia erant pontifici & sacerdotibus, dum communia dicuntur Aaron & filiis eius. Quod non sic intellige, quòd põtifex vteretur istis tribus, & super hęc tria vteretur illis aliis septem, sequerentur enim ex hoc intellectu duo absurda. Alterum, quòd pontifex vsus fuisset simul duabus tiaris. Et hoc L quanuis à multis non reputetur absurdum, alterum tamen nonnullum habet defensorem, videlicet quòd pontifex sub tunica sua linea stricta haberet hanc sacerdotalem tunicam, quod etiam à litera octaui capituli Leuitici dissonat. Sed intellige sic, quòd pontifex quandoque vtebatur istis, & quandoque illis, & hoc consonat scriptis Leuitici octauo, & sextodecimo. Nam Leuitici octauo cùm induitur pontifex pontificalibus (Primùm tunica linea, deinde cingulo lineo, postea tunica hyacinthina, & postea superhumerali, postea cingulo superhumeralis, postea pectorali) septimo mitra, & postremo lamina memoratur. Sextodecimo autem capitulo expiaturus pontifex tabernaculum, præter fœminalia (quæ subintelliguntur etiam in pontificalibus) tria tantùm induit ornamẽta, videlicet tunicã lineam, cingulũ lineum, & mitrã lineam, & expiationis opere peracto, præcipitur vt depositis lineis ornamentis induat se vestibus pontificalibus. Ex quibus omnibus clarè patet, hunc esse sensum literalem, nullúmque ex istis ornamentis assumi inter pontificalia, nisi cingulum lineum. Si tamen admittitur cingulum hoc lineum fuisse, alioquin cingulum super tunicam lineam pontificis tacitum in hac litera est, quòd quia M absurdum reputo, ideo in cingulo communi sacerdotibus & pontifici, signatum intelligo. Et cunctorum (ait) consecrabis manus, sanctificabísque illos, vt sacerdotio fungantur mihi. Iuxta Hebræum habetur, Et vnges eos, & implebis manum eorum, & sanctificabis eos, & sacerdotio fungentur mihi. Disponit deus de consecratione pontificis & sacerdotum, postquam ordinauit ornamenta eorum. AVCTOR CATENAE. Vestiésque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios eius. Dictio omnibus, non est posita in Hebræo, quòd ideo dicitur, ne quis vim faciat in ea, vt tam Aaron quàm filij cunctis his vestiantur indumentis, sed cùm supradicta distinctione intelligenda sunt. Deinde dicitur, Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabísque illos, vt sacerdotio fungantur mihi. Sensus optimè est redditus, sed verba paululũ variant: sic enim sunt in Hebræo, וּמִלֵּאתָ אֶתְכֶם וְקִדַּשְׁתָּ אֹתָם וְכִהֲנוּ לִי אֶת וָדָם וְקִדַּשְׁתָּ אֹתָם Vmasachta otham vmilletha eth iadam vekiddasta otham vechihanu li, Et vnges eos, & implebis manus eorum, & sanctificabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Quod autem ait, Implebis manus eo-



A nus eorum, est, suppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, vt eas offerant. Alij interpretantur, Tu mittes eos in possessionem sacerdotij. Nam cùm aliquis mittitur in possessionem alicuius rei, traditur aliquid in manu eius. Alij exponunt, Consecrabis. Impletio enim manuum, symbolum est initiationis, quod fiebat oblatione & impletione pugillorum. Hoc nanque vox Hebræa etiam significat. Legunt alij, Et vnges illos, & consecrabis manus illorum, & sanctificabis eos, & sacerdotio fungentur mihi. Chaldaica, Et vnges eos, & offeres oblationes eorum, sanctificabísque illos vt ministrent coram me. Quæ omnia idem dicunt cum litera nostra. *Facies & feminalia linea vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora, & vtentur eis Aaron & filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* HIERONYMVS. Lineis feminalibus quæ vsque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur, & superior pars sub vmbilico vehementer adstringitur, vt si quando expediti mactãt victimas, tauros & arietes trahunt, portántque o-
B nera, & in officio ministrandi sunt, etiam si lapsi fuerint, & femora reuelauerint, non pateat quod opertũ est. Inde & gradus altaris prohibentur fieri, ne inferior populus ascendentium verenda conspiciat, vocatúrque lingua Hebræa hoc genus vestimenti מִכְנָסַי Michnese. Græcè περισκελῆ, à nostris feminalia, vel bracæ vsque ad genua pertingentes. Refert Iosephus (nam ætate eius adhuc templum stabat, & necdum Vespasianus & Titus Hierosolymam subuerterant, & erat ipse de genere sacerdotali, multóque plus intelligitur quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur) hęc feminalia de byssо retorta ob fortitudinem solere contexi, & postquam incisa fuerint, acu cõsui. Non enim posse in tela huiusmodi fieri. BEDA. Facies & feminalia, & cætera. Hoc ad vtrosque simul, & Aaron scilicet & filios eius, sicut etiam ipsa verba manifestè probãt pertinet, sicq; fit, vt Aaron ipse cunctis quæ commemorantur octo vestibus induatur, Feminalibus videlicet lineis, tunica linea, hyacinthina, superhumerali, rationali, baltheo, tiara, petalo aureo. Filij verò eius, quatuor tantùm ex his, id est, feminalibus, linea stricta, cingulo, & tiara vtantur. HVGO DE SANCTO VICTORE. A renibus vsque ad femo-
C ra. Tantùm protenditur caro turpitudinis, quamuis vltra extendantur feminalia. CAIETANVS. Hoc quod vltimo loco decernitur, erat primùm induendum, tam à pontifice, quàm à sacerdotibus. Vbi euasio mortis iterum scribitur, & causa explicatur, munditia à culpa, vt hinc intelligamus, pœnam mortis indictam superiùs pontifici, & modò communiter pontifici & sacerdotibus, si culpam incurrunt sacrilegij, præsumendo ministrare in diuinis officiis absque huiusmodi statutis à deo indumentis, ornatibus, & cætera. AVCTOR CATENAE. Vt operiant carnem turpitudinis suæ. Hebraismus est, pro pudendis. A renibus vsque ad femora; Addendum ex Hebræo, erunt, sed Interpres locutione sua illud inclusit. Dictionem מָתְנַיִם Mathnáim, quæ solùm in plurali numero reperitur, vertunt hîc recentiores ferè omnes, lumbos. Sic & Chaldaica, Septuaginta quoque. Sed & renes etiam significat, vt suprà duodecimo, Renes vestros accingetis. Vt ministrẽt in sanctuario vel sancto. Alij vertunt in sanctificatione siue in sanctitate, vel sanctimonia, hoc est, sanctè, siue cum summa sanctitate. Sic enim etiam reddi potest dictio בְּקָדֶשׁ Bakódes. Ne iniquitatis rei moriantur. Egregiè doctus Interpres He-
D braismum expressit, qui est וְלֹא יִשְׂאוּ עָוֹן וָמֵתוּ Velo isu hauon vaméthu, Ne portent seu ferãt iniquitatem, & moriantur, hoc est, Ne si aliter faciant, peccent, obidque moriantur. Vertunt alij, Et non ferent iniquitatem, neque morientur. Chaldaica, Et non suscipiẽt peccatum, ne moriantur. Septuaginta, καὶ οὐκ ἐπάξονται πρὸς ἑαυτὸς ἁμαρτίαν, ἵνα μὴ ἀποθάνωσι, Et non adducent ad seipsos peccatum, vt non moriantur. Quæ omnia idem cum eo significant, quod Latinus vertit Interpres. Facies itaque (ait) Aaron & filiis eius subligacula siue succinctoria, quibus dum ministrabunt mihi, pudenda sua operiant. Nec enim decebit sacerdotes dum erunt in tabernaculo, quoquomodo turpitudinis suæ carnes ostendere. Hæc quidem publica est honestas, quę certè sanctissimè obseruanda est, & vt obseruatio eius sua habet præmia, gloriam videlicet, & honorem, aliarúmque corporalium rerum benedictionem, ita violatio suam habet pœnam. Ne iniquitatis (iniquit) rei moriantur. Vide cum quanta obedientia præcepta domini obseruanda sunt, quantulacunque ea fuerint. In dei nanque mandatis, non tam speE cies eorum, quàm præcipientis verba attendenda. Quæcũque enim iusserit dominus, bona sunt, ideo absque hęsitatione complenda, quanquam sensui nostro pro sua imbecillitate quandoque aliter esse videãtur. *Legitimum sempiternum erit Aaron & semini eius post eum.* AVGVSTINVS. Alia litera. Et erit illis sacerdotium mihi in sem- *Quæst.124.*
piternum. Quomodo dicat in sempiternum, de his significatiuis rebus superiùs diximus. Nam vtique mutatum est hoc sacerdotium, vt ille esset in æternum secundum ordinem Melchisedech, non secũdum ordinem Aaron. Ibi enim & iuratio, & nulla dei pœnitudo, qua significetur mutatio. Iurauit enim dominus, & non pœnitebit *Psal.109.*
eum, Tu es (inquit) sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. De ordine autem Aaron dictum est quidem in sempiternum, vel propter tempus non præceptum, quousque obseruaretur, vel quo res significaret æternas, nusquam est tamen dictum de sacerdotio Aaron, quia iurauit dominus, & non pœnitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, non pœnitebit eum, vt significaretur quia de sacerdotio Aaron, pœnituit eum, id est, mutauit illud. AVCTOR CATENAE. Legitimum sempiternum siue statutum perpetuum (est enim חֻקַּת עוֹלָם Chukkath holam) de quo multa in superioribus, erit Aaron
F & filiis eius post eum. Id est, ita induentur, & id obseruabunt, quotquot fungentur summo sacerdotio.

HIERONYMVS. De feminalibus lineis hoc solent dicere Hebræi, quòd ratio seminum & generationis *Mysticè.*
ad carnem pertinens, terræ per ea deputatur. Vnde & ad Adam loquitur deus, Terra es, & in terram ibis. Causásque huius rei, quomodo de paruulo semine & fœdissimis initiis, tanta vel hominum vel diuersarum rerum pulchritudo nascatur, esse obuolutas, & humanis oculis non patere. RVPERTVS. At nos excelsioris intelligentiæ sensum sequentes, Feminalia linea sacerdotis magni, decus significare dicimus incarnationis sanctæ Christi filij dei, qua præornata est natura nostra ignobilis, & plaga peccati originalis foliis ficus in Adam infeliciter contecta, in isto excusa est. Non enim de vlcerosa libidine vt nos, ita & ille conceptus est, sed de munda & simplici virgine, byssum retortam, id est, candidi & incoinquinati corporis decorem induit & fortitudinem, vnde & corporis sui quod est Ecclesia, verecundiam, scilicet originale peccatum operuit. De hoc vestimento eius Ioannes in Apocalypsi, Et habet (inquit) in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum, & dominus do- *Apoc.19.*
minan-

minantiuin. HIERONYMVS. Aliter. Bis in Exodo legimus præcipiente domino, & Moyse iussa facien-G
te,octo vestium genera pontificis.In Leuitico de septem tantùm scriptum est, & refertur quomodo Moyses fra-
trem suum Aaron illis induerit: de solis feminalibus nihil dicitur,hac(vt arbitror)causa, quòd ad genitalia no-
stra & verenda lex non mittit manum, sed ipsi secretiora nostra, & confusione digna tegere & velare debemus,
& conscientiam puritatis feminum deo iudici reseruare. De cæteris virtutibus(verbi gratia)sapientia, fortitu-
dine,iustitia,temperantia,humilitate,mansuetudine,liberalitate,possunt & alij iudicare, pudicitiam solam no-
uit conscientia, & humani oculi, huius rei certi iudices esse non possunt, absque his qui passim in morem bru-
1.Cor.7. torum animalium libidini expositi sunt.Vnde & Apostolus,De virginibus(inquit)præceptum domini non ha-
beo,quasi Moyses loquatur, Feminalibus ego non vestio,nec impono alicui necessitatem,qui vult sacerdos esse
ipse se vestiat. O quantæ virgines,& quantorũ sperata pudicitia,in die iudicij dehonestabitur,quantorum infa-
mata pudicitia à deo iudice coronabitur. Ipsi igitur assumamus feminalia, ipsi nostra verenda operiamus, non H
quæramus alienos oculos.Ita tegantur genitalia,vt nullorum oculis pateant,ne quando intramus sancta sancto-
Quæst.122. rum,si qua apparuerit turpitudo, morte moriamur. AVGVSTINVS. Cùm vestis tanta cooperiat totum
corpus,quid est quod ait, Feminalia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum,quasi apparere posset tan-
ta desuper veste adhibita? Nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis vel continentiæ, quæ ideo per indumen-
tum significatur, vt non ex seipso habita,sed data intelligatur. BEDA. Porrò filiis Aaron tunicas lineas pa-
Cap.8. rabis, & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem. Tunicæ lineæ & balthei ac tiaræ quæ filiis Aaron in gloriam
& decorem fieri præcepta sunt, quid nobis interni decoris & gloriæ commendent, facilimè ex his quæ superiùs
exposita sunt,intelligi valet.Tunicas nanque habent sacerdotes lineas, cùm totum corpus suum candori casti-
tatis dedicant. Baltheis tunicas cingunt, cùm eandem castimoniam vigilanti mentis custodia circunspiciunt,
ne conscientia illius desidiosiores erga bonorum operum exercitia remaneant, ne per iactantiam castimoniæ
ipsius etiam castimoniæ meritum perdant. Qui enim tunica talari indutus, absque cingulo incedit, defluit tu-I
nica,ac relicto corpore,ventis & frigoribus intrandi spatium tribuit, quin & præpeditis gressibus incedendi v-
sum retardat, vel etiam calcantibus se causa efficitur ruinæ. Sic nimirum sic castimonia carnis sæpe nonnullis
castimoniam cordis adimit,cùm tantò segniùs bonis insistere operibus curant,quantò minùs perspiciunt, quia
nil castimoniæ custodia absque aliorum augmento bonorum valeat, quæ tamen adiunctis bonis actibus, ma-
gnam habenti gloriam conquirit. Denique virginibus stultis nil castitas profuit carnis, quibus veniente sponso
lumen defuit internæ puritatis.Accingantur filij Aaron tunicis lineis, vt castitatem habeant. Sacerdotes accin-
gantur baltheis,ne ipsa castitas sit remissa & negligens,ne vento elationis animum perflandi aditum præbeat, ne
crescente iniquitate refrigescere faciat charitatem ipsorum:ne bonorum gressus operum,iactantia suæ præsum-
ptionis impediat:ne præpedito virtutum cursu,ipsa etiam terrestris concupiscentiæ sordibus polluta vilescat,&
ad vltimum auctorem suum ad ruinam superbiendo impellat. Accincti autem sacerdotes accipiant & tiarasin
capitibus,vt præter vigilantem & circunspectam corporeæ castitatis custodiam, ipsius etiam visus,auditus,gu-K
Cap.9. stus, & olfactus deo digna & custodia teneatur & cura.Facies(ait) & feminalia linea vt operiant carnem, & cæ-
tera. Feminalia hæc quæ ad operiendam carnis turpitudinem fieri mandantur, illam castimoniæ portionem,
quæ ab appetitu copulæ coniugalis cohibet, propriè designat, sine qua nemo, vel sacerdotium suscipere, vel ad
altaris potest ministerium consecrari,id est,si non aut virgo permanserit,aut contra vxorię coniunctionis fœde-
ra soluerit.Quod videlicet genus virtutis,nulli per legem dei necessariò imperatum,sed voluntaria est deuotio-
Matth.19. ne domino offerendum,dicente ipso de hoc, Non omnes capiunt verbum istud. Ad quam tamen benigna mox
exhortatione eos qui possint intuitat, dicens, Qui potest capere, capiat. Et paulò post eisdem qui vel vxorem vel
alios cognatos & implicamenta mundi huius propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præ-
mium,& in seculo futuro vitam æternam. Vnde certè gratia distinctionis non Moyses hoc indumento vestiri
Aaron & filios eius iubetur, sicut de prioribus dicit, Vestiēsque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius
cum eo.Sed facies(inquit)feminalia linea,vt operiant carnem.Ipsi(inquit)operiant carnem turpitudinis suæ,tu L
feminalia pontifici & filiis eius facies,tu castitatis regulam docebis,tu abstinendum ab vxorio complexu eis qui
sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentum huiusmodi continentiæ iugum impones, sed qui-
cunque sacerdotes fieri,ac ministerio seruire altaris volunt,ipsi sua sponte vxorum serui esse desistent.Quod vbi
perfecerint, & suscepto semel continentiæ proposito ministros se sanctuarij atque altaris fore consentiunt, ade-
rit lex diuina,quæ velut cæterum illius habitum sacerdotibus congruum imponens, quomodo viuere vel do-
cere debeant,abundanter instituat,congaudènsque spontaneæ ipsorum deuotioni,dignum sacerdotio decus sa-
pientiæ,patientiæ,mansuetudinis,misericordiæ, zeli spiritalis, humilitatis, timoris domini, cæterorúmque hu-
iusmodi ornamentorum superaddat. Alioquin iniquitatis rei moriuntur. Mortem nanque certissimam incur-
rit animæ,si quis luxuriosè viuens,sacerdotalem sibi vsurpare gradum præsumit. AVCTOR CATENAE.

Vel tunica sacerdotalis prolixior,significat honestatem morum consummatam,aliis in exemplum & doctri-
nam,baltheo,hoc est,timore dei vndique roboratam ac cinctam. Succinctoria verò indicãt paratum animum, M
& sedulitatem perpetuam in opere domini, simúlque cum castitate verecundiam de omni opere vitioso.

1.2.q.102. THOMAS. Demum pro complemento intelligentiæ omnium quæ in hoc capite dicta sunt, sciendum,
ar.5.ad 9. quòd intentio legis Mosaicæ erat inducere ad reuerentiam diuini cultus.Et hoc dupliciter. Vno modo, exclu-
dendo à cultu diuino omne id quod poterat esse contemptibile: alio modo, apponendo ad cultum diuinum o-
mne illud quod videbatur ad honorificentiam pertinere.Et si hoc quidem obseruabatur in tabernaculo & vasis
eius & animalibus immolandis,multo magis hoc obseruandum erat in ipsis ministris.Et ideo ad remouendum
contemptum ministrorum,præceptum fuit vt non haberēt maculam vel defectum corporalem, quia huiusmo-
di homines solent apud alios in contemptu haberi.Propter quod etiam institutum fuit, vt non sparsim ex quo-
libet genere ad dei ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia secundum generis successionem, vt ex hoc
clariores & nobiliores haberentur.Ad hoc autem quòd in reuerentia haberentur,adhibebatur eis specialis orna-
tus ve-



A tus vestium & specialis consecratio.Et hæc est in communi causa ornatus vestium. In speciali autem sciendum
est, quòd pontifex habebat octo ornamenta. Primò enim habebat vestem lineam. Secundò habebat tunicam
hyacinthinam, in cuius extremitate versus pedes ponebantur per circuitum tintinnabula quædam & mala pu-
nica facta ex hyacintho & purpura coccóque bis tincto. Tertiò habebat superhumerale, quod tegebat humeros
& anteriorem partem vsque ad cingulum, quod erat ex auro & hyacintho, & purpura coccóque bis tincto, &
bysso retorta,& super humeros habebat duos onychinos, in quibus erant sculpta nomina filiorum Israël. Quar-
tum erat rationale ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & coniungebatur
superhumerali.Et in hoc rationali erant duodecim lapides pretiosi,distincti per quatuor ordines,in quibus etiã
erant sculpta nomina filiorum Israël, quasi ad designandum quòd ferret onus totius populi per hoc quòd habe-
bat nomina eorum in humeris,& quòd iugiter debebat de eorum salute cogitare, per hoc quòd portabat eos in
B pectore quasi in corde habens. In quo etiam rationali mandauit dominus poni doctrinam & veritatem, quia
quædam pertinentia ad veritatem iustitiæ & doctrinæ scribebantur in illo rationali. Iudæi tamen fabulantur,
quòd in rationali erat lapis qui secundum diuersos colores mutabatur secundum diuersa quæ debebant acci-
dere filiis Israël,& hoc vocant veritatem & doctrinam. Quintum erat baltheus, id est, cingulus quidam factus
ex prædictis quatuor coloribus.Sextum erat tiara, id est, mitra quædam de bysso. Septimum autem erat lamina
aurea pendens in fronte eius,in qua erat scriptum nomen domini.Octauum autem erat femoralia linea,vt ope-
rirent carnem turpitudinis suæ, quando accederent ad sanctuarium vel ad altare.Ex istis autem octo ornamen-
tis minores sacerdotes habebant quatuor,scilicet tunicam lineam,femoralia,baltheum,& tiaram.Horum orna-
mentorum quidam rationem literalem assignant dicentes, quòd in istis ornamentis designabatur dispositio
orbis terrarum, quasi pontifex protestaretur se esse ministrum creatoris mundi. Vnde etiam sapientiæ decimo
octauo dicitur, quòd in veste Aaron erat descriptus orbis terrarum. Nam femoralia linea figurabant terram ex
C qua linum nascitur.Balthei circunuolutio significabat oceanum,qui circuncingit terram.Tunica hyacinthina,
suo colore significabat aërem, per cuius tintinnabula significabantur tonitrua, per mala granata coruscationes.
Superhumerale verò significabat sua varietate cœlũ sydereum: duo onychini duo hemisphæria, vel solem & lu-
nam:duodecim gemmæ in pectore,duodecim signa in Zodiaco,quæ dicebantur posita in rationali, quia in cæ-
lestibus sunt rationes terrenorum,secundum illud Iob trigesimo octauo,Nunquid nosti ordinem cœli, & ponis
rationem eius in terra? Cidaris autem vel tiara significabat cælum empyreum,lamina aurea deum omnibus præ-
sidentem.Figuralis verò ratio manifesta est.Nam maculæ vel defectus corporales, à quibus debebant sacerdo-
tes esse immunes, significant diuersa vitia & peccata quibus debent carere. Prohibetur enim esse cæcus,id est, ne
sit ignorans.Ne sit claudus,id est,instabilis,& ad diuersa se inclinans. Ne sit paruo, vel grandi, vel torto naso, id
est, ne per defectum discretionis, vel in plus vel in minus excedat, aut etiam aliqua praua exerceat. Per nasum
enim discretio designatur, quia est discretiuus odoris. Ne sit fracto pede vel manu, id est, ne amittat virtutem
D bene operandi vel procedendi in virtutem. Repudiatur etiam si habeat gybbum vel ante vel retro, per quem si-
gnificatur superfluus amor terrenorum.Si est lippus,id est,per carnalem affectum eius ingenium obscuratur,con
tingit enim lippitudo ex fluxu humoris.Repudiatur etiam si habeat albuginem in oculo,id est,præsumptionem
candoris iustitiæ in sua cogitatione. Repudiatur etiam si habeat iugem scabiem,id est, petulantiam carnis.Et si
habuerit impetiginem,quæ sine dolore corpus occupat,& membrorum decorem fœdat, per quam auaritia de-
signatur.Et etiam si sit hernioſus vel ponderosus,qui scilicet gestat pondus turpitudinis in corde,licet non exer-
ceat in opere.Per ornamenta verò designãtur virtutes ministrorum dei. Sunt autem quatuor quæ sunt necessa-
riæ omnibus ministris,scilicet castitas,quæ significatur per femoralia. Puritas verò vitæ, quæ significatur per li-
neam tunicam.Moderatio discretionis,quæ significatur per cingulum. Et rectitudo intentionis, quæ significa-
tur per tiaram protegentem caput. Sed præ his pontifices debent quatuor habere. Primò quidem iugem dei me-
moriam in contemplatione,& hoc significat lamina aurea habens nomen dei in fronte. Secundò,quòd suppor-
E tent infirmitates populi, quod significat superhumerale.Tertiò, quòd habeant populum in corde, & in viscerib
bus per solicitudinem charitatis, quod significatur per rationale. Quartò quòd habeant conuersationem cœle-
stem per opera perfectionis, quod significatur per tunicam hyacinthinam. Vnde & tunicæ hyacinthinæ adiun-
guntur in extremitate tintinnabula aurea,per quæ significatur doctrina diuinorum, quæ debet coniungi cœlesti
conuersationi pontificis.Adiunguntur etiam mala punica,per quæ significatur vnitas fidei, & concordia in bo-
nis moribus,quia sic coniuncta debet esse eius doctrina,vt per eam fidei & pacis vnitas non rumpatur. BEDA. Cap.10.

Verùm quia de habitu sacerdotali, sequentes dicta patrum breuiter perstrinximus, notandum putauimus ex
hoc quòd quatuor illi colores eximij de quibus factus est, totidem mundi elementis congrua comparatione a-
ptantur.Byssus siue linum terræ, quòd ex ea nascuntur. Purpura aquis, quòd ex mari conchyliis tingatur. Hya-
cinthus & coccus aëri & igni ob coloris similitudinem. Coccúsque fuerit bis tinctus, eo quòd ignis gemina sit
virtute præditus, lucendi videlicet & incendendi. Aiúntque Hebræi, quia ideo pontifex omnium figuram ele-
F mentorum in suo habitu gestauerit, quia non solùm pro Israël, sed pro omni mundo immolans, rogare debue-
rit. Quibus nos non incongruè fortè addere valemus, quòd in vnoquoque hominum figura omnium elemen-
torum cõtinetur:Ignis in calore,aëris in halitu, aquarum in humore, terræ in ipsa soliditate membrorum.Vn-
de & à physiologis Græcè homo μικρόκοσμός, id est, minor mundus vocatur. Quòd & si aurum quid in eodem
habitu iuxta intelligentiam hanc significet quæris, rationabilem in eo interioris hominis virtutem intellige.
Vnde & in eo propriè sanctum domini scriptum est, quia non nisi per hanc quisque ad cognitionem sui condi-
toris ascendit.Hinc etenim Apostolus dicit, in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus no- Ephe.3.
stris.Et ideo nobis scriptura pontificem veteris testamenti sic vestitum ostendit, vt sciat nostri temporis ponti-
fex pro toto se genere humano, maximè autem pro his qui cognouerunt veritatem, signúmque fidei illius in
fronte portant,intercedere debere,Apostolo admonente ac dicente,Obsecro igitur primùm omnium fieri obse- 1.ad Tim.2.
crationes,orationes,postulationes,gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in

publi-

ſublimitate ſunt. Quòd ſi in pontifice quem conſecrat Moyſes, dominum ſaluatorem intelligimus, iure in habi- G
*Heb.1.* tu ſuo totius mundi figuram ſimul & hominis habet. Ipſe eſt enim (vt Apoſtolus ait) ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ dei patris, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ. Ipſe agnus dei qui tollit peccata mundi, ipſe ſacer-
dos in æternum, omni ſanctitatis ornatu præclarus, non quem natus in carne per exercitium laboris accipere
meruit, ſed quem in vtero virginis incarnatus præueniente gratia ſpiritus ſancti, totum ſimul accepit. Cuius ſa-
*Heb.7.* cerdotij interpellationem pro nobis pulcherrimè commendans Apoſtolus, ait, Hic autem eo quòd maneat in
æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad
deum, ſemper viuens ad interpellandum pro eis. Cuius etiam æquè indumenta & ornamenta virtutum com-
mendans, adiunxit, Talis enim decebat vt eſſet nobis pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à pec-
catis, & excelſior cœlis factus. Qui verè habuit laminam in capite ſuo auream, in qua eſſet ſanctum domini ſcul-
*Ioan.14.* ptum, quia venit in nomine patris, dicens, Ego in patre, & pater in me eſt. Et qui videt me videt & patrem. H

## IN VIGESIMVMNONVM CAPVT EXODI, ARGVMENTVM.

*Sacerdotum conſecratio, ritúſque oblationis pro illis.*

## CAPVT XXIX.

*Lectio 1.*

*SEd & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle uitulum de armento, & arietes duos immaculatos, panéſque azymos, & cruſtulam abſque fermẽto, quæ conſperſa ſint oleo, lagana quoque azyma, oleo lita. De ſimila triticea cuncta facies, & poſita in caniſtro offe-*
*res. Vitulum autem & duos arietes, & Aaron ac filios eius applicabis ad oſtium taberna-*
*culi teſtimonij. Cúmque laueris patrem cum filiis ſuis aqua, indues Aaron ueſtimentis ſuis, id*
*eſt linea & tunica & ſuperhumerali & rationali, quod cõſtringes baltheo, & pones tiaram*
*in capite eius, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & oleum unctionis fundes ſuper caput*
*eius, atque hoc ritu conſecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingéſque baltheo, Aaron*
*ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras, erúntque ſacerdotes mihi religione perpetua.*

*Lectio 1.* BEDA. Hactenus Aaron & filiorum eius habitus qualis eſſe debeat, cœleſti deſignatus eſt oraculo. Sequi-
tur autem hinc etiam modus conſecrationis, quo vel ipſos, vel tabernaculum cum omni ſupellectili ſua dedica-
ri oporteat. • AVCTOR CATENAE. Aaron autem & filiis eius in conſpectu populi Moyſes de domini K
mandato auctoritatem commiſit ſacrificandi domino, & in tabernaculo miniſtrandi, ne quis aliorum præſu-
meret officium hoc aſſumere, more gentilium, apud quos qui erat potentior & honorabilior ſacrificabat. Et ſic
ambitioſi quique honorem venabantur ſacerdotij, erigentes ſacerdotia, & filios quoſcunque primogenitos ad
hoc inſtituebant, ac ſeſe religioſiores iudicabant, taléſque à populis ac pauperioribus habebantur, ſi cultum dei
nouum erexiſſent, vt patet ex libro Iudicum in hiſtoria Michæ. Quod ſacrilegium etiam ab Iſraëlitis, gentilium
exemplo poſtea ſuſceptum eſt. Pro hac ergo ſuperſtitione vetanda, Moyſes filios tantùm Aaron in ſacerdotes
conſecrare iubetur, & Aaron in ſummum pontificem, cui vnus filiorum morienti ſuccederet, & non multi, ne
cultus iſte augeretur ſecundum loca & perſonas, & degeneraret in idololatriam. Sic ergo mandat hoc in loco
dominus per Moyſen adimpleri. *Sed & hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle uitulum de armento, & arietes duos* L
*immaculatos, panéſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſint oleo, lagana quoque azyma, oleo lita.* CAIETANVS.

Iuxta Hebræum habetur, Et placentas azymas inuolutas, ſeu permixtas oleo. AVCTOR CATENAE.

Sed & hoc facies. Hebræi addunt, eis, videlicet לָהֶם Lahem. Vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Hebraica
ſunt לְקַדֵּשׁ אֹתָם לְכַהֵן לִי Lekaddes otham lechahen li, Ad ſanctificandum vel conſecrandum eos, vt ſacerdotio
fungantur mihi. Sic & Septuaginta. Id eſt, hac quoque ratione conſecrabis eos, vt mihi ſacerdotes ſint. Vertunt
alij, Cùm ſanctificaueris eos mihi in ſacerdotes. Chaldaica, Vt ſanctifices eos ad miniſtrandum coram me. Quę
omnia idem dicunt cum litera noſtra. Tolle vitulum de armento. Parui refert quòd in Hebræo legitur לְקַח פַּר
אֶחָד בֶּן בָּקָר Lekach par echad ben bakar, Accipe, ſeu tolles, vitulũ, vel iuuencum vnum filium bouis, ſiue vaccæ.
Et eſt Hebraiſmus, pro nondum adulto. Vertunt alij, Tolle iuuencum vnum ex bubus. Septuaginta λάμβανε μοσχά-
ριον ἐκ βοῶν ἕν, Accipies vitulum ex bobus vnum. Chaldaica, Tolle vitulum de armento. Quæ omnia idem di-
cunt. Et cruſtulam abſque fermento. Hebraicè eſt וְחַלֹּת מַצֹּת Vechalloth mazzoth. Eſt autem challoth plurale à
chal, quod placentam, tortam, ſeu colliridam ſignificat. Vertitur igitur, Et placentas azymas. Sic & Chaldaica
habet. Siue placentas infermentatas, quod idem eſt. Septuaginta verò hîc tacent. Sed hæc à ſenſu noſtræ literæ M
non deuiant. Quæ conſperſa ſint oleo. Dictiones בְּלוּלֹת בַּשָּׁמֶן Beluloth baſemen, Omnes recentiores, Mixtas vel
permixtas, vel quæ mixtæ ſint oleo, vertunt. Chaldaica verò, Conſperſas oleo habet. Septuaginta quoque, πεφυρ-
μένας ἐν ἐλαίῳ, Conſperſos (videlicet panes azymos, de quibus prædixerant) in oleo. Sed hæc permodica ſunt. La-
gana quoque azyma oleo lita. Vox Hebræa רָקִיק Rakik, ſignificat placentulam, cruſtulam, ſiue laganum (hoc eſt,
paſtam vel panem tenuem) Hebraicè à tenuitate appellatum. Quia ergo omnis conſecratio talis, emundatio
quędam habebatur, qua de prophano quiſpiam, ſacer & ſanctus reddebatur, ideo pecorum mactatio interueniebat, quòd tunc nihil emundabatur niſi in ſanguine, non humano, qui lege naturæ & diuina effundi prohibitus
erat, ſed animalium mundorum, & ſine defectu exiſtentium. Igitur pro conſecratione ſummi ſacerdotis Aaron,
offerri iubetur iuuencus, hoc eſt, vitulus iam adultus, fortis & elegãs, ex multis electus, cui adduntur arietes duo,
& ipſi immaculati, nam nullum animal maculoſum immolari debebat, præcipuè in ſacerdotis ſummi conſe-
cratione



A cratione. Et quia etiam gentilium ritus erat, multi generis panes diis ſuis offerre, & in excelſis ſolenniter edere,
ſed omnia cum fermento, iubet dominus Moyſi omnibus ſacrificiis iſtis abeſſe omne fermentum, vt ſint azyma
& oleo plus minúſue oblinita. *De ſimila triticea cuncta facies, & poſita in caniſtro offeres, vitulum autem & duos arietes, & Aaron*
*ac filios eius, applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij.* CAIETANVS. Legendum eſt, Et vitulum & duos arietes,
cum clauſula caniſtri, vt offerenda omnia ex vna parte intelligantur. AVCTOR CATENAE. De ſimila
triticea cuncta facies, Vel vt habet Chaldaica, De ſimila tritici facies ea. Et hîc eſt punctus Soph paſuk, id eſt, co-
lum, apud literam Hebraicam, vnde hæc verba ſuperiori clauſulæ copulantur. Et poſita in caniſtro offeres, vitu-
lum autem & duos arietes, ſubaudi, pari modo offeres. Nam ſic legitur Hebraicè וְנָתַתָּ אוֹתָם עַל כַּף אֶחָד וְהִקְרַבְתָּ
אוֹתָם בַּכַּף וְאֵת הַפָּר וְאֵת שְׁנֵי הָאֵילִם Venathatta otham hal ſal echad, vehikrabta otham baſal veeth haphar veeth
ſene haelim, Ponéſque ea in caniſtro vno, & offeres ea in caniſtro, & vitulum & duos arietes. Poſt quæ verba eſt
B colum, quod (vt dictum eſt) membrum à membro diſtinguit. Vertunt alij, Ponéſque ea in caniſtrum vnum, &
offeres ea in caniſtro vnà cum iuuẽco & duobus arietibus. Alij, Ponéſque hæc in ſporta vna, & offeres ea in ſpor-
ta vna cum vitulo & duobus arietibus. Septuaginta autem & Chaldaica videntur eo modo legere quo & Lati-
nus Interpres, videlicet, ponéſque ea in caniſtro vno, & offeres ea in caniſtro, & vitulum & duos arietes & Aaron
& filios eius applicabis, & cætera. Verùm & hoc perexiguum eſt, in idem enim tandem hæc omnia redeunt, cun-
cta ſiquidem iſta deo offerenda erant, etiam homines ipſi. Et Aaron ac filios eius applicabis ad oſtium taberna-
culi teſtimonij. Rectè verſum eſt: ſic enim ſe habent Hebraica & Chaldaica. Quamuis alij vertant, Et Aaron &
filios eius accedere facies ad oſtium tabernaculi conuentus, id eſt, quo, ſiue ad quod conuenire ſoleo vobiſcum.
Alij, Adduces ad oſtium tentorij conſtitutionis. Quidam, Appropinquare facies ad oſtium tabernaculi Eccle-
ſiæ. Quæ omnia idem ſunt cum Latina litera. Caniſtro ergo pariter impoſiti panes multi generis, offerebantur
cum vitulo & arietibus ad atrium tabernaculi. Nondum mactari dicuntur, ſed applicari tantùm & præparari,
C vt præſentia & ad vſum parata dum opus fuerit, habeantur. *Cúmque laueris patrem cum filiis aqua, indues Aaron veſti-*
*mentis ſuis, id eſt, linea & tunica & ſuperhumerali & rationali, quod conſtringes baltheo.* BEDA. Nihil hîc de feminalibus
præcipitur, vnde liquidò conſtat, quòd ſe hoc genere veſtimenti ipſe priùs Aaron ac filij eius induerant, & ſic ad *Cap.9.*
manum Moyſi lauandi, induendi, vngendi & conſecrandi intrabant. CAIETANVS. Iuxta Hebræum ha-
betur, Et accommodabis ipſi in artificio ſuperhumeralis, vbi nos habemus, Quod cõſtringes baltheo. De accom-
modatione ergo pectoralis cum ſuperhumerali in extremis ſuperhumeralis eſt mentio; quæ ſpeciali artificio fúl-
ta erant, vt in præcedenti capitulo dictum eſt. AVCTOR CATENAE. Cúmque laueris patrem cum fi-
liis aqua, indues Aaron veſtimentis ſuis. Hæc litera ita legitur in Hebræo & in Chaldaica, Et lauabis eos aquis,
& tolles veſtimenta, induéſque Aaron. Interpres autem exponere voluit quos referre voluit pronomen eos. Di-
miſit verò verba illa, Et tolles veſtimenta, vt pote includens ea in verbis ſequentibus, Indues Aaron veſtimentis
ſuis, nam non potuiſſet induere, niſi ea habuiſſet in manibus. Sed hoc minimum eſt. Et tunicã. Hebraicè eſt
D וְאֵת מְעִיל הָאֵפֹד Veeth mehil haephod. Et tunica ſiue pallio ſuperhumeralis. Quod ideo dicitur, quia ſupra illud
ſtatim ponebatur ſuperhumerale. Vertunt alij, Et interulam Ephod, eo quòd ephod eſſet cinctorium eius. Alij
verò, Interulam laxiorem. Sed de his omnibus indumentis ſatis ſuprà in præcedenti capitulo diximus. Qui ergo
voluerit clariora de illis edoceri, illuc recurrat oportet. Quod cõſtringes baltheo. Iuxta Hebræum legitur וְאִפַּדְתָּ
לוֹ בְּחֵשֶׁב הָאֵפֹד Veaphadta lo bechéſeb haephod, Et ſtringes vel cinges illud baltheo ſiue artificio ſuperhumera-
lis. Artificium autem ſuperhumeralis, texturã Interpres noſter alio loco vertit. Alij, ingenioſiſsimum opus quod
ex eodem panno & materia in extremitatibus ephod, ſiue ſuperhumeralis fabrefactum erat. Vnde & ſunt qui hîc
reddant, Et conſtringes illud contextura ſuperhumeralis. Eſt enim dictio Chéſeb, quam aliàs diximus texturam
eſſe ingenioſam & ſubtilem. Alij, Et cinges eos textura quæ eſt in ipſo ephod. Quidam, Et cinges ipſum ingenio-
ſo opere, quod eſt in ephod. Septuaginta autem καὶ συνάψεις αὐτὸ τὸ λόγιον πρὸς τὴν ἐπωμίδα, Et copulabis ipſum
rationale ad ſuperhumerale. Chaldaica, Et ornabis eum baltheo ſuperhumeralis. Paratis igitur neceſſariis ad ſo-
E lenne ſacrificiũ populo præſente & ſpectãte cum gaudio, applicatiſq; iuſſu dei vocatis ad hoc & electis, Aaron &
filiis ſuis quatuor, priuſq; aqua lotis manus, pedes, vel toto corpore, ne quid ridiculæ contaminationis adeſſet in
illis, paratis iam omnibus ornamẽtis & indumentis, indui mãdat, primùm quidẽ Aaron iam indutũ ſimpliciori-
bus veſtibus primis (ſubligaculo ſcilicet feminali) tunica ſtricta ad crura, tunica hyacinthina, in qua ad pedes ti-
tinnabula erãt, deinde ſuperhumerali cum duobus onychinis in humeris cõſiſtẽtibus, adhærẽtibus catenulis an-
te & retro. Deinde applicari iubet rationale, vt propẽdat ex catenulis aureis, & ſic baltheo cõſtringi omnia, vt ra-
tionale, ſuperhumerale, tunica hyacinthina & linea ſtricta byſſina prælõga, ſub pectore retro & ante propẽdente
parte nõ breui balthei ex cinctura, verſus ſimbriã tunicę. *Et pones tiaram in capite eius, & laminã ſanctã ſuper tiarã.* CA-
IETANVS. Iuxta Hebræũ habetur, Et dabis diadema ſanctitatis ſuper mitrã. Dictio interpretata diadema,
ab aliis interpretatur corona, & vtraq; interpretatio conſonat rei ſignificatę. Certũ eſt enim quòd ſignificatur la-
mina hyacinthino laqueo ambiẽti mitrã innixa, & propterea aliquid coronæ, plurimũ autem diadematis ſapit.
F AVCTOR CATENAE. Dictio Miznépheth, cidarim, mitrã ſeu tiarã ſignificat, à zanaph verbo, quod eſt
circũuoluere & amicire. Vbi verò nos dicimus, Et laminã ſanctã, in Hebræo eſt נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ Nẽſer hakódes, Quod
alij, Coronã ſanctã: Alij, Diadema ſanctitatis vertunt. Et laminã aureã ſignificat, ſicut doctus vertit Interpres, in
qua deſcriptũ erat, ſanctitas domini, ſiue, ſanctitas decet dominum, vel nomẽ domini tetragrãmaton. Iam ergo
corpore ornato peruenitur ad caput, cui imponitur tiara, & alligatur à frõte ſacroſancta aurea lamina, inſcripta
ſacroſancto nomine dei, cuius ſummus ſacerdos eſſe debebat, ad gloriam & magnificentiã talem dei, quam po-
pulus appretiaretur & reuereretur. *Et oleum unctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu conſecrabitur.* THOMAS
IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Oleo ſanctificationis quod dominus mãdauit fieri Exodi. XXX.
vngebãtur vaſa tabernaculi & ſacerdotes, Leuitici, VIII. & IX. & reges, vt patet de Dauid, I. Regũ. XVI. & Sa- *Ca.1.lect.4*
lomone. III. Regũ. I. Item Prophetæ, vt patet de Heliſeo. III. Regũ. XIX. Sed quare fiebat iſta ſanctificatio per
vnctionem? Ratio eſt literalis. Homines enim orientales pro celebritate vngebantur ne conſumerentur, eo quòd

sunt in regione multum calida. Pauperes etiam vngebantur ad festiuitatem. I. Regum. IIII. Non habeo ancilla G tua nisi parum olei quo vngar. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ita habetur hæc litera, sicut & in Chaldaica, Tollésque oleum vnctionis, & fundes super caput eius, & vnges eum. Septuaginta etiam, καὶ λήψῃ τὸ ἔλαιον τοῦ χρίσματος, καὶ ἐπιχεεῖς αὐτὸ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ χρίσεις αὐτόν, Et accipies de oleo vnctionis, & infundes illud super caput eius, & vnges eum. Sed hæc à sensu nostræ æditionis nequaquam discrepant. Oleo verò vnctionis, ait, quo scilicet inungebantur sacerdotes. Vel Hebraismus est, pro vnguento. Et intellige quòd vngebatur Aaron, mitra tamen priùs deposita. Vnctio autem hæc ad caput, qualis fuerit ignoratur. Simpliciter hîc mandatur infundendum capiti Aaron sacrum oleum, & vngendum à Moyse fratre. *Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingésque baltheo, Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua.* HIE-

*Cap.26.* RONYMVS SVPER MATTHAEVM. Sic & Moyses deo iubente præceperat, vt pontifices patribus succederent, & generationis in sacerdotibus series texeretur. Quod tempore passionis domini non obseruaba- H tur. Nam refert Iosephus, Caipham vnius tantùm anni pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum fuit, si nequam pontifex iniquè iudicaret. INTERLINEARIS. Perpetua religione dixit, non quia illa esset perpetua, sed quia perpetuam futuram, id est, Christianam significabat. CAIETANVS. Quia non meminerat cinguli, vt nos arbitramur, vestiendo Aaron, ideo quasi supplendo meminit Aaron, tractans de cingulis filiorum. Cingulum enim erat commune pontifici & sacerdotibus. Et impones (inquit) eis mitras. Iuxta Hebræum habetur, Et ligabis eis pileos, Dictio interpretata pileos, mitras, tiaras, tegmen capitis significat; quod vt hæc testatur litera, ligabatur, sed an sub mento, an in occipite nescitur, sicut nec eius forma nobis nota est.

AVCTOR CATENAE. Hebraicè & Chaldaicè hæc litera ita legitur. Filios quoque eius applicabis, & indues eos tunicis (subaudi lineis) & cinges baltheis Aaron & filios eius. Et ornabis eos mitris, & erit eis sacerdotium in pactum perpetuum. Hoc est, volo quòd sacerdotium perpetuò pertineat ad eos. Quanquam quod Hebraicè est וְחָבַשְׁתָּ לָהֶם מִגְבָּעוֹת Vechabasta lahem migbahoth, Hebræi exponunt, Et alligabis, seu circumligabis, I eis mitras. Nam mitra circumligabatur capiti cum vitta byssina. Vnde & vertunt alij, Et obuincies eos pileolis, seu, Vincies eis pileos. Alij, Et amicies eos mitris. Septuaginta, καὶ περιθήσεις αὐτοῖς τὰς κιδάρεις, καὶ ἔσται αὐτοῖς ἱερατεία ἐμοὶ εἰς τὸν αἰῶνα, hoc est, Et circumpones eis cidaris, & erit eis sacerdotium mihi in seculum. Quæ omnia idem prorsus dicunt cum litera nostra. Filios itaque Aaron sacerdotes quidem consecrari mandat, sed inferioris ordinis, quod & testabatur vestitus simplicior, quia lamina aurea, tunica hyacinthina, rationali & superhumerali carebant. Pileolos tamen & mitras gestabant in capite, & linea tunica cum feminalibus & baltheo vtebantur in sanctuario, vel atrio sacerdotali. Et non ex capitibus vnctionem suscipiebant, sed tantùm ex manibus (vt aliqui asserunt) ad religiosiùs attrectandum sacra, quæ à vulgo etiam Leuitarum contingi non poterant, arca scilicet, candelabrum, mensa, altare incensi, & quædam alia.

*Mystícè.* BEDA. Quæ in sacerdotis summi, cæterorúmque minorum sacerdotum consecratione offeruntur, cuncta

*Cap.10.* siue operum deuotionem bonorum, ac munditiam fidei, siue gratiam diuinæ illustrationis sola per sacerdotes K consecrari, figuratè demonstrant. Quis etenim nesciat, immolationem ac sanguinem illorum animalium, mortem aspersionémque designare sanguinis domini nostri, per quam & à peccatis absoluendi, & in bonis sumus operibus confirmandi? Panes quoque azymi quid mysterij saluatoris contineant, docet Apostolus, dicens, Itaque

*1.Cor 5.* epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Conspersa sunt autem, siue lita oleo, crustula & lagana, vt admoneremur opera habere, non solùm à fermento malitiæ & nequitiæ castigata, sed & pinguedinem charitatis diuinis dignam conspectibus. Vel certè crustulam oleo conspersam ad consecrationem nostram domino offerimus, cum vniuersa quæ facimus, per internam sancti spiritus gratiam in cordis nostri deuotione pinguescunt. Lagana oleo lita offerimus, cùm etiam foris hominibus spiritualia esse quæ agimus, indubitanter in exemplum viuendi ostendimus. Quibus nimirum oblationibus consecratio nostra perficitur, dum per opera bona & cogitationes puras, meritum nobis sanctimonię domino donante conquirimus. STRABVS. Quisquis igitur pontifex vel sacerdos, taurum debet offerre, id est, L passionem Christi firmiter credere & imitari. Et duos arietes, vt scilicet credat eundem Christum ex corpore & anima constare. Et panes azymos, id est, munditiam vitæ, & oleo conspersos, vt inter omnes virtutes non negligat opera misericordiæ, vel non à se, sed à domino gratiæ se credat habere. AVCTOR CATENAE. Vitulus ergo Christum significat, qui oblatus est pro omnibus electis, qui sunt omnes regale sacerdotium, gens sancta, & populus acquisitionis. Cuius sanguine emundantur peccata fidelium, id est, non imputantur à clementia iustitia dei, quia passione Christi remissa sunt. Adduntur duo arietes, ad significandum vel corpus Christi & animam, vel duplicem populum, veterem & nouum, vel peccata spiritualia & corporalia, de quibus etiam multa opinari licebit, cùm certum sit omnia sacrificia significare vnum Christi sufficiens & perfectum sacrificium, pro omnibus electis susceptum à patre, quod sufficere potuisset pro omnibus. Panes verò azymi, crustula absque fermento, ac lagana azyma oleo lita, nobis fidei deuotionem, & operum innocentiam, ac diuinæ illustrationis gratiam significant, quibus consecrantur, & deo acceptabiles redduntur, qui domino offerre se & sua conantur. M

HIERONYMVS. Videmus autem hîc, & in Leuitico legimus iuxta præceptum dei, Moysen lauisse Aaron & filios eius, iam tunc purgationem mundi, & rerum omnium sanctitatem, baptismi sacramenta signabant, Nec accipiunt vestes, nisi lotis priùs sordibus, nec ornantur ad sacra, nisi in Christo noui homines renascantur. Vinum enim nouum in nouis vtribus mittitur. Quod autem Moyses lauat, legis indicium est. Habent Moysen & prophetas, ipsos audiant. Et ab Adam vsque ad Moysen omnes peccauerunt. Præceptis dei lauandi sumus, vt cùm parati ad indumentum Christi, tunicas pelliceas deposuerimus, tunc sacris lætitiæ & exultationis vestibus

*Cap.9.* ornabimur. BEDA. Valde ergo notandũ quòd consecraturus eos Moyses, primò lauit aqua, & sic habitum illis sacri gradus imponit, quia nimirum necesse est, vt qui ad officium altaris promouendus est, maioribus se solito fluentis lachrymarum siue compunctionis, tempore dedicationis abluat, vt quò mundior ad gradum accipiendum accesserit, eò perfectiùs acceptum consummat. Posset autem in hoc lauachro baptísma sacri



A sacri fontis intelligi, si qua esset consequentia, vt qui in sacerdotium electus, tunc primùm aqua baptismatis in remissionem peccatorum ablueretur, & non talium ordinationi contradiceret Apostolus, dicens, Non neophytum ordines, ne in superbia elatus, in iudicium incidat diaboli. Cúmque laueris (inquit) patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica & superhumerali & rationali, & cætera. HIERONYMVS IN PSALMVM. CXXII. Et nos si volumus de vestimẽto isto esse sacerdotali, aut superhume-

rale sumus, quod interpretatur ephod, vt habeamus bona opera, & in humeris nostris Christi mãdata portemus: aut certè tunica debemus esse interior, quæ tunica stricta est & adhæret corpori, non est laxa, non funditur, sed hæret tota ad corpus. Vides ergo quoniam quicunque interior est, & interior tunica, viciniùs iungitur corpori. Si quis verò rationale est quod dicitur λογεῖον, iste non est, nisi in pectore cõstitutus. Animaduerte scripturæ ordinem. Quicunq; rationale est, λογεῖον & ratio est, & in pectore constitutus est. Cęterùm fieri potest vt aliquis ha-

B beat prudentiam, vt habeat λόγον, vt habeat sermonem. Quicunq; ergo verè sacerdos est, debet habere δηλώσεις, hoc est, manifestationes, hoc est, vt quodcunque mente conceperit, proferat, & omnes doceat. Et hæc omnia frustra sunt, si castitas aucta & ornata non fuerit. Ideo zona est & cingit lumbos, stringit & mortificat. Deinde dicitur quod habeat femoralia, vt quodcunque in nobis ignominiosum est & sordidum, quasi hoc cingulo mundetur & mortificetur. Deinde dicitur quòd debeamus habere poderem, quod ornet quasi pedes nostros. In ipso po dere diuersi flores sunt: sunt ibi malagranata, sunt ibi etiam fimbriæ. Ego puto quòd illa mulier sanguine fluens, istam fimbriam tetigerit, & sanata est. Deinde & hæc cõsiderate, quoniam ad extremos pedes, inter malagranata erant & tintinnulæ, & non ingrediebatur pontifex in sancta sanctorũ, nisi illa tintinnabula personarent. Tintinnabula & illa malagranata, diuersitates virtutum sunt, quæ habent singulæ voces suas, & egressus ipse sanctisanctorum vocalis est. Siue enim manducemus, siue bibamus, omnia in nomine domini facimus. BEDA. Indutus verò sacris vestibus pontifex, mox oleo vnctionis perfunditur, vt per gratiã spiritus sancti cõsecratio per-

C ficiatur, non quòd ea quæ pręmissa sunt indumenta virtutũ, absq; gratia dei posimus habere, sed quia maius necesse est auxiliũ gratiæ tribuatur à domino, vbi quis vel maiorẽ conscẽderit gradũ, vel plurimorũ fuerit regimini prælatus. CYPRIANVS DE VNCTIONE CHRISMATIS. Hodie vnguentum ad sanctificationem paratur, cuius fragrantia adolescẽtulę & nouellæ animæ accedẽtes ad fidem, illectæ delectãtur, & exinanitionis eius suauitate delibutæ diligũt & sequuntur aromatũ largitorẽ, & vsq; ad regis accubitũ spiramine illo trahũtur, & post odorem illum vbique desiderio sancto perurgẽte, sitibũdæ discurrũt. Nihil hoc oleum cõmune habet cum liquoribus qui ex quorũdam fructuum pinguedine exprimũtur, nec vis eius est ex crasitudine penetratiua, quę secũdũ quasdã naturales rationes emollit & tẽperat spissamẽta humorũ quos solet intrinsecùs astringere siccitas aliqua, vel corruptio cõglobare. Non hęc medendis corporibus est vnctio instituta, quia sanctificatis elemẽtis iam non propria natura præbet effectũ, sed virtus diuina potẽtiùs operatur, sed adest veritas signo, &

D spiritus sacramẽto, vt & ipsis rerũ efficiẽtiis gratię dignitas pateat, & interiori homini quãta ex his detur auctoritas deiformi cõuersatione & cœlestibus motibus innotescat. Hoc oleo antiquitus sacerdotes sacrabãtur & reges, & ipsi altariũ lapides delibuti, spiritualem intelligi volebant sacris mysteriis inesse pinguẽdinem. Et sicut oleum fluitat, & humidis quibuslibet superfertur, ita excellẽtia sacerdotalis & regiæ dignitatis, secũdum formam dei & Christi sub se omnia continens, regimen & munimen tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ obtinet, & ex hoc humore constat descẽdere omnes gratiarum diuisiones, quas spiritus sanctus prout vult, singulis distribuit & largitur. Ex huius vnctionis beneficio, & sapientia nobis & intellectus diuinitùs datur, consilium & fortitudo cælitus illabitur, scientia & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritualis odore fragramus. Hoc

E oleum à creditorum vsuris sub Helisæo propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Heliæ tempore Sareptanam pauit, nec lecythus trina effusione defecit. Hoc oleo Iacob lapidẽ quem suppositerat capiti vnxit, & familiari mandato cruditus inter sacramenta ascensionum & descensionum, & discursus angelicos innixum scalæ sublimi videns deum, quid virtutis hæc haberet vnctio, intellexit. Moyses hoc oleo tabernaculum & sacra vasa perunxit, & super caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vsque in barbam eius descenderet, & super oram vestimenti manaret. Samuel quoque ad reges initiandos sine oleo non accedit, & vsque ad defectum & reprobationem carnalium cærimoniarum in populo illo huiusmodi perseuerauit traditio. Sed vasis Iudaicis deficientibus, defecit gratia, & stetit oleum. Impletis vasis propheticis & sanctis regibus ad patres appositis, in apostasiam & discolatum versum instabile vulgus, in se non retinuit locum, quem posset spiritus sanctus inhabitare, & vasa amurca plena non suscepere liquorem, steterúntque in summo feces, quæ longo situ indurucre, & vbi

F domicilium religionis fuerat, sterquilinium peccati computruit. Nec tamen cessantibus his quæ ritu antiquo inoleuerant, cùm iam in populo Christiano circuncisio videretur damnabilis, & sacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis mysterium religio Christiana contempsit, sed cæteris generali sanctorum consensu damnatis, non solùm in regibus & sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo. Et sicut Christus à chrismate dictus est eo quòd singularis excellẽtiæ oleo vnxerit eum deus, ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, vt sint sui Christo duce rectores & duces, & offerant deo quotidianum sacrificium, ordinati à deo sanctimoniæ sacerdotes. HIERONYMVS. Legimus in Exodo, quomodo conficiatur vnguentum sacer- *vbi supra.*

dotale. Deinde legimus quomodo aliud vnguentum quo vngebantur reges. Erat aliud vnguentum, quo vngebantur prophetę. Et quid plura loquar? Omnia vnguẽta habebãt diuersitates & mysteria sua. Miramur de sanctis? Leprosus postquã purgat⁹ fuerit, postquã hyssopo fuerit aspersus & sanguine gallinæ, & dimittitur vna gallina in eremũ, & ipse habet vnguẽtũ propriũ. Non sanctificatur aliquid, nisi per vnguentũ. Propterea dicũt & adolescentulæ in Cãtico cãticorũ: Vnguentũ exinanitũ nomen tuum. Post te in odorem vnguẽtorũ tuorũ curremus. Sicut *Cant.1.* vnguentũ in capite quod descendit in barbam barbam Aaron. Pulchrè dixit, in capite quod descẽdit in barbam Aaron. Barba virilitatis indiciũ est. Mulierẽ enim & virum hoc signo natura distinguit: barba igitur virilitatis

indicium est. Caput ergo diuinitas dicitur, hoc est, deitas. Barba verò virum indicat. Vt (inquit) perueniamus in G virũ perfectum, qui est Christus. Vide ergo quid dicat, Sicut vnguentũ, sicut benedictio vnguenti de capite, hoc est, de diuinitatis sermone descendit in barbam, descendit in virum perfectum, qui est Christus, postea descẽdit ipsum vnguentũ in oram vestimenti eius. Sic benedictio & ros mõtis Hermon descendit in montem Sion. Vnguentũ verò hîc pro benedictione ponitur. Dilexisti iustitiam (inquit) & odisti iniquitatem, propterea vnxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Videte quid dicat. Dilexisti (inquit) iustitiã, & odisti iniquitatem. Non sufficit diligere iustitiã, sed è cõtrario odisse iniquitatẽ. Videte quid dicat, Et odisti iniquitatem. Pro his virtutibus quid accepit? Propterea vnxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Hoc ad Christũ dicitur, Ideo tu vnctus es, vt cæteros vngeres. Vnct⁹ es oleo exultationis prę participibus tuis, hoc est, plusquam Apostoli tui. Tu enim vnguẽti habuisti fontem, illi stillas habuerũt. Sicut vnguentũ in capite. Præstet & nobis dominus hoc vnguẽtum diuinitatis, quod venit in barbam, hoc est, in virũ perfectum Aaron, in Aaron H sacerdotem. Aaron autem interpretatur, mõtanus. Videtis quoniã iste sacerdos non est de vallibus, sed de montibus est. Barba (inquit) Aaron. Quòd vnguẽtum in capite, venit in barbam, à verbo deo venit ad hominẽ quem est dignatus assumere. Et quid nobis prodest barba ista vncta, & vir iste perfectus? Videamus quos profectus habeat. Quod descendit in oram vestimenti eius. Nos si vestimentum Christi sumus, nuditatem eius nostra vestimus fide. Ecce nudus pependit in cruce, scandalum Iudæis, Gentibus stultitia, & tamen nostra fide & sermone & confessione vestitur. Noe in domo sua nudus iacuit, & apparuit ignominia eius, maior filius irrisit, & minor texit. Et hoc totum quare dico? Vt ostẽdam vestimentũ nos esse Christi. Rem dico vobis nouam, imò non nouam, sed de scripturis. Nos vestimentum Christi sumus, & cum illum nostra confessione vestierimus, rursum ipsum
*Gal.3.* Christũ induimus. Dicit enim & Apostolus, quòd vestimentũ nostrum, Christus est. Quando enim baptizamur, Christo induimur & vestimur. AVCTOR CATENAE. Aduerte autem Aaron tantùm, non item minõres sacerdotes Chrismate in capite vngi, vt significetur maiestatem Messiæ nulli alteri cõpetere, præterquam I soli domino Iesu Christo. In hoc enim solo tanquam capite & auctore, est spiritus sanctus, remissio peccatorum, & vita ęterna. INTERLINEARIS Filij quoque Aaron, quos tabernaculo applicatos tunicis lineis indui, baltheo cingi, ac mitras eis imponi mandatur, presbyteros ac minoris gradus Christi significant sacerdotes, qui remoti à populo, deo adhærere, ac continẽtia castitatis semper induti, iustitia & fide renes accincti, omniúmque sensuum custodia muniti esse debent, vt in omnibus dignè creatori & redemptori suo ministrent.

2 *POstquam initiaueris manus eorum, applicabis & uitulum coram tabernaculo testimonij. Imponéntque Aaron & filii eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu domini iuxta ostium tabernaculi testimonii. Sumptúmque de sanguine uituli pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius. Sumes & adipem totum qui operit intestina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare. Carnes uerò uituli, & corium & fimum combures foris extra castra, eo quòd pro peccato sit. Vnum quoque arietem sumes, super cuius caput ponent Aaron & filii eius manus, quem cùm mactaueris, tolles de sanguine eius, & fundes circa altare, ipsum autem arietem secabis in frusta, lotáque intestina eius ac pedes, pones super concisas carnes, & super caput illius, & offeres totum arietem incensum super altare. Oblatio est domino, odor suauissimus uictimæ domini. Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron & filii eius ponent manus. Quem cùm immolaueris, sumes de sanguine ipsius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & super pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundéſque sanguinem super altare per circuitum. Cúmque tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aaron & uestes eius, filios & uestimenta eorum.* L

2 AVCTOR CATENAE. Moyses minister domini, fratrem Aaron in primis vngere & consecrare debebat, vt ipse iam pontifex creatus alios postea sacerdotes ordinaret, prout dominus iusserat. Priùs tamen sacrificio confirmari habebat, iam omnibus præsentibus & paratis prosequendo à Moyse ritu, de quo hîc fit sermo.

*Quæst.125.* *Postquam initiaueris manus eorum, applicabis & uitulum coram tabernaculo testimonij. Imponéntque Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu domini iuxta ostium tabernaculi testimonij.* AVGVSTINVS. Quid est secundum aliam literam, Et consummabis manum Aaron, & manum filiorum eius? An per manus potestatem significauit, vt aliquid etiam ipsi consecrare possent? potestas autem sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt san-
*Quæst.126.* ctificari à Moyse. Nam in eo quòd subditur, Et adduces vitulum ad ostium tabernaculi, & superimponent Aaron & filij eius manus suas super caput vituli in conspectu domini, ostenditur vnde supradictum est, consummandas esse manus eorũ, id est, perficiendam potestatem, vt etiam ipsi sanctificarentur, quomodo fit cùm ponũt M manus suas super vitulum immolandum. AVCTOR CATENAE. Postquam initiaueris manus eorum. Vim verborũ optimè expressit Latinus Interpres, Hebraicè enim est: וּמִלֵּאתָ יַד אַהֲרֹן וְיַד בָּנָיו Vmilletha iad Aharon veiad banaf. Est autem verbum Male, quod initiare, implere, & consecrare significat. Vnde sic redditur Hebraicum, Et implebis manum Aaron & manum filiorum eius, seu postquam impleueris. Quod alij vertunt, Et consecrabis. Vnde & Septuaginta, καὶ τελειώσεις habent, hoc est, Et consecrabis. Quæ omnia idem sunt cum litera nostra. Chaldaica fortè hanc etiam habet sententiam, inquiens, Et offeres oblationem Aaron & oblationem filiorum eius, hoc est, dedicabis ipsum Aaron & filios domino. Sed de hoc verbo vide suprà in præcedenti capite. Induti ergo Aaron cum filiis, astãti ad ianuas tabernaculi vitulo manus imponere habebant, facto cõtestando se peccatores & impuros, vt pro aliis peccatoribus intercedendi & sacrificandi non habeant dignitatem aut meritũ, cupiãt autem iuxta domini dei ordinationem, sanguine immaculatę hostię illius quinimo nó illius, sed alte-



A sed alterius per illam significatæ) à reatu peccatorum emundari, vt sic dignè domino ministrare possint, tam pro suis, quàm pro totius populi peccatis intercessuri. *Sumptúmque de sanguine uituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius.* CAIETANVS. Intellige de altari holocaustorum. Quod autem ait, Fundes iuxta basim eius, iuxta Hebræum habetur, Ad fundamentum altaris. Aduerte prudens lector, quòd disponendo constructionem altaris, nulla est facta mentio loci alicuius in fundamento, in quo reciperetur sanguis animalium quæ offerebantur. Et quia absurdum est immediatè extra altare, hoc est, extra tigillos & rete, in fundamento receptum fuisse sanguinem (nam & turpis, fœdus, fœtidúsque mansisset locus ille in quo mortuus fuisset sanguis, & impedimento fuisset sacerdotibus ministrantibus) consequens est, vt fundamentum hoc altaris intelligatur intus inter tigillos retéque ambientes altare terreum, & ipsum altare terreum, vt intelligamus in fundamento altaris terrei circumcirca relictum aliquid vacui, in quo recipiebatur sanguis animalium, cùm le-
B gitur quòd sacerdos fudit sanguinem ad fudamentum altaris. Sic enim nihil indecens proueniebat, quoniam iugis ignis altaris tollebat omnem indecentiam fœtoris & putredinis, tigilli autem & rete tollebant omnem indecentiã relatiuè ad visum. AVCTOR CATENAE. Quòd nos & Septuaginta basim dicimus, & Chaldaica, Ad fundamentum altaris habet, Hebraicè est dictio יְסוֹד Iesod, quæ tam basim significat, quàm fundamentum, à iasad verbo, quod est fundare, fundamentum iacere, & constituere. Mactare autem animalia, & effundere sanguinem ad basim altaris, & inungere cornua, sacerdotis ministerium erat ac officium, sed hic Moyses in persona domini exequi iubetur, donec Aaron consecretur cum filiis. Ad basim autem arę paratus locus, & suscepta-culum erat fossæ vel canalis, quo sanguis effundebatur. *Sumes & adipem totum qui operit intestina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare, carnes verò uituli, & corium & fimum combures foris extra castra, eo quòd pro peccato sit.* CAIETANVS. Dictio interpretata reticulum, ab aliis fibra interpretatur, in Hebræo tamen sonat superfluum. Ita quòd legendum est, Et superfluum super epar, quod (vt medici dicunt) est panniculus,
C cui appenditur epar & habet aliquid pinguedinis. Ac duos (inquit) renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare. Quia sæpe repetitur hoc in huiusmodi & in holocaustorũ sacrificio, ideo semel pro semper scito prudens lector, quòd in Hebræo sonat thurificationem. Mandat deus hæc (videlicet adipem, renes & cætera) & similiter mandat holocausta thurificari super altare, hoc est, ad similitudinem thuris incendi, hoc est, non comburi flamma consumente in momento, sed ad instar thuris paulatim resolui in fumum. Ita quod ignem temperandum præcipit, sic vt carnes holocausti, & similiter adipes & renes, & cætera non inflammentur, & statim incinerentur, sed sic consumantur, vt paulatim resoluantur in fumales euaporationes. AVCTOR CATENAE. Et reticulum iecoris. Idem dicitur & Hebraicè, videlicet הַיֹּתֶרֶת עַל הַכָּבֵד Haiothêreth hal hacabed, Reticulum vel tela quæ super iecur, subaudi est. Sic & Chaldaica. Sic & Septuaginta, καὶ τὸν λοβὸν τὸ ἥπατος, Et reticulum iecoris. Capitur etiam dictio Iothêreth, quãdoque pro aruina & adipe eiusdem iecoris. De primo habetur Leuitici. III. Et reticulum iecoris cum renunculis. De secundo etiam ibidem, Et aruinam iecoris cum re-
D nunculis. Item Leuitici. IIII. Et adipem iecoris cum renunculis. Cabed autem, Hebraicè iecur dicitur, vnde optimè Interpres locum transtulit. Vertunt alij, Et reticulum quod est circa epar. Alij, Et fibram cum epate. Quæ omnia idem dicunt. Quódque nos, Et offeres, legimus, Hebraicè וְהַקְטֶרֶת Vehiktarta habetur, quod propriè suffumigabis, adolebis, incendes, sacrificabis reddi potest: est enim katar verbum, quod omnia hæc significat. Chaldaica per verbum incendes exprimit, Septuaginta, καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, hoc est, Et impones super altare. Demum quòd nos, Eo quòd pro peccato sit, legimus, Hebraice חַטָּאת הוּא Chattath hu dicitur, hoc est, peccatum est, siue ipsum. Et Septuaginta, ἁμαρτία γάρ ἐστιν, id est, peccatum enim est. Qua nempe locutione discimus, sacrificium dici peccatum quia satisfactio sit, & reconciliatio dei pro peccato, vt est frequentissimum in lege. Tali etiam loquendi modo saluator noster qui peccatum non fecit, nec dolus inuẽtus est in ore eius, ab Apostolo pro nobis peccatum factus dicitur, id est, hostia pro peccato. Vnde rectè hîc Interpres trãstulit, Eo quòd pro peccato
E sit, quòd Chaldaica clariùs exprimens, Expiatio enim est, habet. Et alij etiam, Sacrificium pro peccato est, reddiderunt. Optima ergo quæq; in animalis oblati corpore, quæ apud gentiles magna superstitione inspiciebantur & edebantur, dominus vetat ab aliquo edi, sed sibi quod optimum & delicatius haberetur offerri, & igne altaris incendi, reliquas verò carnes extra castra comburi. *Vnum quoque arietem sumes, super cuius caput ponent Aaron & filij eius manus, quem cùm mactaueris, tolles de sanguine eius, & fundes circa altare, ipsum autem arietem secabis in frusta, lotáque intestina eius ac pedes, pones super concisas carnes, & super caput illius, & offeres totum arietem incensum super altare.* Et fundes circa altare. Hebraicũ & Chaldaica habent, Et asperges super altare per circuitum. Sed idem est. Pro eo autem quod nos habemus, Ipsum autem arietem secabis in frusta, Hebræi legũt וְאֶת הָאַיִל תְּנַתֵּחַ לְנִתְחָיו Veeth haáil tenattéach linthachaf, Et arietem dimembrabis seu concides per membra sua, seu per artus suos, Quod idem prorsus est. Pones super concisas carnes, id est, vt habet Hebraicum, נִתְחָיו Netachaf, membra eius, & super caput illius, hoc est, cõgeres omnia illa in vnum. Et offeres totum arietem, siue, & incẽdes. Est enim idem verbum וְהַקְטַרְתָּ Vehiktarta, de quo paulò antè. Nunc quomodo in consecratione Aaron & filiorum duo consequenter arietes sint offerendi, ad docendum
F facto quid domino semper offerẽdum sit à sacerdotibus, quid denique cessurum sit in vsum sacerdotum, & quid oblaturis fidelibus plebibus referuandum. Vnum itaque arietem iubetur Moyses mactare hoc modo, vt cõstituto ariete ante tabernaculum fœderis, eius capiti manus imponant ipse Aaron initiandus & sui filij. Sicque mactato à Moyse ariete & occiso, sumat sanguinem & fundat secus altare in suum locum per circuitum, membratímque secetur in frusta corpus, amputato primùm capite, deinde omnia illa membra lauentur simul cum intestinis ac cruribus, & subinde componantur pariter cum capite super struem lignorum intra altare holocausti incendenda, vt totus pariter aries domino deo offeratur perfecto incendio. Vt sit acceptabile sacrificium domino in odorem suauitatis, qui post huiusmodi ritum exactum, ex fide domino placente, & legitima obedientia, sese reconciliandum promittat, & dimissurum peccata eorum, pro quibus offeretur. Talísque oblatio integrè domino delata, de qua nihil in cibum cuiquam relinquitur, nec sacerdoti nec offerenti, holocaustum dicitur. Vnde & addit, *Oblatio est domino, odor suauissimus uictimæ domini.* AVGVSTINVS.

Quod odor suauitatis sæpe domino dicitur sacrificium de victimis pecorum in scripturis sacris, non vti- G
*Quæst.127.* que deus odore fumi delectatur, sed tantùm illud quod hîc significatur spiritaliter, deum delectat, cùm spiritaliter exhibetur, quoniam ipse odor dei spiritaliter intelligitur. Non enim sicut nos, odorem corporeis naribus ducit. Sicut ergo ille olfacit, sic ista significant. THEODORETVS. Odor suauissimus victimæ domini. Humanis rebus diuinas docet. Nam quia nos suauibus odoribus maximè oblectamur, sacrificiũ quod ex lege fiebat, suauem odorẽ appellauit. Neque enim nudis verbis adhærendũ esse diuina natura declarat, quæ omnino corporis mẽbrorumq; expers est. CAIETANVS. Iuxta Hebræum autẽ habetur, Holocaustum ipsum domino, odor quietis, incẽsum domino ipsum. Et vtrobiq; Iehoua est, & datiui casus. A tribus cõmendatur hoc sacrificij genus. Primùm à totalitate, quòd totũ animal immolatur summo deo. Deinde à fumali euaporatione, in quam totum resoluebatur, dicendo, Odor quietis. Humano more loquitur deus, nulla enim maior est cõmendatio odoris, quàm vt sit dignus quiete hominis in ipso: rari enim sunt odores non pariẽtes aliquid fastidij aut mali, si quiescat homo odorãdo. Nec hoc dicitur propriè, sed metaphoricè, hoc est, quòd ad similitudinẽ H
odoris digni quiete, placet hic fumus sacrificij. Tertiò ab igne, dicẽdo, Incẽsum seu ignitũ ipsum. Inter elementa enim, ignis supremũ & natura & situ & actione & puritate locũ tenet. Et dicitur hoc ad differẽtiam elixorũ, quæ mediante aqua, & non immediatè ab igne attingũtur. AVCTOR CATENAE. Locus iste Hebraicè sic legitur עֹלַת הוּא לַיהוָה רֵיחַ נִיחוֹחַ אִשֶּׁה לַיהוָה הוּא Hola hu laihoua, reach nichóach isse laihoua hu, Holocaustũ seu hostia est domino, odor suauis, seu placẽs, vel quietis, oblatio domino est. Est enim dictio Nichóach, à noach verbo descendẽs, quod quiescere significat. Isse autẽ propriè oblatio dicitur vel sacrificium quod in igne offerebatur. Vertũt alij, Holocaustum enim est domino, odor quietis, oblatio ignita est domino, id est, oblatio est enim quæ tota igni absumi debet in honorẽ dei, estq; oblatio quę quiescere facit iram dei, hoc est, pacatum eum reddit hominibus. Quod autẽ addit, oblatio ignita est domino, repetitio est verbis paùlùm immutatis. Dicitur prẽterea holocaustũ, Hola Hebraicè à verbo עָלָה Hala, id est, ascendit, quòd totũ illud sacrificium in fumũ (vt ita dicam) I
ascendat & cõuertatur. Reddũt nõnulli, Holocaustum hoc domino, odor gratissimus & suaue olens, sacrificium igne cõfectum domino. Alij, Holocaustũ est domino in odorẽ quietis. Oblatio ignita domino est. Alij etiam, In holocaustũ domino, in odorẽ suauitatis, & oblationẽ ignitam domino. Septuaginta, ὁλοκάυτωμα κυρίῳ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίασμα κυρίῳ ἐστίν, Holocaustũ domino in odorem suauitatis, sacrificiũ domino est. Quod quid significet apertè declarat Chaldaica, inquiens, Holocaustũ est corã domino, vt suscipiatur cum beneplacito, holocaustum est corã domino. Horũ igitur omnium sensus vnus est, quòd oblatio ista, seu vapor eius & incẽsio, placẽtissima est domino, non ex parte operis operati, quòd in se nullã habuit sanctitatẽ, acceptibilitatem ac gratiã, cùm fuerit quid irrationale, sed ex parte operis operãtis, hoc est, ex fide, deuotione & obediẽtia offerẽtium, maximeq; ratione rei quàm repręsentabat, de qua in posterioribus videbimus. *Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron & filij eius ponent manus. Quem cùm immolaueris, sumes de sanguine ipsius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & super pollicem manus eorum, ac pedis dextri, fundesq; sanguinem super altare per circuitum. Cúmque tuleris de sanguine qui est super* K
*altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius, filios & vestimenta eorum.* Et pones super extremũ auriculæ dextræ Aaron. Dictio תְּנוּךְ Tenuch, propriè tenerũ significat, quod est in extremo auriculę. Vnde aliqui vertũt hîc, Super teneriorẽ auris dextræ partẽ. Alij, Super fibram auris Aaron, & cætera. Nam fibra est extrema pars cuiuslibet rei. Chaldaica habet, In superiori parte auris. Sed hæc idem sunt. Cumq; tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius, & vestimẽta eorum. Cõcisiùs quàm Hebraicũ & Chaldaica, quæ habent, Et asperges super Aaron & super vestes eius, & super filios eius, & super vestes eorum cum eo. Sed vitauit Interpres repetitionem præpositionis super. Sensus tamen prorsus idem. Alter aries domino offerẽdus ad cõsecrationem sacerdotalẽ dicitur aries cõsecrationis, hoc ritu: Aaron & filij ponẽt manus super caput ipsius in conspectu tabernaculi, præsente & aspiciente populo. Deinde à Moyse occiditur & de sanguine eius non iam inungetur ara vel eius cornu, sed super cartilaginem auris dextræ Aaron & filiorum eius, insuper & pollices manus & pedis dextros eorundem, reliquum autem sanguinem fundet ad altare per circuitum. De eodem autem sanguine L
ad altare posito, & de oleo vnctionis simul, asperget Aaron & filios, & vestes consecrandas, hoc est, deinceps nulli alij vsui aptandas quàm sacro, à nemine induendas præterquam ab Aaron & filiis eius. Sic enim exigebat, vt in magna æstimatione haberentur vestes, & propter vestes, personæ & officium.

*Mystice.* INTERLINEARIS ET AVCTOR CATENAE. Spiritualiter autem consecratio manus Aaron & filiorum eius, id nobis præferunt, quòd sacerdotes Ecclesiæ omnia bona opera operari debent, nulla autem mala. Vitulo autem sacrificando imponunt Aaron & filij eius manus super caput, & postmodum in conspectu tabernaculi mactatur, quia vera hostia Christus dominus, qui peccata nostra portauit, in cruce erat pro salute mundi offerendus. Cuius sanguine & iusti quatuor virtutibus nitentes, per quatuor cornua altaris, & inferiores in Ecclesia, per basim eius significati, & demum omnes à reatu omnium peccatorum emundari debebant. Non vt sine omni prorsus peccato viuerent, sed vt non imputarentur eis peccata, & rei non haberẽtur apud iustitiam dei, cui satisfactum esset per Christi mortem & sanguinem eius, redimentem fideles & electos, si illis applicata M
fuerit per fidem & sacramenta. Vel cornua altaris & basis sanguine vituli liniuntur, quia Christus qui sacerdos Ecclesiæ dei est, altare & hostia, pro nostris criminibus peccatum fit, hoc est, sacrificium pro peccato, vt nos à peccatis liberaret. Terra quoque nostris sceleribus polluta, & irritata contra impios homines, quos nutrire iussa est in cultum sui creatoris, quæ cogitur ferre improbos & transgressores, hausto sanguine Christi cõciliatur & compescitur, ne clamet contra peccatores in cœlũ. Sed & cùm adeps offertur in altari incensum domino, quid nobis indicat aliud quàm saluatoris nostri passionem ex virtute gratiæ eius, in fine seculorũ celebrãdã, acceptissimam deo futurã? Iuxta quod & Apostolus ad Ephesios scribẽs, ait, Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. Quod verò vituli carnes extra castra comburuntur quia pro peccato sunt, dominus Iesus Christus refertur, extra Hierusalem pro peccatis mundi in cruce offerendus. Sed & duo arietes super quorum capita Aaron & filij manus imponunt, domino mactandi, ipsum eundem dominum



A dominum Iesum propter eminentissimam dei & proximi dilectionem exprimunt, ducem & pastorem ouium, quem morti sacerdotes & pontifices Iudæorum tradiderunt. Nec ab re secundi arietis sanguine aures dextræ, pollices manuum ac pedum Aaron & filiorum eius tinguntur, quoniam immolatione Christi purgatus est & innouatus simplicium Iudaici populi auditus, opera correcta, & incessus dextri & puri redditi. Aspersio autem sanguinis eiusdem super Aaron & filios ac eorum vestimenta, nónne signo, si non voce tibi clamare videtur, quòd scelerati illi Iudaici populi sacerdotes, in die parasceues spurcissimis labiis protulere, Sanguis eius super nos & super filios nostros? Quod & alibi per Esaiæ os spiritus sanctus prædixerat futurum, dicens, Et aspersus est san- *Esa.61.*
guis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. CYRILLVS LIBRO VNDE- *Cap.56.*
CIMO SVPER IOANNEM. Prisca lex ac literalis, quæ vmbram veritatis habebat, corporaliùs (vt ita dicam) & rudiùs res sacras fieri iubebat. Aqua enim Aaron & Leuitæ institutione legis primùm lauabãtur, deinB de ariete immolato, eius sanguine dexteræ auriculæ vngebat extremum, & in extremitate pollicis tam manus quàm pedis dexteri nonnihil sanguinis ponebat, mysterij Christi tanquam in tabula imaginem describens. Vbi enim aqua & sanguis quibus sacrificamur fuit, ibi absque dubio pulchritudo veritatis obumbratur. Dominus autem noster Iesus Christus ad veritatem figuras legis transponens, ministros altaris per seipsum perficit, ipse nanque cõsummationis aries est. Perficit autem sanctificationes vera participatione spiritus sui, ad diuiniorem virtutem & gloriam homines reformans. THEODORETVS. Sed & aliter. Sacerdotes non omnibus hostiis manus imponebant, sed iis quæ pro ipsis immolabantur, maximèque pro peccato, cæteris verò ipsi illi qui offerebant, manus suas supponebant. Id verò declarabat, hostiam locum offerentis tenere, ac supplere. Illud autem sciendum est, quòd pro pontifice vitulus offerebatur, itèmque pro omni populo. At verò pro principe, hircus. Pro vnoquoque verò, capra. Principi nanque masculus, subiectis verò fœmina congruit, propterea quòd & mulierem deus ipsi Adam subiectam esse voluerit. Præterea vitulus qui pro peccato immolabatur, extra castra
C comburebatur. Ob id Christus quoque dominus noster (vt ait Apostolus) extra portam passus est, veritatẽmque figuræ imposuit. Altari quoque omentum imponebatur, offerebatur similiter adeps ventriculi, duo renes, ipsiúsque iecoris fibræ. Quæ quidem omnia tantùm quæ in nobis affectionũ sunt ænigmata, esse existimarim. Adeps nanque qui ventriculum operit, gulæ atque abdominis vitium indicat: renes verò, voluptates illas quæ ventrem maximè oblectant: fibræ autem iecoris, irascibilem animi vim declarant, hinc enim pars illa quæ bilem ipsam continet copulatur. Hæc autem omnia consecrari iubet, ac quodammodo malas ipsorum efficacias mortuas esse significare. Brachium quoque dextrum arietis pro consummatione offerri præcipit, hoc est, virtutem quæ sese operibus exerit dexteram ac gratam deo offerendam esse. Ipse verò panis & lagana & vini libamina, fructus qui è terra gignuntur declarant, quorum primitias deo offerendas esse quis nescit? BASILIVS DE VERA
VIRGINITATE. Diuina lex vitulum pro sacerdotio apud sapientissimum Moysen immolari mandans, per membra hostiæ quæ incendebantur, sacræ exercitationis modum naturali ratione subindicat, quæ fibram
D iecoris, non iecur totum, & adipem qui ventrem operiret, non ventrem ipsum: renum verò non solùm adipem, verùm ipsos quoque cum adipe renes incendi in holocaustum iubet. Iecoris quippe quod cõcupiscentiæ instrumentum est, iuxta quod & de eo, qui concupiscentiæ fuerat telo percussus, dicitur, Eris quasi ceruus spiculo percussus in iecore, veluti fibram, singularem scilicet peccati concupiscentiam, in qua & fel inuenitur incendere, reliquam verò felle ac pessima cupiditate liberam ac puram ad appetenda bona quæq; & honesta seruare, secundum naturam integram conuenit. Porrò ventris quod superfluum est, vnde pinguiore & hebetiore euadimus sensu, auferre decet, solúmque quod est necessarium seruare. In renibus verò non adipem solùm ingentem obscœni liquoris copiam expumantem ad libidinem, verùm & renes ipsos expiare ac sanctificare naturaliter omnino iubemur. Significat profectò per hæc sermo diuinus, & necessarium victum nobis esse amplectendum: &
concupiscentiam studiosius ad meliora transferendam, & castitatis munditiam tota intentione sectãdam. Quia enim possibile non erat absque cibo viuere, escarum receptaculum, ventrem scilicet, nudum absque vllo omniE nogulæ vitio relinquens, obsidentem illum adipem rectissimè tollit. Rursus quia itidem erat impossibile, boni nos aliquid habere, nisi naturalem concupiscentiæ vim ad illud ambiendum haberemus, improbam cupidinis speciem quasi fibram iecoris cum felle præcidens, probabile concupiscendi genus ad virtutes appetendas purum innocuúmque reliquit. At verò in renibus, quia neque ad vitæ necessaria vt venter, neque ad concupiscendum vt iecur, necessarij sunt, solámque & vnicam concubitus concupiscentiam capiunt, non horum solùm adipem, sed ipsos quoque ignibus tradit. Nempe enim sine renibus, id est, sine coniugio in terris viui potest, virginitatísque vita, nullo inferior angelis ad perpetuam gloriã hinc iam exerceri. Quibus profectò omnibus id nobiscum agitur, vt omni sapientia eruditi & instructi aduersus voluptatem totam quasi contra multorum capitum hydram sapienter stemus, neque sub specie excidendi emergentia assiduè per sensus capita ad pullulationem plurimorum ea semper iteremus. Verùm summa tolerantia laboris atque continentia præcipua, fortiter illa incendamus, corporáque nostra hostiam sanctam placentem deo, tanquam vitulum pro sacerdotio studiosè offeraF mus, & modò quidem prauam concupiscentiam veluti fibram iecoris, modò superfluitatem cibi, quasi adipem quo venter operitur, modò etiam totam simul concupiscentiam coitus, veluti renes vnà cum adipe semen illis ministrante, diuino continentiæ igne consumamus, vt iuxta propositam virginitatis destinationem: omni praua ac turpi concupiscentia, omníque voluptate superiores euadentes, per continentiæ sacra certamina proposito certantibus præmio, immortalitatísque corona digni inueniamur. AVCTOR CATENAE. Obseruandum itaque dominum potissimùm exigere pro suo sacrificio animalia illa, & membra illa, quæ concupiscentiis subiiciuntur. Non vult habere animal infirmum, aut quod testiculis sit priuatum, requirit renes, qui concupiscentiæ prima sunt officia: vult habere epar, quod roborat libidines, & adipes qui effrenem faciunt concupiscentiam, iuxta illud, Impinguatus est Israël, & recalcitrauit. Hæc omnia dominus in suo vult habere sacrificio, non quòd illum delectent renes aut adipes pecudum, sed quòd hæc mystícè significent, quòd homo mortificare debet membra sua super terram.

3 *CONsecratísque ipsis & uestibus, tolles adipem de ariete & caudam, & aruinam quæ operit uitalia, ac* G *reticulum iecoris, & duos renes atque adipem qui super eos est, armúmque dexterum, eo quòd sit aries consecrationis, tortámque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu domini, ponésque omnia super manus Aaron & filiorum eius, & sanctificabis eos, elevans coram domino. Suscipiésque uniuersa de manibus eorum, & incendes super altare in holocaustum, odorem suauissimum in conspectu domini, quia oblatio eius est. Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabísque illud eleuatum coram domino, & cedet in partem tuam. Sanctificabísque & pectusculum consecratum, & armum quem de ariete separásti, quo initiatus est Aaron & filij eius, cedéntque in partem Aaron & filiorum eius iure perpetuo à filiis Israël, quia primitiua sunt, & initia de uictimis eorum pacificis,* H *quæ offerunt domino.*

3 AVCTOR CATENAE. Adhuc secundi arietis sacrificium prosequitur, quod hostia pacifica dictum est, cùm prioris oblatio holocaustum fuerit pro peccato. Ait ergo, *Consecratísque ipsis & uestibus.* Quàm breui se expediuit Interpres, & summam rei dicere non omisit. Sic enim est apud Hebraicum, & Chaldaicam. Et sanctificabitur ipse & uestes eius, & filij eius, & uestes filiorum eius cum eo. Sic ad uerbum & Septuaginta. INTERLINEARIS Et vt consummetur & perficiatur sacrificium. *Tolles* (inquit) *adipem de ariete & caudam, & aruinam quæ operit uitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem qui super eos est, armúmque dexterum, eo quòd sit aries consecrationis, tortámque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu domini, ponésque omnia super manum Aaron & filiorum eius, & sanctificabis eos, elevans coram domino.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et eleuabis ea, eleuationem coram domino. AVCTOR CATENAE. Notandum primò, quòd ante uerba illa, Tolles adipem, & cætera, apud Septuaginta abundant omnia hæc uerba, At sanguinem arietis infundes ad altare in circuitu. Deinde ubi dicitur, Et aruinam quæ operit uitalia, siue intestina (Est enim dictio קֶרֶב Kéreb, Sed idem est) hoc loco, Et, accipitur expositiuè, id est, adipem tegentem intestina. Est enim eadem dictio חֵלֶב Chéleb, quæ suprà paulò antè posita est, quam Interpres hîc aruinam uertit, ne idem uerbum tam citò replicaret, vt diceret, Tolles adipem de ariete, & caudam, & adipem qui operit intestina, sicut Chaldaica & omnes recentiores legunt. Licet Septuaginta hoc in loco nullam de cauda mentionem fecerint. Est ergo sensus, Ne quis dubitet de quo adipe loquut⁹ fuerim, eum adipem intelligo, qui arietis intestina operit. Tertiò, quòd nos Armum dextrum, Hebræi autem שׁוֹק הַיָּמִין Sok haiamim dicunt, Septuaginta βραχίονα, hoc est, Brachium dixerunt. Quartò, quòd nos, Eo quòd sit aries consecrationis, Hebraicè מִלֻּאִים Milluim habetur, id est repletionum. Quòd aliter non est intelligendum quàm sicut uertit Interpres. Implere enim hoc toto capite pro consecrare sumitur, sicut & paulòantè est positum, Et implebis manum eorum. Aries ergo repletionum dicitur, K id est, quo repletur & consecratur sacerdos. Sic & Septuaginta senserunt, qui vt uox sonabat uerterunt, ἔστι γὰρ τελείωσις αὕτη, Est enim consecratio siue cõsummatio hæc. Chaldaica, Quoniam aries oblationum est, legit. Sed de Male uerbi significationibus suprà satis dictum est. Quod autem hîc annotatum est, toto hoc capite annotatum esse uolumus. Quintò, ubi nos tantùm, Tortã panis unius legimus, tam Hebręi quàm Septuaginta & Chaldaica, Et crustulæ conspersæ oleo, & lagano azymorum, unum addunt, Vt dicant, Crustulam conspersam oleo unam & laganum unum. De quorum uerborum uarietate uide quæ dicta sunt in superioribus. Sextò, quód dicitur, De canistro azymorum quod positum est in conspectu domini, Hebraismus est, pro, In quo infermentata fuerunt oblata deo. Demum quod in nostra editione scriptum est, Et sanctificabis eos, eleuans coram domino, in Hebræo legitur וְהֵנַפְתָּ אֹתָם תְּנוּפָה לִפְנֵי יְהוָה Vehenephta othã tenupha liphne Iehoua. Et eleuabis ea eleuationem, siue in oblationem eleuationis coram domino. Sic ferè legit & Chaldaica, uidelicet, Et eleuabis omnia eleuatione coram domino. Sciendum autem, uerbum נוף Nuph, à quo Tenupha uenit, significare eleuare, mouere, L & hinc inde agitare. Vnde uerterunt hîc nonnulli, Et agitabis ea agitatione coram domino. Dicunt enim quòd sublatam hostiam agitabant seu mouebant, primùm ab oriente in occidẽtem, deinde à septẽtrione in meridiem, qua agitatione deum totius esse terræ dominum significabant. Dicunt etiam doctores Hebræorum, quòd in sacrificiis duplex erat eleuatio. Prior sursum ac deorsum, & dicitur Teruma: altera antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, & dicebatur Tenupha. Vertũt alij hoc in loco, Et facies ea motari, Tenupha coram domino. Quod in idem recidit cum superioribus. Sic & quod alij reddunt, Et ventilabis ea in oblationem ventilationis coram domino. Dicũt siquidem הֲנִיף Heniph significare, aliquid in sublime porrectum, hinc inde ad quatuor mundi plagas mouere, & quasi vẽtilare. Pro quo Septuaginta, καὶ ἀφορίεῖς αὐτὰ ἀφόρισμα ἔναντι κυρίου, Et segregabis ea segregationem coram domino, dixerunt. Iubetur igitur hæc omnia pariter imponi in manus Aaron & filiorum, in signum quòd oblata illa de animalibus & reliquis ad cibum pertinẽtibus, iuris essent sacerdotalis, & non tam sacerdotibus, quàm ipsi domino offerẽda esse, eatenus vt nihil tale vnquã cedere deberet in vsum pro- M phanum & laicum, sed sacerdotibus relinquendum. In cuius signum duo fieri iubebãtur, primùm vt hæc omnia oblata ponerẽtur super manus sacerdotũ consecrãdorum, quorũ tunc quoq; manus sustentabãtur à Moyse quasi tradẽte illis ius talia possidẽdi, nec solũ sustẽtabat eorũ manus talia ferentiũ, sed eleuabat cum decoro & solẽnitate sursum quantũ fieri potuit, & iterũ submitti sinebat: deinde à sinistra ad dexterã mouitabat, in morẽ crucis, significãdo vel crucis mysteriũ, vel (vt dictũ est) omnipotẽtiã dei, cui hæc offerebãtur, & cuius cultui ministraturi essent sacerdotes illi nũc cõsecrati qui domin⁹ est totius mũdi, omniũ quæ sursum sunt atq; deorsum, ante & retro. Aliud signũ iuris sacerdotalis & diuini erat, omniũ illarũ rerũ incẽsio, pro illa vice, dũ hoc sacrificio cõsecrarẽtur, in odorẽ suauissimũ domino. Vnde & sequitur. *Suscipiesq; vniuersa de manibus eorũ, & incẽdes sup altare in holocaustũ odorẽ suauißimũ in cõspectu domini, quia oblatio eius est.* CAIETANVS. Iuxta Hebręũ habetur, Et thurificabis altare super holocaustũ, in odorẽ quietis domino. Si ordo rei gerẽdę est secũdũ ordinẽ literę, sensus est, q̃ Moyses istas res volis



A volis Aarõ & filiorũ sustẽtatas, eleuauit intercedẽtibus eorũ manibus (vnde & nõnulli interpretati sunt, Et eleuare facies) & peracta huiusmodi eleuatione Moyses accepit de manibus eorũ vniuersa quæ fuerãt eleuata. Modus deinde sacrificãdi hæc eleuata describitur, videlicet per modũ holocausti, vt ad instar thuris in altari cremẽtur imposita super carnes holocausti. Et adiungitur similis suauitas corã domino, & similis dignitas igniti sacrificij, subiũgendo, Incẽsum ipsum domino. AVCTOR CATENAE. Hebraicè hoc loco legitur וְהַקְטֵרְתָּ הַמִּזְבֵּחָה עַל הָעֹלָה Vehiktarta hamizbécha hal hahola, Et incendere facies seu thurificabis altare vltra, vel ad, siue super holocaustum, vel cum holocausto. Septuaginta, καὶ ἀνοίσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριόν τῆς ὁλοκαυτώσεως, Et offeres super altare holocausti. Chaldaica, Et incendes in altari super holocaustum, vt suscipiatur cum beneplacito coram domino, seu (vt nostri codices habent) odorem suauissimum in conspectu domini. Non quòd (vt iam sæpius dictum est) dominus talibus nidoribus delectetur, sed quòd fides, spes & obedientia talia deo offerentium, domi- B no placeat, & oblectamento sit. Quia oblatio eius est. Hebraicè legitur, אִשֶּׁה הוּא לַיהוָה Isse hu laihoua, Est enim oblatio ignita domino, id est, quæ igni absumitur in honorem domini. Et quia hæc in superioribus exposita sunt, hîc vltra non insistimus. *Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabísque illud eleuatum coram domino, & cedet in partem tuam.* AVGVSTINVS. Secundum Septuaginta, Et sumes pectusculum de ariete consummationis, quod est Aaron, id est, ipsius Aaron. Hoc enim pertinere voluit ad summum sacerdotem. *Quæst.128.*

CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Et eleuabis illud eleuationem coram domino. Et est constructio appositiua. AVCTOR CATENAE. Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aarõ. Pro, Quo initiatus est Aaron, Hebraicè est הַמִּלֻּאִים אֲשֶׁר לְאַהֲרֹן Hamilluim aser leAharon, Impletionum quæ Aaron, id est, cape pectusculum arietis quod immolatur pro cõsecratione Aaron. Vt sit idem quod vertit Interpres, Prout & Chaldaica intelligit habens, Sumésque pectus de ariete oblationis Aaron. Alij vertunt, Impletionum quod Aaron. Et coniunctionem, non ad consecrationem, sed ad pectusculum referunt, quòd videlicet sit C semper cessurum in sacrificiis post hac in partem Aaron. Et sic intellexerunt Septuaginta. Sanctificabísque illud eleuatum coram domino. Pro sanctificabísque illud eleuatum, Hebraicè est וְהֵנַפְתָּ אֹתוֹ תְּנוּפָה Vehenaphta otho tenupla, Et eleuabis illud eleuationem, seu eleuatione. Sic & Chaldaica. Quæ (vt dictum est) fiebat per motum ad quatuor partes. Vertunt alij, Et agitabis illud agitatione. Alij & ventilabis illud ventilatione. Nonnulli, Et motabis ipsum tenupla. Demum quidam, Et sanctificabis illud in eleuationem. Quæ omnia vnum sunt cum sensu literæ nostræ. Et quia sunt eadem verba, quæ paulò antè declarata sunt, illuc recurrendum est. Septuaginta, καὶ ἀφορίεῖς αὐτὸ ἀφόρισμα, Et segregabis illud segregationem. Et cedet in partem tuam, Hebraicè enim dicitur, וְהָיָה לְךָ לְמָנָה Vehaia lecha lemana, Et erit tibi in partem, Sic & LXX. καὶ ἔσαι σοι εἰς μερίδα. Chaldaica quoque, Et erit tibi in portionem. Male ergo in quibusdam Latinis codicibus legitur, Et cedet in partem suam, scilicet ipsius Aaron. Pectusculum ergo hoc secundi arietis, de quo nunc scribitur, secundum præscriptas partes incendendum nunc quidem consecratori Moysi cedit, semper deinde summo sacerdoti cessurum, & nulli fi- D liorum vel minori sacerdoti sub summo. Ex quo etiam loco validissimum sumitur argumentum ad quæstionem disputatam, An Moyses summus sacerdos fuerit, nam præter id quod ipse summum cõsecrauit sacerdotem hîc pectusculum dei iussu susципere mandatur, quod solius summi erat sacerdotis portio, nam & subditur,

*Sanctificabísque & pectusculum consecratum & armum quem de ariete separásti, quo initiatus est Aaron & filij eius, cedéntque in partem Aaron & filiorum eius iure perpetuo à filiis Israel, quia primitiua sunt, & initia de victimis eorum pacificis, quæ offeruntur domino.* *Quæst.129.*

AVGVSTINVS. Quod hîc dicitur, Et cedent in partem Aaron & filiorũ eius iure perpetuo, siue secundũ Septuaginta, Legitimum sempiternum à filiis Israël, more illo perpetuum, ęternũ, siue sempiternum dixit, quem sæpe suprà commemorauimus. HVGO DE SANCTO VICTORE. Sanctificabísque & pectusculum consecratum & armum. Hucusque quæ dicit, ad præsentem pertinent consecrationem Aaron & filiorum eius, quæ verò sequuntur, ad futuram deinceps consuetudinẽ. Vt scilicet quia sacerdotes in consecratione sua de pacificis suis obtulerunt pectus & armum, hęc eadem accipiant à filiis Israël de pacificis eorum lege perpetua. E Sanctificabis, id est, confirmabis. Et nota quòd primus aries fuit oblatus in holocaustum, secundus in pacifica. Vnde dominus habuit suam partem armum & adipem, & Moyses qui obtulit pectus, Aaron cuius erat oblatio, reliquas carnes quas cepit & comedit cum filiis suis in atrio tabernaculi, sicut deinceps facturi erant filij Israël.

CAIETANVS. Sanctificatio autem hæc, est definitio, quòd ista (videlicet pectus & armus) munda sint ab vsu filiorum Israël offerentium sacrificia, & cedant in portionem sacerdotum. Quia (inquit) primitiua sunt & initia, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, Quia separatio ipsa, & separatio erit à filiis Israël de sacrificiis pacificorum eorum, separatio eorum domino. Ratio redditur sanctificationis harum partium, quia sunt partes separatæ deo. Et quia multiplex erat sacrificij genus (vt infrà patebit) manifestat hanc legem intelligi in sacrificiis pacificorum, quæ offerentur à filiis Israël. AVCTOR CATENAE. Sanctificabísque & pectusculum consecratum & armum. Hebraicè est, וְקִדַּשְׁתָּ אֵת חֲזֵה הַתְּנוּפָה וְאֵת שׁוֹק הַתְּרוּמָה Vekiddasta eth chaze hatenupha veeth sok hateruma. Quia dictum de tenupha, dicendum etiam de teruma. Dictio hæc à רוּם Rum F verbo descendit, quod leuare, eleuare, & separare significat. Vnde teruma illud significat, quod à communibus vsibus separatur, & domino offertur. Et quia hoc ab imis ad superna (vt dictum est) etiam eleuabatur, aliqui vocant etiam teruma, elcuationem, vt paulò pòst videbimus, vel primitias, quia & hæc cum hac cærimonia domino offerebantur. Hoc intellecto verti potest locus iste, Et sanctificabis pectusculum eleuationis, & armum separationis. Sic & Chaldaica habet. Alij vertunt, Et sanctificabis pectusculum agitationis, & armum eleuationis. Alij, Sanctificabis itaque pectusculum ventilationis, & armum eleuationis. Quidam, Cõsecrabis itaque pectusculum tenupha, & armum eleuationis. Demum nõnulli, Et sanctificabis pectus eleuationis, & armum exaltationis. Septuaginta, καὶ ἁγιάσεις τὸ σκεῦνιον ἀφόρισμα, καὶ τὸν βραχίονα τοῦ ἀφαιρέματος, Et sanctificabis pectusculum segregationem, & brachium separationis. Quę omnia vnum eundémque sensum habẽt, quòd tam pectusculum quàm armus, eleuando coram domino sanctificentur. Sequitur, Quem de ariete separásti, quo initiatus est Aaron & filij eius. Hebraica sunt hoc in loco huiusmodi, אֲשֶׁר הֻנַּף וַאֲשֶׁר הוּרַם מֵאֵיל הַמִּלֻּאִים מֵאֲשֶׁר לְאַהֲרֹן וּמֵאֲשֶׁר לְבָנָיו

Aser

Aſer hunaph vaaſer huram meel hamilluim, meaſer leaharo vmeaſer lebanaf. Sciendum autem, quòd Hunaph G & Huram paſsiua verba ſunt in Hiphil, à Nuph & à Rum, verbis ſexti ordinis, & in Complutenſi editione poſt dictionem Hamilluim, eſſe coma, hoc eſt, Athnach, in aliis non, quare locus variè redditus eſt. Nam aliqui legunt totum hoc coniunctim ſiue aliquo puncto, alij diſiunctim. Vertitur ergo ab aliquibus, Quod (videlicet pectuſculum) agitatum ſeu motum eſt (ſubaudi hinc & inde in quatuor partes) & qui (ſubaudi armus dexter) eleuatus, ſiue in altum ſublatus eſt de ariete repletionum vel conſecrationum Aaron & filiorum eius, aut pro Aarone & pro filiis eius. Et ſic intellexit Interpres Latinus, Chaldaica etiam habens, Quod eleuatum eſt, & ſeparatum de ariete oblationis Aaron & filiorum eius. Sic & Septuaginta vertentes, ὃς ἀφώρισαι καὶ ὃς ἀφίηται ἀπὸ τοῦ κριοῦ τῆς τελειώσεως ἀπὸ τοῦ ἁγιάσμου, καὶ ἀπὸ τῶν ἱερέων αὐτοῦ, Qui ſegregatus eſt, & ſeparatus eſt ab ariete conſecrationis ab Aaron & filiis eius. Quæ lectio ſatis clara eſſet, ſi tamen ſciretur quomodo intelligatur, Ab Aaron & filiis eius, videlicet nunquid pectus & armus quæ duo aliàs cederent in partem Aaron & filiorum eius, pro hac vice ſint ſu- H tura Moyſi, vel num Aaron & filij ſeparare habeant ab ariete & eleuare pectus & armum, ac dare in manus Moyſi. Nam & hæc eadem verba in Hebræo difficultatem pariunt propter dictionem Meaſer bis repetitam, cuius forte ſignificatio hoc in loco non admodum deprehenditur. Vertunt alij diſiunctim, hoc modo: Quod ventilatũ eſt, & qui in altum leuatus eſt, de ariete conſecrationis, propter Aaron & filios eius, videlicet ob conſecrationẽ eorum. Vt reddant dictionem Meaſer, Propter, quod certè duriuſculum videtur, nec adhuc apud aliquem ſcripturæ locum ita eſſe poſitam compertum eſt nobis. Nobis dicimus, quia aliis fortè doctioribus erit. Nam licet Caaſer, quemadmodum, in quo, propterea quòd, & eo quòd ſignificet, Meaſer tamen, non propter, ſed à quo, ſiue de eo quòd, ſignificare Hebraicè ſolere credimus. Fatemur pauperem intelligentiam noſtram, aut vt magis ingenuè dicamus, ignorantiam, non ſatis nobiſmetipſis hoc in loco ſatisfacimus, minúſque credimus aliorum intelligentiæ conſultum fore. Non omittimus hanc clauſulam, Meaſer leAharon vmeaſer lebanaf, à viro doctiſſimo ex recentioribus in Latinum non verti, & in eius exemplaribus deſiderari. Sequitur. Cedéntque in partem I Aaron & filiorum eius iure perpetuò. Siue, In ſtatutum perpetuum, eſt enim in Hebræo, לְחָק עוֹלָם Lechak holam. Vel ſtatuto perpetuo. Quod ita intelligitur, quo ad lex vetus curſum ſuum habitura erit, tandiu pectus & armum dextrum in ſacrificiis tenebuntur Iſraëlitæ dare Aaron & legitimis ſucceſſoribus eius. Septuaginta vertunt more ſuo νόμιμον ἀιώνιον, Legitimum ſempiternum. Chaldaica, In ſtatutum æternum. Quæ omnia vnũ dicunt cum litera noſtra. Deinde additur, Quia primitiua ſunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt domino. Hebraica huiuſmodi ſunt, כִּי תְרוּמָה הוּא וְתְרוּמָה יִהְיֶה מֵאֵת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל מִזִּבְחֵי שַׁלְמֵיהֶם תְּרוּמָתָם לַיהוָה Chi theruma hu, vthruma ihie meeth bene Iſraël mizibche ſalmehem, terumatham laihoua, Hoc eſt, Quia ſeparatio eſt, & ſeparatio erit à filiis Iſraël de victimis pacificis eorum, ſeparatio eorum domino. Alij vertunt, Quia oblatio eleuationis eſt, eleuatio, quæ eſt (id eſt offertur) à filiis Iſraël, de, ſiue à ſacrificiis ſuis pacificis, eleuatio ſeu oblatio (inquam) eorum erit, ſiue eſt domini. Id eſt, pars illa offeretur domino, & propterea ſacerdotes habebunt illam, hoc eſt, armum dextrum cum pectore. Alij Hebraicas voces integras relinquentes, dicũt, K Quoniam Thruma eſt, Thruma (inquam) à filiis Iſraël, & à ſacrificiis eorum pacificis, Thruma eorum domino. Reddunt quidam, Quia exaltatio, & exaltatio erit à filiis Iſraël. De ſacrificiis pacificorum ſuorum exaltatio eorum domino. Et phraſis eſt Hebraica, vt linguæ illius peritis notiſsimum eſt. Chaldaica, Quia ſeparatio eſt, & ſeparatio erit à filiis Iſraël de victimis ſanctificationum ſuarum, ſeparatio eorum coram domino. Sic fere & Septuaginta. Quæ quidem omnia à Latinæ verſionis ſenſu nequaquam deuiant, quæ pectus & armum hoſtiarum pacificarum huiuſmodi, hoc eſt, partes præcipuas in vſum ſacerdotum deputandas appellat. Sanctificatio igitur talis pectuſculi quod dicitur eleuationis, & armi oblationis, ſeu ſeparationis, aliud non eſt, quàm (vt prædictum) ſeparatio talium in vſum ſummi ſacerdotis, quotieſcunque ſacrificia ſalutaria, quæ & pacifica, pro gratiarum actione offerebantur, de quibus huiuſmodi portio ſacerdoti ſummo cedere perpetuò diuinóque iure debebat, & à nullo alio edi licebat.

*Myſticè.*

HIERONYMVS AD FABIOLAM. Sed nunquid de bobus cura eſt deo? Vtique non. Multo magis L de iecore bouis, arietis & hircorum, & armo dextro, pectuſculo & ventre, quo ſtercora digeruntur, quorum duo in eſum accipiunt ſacerdotes, tertium Phinees meretur in præmium. De victimis ſalutaribus, adeps quo pectus obuoluitur, & pinnula iecoris offeruntur ſuper altare, ipſum verò pectus & brachium dextrum dantur Aaron & filiis eius legitimum ſempiternum à filiis Iſraël. Senſus in corde eſt, habitaculum cordis in pectore. Quæritur vbi ſit animæ principale. Plato, in cerebro: Chriſtus monſtrat in corde, Beati mundo corde, quoniam ipſi deum videbunt. Et de corde procedunt cogitationes malæ. Et, Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? Voluptas & concupiſcentia, iuxta eos qui de phyſicis diſputant, conſiſtit in iecore. Huius pinnulam in diuerſa volitanté, & per oculorũ feneſtras erumpentem, foras offerunt ſacerdotes deo, vt poſtquàm opere dixerint deo, Holocauſtum tuum pinguefiat, & concupiſcentiam libidinis ſeminarium, igni ſpiritus concremauerint, mereantur accipere præmium, pectus & brachium. In pectore mundas cogitationes, legis notitiam, dogmatum veritatem: In brachio bona opera, & pugnam contra diabolum, & armatam manum, vt quod mente conceperint, exemplo M probent. Ieſus enim cœpit facere & docere. Ipſum quoque pectuſculum appellatur ἐπίθεμα, id eſt, additamentum, ſiue præcipuum & egregium, thenupha quippe hoc magis ſonat. Ex quo intelligimus iuxta illud Malachiæ, Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, præcipuam debere eſſe in ſacerdotibus legis doctrinæq; notitiam, & additamento gratiæ ſpiritualis talem virum inſtitui, qui poſsit contradicentibus reſiſtere, & nihil in ſe ſiniſtri habere operis, quod ducat ad tartarum, ſed dextrum brachium & ſeparatum, vt opera ſacerdotis cõparatione virtutum eius, à cunctis hominibus ſeparata ſint. Hæc de victimis & his quæ offeruntur in altari, & ſacerdotibus dantur à domino. GREGORIVS IN PASTORALI. Qui cœleſti præ- *Par. 2. ca. 3.* dicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videtur, tantóque felicius ſubditos ad meliora pertrahit, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat. Hinc diuina lege armum ſacerdos dextrum in ſacrificium accipit & ſeparatum, vt non ſolùm ſit eius operatio vtilis, ſed etiam ſingularis. Nec inter malos



A malos tantummodo quæ recta ſunt faciat, ſed bene quoque operantes ſubditos, ſicut honore ordinis ſuperat, ita etiam morum virtute tranſcendat. Cui in eſu quoque pectuſculum cum armo tribuitur, vt quod de ſacrificio præcipitur ſumere, hoc de ſemetipſo auctori diſcat immolare. Et non ſolùm pectore quæ recta ſunt cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia armo operis inuitet, nulla proſpera præſentis vitæ appetat, nulla aduerſa pertimeſcat. Blandimenta enim mundi reſpecto intimo terrore deſpiciat, terrores autem conſiderato internæ dulcedinis blandimento contemnat. AVCTOR CATENAE. Vel pectuſculum & armum accipit ſacerdos de oblatis, vt recordetur ſemper de pectore fideli & ſyncero offerẽdo domino, armoq; adiutorij proximis miniſtrãdo. Hæc eſt enim ſummi pontificis functio, ſyncerè domino & fidelibus miniſtrare. GREGORIVS IN *Cap. 40.* PRIMO MORALIVM. Sed nec myſterio vacat, quòd per Moyſen cauda hoſtiæ in altari domino offerri præcipitur, vt videlicet omne bonũ quod incipimus, etiam perſeuerantiæ fine compleamus. Hinc & Ioſeph qui
B inter fratres vſque in finem iuſtus perſeueraſſe deſcribitur, ſolus talarẽ tunicam habuiſſe perhibetur. Nam quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata? Quaſi enim protenſa tunica talum corporis opprimit, cùm bona actio ante dei oculos vſque ad vitæ nos terminum tegit. AVCTOR CATENAE. Sed & ea pars quæ domino in holocauſtum ceſsit, commendat nobis dominum Ieſum Chriſtum, qui factus eſt pro peccatis noſtris holocauſtum, placauit iram dei, & reconciliauit nos cum deo, vt liceat nobis deum patrem inuocare, & cœleſtium bonorum eius hæredes eſſe. Quod autem pars ceſſerit ſacerdotibus ſacrificantibus, ea partim ſignificat, miniſtris Eccleſiæ licere ex Euangelio viuere. Sic enim Paulus prima Corinthiorum nono docet, An neſcitis (inquit) quoniam hi qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altario deſeruiunt, cum altario participant? Ita & dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, partim ſignificat ſacrificium Chriſti, non habere hanc rationem, vt tantũ ipſi Chriſto capiti noſtro in ſummam gloriam & maieſtatem ceſſerit, verumetiam vt participes eius ſacrificij reddantur, quotquot ſiunt membra Chriſti per fidem vi-
C uam charitate formatam. Idem quoque ſignificat ea pars, quæ Iſraëlitis ſacrificia ſacerdoti offerentibus cedebat. Nam cùm Chriſtus ſacrificio meritus ſit, vt extulerit eum deus in ſummam ſublimitatem, ac donauerit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, non ſibi ſoli tantam felicitatis maieſtatem retinuit, ſed fecit eam pro ſua ratione communem omnibus in ipſum credentibus, vt ſicut ipſe eſt naturalis dei filius, ita credẽtes fiant filij dei adoptiui: & ſicut ipſe eſt hæres bonorum dei, ita credentes fiant cohæredes eius. Atque hoc eſt verè de ſacrificio Chriſti participẽ fieri. Chriſtus enim non ſua, ſed noſtra peccata, ſacrificio ſuo expiauit. Reddimur igitur huius ſacrificij participes, & de illo edimus, cùm Chriſtum fide per dilectionem operãte concipimus, illíque per ſacroſancta Eccleſiæ ſacramenta vnimur & incorporamur.

D *VEſtem autem ſanctam qua utetur Aaron habebunt filij eius poſt eum, ut ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis eius, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonij ut miniſtret in ſanctuario. Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibusueſcetur Aaron & filij eius. Panes quoque qui ſunt in caniſtro, in ueſtibulo tabernaculi teſtimonii comedent, ut ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non ueſcetur ex eis, quia ſancti ſunt. Quod ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſiue de panibus uſque mane, combures reliquias igni. Non comedentur, quia ſanctificata ſunt.* 4

AVCTOR CATENAE. Ne quis diceret, pontificalibus indumentis vtetur Aaron toto vitæ ſuæ tempore, at morte ſuccedente, ipſe eiſdem indutus tumulabitur, & alia noua ſucceſſori parabuntur. Ne igitur ita 4
quis ſuſpicaretur aut crederet, ſubdit dominus Moyſi: *Veſtem autem ſanctam qua utetur Aaron, habebunt filij eius poſt eum, vt ungantur in ea, & conſecrentur manus eorum.* AVGVSTINVS. Septuaginta. Et veſtis ſanctuarij quæ *Quæſt. 129.*
E eſt Aaron, erit filiis eius poſt eum, vt vngantur ipſi in ipſis, & conſecrentur manus eorum. Notandum eſt, quomodo cùm ſtolam dixerit ſanctuarij, poſtmodum pluraliter dixit, Vt vngantur in ipſis, tanquam in ſtolis. Nam & ſuprà multas ſtolas eas dixerat, quibus vna conſtaret, quanquam ambiguum ſit, vtrũ in ipſis ab eo quòd ſunt ipſa genere neutro, quæcunque ſunt quibus illa ſtola completur, id eſt, veſtis ſacerdotalis, quod magis putandum eſt, eo quòd in conſequentibus dicit, Septem diebus veſtiet ſe ea ſacerdos qui ſucceſſerit ei, ea ſcilicet omnia quæ commemorauit cùm veſtem ſacerdotalem deſcriberet, repetiuit ſanè quod ſuprà dixerat, conſummare manus eorum, vnde quid mihi videretur expoſui. CAIETANVS. Dicendo autem póſt eum, manifeſtat quòd non de omnibus filiis Aaron, ſed de ſucceſsiuè ſuccedentibus in põtificatu loquitur. Non vult quòd fiant veſtes nouæ ſuccedente nouo pontifice, ſed quòd veſtes Aaron tranſeant ad ſucceſſorem. Non ſepelicbatur ergo pontifex cum ſanctis pontificalibus veſtibus. AVCTOR CATENAE. Veſtem autem ſanctam, & cætera. Singulare eſt pro plurali. Plura ſiquidem erant ſummi ſacerdotis indumenta, vt ſuprà vidimus. Et in
F Hebræo etiam habetur וּבִגְדֵי הַקֹּדֶשׁ Vbigde hakódes, Veſtimenta autem ſancta, ſiue, Veſtes autem ſanctæ. Habebunt filij eius poſt eum, id eſt, eo mortuo. Vt vngantur in ea, & conſecrẽtur manus eorum. Hebraicè autem, לְמָשְׁחָה בָהֶם וְלְמַלֵּא בָם אֶת יָדָם Lemaſcha bahem vlmalle bam eth iadam, Vt vngantur in eis, & impleant manum ſuam in eis, Id eſt, vt illis veſtiti, vngantur & conſecrentur, ſicut Latinus Interpres vertit. Reddunt alij, Ad vngendum cum eis, & ad conſecrandum cum eis manum eorum. Chaldaica verò paulò diuerſiùs habet in verbis, non tamen in ſenſu, Vt vngantur in eis, & offerantur in eis oblationes eorum. Sed hæc idem dicunt cum litera noſtra. Seruabuntur igitur veſtimenta Aaron pro ſucceſſoribus in officio, & in eis vngentur oleo in capite, & conſecrabuntur manus eorum in die initiationis ipſorum. Quod & ſic fuiſſe factum ſancta Numerorum teſtatur hiſtoria, vbi dominus dixit ad Moyſen, Tolle Aaron & filium eius. Cúmque ſpoliaſſet Aaron veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. *Septem diebus vtetur illa, qui pontifex per eo fuerit conſtitutus de filiis eius, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonij, vt miniſtret in ſanctuario.* AVGVSTINVS. Nunquid aliis diebus ſe non veſtiet? Sed *Quæſt. 129.*

illis

illis ſeptem continuis intelligi voluit, quibus eius ſacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis eſt G
in eius inchoatione feſtiuitas. Succeſſorem autem Aaron eum dicit, qui intrat tabernaculum teſtimonij deſerui
re in ſanctis, eum ſcilicet ſignificans, qui non poterat eſſe niſi vnus, non quales erant filij Aaron cum viuo patre
ſuo, ſed qualis ſucceſſor ipſius Aaron. Quomodo ergo proprium dicit huius vnius eſſe, intrare in tabernacu-
lum teſtimonij, deſeruire in ſanctis, cùm & illa quæ ſunt extra velum quo velantur ſancta ſanctorum, ſanc-
ta appellentur, & tabernaculum teſtimonij etiam illud vocetur; vbi ſunt ſancta, id eſt, menſa & candela-
brum, vbi cùm deſeruiant etiam ſequentes ſacerdotes ad menſam & candelabrum & ipſum altare, quomo-
do vnum dicit ſucceſſorem Aaron, qui intrat in tabernaculum teſtimonij deſeruire in ſanctis? Si dixiſſet de-
ſeruire in ſanctis ſanctorum, nulla eſſet quæſtio. Ad hæc enim vbi eſt arca teſtimonij, ſolus vnus intrabat ſum-
mus ſacerdos. Quod etiam in Epiſtola ad Hebræos diligentiſsimè commendatur, niſi fortè eo ipſo quòd vnum
dicit intrare in tabernaculum teſtimonij deſeruire in ſanctis, non vult vtique intelligi, niſi in ſanctum ſan- H
ctorum, quia & ipſa vtique ſancta appellantur. Nec enim omnia quæ ſancta ſunt, etiam ſancta ſanctorum
dici poſſunt, quamuis è contrario quæ ſancta ſanctorum ſunt, proculdubio vtique ſancta ſunt.

AVCTOR CATENAE. Septem diebus vtetur illa, ſiue induet eas, Hebraicè enim eſt, וְלָבְשָׁם Ilbaſam. Chaldaica verò, Induetur eis habet. Sed hoc minimum eſt. Qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus, ſubaudi ſummus. Hoc eſt, qui in locum eius ſufficietur de filiis vel nepotibus eius. Et qui ingredietur taber-
naculum teſtimonij vt miniſtret in ſanctuario. Hebraicè eſt, אֲשֶׁר יָבֹא אֶל אֹהֶל מוֹעֵד לְשָׁרֵת בַּקֹּדֶשׁ Aſer iabo el
óhel mohed leſareth bakódes, Quando ingredietur, ſeu veniet ad tabernaculum conuentionis, vel Eccle-
ſiæ, ſiue teſtimonij, aut fœderis, ſeu tentorium conſtitutum, vt miniſtret in ſancto, vel in ſanctitate, ſiue ad
miniſtrandum in ſanctificatione, vel cum ſanctimonia. Quæ omnia idem ſunt cum litera noſtra. Lege cauе-
tur de ſucceſſore patri ſummo pontifici filio, quomodo conſecrandus ſit, non alia ratione quàm nunc Aaron
initiatus eſt, vt cum ſolennitate, inſigni induatur habitu ſummi ſacerdotij, vt noua vnctione vngatur ex ca-
pite & manibus. Nec id vna tantùm die, ſed ſubinde ſeptem diebus & vnctionibus ac ſacrificiis. Atque tanto I
quidem temporis ſpatio conſecrationem fiendam præcipit, vt quo ſacerdotes diutiùs conſecrantur, eo maior
& illuſtrior fiat ſacerdotij auctoritas. *Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus ve-
ſcetur Aaron & filij eius. Panes quoque qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, vt ſit placabile ſacrificium, &
ſanctificentur offerentium manus.* CAIETANVS. Non dixit, Elixabis carnes arietis in altari, ſed in lo-
co ſancto. Crediderim ego, in altari tantummodo holocauſta, & ea quæ per modum holocauſti cremaban-
tur ſacrificari, reliqua autem in loco quidem ſancto, & igne ex altari ſumpto, ſed non in altari ſacrificari, vt hęc
inſinuat litera. Et verè ſic fuiſſe reuerentia altari debita confirmat, nam ſi victimæ pacificorum in altari coctæ
fuiſſent, cùm ab offerentibus coquerentur, licitum fuiſſet cuilibet offerenti miniſtrare in altari, quod abſur-
dum valde eſt. Taceo de frequenti impoſsibilitate coquendi multitudinem victimarum ſuper altare. Et con-
firmatur hoc rurſus ex tertio Regum octauo, in quo narratur, quòd in dedicatione templi ſanctificauit Salo-
mon medium atrij ante templum pro holocauſtis, quia altare non erat capax iugis ſacrificij & holocauſtorum K
& adipum ex pacificis. Significanter itaque hîc dicitur in loco ſancto, ad differentiam tum altaris holocau-
ſtorum, tum profani loci. Quibus veſcetur Aaron & filij eius, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, Et come-
dent ea quibus propitiatum fuit in eis, ad conſecrandum manus eorum, ad ſanctificandum eos. Relatiuè ad
diuinam gratiam condonantem peccata per huiuſmodi ſacrificium, manifeſtatur præcipuè ſanctitas oblato-
rum, quibus veſci debent Aaron & filij eius, & ſecundariò manifeſtatur, quia illis ſacrificiis cõſecratæ ſunt ipſo-
rum manus, & ipſimet ſanctificati ſunt. AVCTOR CATENAE. Arietem autem conſecrationis, vel
conſecrationum: Eſt enim Hebraicè הַמִּלֻּאִים Hamilluim in plurali. Sed hoc nihil eſt, ponitur nanque frequen-
tiſsimè alterum pro altero in ſcriptura. In veſtibulo tabernaculi teſtimonij comedent, hoc eſt, in atrio extra
tabernaculum. Vt ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Senſu retento Hebraica
ſunt paulò diuerſa, nempe וְאָכְלוּ אֹתָם אֲשֶׁר כֻּפַּר בָּהֶם לְמַלֵּא אֶת יָדָם לְקַדֵּשׁ אֹתָם Veáchlu otham aſer cuppar L
bahem lemalle eth iadam lekaddes otham, Et comedent ea quibus (ſcilicet carnibus & panibus) expiabitur
(ſubaudi Aaron) Vel, per quę expiatio facta fuit, Vel, eo quòd propitiatio ſeu placatio per ea facta ſit (eſt enim כִּפֶּר
Cuppar præteritum paſsiuum in pihel) ad implendum vel conſecrandum manus eorum, ad ſanctificandum
eos. Hoc eſt, vt conſecrentur & ſanctificentur. Vertunt alij, Quibus expiatus fuit Aaron, dum conſecrarentur
manus eorum, & ſanctificarentur. Septuaginta, ἔδονται αὐτὰ ἐν οἷς ἠγιάσθησαν ἐν αὐτοῖς, τελεῶσαι τὰς χεῖρας αὐ-
τῶν, ἁγιάσαι αὐτούς, Comedent ea in quibus ſanctificati ſunt in ipſis, ad cõſecrandum manus eorum, ad ſanc-
ficandum eos. Chaldaica verò, Et comedent ea quibus placabiles erunt, vt offerantur oblationes eorum, vt ſan-
ctificentur. Quod igitur ſupereſt de ariete conſecrationum, poſt pectuſculum delatum Moyſi, & reliqua iam in-
cenſa, & igne abſumpta, iubetur in loco ſancto coquendum in cibum Aaron & filiis eius, vnà cum panibus
qui in caniſtro oblati fuerant ad atrium ſacerdotum cum reliquis. Tali enim conuiuio complebatur initiatio
nouorum ſacerdotum, domino gratiam largiente, & placentiam habente in fide, deuotione ac obẽdientia, M
tam ſacerdotum omnia iuxta dei præſcriptum complentium, quàm populi Iſraëlitici domino offerentium hæc
mũnuſcula, & reuerentia digna ſuſcipientium ad mandatum domini nouum ſacerdotium. Et tale perinde eſt,
quale in humanis videmus, vt tunc demum quis magnus vir alicui placatus ſit, cùm illum benignè ad men-
ſam ſuam inuitatum admittit. *Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt.* Subaudi panes. Alij quod He-
braicè eſt, כִּי קֹדֶשׁ הֵם Chi kódes hem, vertunt, Quia ſancta ſunt, ſiue, Quia ſanctificatio, ſeu ſanctificatum ip-
ſa. Septuaginta, ἔστι γὰρ ἅγια, hoc eſt, ſunt enim ſancta. Chaldaica, Quoniam ſanctificata ſunt. Sed hæc o-
mnia vnum ſunt. Alienigena autem hîc dicitur, quiſpiam de alia quacunque familia, præterquam de familia
ſacerdotali & Aaronica, etiam ſi fuiſſet de tribu Iuda, vel Leuitica alia familia. *Quòd ſi remanſerit de carnibus
conſecratis, ſiue de panibus vſque mane, combures reliquias igni. Non comedentur, quia ſanctificata ſunt.* Pro conteſtatione ma-
iori ſanctimoniæ ſacerdotalis præcipitur, vt illius ſacrificij de ariete conſecrationum nihil prorſus reliquiarum
reſeruetur



A reſeruetur in craſtinum, omnia ſcilicet, quæ non comeſta fuerunt à filiis Aaron ſacerdotibus. Vbi etiam de eo-
rum filiis, filiabus & vxoribus nulla legitur exceptio. Qui omnes pro illis diebus ſuis propriè cibis vti debebant,
& non edere quicquam de hoc ariete conſecrationis.

AVGVSTINVS. Vnus autem iſte qui ſemel in anno intrabat in ſancta ſanctorum, quoniam Chriſtum *Myſticè.*
Ieſum ſignificabat, apertiſsimè ſuprà dicta ad Hebræos Epiſtola commendatur. Quod autem præfiguratum eſt *Vbi ſuprà.*
in ſancta ſanctorum, vt ſuper arcam quæ legem habebat, eſſet propitiatorium, vbi dei miſericordia ſignifica-
tur, intelligendum eſt quàm propitius ſit peccatis eorum, qui legem non implent. Hoc mihi videtur etiam in ip-
ſa veſte ſacerdotis ſignificari. Nam & ipſa quid aliud quàm Eccleſiæ ſacramenta ſignificat? quòd in λογίῳ, id
eſt, rationali in pectore ſacerdotis poſito, iudicia conſtituit, in lamina verò ſanctificationem & oblationem pec
catorum, tanquam rationale ſit in pectore ſimile arcæ in qua lex erat, & lamina illa in fronte, ſimilis propitia-
B torio quod ſuper arcam erat, & vtrobique ſeruaretur quod ſcriptum eſt, Superexaltat miſericordiam iudicio.

INTERLINEARIS. Quòd verò veſtem ſanctam Aaron habebunt filij ſui qui pro eo ſacerdotio fungen
tur, quid aliud eſt, quàm quòd religionem & ſanctitatem illius, ſucceſſores imitabuntur? AVCTOR CA-
TENAE. Nec maximo quoque vacat myſterio, quòd ſeptem continuis diebus vnctionibus & ſacrificiis ſum-
mus initiabatur ſacerdos: id enim nobis indicat, chariſmatis multis pontificem exornari, & continuò proficere,
non poſſe repentè ſummum fieri, ſemper conari ad maiora, etiam qui ſummus habeatur, ſeptenarius enim nu-
merus Hebræis eſt vniuerſalis & indeterminatus. INTERLINEARIS. De ſacrificio autem ſummi ſa-
cerdotis, hoc eſt, de ſumptione pretioſi dominici corporis & ſanguinis, non veſcitur alienigena, id eſt, Genti-
lis, vel hæreticus, vel cuius vita ab Eccleſia alienatur. AVCTOR CATENAE. Reliquias autem conſe-
cratarum carnium & panum igni comburimus, quando hoc quod de incarnati verbi myſterio intelligere & pe-
netrare non poſſumus, poteſtati ſpiritus ſancti humiliter reſeruamus, vt non ſuperbè quis audeat, vel con-
C temnere, vel denunciare quod non intelligit, ſed igni tradat, hoc eſt, ſpiritui ſancto relinquat. Vel in hoc quod
nihil reliquiarum in craſtinum reſeruandum præcipit, id nobis indicat, non eſſe differendam reſipiſcentiam vſ-
que in futurum ſeculum, ſed hodie, hodie inquam, dum dies huius ſeculi & reuelati Euangelij illuceſcit, agen-
dam eſſe pœnitentiam, vt habeamus remiſsionem peccatorum. In futuro enim ſeculo non erit reliqua hoſtia
pro peccatis, ſed iuſta factorum retributio, his quidem qui bene egerunt, vita æterna & gaudium cœleſte, illis au
tem qui impœnitentes male egerunt, damnatio æterna, & ignis vehementia.

Omnia quæ præcepi tibi facies ſuper Aaron & filios eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum, & 5
uitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque altare cùm immolaueris ex-
piationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem. Septem diebus expiabis altare & ſanctificabis, &
D erit ſanctum ſanctorum. Omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur. Hoc eſt quod facies in altari. Agnos annicu-
los duos per ſingulos dies iugiter, unum agnum mane, & alterum veſpere, decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo
tuſo, quod habeat menſuram quartam partem Hin, & uinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno uno. Alterum
uerò agnum offeres ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem ſuauita-
tis. Sacrificium eſt domino deo oblatione perpetua in generationes veſtras, ad oſtium tabernaculi teſtimonii co-
ram domino, ubi conſtituam ut loquar ad te. Ibique præcipiã filiis Iſraël, & ſanctificabitur altare in gloria mea.
Sanctificabo & tabernaculum teſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis eius, ut ſacerdotio fungantur mihi. Et
habitabo in medio filiorum Iſraël, eroque eis deus, & ſciant quia ego dominus deus eorum, qui eduxi eos de terra
Aegypti, ut manerem inter illos, ego dominus deus ipſorum.

E

AVCTOR CATENAE. Sicut in nouo teſtamento aliqua ſunt de neceſsitate atque eſſentia ſacramen- 5
torum, aliqua verò de bene eſſe & ſolennitate ipſorum, ita fuit in veteri teſtamento de ſacramentis ipſius. Et
quia omnia quæ prædicta ſunt de conſecratione ſummi ſacerdotis & inferiorum, erant de neceſsitate ſacra-
menti, ita vt ſi aliquid deeſſet, conſecratio illa eſſet nulla, & miniſterium ipſorum pollutum, ideo nunc ait do-
minus Moyſi, *Omnia quæ præcepi tibi facies ſuper Aaron & filiis eius.* Vel iuxta Hebraicum, Et facies Aaron &
filiis eius ſic, Iuxta omnia quæ præcepi tibi. Supradictorum igitur cauſa, non autem inculcationis adiicitur
epilogus, & ne quis ſuſpicetur hæc non à domino iuſſa, ſed à Moyſe fuiſſe præſumpta, vtq; legis rationem
habeat in generationes futuras in longinquum. *Septem diebus conſecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres
per ſingulos dies ad expiandum.* Senſum verborum optimè reddidit Interpres: ſunt autem hoc loco Hebraica,
ſicut habet & Chaldaica, Vitulum autem quod eſt pro peccato, facies quotidie pro expiationibus. Vel quod
F eſt עַל הַכִּפֻּרִים Hal hacippurim, Propter expiationes, id eſt ad expiandum, ſcilicet altare. Vertunt alij, Vltra
expiationum, hoc eſt, vltra arietes qui mactabuntur expiandi altaris cauſa, mactabis & vitulum. Alij, Et
iuuencum peccati (qui videlicet pro peccato immolatur) facies per diem (id eſt, per ſingulos dies) pro expia-
tionibus, vel propitiatis. Vſitatum eſt autem in ſcriptura, ponere verbum facere pro ſacrificare, quod nec ſum-
mus poëta quamuis Gentilis ignorauit, inquiens, Cùm faciem vitula pro frugibus, ipſe venito. Septuagin-
ta fortè de vnico tantùm vitulo ſemel primo die immolando intellexerunt, legentes, καὶ τὸ μοσχάριον τὸ τῆς
ἁμαρτίας, ποιήσεις τῇ ἡμέρᾳ τὸ καθαρισμόν, Et vitulum qui peccati, facies in die purificationis. Septem itaque
diebus ſingulis conſecrationis, duo illi arietes eodem ritu vt præſcriptum eſt, offerri iubentur. Et ne quis de
vitulo dubitet, de quo in principio capitis mandabatur extra caſtra comburendo, præter adipem totum qui o-
perit inteſtina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & cætera, ideo hîc annectitur, etiam reliquis ſeptem die-
bus ſimilem vitulum offerendum, præambulum conſecrationis ſacerdotalis, vt ſeptem vituli & quatuorde-

cim arietes

cim arietes in consecratione sacerdotum fuerint mactandi, septem sibi succedentibus diebus modo præscripto. G Si autem alicui aliud videbitur, non moramur. Videtur autem hæc mactatio præambulæ arietum, fuisse veluti quædam consecratio altaris noui holocaustorum, in atrio sacerdotum vel tabernaculi. Eodem enim versu iungitur, *Mundabísque altare cum immolaueris expiationis hostiam, & vnges illud in sanctificationem. Septem diebus expiabis altare, & sanctificabis, & erit sanctum sanctorum. Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur.* AVGVSTINVS IN *Quæst.130.* QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quid est quòd purificatum & sanctificatum altare septem diebus dicit, quòd sanctum sanctorum, seu sanctum sancti erit altare? Non quidem dicit sanctum sanctorum, sicut est illud quod velo separatur, vbi est arca testimonij. Veruntamen & hoc altare extra velum positum, per sanctificationem septem dierum dicit potius, quàm per vnctionem fieri sanctum sancti. Et addit, Omnis qui tetigerit altare, sanctificabitur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Et erit sanctum sanctorum, id est, sanctum ad sanctas hostias sacrificandas. CAIETANVS. Vide quomodo epitheton intimi loci tabernaculi communicatur altari holocaustorum, & ratio nominis redditur, quia altare sanctificat omne quod tangit ipsum, hoc est, reddit munda, separando à profano vsu ea quæ tangunt altare, siue sint animalia quæ immolantur, siue res quæ offeruntur, siue instrumenta, siue ignis, & cætera. AVCTOR CATENAE. Mundabísque altare, cùm immolaueris expiationis hostiam. Loco, cùm immolaueris, & cætera, Hebraicè est בְּכַפֶּרְךָ עַל־ Bechappercha halaf, Cùm expiaueris super illud. Sic habet & Chaldaica. Alij vertunt, Dum expiabis illud. Et est idem cum litera nostra, nam tunc mundabatur & expiabatur altare, cum hostia deo grata super eo immolabatur. Septuaginta, καὶ καθαριεῖς τὸ θυσιαστήριον ἐν τῷ ἁγιάσαι σε ἐπ' αὐτῷ, Et Mundabis altare cum sanctificaueris tu super illud. Et vnges illud in sanctificationem, hoc est, vt sanctum sit, vel vt sanctificetur. Vel verte לְקַדְּשׁוֹ Lekaddeso, Ad sanctificandum ipsum, id est, vnges vt sanctificetur. Et est idem. Septuaginta, ὥστε ἁγιάσαι αὐτό, Vt sanctifices illud. Et erit sanctum sanctorum, vel, sanctitas sanctitatũ. Hebraismus est, pro, erit sanctissimum. Omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur, hoc est, sanctus esse debet, vt I doceat immundos non debere accedere. Quanquam alij, Omne quod, siue, Quicquid tetigerit altare, sanctum erit, propter dictionem Col, quam omnis esse generis constat, transtulerunt. Et est sensus quæcunque super altare illud offerentur, fient sancta, & oblata in eo non poterunt edi nisi à sacerdotibus. Dicit ergo dominus, sic septem diebus singulis emundabis aram, vt post oblationem duorum arietum vno die, semper postero die iterum huiusmodi pretiosioribus membris exustis, & sanguine delinitam aram consecrabis & mundabis vsque septem vicibus, vt tandem sufficienter consecratum habeatur in perpetuum eatenus, vt quicquid illic oblatum fuerit hostiarum, secundum legem, sine dubio domino deo sit gratum futurum & acceptum, & tanquam sanctum sanctorum habendum. *Hoc est quod facies in altari. Agnos anniculos duos per singulos dies, iugiter: vnum agnum mane, alterum vespere, decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem Hin, & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno.* CAIETANVS. Ecce officium altaris holocaustorum, ecce iuge sacrificium. Quod autem dicitur, Alterum vespere, Iuxta Hebræum habetur, Inter vesperas. Initium itaque sacrificij iugis, fuisse sacrificium matutinum testatur litera, appellando agnum sacrificij vespertini, agnum secũdum. Et quia non expectandus erat occasus solis pro hora sacrificij vespertini, ideo dicitur, Inter vesperas, hoc est, inter occasum solis, & solem propinquum occasui. Nec verò mensura similæ, nec mensura vini, nec modus quo res istæ adhibentur agno qui cremabatur, innotuit nobis. Scimus duntaxat, quod agnus tam matutinus quàm vespertinus cremabatur, adhibitis ei tribus istis rebus, simila, oleo & vino, vt in his quatuor vniuersis fructus terræ deo iugiter sacrificarẽtur. AVCTOR CATENAE. Per singulos dies iugiter, subaudi, offeres. Septuaginta per alia etiã verba idem clarissimè expresserunt, λύσιν ἡμέραν ἐνδελεχῶς, κάρπωμα ἐνδελεχισμοῦ, Duos (videlicet agnos sumes) per singulos dies iugiter, oblationem continuationis. Nam Græcè iuge illud ac nunquã intermissum sacrificium, ἐνδελεχισμὸς vocatur. Vnde dicitur ἐνδελεχεία. Vnum agnũ mane, & alterum vespere. Breui more suo iungit in vnum doctus Interpres, quod longioribus verbis in Hebræo habetur, nempe, Agnum vnum facies mane, & agnum secundum facies in vespere. Siue vt quidam vertunt, בֵּין הָעַרְבַּיִם Ben haarbaim, L Inter duas vesperas. De quibus satis multa in hoc eodem libro capite XII. dicta sunt. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, subaudi, Ephi. Habet autem mensura Ephi, tria sata, seu modios. Et decima pars Ephi habet mensuram quadragintatrium ouorum. Hin verò est mensura liquidorum, continens duodecim login. Log verò minima mensura est in aridis & liquidis, quæ continet sex oua. Porrò Homer, siue Gomer, qui & Chorus dicitur, de quo habes Leuitici vltimo, est mensura continens tres mensuras Ephi, hoc est, quantum mille ducentæ & nonaginta testæ ouorum. Sic enim Hebræi pro suo more mensuræ genera per oua explicant. Quod habeat quartam partem Hin, hoc est, quantum continet mensura trium Login, id est, octodecim ouorum. Septuaginta quoq; vocem Hebraicam reliquerunt non versam. Et vinum ad libandum eiusdẽ mensuræ in agno vno. Hebraismus est, pro vnoquoque agno. Chaldaica eundem sensum habet, Et vinum pro libamine quartam partẽ Hin, in agnũ vnum. Quod vertunt alij, Et libaminis quartam partem Hin vini agno vni. Sic & Septuaginta, Quæ idem sunt cum Latina litera. Lex ergo domini de iugi sacrificio hîc obiter scribi videtur, vt omni die duo offerantur agni, M vnus mane, alter vesperi, in altari holocaustorũ. Non sine oblationibus similæ & vini, sic vt oleo purissimo & cõtuso cõspergatur simila, & vinum habeat quartam partem Hin pro libamine ad agnum vnum, & de simila decima pars mensuræ accipiatur, quam intelligere possumus Ephi, vt decima pars Ephi de simila offeratur, cum quolibet agno. Eodem autem ritu vterque agnus quotidie offerebatur ad ortum solis, & ad eius occasum. Vnde sequitur: *Alterum vero agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem suauitatis. Sacrificium est domino deo oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi coram domino, vbi constituam vt loquar.*

CAIETANVS. Commendat iuge sacrificium à sex. Primùm ab odore digno quiete, nam vbi vulgata habet, In odorem suauitatis sacrificium est domino, Iuxta Hebræum habetur, In odorem quietis, incensum domino. Et in hoc continetur, quòd sacrificium cremabatur ad instar thuris, resoluendo in fumales euaporationes. Deinde ab igne, dicendo secundum Hebræum, Incensum summo deo: & tertio à totalitate, subiungendo iuxta



A iuxta eundem, holocaustum, & quarto à continuitate, nam in Hebræo subditur, Holocaustum iugiter in generationibus vestris, Quintò à loco, nam subditur, Ad ostium tabernaculi testimonij. Et eiusdem loci dignitatem longè maiorem quàm ex Ecclesia, manifestat ex parte dei, subiungendo, coram domino. Sextò ex parte fructus in illo loco, nam subiungitur immediatè iuxta Hebræum, Qui ero paratus vobis illic, ad loquendum tibi ibi. Duo fructus promittuntur, alter ad instar principis parati in loco certo ad dãdum audientiã: alter iuxta eandem similitudinem, ad instar principis parati ad loquendum ibidem cum Moyse. Et cerne differentiã, quoniam relatiuè ad Moysen, promittit allocutionẽ, proculdubio diuinæ reuelationis: relatiuè verò ad sacerdotes, promittit se duntaxat paratum. Pronomen enim, vobis, demonstrare sacerdotes, sequens testabitur particula.

AVCTOR CATENAE. Alterum verò agnum offeres ad vesperam, siue iuxta Hebræum, Facies inter duas vesperas. Quod tamen idem est. Iuxta ritum matutinæ oblationis, Hebraicè est כְּמִנְחַת הַבֹּקֶר Cheminchath
B habóker, Sicut sacrificium matutinum. Sic legunt Septuaginta & Chaldaica. Vel sicut vertit Interpres. Quod verò nos legimus, Iuxta ea quæ diximus, Hebraicè habetur וְכִנְסְכָּהּ תַּעֲשֶׂה לָהּ Vchnisca tahase la, Et sicut libamen eius facies ei, subaudi, holocausto vespertino huic, hoc est, sicut in sacrificio matutino & eius libamine fecisti, sic facies & vesperi, id est, cùm eisdem materiis & mensuris offeres agnum. Sic & Septuaginta, sic & Chaldaica. Vertunt alij, Et quemadmodum libationem eius facies ei. Alij, Atque adinstar libaminis eius ages cum ea, videlicet vespertina oblatione. In odorem suauitatis. Sacrificium est domino deo. Ac sí dicat, Sacrificiũ hoc, odor est gratissimus domino deo. Iuxta Hebræum est, לְרֵיחַ נִיחֹחַ אִשֶּׁה לַיהוָה Leréach nichóach isse laihoua, In odorem quietis oblatio est ignita domino, vel, In oblationem ignitam domino. Hoc est, oblatio est, quæ igni absumitur in honorem domini. Vertunt alij, Vt sit in odorem suauitatis, atque in oblationẽ ignitam domino. Quidam, Vt sit odor suauitatis, & sacrificium igne confectum domino. Septuaginta, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας κάρπωμα κυρίῳ, In odorem suauitatis oblationem domino. Chaldaica, Vt oblatio suscipiatur cum beneplacito coram do-
C mino. Quæ nempe verba glossa sunt huius literæ. Nam vt sæpe dictum est, Chaldaica editio omnia loca difficilia dilucidat & explanat. Sequitur, Oblatione perpetua in generationes vestras. Iuxta Hebræum est עֹלַת תָּמִיד לְדֹרֹתֵיכֶם Holath tamid ledoróthechem, Holocaustum iuge erit per ætates, siue generationes vestras. Vertunt alij, Hoc holocaustum iugiter sit etiam posteris vestris. Alij, Et fiat hoc holocaustum iugiter per generationes vestras. Et est sensus, Quandiu viuetis, offeretis mihi iuge sacrificium, hoc est, quotidianum erit per omne tempus veteris testamenti. Septuaginta, Θυσίαν ἐνδελεχισμοῦ εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν, Sacrificium assiduitatis in generationes vestras. Hoc autem holocaustum vocatur iuge illud & perpetuum sacrificium apud Hebræos Mincha, quod putant deriuari à verbo Nacha, adduxit, fiebátque in vespera, hoc est, cùm sol inciperet declinare. Vnde vsus apud Hebræos obtinuit, vt sæpe tempus vespertinũ vocent Mincha. Et licet scriptura quoq; vocet iuge illud sacrificium quod mane fiebat Mincha, tamen peculiariter adaptatur tempori vespertino, & eius sacrificio. Ad ostium tabernaculi testimonij coram domino, id est, coram arca fœderis, vbi præsentem sese exhibebat domi-
D nus. Ita semper intelligendum est. Non quòd oblatio hæc fieret in altari incensi, quod immediatè situm erat ante sanctum sanctorum, sed in altari holocausti quod erat extra tabernaculum, foris in atrio, quod tamen altare erat iuxta ostium ipsius tabernaculi, è regione arcæ fœderis. Quod autem nos legimus, Vbi constituam vt loquar ad te, in Hebræo est, אֲשֶׁר אִוָּעֵד לָכֶם שָׁמָּה לְדַבֵּר אֵלֶיךָ שָׁם Aser iuahed lachem samma, ledabber elécha sam, Vt conueniam vobiscum illic, ad loquendum tecum ibi. Vertunt alij, Quo conueniam vobiscum, vt vos illic alloquar. Hoc loco apertè declarat quare appelletur, óhel mohed, tabernaculum conuentus, quia videlicet illuc (vt ita dicamus) conuenire solebat Deus cum filiis Israël. Alij vertunt, Vbi cõueniam vos, vt ad te loquar. Alij, Vbi testificabor vobis, vt loquar ad te ibi. Et capitur hîc, sicut & in multis aliis locis, testificari pro apparere, loqui, exhortari, aut conuenire eum, quo cum loqueris. Septuaginta, ἐφ' οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖ, ὥστε λαλῆσαί σοι, In quibus (subaudi rebus, hoc est, qua in re) cognoscar tibi illic, vt loquar tibi. Chaldaica, Vbi constituam verbum meum vobis, vt loquatur ibi tecum. Verbum enim Iahad, & constituere, & conuenire, & testificari signi-
E ficat. In loco siquidem sacrificij dedit dominus Moysi responsa atque præcepta. Sed omnia supradicta ne vnguẽ quidem latum à Latinæ literæ sensu discrepant. Ne quis igitur existimaret altare holocausti ad hunc tantùm vsum fuisse consecratum vt in eo sacrificia ad consecrationem sacerdotum offerrentur, addit scriptura in fine huius operis, vsum altaris solennem & quotidianum. Nam præter sacrificia consecrationis sacerdotalis, præter sacrificia etiam sabbatorum, Neomeniarum, paschæ, pentecostes, & aliarum id genus solennium festiuitatum & celebritatum, necesse fuit singulis diebus duos agnos anniculos, alterum mane, alterum vesperi, in altari holocausti offerre, quemadmodum hoc loco, & Numerorum vigesimooctauo scribitur. Et hæc oblatio gratissima erat domino, beneplacens & accepta. *Ibíque præcipiam filiis Israel, & sanctificabitur altare in gloria mea.* CAIE-
TANVS. Iuxta Hebræum, Et ero paratus ibi filiis Israël, proculdubio ad exaudiendum vota eorum. Nec est altare, sed habetur, Et sanctificabitur in honore meo. Ratio redditur decretæ sanctificationis tabernaculi, atrij & reliquorum omnium quæ supradicta sunt, & propterea impersonaliter dicitur, Et sanctificabitur in
F honore meo, hoc est, ratio futuræ sanctificationis, est honor meus. AVCTOR CATENAE. Hebraica lectio est, וְנֶעֱרָתִי שָׁמָּה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל וְנִקְדַּשׁ בִּכְבֹדִי Venohadti samma libne Israël, venikdas bichbodi, Et conueniam ibi cum filiis Israël, & sanctificabitur in gloria mea, siue ob gloriam meam, hoc est, tentorium illud, siue altare ipsum sanctificabitur ob præsentiam meam gloriosam. Nam quando quæ nunc præcepta leguntur, executioni mandata sunt, ignis de cœlo decidit super ipsum altare, Leuitici IX. Reddunt alij, Testificabor quoque ibi filiis Israël, & sanctificabitur (tabernaculum) in gloria mea. Alij, Illic paciscar cum filiis Israël, & consecrabitur (locus) in gloria mea, Vbi Septuaginta, ἁγιασθήσομαι, id est, sanctificabor habent, Chaldaica quoque, Et constituam verbum meum ibi filiis Israël, & sanctificabor in gloria mea. Quod vt melius noueris quomodo intelligatur, lege Leuitici citatum locum, vbi sic habes in fine capituli, Apparuítque gloria domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à domino, deuorauit holocaustum & adipes qui erant super altare. Quod cũ vidissent turbę, laudauerunt dominum, ruentes in facies suas. Fœdus ergo paciscitur cum Israële dominus

minus, si iuxta cærimonias domini in sanctuario colere sestuduerint, nimirum ex fide & deuotione, quod non G
sit illos vnquam deserturus, sed in omnibus inuocationibus ipsorum respõsurus summo sacerdoti, in loco sancto. Sicut & ad ostium tabernaculi non rarò dominus apparuit, gloriam suam omnibus aspicientibus Israëlitis.

*Sanctificabo & tabernaculum testimonij cum altari, & Aaron cum filiis eius, vt sacerdotio fungantur mihi* INTERLINEARIS. Sanctificabo (inquit) solus, scilicet ego, & non alius. CAIETANVS. Significanter autem dicit, Sanctificabo, ad manifestandum, quòd non solũ cæremoniæ actionum humanarũ concurrent ad sanctificationem tabernaculi, altaris, pontificis & sacerdotum, sed diuina actio sanctificans aderit. Et oportuit hoc reuelari, ne putaremus huiusmodi sanctificationes in humanis tantùm consistere operibus. Et Aaron (inquit) & filios eius sanctificabo, vt sacerdotio fungantur mihi. Hanc sententiam si hæretici negantes consecrationes sacerdotum, negantes sacramentum ordinis librarent atque perpenderent, viderent, quòd in statu testamenti veteris, specialis diuina actio sanctificans Aaron & filios eius, ad hoc vt sacerdotio fungerentur affuit, multò ergo ma- H
gis tempore reuelatæ gratiæ, quando sanctius est sacerdotium (sicut incomparabiliter sanctior est hostia) specialis diuina actio concurrit ad sanctificandum aliquos ex Christianis, ad hoc vt sacerdotio fungantur. Non fiunt ergo sacerdotes in Christi Ecclesia solis humanis cęremoniis, sed diuina concurrente actione, consecrante eos ad sacerdotium, vt hæc scriptura clarè testatur. AVCTOR CATENAE. Exponit itaque superiora dominus, & ipsum tabernaculũ suo nomini consecratũ, sanctificaturũ se spõdet cũ altari & sacerdotib⁹, & si ministrauerint dignè & deuotè, vt summi dei decet sacerdotes, promittit se habitaturũ in medio filiorũ Israël, qui nunc abest, omnia seruat & implet, Vnde & ait, *Et habitabo in medio filiorum Israel, & scient quia ego dominus deus eorum, qui eduxi eos de terra Aegypti, vt manerem inter illos, ego dominus deus ipsorum.* THOMAS. Est communis modus quo deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam & præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communẽ est vnus specialis, qui conuenit naturæ rationali, in qua deus dicitur esse sicut cognitũ in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo & amando creatura rationalis sua I
operatione attingit ad ipsum deum, secundũ istum specialẽ modum deus non solũ dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. IDEM IN EPISTOLAS PAVLI. Subdit autem, Et scient quia ego dominus deus eorum. Et si sit deus omnium per creationẽ & gubernationem, tamẽ est cuiuslibet iusti per fidem & deuotionem, Psalmus, Deus meus es tu, & confitebor tibi. CAIETANVS. More humano loquitur, tanquã tabernaculum sit domus dei in medio filiorum Israël, interna tamen habitatio in animis eorum significatur. Vnde in Hebræo habetur, Et habitabo intra filios Israël. Habitat enim deus per fidem & gratiam suam in animis nostris. Eróque eis deus. Iuxta Hebręum, Et ero eis in Elohim, hoc est, in iudicẽ & gubernatorem, hęc enim omnia promittuntur tanquam fructus religionis seruandæ his cæremoniis. Alius etiam fructus diuini cultus manifestatur, cùm dicitur, Et scient quia ego dominus deus eorum, & cætera, videlicet quod experimento cognoscent me esse illum deum, qui eduxi eos de terra Aegypti, ad hunc finem vt habitarem intra eos, ego (inquam) fons essendi, gubernator eorum, est enim Iehoua Elohe. Et in hoc continetur, quòd beneficia mea K
quæ ipsis colentibus me percipient, talia tantaq; erunt, vt experimento cognoscant me esse summũ deum, quem ipsi colent, qui eduxi eos de terra Aegypti, & cæt. AVCTOR CATENAE. Septuaginta vbi nos, Et habitabo in medio filiorum Israël, habemus, καὶ ἐπικληθήσομαι ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ legunt, hoc est, Et vocabor in filiis Israël, id est, inuocabor à filiis Israël, Vbi Chaldaica, Et habitare faciam maiestatẽ meam in medio filiorũ Israël legit. Eroq; eis deus, siue, Et ero eis in deum. Sic habet Chaldaica & Hebraicum, Ego dominus deus ipsorũ, id est, sum dominus deus eorum, qui promitto auxiliũ meum illis. Tueri nanq; & consolari fideles consueuit dominus, ad sua mandata attentos, & omnibus prospicere necessitatibus, quod est illorum esse deum.

*Mystice.* AVCTOR CATENAE. In summi sacerdotis & filiorũ eius cõsecratione, taurus & arietes immolabantur, & hoc septem diebus. In tauro ceruix superbię, in ariete autẽ ducatus gregum sequetiũ designatur. Quid itaq; est pro eis taurum arietesq; mactare, nisi sacerdotum superbum ducatum interficere, vt de se humilia sentiant, & sic post se corda innocentium per bonorum exempla operum trahant? Tumens enim ceruix ab Ecclesiæ rectoribus domino teste repellitur, qui ait, Reges Gentiũ dominantur eorũ, & qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, & cætera. Veniant igitur ad domini tabernaculum, veniant sacerdotes, sed priùs septem dierum sacrificio, tauros & arietes mactandos offerant, hoc est, vt qui in Ecclesia dei præficiantur, humilitate interueniente penitùs interficiant quicquid tumidũ de superbo ducatu sapiebant. Potest & septẽ dierum sacrificiũ nobis indicare, Ecclesię ministros toto vitæ tempore, in sanctitate persistere debere, iuxta illud huiusce libri. XIX. Sacerdotes qui accedunt ad me, sanctificentur. CYRILLVS LIBRO. IIII. IN IOANNEM. Alienigenam autẽ à comedendo de sacrificio prohibet, id est, alienum propter incredulitatẽ à Christo, quem sacerdotio indignum omnino arbitratur. AVCTOR CATENAE. Iuge autẽ duorum agnorum sacrificium, qui mane & vesperi domino offerebãtur, Christũ dominum redemptorẽ nostrũ significabãt, agnum æternum immaculatum, perpetuã & vnicam propitiationẽ pro omnium peccatis, à constitutione hominum vsque ad finem mundi. De quo sanctus domini præcursor loquitur, dicens, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata M
mundi. Et Apostolus ad Hebræos. XIII. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula Quod etiam cũ agnis anniculis simul offerebatur panis ex similа consperſa oleo factus, & vinum, iam tum sacr.sancta corporis & sanguinis eius mysteria sub specie panis & vini iugiter in Ecclesia immolanda, sicut & nunc indesinenter immolantur præsignabant, virtute spiritus sancti complenda, per quem & ille obtulit semetipsum immaculatum deo. CYPRIANVS AD CAECILIVM FRATREM. Admonitos autem nos scias, vt in calice offerẽdo dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis dominus prior fecit. Vt calix qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Nam cũ dicat Christus, ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est vtiq;, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicatur. Inuenimus enim & in Genesi sacramentum circa Noe hoc idem pręcucurrisse, & figurã dominicæ passionis

1.Par.q. 43 ar.3. in cor.

1.Cor.1.Ic.1.

Epistolarũ. L.2.3. Epistol.3

Gene.9.

Luc.22.



A nis illic extitisse, quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est, quòd fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est, & foras nunciata, à duobus verò maiore & minore contecta. Et cætera quæ necesse non est exequi, cùm satis sit hoc solùm complecti, quòd Noe typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech sacrificij dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura diuina testatur & dicit, Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit au- Gen.14.
tẽ sacerdos dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat
B spiritus sanctus in Psalmis ex persona patris ad filium, dicens, Ante luciferum genui te. Iurauit dominus & Psal.109.
non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abrahã benedixit. Nam qui magis sacerdos dei summi quàm dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedẽs, ad nostrum populũ pertinebat. Nam si Abraham deo credidit, & deputatum est ei ad iustitiam, vtique quisquis deo credit, & fide viuit, iustus inuenitur, & iampridem in Abraham fideli benedictus & iustificatus ostenditur, sicut beatus Paulus apostolus probat, dicens, Credidit Abraham deo, & deputatum est ei ad iustitiam. Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt Gal.5.
filij Abrahæ. Præuidens autem scriptura quia ex fide iustificat deus gentes, prænunciauit Abrahæ quia benedicẽtur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham, vnde in Euangelio inuenimus de lapidibus excitari, id est, de gẽtibus colligi filios Abrahæ. Et cùm Zachæum laudaret dominus, respon- Luc.19.
C dit & dixit, Salus hodie domui huic facta est, quia & hic filius est Abrahæ. Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem spiritus sanctus typum dominici sacrificij præmonstrat immolatæ hostiæ panis & vini, sed & altaris & Apostolorũ faciens mentionem: Sapiẽtia (inquit) ędificauit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactauit suas hostias, miscuit in cratere vinum Prou.9.
suum, & parauit mensam suam. Et misit seruos suos conuocans cum excelsa prædicatione ad craterẽ, dicens, Qui est insipiens, declinet ad me, & indigentibus sensu dixit, Venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Vinum mixtum declarat, id est, calicem domini aqua & vino mixtũ Prophetica voce denunciat,
D vt appareat in passione dominica id esse gestum, quod fuerat prædictum. In benedictione quoque Iudæ hoc idẽ Gen.49.
significatur, vbi & illic Christi figura exprimitur, quòd à fratrib⁹ suis laudari & adorari haberet, quòd inimicorum dorsa cędẽtium atque fugientiũ manibus quibus crucẽ pertulit & mortẽ vicit, cõpressurus fuisset, quódque ipse sit leo de tribu Iuda, & recubet dormiens in passione & surgat, & sit ipse spes gentiũ, quibus scriptura diuina adiungit & dicit, lauabit in vino stolam suã, & in sanguine vuæ amictum suum. Quando autẽ sanguis vuæ dicitur, quid aliud quàm vinum calicis dominici sanguinis ostenditur? Necnon & apud Esaiam hoc idẽ & spiritus Esa.63.
sanctus de domini passione testatur, dicẽs, Quare rubicunda sunt vestimẽta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni & præcalcati? Nunquid rubicũda vestimenta aqua potest facere? aut in torculari aqua est, quæ pedibus calcatur, vel prelo exprimitur? Vini vtique mẽtio est, & ideo ponitur, vt domini sanguis intelligatur. Et quod in calice dominico postea manifestatum est, Prophetis annunciãtibus prædicatur. Torcularis quoque calcatio & pressura taxatur, quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest nisi botrus calcetur antè & prematur, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus priùs fuisset & pressus, & cali-
E cem prior biberet, quem credentibus propinaret. THOMAS. Sed sciendũ quòd in sacerdotio Christi duo 3.par.q.22. ar.6.ad 2.
possunt considerari, scilicet ipsa oblatio Christi, & participatio eius. Quantũ ad ipsam oblationẽ, expressiùs figurabat sacerdotium Christi, sacerdotium legale per sanguinis effusionem, quàm sacerdotium Melchisedech, in quo sanguis non effundebatur. Sed quantùm ad participationem huius sacrificij & eius effectum (in quo præcipuè attenditur excellentia sacerdotij Christi ad sacerdotium legale) expressiùs præfigurabatur per sacerdotium Melchisedech, qui offerebat panem & vinum, significantia (vt Augustinus dicit) Ecclesiasticam vnitatem, quam constituit participatio sacrificij Christi. Vnde etiam in noua lege verum Christi sacrificium communicatur fidelibus sub specie panis & vini. CYPRIANVS. An verò vespertinus agnus dominum Ie- Vbi supra.
F sum Christum significat in cruce morientem? Christum enim offerri oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est, Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israël ad vesperam. Et iterum in Psalmis. Eleuatio manuum mearum sacrifi- Psal.114.
cium vespertinum. AVCTOR CATENAE. Quòd si agnus vespertinus dominum morientem præfigurat, agnus matutinus meritò eundem nobis de morte resurgentem adumbrabit, de quo & in Psalmo dictum est, Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et alibi, In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Vnde & Psalmi aliqui titulum habent, Pro cerua matutina, hoc est, pro domino resurgente. Nam mortem nostram salùator moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. BERNAR- Ser.2. & 3.
DVS IN SERMONIBVS. Vel duo agni qui singulis diebus mane & vesperi domino offeruntur, duas no- de purificatione beatæ
bis indicant domini Iesu oblationes. Prima est, quam hodierna die celebramus. Hodie nanque sistitur creato- Mariæ.
ri terræ fructus sublimis, hodie placabilis deo & placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus expectatur. Offerunt Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum, Symeon & Anna suscipiunt. Sed oblatio ista fratres satis delicata videtur, vbi tantùm sistitur domino, redimitur auibus, & ilico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec inter brachia Symeonis, sed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemptionem eum misit deus pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidẽ iucundius, sed illud plenius. Istud enim tẽpore natiuitatis, illud iam in plenitudine ętatis: de vtroq;

enim potes accipere quod Propheta prædixit, Oblatus est quia ipse voluit. Nam & modò oblatus est, non quia G opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit: & in cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Iudæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate.

1.2.q.102. ar.5.ad 8.

THOMAS. Sciendum autem pro pleniori omnium supradictorum intelligentia, quòd sicut populus Iudæorum instituebatur ad cultum dei per circuncisionem, ita minister per aliquam specialem purificationem, vel consecrationem, vnde & separari ab aliis præcipiuntur, quasi specialiter ad ministerium cultus diuini præ aliis deputati. Et totum quod circa eos fiebat in eorum consecratione vel institutione, ad hoc pertinebat, vt ostenderetur eos habere quandam prærogatiuam puritatis & veritatis & dignitatis. Et ideo in institutione ministrorum tria fiebant. Primò enim purificabantur, secundò ordinabantur & consecrabantur, H tertiò applicabantur ad vsum ministerij. Purificabantur quidem communiter omnes per ablutionem aquæ & per quædam sacrificia, specialiter autem Leuitæ radebant omnes pilos carnis suæ, vt habetur Leuitici octauo. Consecratio verò circa pontifices & sacerdotes hoc ordine fiebat. Primò enim postquam abluti erant, induebantur quibusdam vestimentis specialibus, pertinentibus ad designandam dignitatem ipsorum. Specialiter autem pontifex oleo vnctionis in capite vngebatur, vt designaretur quòd ab ipso diffundebatur potestas consecrãdi ad alios, sicut oleum à capite deriuatur ad inferiora, vt habetur in Psalmo, Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron. Leuitæ verò non habebant aliam consecrationem, nisi quòd offerebantur domino à filiis Israël per manus pontificis, qui orabat pro eis. Minorum verò sacerdotum solæ manus consecrabantur, quæ erant applicandæ ad sacrificia. Et de sanguine animalis immolatitij tingebatur extremum auriculæ dextræ ipsorum, & polices pedis aut manus dextræ, vt scilicet essent obedientes legi dei in oblatione sacrificiorum, quod significatur in intinctione auris dextræ, & quòd essent soliciti & prompti in executione I sacrificiorum, quod signatur in intinctione pedis & manus dextræ. Aspergebantur etiam ipsi & vestimenta eorum sanguine animalis immolati, in memoriam sanguinis agni, per quem fuerunt liberati in Aegypto. Offerebantur autem in eorum consecratione huiusmodi sacrificia. Vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron circa conflationem vituli. Aries in holocaustum, in memoriam oblationis Abrahæ, cuius obedientiam pontifex imitari debebat. Aries etiam consecrationis qui erat quasi hostia pacifica, in memoriam liberationis de Aegypto per sanguinem agni. Canistrum autem panum, in memoriam mannæ præstiti populo. Pertinebat autem ad applicationem ministerij quòd imponebantur super manus eorum adeps arietis, & torta panis vnius, & armus dexter, vt ostenderetur quòd accipiebant potestatem huiusmodi offerendi domino. Leuitæ verò applicabantur ad ministerium per hoc quòd intromittebantur in tabernaculum fœderis, quasi ad ministrandum circa vasa sanctuarij. Figuralis verò horum ratio erat, quia illi qui sunt consecrandi ad spirituale ministerium Christi, debent primò purificari per aquam baptismi & lachrymarum in fide passionis Christi, K quod est expiatiuum & purgatiuum sacrificium. Et debent radere omnes pilos carnis, id est, omnes prauas cogitationes, debent etiam ornari virtutibus, & consecrari oleo spiritus sancti, & aspersione sanguinis Christi. Et sic debent esse intenti ad exequenda spiritualia ministeria.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVM, ARGVMENTVM.

*Forma altaris incensi, siúsque eiusdem, Labium æneum, Confectio olei sancti & thymiamatis.*

## CAPVT. XXX.

*Lectio prima.*

*FAcies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent, uestiéque illud auro purißimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua. Faciéque ei coronam aureolam per gyrum, & duos anulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos uectes, & altare portetur. Ipsos quoque uectes facies de lignis Sethim, & inaurabis. Ponéque altare contra uelum, quod ante arcam pendet testimonii, coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi, & adolebit incensum super eo Aaron suauè fragrans. Mane quando componet lucernas incendet illud, & quando collocat eas ad uesperum, uret thymiama sempiternum coram domino in generationes uestras. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & uictimam, nec libabitis libamina. Et deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus uestris. Sanctum sanctorum erit domino.* M

*Lect.1. Cap.10.*

BEDA. Expletis mãdatis cõsecrationis Aaron & filiorũ eius, redit scriptura præcipere etiã de factura altaris incẽsi, in quo idẽ Aaron quotidianũ adolere thymiama deberet, *Facies quoq;* (inquiẽs) *Altare ad adolendũ thymiama de lignis Sethim, habẽs cubitũ lõgitudinis, & alterũ latitudinis, id est, quadrangulũ, & duos cubitos in altitudine.* CAIET. Sẽtẽtia clarè redditur: Hebrei enim vocabulis sumptis à thure vtũtur, describẽdo officiũ huiꝰ altaris à thurificatione, cũ tamen non thus, sed mixtura quędã aromatica quã thymiama vocãt, cremãda esset, sic vt in fumales euaporationes resolueretur quẽadmodũ thus. Et hoc est altare qd superiùs diximus tacitũ à Moyse in cõstructione tabernaculi.

Materia



A Materia autem eius fuit de lignis Sethim, & ipsum quadrum. Paruulum siquidem altare quatuor laterum æqualium erat, vnius cubiti existente quolibet latere. Duos autem habere pedes in altitudine præcipitur, supputata quantitate pedum qui erant infixi altari. Immò si quis exactè subiuncta consideret, altaris nomine, tigilli ambientes & sustentantes intelliguntur, & propterea altitudo describitur duorum cubitorum. AVCTOR CATENAE. Hebraicè legitur וְעָשִׂית מִזְבַּח מִקְטַר קְטֹרֶת Vehasítha mizbeach miktar ketóreth, Et facies altare ad adolendum thymiama, siue altare suffimenti suffitus. Vertunt alij, Aram quoque facies ad incendendum suffimentum. A katar enim verbo quod suffumigare, adolere seu incendere significat, tam miktar, quòd thuribulum seu altare in quibus adoletur incensum vel thymiama, quàm ketoreth, quod suffumigationem, vel incensum, seu thymiama significat descendit. Septuaginta θυσιαστήριον θυμιάματος, hoc est, Altare thymiamatis, Chaldaica verò, Et facies altare ad adolendum super illo incensum aromatum, habent. Parua ergo arula
B præcipitur ex lignis Sethim conficienda, sed vndique auro tecta, vnde & altare aureum dicitur, forma qua luculenter describitur in litera. *Cornua ex ipso procedent, uestiéque illud auro purißimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua.* CAIETANVS. Cornua ex ipso procedent, hoc est, non erunt adiectitia, sed ex tigillis quatuor angularibus officio pedum fungentibus, surgent cornua quatuor, eminentia supra mensam altaris. Vbi autem dicitur, tam craticulam eius, iuxta Hebræum habetur, Tectum eius, & parietes eius per circuitum, & cornua eius. Nulla est mentio craticulæ, sed tecti & parietum eius circumcirca. Vbi prudens lector si perspexeris, conferendo hæc cum litera de constructione altaris holocaustorum capitulo vigesimo septimo, inuenies manifestam disparitatem penes hæc, nam altare illud neque parietes, neque tectum habet, hoc autem altare habet tectum & parietes circumcirca. Vtrumque ergo vacuum erat intus, sed illud absque mensa & parietibus, istud verò cum parietibus & tecto, hoc est, mensa, & omnia lignea cùm essent, vestita sunt laminis aureis.
AVCTOR CATENAE. Cornua ex ipso procedent, Siue ex ipso erunt cornua eius, id est, ex eodem ligno,
C non aliunde affixa & compacta. Quòd autem nos craticulam habemus, ex Septuaginta sumptum est, qui πλὴν ἐχάρου habent, id est, craticulam. At Hebraicum habet גַּג Gaggo, quod tectum eius, solarium eius, superficiem eius, reddi potest. Sic habet & Chaldaica. Locum autem significat superiorem, vbi adoletur incensum, vbi focus est, cui superimponitur thymiama. Et altari quidem holocaustorum necessaria fuit craticula propter cæsa animalia in eo comburenda, huic autem minimè. Tectum enim erat altare huiusmodi superius intra coronam, quo à sacerdote mane & vesperi thuribulum ponebatur, sumptis carbonibus de ara holocausti sub diuo extra tabernaculum in atrio, impositò thymiamate odorifero, tunc quando, vel mane lucernas componeret in candelabro, vel vesperi aptaret, vt tota nocte lucerent. Cornua autem non aliter intelliguntur, quàm in ara holocaustorum fuisse, radij scilicet cum pomellis erecti ad decorem & pulchrum ornatum. *Faciéque ei coronam aureolam per gyrum, & duos anulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos uectes, & altare portetur.*
AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera habet, Et duos anulos *Quæst. 131.*
D aureos puros facies sub tortili corona eius, in duo latera facies in duobus lateribus. Quoniam Græcus habet ἐις τὰ δύο κλίτη ποιήσεις ὧν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. Nam clite latera sunt, & pleuræ latera sunt. Vnde quidam Latini sic interpretati sunt, In duas partes facies in duobus lateribus. Non autem ait Græcus μέρη, quod est partes, sed κλίτη, quod latera. Nam hoc verbum est in illo Psalmo vbi scriptum est, Vxor tua sicut vinea fertilis in lateribus domus tuæ. Ac per hoc tantùm casus interest, quia priùs accusatiuum, post verò ablatiuum posuit, In duo latera facies, in duobus lateribus. Quis autem fit sensus difficile est assequi, nisi fortè vt solet scriptura amare eclipsim, vt aliquid desit & subaudiatur, etiam hîc subaudiatur, erunt, vt iste sit sensus, In duo latera facies, in duobus lateribus erunt, id est, ad duo latera facies anulos, quoniam in duobus lateribus erunt. CAIETANVS. Iuxta Hebręum habetur, Et facies ipsi limbum aureum circumcirca. Cuius figuræ fuerit limbus iste nescitur, sola materia cum situ in litera scribitur. Rationi autem consentaneum est, quòd aurificis arte pulcher fuerit. Et duos anulos aureos facies ei sub corona. Iuxta Hebræum habetur, sub limbo eius, per singu-
E la latera. Super duo latera eius facies, super duos angulos eius, & erunt domus palis ad portandum ipsum in eis. Non itaque per singula latera, sed in duobus lateribus, non in quacunque parte laterum, sed in angulis in parte superiori, sub limbo tamen, locandi sunt anuli, quibus immittendi sunt vectes ad portandum hoc altare. AVCTOR CATENAE. Facies ei coronam aureolam, siue limbũ, vel cingulum, aut circulum, omnia enim hæc significat dictio זֵר zer, Vbi verò nos per singula latera, & cætera, legimus, Hebraica litera sic habet שְׁתֵּי צַלְעֹתָיו תַּעֲשֶׂה עַל שְׁנֵי צִדָּיו וְהָיָה לְבָתִּים לְבַרִים לָשֵׂאת אֹתוֹ בָּהֶמָּה Hal sette zalothaf tahase hal sene ziddaf, vehaia lebattim lebaddim laseth otho bahemma, In duobus angulis eius facies in duobus lateribus eius, & erit ad domos vectibus ad portãdum illud cũ eis. Reddunt aliqui, In duobus angulis eius facies, idq; in vtroq; latere eius, vt scilicet sint quasi domũculæ ipsis vectibus, quibus ipsum portabitur. Vel, Vt sint loculi ipsis vectibꝰ, quibus ipsum portabitur. Vel, Vt sint loculi ipsis vectibꝰ, vt eis ipsa (scilicet ara) gestetur. Siue, Et erit intra vectes ad portandũ ipsum cũ eis. Septuaginta, καὶ ἔσονται φαλίδες τοῖς σκυτάλαις, ὥστε ἄιρειν ἀυτὸ ἐν ἀυταῖς, hoc est, Et erũt
F ansulę vectibus ad portãdũ illud in ipsis. Chaldaica verò, Et duos anulos aureos facies ei sub circulo eius in duobus angulis eius, & in duobus lateribus eius, erúntq; loca vectibus, vt portetur in eis. Quæ omnia à Latina litera non deuiãt. Planissimo ergo sensu coronã auream peripheriã fieri præcipit, & sub ea in duobus lateribus anulos quatuor aureos cõstitui, per quos vectes ad altare portãdum deaurati duo immitterẽtur. Portatilis nãque erat & hæc aurea ara sicut & arca fœderis & mẽsa. *Ipsos quoque uectes facies de lignis Sethim & inaurabis.* Quod suprà verterãt Septuaginta παῶς ἄλους, vertunt hîc σκυτάλας, quasi dixeris ferulas, quòd & quandoque aliud significat, vt apud Lacedæmonios. *Ponéque altare contra uelum, quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi, & adolebit incensum super eo Aaron suauè fragrans.* CAIETANVS. Locus huius altaris describitur à duobus. Primùm, quòd sit in loco ante velum existens ante thecam, hoc est, diuidens inter sanctum & sanctum sanctorum. Erat ergo locandum altare hoc, non in loco qui dicitur sanctum sanctorum, sed in loco qui dicitur sanctum, ad faciem veli: sic enim dicitur in Hebræo, Et dabis ipsum faciebus veli. Et quia facies veli

extendebatur per totam latitudinem tabernaculi, ideo ſecundo deſcribitur certus ſitus coram velo, videlicet è G regione propitiatorij. Ex quibus clarè patet, quòd altare hoc erat coram velo directè ad propitiatorum, ac per hoc erat in medio latitudinis tabernaculi. Ita quòd ſacerdos incendens ſuper illud thymiama, ibidémque orans, faciem ſuam habebat directè ad propitiatorium, intercedente tamen velo. Et à dextris (vt dictum eſt) erat ibidem menſa propoſitionis, à ſiniſtris verò candelabrum. Et coram (inquit) propitiatorio, quo tegitur teſtimonium. Iuxta Hebræum habetur, Quod ſuper teſtificationem. Theca tabularum diuinæ legis, appellatur theca teſtificationis, & ipſæ tabulæ decem præceptorum, appellantur teſtificatio, quia ad teſtificandum fœdus inter deum & populum datæ ac reconditæ erant. Vbi loquar ad te. Iuxta Hebræum habetur, Quo ero paratus tibi ibi. Pluries repetitur paratum deum fore in diuerſis locis (modò in propitiatorio, modò in altari holocauſtorum, modò in altari thymiamatis) ad ſignificandum horum trium ſpecialiter cultum placere deo. Et adolebit incenſum ſuper ipſum Aaron ſuauè fragrans. In Hebræo duntaxat habetur, ac ſi diceremus, & H thurificabit thus aromatum ſuper ipſum Aaron. Quia non thus, ſed mixtum quoddam ex aromatibus cremandum ſuper ipſum erat per modum thuris, ideo tali modo loquendi vtitur. AVCTOR CATENAE. Quo tegitur teſtimonium vbi loquar tibi, Hebraica ſunt, אֲשֶׁר עַל הָעֵרֻת אֲשֶׁר אִוָּעֵד לְךָ שָׁמָּה Aſer hal haheduth aſer iuahed lecha ſamma, Quòd eſt ſuper teſtamentum, ſiue teſtimonium (hoc eſt, arcam teſtimonij vel teſtamenti) Quo conueniam tecum ibi, ſiue, Vbi teſtificabor tibi, Vel, Vbi tibi paciſcar. Et eſt ſenſus, E regione veli quod eſt iuxta arcam teſtimonij, coram tectorio vel cœlo quo tegitur teſtimonium, hoc eſt, propitiatorio, quo in loco tecum conueniam, pones altare hoc. Arcam autem vocat teſtimonij, in qua teſtimonium diuinæ voluntatis comprehenſum ponebatur. Septuaginta, καὶ δώσεις αὐτὸ ἀπέναντι τοῦ καταπετάσματος, ὃ ἔστιν ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ τοῦ μαρτυρίου, οὗ οἷς γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖ, Et pones illud coram velo exiſtente in arca teſtimonij, in quibus cognoſcar tibi illic. Chaldaica, Quod eſt ſuper teſtamentum, vbi conſtituam verbum meum tibi. Quæ omnia idem dicunt cum litera noſtra. Quod verò ſequitur, Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron I ſuauè fragrans, pro ſuauè fragrans, in Hebræo eſt קְטֹרֶת סַמִּים Ketóreth ſammim, Quod alii, Suffimentum aromatum, Alii, Incenſum aromatum, vertunt. Septuaginta, θυμίαμα σύνθετον λεπτόν, Incenſum compoſitum ſubtile reddunt. Chaldaica verò, Incenſum thymiamatum habet. Stabat igitur altare incenſi medium inter menſam propoſitionis & candelabrum, extra ſanctum ſanctorum, contra, vel prope velum, quod diuidit ſanctum ſanctorum à ſancto. Et dicitur pendere ante arcam teſtamenti, & coram ſuperpoſito illi arcæ propitiatorio, quod vt dictum eſt, nihil aliud eſt, quàm tegumentum quo arca, & in ea repoſitæ duæ tabulæ decalogi conteguntur, vtrinque habens Cherubim. Quod & ſedes & thronus dei Iſraël eſſe dicitur, vnde loquatur ad ſummum ſacerdotem exoratus, & ſuppliciter requiſitus in neceſsitate fidelium. CAIETANVS. Et quoniam officium adolendi hoc mixtum, erat & quotidianum & annuum, ideo priùs tractat quotidianum officium, ſtatuendo quòd bis in die Aaron (hoc eſt ſacerdos) cremet ſuper illud altare thymiama, *mane* videlicet, & inter veſperas, hoc eſt, hora ſacrificii matutini, & hora ſacrificii veſpertini. Et inſeritur huic ſtatuto K ſimile decretum componendi lucernas ita quòd eiſdem horis mane ſcilicet & inter veſperas ſacerdotis officium erat componere lucernas candelabri, erat enim candelabrum in eodem loco. Hinc accepit auctor Epiſtolæ ad Hebræos, quod ſacerdotes quotidie introibant in ſancta ſacrificiorum officia conſummantes. *Mane quando componet lucernas incendet illud, & quando collocat eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram domino in generationes veſtras.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera habet, Et cùm accendet Aaron lucernas ſero, incendet ſuper illud. Sero dixit pro veſpere, & ideo notanda locutio eſt, ὃς γὰρ quippe Græcus habet. Sero autem propriè non ſolet dici, niſi cùm tempus tranſierit quo fieri debuit, quod ſero dicitur factum. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Sequitur autem, Et incendet ſuper illud incenſum continuationis. Incenſum dicit, quòd continuatim fieret, id eſt, nullo die prætermitteretur. AVCTOR CATENAE. Mane quando componet lucernas incendet illud. Primùm ſciendum, tam à Chaldaica quàm à Septuaginta omnibúſque recentioribus, hanc dictionem, Mane, coniungi cum L ſuperiori membro, hoc modo, Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuauè fragrans mane. Nos verò Complutenſem editionem ſequuti, vbi Hebraicum ante hanc dictionem habet punctum atnach, hoc eſt, coma, quod ſuperiora ab inferioribus ſaltem in medio clauſularum diſtinguit, hoc modo legimus. Dicet aliquis, Et quid differentiæ erit ſi hoc vel illo modo legas? Reſpondemus, Si dictionem Mane, coniunges cum ſuperioribus, ex hoc loco non probabitur ita apertè, quòd bis in die Aaron componeret lucernas candelabri, videlicet mane & ſero, & quòd candelabrum etiam interdiu luceret. Sed ſi ſtat lectio ſicut nos ponimus, fortè vtrumque probatur. Eſt autem Hebraica litera hoc in loco בְּבֹקֶר בְּבֹקֶר בְּהֵיטִיבוֹ אֶת הַנֵּרֹת יַקְטִירֶנָּה Babóker babóker behetibo eth haneroth iaktirénna, Mane mane cùm bonas fecerit lucernas (id eſt, bene compoſuerit) incendet, ſeu incendere faciet illud. Hoc eſt, cùm quicquid immunditiarum oleum & ellychnium contraxerit, remouerit & repurgarit, incenſum adolebit in altari. Reddunt alij, Singulo mane, quando aptabit lucernas, ſuffire faciet illud. Alij, Mane & mane, quando ſcilicet bene ordinauerit lucernas, tunc adolebit M ipſum. Alij, Singulis mane, quando ſcilicet inſtruxerit lucernas (hoc eſt, lampades ſiue ellychnia) adolebit incenſum. Septuaginta & Chaldaica vt apud nos legunt, excepto, quod nos mane habemus, & Hebraicè bis repetitur, illi, τοπρωΐ πρωΐ, hæc, mane mane habent. Sed hæc Latinæ editionis ſenſum non immutant. Sequitur, Et quando collocat eas ad veſperum. Hebraica ſunt וּבְהַעֲלֹת אַהֲרֹן אֶת הַנֵּרֹת בֵּין הָעַרְבַּיִם Vbhaloth Aharon eth haneroth ben haharbáim, Et quando collocabit, ſeu accendet, vel accendere fecerit, ſiue promouet lucernas Aaron inter duas veſperas. Dicunt enim Hebræi (vt etiam aliàs diximus) quòd ſunt duæ veſperæ, vna ſcilicet, quando ſol incipit declinare ad occidentem: alia verò, quando iam occidit ſol & occultatur nobis, & in hoc ſpatio temporis quod eſt inter primam veſperam & ſecundam, debebant curari incenſum & lampades, vt ſempiternum coram domino lumen & odoramentum perſeueraret, & nunquam deficeret. Chaldaica, Et quando accenderit Aaron lucernas veſperum. Sed hæc idem ſunt cum litera noſtra. *Non offeretis*



A *retis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, ſubaudi quàm illius de qua locuturus ſum. CAIETANVS. Rectè redditur ſententia, quia prohibetur quodcunque odoriferum alienum à prædicto, vnicum enim odoriferum incendendum præcipitur. Similiter holocauſtum quodcunque, ſeu ſacrificium prohibetur aliud ſuper idem altare. AVCTOR CATENAE. Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius. Quod Hebræus habet זָרָה Zara, hoc eſt, alienum, ſiue externum. Nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina. Succinctè & concinnè vertit Hebraicum Interpres, quod eſt, וְעֹלָה וּמִנְחָה וְנֶסֶךְ לֹא תַסְּכוּ עָלָיו Vehola vmincha, venéſech lo thiſſechu halaf, Neque holocauſtum, neque munus, neque libamen libabitis ſuper illud. Sic & Chaldaica. Alij, Nec holocauſtum, nec victimam ſiue oblationem, aut cibarium ſacrificium, nec libationem fundetis ſuper illud. Septuaginta, κάρπωμα καὶ θυσίαν, καὶ σπονδὴν οὐ ποιήσετε ἐπ' αὐτοῦ, Oblationem, &
B ſacrificium, & libationem non libabitis in eo. Quaſi dicat, tantũ ſuper illud incẽdetis odores. Sed hæc idem ſunt penitus cum noſtra editione. Præſcripta lege erat compoſitio thymiamatis, vt aliter nequaquam conficeretur. Et peregrinus ſuffitus quamlibet pretioſe & artificioſe comparatus, eo altari minimè imponeretur. Neque oblationi cuicunque deſeruiret, nec victimæ vel libationi, ſed tantummodo odoramento ſacroſancto quotidie imponendo. Præterea non licuit aliud altare in aliis locis ad adolenda thymiamata inſtituere. Vnde peccauerunt, qui inſtituerunt altaria incenſi in excelſis & lucis, & ſi bona opinione id fecerũt. Minus etiam licuit cuiquam alterius familiæ præterquam ſacerdotalis ordinis, in hoc altari thymiama adolere. Vnde Core & alij horribiliter puniuntur, qui incenſum ſine legitima vocatione adolebant, Numero ſedecim. Et grauiſsimè reprehenduntur Hieroboam rex Iſraël, & Ozias rex Iuda, quòd contempta ordinatione dei, vſurparint officium adolendi incenſi. Vide tertio Regum tertiodecimo, & ſecundo Paralipomenon vigeſimoſexto. *Et deprecabitur Aaron ſuper cornua*
C *eius ſemel per annum in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. Sanctum ſanctorum erit domino.* AVGVSTINVS. Iuxta aliam literam, Et depropitiabit Aaron, vel exorabit ſuper cornua eus ſemel in Quæſt. 133. anno de ſanguine purificationis delictorum. Depropitiabit, ab eo quod eſt depropitiatio, quæ Græcè dicitur ἱλιασμός. Vnde etiam intelligendum eſt, hoc quod ſemel in anno iubet fieri ad propitiandum deum ſuper cornua altaris incenſi, id eſt, vt de ſanguine purificationis delictorum, victimarum ſcilicet quæ offeruntur pro delictis ſemel in anno, tangantur cornua altaris incenſi, non pertinere ad illam appoſitionem incenſi, quam quotidie fieri iuſſerat. Illa enim fiebat aromatibus, non ſanguine, & quotidie, non ſemel in anno. Non ergo ſimus intellecturi, ſemel in anno intrare ſacerdotem ſolere in ſancta ſanctorum, ſed ſemel in anno cum ſanguine, &
D quotidie quidem ſolere intrare ſine ſanguine cauſa incenſi imponendi, cum ſanguine autem ſemel in anno, maximè quia ſequitur & dicit, Semel in anno purificabit illud, ſanctum ſanctorum eſt domino. Non ergo ſemel in anno ponet illic incenſum, quod quotidie fieri iuſſum eſt, ſed ſemel in anno purificabit illud, quod cum ſanguine fieri debere præceptum eſt, & poſt hoc adiungit, Sanctum ſanctorum eſt domino, ac per hoc ſanctum ſanctorum non extra, ſed intra velum erat, etiam illud profectò altare de quo nunc agitur, quod poni contra velum intrinſecus iuſsit. CAIETANVS. Et deprecabitur Aaron, &c. Tranſit ad officium anniuerſarium ſuper idem altare, ſpectans ad Aaron (non ſimplicem ſacerdotem, ſed pontificem) in die expiationis, qui erat dies decimus Septembris, de quo Leuitici decimo ſexto diffuſe ſcribitur. Sanctum (inquit) ſanctorum erit domino. Communicatur hoc epitheton huic altari, ad ſignificandum excellentiam ſanctitatis eius ſuper omnia quæ erant in loco qui dicitur ſanctum. AVCTOR CATENAE. Et deprecabitur Aaron. Verbum כָּפַר Chaphar, & deprecari, & propitiari, & expiare, & placare ſignificat. Vnde hîc quidam, Et deprecabitur vertunt, vt fecit Interpres. Aliqui, Et propitiationem faciet, ſiue, Et propitiabitur, & ſic habent Chaldaica & Septuaginta. Quidam, Et expiabit. In ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris, Hebraiſmum hoc in loco vt potuit Latinus Interpres ſuccinctiùs reddidit, qui eſt huiuſmodi חַטַּאת הַכִּפֻּרִים אַחַת בַּשָּׁנָה יְכַפֵּר עָלָיו לְדֹרֹתֵיכֶם Midam chattath hachippurim achath baſana iechapper halaf le-
E dorothecem, In ſanguine peccati (hoc eſt, hoſtiæ pro peccato immolatæ) expiationum (quo ſcilicet facta eſt expiatio) ſemel in anno expiabit ſuper illud in generationibus veſtris. Vertunt alij, Per ſanguinem hoſtiæ peccati (in die) propitiationis, ſemel (inquam) in anno expiabit illud in generationes veſtras, Vel (quæ fit) pro his qui expiantur, ſemel (inquam) in anno expiabit ſuper eam (videlicet aram) in poſteritatibus veſtris. Alij, De ſanguine oblationis pro peccato expiationum, ſemel in anno expiabit ſuper illud in generationibus veſtris. Quaſi dicat, cùm poſuerit ſanguinem ſuper cornua altaris pontifex, remouebit iniquitates Iſraël, quia placet coram me locus. Chaldaica, De ſanguine ſacrificij quod fit pro expiatione peccati ſemel in anno propitiabitur ſuper eo in generationibus veſtris. Quæ omnia vnum idémque dicunt cum editione Latina. Sanctum ſanctorum erit domino, ſiue ſanctitas ſanctitatum eſt domino. Hebraiſmus eſt, pro ſanctiſsimo. Id eſt, tanquam res deo dicata ſanctiſsimum erit vobis. Vel ſacroſancta eſt domino. In Hebræo enim eſt קֹדֶשׁ קָדָשִׁים Kódes kadaſim, de quo etiam ſuprà diximus. Ex loco iſto intelligitur Zachariæ patris Ioannis baptiſtæ functio ſacerdotalis, qui
F in templum intrabat ſecundum vicem ordinis ſui, non in ſanctum ſanctorum, ſed in templum vbi ara incenſi erat, quod vulgus minimè ingredi permittebatur, ſed conſiſtebat in atrio. Semel enim ſummus ſacerdos ſolenniter incenſum offerebat in anno, & deprecabatur in die expiationis, quæ decima erat in menſe vel lunatione Septembris, ex ſanguine oblato pro peccatis cornua deliniendo. Non in ſancto ſanctorum, ſed vt eſſet hæc actio ac functio omniũ celeberrima atque ſanctiſsima. Quanquã & eo die ingrederetur ſummus ſacerdos in ſancta ſanctorum, nõ ꝙ ibidem ſtaret altare aureum & incenſi, vt voluit diuus Auguſtinus, ſed quia ante arcã domini deprecabatur pro peccato populi. Duo itaq; tantũ ordinaria & legitima altaria in populo Iſraëlitico diuinitùs inſtituta fuere. Alterũ æreũ, ad holocauſta & id genus alia ſacrificia deputatũ, & in atrio collocatũ, de quo ſupra capitulo vigeſimo ſeptimo. Alterũ aureũ, thymiamati ſeu incẽſo deputatũ & in loco tabernaculi, qui ſanctũ dicitur, ſitũ. Nã reliqua altaria, quę aut Patriarchę & Prophetę ex verbo dñi inſtituerũt, nõ perpetua & generalia, ſed tẽporalia & perſonalia fuerunt, aut quæ hypocritæ in excelſis, lucis, & in aliis locis ſine verbo do-

mini instituerunt,ea fuerunt impia,& coram deo abominanda. Sola duo hæc altaria holocausti & incensi, fue- G
runt legitima & ordinaria.

*Mysticè. Cap.11.*

BEDA. Si altare holocausti de quo suprà dictum est, generaliter vitam designat iustorum, qui carnem suam quotidie crucifigere cum vitiis & concupiscentiis, atque in hostiam viuentem domino offerre consueuerunt, quid hoc altare ad adolendum thymiama factum, nisi specialem quorundam perfectorum vitam significat? Neque enim frustra in illo carnes animalium incendebantur, in hoc adolebatur incensum, nisi quia in illo figurabantur hi qui non secundum desideria carnis ambulabant, sed quasi hæc domino immolantes, omnes sui corporis sensus per ignem spiritus sancti eius voluntati dedicant, in isto autem illorum typus exprimitur, qui maiore mentis perfectione, extinctis prorsus ac sopitis illecebris omnibus carnis, sola domino orationum vota offerunt, nil quidem de carne quod se impugnet, nil de conscientia peccati vnde conturbentur ac paueant, habentes, sed dulcium profusione lachrymarum optantes venire & parere ante faciem dei. Vnde aptè hoc altare intus in vicinia veli & arcæ, illud ante tabernaculum foris positum est: quia nimirum illi in conspectu sanctæ Ecclesiæ cunctis in exemplo virtutum præfulgent, isti altioris ardore de- H
siderij, contemplationi futuræ beatitudinis etiam corpore detenti, non minimum propinquant. Aptè illud ære, hoc vestiri auro præcipitur, æs nanque plus aliis metallis sonorum ac diu durabile est, aurum verò quantum sono succumbit, tantùm splendore præstat æramento. Vnde certè æneum altare in quo carnes incendebantur, & sanguis fundebatur victimarum, illorum gestat typum, qui edomitis & velut deo immolatis voluptatibus carnis, perseueranter viam veritatis quam semel inchoauere, peragunt, & hanc quoque proximis incedendam crebro sermone prædicationis insonant. Porrò aureum altare illis conuenienter aptatur, qui ampliore gratiæ supernæ claritatis illustrantur, sed minus aliis quæ in secreto de interna suauitate gustent, apertiunt, minus eructare proloquendo sufficiunt, quanta ipsi intus dulcedine in abdito vultus dei reficiantur. Aptè etiam altare thymiamatis quantò metalli fulgore præcellebat, tantò mensura minus fuit, quia quò sanctiores quique in Ecclesia, eò sunt pauciores. Aptè de eisdem lignis Sethim,quæ albæ spinæ similia, & esse incorruptibilia diximus, vtrumque altare fieri præcipitur, quia nimirum vna est fidei non fictæ firmitas,qua omnium corda electorum præmuniri, atque ad suscipiendum ignem dilectionis, & offerenda deo virtutum libamina debent præparari, quia omnibus generaliter pusillis cum maioribus loquitur Apostolus, dicens, Mun-

*2.Cor.7.*

demus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore dei, quod est aliis verbis dicere, Præcidamus & auferamus à nobis spineta vitiorum, & punctionum aculeos titillantium, quos terra corporis nostri ex peccato primæ præuaricationis nobis germinare consueuit, & quasi quadam bipenni sedulæ castigationis incidentes, excolamus strenuè interiorem simul & exteriorem hominem nostrum, qui dignus fiat accepto sancti spiritus igne, hostiam virtutum in conspectu sui conditoris offerre. Aptè vnus ac non dispar erat ignis, qui in hoc altari victimas, in illo thura incendebat, quia nimirum vnus est spiritus, qui cunctorum mentes fidelium, variante donationum gratia viuificat. Quòd autem altare incensi quadrangulum K
fuit, vnum habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, duos verò in altitudine, longitudo ad longanimitatem patientiæ vt in expositione altaris holocausti dictum est, latitudo ad amplitudinem dilectionis, altitudo pertinet ad sublimitatem spei, per quam in laborum tolerantia temporalium, & hilaritate dilectionis sincera mente gaudemus. Vnius autem est cubiti & longitudo & latitudo altaris, quando summi quique & perfecti in Ecclesia viri, nullius alterius rei quàm perpetuæ retributionis intuitu, & mala temporalia æquanimiter ferunt, & quæq; valent proximis per charitatem bona impendunt. Item quia charitas patiens est, benigna est: Patiens videlicet, vt illatam à proximo iniuriam toleret: Benigna, vt cuius aduersa tolerat, illi etiam cùm opus habuerit, officia pietatis exhibeat, Rectè altare thymiamatis in longitudine & in latitudine sua quadrangulum fieri iubetur, vt insinuetur quia perfectorum animus fœderatis ad inuicem virtutibus, quantū diligere fratrem, tantum & ferre sufficit, & quantum per patientiam sustinere potest molestiam eius, tantum præstare ei per dilectionem suæ pietatis beneuolentiam potest. Duos autem habet cubitos in altitudine, quia du- L
plex sese præmium in futura vita accepturos sperant electi, Vnum videlicet quietis animarum, cum corruptibile hoc & mortale corpus exuentes, cœleste regnum intrauerint: Aliud cùm recepto eodem corpore incorrupto atque immortali, perfectiùs in præsentia sui conditoris exultabunt impleta promissione prophetica, quæ

*Esa.61.*

dicit, In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Cornua ex ipso procedent, vestiésque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes & cornua. Cornua sæpe in scripturis solent eminentiam designare fidei & virtutum, per quam obuiantia nobis antiqui hostis certamina obtundere ac superare debemus, dicentes cum Propheta domino, In te inimicos nostros cornu ventilabimus. Qui mox de quo cornu dixisset,subdendo declarauit, dicens: Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos,sicut econtra nonnunquam bella vitiorum quæ nos expugnare moliuntur,cornuum nomine solent indicari. Quod vtrumque breuiter cō-

*Psal.43.*

*Psal.47.*

plexus per Prophetam dominus, dicebat, Et omnia peccatorum cornua confringam, & exaltabuntur cornua iusti. Vnde bene in lege cornuti tantū generis animalia munda esse,& populo dei comestibilia decernuntur,quæ M
enim ruminãt,atque vngulã findunt animalia,ea etiã constat esse cornuta,vt ostẽdatur mysticè, quòd illi tãtùm Ecclesiæ dei spiritali cõiunctione possunt incorporari,qui fortitudine fidei ad bella vitiorũ exire probãtur inuicti.Procedũt autem cornua ex ipso altari thymiamatis,cũ opera virtutũ electi,non ad faciẽ hominũ specie tenus ostendũt,sed ex interna mẽtis radice,fixo atque immobili exercent affectu. At cõtra hypocritæ quasi cornibus aliunde mutuatis,habẽtes speciem pietatis,virtutem eius negãt.Quibus aptè cõgruit illa Aesopi fabula,qua refert cornicem inuolutis pauipennis exornatam,frustra de sua esse pulchritudine gloriatã,imò propemodũ zelo exardescentẽ pauonũ, omni pennarum virtute & ipsa vita esse spoliatam.Vestitur autem auro purissimo,cũ perfecti quique vera internæ sapiẽtiæ luce refulgẽt,cũ in omnibus quæ agũt,splendorẽ charitatis velut quotidiani gloriã habitus permõstrãt,cũ memoriã sibi perpetuæ claritatis semper inesse cũctis sese vidẽtibus siue audiẽtibus ostendũt, cũ se ante omnia regnũ dei & iustitiã eius cogitare & quærere manifestãt. Et bene tã craticula altaris,quàm

parietes



A parietes & cornua vestiri auro iubentur. Craticula quasi intus in medio erat altaris ad suscipienda nimirum thymiamata parata.Parietes verò foris parabant cornua,& ipsa foris parentia speciali fastigio altiùs eminebant Deauratur autem craticula, cùm in interiore homine nostro per fidem respledet Christi gratia. Deaurãtur parietes,cùm eadem gratia dominicæ dilectionis per bona se exterius opera dilatat.Deaurãtur & cornua,cùm ipsa fiducia fortitudinis iustorum, qua aduersarios veritatis,siue per patientiã fortiter ferre,seu per sapientiã prudenter repellere vel corrigere didicerint, internæ lucis in omnibus fulgore coruscat. Et quoniam tales iure dicere possunt,Bonum certamen certaui,cursum cõsummaui,fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iusti- *2. ad Tim. 4.*
tiæ,rectè subditur,Faciésque ei coronã aureolã per gyrum. Corona etenim aureola per gyrum fit altari thymiamatis,cùm sancti pro bonis quæ se egisse meminerint,præmia postulãt æterna.Et bene per gyrum altaris corona
B fit,vt omnia quæ fecere cœlesti mercede digna esse doceantur, neque aliquid in talibus remanere, quod post absolutionem carnis,purgatorio debeat igne castigari. Item altare incensi coronam habet auream per gyrum etiã in eis,qui etsi minores sunt meritis,nec palàm protestari audent, certam sibi boni certaminis ac seruatæ fidei repositam esse mercedem:cuncta tamen quæ agunt,intentione deo placẽdi, & spe agunt percipiendæ eiusdem supernæ mercedis. Sequitur, Et duos anulos aureos sub corona per singula latera,vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipsósque vectes facies de lignis Sethim & inaurabis. Possunt quidẽ in his anulis quibus altare portabatur, iuxta quod supra in altari holocausti arca & mensa expositum est, quatuor Euangeliorum libri non inconuenienter accipi,per quorum fidem ac doctrinam sancti portantur, atque à terrenis cogitationibus subleuati, per eremum huius vitæ quotidianis bonorum operum profectibus cœlestem feruntur ad patriam. Verùm quia ibi manifestè quatuor circuli fieri,duo videlicet in latere vno,& duo in altero præcipiuntur, hîc autem tacito numero quaternario, duo anuli per singula latera fiunt, pro certò ibi apertiùs Euangelistarum numerus claret,hîc verò etiam aliud quiddam mysterij spiritalis, quòd ad dilectionem dei & proximi summè respiciat,in-
C est. Per singula etenim latera anulis aureis circundatur altare, quia cor electorum hinc & inde dei ac proximi dilectione confirmatur. Quæ bene anulis comparatur, quia euacuata in fine Prophetia, destructa scientia, & cessantibus linguis, ipsa nunquam cessabit. Duo sunt autem anuli per singula latera, quia vtrumque charitatis mandatum gemina virtute distinguitur.Charitas quippe dei per synceritatem fidei ac vitæ munditiam per- *Heb.11.*
ficitur: sine fide enim impossibile est placere deo: & fides sine operibus mortua est. Quod vtrumque vno versi- *Iaco.2.*
culo Propheta complectitur, dicens, Iustus autem in fide sua viuit. Apertè insinuans,quia ita solùm quisque ad *Abac.2.*
vitam venturus est,si opera iustitiæ cum fide veritatis habuerit, sic & dilectio fraterna,virtute gemina consistit, patientiæ scilicet & benignitatis, teste Apostolo qui ait,Quia charitas patiens est, benigna est.Vnde & dominus, *1.Cor.13.*
Dimittite, inquit,& dimittetur vobis: date, & dabitur vobis,videlicet in dimittendo debita, patientiã docens, *Luc.6.*
in dando necessaria, gratiam benignitatis: in vno, vt proximorum incommoda fortiter feramus, in altero,vt commoda proximis nostra gaudenter tribuamus. Duos ergo anulos per singula latera habet altare,cum biformi perfectione charitatis, sancti & in sui conditoris honorem, & in curam atque obsequium accinguntur proD
ximi. Hísque anulis immittuntur vectes inaurati, vt altare portetur, cùm tales parato mentis sinu excipiunt clarissima præcedentium dicta patrum, per quæ magis à terrenis suspensi, ad amorem rapiantur æternorum bonorum. Nam quòd tales animo & merito cœlestibus appropinquent, sequentibus quoque verbis mysticè designatur, cùm dicitur, Ponèsque altare contra velum quod ante arcam pendet testimonij coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi. Arcæ velum quod ante arcam, quæ vt suo loco expositum est, dominum saluatorem demonstrat,pendebat,ipsum cœlum designat,cuius adita dominus victa morte penetrauit, vt sicut Apostolus ait, appareat nunc vultui dei pro nobis. Státque altare contra velum, quod ante arcam appen- *Heb.9.*
sum est, cùm omnis intentio iustorum ad ingressum directa est regni cœlestis.Stat coram propitiatorio,quo tegitur arca, cùm visioni sui conditoris puritate mentis appropiant, & clausi quamlibet corpore, conuersationem habent in cœlestibus. Et adolebit (inquit)incensum super eo Aaron, suaue fragrans, Mane quando com- *Capit2.*
E ponit lucernas, incendet illud, & quãdo collocat eas ad vesperum. Constat incensum siue thymiama vim ora- *Psal.140.*
tionis exprimere, dicente Psalmista, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Et in Apocalypsi *Apoc.5.*
Ioannes habere vidit sanctos Phialas aureas plenas odoramentorum. Quod confestim exponenda subiunxit, Quæ sunt orationes iustorum. Et quoniam Aaron vt supradictum est, & ipsum specialiter summum sacerdotem, videlicet dominum saluatorem, nostri quoque ordinis sacerdotes designat, adolebit Aaron in hoc altari incensum suaue fragrans mane, cùm vel dominus ipse illustrata fidelium corda, nouo gratiæ suæ iubare ad dulcedinem orationis instigat, vel participes sacerdotij illius, sedula exhortatione fideles ad deprecandam faciem sui conditoris excitant. Incendit autem thymiama sacerdos, non solùm mane, sed & vespere. Mane thymiama incenditur,vt in principio omnis boni,quod inspirante deo facere disponimus,illius auxilium quo perficiamus inuocemus. Ad vesperam verò,vt cùm bene cœpta complemus,illi aquo accipimus,pro his quæ donauit gratiarum vota reddamus. Vel certè quia mane & orto sole clarè omnia circunquaque videmus, vespere
F autem superueniente dubio visu caligamus, ideóque lumine lucernæ vt videamus quæ volumus indigemus, illa redemptoris nostri sacramenta siue dicta, quæ liquidò etiam iuxta ordinem humanæ rationis pro modulo nostro dignoscere sufficimus, iam quasi in die conspicimus. In quibuscunque autem ratio humana deficit, sed sola nobis auctoritas scripturæ sequẽda est, illic velut in nocte oculus nostri intellectus caligat, sed lucerna verbi dei pedes nostros ne fortè offendãt,atq; à via veritatis exorbitent, adiuuat. Hinc etenim Petrus de sacramẽto *1.Pet.1.*
dominicæ fidei loquẽs ait, Et habemus firmiorẽ propheticũ sermonem,cui benefacitis intendẽtes, quasi lucernæ lucẽti in caliginoso loco,donec dies lucescat,& lucifer oriatur in cordibus vestris,Bene ergo dicitur,Et adolebit incẽsum super eo Aaron suaue fragrãs.Mane quãdo cõponit lucernas incẽdet illud, & quãdo collocat eas ad vesperũ.Mane etenim Aaron incẽsum super altari adolet, cũ dominus corda fideliũ in his quæ iã intelligere valẽt, arcanis veritatis ad gratiã cõpunctionis inflãmat.Incẽdet illud & ad vesperũ,quãdo collocat lucernas, cùm etiã ex eis quæ nec dum capere queunt,quoniam & hæc sancta,quoniã diuina esse non ambigitur,ad amorẽ eos cœle-

ſtium vbi omnia ſecreta patefiunt, informat. Fragrátque ſuaue thymiama, cùm ſubita compunctione diuinitùs G
tacti lachrymis ſolùm ac precibus vacare dulce habent. Bene autem ſequitur, Vret thymiama ſempiternum co-
1.Reg.1. ram domino in generationes veſtras. Quia nimirum neceſſe eſt vt animus poſt orationẽ & fletus ad ocioſa ver-
ba ſiue facta nõ diuertat, ſed in eodem ſe vigore deuotionis, quem in oratione ſuſcipit, etiam finita oratione cu-
ſtodiat, iuxta exemplum Annæ de qua orante dictum eſt, Vultúſque eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. Nõ
offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius. In ſequentibus huius voluminis, è quibus aromatibus hoc
thymiama componi debuerit, nominatim deſignatur, ſtacte videlicet & onycha, galbano boni odoris, & thure
lucidiſsimo, quæ cuncta ad ſignificationem æternorum bonorum quæ principaliter à domino quærenda ſunt,
conſtat pertinere. Non eſt ergo offerendum ſuper altari aureo thymiama compoſitionis alterius, quàm quòd do-
minus ſtatuit, quia non aliud à domino quærere orantes, quàm quod ipſe iuſsit, quódque ſe daturum promiſit,
non aliud de illo credere, quàm quod ipſe docuit, debemus. Non eſt offerenda ſuper eo victima, nec libatio libã- H
da. Hæc etenim omnia ad altare exterius pertinent, quæ incipientium, & in profectu adhuc poſitorum vitam de-
ſignant. Tantæ nanque ſublimitatis perfectorum eſt vita iuſtorũ, vt nil in ea carnale quod domino mactare ha-
beant, valeat inueniri. Et quidem libamina vini conſtat nonnunquam magnam gratiæ ſpiritalis deſignare vir-
tutem, hoc eſt, ſiue poculum doctrinæ, ſeu calicem paſsionis, ſiue feruorem præcipuę dilectionis, ſiue ipſam ſpiri-
tus ſancti perceptionem, aut aliquid huiuſmodi. Verùm quotienſcũque vinum libaminum cum carnibus offer-
tur hoſtiarum, eorum profectò iuxta tropologicam expoſitionem deſignat ſanctimoniam, qui adhuc aliquid de
carnalibus concupiſcentiis quod puritati ſpiritus aduerſetur, & quòd igne ſancti ſpiritus in ara cordis incendi
Pſal.72 debeat habent. Perfecti autẽ iuſti, qui dicere poſſunt. Defecit cor meum & caro mea, deus cordis mei & pars mea
deus in ſecula, quaſi ceſſantibus victimarũ libaminibus, quòd ad æneũ altare exterius poſitũ pertinet, ſola intus
in aureo altari aromata domino deſiderij cœleſtis offerunt, quod de remiſsione peccatorum iam ſecuriores effe-
cti, pro dilato ſolummodo regni perennis introitu lugent, dulcibúſque lachrymarum fluentis ſtratum ſuum per I
ſingulas noctes irrigant. De quo videlicet altari adhuc bene ſubditur, Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius
ſemel per annum in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato. Summus nanque ſacerdos noſter ſemel in anno ob-
tulit ſanguinem ſuum pro peccato totius mundi. In illo videlicet anno, de quo dicit ipſe per Eſaiam. Quia vene-
Eſa.61. rit prædicare annum domini acceptũ, hoc eſt, in toto hoc tempore, quo Eccleſiam ſibi copulare dignatus eſt. Se-
mel etiam vnicuique credentium lauacrum ſacri fontes in myſterium ſui ſanguinis, ad ſoluenda peccatorũ vin-
cula donauit, & pulchra omnimode figurarum diſtantia, ſemel quidem per annum põtifex in ſanguine oblatio-
nis ſuper cornua altaris deprecari, quotidie autem thymiama ſuaue fragrans ſuper eo incendere præcipitur, quia
dominus & ſaluator noſter qui quotidie fideles ſuos gratia internæ compunctionis accendens, renouat, ſemel
eos hoſtia ſui ſanguinis mortem ſuperans redemit. Ipſi fideles qui quotidiana peccata quotidianis abluere pre-
cibus ac lachrymis ſolent, ſemel in ſacramentum paſsionis illius abſolutos ſe à peccatis omnibus eſſe gaudent.
Deprecabitur autem ſuper cornua altaris, quia & ipſe non ſolùm inter homines cõuerſatus pro hominibus ora- K
uit, verùm etiam nunc ad dexteram patris in cœleſtibus ſedens, interpellat pro nobis, & in cordibus electorum
per fidem inhabitans, dum eos ad deprecandum excitat, rectè ipſe deprecari narratur. Deprecatur autem Aaron
ſuper cornua altaris, cùm electos ſuos patri dominus per memoriam eorum quæ fecere virtutum, commendat.
Ioan.17. Denique quaſi cornua tangens altaris aurei, de deuotione diſcipulorum loquitur, Quos dediſti mihi de mundo,
tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dediſti mihi
abs te ſunt. Pro quibus etiam deprecans adiecit, Ego pro his rogo non pro mundo, ſed pro his quos dediſti mihi,
quia tui ſunt. Et quia propter merita & interceſsiones ſublimium virorum, plerunque noſtræ infirmitati domi-
nus miſeretur, rectè ſubiungitur, Et placabit ſuper eo in generationibus veſtris, ſanctum ſanctorum erit domi-
no. Placat quippe Aaron ſuper altare incenſi, quando propter iuſtitiam ſanctorum quos interceſſores & patronos
4.Reg.19. quærimus, nobis propitiatur dominus. Denique obſeſſo ab hoſtibus Ezechia, & auxilium eius inuocanti ait, Et
ciuitatem hanc ſaluabo & protegam eam, propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Sic & Moyſes pro popu- L
lo peccante intercedens, patrum fecit memoriam, & quaſi ſuper cornua deprecans altaris, dominum placare cu-
Exod.32. rabat, Quieſcat (inquiens) ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitiã populi tui. Recordare Abrahã, & Iſaac, & Iſraël
ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens, Multiplicabo ſemen veſtrũ ſicut ſtellas cœli. Poſſumus
ſanè hæc altaria etiam ita interpretari, vt æneum quidem, in quo carnes comburebantur, & ſanguis fundebatur
hoſtiarum, omnem huius temporis Eccleſiã accipiamus, in qua nullus eſt abſque peccato, etiamſi vnius diei fue-
rit vita eius ſuper terrã. Nullus qui non ex peccato præuaricationis Adæ carnaliter natus, neceſſe habeat in Chri
ſto renaſci, & ſpiritus eius igne mũdari. Aureum verò altare, ipſum dominum ſignificet, qui miro atque ineffa-
bili ordine ita carnem veram traxit ex Adam, vt à peccato carnis Adæ veraciter eſſet immunis, quomodo altare
quidem vtrumque ex vnius eiuſdémque generis lignis factum, ſed non vtrumque erat auro coopertum. Sed &
in hoc altari nil carnale offerebatur, verùm aromata tantùm adolebantur, quia dominus preces ſiue lachrymas
effundens, non pro ſuis erratibus, qui nulli erant, ſed pro noſtra hoc ſalute faciebat. Sicut enim arca intra velum M
poſita, hominem deum ſedẽtem ad dexteram maieſtatis in excelſis ſignificat, ita altare extra velum quidem, ſed
prope introitum eius poſitum, eũdem mediatorem dei & hominum poteſt figuraliter exprimere, inter homines
humanitùs conuerſantem, ſed potentia diuinitatis cœlorum interiora penetrantem. Stabat altare incenſi in ſan-
Ioan.1. ctuario, vbi & cãdelabrum & menſa, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Stabat arca intra velũ,
quia idem dominus Ieſus poſt paſsionem reſurrectionémque ſuam, aſſumptus eſt in cœlũ, & ſedet à dextris dei.
Super cornua altaris deprecatur Aaron in ſanguine, quod oblatum eſt pro peccato, & placat ſuper eo, quãdo ro-
gantes pro populo dei, vel pro ſua ipſorum ignorantia ſacerdotes, per vnigenitum filium eius ſeſe adiuuandos,
& per ſacramentum paſsionis illius ſaluandos eſſe confidunt, monente Apoſtolo ac dicente, Per ipſum ergo offe
Heb.13. ramus hoſtiam laudis ſemper deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Quod de omnibus etiam
electis, membris videlicet ſummi ſacerdotis, qui in ſpiritu & veritate orant patrem, conuenienter accipi poteſt.

Cui



A Cui autem melius quàm huic altari cõuenit quod dicitur, Sanctum ſanctorum erit domino, de quo in mundũ
naſcituro dixit virgini matri archãgelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & reliqua. AVCTOR CATE- Luc.i.
NAE. Vel odor ſuauiſsimæ fragrantiæ quotidianæ de ara incenſi, eum odorem ſignificat in Eccleſia, quo fi-
deles deo ſignificantur, qui eſt vnicus Chriſtus & ipſius hoſtia, qui pro nobis ſe obtulit patri. Non enim Chriſtus
in lege vno tantùm typo vmbrabatur, ſed multis. Ipſe agnus eſt, vitulus, altare, arca, manna, ſuffitus, ſacerdos, ve-
ctes, tabernaculum, ſuis rationibus multis multam dei gratiam per Chriſtum ad Eccleſiam deſignando. Vectes
aurei in ara, duo ſunt teſtamenta, quibus commendatur Chriſtus, & teſtimoniũ recipit, ſiue lex & Prophetæ. Ante
velum ara ponitur, Chriſtus pro Eccleſia militante ſemper orat, ſemel intrat in ſancta ſanctorum.

B *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël iuxta numerum, da- 2*
*bunt ſinguli precium pro animabus ſuis domino, & non erit plaga in eis cùm fuerint recenſiti. Hoc autẽ*
*dabit omnis qui trãſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus uiginti obolos habet. Me-*
*dia pars ſicli offeretur domino. Qui habetur in numero à uiginti annis & ſupra, dabit precium. Diues non addet*
*ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Suſceptámque pecuniam quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in uſus ta-*
*bernaculi teſtimonii, ut ſit monimentum eorum coram domino, & propitietur animabus eorum.*

BEDA. Deſcripta hucuſq; factura altaris incenſi, ſupereſt adhuc deſcriptio labri ænei, in quo lauarent ma- 2
nus ſuas ac pedes ingreſſuri in tabernaculum ſacerdotes, ſed præmittitur vnum domini mãdatum, quod & nos
breuiter tangere, ac pro modulo noſtro exponere conuenit. Ait ergo: *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, Quando*
C *tuleris ſummam filiorum, Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis domino, & non erit plaga in eis cùm fuerint recen-*
*ſiti.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Quid eſt quod ait iuxta aliã li- Quæſt.134.
teram, Si acceperis computationem filiorum Iſraël in viſitationem eorum, niſi quia iubet eos aliquando viſita-
ri & computari, id eſt, numerari? Quod in Dauid propterea vindicatum intelligendum eſt, quia deus non iuſſe-
rat. INTERLINEARIS. Dicere ergo, Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël, eſt cùm numeraueris eos
pergens in expeditionem. HVGO DE SANCTO VICTORE. Quod fiet in libro Numerorũ. CA-
IETANVS. Statuitur igitur hîc quid agendum eſt quando numeratur populus. Vbi autem dicitur, Dabunt
ſinguli precium pro animabus ſuis domino, Iuxta Hebræum habetur, Et dabunt redemptionem animæ ſuæ do-
mino, numerando ipſos. Duo ſtatuũtur: Alterum, quòd quilibet redimat animam ſuam (hoc eſt, vitam ſuam) of-
ferendo quaſi illius precium ſummo deo: Alterum, quòd hæc ſolutio non differatur, ſed fiat tunc, quãdo fit nu-
meratio. Et non erit (inquit) plaga in eis quum fuerint recenſiti. Ecce fructus redemptionis, & pœna non redem-
D ptionis. Quam pœnam experientia comprobauit tempore Dauid, quãdo numerauit populum abſque huiuſmo-
di redemptione. Secuta eſt enim peſtis quam hîc comminatus eſt deus, vt patet in fine ſecundi Regum. AV-
CTOR CATENAE. Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël iuxta numerum. Hebraica ſunt כִּי תִשָּׂא אֶת
רֹאשׁ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל לִפְקֻדֵיהֶם Chi thiſſa eth ros bene Iſraël liphkudehem, Quandò cœperis vel capies ſummam filio-
rum Iſraël in viſitatione, ſeu ad numerationem eorum, vel per numeratos eorum, Id eſt, quando recenſere voles
filios Iſraël qui veniunt ad numerum: non enim omnes numerabãtur, nam qui viceſimum annum nondum at-
tigerant, reiiciebantur ab eo numero. Vertunt alij, Si leuaueris ſummam filiorum Iſraël iuxta numeros eorum.
Quidam, Cùm cenſum egeris, ſecũdum capita filiorum Iſraël, vel cùm receperis caput filiorum Iſraël iuxta cen-
ſum eorum. Nonnulli, Quando leuabis ſummam filiorum Iſraël ſecundum numerum eorum. Chaldaica, Quã-
do ſuſceperis ſummam filiorum Iſraël iuxta numerum eorum. Quæ omnia idem dicunt cum Latina verſione, &
id eſt quod clariſsimè Septuaginta interpretati ſunt, dicentes, ἐὰν λάβῃς συλλογισμὸν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ κατὰ τὴν ἐπισκο-
E πὴν αὐτῶν, Cùm accipies computationem filiorũ Iſraël in viſitatione eorum. Quòd autem Hebraicè dicitur כֹּפֶר
Cópher, ſignificat quod datur in propitiationem vel precium. Vnde verti poteſt etiam redemptionem, ſicut ha-
bet Chaldaica. Et eſt oblatio qua redimebant vitam ſuam. Nam alioqui deus interficiebat eos, vt fecit tẽporibus
Dauid. Vertũt alij, Propitiationem, hoc eſt, munus aliquid pro propitiatione animæ ſuæ. Alij, Expiationem.
Septuaginta, λύτρα τῆς ψυχῆς, Precium redemptionis animæ. Quæ omnia vnum ſunt. Sciendum verò poſt verba
illa pro animabus ſuis, in Hebræo haberi בִּפְקֹד אֹתָם Biphkod otham, id eſt, cùm recẽſueris vel numeraueris eos,
& ita legit Chaldaica, quod non poſuit Interpres, vt replicationem vitaret Hebræo idiomati valde familiarem,
nam mox ſequitur, Et non erit plaga in eis cùm fuerint recenſiti ſeu recenſueris eos. Non igitur rarò numera-
batur populus Iſraël, vt gratia dei ad ipſum tam mirabiliter multiplicãda prout patribus promiſerat, ſæpe agno-
ſceretur, & gratior fieret ad dominum. Vtq; ordo populi conſtaret elegãtior, ſicut & grex chara filiorum, vel pe-
culij cuiuſcunque augmentum, pecunia ſcilicet vel prædia, numerantur crebriùs pro inſigni affectu numeran-
F tis, & profectu numeratorum, ſic Iſraël ſæpe numeratur. *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta*
*menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur domino.* BEDA. Quia huius præcepti oblitus eſt Da-
uid, quandò numerauit populum, ideóque plagam numerando eidem populo conſciuit. AVCTOR CA-
TENAE. Hoc autem dabit omnis qui trãſit ad nomen. Pro, Ad nomen, Hebraicè eſt עַל הַפְקֻדִים Hal hapeku-
dim, hoc eſt, Ad numeratos, Id eſt, omnis qui venerit in numerum recenſitorum, ſiue omnis qui numerabitur.
Quanquam hîc aliqua Latina exemplaria peruetuſta habeant, Ad numerum. Sic habet & Chaldaica. Vertunt a-
liqui, In cenſum. Aliqui, Ad numeros. Septuaginta, ἐπὶ τὴν ἐπίσκεψιν, Ad viſitationem. Nã vt ſupradiximus פָּקַד
Phakad, & viſitare, & numerare ſignificat. Sed vnus omnium hic eſt ſenſus cum litera noſtra. Iuxta menſuram
templi. Quod in Hebræo legitur בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Beſékel hakódes, Iuxta ſiclum ſanctuarij, Vel ſecundum ſiclum
ſanctitatis. Hoc eſt, ſecundum quod vtebantur in templo, prout Latinus vertit Interpres. Nam ſiclus templi (vt
aiunt Hebræi conſentiẽte Ioſepho) habebat quatuor drachmas, & quælibet drachma quinque obolos: quare eue-

niebat

niebat vt ſiclus templi viginti caperet obolos. Idem eueniebat in talento, nam talẽtum templi capiebat centum G
& viginti libras, prophanum verò, quo vulgo vtebantur, ſexaginta tantùm, id eſt, dimidium. Ita & ſiclus vulgaris capiebat duas drachmas, id eſt, didrachmon, & decem obolos. Viginti obolorum erat ſiclus. Vt igitur feliciùs fieret numeratio, præcipitur vt non niſi dãda pecunia dimidij ſicli à ſingulis tentetur. Quæ collecta pecunia dimidij ſicli, id eſt, decem obolorum, numerum referebat Iſraëliticum. CAIETANVS. Ne ergo intelligeretur quòd quilibet teneretur ad huiuſmodi redemptionem, manifeſtatur quòd ſoli illi qui trãſierunt ad numeratos, ſoluere debent, & ſubiungitur quòd iſti ſunt viri à viginti annis & ſuprà: *Qui habetur* (inquit) *in numero à viginti annis & ſuprà, dabit preciũ. Dives non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet.* Quod ſuprà, intelligo vſque ad ætatem emeritæ militiæ, puta quinquageſimum annum, quia ſic diffinita eſt numeratio populi, quando numeratus eſt à Moyſe populus Numeri primo. Et ætas quidem emeritæ militiæ ibi clarè habetur, ad quinquaginta verò annos definita ætas illa non legitur in litera, quamuis authore Ioſepho dicatur. Quantitas autem precij decernitur media pars ſicli offerenda domino. Sequuntur autem hîc multæ dictiones quæ ex textu Hebræo habentur, H
videlicet, Ad dandum eleuationem Iehoua, ad propitiandum ſuper animas veſtras. Et explicatur per hanc ſententiam, quòd redemptio iſta datur, vt ſit eleuatio ſummo deo, hoc eſt, vt ſit oblatio eleuata coram ſummo deo, eo modo quo oblationes eleuabãtur manibus coram deo ante altare. Debebat enim pecunia hæc à ſacerdotibus eleuari ſic coram deo, & hoc ad intercedendum, vt deus ſit propitius animabus populi. AVCTOR CATENAE. Qui habetur in numero à viginti annis & ſuprà, dabit precium. Dives non addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Eadem ſententia eſt in Hebræo & in Chaldaica, Omnis qui trãſierit ad numerum à viginti annis & ſuprà, dabit ſeparationem coram domino. Qui dives eſt, non addet, & pauper non minuet à dimidio ſicli. Et eſt ſenſus, Omnis qui venerit in numerum receſitorum ſiue numerabitur, à filio (incipiendo) viginti annorum & ſuprà, dabit oblationem quæ leuabitur (eſt enim dictio תְּרוּמַת Terumath, de qua multa ſuprà dicta ſunt) coram domino. Oblatio autem & ſeparatio hæc, tam in diuite quàm in paupere, non excedet dimidium I
ſicli pro vnoquoque capite. Sequuntur autem in codice Hebræo dictiones aliquot, quæ apud nos deſiderantur, videlicet, לָתֵת אֶת תְּרוּמַת יְהוָה לְכַפֵּר עַל נַפְשֹׁתֵיכֶם Latheth eth terumath Iehoua lecapper hal naphſothechem, Vt det oblationem domino ad propiciandum ſuper animabus veſtris. Vel, Qui datur in oblationem domino ad expiãdum animas veſtras, hoc eſt, vt ipſe reconcilietur vobis. Vertunt alij, Dabitis autem munus leuationis domino, vt propitius fiat ſuper animabus veſtris. Quidam, Cùm dederit oblationem, ſiue ad dandum munus domino ad expiandum animas veſtras. Septuaginta, δῶ τῷ Διὶ ὁναι πὼ ἐισφοϛὰμ κυρίῳ ἐξιλάσασθαι περὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, In dando oblationem domino propitiari pro animabus veſtris. Chaldaica, Vt det ſeparationem domini ad placandum pro animabus veſtris. Quæ omnia idem dicunt. Omiſſa autem ſunt fortè ab Interprete verba hæc, quia putauit ſufficere quæ proximè dicta erant, Dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis domino. Numerabantur igitur non mulieres, nõ infantes, non exteri, ſed qui viginti annorum ætatẽ aſſequebantur viri, & ſuprà. Et vt numerus certiùs haberetur, ſtatuitur non plus dandum à diuite, quàm à paupere, ne numeri ratio non conſtaret. K
Quòd ſi quando ſine ſicli dimidij collectione numerabatur populus, prorſus infauſta erat numeratio & pernicioſa. Ideo ea pecunia dicebatur pretium propitiationis, quæ redimebatur plaga alioqui recidenda in populum vniuerſum. Vt factum legimus ſub Dauide per Ioab populum præter hanc legem numerante. *Suſceptámque pecuniam quæ collata eſt à filiis Iſrael, trades in vſus tabernaculi teſtimonij, vt ſit monimentum eorum coram domino, & propitietur animabus eorum.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Et accipies argentum propitiationum à filiis Iſraël. Nonnulli tamen legunt expiationum, alij veniarum. Senſus tamen in idem redit: Significatur enim pecunia illa oblata deo pro propitiatione diuina erga eos. Pecunia autem hæc cedens in vſus tabernaculi diuini, tanquam continua recordatio erat apud deum, vt propitius eſſet populo ſuo. Loquitur enim deus de ſeipſo more humano, ad ſimilitudinem principis, cuius memoria excitatur ex iis quæ geruntur coram eo. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ita legitur locus iſte ſicut habetur in Chaldaica, Tolléſque argentum propitiationum à filiis Iſraël, & trades illud in miniſterium tabernaculi fœderis, vt ſit filiis Iſraël in memoriale coram domino, vt propitietur pro L
animabus veſtris. Vertunt alij, Accipies itaque pecuniam propitiationum à filiis Iſraël, & trades eam in cultum tabernaculi teſtimonij, vt ſit filiis Iſraël in memoriale coram domino, vt propitius fiat ſuper animabus veſtris. Alij, Hanc expiatorum pecuniam à filiis Iſraël acceptam, tradas in cultum tentorij conſtitutionis, vt ſit filiis Iſraël ad monumentum coram domino, vt propitius ſit animabus veſtris. Quidam, Et capies argentum expiationum à filiis Iſraël, & dabis illud pro opere tabernaculi Eccleſiæ & erit filiis Iſraël ad memoriam coram domino ad expiandas animas veſtras. Quæ omnia eadem dicunt cum litera noſtra. Pecuniam verò dicit expiationum, id eſt, qua expiatur iniquitas. Nominabatur enim hoc modo pecunia collecta, quia miſericordiã aſſequuti fuiſſent per eam, recenſiti. Septuaginta verò, καὶ λήψῃ τὸ ἀργύριον τῆς ἐισφοϛᾶς, hoc eſt, Et accipies argentum oblationis, legunt. Monimentum autem ſiue memoriale filiis Iſraël dicit, hoc eſt, vt cauſa ſit, quamobrem recorder filiorum Iſraël. Hebraiſmus eſt, de ſe enim loquitur in tertia perſona. Ad expiandas verò dicit animas veſtras, pro eo quod eſt vt condonem vobis delicta veſtra, & ne vos interficiam propter ea. Quia igitur quæ ſuprà de taber- M
naculo, de inſtrumentis eius, de ſacris, & aliis rebus ad ordinandam & conſeruandam publicam religionem in Iſraël commemorata ſunt, ea certè non mediorem ſumptum requirebant, vt iuxta verbum domini perficerentur. Vt ergo eſſet vnde tantus ſumptus accipiendus eſſet, voluit dominus vt pecunia hæc quæ à filiis Iſraël conferretur in numeratione eorum, ſacerdotibus & miniſtris tabernaculi traderetur pro faciendis impenſis prædictis. Nam quæ pro communi fiebant vtilitate, æquum erat, vt etiam communibus ſumptibus exhiberentur. Qua etiam ratione moti ſentiunt Hebræi, hanc dimidij ſicli collationem, non ſemel tantùm, ſed ſingulis annis à ſingulis Iſraëlitis in feſto propitiationis factam fuiſſe.

*Myſticè. Cap. 13.* BEDA. Spiritali autem ſenſu ſumma filiorum Iſraël, ſummam omnium deſignat electorum, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlo, ſinguliſque dant pro animabus ſuis precium domino, cùm ei in bonis operibus exhibent ſedulæ ſeruitutis obſequium. Alioquin plaga erit in eis cùm fuerint recenſiti, quia nimirum vltio perpetua manet



A manet eos, qui fidelium numero nomine tenus ſociati, perfecta fidei opera domino offerre detrectant. Dicitúrque de talibus, Non dabunt deo placationem ſuam, nec precium redemptionis animæ ſuæ. Redemptio enim animæ viri, diuitiæ ſuæ, vt Salomon ait. Siue temporales, ſcilicet cùm eas diſtribuerit, dederítque pauperibus, vt iuſtitia eius maneat in ſeculum ſeculi, ſeu ſpiritales, hoc eſt, ipſa iuſtitia quam fecit, vel miſerando pauperibus, vel alia bona faciendo. Dabit autem omnis qui tranſit ad numerum, dimidium ſicli, hoc eſt, decem obolos, quod non aliud aptius, quàm obſeruãtia decalogi legis à nobis valet intelligi. Qui enim hunc intelligere nouit, omnem in eo & fidei atque operis plenitudinem, & futuræ promiſsionem retributionis ineſſe cognouit. Denique in primis tribus dilectio dei, in ſequentibus ſeptem dilectio eſt proximi comprehenſa, & Apoſtolo teſte, Plenitudo legis eſt dilectio. Sed & aliud ſacramentum nequaquam prætereundum eodem numero denario cõtinetur. Nomen enim Ieſu apud Hebræos à litera iod, apud Græcos à iota incipit. Quæ vtraque in ſua gente, de- *Pſal. 48.* *Prou. 13.* *Rom. 13.*
B narij eſt nota numeri. Decémque obolos in precium animæ ſuæ domino offerunt, qui in Ieſum Chriſtum credẽtes, ſignum nominis eius, quod à denario numero incipit, in fronte & profeſsione proferũt. Et fortaſſe huius gratia ſacramenti, dominus in Euangelio teſtatur, iota vnum de lege præterire non poſſe, quia virtus decalogi, quæ ibi continetur, fidéſque nominis ipſius, quæ ibi myſticè ſignatur, nulla vnquam poteſt infidelium perturbatione corrumpi. Qui habetur in numero à viginti annis & ſupra, dabit precium. Numerus vicenarius vtriuſque teſtamenti coniũctionem ſignificat, legis videlicet, quæ quinque libris ſcripta eſt, & Euangelij, quod quatuor, quater enim quini faciũt viginti. A viginti ergo annis habetur quiſque in numero populi dei, quia ille ſolum eſt electorum conſortio dignus, qui & decreta legis ſpiritaliter intellecta, per gratiã adiutus Euãgelij pro ſua menſura & capacitate perficit, & de eiuſdem gratiæ promiſsis, æterna in cœlis præmia expectat. Dives nõ addet ad medium ſicli, & pauper nihil minuet. Quia ſiue magnus eſt meritis quiſque ac perfectus, ſeu tener adhuc & in profectu poſitus virtutum, cũctis eadem lex decalogi, qua deum ac proximum diligat, imponitur. Suſceptámque pecuniã, *Matth. 5.*
C quæ collata eſt à filiis Iſraël, trades in vſum tabernaculi teſtimonij, vt ſit monimentum eorum coram domino, & propitietur animabus illorum, Et ſuſcepta à filiis Iſraël pecunia in monimẽtum eorum coram domino infertur, cùm omne quicquid agimus boni, in æterna apud conditorem ac iudicem noſtrum memoria cuſtoditur quatenus ex eis quæ illi obtulimus bonorum operum fructibus, propitius nobis fieri dignetur. Seruatúrque eadem pecunia in vſum, cùm ex bonis iuſtorum actibus, ſequentium in Chriſto fidelium mores actúſque confirmantur, ac tales fieri minores quique contendunt, quales fuiſſe eos quos cum domino regnare agnoſcunt. Notandum ſanè, quòd pecunia numerata, non iuxta æſtimationem vulgi, ſed iuxta menſuram templi erat danda. Menſura nanque templi, diſpoſitio eſt diuinæ legis, quam in Eccleſia ſua dominus ſeruari præcepit, & cuius tantum obſeruantiæ æterna in futuro præmia promittit. Cæterùm ſi iuxta placitum humanæ voluntatis deo ſeruire nititur iſte, qui menſuram iuxta pecuniam ſuæ deuotionis non obtulit, reprobata & abiecta oblatione, plaga vltimæ animaduerſionis ferietur. CYRILLVS LIBRO SECVNDO SVPER IOANNEM. Vel lex
D à ſingulis Iudæorum medietatem didrachmi, vt vertunt Septuaginta, quaſi tributi loco deo offerri iubebat, nõ quoniam pecuniam deo colligere vellet, ſed quòd per figuras maiora doceret. Primùm quia nemo ſui capitis dominus eſt, ſed vnum omnes habemus dominum, quem tributi depoſitione profitemur, deinde in re corporali ſpiritale tributum deſcribebat. Honora (inquit) dominũ ex tuis iuſtis laboribus, & primitias ei offeras à tuis fructibus iuſtitiæ, quod iam Euãgelica doctrina, cultu legali ceſſante effectũ eſt. Nõ tantũ enim corruptibili materia & exteriore colendum eſſe deum arbitramur, didrachmum attribuentes, ſed vt veri adoratores in ſpiritu & veritate adoramus, hunc ſenſum in lege illa latuiſſe putãdum eſt. IDEM. Sed & præfinit deus qui recenſendi ſint, hoc eſt, à viginti annis & ſuprà, vt indicet quicquid imbelle eſt ac molle atque imperfectum, deo minimè placere poſſe, tum etiam ſanctorum virorum opera, Eccleſiæ maximè vtilia eſſe. AVCTOR CATENAE. Sed & illud pariter notandum eſt, fideles non integrum ſiclum, ſed dimidium offerre, nam charitas imperfecta eſt, dum peregrinamur in hoc ſeculo, perficienda autem in cœlo.

E LOcutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, *Facies & labium æneum cũ baſi ſua ad lauandum, ponéſque illud inter tabernaculum teſtimonii & altare. Et miſſa aqua lauabũt in ea Aaron & filii eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerãt in eo thymiama domino, ne fortè moriantur. Legitimum ſempiternum erit ipſi & ſemini eius per ſucceſsiones.* 3

AVCTOR CATENAE. Profectò verbũ illud verũ eſt quo dicitur, quicquid bonæ diſciplinæ, quicquid 3
laudabilis conſuetudinis etiam apud exteras gentes in humanis eſt, à lege domini fuiſſe deſumptum. Vt autem noueris, ſicut ſpecies quædam ſacrificiorum, ita etiam aliarum cæremoniarum à Patriarchis & à lege Moyſi ad gẽtes deriuatas fuiſſe, vide quid dicat Heſiodus de lauandis manibus priuſquam ſacra acceſſeris, Nunquam (inquit) mane Ioui aut aliis diis libes ardens vinum illotis manibus. Non enim audiunt, ſed abominantur preces, videlicet, ſi ſacra irreuerenter acceſſeris. Quod profectò ex hoc loco & non aliunde, in morem veniſſe etiam gẽ-
F tibus credendum eſt. Vt igitur dominus non ſolùm internam verùm etiam externam munditiem ſibi fore gratam oſtenderet, eo quòd publica eſt honeſtas, & pædagogia quædam qua admonemur & exercemur ad ſectandam animi puritatem, prophanæ autem mentis eſt, publicam honeſtatem negligere, & nullo exercitij genere ad veram munditiem contendere, præcipit hoc in loco dominus de æneo labio conſtruendo, in quo dum eſſent ſacra domino facturi ſacerdotes, priuſquam tabernaculum ingrederentur, manus pedéſque lauarent. De hoc itaq; talis eſt ſermo. *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, Facies & labium æneum cum baſi ſua ad lauãdum, ponéſque illud inter tabernaculum teſtimonij & altare.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur concha loco labij, quæ in ſpatio inter tabernaculũ & altare holocauſtorum erat. AVCTOR CATENAE. Hebraicè eſt dictio כִּיּוֹר Ciior, quæ & concham ſiue labrum, aut ſolium, id eſt, vas in quo erat aqua ad lauãdum ſignificat, vel lauacrum quod fiſtulas multas habet, per quas emittitur aqua. Septuaginta λουτῆρα dicũt, hoc eſt, peluim. Chaldaica verò luterẽ. Abluẽda ergo iugiter erant in cultu dei ac cæremoniis corpora tam ſacrificantium ſacerdotum, quàm hoſtiarum carnes.

Ideo

Ideo conficienda præcipitur concha ænea ſuper baſe ænea ad introitum tabernaculi. Nimirum in forma, quam G nunc dominus Moyſi præformat in viſione, qualem & poſtea licet capaciorem extruxit Salomon, vt nunquam quiſquam contingeret quicquam de vaſis templi intraturus tabernaculum, niſi priùs manibus lotis & pedibus, alioqui ob ſuam immunditiam diuino iudicio moriturus. *Et miſſa* (inquit) *aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama domino, ne forte moriantur.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et pones in ea aquam. Et lauabunt Aaron & filij eius de ipſa manus & pedes ſuos. Non ergo in ipſa concha, ſed ex ipſa lauabant manus & pedes pontifex & ſacerdotes. Modus autem non eſt aliter ſcriptus, ſed hinc inſinuatur, quòd per fiſtulam quæ claudi poterat & aperiri, fluebat ex concha aqua ad abluendum manus & pedes. Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij. Deſunt multæ dictiones, nam in Hebræo ſubditur, Lauabunt aquis, & non morientur. Pœna ergo mortis incurrebatur omittendo ablutionem manuum & pedum, & ingrediendo tabernaculum. Et quando (inquit) ac- H ceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama domino. Iuxta Hebræum, Vel appropinquando ad altare ad ſeruiendum, ad faciendum thurificare incenſum domino. Coniunctio diſiunctiua teſtatur, quòd de altari holocauſtorum eſt ſermo, nam ſub ingreſſu in tabernaculum continentur ſeruitia quæ pertinent ad altare thymiamatis & candelabri & menſæ propoſitionis. Hæc igitur quæ diſiunguntur ab ingreſſu in tabernaculum, ad altare quod erat extra tabernaculum referuntur, in quo holocauſta, & quæ per modum holocauſti offerebantur, adinſtar thuris incendebantur ſummo deo. Ex quibus elicitur, quòd nudis pedibus ſacrificabant ſacerdotes in altari holocauſtorum, & miniſtrabant in tabernaculo, ad hoc enim lauabantur eorum pedes. Placuiſſe ſiquidem deo tale venerationis genus apparet ex eo, quòd Moyſi cùm primùm apparuit in rubo, mandauit vt denudaret pedes ſuos propter ſanctitatem loci. Sed cerne mutationem, nam totum oppoſitum fit in nouo Teſtamento. Pontifex enim ille tecto capite, nudis verò pedibus ſacrificabat, noſter verò Pontifex nudo capite, calciatus autem non ſolùm pedes, ſed tibias ſacrificat. Ne fortè, ait, moriantur. In Hebræo repetitur, Et I lauabunt manus & pedes ſuos, & non morientur. Eadem enim pœna definitur relatiuè ad altare holocauſtorum, quæ definita fuerat relatiuè ad ingreſſum tabernaculi. AVCTOR CATENAE. Quod nos, Et miſſa aqua lauabũt in ea legimus, Hebraicè habetur וְנָתַתָּ שָׁמָּה מָיִם: וְרָחֲצוּ אַהֲרֹן וּבָנָיו מִמֶּנּוּ Venathatta ſamma máim: Verachazu Aharon vbanaf miménnu, Et pones ibi aquam. Et lauabunt Aaron & filij eius ex eo. Subaudi labio. Vertunt alij, Et fundes in ipſo aquam: lauabunt enim Aaron & filij eius ex eo. Alij, Et fundes in ipſum aquam, vt Aaron & filij eius ex eo lauent. Quidam, Et pones ibi aquam. Et lauabunt Aaron & filij eius ex ea. Septuaginta, καὶ ἐκχεεῖς εἰς αὐτὸν ὕδωρ. καὶ νίψεται Ἀαρὼν & οἱ υἱοὶ αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ, Et effundes in illam (nempe prædictam peluim) aquam, & lauabit Aaron & filij eius ex ea. Chaldaica, Et pones ibi aquas, & ſanctificabunt Aaron & filij eius ex eo manus, &c. Sed hæc omnia vnum ſunt cum litera noſtra. Deinde poſt verba illa, Quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, deficiunt quædã verba, quæ huiuſmodi ſunt in Hebræo, וְרָחֲצוּ מַיִם וְלֹא יָמֻתוּ Irchazu máim velo iamúthu, Lauabunt ſe aqua, & non morientur, ſiue vt non moriantur. ſic & Septuaginta. Chaldaica etiam, Sanctificabuntur aquis, & non morientur. Quæ verba vltima poſtpoſuit Interpres, & K paulò infrà conuenienti loco aptauit, vt ſeruirent, ſiue cùm ingrederentur Aaron & filij tabernaculum fœderis, ſiue cùm erant adoleturi incenſum. Poſt etiam verba illa, Et quando acceſſuri ſunt ad altare, in Hebræo ita legitur: לְשָׁרֵת לְהַקְטִיר אִשֶּׁה לַיהוָה Leſareth, lehaktir iſſe laihoua, Ad miniſtrandum, ad incendendum oblationem ignitam domino, Quòd idẽ eſt cum eo quod Interpres noſter vertit, vt offerãt in eo thymiama domino. Vertunt alij, Vt miniſtrent & adoleant incenſum, ſiue ignitum ſacrificium domino. Aliqui, Vt miniſtrent, vt ſuffiant oblationem ignitam domino. Septuaginta, λειτουργεῖν καὶ ἀναφέρειν τὰ ὁλοκαυτώματα κυρίῳ, Ad miniſtrandum & offerendum holocauſta domino. Chaldaica, Ad miniſtrandum, vt incendatur oblatio coram domino. Quæ omnia vnum dicunt. Poſt quæ verba ſequitur in Hebræo וְרָחֲצוּ יְדֵיהֶם וְרַגְלֵיהֶם וְלֹא יָמֻתוּ Verachazu iedehem veraglehem velo iamúthu, Et lauabunt manus ſuas & pedes ſuos, & non morientur, ſiue vt non moriantur. Quæ quidem replicatio à docto Interprete omiſſa eſt, quoniam ſatis ſuprà dictum fuerat, Et miſſa a- L qua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes. Septuaginta, & ipſi repetitionem tranſtulerunt, legentes, νίψονται τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ὕδατι, ἵνα μὴ ἀποθάνωσιν, Lauabunt manus & pedes ſuos aqua, vt non moriantur. Chaldaica, Sanctificabúntque pedes ſuos & manus ſuas, & non morientur. Quo *in loco* animaduertere licet, quanta cum elegantia Interpres noſter locum tranſtulerit, nihil de ſenſu imminuens, & replicationes tot euitans, quæ licet Hebraico idiomati familiares ſint, attamen Latinis non ita amabiles. Quoties itaque (inquit dominus) ingredientur Aaron & filii tabernaculum fœderis, quoties miniſtrabunt in altari, quoties incendent incenſum domino, toties manus & pedes ſuos ex labio lauabunt, vt congruè & decenter ſacerdotio fungantur mihi. Quòd ſi præcepti huius tranſgreſſores fuerint, duplici morte obnoxii erunt, & temporali in hoc mundo, & æterna in altero. Ex hoc deducunt quidam, quod ſacerdotes Hebræorum nudis pedibus ingrediebantur tabernaculum, & nudis egrediebantur, nudis etiam in altari miniſtrabant, quódque bis in die lauabat ſe ſummus ſacerdos, quoniam mane & veſpere ingrediebatur ad aptandas lucernas in candelabro, & ad offeren- M dum iuge ſacrificiũ. *Legitimum ſempiternum erit ipſi & ſemini eius per ſucceſſiones.* Et hîc ſunt dictiones חָק עוֹלָם Chak holam. Vnde vertunt alii, Eritque hoc illis ſtatutum, ſiue pactum, vel ritus perpetuus, aut perpetuum, ſcilicet ei & ſemini eius, vel poſteritati eius, in, ſeu per generationes ſuas, Aut, in generationibus eorum, ſiue, per poſteritates ſuas, hoc eſt, quãdiu viuent, perpetuò obſeruabitur ab illis hæc lotio. Quæ verba iam toties expoſita ſunt, vt ſuperfluum ſit vlterius in eis immorari.

*Myſticè. Cap. 14.* BEDA. Poteſt quidem hoc labio ſiue labro, vt in ſequentibus appellatur, principaliter aqua baptiſmatis intelligi, cuius lauacro neceſſe eſt purgentur omnes qui Eccleſiæ ianuas ingrediuntur. Verùm quia inter tabernaculum teſtimonii & altare holocauſti poſitum eſt, quia bis quotidie iidem ipſi ſacerdotes, hoc eſt, mane & veſpere cùm ingrederentur ad altare thymiama domino oblaturi, in eo lauari præcepti ſunt, aqua autem baptiſmi non niſi ſemel lauari valemus, conſequentiùs labrum hoc oblationem nobis compunctionis &



A & lachrymarum commendat, qua ſemper opus habemus, maximè autem cùm myſteriis cœleſtibus miniſtraturi appropiamus. Quia enim altare holocauſti, in quo carnes victimarum domino incendebantur, extinctionem deſignat carnalium concupiſcentiarum per ignem ſpiritus ſancti, altare verò thymiamatis puritatem ſignificat eorum qui ſopitis per omnia carnis illecebris, ac certamine vitiorum pacato, pro ſola expectatione ac deſiderio cœleſtis introitus lachrymas fundunt amoris, rectè prope altare holocauſti labrum ponitur, in quo abluti ſacerdotes ingrediantur tabernaculum, & thymiama domino incendant. Duobus nanque modis lachrymarum & compunctionum ſtatus diſtinguitur, quia primò neceſſe eſt quiſque ad dominum conuerſus, pro his quæ commiſit peccatis, veniam fuſis lachrymis precetur. Quòd ſi comitantibus dignis pœnitentiæ fructibus longo tempore perfecerit, reſtat vt ſecurior de accepta peccatorum venia effectus, iam deſideriis inhiantibus oportet venire tempus, quo mereatur inter beatiſsimos angelorum choros fa-
B ciem videre ſui creatoris. Quod qui veraciter agit, nequaquam abſque lachrymis, vel huius vitæ longitudinem, vel illius tolerat dilationem, dicens de iſta, Heu me, quòd incolatus meus prolongatus eſt: habitaui *Pſal.119.* cum habitantibus Cedar, id eſt, cum his qui in tenebris errorum ac ſcelerum verſantur, quod vocabulum Cedar ſonat, ipſe iam perpetuæ lucis gaudia ſuſpirans, multum laborioſam duxi vitam, qui quantum cœleſtem patriam ſitio, tantùm vicinam prauorum inter quos incola conuerſor, horreo. Dicens item de illa, Sitiuit a- *Pſal.41.* nima mea ad deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem dei. Quam profectò ſitim, quia ſine lachrymis ferre nequibat, ſequentia verba declarant, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ac ſi apertè diceret, quô diutiùs à videnda facie dei, ad quem ardenter ſitio, differor, eò dulciùs pane lachrymarum, quas in eius memoriam fundo, reficior. Igitur altare holocauſti lachrymas inſinuat pœnitentium de peccatis quæ geſſerunt. Altare incenſi fletus exprimit gaudentium de bonis operibus, quæ domino iuuante perfecerunt, ac deſiderantium præmia, quæ ſe accepturos domino remunerante confidunt. Qui nimirum fletus tã-
C tùm præcellit priorem, quantum æramento aurum, quantùm ſancta ſanctorum vbi erat arca domini, priori tabernaculo, in quo candelabrũ & menſa domini ſtabat fuiſſe cõſtat prælata. Poſt altare verò holocauſti, labrum erat poſitum, in quo lauarentur qui ad altare incenſi intrabant, quia nemo repentè fit ſummus, ſed proficientibus meritis, quiſque primò debet bella vitiorum deuincere, deinde à conditore ſuo cùm compunctione lachrymarum ſupplex impetrare, vt pro ingreſſu regni dulces fundere fletus poſsit, qui pro timore pœnarum pridem fundebat amaros. Quid autem baſis in qua idem labrum erat impoſitum, aptiùs quàm ipſum deſiderium regni & vitæ cœleſtis accipiatur, cuius nimirum cauſa tanta fit, vt perfecti ac ſummi viri quotidiano ſe lachrymarum fonte diluant, & quòd necdum perfectè videndo valeant gaudium internæ quietis, ſaltem ſuſpirando deguſtent. Nam quia hoc lauacro quod inter tabernaculum & altare poſitum eſt, perfectorum lachrymæ figurentur, teſtantur ipſa verba quibus dicitur, Et miſſa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes. Neque enim quiſquam de plebe illa ibi lauari, ſed ipſe pontifex iuſſus eſt & filij eius, videli-
D cet ſacerdotes gradus inferioris, quod magnorum virorum ſicut perfectior vita, ſic & compunctio ſolet eſſe ſublimior. Non autem hoc ita dicimus, quaſi ſoli altaris miniſtri huiuſmodi compunctionis vel poſsint habere, vel debeant virtutem, ſed memores ſermonis beati Petri apoſtoli quo cunctis fidelibus loquens, de *1.Pet.2.* angulari lapide, qui eſt Chriſtus, ait, Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritales, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias. Et quod Ioannes in Apocalypſi, Beatus inquit, & ſanctus, *Abac.2.* qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes dei & Chriſti, admonemus omnes fideles myſtico ſacerdotum nomine cenſeri, vtpote membra Chriſti, videlicet ſacerdotis æterni. Quibus etiam beatus Apoſtolus Paulus, quid victimarum offerre debeant oſtendit, dicens, Obſecro vos fratres per miſericordiam dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, *Rom.12.* deo placentem. Non ergo ſolùm miniſtris ſacri altaris, ſed & omnibus perfectis in quocunque gradu poſitis hoc lauacrum poſuit Moyſes, quia lex dei generaliter cunctis fidelibus gratiam ſalutiferæ compunctionis
E prædicauit. Quòd ſi in perſona Aaron ipſum magnum pontificem dominum ſaluatorem accipere volumus, conſtat etiam eum huius aqua labri priuſquam ad altare oblaturus intraret, eſſe lotum, quia priuſquam thymiama ſui ſacroſancti corporis propter ſalutem noſtram in altari crucis incenderet, pro noſtro amore etiam lachrymas fudit, quod in reſurrectione Lazari celeberrimè innotuit. Bene autem additur, Vt offerant in eo thymiama domino, ne fortè moriantur. Mors etenim timenda eſt animæ ſpiritalis & æterna, ſi quis ad miniſterium altaris electus, thymiama orationum deo reddere negligit. Mors timenda eſt, ſi quis ad ſacroſancta myſteria abſque ſpeciali ablutione compunctionis intrare, & ſancta domini communibus manibus tractare preſumit. Lauẽt ergo manus ſuas ac pedes in aqua labri ænei, & ſic ad altare accedãt. Abluant lachrymis actus & inceſſus, ac deinde manus ad contingenda Chriſti myſteria proferant, pedúmque greſſus in atria domini ponant. Quod æquè præceptum reor his qui eorũdem ſacramentorũ perceptione mundandi ſunt, vt cautiore cura priùs actus ſuos cogitatúſque diſcutiant, euentilent, purgent, ac ſic ad participanda fidei ſacramenta procedant, ne au- *1.Cor.11.*
F dire mereantur illud Apoſtoli, Quicunque enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini, id eſt, nequaquam edulium vini, panis & communium eſcarum vilitate cauta & ſolicita mente ſecernens. Hæc de labro & introitu ad altare poſſunt etiam hoc modo multum vtiliter accipi, quamuis principaliter illud altare interna orationum ſpiritalium vota ſignificet. Diligentiùs verò intuendum eſt quòd in cõcluſione ſubiungitur, Legitimum ſempiternum erit ipſi & ſemini eius per ſucceſsiones. Et ſi enim labrum ſiue altare quod fecit Moyſes ablatum, ſi ſacerdotium quod conſtituit nouo Eccleſiæ ſacerdotio mutatum eſt, nihilominus ſempiternum manet legitimum lauacri & incenſi ſpiritalis in vita fidelium quòd per thymiama illius altaris, aquámque illius labri typicè ſignatum eſt, ſicut & plura alia quæ lex fieri iuſsit, ſiue perpetuò agenda, vel celebranda prædixit, ad literam quidem obſeruari ceſſarunt, ſed iuxta typicam intelligentiam ſpi- *Matth.5.* ritaliter obſeruari à ſanctis nunquam ceſſabunt, teſtante illo qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere, quia iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiãt. Nam & noſtra humilitas ad illud ſemen pertinet;

net, de quo dictum est, Quia legitimum sempiternum erit ipsi & semini eius per successiones: non quidem de G
Gen.23. Aaron stirpe nascendo, sed credendo in eum in quem Aaron cum sanctis eius æui credidit, de quo promissum est Abrahæ, Quia in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Quarum mentionem familiarum faciens,
Esa.6. Esaias ait, Omnes qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit dominus. AVCTOR CATENAE. Vel lauacrum quo solo fideles mundantur in Ecclesia, & mortem euadunt, Christus est, & per eum ad fideles dei gratia, per quam & peccatorum remissionem, & mentis innouationem consequũtur. Sed & lachrymarum & pœnitentiæ lotiones quotidianæ, & perpetua innocentis vitæ meditatio, hoc labio intelliguntur. Quin & sacramentalis confessionis purificationem exprimit, qua sacerdotum Christi manus & pedes lauari, hoc est, opera & affectiones mundari debent, quando ad offerendum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in altari sunt accessuri. Sunt & qui in labro hoc baptismum sacramentorum omnium ianuam expressum dicant, quo nisi quis lotus fuerit, non potest ad tractanda sacra legitimè accedere. Nisi enim quis lauacro H
aquæ per fidem in Christum à peccatis suis purgatus fuerit, nihil verè & debitè sacrorum facere potest, non inuocare deum, non diligere proximum, non patienter ferre aduersa. Hæc enim sacra sunt, quæ deus à nobis, puris & sanctis exigit.

4 *LOcutúsque est dominus ad Moysen, dicens, Sume tibi aromata primæ Myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta siclos, casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarii, oleum de oliuetis mensuram Hin: Faciésque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti, mensámque cum uasis suis, candelabrum & utensilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & uniuersam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet, sanctificabísque omnia, & erunt* I
*sancta sanctorum. Qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios eius unges, sanctificabísque eos ut sacerdotio fungantur mihi. Filiis quoque Israël dices, Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes uestras. Caro hominis non ungetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit uobis. Homo quicunque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.*

4 AVCTOR CATENAE. Quia suprà iusserat dominus Moysen consecrare Aaron & filios eius chrismate, docet hîc ex quibus rebus sacrum chrisma confici debeat. Conficitur autem preciosissimis aromatibus, ac seueriss imè mandatur, ne hoc chrisma aut aliud huic simile, in vsus prophanos vsurpetur. Quæ seueritas externæ obseruationis necessaria fuit etiam in populo Iudæorum, vt sacra non prophanarentur, K
& ministerium Ecclesiasticum non vilescereet. Verùm de hoc quid statuat dominus, sancta ipsa lectio doceat. *Locutúsque est* (inquit) *dominus ad Moysen, dicens, Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarij, oleum de oliuetis mensuram Hin.* HIERONYMVS AD PRINCIPIAM VIRGINEM. Legimus vnguentum sacerdotale, cuius & Dauid meminit, Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. In quo cum cæteris aromatibus miscetur & stacte. Narrant autem & hi qui aromatum nouere virtutes, stacten florem esse myrrhæ. Quòd autem sequitur, casia, est ipsa quæ ab aliis σύριγξ, id est, fistula nuncupatur. STRABVS. σμύρνα Græcè, Latinè dicitur myrrha, quæ est arbor in Arabia quinque cubitorum, cuius virgulta Arabes exurunt, vt melius pullulent & fructificent. Ex quorum nidore incurabiles morbos contraherent, nisi fumo storacis occurrerent. Huius arboris gummi, propriè stacte vocatur, abusiuè autem myrrha. Calamus verò cinamomi est virgultum, & in India vel L
Aethiopia nascitur, duorum tantùm cubitorum. Dicitur autem cinamomum, quia in modum cannæ subtiles & replicatos habet calamos, cinerei vel nigri coloris, qui fracti visibile spiramentum reddunt, & subtile quidem carum, grossum verò vile & despectum. AVCTOR CATENAE. Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ, id est, liquidissimæ & purissimæ. Hebraicè legitur וְאַתָּה קַח לְךָ בְּשָׂמִים רֹאשׁ מָר דְּרוֹר חֲמֵשׁ מֵאוֹת Veatta kach lecha besamim ros, mar deror chames meoth, Et tu sume tibi aromata capitis, myrrhæ liberæ quingentos, scilicet siclos. Aromata capitis vocat præcipua, primæ notæ, & optima. Myrrham autem liberam, intelligit carentem mixtura, id est, non adulteratam, solet enim frequenter adulterari, vt tradit Plinius. Quasi dicat myrrham illam optimam, quæ liberè transit per manus mercatorum. Vel, Et tu accipe tibi aromata præcipua, aut odoramenta præstantissima, myrrhæ liberæ seu sponte fluentis quingentos. Verùm quia dictio דְּרוֹר Deror, non solùm libertatem, verùm etiam electionem significat, Verterunt alij, Sume tibi aromata præcipua, myrrhæ purissimæ, siue exquisitæ quingentos. Septuaginta, καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα ἀ ἄνθος M
σμύρνης ἐκλεκτῆς πεντακοσίους σίκλους, Et tu cape aromata florem myrrhæ electæ quingentos siclos. Chaldaica, Tu autem sume tibi aromata primæ myrrhæ mundissimæ quingentos siclos. Quæ omnia à Latinæ versionis sensu non deuiant. Sequitur, Et cinamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos. In Hebræo est וְקִנְמָן בֶּשֶׂם מַחֲצִיתוֹ Vekinneman bêsem machazitho, Et calami aromatis siue aromatici (id est, cinamomi optimi siue odorati) dimidium eius, scilicet myrrhæ. Sic & Chaldaica. Et quamuis dictio siclus non adsit in Hebræo, ad singulas tamen species videtur subaudienda. Septuaginta, καὶ κινναμώμου ἐυώδους ἀ ἥμισυ τούτου, Et cinamomi odoriferi dimidium huius. Sequitur, Et calami similiter. Dictio similiter, ab Interprete addita est, Sed in Hebræo est בֶּשֶׂם Bósem, aromatici, Vt dicatur, Et calami aromatici ducentos & quinquaginta siclos, Sic habet & Chaldaica. Septuaginta, καὶ καλάμου ἐυώδους, Et calami odoriferi, &c. Sed hoc parum est. In pondere sanctuarij, siue in siclis sanctuarij, quod est idem. Hebraicè enim est בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Besékel hakódes,

Et oleum



A Et oleum de oliuetis, siue oliuæ mensuram Hin, quod Septuaginta dixerunt vnum. Mensura autem est Aegyptiaca, duodecim logim continens, id est, vt vertit Interpres, sextarios. Log autem est mensura quæ tantum capit, quantum sex ouorum testis contineri potest. De quibus in superioribus multa dicta sunt. Ex omnibus igitur supradictis addito oleo oliuarum mensuræ Hin, opere vnguentarij conficiebatur vnctionis oleum, non ad totum tabernaculum inungendum, sed ad stigmata signandum passim, vnde sequitur: *Faciésque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarij, & unges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensámque cum uasis suis, candelabrum & utensilia eius, altaria thymiamatis & holocausti, & uniuersam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet, sanctificabísque omnia, & erunt sancta sanctorum. Qui tetigerit ea, sanctificabitur.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæst.135.* Aduertendum & notandum, quemadmodum vnguento chrismatis omnia iusserit vngi, tabernaculum scilicet, & ea quæ in illo erant, & deinde erunt sancta sanctorum. Quid igi-
B tur distabit iam inter illa interiora quæ velo teguntur, & cætera, si omnia cùm vncta fuerint, erunt sancta sanctorum, diligentiùs requirendum, hæc tamen notanda crediderimus, vbi etiam meminerimus, quòd sicut de illo altari sacrificiorum quod post vnctionem appellari voluit sanctum sancti, continuò dictum est, Omnis qui tangit illud, sanctificabitur, ita de omnibus postea quæ de illo vnguento vncta, dicta sunt sancta sanctorum, eadem sententia subsecuta est, vt diceretur, Omnis qui tangit ea, sanctificabitur. Quod duobus modis intelligi potest, siue tangendo sanctificabitur, siue sanctificabitur vt ei liceat tangere, si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando offerebat hostias, vel quæcunque ab eis oblata offerebantur deo. THOMAS. Sanctificabísque omnia, & erunt sancta sanctorum. Qui tetigerit ea, sanctificabitur. Scien- *2.2.q.81. ar.8.in cor.*
dum quòd nomen sanctitatis duo videtur importare. Vno quidem modo munditiam. Et huic significatio-
ni competit nomen Græcum. Dicitur enim agæos, id est, sine terra. Alio modo importat firmitatem. Vnde
apud antiquos sancta dicebantur quæ legibus erant munita, vt violari non deberent. Vnde & dicitur aliquid
C esse sanctum, quia est lege firmatum. Potest etiam secundum Latinos hoc nomen sanctus ad munditiam pertinere, vt intelligatur sanctus quasi sanguine tinctus, eo quòd antiquitùs illi qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur, vt Isidorus dicit in libro etymologiarum. Et vtraque significatio competit, vt sanctitas attribuatur his quæ diuino cultui applicantur, ita quòd non solùm homines, sed etiam templum, & vasa & alia huiusmodi sanctificari dicuntur ex hoc quòd cultui diuino applicantur: munditia enim necessaria est ad hoc quòd mens deo applicetur, quia mens humana inquinatur, ex hoc quòd inferioribus rebus coniungitur, sicut quælibet res ex immixtione peioris sordescit, vt argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quòd mens ab inferioribus rebus abstrahatur ad hoc quòd supremæ rei possit coniungi. Et ideo mens sine munditia deo applicari non potest. Vnde ad Hebræos duodecimo dicitur, Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit deum. Firmitas etiam exigitur ad hoc quòd mens deo applicetur. Applicatur enim ei sicut vltimo fini & primo principio, huiusmodi autem oportet maximè im-
D mobilia esse. Vnde dicebat Apostolus Romanorum octauo, Certus sum, quòd neque mors neque vita separabit me à charitate dei. Sic ergo sanctitas dicitur per quam mens hominis seipsam & suos actus applicat deo. Vnde non differt à religione secundum essentiam, sed solùm ratione. Nam religio dicitur secundum quod exhibet deo debitum famulatum in his quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum, sicut in sacrificiis, oblationibus & aliis huiusmodi. Sanctitas autem dicitur, secundum quòd homo non solùm hæc, sed aliarum virtutum opera refert in deum, secundum quòd homo se disponit per bona quædam opera ad cultum diuinum pertinentia. CAIETANVS. Sanctificabísque omnia, & erunt sancta sanctorum. Si toties repetitum hoc epitheton perpenditur, apparebit ideo communicatum, quia illa quibus communicatur, habent quandam vim sanctificandi alia, vt quemadmodum altare sanctificat oblata super ipsum, ita hæc omnia sanctificent ea quibus adhibentur, & quæ eis adhibentur. Concha enim sanctificabat aquam, & sic de aliis. Propterea subditur iuxta Hebræum, Omne tangens ea sanctificabitur. Et dicitur hoc, ne aliquis
E præsumat vti vasis & instrumentis istis & contentis in eis, immò tactis ab eis, ad prophanos vsus. AVCTOR CATENAE. Faciésque vnctionis oleum sanctum, addendum, ex eo. Est enim in Hebræo אֹתוֹ Otho, Id est, ex omnibus his aromatibus confusis, facies sanctæ vnctionis vnguentum. Opere vnguentarij, id est, arte apothecarij confectum. Post hæc autem verba. Sequitur in Hebræo, שֶׁמֶן מִשְׁחַת קֹדֶשׁ יִהְיֶה Sémen mischath kódes ihie, Oleum vnctionis sanctæ erit, sic & Chaldaica, sic & Septuaginta, ἔλαιον χρίσματος ἅγιον ἔσαι, Oleum chrismatis sanctum erit. Vertunt alij, Vnguentum sanctum erit. Alij, Oleum vnctionis sanctificationis erit. Quæ verba dimisit more suo Interpres, vt vitaret repetitionem. Et vniuersam supellectilem quæ ad eorum cultum pertinet. Altarium holocausti subaudi, & incensi, quod tameu Hebræum ad solum altare holocausti refert, inquiens, וְאֶת כָּל כֵּלָיו Veeth col chelaf, Et omnia vasa eius, videlicet altaris immediatè præcedentis. Post quæ verba legitur in Hebræo, וְאֶת הַכִּיֹּר וְאֶת כַּנּוֹ Veeth haciior veeth cano, Et concham vel labrum, & basim eius: sic & Chaldaica, Et luterem & basim eius, sic & Septuaginta, καὶ τὸ
F λουτῆρα, καὶ τὴν βάσιν αὐτου, id est, Et peluim & basim eius. Et erunt sancta sanctorum, id est, sanctissima. Alij vertunt, Sanctificatio sanctificationum, quod est idem. Qui tetigerit ea sanctificabitur, vel sanctus erit, id est, omnis vir tangens, mundus erit. Alij legunt, Quicquid tetigerit ea, sanctum erit, hoc est, ea re quæ tetigerit sanctificata, non licebit vti in rebus priuatis, sed tantùm in sacris. Septuaginta & Chaldaica sicut Interpres noster legunt. Ex omnibus igitur (inquit) his mixturis vnctionis oleum conficies, prout periti artifices in compositione vnguentorum facere solent, quo tabernaculum, atriúmque, ac omnia in eis contenta digito delinies, consecrabísque & diuino cultui aptabis, ita vt amplius in communem hominum vsum non veniant. Et qui idoneus erit horum aliquid contingere, ex tactu ipso sanctificationem quandam habitudinémque ad deum adipiscetur. Vel ministri altaris, si voluerint ipsa tangere, priùs seipsos sanctificare, hoc est, mundare & purificare opus erit. *Aaron & filios eius unges, sanctificabísque eos vt sacerdotio fungantur mihi.* Aliter tamen & aliter. Nam Aaron in capite & manibus, filij autem eius in manibus tantùm (vt nonnulli asse-

runt

runt) erant inungendi. Alij verò dicunt, quòd minorum ſacerdotum manus non vngebantur, ſed quadam G tantùm mixtione de oleo vnctionis, & arietis conſecrationis ſanguine facta, ipſi & veſtes eorum aſpergebantur, vt ſuprà vigeſimo nono, & Leuitici octauo habetur. AVGVSTINVS. Conſequenter non ſolis ſacerdotibus, neque ſolis Leuitis dicendum admonet, quòd ait ad Moyſen, *Filiis quoque Iſrael dices.* vtique filij Iſraël totus ille populus erat. Iubet autem illis dici, *Hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.* Vel iuxta aliam literam, Oleum linitio vnctionis ſanctum erit hoc vobis in progenies veſtras. Super carnem hominis non linietur, & ſecundum compoſitionem hanc non facietis aliud, quia ſimiliter ſanctum eſt, & ſanctificatio erit vobis. Quicunque fecerit ſimiliter, & quicunque dabit de eo exteræ nationi, interibit de populo ſuo. Iubet igitur non ſolis ſacerdotibus, ſed vniuerſo populo Iſraël, vt non faciant tale vnguentum in vſus humanos. Hoc eſt enim quod ait, Supra carnem hominis non linietur. Prohibet ergo ſimile fieri in vſus ſuos, & interitum minatur, ſi H quiſquam ſimiliter fecerit, id eſt, vnguentum ad vſus ſuos, ſimiliter ſi ſimile confecerit, vel cuiquam hinc dederit exteræ nationi. Ac per hoc quod ait, ſanctificatio erit vobis, cum hoc populo Iſraël vniuerſo dici iubet, non video quid intelligam, niſi quia licebat eis quando veniebant cum ſuis quiſque muneribus, tangere tabernaculum, & tangendo ſanctificabantur propter illud oleum quo cuncta peruncta ſunt, & hinc dictum, Omnis qui tangit ſanctificabitur, non tamen ſic quemadmodum ſacerdotes, qui vt æterno ſacerdotio fungerentur, vngebantur ex illo. CAIETANVS. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. Non ſolùm prohibetur eiuſdem rationis vnguentùm fieri, ſed etiam factum dari cuicunque extraneo. Alienum autem hîc intellige, non ſacerdotem. AVCTOR CATENAE. Hoc oleum vnctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras, id eſt, hoc vnguentum pro ſacroſancto habebitis, neque vobis eo aliter quàm in ſacris meis vti licebit, nempe cùm vngetis ſacer- I dotes. Legunt aliqui, Oleum hoc vnctionis ſanctæ, meum erit in generationes veſtras, hoc eſt, meo tantùm cultui deputatum. Sed eſt idem cum litera noſtra. Et iuxta compoſitionem eius non facietis aliud, id eſt, iuxta proportionem numeri & menſuræ illius. Alij dictionem בְּמַתְכֻּנְתּוֹ Bemathcunto, quæ eſt Mathcóneth, à verbo thachan, quod eſt parare, componere & appendere, vertunt in ſimilitudine eius, dicentes, Nec facietis ſibi ſimile in illa compoſitione. Vnde & Chaldaica, Et iuxta ſimilitudinem eius non facietis aliud ſicut illud. Alij, Nec talem compoſitionem facietis, qualis hæc eſt. Sic & Septuaginta. Demum quidam, Et ſecundum ſummam eius non facietis ſicut illud. Quæ ſimiliter omnia idem dicunt cum litera noſtra. Quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Hebraicè eſt, קֹדֶשׁ הוּא קֹדֶשׁ יִהְיֶה לָכֶם Kódes hu kódes ihie lachem, Sanctum eſt, ſanctúmque erit vobis. Sic & Chaldaica, hoc eſt, quia vnguentum hoc ſanctum eſt, ideo pro ſacroſancto illud habebitis, neque prophanabitis vtendo ad alios vſus quàm ad meos. Legunt alij, Eſt enim ſanctum, & ſanctum erit vobis. Alij, Sancta enim eſt (ſubaudi dicta compoſitio) & ſancta vo- K bis eſto. Nonnulli, ſanctificatio ſeu ſanctum eſt, & ſanctificatio erit vobis. Sic & Septuaginta. Verùm & hæc idem dicunt cum Latina editione. Et dederit ex eo alieno, ſiue poſuerit ex eo ſuper alienum, id eſt, qui eo vnxerit illum qui non fuerit ſacerdos, aut ex genere ſacerdotali. Vel ſuper alienum, id eſt, res alienas, vt non referatur ad perſonas, ſed alias res. Vt prohibeatur non ſolùm ad vſum hominum, ſiue indigenarum, ſiue alienigenarum, ne adhibeatur ea vnctio, ſed ne ad alias quidem res. Oleum itaque iſtud, vel ſimiliter confectum aliud, præcipitur nequaquam applicandum prophanis vſibus, ſed tantùm diuinis, qualis eſt ſacerdotum inunctio, quos ſacroſanctos habere debet omnis populus. Quibus & nomen ſuũ dominus impartitur, vt dij appellentur, ſintq; in reuerentia & æſtimatione honorifica, quam & adaugeant ſemper fide & bonis operibus ad deum & ad homines. Prohibetur ergo olei eius vſus prophanus qualiſcunque ſub pœna mortis, quo ſit auctoritas maior, rebus hoc oleo conſecratis.

*Vbi ſuprà.*

*Myſticè. Cap.3. Pſal.104.*

*Exod.30. Leuit.8. 1.Reg.16. 4.Reg.9. & 19. Eſa.45.*

*Pſal.44. 1.Ioan.2.*

*Leuit.14.*

HIERONYMVS IN HABACVC. Videamus quot ſint genera Chriſtorum, & ſimul vi- L debimus quot ſint genera vnguentorum. Chriſti in veteri teſtamento dicebantur & Patriarchæ, de quibus ſcriptum eſt in Pſalmis, Corripuit reges pro eis, nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Et in primo Paralipomenon libro omnes qui de Aegypto egreſsi ſunt, Chriſti vocantur. Chriſma quoque in Exodo ſacerdotale conficitur, quo poſtea ſacerdotes in Leuitico referuntur vncti. Eſt & aliud vnguentum quo reges vnguntur in regno, quod in duo ſcinditur, Si enim Dauid eſt & Salomon, id eſt, fortis manu & pacificus, cornu vngitur. Si verò Iehu & Azael ſunt, perfunduntur lenticula, vas autem fictile ſic vocatur, id eſt, phacos. Sed & Cyrus perſarum rex atque Medorum, qui de captiuitate populum relaxauit, licet multi errent, & de domino ſaluatore ſcriptum putent, audit per Eſaiam, Hæc dicit dominus Chriſto meo Cyro, cuius tenui dexteram, vt audirẽt coram eo gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, &c. Et ad extremum dicitur, Tu autem non cognouiſti me, quod de ſaluatore nefas eſt intelligere. Eſt vnguentum Propheticum, quo præcipitur Heliæ, vt Heliſæum vngat in Prophetam. Et ſuper omnia vn- M guentorum genera, eſt vnguentum ſpirituale quod vocatur oleum exultationis, quo vngitur ſaluator & dicitur ad eum. Propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Participes autem eos puto, ad quos loquitur & Ioannes, Et vos vnguentum habetis à ſancto. Et poſt modicum, Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos, & chriſma quod accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & nõ neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed ipſum chriſma docebit vos de omnibus, & verũ eſt, & non mendacium, & ſicut vos docuit manete in eo. Ac ne fortè qui chriſma baptiſmi perdiderũt, deſperẽt de chriſmate reparando, ſcriptũ eſt in Leuitico, Quòd lepro- ſus extra caſtra projectus, cũ ad ſacerdotẽ venerit, & lepra ipſius fuerit emũdata, mittat ſibi ſacerdos oleũ in manu ſiniſtra, & intincto digito ſepties aſpergat oleũ corã domino, & tãgat eodẽ oleo auriculã eius qui leproſus fuerat, & dextrã manũ, & dextrũ pedẽ, & quod remãſerit de vnguento, totũ mittat in caput eius. Cúmq; oia hæc ritè cõpleuerit, tũc immolet holocauſtũ pro eo, & ipſe Chriſt⁹ vocẽt dei. Volo aliquid dicere, ſed timeo ne negligẽtib⁹ occaſionem



A occaſionem ruinæ tribuam, quod in ſcripturis ſanctis idem homo frequenter vnctus inueniatur: Deniq; Dauid tertiò vnctus eſt, quod nos non intelligamus ſuper eo qui peccauit, & iterum vngitur, ſufficit enim leproſo vt poſt primum vnguentum perditum vngatur ſecundo, ſed ſuper eo qui per dies ſingulos proficit, & ſemper eius augetur vnctio, & de leproſi oleo migrat ad oleum populi atque ſanctorum, & de oleo populi ad oleum peruenit ſacerdotum, & à ſacerdotibus tranſcendit ad Chriſma pontificis, à pontifice quoque ad regem, à rege ad patriarchas, & à patriarchis pergit ad Chriſtum, & vngitur oleo exultationis, quo qui fuerit linitus, vnus cum deo efficitur ſpiritus, & vbi pater & filius eſt, ibi etiam ille erit. Verùm hoc rarum eſt, & ſunt vota credentium. Cæterũ neſcio an ſequatur effectus: Dicitur enim, Vnxit te deus, deus tuus, oleo lætitiæ, & reliqua: hoc eſt, eo oleo quod hi qui tui participes ſunt, aut rarò, aut nunquam poterunt inuenire. CYRILLVS LIBRO DVODECIMO IN LEVITICVM. Illud igitur oleum, de quo in Exodo ſcriptum eſt, quomodo poteſt ſecũdum B literam propriè oleum dei dici, quod ex myrrha & caſia confectum eſt à pigmentario? Sed ſi vis videre oleum dei, audi quem propheta dicat vnctum eſſe oleo dei, illum ſine dubio, de quo dicit: Propterea vnxit te deus, deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. Hic ergo eſt magnus ſacerdos, qui ſolus oleo domini vnctus eſt, & in quo ſemper ſanctum permanſit diuini chriſmatis oleum. ISIDORVS. Vel oleum vnctionis quo tabernaculum inungitur, altiori intelligentia ſanctum chriſma eſt, quo fidelis populus Eccleſiæ in quibus diuinitas tanquam in tabernaculo habitat, inungitur. Poſſunt etiam per vnguentum hoc, ſanctorum virtutes intelligi, vel odor iuſtitiæ longè latéque diffuſus, de quo dicit Apoſtolus, Deo autem gratias qui triumphat per nos in Chriſto Ieſu, & odorem iuſtitiæ ſuæ manifeſtauit per nos. INTERLINEARIS. Ex prima autem myrrha conficitur oleum, hoc eſt, præcipua carnis mortificatione, quæ ſcilicet pura intentione pro deo tantùm ſit facta, vnde dicitur in Canticis, Manus meæ diſtillauerunt myrrham. Ex cinamomo etiam quod ci- C nerei eſt coloris conficitur, quod humanitatem ſignificat, quo nos cinerem eſſe, & in cinerem reuerſuros intelligimus. Ex caſia quoque. Hæc quia in aquoſis naſcitur, & in immenſum creſcit, & bonum odorem reddit, fidem quæ per baptiſmum creſcit, exprimit. Horum autem pondus eſſe dicitur ſanctuarij, id eſt, vt iuſta ſit & recta menſura, quia ſecundum Eccleſiaſticam regulam omnia ſunt facienda. Vnguentarij verò ſunt Apoſtoli & doctores qui vnguenta componunt, quibus ſancta dedicatur Eccleſia. Hoc autem vnguento caro hominis non vngitur, quia carnis voluptatem amantibus, iſta non conueniunt. Quòd ſi quis ex eo alieno dederit, exterminabitur de populo ſuo, id eſt, ſi hæretico vel Gentili, vel Iudæo ſancta domini quæ canibus non ſunt danda, proiecerit, ipſe de cœtu ſanctorum cui iungi debebat, eiicietur. AVCTOR CATENAE. Noſtrum etiam vnctionis oleum ſpiritus ſanctus eſt, per filium miſſus à patre fidelibus, quo ad omne opus ſanctum reduntur idonei, & Eccleſiæ miniſtri, & ſerui dei.

*Psalm.44.*

D *DIxitque dominus ad Moyſen, ſume tibi aromata ſtacten & onycham, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum. Aequalis ponderis erunt omnia. Faciesque thymiama compoſitum opere unguentarij, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum. Cúmque in tenuiſſimum puluerem uniuerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij, in quo loco apparebo tibi. Sãctum ſanctorum erit uobis thymiama. Talem compoſitionem non facietis in uſus ueſtros, quia ſanctum eſt domino. Homo quicunque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* 5

AVCTOR CATENAE. Quia adolendum erat in altari incenſi thymiama coram domino, ideo confectionem eius in poſtrema hac capituli parte edocet, inquiens: *Dixitque dominus ad Moyſen, ſume tibi aromata, ſtacten & onycham, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum. Aequalis ponderis erunt omnia.* INTERLINEARIS ET ORDINARIA. Stacten guttam eſſe dicunt myrrhæ arboris. Onycha verò oſtreola fertur eſſe parE uula ſuauè redolẽs, magnitudine humani vnguis, quæ Græcè onyx dicitur, vnde & Græcè onyche dicitur. Galbanus autem ferulæ ſuccus eſſe dicitur, & naſcitur in Syria, optimum cartilaginoſum eſt, & minus lignoſum, cuius odore fugantur ſerpentes. Thus autem Græcè libanum dicitur, à Libano monte Arabiæ, alius enim libanus eſt Phœniciæ, in quo ſunt Cedri. Optimum, quod maſculinum dicitur, quia in modum humani teſtis rotũdum, cuius arbor naſcitur in Arabia ad aceris qualitatem perplexo & intorto vimine. AVCTOR CATENAE. Sume tibi aromata, ſtacten. Stactes quid ſit ſatis notum, ſic interpretati ſunt etiam Septuaginta & Chaldaica, quæ Hebraicè vocatur נָטָף nataph, & idem ſonat quod ſtilla ſeu gutta. Deſignat itaque myrrham primam, electã & induratam. Hanc Rabbi Salomõ dicit Italicè appellari ghoma, quanquã ferè aliud ſit ſtactes, quam gũmi. Vertunt hîc quidam hanc dictionẽ guttam, & interpretantur balſamũ. Alij vertunt, balſamũ. Quidam reſinam. Onycha verò Hebraicè dicitur שְׁחֶלֶת ſechéleth. Quam tradit idem Rabbi Salomon radicem eſſe candentem, terſam ac puram, in morem vnguis quæ (vt prædictũ eſt) ſic Græcè nuncupatur. Atque eodem modo F vertunt etiam Septuaginta & Chaldaica. Reddunt hanc quidã recentiorum vngulam caballinã. Alij, Vnguem aromaticum, vel vngulã aromaticam. Et ipſi quoq; dicunt hãc eſſe leuem & perlucidã in morẽ vnguis humani. Galbanum boni odoris: Quod Hebraicè legitur וְחֶלְבְּנָה סַמִּם Vechelbena ſammim, Et galbanũ aromatũ, id eſt, aromaticũ, ſiue aromatizans. Sic habet & Chaldaica. Alij dictionẽ ſammim, vertunt aromata, referuntq; ad tres prædictas ſpecies, quaſi appoſitiuè dictũ ſit, id eſt, aromata. Alij verò ad dictionẽ ſequentẽ referũt, hoc modo, Aromata iſta vnà cũ thure mundo. Dicunt enim hi Galbanum non eſſe de per ſe boni, ſed mali odoris, ſimile melli nigro. Alibi tamen legitur quòd lachryma ſit cuiuſdam herbæ ſimilis ferulæ, grana habens, vt faba, & vt granum fabæ, glutitum medetur tuſsi, ſubuenit quoque conquaſſationi lapſi de alto, epilenticis vtiliter adhibetur, fumigio ſerpentes excludit, oleo mixto perunctum, vim ſerpentis non admittit, oleo ſplendido mixtum, à ſerpentibus comeſtum, necem infert eiſdem, dolorem dentium ſi apponatur, tollit. Antiquitate verò & aliis ex cauſis, amittit bonum odorem. Ideo litera exprimit, Galbanum boni odoris. Et thus lucidiſſimum. Hebraicè

est וּלְבֹנָה זַכָּה Vlbona zaccha, Et thus mundissima, quoniã thus in Hebræo est fœminini generis. Sic & Chaldaica habet, Et thus mundissimum. Sed idem est cum lucidissimo. Impermixtum autem thus designatur, id est, resinæ non admixtum, per quam sua puritas obfuscatur. Aequalis ponderis erunt omnia. Hebraicè ita legitur locus, בַּד בְּבַד יִהְיֶה Bad bebad ihie. Dicunt autem docti quidam, dictionem Bad, cum simplici daleth significare æqualitatem ponderum vel mensurarum, scilicet quando de diuersis rebus tantum accipitur de vna, quantum de alia. Vnde hîc legunt Hebræi, Bad cum bad erit, id est, tantum cum tanto, quasi dicat, tantũ de vno quantum de alio. Et ita rectè vertit Interpres, Chaldaica quoq; ita habet. Septuaginta etiam, ἴσον ἴσῳ ἔσαι, Aequale æquali erit. Ad quem sensum vertunt aliqui, Pondus in pondere erit: vel, Pondus sicut pondus, hoc est, pondus vnius, sicut pondus alterius, id est, æqualis ponderis erunt omnia. Alij descendere faciunt dictionem à בָּדַד Badad per duplex daleth, quod solum significat, & reddunt, Solum cum solo erit, aut vnum cum vno. Ac si dicat, quod sit contusum vnumquodque seorsum in pila, & in puluerem redactum. Dicúntque vniuscuiusque horum aromatum libras Septuaginta Moysen accepisse. *Faciésque thymiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & sanctificatione dignissimum.* AVGVSTINVS. *Quæst.136.* Quod præcepit quibus aromatibus fiat thymiama, id est, incensum, & dicit vnguentario more coctum opus vnguentarij, non ideo putare debemus vnguentum fieri, id est, vnde aliquid vngatur, sed vt dictum est, thymiama, vel incensum quod imponatur illi altari incensi, vbi non licebat sacrificare. INTERLINEARIS. Omnes ergo hæ species in vnum miscebantur, & fiebat thymiama quod Hebraicè dicitur Sithirach. CAIETANVS. Nomen thymiama appropriatum est huic mixto odorifero, cremãdo per modum thuris super altare internum. AVCTOR CATENAE. Faciésque thymiama. Parum est quod in Hebræo est אֹתָהּ Otha, vt dicatur, Faciésque ex eo thymiama, id est, ex his omnibus facies thymiama. Vertunt alij, Faciésque ex his thymiama. Alij, Et facies ipsum suffimẽtum aromaticum. Sic & Septuaginta, καὶ ποιήσεσθε ἄυτὸ θυμίαμα, Et facient illud thymiama. Chaldaica, Faciésque thymiama aromatum. Mixtum diligenter & purum. Quæ enim deo offeruntur, & eius cultui mancipantur, debent esse præcipua. Et sanctificatione dignissimum, id est, aptissimum applicari seu consecrari in dei obsequium. Hebraicè est, מְמֻלָּח טָהוֹר קֹדֶשׁ Memullach tahor kódes, Cõminutum vel cõmixtum, purum & sanctum, id est, omnia ita contundes, miscebisque diligenter cum summa puritate & sanctimonia. Septuaginta, μεμιγμένον, καθαρὸν, ἔργον ἅγιον, Mixtum, purum, opus sanctum. Chaldaica, Mixtum, mundissimum, in sanctificationem. Quæ à litera nostra non deuiant. Thymiama igitur confici iubetur ad legem domini, & non alia ratione, quotidie, mane & vesperi imponendum & incendendum ante velum interius, super ara aurea incensi à sacerdote, dum lucernæ emunguntur. *Cúmque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi, sanctum sanctorum erit vobis thymiama.* AVGVSTINVS. *Quæst.137.* Iuxta aliam literam, Et concides de illis minutim, & pones contra testimonia in tabernaculo testimonij, vnde innotescã tibi inde, in sanctũ sanctorũ erit tibi incensum. Ecce iterum hoc incensum, quia intus ponebatur ad altare incensi quod intus erat, sanctum sanctorum dicitur, & tabernaculũ testimonij. Propriè dicitur illud ipsum interius vbi arca erat, adhibita sanè differentia cùm ait, Vnde innotescã tibi inde. Sic enim dixerat primũ de propitiatorio, quod vtiq; intus est, id est, intra velum supra arcam. CAIETANVS. Cumq; in tenuissimũ puluerẽ, & cæt. Non spectat hoc ad opus aromatarij, sed sacerdos instruitur quomodo vti debet thymiamate iam cõposito, vt scilicet vtatur eo priùs tuso, & subtili reddito. Instruitur enim vt non thymiama grossum sed cõminutum, & in tenues particulas redactũ, sacerdos incendat super altare. Nihilq; dicitur de puluere, sed tantũ de contusione & tenuitate, vt statim euaporatio fieret. In loco (inquit) quo apparebo tibi. Iuxta Hebræum habetur, Quo ero paratus tibi illic. Sæpe hoc repetitur, ad imprimendum mentibus humanis magnitudinẽ tanti beneficij. AVCTOR CATENAE. Hebraicè sic habetur locus, וְשָׁחַקְתָּ מִמֶּנָּה הָדֵק וְנָתַתָּה מִמֶּנָּה לִפְנֵי הָעֵדֻת בְּאֹהֶל מוֹעֵד אֲשֶׁר אִוָּעֵד לְךָ שָׁמָּה Vesachakta mimẽnna hadek, venathatta mimẽnna liphne habeduth beohel mohed, aser iuahed lecha samma, Et contundes ex ea (subaudi cõpositione) tenuissimum puluerem, vel minutum, & pones ex ea coram testimonio, vel arca testimonij, in tabernaculo fœderis vel conuentus, in quo conueniã, seu constituã tecum ibi. Dat enim minutum siue cõminutum, & quasi pilo tusum, item tenuissimum puluerem significat. Vertunt alij, Et contundes ipsum in puluerem, ponẽsque ex eo coram testimonio, in tabernaculo testimonij, vbi testificabor tibi. Quidam, Et contundes ex illo puluerem, ponẽsque ex eo coram testimonio in tentorio conuentionis, vbi tibi paciscar. Nonnulli, Et cõtundes ex eo cõminuendo, & pones ex eo coram tabernaculo Ecclesiæ, in quo conueniam tecum ibi. Septuaginta, καὶ συγκόψεις ἐκ τούτων λεπτὸν, καὶ δώσεις ἀπέναντι τοῦ μαρτυρίου ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου, ὅθεν γνωσθήσομαί σοι ἐκεῖ. Et conteres ex his subtile, & pones corã testimonio in tabernaculo testimonij, vnde cognoscar tibi illic. Chaldaica verò, Et contundes ex eo, & cõminues, & pones ex eo corã testimonio in tabernaculo fœderis, vbi constituã verbũ meum tibi. Quę omnia idem sunt cũ Latina litera. Poni igitur præcipitur thymiama coram testimonio, hoc est, ante sanctum sanctorum, in quo stabat arca fœderis, in qua tabulæ decalogi, quæ testimonium nominantur. Ex quo loco dominus responsa dare consueuit sacerdoti summo. Tunc autem Moysi loquebatur, qui solus ingrediendi facultate fruebatur, domino ordinante. Sanctum sanctorum erit vobis. Sic enim legitur in Hebræo, sine adiectione thymiamatis. Et ibi est colum, quod ad locum aræ referri potest, & ad thymiama, quod sacrosanctum haberi volebat, in prophanos vsus minimè admittendum. Vnde sequitur, *Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est domino. Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Talem compositionem non facietis in vsus vestros. Quod ideo præcipitur, ne sacra prophanentur, nêue ecclesiasticum ministeriũ ludibrio & contemptui hominum exponatur. Antè autem hæc verba, est in Hebræo וְהַקְּטֹרֶת אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה Vehaket óreth aser tahase, Et hoc incensum, suffimentum, vel thymiama quod facies, subaudi est, vel erit. Sic & Chaldaica, Et thymiama aromatum quod facies. Quia sanctum est domino. Adde ex Hebræo, Tibi. Quasi dicat, ideo non facies in communem vsum, quia hæc cõpositio dicabitur domino. Peribit de populis suis. Verbum נִכְרַת nichrath, etiam exterminabitur, excindetur, siue eradicabitur verti potest. Idem tamen est sensus, videlicet tolletur de terra viuentium, & peribit anima eius.

GREGO-



A GREGORIVS IN PRIMO MORALIVM. Tota virtute perspiciendus est fluuius operis, si purus emanat ex fonte cogitationis. Omni cura seruandus est à malitiæ puluere oculus cordis: ne hoc quod in actione rectum hominibus ostentat, apud semetipsum per vitiũ prauę intentionis intorqueat. Curandũ itaq; est, ne bona nostra pauca sint, curandũ ne indiscussa, ne aut pauca agentes, inueniamur steriles: aut indiscussa relinquentes, vecordes. Neque enim vnaquæq; verè virtus est, si mixta aliis virtutibus non est. Vnde rectè ad Moysen dicitur, Sume tibi aromata, stacten & onycham: galbanum quoque boni odoris, & thus lucidissimũ. Faciesq; thymiama cõpositum opere vnguentarij, mixtũ diligenter & purum. Thymiama quippe ex aromatibus cõpositum facimus, cũ in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purũ fit, quia quãtò virtus virtuti iungitur, tantò incensum boni operis syncerius exhibetur. Vbi & bene subiũgitur, Cumq; in tenuissimum puluerem vniuersa aromata cõtuderis, pones ex eo coram testimonij tabernaculo. In tenuissimum puluerem aro- *Mystice. Cap. 39.*

B mata vniuersa cõterimus, cũ bona nostra quasi in pilo cordis occulta discussione tundimus, & si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere est virtutes recogitãdo terere, & vsque ad subtilitatem oculti examinis reuocare. Et notandum, quòd de eodem puluere dicitur: Pones ex eo coram testimonij tabernaculo, quia tunc nimirũm bona nostra veraciter in conspectu iudicis placent, cùm hæc mens subtiliùs recogitando conterit, & quasi de aromatibus puluerem reddit: ne grossum durumq; sit bonũ quod agitur, ne si hoc arcta retractationis manus non cõminuat, odorẽ de se subtiliùs non aspergat. Hinc est enim quòd spõsæ virtus, sponsi voce laudatur, cùm dicitur, Quæ est ista quę ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmẽtarij? Sancta quippe Ecclesia sicut fumi virgula ex aromatibus ascendit; quia ex vitę suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed se intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quæ ea quæ agit dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem & thus habet in opere, sed puluerem in cogitatione. *Cant. 3.* ISIDORVS. Incensum est,

C quòd ex quatuor odoratissimis generibus in maximã subtilitatem cõminutis, quæ sunt stacte, onix, galbanum, & thus, componitur. Hæc in forma orationum fidelium constituta esse beati Ioannis Apocalypsis ostendit. Et illi quidem viginti quatuor seniores prociderunt ante agnum, habentes vnusquisque citharas & phialas aureas, plenas incenso, quæ sunt orationes sanctorum. Quãquam & speciem quatuor elementorum, horũ quatuor odorum naturæ significare videantur, vt thus quod perlucidum est, aëri comparetur, stacte verò aquis, galbanus & onix, terræ atq; igni, vt per hæc omnium quæ in cœlo & infra cœlum, & in terra & in aquis sunt, placitum deo incensum sit hîc creaturarum laudis oratio. ORDINARIA. Talem (inquit) compositionẽ non facietis in vsus vestros, Quia scilicet precibus & laudibus diuinis nõ debemus vti in adulationibus humanis. Soli enim deo ita seruiendũ est. Vnde suprà prohibetur ne caro hominis vngatur ex eo. AVCTOR CATENAE. Significat igitur thymiama ex quatuor aromatum speciebus cõpositum, fidelium deuotionem & fidem, orationes & vota deo grata, ad gloriam dei, & proximi profectum. Quia (inquit) sanctum est domino. BASILIVS.

D Hoc est, quicunque bene agit, id non sibi, sed deo ascribat, qui omnium bonorũ auctor est, atque largitor. Huius generis thymiama erat Paulus, qui dicebat, Christi bonus odor sumus.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMPRIMVM, ARGVMENTVM.

*Vocatio artificum Beseleel & Ooliab. Præceptum sabbati, & quid significet. Dantur Moysi tabulæ lapideæ.*

## CAPVT XXXI.

E *LOcutusque est dominus ad Moysen, dicens, Ecce uocaui ex nomine Beseleel filium Huri filij Hur, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu dei, sapientia & intelligentia & scientia in omni opere ad excogitandum quicquid fabrè fieri potest ex auro & argento & ære, marmore & gemmis, & diuersitate lignorum. Dedíque ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis & arcam testimonij, & propitiatorium quod super eam est, & cuncta uasa tabernaculi, mensamque & uasa eius, candelabrum purissimum cum uasis suis, & altaria thymiamatis & holocausti, & omnia uasa eorum, labium cum basi sua, uestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, & filiis eius, ut fungantur offi-* *Lectio. 1.*

F *cio suo in sacris, oleum unctionis & thymiama aromatum in sanctuario. Omnia quæ præcepi tibi facient.*

AVCTOR CATENAE. Multa & varia de construẽdo tabernaculo & vasis seu instrumẽtis eius, item de conficiendo vestitu sacerdotali mandata sunt, quæ vt rectè iuxta sententiam dei fiant, singularem ingenij industriam requirunt. Nunc igitur designantur diuinitùs ingeniosi artifices nomine Beseleel & Ooliab, vt hi tanquam magistri præfecti operã dent, quo omnia, quæ ad cõstituendũ tabernaculum & cultum dei pertinẽt, iuxta prescriptũ verbi dei cõficiantur. Ait itaq; , *Locutusq; est dominus ad Moysen, dicens, Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Huri filij Hur, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu dei, sapientia & intelligentia & scientia in omni opere, ad excogitandũ quicquid fabrè fieri potest ex auro & argento & ære, marmore & gẽmis, & diuersitate lignorũ. Dediq; ei sociũ Ooliab filiũ Achisamech de tribu Dan.* AMBROSIVS DE NOE ET ARCA. Spiritus sanctus, spiritus sapientiæ est, spiritus cognitionis. Habet ergo sapientiam, habet etiam disciplinam. Sicut & de Beseleel, qui sacrum tabernaculum diuino oraculo iussus est *Cap. 2.*

facere, ait ſcriptura, Quia repletus eſt ſpiritu prudentiæ & diſciplinæ. AVGVSTINVS IN QVAE- G
Quæſt. 138. STIONIBVS SVPER EXODVM. Vtrum ſpiritus ſancti muneri etiam iſta opera tribuenda ſunt quæ pertinere ad opificium videntur, an & hoc ſignificatiuè dictum eſt, vt ea pertineant ad diuinum ſpiritum ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ, quæ his rebus ſignificantur? Tamen etiam hîc cùm ſpiritu repletus dicatur iſte diuino ſapientiæ & ſcientiæ, nondum legitur ſpiritus ſanctus. INTERLINEARIS. Vocaui (inquit) ex nomine, tanquam mihi charum & notum. ORDINARIA. Ab hoc Beſeleel dicitur Dauid duxiſſe originem, & polymitarij nomen, quia Beſeleel opere polymito tabernaculum conſtruxit.

HVGO DE SANCTO VICTORE. Hîc mihi oritur inſolubilis quæſtio, quia legitur in libro Paralipomenon quod Caleph fuit pater Hur, & ille Caleph non habuit niſi quadraginta annos in exitu ab Aegypto. Beſeleel igitur modò non habebat niſi duos annos ad ſummum. CAIETANVS.

Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, Vide vocaui in nomine Beſeleel. Monet enim deus quòd ipſe H
vocauit ad opus tabernaculi, & cætera, nominatim pro primo artifice iſtum, ne quæſtio verteretur ſuper hoc. Hunc autem Ioſephus deſcendiſſe ex Maria ſorore Moyſi autumat, eo quòd intelligit Huri patrem Beſeleel filium fuiſſe Hur & Mariæ. Et impleui eum (inquit) ſpiritu dei. Iuxta Hebræum habetur, ſpiritu elohim, hoc eſt, ſpiritu diuini iudicij, vt diuinus archifaber ſit in huiuſmodi operibus. Marmore (ait) & gemmis. Iuxta Hebræum, Et in fabrefactione, lapidis ad implendum. Et eſt ſermo de gemmis, quæ per modum impletionis alligantur. AVCTOR CATENAE. Ecce vocaui ex nomine Beſeleel. Hebraiſmus eſt, pro, præ aliis elegi. Quanquam in Hebræo, loco, Ecce, ſit רָאֹה Ree, hoc eſt, Vide, & ita habet Chaldaica. Sed hoc idem eſt quo ad ſenſum literæ. Et impleui ſpiritu dei, id eſt, meo: de ſe enim in tertia perſona loquitur. Et ſcientia in omni opere, ſcilicet cuiuſuis artis mechanicæ. Ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro. Optimè ſenſum Interpres ex verbis elicuit, Ea enim ſunt, לַחְשֹׁב מַחֲשֶׁבֶת לַעֲשׂוֹת בַּזָּהָב Lachſob machaſaboth lahaſoth bazahab, Ad excogitandum cogitationes, ad faciendum in vel ex auro. Hoc eſt, ad excogitan- I
dum quicquid excogitari poteſt. Vertunt alij, Ad excogitandum adinuentiones, & ad operandum in auro. Alij, ad texendum polymita, ad operandum in auro. Et de ſignificato quidem verbi Chéſeb, à quo dictio Machaſaboth venit, ſatis in ſuperioribus dictum eſt. Septuaginta, διανοεῖσθαι, καὶ ἀρχιτεκτονεῖν ἐργάζεσθαι τὸ χρυσίον, Ad excogitandum, & fabricandum ad operandum aurum. Chaldaica verò, Ad docendum artifices, vt faciant in auro. Quod autem nos dicimus, Marmore & gemmis & diuerſitate lignorum, Hebraicè habetur, וְחָרֹשֶׁת אֶבֶן לְמַלֹּאת וּבַחֲרֹשֶׁת עֵץ לַעֲשׂוֹת בְּכָל מְלָאכָה Vbacharóſeth eben lemalloth, vbacharóſeth hes lahaſoth becol melacha, Et in fabrefactione lapidis ad implendum, & in fabrefactione ligni ad faciendum in omni opere. Vertunt alij, Et in artificio gemmario ad replendum (ſubaudi palas lapillis pretioſis) & in arte fabrili lignaria, ita vt poſsit operari in omni arte mechanica. Id eſt, donaui eum cognitione omnium artium mechanicarum. Ex quo diſcimus artes mechanicas eſſe à deo. Alij, In artificio includendi lapides, & in fabricatione lignorum, atque ad operandum in omni arte. Quidam, In artificio quoque gemmas inſerendi, K
& fabrefactione lignorum, ad operandum denique in omni opere. Nonnuli, Et in arte lapidaria ad implendum, & in arte lignaria ad faciendum in omni opere. Chaldaica, Et in arte lapidis pretioſi ad implendum cælaturas, & in arte fabri lignarij, vt faciant in omni opere. Quo in loco multa apud Septuaginta abundant, nempe, & hyancintum, & purpuram, & coccinum filatum, & byſſum retortam. Deinde dicitur, Et ad lapidaria opera, & ad fabrilia lignorum, operari ſecũdum omnia opera. Quæſtio autem magna vertitur apud Rabi Salomonem quis fuerit Hur & Huri, pater & auus Beſeleel, ſed hæc, & huiuſmodi diſputationes obmittendæ, & ſacratioribus ſtudiis inſiſtendum. Principiò igitur obſeruandum venit, quòd dominus dicit, Vocaui Beſeleel ex nomine. Et poſtea, Dedi ei ſocium Ooliab. His enim verbis ſignificat dominus, ſe tantam curam noſtri agere, vt etiam nomina noſtra, quibus alioqui nihil vanius eſt, teneat, & ex nominibus nos agnoſcat. Felicem ſe iudicat, qui in tantam venit claritudinem, vt non tantùm de facie, ſed etiam ex nomine ſuo, Romano Imperatori, aut alij Monarchæ notus ſit, quanto autem felicior iudicandus eſt, quem deus, ſummus omnium Mo- L
narcha ex nomine ſuo nouerit? Vnde dominus conſolaturus Iſraëlem, apud Eſaiam capite quadrageſimo tertio ait, Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Et capite quadrageſimonono Chriſtus ait, Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Similiter apud Lucam capite decimo inquit, Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Nouit autem (vt ita loquamur) Deus nomẽ noſtrum, ſi nos nomen noſtrum Chriſto tradiderimus, & Chriſto per fidem veram & bona opera coniuncti ſimus. Quare dabimus operam, vt membra Chriſti efficiamur, & vt nomen noſtrum impietatibus ac flagitiis nõ ſordidemus, ne non tam apud homines, quàm apud deum nomen noſtrum fœteat & ſic ignotum ſit. Et impleui eum (inquit) ſpiritu dei, & cætera. Ingenium inueniendi artes etiam fabriles, non aliunde datur quàm à domino, cui & gratię referendæ ſunt, qui ſuo quoque tempore, quas vult artes pro hominum commoditate diſpenſat ac inſpirat, in cuius ſolius gloriam atque laudem exercendæ ſunt, cui etiam prophanæ diſciplinæ & artes ſeruiunt. Non eſt quoque vſus creaturarum ad ornatum ad pulchritudinem illicitus, vel deo contrarius, ſi tantùm modus ſeruetur, & M
nõ quæratur cũ alicuius iniuria vel damno. Lapides quoq; prętioſos proficere in genuina virute ſua auro inſertos, veriſimile fit etiam ex ſacris literis. Dicuntur autẽ huiuſmodi gemmę, lapides impletionũ, vel conſecrati aut inſtitutij, quia auro ornantur, vt ſint duplo clariores. Oportet autẽ & hunc Ooliab illuſtriſsimum fuiſſe artificem, qui ex tãta hominũ multitudine de tribu Dan, ferè vltima ac minima, aſſumitur à domino ad diuinũ illud opus tabernaculi promouendũ, cũ cęteris ad eius cõplementũ glorioſum ſpectãtibus vaſis, & ſupellectili tota, cũ veſtitu põtificali & vnguentis. Quod autẽ ſuprà de Beſeleel motũ eſt, pro quęſtione indiſſolubili, fortè cogita prudens lector ſi ita ſolui poſſet facili manu. Cũ cõſtet Beſeleel virũ fuiſſe ſapientẽ, & electũ à deo ad cõſtruendũ tabernacũlum, fuiſſeq; filiũ Huri filij Hur, cõfeciſſeq; tabernaculũ, & tabernaculo cõpleto fuiſſe miſſum Caleph ad explorandum terrã promiſsionis cũ quadraginta eſſet annorum, impoſsibile eſt eum fuiſſe patrem iſtius Hur aui Beſeleel, qui ſenior eo fuit. Dicendum itaq;, patrem Hur fuiſſe Caleph (corruptè enim legitur Caleph) prout apertè legitur



A legitur primo Paralipomenon ſecundo, & alium proculdubio extitiſſe, quàm is qui fuerit miſſus explorator.

*Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis & arcam teſtimonij, & propitiatorium quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi, menſámque & vaſa eius, candelabrum puriſsimum, cum vaſis ſuis, & altaria Thymiamatis & holocauſti, & omnia vaſa eorum, labium cum baſi ſua, veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti & filiis eius, vt fungantur officio ſuo in ſacris, oleum vnctionis, thymiama aromatum in ſanctuario, omnia quæ præcepi tibi facient.*

CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et in corde omnis ſapientis corde, dedi ſapientiam. Propter reliquos cooperarios ſubiunctum hoc eſt, ad ſignificandum quòd non iſtis duobus ſolis, ſed omnibus aliis bene eruditis in huiuſmodi artibus ipſe deus dedit ſcientiam, & propterea ſubditur, Et facient omnia quæ præcepi tibi. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ita legitur locus iſte וּבְלֵב כָּל חַכַם לֵב נָתַתִּי חָכְמָה Vbleb col chacham leb nathâtti chachma, Et in corde omnis ſapientis, cor dedi ſapientiæ: vel, In corde omnis ſapientis corde, dedi ſapientiam. Id eſt, docui omnes artifices, in eorum animis inſerendo ſapientiam, vt B
facere poſsint, & cætera. Vertunt alij, Et in corde cuiuſlibet qui ingenioſo eſt corde, dedi ſapientiam. Alij, Et in cor vniuſcuiuſque, qui ſapienti eſt corde, ego dedi ſapientiam. Quidam, Et in corde omnis ſapientis, corde, dedi ſapientiam. Septuaginta, καὶ παντὶ συνετῷ καρδίᾳ δέδωκα σύνεσιν, hoc eſt, Et omni erudito corde dedi intellectum. Chaldaica, Et in corde omnium ſapientum corde, dedi ſapientiam. Non ergo refertur ad illum primum, ſed reliquos omnes quos diuino ſpiritu repleuiſſet. Sed hæc idem dicunt, quod & noſtra litera. Veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti. Hebraicè plus dicitur, nempe וְאֶת בִּגְדֵי הַשָּׂרָד וְאֶת בִּגְדֵי הַקֹּדֶשׁ לְאַהֲרֹן הַכֹּהֵן Veeth bigde haſerad veeth bigde hakódes leaharon hacohen, Et veſtes miniſterij, & veſtes ſanctas Aaron ſacerdotis. Sic & Chaldaica. Veſtimenta autem miniſterij vocat hoc loco ea veſtimenta, quibus arca, menſa, candelabrum, & reliqua vaſa inuoluebantur, quando tabernaculum deponebatur. Verùm quia dictio Sarad, remanere & relinqui ſignificat, vertunt hîc aliqui, Et veſtimenta quibus quæ ſuperſunt inuoluũtur, C
& veſtimenta ſancta pro Aaron ſacerdote. Alij, Et veſtes miniſteriales, & veſtes ſanctitatis Aaron ſacerdoti. Et filiis eius, vt fungantur officio ſuo in ſacris. Id quod Hebraicum & Chaldaica habet, Et veſtes filiorum eius vt miniſtrent, & Septuaginta, εἰς τὸ ἱερατεύειν μοι, Vt ſacerdotio fungatur mihi. Omnia quæ præcepi tibi facient. Vel iuxta omnia, eſt enim Hebraicè בְּכֹל Checol. Sic habet & Chaldaica, ſic & Septuaginta, κατὰ πάντα, Secundum omnia. Dicit itaque dominus, Cunctis prudentibus artificibus, artem fabrè agendi, infudi vel auxi, vt omnes ſimul ſumpti faciant cuncta quæ fieri iuſsi, & vnuſquiſque eorum cooperetur iuxta traditam ſibi prudentiam. Vides hîc quòd omnis ſapientia in cor hominis deriuata, à domino eſt, prouidentiæ diuinæ donum, in cuius gloriam, & non contra illius beneplacitum ſit applicanda. Vides etiam non ſolùm iuſtitiam & pietatem, ſed & induſtriam exercendi opificij, eſſe donum dei, & opus ſpiritus ſancti. Quare & in diſcendis officiis deus pro dono ſuo inuocandus eſt, & in conſecuto iam dono dei piè ambulandum eſt, ne hoc ſpiritus ſancti donum transferamus ad organum ſatanæ, & abutamur eo ad impoſturas aliáſque iniqui- D
tates. Sed & cuncti qui ingenio prædíti ſunt, referre accepta debent, ſi qua pulchrè excogitauerunt, non ſuo ingenio, ſed deo.

HIERONYMVS IN ESAIAM. Iudæis perdentibus architectos, omnis ædificandi gratia tranſlata eſt ad Eccleſiam. Vnde Paulus Apoſtolus dicit, Quaſi ſapiens architectus fundamentum poſui. Et Hieremias architectus erat, qui non ſolùm eradicabat, & ſuffodiebat & perdebat, ſed & ædificabat. Vnde idem Apoſtolus loquitur, Dei agricultura, dei ædificatio ſumus. Dominus quoque noſter appellatur ſtructor maceriarum. Et in Euangelio filius fabri ſugillatur, qui vniuerſa condiderit. In Regum quoque volumine legimus, quòd miſerit rex Salomon & tulerit Hyram Tyrium filium mulieris viduæ, qui erat de tribu Neptalim, & Habebat patrem Tyrium, artificem æris. Ingreſſúſque eſt ad regem, & fecit omnia opera regi Salomoni, in quo typus eſt ædificandæ Eccleſiæ, quod non ſolùm de tribu Iuda, ſed de Neptalim quoque & patre Tyrio generatus ſit, qui habuit matrem viduam, quia priorem virum perdiderat. Et E
multò plures ſunt filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum. Sed & in Paralipomenon libro legimus vallem artificum, Saraias autem genuit Ioab patrem vallis artificum, ibi quippe artifices erant. Qui propterea habitare dicuntur in valle, quòd non eos inflabat ſcientia, ſed humilem atque manſuetum ſequebantur Ieſum, & cùm Apoſtolo dicere poterant, Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Et alibi, Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Et nunc per ſpeculum videmus in ænigmate. ORDINARIA, INTERLINEARIS, ET AVCTOR CATENAE. F

Spiritualiter igitur Beſeleel qui interpretatur in vmbra dei, quaſi dicat, Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Et Ooliab, qui interpretatur protectio mea, tanquam nomine dicat, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? tabernaculum domino & omnia vaſa eius ædificantes, ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum typum gerunt, qui ſub Chriſto principe ſanctam Eccleſiam ſanguine ſuo ædificauerunt, de quibus dicitur, Iſti ſunt qui viuentes in carne, plantauerunt Eccleſiam ſanguine ſuo. Vnde & quidam eorum dicebat, Adiutores dei ſumus. Bene autem tabernaculum conſtruunt, qui tam conſtanter in domino confidunt. Operantur verò hi omnes ex auro, argento, ære, marmore, gemmis & diuerſitate lignorum, cùm per vniuerſum mundum ſapientia, eloquentia, ſtabilitate, ſonoritate prædicationis, ac fortitudine indefeſſa, ſanctam dei Eccleſiam fundant. STRABVS. Notandum autem, quòd in conſtructione tabernaculi myſterium trinitatis oſtenditur, ſicut in baptiſmo & in transfiguratione. In baptiſmo enim in voce ſonuit pater, & filius baptizatus eſt. In ſpecie columbæ ſpiritus ſanctꝰ apparuit. Ooliab quoque qui interpretatur protectio mea pater, patris perſonam. Beſeleel verò qui in vmbra dei, ſignificat perſonam ſpiritus ſancti, de quo dicitur, Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Virtus enim altiſsimi, ſpiritus ſanctus intelligitur. Vnde dominus dicit, Ego noui virtutem de me exiiſſe. Iuſsio autem, id eſt, verbum quo tabernaculum fieri iuſſum eſt, filius eſt, per quem pater in virtute ſpiritus ſancti omnia operatur.

*Myſticè.*
*Cap. 3.*
*1. Cor. 3.*
*Hiere. 18.*
*Matth. 13.*
*3. Reg. 5.*
*2. Para. 2.*
*Eſa. 15.*
*1. Par. 4.*
*1. Cor. 13.*

2 ET locutus est dominus ad Moysen dicens, Loquere filiis Israël, & dices ad eos, Videte ut sab- G
batum meum custodiatis, quia signum est inter me & uos in generationibus uestris, ut sciatis quia
ego dominus qui sanctifico uos. Custodite sabbatum, sanctum enim est uobis: qui polluerit il-
lud, morte moriatur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. Sex diebus fa-
cietis opus, in die septimo sabbatum est, requies sancta domino. Omnis qui fecerit opus in hac die,
morietur. Custodient filii Israël sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sem-
piternum inter me & filios Israël, signumque perpetuum. Sex enim diebus dominus fecit cœlum & ter-
ram, & in septimo ab omni opere cessauit.

2 CAIETANVS. Attende prudens lector, quòd præcepta cærimonialia per Moysen populo data à deo, vt H
ex supradictis patet, non obligabant vsque ad ingressum terræ promissionis. Et quia sanctificatio sabbati præ-
ceptum erat partim cærimoniale, & partim erat morale, excepit deus hoc præceptum ab aliis cærimonialibus, de-
cernendo vt hoc ex tunc executioni mandetur. Et propterea significãtiùs dicit, tantùm sabbata mea custodietis:
ac si apertiùs dixisset, Inter cærimonialia præcepta exigo nunc duntaxat custodiam sabbatorum. AVCTOR
CATENAE. Sed & ne crederent filij Israël licitum esse die sabbati opus tabernaculi ædificare, ad dei enim
cultum & ipsum ordinabatur, ne hoc (inquam) crederent, præceptum de obseruatione sabbati hoc in loco re-
nouatur, simul vt firmiùs stabiliretur præceptum, pœna transgredientibus imposita, quæ suprà vigesimo ca-
pite, dum mandatum imponeretur, præfixa non fuerat. Dicit igitur: *Et locutus est dominus ad Moysen, di-
cens, Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Videte vt sabbatum meum custodiatis quia signum est inter me & vos in generatio-*
*Cap. 20.* *nibus vestris, vt sciatis quia ego dominus qui sanctifico vos.* INTERLINEARIS. In ipsius sabbati obser- I
uatione. HIERONYMVS, IN EZECHIELEM. Tale quid & per Ezechielem loqui-
tur dominus, dicens, Eieci ergo eos de terra Aegypti, & eduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea, &
iudicia mea ostendi illis, quæ faciat homo, & viuat in eis. Insuper & sabbata mea dedi eis, vt esset si-
gnum inter me & eos, & scirent quia ego dominus sanctificans eos. Hæc igitur ad eos dicuntur qui edu-
cti sunt de Aegypto in desertum, vt Aegyptiorum vitiis liberati, faciliùs in solitudine dei præcepta com-
plerent, & iudicia eius facerent, & sabbata custodirent, Quæ in signum data sunt inter eum qui dedit,
& eos quibus data sunt. Ergo sabbatum & circuncisio in signum data sunt veri sabbati, & veræ circun-
cisionis, vt sciamus nobis in perfecto & æterno sabbato requiescendum à seculi operibus, & non præpu-
tium, sed cor circuncidamus, Vnde in sex diebus operantes, die septimo requiescamus, vt nihil aliud die
ac nocte faciamus, nisi omne quod viuimus, deberi domino nouerimus, & redeunte hebdomade, totos
nos eius nomini consecremus, vt per sanctificationem diei recordemur domini, qui sanctificat nos. Hæc K
præcepta & iustificationes & obseruantiam sabbati, dedit dominus in deserto, vt facientes illa, viuerent in
1.2. q. 100. ar. 5. ad 2. eis, non de illis ad maiora transirent, sicut in Euangelio promissum est. Quæ illi violauerunt non semel
nec parùm, sed vehementer, vt violationis ὑπέρασις monstraretur. THOMAS. Omnes solennitates
legis veteris sunt institutæ in commemorationem alicuius diuini beneficij vel præteriti commemorati, vel
futuri præfigurati, & similiter propter hoc omnia sacrificia offerebantur, inter omnia autem beneficia dei
commemoranda primum & præcipuum erat beneficium creationis, quod commemoratur in sanctificatio-
ne sabbati. Vnde Exodi vigesimo pro ratione huius præcepti ponitur, Sex enim diebus fecit deus cœlum &
terram, & cætera. Inter omnia autem futura beneficia quæ erant præfiguranda, præcipuum & finale erat quies
mentis in deo, vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam, quæ etiam figurabatur per obseruantiam
sabbati. Vnde dicitur Esaiæ quinquagesimo octauo, Si auerteris à sabbato pedem tuum, vocaberis sabbatum do
mini delicatum, & sanctum domini gloriosum. Hæc enim beneficia primo & principaliter sunt in mente ho- L
minum maximè fidelium, aliæ verò solennitates celebrantur propter aliqua particularia beneficia temporali-
ter transeuntia. Sicut celebratio phase propter beneficium præteritæ liberationis ex Aegypto, & propter futu-
ram passionem Christi quæ temporaliter transiuit, inducens nos in quietem sabbati spiritualis, & ideo præ-
termissis omnibus aliis solennitatibus & sacrificiis, de solo sabbato fit mentio Exodi trigesimo primo.

CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Tantùm sabbata mea custodietis. Significantiùs per hoc quod
suprà diximus exprimitur, ac si apertiùs dixisset, Inter cærimonialia præcepta exigo ex nunc duntaxat custodiam
sabbatorum. Nec intelligo de sabbatis omnium festiuitatum, sed tantùm de sabbatis septimo quoque die: nun-
quam enim legitur tempore quo fuerunt in deserto, celebrata fuisse festa instituta, nec nisi semel immolatum
fuisse pascha, sed sabbatum fuisse seruatũ in deserto patet Numeri decimo quinto, vbi narratur collectorem li-
gnorum die sabbati fuisse pro sacrilegio lapidatum. Primam autem rationem ponit sabbati, quia signum est ad
sciendum quòd ego dominus sanctifico vos. Hæc est enim prima ratio institutionis dierum festorum, vt ex di- M
cato deo tempore à deo, credamus multo magis nos ipsos dicari deo ab ipso deo. Sanctificatio enim temporis,
est propter sanctitatem hominis vt finem, & non è conuerso. AVCTOR CATENAE. Quod apud nos
legitur, Videte, ex Septuaginta sumptum est, qui ὁρᾶτε habent, id est, videte. Hebraicè autem אַךְ ach, est quod
tantũmodo, seu duntaxat, vel veruntamen, sicut habet Chaldaica, significat. Et est Eclipsis, quasi dicat, Facient
quidem omnia illa quæ iussi, tamen nolo illa fieri diebus festis, agnoscendo me dominum esse, qui sanctificaue-
rim vos. In generationibus vestris, id est, per ætates vestras, quandiu vixeritis. Qui sanctifico vos, id est, qui sepa-
raui vos ab aliis populis, & mihi selegi, vt sancti essetis. Signum est itaque sanctificationis, qua deus sanctifica-
tor est suos sanctificans. Sabbati igitur religio primum in lege mandatum, ad verum dei cultum ordinari de-
bet. Signum est enim à deo ipso constitutum vacationis à seruilibus operibus, vt eo die specialiter dei voluntas
audiatur



A audiatur, dicatur, proponatur, & dei regnum quæratur, quatenus cæteris diebus temporalia curentur, & co-
piosè diuino fauore adiiciantur. Exerceatur autem fides in vnum deum, & in beneficum conditorem o-
mnium rerum propter hominem, vt semper domino deo nostro grati, cogitemus quid à deo receperimus,
& quomodo obedientia mandatorum eius eidem gratificari valeamus. Vel signum dicit esse sabbatum in-
ter se & eos, nempe quòd illi sint populus eius, illius cultui specialiter deputatus, ipse verò eorum sit deus.
*Custodite sabbatum, sanctum enim est vobis. Qui polluerit illud, morte moriatur. Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.* INTERLINEARIS. Qui (inquit) polluerit sabbatum, turbando animæ quie-
tem, morte moriatur, animæ videlicet & corporis. Qui etiam fecerit in eo opus, nempe seruile, scilicet pec-
catum, peribit anima illa de medio populi sui, hoc est de cœtu sanctorum. CAIETANVS. Secun-
da ratio relatiuè ad vtilitatem hominis sumitur. Prima siquidem relatiuè ad nostrum intellectum, hæc au-
B tem relatiuè ad volũtaria opera consideratur, nam ex eo quod sabbatum sanctum est, hoc est, mundum est ab
hominum operibus, vtpote in quo diuinis duntaxat vacandum est, sanctum autem vobis (hoc est) ad ve-
strum bonum mandatur custodiendum. Apponitur etiam pœna polluenti sabbatum. Et ne sit quæstio de il-
lis quibus polluitur, subiungitur, Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. Vt intel-
ligamus, quòd sabbatum polluitur operibus quamuis alias licitis. Et hoc intellige de operibus seruilibus.
AVCTOR CATENAE. Sanctum est enim vobis, id est, sacrosanctum vobis esse debet. Qui
polluerit, hoc est, violauerit, vel prophanauerit ipsum, morte moriatur, id est, sententia iudicis. Hoc enim
verbum יוּמַת Iumat, in sexta coniugatione Hebraica significat. Ita intelligendum paulò pòst, & aliis locis.
Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. Hebraismus est, pro excidetur, eradicabi-
tur, exterminabitur, & peribit. Eradicationem seu excisionem, vocant Hebræi præmaturam mortem, quæ
homini accidit inter quinquagesimum & sexagesimum annum, sed non extenditur ad posteritatem, vt orba-
C tio. Vnde qui testibus conuictus est, quòd violauit sabbatum, interficietur: qui autem conuinci non po-
test, & tamen prophanauit sabbatum, is eradicabitur, eo quo supradictum est modo. Cùm itaque (dicit do-
minus) ad vestram sanctificationem & salutem sabbatum contulerim, quamuis ex hoc ad maiestatis meæ
honorem & gloriam referam, diligenter illud custodite. Quòd si quis ausu temerario sabbatum inhono-
rauerit, opus lege prohibitum in eo faciendo, si transgressio eius palàm innotuerit, seu probari testibus
potuerit, occidetur in corpore, morietur quoque in anima, nam æternas pœnas incurret, nisi fortè illum
pœniteat. *Sex diebus facietis opus, in septimo sabbatum est, requies sancta domino. Omnis qui fecerit opus in hac die,*
*morietur.* CAIETANVS. Tertia ratio sabbati relatiuè ad deum, ex eo enim quòd requies ab ope-
ribus hominum die septimo, non quacunque ratione fit, sed quia dicatur domino, ideo celebrandum est
sabbatum die septimo. Et repetitur pœna mortis operanti in die septimo, tum vt arctiùs imprimatur men-
tibus populi seruare hoc præceptum, tum vt intelligant, quòd vtrinque (hoc est) ex parte boni eorum, &
D ex parte honoris diuini, decernitur pœna mortis. AVCTOR CATENAE. Sex diebus facie-
tis opus. Parum est quòd in Hebræo est יֵעָשֶׂה Iehase, fiet & ita etiam habet Chaldaica. In die septimo sab-
batum est, requies sancta domino seu coram domino. Rectè versa sunt Hebraica. Sic enim habent Chal-
daica & Septuaginta. Quamuis alij hîc, שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן קֹדֶשׁ לַיהוָה Sabbath sabbathon kódes laihoua, Quies
quietis est, & sanctitas domino, vertant, id est, At in die septimo omnino vobis cessandum est, est enim
is dies domino deo sacer, siue consecratus. Alij, Et in die septimo sabbatum quietis est, sanctum domi-
no. Alij, Die septimo sabbatum est, quies sancta domino. Quidam, Et die septimo sabbatum cessationis
est, sanctificatio domino. Sed hæc à litera nostra non deuiant. Omnis qui fecerit opus. Subintelligen-
dum est, proinde, vt sic legatur, Proinde omnis, & cætera. Hebraicum autem & Chaldaicà sic legunt hîc,
Quicunque fecerit opus in die sabbati, morte moriatur. Sed idem est cùm Latina editione, quæ pau-
ca immutauit, ne eadem verba toties repetere cogeretur. Repetitio autem tam frequens de sabbato obser-
E uando, otiosa & leuis esse non potest, qualis esset, si nihil aliud lex tam seriose inculcata prætenderet,
quàm nihil agere, & totum diem iacendo, fabulando, ludendo, vel stertendo transigere. Sacro autem die
sacra opera, & deo digna exercitia perficienda sunt, & ea non pauca, quia in illis dies ipsa sanctificanda
præcipitur, dum soli deo religiosissimè vacatur. Moriendo autem morietur, qui diem à domino sanctifi-
catum fœdauerit fœdis operibus, & bis impius est qui impietatem exercet quamcunque in sabbato, quem
diem dominus sanctificandum sub pœna mortis decreuit tam serioſa lege. *Custodiant filij Israel sabbatum, & cele-*
*brent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me & filios Israel, signúmque perpetuum.* THEODORE-
TVS. Quemadmodum cùm circuncisionem Abrahæ daret, dicit, Et erit in signum inter me & vos, ita
cum de sabbato legem ferret (inquit) Est enim signum mihi & filiis Israël in generationes. Semper enim
lex Dei noua ad filios Israël idcirco posita est, vt memoriam dei iugiter populus ille teneret, seque ab a-
liis populis segregatum esse cognosceret. Quemadmodum enim greges inustæ notæ ab aliis distingue-
F re solent, ita viuendi eximia præcepta populum Israëliticum ab aliis esse distinctum, Deóque legislato-
ri vacare declarabant. CAIETANVS. Nihil refert vtrum clausula hæc vltima seorsum legatur,
vel sit pars præcedentis sententiæ, legendo, Et custodient filij Israël sabbatum, ad faciendum sabbatum
in generationibus suis pactum perpetuum. Nam secundum vtramque lectionem quarta ratio sabbati si-
gnificatur, pactum inter deum & filios Israël. Secunda tamen lectio iuxta Hebraicum, adiungit vtilitatem
seruandi sabbatum, quæ est reddere succedentibus generationibus requiem ipsam diuino pacto debitam.
Et in hoc significatur eminentia huius præcepti respectu reliquorum cærimonialium, quia hoc duntaxat con-
tentum est in fœdere inter deum & filios Israël. Et est sermo de fœdere quod ipse deus tanquam ore proprio pe-
pigit cum populo dando illis decem præcepta, illud enim propriè est & appellatur pactum inter deum & filios
Israël, & perspicuum est nullius cærimonialis mentionem in eo fieri nisi sabbati. Est itaque sensus huius quartę

rationis, quòd seruando sabbatum, efficient in succedentibus generationibus pactum inter deum & filios Israël, G
viuidum semper, signúmque perpetuum. AVCTOR CATENAE. Custodiant filij Israël. Quod dicitur Hebraicè וְיִשְׁמְרוּ Vesamru, vertunt hîc aliqui pro decentia locutionis, Custodiant itaque. Septuaginta, τὴν φυλάξουσιν, Et custodient, Chaldaica, Custodiántque. Sed hoc minimum est quod annotetur. Et celebrent illud in generationibus suis. In Hebræo non sic pũctatur, sed legitur hoc modo, לַעֲשׂוֹת אֶת הַשַּׁבָּת לְדֹרֹתָם בְּרִית עוֹלָם Laasoth eth hasabath ledorotham berith holam, Vt faciant sabbatum in generationibus suis, vel per posteritates suas fœdere sempiterno, siue perpetuo. Facere autem sabbatum, idem est quòd celebrare. Sic enim & Chaldaica habet. Vertunt alij, Vt præparent sabbatum in generationibus suis pactum perpetuum. Quasi dicat, Obseruatio vestra quam facietis, erit præparatio pro nepotibus vestris, vt & ipsi sabbatum obseruent quasi pacto obligati. Septuaginta verò & Chaldaica legunt prout est in litera nostra. Nec propter hoc sensus immutatur. Inter me & filios Israël, signúmque perpetuum. In Hebræo non est copula, sed duntaxat: Inter me enim & H
inter filios Israël signum est perpetuum, Vel sempiternum, vt legunt Septuaginta. Vel, In æternum, vt habet Chaldaica. Signum (inquam) est, quod ego sum deus eorum, & ipsi populus meus. Celebrent itaque filij Israël sabbatum per successiones filiorum suorum, quod est præceptum seu fœdus pacis ac amicitiæ, duraturum per omne tempus veteris testamenti, immò & in nouo quoque permanet eiusdem celebratio spiritalis. *Sex enim diebus dominus fecit cœlum & terram, & in septimo ob omni opere cessauit.* CAIETANVS. Quinta ratio sabbati redditur ex eo quòd est signum rememoratiuum creationis mundi, descriptæ per sex dies, ita quòd septimo quieuit deus à nouis creaturis condendis. AVCTOR CATENAE. Quod nos legimus, Et in die septimo ab omni opere cessauit, Hebraicè habetur, וַיִּשְׁבַּת בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי וַיִּנָּפַשׁ Vbaiom hasebihi sabath vainnaphas, Et in die septimo cessauit & requieuit, Sic & Septuaginta, videlicet, ἐπαύσατο καὶ κατέπαυσε, cessauit & requieuit. In hunc sensum & Chaldaica, habens, Quieuit & requieuit. Verùm quia propriè verbum נָפַשׁ Naphes, significat refrigerare, vel requiescere animo, aut recreare, seu animari, id est, I
animam sumere, vertunt hîc aliqui, Cessauit & refrigeratus, siue refocillatus, vel recreatus est, aut animo requieuit. Loquitur autem scriptura & hîc & aliis penè infinitis locis, de deo humano more, perinde quasi homo esset qui post laborem recrearetur & respiraret, & hoc vt audientes quod scribitur, faciliùs capiant, quod & diligentissimè notant Hebræi. Clarè ergo intelligitur non solùm filiis Iacob dominum condidisse cœlum & terram, sed omnibus hominibus, quibus ex æquo creator est, neminêmque ab isto sabbatismo excludi, qui in deum nostrum optimum maximum crediderit, & vt creatorem omnium creaturarum adorauerit.

*Mystice.* IRENAEVS ADVERSVS HAERESES. Quoniam & circuncisionem non quasi con-
*Li.4.ca.30.* summatricem iustitiæ, sed in signo eam dedit deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, ex ipsa scriptura discimus, Dixit enim (inquit) deus ad Abraham, Circuncidetur omne masculinum vestrum, & circuncidetis carnem præputij vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos. Hoc idem de sabbatis Ezechiel pro- K
pheta ait, Et sabbata mea dedi eis, vt sint in signo inter me & ipsos, vt sciant, quoniam ego sum dominus qui sanctifico vos. Et in Exodo deus ait ad Moysen, Et sabbata mea obseruabitis, erit enim in signum apud me vobis in generationes vestras. In signo ergo data sunt hæc, non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque occisa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur, sed secundum carnem circuncisio, præfigurabat spiritalem. Etenim nos, ait Apostolus, circuncisi sumus circuncisione non manufacta. Et propheta ait, Circuncidite duritiam cordis vestri. Sabbata autem perseuerantiam totius diei erga deum deseruitionis edocebant. Aestimati enim sumus, ait Apostolus Paulus, tota die vt oues occisionis, scilicet & consecrati, & ministrantes omni tempore fidei nostræ, & perseuerantes ei, & abstinentes ab omni auaritiâ, non acquirentes nec possidentes thesauros in terra. Manifestabatur autem & tanquam de ea quæ facta sunt requietio dei, hoc est, regnum in quo requiescens homo ille qui perseuerauerit deo assistere, par- L
ticipabit de mensa dei. Et quia non per hæc iustificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit quòd ipse Abraham sine circuncisione & sine obseruatione sabbatorum credidit deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei vocatus est. Sed & Loth sine circuncisione eductus est de Sodomis percipiens salutem à deo. Item deo placens Noe cùm esset incircuncisus, accepit mensuras mundi secundum generationes, sed & Enoch sine circuncisione placens deo, cùm esset homo, dei legatione ad Angelos fungebatur, & translatus est, & conseruatur vsque nunc testis iusti iudicij dei, quoniam Angeli transgressi deciderunt in iudicium, homo autem placens translatus est in salutem. Sed & reliqua autem omnis multitudo eorum qui ante Abraham fuerunt iusti, & eorum Patriarcharum, qui ante Moysen fuerunt, sine his quæ prædicta sunt, & sine lege Moysi iustificabantur. Quemadmodum & ipse Moyses in Deuteronomio ait ad populum, Dominus deus tuus testamentum disposuit in Horeb, & non patribus vestris disposuit dominus testamentum hoc, sed ad vos. AVCTOR CATENAE. Qui ergo filij Israël secundum carnem se esse gloriantur, hi sabbatum faciant in generationibus suis, & diem saturni otio potiùs contaminent quàm sanctificent. Filij autem Is- M
raël & Abrahæ, hi quietem septimo die in domino agant, toti pendentes à domino, & sese ipsius volũtati sanctæ cõmodantes, vt nõ quę voluerit caro agant, sed spiritus sancti influxibus agitẽtur ad opera spiritus contra carnẽ. Id enim verè est sabbatũ agere, sese totos deo subdere & prostrare, plena voluntate deo resignari. Sicut ille verè polluit sabbatũ, qui deũ non agnoscit, & reueretur omniũ creatorẽ. Qui verò pro dei cultu exhibet cõtumaciam cõtra dei mãdata, agendo quę deo displicẽt, morte morietur infringens sabbatũ, vita gratiæ destituetur hîc, & in futuro seculo, qui dominũ deũ omniũ creatorẽ nõ crediderit, vel non obediẽdo tam facili præcepto, subesse omnium domino contẽpserit. INTERLINEARIS. Pactũ est (inquit) sempiternum inter me & filios Israël, signúmque perpetuum, significans scilicet priùs bona opera consummare debere, & postea in æternum quiscere, vnde bene subdit, Sex enim diebus dominus fecit cœlum & terram, & in septimo ab omni opere cessauit.
ORDINARIA. Frustra ergo gloriantur Iudæi de legali obseruatione sabbati. Apertè enim hîc dicitur quòd



A quòd signum est, futuræ scilicet quietis & beatitudinis, vel quietis sanctorum in præsenti, qua quiescunt à tumultu mundi operum & vitiorum. AVGVSTINVS. Sed & notandum quid sibi vult quod secundum *Quæst.139.*
Septuaginta Interpretes, cùm de sabbato obseruãdo præciperet, ait, Testamentum æternum in me & filiis Israël, non ait inter me & filios Israël. An quia sabbatum requiem significat, & requies nobis non est nisi in illo? Nam profectò filios Israël vniuersum populum suum dicit, id est, semen Abraham, etenim est Israël secũdum carnem, & secundum spiritum. Nam si Israël non esset dicendus nisi ex genere carnis, non diceret Apostolus, Videte Israël secundum carnem, vbi profectò significat esse Israël secundum spiritum, qui in absconditо Iudæus est, & circuncisus corde. Sic ergo melius fortasse distinguitur, Testamentum æternum in me, vt inde alius sit sensus, & filiis Israël signum æternum, id est, æternæ rei signũ, quomodo petra erat Christus, quia petra significabat Christum. Non ergo ita intelligendum est testamentum æternum in me & in filiis Israël, tanquam in deo & filiis Is-
B raël sit hoc testamentum æternum, sed in me testamentum, quia in illo promissa est requies ęterna, & filiis Israël signum est æternum, quia filij Israël acceperunt obseruandum signum, quo requies significabatur æterna veris Israëlitis, hoc est, filiis promisionis & visuris deum facie ad faciem sicuti est.

**Dedit quoque dominus Moysi completis huiusmodi sermonibus in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito dei.** 3

IRENAEVS. Quæritur hîc, cur deus non dederit patribus antiquis legem, sed tantùm Moysi in duabus 3
tabulis lapideis quam populo promulgaret? Quia lex non est posita iustis, iùsti autem patres, virtutem decalogi *Vbi supra.*
conscriptam habentes in cordibus & animabus suis, diligentes scilicet deum, qui fecit eos, & abstinentes erga proximum ab iniustitia, propter quod non fuit necesse admonere eos correptoriis literis, quia habebant in se-
C metipsis iustitiam legis. Cùm autem hæc iustitia & dilectio quæ erat erga deum cessisset in obliuionem, & extincta esset in Aegypto, necessario deus propter multam suam erga homines beneuolentiam, semetipsum ostendebat per vocem, & eduxit de Aegypto populum in virtute, vti rursus fieret homo discipulus & sectator dei, & subaffligebat indicto audientes, vt non contemnerent eum, qui se fecit, & manna cibauit eos, vti rationalem acciperent escam. Quemadmodum & Moyses in Deuteronomio ait, Et cibaui te manna, quod non sciebant patres tui, vti cognoscas quoniam non in solo pane viuit homo, sed & in omni verbo dei, quod procedit de ore eius, viuit homo. CYRILLVS LIBRO PRIMO SVPER IOANNEM. Nam quemadmodum *Cap.11.*
quanuis vniuersis sol oritur, nihil tamen inde cæcus vtilitatis cõsequitur, nec propterea meritò quispiam splendorem solis accusabit, sed non videndi culpam cæcitati attribuet, sic vt arbitror, de vnigenito etiam intelligendum est. Lux enim vera ille profectò est, & splendorem suum ad omnes emittit, sed huius seculi deus (vt ait Pau- *2.Cor.4.*
lus) mentes infidelium hominum obcæcauit, ne illuminatio cognitionis dei in ipsis fulgeat. Cæcitatem autem
D aduenisse homini dicimus, non quia penitùs luce priuatus sit, conseruat enim natura semper intelligendi vim diuinitùs sibi concessam: verùm quia peiore habitu homo hebetat, & ad peiora diuertens languefacit quodam modo gratiæ mensuram. Quapropter quando huiusmodi subit hominem, Psalmista tunc iure illuminari orat, *Psal.118.*
clamans ad deum, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim data est, vt per eam lux quæ in nobis est accendatur, lippitudine oculorum mentis detersa, & depulsis tenebris quæ prisca ignorãtia nos occuparunt. AMBROSIVS DE FVGA SECVLI. Lex gemina est, naturalis & scripta. Naturalis in *Cap.3.*
corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali. Sed non est omnium, vt vnusquisque sibi sit lex. Ille autem sibi lex est, qui facit sponte quæ legis sunt, & in corde suo scriptum opus legis ostendit. Habes quæ bona legis sint, quæ tamen non solùm scire vel audire perfunctoriè, sed etiam facere debemus. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Cognouisti etiam quæ mala sint. Primùm natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum, & seruum tuum si furtum tibi fecerit verberas, & si quis ad v-
E xorem tuam affectauerit, persequendum putas. Quod ergo in aliis reprehendis, ipse committis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non adulterandum, adulteras? Secuta est etiam lex quæ data est per Moysen. Per legem autem agnitio peccati. Accepisti etiam quid declinares, & ea agis quæ prohibita cognoscis. Lex autem quid operatur, nisi vt omnis mundus fieret subditus deo, quia non solùm Hebræo lata est, verùm etiam aduenam vocauit, quæ non excluserit proselytum? HIERONYMVS IN ESAIAM. Audiant Iudæi qui se *Cap.24.*
solos legem accepisse domini gloriantur, quòd vniuersæ primùm gentes, totúsque orbis naturalem acceperit legem, & idcirco postea lex data sit per Moysen, quia prima lex dissipata est, de qua Apostolus loquitur, Quum *Rom.2.*
enim gentes quæ non habent legem, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, isti legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Qui igitur has leges obseruauerint, præmia consequentur, qui autem neglexerint eas, sustinebunt, quæ pluribus in locis sermo propheticus comminatur. IDEM IN *Cap.7.*
HIEREMIAM. Ex hoc loco habes verum esse quod dicitur per Hieremiam prophetam, Non sum locutus
F cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, super verbo holocausti & victimarum, nam manifestè intelligitur, quòd primum decalogum dederit in tabulis lapideis, scriptum digito dei, & post offensam idololatriæ capútque vituli, postea iusserit sibi magis fieri quàm dæmonibus, auferens puram religionem mandatorum dei, & concedens sanguinem victimarum, carniúmque desiderium. AVGVSTI- *Quæst.140.*
NVS. Cùm tam multa locutus sit deus, duæ tantùm tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonij, futuræ in arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit deus, ex illis decem præceptis quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, & bene intelligantur, quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet dei & proximi, in quibus tota lex pẽdẽt & prophetę. IDEM
DE CATECHIZANDIS RVDIBVS. Cùm igitur populus Iudæorum per desertum ductus esset per *Cap.20.*
quadraginta annos, accepit legem digito dei scriptam, quo nomine significatur spiritus sanctus, sicut in Euan- *Luc.11.*
gelio manifestissimè declãratur. Neque enim deus forma corporis definitus est, nec sic in illo membra & digiti

cogitan-

cogitandi sunt,quemadmodum videmus in nobis,sed quia per spiritum sanctum dona dei sanctis diuiduntur, G vt cùm diuersa possint,non tamen discedant à concordia charitatis, in digitis autem maximè apparet quædam diuisio, nec tamen ab vnitate præcisio, siue propterea, siue propter aliam quancunque causam spiritus sanctus appellatus est digitus dei,non tamen cùm hoc audimus,humani corporis forma cogitanda est.Accepit ergo ille populus legem digito dei scriptam in tabulis sane lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum, quòd legem non erant impleturi.Corporalia quippe dona desiderantes à domino, magis carnali timore quàm spiritali *Rom.13.* charitate tenebantur, legem autem non implet nisi charitas. Ideo multis sacramentis visibilibus onerati sunt, quo seruili iugo premerentur,in obseruationibus ciborum,& in sacrificiis animalium, & in aliis innumerabilibus, quæ tamen signa erant rerum spiritualium, ad dominum Iesum Christum & ad Ecclesiam pertinentium, quæ tunc à paucis sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & obseruabantur ad congruentiam temporis,à multitudine verò carnalium tantummodo obseruabantur, non intelligebantur. IDEM DE VERBIS H *Serm.6.* APOSTOLI. Quod autem digitus dei spiritus sanctus intelligatur, lege Euangelium, & vide, quia vbi di- *Matth.12.* cit vnus Euangelista, domino dicente, Si ego in spiritu eiicio dæmonia, alius dicit, Si ego in digito dei eiicio *Luc.11.* dæmonia.Lex ergo digito dei scripta est,hoc est,in spiritu dei, quo spiritu victi magi Pharaonis dixerunt, Digi- *1.2. q. 98.* tus dei est hic. THOMAS. Dedit quoque dominus Moysi,& cætera. Lex vetus à bono deo data est, qui est *ar.2.in cor.* pater domini nostri Iesu Christi.Lex enim vetus homines ordinabat ad Christum dupliciter. Vno quidem modo,testimonium Christo perhibendo, vnde ipse dicit Lucæ vltimo, Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege,& in psalmis,& in Prophetis de me,& Ioannis quinto,Si crederetis Moysi,crederetis forsitan & mihi,de me enim ille scripsit. Alio modo per modum cuiusdam dispositionis, dum retrahens homines à cultu idololatriæ, concludebat eos sub cultu vnius dei,à quo saluandum erat humanum genus per Christum.Vnde Apostolus dicit ad Galatas tertio, Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat manifestum est autem quòd eiusdem est disponere ad finem, & ad finem perducere, & dico eiusdem per se, I vel per suos subditos. Non enim diabolus legem tulisset, per quam homines adducerentur ad Christum, per quem erat eiiciendus,secũdum illud Matthæi duodecimo,Si Satanas Satanam eiicit, diuisum est regnum eius, *Vbi supra* & ideo ab eodem deo à quo facta est salus hominum per gratiam Christi, lex vetus data est. Præterea sciendum, *ar.3.in cor.* quòd lex huiusmodi data est à deo per angelos.Et præter rationẽ generalem quam Dionysius assignat in quarto capitulo cœlestis hierarchiæ, quòd diuina debent deferri ad homines mediantibus angelis, specialis ratio est quare legem veterem per angelos dari oportuit.Dictum est enim quòd lex vetus imperfecta erat,sed disponebat ad salutem perfectam generis humani, quæ futura erat per Christum. Sic autem videtur in omnibus potestatibus & artibus ordinatis,quòd ille qui est superior,principalem & perfectum actum operatur per seipsum, ea verò quæ disponunt ad perfectionem vltimam, operatur per suos ministros, sicut nauifactor compaginat nauem per seipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes, & ideo conueniens fuit vt lex perfecta noui testamenti daretur immediatè per ipsum deum hominem factum:lex autem vetus per ministros dei,scilicet per K angelos daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus primo ad Hebræos probat eminentiam nouæ legis *Ibidẽ ar. 4* ad veterem, quia in nouo testamento locutus est nobis deus in filio suo, in veteri autem testamento est sermo *in cor.* factus per angelos. Vlterius sciendum, quòd posset vna ratio assignari quare potiùs populo Iudæorum data sit lex quàm aliis populis,quia aliis populis ad idololatriam declinantibus,solus populus Iudęorum in cultu vnius dei permansit,& ideo alij populi indigni erant legem recipere,ne sanctum canibus daretur.Sed ista ratio conueniens non videtur, quia populus ille etiam post legem latam ad idololatriam declinauit, quod grauius fuit, vt patet Exodi trigesimo tertio, & Amos quinto: Nũquid hostias & sacrificium obtuliſtis mihi in deserto quadraginta annis domus Israël,& portastis tabernaculum Moloch dei vestri,& imaginem idolorum vestrorum, sidus dei vestri, quæ feciſtis vobis? Expresse etiam dicitur Deuteronomij nono, Scito quòd non propter iustitias tuas dominus deus tuus dedit tibi terram hanc in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus, sed ratio ibi præmittitur, vt compleret verbum suum dominus quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, L Isaac & Iacob,quæ autem promissio eis sit facta ostendit Apostolus ad Galatas tertio,dicens,Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius:non dicit seminibus quasi in multis,sed quasi in vno,& semini tuo qui est Christus. Deus igitur & legem & alia beneficia specialia illi populo exhibuit propter promissionem eorum *patribus* factam,vt ex eis Christus nasceretur,decebat enim vt ille populus ex quo Christus nasciturus erat,quadam speciali sanctificatione polleret secũdum illud quod dicitur Leuitici decimonono,Sancti eritis,quia ego sanctus sum. Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahę vt talis promissio ei fieret,vt scilicet Christus ex eius semine nasceretur, sed ex gratuita dei electione & vocatione.Vnde dicitur Esaiæ quadragesimo primo, Qui suscitauit ab oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se. Sic ergo patet quod ex sola gratuita electione patres promissionem acceperunt,& populus ex eis progenitus legem accepit,secũdum illud Deuteronomij quarto, Audiſtis verba illius de medio ignis, quia dilexit patres,& elegit semen eorum post illos. Si autem rursus quæratur, quare hunc populum elegit vt ex eo Christus nasceretur & non alium, conueniet responsio Augustini quàm dicit su- M per Ioannem, Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare si non vis errare. Et quamuis salus futura per Christum,esset omnibus gẽtibus præparata,tamen oportebat ex vno populo Christum nasci,qui pro- *Vbi supra* pter hoc præ aliis prærogatiuas habuit secũdum illud Romanorum nono, Quorum scilicet Iudæorum, est ado- *ar.6.in cor.* ptio filiorum dei,& testamentum,& legislatio,quorum patres, ex quibus Christus est secũdum carnem. Demum sciendum,quod cõuenientissimè lex vetus data fuit tempore Moysi.Cuius ratio potest accipi ex duobus,secundum quod quælibet lex duobus generibus hominum imponitur. Imponitur enim quibusdam duris & superbis qui per legem compescuntur,& domantur. Imponitur etiam bonis, qui per legem instructi adiuuantur ad implendum quod intendunt. Conueniens igitur fuit tali tempore legem veterem dari ad superbiam hominum conuincendam. De duobus enim homo superbiebat,scilicet de scientia & de potentia. De sciẽtia quidem,quasi ratio naturalis ei posset sufficere ad salutem. Et ideo vt de hac eius superbia conuinceretur, permissus est homo

regimini



A regimini suæ rationis absque adminiculo legis scriptæ,& experimento homo discere potuit quod patiebatur rationis defectum per hoc quòd homines vsque ad idololatriam & turpissima vitia circa tempora Abrahæ sunt prolapsi,& ideo post hæc tempora fuit necessarium legem scriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ,quia per legem est cognitio peccati vt dicitur Romanorum quinto, Sed postquam homo est instructus per legem, conuicta est eius superbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoscebat, & ideo sicut Apostolus concludit ad Romanos octauo, Quod impossibile erat legi in qua infirmabatur per carnem, misit deus filium suum, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Ex parte verò bonorum lex data est in auxilium, quòd quidem tunc maximè populo necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat propter exuperantiam peccatorum. Oportebat enim huius auxilium quodam ordine dari, vt per imperfecta ad perfectionem manuducerentur, & ideo inter legem naturæ & legem gratiæ oportuit legem veterem dari. CAIETANVS. Dedit B quoque dominus Moysi,& cætera.Iuxta Hebræum habetur,Et dedit Moysi sicut finire eius ad loquendum cum ipso in monte Sinai.Clarè sonat Hebraica litera, quòd in fine sermonis, proculdubio prærecitati, dedit has tabulas.Quod autem dicit,sicut finire eius,aduerbium sicut,non est nota similitudinis,sed iuxta vsitatum vulgare,est nota temporis.Est enim sensus,quòd finiendo sermonem,postremò dedit Moysi has tabulas.Duas tabulas testimonij siue testificationis. Appellantur tabulæ decem præceptorum, tabulæ testificationis, ab officio testificandi,quia datę sunt ad testificandum iugiter populo quòd deus ore proprio præcepit illa.Lapideas.Parui refert quòd Hebraicè habetur, tabulas lapidis. Phrasis enim Hebraica huiusmodi repetitionibus gaudet. Nec explicatur species lapidis, quanuis Hebræi dicãt lapidem Sapphyrinum fuisse. Scriptas digito dei. Iuxta Hebræum habetur nomen Elohim. Et aptè tabulæ legis scriptæ dicuntur digito summi legislatoris, tanquam manu propria non subscripserit,sed scripserit ipse summus iudex hæc decem præcepta. Et meminit digiti, quia digitis scribimus,more enim humano de deo loquitur. AVCTOR CATENAE. Sic Hebraicè habetur locus iste וַיִּתֵּן C אֶל מֹשֶׁה כְּכַלֹּתוֹ לְדַבֵּר אִתּוֹ בְּהַר סִינַי שְׁנֵי לֻחֹת הָעֵדֻת לֻחֹת אֶבֶן כְּתֻבִים בְּאֶצְבַּע אֱלֹהִים Vaitten el Mose cechallotho ledabber ito behar Sinai sene luchoth haheduth,luchoth eben chethubim beezbaha elohim,Et dedit deus Moysi cùm consummauit loqui secum in monte Sinai,duas tabulas testimonij, tabulas lapideas scriptas digito dei. Sic habet Chaldaica,sic & Septuaginta per omnia. Etenim litera caph, non solùm sicut, siue iuxta, sed etiam cùm vel postquam significat,vt hoc eodem libro, nono capitulo, Cùm egressus fuero de vrbe, Et Deuteronomij decimo septimo,Postquam autem sederit in solio regni.Digito autem dei,Hebraismus est,id est,digito suo,antecedens pro relatiuo. Vocat autem tabulas testimonij, in quibus decem præcepta erant scripta, quibus testabatur Israëlitis suam voluntatem, quicquid eos in posterum facere vellet. Rectè igitur pactum testimonij domini dei est id, quod summam totius beneplaciti sui proximo suo digito inscripsit lapidibus, & arcæ fœderis ac testimonij includi præcepit,& summa reuerentia coli,tanquam deum ipsis propriè præsentem,condito testamento, & proprij anuli impressione cõfirmato & sigillato.Verissimè enim pactum domini dicitur, decalogi testamen- D tum,quo sic professus est futurum fidelibus clementissimum patrem & dominum,vt vicissim ipsi sese illi exhibeant filios dilectionis & obediẽtiæ.Idem ergo est dicere,digito dei scriptas, ac si dixisset opere dei, non autem humano. Sed dicet aliquis, Quid est quòd deus conscripsit decalogum potius in lapideas, quàm in ligneas aut papyraceas tabulas? Cui respondebimus, Voluit deus his saxeis tabulis significare stabilitatem & firmitudinem legis suæ.Vt enim gentes incidebant leges suas in æs,quo significarent eas debere esse inuiolatas,ita deus inscripsit decalogum suum in lapides, vt declararet se potiùs cœlum & terram aboliturum quam decalogum suum.

ISIDORVS. Cur autem in duabus tabulis scripta est lex, nisi propter duo testamenta significanda, aut *Mysticè.* propter duo illa præcepta dilectionis dei & dilectionis proximi, in quibus lex tota pendet & Prophetæ? Hæc enim in singulis tabulis explicata sunt:in vna enim tria præcepta ad dei pertinentia charitatem, in alia verò septem pertinentia ad proximi societatem.Sed cur lapideæ fuerunt, nisi ad significandũ cor lapideum Iudæorum? Per lapidis enim insensibilitatem,demonstrauit duram eorum mentis stoliditatem, de qua Propheta dicit, Au- E feram è vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Vnde & Apostolus, Non in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus. Neque enim hoc tabulæ carnales volunt, vt carnaliter sapiamus, sed quia in comparatione lapidis qui sine sensu est, caro sentit, idcirco per lapidis duritiam significatum est cor non intelligens, & per carnis sensibilitatem,significatum est cor intelligens. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Denario autem numero perfectio doctrinæ designatur. Vnde & Moysi decem legis præcepta tribuuntur, quæ dei digito scripta sunt. Quid est enim digitus dei, nisi spiritus sanctus? Qui cùm legem scripsit, hanc vtique in decem præceptis edidit, quia & si in ea carnale aliquid foris protulit, intus hanc spiritualis intelligentiæ perfectione signauit. CYRILLVS DE SPIRITV SANCTO. Crassiores Iudæorum mentes quæ externa legis videbantur quodammodo ferre posse,hoc est,ea quæ per literam legis dicebantur, at intolerabilia erant,& inaccessa quæ intus latebant, & vt sic dicamus, vera sensuum facies. Eapropter & diuinus Paulus scribit nobis, Vsque in hunc diem idem velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quia per Christum a- F boletur,sed vsque in hunc diem,quãdo legitur Moyses,velamen super cor eorum positum est. Hactenus Iudæorum res promouerunt. Nos autem omnes, inquit, reuelata facie gloriam domini vt speculo repræsentantes, ad ipsam imaginem transformamur,à gloria in gloriam,tanquam à domino spiritus. Dominus autem spiritus est. Quemadmodum enim qui in speculum vident imaginem & figuram veritatis,& non veritatem intuentur.Ita & qui Christianæ vitæ pulchritudinem videre desiderant, & lege quasi speculo vtuntur, votorum suorum vtique compotes erunt, nam illam rerum imaginem ad veritatem transformantes, scient purè quid deo maximè placeat ac gratum sit.At quo pacto congruum fuerit, olim & ab initio priscis nouam & Euãgelicam legem non esse datam, sed figuras duntaxat & vmbras eis perscriptas?Euidentior quidem dispensationis modus quomodo se habeat, deo qui scit omnia relinquendus est. Nihilominus tamen vel in mediocrem notitiam,rationum bonarum cogitationes,quæ certiores sunt, nos adducunt, vel saltem vt dispẽsationis occasionem scire videamus. Itaque dicimus, quòd liberati ex Aegypto opus habebant instructione & educatione quasi puerili. Erant enim

adhuc

adhuc crassi,& ad absurda quæque facilè seductiles. Nam his qui ineluibili & immodico carnis amore infirmi, G
& affectionibus quasi ineuitabilibus obnoxij erãt, ferè impossibile erat, & minimè integrum, vt statim arduam
quandam ciuilitatem & vitæ rationem arriperent, quæ tam præclara sit ac admirabilis, vt ambuletur quidem
super terram, nuncupatus autem habeatur in cœlis, secundum quod scriptum est, An non perfectorum quidem
est solidus cibus, paruulis verò lac conducibilius est? Pueris igitur opus erat eruditione, quæ per figuras (& vt
sic dicam) victu delicatiore, non sermone ad consummatam perfectionem ducente, Israëlitæ enim leues erant,
parúmque sapientes, & in quamlibet affectionem facilè rapiebantur, & si quis mores & conatus eorum diligen-
*Exod.32.* ter spectarit, opinor quòd nec vmbra digni erant, id quod Moyses ostendit. Nam cùm deus præciperet vt Moy-
ses legem suscepturus in montem conscenderet, mox illi defecerũt à deo, & vitulo facto miserè dicere ausi sunt,
Hi sunt dij tui, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Vnde Moyses tantam inconstantiam ægreferens, tabulas in
quibus lex erat cõfregit, neque vmbra, neque figuris, neque vlla doctrina cœlesti dignos arbitratus. Adhæc tam
stupidæ mentis erant, vt immemores omnium miraculorum, quæ propter ipsos per diuinam potentiam facta
erant, vitulo diuinum honorem tribuerent iterum, & ad cultum Aegyptium, vel memoria redirent. Porrò in la- H
pideis quidem tabulis lex depingebatur digito dei vt scriptum est. Et erant illa quæ fiebant, figura eorum, quæ
credita sunt à nobis per Christum esse facta. Quippe omnium dominus deus sui consilij scientiam quodammo-
*Psal.44.* do in nobis scribit, filio quasi calamo vtens in spiritu. Ita enim illum per Dauidem nominauit, dicens, Lingua
calamus scribæ velociter scribentis. Patris enim calamus, hoc est filius, omnium cordibus inscripsit omnis bo-
ni scientiam, quasi quodam digito dei, spiritu tam suo quàm patris vsus. Sanè spiritum digitum dei nomina-
*Luc.11.* bat, dicens quodam loco, Si autem in spiritu dei eiicio dæmonia. Et Paulus nos vocat spiritualem epistolam,
*2.Cor.4.* Vos estis (inquiens) epistola nostra, vos estis inscripta, quæ legitur ab omnibus hominibus, declarantes quòd estis
epistola Christi subministrata, à nobis inscripta, non atramento, sed spiritu dei viuentis, non in tabulis lapideis,
sed in tabulis cordis carneis. I

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMSECVNDVM, ARGVMENTVM.

*Vitulum aureum adorant Israelitæ. Orat Moyses deum pro eis, obiiciens promissiones. Iratus confringit tabulas. Obiurgat Aaronem. Idololatræ interficiuntur. Orat iterum Moyses peccatum populo dimitti, aut deleri se de libro vitæ.*

## CAPVT XXXII.

*Lectio 1.* *Videns autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus ad-*
*uersus Aaron, ait, Surge, fac nobis deos qui nos præcedant. Moysi enim huic uiro qui nos e-*
*duxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit ei. Dixítque ad eos Aaron, Tollite inau-* K
*res aureas de uxorum filiorúmque & filiarum uestrarum auribus, & afferte ad me. Fecit*
*populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, formauit opere*
*fusorio, & fecit ex eis uitulum conflatilem. Dixerúntque, Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxe-*
*runt de terra Aegypti. Quod cùm uidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis*
*uoce clamauit, dicens, Cras solennitas domini est. Surgentésque mane, obtulerunt holocausta & hostias pacificas,*
*& sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

*Lectio 1.* PROSPER DE PROMISSIONIBVS ET PRAEDICTIONIBVS DEI. Dum hæc quæ su-
*par.2.ca.4.* pradicta sunt in monte Sinai Moysi facienda mandantur, populus præuaricatus à deo, idololatriæ crimen in- L
currit. Fingitur per Aaron vitulus ex auro, eíque in contumeliam dei veri victimas sacrificiáque obtulit, dicens,
*Psal.105.* Hi dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et obliti sunt deum qui liberauit eos, qui fecit magnalia in
Aegypto, mirabilia in terra Cham, & terribilia in mari rubro. Hanc igitur historiam recensét sanctus domini
Propheta, inquiens: *Videns autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait, Sur-*
*ge, fac nobis deos qui nos præcedant. Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit ei.* AVGVSTI-
*Locut.119.* NVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Secundum alia exemplaria, Consurrexit populus
*1.Cor.10.* in Aaron, & dixerunt ei. Vsitata locutio est, quia ex multis populus constat. Deinde notandum totum pro parte
positum. Apostolus enim sicut reuera erat, quosdam eorum dixit hoc fecisse, non totum populum, vbi ait, Ne-
que idolis seruiamus, sicut quidam illorum. Surge, & fac nobis deos qui nos præcedant. Sedenti loquebantur, an
potiùs locutio est notanda, propter quod sæpe dicitur, Exurge domine, aut surge deus, iudica terram? AM-
*Epistola 56 ad Romul.* BROSIVS EPISTOLARVM LIBRO SEPTIMO. Cùm Moyses in monte Sina legem acciperet, po- M
pulus erat cum Aaron sacerdote. Et quanuis frequenter ad culpam lubricus, tamen quandiu lex dabatur, sacri-
legio errasse non proditur. Verùm vbi diuinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, vt peteret sibi fieri deos.
*Cap.3.* HIERONYMVS IN DANIELEM. Hanc autem dicunt scripturæ sanctæ consuetudinem, vt vnum
*3.Reg.12.* idolum appellet pluraliter, vt est illud in Exodo de vitulo, Isti sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ae-
*Esa.44.* gypti. Et in Regum volumine, Hieroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse narratur. E contra-
rio multa dæmonia singulari numero appellantur, vt in Esaia, Inclinat se, & adorat illud, & votum faciens di-
cit, Deus meus es tu. CHRYSOSTOMVS HOMILIA DE REGRESSV EIVS EX ASIA. Moysi
accidit quod in seculari coniugio assolet euenire. Etenim vir quando impudicam vxorem habere se nouit, nec
prospicere ei de domo permittit, qui & si peregrinari aliquando coactus fuerit, cogitat citò reuerti, quasi quo-
dam suspicionis aculeo stimulatus: qui autem sobriam & castam habet, foras securus moratur, sufficientes pro-
curato-



A curatorum munimine mores relinquens vxoris. Hoc (inquam) Moyses passus est, quia inemendabilem synago-
gam habebat vxorẽ, reliquit eam, & fornicata est. IDEM HOMILIA DE PRODITIONE IVDAE:
Iudæi circa deum bonorum sibi omnium largitorem fuerunt effrenata diffidentia contumaces, & eius be-
neficia obliuione præteribant. Nam post Aegypti profectionem viderunt conscindi maria, & denuò conuenire,
& alia multa mirabilia, & dicunt, Fac nobis deos, qui nos antecedant. Adhuc inspicis quod miraris, & oblitus es
largitoris? INTERLINEARIS. Putauit autem populus Moysen interiisse, aut aliquid accidisse, quòd
non posset redire. ORDINARIA. Fac nobis deos dixerunt, cùm vnus tantùm vitulus factus sit, ad simi-
litudinem scilicet bouis Apis quem in Aegypto coluerunt, sed qui idololatriam colit, omnibus vitiis subiicit
se, & quasi tot diis & dæmonibus, quot vitiis seruit. CAIETANVS. Videns autem populus, & cætera. Ne-
scitur quantum temporis significetur per hanc moram, ex subiunctis tamen colligitur, quòd non paruo tempo-
B re ante descensum Moysi tumultus iste fuerit, nam intercessit non solùm collectio auri, sed etiam tempus con-
flandi vitulum aureum, & certum est huiusmodi opus multo tempore egere. Congregatus (inquit) aduersus vel
super Aaron. Quanuis Moyses ascensurus in montem surrogauerit loco sui Aaron & Hur, quia tamen Aaron
erat præcipuus, ideo ad Aaron cucurrerunt. Nec dicitur quòd totus populus, sed quòd populus congregatus est,
popularis enim concursus significatur, quanuis non de consensu omnium. Super Aaron autem dicitur, ad insi-
nuandum quòd tanquam superiores, proculdubio potentia, cucurrerunt ad Aaron. Ex verbo autem, Surge, insi-
nuatur, quòd matutinus fuit hîc concursus, tanquam Aaron adhuc iacentem excitauerint, dicendo, Surge, & fac
nobis deos. Et dicunt, Qui nos præcedant, manifestando se confidere in idolo tanquam in duce & gubernatore
exercitus ac populi. Rationem autem petitionis suæ reddunt, ignorantiam eius quod accidit Moysi. In quibus
verbis manifestant se nihili pendere deum, nullam dei rationem habere, sed Moysi duntaxat, aiunt enim quòd
Moyses eduxit eos de Aegypto, pro nihilo habentes tot diuina miracula in illa eductione, & quia nescíunt quid
C acciderit Moysi, pro nihilo habent quòd deus ore proprio ipsis audientibus mãdauerit non fieri idola, non ado-
rari alium deum. Deum itaque sensibilem fieri exigunt, posthabito deo qui de cœlis locutus est. AVCTOR
CATENAE. Dictio hal Hebraica, tam contra quàm super vel ad Aaron reddi potest, vnde rectè transtulit
Interpres, licet tam Septuaginta quàm Chaldaica legant, Et congregatus est populus ad Aaron. Sed hoc parum
est. Ignoramus quid acciderit. Idem in sensu est iuxta Hebraicum: לֹא יָרַעְנוּ מֶה הָיָה לוֹ Lo iadáhenu me háia lo,
Non scimus quid factum sit ei, pro, Nescimus quid acciderit huic viro Moysi. Quasi dicãt, quid ad nos Moyses?
Fortassis mortuus est. Quòd si nunquam rediret ad nos, num nobis semper sine deo viuendum esset? Vides ex
hoc loco absentiam rectoris grandem iacturam fieri populi, quanquam negocium agat ipsius coram domino,
permissio enim dei erat, vt cordis ipsorum hypocrisis reuelaretur, & patientia ducis ac modestia cum iusto zelo
ostenderetur. Facilis populi contemptus oritur contra præpositos, & ingratitudo fœda. Contemptim enim vi-
rum illum appellabant, non ipsum dignati tantùm proprio nomine. Conqueri videntur se seductos à viro isto
D esse ex Aegypto, deos multos sibi postulant fieri, audacissima procacitate, qui vnius dei tãta beneficia non agno-
scunt. Sed vidisti (obsecro) insaniorem iusipientiam? audisti vnquam verba magis hominum sensu carentium
ac stupidæ mentis indicia, velle quòd homo quispiam deum faciat? Fac (inquiunt) nobis deos, qui nos præcedãt,
& in animum sibi inducere vt credant hos deos fabricandos eduxisse ipsos de terra Aegypti, cùm eo tempore
quo liberati sunt, dij ipsi nondum formati essent? Habes tamen quòd solent etiam impij discere per experien-
tiam, nihil se posse sine deo, quem vbi vnum & verum amare nesciũt & colere, plures sibi deos effingunt & pro-
stituunt, vt qui sordent, sordescant magis. *Dixítque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de vxorum filiorúmque & filiarum*
*uestrarum auribus, & afferte ad me.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Non *Quæst.141*
absurdè intelligitur difficilia præcipere voluisse, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret, factum tamen il-
lud ipsum difficile, vt esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putaui, qui cõtristantur si quid
tale propter vitam æternam diuinitùs fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur. AMBROSIVS. Coactus *Vbi supra.*
E igitur Aaron petit anulos eorum, & inaures mulierum, quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput.
Neque excusare tantùm sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Non imprudens tamen, qui anu-
los Iudæis & inaures abstulit. Etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec
ornamenta aurium. Denique & patriarcha Iacob abscondit inaures cum simulachris gentium, quando in Sichi-
mis abscondit, vt nullus audiret superstitiones gentilium. Pulchrè autem dicit, Deponite anulos & inaures au-
reas, quæ sunt inaures mulierum vestrarum. Non quo virorum inaures relinqueret, sed quòd viros non habere
manifestaret. Congruè quoque inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret. Et ideo
quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus conflata est imago sacrilegij. Qui enim male audit, con-
flare sacrilegium solet. INTERLINEARIS. Non est autem ausus resistere, quia sciebat populum pronum
ad occidendum. Aurum autem illud periit, quod est purius & charius. BERNARDVS IN EPISTOLIS. *Epist.83.ad*
Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persequutionem patiuntur, ita vt cum eis nunquam desit piè viuere, *Abbatem*
F non semper tamen adsit & perficere pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est, piis bonorum propositis as- *S.Nicolai.*
siduè reluctari, sic contra pietatem non est, propter multitudinem aduersantium, quanuis iusta & sancta desi-
deria paucorum, plerumque non perfici. Sic Aaron sceleratis tumultuantis populi contra voluntatem suam cla-
moribus cessit. Sic Samuel eidem populo inordinatè regem petenti, inuitus Saulem inunxit. Sic Dauid cùm
vellet deo construere templum, propter infestantium tamen bella inimicorum, quia vir bellicosus erat, prohibi-
tus est facere quòd sanctè proposuit. CAIETANVS. Poterat quidem Aaron petere aurum aliud ab illo
quod erat formatum in aures, sed quærens cautè diuertere furorem populi, proposuit hoc difficile, quod & diffi
cilius reddidit, dicendo, Ex auribus vxorum filiorúmque & filiarum vestrarum, vt dissensio domestica in do-
mo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus & pueris. AVCTOR CATENAE. Tollite inaures au-
reas. Verbum פָּרַק pharak, confringere, diuidere, separare, dissoluere, dilacerare, & excutere significat. Hîc autem
פָּרְקוּ párku imperatiuus est, in coniugatione piel, vbi litera פ phe, est cum kamez propter res literam sequentem.

Vnde

Vnde aliqui hîc vertũt, Seponite vel ſeparate. Alij, Diſſoluite, vel dilacerate, aut dirumpite, ſiue abrumpite. Quidam, decerpite. Septuaginta & Chaldaica, vt apud nos habent, Tollite. Quæ omnia vnum ſunt. Aaron itaque difficilia populo præcipit & iniungit, vt vel ea ratione eos abſtrahat ab impia intentione mala. Quis enim credidiſſet mulieres & filias ad ornamentorum lenocinia tam propenſas, ſtatim allaturas ornamenta ſua, & abiicienda in ignem? Et viri quoque quomodo hæc impetrare ab vxoribus poſſe crederentur? Facilis debet à fidelibus haberi iactura omnium rerum temporalium propter deum, ſi hi tam ſponte & ſubitò propter idolum pretioſa quæque abiicere potuerunt, nam ſequitur, *Fecit populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, totus populus. Ecce augmentum mali, priùs populus congregatus eſt furens, deinde totus populus dedit inaures deferendas ad Aaron. Nec in Hebræo habetur, Quod iuſſerat, ſed ſimplex executio ſcribitur. AVCTOR CATENAE. Fecit populus quod iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. Senſum ex verbis reddidit aptè doctus Interpres, Hebraica autem ipſa ſunt huiuſmodi וַיִּתְפָּרְקוּ כָל הָעָם אֶת נִזְמֵי הַזָּהָב אֲשֶׁר H בְּאָזְנֵיהֶם וַיָּבִיאוּ אֶל אַהֲרֹן Vaithpárku col haham eth nizme hazahab aſer beaznehem, vaiabíu el Aharon, Separauitque vel ſepararunt ſeſe omnis populus ab inauribus aureis quas (habebat) in auribus ſuis, & adduxerunt ad Aaron. Id eſt, priuauit ſe inauribus, vel detraxit inaures de auribus ſuis. Hebraiſmus. Eſt autem verbum in Hithpael, quia magno & prompto animo fecerunt, & complacuerunt vt ſepararent ſe ab inauribus ſuis, vt illas non haberent amplius. Dictio etiam אֵת Eth, vice מִן Min, id eſt, à, poſita eſt. Vertunt alij, Et rupit à ſe cunctus populus inaures aureas quas habuerunt in auribus ſuis, & attulerunt ad Aaron. Alij, Abruperunt ergo populus inaures aureas omnes quæ pependerant in auribus ſuis, & attulerunt ad Aaron. Quidam, Et diſſoluit populus inaures aureas quæ erant in auribus ſuis, & detulerunt ad Aaron. Chaldaica, Tulerúntque omnis populus inaures aureas quæ erant in auribus ſuis, & detulerunt ad Aaron. Sic ferè & Septuaginta. Quæ omnia à ſenſu literæ noſtræ non deuiant. Iſraëlitæ igitur ſtudioſiſsimè conferunt, quod ad nouos deos fabricandos petitum erat. In quo facto præpoſteram videas eorum liberalitatem. In conſtituendis enim falſis deorum cultibus liberaliſsimi ſunt, qui alibi in inſtaurando & conſeruando vero cultu dei auariſsimi & tenaciſsimi exiſtunt. In Hieremia nanque capite. XLIIII. Iudæi liberaliter offerunt reginæ cœli, qui erat alienus cultus, in Nehemia verò capite. XIII. Leuitæ ad conſeruandum verum cultum dei tam illiberaliter tractantur, vt neceſſe habeant miniſterium eccleſiaſticum deſerere. Idem etiam conqueritur ſpiritus ſanctus per Aggeum & Malachiam. Nec huic diſſimile eſt quod hodie paſsim fieri vides. Quotus enim quiſque Chriſtianorum eſt, qui non in voluptates carnis, in ſuperflua & vana ac populi auram captantia, non cenſum omnem profundat, at in pauperes Chriſti ne vilem quidem obolum erogare curat? Quod verò dicitur, omnis populus attuliſſe inaures ad Aaron, eo etiam ſenſu dictum intelligere poſſumus, quo maior pars illius ſignificetur, nam & id loquendi genus paſsim in conſuetudine eſt. *Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque, Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* INTERLINEARIS. Quia bouem adorauerunt in Aegypto, aliud forſitan idolum non ſuſciperent. AMBROSIVS. Cur autem caput vituli exierit, ſequentia docent. Quia ſignificabatur futurum quòd Hieroboam poſteriore tempore hoc genus ſacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos, *Cap.7.* ſiue quòd omnis perfidia ſimilis immanitatis, atque beſtialis inſipientiæ ſit. HIERONYMVS IN OSEE

*Vbi ſupra cap.eodem.* Multa ſæpe Iſraël idololatriæ accepit vulnera, & maximè illud, quando in eremo vituli conflauerunt caput, atque dixerunt, Iſti ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. IDEM. Propterea ait Propheta, Vaſtabuntur & miſeri erunt, & ſemper timentes ac formidantes, quia præuaricati ſunt in deum, adorantes vitulos aureos, & relinquentes eum qui redemit eos de Aegypti a ſeruitute, & eduxit in excelſo brachio, ipſi verò locuti ſunt contra dominum mendacia, dicentes de idolis, Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerũt de terra Aegypti, & non clamauerunt ad dominum in corde ſuo, ſed in idololatriæ fornicationibus volutabãtur. CYRILVS LIBRO SEXTO SVPER IOANNEM. Quomodo autem ſe iactare poſſunt Iudæi, quòd ex iis *Cap.5.* qui idololatriæ dediti fuerint non deſcenderunt, ſed vana & friuola eſt eorum iactantia. Nam & patres eorum *Iudic.2.* in deſerto adorauerunt vitulum conflatilem, & cùm à iudicibus regerentur, ſæpius abierunt poſt deos alienos, L *4.Reg.24.* & traditi ſunt in manus perſequentium. Denique cùm regum principatu gubernarentur, frequentur admodum prolapſi ſunt in cultum idolorum, tandem Babylonicam perpeſsi captiuitatem in ſcelerum ſuorum pœnam. Si *Hiere.3.* non fuerit vnquam in progenitoribus eorum iſta fornicationis abominatio, quare igitur Hieremias Propheta, imò dominus per Hieremiam, Iudæam de fornicatione increpat, atque vt ab illa deſiſtat, clemẽtiſsimè commonet, dicens, Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit dominus, & ego ſuſcipiam te? THEODORETVS. Aaron propoſitum in vitulo formando quærendum eſt. Ita enim fiet, vt omnino venia indignum fuiſſe non iudicemus. Nam quum frater illius Moyſes quadraginta dies in montis vertice conſtitiſſet, & populus ille rabie quadam inſaniret, atque in Aegyptum remigrare vellet, primò quidem populi impetum verbis compeſcere tentauit, ſed poſtquam dicto audientes minimè eſſe intellexit, mulierum aureas inaures poſtulauit, vt animum ornatus pecuniarúmque maximè amantem, ſuperſtitionis inſaniæ tanquam militem militi in acie opponeret. Verùm ne hac quidem ratione rabiem illorum extinxit. Quapropter vitulum M formare neceſſariò coactus eſt. Huiuſmodi itaque propoſitum à diuina benignitate illi ignoſcendum erat. Id quod Moyſes ipſe in Deuteronomio ſatis declarauit, quum ait, Deprecatus ſum dominum pro Aarone fratre meo, & mortuus non eſt. DIODORVS. Aaron vt tempus in vituli formatione contereret, donec Moyſes ipſe de monte deſcenderet, qui omnem illam iuſaniam atque impetum refrenaret, inaures aureas poſtulauit, vitulum ipſum opere fuſorio conflauit. CAIETANVS. Iuxta Hebræum dupliciter legitur hæc litera, Et formauit illud in ſtylo, vel ligauit illud in crumena. Si prima admittitur lectio, non facilè patet, quia non apparet ad quid opus fuerit ſtylo exercendo ad formandum aurum, quod vt ſubiungitur, fundendum erat. Poteſt tamen dici, quòd figurauit ſtylo aurum, non in ipſo auro, ſed in forma ſeu exemplo ipſius fundendi. Si verò altera admittitur lectio, ſignificatur quòd vniuerſas inaures ligauit in vaſe vno, tanquam ſigillans illas publicè in crumena, ad tollendam ſuſpicionem omnis furti, fraudis, vſurpationis & exemptionis, vt certus eſſet populus, quòd



A quòd omnes inaures pariter ad faciendum deum eorum funderentur. Et quia hic actus quadrat negotio fundendi inaures collectas omnes, ideo hæc ſecunda lectio amplectenda videtur: æquiuocę enim ſunt iſtæ dictiones apud Hebræos, & liberum eſt vtramlibet eligere lectionem. Et fecit ex eis vitulum conflatilem. Nihil refert quòd Hebraicè habetur, nõ ex eis, ſed illud, proculdubio aurum. Non fuit itaque vitulus ſculptus ſtylo, ſed fuſoria arte conflatus. Et in hoc apparet multo fuiſſe opus tempore ad faciẽdum hunc vitulum, oportuit enim priùs facere formam, & reliqua neceſſaria ad fundendum aurum, & formandum ipſum in figuram vituli. Et ſi notaueris verbum fecit, perpendes quòd ex induſtria Aaron fecit figuram vituli, & fabellam eſſe quòd diabolico opere formatus fuerit vitulus, de ipſo enim Aaron dicitur, Et fecit vitulum fuſilem. Intellige tamen ſemper per artificem. Dixerúntque. Cõmunis vox de vitulo iam fuſo ſignificatur. Hi ſunt dij tui Iſraël, & cætera. Vide ſtultitiam. Nunc nouiter facto vitulo attribuunt præteritum beneficium eductionis de Aegypto, volunt vitulum
B agnoſci & coli vt deum benefactorem etiam præteriti beneficij. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ſic habet locus וַיִּקַּח מִיָּדָם וַיָּצַר אֹתוֹ בַּחֶרֶט וַיַּעֲשֵׂהוּ עֵגֶל מַסֵּכָה Vaikkach miiadam vaiázar otho bachêret, vaiahaſéhu hêgel maſſecha, Et tulit de manu eorum, & formauit illud cum ſtylo (nempe ferreo) ſeu opere fuſorio, & fecit ex illo (videlicet auro) vitulum conflatilem ſeu fuſilem. Chéret nanque ſtylum, ſiue opus fuſorium, vel marſupium ſignificat. Stylum autem Hebræi ferreum intelligunt. Alij volunt typum & formulam eſſe, in quem proiecerit Aaron aurum, quod fuſum expreſſerit vituli ſimilitudinem. Vertunt alij, Qui ſumens de manu illorum, finxit illud ſtylo, & fecit hoc ipſum vitulum fuſum. Sic & Septuaginta interpretantur, καὶ ἔπλασεν αὐτὸ ἐν τῷ γλαφίδι, hoc eſt, Et finxit ſeu formauit illud in ſtylo, vel calamo, vbi ἐν eſt loco præpoſitiõis μετὰ. Chaldaica, Et tulit de manibus eorum, & formauit illud circino, & fecit vitulum conflatilem. Quomodo verò ſculpſerit ipſum indicat Rabbi Salomon, explicans vocabulum Chéret, dicítque ſignificare inſtrumentum artificum deaurantium, quo deaurant & exculpunt, ſicut qui ſcribunt literas in tabulis, ſcalpellum ſcilicet innuens. Atque ita vitulus ef-
C fectus eſt, non (vt ait ipſe) quod in fornacem ſit coniectus, & imago in igne coaluerit, vt quidam exiſtimant, ſed conflarunt totum aurum in fornace per ignem in vnam maſſam non abſimile de remotis vitulo. Quam deinde Aaron ipſe veluti adhuc rudem materiam, ſcalpello poſtea formauit & effigiauit in vituli imaginem. Quod fit ab his qui ſigilla & aurea vaſa exculpunt. Atque hoc ſignificatur in cõtextu Hebraico, in noſtro obſcuriùs. Nullum tamen (vt coniectari licet) non mouit lapidem Aaron, quo negocium illud differret in aduentum Moyſi. Iubet primò decerpere iocalia, & ornamenta de capitibus mulierum & puerorum, quod tamen non putabat futurum, deinde ſculpit in metallo cum ſtylo, tertiò proiicit vniuerſam maſſam in ignem, & egreditur vitulus, nõ virtute ignis & artis, vt Hebræi dicunt, ſed quod in illo populo magna eſſet colluuies Aegyptiorum, inter quos erant Magi qui ſua arte id egerunt, vt præter omnium expectationem egrederetur vitulus, nam celebris erat apud Aegyptios cultus eius bouis, quem Apim appellabant. Sic tandem timuit populum Aaron, & abſente fratre nihil auſus eſt agreſti populo negare. Et fortè (vt iam dictum) non potuit futura credere, quæ domino permit-
D tente, ob inſignem populi perfidiam & inobedientiam facta ſunt. Quæ autem maior iniquitas & ſtultitia fieri potuit, quàm ſtatim acclamare diuinis vocibus, Hi ſunt dij tui Iſraël, & cætera. Vbi honoris gratia plurali numero explicant vnum deum, nouum illum ſuum aureũ vitulum. Ingratitudo denique impia fuit contra deum, cùm ex eo auro quod dominus deus eorum illis tradiderat ſpoliatis Aegyptiis, in iniuriam dei, deos Aegyptios coluere, quos ſanè ſuo bono ſenſerant proſtratos & victos, à ſuo illo vero deo & ſancto. *Quod cùm vidiſſet Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens, Cras ſolennitas domini eſt.* CAIETANVS. Aaron primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari, ſed ſtatim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad ſacrificãdum ei. Et præconis voce clamauit, dicens, Cras ſolennitas domini eſt. Iuxta Hebræum habetur, Et clamauit Aaron, & dixit, Feſtum Iehoua cras. Non meretur tanta blaſphemia Aaron excuſationem, quam alios ſecuti appoſuimus circa petitionem inaurium, ſed potiùs meretur accuſationem, vt pro honore futuri idoli petierit inaures aureas ex vxoribus, filiis & filiabus. Inſaniuit enim ipſe longè magis quàm alij, nam
E alij non niſi elohim & elohe, quæ ſunt nomina communia, attribuerunt idolo, ipſe autem incommunicabile & ineffabile nomen tetragrammaton attribuit idolo, nullo ad hoc inſtigante, & quod peius eſt, voce publica. Scriptum eſt autem hoc quemadmodum & peccatum Petri in nouo teſtamento (quòd tamen Petri peccatum fuit longè minus) ad commendationem diuinæ gratiæ, quæ poſt tantum ſcelus Aaron aſſumpſit ad pontificatum. Et vide ſtudium Aaron ad accelerandum ſacrificium, vt vidit vitulum, ædificauit altare, & clamauit, Cras feſtum vitulo tanquam ſummo deo. Non poterat feſtum citiùs indici, Ecce quo ducit ambitio principatus.

AVCTOR CATENAE. Et præconia voce clamauit, id eſt, voce præconia indixit, Cras, & cætera. Stupenda Aaron tẽtatio, quomodo potuerit ſic decipi & ſuperari, vt neglecto deo certo & agnito, populo tam ſtulto acquieſceret in tam nefario facinore. Et vnde (obſecro) tam ſancto viro tam grauis caſus accidit? Certè non aliunde, quàm quòd oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, & à voluntate dei deflexit eos ad fauorem vulgi. Licet aliquibus videatur ipſum ſtuduiſſe dilationi ſub ſpe reditus Moyſi, à quo nefas impediri poſſe ſperaſſet, ma-
F ximè cùm clamari iuſſerit, non hodie, ſed craſtino futuram domino ſolennitatem, quam non idolo celebrãdam decernit, ſed Iehoua domino deo vero. *Surgentéſque manè, obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* CYPRIANVS AD QVIRINVM LIBRO TERTIO. Ciborum *Eſa.22.* nimiam concupiſcentiam non appetendam, apud Eſaiam oſtenditur, vbi dicitur, Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum iſtud, quoadúſque moriamini. Item in Exodo, Conſedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere. In epiſtola Pauli ad Corinthios prima, Cibus nos non commendat deo, *1.Cor.8.* neque ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non ederimus, egebimus. Et iterum, Cùm conueneritis ad *Rom.14.* manducandum, inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium cõueniatis. Item ad Ro- *Ioan.4.* manos, Non eſt regnum dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Item in Euangelio κατὰ Ioannem, Ego panem habeo quem non noſtis. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui me miſit, vt *Epiſtola 36 ad Sabinũ.* perficiã opus eius. AMBROSIVS EPISTOLARVM LIBRO SEXTO. Nemo ſe luxui committit, niſi

nisi qui recedit à præceptis dei veri. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo commissa maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur dominum deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitauerit atque immerserit huiusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare & bibere, & fieri sibi deos poposcit. Vnde docet dominus quoniam qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exuitur indumento non vestis laneæ sed viuidæ virtutis, cuius amictus non temporalis, sed æternus est. CHRYSOSTOMVS DE PROVIDENTIA DEI LIBRO PRIMO. Si laboribus addicti & ærumnis, ne sic quidem peccare desistimus, quo scelerum progressa non esset audacia nostra, si nos affluere delitiis & ocio constituisset deus? Omnia enim (inquit) mala ociositas docuit. Attestantur autem nostræ huic rationi & quæ quotidie fiunt, & quæ maioribus nostris contigerunt. Sedit (inquit) populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Ac rursum, Incrassatus est impinguatus, & recalcitrauit dilectus. Consona his quoque beatus Dauid loquitur, dicens, Cùm occideret eos, tunc exquirebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Ad Hierusalem quoque per Hieremiam loquitur deus, per omnia erudire Hierusalem, ne recedat anima mea à te. IDEM IN HOMILIIS AD POPVLVM. Quot tibi vis enumerem ex delitiis mala perpessos? Noe factus est ebrius & denudatus, & vide quot ex hoc orta sunt mala. Esau per ingluuiem primogenita perdidit, & ad fratricidium animum dedit. Populus Israël sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere, & propterea dicitur, Cùm manducaueris & biberis, memento domini dei tui. In præcipitium enim ceciderunt, in delitias delapsi. Vidua illa delitiis vacans, viua mortua est. Et iterum, Impinguatus est, & incrassatus, & recalcitrauit dilectus. Et iterum Apostolus ait, Curam carnis ne feceritis ad concupiscentias. Non promulgo iciunium, nec enim est qui audiat, sed tollo luxum, præcido delitias propter vtilitatem vestram, tanquam enim torrens, omnia delitiæ subuertunt, nihil est quòd eas coërceat, eiiciunt ex regno. GREGORIVS IN PRIMO MORALIVM. Nonnulla quippe sunt vitia, quæ à conuiuiis aut separari vix possunt, aut certè nequaquam possunt. Penè enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Vnde scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerũt ludere. IDEM IN PASTORALI. Quo etiam ex loco, quia gulæ deditos leuitas protinus operis sequitur, comprobatur. IDEM DECIMO MORALIVM. Si autem aliquando vanitas culpa non esset, Psalmista non diceret, Quamquam in imagine dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congreget ea, quia quanuis trinitatis imaginem in natura seruemus, vanis tamen delectationis motibus perturbati, in conuersatione nostra delinquimus, vt modis nos semper alternantibus cupido concutiat, metus frangat, lætitia mulceat, dolor affligat. Ex vanitate ergo ad iniquitatem ducimur, cùm priùs per leuia delicta deflectimus, vt vsu cuncta leuigante, nequaquam post committere etiam grauiora timeamus. Nam dum moderari lingua otiosa verba negligit, mora inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit, dum gulæ incumbitur, ad leuitatis protinus insaniam proditur: cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, plerunque & ad perfidiæ voraginem ruit. Vnde bene Paulus plebis Israëliticæ damna conspiciens, vt imminentia ab auditoribus mala compesceret, curauit ex ordine transacta narrare, dicens, Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Esus quippe potúsque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam cautè compescitur, ab iniquitate protinus mens incauta deuoratur, Salomone attestante, qui ait, Qui modica spernit, paulatim decidit. Si enim curare parua negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus. IDEM IN HOMILIIS. Prima semper male conuiuantibus famulatur culpa loquacitatis, post loquacitatem verò ludendi etiam leuitas sequitur. Nam quia edacitatem lusus sequatur, testatur sacra scriptura, quæ ait, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Sed priusquam ad lusum moueatur corpus, ad iocos ac verba insania mouetur lingua. BERNARDVS IN EPISTOLIS. Insolentia clericorum cuius mater est negligentia Episcoporum, vbique terrarum turbat & molestat Ecclesiam. Dant episcopi sanctum canibus, & margaritum porcis, & illi conuersi conculcant eos. Meritò quales fouent, tales & sustinent. Quos ditant Ecclesiæ bonis, non corrigunt eorum mala, malósque grauati portant. Alienis nimirum laboribus locupletantur clerici, comedunt fructum terræ absque pecunia, & prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quos propriè hodiéque respicit vetus illa scriptura, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Mens quippe assueta delitiis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Porrò inueteratam rubigine si tentes abradere, nec summis saltem digitis contingi patientur, sed sicut scriptum est, Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. RVPERTVS. Plana ergo est res gesta, quia citò fecerunt, imò citò defecerunt, faciendo vitulum, & adorando sculptile, & quod valde est admirandum, talem tantámque gloriam suam, mutauerunt in similitudinem vituli comedentis fœnum. Ergo Iudæi non minus quàm Græci, os omne obstruatur, nam & isti commutauerunt veritatem dei in mendacium. Dixerunt enim, Hi sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Hoc (inquam) dicendo, veritatem dei mutauerunt in mendacium, & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, videlicet seruitute peccati, scriptura sic dicente, Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. In gloria similitudinis vituli comedentis fœnum, comederunt ac biberunt, & idcirco lusibus obscœnis continuò semetipsos conuomuerunt, traditi in reprobum sensum, vt facerent ea quæ non conueniunt, & mercedem quam oportuit erroris sui, ita in semetipsis receperunt. Ergo & Apostolo teste, Iudæorum gloriatio exclusa est, vt non insultet Græco, quòd seruierit creaturæ, nam quod grauius est, & ipse seruiuit in præuaricatione. Lex enim huic erat, & adhuc quasi aurum sermo dei recens ab igne calebat. Paulò antè lectum fuerat volumen fœderis à Moyse audiente populo, qui & dixerunt, Omnia quæ locutus est dominus, faciemus, & erimus obedientes. Hoc facto vtique inaures aureas suis auribus internis appendebant. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait, Hîc est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum. Itaque vniuiro deo quasi coniugalem iurauerant copulam, & inauribus mandatorum eius (vt iam dictum est) ornatam faciem habebant. At nunc tulerunt inaures au-

*Psal.77.* *Hiere.6.* *Homil.54.* *Cap.5.* *3.par.c.20.* *Cap.14.* *Psal.38.* *1.Cor.10.* *Ecclesia.19.* *Homil.40.* *Epist.152. ad papam Innocentiũ.* *Psal.72.* *Deut.32.* *Psal.105.* *Rom.1.* *Exod.20.*



A res aureas de vxorum & filiorum ac filiarum suarum auribus, formauerúntque opere fusorio, & fecerunt ex eis vitulum conflatilem, & eisdem pedibus quibus mare transierant, coram tali figura saltauerunt, & veritatem quam cecinerant, dicentes, Cantemus domino, gloriose magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare, in mendacium commutauerunt, cantando, Hi sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Igitur inexcusabilis est & Iudæus, qui Græcum ad gratiam dei confugientem, propter antiqua peccata iudicat, eadem enim egit quæ iudicat. Et quoties ab illo paululum cessauit pædagogi virga, stultus puer ad eadem vel similia se conuertit idololatriæ flagitia. THOMAS IN EPISTOLAS PAVLI. Neque idololatræ efficiamini, idolothytis scilicet vescendo in venerationem idoli, vel in scandalum infirmorum, Sicut quidam illorum, supple idololatræ fuerunt, Exodi. XXXII. & Psalmo, Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, quemadmodum scriptum est, Sedit populus, id est, quidam de populo, manducare & bibere coram idolo,
B quibus similes sunt qui comedunt idolothyta, idola venerando. Et surrexerunt ludere, id est, ludos facere, sicut choreas & huiusmodi in venerationem idoli. Vel surrexerunt ludere, id est, idolum adorare, quod est simile ludo puerorum, qui faciunt imagines luteas. IDEM. Sed quæritur, num in ludis possit esse aliqua virtus? Et respondetur quòd sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare propter hoc quòd habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur, ita etiam est ex parte animæ, cuius etiam est virtus finita ad determinatas operationes proportionata. Et ideo quando vltra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur, præsertim quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus, inquantum scilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona sensibilia connaturalia homini. Et ideo quando anima vltra sensibilia eleuatur operibus rationis intenta, nascitur exinde quædam fatigatio animalis, siue homo intendat operibus rationis practicæ, siue speculatiuæ. Magis tamen si operibus contemplationis intendat, quia per hoc magis à
C sensibilibus eleuatur, quanuis fortè in aliquibus operibus exterioribus rationis practicę maior labor corporis consistat. In vtrisque tamen tantò aliquis magis altero fatigatur, quantò vehementiùs operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis soluitur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fatigatio animalis soluatur per animæ quietem. Quies autem animæ est delectatio. Et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem intermissa intentione ad insistendum studio rationis. Sicut in Collationibus patrum legitur, quòd beatus Ioannes Euangelista cùm quidam scandalizarentur quòd eum cum discipulis suis ludentem inuenerant, dicitur mandasse vni eorum qui arcum gerebat, vt sagittam traheret. Quod cùm pluries fecisset, quæsiuit vtrum hoc continuè facere posset, qui respondit quòd si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Vnde beatus Ioannes subintulit, quòd similiter animus hominis frangeretur, si nunquam à sua intentione relaxaretur. Huiusmodi autem dicta vel facta in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel iocosa. Et ideo necesse est talibus interdum vti quasi ad quandam animæ quie-
D tem. Et hoc est quòd Philosophus dicit in. IIII. Ethicorum, quòd in huius vitæ conseruatione quædam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus vti. Circa quæ tamen tria esse præcipuè cauenda videntur. Quorum primum & principale est, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus vel nociuis. Vnde Tullius dicit in primo de Officiis, quòd vnum genus iocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Aliud autem attendendum est, ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Vnde Ambrosius dicit in primo de Officiis, Caueamus ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam quasi concentum quendam bonorum operum. Et Tullius dicit in primo de Officiis, quòd sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. Tertio autem attendendum est sicut & in omnibus humanis actibus, vt congruat personæ, tempori, & loco, & secundum alias circunstantias debitè ordinetur, vt scilicet sit tempore & homine dignus, vt Tullius dicit ibidem. Huiusmodi autem secundum regulam ratio-
E nis ordinantur. Habitus autem secundum rationem operans, est virtus moralis. Et ideo circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat. Et dicitur aliquis eutrapelus à bona conuersione, quia scilicet bene conuertit aliqua dicta vel facta in solatium. Et in quantum per hanc virtutem homo refrenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur. Nec obstat quòd dicit Chrysostomus, Non dat deus ludere, sed diabolus. Audi quid ludentes passi sunt, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Ergo circa ludos non potest esse virtus. Quia respondetur, verbum illud Chrysostomi esse intelligendum de illis qui inordinatè ludis vtuntur, & præcipuè qui finem in delectatione ludi constituunt, sicut de quibusdam dicitur Sapientiæ. X V. Aestimauerunt esse ludum vitam nostram. Contra quos dicit Tullius in primo de Officiis, Non ita generati à natura sumus, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potiùs, & ad quædam studia grauiora atque maiora. Quòd si vlterius quæratur an in superfluitate ludi possit esse peccatum, dicendum, quòd in omni eo quod est dirigibile secundum rationem, superfluum dicitur quod regulam
F rationis excedit, diminutum autem dicitur secundum quod deficit à regula rationis. Dictum est autem quòd ludicra siue iocosa verba vel facta sunt dirigibilia secundum rationem. Et ideo superfluum in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis. Quod quidem potest esse dupliciter. Vno modo ex ipsa specie actionũ quæ assumũtur in ludum, quod quidem iocãdi genus secũdum Tulliũ dicitur esse illiberale, petulãs, flagitiosum, obscœnum, quãdo scilicet vtitur aliquis causa ludi turpibus verbis vel factis, vel etiã his quæ vergũt in proximi nocumẽtum, quæ de se sunt peccata mortalia. Et sic patet quòd excessus in ludo est peccatũ mortale. Alio autem modo potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circunstantiarum, puta cùm aliqui vtuntur ludo, vel tẽporibus vel locis indebitis, aut etiam præter cõuenientiam negocij seu personæ. Et hoc quidem quãdoque potest esse peccatũ mortale propter vehemẽtiam affectus ad ludũ, cuius delectationẽ præponit aliquis dilectioni dei, ita quòd cõtra præceptũ dei vel Ecclesiæ talibus ludis vti non refugiat. Quãdoque autem est peccatũ venia-

*Rom.2.* *1.Cor.ca.10 lect.2.* *2.2.q.168. ar.2.in cor. & ad 2.* *Vbi supra ar.3. in cor. & ad 2.*



le, puta

le, puta si aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquid contra deum committere. G
Demum sciendum quòd superfluitas in ludo pertinet ad ineptam lætitiam, quam Gregorius dicit esse filiam gulæ. Vnde Exodi. XXXII. dicitur, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. CAIETANVS. Surgentèsque mane,& cætera. Iuxta Hebræum significatur quòd matutini surrexerunt, vt intelligamus quàm prompti fuerint ad sacrificia offerenda pro solennitate idoli. Et surrexerunt ludere. Iuxta Hebræum habetur, Et surrexerunt ad illudendum. Ecce fructus idololatriæ, qualis deus, talis & fructus cultus eius, leuitatibus irrisionum vacant, ex illo cultu surgentes. AVCTOR CATENAE. Zachak, ludere, iocari, illudere, siue irridere significat, vnde bene transtulit Interpres, cui & Septuaginta & Chaldaica adstipulantur. Nimirum semper promptus fuit populus ad idololatriam, ideo nunc quoque postero die summo mane surgunt ad sacrificandum, non domino, sed nouo idolo suo. Mos interim describitur idololatrarum mactare bestias, comburere partem super aram, seruare quædam ad esum, instruere solennes epulas, commessationi vacare, quam subsequeretur lusus, tripudium, carmina petulantia omnis generis, impunè & sine verecundia. Quæ H
& vtinam hodie non fierent alicubi inter veri & optimi dei sacra, & in sanctorum eius festiuitatibus, facinus profectò nefandissimum. Hebræi patres suos excusantes, omnem ferè culpam huius tantæ præuaricationis reiiciunt in mixturam illam proselytorum qui eos sequuti fuerunt ex Aegypto. Quod si verum est, cur dicit dominus, Populus iste duræ ceruicis est, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos? Cur in omnibus ferè Prophetis scelus istud populo huic in faciem refricat? Sed & quare dicunt magistri eorum, quòd in hodiernum vsque diem, non sit satis expiatum facinus istud? Vnde & ait Moyses Gerundensis, Non accidit tibi ô Israël vltio aliqua, in qua non sit vel vncia de iniquitate vituli. Fateantur igitur velint nolint veritatem, & dent gloriam deo, se hîc peccatum maximum peccasse, in quo iugum domini penitùs à se reiecerunt, imò totam religionem, deum & legem eius, atque omnem pudorem prostituerunt. Nam crapulæ studentes, meretricum quoque amplexibus sese addixerunt, vt nihil esset in quo gentilibus non conformes, imò peiores essent, qui crapula I
*Mysticè.* & lusu mulierum deos suos venerabantur.

GREGORIVS NYSSENVS. Imperatum fuisse ab Aaron dicitur, vt inaures ab auribus vxorum tollerent, hæ conflatæ simulachri materia fuerunt. Dicimus igitur quòd Moyses Hebræorum virtutem in auribus exornare voluit, id est, lex, quam pro Moyse intelligimus obedientiam, quæ per inaures significatur, ludæorum virtutem confirmauit, quam tollit Aaron, vt inobedientia ipsorum ostenderet ad cultum idolorum esse peruentum. Idcirco statim ad primum peccandi aditum inaures auferuntur, vt iam præuaricationis & inobedientiæ consilia cœpisse viderentur, qui diuinum præceptum negligendum esse hortabantur. Id est ergo quod dicimus, auferri ab auri præceptorum inaurem. Quare qui hos fratres, hos amicos, hos proximos interimet, audiet illam vocem quam à Moyse illi perceperunt, qui tunc sine disquisitione multos è cultoribus idoli occiderunt, Confecrastis (inquit) manus vestras hodie domino, in suo vnusquisque filio vel fratre, vt detur super vos benedictio. RVPERTVS. Præsagium quoque eius (quæ nunc est) confusionis & K
ignominiæ Iudaicæ in isto scelere promptum est agnosci. Sicut enim tunc aurium suarum decus vel ornamentum, scilicet inaures aureas in vitulum formandum coniecerunt, & veritate derelicta mendacium coluerunt, sic futurum erat, vt auream legis & Prophetarum veritatem, commutarent in mendacium, quod nunc faciunt, sacros codices manibus tenentes, & vipereis linguis blasphemias contra Christum fabricantes. AVCTOR CATENAE. Sed & his similes sunt, qui diuitias, libidinem vel honores pro deo colere non timent, pro quibus deum negligere non verentur.

2 *LOcutus est autem dominus ad Moysen, dicens, Vade, descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti, recesserunt citò de uia quam ostendisti eis. Fecerúntque sibi uitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Rursúmque ait dominus ad Moysen, Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam. Moyses autem orabat dominum deum suum, dicens, Cur domine irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti de terra Aegypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Aegyptii, callidè eduxit eos ut interficeret in montibus, & deleret è terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen uestrum sicut stellas cœli, & uniuersam terram hanc de qua locutus sum, dabo semini uestro, & possidebitis eam semper. Placatúsque est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.* L

2 CHRYSOSTOMVS HOMILIA PRIMA ADVERSVS IVDAEOS. Iudæi M
semper ea fecerunt quæ dei placitis aduersata sunt. Etenim cùm illos volebat ieiunare, cum incrassabantur dilatabantúrque. Rursus vbi non volebat eos ieiunare, mordicùs tenebant ieiunium: cùm vellet illos victimas sibi offerre, ad simulachra, properabant: cùm non volebat illos festum diem celebrare, studio festum diem age-
*Act.7.* bant. Et ideo Stephanus dicebat ad illos, Vos semper spiritui sancto restitistis. In hoc (inquit) incubuistis, vt quæcunque deus præceperit, iis contraria faciatis. Id an verum sit, ex lectione quam in manibus habemus, perspicuè cognoscere licet, quæ in hunc modum loquitur, *Locutus est autem dominus ad Moysen, dicens,* CAIETANVS. Postquam dedit deus tabulas Moysi, reuelauit ei peccatum populi. An autem reuelatio ista fuerit facta descendente iam Moyse cum tabulis, an antequam inciperet descendere, certum non est. Supradictis tamen in calce præcedentis capituli magis quadrat, vt postquam incœpisset descendere, deus hæc ei reuelauerit, nam

ibidem



A ibidem dicitur quòd deus finiendo sermonem ad Moysen, dedit ei tabulas scriptas. Innuitur enim quòd tunc acceptis tabulis incœperit descendere (vt pote diuino eloquio finito) & in via deus dixerit ei hæc: *Vade, descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti, recesserunt citò de via quam ostendisti eis.* HIERONYMVS IN DANIELEM. Quia Propheta Daniel dixerat, Eduxisti populum tuum, & nomen tuum inuocatum est super ciuitatem tuam, & super populum tuum, propterea ex persona dei loquitur Gabriel, Nequaquam populus dei est, sed populus tuus, nec vrbs sancta dei, sed sancta (vt dicis) tibi. Simile quid & in Exodo legimus, quando deus loquitur ad Moysen, Descende, peccauit enim populus tuus, hoc est, non populus meus, quia me deseruit. INTERLINEARIS. Peccauit populus tuus, & cætera. Quasi dicat, populus hic, tuus cognatione carnis vel affectu solicitudinis, iam non meus, peccauit, & quasi leuis & instabilis, citò recessit de via qua itur ad deum, quam ante ostendisti ei. CAIETANVS. Ironicè dici, Vade, descende, subiuncta *Cap.9.*
B testantur. Loquitur enim deus humano more ad Moysen lætum euntem & descendentem cum tabylis, dicendo, Vade, descende, quia peccauit. Iuxta Hebræum habetur, Quia diruit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti, nempe quicquid boni erat in eis, significando, ne eas, ne descendas, quemadmodum & descendis, quia totum oppositum reperies in populo, dextruxit enim quicquid boni constructum erat in eis. Significanter autem dicit, populus tuus (hoc est, tam dilectus à te) ad cumulum criminis, vt etiam ipsum Moysen peccasse significetur. Recesserunt citò de via quam ostendisti eis. Iuxta Hebræum habetur, Quam præcepi eis. Declarat in specie peccatum populi, tum à contempto se præceptore ore proprio, tum à celeritate contemptus. AVCTOR CATENAE. Quòd nos legimus, Peccauit populus tuus, Hebraicè habetur כִּי שִׁחֵת עַמְּךָ Chi sicheth ammecha, Quoniam peccauit populus tuus. Sic & Septuaginta. Sachath autem verbum, corrumpere, dissipare, perdere, dispердere, & peccare significat. Vnde aliqui vertunt, Quia corrupit, subaudi, viam suam & opera sua, id est, peccauit. Alij, Quia disperiit. Chaldaica verò, Quia corruptus est populus tuus, habent. Quæ
C tamen cum sententia literæ nostræ conueniunt. Et quod nos legimus, Quam ostendisti eis, Hebraicè צִוִּיתָם Ziuithim habetur, quod & præcepisti eis, sicut legit Chaldaica, reddi potest, vel præcepi eis, vt Septuaginta habent, videlicet ἐνετειλαμην αὐτοῖς, vtroque enim modo interpretari potest verbi terminatio ziua, quod præcipere & iubere significat. Nam & quod dominus iusserat, per manum Moysi præceperat. Cùm igitur sanctè viuimus, domini sumus, ipsum patrem & dominum agnoscimus, & filij vicissim ab ipso deo agnoscimur. Cùm verò peccamus, nostri sumus, & à domino alienamur ac abiicimur. Incipit ex peccato esse vel potiùs dici populus Moysi, hoc est, hominum, qui per inobedientiam & ingratitudinem beneficum deum abiecerant. Maximum periculorum homini impendit, dum sibi ipsi relinquitur. Disperditur populus dum vanis rebus nititur, & idola sectatur, ritibúsque prophanis eneruatur à iusto & honesto, vt patet ex omnium gentium superstitionibus, quæ semper tandem degenerant in libidinem. Per iram sine ira tamen vt volunt aliqui, dicitur Moyses populum eduxisse de Aegypto, cùm reuera dominus illud egerit. Via autem quam deseruerunt, lex domini est, & via vitę.
D *Fecerúntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* HIERONYMVS IN PSALMOS. In deo debuerat esse gloria eorum, sed relicto *Psal.105.*
eo, simulachro muto & surdo dantes gloriam, dicebant, Hi sunt dij tui Israël. Sic & nunc si quis relicta Ecclesia sortes phytonèsque consulit, mutatur gloria eius, & similis pecudis fit, sicut quondam Nabucdonosor. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Dominus indicàs Moysi *Quæst.142*
quid de vitulo fecerit populus, hoc est, de idolo quod ex auro suo fecerant, dicit eos dixisse, Hi dij tui Israël, & cætera, quod eos dixisse iuxta exemplaria quæ apud nos sunt, non legitur, sed animum eorum hunc fuisse deus ostendit. Horum quippe verborum gerebant in corde sententiam, quæ deum latere non poterat. INTERLINEARIS. Fecerúntque sibi vitulum conflatilem, hoc est, fieri coëgerunt. Et immolantes hostias, dixerunt, & cætera, Quasi dicat, beneficium meum idolo imputauerunt. AVCTOR CATENAE.
Breui versu & sententia describitur grande crimen filiorum Israël, & quasi stylo ferreo in silicem imprimi-
E tur nefas inexpiabile humanis viribus, quomodocunque dominus Moysi bona polliceatur, & reconciliari videatur. Habent singula verba exaggerationem iustæ querelæ dei, contra ceruicosum hunc populum, omnibus reliquis gentibus aliquando ad dominum conuertendis in exemplum. Non solùm (inquit) vitulum fecerunt, sed etiam adorauerunt, & bona dei sui idolo obtulerunt. Professionem laudis & honoris retulerunt dæmonibus & non deo, Beneficium abnegauerunt tam magnificè susceptum, & hostibus dei transcripserunt. *Rursúmque ait dominus ad Moysen, Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* HIERONYMVS IN HIEREMIAM. Quod ait dominus per hunc Prophe- *Cap.28.*
tam, Occurrant mihi, siue domino exercituum, illud ostendit, verum Prophetam posse domino precibus resistere, secundum quod & Moyses stetit in percussione contra dominum, vt auerteret iram furoris eius. Samuel quoque idem fecit. Et dominus ad Moysen, Dimitte me (ait) vt percutiam populum istum. IDEM IN EPISTOLA AD GAVDENTIVM. Quando autem dicit, Dimitte me, ostendit se teneri pos-
F se, ne faciat quod minatus est. Dei enim potentiam, serui preces impediebant. IDEM IN EZECHIE- *Cap.13.*
LEM. Legimus Aaron aduersus ignem, Israëlis populum deuorantem, occurrisse, & stetisse medium, & opposuisse murum pro salute populi. Hieremiæ quoque dicitur, ne occurrat domino, neque stet contra iram eius orationis perseuerantia. Sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso contràque venienti, ita dei sententia sanctorum precibus frangitur. Vnde & Moysi dicitur, Dimitte me, & delebo populum istum. Cui enim dicitur, Dimitte me, ostenditur quòd tenendi habeat facultatem. CYRILLVS CONTRA IVLIANVM LIBRO QVINTO. Quoniam autem summam calumniam putat Iulianus, quòd interdum in mansuetissimum vniuersorum deum transferamus iram, age etiam hoc dicamus ei, Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Taxat enim insipienter, quæ sanè sapiens omni modo debebat maximi facere. Est enim tardus ad iram vniuersorum deus, hoc est, vt definiat delinquentibus congruas pœnas. Facillimus autem ad deponendam iram, & ad promptè miserendum his,

qui in ſuis delictis comprehenduntur. Vitulum enim fecerat in eremo Iſraël, & oblitus erat miraculorum quæ G
à deo in Aegypto facta. Succenſuit ob hoc deus, idque valde meritò, dixitque ad ſacrorum ducem Moyſen,
Vade ſtatim hinc, tranſi, iniquè enim egit populus tuus, quem eduxiſti ex terra Aegypti: egreſsi ſtatim ſunt de
via, quam mandaſti eis. Fecerunt ſibi vitulum, & adorauerunt illum, ſacrificaueruntque illi, & dixerunt, Hi ſunt
dij tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Et nunc ſine me, & ſuccenſus ira in eos, exteram eos, &
faciam te in gentem magnam. Orante autem ſapientiſsimo Moyſe, vt his qui peccauerant, veniam condona-
ret, propitiatus eſt (inquit) vt lucrifaceret populum ſuum. Quanquam videat quis interdum reges terrenos fu-
rore quidem immodico percitos, in eos qui per inſipientiam ipſos offenderunt, nullíque obſecranti cedentes,
non ſortitis ſummos thronos, non exercituum ducibus, non aliis quibuſdam ſumma dignitate conſpicuis au-
res præbent. At ille ſummus & maximus deus, vnius iuſti preces admittit. Dicet autem forſitan aduerſarius,
Nunquid conſiderauit & ſenſit ſero meliora, & tardum conſilium recepit, quamuis oportebat futurum non H
ignorare, nec permittere ab initio, vt poſtea ab ira ceſſandum eſſet? Quod autem diuerſum ſentire volens, etiam
progenitorum ſuorum non meminerit, facilè videre licet. Obliuiſcitur enim fortaſsis Homeri, qui de ſuis diis
dicit, Mutabiles autem etiam dij ipſi. Quod autem & ea in deo carpit, quæ ob nimiam ſuauitatem morum ad-
mirari decebat, manifeſtum & minimè laborioſum, ſi quis diſpenſationem in his quæ acta ſunt, addiſcere vo-
luerit. Nam oportebat quidem eos qui nefaria perpetrarunt, declarari reos iudicij. Hac ratione & iraſci dicitur.
Verùm erat neceſſarium præterea noſſe etiam nos, qui poſt Moyſen, benignitatis quæ in deo eminentiam, &
quantum virtus valeat apud illum, & quanta vis orationum ſanctorum. An non hæc bonam ſpem vitæ conce-
dunt? Etenim quòd vnius iuſti preces deus admittit, magna interdum & ob grauia delicta condemnata multi-
tudine, quomodo non omnes gaudere oportet? quamuis ſuis capitibus humanis infirmitatibus implicitis, ob ſa-
cras leges offenſas, ſupplicium imminens videant. Sufficient enim & ipſis vnius iuſti preces in ſubſidium.

THEODORETVS. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Ex his verbis mani- I
feſtè colligi poteſt, deum & ab omni animi commotione natura liberum atque omnino vacuum, & ſingulari
benignitate præditum eſſe. Qui enim ira commotus aliquid agit, precatores hortatoréſque maximè recuſat, at
verò deus ait, Dimitte me. Nullus autem precatores expectat vt iraſcatur, ſed vt admonitus ab ira conquieſcat.
Igitur dimitte me, perinde eſt quaſi dixiſſet, prohibe me. Nam quia magnus ille Moyſes peccatum populi igno-
rabat, illum & deus ipſe de populi peccato certiorem fecit, & vt legationem pro populo ſuo ſuſciperet excitauit.
Quod verò dictum eſt, Faciámque te in gentem magnam, Gentes in Chriſtum crediturας præſignauit, quod
enim tunc minimè factum eſt, poſt Chriſti domini noſtri aduẽtum præſtitum eſt. GREGORIVS NONO
*Cap.11. & 12.* MORALIVM. Mirum valde eſt quòd apud Iob dicitur, Deus cuius reſiſtere iræ nemo poteſt, cùm multos
indignationi ſupernæ animaduerſionis obuiaſſe, eloquia diuina teſtentur. An non iræ dei Moyſes reſtitit, qui
pro cadente populo erectus, ipſum ſupernæ percuſsionis impetum, mortis ſuæ oblatione reſtrinxit, dicens, Di-
mitte illis hanc noxam, alioquin dele me de libro tuo quem ſcripſiſti? An non iræ dei Aaron reſtitit, cùm inter K
*Num.16.* viuentes ac mortuos thuribulum ſumpſit, atque animaduerſionis ignem, incenſi fumo temperauit? An non Phi-
*Num.25.* neeſ iræ dei reſtitit, qui luxuriantes cum alienigenis, in ipſo coitu trucidans, zelum ſuum diuinæ indignationi
obtulit, & furorem gladio placauit? An non iræ dei Dauid reſtitit, qui angelo ferienti ſe offerens, placationis gra-
tiam & ante tempus propoſitum exegit? An non Helias iræ dei reſtitit, qui longo iam tempore terra arente, ſub-
ductas de cœlo pluuias verbo reuocauit? Quomodo ergo diuinæ iræ nullum poſſe reſiſtere dicitur, cùm multos
ſæpe reſtitiſſe exemplis exiſtentibus demonſtratur? Sed ſi ſubtiliter & hæc beati Iob eloquia, & illorum facta
penſamus, & verum cognoſcimus quia diuinæ iræ non reſiſtitur, & verum quia multi ſæpe reſtiterunt. Omnes
etenim ſancti qui iræ dei obuiant, ab ipſo accipiunt, vt contra impetum percuſsionis eius opponantur, atque (vt
ita dixerim) cum ipſo ſe erigunt contra ipſum, eóſque diuina vis ſibi opponit ſecum, quia in eo quòd aduerſum
ſæuientis iram foris obtinent, intus eos gratia iraſcentis fouet, & famulantes interiùs leuat, quos quaſi aduerſan-
tes exteriùs tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium quam aſpirat, & velut nolenti opponitur, quod L
ab ipſo vt fiat imperatur. Moyſi enim dicit, Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, fa-
ciámque te in gentem magnam. Quid eſt ſeruo dicere, Dimitte me, niſi deprecandi auſum præbere? Ac ſi aperte
ei diceretur, Penſa quantum apud me valeas, & cognoſce quia obtinere poteris quicquid pro populo exoras.
Quod quia hac mente agitur, ſtatim venia ſubiuncta teſtatur. Cùm verò ſuperna indignatio, ſeſe (vt ita dixe-
rim) medullitùs mouet, hanc oppoſitio humana non retinet, nec ſe vtiliter cuiuſlibet deprecatio obiicit, cùm
ſemel deus aliquid ab intimis iraſcendo diſponit. Hinc eſt enim quòd Moyſes qui reatum totius plebis apud
deum ſuis precibus terſit, dúmque ſe obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit, ad petram Oreb veniens,
& pro aquæ exhibitione diffidens, repromiſsionis terram ingredi, domino iraſcente non potuit. Et ſæpe hac de
re affligitur, ſæpe deſiderio ſe excitante turbatur, & diſpoſitæ vltionis iracundiam repellere à ſemetipſo non va-
*2.Reg.24.* luit, qui hanc volente domino & à populo amouit. Hinc Dauid quia proſtrata plebe poſtmodum angeli gla-
dium prece compeſcuit, prius plorans & eiulans, nudis pedibus filium fugit, & quouſque perpetrati facinoris vl- M
*3.Reg.17.* tionem ad plenum reciperet, iram dei pro ſemetipſo temperare nequaquam valuit. Hinc Helias vt ſicut homo
parum aliquid quaſi de diuina animaduerſione ſentiret, qui verbo cœlos aperuit, ante indignationem mulieris
territus, per deſertum fugit, & pro ſemetipſo infirmatur in formidine, qui furorem dei placat aliis per interne-
tionem. Irę dei igitur & reſiſti valet, quando ipſe qui iraſcitur opitulatur: & reſiſti omnino non valet, quando ſe
*Hiere.7.* ad vlciſcendum excitat, & ipſe precem quæ ei funditur, non aſpirat. Hinc ad Hieremiam dicitur, Tu ergo noli
*Hiere.15.* orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te in tẽpore clamoris eo-
*par.3.ca.4.* rum ad me. Et rurſum, Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. PRO-
SPER. Et nunc dimitte me, & deleam eos, & cętera. Pius ergo dominus dat intercedendi ſibi tẽpus, cùm dicit,
*Pſal.105.* Sine me. Non enim deus ex hominis, ſed homo ex dei voluntate pendebat. RVPERTVS. Quid agerct
Moyſes breuiter hîc ipſe innuit, deum dixiſſe referens, Dimitte me. Pſalmiſta verò vehementiùs exprimit, &
dixit



A dixit (inquiens) vt diſperderet, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Per nimiam humilitatem ſignificat Moyſen deum tenuiſſe, dicendo, in confractione. Confractio nanque nimia cordis humilitas eſt, quæ ſola coram omnipotente deo & domino, vniuerſæ fortitudinis principe, res fortis eſt & valida, ita vt illa laborante, quaſi brachium ſuum ad percutiendum deus extendere non valeat, regina virtutum agente ne refutetur ipſa, & vincente pro ſua reuerentia. CAIETANVS. Rurſúmque ait dominus. Diſtinctio iſta ſermonis diuini innuit, quòd Moyſes audito tãto ſcelere populi ingemuit ratione diuinę iniurię, & mali in populo. Cerno (inquit) quòd populus iſte duræ ceruicis ſit. Iuxta Hebræum habetur, Vidi populum iſtum, & ecce populus duræ ceruicis ipſe. Poteſt intelligi de viſione vt ſonat, hoc eſt, vt humano more deus dicat quòd diligentiùs conſideraui, non audiendo, ſed videndo corda & opera populi huius, & ſeſe offert populum duræ ceruicis, hoc eſt, populum non cedentem præceptis meis, qui non emollitur tot beneficiis. Poteſt & intelligi de viſio-
B ne viſitationis, vt deus dicat ſe viſitaſſe populum iſtum tãta multitudine beneficiorum, cùm tot manifeſtis miraculis, & ipſe ſeſe offert duræ ceruicis, hoc eſt, inflexibilem ad obediendum mihi, ad agnoſcendum me benefactorem. Et aſsimilatur conditio populi duræ ceruici, ad inſinuandum quòd quamuis aliquando quaſi violentia beneficij coactus ſubiiciat caput mihi, citò tamen tanquam dura ceruix redit in ſtatum ſuæ duritiæ, in ſtatum erecti contra me capitis. Et nunc dimitte me, vt iraſcatur furor meus, & cætera. Niſi Moyſes meritis & precibus tanquam detinens diuinæ iuſtitiæ executionem fuiſſet, non dixiſſet deus, nunc dimitte me, & iraſcetur furor meus. Peccata populi merebantur vt deus tunc deleret eos, merita autem & preces Moyſi merebantur, vt non tũc delerentur, & propterea ſcriptura vtrumque dicit, & vim precum Moyſi, dicendo, Et nunc dimitte me: & meritum populi dicendo, & iraſcetur, & cætera. AVCTOR CATENAE. Rurſúmque ait dominus ad Moyſen. Ex Interprete in noſtra editione eſt dictio, rurſus, pro conuenienti textura appoſita. Quòd autem nos dicimus, Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, ſic in Hebræo habetur: רָאִיתִי אֶת הָעָם הַזֶּה וְהִנֵּה עַם קְשֵׁה עֹרֶף הוּא
C Raíthi eth haham haze vehinne ham keſe hóreph hu, Vidi populum iſtum, & ecce populus duræ ſiue perfractæ ceruicis eſt, id eſt, incorrigibilis, durus corde, & valde indomitus. Chaldaica, Notum eſt coram me, quòd populus iſte ſit duræ ceruicis. Quæ omnia verba apud Septuaginta deſiderãtur. Sequitur, Dimitte me. Hebraicè præcedit וְעַתָּה Vehatta, Et nunc: ſic & Septuaginta habent. Chaldaica verò more ſuo quid intendat dominus per hoc verbum indicare volens, habet, Et nunc dimitte deprecationem tuam à facie mea, quaſi dicat, noli apud me preces fundere pro eo. Quod ipſum magis erat prouocare Moyſen ad precandum attentiùs pro populo. Quocirca & hîc, & in frequentiſsimo vſu ſcripturæ, obſeruandi ſunt loquendi modi. Et deleam eos. Hebraicè וַאֲכַלֵּם Vaachallem, id eſt, Et delebo ſeu conteram eos. Faciámque te in gentem magnam, id eſt, efficiam vt ex te gens oriatur magna, vel præficiam te alij genti multo maiori. Sic igitur poſt peccatum deſcriptum, pœna digna decernitur cum increpatione veriſsima. Dura illorũ ceruix nuſquam non proditur per totam ſcripturam, & ipſorum geſta. Subindicatur tamen clementia dei admirabilis, & miſericordia propter Chriſtum naſciturum, cùm
D velut ad arbitrium Moyſi ſtatuitur, vt iraſci dominus permittatur, facilè hominis ſancti precibus reconciliandus ipſe deus. Dimitte me, ait, & ſine vt iraſcatur furor meus pro æquitate. Humano loquitur more dominus deus, veluti cùm filius offendit patrem, & pater in manu enaginatum tenens gladium quaſi ad iugulãdum eum, alicui prope exiſtenti dicat, ne retineas me à percuſsione improbi huius, innuens nihilominus magis contrarium, videlicet quòd retineri velit, ex quibus verbis animæquior factus eſt Moyſes ad intercedendum pro populo ſuo, & ad dei iram retinendam. Hoc exemplo reuelatur nobis ingens dei clementia, quòd tradat ſe piorum precibus (vt ita dicamus) captiuum. Simul & illud, quod maximi apud deum meriti ſunt viri boni, quorum tantam ipſe rationem habeat. Quòd ſi tantum valent coram deo pij pro impiis, vt poſsint ſupplicia eorum auertere, quantò magis valebunt pro piis? Faciámque (inquit) te in gentem magnam. Sine tui nominis & honoris quacunque iactura, committam tibi populum longè meliorem & maiorem iſto. BERNARDVS SVPER *Serm.30.*
CANTICA. Et Moyſi quidem oblatum eſt à deo, ſi præuaricatorem populum vellet dimittere, & diuinæ ex-
E ponere vltioni, ipſum quidem fieri poſſe in gentem magnam, ſed ille renuit. Quare? Ob nimiam profectò dilectionem, qua illi fortiter deuinctus populo tenebatur, & quoniam non requirebat quæ ſua ſunt, ſed dei honorem, & non quod ſibi vtile foret, ſed quod multis. Vnde ait ſcriptura: *Moyſes autem orabat dominum deum ſuum, dicens, Cur domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum quem eduxiſti de terra Aegypti, in fortitudine magna & in manu robuſta?* *Cap.5.*
HIERONYMVS IN ESAIAM. De furore domini & in alio loco legimus, Domine ne in *Pſal.6.*
furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et Hieremias, Corripe nos (inquit) domine, veruntamen *Hiere.10.*
in iudicio & non in furore. Furere autem dominus dicitur, non quòd humanis perturbationibus ſubiaceat,
ſed quòd nos qui delinquimus, niſi iraſcentem audierimus, dominum non timeamus. Vnde & Apoſtolus ſcri- *Rom.2.*
bit, quòd bonitas dei & patientia prouocet nos ad pœnitentiam, nos autem ſecundum duritiam & impœnitens
cor noſtrum, theſaurizemus nobis iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei. Iraſci autem dicitur deus,
non animi motu, vel quauis alia perturbatione quæ illi omnino accidere non poteſt, ſed cùm impiis & pecca-
F toribus iuſtam inferre dicitur vltionem, hoc eſt, reddere illis quæ merentur. Et hæc vltio diuina, ira vel furor eius dicitur. CHRYSOSTOMVS SVPER IOANNEM. Vides autem quomodo *Cap.1.*
Moyſes cùm à Iudæorum ingratitudine liberari poſſet, & alterius gentis potiorem longèque maiorem acci- *Homil.12.*
pere principatum, cùm ſanctus & dei ſeruus eſſet intimus, ne audire quidem id ſuſtinuit, ſed potiùs vnà cum
his qui ſibi ſemel crediti erant, perire, quàm ſine illis ſaluus eſſe, & ad maiorem dignitatem aſſumi, prætulit.
Huiuſmodi eſſe oportet cui animarum cura commiſſa eſt. Eſt nanque abſurdum vt prauorum filiorum pater,
nolit niſi eorum quos genuit pater appellari: Nos autem diſcipulos quotidie nunc hos, nunc illos mutemus,
erga neminem amicè familiaritérque affecti. AMBROSIVS OFFICIORVM LIBRO SECVNDO. *Cap.7.*

Si quis conſilio, vſu, miniſterio, officiis popularem comprehendat gratiam, aut ſi quis periculum ſuum pro vniuerſa plebe offerat, non eſt dubium quòd tantum charitatis à plebe in eum refundatur, vt populus ſalutem eius & gratiam ſibi præferat. Quantas Moyſes à populo illatas abſorbebat contumelias, & cùm dominus in

insolentes vindicare vellet,se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduce- G
ret.Quàm miti sermone post iniurias appellabat populum,cõsolabatur in laboribus,delinibat oraculis, fouebat
operibus.Et cùm deo constanter loqueretur,homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Meritò
æstimatus est supra homines,vt & vultui eius non possent intendere,& sepulturam eius non repertam crederẽt,
quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admi-
*Cap.7.* rarentur. GREGORIVS VIGESIMOSEPTIMO MORALIVM. Quid igitur hoc viro mansue-
tius,qui commissi sibi populi seditionem tolerat, & tamen irascentem dominum pro eisdem suis persequutori-
bus rogat,seque pro illis diuino furori obiicit,quia in sancto eius pectore etiam ex persequutione charitas igne-
scit. CAIETANVS. Moyses autem orabat dominũ deum suum.Iuxta Hebræum habetur, Et orauit Moy-
ses faciem Iehoua elohe sui,dicens.Conditiones orationis huius describuntur,tum dicendo faciem, significatur
enim magna mentis eleuatio tanquam vsque ad faciem dei: tum dicendo elohe sui, magna enim describitur fi- H
ducia orantis,tanquam confidenter supplicantis gubernatorem deum summum.Iunguntur autem hæc duo di-
uina nomina,Iehoua & elohe,ad insinuandum quòd ad ipsum fontem essendi,ac per hoc fontem omnis gratię
salua iustitia eius recurrit:non enim petit aduersus iustitiam diuinam, sed vt non tunc fiat punitio quam popu-
lus meretur, quod salua iustitia misericorditer fieri poterat. AVCTOR CATENAE. Moyses autem o-
rabat dominum deum suum.Hebraicè est,Faciem domini dei sui.Et Hebraismus est,quem reddidit Interpres.
Siue prout Septuaginta & Chaldaica legũt,Et orauit Moyses coram domino deo suo.Ardẽtissima oratio Moysi
fidelissimi in populum iam suum & dei, plena nimirum fidei & synceritatis, & ad gloriam dei ad quam vnicè
zelabat. Piis hominibus nihil grauius & intolerabilius quàm blasphemia in deum & contemptus. Non admit-
tit Israëlem dici Moysi populum, sed occurrit sermoni domini, & piè corrigit. Contra populum tuum(inquit)
non meum, quare sic irasceris domine? Quem eduxisti tu de Aegypto, non ego, idque non meo consilio vel ro-
bore,sed tua tantùm fortitudine. Et ea maxima,quam nunc totus mundus conspexit, & credere incepit poten- I
tiam tuam. CAIETANVS. Ex euentu autem malo qui sequeretur huiusmodi executionem iustitiæ, de-
lendo populum, supplicat, dicendo, *Ne quæso dicant Aegyptij, Callidè eduxit eos vt interficeret in montibus, & deleret è terra.
Quiescat ira tua,& esto placabilis super nequitia populi tui.* INTERLINEARIS. Ac si dicat,dicerent Aegyptij,quia
aliter eos delere non poterat. CAIETANVS. Iuxta Hebræum repetitur,Vt quid dicent Aegyptij.Ecce e-
uentus malus,blasphemia videlicet dei in ore Aegyptiorum,quæ verè caret bono fine.Callidè eduxit eos.Peius
sonant Hebraica,In malo,seu malitia eduxit eos,& cætera. Futura vox Aegyptiorum aduersus deum si tunc de-
leret populum recitatur.Quiescat ira tua.Iuxta Hebræum habetur,Reuertere ab ira furoris tui, & cætera. Quia
deus dixerat, Dimitte me nunc, tanquam progrediens ad vindictam, ideo Moyses supplicat, vt ad euitandam
blasphemiam reuertatur ab ira furoris inchoata ex parte meritorũ populi. AVCTOR CATENAE. Ne
quęso dicãt Aegyptij.Hebraicè est לָמָּה יֹאמְרוּ מִצְרַיִם Lamma iomru mizráim,hoc est,Vt quid vel quare loquen-
tur Aegyptij?Septuaginta,*μήποτε εἴπωσιν οἱ Αἰγύπτιοι*,Ne fortè loquantur Aegyptij.Quæ omnia idem sunt in vir- K
tute cum litera nostra.Deinde vbi nos,Callidè eduxit eos,habemus, Hebraica litera בְּרָעָה Beraha legit, hoc est,
cum malitia,vel in malum,aut in astutia,seu malitiosè,causa videlicet detrimẽti & ruinæ,sicut & Septuaginta,
*μετὰ πονηρίας*,hoc est,Cum prauitate siue malitia vel cum malignitate,sicut habet Chaldaica.Vertunt alij, Malo
syderе eduxit eos.Quasi dicat,Ne committas vt Aegyptij dicant in hũc modum, Infelici syderе eduxit eos. Ae-
gyptij enim omnia tribuunt syderibus.Denique quod nos,Quiescat ira tua,& esto placabilis super nequitia po-
puli tui legimus, Hebraicè ita habetur שׁוּב מֵחֲרוֹן אַפֶּךָ וְהִנָּחֵם עַל הָרָעָה לְעַמֶּךָ Sub mecharon appécha, vehinna-
chem hal haraha lehãmécha,Reuertere ab ira furoris tui, & pœniteat te super malitia populi tui, Vel super ma-
lo,populo tuo.Tria hæc verba,Quod facere decreuisti,subintelligi debent,hoc modo, Muta sententiam de ma-
lo quod facere decreuisti populo tuo.Ita exponendum esse docent sequentia.Alij vertunt, Auertere à furore iræ
tuæ,& pœniteat te mali huius contra populum tuum, Vel super malum hoc populi tui. Septuaginta, *παῦσαι τῆς* L
*ὀργῆς τοῦ θυμοῦ σου,καὶ ἴλεως γίνου ἐπὶ τῇ κακίᾳ τοῦ λαοῦ σου*, Cessa ab ira furoris tui,& placabilis esto super nequitia popu
li tui.Chaldaica verò,Reuertere ab ira furoris tui,& conuertere à malo quod cogitasti facere populo tuo. Quæ
omnia in sententia vnum sunt cum editione nostra. Dicat ergo Moyses, Redundabit hæc ira tua domine, hoc
iudicium tuum quantumlibet iustum,in blasphemiam tui nominis,in pręiudicium veritatis,in obfuscationem
bonitatis tuæ,in scandalum electorum etiam ex omnibus gentibus. Cùm audierint cœpisse te liberare populum
hunc tuum,& vel noluisse,vel non potuisse, quod vtrumque intolerabile sanctis. Cõuertere potiùs ad bonitatis
& veritatis tuæ titulos,latiùs ex hoc declarandos. *Recordare Abraham,Isaac,& Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per
temetipsum,dicens,Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli,& vniuersam terram hanc de qua locutus sum,dabo semini vestro,& possidebitis eam semper.* ORDINARIA. Patres qui diliguntur à deo inducit pro filiis qui offendunt, nec merentur
audiri,quia bona sanctorum patrum sæpe subueniunt filiis. INTERLINEARIS. Quibus(inquit)iurasti,
id est, firmiter promisisti, per temetipsum, quia maiorem non habuisti, & quem homines non audent peierare,
vnde non licet mutari promissum. THEODORETVS. Obseruandum est igitur Moysen cùm le- M
gationem suam ad deum placandum non satis idoneam esse existimaret, Patriarcharum quoque nomina in
patrocinium inuocasse. CAIETANVS. Primùm supplicauit ex parte diuini honoris, modò supplí-
cat ex parte diuinæ veracitatis,& è regione peccati populi,proponit merita Patriarcharum Abrahæ, Isaac,& Ia-
cob. AVCTOR CATENAE. Et possidebitis eam semper. Parum est quòd Hebraicè est וְנָחֲלוּ לָעַד Ve-
nachalu leholam, Et possidebunt in seculum. Quod alij vertunt, Quam (subaudi terram) perpetua hæreditate
possidebunt. Alij, Et hæreditate accipient in seculum. Chaldaica, Et possidebunt eam in æternum. Septua-
ginta, *εἰς τὸν αἰῶνα*, In seculum: נָחַל Nachal enim verbum, & hæreditare, & possidere significat. Sic & di-
ctio עֹלָם Holam, semper, in seculum, in æternum, & in perpetuum, de qua multa aliàs. Recordare igitur
Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum. Ac si dicat Moyses, Si populus hic incendio perire meretur,
ecce Abraham pater eorum tui amore in Vr Chaldæorum proiectus extitit. Si gladio, ecce Isaac, qui
pro te



A pro te immolari paratus fuit. Si exilio, en Iacob tanquam exul tibi & patri obediẽs fugit in Mesopotamiam.
Quibus iurasti per temetipsum,dicens,Multiplicabo,& cætera.Quod(inquit)patribus promisisti, statue subinde
vt cœperas;próque tua pietate,tam graue hoc malum verte pro tuo more in bonum, & promissiones tuas circa
hunc populum ne facias irritas,propter semen illud tuum quod promisisti possessurum terminos terrę,& in quo
benedicendæ sunt omnes gentes, & filij tui velut stellæ cœli & arena maris multiplicandi, non nunc semel era-
dicentur,cum longè alia nobis promiseris.Dei igitur veritatem allegat in promissis quàm certissimis,quem pro
syncera fide & deuotione non fert mendacem credi ab infidelibus vel dici, & seminis benedicti reminiscẽtiam
obiicit, orans sine dubio in nomine domini nostri Iesu Christi, qui & pro sua reuerentia exaudiendus non du-
bitabatur. Iam tunc enim Christi mysterium æquè domino deo patri præsens erat, vt postquam crucifixus re-
gnum susceptum sempiternum. *Placatúsque est* (inquit) *dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.*
B HIERONYMVS IN DANIELEM. Si dominus iam decreuerat perdere populum Israël, quomodo *Cap.5.*
dicitur quòd pœnituit eum super malum quod locutus fuerat facere populo suo, vel quòd placatus est ne face-
ret malum,& cætera?Num vt homo deus,qui in horas consilium mutet? Quod facilè soluitur Ezechiæ regis e- *Esa.38.*
xemplo,quem Esaias dixerat esse moriturum,& Niniuitarum quibus dictum est,Adhuc quadraginta dies,& Ni- *Ionæ.3.*
niue subuertetur.Et tamen ad preces Ezechiæ & Niniue,dei sententia commutata est, non vanitate iudicij, sed
eorum conuersione,qui meruere indulgẽtiam.Alioquin & in Hieremia loquitur deus se mala minari super gen- *Hiere.18.*
tem,& si bona fecerit, minas clementia commutare. Rursum bona agenti se asserit polliceri, & si mala fecerit,
dicit se suam mutare sententiam,non in homines, sed in opera quæ mutata sunt. Neque enim deus hominibus,
sed vitiis irascitur, quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est. GREGORIVS *Cap.24.*
VIGESIMO MORALIVM. Sicut igitur cùm culpas percutit dominus,dicitur irasci,quamuis nulla ani-
mi perturbatione moueatur, sic cùm ipse immutabilis id quod voluerit mutat, pœnitere dicitur, quamuis rem
C mutet,consilium non mutet. AVGVSTINVS. Secundum alia exemplaria,Et propitiatus est dominus de *Quæst.143*
malitia,quam dixit facere populo suo.Malitiam hîc pœnam intelligi voluit,sicuti est,Aestimata est malitia exi- *Sap.3.*
tus illorum.Secundum hanc dicitur,Bonum & malum à deo,non secundum malitiam qua homines mali sunt.
Malus enim deus non est, sed malis ingerit mala, quia iustus est. CAIETANVS. Nulla in deo mutatio
significatur,sed quod reuelauerat se facturum,non simpliciter,sed secundum merita populi, reuelat absque om-
ni sui mutatione se non facturum simpliciter propter honorem suum, propter verificandas promissiones factas
patribus,propter preces Moysi,propter merita Patriarcharum. AVCTOR CATENAE. Propria Hebrai-
ca verba sunt וַיִּנָּחֶם יְהוָה עַל הָרָעָה אֲשֶׁר דִּבֶּר לַעֲשׂוֹת לְעַמּוֹ Vainnáchem Iehoua hal haraha aser dibber lahasoth
lehammo, Et pœnituit dominum super malum quod locutus fuerat vt faceret populo suo.Id est, cessauit & ab-
stinuit inferre vindictam in populum suum, quam vtique inferre proposuerat. Est enim Hebraismus. Alij ver-
tunt,Pœnituit itaque dominum mali,quod locutus fuerat ad faciendum, seu se facturum populo suo. Chaldai-
D ca,Reuersúsque est dominus à malo quod cogitauit facere populo suo.Quę omnia idem dicunt cum litera no-
stra.Placari autem post iram,& pœnitere dei,aliud non est, quàm immobilis semper voluntate sua sancta, con-
sulere electis multipharíam, nunc blandiendo, nunc puniendo, exempla piis edere, obedientiæ & contemptus
diuinorum.Hîc autem placari, est remittere condignam tanto crimini pœnam, vt non tunc statim illos abiece-
rit sicut meriti fuerant, sed vt populum suum denuo agnosceret, & cœptum beneficium redemptionis non re-
scinderet.Vides igitur quanti sint apud deum preces synceræ & ardentissimæ charitatis. Propterea Esaias con- *Esa.64.*
querens dicebat,Non est qui consurgat,ac teneat te.Et per Ezechielem dominus cõtestatur, Quæsiui virum qui *Ezech.22.*
interponeret sepem,& staret oppositus contra me pro terra,ne dissiparem eam, & non inueni, & effudi super eos
indignationem meam.
RVPERTVS. Sed nunquid vanè dixit deus Moysi,Dimitte me,vt irascatur furor meus contra eos,& de- *Mysticè.*
leam eos?Nunquid in ventum dixit,Faciámque te in gentem magnam?Imò sicut dictum, iam nunc factum est.
E Dum enim ceruicem populi illius deus confregit,Moysen autem fecit in gentem magnam.Dilatauit enim vniuer-
sam de gentibus Ecclesiam toto orbe diffusam.Non ergo frustra dixit,Deleam eos,faciámque te in gentem ma-
gnam,dixit enim,& factum est. Attamen distulit ne tunc faceret, in præsentiarum non dimittente Moyse,sicut
dictum est. AVCTOR CATENAE. Id si non reuera factum sit iudicent Iudæi ipsi,& intelligant Chri-
stianorum Ecclesiam Moysi & Prophetis obsequentissimam & studiosissimam, si non maior sit & melior quàm
Iudæorum synagoga vnquam fuit.Non quidem sine peccato, sed sine abiectione diuini honoris, & fide verbo-
rum dei,quæ Iudæis non rarò in totum abiecta sunt,& hodie negligi videntur, quicquid simulent. Ideóque re-
gnum dei iamdudum ablatum est ab ipsis,& datum gentibus facientibus fructum,& agrum scripturę pro virili
colentibus,prout gratiam dominus largitur. BERNARDVS. Ego autem cõsilio secretiori puto hoc mu- *Vbi supra.*
nus diuinitùs pro sui magnitudine seruatum spõsæ, vt ipsa potiùs & non Moyses mitteretur in gẽtem magnam.
Non enim oportebat amicum sponsi prærípere spõsæ benedictionem,& propterea non quidem Moyses, sed no-
F ua sponsa,cui dicitur,Ite in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Ipsa(inquam)prorsus *Matth.*
missa est in gentem magnã.Num in maiorem potuit quàm in vniuersitatem? Et facilè vniuersitas cessit portãti
pacem,gratiam offerenti.Sed non sicut gratia,ita & lex,quàm dissimili vultu ad omnem cõscientiam se offerũt
suauitas huius,& illius austeritas.Quis sanè ex æquo respiciat cõdemnãtem & consolãtem,reposcẽtem & igno-
scẽtem,plectẽtem & amplectẽtem?Non pari profectò acceptabitur voto vmbra & lux,ira & pax,iudiciũ & mise-
ricordia,figura & veritas,virga & hæreditas,frenũ & oscũlũ.Graues deniq; Moysi manus testibus Aaron & Hur.
Graue legis iugũ testibus ipsis Apostolis,qui hoc & sibi & patribus importabile clamitãt. Graue iugũ & vile præ-
mium,nam terra est in promissione. Pro huiusmodi non est missus Moyses in gẽtem magnam.Verùm tu mater
Ecclesia,promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ, facilè in duplici gratia obtines ab vniuersis te reci-
pi,& propter iugum suaue,& propter regnũ sublime.Pulsa de ciuitate,ab vniuersitate exciperis, dum sic prouo- *Esa.60.*
cat quod promittis,vt quod imponis nõ terreat.Quid adhuc vnius vineæ plãgas dãnum, quod tãto sibi fœnore

compensatum est? Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non fuit qui per te transiret, ponam te (inquit) G
in superbiam seculorum, gaudium in generatione & generationem, & suges lac gentium, & mammilla regum
lactaberis, & scies quia ego dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. ANTONIVS ABBAS
AD ARSENOYTAS. Magnum pro certo charissimi est vobis istud, vt percontemini de cognatione sen-
sualis extantiæ, in qua non est masculus neque fœmina, sed substantia tantùm immortalis existit, habens quidem
principium, finem verò nequaquam, debitúmque vobis erat cognoscere, & de eo quomodo omnino deciderit
in tantam humilitatem, & in confusionem eximiam, quæ pertransiens in omnibus vobis, aduenit. Igitur quan-
do substantia immortalis existit, non consoluenda corporibus: hanc ob causam deus eandem plagam aspiciens
irremediabilem effectam, & quia magnificata esset vehementer, per suam indulgentiam visitationem eorum fa-
ciens, propter propriam bonitatem post aliquantum temporis legem posuit eis: vnde & operatus est per Moy-
sen, præbendo legem. Et Moyses quidem fundauit eis veritatis domum, curare volẽs eandem validam plagam. H
Sed perficere nequiuit ædificium domus, insuper autem & omnis sanctorum chorus collectus in vnum, petiit
patris bonitatem de salutari nostro, vt calcaret in terris pro nostra cunctorum salute. Ipso vtpote extante no-
stro magno & fideli pontifice, ac medico vero, qui solus sanare posset hanc enormem plagam, vnde & volun-
*Philip.2.* tate patris exinaniuit semetipsum propria gloria, deúsque existens formam serui assumpsit, tradens se propter
*Esa.53.* nostra peccata. Et delicta quidem nostra humiliauerunt eum, sed liuore eius nos omnes sanati sumus.

3 *ET reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex utraque parte,*
*& factas opere domini. Scriptura quoque dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Iosue tumultum po-*
*puli uociferantis, dixit ad Moysen, Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit, Non est clamor*
*adhortantium ad pugnam, neque uociferatio compellentium ad fugam, sed uocem cantantium ego audio. Cúmque*
*appropinquasset ad castra, uidit uitulum & choros, iratúsque ualde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas* I
*ad radicem montis. Arripiénsque uitulum quem fecerant, combussit, & contriuit usque ad puluerem quem sparsit*
*in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël. Dixítque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super*
*eum peccatum maximũ? Cui ille respondit, Ne indignetur dominus meus. Tu enim nosti populum istum quòd pro-*
*nus sit ad malum. Dixerunt mihi, Fac nobis deos qui præcedant nos. Huic enim Moysi qui nos eduxit de terra Ae-*
*gypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi, Quis uestrum habet aurum? Tulerunt & dederunt mihi, & pro-*
*ieci illud in ignem, egressúsque est hic uitulus.*

3 AMBROSIVS DE HELIA ET IEIVNIO. Moyses de ieiunio legem dedit, de vino non dedit.
Ipsum quoque ieiunantem non voces magnæ, non fulgura & nubes nimbosa, non fumigãs Sina perterruit. Ne-
que verò introisset in nubem, & vocem dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus K
armis ieiunij fuisset. Quadraginta enim diebus ieiunauit in monte, cùm legem acciperet à domino deo nostro.
Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti, præuari-
catio sacrilega luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus, fregit tabulas Moyses, indignum iudi-
cans vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. Quid verò
alia dicam? Nónne sterilitatem matris Samson, vini abstinentia fœcundauit, & parientem fecit sterilem? Quo-
niam iuxta præceptum domini vinum non bibit. Nónne Annam non manducantem exaudiuit dominus, & in-
fœcunditatem eius soluere ieiunia? Ex quibus duo generati, vnus fortissimus, alius obseruantissimus, dignos se
præbuerunt, qui ieiuno gremio diu foti, & quodam abstinenti effusi vtero viderentur. Idem itaque Samson,
qui matris sobrietate generatus est, Allophylorum insultantium sibi ebrietatem vindicatus est. Helisæus vates
quidem à magistro didicerat parsimoniam, cùm filios aleret prophetarum, vitis agrestis grumulis mensas one- L
rabat, & inemptis syluestribus oleribus, hospitalitatis humanitate implebat officium. Quorum offensi amaritu-
dine, cùm manducare non possent, leuis farinæ aspersione omnem illam amaritudinem temperauit, abstinentiæ
propheticæ munere veneni vires euacuans. Sed age iam quid sacra ipsa lectio proloquatur audiamus. *Et re-*
*uersus est* (inquit) *Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex utraque parte, & factas opere domini. Scriptura*
*Cap.2.* *quoque dei erat sculpta in tabulis.* AMBROSIVS LIBRO TERTIO DE SPIRITV SANCTO. Ple-
runque ex nostris sermonibus ea quæ supra nos sunt, conuenit æstimari. Et quia illa videre non possumus, ex his
*Rom.1.* quæ videre possumus colligamus. Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta con-
spiciuntur. Et subdidit, Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Quorum aliud de filio, aliud de spiritu san-
cto dictum vide, vt quemadmodum sempiterna virtus patris dicitur filius, ita etiam spiritus qui diuinus est,
sempiterna diuinitas esse credatur. Nam & filius qui semper viuit, vita sempiterna est. Hic ergo digitus dei, &
*2.Cor.3.* sempiternus est & diuinus. Quid enim dei proprium, quod non sempiternum sit & diuinum. Hoc digito sicut M
legimus tabulas illas lapideas inscripsit, quas Moyses accepit. Non enim carnali digito deus harum literarum
quas legimus, apices & elementa formauit, sed spiritu suo dedit legem. Et ideo Apostolus dixit, Lex enim spi-
ritalis est, quæ vtique non atramento inscripta est, sed spiritu dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis
cordis carnalibus. Nam si Apostoli epistola scribitur in spiritu, quid obstat quo minus etiam legem dei non
atramento sed spiritu dei descriptam credere debeamus quæ vtique cordis nostri mentísque secreta, non
maculat sed illuminat? Scripta est autem in tabulis lapideis, quia in typo scripta est, sed tabulæ fractæ primò
sunt & abiectæ de Moysi manibus, quia Iudæi à Propheticis operibus exciderunt. Et bene tabulæ fractæ sunt,
non scriptura deleta. Et tu vide ne frangatur tabula tua, ne mens tua & animus tuus diuidatur. Nunquid
diuisus est Christus? Non diuisus est, sed vnum est cum patre, & nemo te ab eo separet. Si fides deficiat,
tabula tui cordis frangitur. Comminuitur animi firmitudo, si vnitatem diuinitatis in Trinitate non credas.

Scriptæ



A Scripta est & fides tua, scripta est & culpa tua, sicut Hieremias dixit. Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & *Hierem.17*
vngue adamantino. Et scripta est (inquit) in pectore & in corde tuo. Ibi igitur culpa est, vbi gratia. Sed culpa gra-
phio scribitur, gratia spiritu designatur. Hoc digito mysticè etiã domin⁹ Iesus inclinato capite scribebat in terra, *Ioan.8.*
cùm à Iudæis adultera esset oblata, significans per figuram quando de peccatis alterius iudicamus, nostri nos de-
bere meminisse peccati. At ne rursus, quia legem deus spiritu sancto scripsit, inferiùs aliquid tanquam de mi-
nisterio spiritus crederemus, vel ex corporis nostri æstimatione quandam portionem exiguam dei spiritus pu-
tãremus, ait alibi Apostolus, Non se humanæ scientiæ verbis loqui, sed doctis spiritus, & spiritalibus spiritalia
comparare, animalem autem non percipere quæ sunt spiritus dei. Sciebat enim quòd is qui diuina carnalibus
compararet, inter animalia esset, non inter spiritales homines cõparandus, Stultitia (inquit) illi est. Et ideo quia
sciebat has futuras esse animalium hominum quæstiones, præsagus futuri ait, Quis enim cognouit sensum do-
B mini, qui instruat eum? Nos autẽ sensus Christi habemus. INTERLINEARIS. Reuersus igitur est Moy-
ses de monte, ad regendum populum intellige, & corrigendum. Scriptura autem dei quæ erat sculpta in tabulis,
nil aliud erat quàm præcepta diuina. CAIETANVS. Et reuersus est Moyses. Iuxta Hebræum habetur, Et
vertit se, & descendit Moyses de monte. Hinc elicitur, quòd Moyses descendendo de monte, citatus à deo ver-
tit se versus montis cacumen, & in tali situ audiuit deum, & supplicauit deo, tanquam deus supra montis cacu-
men loqueretur & audiret, ad insinuandum enim quòd Moyses aspiciens versus montis cacumen orauerat, scri
ptum est, Et vertit se, & descendit de monte. Portans duas tabulas, & cætera. Iuxta Hebræum habetur vtrobique
nomen elohim, ita quòd & tabulæ dicuntur opus elohim, & scriptura dicitur scriptura elohim. Significatur
enim deus artifex tabularum & scriptor, non calamo sed scalpello, nam subiungitur quòd scriptura erat sculpta.
Et vtrumque opus attribuitur deo, quatenus est iudex, vt nihil humani operis, sed totum dei sit, & ex integro offi
cium dei legislatoris, non solùm scribendo leges, sed etiam conficiendo legis tabulas significetur. Scripta sunt
C enim hæc ad manifestandum quòd nihil cooperatus est Moyses ad huiusmodi tabulas. AVCTOR CA-
TENAE. Quod nos, Et reuersus est Moyses de monte habemus, Hebraicè est וַיִּפֶן וַיֵּרֶד מֹשֶׁה מִן הָהָר Vai-
phen vaiéred Mose min hahar, Et respexit, & descendit Moyses de monte. Sic & Chaldaica. Sed quia verbum
Phana, etiam vertere & conuertere, reuerti ac declinare significat, vertunt quidam, Et conuersus est, & descen-
dit, scilicet à deo, quasi dicat, Auertit faciem suam à deo, & descendit. Alij, Et vertens se Moyses descendit de
monte, hoc est, declinans à deo, cum quo loquebatur, diuertit ad descendendum ad filios Israël. Sed hæc vnum
sunt. Scriptas ex vtraque parte, sic & Chaldaica. Id quod in Hebræo est מִשְּׁנֵי עֵבְרֵיהֶם Misene hebrehem, In, siue
à duobus lateribus suis, id est, in vtroque latere. Quod alij vertũt, In duabus superficiebus suis. Alij, Ab vtraq; fa-
cie. Septuaginta, ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν, Ex vtrisque partibus earum. Sed & hæc idem sunt. Ideo autem
quælibet tabula erat scripta in vtroque latere, id est, ante & retro eisdem literis, vt dei mandata in eis, tam ab his
qui stabant ex vna parte versus eas, quàm ab illis qui situ opposito ipsas respiciebant, legerentur. Post hæc autem
D verba sequitur Hebraismus, qui consultò præteritus est ab Interprete טַוָּה וּכְתָבִים מִזֶּה וּמִזֶּה הֵם כְּתֻבִים Mize vmize hem
chethubim, Hinc & hinc, siue inde scriptæ erant. Sic & Septuaginta & Chaldaica. Et factas opere dei. Sic ferè &
Chaldaica, Tabulæ autem erant opere dei factæ. Quod in Hebræo est, וְהַלֻּחֹת מַעֲשֵׂה אֱלֹהִים הֵמָּה Vehaluchoth
mahase elohim hémma, Erántque tabulæ illæ opus dei, siue, Et tabulæ opus dei erant. Sic & Septuaginta legũt.
Sequitur, Scriptura quoque dei erat sculpta in tabulis. Non deuiat ad Hebraico quod est huiusmodi, וְהַמִּכְתָּב
מִכְתָּב אֱלֹהִים הוּא חָרוּת עַל הַלֻּחֹת Vehamichtab michtab elohim hu, charuth hal haluchoth, Et scriptura, scriptu
ra dei, sculpta in tabulis. Sic & Septuaginta. Alij vertunt, Et scriptum hoc, fuit scriptum dei, sculptum in tabu-
lis. Chaldaica, Et scriptura erat scripta à facie dei, sculpta super tabulas. Quæ omnia idem dicunt quod Latinus
Interpres. Et quidem potuit Decalogus mandatorum dei vnica inscribi tabula, sed indicanda erat summa vo-
luntatis diuinæ, charitas dei in prima, & proximi in secunda. Digito autem dei scriptas tabulas manibus suis
Moyses gestabat descendens de monte, vtraque parte scriptas, hoc est, vtrinque non hominum artificio, sed ope-
E re dei: cõplectebantur enim legem naturæ à creatore inditam humanis pectoribus, antiquatam tamen originali
præuaricatione primorum parentum, & malitia hominum in seculo, vt iam necessaria fuerit lex scripta lapideis
tabulis, duratura vsque dum Christus spiritum sanctum missurus esset in corda suorum. Non igitur humana
erat traditio, sed præceptum & opus dei in tabulis sacrosanctis. *Audiens autem Iosue tumultum populi uociferantis, di-*
*xit ad Moysen, Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit, Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque uociferatio compellantium*
*ad fugam, sed uocem cantantium ego audio.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Et in ascensu &
descensu legitur Iosue fuisse cum Moyse, sed non legitur cum eo in monte permansisse. Vnde etiam dubitatio
orta est, vtrum ibi tandiu cum Moyse ieiunauerit, an non. CAIETANVS. Ex hoc loco clarè apparet,
quòd Iosue non est reuersus in castra, sed expectauit Moysen quadraginta diebus in parte illa mõtis, in qua sub-
stiterat. Qualiter autem interim vixerit, nescitur. Dixerat autem Iosue vocem bellicam, respondet Moyses non
esse vocem bellicam fortiorum in bello, nec esse vocem bellicam debiliorum in bello (ac per hoc negat omnẽ vo
F cem bellicam) sed esse vocem canentium. Et rectè audiuit, quoniam subiungitur, quòd postea vidit vitulum &
choros ducentium choreas, quod nõ sit sine cantu. AVCTOR CATENAE. Audiens autem Iosue
tumultum populi vociferantis. Pro, Tumultum populi vociferantis, in Hebræo scriptum est אֶת קוֹל הָעָם בְּרֵעֹה
Eth kol haham bereho. Sciendum autem verbum רוֹעַ Róah, à quo רֵיעַ Réah, vlulare, vociferare tam in læti-
tia quàm in luctu, & iubilare esse. Vnde aliqui hîc vertunt, Vocem populi in vociferatione eius, siue sua, id est,
dum clamaret atque vociferaret. Sic & Chaldaica, Vocem populi quando vociferabantur. Alij vertunt, Vocem
populi iubilantis, Siue, Vocem populi cum iubilo. Septuaginta, φωνῆς τοῦ λαοῦ κραζόντων, Vocem populi claman-
tium. Sed hæc minima sunt, & in vnum tendentia. Clamabat enim populus, lætabatur & iucundabatur diem
festum agens idolo, more gentilium. Sequitur. Vlulatus pugnæ auditur in castris, Sic & Chaldaica, Vox pugnæ
auditur in castris. Hebraicè est, קוֹל מִלְחָמָה בַּמַּחֲנֶה kol milchama bamachane, Vox bellica seu belli in castris,
subaudi, auditur. Sic & Septuaginta. Vel, Vox prælij in turma. Quæ idem dicũt cum litera nostra. Quod autem

apud

apud nos legitur, Non eſt clamor adhortantium, & cætera, Hebraicè ſcribitur, אֵין קוֹל עֲנוֹת גְּבוּרָה וְאֵין קוֹל עֲנוֹת חַלּוּשָׁה קוֹל עֲנוֹת אָנֹכִי שֹׁמֵעַ En kol hanoth gebura, veen kol hanoth chaluſa, kol hannoth anochi ſoméah, Non vox vociferationis fortis, nec vox vociferationis infirmę, ſed vocẽ cãtationis ego audio. Neque certè aliud eſt, q̃ quod vertit Interpres. Eodem enim modo exponit etiam Chaldaica editio, habens, Non eſt vox fortium præualentium in pugna, neque vox imbecillium qui ſuperantur, ſed vocem ludentium ego audio. Septuaginta etiam ipſi. tale quiddam innuere videntur, οὐκ ἔστι φωνὴ ἐξαρχόντων κατισχύων, οὐδὲ φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς, ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου ἐγὼ ἀκούω, hoc eſt, Non eſt vox imperantium violenter, ſeu vox præcinentium pugnam, neque vox imperantium conuerſionem, ſeu præcinentium fugam: ſiue hoc modo, Non eſt vox incipientium violenter, neque vox incipientium fugam, ſed vocem incipientium, vel imperantium, vel præcinẽtium vinum ego audio. Vinum autem à viris doctis additum putamus, quia ſic cantantes inſaniebant, ac ſi eſſent ebrij: & fortè de facto ebrij erant, nam & comederant & biberant, & poſtea ſurrexerant ludere. Alij vertunt, Non eſt clamor victorum, neque eorum qui victi ſunt, ſed vocem cantantium ego audio. Nam עָנָה Hana, & cantare, & vociferare, & demum quemcunque clamorem ſignificat. Alij etiam, Non eſt vox quæ reſonet ſiue reſpondeat fortiter, ſeu fortitudinem, neque vox quæ reſonet vel reſpondeat infirmiter, vel debilitatem, ſed vocem cantantium ego audio. Quidam, Non eſt vociferatio fortitudinis, neque eſt clamor vociferationis imbecillitatis, ſed vocem iubilationis ego audio. Eſto igitur omnium harum verſionum ſenſus, Nõ eſt ſtrepitus qualis eſſe ſolet vincentium, neque eorum qui vincuntur. In bello enim duæ diuerſæ voces audiuntur, vna eorum qui victi ſunt, & hæc eſt vox calamitoſa & triſtitiæ plena: Altera eſt eorum qui victoriam adepti ſunt, & illi iubilãt pro fortitudine ſua. In caſtris autem Iſraël audiebatur vox gaudentium, ludentium atque cantantium. Nam vltimum verbum עָנוֹת Hannoth, aliqui pro ridere, hîc poſitum eſſe dicunt, aliqui pro eleuare vocem in cantico. Inuenitur ſiquidem & in aliis locis pro cantare, ſed in coniugatione dageſſata, prout eſt hoc in loco. Ioſue ergo verba indicant ſilentium Moyſi, qui illi non ſtatim reuelauerat quod domino indicante ſciebat de populi caſu horrendo. Non ſunt enim aduerſa infelicia ſubitò prædicanda, dum malum emendari nequit, & factum eſt irreuocabile. Moyſes autem præmonitus, intelligebat, quid ſonus populi vociferantis portenderet, non pugnam, non fugam, non victoriam, ſed cantica ſacrilega ante idolum pro ſtultitia vulgi. *Cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros iratúſque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* INTERLINEARIS. Quia iudicauit indignos, quibus præcepta dei legerentur. HIERONYMVS LIBRO SECVNDO CONTRA IOVINIANVM. Moyſes quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina, etiam tunc probans, nõ in ſolo pane viuere hominem, ſed in omni verbo dei, cum domino loquitur, populus autem ſatur idola fabricatur. Ille vacuo ventre, legem accipit ſcriptam digito dei: Iſte manducans & bibens, conſurgénſque ludere, aurum conflat in vitulum, & Aegyptium bouem præfert domini maieſtati. Tot dierum labor, *vnius* horæ ſaturitate perit. Frangit audacter Moyſes tabulas, ſciebat enim dei ſermonem non poſſe audire temulentos. Incraſſatus eſt & pinguefactus, & dilatatus, & recalcitauit dilectus, & dereliquit dominum, qui fecerat eum, & abſceſſit à deo ſalutari ſuo. Vnde & in eodem Deuteronomio præcipitur, Ne cùm manducaueris & biberis, & domos opimas ædificaueris, ouibus & bubus tuis multiplicatis, & argento & auro, extollatur cor tuum, & obliuiſcaris domini tui. CHRYSOSTOMVS. Abſurdum eſſe Moyſes exiſtimauit, ſi legem dei populo ebrio, legémque infringente afferret. THEODORETVS. Nam quia dotalium libellorũ typum tabulæ gerebant, ſponſa verò iam antequam in thalamum duceretur, adulterium perpetrarat, iure optimo dotalem libellum fregiſſe exiſtimandus eſt. HVGO DE SANCTO VICTORE. Confregit eas ad radicem montis. Vtrum ex humano affectu, an ex diuino inſtinctu hoc fecerit, non patet. CAIETANVS. In pœnam ergo populi vtpote indigni beneficio diuinarum tabularum, confregit eas. AVCTOR CATENAE. Sanctorum hominum eſt zelum dei habentium, pro contempta dei gloria, & crimine læſæ maieſtatis diuinæ, nihil diſſimulare, ſed memorabili opere oſtendere ac teſtari verum cordis dolorem, & minimè hypocritico corde palàm patefacere indignitatem cauſæ, ad terrorem aliorum, & cautelam piorum. Non quòd non crediderit domino priuſquam videret, ſed non ita pium pectus auditu permouebatur vt viſu, eatenus, vt zelus diuinę gloriæ vicerit inſtitutum, etiam religioſum & pium. Erat enim totus ardens in dei gloriam, & populi electi ſtatum felicem per omnia. Vt igitur cor Iſraëlitarum confunderet & cõmoueret, videntiũ legẽ dei è cœlo allatã, & *in* lapide Sapphyrino digito dei ſcriptam, propter ſua autem peccata, tabulas illas cœleſtes deperditas, *volens* confregit eas. Sed dicet aliquis, An non eſt hoc excedere limites modeſtiæ, tabulas Decalogi paulò antè diuinitùs conſcriptas, quas manu geſtabat, proiicere in terram, & confringere? Etſi enim populus grauiſsimè peccauit, quid tamen inſontes tabulę diuina manu cõſcriptę cõmeruerunt? Iraſcimini (inquit ſcriptura) & nolite peccare. At quèadmodum homicidium quod Moyſes perpetrauit in Aegyptium, de quo ſcriptum eſt ſuprà capite ſecundo, non fuit peccatum aduerſus legem dei, ſed heroicus ſpiritus, & zelus ſpiritus ſancti: ita & hæc Moyſi ira, qua hoc loco corripitur, non eſt carnalis affectus, ſed ſpiritualis zelus aduerſus publicam impietatem, propter honorem dei, quale quid ſcriptura teſtatur aliàs de Phinees, qui ſcortatorem Iſraëlitam vnà cum ſcorto Madianitide pugione ſuo publicè cõfodit, quale quid etiam Euangelia de Chriſto domino noſtro teſtantur, qui flagellis eiecit vendentes & ementes de templo. *Arripiénſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* AMBROSIVS AD ROMVLVM. Idololatriæ indignitate percitus, fregit tabulas Moyſes, & comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret veſtigia. HIERONYMVS AD FABIOLAM DE VESTITV SACERDOTVM. Vituli puluerem quem adorauerat Iſraël, in contemptum ſuperſtitionis in potum accipit, vt contemnere diſcat, quod in ſeceſſum proiici videat. CAIETANVS. Iuxta Hebræum explicatur modus contritionis, Et moluit vſque ad tenue. Proculdubio puluis aureus ſignificatur. Quem ſparſit in aquam. Clariùs ſonant Hebræa, Et ſparſit ſuper facies aquarum, & dedit ex eo potum filiis Iſraël. Significatur enim quòd in ipſa actione qua pocula ſumebantur ad potandum, ſpargebatur modicum puluꝛis ſuper aquam. Si enim diutiùs puluis in aqua manſiſſet, nó fuiſſet

*Vbi ſuprà.*



A fuiſſet in ſuperficie, & conſequenter non fuiſſet bibitus. Quorſum autem Moyſes potauerit populum huiuſmodi potione, perſpicuum nõ eſt, Scriptura enim tacet finem. Suaptè autem natura potus iſte fuit annihilatiuus idoli, ita vt nullæ manerent illius reliquiæ. AVCTOR CATENAE. Sic idolum ſuum vorare coguntur ad facti iniuriam, & memoriam, ſimúlque teſtatur idoli impotentiam, quòd totum ipſum redactũ videre cogerentur in cineres. CHRYSOSTOMVS HOMILIA DE REGRESSV EIVS. Moyſes itaque magnus ille dei famulus, caput prophetarum, maris viator, menſæ apparator, qui à genitrice proiectus eſt, & ab impugnatrice ſaluatus, genuit quidem eum mater, abſtulit autem eum Aegyptia, & enutriuit, & qui in Aegypto nutriebatur, in cœlis conuerſabatur, qui tantùm ac tale ſtatuit trophæum, iſte talis ac tantus, vt qui quadraginta dies reliquerat populum, inuenit eum idola fabricantem, & ſeditiones commouentem. Deſcendens autem ille de monte, increpauit Aaron ob ſeditionem populi, & iraſcens inuectus eſt in eum cur acquieuerit voluntati

B eorum, Propterea inquit ſcriptura, *Dixítque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum maximũ?*

THOMAS. Sciendum quòd omne peccatum formaliter conſiſtit in auerſione à deo. Vnde tantò aliquod peccatum eſt grauius, quantò per ipſum homo à deo ſeparatur. Per infidelitatem autem maximè homo à deo elongatur, quia nec veram dei cognitionem habet. Per falſam autem cognitionem ipſius non appropinquat ei, ſed magis ab eo elongatur. Nec poteſt eſſe quòd quantum ad quid deum cognoſcat, qui falſam opinionem de eo habet, quia id quod ipſe opinatur, non eſt deus. Vnde manifeſtum eſt quòd peccatum infidelitatis eſt maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruerſitate morum. Secus eſt autẽ de peccatis quæ opponuntur aliis virtutibus theologicis. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Quod feciſti venire ſuper ipſum peccatum magnum? Hinc apparet, quòd Moyſes nouerat Aaron fuiſſe cauſam talis idololatriæ. AVCTOR CATENAE. Vt induceres ſuper eum peccatum maximum, Id eſt, quòd impuleris eum in tantum peccatum, ſiue quia eum peccare feceris tam grauiter? Hebraiſmus. Sacerdoti impingitur populi præuaricatio in deum, qui

C animam ſuam prodere magis debuiſſet, & elegiſſe mortem citiùs quàm tantum admiſiſſe ſacrilegium, nedum iuuiſſe. Adduxiſſe perniciem accuſatur, quòd non ſummo conatu fuerat amolitus. *Cui ille reſpondit, Ne indignetur dominus meus. Tu enim noſti populum iſtum quòd pronus ſit ad malum. Dixerunt mihi, Fac nobis deos, qui præcedant nos, Huic enim Moyſi qui nos eduxit de terra Aegypti, neſcimus quid acciderit.* HVGO DE SANCTO VICTORE. Tu noſti populum quòd pronus ſit ad malum. Quod non potuit prohibere, dolens paſſus eſt, ita tamen quòd prætioſis ornamentis quæ magis diligebant ſpoliauit eos, vt ſaltem per hoc reprimeret eos à ſtulta voluntate illa, nec tamen potuit. CAIETANVS. Iuxta Hebræum plus habetur, Non iraſcatur furor domini mei. Timentis ſunt verba. Tu enim noſti populum iſtum, & cætera. Iuxta Hebræum, Quod in malo ipſe. Et eſt ſenſus, quòd ipſe populus eſt ſubiectus malis diſpoſitionibus regnantibus in eo. AVCTOR CATENAE. Ne indignetur dominus meus, Vel vt habent Hebraica & Chaldaica, Ne iraſcatur furor domini mei. Et eſt Hebraiſmus, pro, Ne indigneris mihi domine. Quòd pronus ſit ad malum, Hebraicè כִּי בְרַע הוּא Chi beraha hu, habetur, Quod

D in malo ſit. Hebraiſmus eſt, pro, quòd omnino malus ſit, Vel pro eo quod Interpres reddidit, ſicut & Chaldaica habet. Quod Septuaginta verterunt, σὺ οἶδας τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου, hoc eſt, Tu noſti impetum, voluntatem, auiditatem, ſtudium, propenſionem populi huius, ſubaudi ad malum. Huic enim Moyſi, addendum eſt ex Hebręo, Homini ſiue viro. Eſt enim וְהָאִישׁ Hais. Vt dicatur, Quoniam huic Moyſi homini ſiue viro. Et eſt ſermo contemptibilis, ſicut ſuprà expoſitum fuit. Pronus quidem populus erat ad malum, ſed tanto ſtudioſius rebus bene gerendis Aaron inſtare debuerat. Dominum vocat, cũ frater natu maior eſſet Moyſe. Et vel ex hoc intelligitur nondum conſecratus, quia non ſibi improperatur ſacerdotium conſpurcatum, nec vſpiam reconciliatus legitur, quòd poſt tantum caſum irregularitatis non fuerat intermittendũ. *Quibus ego dixi, Quis veſtrum habet aurum? Tulerunt & dederũt illud mihi, & proieci illud in ignem, egreſſúſq; eſt hic vitulus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Compendio locutus eſt, non dicens quòd ipſe formauerit vt exiret vitulus fuſilis. An excuſationis cauſa timendo mentitus eſt, tanquam ipſe in ignem periturum aurum proiecerit, atque

E ipſo non id agente, forma vituli exierit? Quod ideo non eſt credendum, hoc eo animo dixiſſe, quia nec latere Moyſen poſſet quid eſſet in viro cum quo deus loquebatur, & fratrem de mendacio non redarguit. HVGO DE SANCTO VICTORE. Egreſſúſque eſt hic vitulus, opere ſcilicet hominis, nó miraculo. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Cui aurum, amouete. Breuiſsimè refert petitionem inaurium, dictio enim interpretata amouete, extractionem ſonat inaurium. Deinde ſequitur, Et dederunt mihi, & cætera. Subſtantia facti narratur, tacito modo faciendi. Fecerat ſiquidem aurum in ignem, ſed arte & modo fundendi, & exiuit vitulus ex tali materia & opere, eo modo quo artificialia exeunt ex materia & arte. Fatetur enim Aaron peccatum ſuum. AVCTOR CATENAE. Quis veſtrum habet aurum? Tulerũt & dederunt mihi. Hebraicè ita habetur לְמִי זָהָב הִתְפָּרֵקוּ וַיִּתְּנוּ לִי Lemi zahab, hithparáku vaittenu li. Cui aurum, Separauerunt & dederunt mihi. Vel ſeparate (ſubaudi vos ab illo) & date mihi. Id eſt, Siqui ſint qui habeant aurum, auferant à ſe, & ad me afferant, quod & fecerunt. Hebraiſmus. In hunc ſenſum eſt & Chaldaica, habens, Quis habet aurũ, tollite & adducite

F mihi. Septuaginta, τίνι ὑπάρχει χρυσίον, περιέλεσθε, καὶ ἔδωκάν μοι, Cui eſt aurum, auferte, & dederunt mihi. Vertunt alij, Qui habent aurum, rumpant vel abrumpant à ſe, & dent mihi, פֶּרֶק Pharak enim verbum, diuidere, lacerare, & excutere ſignificat. Sed vna eadẽmque eſt omnium ſententia. Et egreſſus eſt hic vitulus, id eſt, fuſorio opere auro reſoluto formatus, non ex ſolo Dęmonis opere, vt quidam dixerũt. Scriptura enim vtriuſque teſtamenti, formationem vituli tam Aaron quàm populo aſcribit. Nam & Stephanus protomartyr ait, Vitulum fecerunt in iſtis diebus, & lætabantur in operibus manuum ſuarum. In Pſalmo quoque legimus, Vitulum fecerũt in Horeb, & adorauerunt ſculptile. Nam communiter dicitur, quòd vitulo per fuſionem in formam redacto, ſimulachrum illud ſcalpendo decorauerunt. Excuſatio quidem Aaron inſufficiens erat, & quæ tantùm ad hominem obtendi poterat, pro tanto vt dicitur, non pro toto. Et hic eſt pernitioſus ille iam inde ab Adam in nobis inueteratus mos, quod agnitorum peccatorum culpam in alios transferre ſatagimus. Sic enim ait domino deo primus parens noſter, Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi. Sic & illa dixit, Serpens decepit

*Exod.32.* *Pſalm.105.* *Genes.3.*

decepit me. Hæc autem non est vera ratio effugiendi, sed potiùs augendi supplicium. Procuranda fuerat salus populi verbo & opere. Murum se pro domino exposuisse debuerat, & impediuisse idololatriam, sed sic habet humana iustitia. Videri tamen potest Aaron fuisse ea ratione inconstantior in opere domini, ne putaretur fratris vicem voluisse defendere, illius iniuriam affectu carnis vindicare, maluisseque populi gratiam conseruare viuus, quàm fratris & dei negocium propugnare moriturus, cum quo facilè conciliandus sperabatur, dei gloria interim neglecta, non sine magno crimine suo & populi. Quicquid sit, attenuat, quãtum potest culpam, quasi sua sponte prodierit vitulus ex coniecto in ignem auro.

*Mystice.* AVGVSTINVS. Verũ quòd Moyses iratus tabulas testimonij digito dei scriptas collisisse atque confregisse videtur, magno mysterio figurata est iteratio testamenti noui, quoniam vetus fuerat abolendum, & constituendum nouum. AMBROSIVS. Fractæ sunt itaque primæ tabulæ, vt repararentur secundæ, quibus per euangelij prædicationem perfidia comminuta euanuit. Sic Moyses typum illum dissipauit Aegyptium, & altitudinem extollentem se compressit æternæ legis auctoritate. Vnde & Dauid ait, Et confringet dominus cedros libani, & comminuet eas tanquam vitulum libani. ISIDORVS. Tabulæ igitur imaginem demonstrabant priscæ legis, non post longo interuallo pro populi peccato cessantis. Aliç verò ad instar priorum iteratim incisę, noui testamenti habuere figuram. Istæ non franguntur, vt ostenderetur noui testamenti eloquia permansura. Vnde & meritò decem verbis legẽda signantur, vt per eundẽ numerum figura crucis exprimeretur. Huius enim forma. x. litera est. Nam tracto vno apice à summo in imum ducitur, rursus alio non dispari per trãsuersa brachiorum cõponitur, vnde & ipse ait, Nõ veni soluere legem, sed implere, vtiq; per passionẽ crucis, cuius imago fuit in tabulis. RVPERTVS. Vel confractionis qua populi Iudæorũ hodie deus durã ceruicem confregit, præsagium in tabulis lapideis præcucurrit. Sicut enim illæ confractæ sunt cõfringẽte Moyse, sic lapidea populi illius corda confracta sunt & reprobata, accusante Moyse, quemadmodũ dicit dominus, Est qui accusat vos Moyses.

*Ioan.5.* AVGVSTINVS. XXII. CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM. Et hæc quidẽ de tabulis. Sed quid sibi vult iste vitulus quem fecerũt filij Israël in solitudine, vel quid significat, quòd Moyses ipsum vitulum igne cõbusit, minutatimq; concidit, & in aquam aspergens, potum populo dedit? Si enim tabulas, quas digito dei, hoc est, operatione spiritus sancti scriptas acceperat, ideo fregit, quia indignos eos quibus legeret iudicauit: si denique vt ab eis ille vitulus penitus aboleretur incendit & contriuit, & in aquam sparsit atque summersit, vt quid & potum hoc populo dedit? Quem non excitet factum hoc ad quærendam & intelligendam prophe ticam significationem? Occurrat ergo iam intentis mentibus, quia diaboli corpus significatur in vitulo, id est, homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est, auctor diabolus est. Aureum propterea, quia videntur idololatriæ ritus velut à sapientibus instituti, de quibus dicit Apostolus, Quoniam cognoscentes deũ, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Ex hac quasi sapientia iste vitulus aureus, qualia solebant Aegyptiorum etiam ipsi primates, & tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergo vitulo significatum est omne corpus, id est, omnis societas gentilium idololatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem dominus Christus igne illo comburit, de quo in Euangelio ait, Ignem veni mittere in terram, vt quoniam non est qui se abscondat à calore eius, dum in eum credunt gentes, igne virtutis eius, diabolica in eis forma soluatur. Totum deinde corpus illud comminuitur, id est, ab illa male conspirationis conflatione discissum, verbo veritatis humiliatur, & comminutum in aquam mittitur, vt eos Israëlitæ, id est, Euangelij prædicatores ex baptismo in sua membra, hoc est, in dominicum corpus transferant, quorum Israëlitarum Petro de ipsis gentibus dictum est, Macta & manduca. Si ait, macta & manduca, quare non etiam, concide & bibe? Ita ille vitulus per ignem zeli, & aciem verbi, & aquam baptismi, ab eis potiùs quos absorbere conabatur, absorptus est. IDEM IN PSALMOS. Magnum igitur hîc agitatum est sacramentum. Cũ enim sic iracesceretur Moyses colentibus & adorantibus idolum, & zelo dei inflammatus vindicaret temporaliter, vt à morte sempiterna deuitanda terreret, tamen ipsum caput vituli in ignem misit & exterminauit, comminuit, in aquam sparsit, dedit populo bibere, sic factum est magnum sacramentum. O ira prophetica, & animus non turbatus sed illuminatus. Quid egit? Mitte in ignem, vt forma ipsa prius confundatur: minutatim comminue, vt paulatim consumatur. Mitte in aquam, da populo bibere. Quid est hoc, nisi quia adoratores diaboli corpus ipsius facti erant, quomodo agnoscentes Christum fiunt corpus Christi vt eis dicatur, Vos autem estis corpus Christi & membra? Corpus diaboli consumendum erat, & hoc ab Israëlitis consumendum. Ex illo enim populo Apostoli, ex illo prima Ecclesia, Et dictum erat Petro de gentibus, Macta & manduca. Quid est macta & manduca? Occide quod sunt, & fac quod es. Hac macta & manduca, hac comminue & bibe vtrumq; tamen in eodẽ sacramento, quia oportebat vtiq;, & sine dubitatione oportebat, vt corpus quod erat diaboli, credendo transiret in corpus Christi, sic diabolus consumitur amissis membris suis. Hoc figuratum est & in serpente Moysi. Nam fecerunt magi similiter proiectisq; virgis suis exhibuerunt dracones, sed draco Moysi omnium illorum magorum virgas absorbuit. Intelligatur ergo & modò corpus diaboli, hoc fit, deuoratur à gentibus quæ crediderunt, factus est esca populis Aethiopibus. AMBROSIVS. Itaque absorbuit populus omnem perfidiam ac superbiam, ne eum absorberet impietas & arrogantia. Melius est enim vt vnusquisque prævaleat carni & vitiis eius, ne dicatur de eo, Quia deuorauit eum mors prævalens, sed dicatur magis, Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Et de domino dictum, De torrente in via bibet. Quia acetũ accepit, vt absorberet vniuersorum tentationes. RVPERTVS. Iuxta anagogen itaque, idem hoc facto, quod & de illo dicto prophetico sentiendum. Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Aethiopum. Capita nanque draconis siue vituli, per quod diaboli cultum licet intelligi, ecce deus Moysi confregit, atque in puluerem redactum, populo suo in potum dedit, quia eos qui ex parte vel regno erant diaboli, per pœnitentiam confractos, & in puluerem humilis conscientiæ redactos, Ecclesiæ suæ

*Rom.1.* *Psalm.28.* *Psalm.73.* *2.Cor.6.* *Act.10.* *Vbi suprà.* *1.Cor.15.* *Psalm.109.* *Psalm.73.*



A suæ per baptismi aquam incorporauit. GREGORIVS NYSSENVS. Qui per omnes gradus quos iam exposuimus ascenderit, is à deo sibi traditas tabulas ad populum defert, quibus diuina lex continetur, sed dura cum peccato collisione diruptæ conteruntur. Peccatum verò simulachri cultus erat in vituli similitudine constituti, quod à Moyse contritum, aquáque dissolutum, ipsis qui peccarunt, factus est potus. Ita omni modo ea materia, quæ hominum peccato submiuistrauit, deleta est. Propheticè igitur hæc historia de iis, quæ nostris temporibus facta sunt exclamauit. Omnis enim circa simulachra error, & vita hominum ablatus est, nec amplius nostrorum principum pietate à pio credentium ore debitus, qui Christiana freti laudatissima professione, impietati seruientia idolorum templa deleuerunt. Videmus præterea quæ sancta fuerunt, apud impietatis mysteria, quasi aquam instabilem delapsa defluxisse, aquam ab illorum ipsorum ore, qui cultu simulachrorum insaniebant imbibitam. Nam cùm cernas oculis qui huic vanitati erant penitùs dediti, alia temB plorum suorum in quibus sperauerant, diruentes: alia in alios vsus transferentes, non magna historia clamare voce videtur, futurum esse tempus olim in quo simulachrum omne, ore ipsorum qui ab iniquitatis errore ad pietatem transponẽtur, delebitur ac imbibetur? AVCTOR CATENAE. Vel edere fructum viarum suarum debebant impij Iudæi, & calicem bibere perpetuæ infelicitatis, quam hæc traiectio significabat, nõ minus quàm cùm coram Pilato clamarent de sanguine Christi super se & posteros mansuro, vtrumque enim flagitium manet semper, & durat omnibus populis in doctrinam.

*Videns ergo Moyses populũ quòd esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiã sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum ait, Si quis est domini iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij* **Leui.** *Quibus ait, Hæc dicit dominus deus Israël, Ponat uir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem & amicum & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi. Ceciderunt que in in die illo quasi tria milia hominum. Et ait Moyses, Consecrastis manus uestras hodie domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur uobis benedictio.* 4

PROSPER. Quamuis dominus ad orationem Moysi placatus fuerit, non tamen illud tam grande peccatum caruit vindicta, quoniam peccatum impunitum esse non potest. Vide ergo quid statim fuerit sequtum. *Videns ergo* (inquit) *Moyses populum quòd esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Alia litera sic habet, Et cùm vidisset Moyses populum, quia dissipatus est, dissipauit enim eos Aaron vt in gaudium D venirent aduersariis suis. Notandum est quemadmodum illud totum malum quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod male petiuerant. Magis enim dictum est, Dissipauit eos Aaron, quoniam cessit eis, quàm dissipauerunt seipsi, qui tantum malum flagitauerunt. HVGO DE SANCTO VICTORE. Erat populus inter Hostes nudus & spoliatus à pecunia supradictorum ornamentorũ. Hostes autem vocat adiacentes gentes. AVCTOR CATENAE. Videns ergo Moyses populum quòd esset nudatus, hoc est, manifestatus, quia per exteriorem suam idololatriam, interior eius impietas qua idololatriam antè concepit, fuit aperta. Quod enim aperitur nudari dicitur, nã & Apostolus dicit, Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Vel Moyses vidit populum nudatum, subaudi ab ornamentis suis, aureísque iocalibus. Subiungitur autem ratio, spoliauerat enim eum Aaron, id est, populo abstulerat, non quidem per violentiam, sed ea petendo pro fabricatione idoli. Vnde sequitur, Propter ignominiam sordis, id est, propter sordidum & ignominiosum idolum excudendum, quod ignominiæ ac sordis nomine, in veteris instrumenti scripturis, ob excesE uam idololatriæ fœditatem atque impietatem exprimi solet. Et inter hostes nudum constituerat, videlicet inter gentes illas exteras circunadiacentes, dei auxilio priuatum & nudatum propter huiusmodi scelus reddiderat. Diximus secundum editionem nostram, verùm quia locus difficilis valde est, adhuc pro eius clariori intelligentia ipsa ponenda sunt Hebraica, quæ huiusmodi sunt, וַיַּרְא מֹשֶׁה אֶת הָעָם כִּי פָרֻעָה הוּא כִּי פֵרַע אַהֲרֹן לְשִׁמְצָה בְּקָמֵיהֶם Vaiar Mose eth haham chi pharúah hu, chi pheraho Aharon leſimza bekâmehem, Et vidit Moyses populum quoniam nudatus vel discoopertus esset, quoniam nudauerat vel discooperuerat eum Aaron propter ignominiam seu ad infamiam inter hostes eorum. Et est sensus. Cùm vidisset Moyses quòd detecta esset malitia populi ipsius ad ignominiam eius apud aduersarios. Erat enim magnum dedecus & magna confusio Israëlitis coram hostibus, vt deserto deo vero, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum, & pro vtilitate eorum, eligerẽt alium deum, etiam cum magno dispendio auri & argenti sui. Denudauit igitur Aaron populum illum, primùm quòd innotescere fecerit vniuerso mundo qualem haberent animum, quum illis fabricauit vituF lum quem adorauerunt, præterea denudauit eum ornamentis suis aureis. Verũ quoniam verbũ פָּרַע Pharaha, etiã vacare seu otiosum esse & disipare, Et dictio קָמִים kamim, etiam insurgẽtes in aliquem, siue aduersarios significant, ideo alij, Vidit Moyses populum quòd discoopertus vel vacuatus, siue priuatus aut exinanitus, siue exutus esset, Quoniam discooperuerat, vel vacuauerat aut priuauerat, siue exinaniuerat aut exuerat, vel dissipauerat eos Aaron propter ignominiam eorum qui insurgebant in eos, aut propter vituperationem seu infamiam aduersariorum suorum, transferunt. Quod exponit Rabi Salomon his verbis, Eo quòd ea res erat summo dedecori in ore hostium suorum. Septuaginta (vt iam dictum) magis sententiam quàm verba secuti, habent, καὶ ἰδὼν μωϋσῆς τὸν λαὸν ὅτι ἀνεσκέδασται, ἀνεσκέδασε γὰρ αὐτοὺς ἀαρὼν, Videns Moyses populum quòd esset dispersus seu dissipatus, dispersit enim eos Aaron, Vt quandam scilicet ruinam innuerent & interitum. Sequentem verò sententiam clarè satis expresserunt, ἐπίχαρμα τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν, Ludibrium aduersariis suis, hoc est, Quæ res erat cessura in maximum ludibrium eorum apud hostes seu aduersarios suos. Quæ omnia idem dicunt

*1.Par.ca.4.* *Quæst.146.* *Heb.4.*

dicunt in ſententia cum litera noſtra. Chaldaica diuerſum parumper habet, videlicet, Vidítque Moyſes po- G
pulum quòd otioſus eſſet: otioſum enim fecerat eum Aaron, vt contaminaret eos nomine peſsimo in genera-
tiones ſuas. Fortè autem innuit quòd effœminauerat populum Aaron, & mollem reddiderat hac idololatria,
adeò vt etiam in retro ſubſequuturas eorum progenies infamem fecerit & proſtituerit, ſemper enim eis pecca-
tum hoc refricandum erat, tantúmque crimen ſuper eos induxerit, ob nimium otium cui tot diebus quali mar-
ceſcentes indulſerant. Ex quibus omnibus id colligitur, quòd multiplici malo Aaron populũ inuoluit, auro ſpo-
liauit, ornatu deſtituit, perfidum reddidit, hoſtium opprobrio & irriſioni expoſuit ad perpetuam eorum ignomi-
niam, ſeu in ignominiam ſordis, id eſt, propter formationem idoli, exinanitum deuotione in deum & fide, diſsi-
patum quoque irreparabili ruina. Vnde non parum hoſtes Iſraëlis gaudere poterant, & ridere totum opus dei
cum populo iſto. *Et ſtans in porta caſtrorum, ait, Si quis eſt domini, iungatur mihi. Congregatíque ſunt ad eum omnes filij Leui. Qui-
bus ait, Hæc dicit dominus deus Iſrael, Ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite, & redite de porta vſque ad portam per medium ca-
ſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum.* AMBROSIVS. Quod occidi fecit à proximis H
proximos Moyſes, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidens, quia præferenda eſt religio neceſsi-
tudini, pietas propinquitati. Ea eſt enim vera pietas, quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus.
Vnde & ipſe Moyſes ad filios Leui dixit, Qui paratus eſt à domino, veniat ad me. Et dixit illis, Hæc dicit domi-
nus deus Iſraël, Imponite vnuſquiſque gladium ſuum in femore ſuo, & pertranſite, vt contemplatione atque
amore reuerentiæ diuinæ perimeretur omnis affectus neceſsitudinis. Et occiſa quidem ſcribuntur tria milia ho
minum. Nec numeri inuidia mouemur, quia melius eſt paucorum ſupplicio vniuerſos exui, quàm in omnes vin
dicari. Neque verò aliquid durum videtur pro vindicta iniuriæ cœleſtis. Denique ſanctiora cæteris ad hoc
munus eliguntur miniſteria Leuitarum, quorum portio deus. Neſciunt enim ſuis parcere, qui nihil ſuum no-
runt, Quoniã ſanctis omnia deus eſt. BASILIVS IN SERMONE DE IRA. Ira quando oportet,
& vt oportet ex ratione diſpenſata, fortitudinem patientiámque ac conſtantiam parit: præter verò rectam ra- I
tionem tractata, furor & inſania efficitur. Idcirco nos Pſalmus admonet, Iraſcimini & nolite peccare. Ipſe
nanque dominus in Euangelio illum qui temerè fratri iratus fuerit, reum iudicij facit. Illum verò qui tan-
quam pharmaco ad ea quæ oportet ira vtitur, minimè condemnat. Dicitur nanque, Ponam inimicitiam in-
ter te & ſerpentem. Et rurſus, Hoſtes ſitis Madianitis. Docentis verba ſunt, vt ira veluti armis vtamur. Ideo
Moyſes omnium hominum manſuetiſsimus, vituli idololatriam damnans, Leuitarum manus in cædem fra-
trum armauit. Vnuſquiſque (inquit) veſtrum, gladium ad latus teneat, & tranſite à porta in portam, & flectite
per circuitum caſtrorum, & ſuum quiſque fratrem interimat, & quilibet proximum ſuum. Et paulò pòſt ait
Moyſes, Veſtras hodie manus deo conſecraſtis, quilibet in filio ſuo & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.
Quid Phinees iuſtũ reddidit? Nónne iuſta contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac manſuetus exiſtens, poſtq̃
ſtuprum Zambri & ſcorti Madianitis palàm in populo vidit, adeóque impudenter admiſſum, vt nec tam tur-
pe ſpectaculum occultari vellent, minimè tam indignum facinus paſſus, ira vt oportebat vſus, protinus vtrum- K
que trucidauit. Samuel autem Agag regem Amalech à Saule contra mandatum domini ſeruatum, nónpe iuſta
ira in medium trahens occidit? Sic itaque ſit ira ſæpenumero bonarum actionum miniſtra. Helias verò zelotes
quinquaginta ſupra quadringentos turpitudinis ſacerdotes, & quadringentos viros ſacrorum nemorum, come-
dentes de menſa Iezabel, iuſta ſapientíque indignatione in totius Iſraël vtilitatem, vt morte mulctarentur effe-
cit. Tu autem fratri tuo ſine cauſa iraſceris. Quomodo enim non ſine cauſa? Cùm ſit alius qui inſtigat dæmon,
& alius qui inſtigatur homo, cui tu maledicis, ſimile quoddam canibus admittens, qui ſaxa mordere ſolent, quã-
do iactantes attingere non valent. Inſtigatus enim ac incitatus, miſericordia profectò dignus eſt. Qui verò in-
citat, odio maximo eſt inſectandus. In hunc igitur iram transfer hominum interfectorem, médacij patrem, pec-
cati miniſtrum. Fratrem verò in te peccantem miſerabere. Nam ſi in peccato vſque in extremum durabit, cum
*Cap.14.* ipſo dæmone æterno tradetur igni. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Moyſes vt bene pec L
catum idololatriæ vindicaret, Leuitas viginti tria milia virorum iuſsit occidere. In cuius nimirum exercitatio-
ne cædis dicit, Si quis eſt domini iungatur mihi. Quaſi dicat, In hoc oſtendet quiſque quia ſit domini, ſi pro
eius amore fratri, proximo, vel amico non parcit. Nos autem peccatores cernimus, & obiurgare peccantes aut
nolumus, aut timemus. Cur ergo hoc facimus, niſi quia deum ſicut patres illi nequaquam *diligimus*?

*Cap.6.* IDEM. XX. MORALIVM. Sciendum autem quòd diſciplina vel miſericordia multum deſtituitur, ſi
vna ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè
deratè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquàm expediat parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam cum
ſeueritate ſociatam. Videamus amantem piè, & diſtrictè ſæuientem. Certè cùm Iſraëliticus populus ante dei
oculos penè inueniabilem contraxiſſet offenſam, ita vt eius rector audiret, Deſcende, peccauit populus tuus,
ac ſi ei diuina vox diceret, Qui in tali peccato lapſus eſt, iam meus non eſt, atque ſubiungeret, Dimitte me, vt
iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam, ille ſemel & iterum pro po- M
pulo cui præerat, obicem ſe ad impetum dei iraſcentis opponens, ait, Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non
facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Penſemus ergo quibus viſceribus eundem populum amauit, pro
cuius vita de libro vitæ deleri ſe petiit. Sed tamen iſte qui tanto eius populi amore conſtringitur, contra eius
culpas penſemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima ne delerentur, culpæ ve-
niam obtinuit, ad eundem populum veniens, ait, Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum. Ite, & redite
de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem & amicum & proximum
ſuum. Ceciderúntque in die illa quaſi viginti tria milia hominum. Ecce qui vitam omnium etiam cum ſua
morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arſit ignibus amoris, foris accẽſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta
fuit pietas, vt ſe pro illis coram domino morti offerre non dubitaret, tanta ſeueritas, vt eos quos diuinitùs
feriri timuerat, ipſe iudicij gladio feriret. Sic amauit eos quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret, & tamen
delinquentes



A delinquentes ſic perſequutus eſt, quos amauit, vt eos etiam domino parcente proſterneret. Vtrobique legatus
fortis, vtrobique mediator admirabilis, cauſam populi apud deum precibus, cauſam dei apud populum gla-
diis allegauit. Intus amans, diuinæ iræ ſupplicando obſtitit: foris ſæuiens, culpam feriendo conſumpſit. Suc-
currit citiùs omnibus, oſtenſa morte paucorum. Et idcirco omnipotens deus fidelem famulum ſuum citiùs ex-
audiuit agentem pro populo, quia vidit quid ſuper populum acturus eſſet ipſe pro deo. In regimine ergo popu-
li vtrumque Moyſes miſcuit, vt nec diſciplina deeſſet miſericordiæ, nec miſericordia diſciplinæ.

*IDEM IN PASTORALI. Admonendi ſunt pacati, ne dum nimis humanam pacem deſiderant, pra *Par.3.c.23.*
uos hominum mores nequaquã redarguant, & cõſentiendo peruerſis, ab auctoris ſui ſe pace diſiungant, ne dum
humana foras iurgia metuunt, interni fœderis diſciſsione feriantur. Quid eſt enim pax tranſitoria, niſi quoddam
veſtigium pacis æternæ? Quid eſſe ergo dementius poteſt, quàm veſtigia in puluere impreſſa diligere, ſed ipſum
B à quo impreſſa ſunt non amare? Hinc Dauid dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quòd
cum malis concordiam non teneret, dicens, Nónne qui oderant te domine oderam, & ſuper inimicos tuos ta- *Pſalm.138.*
beſcebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Inimicos etenim dei perfecto odio odiſſe, eſt &
quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, & vitæ prodeſſe. Penſandum ergo
eſt quando ab increpatione quieſcitur, quanta culpa ſi pax cum peſsimis tenetur, ſi propheta tantus hoc velut in
hoſtiam deo obtulit, quod contra ſe pro domino prauorum inimicitias excitauit. Hinc eſt quòd tribus Leui aſ-
ſumptis gladiis per caſtrorum media tranſiens, quia feriendis noluit peccatoribus parcere, deo manus dicta eſt
conſecraſſe. Hinc Phinees peccantium ciuium gratiam ſpernẽs, coëuntes cũ Madianitis perculit, & iram domini
iratus placauit. Hinc per ſemetipſam veritas dicit, Quid putatis? quia pacẽ veni mittere in terram? Non vtiq;, ſed *Matth. 10.*
gladium. Malorum nanque cùm incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Ioſaphat qui tot de anteacta
vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis penè periturus increpatur. Cui à domino per prophetam di-
C citur, Impio præbes auxilium, & his qui oderunt dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem domini *2.Para. 19.*
merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quòd abſtuleris lucos de terra Iuda. Ab illo enim qui ſummè re-
ctus eſt, eo ipſo iam diſcrepat, quo peruerſorũ amicitiis vita noſtra concordat. RVPERTVS. Non ergo ſic
tenuit deũ Moyſes, iramq; eius repreſsit, ne deleret eos, vt careret zelo bono, & non æmularetur pro domino, ſed
ponat (inquit) vir gladiũ ſuper femur ſuum, & occidat vnuſquiſq; fratrẽ & proximũ & amicum ſuũ. Aiunt quidã
quòd aureũ vitulũ in puluerẽ redactum, in potu illis in indicium dederit, & hoc facto qui auctores fuerũt ſcele-
ris, aureis prominentibus labiis publicati vel deprehenſi, ita demum percuſsionibus de porta vſq; ad portam per
medium caſtrorum euntibus ac redeuntibus, non indiſcretè cæſi, ſed cũ iudicio fuerint puniti. HVGO DE
SANCTO VICTORE. Si quis eſt domini, iungatur mihi, id eſt, ſi quis habet zelũ dei, accipiat mecũ vin-
dictam de populo peccante. CAIETANVS. Et ſtans in porta caſtrorũ, ait. Per præteritum cõtinuatur. Cùm
dixiſſet & vidit Moyſes, ſubiũgit, & ſtetit Moyſes in porta caſtrorũ, & dixit. Et meminit portæ, quia caſtra muni-
D ta erant tanq̃ ciuitas, & porta caſtrorũ erat tanq̃ porta ciuitatis, in qua antiquitus erat præclarior ciuitatis locus,
in quo reſidebant primates cõferendo & iudicãdo. Ponat vir gladium ſuper femur ſuũ. Et occidat vnuſquiſque
fratrem & amicum & proximũ ſuum. Attende prudẽs lector, quòd nõ cõmittitur iſtis vt ingrediãtur tẽtoria quę
erant velut domus, ſed quòd per vias publicas eant & redeãt de porta vſq; ad portã (hoc eſt per vniuerſas vias pu
blicas, & occidãt non habita ratione fraternitatis, ſocietatis aut propinquitatis. Per quę inſinuatur, quòd occur-
rentes quoſq; interficerent. Et quoniã deo iubente factũ ſcribitur, non eſt quærẽdum an innocens aliquis occiſus
fuerit, deus enim ipſe qui mandauit ſic fieri, cuncta rectè diſponit. Et iuxta hunc ſenſum nõ reſtat locus quęſtio-
ni, quomodo verificetur quòd Leuitę interfecerũt fratres ſuos, cùm Leuitę omnes iunxerint ſe Moyſi, & fuerint
interfectores, nõ eſt enim ſenſus mãdati vt quiſq; interficiat patrẽ, ſed quòd non habeat rationem fraternitatis in
occurrẽtibus viris. Et fraternitatis nomine, vniuerſam tam cõſanguinitatẽ quàm affinitatẽ cõprehendi, teſtãtur
alia duo vincula, videlicet ſocietatis & viciniæ, ſub his enim tribus vinculis, omniũ neceſsitudinũ vincula cõ-
E prehendi dubium nõ eſt. Hunc autẽ eſſe ſenſum literalẽ, perſpicuum fit, ex eo ꝙ alioquin non fuiſſent occidendi
occurrentes illi, qui nec fratres nec ſocij nec vicini fuiſſent diſcurrentium, quod eſt ridiculũ. Mandat ergo om-
nes occurrentes occidi, nullius neceſsitudinis ratione habita. Et cùm huius mandati executione ſtat, quòd nul-
lus occiſus fuerit frater, nulluſq; ſocius, nulluſq; vicinus, ſi nullus horum occurrerit in via. AVCTOR CA-
TENAE. Si quis eſt domini, iungatur mihi. Optimè ſenſum verborum elicuit Interpres, Hebraicè eſt מִי לַיהוָה
אֵלָי Mi laihoua elai, Qui domini, ſeu pro domino (ſubaudi eſt) ad me, ſupple veniat, Id eſt, Quicunque colit
dominum, & vult tueri partes eius non idoli, veniat ad me. Septuaginta, Εἴ τις πρὸς κυρίου, ἔτω πρός με, Si quis à do
mino, veniat ad me. Quæ idem ſunt cũ litera noſtra. Ponat vir, id eſt, ponat vnuſquiſq;. Hebraiſmus. Ite. Parũ eſt
quòd in Hebræo eſt, עִבְרוּ Hibru, Tranſite. Sic & legitur apud omnes. Et occidat vnuſquiſque fratrem ſuum &
amicum & proximum ſuum. Hebraicè habetur, אִישׁ אֶחִיו רֵעֵהוּ קִרְבוּ Achiſ rehéhu kerobo, Fratrem ſuum, amicum
ſuum, & proximum ſuum. Nam de primo, videlicet Ach, nulli dubium quin fratrem ſignificet. Secundum
F autem, id eſt, Réha, ſocium, amicum & proximum deſignat. Tertium verò karob, proximum vel propinquum.
Vnde rectè tranſtulit Interpres. Idem ferè inquiunt Septuaginta, & Chaldaica quæ ita habet, Et occidat vnuſ-
quiſque fratrem ſuum, & vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque conſanguineum ſuum. Quem Hebraiſ-
mum doctus Interpres vitauit, & dictionem vnuſquiſque, ſemel poſitam, pro omnibus ſatisfacere poſſe iudi-
cauit. Leuitarum igitur hoc loco declaratur inſignis fides & zelus pro gloria domini, & pro aſſerenda vera reli-
gione, & idolis extirpandis, ſeipſos & ſua periculis maximis exponendo, cùm pauciores eſſent omnibus tribu-
bus, dum non parcunt amiciſsimis & cognatiſsimis iuxta carnẽ, ſic vincẽte carnis amicitiã zelo dei, & religionis
veræ amore. Vnde non omnino ſine cauſa & meritis aſciti ſunt à domino in miniſterium dei veri cũ tota tribu
ſua præ cæteris omnibus. Sicut enim aliorum inobedientia & impietas reprobationẽ promeruit, ſic Leuitarum fi
des & obedientiæ zelus laudem & electionem, ſanctitatíſque prærogatiuã reportauit. Non eſt ergo omnis effuſio
ſanguinis irregularitatis nota, quæ hîc ſacerdotij honorẽ ſicut & in Phinees, domino ordinãte cõſequuta eſt. Di-
xerunt

xerunt hîc nonnulli,ꝙ illi tantũ occidebantur,qui ex populo mali tanti auctores primi & principales fuerunt. Di G
xerunt alij,ꝙ hoc intelligitur de ſolis Leuitis impiis,quos alij Leuitę feruentiores zelo,non paſsi fuerunt inultos, id quod aliæ tribus non curabant,nec tantoperè de crimine dolebant vt tribus Leuitica, quorum maxima pars Moyſi obſequebantur ſponte,vt iuſsi fuerant occidẽdo fratres,proximos & amicos, per quos contribules aptiùs intelliguntur,quã de reliquis tribubus.Nobis autẽ cũ totus ferè populus in fabricatione idoli culpabilis fuerit,vt & totus aliquomodo punitus videatur,ad maiorẽ dei gloriã,Leuiticęq; tribus honorẽ cedere videtur,ſi pręceptũ Moyſi generaliter factũ intelligamus vt videlicet quẽcunq; de porta ad portã caſtrorũ habuerint obuium, tranſeundo & reuertendo,de quacunq; tribu & familia is fuerit, ſicut frater germanus, ſiue aliàs ſanguine cõiunctus, aut quomodocũq; proximus vel amicꝰ,zelantiſsimè interfecerint Leuitę. *Feceruntq; filij Leui iuxta ſermonẽ Moyſi.Cecide runtq; in die illo quaſi tria milia hominum.* GREGORIVS NYSSENVS. Armauit Leuitas non in alienigenas,ſed in ſuos ardenter Moyſes,qui ab altera extremitate caſtrorũ,ad alterã cõfuſe,vt quiſq; obuiã fieret, omnes interfe- H
cerunt.Ita cũ pariter quicunq; mucroni incideret occideretur,nemo interficientiũ quis amicus, aut quis inimicꝰ diſcernebat,quis domeſticus,quis affinis,quis cognatus aut alienus,nemo proſpiciebat, ſed vnicus atq; par aduerſus omnes,in quos inciderant erat impetus.Vnde diſcimus idcirco abſq; diſpoſitione punitos fuiſſe, quoniã vnà omnes ad malum conſpirantes,ratione vitij quaſi vnus effecti ſunt. Et veluti cũ quiſpiã vnum hominẽ peccatis cõmotus ſuis cædit vehementer,non hoc aut illud ſuum affligit mẽbrum,ſed quo flagellum cõmodè poteſt inferri,illud verberat.Bene enim nouit quãcunque partem percuſſerit,ad totum corpus inde ſenſum doloris trãſiturum,ſic quę ſine diſpoſitione tunc adhibebatur punitio,omnes qui conſpiratione vitij,quaſi erant in vnũ corpus conflati,mirum in modum caſtigabat.Quare ſi nonnunq̃ peccatis hominum iram dei excitatam,non in omnes,ſed in aliquos ferri videamus,diuinę clementiæ magnitudinẽ admirari debemus, qua fit, vt non omnes ſicuti merentur percutiantur,omnes tamen flagellis caſtigentur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et cecidit è populo in die illa ſicut tria milia viri. Et eſt caſus genitiui,viri: ita ad verbum habetur. Corrupta eſt I
itaq; litera in aliquibus Latinis exemplaribus in numero viginti trium miliũ, nam Hebraica litera nec integrum trium miliũ numerum affirmat,ſed cum aduerbio ſicut. AVCTOR CATENAE. Feceruntq; filij Leui iuxta ſermonem Moyſi,id eſt,vt pręceperat Moyſes.Hebraiſmus.Cecideruntq; in die illa quaſi tria milia hominum, cùm in Hebræo ita legatur, וַיִּפֹּל מִן הָעָם בַּיּוֹם הַהוּא כִּשְׁלֹשֶׁת אַלְפֵי אִישׁ Vaippol min haham baiom hahu chiſlóſeth alphe is,Et cecidit de populo in die illa quaſi tria milia viri.Vbi nomen viri,& verbũ cecidit,ſingularia pro pluralibus poſita ſunt, Prout vertit Latinus Interpres. Septuaginta, καὶ ἔπεσον ἐκ τοῦ λαοῦ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τρεῖς χιλιάδες ἀνδρῶν,Et ceciderunt ex populo in die illa tria milia virorum.Chaldaica,Ceciderunt̃q; ex populo quaſi tria milia virorum.Tria igitur milia virorum cecidiſſe in toto populo tredecim tribuum,non magnũ fuit in tanta virorum multitudine quæ cõſenſerit in crimen iſtud,& adfuerit. Hinc factum, quòd dixerunt nõnulli, hos tres mille fuiſſe duntaxat de tribu Leuitarum quę erat in numero viginti duo milia, vt reſidui decem & nouem milia innocentes fuerint à præuaricatione iſta. Verũ rectiùs eſt vt dicamus vindictam cum magna miſeri- K
cordia permixtam fuiſſe.Cùm igitur ita ſe habeat hic locus tam in Hebraicis quàm in Græcis & Chaldaicis codicibus, mirum eſt vnde factum ſit,quòd vbique ferè apud Latinos expoſitores viginti tria milia hominum loco trium milium occiſa fuiſſe referantur,niſi ex cauſa quam ſuprà tetigimus. *Et ait Moyſes,Conſecraſtis manus veſtras hodie domino vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo,vt detur vobis benedictio.* CAIETANVS. Intelligimus hæc verba fuiſſe dicta à Moyſe Leuitis.Nec eſt præteriti temporis verbum conſecraſtis, ſed conſecrate Imperatiuũ in Hebræo.Et hinc manifeſtum fit,quòd verba iſta non fuerũt dicta poſt occiſionẽ ſed antè, ſed Moyſes more ſuo priùs narrat factum, & deinde ordinẽ illius. Continẽt enim hæc verba rationẽ diſcurrendi & occidendi: adhortantis enim ſunt,& manifeſtantis,quòd interfectio hæc erit tanquã cõſecratio manuum eorum ſummo deo.Vnuſquiſque in filio ſuo,& in fratre ſuo,vt detur vobis benedictio.Iuxta Hebræum habetur,Quia vir in filio ſuo & in fratre ſuo, & ad dandũ ſuper vos hodie benedictionẽ.Non itaque ſubintelligitur repeti cõſecrate, ſed ad initiũ benedictionis ſubiunctę ſpectãt hęc prima verba.Et eſt ſenſus,quia vnuſquiſq; in filio & in fratre ſuo erit per hanc actionẽ L
conſecratus, hoc eſt,dicatus deo, & vltra hoc erit actus iſte meritorius ad dandum ſuper vos hodie benedictionem,hoc eſt,vt deus hodie vobis benedicat. Duo itaque bona Leuitis promittit ex hac actione, & quòd filij ac fratres eorum erunt etiam conſecrati deo, & quòd ſuper eos omnes dabitur à deo benedictio. Ita quòd pronomen, vos,demonſtrat Leuitas illos,& filios & fratres eorum. Et meminit filiorum, quia minores *non concurrebant* ad hanc interfectionem, eo quòd eſſent pueri. Fratrum quoque, quia multi Leuitarum manſerunt cum Moyſe,ſiue propter ætatem ſenilem,ſiue ad cuſtodiam. Vos (inquit) euntes conſecrate manus veſtras hac actione, quia non ſolùm vos,ſed & filij & fratres veſtri erunt hinc conſecrati,& ſuper vos omnes dabit deus benedictionem. Et vtrumque impletum fuit, quia tribus tota Leuitica dicata eſt deo, & benedictionem habuit decimarum,primitiarum,oblationum,& cætera. AVCTOR CATENAE. Conſecraſtis manus veſtras, & cætera. Hebraica litera ſic legitur, מַלְאוּ יֶדְכֶם הַיּוֹם לַיהוָה כִּי אִישׁ בִּבְנוֹ וּבְאָחִיו וְלָתֵת עֲלֵיכֶם הַיּוֹם בְּרָכָה Milu iedchem haiom laihoua,chi is bibno vbachif velatheth halechem haiom beracha, Implete, id eſt, Conſecrate ma- M
nus veſtras hodie domino,quia vnuſquiſque veſtrũ in filio ſuo & in fratre ſuo(ſubaudi cõſecrabit,vel conſecrare poterit illas,interficiendo eũ ſcilicet) vt detur ſuper vos hodie benedictio. Debebat hic verſus præcedere, hoc enim dixerat Moyſes antequàm interficerent eos.Quaſi dicat,Hoc agite quod vobis dicam, quod factum perinde reputabitur à domino,quaſi obtuleritis ei dona & oblationes,ſi quis fratrem aut filium ſuum idololatram interfecerit,pro quo etiam facto bene erit vobis,vel dabit vobis ipſe dominus benedictionẽ. Et quam benedictionem?Vt ſola ſcilicet tribus veſtra ad peragenda publica ſacra in tabernaculo Iſraëlitico deligatur. Alij Imperatiuum pro præterito exponunt,ſicut & Latinus fecit Interpres,quod nonnunquã in his literis fieri conſueuit,reduntq;,Conſecraſtis manum veſtram hodie domino. Quia vnuſquiſq; veſtrum conſecrauit manũ ſuam in filiũ ſuum & in fratrẽ ſuum,ad dandum ſuper vos hodie benedictionẽ.Sic & Chaldaica,Obtuliſtis oblationes veſtras hodie coram domino, vnuſquiſque in filio ſuo,& fratre ſuo, vt detur hodie ſuper vos benedictio. Septuaginta,

Impleſtis



A Impleſtis manus veſtras, &c. In reliquis vt apud nos. Dicat ergo Moyſes, Tantùm abeſt vt homicidæ & parricidæ habeamini ob impios interfectos, vt etiam manus veſtras conſecraueritis, non hominum odio, ſed amore dei, & pietatis zelo incitati & dignam vobis benedictionem paraueritis. Vides ergo, quòd de mandato domini occidere idololatras, eſt conſecrare, non polluere manus, ſi zelo honoris diuini fiat. Si dicatur quomodo potuerunt Leuitæ interficere filios & fratres ſuos,cùm omnes ad Moyſen congregati fuerint, reſponderi forſan poteſt,omnes pro maiori parte poſitum eſſe, & fuiſſe de Leuitis aliquos qui non ſunt congregati ad Moyſen, & hos fuiſſe occiſos. Tale quid habes Iudicum vigeſimo capite, Congregati ſunt omnes filij Iſraël quaſi vir vnus,& tamen non fuerunt ibi viri Iabes Galaad,vt ſubditur poſtea ſequenti capite. Hoc ita dicere cogit literæ anguſtia.Quanquam aliqui(vt iam dictum)quod eſt,In filio & fratre ſuo,vertãt pro filio & fratre ſuo, vt ſit ſenſus,hac interfectione idololatrarum ex omnibus tribubus non tantùm manus veſtras,ſed & filiorum & fratrum
B veſtrorum domino conſecraſtis,vt & ipſi miniſtrent mihi in tabernaculo.

GREGORIVS NYSSENVS. Verùm hoc ex ipſa hiſtoria non altiùs intellecta diſcimus, Ad ſublimius autem reducere volentes, illud priùs conſiderabimus quòd communi præconio legiſlator exclamauit, Si quis eſt domini, ad me veniat. Qua voce lex ipſa omnibus edicere videtur, ſi quis deum amare vult, me legem amet, nam qui legis amicus eſt,is certè dei quoque amicus eſt. Iubet deinde iis qui tali præconio congregati ſunt, abſque diſquiſitione & in fratres, amicos & proximos gladio ferociter vti. Superioris ſpeculationis ſeriem ſequentes, dicimus, omnem hominem qui ad legem ac deum reſpicit, malorum domeſticorum cæde purgari. Nec enim ſemper frater aut amicus, aut proximus in meliorem à ſcriptura partem accipitur. Sed ſunt nonnulli fratres, amici, proximi, qui quaſi alieni ac inimici nobis aduerſantur, quos eas arbitramur eſſe cogitationes, quarum vita nobis mortem, mors verò vitam ſolet inducere. Hæc expoſitio illis etiam conuenit, quæ de Aaron diximus. Ibi enim pro fratre, ſocium atque protectorem diuinitùs nobis datum Angelum
C intelleximus, qui aduerſus Aegyptios ſigna operatur, qui etiam maior ætate iurè dictus eſt, nam angelica natura homine priùs creata eſt. Frater verò, quia eſt quædam profectò intellectualis & angelicæ naturæ ad intellectum & animam humanam affinitas, quas ob res & ſi vtroque in loco frater dicitur, non tamen locum habet oppoſitio, quomodo is frater appellari poſsit, qui in malum accipitur, cùm æquiuocè fratris nomen nunc in bonum, nunc in malum(vt diximus) accipiatur. Aduerſus igitur hos malos fratres gladiorum opponit aciem Moyſes.Quod enim aliis quis iubet,ſibi quoque ipſi ſancit.Horum fratrum cædes, peccatorũ interitus eſt. Nam qui aduerſarij conſiliis fixum atque ſtatutum in animo malum deleuit, aduerſarium in ſeipſo interfecit. Quare qui hos fratres,hos amicos,hos proximos interimet,audiet illam vocem,quam à Moyſe illi perceperunt, qui tũc ſine diſquiſitione multos è cultoribus idoli occiderunt.Cõſecraſtis(inquit)manus veſtras hodie domino, in ſuo vnuſquiſque filio vel fratre,vt detur ſuper vos benedictio. GREGORIVS IN PASTORALI. Moyſes 3.par. Cap.26.
cùm iraſcentẽ deum populo cerneret,& aſſumi ad vlciſcendũ gladios iuberet,illos à parte dei denũciat exiſtere,
D qui delinquentiũ ſcelera incunctãter ferirent,dicens,Si quis domini eſt,iungatur mihi.Ponat vir gladium ſuper femur ſuum.Ite, & redite de porta vſque ad portã per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſq; fratrem ſuum, & amicum,& proximum ſuũ.Gladium quippe ſuper femur ponere, eſt prædicationis ſtudiũ voluptatibus carnis anteferre,vt cũ ſancta quis ſtudet dicere,curet neceſſe eſt illicitas ſuggeſtiones edomare.De porta verò vſque ad portam ire, eſt à vitio vſque ad vitium per quod ad mentẽ mors ingreditur, increpando diſcurrere. Per mediũ verò caſtrorum tranſire, eſt tanta æqualitate intra Eccleſiam viuere,vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullius ſe debeat fauorem declinare. Vnde & rectè ſubiungitur, Occidat vir fratrem, & amicum, & proximum ſuum.Fratrem ſcilicet, & amicum,& proximum interficit,qui cũ punienda inuenit,ab increpationis gladio nec eis quos per cognationẽ diligit parcit.Si ergo ille dei dicitur,qui ad ferienda vitia zelo diuini amoris excitatur, profectò eſſe ſe dei denegat,qui in quantũ ſufficit,increpare vitã carnaliũ recuſat. AMBROSIVS AD ROMVLVM. Eſt igitur ille Leuita verus,vltor & vindex, qui carnem interimit vt ſeruet ſpiritum,qualis erat ille
E qui ait,Caſtigo corpus meum,& ſeruituti redigo.Quid autem tam proximum quàm caro animę?Quid tam proximum quã ſunt paſsiones corporis?Eas in ſe Leuita bonus interimit ſpiritali gladio,qui eſt verbum dei bis acutum & validum.Eſt & gladius ſpiritus qui pertranſit animam,ſicut ad Mariã dictum eſt,Tuã ipſius animam pertranſibit gladius,vt reuelentur multorum cordium cogitationes.Nónne caro animæ fraterno quodã copulatur conſortio?Nónne etiam menti noſtræ affinis & propinquus ſermo eſt?Cùm igitur cõprimimus ſermonẽ ne multiloquio peccatum incidamus,ius germanitatis abrumpimus,& fraternę vinculum propinquitatis diſſoluimus. Irrationabile quoque ſuum anima tanquã cognatũ rationabili vigore diſſociat. Sic ergo Moyſes docuit populũ inſurgere in proximos ſuos, per quos fides reuocaretur, virtus impediretur, vt deſecaretur in nobis quicquid à virtute deuium foret,cõfuſum erroribus,vitiis innexum.Hac inſtitutione populi meruit,vt non ſolùm deliniret indignationẽ diuinam, atque offenſam auerteret, verumetiam cõciliaret gratiam. Pro captu itaque noſtro quid ſentiremus expreſsimus, alij ſi quid melius habent proferant, vt ex ipſis & ex nobis diſcamus quid potiùs hoc in
F loco eligendum & ſequendum ſit. AVGVSTINVS XXII CONTRA FAVSTVM MANICHAEVM. Cap.92.
Quid etiam Propheticæ ſignificationis habuerit,requirendum eſt,quod ex eis multos qui ſe abſente ipſum idolum fabricauerunt,ſine vlla cuiuſq; neceſsitudinis diſtinctione iuſsit interimi.Facilè eſt vt intelligatur hominũ illorum interemptionẽ ſignificare vitiorum talium necẽ, qualibus illi ad eandem idololatriam defluxerunt.In talia quippe vitia ſæuire nos iubet Pſalmus cùm dicit,Iraſcimini,& nolite peccare.In talia vitia ſæuire nos iubet Apoſtolus cũ dicit,Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram,fornicationem,immunditiam, luxuriam, concupiſcentiam malam,& auaritiam,quæ eſt idolorum ſeruitus. ISIDORVS. Sed & ipſe numerus trium milium interfectorum,triplicem formã indicat peccatorum.Omne enim peccatum,aut facto,aut verbo,aut cogitatione committitur. PROSPER. Sed & tales in his diſcipulos noſtri mediatoris oſtendit, quibus ait ipſe, Si quis venit ad me, & non odio habet patrem,matrem,fratrem, filios, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus diſcipulus eſſe. Et iterum ſcriptum eſt, Qui dicit patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis

Myſticè.

1.Cor.9.

Luc.2.

Vbi ſuprà.

Luc.14.

ignoro illos & filios suos oderunt, hi testamentum tuum seruabunt. Quod sancti fecere martyres, vocati per gra- G
tiam, felicitate perpetua munerati.

5 *FActo autem altero die locutus est Moyses ad populum, Peccastis peccatum maximum. Ascendam ad dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere uestro. Reuersúsque ad dominum ait, Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, Fecerúntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit dominus, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem uade, & duc populum istum quò locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis uisitabo & hoc peccatum eorum. Percussit ergo dominus populum pro reatu uituli quem fecit Aaron.*

5 RVPERTVS. Omnibus qui in regimine animarum præsunt, qualiter præesse, imò qualiter prodesse H debeant, hinc exemplum trahendum est, vt videlicet intus amantes, diuinæ iræ supplicando obsistant: foris sæuientes, culpam feriendo consumant. Alioquin male sedent supra cathedram Moysi, sunt enim sicut Scri-
*Matth. 23.* bæ & Pharisæi, si sedentes in loco Moysi, deserunt prædictum officium, vel curam Moysi. Hi pro se dictum putent, quod in Euangelio suo dominus dicit, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim &
*Amos. 6.* non faciunt, &c. Idcirco sancta Romana Ecclesia talibus desidiosis & negligentibus, & iuxta Amos Prophetam, dormientibus in lectis eburneis, & lasciuientibus in stratis suis, cùm comederint agnum de grege, & vitulum de medio armenti, talibus (inquam) somnolentis prædictæ lectionis Euangelicæ lucernam per singulos annos vna dominicarum in oculos ingerere consueuit, valido simul concentu concrepans hoc exemplum Moysi, ne nesciant quod sequi debeant, videlicet quia sanctificauit Moyses altare domino, & immolans victimas, fecit sacrificium matutinum in odorem suauitatis domino deo in conspectu filiorum Israël, I & deinde consurgens ascendit in montem, vbi constituit ei deus, & videns eum, procidens adorauit eum, dicens, Obsecro domine, dimitte peccata populi tui, &c. Cur enim tam longo, támque acuto canore resista declamatur, nisi quia grande negocium est, vt qui præsunt, ad hoc excitentur, vt Moysi exemplo solicitisint non dilatare phylacteria sua, vel magnificare fimbrias, sed prouidere populo, ne fortè gratia dei nudatus, & inter hostes visibiles siue inuisibiles nudus propter peccata sit constitutus, cúmque operire meritis & protegere precibus? Nunc iam quæ dicta quoniam scitu digna sunt, diligentiùs percurramus. *Facto autem* (inquit) *altero die, locutus est Moyses ad populum, Peccastis peccatum maximum. Ascendam ad dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere uestro.* CAIETANVS. Nota hunc ascensum, proculdubiò in montem, vt subiuncta reuersio testatur. Nota autem propter scripta Deuteronomij nono. Si quomodo (inquit) quiuero eum deprecari pro scelere vestro. Iuxta Hebræum habetur, Fortè faciam condonare peccatum vestrum. Non audet Moyses promittere impetrationem veniæ, sicut nec impetrauit absolutè. AVCTOR CATENAE. Facto autem altero K
die. Id Hebraicè dicitur וַיְהִי מָמָחֳרָת Vaihi mimacharath, Et factum est in crastinum, hoc est, crastino autem die, siue sequenti, vel postero die. Ascendam ad dominum. In Hebræo est dictio וְעַתָּה Vehatta, Et nunc. Vt dicatur, Et nunc ascendam. Sed hoc minimum est. Quasi dicat Moyses, Vos interim agnoscite scelus vestrum magnum, ego autem ascendam ad dominum. Si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro. Idem est sensus in Hebraico, vbi legitur, אוּלַי אֲכַפְּרָה בְּעַד חַטַּאתְכֶם Vlai achappera behad chatathchem, Si fortè placabo pro peccato vestro. Sic & Chaldaica. Alij vertunt, Fortassè expiabo peccatum vestrum. Alij, Si fortè propitiationem obtineam pro peccato vestro. Quidam, Si quomodo propitiari queam peccatum vestrum. Nonnulli, Si fortè expiem orando pro peccato vestro. Septuaginta, ἵνα ἐξιλάσωμαι περὶ τῆς ἁμαρτίας ὑμῶν, Vt deprecer pro peccato vestro. Quæ omnia idem dicunt cum Latina editione. Loquitur autem Moyses per verbum fortè, tum ad facinoris huius enormitatem, tum rei difficultatẽ ostendendam, deinde etiam vt dei liberta- L
tem in exaudiendo, ac propriam incertitudinem de impetrando, seu quantum, quando & qualiter erat exaudiendus, populo qui peccauerat demonstret. Desperatio itaque nulla cadit in sacerdotem deo dignum, de misericordia dei neganda quamlibet impiè peccantibus, cùm non tam suum intelligit esse commissum sibi populum, quàm domini dei benignissimi patris, qui certè filios odisse non potest, nec deserere, nisi eos qui se patrem agnoscere renuunt ex malitia, nihil emendare parati, sed contumaces. Pro quibus omnis lapis mouendus est vt domino concilientur, exhortationibus, orationibus, minis & pœnis, nihil negligendo, veluti fidelis pastor & parens. Sed dicat quis, cùm supra legatur, Placatúsque est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum, quomodo dicit nunc Moyses, Ascendam ad dominum, si fortè deprecari possim pro peccato vestro? Huic respondetur, quòd licet certus esset Moyses dominum deum totum populum simul & subitò non esse deleturum, non tamen certus erat an ex interuallo temporis, siue per partes, & ideo pro hoc se oraturum spondet. *Reuersúsque ad dominum ait, Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, Fecerúntque sibi deos aureos.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Dum de vno M
*Locut. 124.* vitulo ita loquitur, Pluralem numerum pro singulari posuit. Inde est illud, Hi dij tui Israël qui eduxerunt te de terra Aegypti. Non sanè locutiones istæ reperiuntur, vbi pluralis pro singulari ponitur, nisi in eo rerum genere, in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Non enim quia vnus ille vitulus erat, ideo non & plures fieri poterant, aut ideo non multis idolis similis fuerat. Hac locutione dictum est latrones insultasse domino, cùm hoc vnum fecisse scriptura testetur, sed non solus fuerat latro. Quinetiam cùm ista locutio sit per nomina propria, qualiter eam in scripturis factam nondum comperimus, plures sic intelliguntur, sicut Phedras & Medeas quidam dixerunt, cùm fuerit vna Phedra, & vna Medea, sed Phedras & Medeas appellauerunt omnes similes Phedræ & Medeæ. Ita non sine causa nec vtcumque ac passim sicut ab imperitis vitiose fit, sed certò modo, certísque regulis istæ locutiones interponuntur. CHRYSOSTOMVS HOMILIA TERTIA DE VERBIS ESAIAE, VIDI DOMINVM. Et cur quęso te, incœpit Moyses à confessione peccati?



A peccati? Quia in mundanis ac forensibus iudiciis, post accusationem & criminum confessionem, sequitur mors, cæterùm apud diuinum tribunal post accusationem & confessionem criminum, datur corona. Vnde & Salomon dicit, Ne iustificaueris teipsum in conspectu domini. Sic & alibi dicitur, Dic tu prior peccata tua, vt iustificeris. AVCTOR CATENAE. Et considera, obsecro, orandi modum. Primò enim populi peccatum, & graue quidem peccatum confitetur, deinde peccati genus exprimit. Confessionem quippe peccatorum, viam esse nouerat ad obtinendam indulgentiam. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* AMBROSIVS LIBRO PRIMO DE POENITENTIA. Scriptum est, Si peccauerit *Cap. 8.*
homo in hominem, orabunt pro eo ad dominum: si autem in dominum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Hoc est singularis vitæ aliquis, quia quo maior culpa, eo maiora sunt quærenda suffragia. Non enim quicunque de vulgo pro Iudæorum populo, sed Moyses rogauit, quando vituli caput fidei immemores adorauerunt.
B Nunquid errauit Moyses? At certè quia non errauit, quod rogauit & meruit, & impetrauit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se obiecit pro populo, dicens, Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ? Vides quia non tanquam delitiosus intercessor, & fastidij plenus sibi consulat nec offensionem contrahat, quòd Nouatianus metuere se dicit, sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, vt plebem ab offensionis periculo exueret & liberaret. Meritò ergo scriptum est, Quis orabit pro eo, hoc est, talis qualis Moyses, qui se offerat pro peccantibus, talis qualis Hieremias, cui Prophetæ cùm *Hier. 7.*
essent dictum à domino deo nostro, noli orare pro populo isto, tamen orauit, & veniam promeruit. Denique in- *Baruch. 3.*
tercessione Prophetica & obsecratione tanti vatis inflexus dominus, dicit ad Hierusalem, quoniam ea quoque pœnitentiam pro delictis egerat, dicens, Domine omnipotẽs deus Israël, anima in angustiis & spiritus anxius clamat ad te, Audi domine, & miserere. Et iubet luctus vestimenta deponi, & abiici gemitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fine libri, Exue te Hierusalem stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decorem eius quæ à deo *Baruch. 5.*
C tibi data est gloriæ in æternum. IDEM LIBRO TERTIO DE SPIRITV SANCTO. Non deletur *Cap. 11.*
gratia, sed iniquitas, quia scriptum est, Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas. Denique Moyses pro populo petens, Dele (inquit) me de libro tuo, si non parces huic populo. Nec tamẽ deletus est, quia non habebat iniquitatem, sed gratiam profluebat. HIERONYMVS ALGASIAE. Si consideremus Moysi vocem rogantis deum pro populo Iudæorum, atque dicentis, Si dimittis eis peccatum suum, dimitte: si autem non vis, dele me de libro tuo quem scripsisti, perspiciemus eundem & Moysi & Pauli erga creditum sibi gregem affectum. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis. Mercenarius autem cùm viderit lupum venientem, fu- *Rom. 9.*
git, quia non sunt eius oues. Et hoc ipsum est dicere, Optabam anathema esse à Christo, & dele me de libro tuo
D quem scripsisti. Qui enim delentur de libro viuentium, & cum iustis non scribuntur, anathema fiunt à domino. Simúlque cerne Apostolum quantæ charitatis in Christum sit, vt pro illo cupiat mori, & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem non in perpetuum, sed impræsentiarum. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, saluam eam facit. Vnde & de quadragesimo tertio Psalmo assumit exemplum, Quoniam propter te mortificamur tota die, reputati sumus vt oues occisionis. Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu, suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur. Sic ergo & Moyses anathema fieri voluit, ne populus à domino deleatur propter peccatum. IDEM
IN PSALMOS. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Duos hîc libros indicat scri- *Psal. 68.*
ptos, viuentium ac iustorum. Vnde animaduertendum est, quòd ille sit viuentium, in quo ante aduentum dei Prophetæ ac Patriarchæ scripti sunt. De quo Moyses peccante populo ait, Si non dimittis eis noxam, dele me de libro quem scripsisti. Iustorum verò dicit illum, de quo Dominus ad eos qui per fidem secuti sunt ait, *Luc. 10.*
Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Persecutores ergo isti de quibus Propheta loquitur, & à primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt scripti. IDEM IN EPISTOLA AD
GAVDENTIVM. Moyses compassionis loquebatur affectu, Si dimittis populo huic, dimitte: sin au-
E tem, dele me de libro tuo. Vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est. Gloria quippe regis, multitudo populi. IDEM IN IONAM. Sciebat hic Propheta sancto sibi spiritu suggerente, quòd pœ- *Cap. 1.*
nitentia gentium ruina sit Iudæorum. Idcirco amator patriæ suæ, non tam saluti inuidet Niniue, quàm non vult perire populum suum. Alioquin legerat Moysen rogantem dixisse pro eo, Si dimittis eis peccatum, & cætera, & ad preces illius saluatum Israël, & Moysen de libro non fuisse deletum, quin potius dominum occasionem accepisse per seruum, vt cæteris conseruis illius parceret. Dum enim dicit, Dimitte me, ostendit se posse retineri. Tale quid & Apostolus loquitur, Optabam anathema esse pro fratribus meis, qui sunt Israëlitæ secun- *Rom. 9.*
dum carnem. Non quòd ipse perire desideret, cui viuere Christus est, & mori lucrum, sed magis meretur vitam, dum saluare vult cæteros. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Iu- *Quæst. 147*
xta alia exemplaria, Et nunc si quidem remittis illis peccatum illorum, remitte: sin autem dele me de libro tuo quem scripsisti. Securus quidem hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, vt quia
F deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Veruntamen aduertendum est quantum malum in illo peccato perspexit Moyses, quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, vt pro eis illa verba deo funderet. GREGORIVS LIBRO DECIMO MORA- *Cap. 7.*
LIVM. Charitas Moysen delinquente populo, & vsque ad petitionem mortis in precibus strauit, & vsque ad interfectionem populi per zeli studium erexit, vt & pro pereunte plebe sese morti obiiceret, & contra peccatum protinus vice domini irascentis sæuiret. CHRYSOSTOMVS IN HOMILIA DE CRVCE
ET LATRONE. Dimitte (ait dominus) pater eis peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Quid ergo dimisit illis? Peccatum dimiserat, si illos pœnituisset. Nam si illis non concederet peccatum, nec Paulus post Ecclesiæ persequutionem Apostolus extitisset, nec tanta multitudo Iudæorum credidisset. Et quia ingens numerus Iudæorum credidit, audi quid dicunt Paulo apostolo, Vides frater, quot milia Iudæorum sunt qui cre- *Act. 21.*
diderunt. Imitemur igitur dominum, & pro inimicis nostris oremus. Clauis confixus in cruce pendebat & pro

inimicis qui eum crucifixerunt, habuit cum patre sermonem. Sed dicis, Quemadmodum potero imitari? Mi- G
*Matth.11.* hi crede, hoc imples facilè. Nam si non poteras, non diceret, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.
Si erat imitari impossibile, nec Paulus diceret, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Si non vis dominum
imitari, saltem Stephanum apostolum imitare, qui dominum imitatus est. Nam sicut Christus dissimulata cru-
ce, contemptis clauis, suisque despectis iniuriis, patrem pro Iudæis exorabat, sic & seruus Stephanus iactationi-
bus lapidum occupatus, iniquorum circundatus insidiis, confractis omnibus membris sauciatus, corporis dolo-
re contempto, pro lapidantibus deprecabatur, & pro inimicis orabat, dicens, Domine ne statuas eis hoc pecca-
tum. Audisti verba domini, audisti verba serui: audisti verba filij, audisti verba Apostoli. Ille ait, Pater dimitte
*Act.7.* eis hoc peccatum, non enim sciunt quid faciunt: Iste ait, Domine ne statuas eis hoc peccatum. Et non verbis tan-
tum, sed nimia cum affectione deprecabatur. Et ideo efflexis genibus eius cùm lapidabatur, orabat. Vis & alte-
rum seruum qui maiora sustinuit, demonstremus? A Iudæis (Paulus inquit) ter virgis cæsus sum, semel lapida-
*1.Cor.11.* tus sum, nocte & die in profundo maris fui. Et post hæc orabat pro fratribus suis, pro cognatis secundum car- H
nem. Vis & alterum non de nouo, sed de veteri Testamento cognoscere? Nam hoc plus admirationis affert,
quod vbi inimicos amare non iubebantur, sed oculum pro oculo, dentem pro dente, & vbique tali onere pro
vindicta, Apostolica philosophia gerebatur, & audi. Moyses delapidatus à Iudæis, sæpiúsque contemptus, quid
ait? Si dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, & me dele de libro quem scripsisti. Vides singulos alienam in-
commoditatem suæ saluti præponere? Nihil peccasti, & cur particeps desideras esse supplicij? Cur pœnæ con-
iunctus? cur tribulationi socius? cur effectus detrimenti consortium? Quam iucunditatem, quid beneficij, cùm
alij puniuntur sentire possum? nec fructum meæ commoditatis agnosco, cùm tenentur alij laceratione supplici-
j. Sufficerant quidem ad emendationem nostræ mentis exempla prolata, sed vt firmius corrigamus, alium
quoque huius philosophiæ præcepta seruasse monstrabo. Beatus ille & mansuetus Dauid, cùm exercitus suus
immanitate quadam fuisset ereptus, & filius eius Absalon contra patrem tyrannidem exercere voluisset, cùm I
postea deus contra eos fuisset iratus, & Dauid vidisset angelum frameam inferentem, & plaga vniuersos de-
perire, ait, Ego pastor peccaui, & ego pastor malum feci, fiat super me manus tua, & super domum patris mei.
Vidisti vbique omnium communem philosophiam? Et alter quid gesserit percipe, vt abundanti corrigaris ex-
emplo. Samuel propheta sustinuit iniuriam Iudæorum, remotus ab aliis est, & dum deus illi solatium voluisset
*Rom.9.* afferre, ait, Non te exprobrauerunt, sed me. Et ille qui exordinatus fuerat, qui contemptus, ait, Mihi absit pec-
care, intermittendi orare pro vobis dominum. Peccatum arbitratur minus pro inimicis orare. Christus dicit,
Pater dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt. Stephanus dicit, Domine ne statuas illis hoc pecca-
tum. Paulus ait, Optabam anathema esse ego ipse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum
carnem. Moyses dicit, Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, & me dele de libro quem scripsisti. Da-
uid ait, Fiat manus tua super me, & super domum patris mei. Samuel ait, Mihi absit peccare, intermittendi ora-
re pro vobis dominum. Quam igitur veniam mereri poterimus demum, si tantorum seruorum de veteri at- K
que nouo Testamento non imitamur exempla, vt pro nostris inimicis oremus? Si forsitan aliud facientes, con-
tra inimicos oramus. Nolite fratres, nolite deprecor. Nam quantò plura sunt exempla quæ diximus, tantò
imitationis merces augetur. Melius est pro inimicis quàm pro amicis orare. Nec enim tantùm nobis præstat
pro amicis oratio, quantùm pro inimicis deprecatio. Si diligitis (inquit) eos qui vos diligunt, nihil magnum
facitis, etenim publicani hoc faciunt. Vt sciatis quia si pro amicis oramus, nondum publicanos vicimus. Sed
quando diligimus inimicos, deo inquantum possumus similes sumus, qui solem suum oriri facit super bonos
& malos. IDEM IN HOMILIA DE AMORE ERGA PERSEQVENTES. Audiui ego non-
nullos iactare solitos, sese non vltra ad eos adisse, qui vel semel nullam sui habuerint rationem, quòd tamen si-
bi dominus tuus gloriæ duxit, quoties nanque hunc homines conspuerunt, quoties aspernati sunt, quibus ni-
hilominus ipse & opem ferre, & subuenire non intermisit. Ne itaque illud in ore habueris, minus scilicet posse
odio te habentes conuenire, quin illud vsurpatum habeas velim, nequire te tui paruifacere contemptores, quo- L
rum alterum Christi discipulum decet, alterum dæmones, vtq; primum illud claros homines facit & illustres,
ita secundum hoc obscurat, & ridiculos reddit, eóque & Moyses admirationi habetur, quia deo dicente, Mitte
me, vt iratus conteram illos, nihil est passus eos respuere, qui se fuissent sæpius aspernati, qui respondebat, Si di-
miseris eis peccatum, dimitte: sin autem, & me perde. Erat is sanè & dei amicus & imitator. Ne itaque nobis id
laudi demus, quòd potius foret ob turpitudinem occultandum, neque illud vsurpemus, quod dici vulgò solet,
Noui ego contemptui habere quamplurimos, quin erunt omnes & irridendi per nos, & comprimendi, qui verbis
istiusmodi vtuntur, quandoquidem in his se iactant, quibus pudere oportuisset. Quid inquis? dic mihi christia-
num hominem conspuendum censes, quē neque infidelē Christus conspuisset? At quid conspuisset dixerim, quin
adeò hunc, & si sordidum & informem dilexit, tātóque est amore prosequutus, vt eius gratia mortem subierit, tu
verò eundem decorum admodū impræsentiarum effectum, & cunctis admirabilem respuis? Dic mihi nondum
aduertis, qualia in eum verba iactes, aut quòd audeas facinus, qui & Christi sit membrū, & eiusdem ac tu domi- M
ni corpus gerat, eúmque pro capite habeat, pro mensa & veste, próque luce & sponso, ac demum vniuersorum
loco ducat, neque hunc solùm, quin & alios plerosque maledictis offendis? Continete iam, & desine insanire,
recognosce fratrem, edisce furentis hæc dicta esse, & animi valetudine laborantis, quin longè his aliena hunc
in modum profare. Nunquam desistam beneuolentia te complecti, vel si centies à te patiar repulsam. Hoc pacto
& fratrem lucrifeceris, viuésque hanc in dei laudem vitam, & futurę beatitudinis non eris immunis. IDEM
IN SERMONE DE ASCENSIONE DOMINI. Moyses post idolorum cæremoniam dicebat domi-
no, Si quidem dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, & me dele de libro quem scripsisti. Quid hoc est?
Contumaciam vides, & pro impiorum suppliciis deprecaris? Ideo (inquit) doleo, ideo deprecor, quia dignè
cruciantur, quia meritò puniuntur, quia ipsi sunt sui causa supplicij. Et Ezechiel cùm Angelum populo vide-
ret inferentem summa supplicia, cum nimia lamentatione clamauit, dicens, Heu mihi domine, quoniam
deles





A deles tu reliquias Israël. Et Hieremias, Castiga nos domine in iudicio tuo, & non in ira tua, ne nos pauciſsimos
facias. Et cùm Moyses & Ezechiel & Hieremias dolent, quantò magis illæ potestates angelicæ (inquam) vir-
tutes nostris calamitatibus commouētur? EX COLLATIONIBVS PATRVM. Aut dimit- *Coll.9.*
te eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Magnus profectò legislatoris affe- *Cap.18.*
ctus, qui cum fratribus suis etiam perituris non renuit interire. EX EISDEM. Illud etiam præ omnibus *Coll.17.*
ipæstimabilis illa censura nos instruit, quòd cùm sit ei ante ortum vniuscuiusque prægnitus finis, ita ordine *Cap.26.*
ac ratione communi, & humanis quodammodo omnia dispensat affectibus, vt non potentialiter, neque se-
cundum præscientiæ suæ ineffabilem notitiam, sed secundum præsentes hominum actus vniuersa diiudicans,
vel respuat vnumquenque, vel attrahat, & vel infundat quotidie suam gratiam, vel auertat. Quod ita esse etiam
illa Saulis manifestat electio, cuius vtique cùm vituperabilem finem præscientia dei ignorare non posset, de
B tot milibus Israëlis elegit eum, & vnxit in regem, præsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum
futuræ præuaricationis intendens. Ita vt postquam reprobus factus est, vt velut pœnitudinem gerens electio- *1.Reg.15.*
nis suæ deus, humanis quodammodo de eodem vocibus atque affectibus conqueratur dicens, Pœnitet me quòd
constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Et iterum, Veruntamen lu-
gebat Samuel Saulem, quoniam dominum pœnitebat quòd constituisset regem Saul super Israël. Denique hoc
quoniam opere fuerat executus, postea etiam per Ezechielem prophetam dominus protestatur cum omnibus se
hominibus quotidiano gesturum esse iudicio: Etiam si dixero (inquiens) iusto quòd vita viuat, & confisus in *Ezech.33.*
iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate quam operatus est, in
ipsa morietur. Sin autem dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, fecerítque iu-
dicium & iustitiam, pignus restituerit ille impius, rapinámque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec
fecerit quicquam iniustum, vita viuet & non morietur, omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabun-
C tur ei. Denique cùm ab illo populo quem ex omnibus gentibus dominus adoptauit, propter subitam vituli præ-
uaricationem, misericordiæ suæ auertisset aspectum, interueniens pro eo legislator exclamat, Obsecro do-
mine, peccauit populus iste peccatum magnum, fecerúntque sibi deos aureos, & nunc si remittis peccatum eo-
rum, remitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit dominus, Si quis peccauerit co-
ram me, delebo eum de libro meo. Dauid quoque dum de Iuda & persequutoribus Christi prophetico spiritu
quereretur, Deleantur (inquit) de libro viuentium. Et quia non merebantur ad pœnitentiam salutarem pro
reatu tanti criminis peruenire, subiungit, Et cum iustis non scribantur. Denique in ipso Iuda vis Prophetи- *Psal.78.*
cæ maledictionis euidenter impleta est. Nam expleto proditionis crimine, suspendio se necauit, & ne si post
illam deletionem nominis sui conuersus ad pœnitentiam esset, iterum cum iustis scribi mereretur in cœlo. Non
ergo est ambigendum, etiam Iudæ nomen illo tempore quo electus à Christo apostolatus sortitus est gradum,
in libro vitæ viuentium fuisse conscriptum, ac pariter eum audiuisse cum cæteris, Nolite gaudere quia dæ-
D monia vobis subiiciuntur: gaudere autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Sed quia philargyriæ pe- *Luc.10.*
ste corruptus, de ascriptione cœlesti ad terrena deiectus est, competenter de eo ac de similibus eius dicitur per
Prophetam, Domine omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra scribentur, quia de-
reliquerunt venam aquarum viuentium dominum. Et alibi, In consilio populi mei non erunt, in scriptura *Hier.17.*
domus Israël non scribentur, & in terram Israël non ingredientur. RVPERTVS. Aut dimitte eis (inquit) *Ezech.13.*
hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. Quare? Videlicet quia & ego homo peccator
sum: si non est apud te propitiatio, si iudicium apud te est sine misericordia, consequitur, vt & me de libro tuo
deleas. Si enim iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Ergo si tu peccata non dimittis, si soli apud te scri- *Psal.129.*
pti permanent iusti, consequens est, vt nec ego permaneam in libro tuo quem scripsisti. Scripsisse, & quòd scri-
pserit delere dicitur deus, non quòd mutetur quasi homo sæpe mutans stylum suum, iterum quæ digna sunt le-
gi scripturus, sed quòd multos qui scripti esse sibi videntur, eo quòd confiteantur se nosse deum, de memo-
E ria tollat per iudicium factorum, quia factis negant. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi, id est, mul- *Matth.22.*
ti in præsenti Ecclesia nomina sua dando in libro confessionis conscripti, sed pauci (quod valde pauendum
est) iudicij diluuium euasuri sunt. Notandum verò, quòd non dixit Moyses, Dele me pro illis de libro tuo
quem scripsisti, aut opto deleri vt scribantur isti, sed si non dimittis eis, dele me (inquit) quod idem est ac si
diceret, Si deles illos, dele & me cum illis. Hoc propter illud nunc dicimus quòd eodem spiritu Apostolus
dicit, Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu san- *Rom.9.*
cto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema es-
se à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem, &c. Nam eadem charitate & hic lo-
cutus est & ille, sed paulò differt in verbis, dum ille anathema cupit esse pro fratribus suis, hic autem deleri se
concedit cum illis. Ille sua separatione vult fratrum salutem redimere, hic si non possit eorum salutem obti-
nere, concedit se, cum eis de libro viuentium deleri, vel anathema existere. Vtriusque dicta magni ponde-
F ris sunt, & nostras vires excedunt. Magni etiam viri hactenus vtramque sententiam humeris suis versauerunt,
& rem sicut est, satis verbis exprimere non potuerunt. Est enim hoc penè ineffabile, nec nisi aliquid de eiusdem
charitatis spiritu habentibus, saltem sensu perceptibile est, quomodo homo deo familiaris, qualicunque cau-
sa vel ratione hoc animo suo admittere possit, vt à deo anathema esse, vel de libro eius concedat seipsum deleri,
quomodo in ista concessione non solùm nullam incurrat pœnā aut culpam, sed etiam amplioré apud deum me-
reatur gratiā. Nobis hoc non solùm de tanta re sublucet, quia deus charitas, deus humilitas est, & cū per humili-
tatē siue charitatē à deo quisquam procul absistit, indigniorem se iudicans eis pro quibus interuenit, miro modo
quantū se deprimit, tantùm ascēdit, quantum condemnat, tantū iustificat, quantum à deo quasi recedit, tantū illi
proximus fit. Diuitias animi eiusmodi nos frigidi atq; inopes ignoramus, & idcirco cū legimus, illū anathema se
esse optantem pro fratribus, istum de libro dei deleri se concedentē, aut dicta dissimulamus, aut in sensum exilē
grauissimè prolata detorquemus. Cęterū quē spiritus idē tetigit, videt ex parte aliqua, quantū talis habitus mētis

apud deum valeat pro sua reuerentia. Videre sibi videtur maiestatem cœlis omnibus ac terris tremendam, G
*Exod.33.* de solio suo surgere, & accedere vulnerato corde, rogare amicum quasi discedentem, ne deserat se, dicentémque verbi gratia, Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine domini coram te. Hoc sentiens anima beata, fortitudine sua vtitur, quia solis superbis resistere potest deus, & dicente deo, Dimitte me, vt irasci mihi liceat cum tuo consensu, non audit, non consentit, & non patitur, nisi interdum voluntatem hominis faciat deus, & in istis viribus suis mirabiliter confracta, sicut & de isto dictum est, Quia stetit in confractione in
*Ser.12.* conspectu eius, ineffabili dulcedine pascitur, ineffabili charitatis vulnere scinditur, cuius sanguinem absque reuerentia videre non sustinet altissimus BERNARDVS SVPER CANTICA. Quid de hoc viro dicam, quanto adipe & pinguedine repleuerat viscera sua? Nec domus illa exasperans in qua pro tempore versabatur, potuit vnquam in omni murmure & furore suo, vnctione spiritus qua semel imbutus fuerat, exterminare, quominus inter assiduas lites & quotidiana iurgia, ipse in sua mansuetudine perduraret. Meritò testatus est spi-H
*Psal.105.* ritus sanctus de eo quòd esset mitissimus omnium hominum qui morabantur super terram. Siquidem cum his qui oderunt pacem erat pacificus, in tantum vt populo ingrato & rebelli non modò non irasceretur, sed & irascentem deum suo interuentu leniret, sicut scriptum est, Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos. Denique, Si dimittis(ait) dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti. O verè hominem vnctum vnctione misericordiæ. Loquitur planè parentis affectu, quam nulla possit delectare felicitas, exortibus quos parturiuit. Verbi gratia, Si diues quispiam mulieri pauperculæ dicat, Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum, relinque foris, quoniam plorat & molestus est nobis, nunquid faciet? Nónne magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo, sola prandere cum diuite? Ita nec Moysi sedet solùm introduci in gaudium domini sui, foris sci-
*Epist.78.* licet remanente populo, cui licet inquieto & ingrato, vice pariter & affectione matris inhæret. Dolet viscera, sed tolerabiliorē sibi iudicat tortionē quam euulsionē. IDEM AD SVGGERIVM ABBATEM. Annon I liquidò certus erat deo pollicente Moyses, si quidem perisset populus cui præerat, se non solùm pariter perieturum non esse, sed insuper & missum in gentem magnam? Et tamen quo affectu, quo studio, quibus pietatis visceribus irritantibus subuenit, obuiat irascenti? Denique & se obiiciens pro delinquentibus ait, Si dimittis, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti. Fidelis aduocatus, qui quoniam non quærit quæ sua sunt, facilè obtinet omne quod quærit. Planè benignus, qui tanquam caput vnitum membris, genti suæ firma charitate cohærens, aut illam saluabit secum, aut non potest nisi idem cum illis subire periculum. Hieremias quoque vinctus & ipse insuperabiliter suis, sed affectu compassionis, non contentionis assensu, præ communi exilio & seruitute contempsit natale solum, ac propriam voluntatem. Quippe cui cæteris migrantibus liberè manere in patria liberum fuit, sed maluit captiuus abduci cum populo, cui se fore & in ipsa captiuitate nouerat necessarium. Paulus eodem proculdubiò spiritu optans anathema esse etiam ab ipso Christo pro fratribus, pro-
*2.Reg.24.* prio experitur affectu, quàm vera sit illa sententia, Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Sed K addo adhuc quē penè prætermiseram, & sanctum Dauid, qui cernens dolēnsque populi stragē, angelo percutienti festinus occurrit, & in se potiùs domúmq; patris sui diuinam transferri flagitat vltionē. HVGO DE SANCTO VICTORE. Dele me de libro tuo. Non ex ratione, sed ex impetu humanæ affectionis, & fiducia magna in deum hoc dicit. Et quòd non fuerit crudelitas in occidendo ostendit magna pietas quæ sequuta est in orando. Scribi autem in libro vitæ aut deleri, dupliciter intelligitur, aut secundum præscientiam dei, aut secundum præsentem statum, secundum quem quandoque contingit, quòd si talis permaneret aliquis saluaretur: sed quia præsentem quam habet iustitiam deserit, dicitur deleri de libro vitæ, in quo deus eum tunc scripsit, quando illam iustitiam ei dedit. Secundum præscientiam verò qui scriptus est, nunquam secundum eandem
*1.part.q.24.* delebitur. THOMAS. Sciendum quòd liber vitæ in deo dicitur metaphoricè, secundum similitudinem
*ar.1. in cor.* à rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quòd illi qui ad aliquid eliguntur, conscribuntur in libro, vtpote milites vel consiliarij, qui olim dicebantur patres conscripti. Omnes autem prædestinati L eliguntur à deo ad habendam vitam æternam. Ipsa ergo prædestinatorum conscriptio dicitur liber vitæ. Dicitur autem metaphoricè aliquid conscriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet, secundum illud Prouerbiorum tertio. Ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. Et post pauca sequitur, Describe illa in tabulis cordis tui. Nam & in libris materialibus aliquid scribitur ad succurrendum memoriæ. Vnde ipsa dei notitia qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam sicut scriptura libri est signum eorum quæ fienda sunt, ita dei notitia est quoddam signum apud ipsum eorum qui sunt perducendi ad vitam æternam, secundum illud secunda ad Timotheum
*Vbi supra.* secundo, Firmum fundamentum dei stat habens signaculum hoc, Nouit dominus qui sunt eius. IDEM. Si
*ar.3.in cor.* autem quæratur vtrum quis deleri possit de libro vitæ, respondemus quòd quidam dixerunt quòd non secundum rei veritatem, sed tantùm secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in scripturis, vt aliquid dicatur fieri quando innotescit. Et secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vitæ, in quantum M homines opinantur eos ibi scriptos propter præsentem iustitiam quam in eis vident. Sed quando apparet vel in hoc seculo vel in futuro quòd ab hac iustitia exciderunt, dicuntur inde deleri. Et sic etiam exponitur in glossa deletio talis super illud Psalmi, Deleantur de libro viuentium. Sed quia non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iustorum secundum illud Apocalypsis capite tertio. Qui vicerit, sic vestietur vestimētis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ (Quod autem sanctis repromittitur, non est solùm in hominum opinione) potest dici quòd deleri vel non deleri de libro vitæ, non solùm ad opinionem hominum referēdum est, sed etiam quantùm ad rem. Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet ex prædestinatione diuina, & hæc ordinatio nunquam deficit, & ex gratia. Quicunque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna. Et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, à qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Illi igitur



A igitur qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædestinatione diuina, sunt simpliciter scripti in libro vitæ, quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam in seipsa: & isti nunquam delentur de libro vitæ. Sed illi qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam, non ex prædestinatione diuina, sed solùm ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ non simpliciter, sed secundum quid, quia sunt ibi scripti vt habituri vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa. Et tales possunt deleri de libro vitæ, vt deletio non referatur ad notitiam dei, quasi deus aliquid præsciat, & postea nesciat, sed ad rem scitam, quia scilicet deus scit aliquem priùs ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, cùm deficit à gratia. Quòd non arguit in deo mutabilitatem aliquam, sed ex parte præscitorum, quæ sunt mutabilia. CAIETANVS. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quē scripsisti. Metaphorico sermone appellat librum, ordinem definitum à deo de agendis. Et est sermo de libro principatus in hoc mundo, nam tanquam liber apud
B deum est decretum, quod isti & illi principentur in hac vita. Et quia dixerat deus Moysi, Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum, te autem faciam in gentem magnam, intellexerat Moyses deum scripsisse ipsum in libro principatus ex hoc quòd etiam si destrueretur populus ille, deus nihilominus constitueret ipsum principem super gentem magnam. Ideo petit quòd aut condonet peccatum hoc, aut deleat ipsum de libro principatus, significans per hoc quòd non vult esse princeps alterius gentis, si gens ista consumitur. AVCTOR CATENAE. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, &c. Si hoc modo reddatur locus (ita enim etiam reddi potest, אם Im enim quandoque significat siue vel aut) erit horum verborum sensus, Aut hanc idololatriam dimitte huic populo, aut si non vis, dele me de numero prædestinatorum, quod non ex perturbatione animi, sed ex ardentissimæ charitatis incendio, & ex occulta familiaritate ac confidentia ad deum dixit Moyses. Siue per hyperbolicæ locutionis modum, qua frequenter aliquid per excessum dicitur sine mendacio, ad insinuandum affectionis seu causæ magnitudinem. Iuxta quem modum ait etiam Apo-
C stolus ad Romanos nono, Optabam ego ipse anathema, &c. Sic enim ambo erant Iudæorum saluti affecti, vt si dicere liceret (Quod tamen ipsum fieri erat impossibile) quodammodo deleri de libro vitæ, & separari à domino, quàm eos perire desiderarent, licet ipsi certi essent quòd eos deus de libro vitæ non deleret. Alij verò hoc de libro secundum præsentem iustitiam duntaxat intelligunt, in quo omnes qui in charitate sunt, scripti dicuntur, & à quo delentur, cùm ad mortem peccant. Vt dicat Moyses, volo potius quàm illi pereant, reiici à te impræsentiarum, sed non in perpetuum. Si autem prout Chaldaica habet reddatur locus, videlicet, Et nunc si dimittis peccata eorum, sin autem non, dele me nunc de libro tuo quem scripsisti, Multa sunt subaudienda. Et erit sensus, Si tantum peccatum remiseris ei, quid sentient de te gentes? quanta apparebit misericordia tua? quibus laudibus efferent te omnes? Quòd si non vis remittere, tolle nomen meum de libro tuo in quo scripsisti omnes electos tuos, ac si dicat, ne sim de numero electorum tuorum, Quod expone prout suprà. Alij de libro vitæ intelligunt, hoc est, de numero viuentium in hoc mundo, quasi dicat, Si non vis parce-
D re populo huic, tolle me de hac vita, nolo enim viuere, si hic populus non est futurus in gratia tua. Alij exponunt, de libro legis dele nomen meum, ne memoria nominis mei habeatur in eo. Quid igitur hac charitate excellentius? Moyses nullo modo ferè non contumeliæ genere ab Israëlitis affectus fuit, Nunc eiecerunt ipsum ex Aegypto in exilium, nunc transtulerunt in ipsum culpam calamitatis Aegyptiacæ, Præbuisti (inquiunt) Pharaoni gladium vt nos occideret, nunc accusarunt ipsum impostura & seductionis, nunc paulùm abest, quin opprimant eum lapidibus. Quid plura? Quacunque leui occasione ita in ipsum debacchantur, vt ferè nunquam non de vita sua periclitetur: Nihilominus tamen complectitur eos tanta charitate, vt malit à deo reiici (hoc enim est de libro viuentium deleri) quàm vt Israël reiiciatur & condemnetur. Rarum itaque hoc sanctissimi Moysi, sed perfectum exemplum Paulus sequutus est, qui pro fratribus anathema elegit esse. Christus verò dominus vtrosque excesit, pro inimico toto orbe turpissima morte contempta & suscepta. Sic animam suam lucratur, qui pro vero dei cultu & fratribus deo lucrandis se exponit morti, qui ob defen-
E sionem patriæ & pietatis, & reformanda iustitia, ac arcendis criminosis vitam prostituit, & perdere in hoc mundo videtur, qui (quod alios docet ex verbo dei) pro conseruatione iustitiæ suam quoque animam non facit seipso pretiosiorem, sed pro salute multorum tradit, siue sacerdos is sit, Samuel, Phinees, Moyses, siue rex Dauid & Iosias. *Cui respondit dominus, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, & educ populum istum quò locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autē in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* CYPRIANVS IN SERMONE DE LAPSIS. Credimus quidem posse apud iudicem plurimùm valere martyrum merita & opera iustorum, sed cùm iudicij dies venerit, cùm post occasum seculi huius & mundi ante tribunal Christi populus eius adstiterit. Cæterùm si quis præpropera festinatione temerarius, remissionem se cunctis
F dare putat posse, aut audet domini præcepta rescindere, non tantùm nihil prodest, sed & obest lapsis. Prouocasse est iram, non seruasse sententiam, nec misericordiam prius dei deprecandam putare, sed contempto domino de sua facilitate præsumere. Sub ara dei animæ occisorum martyrum clamant, magna voce dicentes, Quousque domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris *Apoc.6.* inhabitant? & requiescere ac patientiam adhuc tenere iubentur, & quenquam posse aliquis existimat, remittendis passim donandisque peccatis bonum fieri contra iudicem velle, aut prius quàm vindicetur, ipse, alios posse defendere? Mandant aliquid martyres fieri? Si iusta, si licita, si non contra ipsum dominum, à dei sacerdote facienda sunt, si obtemperantis facilis & prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid martyres fieri? Sed si scripta non sunt in domini lege quæ mandant, antè est vt sciamus illos de deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. Neque enim statim videri potest de diuina maiestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum. Nam & Moyses pro peccatis populi petit, nec tamen peccantibus veniam cùm petisset accepit. Precor (ait) domine, deliquit hic populus delictum grande, & nunc si dimittis eis delictum, dimitte: sin autem, dele me de libro quem scripsisti. Et dixit dominus ad Moysen, Si quis deliquit ante me, deleam eum de libro meo. Ille amicus dei, ille facie ad faciem locu-

*Hier.1.* tus cum deo,quod petiit impetrare nõ potuit,nec dei indignantis offensam sua deprecatione pacauit. Hieremiã G
deus laudat & prædicat,dicens,Prius quàm te formarem in vtero,noui te,& prius quàm exires de vulua sancti-
*Ibid.7.* ficaui te, & Prophetam in gentibus dedi te, & eidem pro peccatis populi deprecanti frequentiùs & oranti, Noli
(ait)orare pro populo hoc, & noli postulare pro eis in prece & oratione, quia non exaudiam in tempore in quo
*Gen.6.* inuocabunt me,in tempore afflictionis suæ.Quid verò iustius Noe,qui cùm repleta esset terra peccatis,solus in-
*Dan.5.* uentus est iustus in terris? Quid glorioſius Daniele? Quid ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? in
*Iob.1.* dei dignatione feliciùs? qui toties & cùm confligeret vicit, & cùm vinceret superuixit? Quid Iob in operibus
promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submisſius, in fide verius? Nec his tamen si
*Ezech.14.* rogarent,concessurum se deus dixit.Cùm Propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur, Terra(inquit)quæ
cunque peccauerit mihi vt delinquat delictum,extendam manum meam super eam, & obteram stabilimentum
panis,& immittam in eam famem,& auferam ab ea hominem & pecora. Et si fuerint tres viri hi in medio eius, H
Noe,Daniel & Iob,non liberabunt filios neque filias,ipsi soli salui erunt. Adeò non omne quod petitur, in præ-
iudicio petentis,sed in dantis arbitrio est.Nec quicquam sibi vsurpat & vindicat humana sententia,nisi annuat
*Marc.8.* & censura diuina. In Euangelio dominus loquitur,dicens,Qui me confessus fuerit corã hominibus,& ego con-
*Luc.12.* fitebor eum coram patre meo qui in cœlis est.Qui autem me negauerit, & ego negabo eum. Si se negantem non
*Matth.10.* negat,nec confitentem confitetur. Non potest Euangelium in parte consistere, & in parte nutare. Aut vtrumque
oportet vt valeat,aut vtrumque vim veritatis amittat. Si negantes criminis rei non erunt, nec confitentes præ-
mium virtutis accipient. Potrò si fides quæ vicerit coronatur, necesse est vt victa perfidia puniatur. Ita marty-
res aut nihil possunt, si Euangelium solui potest: aut si Euangelium non potest solui, contra Euangelium facere
non possunt,qui de Euangelio martyres fiunt. Ex quibus omnibus concludendo dicimus, non facilè ignoscere
deum idololatris. THEODORETVS. Notandum est quòd cùm vniuersorum deus preces Moysi pro po-
pulo suscepisset,atque in illius gratiam supplicium distulisset,addidit tamen,Ego autem in die visitationis mee I
visitabo & hoc peccatum eorum, quod ferè idem esse cum Apostoli verbis videri potest, An ignoras quòd be-
nignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi
iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secũdum opera eius. HIERONYMVS
*Cap.20.* IN EZECHIELEM. Cùm ergo in mente sua decreuisset dominus vt effunderet furorem suum super eos,
noluit facere,parcens Aegyptiis,& cæteris gentibus,ne scandalizarentur,& ipsis quorum misertus est, expectans
*Cap.2.* pœnitentiã conuersorum. IDEM IN LAMENTATIONES HIEREMIAE. Sæpe synagoga Iudæo-
rum dominum irritans, iamdudum iustam pœnam promeruisset,nisi eam conditoris sui bonitas diu toleraſſet,
ac piè & patienter sufferret.Sed quoniam conuerti noluit,& cessare à cœpta nequitia renuit, tandem secundum
merita sua,condignam vltionem recepit, sicut olim ad Moysen famulũ suum, quando populo ad idololatriam
conuerso orabat,dominus respondit,dicens,Dimittam iuxta verbum tuum, veruntamen in die vltionis visita-
bo & hoc peccatum eorum.Vnde nunc dicit, Fecit dominus quæ cogitauit, compleuit sermonem suum quem K
præceperat à diebus antiquis,destruxit & non pepercit.Quoniam plagas quas in Prophetis & lege frequenter cõ-
minando prædixerat, tandem ad iracũdiam prouocatus super eos inducebat. INTERLINEARIS. Qui
peccauerit mihi,& cætera,quasi dicat,Te non delebo, quia nõ peccasti. Visitauit autem dominus peccatum hoc
in die vltionis,id est,Romanæ captiuitatis, seu visitabit in die generalis iudicij. RVPERTVS. Tu autem
(inquit)vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi. Dum dicit,Tu,Subauditur quem ego noui ex nomi-
*Exod.33.* ne.Sic enim postmodum dicit, Inuenisti gratiam coram me,& teipsum noui ex nomine. Igitur cùm ad petitio-
nem dicentis,Aut dimitte eis hanc noxam,aut si non facis,dele me de libro tuo quem scripsisti, ita dominus re-
spõdet,Qui peccauerit mihi,delebo eum de libro meo,Tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum
tibi.Miro modo partem vtramque euadit,vt neque noxam hanc omnino dimittat,neque seruum fidelem de a-
liorum ruina in magna humilitate trepidantem,abundantiori iustitia absorberi, vel desperationi appropinqua-
re permittat.Neque enim noxam hanc eis dimittit,qui protinus subiũgit,Angelus meus præcedet te. Ego autem
*Phi.cap.4. Lect.1. Heb.cap. 12. Lect.4.* in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. THOMAS IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES
ET AD HEBRAEOS. Qui peccauerit mihi,delebo eum de libro meo.Sciendũ quòd antiquitùs apud Ro-
manos,Senatores qui assumebantur ad magnas dignitates,describebantur in matricula,quos primus Pompilius
in tabulis aureis scripsit,& dicebantur patres conscripti.Et qui ibi scribebantur,non de facili à memoria labebã-
tur.In simili,Omnes sancti prædestinati,eliguntur à deo ad magnum,scilicet ad vitam æternam.Et hæc ordina-
tio,est prædestinatio.Conscriptio huius ordinationis, dicitur liber vitæ, & hæc conscriptio est in memoria di-
uina,quia in quantum ordinat,prædestinat.In quãtum verò immobiliter scit,dicitur esse præscriptio.Firma er-
go notitia de prædestinatis,dicitur liber vitæ. Sed nunquid aliqui inde delẽtur. Sciendum est quòd aliqui sunt
scripti simpliciter,aliqui secundũ quid.Sunt etiam aliqui prædestinati à deo vt habituri simpliciter vitam æter-
nam,& isti sunt scripti indelebiliter.Aliqui vt habeant vitam æternam non in se, sed in sua causa, in quantum
ordinantur ad iustitiam præsentem, & tales dicuntur deleri de libro vitæ quando excidunt à præsenti iustitia. M
CAIETANVS. Qui peccauerit mihi,&c.Incipit respõsio diuina ab vltimo,declarando quòd non vult de-
lere eum à libro principatus,eo quòd deletio à principatu fit propter peccatũ illius qui descriptus erat princeps,
tu autem non peccasti.Et intellige deletionem,quemadmodum & librum, metaphoricè. Significatur autem per
huiusmodi similitudinem, quòd peccatum alicuius decreti in principem, meretur vt non sit princeps, & ponit
obicem executioni,qua fieret vel conseruaretur princeps: hoc enim impedimẽtum significatur per metaphoram
deletionis.Tu autem vade,&c. Respondet quo ad veniam, quòd pro nunc non delebit populũ, sed concedit vt
ipse Moyses ducat populum in locum aliàs dictum, hoc est, in terram Chananæorum. Sed deus more hominis
minus placati, non nominat locum,sed dicit,quem dixi tibi.Angelus meus præcedet te.Deficit,Ecce.Et hoc mi-
noris est placationis,nam sensus est,Ecce Angelus meus deputatus à me ad præcedẽdum te.Et in hoc latet quod
postea explicabitur,videlicet quòd non præcedam ego, sed Angelus meus.Ego autem in die vltionis, &c. Iuxta
Hebræum



A Hebræum habetur,Et in die visitandi visitabo super eos peccatum eorum.Quamuis modò abstineam à deletio-
ne eorum,tempore tamen visitationis puniam eos.Non est autem notum nobis tẽpus istud visitandi, quoniam
secundum diuini iudicij rationes, decernũtur tempora visitationum pœnalium. AVCTOR CATENAE.
Angelus meus præcedet te.Addendum ex Hebræo, Ecce. Est enim הִנֵּה מַלְאָכִי Hinne malachi.Vnde legi debet,
Ecce Angelus meus præcedet te,Vel ibit ante faciem tuam. Quod est idem,Videlicet erit ductor vester.Sed hoc
minimum quod annotetur.Quod verò nos legimus, Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorũ,
Hebraicè ita habetur, וּבְיוֹם פָּקְדִּי וּפָקַדְתִּי אֲלֵהֶם חַטַּאתָם Vbiom pakdi vphakadti alehem cattatham, In die autẽ
visitationis meæ visitabo super eos peccatum eorum.Phakad enim visitare significat,à quo pekuda,id est,visita-
tio,quæ tamen alia non est,quàm vltio per Interpretem translata. Dum enim punit dominus peccatores, visitat
eos.Septuaginta,ἢ τὰ ἂν ἡμέρᾳ ἐπισκέψωμαι, καὶ ἐπάξω ἐπ' αὐτοὺς πλὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, Qua autẽ die visitauero, & in-
B ducam super eos peccatũ eorum. Chaldaica, Et in die visitationis meæ visitabo super eos peccata eorum. Quæ
omnia idem dicũt cum litera nostra.Est autem sensus,Eo tempore quo puniturus sum peccata, puniam & istud
peccatum.Hoc autem quando factum fuerit,diuersa est inter doctores opinio.Quidam enim volunt peccatum
hoc punitũ fuisse in Babylonica,quidam in Romana captiuitate. Alij in omnibus plagis quæ illi populo quan-
doque inflictæ sunt,& præcipuè cùm omnes interierunt in deserto,nec sunt in terram promissionis ingressi.Nõ-
nulli in die iudicij puniendum dicunt,quando reassumptis corporibus impœnitẽtes in æternum punientur. Hæc
enim verè dicitur vltio consummata & generalis peccatorum hîc interim non ad integrum punitorum. Tam-
etsi igitur veræ charitatis affectu ita in proximum ardet Moyses,vt cupiat pro salute eius à deo reiici,rectum ta-
men & iustum est iudicium dei, quod non permittit vt alius pro alio, videlicet insons pro nocente,damnetur.
Dicit ergo dominus ad Moysen,Qui peccauerit mihi,delebo eum de libro meo,quasi dicat, Delector equidem
tanto charitatis tuæ ardore,sed iustitia conseruanda est,quæ exigit vt peccatores damnentur, non iusti. Sic Ge-
C nesis decimooctauo dicitur,Absit à te,vt occidas iustum cum impio,fiátque iustus sicut impius.Nõ est hoc tuũ,
qui iudicas omnem terram.Et Ezechielis decimoseptimo,Anima quæ peccauerit,ipsa morietur. Et mox,Filius
non portabit iniquitatem patris,& pater non portabit iniquitatem filij.Sic & lex dicit Deuteronomij XXIIII.
Non occidẽtur patres pro filiis,nec filij pro patribus,sed vnusquisque pro peccato suo morietur. Potest etiam &
hic esse sensus,Qui peccauerit mihi,peccato videlicet ad mortem,delebo eum de libro meo qui est vitæ, secun-
dum præsentẽ iustitiam:non enim pro iusto eum habebo,nec pro felicitatis æternæ capace, siue seruo ad me per-
tinente recognoscam. Sic & deus ipsum Moysen quando ad aquas contradictionis incredulitate peccauit, de
libro suo deleuit secundum præsentem iustitiam,pœnitentem autem denuo scripsit in eo,hoc est,inter suos tan-
quam talẽ recognouit,qui tamen de primo illo ęternæ dei prædestinationis libro nũquam fuerat deletus.Tu au-
tem(inquit)vade,& duc populũ istum quò locutus sum tibi.Cùm deus significasset Moysi,se retinere peccata im-
pœnitentium,potuisset ei in mẽtem venire,quid ergo frustra in hoc populo laborabo? Si deus retinet peccatum
D eorum,quis ego sum qui possim aliquam salutem ipsis conferre?Deferam igitur eos,& aliò proficiscar, quocun-
que deus me duxerit.Ad hoc respondet nunc dominus,& ait,Tu autem vade,& duc populum istum, & cætera,
hoc est,Et si retineo impœnitentibus peccatum,tamen nolo vt tu vocationem hanc tuam deseras.Mandaui tibi
vt educas populum ex Aegypto ad terram patribus promissam, & pollicitus sum angelum meum præcessurum
te.Tu igitur quod præceptum est tibi fac,& sine me mea iudicia perficere.Fac tu id ad quod teneris, ego faciam
quæ mihi iusta & æqua videbuntur. Educ tu populum istum, quod est tui officij, & age quæcunque ad salutem
eius necessaria sunt.Ego interim differam supplicium, & expectabo resipiscentiam. Si resipuerint, bene: sin au-
tem,tantò grauius visitabo peccatum eorum, quanto diutiùs supplicium dilatum est. Memorabile responsum,
quo admonemur,vt quicquid de aliis diuinitùs decernatur & constituatur, nos tamẽ pergamus in nostra voca-
tione,& obsequamur dei mandatis. Sic enim fiet, vt siue alij pereant siue saluentur, nos salutem consequamur.
Aliis autem hoc in loco tentatio esse videtur fidei & charitatis in Moyse, vt conspicua fiat populo toti & vni-
E uerso orbi ad dominum conuertendi, gloriosa mansuetudinis virtus in tanto viro, qua dominus eum ornaue-
rat,quæ & maximè omnium principes decet.Negat autem & auxilium & præsentiam dominus,vt rogetur ardẽ-
tiùs,nunquam enim deinceps destitit adesse & auxiliari tota vita Moysi & Iosue. Interim tamen Angelum pro-
mittit ducem populi,perpetuúmque timorem Israëlitis incutit, vt humilientur in suis conscientiis, vtq; dignè
se puniri semper existiment ob tantam suam rebellionem,quoties mala perferunt,& manum sentiunt flagellan-
tis. *Percussit ergo dominus populum pro reatu vituli quem fecit Aaron.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS *Quæst.148.*
SVPER EXODVM. Meritò quæritur,cùm superius populum dissipasse dictus sit Aaron,cur in ipsum vin-
dicta nulla processerit, neque cùm Moyses interfici iusserit omnem qui Leuitis euntibus ad portam & redeunti-
bus occurrisset armatis, neque cùm postea factum est quod scriptura dicit, Et percussit dominus populum pro-
pter facturam vituli quem fecit Aaron, maximè quia & hîc hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim di-
ctum est, Et percussit dominus populum propter facturam vituli quem fecerũt, sed quem fecit Aaron, & tamen
F non est percussus Aaron, quinetiam illud quod de sacerdotio eius ante peccatum eius deus præcipiebat, imple-
tum est,sed iussit & ipsum & filios ablui & sic ordinati sunt in sacerdotio.Ita nouit ille cui parcat vsque ad com-
mutationem in melius,& cui parcat ad tempus,quamuis eum præscierit in melius non mutari,& cui non parcat,
vt mutetur in melius,& cui nõ parcat,ita vt vitæ mutationẽ eius expectet, & hoc totũ ad id redit quod Aposto-
lus dicit exclamãs, Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. HVGO DE SAN-
CTO VICTORE. Percussit ergo dominus populum, scilicet supradicta interfectione quam fecerunt Le-
uitæ. Vnde etiam apparet hoc instinctu dei esse factum, non maleuolentia Moysi. CAIETANVS. Iuxta
Hebræum habetur.Et percussit dominus populum super quod fecerũt vitulum quem fecit Aaron. Qualis fuerit
ista percussio & quando,non est scriptum.Et narratur crimen tam populi quàm Aaron,punitio autẽ Aaron non
narratur,quia Moyses impetrauit illi vitam, vt ipse testatur Deuteronomij capitulo nono. AVCTOR CA-
TENAE. Hebraica verba sunt huiusmodi, וַיִּגֹּף יְהוָה אֶת הָעָם עַל אֲשֶׁר עָשׂוּ אֶת הָעֵגֶל אֲשֶׁר עָשָׂה אַהֲרֹן Vaiggoph
ichoua

Iehoua eth haham,hal aſer haſu eth hahégel aſer haſa Aharon,Et percuſsit dominus populum eo quòd fecerunt G vitulum,quem fecit Aaron. Ipſi enim fecerunt, petendo vt fieret, ille verò fecit miniſterialiter.Septuaginta,καὶ ἐπάταξε κύριος τὸν λαὸν περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ μόχου,οὗ ἐποίησεν ἀαρών,Et percuſsit dominus populum pro factura vituli,quem fecit Aaron. Sed hæc Latinæ lectionis ſenſum non variant.Chaldaica, Et percuſsit dominus populũ, eo quòd coluerant vitulum quem fecerat Aaron.Nam & haſa verbum,celebrare & colere quandoque ſignificat, vt Deuteronomij quinto.Vt obſeruares diem ſabbati,pro quo Hebræi legunt,Vt faceres diem ſabbati, id eſt, vt celebrares.Et profectò huic loco quadrat tranſlatio hæc,vt vitetur repetitio illa ſeu potiùs apparẽs contradictio, quem fecerunt,quem fecit Aaron. Epilogus igitur breuis eſt hiſtoriæ præuaricationis tantæ, & pœnæ condignæ, decernens iuſtitiam deo,Iſraëli autem præuaricationem & graue peccatum.

*Myſticè.* RVPERTVS. Non autem pro reatu tantùm huius vituli materialis quem fecit hic Aaron,ſed & pro reatu vituli,id eſt,mendacij quod fecerunt principes ſacerdotum,in quod veritatem dei commutauerunt(vt ſupe- H riùs iam dictum eſt)blaſphemando & abnegando Chriſtum filium dei,ecce percuſsit dominus populum Iudaicum.Vnde ſignanter dixit,viſitabo & hoc peccatum eorum,& hoc(inquam)ſubauditur & aliud,cuius in iſto typus eſt vel præfiguratio,quod facturi ſunt.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVM TERTIVM, ARGVMENTVM.

*Angelus deducens Iſraelitas.Renuit deus cum populo aſcendere.Luget populus peccatum.Moyſes cum deo loquitur.Orat deum eſſe ſecum.Optat videre faciem dei.Iubetur ſtare in petra.*

## CAPVT. XXXIII.

I

*Lectio prima.* *LOcutúſque eſt dominus ad Moyſen, dicens, Vade, aſcende de loco iſto, tu & populus tuus quem eduxiſti de terra Aegypti,in terram quam iuraui Abraham, Iſaac & Iacob, dicens, Semini tuo dabo eam,Et mittam præcurſorem tui Angelum,ut eiiciã Chananæũ,& Amorræum,& Ethæum, & Pherezæum, & Euæum,& Iebuſæum, & intres in terram fluẽtem lacte & melle. Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in uia.*

*Lect.1.* AVCTOR CATENAE. Tẽtatur grauiter fidelis paſtor Eccleſiæ à clementiſsimo deo,vt appareat qua charitate & zelo fidei feratur in populum domini ſibi commendatum,tanta iam ingratitudine notatum in deum ipſum ſuum, & prælatum Moyſen. Subinde tamen commonefacit eum verbi dei infal- K libilis,& promiſsionum quas irritari ſit impoſsibile,vt in tentatione conſiſtat & firmetur,verbum enim dei vnicum eſt fideli in tentatione ſolatium, & eſſe debet. Ait ergo, *Locutúſque eſt dominus ad Moyſen,dicens.* CAIETANVS. Diſcretio itaque ſermonis diuini ad eundem Moyſen in monte perſeuerantem cum deo innuit, quòd Moyſes audita diuina ſententia quæ ſcripta eſt in præcedenti capitulo,intelligẽs deum partim placatum & partim iratum,perſeuerauit ſupplicando ad impetrandum plus clementiæ, & quòd orante Moyſe,iterum deus allocutus eum fuerit clementiùs,dicendo ſubiuncta. AVCTOR CATENAE. Locutúſque eſt dominus ad Moyſen,dicẽs.Dictio,dicens,ab Interprete poſita eſt, non enim habetur in Hebræo. Sed hoc minimũ eſt. *Vade,aſcende de loco iſto,tu & populus tuus quem eduxiſti de terra Aegypti in terram quam iuraui Abraham, Iſaac & Iacob, dicens, Semini* *Quæſt.149* *tuo dabo eam.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Deus iratus dicere videtur , Tu & populus tuus quẽ eduxiſti de terra Aegypti,Alioqui dixiſſet,tu & populus meus quem eduxi de ter- L ra Aegypti.Sed illi quando idolum popoſcerunt,ita locuti ſunt,Moyſes enim hic homo,qui eduxit nos de terra Aegypti,non ſcimus quid factum ſit ei,liberationem ſuam in hominem conſtituendo defecerant. Hoc eis modò replicatur,cùm dicitur,Tu & populus tuus quẽ eduxiſti de terra Aegypti,quod illis eſt crimínis & non Moyſi . Non enim aliud volebat Moyſes , niſi vt non in illo,ſed in domino ſpem ponerent, & domini miſericordia ſe cum gratiarum actione crederent ab illa ſeruitute liberatos, cuius tamen apud deum tanquam fideliſsimi famuli,tantum erat meritum per illius gratiam, vt ei diceret deus,ſine me,& iratus cõteram eos. Quod vtrum iubentis ſit cùm ait,ſine me,an quaſi petentis ſit,vtrumque videtur abſurdum.Nam & ſi iubebat deus, inobedienter famulus non parebat, & deum hoc à ſeruo velut pro beneficio petere non decebat, cùm præſertim poſſet eos etiam illo nolente conterere.Ille itaque ibi ſenſus in promptu eſt,quod his verbis ſignificat deus,plurimùm apud ſe prodeſſe illi populo,quia ſic ab illo viro diligebãtur,quem ſic dominus diligebat,vt eo modo admoneremur, cùm merita noſtra nos grauaſſent, ne diligamur à deo, releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos deus diligit.Nam cùm ab omnipotente dicitur homini,Sine me,& conteram eos, quid aliud dicitur,quàm contere- M rem eos,niſi diligerẽtur abs te?Ita ergo dictum eſt,Sine me,ac ſi diceretur,noli eos diligere,& conteram eos,quia ne id faciam,dilectio tua in illos intercedit mihi . Obtemperandum autem eſſet domino dicenti, noli eos diligere, ſi hoc iubendo dixiſſet , & non potius admonendo & exprimendo quid illum ab eorum ſupplicio reuocaret,nec tamen etiam illo intercedẽte ſine flagello diſciplinæ populum dereliquit . Neſcio quo enim modo,vt ſic eos diligeret ipſe Moyſes,deus illos occultiùs diligebat qui manifeſta voce terrebat. RVPERTVS. Mirum fortè videbitur quomodo ad orationem Moyſi placatus fuerit dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum,& tum idem Moyſes poſtquam dixit, Cõſecraſtis manus veſtras hodie domino,vnuſquiſque in filio,& in fratre ſuo. Facto die altero, dixit ad populum , Peccaſtis peccatum maximum, aſcendam ad dominum, ſi quo modo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro. Sed profectò liquet quia placatus quidem in eo fuerat dominus,ne in præſentiarum corporaliter deleret eos, ſuggerẽte,& quaſi conſulẽte Moyſe, ne quæ-

ſo



A ſo dicant Aegyptij,Callidè eduxit eos vt interficeret eos in montibus,& deleret è terra,ſed in eo nondum placatus fuerat,vt dominum eorum ſe eſſe rurſus profiteretur,vnde & adhuc alieno animo loquitur ſecũdò,vt ſemel fuerat locutus , Vade, & aſcende de loco iſto, tu & populus tuus, tuus (inquam) non meus. CAIETANVS. Vade,aſcende de loco iſto.Priùs tanquam iratus in genere,dixerat,Vade,duc populum quò dixi tibi, modò tanquam magis placatus , dicit in ſpecie , Aſcende. Aſcendendo enim itur à deſerto ad terram promiſsionis, tu & populus tuus . Priùs dixerat,Duc populum,modò clementior erga populum,dicit vt ipſe populus cum Moyſe aſcendat.Quem eduxiſti de terra Aegypti.Ratio tangitur clementiæ,quia promiſerat Moyſes populo in Aegypto educere eum,ad hoc vt poſsideret terram promiſsionis. In terram quã iuraui Abraham, &c.Priùs dixerat quod dixi tibi,modò explicat terram, & rationem clementiæ ex parte diuinæ veritatis(quia iurauerat)& ex parte meritorum Abrahæ,Iſaac & Iacob. AVCTOR CATENAE. Vade, aſcende, id eſt, hinc deſcendendo (erat
B enim Moyſes in monte loquens cum domino)vade vt aſcendas , quia pars ſeptentrionalis eſt editior meridionali.Hinc etiam factum quòd Chaldaica habet hoc in loco,Vade,deſcende.Quòd autem dicitur tuus,neque in Hebræo,neque in Chaldæo eſt,ſed ex Septuaginta ſumptum, habent enim, ὁ λαός σου, Populus tuus. AVGVSTINVS. Vbi autem ſupradicta verba dixit deus ad Moyſen,cõtinuò tanquam ad ipſum Moyſen adhuc loquatur,occulta conuerſione quæ Græcè ἀποστροφὴ dicitur,iam ad ipſum populum loquitur, dicẽs, *Et mittam præcurſorem tui Angelum,vt eiiciam Chananæum,& Amorræum,& Ethæum,& Pherezæum,& Euæum,& Iebuſæum, & intres in terram fluẽtem lacte & melle.Non enim aſcendam tecum,quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via.* Magna ſacramenti & mira profunditas , tanquam miſericordiam maiorem poſſet Angelus habere quàm deus , qui populo duræ ceruicis parceret cui deus ſi cum illis eſſet,ipſe non parceret, & tamen etiam per Angelum ſuum, ſe quodammodo ab eis abſente qui nuſquam eſſe abſens poteſt, implere ſe dicit quod patribus eorum iurauit, tanquam & hic oſtendens hoc ſe ideo facere,quia illis patribus iuſtis promiſit,nõ quòd iſti digni eſſent.Quid ergo ſignificat,niſi fortè ideo *Queſt.150.*
C ſe non eſſe cum eis, quia dura ceruice ſunt , quia non eum propitium & ſalubrem,niſi humilitas & pietas capit? Eſſe autem deum cum duræ ceruicis hominibus,nihil eſt aliud,quàm vindicando adeſſe,atque puniendo.Vnde *Pſal.50.*
cum eo modò malis non adeſt parcendo, facit quod pertinet ad illud quod dicitur , Auerte faciem tuam à peccatis meis,quia niſi auertit,aduertit. Sicut enim fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie dei. RVPERTVS. Ergo Angelus meus præcedet te (inquit) ſiue emittam præcurſorem tui Angelum, ſubauditur, ad hoc tantùm vt intres terram Chananæorum , non etiam ad hoc vt intres in terram viuentium . Non enim ſum deus tuus,non tuipſe es populus meus.Nam hoc eſt quod dicit, Non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via, ac ſi dicat, quoniam populus duræ ceruicis es, non tibi expedit , vt me deum tuum nomines,vt culturam meam profitearis,vt leges meas baiules,ad prærauricandum tam pronus & facilis.Leuius enim multo eſt deum neſcire, quàm cognitum irritare. Tolerabilius eſt viam dei ignorare, quã poſt agnitam retrorſum ire.Idcirco ſi aſcendero tecum,ſi me dixeris deum tuum, iuſtiùs in via diſperdam te prouo-
D cantem me dura ceruice. HVGO DE SANCTO VICTORE. Ne diſperdam te . Iratus aliquando tua ſtultitia,ſi tecum eſſem aſsiduè. CAIETANVS. Et mittam præcurſorem tui Angelum.Parui refert quòd in Hebræo habetur,Et mittam faciebus tuis Angelum.Perſeuerare ſe manifeſtat deus in hac punitione,quòd non vult ipſe præcedere, ſed mittere Angelum ſuum antecedentẽ eos . Vt eiiciam(inquit)ſiue & eiiciam Chananæũ, &c.Priùs promiſerat Angelum antecedentẽ,ſed nihil dixerat de eiectione hoſtium,modò adiungit quòd eiiciet gentes illas habitantes terram promiſſam.Non enim aſcendam tecum.Iuxta Hebræum habetur,Quia non aſcẽdam in intra te.Ecce explicatur quòd latebat mittendo Angelum. Idem autem ſignificatur dicendo in intra te, quod Latinè dicitur ab Interpretibus in medio tui.Lege prudẽs lector calcem capituli vigeſimínoni,& inuenies non ſemel deum dicere ſe habitaturum in medio filiorum Iſraël , promittit enim ibi , quod ratione tabernaculi habitabit in medio filiorũ Iſraël,& erit eis in deum, & dicit quòd ideo eduxit eos de terra Aegypti, vt habitaret in medio eorum,ex illis enim intellectus huius literæ pẽdet.Reuocat ſiquidem deus quod aliàs promiſerat, vi-
E delicet quòd habitaret intra populum Iſraël, intercedẽtibus officiis tabernaculi, quod in medio eorum locandũ erat . Intelligo itaq; quòd deus placatus eſt quo ad beneficium columnæ nubis & ignis in officio dei antecedẽdi populum,& quo ad beneficium eiectionis hoſtium & terræ promiſsionis, non placatus autẽ quoad beneficiũ decreti tabernaculi & ſacerdotij in medio illorũ,Angelus in columna præibat,& ipſe deus in tabernaculo paratum ſe fore promiſit millies. Et vtitur vocabulo aſcẽſus, quia ad literam loquitur de corporali populi aſcenſu in terram promiſsionis,manifeſtando quòd cum aſcendẽte populo non aſcendam,tanquam inter ipſos exiſtẽs modo quo promiſeram,ſcilicet paratus in tabernaculo ad audiẽdum & reſpondẽdum.Quia populus duræ ceruicis eſt. Dirigitur ſermo diuinus ad populum , reddit enim deus rationẽ ex conditione mala populi quare non vult ire inter eos.Ne fortè diſperdam te in via.Alteram reddit rationem,Prima enim ex parte culpæ ſeu culpabilis conditionis,hæc autem ex parte pœnæ ſe tenet. Et dicit fortè, non dubitando ex parte ſui, ſed propter liberum arbitrium populi ſub dubio ponitur euẽtus deuorationis,habetur enim in Hebræo,Ne quando deuorẽ te in via,pro-
F culdubiò recidiuante te ob duram tuam ceruicẽ.Vide clementiam dei,ideo negat ſe iturum inter eos,ne eis noceat. Negatio ergo iſta quamuis iuſta, ad beneuolẽtiam tamẽ erga populũ ſpectat. AVCTOR CATENAE. Quod in noſtra editione legitur,Præcurſorem tui,Hebraicè habetur לְפָנֶיךָ Lephanécha,id eſt,ante faciem tuam vel ante te.Septuaginta,πρὸ προσώπου σοῦ, id eſt,ante faciem tuam. Chaldaica, ante te. Sed idem in his omnibus eſt ſenſus.Quodq;,vt eiiciam Latinè legimus,Hebraicè וְגֵרַשְׁתִּי Vegeraſti habetur,hoc eſt,& eiiciam.Septuaginta autem ad Angelum,καὶ ἐκβαλῶ,id eſt,& eiiciet,vel ſecundum alia exẽplaria ad ipſum populum,& ἐκβαλῶ,Et eiicies.Chaldaica & ipſa habet,Et eiiciam. Et intres.Verbum eſt additum ab Interprete,pro clariori literæ textura. In terram(inquam)aſcende fluentẽ lacte & melle,id eſt,ſuauibus omnibus rebus plenam. Per lac autẽ omnes neceſſarias res intelligit ad victum pertinentes.Et eſt Hebraiſmus.Quòd etiam apud nos eſt,Non enim aſcendam tecum,Hebraicè בְּקִרְבֶּךָ Bekirbecha legitur,hoc eſt,In medio tui,cuius loco etiam Septuaginta,μετὰ σοῦ,hoc eſt, tecum dixerunt.Chaldaica verò,Non enim aſcẽdere faciam maieſtatem meam in medio tui,ſed eadem eſt ſententia

tentia.Non ſunt igitur patrum vel filiorum meritis,nec humana virtute eiiciẽdæ impiæ iſtæ gentes,ſed dei vo- G
luntate,ordine & virtute, qui ſpiritibus adminiſtratoriis diſpenſationes ſuas peragit, cùm vnica volitione poſ-
ſit omnia.Domini quoque iudicio & iuſtitia,populi vel inſeruntur terris,vel expelluntur.Dominus enim eſt,cui
voluerit dat victoriam,eradicat & plantat.Terra autem fluit melle & lacte,id eſt, ad omnia humana commoda
ſeſe offert piis habitatoribus,creatoris ſui bonitatem agnoſcentibus. Non enim(inquit)aſcendam in medio tui,
quia populus duræ ceruicis es,ne fortè diſperdam,ſeu conſumam te in via.Deus cõſueuit adeſſe iuſtis, viſitando,
miſerendo,confortando:impiis autem,puniendo & vlciſcendo. Et eſt ſenſus,Cum his non poſſum eſſe propter
te,vt vindicem & puniam:nec propter eos,vt viſitem & confortem,mittam Angelum meum ſaltem.

*Mystice.* INTERLINEARIS. Spiritaliter autem,Angelum quem ſe miſſurum ſpondet dominus deus,dominum
Ieſum Chriſtum poſſumus intelligere,qui eſt Angelus magni conſilij, qui præſentia carnis humanum genus vi-
ſitauit,& peccata dimiſit.Ipſe introducturus eſt populum in terram lacte & melle manantẽ,hoc eſt,in Eccleſiam H
ſimplici & perfecta doctrina abundantẽ. AVCTOR CATENAE. Terra etiam huiuſmodi typus eſt cœ-
leſtis patriæ ſanctorum,vbi nectare & ambroſia reficiuntur beati, in eam per vnum dei hominúmque mediato-
rem dominum Ieſum Chriſtum introducendi.Nam & cùm genus noſtrum fuiſſet omni interitu dignũ, ipſe per
magni conſilij Angelum,nos ab interitu vindicatos, ad promiſſam fidelibus viuentium terram deduxit. CY-
*Cap.36.* RILLVS LIBRO QVARTO SVPER IOANNEM. Ait ſanctus Euangeliſta Ioannes, Hæc cũ dixiſſet
dominus,ipſe manſit in Galilæa,vt autẽ aſcenderunt fratres eius,tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non ma-
*Exod.23.* nifeſtè,ſed quaſi in occulto.Dixiſſe verò ipſum,quòd non aſcendet,& tamen aſcendiſſe,in libro Exodi priſcis tẽ-
poribus figura ſignificatum inuenies.Nam cùm Moyſes in cacumine montis diutiùs moraretur,legem à deo ex-
pectãs,quúmque vitulum(dei pietate neglecta)Hebræi colerent,nequitia hominum irritatus, perdere genus eo-
rum minatus fuit.Et tandem dixit ad Moyſen,Vade, & aſcende hinc tu & populus tuus quem eduxiſti de terra
Aegypti,ad terram quam iuraui Abrahæ,dicens,Semini tuo dabo ipſam, & mittam ante faciem tuam Angelum I
meum.Reſpondit Moyſes,Niſi tu nobiſcũ venias,non educes me hinc. Et quomodo cognoſci poterit inueniſſe
me,ac populum tuum apud te gratiam,niſi nobiſcum veneris?Tunc dicit dominus ad Moyſen, Et hoc verbum
quod dixiſti faciam,inueniſti enim gratiam apud me.Vides prius dictum eſſe à deo propter populi peccatũ non
aſcẽſurum ſe cum illis,ſed Angelum quẽdam miſſurum: poſtea verò propter Moyſen,& patrum memoriam ve-
nia data,cum illis ſeipſum præſentem fore promittit.Similiter igitur etiam hîc,quum propter incredulitatẽ iu-
dæorum iturum ſe negauerit,tamen propter ſanctos paucos,& ſolicitationes ſuas aſcẽdit,non vt ad feſtũ diẽ, ſed
vt ſalutarẽ illis doctrinã proponeret,nec Angelo ad hoc miniſteriũ vtitur,ſed ipſe ſalutaris doctrinę miniſter fit.

2 *AVdiẽnſque populus ſermonem hunc peßimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo. Dixítque dominus ad Moyſen, Loquere filiis Iſraël, Populus duræ ceruicis es, ſemel aſcendã in medio tui, & dele-*
*bo te. Iam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam quid faciam tibi. Depoſuerunt ergo filii Iſraël ornatum* K
*ſuum à monte Horeb. Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra procul, uocauítque nomen eius tabernaculum fœderis. Et omnis populus qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculũ fœderis, extra caſtra. Cúmque egrederetur Moyſes ad tabernaculum. ſurgebat uniuerſa plebs, & ſtabat unuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebántque tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium. Ingreſſo autem illo tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtiũ, loquebatúrque cum Moyſe cernentibus uniuerſis quod colũna nubis ſtaret ad oſtiũ tabernaculi. Stabántque ipſi, & adorabant per fores tabernaculorũ ſuorũ. Loquebatur autem dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Cúmque ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filius Nun puer, non recedebat de tabernaculo.*

2 CHRYSOSTOMVS HOMILIA PRIMA DE VERBIS ESAIAE. Vidi dominum.Dictum eſt L
valere iuſti deprecationẽ,ſed efficacem,hoc eſt,pœnitentia conuerſionéque adiutam eorum pro quibus funditur,
His verò quibus mores manẽt ſine pœnitẽtia,citrâque bonam conuerſionem,quomodo poſsit auxiliari iuſti de-
precatio,cùm illi ipſi ſuis factis obſiſtant? AVCTOR CATENAE. Ne igitur preces Moyſi in caſſum co-
ram domino effunderentur,ſed eius miſericordiam efficaciter impetrarent, & ipſe populus pœniteptium habi-
tum ſumit,peccatum ſuum ac dei derelictionẽ humiliter deflet,& à ſolito corporis ornatu abſtinet,hócque tan-
dem modo conuertẽdum putat benigniſsimum dominum ab ira furoris ſui,& indulturum peccato eorum, ſẽ-
que non interituros.Ait igitur hæc ſacra lectio: *Audiẽnſque populus ſermonem hunc peßimũ, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* RABANVS. Peſsimum ſermonẽ dicit audiuiſſe populum,hoc eſt,crudeliſsimum atque mœſtiſ-
ſimum.Quod enim maius alicui poteſt præſtari beneficium, quàm dei gratiam habere præſentẽ, ac conditorem
ſuũm agnoſcere ſibi eſſe propitium?Aut quod maius eſt diſcrimen,quàm auctoris ſufferre iram?Nihil habet bo-
ni , qui creatoris ſui carebit gratia atque præſentia. INTERLINEARIS. Quòd autem nullus ex more M
indutus eſt cultu ſuo, factum eſt, vt habitu quoque pœnitẽtiam demonſtrarent. CAIETANVS. Audiẽnſ-
que populus, &c. Hinc imprimis habetur quòd Moyſes de monte rurſus deſcenderit,& retulerit populo ſenten-
tiam dei,deinde habetur,quòd quamuis multæ clemẽtiæ verba diuina eſſent,quia tamẽ deus negabat affuturam
præſentiã ſuam,malum ſimpliciter & abſolutè habitum eſt verbum iſtud,vtpote negans præcipuũ bonum,diui-
nam videlicet præſentiam inter eos. Et luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo . Interna triſtitia in luctu,
externa verò in abdicatione exterioris ornatus in propriis perſonis ſignificatur: intus enim & extra, ſtatum pœ-
nitentiæ aſſumpſerunt. AVCTOR CATENAE. Quod nos legimus in Latino codice, Et nullus ex mo-
re indutus eſt cultu ſuo,nõ diſſentit ab Hebraico quod eſt huiuſmodi, וְלֹא שָׁתוּ אִישׁ עֶדְיִי עָלָיו Velo ſáthu is hed-
dio halaf , Et non poſuerunt vnuſquiſque ornamentum ſuper ſe, Id eſt,nullus ornatum ſuum ſibi adhibuit.Chal-
daica, Et nullus poſuit ornatũ cultus ſui ſuper ſe. Quæ clauſula omittitur à Septuaginta, innuúntq; hoc per alia
verba



A verba,κατεπενθησαν ὡς πενθικοῖς, Defleuerunt in lugubribus, ſcilicet veſtibus. Atq; hoc modo intelligunt eos nullo
ſoléni indutos ornamẽto,ſed pullis amictos fleuiſſe.Peſsimus ergo hic dicitur ſermo dei,qui optimus eſt ſuapte
natura,ſed male cedit contẽptoribus dei.Grauis ſiquidẽ dei ira eſt,& importabilis indignatio,ſi abſentiã minetur
auxilij ſui,ſi deſtituat ſua gratia, & nos nobis ipſis relinquat, id quod duriſsimæ ceruicis plebi nunc futurũ præ-
dicitur.Præſtat enim deũ non ſcire,quã agnitum,& tot beneficiis commendatũ ſpernere. Lugẽtium interim eſt,
negligere ornamentorũ delitias. *Dixítque dominus ad Moyſen,Loquere filiis Iſrael,Populus duræ ceruicis es,ſemel aſcendam in me-*
*dio tui,& delebo te.* RABANVS. Hoc eſt quod ante dixit,In die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.Se-
mel enim dicitur aſcendere dominus in medio perfidorum,vt deleat eos quia certiſsimè, & ſine vlla dubietate
venturus eſt iudicare viuos & mortuos,iuſtis dare præmium perennẽ gloriam,peccatoribus perpetuam pœnam.
INTERLINEARIS. Aut ergo vltimi iudicij vindictam,aut Babylonicam captiuitatẽ vel Romanam mi-
B natur. HVGO DE SANCTO VICTORE. Comminatio igitur eſt.Et nota quod dicit, Aſcẽdam. Eſt
enim aſcẽſus vel ab inferioribus ad ſuperiora,vel ab ocultis ad manifeſta,ſicut hîc.Promittit enim ſe manifeſtare
eis cũ malo eorũ CAIETANVS. Dixit dominus ad Moyſen.Et hoc intelligo dictũ cum Moyſes eſſet in mõ-
te,ſed nunc commemoratũ eſt ad declarandũ rationem depoſiti ornatus tam prædicti quã ſubiungẽdi.Loquere
filiis Iſraël,Populus duræ ceruicis es,ſemel aſcendam in medio tui,& delebo te. Iuxta Hebræũ habetur, Momẽ-
to vno aſcendã in intra te,& cõſumam te.Declaratio eſt eius quod dixerat,ne quando deuorẽ te in via.Prędicit
enim illis,quòd ipſi tam proni ſunt ad contemptũ dei,vt ſi deus cũ ipſis aſcendẽtibus in terrã promiſsionis aſcẽ-
deret inter eos, paruiſsimo tẽpore (tanquam momento vno)perſeueraret hic aſcenſus, quoniam ſtatim ipſi con-
temnerent deum quaſi in faciẽ eius,& deus conſumeret eos.Iſte enim euentus prænunciatur,dicendo, Momẽto
vno aſcendã in intra te,& finiam te. AVCTOR CATENAE. Quod nos dicimus,ſemel aſcendã in medio
tui, & delebo te, Hebraicè ita legitur רֶגַע אֶחָד אֶעֱלֶה בְקִרְבְּךָ וְכִלִּיתִיךְ Régaha echad ehele bekirbecha vechillithí-
C cha,Repentè,ſubitò,in puncto,ſeu momẽto vel impetu vno,vel breui tẽpore aſcendã in medio tui,& delebo,ſeu
conſumam vel perdã te,id eſt,ſi minimum temporis aſcendero tecũ, conficiam te. Quæ ſententia paulò diuerſa
redditur à Septuaginta, ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐπάγαγω ἐφ' ὑμᾶς, Cauete, ſeu videte ne plagã aliam inducã ſuper
vos.Chaldaica etiã itidem,Si vna hora abſtulero maieſtatẽ meam à te,diſperdam te.Terretur igitur populus,vt
vel ſeruili timore retrahatur à malo & formidine pœnæ , quia paternam indulgentiã non agnoſcunt,nec vene-
rantur.Nõ excidit de ore dei verbũ vanum, quo fit vt excidium iudaicum iam tunc rebelli populo prædictũ vi-
deatur,qui vno ferè momento eradicatus cernitur, vt à tot millibus annorũ radices denuo figere non potuerit,
ſed in exẽplum infidelitatis,tanto tempore mundũ obambulare cogatur iuſto dei iudicio. Sed precibus Moyſi,&
Chriſti domini aduentus gratia,dilata eſt illorũ infelicitas,donec ipſi quoq; implerent numerũ peccatorũ ſuorũ.
*Iam nunc depone ornatũ tuum, vt ſciã quid faciã tibi.* INTERLINEARIS. Vel manifeſtã dei præſentiam quę illi po-
pulo per Angelũ apparebat,ornatum eius intelligit,vel tabernaculum paruũ quod infrà caſtra erat in medio eo-
D rum, quo conſulendi gratia cõfluebat populus.Vt ſciã(inquit)quid faciam tibi, id eſt, ſcire faciã te quantũ mali
perpetraueris,quo mea præſentia & angelica viſitatione priuaris . Nã ab illo die non ita manifeſtè apparuit deus
illi populo. RABANVS. Scire autẽ hîc pro reuelare accipiendũ eſt, ſicut alibi ignorare pro nõ manifeſtare.
Vnde illud in Euangelio,De die autẽ illa,& hora nemo nouit,neq; Angeli cœlorum,neque filius,niſi pater ſolus.
RVPERTVS. Hoc iuxta hiſtoriam lectorem ædificat , quia videlicet niſi ambulet peccator demiſſo capite,
nondum ſe ſcire fatetur deus quid ei faciat,nullam enim habet materiã ſtruendæ miſericordiæ,niſi ambitio, vel
habitus pœnitentiæ præcedat. HVGO DE SANCTO VICTORE. Depone ornatũ tuum,id eſt,primũ ta-
bernaculũ in quo conſulebatur dominus, antequã factum eſſet illud magnũ, de quo dominus inſtruxit Moyſen
in monte.Vel depone,id eſt,extra caſtra fige.Vt ſciã quid faciã tibi.Humano more loquitur. CAIETANVS.
Iuxta Hebræũ habetur,Et nunc fac deſcendere ornatum tuũ de ſupra te. Ornatum perſonalem ſpontanei depo-
ſuerunt,ornatum autẽ qui erat in loco ſupra eos iubentur deponere.Quòd enim hîc ſermo ſit de ornatu loci ſu-
E perioris,inſinuant verba mandati, fac deſcendere,& rurſus de ſupra te.Quis autẽ eſſet locus iſte ſuperior, mani-
feſtatur in ſubiuncta executione.Vt ſciam.Iuxta Hebræum habetur,Et ſciam quid faciam tibi.Metaphoricus eſt
ſermo,loquitur enim deus more hominis nouiter cognoſcẽtis ex nouis factis quid faciendũ ſit. Eſt enim ſenſus,
vt ad inſtar cognoſcẽtis ex factis,ſciam ex operibus tuis quæ facies,quid boni vel mali faciam tibi.Et manifeſtat
deus per hunc modum loquendi,quòd faciet eis ſecundum opera eorum ſequentia.Prouocat enim eos ad pœni-
tentiam,& tanquam ſuſpenſus expectans pœnitentiam eorum,dicit,Deponite ornatum,tanquam indigni orna-
re locũ meum,& ſciã conſequenter iuxta pœnitentiam veſtram,quid boni vel mali faciam vobis. AVCTOR
CATENAE. Iam nunc depone ornatum tuum vt ſciam quid faciam tibi . Optimè locũ reddidit doctus In-
terpres,qui ita legitur in Hebręo וְעַתָּה הוֹרֵד עֶדְיְךָ מֵעָלֶיךָ וְאֵרְעָה מַה אֶעֱשֶׂה לָּךְ Vehatta hored hediecha mehalêcha,
veedha ma eheſe lach , Et nunc depone ornatũ tuum à te (ſubaudi in ſignũ animi reſipiſcentis & dolẽtis de pec-
cato admiſſo)& ſciã ſiue videbo,vel notum faciam,quid faciã tibi.More ſi quidem irati ducis loquitur,qui po-
F ſtea quàm ponere arma milites iuſſerit , decernit quid eis pœnæ infligat.Septuaginta, νῦν οὖν ἀφέλεσθε τὰς σολὰς ἀπ'
ἐμοῦ ὑμῶν, καὶ ἐγὼ κόσμον, ὃν δείξω σοι ἃ ποιήσω σοι, Nunc igitur deponite veſtes gloriarum veſtrarum,& ornatum,&
oſtendam tibi quæ faciam tibi.Quorũ(vt videtur)mens eſt, ornatum hunc quem deponere iubetur populus,ve-
ſtes eſſe lætitiæ,quas per illud tẽporis ob contractum cum domino fœdus induebatur . A quibus fortaſſe non ab-
errat Chaldaica,inquiens,Et nunc aufer ornatum cultus tui à te.Notũ eſt enim coram me quod facturus ſum ti-
bi. Quem quidem veſtium cultum cùm iam depoſuiſſent, videri poteſt hîc quædam eſſe præmiſſæ depoſitionis
approbatio.Cæterùm quia deus his minis vocat Iſraëlitas non ad internetionem,ſed ad pœnitentiam,ideo iubet
eos declarare pœnitentiam externis argumentis,vt conſpicuum fiat eos agnoſcere peccatũ ſuum, & dolere pro-
pter impietatem.Nec tantũ lætitiæ veſtes deponere mãdat, quàm etiam vt vnuſquiſque lugubrem induat,vt ex-
terno habitu publicè declarẽt dolorẽ animi ſui. Porrò luctui apud Iudæos,ſeruierũt ieiuniũ,ciliciũ ſeu ſaccus,&
cinis.Achab publicè lugẽs futurã familiæ ipſius internetionẽ,operuit cilitio carnẽ ſuam,ieiunauit & dormiuit in
ſacco

sacco tertio Regum vigesimoprimo. Niniuitæ prædicauerũt in luctu ieiuniũ, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; G
ad minorẽ. Et Daniel capite nono ait, Posui faciẽ meam ad dominũ deum meũ, rogare & deprecari in ieiuniis,
sacco & cinere. Dixerunt nõnulli ornatum istum coronas quasdã fuisse, quibus principes populi in datione legis
capita sua coronauerunt in signũ lætitiæ & exultationis, quod spiritualiter à sponso cœlesti deo desponsabantur,
quas iussi sunt à suis remouere capitibus, quia ad idololatriam corruerant. Alij pro ornamento exponunt arma
bellica, quæ iubẽtur deponere, vt iis nudati, in quencunq; hostilẽ incursum præcipites ferantur, vt crimẽ perfidiæ
diluant. Sunt qui ornatum fideliũ nullum esse dicant, nisi fidem & opera virtutũ ex fide non ficta, qua totũ illum
populum caruisse, vel hinc liquet, quod in peccatis suis omnes mortui sunt in solitudine, præter paucissimos, &
incredulitatis suæ mercedẽ quam oportuit, in eremo susceperunt. Non quòd deus ista deponi hîc mandet (absit
enim quòd deus iniqua præcipiat) sed quòd prædictio sit duntaxat depositionis. *Deposuerũt ergo filij Israel ornatũ suũ à*
*monte Horeb.* CAIETANVS. Iuxta Hebræũ habetur. Et deposuerunt filij Israël ornatũ suum de mõte Choreb. H
Ecce locus superior qui vtpote mons dei, ornatus fuerat à filiis Israël, renuit enim deus perseuerãtiam huius or-
natus, propter cõmissum crimen in eum. AVCTOR CATENAE. Vltra ornatũ suũ, Septuaginta addũt,
Καὶ ἠλώλαρ, Et vestẽ, quibus & Chaldaica conuenit, habens, Ornatum cultus sui, quo infertur, quod iam dictũ est
ornatum suum in luculentis vestibus extitisse. Nam quòd ad aurium spectat ornamentum, parũ fuisset illud de-
posuisse, nisi etiam in dei optimi maximi blasphemiam & contẽptum obtulissent, magna libidine idolatrãdi &
ex mera perfidia. Ornatum etiam huiusmodi depositum diuersi diuersimodè interpretantur, sicut supradictũ est,
*Moyses quoque tollens tabernaculũ, tetendit extra castra procul, vocauitque nomen eius tabernaculum fœderis.* ORDINARIA. Hoc
per prolepsim accipiendum, si de illo tabernaculo accipitur quod Moysi in monte monstratũ est, & fabricatum
præcipiente domino à Beseleel & Oliab. Vel aliud tabernaculum fuit, ad quod iam cõueniebat ad iudicandum.
RVPERTVS. Putaremus vna die quo descendit Moyses de monte, dicta hæc esse vel acta, sed ecce litera re-
pugnat, iam enim tabernaculũ factum est, quod Moyses tetendit extra castra. HVGO DE SANCTO VI- I
CTORE. Prope montem erat tabernaculum, quandiu Moyses morabatur in monte. Et ibi Aaron & Septua-
ginta seniores tractabant de dubiis quæ ferebantur ad eos de castris. Postquam autem populus peccauit, & Moy-
ses descendit, præcepit dominus vt tabernaculum remoueretur à monte Horeb versus populum. Moyses verò
tunc extra castra, non intra, ipsum locauit. Vocauítque nomen eius tabernaculum fœderis. Non modò, sed antè,
vt pro plusquamperfecto perfectum accipiamus. AVCTOR CATENAE. Tetendit extra castra procul.
Ex Hebræo addẽdum esset, A castris. Est enim מִן הַמַּחֲנֶה Min hamachane. Sed Interpres putauit dictionẽ procul
sufficere etiam pro dictis verbis. Sequitur, Vocauítque nomen eius tabernaculum fœderis. Dictionẽ מוֹעֵד Mohed,
aliqui sicut Interpres, aliqui sicut Septuaginta μαρτυρίου, testimonij, aliqui sicut Chaldaica, domus doctrinæ, Quí-
dam cõuentus vel conuentionis, eo quòd constituisset dominus, cõueniséque cum Moyse se illic *visibili* signo
affuturum, responsaq; daturum, Quidam Ecclesiæ interpretati sunt. Non est autem secundum aliquos hic sermo
de magno illo tabernaculo fœderis, vel sancto sanctorum, vel atrio, nõdum enim fabricata erant. Præterea illud K
tabernaculũ non extra castra, sed in medio castrorũ iuxta verbum domini erectũ est, vt Exodi quadragesimo, &
Numeri vndecimo habetur. Sed de tabernaculo Moysi quod posthac cũ aliis figere & erigere nolebat. Nũc enim
extra castra seorsum habitabat secum, vt cõmodiùs visitatione diuina doceretur de regimine populi, & improbę
plebis tumultũ fugere maluit, quã importuniùs ferre. Erat autẽ suum istud tentorium vice prætorij, ideo dicitur
tabernaculũ non domini, sed cœtus vel cõgregationis vbi decidebantur causæ & lites, & doctrina necessaria tra-
debatur. Sunt qui de alio quodã paruo dei tabernaculo dictũ velint, quod & ipsum fuit ad tẽpus cõstructum, in
quo etiã Moyses vocẽ dei excipiebat, donec verũ tabernaculum cum arca & propitiatorio ac aliis instrumẽtis su-
prà cõmemoratis ędificaretur & erigeretur. Hac autem erectione tabernaculi huiusmodi extra castra, admonuit
Moyses Israëlitas quòd & si deus erat ipsis placatus, debebãt tamẽ agnoscere se propter admissum peccatũ indi-
gniores esse, quã vt deus inter ipsos habitaret. Quãuis non desint grauissimi viri, qui nunquã à deo peccatũ illud
fuisse dimissum asseuerẽt, sed tantũ pœnam paulisper esse dilatam propter preces Moysi. Quod si fuit, id vel ma- L
ximè indicat erectio tabernaculi Moysi procul à castris. Alij de ipso magno intelligunt tabernaculo, per occupa-
tionẽ tamen dictum, quia nondũ factum erat. Vel fortassè factũ quidem erat, verũ quo modo factum esset, Moy-
ses nondũ dixerat. *Et omnis populus qui habebat aliquã quæstionem egrediebatur ad habitaculũ fœderis extra castra.* Hebraica li-
tera sic habet וְהָיָה כָּל מְבַקֵּשׁ יְהוָה יֵצֵא אֶל אֹהֶל מוֹעֵד אֲשֶׁר מִחוּץ לַמַּחֲנֶה Vehaia col mebakkes Iehoua, ieze el ohel mo-
hed aser michus lamachane, Et fuit siue & factum est omnis quærẽs, vel vt omnis qui quæreret siue oraret domi-
nũ, egrediebatur vel exiret ad tabernaculũ fœderis, seu testimonij vel cœtus siue cõuentus aut Ecclesiæ, quod ex-
tra castra. Quærere autẽ dominum hoc loco pro cõsulere ponitur. Septuaginta, καὶ ἐγένετο πᾶς ὁ ζητῶν κύριον, καὶ ἐξε-
πορεύετο εἰς τὸ σκηνῆμ ἔξω τ παρεμβολῆς, hoc est, Et factũ est omnis quęrẽs dominum, & egrediebatur in tabernaculũ
extra castra. Quorũ verborum sensum lucidiùs ponit Chaldaica editio, inquiẽs, Et omnis qui quęrebat doctrinã
à facie domini, egrediebatur ad tabernaculum domus doctrinæ, quod erat extra castra. Sed hæc omnia à Latinę
versionis sententia nequaquã discordãt. Vsus nanq; eius tabernaculi quod Moyses procul extra castra tetẽdit fuit, M
vt ibi prædicaretur verbũ dei, ibi exoraretur dominus, & ibi etiã causæ forẽses cognoscerẽtur, ac iuxta sententiam
verbi dei deciderẽtur, quæ sentẽtia vel per Moysen in grauioribus, vel per ordinarios iudices in leuioribus pro-
nunciabatur. Subiungitur deinde quanta pompa, quantáq; maiestate Moyses solitus fuerit in hoc tabernaculum
ingredi. *Cúmque egrederetur* (inquit) *Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspi-*
*ciebántque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.* CAIETANVS. De exitu Moysi ex castris ad tentoriũ est ser-
mo, habitabat enim Moyses in castris cum aliis. Et describitur officium populi eunte Moyse, vt non sequerentur
ipsum, sed starẽt in ostiis tentoriorum suorum, respicẽtes euntẽ illum. AVCTOR CATENAE. Aspicie-
bántq; tergum Moysi. Pro tergum, in Hebræo est אַחֲרֵי מֹשֶׁה Achare Mose, id est, Post Moysen, sed idẽ est. Hoc est,
obseruabant Moysen abeuntẽ, donec intraret tentorium. Egredi igitur Moysen ad tabernaculum, est secundum
aliquos post auditas causas, & reddita responsa in castris apud populũ, redire ad propria, & secum habitare extra
castra



A castra, & cũ domino colloqui. Atque eo ipso honoratior fiebat populo, quo minus præter necessitatem sese vulgo
mobili & tumultuoso immiscebat, idque non ex fastu aliquo & põpa, sed iussu domini, & vt orationi vacaret cõ-
modiùs, & aliquãtò esset quietior. Secundum alios verò, hoc intelligitur, cũ Moyses iret in tabernaculum domi-
ni extra castra de tabernaculo suo (siue esset paruum siue magnum illud) pro cõsulendo dominũ, & dandis respõ-
sis populo, vel eorum quæstionibus dirimendis, vniuersus populus in reuerentiã dei & eius locum tenẽtis Moysi
assurgebat, erectúsque stabat quisque in foribus sui tabernaculi, nec antè audebat assidere, quã ille tentorium do-
mini fuisset ingressus. Deinde confirmat & dominus publico miraculo huius tabernaculi sanctitatẽ. *Ingresso autẽ*
(inquit) *illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebatúrque cũ Moyse cernentibus uniuersis quòd co-*
*lumna nubis staret ad ostium tabernaculi.* Loquebatúrq; cum Moyse, subaudi, dominus, non autẽ columna. Testabatur
enim is coram populo, & aspiciẽte tota Ecclesia dignitatem Moysi, visibili spectro se illi insinuans, quò esset au-
B ctoritate grauior, cernerẽtq; populus verbum Moysi, nõ tam eius esse quàm domini, vt tantò promptiùs & humi-
liùs obsequerentur mandatis. Nil enim Prophetæ populo loqui debent nisi verbum domini. Significabat etiam
hoc signo dominus, se adhuc Israëlitas fauore suo cõplecti, & præsto inter ipsos adesse. Et cùm hoc illi probè in-
telligerent, ac gratitudinem suam quoquomodo possent declamarent, *Stabant ipsi, & adorabant per fores tabernaculorũ*
*suorum.* Non discrepat ab Hebraico vbi legitur, וְקָם כָּל הָעָם וְהִשְׁתַּחֲוּוּ אִישׁ פֶּתַח אָהֳלוֹ Vecham col haham vehista-
chauu is pethach aholo, Surgebãtq; omnis populus, & adorabant, seu incuruabat se vnusquisque ad ostium seu
in foribus tabernaculi sui. Sic habet & Chaldaica, cui & Septuaginta cõsonant, præterquã in verbo ἵστατο, hoc est,
stabat, sed idem sensus est. Debetur ergo (vt vides) prælatis à populo & verbi ministris honor, ipsius dei intuitu,
vnde & dignos se domini ministros gerere debent, ac fideles semper in obsequio dei inueniri, ne propter ipsorũ
insolentiam nomen domini blasphemetur. *Loquebatur autem dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad ami-*
*cum suũ.* AMBROSIVS IN SERMONIBVS. Quadraginta dierum noctiúmq; ieiunio Moyses sanctus *Ser. 27. de*
C meruit cum deo loqui, stare & cõsistere, & de manu eius legis præcepta susc*ipere. Quamuis enim illum ab obtu- *ieiuniis.*
tibus dei cõditio humana subtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diuinitatis cõsortio faciebat.
Hæc enim in nobis virtutum portio dei est, vt ieiunemus frequenter, quoniam semper deus ipse ieiunat. In quo-
cunq; igitur plus operum suorum inesse perspexerit, ipsi magis familiaris, intimus & amicus est. Sicut scriptura
dicit, Et Moyses loquebatur cũ deo facie ad faciem, sicut quis loquitur cum amico suo. Vnde & dominus Iesus
Christus resurrectionis gloriam præcepturus, virtutes suas quadraginta dierum noctiúmque ieiunio dedicauit,
vt ostenderet nõ panem esse vitam hominum. His itaque dierũ quadraginta ieiuniis recõciliatur deus, aperiun-
tur cœli, inferna reserantur. Igitur & nos fratres dilectissimi, ieiunemus continuè & deuotè hoc spatio temporis,
vt propitietur nobis dominus, pateant nobis cœli, inferna contra nos nõ valeant. HIERONYMVS IN MI- *Cap. 7.*
CHEAM. Nolite credere amicis (ait sanctus Propheta) quia omnis amicus supplãtatione supplantat, & qui pro- *Hier. 9.*
pter aliquid est amicus, non tam amicus eius est quem amare se simulat (ab amare quippe amicus dicitur) quàm
D eius rei quam diligit. Interrogatus quidam quid esset amicus, respondit, Alter ego. Quod si Pythagoræorũ nobis
opponitur exemplũ, qui se vades inuicem tyranno dederũt, dicemus nõ generaliter aduersum omnes amicos, &
charitatis affectus, sententiam à deo esse prolatam, nec contra omne tempus, sed de eo super quo Apostolus ait, In *2. Timot. 3.*
nouissimis diebus aduenient tẽpora periculosa, erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, fastidiosi, superbi,
blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, sceleśti, sine affectione, pactum nõ custodientes, delatores, incõti-
nentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, inflati, voluptatum amatores magis quàm dei, &c. Tunc *Matth. 10.*
enim tradet frater fratrem, & pater filium, & mater filiam, & inimici hominis domestici eius. Sed & nũc rara fi-
des est, cũ aliud in labiis, aliud in corde versatur, venenum animi linguæ mella tegunt. Amici diuitum multi, à
pauperibus autem etiam qui videntur esse, discedũt. Vnde dicitur, Si habes amicum, in tentatione posside eum. *Eccle. 6.*
Legi in cuiusdam cõtrouersia, Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficilè seruatur. Scripsit Theophrastus tria
de amicitia volumina, omni eam præferens charitati, & tamen raram in rebus humanis esse cõtestatus est. Est &
E Ciceronis de amicitia liber, quẽ Lęlium inscripsit, in quo illud quod apud nostros præcipitur. Vt sit nobis ami-
cus, quasi vinum vetus, & in suauitate bibamus illud, penè eisdem verbis positum est. Amicitia pares aut accipit,
aut facit, vbi inæqualitas est, & alterius eminentia, alterius subiectio, ibi nõ tam amicitia, quã adulatio est. Vnde
& alibi legimus, sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precãs, Serues (inquit) animæ dimidiũ meæ. No-
lite ergo credere in amicis, id est, his hominib⁹ qui de amicitiis sectãtur lucra. Si vis vera amicitia delectari, esto
amicus dei sicut Moyses, qui loquebatur deo, quasi amicus ad amicũ. Esto amicus, vt Apostoli ad quos saluator *Ioan. 5.*
ait, Iam nõ dicam vos seruos, quoniã seruus nescit quid velit dominus suus, sed dicam vos amicos, quoniã per-
seueraśtis mecũ in omnibus tẽtationibus meis. Delicata est amicitia, quæ amicorũ felicitates & diuitias sequitur.
Istiusmodi homines nõ mihi videntur amicos, sed seipsos diligere. Cõsideremus attẽtiùs verba domini, sed di-
cam vos (inquit) amicos. Reddítq; causas quare illos amicos vocet. Quia perseueraśtis mecũ in tentatione, & nõ
hucusq; stetit, sed in omnibus (inquit) tẽtationibus meis. Euenit quippe interdũ vt qui nobiscum perseuerauit in
F vna tẽtatione, aliis victus recedat. IDEM IN PSALMOS. Putamus parũ esse quod dicitur, Ego seruus domi- *Psal. 133.*
ni sum? Sũma virtus est hoc mereri. Quomodo? Quasi dignitatẽ vendicat qui dicit, Ego seruus Imperatoris sum,
& nemo audet accedere ad seruũ Imperatoris, sic infinita dignitas se dicere esse seruũ domini. Vnde & Apostolus
de seruitute domini gloriatur, & scribit in principio epistolarũ suarũ, Paulus seruus Christi. Et de Moyse dicitur,
Et nõ sicut Moyses famulus meus, cui locutus sum facie ad faciẽ. Videte quid dicat, Cæteris locutus sum in vi-
sione & in ęnigmate, sed nõ sicut Moysi famulo meo, cui locutus sum facie ad faciẽ. Ponam⁹ exẽplum. Dicamus
esse aliquẽ dominum ditissimũ. Iste habet familiã, habet & seruos qui sibi ministrẽt. Nunquid tantã habent fidu-
ciã serui qui in villis sunt, quantã illi qui quotidie ministrãt? Illis magna dignitas est, qui faciẽ vident domini, &
ministrãt ei. Deniq; cæteri serui, qui faciem non vidẽt domini sui, si voluerint aliquid imperrare, cõseruos petũt.
Hoc totũ quare dixi? Dominus noster Iesus habet & ipse multã familiã, habet quasi ad faciẽ suam qui sibi mini-
strant, habet alios in agris. Monachos & virgines ego puto illos esse qui ad faciẽ ministrãt domino suo, seculares

autem

autem qui sunt quasi in agro, de familia sua. Deniq; illi qui sunt in agris, istos postulant vt rogẽt dominũ si quid G necessarium habent. Quantam habent ergo dignitatem, qui quotidie vident faciem domini, tantã habent pœnã, qui negligunt ministerium domini. Solent enim mali serui quando sunt in agris, magis timere dominum quia nõ vident. Si autem quotidie cœperint videre, cõtemnunt, & familiaritas superbiam facit. Et nos igitur nõ debemus de cõsuetudine contemnere bonitatẽ dei nostri. Benedicite ergo dominũ omnes serui domini, qui nõ estis serui peccati, sed serui domini. Omnes serui domini, qui solũ dominum habetis deum. Omnes serui domini, quibus ira nõ imperat, in quibus libido non regnat, in quibus alia peccata nõ regnant, quibus nõ dominantur vitia, illi dominantur à domino. Omnes serui domini. AVGVSTINVS LIBRO IIII. DE SYMBOLO AD

*Cap.3.* CATECHVMENOS. Si nemo hominũ videt deum, quomodo locutus est cũ Moyse os ad os, sicut quis loquitur ad amicum suũ? Irruit quæstio nõ parua. Ait enim dominus, Non quomodo cũ aliis per ænigmata, ita loquar ad Moysen famulũ meum, sed os ad os loquar illi. & subiũxit scriptura quę suprà diximus, quoniã loquebatur Moyses cũ deo os ad os sicut quis loquitur ad amicũ suum. Si os ad os loquebatur cũ eo, & videbat eum, quomodo verũ est illud Apostolicũ, quod nemo deũ vidit vnquã, nec videre potest? Si autẽ videbat cũ Moyses, quid est quod idẽ ipse post paululũ pro magno petit, & dicit, Si inueni gratiã ante te, ostende mihi faciẽ tuã? Et dominus illi, Facies quidẽ mea nõ videbitur tibi, nõ enim videbit quis faciẽ meã & viuet. Vbi est illud quod videbat, & si videbat, cur desiderabat videre quod videbat? Aut quomodo illi negabatur id quod iã demõstrabatur? Exercet ingeniũ quærẽtis. Videbat Moyses deũ non oculis corporeis, sed oculis mẽtis. Et quia lux illa perpetua quod deus est, plus eũ quã cæteros illustrauerat, ideo dictũ est, os ad os loquebatur illi, ac si diceretur, plus omnibus manifestatus est illi. In eo autẽ quod dictũ est, non enim quis poterit videre faciem meã & viuere, ostẽsum est nemi-

*Ioan.1.* H

*Cap.10.* nem his oculis corporeis deũ posse videre. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Quid est quod facie ad faciẽ Moyses cũ deo loquitur, & tamen paulò infrà dominũ obsecrat, vt faciem suã ei ostendat? Sed facies dei cognitio eius est. Cognoscitur autẽ deus per speculũ, cognoscitur per seipsum. Per speculũ hîc, per semetipsum in I cœlo. Speculum verò est illa lux, quã habitat deus: ipse autẽ lux illa, quę ipse est. ORDINARIA. Vel secundũ opinionẽ populi loquitur scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum deo, cũ per subiectã creaturã, id est, per Angelum & nubẽ ei loqueretur & appareret. Nã eius substantiã, nec hominũ, nec Angelorũ sicut est, quisquã

*1.Timot.1.* videre potuit, Vnde dicitur, Regi seculorũ immortali, inuisibili, &c. Et alibi lucẽ habitat inaccessibilẽ. INTERLINEARIS. Aut loquebatur dominus ad Moysen facie ad faciẽ, hoc est, manifesta visione. RVPERTVS. Cũ in hac mortali carne cõsistentibus, videri nõ possit in sua substantia lumen incircunscriptũ, cur sic dictũ est, Loquebatur dominus Moysi facie ad faciẽ, sicut loqui solet, &c. Idcirco videlicet, quia suũ ab illo consilium nõ abscõdebat, & secretorũ suorum eũ faciebat conscium. Quomodo enim loqui solet homo ad amicum suũ? Aperiẽdo vtiq; illi cõsilium suũ, non celãdo illi quæ facturus sit; eo quòd custos sit animi, vnde & amici vocabulũ originẽ sumpsit. Et scimus quia Prophetarum maximus Moyses extitit, sicut dominus de illo testimoniũ perhibet,

*Num.12.* cũ dicit ad Aaron & Mariã, Audite sermones meos, Si quis fuerit inter vos Propheta domini, in visione appare- K bo ei, & vel per somnium loquar ad illũ. At nõ talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.

*Deut.34.* Ore enim ad os loquar ei. Et palã nõ per ænigmata & figuras dominũ videt. Itẽ scriptura dicit, Et nõ surrexit Propheta vltra in Israël sicut Moyses, quẽ nosset dominus facie ad faciẽ in omnibus signis atq; portentis. Igitur quia quod Prophetarũ, scilicet præuidere consilium dei, quod carnalibus siue popularibus sub figuris abscõdebatur, &

*2.2.q.98. ar.3.ad.2.* cęremoniis vmbraticis, quia (inquã) hoc Moysi datũ est; & prioribus Prophetis, rectè sic de illo est dictũ, quia loquebatur ei dominus facie ad faciẽ, quomodo loqui solet homo ad amicũ suum. THOMAS. Sicut Augustinus dicit duodecimo super Genesim ad literã, in Exodo dicitur, Loquutus est dominus Moysi facie ad faciẽ, & paulò pòst subditur, ostẽde mihi gloriã tuã: sentiebat ergo quod videbat, & quod nõ videbat desiderabat, nõ ergo videbat ipsam dei essentiã, & ita nõ immediatè ab eo instruebatur. Quod ergo dicitur quòd loquebatur ei facie ad faciẽ, secundum opinionẽ populi loquitur scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum deo cùm per subiectã creaturã, id est, per Angelum & nubẽ ei loqueretur & appareret. Vel per visionẽ faciei intelligitur quędã L eminens cõtemplatio, & familiaris infrà essentiæ diuinæ visionẽ. CAIETANVS. Non dicit, & videbatur deus facie ad faciẽ (hoc enim negat deus in subiunctis) sed dicit, & loquebatur facie ad faciẽ. Stat enim loqui facie ad faciẽ, & nõ videri faciem loquentis, vt patet de colloquentibus in tenebris. Loquens enim deus facie ad faciem, nõ manifestat seipsum nisi sermone, nec percipitur nisi per modum auditus, si autem *facies eius videretur*, intelligeretur per modum intuitus, & videretur sicuti est. Et ne in dubium vertatur *quid significatur per loqui* facie ad faciẽ, subiungitur explicatio, sicut vir ad sociũ suum. Ergo deum loqui facie ad faciẽ, est deum loqui familiariter, sic enim vir loquitur socio suo. Et hoc ad differentiã locutionis diuinæ ad populum, nam populo locutus est, nõ familiariter, sed cũ maiestate, quãdo dedit decẽ præcepta. Nec dicitur quòd Moyses loquebatur deo sicut vir socio suo, quia licet deus familiarẽ se exhibebat colloquendo, Moyses tamen cũ omni humilitate & reuerẽtia audiebat & loquebatur. AVCTOR CAT. Quod nos habemus facie ad faciẽ, Hebraicè פָּנִים אֶל פָּנִים Panim el panim, dicitur. Iuxta verò Septuaginta, ἐνώπιος ἐνωπίῳ, id est, præsens præsenti: secundũ verò Chaldai- M cam, verbũ ad verbum, quæ omnia eundẽ sensum exprimunt, nempe quòd familiarissimè ac iucundissimè ei loquebatur, siue per aliquã externam formam, siue per internam reuelationem, vel (vt magis creditur) per Angelum in humana specie apparentem, non autem per somnia aut imaginarias visiones, quod declaratur verbis cõtinuò sequentibus, sicut solet loqui homo ad amicum suum, vel cum proximo suo, vt habet Chaldaica. Vtrumque enim significat Hebraica dictio רֵעֶה Rehe, ac etiam socium. Deus enim colloquio suo non terruit Moysen, vt antea populum cùm promulgaret decalogum, non collocutus est cum Moyse, vt tyrannus cũ subdito, aut captiuo, vt carnifex cum dãnato, sed vt amicus cũ amico, quorũ colloquia solent esse iucũdissima. Certè quod dicitur, facie ad faciẽ, nõ potest intelligi, Deum posuisse Moysi ob oculos essentiã suam corporali specie. Sed intelligendũ est de familiaritate colloquij facies enim dei hoc loco significat fauorẽ, gratiã & amicitiã dei. Colloqui igitur facie ad faciẽ, significat familiarissimè & amicissimè colloqui. Colloquiũ igitur Moysi cũ domino, aliud nõ est accipiendum



A accipiendum quàm Angelici ministerij opus, quo de gerendis & prædicandis instruebatur ab Angelo magni cõ- filij, qui & ipsissimum dei verbum aptissimè nominatur, & ipse est deus, quo condita sunt omnia atq; subsistũt. Per quod deus primũ quidem locutus est patribus in Prophetis, nouissimè in carne, verbo carneni facto, & cũ hominibus conuersante. *Cùmque ille reuerteretur in castra minister eius Iosue filius Nun puer, non recedebat de tabernaculo.* INTERLINEARIS. Quia etsi ad necessaria corporis secedebat, statim redibat. Non quòd remaneret in tabernaculo, sed in quolibet loco atrij sibi constituto. CAIETANVS. Duo ex hoc loco habentur, & quòd Moyses habitaturus erat in castris, & nõ extra, in tentorio adunationis, & quòd populus tandiu adorans perseueraret, quandiu duraturum erat colloquium inter deum & Moysen, finito enim colloquio diuino, reuertebatur ad castra Moyses. Et quia isti duo duntaxat (Moyses & Iosue) immunes manifestè fuerant à peccato populi, igitur deus hos duos tantũ admittendos censuit ad tentorium Ecclesiæ. Et appellatur Iosue puer à qualitate innocentiæ qua-

B lis est in pueris, non enim ætate erat puer, qui fuerat dux belli in prælio contra Amalechitas. Sed & eius innocentia tangitur ratio quare eligitur, & manifestatio innocẽtiæ insinuatur, dicendo seruitorem suum, fuerat enim in monte tanquam minister Moysi, expectans eum quando populus fecit vitulum conflatilem, hinc enim notoria erat eius innocentia. AVCTOR CATENAE. Minister eius Iosue filius Nun puer. More Hebraico vocat puerum ministrum, erat enim grandior natu Iosue. Talis huius dictionis acceptio secundo Regum secundo habetur, vbi dicitur, Surgant pueri & ludant corã nobis. Verũ quia antè dictum est minister Moysi, puer hîc accipi potest pro discipulo, seu pro viro innocente ac puro, iuxta quem modum saluator noster post resurrectionẽ dixit Apostolis; Pueri nunquid pulmentarium habetis? In Zacharia quoque Angelus superior ad inferiorem an- *Ioan.1.*

C gelum ait, Curre, & loquere ad puerum istum, videlicet Zachariam Prophetã, qui tunc erat vir senex. Quod autem nos legimus, Nõ recedebat de tabernaculo, & ita est apud Chaldaicam & Septuaginta, Sola Hebraica habẽt, מִתּוֹךְ הָאֹהֶל Mittoch haóhel, hoc est, De medio tabernaculi. Sed idem est. Etenim Moyses Iosue iniunxerat propter reuerentiam sacri loci, & præcipuè propter dei ibi frequenter apparentis & loquẽtis honorem, residere in tabernaculo, vbi is reditum illius præstolans, vacabat interim diuinæ contemplationi.

RVPERTVS. Sed quid hoc est quòd cõtraria vel repugnãtia loqui videtur dominus? Suprà enim dixerat; *Mysticè.* Non ascendã tecum quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdã te in via. Nunc autẽ, Populus duræ ceruicis es. Semel ascendã in medio tui, & delebo te. Sed notanda in sermone diuersitas. Negãdo enim dixit, nõ ascendã tecũ. Affirmãdo, semel ascendã, dixit in medio tui. Nõ parũ differt in verbis aut in sensu, quòd illic tecũ, hîc autẽ in medio tui, dixit. Verbi gratia, Debellator siue aduersarius, cũ ciuitatẽ irruperit, rectè in medio populi ascẽdisse dicitur, cũ populo autem ascendisse non rectè dicitur. Igitur & quod dixit, Non ascendã tecũ, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdã te, & quod iterum ait, Semel ascendã in medio tui, & delebo te, vtrũque admota discretionis lampade peruidendũ est. Non ascendã tecũ dixit. Quare? Ne fortè disperdã te. Tu enim duræ ceruicis populus es, tu puer sensu, tu quasi iuuẽculus lasciuus & indocilis es. Tu animalis homo es, & ea quæ dei sunt non

D percipis, idcirco ponã velamẽ super faciẽ tuã, idcirco non in manifestatione rerum, sed in figuris, & in vmbris loquar ad te, de altitudine mysteriorũ cœlestium. Quare? Ne fortè disperdã te. Tu enim rerum altitudinem non sustineres, sed blasphemares, sed dura ceruice recalcitrares, & ita me ad disperdendũ te prouocares. Quandoq; tamen ita fiet. Semel ascendã, non quidẽ tecum, sed in medio tui, & delebo te. Ascendã (inquam) in medio tui; nam *Baruch.3.* in terra videbor, & cũ hominibus cõuersabor. Et delebo te (inquit) subauditur de libro meo, quẽ scripsi. Nam hoc ad illud respicit, quod suprà Moysi dicenti, aut dimitte eis hanc noxã, aut dele me de libro tuo quẽ scripsisti, qui peccauerit (inquit) mihi, delebo eũ de libro meo. Nec vana cõminatio. Semel enim ascendit, semel humanatus est, semel passus, mortuus est, & resurrexit, & in cœlũ ascendit, & tunc demũ illum populum dura ceruice ascẽsus sui nimis impatientẽ deleuit, cõpleta Prophetia, quæ dicit, Deleãtur de libro viuentiũ, & cũ iustis non scribãtur. De-

E leuit (inquã) id est, non scripsit, & quod scripti esse videbãtur, dicẽdo filios se esse Abrahæ, & habẽdo templũ & al- *Psalm.68.* tare, quasi calami vitiũ absterserit, delendo cũ eis templũ ipsorũ & altare. Itaq; dum quãuis dicãt se Iudæos esse, non sunt Iudæi, sed sunt synagoga Satanæ, planè deleti sunt, deo pro illis aliorũ cõfessorũ nomina scribẽte, aliósq; su- *Apoc.2.*

F scitãte pro illis filios Abrahæ. AVCTOR CAT. Quod igitur dictũ est, semel vel vno momento ascendã in medio tui, & delebo te, quãdo Euãgelij prædicatio relicto illo rebelli populo, atq; ob eius incredulitatem abiecto ad gentes trãsiuit, impletum est. RVPERTVS. Sed & ô magnũ & mirum spectaculũ, magna & mira dispensatio mysteriorum cœlestiũ. Interim dum tabernaculũ cõstituitur, inimicitiæ sunt inter deũ & populum pro reatu vituli, & non antè soluuntur eædẽ inimicitiæ, nisi priùs tendatur tabernaculũ, quod & perinde vocatur tabernaculum fœderis. Diximus suprà de cœlestibus, quorũ secundũ exẽplar, hoc ipsum tabernaculũ factũ est. Quid igi *Heb.8.* tur est hoc, nisi quia dum essent inimicitiæ inter deũ & homines, propter soluẽdas easdẽ inimicitias, tabernaculũ verũ quod fixit deus & nõ homo, ab incarnatione Christi filij dei fieri cęptum est? Proinde valde notandũ quod dicitur, Et omnis populus qui habebat aliquã quęstionẽ, egrediebatur ad tabernaculũ fœderis extra castra, & cęt. Quidnã est, cp tẽditur tabernaculũ extra castra, nisi quòd cœlestia sancta, quorũ Pontifex ac minister Christus est, extra carnales Iudęorum tẽduntur cęrimonias, quas odiuit anima domini, sicut dicit Esaias? Et quid est, quòd o- *Esa.1.*

tergum Moysi filij Israël viderunt. Sed & id quod dicitur, Stabantq; & ipsi, & adorabant per fores tabernaculorũ G
*Hom.13.* suorũ, iuxta historiã, moralẽ sensum legẽtis ędificat. GREGORIVS IN EZECHIELEM. Ibi enim stam⁹,
*3.Reg.17.* vbi mentis oculos figimus. Vnde Helias ait, Viuit dominus, in cuius cõspectu sto. Ibi vtiq; stabat, vbi cor fixerat. Quid est autẽ populum columnam nubis aspicere, & in tabernaculi sui foribus stare atq; adorare, nisi quòd humana mens cũ superiora illa atq; cœlestia vtcunq; in ænigmate conspicit, iam claustra habitationis corporeæ per subleuatã cogitationẽ exit, atq; illum humiliter adorat, cuius & si videre substantiã non valet, iam tamẽ eius potentiam per illuminationẽ spiritus miratur? Et cũ Moyses tabernaculũ ingreditur, eius terga populus aspicit, & in papilionum suorũ ostiis cõsistit, quia cũ sanctus quisq; prædicator alta de deo loquitur, supernę habitationis iam vtcunq; tabernaculũ ingreditur. Cuius prædicationis infirmi quiq; etsi virtutẽ plenè pensare non possunt, tamen velut terga aspiciunt, quia postrema quæ præualent, per intellectũ sequuntur, sed in ipsis quoq; quę minus capere sufficiunt, iam de suis papilionibus quasi exeunt, atq; in ostiis stant, quia & habitacula carnis relinquere, & ad il- H
la æternæ vitæ gaudia quæ audiunt progredi conantur. AVCTOR CATENAE. Stemus igitur & nos in foribus tabernaculorũ nostrorũ (hoc autẽ fit dum adhuc in terreno nostro domicilio huius tabernaculi quod destruetur, viuimus) & adoremus Christũ dominum nostrum, vt cũ hoc tabernaculũ carnis nostræ destructũ fuerit, ædificationẽ habeamus ex deo, domiciliũ non manufactũ, æternũ in cœlis quẽadmodum Paulus ait. STRABVS. Moyses tenet figurã legis. Moysi ergo tergum populus Iudaicus aspiciebat, quia nihil mysticum, nihil spirituale in lege voluit intelligere, sed superficiẽ tantũ literę. Ideo eius facies absconditа erat, id est, vera & mera cognitio. Ingresso illo in tabernaculum, descẽdebat colũna nubis, & stabat ad ostium. Alia trãslatio dicit, ꝙ Moyse volẽte ingredi tabernaculũ opponebat se nubes antè, & prohibebat eũ. Hic autẽ dicitur, quòd illo ingresso loquebatur nubes ante ostiũ cũ eo. Sciẽdum ergo quod aliquã partẽ ingrediebatur, atriũ scilicet, & tunc anteq̃ intraret in tabernaculũ, opponebat se nubes, hoc ergo loco significat eos qui minus sunt perfecti sciẽtia & opere, nec valẽt
*Par.2.c4.5.* intima scripturarũ penetrare. Alibi autẽ quando mediũ nebulæ ingressus est, perfectorũ figurã tenuit, scilicet qui I mysticorũ sensuũ arcana inuestigant. GREGORIVS IN PASTORALI. Sciendũ autẽ quòd prædicatores sancti nõ solũ sursum sanctũ caput Ecclesię, videlicet dñm contẽplando appetunt, sed deorsum quoq; ad mẽbra illius miserando descẽdunt. Hinc Moyses crebrò tabernaculũ intrat & exit, & qui intus in contẽplationẽ rapitur, foris infirmantiũ negotiis vrgetur. Intus dei arcana cõsiderat, foris onera carnaliũ portat. Qui dereb⁹ quoq; dubiis semper ad tabernaculũ recurrit, corã testamenti arca dñm cõsulit, exemplũ proculdubio rectoribus præbens, vt cũ foris ambigunt quid disponãt, ad mentẽ semper quasi ad tabernaculũ redeãt, & velut corã testamenti
*Luc.6.* arca, dnm cõsulant, si de his in quibus dubitãt apud semetipsos intus sacri eloquij paginas requirant. Hinc ipsa veritas per susceptionẽ nostræ humanitatis ostensa nobis, in mõte orationi inhæret, miracula in vrbibus exercet, imitationis videlicet viã bonis rectoribus sternens, vt etsi iam summa cõtemplãdo appetant, necessitatibus tamẽ infirmantiũ cõpatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cũ ad ima proximorũ se misericorditer attrahit, & cũ benignè descẽdit ad infima, valẽter recurrit ad summa. Tales autẽ sese qui pręsunt exhi- K
beant, quibus subiecti occulta quoq; sua prodere non erubescant, vt cũ tentationũ fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentẽ quasi ad matris sinũ recurrãt, & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuidẽt, exhortationis eius solatio ac lachrymis orationis lauent. AVCTOR CAT. Sed & in eo ꝙ ingrediente Moyse tabernaculum colũna nubis descendebat & stabat ante ostiũ, nõne secundũ altiorẽ intelligentiã adumbratur nobis dñs Iesus Christus, qui ingressurus tabernaculum nõ manufactũ, id est, cœlum, susceptus est nube, de quo dicitur,
*Act.1.* Et nubes suscepit eum ab oculis eorũ? Cuius etiã incõprehensibilis diuinitas cum isdẽ ingressus est sacratissimæ
*Luc.1.* virginis vterũ veniens in hunc mũdum, obtenebrata est obscuritate carnis. Propterea Angelus ad ipsam virginẽ dixit, Et virtus altissimi obumbrabit tibi. RVPERTVS. Cumq; (inquit) Moyses reuerteret in castra, minister eius Iosue filiꝰ Nun, puer nõ recedebat de tabernaculo. Reuersio Moysi in castra, lectio legis est sine Euãgelij gratia. Suprà diximus, colloquiũ domini cũ Moyse ad tabernaculi ostiũ cõsonantiã esse legis & gratiæ, ad ingressum veri & cœlestis tabernaculi, quia videlicet vtrũq; recipere vel profiteri oportet eũ, qui ingreditur in tabernaculũ L
fœderis, id est, qui deo per mortẽ filij eius cupit recõciliari. Ergo Moyses quidẽ reuertitur in castra, sed Iosue minister eius non recedit de tabernaculo, quia videlicet lex quidẽ legitur in synagoga, quæ tabernaculo vero nõ appropinquat, sed spiritus legis cũ Christi perseuerat gratia in Euãgelio. Iosue quippe minister Moysi, spiritũ legis in eo quoq; rectè significat, quia populum in eã repromissionis terrã introduxit, quam per *Moysen dominus* eidem populo promisit. Sic etenim litera legis promissiones quidem dei continet, sed nisi per spiritualem legis intelligentiam, promissionibus eisdem nemo dignus effici potest. Legant igitur occidentẽ literam carnales Iudæi, nam spiritus viuificans à tabernaculo cuius pontifex Christus est, non recedit. INTERLINEARIS. Vel Iosue minister Moysi qui à tabernaculo non recedit, Christus est, qui cum Ecclesia sua est vsque ad consummationem seculi, & semper pronunciabatur in lege, quãuis occultus. AVCTOR CATENAE. Nam dominus noster in eo dicitur Moysi minister, quòd minister fuit circuncisionis propter veritatẽ dei ad implẽdas promissiones patrum, & quia factus sub muliere, factus sub lege, non venit eam soluere, sed adimplere. M

3 *DIxit autem Moyses ad dominũ, Præcipis ut educam populũ istũ, & non indicas mihi quẽ missurus es mecũ, præsertim cũ dixeris, Noui te ex nomine, & inuenisti gratiã corã me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciẽ tuã, ut sciã te, & inueniã gratiam ante oculos tuos. Respice populũ tuum gentem hanc. Dixitq; dominus, Facies mea præcedet te, & requiẽ dabo tibi. Et ait Moyses, Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiã in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscũ, ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram? Dixit autẽ dominus ad Moysen, Et uerbum istud quod locutus es faciam. Inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine.*

3 RVPERTVS. Hoc est quod suprà iam dictũ est, quia placatus quidẽ fuerat dominus, ne faceret malũ quod locutus



A locutus fuerat aduersus populũ suũ, & introduceret eos in terrã Chananæorũ, sed nõ etiã placatus fuerat in eo, vt ascenderet cũ eis, & esset deus eorũ, quod est introducere in terram & regionẽ viuentium. Propterea ergo *Dixit Moyses ad Dominum, Præcipis vt educam populũ istum, & nõ indicas mihi quẽ missurus es mecum, præsertim cũ dixeris, Noui te ex nomine, & inuenisti gratiã coram me.* Cùm dicit, pręcipis vt educam populũ istum, subauditur in terrã istam mortuorũ, siue mortalium: & cũ dicit, & non indicas mihi quẽ missurus es mecum, subauditur qui introducat populũ istum in terram viuentium, præsertim cũ dixeris, noui te ex nomine. Quasi consequens sit, vt quòd ipse notus est deo, hoc alios qui dei notitia nõ sunt digni; cõmendare possit. Sic deũ ex ore ipsius pietas humana constringere cupit. Sic enim per aliũ Prophetam idem dominus dicit, Si fuerint tres isti viri in medio eorum, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iu *Ezech.14.*
stitia sua liberabunt animas suas, ipsi soli liberabuntur. Non liberabũt filios neque filias, sed ipsi soli liberabũtur.
HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD TITVM. Non absq; scrupulo transeundum est, quòd *Cap.1.*
B quibusdam Apostolus imprecatus est, vt eis gratia & pax multiplicarentur, in Epistola verò hac, pax & gratia sine multiplicatione sint positæ. Noe vir iustus, & naufrago orbe solus seruatus, non dicitur plures gratias, sed vnã gratiã inuenisse in cõspectu dei. Et Moyses ad dominũ, Si inueni (inquit) gratiã apud te. Et sicubi alibi in persona sanctorũ gratia posita est, quære & inuenies nõ eos gratias inuenisse, sed gratiã. Mercator ille de Euãgelio qui plures habuit margaritas, ad extremũ vnã preciosam reperit, quã de multis margaritis solã emit. Perfectorũ quippe *Matth.13.*
est vnã margaritã & vnũ thesaurũ, omnibus margaritis & totius substantiæ suæ emere cõmercio. Incipientiũ verò & adhuc in itinere positorũ, nedũ vnã & solã, sed plures habere margaritas. AVGVSTINVS. Notandũ *Quæst.153.*
est, quòd prius ipse Moyses dicit hîc deo, Pręsertim cũ dixeris, Noui te ex nomine: siue iuxta alia exemplaria, Scio te præ omnibus, quod illi deꝰ posteaq̃ hoc ipse dixit legitur dixisse, vt infra paulò pòst habetur, ante autẽ nõ legit, vt intelligamus nõ omnia esse scripta, quæ cũ illo deus locutus est, sed diligẽtiùs inquirendũ est in prioribus scripturæ partibus, an verò ita sit. Sed quid est hoc quod dixit deus ad Moysen, quoniã scio te præ omnibus? Nũquid *Quæst.152.*
C ergo deus nouit plus aliqua, & aliqua minus? An secundũ quod dicitur quibusdã in Euãgelio, Non noui vos? Secundũ hanc enim scientiã qua deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia nõ approbat, sicut ars rectè dicitur nescire vitia, cũ improbat vitia, præ omnibus deus Moysen sciebat, quia deo præ omnibus Moyses placebat. GREGORIVS IN HOMILIIS. Perfecto viro dicitur, Noui te *Hom.25*
ex nomine, quia homo cõmune omniũ nostrũ vocabulũ est, Moyses verò propriũ cui rectè dicitur, quia ex nomine scitur. Ac si ei apertè dñs dicat, Non te generaliter vt cæteros, sed specialiter scio. IDEM. Deus humiles no *Vbi suprà*
uit atq; approbat, superbos autẽ ignorat. Vnde & quibusdã de miraculorũ virtute superbientibus, in fine dicturus *Hom.40.*
est, Nescio vos vnde sitis. At cõtra Moysi dicitur, Noui te ex nomine. CYRILLVS LIB. II. CONTRA IVLIANVM. Si quis Moysen celebrare velit, longũ & prolixum sermonẽ haberet. Audi enim deũ manifestè dicentẽ, Noui te præ omnibus, & gratiã inuenisti apud me. Multiplicẽ autẽ virtutẽ qua præditus erat, satis manifestè indicat miraculorũ virtus quæ in Aegypto facta sunt. Subditꝰ enim erat vniuersorũ deo, ac ministrabat vltio-
D nem cõtra Aegyptiorũ insanias exigenti. THOMAS. Præcipis vt educas populũ istum, & cætera. Præceptum *1.2.q.90.*
importat applicationẽ legis ad ea quæ ex lege regulantur. Ordo autẽ ad bonũ cõmune qui pertinet ad legẽ, est ap- *ar.2.ad.1.*
plicabilis ad singulares fines, & secundũ hoc etiã de particularibus quibusdã præcepta dantur. IDEM. Prę- *1.36.q.1.in*
sertim cũ dixeris quia noui te ex nomine. Sciendũ quòd deus absq; dubio omniũ vniuersaliũ & singularium cogni- *cor.*
tionẽ habet. Tamẽ circa hanc quæstionẽ diuersi diuersimodè senserunt. Cõmentator enim in vndecimo Metaphysices videtur expresse negare à deo particulariũ cognitionẽ, nisi in quantũ cognoscit essentiã suã quæ est principiũ oĩs esse, sed cũ deus nõ tantũ sit causa esse rerũ, sed omniũ quæ in reb⁹ sunt, oportet vt cognitionẽ rerũ nõ tãtũ in eo ꝙ sunt habeat, sed etiã in eo ꝙ sunt talia vel talia. Et ideo alij dixerũt, scilicet Auicẽna & Algacel & sequaces eorũ, ꝙ deus cognoscit singularia vniuersaliter, quod sic exponunt per exẽplũ. Si aliquis sciret oẽs distãtias orbiũ & planetarũ & tẽpus motuũ ipsorũ, ipse præuideret omnẽ Ecclipsim quæ posset cõtingere, nõ tamẽ sciret hãc Ecclipsim, inquantũ est hæc Ecclipsis, nisi per aliquid à sensu acceptũ, sed sciret Ecclipsim quæ cras cõtingeret vni
E uersaliter, scilicet secundũ suas causas vniuersales. Ita etiã dicunt quòd cũ omnes causæ reducãtur in ipsum deũ sicut in causam, ipse cognoscẽdo se, cognoscit oẽs causas secundas, & cognoscẽdo causas illas cognoscit omne ꝙ est effectũ ex illis causis, nõ tamẽ nisi vniuersaliter. Et ideo dicũt quòd deus nõ cognoscit particularia nisi vniuersaliter. Ita vt secundũ eos determinatio accipiatur ex parte cogniti, & nõ solũ ex parte cognoscẽtis, quia si solũ ex parte cognoscẽtis illa determinatio acciperet, verũ indubitãter esset ꝙ deus particularia nõ particulari sciẽtia cognoscit, vt suprà ꝓbatũ est. Cognoscit tamẽ particularia secundũ particularitatẽ ipsorũ. Vnde dictũ illud etiã est insufficiens. Cognoscere enim hoc modo singulare in vniuersali, nõ est cognoscere ꝓpriã naturã huius singularis vel illius, eo ꝙ quocũq; modo vniuersalia aggregẽtur, nunq̃ ex eis fiat singulare, nisi per hoc ꝙ indiuiduantur per materiã. Et ideo ex hac etiã via sequeret quòd deus non perfectã cognitionẽ de singularibus haberet. Vniuersales enim causę nõ ducũt in cognitionẽ particulariũ, nisi secundũ quòd particularia participãt naturã cõmunẽ, & sic ex causis vniuersalibus nõ sciretur de particulari nisi quòd habet talẽ vel talẽ naturã cõmunẽ vel accidentaliter
F vel substãtialiter. Ideo autẽ alij dixerunt sicut Rabi Moyses, quòd deus scit perfectissimè singularia. Et omnes rationes quæ in contrariũ inducantur soluit per hoc ꝙ dicit scientiã dei esse ęquiuocã sciẽtiæ nostræ, vnde per cõditiones sciẽtiæ nostrę nõ possumus aliquid de sciẽtia dei arguere, sicut enim esse dei nõ cõprehẽditur à nobis, ita nec sua scientia. Hoc cõfirmat per id quod habetur per Esaiã quinquagesimoquinto, Sicut exaltati sunt cœli à ter- *Esa.55.*
ra, & cæt. Sed istud quãuis sit verũ, tamen oportet aliquid plus dicere, videlicet quòd quãuis scientia dei sit alterius modi à scientia nostra, tamẽ per scientiã nostrã aliqualiter deuenimus in scientiã dei, & sic sciẽtia nostra nõ est penitùs vniuoca sciẽtiæ dei, sed potius analogica, vt in prędicti distinctione dictũ est. Et ideo oportet dicere secundũ quid scientia nostra imitatur scientiã dei, & in quo deficit, & quare, & ita rationes dissoluere. Vnde procedendũ est per viã quantũ docet Dionysius septimo capitulo de diuinis nominib⁹. Dicit enim quòd cũ deus cognoscit res per essentiã suam, quæ est causa rerum, eodẽ modo cognoscit res quomodo esse rebus tradidit. Vnde si aliquid est in rebus non cognitũ ab ipso, oportet ꝙ circa illud vacet diuina operatio, id est, quòd nõ sit operatũ

ab ipso,& ex hoc accidit difficultas Philosophis propter duo. Primò quia quidã ipsorum nõ ponebant deũ ope- G
rari immediatè in rebus omnibus,sed ab ipso esse primas res,quib⁹ mediãtibus ab eo aliæ producũtur, & ideo nõ
poterant inuenire qualiter cognosceret res quæ sunt hîc,nisi in primis causis vniuersalibus. Secũdo quia quidam
eorum nõ ponebant materiã esse factam,sed deum agere tantũ inducendo formã. Et ideo cũ materia sit princi
pium indiuiduationis,nõ poterat inueniri apud eos quomodo deus singularia inquantũ huiusmodi cognoscat.
Sed quia nos ponimus deũ immediatè operantẽ in rebus omnibus,& ab ipso esse nõ solũ principia formalia,sed
etiã materiã rei,ideo per essentiã suã sicut per causam,totũ quod est in re cognoscit,& formalia & materialia,vn
de nõ tantũ cognoscit res secundũ naturas vniuersales,sed secũdũ quod sunt indiuiduatę per materiã, sicut ędifi
cator si per formã artis cõceptã posset perducere totã domũ quantũ ad materiã & formã per formã artis quã ha-
bet apud se,cognosceret domũ hanc & illã,sed quia per artẽ suã non inducit nisi formã,ideo ars sua est solũ simi-
litudo formæ domus. Vnde nõ potest per eã cognoscere hãc domũ vel illã,nisi per aliquid acceptũ à sensu. CA-H
IETANVS. Tanq̃ populo perseuerante in pœnitẽtia,Moyses supplicauit,vt deus ampliore gratia vteretur. Ait
ergo,Præcipis vt educã. Iuxta Hebræũ habetur,Vide. Nõ audet Moyses inchoare orationẽ à petitione effect⁹ cõcu
piti,sed petẽdo vide,hoc est,ad instar meditãtis cõfer ac libra quę subiungo: Tu dicẽs mihi fac ascẽdere populũ
istum,& tu nõ feciſti scire me quẽ mittes mecũ. Duo hæc in primis libranda proponit tanquã sibi inuicẽ minus
cohæreant:dixerat enim deus,quòd mittet Angelum suũ ante eum,sed non manifestauerat quẽ Angelũ missurus
esset,& propterea Moyses verũ proponit,intendens per hæc proponere,quòd gratia nõ est perfecta,& rationabi-
liter proponit,quia cõsueuerunt principes manifestare duci exercitus quẽ cũ eo mittent. Præsertim cũ dixeris,no-
ui te ex nomine,& inueniſti gratiã corã me. Iuxta Hebræũ habetur, Et tu dixisti,noui te in nomine, & etiã inue-
niſti gratiã in oculis meis. Postq̃ proposuit mãdata nõ perfecta,proponit reuelata valde perfecta de ipso Moyse.
Alterũ,noui te in nomine,hoc est,approbaui te nominatim,hoc est,secundũ propria tibi,& hoc ad differentiã po
puli,quẽ nouerat deus,nõ in proprio populi nomine,sed nominibus Abrahæ,Isaac,& Iacob,hoc est,nõ ꝓpriis sed I
alienis meritis. Significat enim per hoc Moyses tãta præditus virtute,vt propriis meritis approbẽt,etiã si nõ esset
filius Abrahę,Isaac,& Iacob,hoc enim significat,dicẽdo in nomine (proculdubio tuo) noui te,& etiã dixisti mihi,
inueniſti gratiã in oculis meis. More enim humanorũ principũ describitur, quòd Moyses erat tam gratiosus co-
ram deo,vt impetraret etiã gratias pro aliis, quẽadmodum gratiosi apud principes mundi huius. AVCTOR
CATENAE. Quod nos legimus,Præcipis vt educã populũ istũ,Hebraicè ita habetur רְאֵה אַתָּה אֹמֵר אֵלַי הַעַל אֶת
הָעָם הַזֶּה Ree atta omer elai hâhal eth haham haze,hoc est, Vide tu dicis ad me, ascendere fac populũ istũ, ita &
Chaldaica. Vertunt alij,Ecce tu dicis ad me,duc populũ istum. Sic & Septuaginta, ἰδοὺ σύ μοι λέγεις, ἀνάγαγε τὸν
λαὸν τοῦτον, Ecce tu mihi dicis,deduc populũ hunc,sed hæc nõ deuiãt à sensu Interpretis. Præsertim cũ dixeris He
braicè est, וְאַתָּה אָמַרְתָּ Veatta amártha, Et tu, siue,Et tamẽ tu dixisti. Vel,Tu quoq; dixisti, Aut dixisti autem. Quæ
idem sunt cum litera nostra. Quod etiã nos dicimus,Noui te ex nomine,& cęt. Hebraicè legitur, יְדַעְתִּיךָ בְשֵׁם וְגַם
מָצָאתָ חֵן בְּעֵינָי Iedaettícha besem, vegam masátha chen behenai, Noui te in nomine seu ex nomine, vel nomina- K
tim,& etiam inueniſti gratiam in oculis meis,siue,sed & gratiã nactus es coram me, Et Hebraismus est, Pro præ
cæteris te elegi,& gratus es mihi. Quod optimè expressêrunt Septuaginta, ὅτι δὲ σε παρὰ πάντας, καὶ χάριν ἔχεις παρ'
ἐμοί, Noui te præter omnes,& gratiã habes apud me. Chaldaica verò, Vocaui te ex nomine,& etiã inueniſti gratiã
coram me,sed sensus idẽ. Moyses ergo causatur differri aduentũ eius quẽ semper dominus mittendũ promitte-
bat. Is autẽ sine dubio Christus dominus est,à seculis promissus Abrahę filiis,Redẽptor & perfectus saluator. Hũc
verò mitti nunc & sæpe precatur Moyses, ob amorẽ & gratiam qua se gratis amari à deo gratus fatebatur, quasi
diceret,Per bonitatẽ tuam qua me indignum & nhil meritum tantoperè amas, & nominatim me tibi seruũ ele-
gisti,oro messiã non differas nimium,sed nunc iam mittas quẽ missurus es, ne imbecillis ego tam rebellis popuի
habenas moderari compellar,& ostendas eum mihi quem sis missurus. Dicunt alij quòd petitio ista Moysi fuit,
quoniam suprà dixerat dominus,Angelus meus præcedet te:& rursus, Mittam præcursorem tui Angelũ, vt eii- L
ciam Chananæum,Et in deductione Israëliticæ plebis vsque ad terram promissionis,dationeq́; & acceptione le-
*Act.7.* *Gal.3.* gis plures Angeli ministerium præbuerunt. Propter quod beatissimus Stephanus ait Iudæis, Accepistis legem in
dispositione angelorum,Et ad Galatas scribit Apostolus,Lex propter transgressionẽ posita est,ordinata per Ange
los in manu mediatoris. Quia igitur dixit Moysi dominus in summa ꝙ mitteret Angelum præcursorẽ, non ta-
men expressêrat in specie quẽ,& quãtæ auctoritatis,cuiusve prędictiæ, ideo hoc in loco istud petiit sibi à domi-
no manifestari. RVPERTVS. Non indicas(inquit)mihi quem missurus es mecum. Ergóne Moysi nõ in-
dicabat deus,quòd missurus esset Christum filium suum,cùm (vt prædictum est) loqueretur ei facie ad faciem,
sicut loqui solet homo ad amicum suum? Sed audi quod sequitur: *Si enim inueni gratiam in conspectu tuo,Ostende mihi*
*faciem tuã vt sciam te,& inueniã gratiam ante oculos tuos. Respice populũ tuũ gentẽ hanc.* Hoc igitur postulat indicari sibi,id est,
populo Israël,cuius personã gerit,cuius causam susceperit,cuius legatione functus, quanta potuit fortitudine ha-
ctenus vsus est,tenendo deũ,dicentẽ,dimitte me,indicari(inquã)populo Israël eum quẽ missurus est, vt cùm ve-
nerit,ostendat illis faciem suam vt videatur manifestè. AMBROSIVS IN PSALMVM. CENTESI-M
MVM DECIMVMOCTAVVM. Morale historię veteris facit nos meminisse debere,quę est de sancto Moy
se qui rogauit eum vt se demonstraret ei, & facie ad faciem eum videret. Norat vtique sanctus vates domini
quòd inuisibilem deum facie ad faciem videre non possit,sed deuotio sancta mensuram supergreditur,& puta-
uit deo etiam hoc esse possibile,vt corporeis oculis faceret id quod est incorporeum comprehendi. Non reprehẽ
sibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atque inexplebilis, quòd dominum suum velut manu tenere,& obtu-
tu oculorum videre cupiebat. Sciebat enim ad imaginem & similitudinem dei factum esse hominem. Quando
enim electus à domino deo est ad populũ liberandũ,impletus est spiritu sapientiæ. Viderat Angelũ illũ & faciem
eius in gloria. Deniq; fulgente eius lumine pauefactus est,& vidit rubum vri & non exuri. Visu cepit fulgorem,
quem miratus accesit,cupiditate & gratia prouocatus, vt diligentiùs fulgorem illum in rubo cõsideraret. Itaq;
si tantũ accepit ardorẽ,tantam subiit cupiditatem cùm angelum vidisset in flãma ignis de rubo, vt licet pauore
apprehensus



A apprehensus cõsiderare non auderet,cõsiderare tamẽ velit, quanto magis vultũ domini corporaliter videre desi-
derabat,dicens intra se,vultum illũ plenum lucis,plenum glorię,plenum virtutis,plenũ diuinitatis quẽ esse dicã?
Non plus possum dicere vel sentire de deo. Cũ enim cõsummauerit homo,tũc incipit,Et cũ finierit,tunc aperiet,
vt scriptũ est,quia incõprehensibilis est dei æterna maiestas. Irritus quidã erat postulationis affectus, sed affectus
probabilis serui,qui vltra naturã suã deuotione progressus,de domini Angelis ęstimabat quantũ in domini vul-
tu plus desideraret,quo cupiditatẽ suã gestiret explere. Nouerat in ipso homine aliã post mortẽ futurã gloriã,aliã
claritatẽ. Sicut enim stella in claritate est,ita & resurrectio mortuorũ. Quæ & si seminatur in corruptione, surgit *1.Cor.15.*
tamẽ in incorruptione,surgit in gloria,surgit in virtute,surgit corpus spiritale. Qui ergo hæc scire poterat,meri-
tò pręsumebat vt vultũ dei videre cuperet,quẽ esset sopitus corporis morte visurus. Talẽ certè etiã formã rece-
perat,talẽ dñs iam probabat,vt nõ distaret ab angelis cœlestis minister & executor oraculi. Et ideo cũ sciret,quia
B angeli pusillorũ quotidie viderent faciẽ patris qui in cœlis est, putauit quòd iam eã videre deberet,tanq̃ oblitus
corporis,& carne deposita,sicut ille qui in corpore adhuc positus cũ raperetur in paradisum,vtrũ in corpore siue
extra corpus raptus esset ad tertiũ cœlũ,nescire se dixit. Sancti enim etiã cũ gerunt corpus,nõ sunt tamẽ in carne,
sed in spiritu,quoniã qui in cupiditate & cõuersatione sunt carnali,deo placere non possunt. Sancti autẽ cõuer-
satione in carne nõ sunt sed in cœlo,sicut Paulus ostẽdit. Et quid dicamus de probabili desiderio vultus diuini?
Homines qui sunt,& si quem nobilem,si quẽ fortem,si quẽ sapientem esse audiunt, tanq̃ supra hominẽ arbitran-
tes cõcupiscunt videre. Procedit Imperator cuius regiæ potestati cõmissa pars est orbis terrarũ, cõcurrũt omnes,
& in tanta multitudine illum solũ aspicere gestiunt,& de fulgore purpuræ plus quiddã esse in vultu imperatoris
existimant. Miraris si dei desiderabilis vultus est,cũ cõformẽ sui hominẽ humanus omnes miratur affectus. Hinc
datur intelligi etiã illud,quod imperatori vnusquisq; nullius reus criminis gestit occurrere. Nã & si crimen ha-
beat conscientia,tegũt illud tamen cordis occulta,dũmodo publico non sit inuolutus reatu, nec sit aliquod eius
C crimen expressum. Deniq; vbi rei aliqui fuerint aduocati,& imperatori se & ipsis iudicibus offerre prohibentur,
quẽadmodum turpes lenonũ meretricumq; personæ,à cõspectu vel iudicis vel imperatoris arcentur, ne turpissi-
morũ visus offendat vultus regij claritatẽ. Qui autẽ bene sibi cõscius est,nullius criminis reus,quasi innocẽs pro-
cedit in mediũ. Ex his ergo sancti Moysi cõprehendamus affectũ videre dei vultũ quasi innocens volebat, velut
quodã vultu conscientiæ desiderabat aperire ei faciẽ mentis internæ. Cognosci plenius gestiebat, & Moyses, &
ipse sanctus Dauid,qui alibi ait,Proba me domine & tenta me. Nõ enim vellet probari,si in se crimẽ agnosceret; *Psalm. 26.*
nec tentari,si passionibus grauibus se sciret obnoxiũ. Liber igitur à peccato,deo se cupidus offerebat. HIERO-
NYMVS IN ESAIAM. Aiunt Hebræi ob duas causas interfectũ Esaiã,quòd principes Sodomorũ & populũ *Cap.1.*
Gomorræ eos appellauerit,& quòd domino dicente ad Moysen,Non poteris videre faciẽ meam,iste ausus sit di-
cere, Vidi dominũ sedentẽ super thronum excelsum & eleuatũ, nõ cõsiderantes quòd faciẽ & pedes dei siue suos,
quia in Hebræo ambiguè legitur,Seraphim,texerint, & media tantũ eius Esaias vidisse se scribat. Homo igitur
D dei faciẽ videre non potest. Angeli autem etiã minimorum in Ecclesia, semper vident faciẽ dei, & nunc in spe- *Matth.18.*
culo videmus & in ænigmate,tunc autẽ facie ad faciẽ,quãdo de hominibus in Angelos profecerimus,& potueri- *1.Cor.13.*
mus cũ Apostolo dicere,Nos autẽ omnes reuelata facie gloriã dei speculantes, in eandẽ imaginẽ transformamur *2.Cor.3.*
à gloria in gloriã,quasi à domini spiritu,licet faciem dei iuxta naturæ suę proprietatem nulla videat creatura, &
tunc mente cernatur,quando inuisibilis creditur. IDEM. Dominus Iesus Christus Paulo dum Ecclesiã cre- *Vbi suprà*
dentium persequitur reuelatus est, Et Apostolo Petro ait,Beatus es Simon Bariona quia caro & sanguis non re- *Cap.65.*
uelauerunt tibi,sed pater meus qui est in cœlis. Hunc quærebat & Moyses loquens deo, Si inueni gratiã apud te *Act.9.*
ostende te mihi manifestè,vt videam te. Maiores diuitias thesauris Aegypti, Christi opprobriũ præstolans, dum *Matth.16.*
retributionem desiderat futurorũ, & inuisibilẽ deum quasi videret, animo cõtemplabatur. De quo & in Psalmis
legitur, Spes omnium finium terræ & in mari longè. Et in Genesi, Ipse erit expectatio gentium. AVGVSTI- *Psalm. 64.*
NVS. Iuxta alia exemplaria,Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo,ostende mihi temetipsum manifestè, vt *Gene.49.*
E videam te,vt sim inueniens gratiã ante te,& vt sciã quia populus tuus est gens hæc. Quod habet Græcus γνωσθῶ, *Quæst.151.*
hoc quidam Latini interpretati sunt manifestè,cũ scriptura non dixerit φανερῶς. Potuit ergo fortasse potiùs dici,
Si inueni gratiã in conspectu tuo ostende mihi temetipsum,vt sciẽter videã te: quibus verbis satis ostẽdit Moy-
ses, ꝙ non ita videbat deũ in illa tanta familiaritate conspectus vt desiderabat videre,quoniã illæ omnes visio-
nes dei quęcunq; mortaliũ prębebãtur aspectibus,& ex quibus fiebat sonus quo mortalis attingeretur auditus,sic
exhibebãtur,assumpta sicut deus volebat specie qua volebat, vt nõ eis ipsa vllo sensu corporis sentiretur diuina
natura,quæ inuisibilis vbiq; tota est,& nullo cõtinetur loco. Et quia in duobus præceptis, hoc est, dilectionis dei
& proximi,tota lex pendet,ideo Moyses in vtroq; desideriũ suũ demonstrabat,In dilectione scilicet dei,vbi ait,
Si inueni gratiam in conspectu tuo,ostende mihi temetipsum manifestè,vt videam te,vt sim inueniens gratiam
in conspectu tuo: In dilectione autem proximi,vbi ait,& vt sciã quia populus tuus est gens hæc. IDEM SE-
CVNDO DE TRINITATE. Quid est hoc quòd in omnibus quæ suprà fiebant Deus videri per substan *Cap.16.*
F tiam putabatur? Vnde à miseris creditus est non per creaturam sed per seipsum visibilis filius dei, & quod intra-
uerat in nebulã Moyses,ad hoc intrasse videbatur,vt oculis quidẽ populi ostenderetur caligo nebulosa,ille autẽ
intus verba dei tanq̃ eius faciẽ contẽplatus audiret. Et quomodo dictũ est,Locutus est dominus ad Moysen facie
ad faciẽ,sicut quis loquitur ad amicũ suũ? Ecce idẽ dicit,Si inueni gratiã ante te, ostẽde mihi temetipsum mani-
festè. Nouerat vtiq; quòd corporaliter videbat,& verã visionẽ dei spiritaliter requirebat. Locutio quippe illa quę
fiebat in vocib⁹,sic modificabatur,tanq̃ esset amici loquentis ad amicũ. Sed eũ patrẽ quis corporeis oculis videt?
Et quod in principio erat verbũ,& verbũ erat apud deũ,& deus erat verbũ,per quod facta sunt omnia, quis cor-
poreis oculis videt? Et spiritũ sapientię quis corporeis oculis videt? Quid est autẽ, Ostende mihi temetipsum ma-
nifestè vt videã te,nisi ostende mihi substantiã tuã? Hoc autẽ si nõ dixisset Moyses, vtcũq; ferẽdi essent stulti, qui
putãt per ea quę suprà dicta,vel gesta sunt,substantiã dei oculis ei⁹ fuisse cõspicuã. Cũ verò hîc apertissimè demõ
stretur,nec desiderãti hoc fuisse cõcessum,quis audet dicere per similes formas quę huic quoq; visibiliter apparue

rant,non creaturã deo seruientem,sed hoc ipsum quod deus est,cuiusq; oculis apparuisse mortalium? IDEM G
*Epist.112.* AD PAVLINAM DE VIDENDO DEVM. Ostende mihi temetipsum.Quid ergo?ille non erat ipse?Si non esset ipse,nõ ei diceret,Ostẽde mihi temetipsum,sed ostende mihi deũ:& tamen si eius naturã substantiamq; cõspiceret,multomin⁹ diceret,Ostẽde mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie qua apparere voluerat,nõ autẽ ipse apparebat in natura propria quã Moyses videre cupiebat.Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Vnde quod respõsum est Moysi, verũ est, quia nemo potest faciẽ dei videre & viuere, id est, nemo potest eũ in hac vita
*1.Ioan.3.* videre viuens sicuti est.Nã multi viderunt,sed quod volũtas elegit, non quod natura formauit.Et illud quod ait sanctus Ioanes, si rectè intelligitur, Dilectissimi filij dei sumus, & nondũ apparuit quid erimus. Scimus quia cũ apparuerit,similes ei erimus,quoniam videbimus eũ sicuti est,nõ sicut homines viderunt quãdo voluit in specie qua voluit, nõ í natura qua in semetipso etiã cũ videret latuit, sed sicut est,quod ab eo petebatur, cũ ei diceretur,
*In sermone de spiritu sancto.* Ostende mihi temetipsum,ab eo qui cũ illo facie ad faciẽ loquebatur.Nõ quia dei plenitudinẽ quisq; nõ solũ ocu H lis corporis,sed vt ipsa mente aliquando comprehendit. CHRYSOSTOMVS. Ostende(inquit) mihi faciem tuã.Vidit quidẽ & Abrahã olim deũ,sed extrinsecùs apud quercũ Mambre.Vidit & Iob, sed extrà per turbinem & nebulas.Vidit & ipse Moyses,sed extrà per cauernã & in petra. Vidit Esaias, sed extrà in throno excelso.Vidit Ezechiel,sed extrà in animalibus oculatis.Vidit & Daniel,sed in visione noctis.Vident deũ & qui nunc apud nos mundi corde,at nõ extrà,sed intrinsecus,sicut filij & hæredes dei, cohæredes autẽ Christi. Etenim prophetiæ spiritus acceperunt omnes qui ante Christũ iusti, non adoptionẽ filiorum.Nondũ enim(inquit Lucas)spiritus sanctus erat in hominibus.Non enim audierant à deo,qui ante Christũ fuerunt, Regnũ cœlorum intra vos est.Non audierunt qui ante Christũ,Veniã ego & pater meus,& mãsionẽ apud vos faciemus. Idcirco dicit vobis qui in eum creditis,Multi prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & audire quæ auditis,& non audierũt.Tantũ fidelibus in nouissimis deus spiritũ suum sanctũ demisit & inhabitauit, & cõuersatus est in nobis.
*Cap.36.* CYRILLVS LIBRO IX. SVPER IOAN. Ostende mihi faciem tuam. Nõ dissimilis petitio Philippi, I quando dixit Iesu,Domine ostẽde nobis Patrẽ & sufficit nobis.Studiosus quidẽ Philippus fuit,sed nõ adeò acutus vt cõmodè atq; aptè quæ sit visio dei posset intelligere.Propterea putabat oculis huius corporis diuinã posse videre naturã,sed manifestè à deo dicitur,Nemo videbit faciẽ meã,& viuet.Nã etsi visus à multis sanctis à scriptura dicatur,nullus tamẽ rectè intelligens,suspicabitur ipsam dei naturã visam fuisse, ꝓpterea & aliter alius vidit.Aliter enim Esaias,aliter Ezechiel,aliter alij viderunt. Vnde oportebat intellexisse Philippũ impossibile, omnino homini oculis corporis substãtiã dei aspicere,nec valde prudẽter,cũ imago & character patris verus adesset primitiuũ quasi nõ adesset,desiderare.Sufficiẽtissimè nãq;,qui Christũ videt,patrẽ videt:ꝓbè enim à fructu arbor cognoscitur vt saluator ait. Quũ ergo visio atq; cognitio filij perfectè sufficiat ad naturã patris cognoscẽdã,superuacaneus forsan Philippi sermo videt.Non tamẽ laude sua priuãdus est,admiratione nãq; cõmotũ dixisse arbitror,Dñe ostende nobis patrẽ,& sufficit nobis.Ac si diceret,oẽs nos gaudij pleno ꝓfitebimur, nec deesse ad beatitudinem quicq; nobis arbitrabimur,si(quod maximè optamus)deũ patrẽ videbimus. Laudãdus ergo est,*qui visionem patris cæteris omnibus rebus anteposuit.* K Hæc quidẽ simpliciora,expressioraq; sunt,curiosiùs autẽ atq; occultiùs illud addemus.Nõ ignoramus scribas ac Pharisæos cæterosq; Iudeorũ principes innumeris Christi signis cõmotos,sic inuidia exarsisse,vt cũ prohibere ne miraculosè ageret nõ possent, ad detrahendum illi versos,multa ad diminuendã illius gloriã prædicasse,modò in principe dæmoniorũ signa fieri ab illo clamantes,modò turbas
*Luc.11.* reprehendẽtes quoniã illũ audirent.Dicebãt enim,dæmoniũ habet, ac furit, cur eũ auditis?Gloriæ igitur Christi
*Ioan.10.* summoperè inuidentes,persuadebãt turbis præuaricationẽ legis Christum odisse, & Moysi toto animo inhærere. Moysen enim dicebant, obuiã deo populũ ab Aegypto ad Sina montẽ eduxisse, ac ostẽdisse eis deum in cacumine montis,& fecisse vt auribus suis verba dei audirent,ita certiores omnes factos esse,verbis dei legẽ esse dictatã. Hunc autẽ præstigiatorem nihil tale vnq; fecisse.Hæc illos ita dicere ac facere inde maximè patet, ꝙ ad cæcumã
*Ioan.9.* natiuitate,cui virtute ineffabili saluator visum largitus est,cũ amaritudine dicebant, Tu illius discipulus es,nos autem Moysi sumus discipuli.Nos scimus quia Moysi locutus est deus,hunc verò nescimus vnde sit.Hanc ratio- L nem non facilè,imò nullo modo confutari posse omnes credebant, qui Iudæis fauebant. Hæc vbiq; clamantes, multos decipiebant,& turbatione cuncta replebant.Cogitauit ergo secum Philippus, omnẽ Iudæorum posse cõtradictionem dissolui,si Christus quoque credentibus in eum,patrẽ ostenderet. Quapropter obsecrat,dicens,Domine ostende nobis patrem,& sufficit nobis.Multis(inquit)modis ô domine ad fidem tuam nos attraxisti,innumerisque signis Iudæorum impudentia repelli potest, sed nihil omnino deerit, si etiam ipse deum patrem nobis ostenderis,hoc enim maximè faciet,vt Iudæorum ora consumere possimus.Non arbitror *longè à mente Philippi occultiore* hoc sensu nos aberrare .Ipse certè ad hæc excogitãda nos inuitauit, quum dicat sufficere sibi deum patrem videre,quasi hoc solùm credentibus deesse videretur:ipse quoque saluator,in sequentibus hoc ferè subaperit,dicens,Verba quæ ego dico vobis,non à me loquor,sed pater in me manẽs,ipse facit opera,quod loco suo
*Cap.36.* latiùs exponemus. GREGORIVS XVIII. MORALIVM. Cur Moyses,qui cum deo facie ad faciem loquebatur , sicut loqui solet homo cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit, Si inueni gratiam M in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifestè, vt videam te ? Certè enim si deus non erat cum quo loquebatur , ostende mihi deum diceret, & non ostende temetipsum. Si autem deus erat cum quo facie ad faciem loquebatur , cur petebat deum videre quem videbat ? Sed ex hac eius petitione colligitur , quia eum sitiebat per incircunscriptæ naturæ suæ claritatem cernere , quem iam cœperat per quasdam imagines videre , vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset , quatenus ei ad æternitatis visionem nulla imago creata temporaliter interesset . Et viderunt ergo patres testamenti veteris dominum , & tamen iuxta Ioannis vocem , Deum nemo vidit vnquam , & iuxta beati Iob sententiam , Sapientia quæ deus est , abscondita est ab oculis omnium viuentium , quia in hac mortali carne consistentibus , & videri potuit per quasdam circumscriptas imagines , &
*Ser.32.* videri non potuit per incircunscriptum lumen æternitatis. BERNARDVS SVPER CANTICA.

Magni patrisfamiliàs seu regiæ maiestatis schema apparere existimo his qui accedentes ad cor altum, de maiori



A de maiori spiritus libertate & puritate cõsciẽtiæ magnanimiores facti,cõsueuerunt audere maiora,inquieti prorsus & curiosi secretiora penetrare,& apprehendere sublimiora,& tentare perfectiora,nõ modò sensuũ,sed & virtutum.Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur qui inducantur in omnẽ plenitudinẽ, nec est omnino in omnibus apothecis sapientiæ,à quo deus scientiarũ dominus arcendos cẽseat, cupidos veritatis, vanitatis nõ conscios.Talis erat Moyses qui audebat dicere deo,Si inueni gratiam in oculis tuis,ostende mihi teipsum,Talis
*Ioan.20.* Philippus qui sibi & suis cõdiscipulis patrẽ flagitabat ostẽdi.Talis& Thomas,qui nisi sua manu tangeret vulnus & fossũ latus,credere recusabat.Pusilla fides, sed de magnitudine animi miro modo descẽdẽs. Talis quoq; Dauid qui & ipse dicebat deo,Tibi dixit cor meũ, exquisiuit te facies mea, faciem tuã domine requiram. Tales itaque magna audent,quoniã magni sunt,& quæ audent obtinent iuxta verbum promissionis ad ipsos quod est istiusmodi,Quemcunque locum calcauerit pes vester,vester erit. Magna siquidem fides, magna meretur : & quatenus
*Deut.11.* B in bonis domini fiduciæ pedem porrexeris,eatenus possidebis. Deniq; Moysi ore ad os loquitur deus, & palã nõ
*Num.41.* per ænigmata & figuras dominũ videre meretur,cũ prophetis aliis tantũ in visione apparere se dicat,& per somnium loqui. Philippo quoq; secũdum petitionẽ cordis sui ostensus est pater in filio , in eo proculdubio quod in
*Ioan.14.* continenti audiuit, Philippe qui videt me , videt & patrem, quia ego in patre,& pater in me est: sed & Thomæ
*Ioan.12.* iuxta desiderium cordis eius palpandũ se præbuit,& voluntate labiorũ eius nõ fraudauit eum. Quid Dauid? Nõ
*Psalm.131.* ne & ipse voto se omnino fraudari significat,vbi ait,non daturũ se somnũ oculis suis, nec palpebris suis dormi-
*Psalm.125.* tationem,donec inueniret locũ domino?Igitur istiusmodi magnis spiritibus, magnus occurrit sponsus, & ma-
*Psalm. 42.* gnificabit facere cũ eis,emittens lucẽ suam & veritatẽ suam, eosq; deducens & adducens in montẽ sanctum suũ,
*Luc.1.* & in tabernacula sua,ita vt dicat qui ciusmodi est,Quia fecit mihi magna qui potens est.Regẽ in decore suo vi-
*Esa.33.* debunt oculi eius præeuntẽ se ad speciosa deserti, ad flores rosarũ & lilia cõualliũ, ad amœna hortorum & irrigua fontiũ,ad delitias cellariorum & odoramenta aromatum,postremo ad ipsa secreta cubiculi. Isti sunt thesauC ri sapientiæ & sciẽtiæ penes sponsum abscõditi,hæc vitæ pascua præparata in refectionẽ animarũ sanctarũ. Beatus vir qui impleuit desideriũ suum ex ipsis. GILLEBERTVS DE HOLLANDIA SVPER CAN- *Serm.6.*
TICA. Non est vna nec simplex nec vniformis visio sponsi. Exultauit Abrahã vt videret diem eius, vidit & gauisus est.Vidit Iacob dominum facie ad faciẽ,& salua facta est anima eius.Vidit Moyses,sed posteriora vidit. Vidit Esaias dominum sedentẽ super soliũ excelsum, Vidit Ezechiel, Vidit Daniel in hominis similitudine,cũ adhuc nondũ hominẽ susceperisset.Sed omnis ante incarnationẽ huiusmodi visio in corporali mõstrata est specie, non in corporis humani veritate.Viderunt Apostoli in ipsa carnis veritate,& palpauerũt & attrectauerũt. Vtriq; tamẽ intus fide deũ viderũt.Dictũ est Philippo,Qui videt me,videt & patrẽ meũ.Quę visio,quia referatur ad fi- *Ioan.14.*
dem,quod adiunctũ est declarat.Non credis quia ego in patre , & pater in me est?Alioquin propter opera credite.Quę enim cõsequentia,vt ad probandũ quòd patrẽ viderit,inducat,quia se viderit, nisi quòd in vtroq; eã voluit visionẽ intelligi quę per fidem fit?Propterea & de credulitate consequẽter adiungit, Nõ creditis quia ego in
D patre,& pater in me est?Alioquin propter opera ipsa credite.Si enim habitat Christus per fidem in cordibus nostris,& si ipsa corda nostra mundantur per fidẽ,cur non & in cordibus nostris videtur per fidẽ?Superiorum verò visionum,quarũ altera facta est in imagine,altera in carne,vtraq; plena est vel iucunditatis vel vtilitatis, sed cũ tertiæ quæ est per fidẽ,seruatur integritas.Nam vt de verbi apparitione quæ in carne erat loquar,præter vitæ verba quæ de ore eius procedebant,quantũ putas virtutis insigne in ipso exteriori renitebat habitu, quàm manifesta eius quæ intus erat dabant indicia oculus, vox, vultus?Deniq; gestus omnis quomodo diuinã spirabat gratiam? Iucunda planè visio illa,sed deũ in homine credenti. Et quidẽ illa quæ prophetis & patribus ante Christi incarnationem facta est,diuinũ quiddã spirabat in apparẽte imagine,quantũ mea sẽ habet fides,inæstimabilẽ delectationem & menti & sensui infundebat cernentis,nec nisi quorũ mundus erat animus, apparebat obtutibus. Nam & post resurrectionẽ in ipsa carnis suæ veritate, nõ nisi testibus præordinatis à deo apparuisse legitur. Felices illi
E custodes,si quibus tamẽ apparet frequẽter & familiariter talis visio,præsertim illa quę est in carnis iam glorificatæ aspectu,qualẽ eum Petrus & Ioanes viderunt in mõte transfiguratũ,sed tamẽ & illa prior non vera, & ista non plena.Nam illa Moyses delectabiliter detentus,non tamẽ cõtentus, ostende mihi(inquit)teipsum:De altera verò ipse dominus,Expedit vobis vt ego vadã,alioquin paracletus non veniet. Bona ergo visio quam paracletus ad- *Ioan.16.*
ueniens inducit, spiritalis est,quia facta intus per spiritum.Denique & spiritus ante faciem nostram Christus dominus.Visio hæc vel in reuelata spiritualiter veritate per intelligentiam,vel in suauitate infusa per gratiã.Nam & hoc ipsum experiri videre est, Gustate (inquit) & videte quoniam suauis est dominus. Suauissima certè hæc *Psalm.33.*
visio, & quamuis futurum iuxta modum nondum plena, vicina tamen, vicina qualitate, non æqualitate. Visio hæc humano non est supposita ingenio, vel proposita studio, etsi aliquando desiderio gratis indulta. Denique nõ est talis quæ intelligentiæ concepta viribus,continuo tenore moram in animi memoria protelare queat. Subitanea est, & sui iuris hæc visio in spiritu vehementer vadens & veniens. Subitanea est & momentanea,repetè veniens,& repentè vadens:& si momentanea est,manent tamen reliquiæ cogitationis tam succensæ,tam serenæ, &
F diem festũ agunt in animo recordantis.Manet quidẽ memoria degustatæ & deglutitæ visionis. Cuius suauitatẽ qui gustare possunt,eructare norunt,& hora hac maximè.Eructat enim bonum verbum cor recenti adhuc incalescens gratia,& feruida meditatio similes effundit sermones. Multum enim intimæ dulcedinis sapit in verbis, & gratissimi sunt sermones qui de gratiarum vbertate prorumpũt. HVGO DE SANCTO VICTO- *2.Cor.ca.12. lect.1.*
RE. Ostende mihi faciem tuam,id est,præsentiam. THOMAS SVPER EPISTOLAS PAVLI.

Sciendum quòd visio dei per essentiam fit per lumen aliquod, scilicet per lumen gloriæ , de quo dicitur in psalmo,In lumine tuo videbimus lumen.Sed aliquod lumen communicatur alicui per modum passionis,alicui verò per modum formæ inhærentis.Sicut lumen solis inuenitur in carbunculo & in stellis, vt forma inhærẽs,id est,cõnaturalis effecta,sed in aëre inuenitur vt forma transiens,& nõ permanẽs,sed transit abeunte sole.Similiter & lumen gloriæ dupliciter menti infunditur.Vno modo per modum formæ cõnaturalis factæ & permanẽtis,& sic facit mentẽ simpliciter beatã.Et hoc modo infunditur beatis in patria.Et ideo dicũtur cõprehẽsores,&, vt ita

dicam,viſores.Alio modo contingit lumen gloriæ mentem humanã ſicut quædam paſsio tranſiens, & ſic mens G
fuit Pauli in raptu lumine gloriæ illuſtrata. Vnde etiam ipſum nomen raptus oſtendit tranſeundo hoc eſſe factum,& ideo non fuit ſimpliciter glorificatus,nec habuit dotem gloriæ, cũ illa claritas nõ fuerit effecta proprietas.Et propter hoc non fuit deriuata ab anima in corpus, neque in hoc ſtatu perpetuo permãſit, vnde ſolũ actum beati habuit in ipſo raptu,ſed non fuit beatus.De Moyſe etiam quòd viderit deum per eſſentiã patet. Nam ipſe à domino petiuit Exodi trigeſimo tertio,Oſtende mihi faciem tuam.Et licet tunc negatum fuerit ſibi, non tamen dicitur, quòd dominus finaliter negauerit ei.Vnde dicit Auguſtinus quòd conceſſum fuit per hoc quòd dicitur Numeri duodecimo,Si quis fuerit inter vos propheta domini,& cęt.Palã enim & nõ per ænigmata videt deum.

CAIETANVS. Si ergo inueni gratiã,& cæt.Iuxta Hebræum habetur, Nunc ſi, obſecro, inueni gratiam in oculis tuis,fac me ſcire nunc viã tuam.Vide diſparitatem literę. In vulgata editione petit,Oſtende mihi faciem tuam:iuxta Hebraicam autem veritatem petit,Fac me ſcire nunc viam tuam.Non petit fac vt ſciam quẽ miſſurus es mecum,ſed longè plus petit: intelligebat ſiquidem Moyſes, quòd iſtę ordinationes antedictæ de Angelo H
mittendo,de tabernaculo extra caſtra locando,& cętera,erant ſecundum merita populi,erant ſecundum preſentem iuſtitiam,& ignorabat quid deus diſpoſuerit ſimpliciter & abſolutè,& hoc cupiebat ſcire,& hoc petit dicendo,fac me ſcire viam tuam.Ac ſi apertiùs dixiſſet,Intelligo viam,ſeu ordinem quem diſpoſuiſti ſecundum merita noſtra,ſupplico vt ſciã viam,hoc eſt,ordinẽ quem diſpoſuiſti ſecundum te, Ordinem enim gubernandi populum,appellat viam.Et quia alius erat ordo gubernationis relatiuè ad merita , alius relatiuè ad diffinitionẽ diuinam abſolutè,& iſte appellatur à Moyſe via tua(vtpotè à te ſolo pendens,non noſtris reſpondens meritis)ideo hunc ordinem petit ſcire.Et in hoc petit non ſeruari modum indicatum & publicatum populo. Vt ſciã te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.Iuxta Hebræum habetur,Et ſciam te, propter quod inueniã gratiam in oculis tuis.Fructus exauditionis manifeſtatur duplex,ita tamẽ quòd primus erit ratio ſecundi.Et eſt ſenſus,quòd ſi manifeſtaueris mihi viam qua ſecundum te diſpoſuiſti ducere populum iſtũ,ſequetur in me hic fructus, videlicet φ I
cognoſcam te,& hinc ſequetur alter,quòd inueniam gratiam in oculis tuis. Humano ſiquidem more alloquitur Moyſes deum,ac ſi alloqueretur regem,Si manifeſtas mihi quid diſponis ſecũdum cor tuum,cognoſcam te(hoc eſt)cognoſcam diſpoſitionem ſeu conditionem animi tui:& animo tuo cognito,exhibebo me morigerũ ac gratioſum in oculis tuis.Quandiu enim homo neſcit qualitatem animi principis, difficile eſt vt exhibeat ſe in omnibus morigerum ac gratioſum in oculis principis:cognita autem natura principis,facilè eſt.Cognoſcitur autem optimè principis natura , manifeſtante ipſomet quid ipſe velit ex ſeipſo, & propterea hoc ordine procedit Moyſes in petitione & fructibus.Reſpice populum tuum gentẽ hanc. Iuxta Hebræum habetur, Et vide quòd populus tuus gens iſta.Secunda petitio eſt,vt deus libret quòd gens iſta non eſt gens alicuius regis,non eſt gens noua deo, ſed eſt populus tuus,vt tui ipſius rationem habeas,ducendo & gubernando hanc. Optimo ad impetrãdum loco vtitur. AVCTOR CATENAE. Si ergo inueni gratiã in oculis tuis, oſtende mihi faciẽ tuam, hoc eſt,ſi gratus tibi ſum,ſicut tu ipſe mihi teſtatus es,da mihi ad horã videre teipſum. Vt ſciam te,id eſt,ſicut es in teipſo K
cognoſcam.Et inueniam gratiam ante oculos tuos.Quod ideo dicitur,non quia iam non eſſet in gratia, cùm ei priùs dictum eſſet,Inueniſti gratiam corã me,ſed propter augmentum gratiæ,in qua ſancti ſemper in hoc mundo proſperari deſiderant,& propter finalẽ in gratia perſeuerantiã.Reſpice populum tuum gentem hãc.Quaſi dicat,clementer intuere ac dirige plebẽ tuam hanc mihi creditam,ad vitia pronã ac labilẽ, propter quod & gẽtem voco eam.Gens enim eſt abſque cõſilio & prudentia, vtinã ſaperent & intelligerent, atq; nouiſsima prouiderẽt. Sed vt clariùs literæ huius veritas pateat, ipſa ſunt Hebraica ponenda הוֹדִיעֵנִי נָא אֶת דַּרְכֶּךָ Hodieni na eth derachécha,Oſtẽde mihi,obſecro,vel notã ſiue ſcire me fac viam tuam. Eſt enim dictio dérech, quæ viam ſignificat. Ita etiam legitur ab omnibus recẽtioribus.Mirum eſt autem,vnde in Latinam verſionẽ venerit,faciem tuam,ſuper qua tot clariſsima virorum ingenia,multa ſcitu digna excuderint.Nec credendũ quòd doctus Interpres abſque magno myſterio diuerſiſsimã Latinam vocẽ ab Hebraica inuexerit.Aliquid ergo occultum fortè hîc innuitur, quod nos pauperis Mineruæ homines lateat.Petit igitur ſecundum Hebræum Moyſes, Oſtẽde mihi viam L
tuam,ſcilicet per quam ducam populum tuum,præſertim cũ tu te elongaueris à populo,& angelum ductorẽ certum non deſtinaris.Sic enim cognoſcã miſericordiam & bonitatẽ tuam, & maximè tibi gratum me eſſe cõprobabis.Non igitur poſtulat videre eius faciem,aut ſubſtantiã,ſed vt oſtẽderet viam qua ituri eſſent,ne in aliquem miſerabilem errorem inciderent.Sed & Septuaginta valde diuerſum tranſtulerunt, Ἐμφάνισόν μοι σεαυτὸν γνωσῶ, ἵνα εἰδῶ σε, Oſtende mihi teipſum manifeſtè,vt videam te.Et fortè hinc factum quòd Latinus Interpres, Faciẽ tuã verterit.Chaldaica etiam viam habet,& non faciẽ,ſed alio diuertit ſenſum,oſtende mihi viã bonitatis tuę.Cõſidera tamen prudẽs lector,num fortè perſiſtat Moyſes in petẽdo viſionẽ Meſsiæ ſub aliis tamẽ verbis. Nam cuilibet notum , Meſsiam ipſum fore deum ſimul & hominem. Dum ergo Latinus Interpres faciem dei nominat, eiuſdem filij dei inuiſibilem diuinitatẽ deſignat.Dum Hebraica veritas,viam dei appellat,eius ſanctiſsimam humanitatẽ ſignificat,per quam via nobis ad patrẽ factus eſt, qui de ſeipſo dicit . Io.14.Ego ſum via,veritas, & vita. Nam & diuo Gregorio teſte,Via dei eſt omnis actio,quã incarnata ſapiẽtia tẽporaliter geſsit. Iũge ergo vtramq; M
literã in vnum,& dic oſtende mihi faciẽ tuam,viam tuã:& dices,deum & hominẽ nobis filiũ tuũ ſaluatorẽ mitte.Quod ſub aliis verbis regius propheta petebat inquiens, Oſtende nobis domine miſericordiã tuã, & ſalutare tuum da nobis. Quẽ ſenſum ex ſubiunctis ſtatim verbis deus ipſe nobis ſubaperit dum reſpõdet, Facies mea prędet te.Quaſi dicat petis & faciẽ & viam,En ipſa facies veniet,& deducet te per viã, Hoc eſt,mittam Meſsiam quem petis,Si quis meliora attulerit,libenter eius acquieſcemus ſentẽtiæ.Nam doctũ alioqui Interpretem,credẽ dum eſt ipſos fuiſſe ſequutũ 70.Interpretes.Sequitur.Reſpice populũ tuũ gentẽ hãc.Hebraicè eſt, וּרְאֵה כִּי עַמְּךָ הַגּוֹי הַזֶּה Vre chi hammécha hagoi haze,Et vide quòd populus tuus eſt gẽs hęc, Id eſt aſpice piis oculis in populũ tuũ, qui te ductore opus habet qui clemẽs & miſericors eſt.Sed hoc idẽ eſt cũ litera noſtra. Septuaginta autẽ ad ſeipſũ Moyſen loquẽtẽ referũt verbũ vide, videlicet, ἵνα γνῶ, ὅτι λαός σου τὸ ἔθνος τὸ μέγα τοῦτο, Et vt ſciam φ populus tuus gens magna eſt.Chaldaica,Vt cognoſcã miſericordiã tuã,vt inueniã gratiã in cõſpectu tuo, notumq; eſt corã te quòd



A quòd populus iſte eſt populus tuus.Per iſtam itaque tuam hanc gentem(inquit Moyſes)quam peculium habes & foues, clementer te obſecro, oſtende qua via & quo ductore populum tuum glorificare velis, & ſaluare electos tuos,& promiſſa complere patribus dudum facta, vt myſteria gratiæ tuæ ſciam , & non tanta macerer anguſtia pro populo tam dureceruico, qui tamen populus tuus eſt, & promiſsiones tenet , quorum eſt prophetia & benedictio per omnia ſecula.Quis hæc tua myſteria non ſummoperè cuperet diſcere,& eis in tot calamitatibus conſolari? *Dixítque dominus , Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* AVGVSTINVS DE ESSENTIA DIVINITATIS. Facies dei eſt cognitio diuinitatis eius ad homines, de qua cognitione ſcriptum eſt,Oſtende *Pſal.79.*
nobis domine faciem tuam & ſalui erimus.Hoc eſt,da nobis cognitionem tuam,quæ cognitio per filium hominis innotuit,ipſo dicente in Euangelio,Nemo nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Aliter verò facies dei ſignificat inuiſibilem eſſentiam diuinitatis filij dei . De qua ipſe ad Moyſen per angelum reſpondens
B ait,Poſteriora mea videbis,faciẽ autem meã videre non poteris. GREGORIVS IN SECVNDO MO- *Cap.10.*
RALIVM. Nos quod amamus reſpicimus,quod verò auerſari volumus,ab eo faciem declinamus. Quid itaque dei facies niſi reſpectus eius gratiæ perhibetur intelligi, quæ eum in repromiſsionis terram feliciter erat introductura? IDEM DECIMOOCTAVO MORALIVM. Per faciem quoque ſolet notitia deſignari. *Cap.2.*
Vnde ſcriptum eſt,Et facies mea præcedet te,id eſt,notitia ducatũ præbebit. CYRILLVS LIBRO TER- *Cap.2.*
TIODECIMO THESAVRI. Sed & facies patris ſpiritus ſanctus appellatur, quoniam oſtendit ipſam eſſentiam dei , vnde eſt , qui manus quoque dicitur propter virtutem omnipotentem quæ ipſi ineſt. INTERLINEARIS. Quod autem & requiem Moyſi promittit , vitam æternam intellige HVGO DE SANCTO VICTORE. Vel requiem, ducendo videlicet in terram promiſsionis. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur,Facies mea ibit,& requieſcere faciam te.Ecce maior gratia, ecce reuocatio ſententiæ, qua dixerat ſe non iturum,ſed angelum duntaxat miſſurum,ecce manifeſtatio vię eius,quòd ipſe ſecundum propriam
C faciem ibit , ſic quòd Moyſes quieſcet , hoc eſt, non erit ſolicitus de euentibus me aſſumente prouinciam eundi.
AVCTOR CATENAE. Hebraicè legitur locus iſte: פָּנַי יֵלֵכוּ וְהֵנִיחוֹתִי לָךְ Panai ielêchu vahanichóthi lach,Facies mea ibit ſeu facies meæ ibunt,& requieſcere faciam te.Hebraiſmus. Quaſi dicat, ego te præcedam, nam ſtatim Moyſes dicit,Si non tuipſe præcedas,& cætera. Ibit igitur facies mea vobiſcum , & ego ipſe ducam vos,quò tibi maior ſit requies.Quod & Septuaginta intellexerunt,vertentes, Αὐτὸς πορεύσομαί σοι, καὶ καταπαύσω σε, Ipſe præcedam te,& requieſcere faciam te.Chaldaica,Maieſtas mea ibit, & requiem dabo tibi. Quæ idem dicunt cum litera noſtra.Poteſt etiam hic verborum eſſe ſenſus, Tu quidem in pace ſuo tempore quieſces , ego verò gratiam meam à populo hoc non ſum auerſurus vnquam , ſed complebo promiſſa multò auguſtiùs, quàm quiſquam cogitare hominum poſsit. RVPERTVS. Vel parum dictum erat , Poterat enim ſubaudiri , ad hoc tantùm facies mea præcedet te,vt eiiciam Chananęum & Amorrẽum,& Ethęum,& Pherezęum,& Euęum, & Iebuſæum,vnde, *Et ait Moyſes,Si non tuipſe præcedas,ne educas nos de loco iſto.* Quia per faciem poterat intelligi an-
D gelus,qui ad eiiciendum Chananæum hominem ſufficeret, ſi (inquit) non tuipſe præcedes, qui ſolus diabolum mundi principem eiicere potes,non educas nos de loco iſto. Quò enim nobis viuere, filióſque procreare, ſi non tuipſe veneris, qui natos ad mortem , ſolus potes ad vitam regenerare? Addit adhuc, *In quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum,vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram?* Ergó ne ad hoc tendit vir manſuetiſsimus tota confractione cordis ſui,vt glorificetur gentium cædibus, & bellorum victoriis? Nempe gloria hæc vana eſt. Igitur illud potiùs fortiſsima prece verſat, vt glorificetur ille populus pro parte electorum à cunctis populis dicentibus quia ſalus ex Iudæis eſt. CAIETANVS. Iuxta *Ioan.4.*
Hebræum habetur,Si non facies tua ambulans.Dixerat deus duntaxat,facies mea ibit,nec explicauerat modum eundi,an videlicet ante eos,vel cum eis,vel poſt eos,aut ſupra eos diſtans, & propterea Moyſes inſtat ſupplicando vt eat cum eis , ſicut promiſerat ante peccatum populi . Et hoc incipit ſignificare dicendo , Si non facies tua ambulans,ſubauditur enim nobiſcum,vt clarè ſubiungitur,ne facias aſcendere nos hinc,potiùs volumus manere in deſerto,quàm aſcendere in terram promiſsionis, facie tua non ambulãte nobiſcum. In quo enim ſcire poterimus,& cætera.Iuxta Hebræum, Et in quo cognoſcetur hîc, quòd inueni gratiam in oculis tuis ego & populus tuus,ſi non in ire tuo nobiſcum?Auget Moyſes orationem à cognitione diuinæ gratiæ,dicendo quòd niſi tu ambules nobiſcum,non cognoſcetur gratia tua erga nos hîc, huiuſmodi enim notitiæ priuatio, diminutiua eſt gloriæ diuinæ inter homines . Vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram . Iuxta Hebræum habetur , Et ſeparati erimus ego & populus tuus ab omni populo qui ſuper facies terræ . Hebraica conſuetudine ea quæ admiranda ſunt, appellantur ſeparata, & propterea hîc ad literam ſignificatur, & erimus mirabiles ab omnibus populis.Aptiſsimè fructus iſte adiũgitur notitiæ ac famæ diuinæ præſentiæ in populo Iſraël,hinc enim (vt rei probauit euentus) admiratus eſt eos , & admiratur vſque hodie geſta legens mundus vniuerſus. AV-
CTOR CATENAE. Si non tuipſe præcedas . Optimè ſenſum ex verbis reddidit Interpres , ſunt enim huiuſmodi in Hebræo אִם אֵין פָּנֶיךָ הֹלְכִים Im en panêcha hólchim,Si non facies tua iuerit , vel præſentia tua ambu-
F lauerit,ſiue,ſi non facies tuæ euntes,ſubaudi nobiſcum.Quaſi dicat Moyſes,Et hoc eſt quod petimus. Alioqui ſi non tuipſe præceſſeris nos, per neminem alium hinc ducemur. Interfice nos omnes potiùs in deſerto iſto , quàm per alium niſi per te ducamur . Septuaginta, Εἰ μὴ σὺ αὐτὸς πόρευσαι μεθ' ἡμῶν, μή με ἀναγάγῃς ἐντεῦθεν, Si tu non ipſe ieueris nobiſcum,ne me deducas hinc.Chaldaica,Si non perrexerit maieſtas tua nobiſcum, ne aſcendere facias nos hinc.Quę idem ſunt cum litera noſtra.Deinde quod ſequitur,In quo enim ſcietur hîc.Demum quod dicitur,Vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram, rectiſsimè redditus eſt locus à docto Interprete : ſunt enim Hebraica in hunc modum וְנִפָּלִינוּ אֲנִי וְעַמְּךָ כִּכֹל הָעָם אֲשֶׁר עַל פְּנֵי הָאֲדָמָה Veniphlínu ani vehammecha micol haham aſer hal pene haadama,Et quoniam verbum phala hîc poſitum,& ſeparare ſeu diuidere, & mirificare vel mirabile facere ſignificat,ſicut Interpres in prima ſignificatione accepit,ita alij in ſecunda ſumpſerunt verterúntque, Et diuidamur ſeu diuiſi erimus vel ſeparabimur ego & populus tuus ab ſeu præ omni populo, aut

ſupra

ſupra omnes populos,qui ſupra faciem terræ,vel in ſuperficie terræ.Vt ſit ſenſus, in quo magis cognoſcetur nos G
tibi gratos eſſe, quàm ſi nobis tuipſe affueris, & ſeparati fuerimus à reliquis gentibus ſpeciali tua cura & protectione?Vertunt alij, Et mirificemur ego & populus tuus, ſiue eximij erimus præ omnibus populis qui habitant in ſuperficie terræ.In quem ſenſum conueniunt & Septuaginta,καὶ ἐνδοξασθησόμεθα παρὰ πάντα τὰ ἔθνη, Et gloriabimur ſuper omnes gentes.Chaldaica vtrumque complexa ſignificatum,habet,Vt fiant nobis miracula, & diuidamur ego & populus ab omni populo qui eſt ſuper faciem terræ. Confitetur igitur hîc ſuam Moyſes & populi fragilitatem, ſiquando præſentia & auxilio domini fuerint deſtituti, qui vt proprio motu non ſunt egreſsi, ſic ſine domino ductore præcedente,& hoſtes profligante,procedere non poterunt,& promiſsionum tãtarum compotes fieri, ac cœptam tueri gloriam tui nominis, & perfectam ſeruitutis euaſionem iactare cum laude.Te verò nobiſcum veniente,nihil verebimur proficiſci quocunque iuſſeris,& patribus promiſſam hæreditatem inuadere non metuemus,omnibus circumiacentibus regnis & populis formidini erimus,omnipotentiæ ac clementiæ H
tuæ teſtes habebimur & erimus,vt ſoli in dei veri cultu digno, & dei noſtri gratioſa præſentia & aſsiſtentia gloriari valeamus, deſtructis omnibus falſorum deorum præſtigiis & erroribus. Non enim in alium finem tantoperè cupio honorem & proſperitatem tui populi,quàm ad tuam gloriam,& ſanctitatis famam,vt nomen tuum ſacroſanctum celebretur vbique & ſemper,ex clariſsimis beneficiis Iſraëli populo tuo exhibẽdis atque exhibitis.

*Dixit autem dominus ad Moyſen,Et verbum iſtud quod locutus es faciam:Inueniſti enim gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine.*

*Cap.21.* CYRILLVS IN IOANNEM LIBRO PRIMO. Ait Ioannes, Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.Neceſſariò vt vetuſtis etiam ſanctis longè maior Emanuel videretur,Moyſi meminit, ad quem à deo dictum eſt, Noui te præter omnes, & gratiam inueniſti apud me. Notiorem autem deo præter cæteros fuiſſe hinc ſcire poſſumus, Si quis Propheta fuerit inter vos, dicit dominus, in viſione apparebo ei,& per ſomnium loquar ad illum.At non talis ſicut ſeruus meus Moyſes, qui in tota domo mea fideliſsimus eſt,ore enim ad os loquor ei,& palàm, non per ænigmata & figuras dominum videt. Quum igitur Moyſes I
antiquioribus ſanctis multò præcelluerit, ſuperiorem eo vnigenitum idcirco oſtendit, vt omnium primus videatur,& gratiam,inquit,pro gratia,quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

*Num.12.*

*Cap.14.* GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Quem ſingulariter redemptor diligit, quem ſingulari dignitate ad perpetuæ hæreditatis poſſeſsionem nutrit,cùm frater eius aſſeritur,ſingulari numero declaratur.Vnde & ad Moyſen quaſi ſingularem amicum dicit,Noui te ex nomine.Hinc eſt quòd de Ioanne in Euangelio dicitur,Hic eſt diſcipulus ille quem diligebat Ieſus. Qui enim omnes diſcipulos valde diligebat, dum hunc diligere dicitur,frater ſingulari numero demonſtratur. IDEM IN SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES. Scire dei approbare eſt,ſed neſcire eſt reprobare.Moyſi nanque dicit,Noui te ex nomine. Et reprobis in fine dicturus eſt,Neſcio vos. INTERLINEARIS. Inueniſti gratiam coram me.Hoc eſt,propriè & ſpecialiter placuiſti mihi. RVPERTVS. Et verbum iſtud quod locutus es faciam. Hoc(inquit) *faciam*,vt glorificeris tu, & populus meus, à cunctis populis qui habitant ſuper terram, quia veſtra eſt adoptio filiorum,& K
gloria,& teſtamentum,& legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, & Chriſtus ex vobis ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula. Hoc modo nunc omnes populi glorificant populum illum,& ita planè gloriam illam gloriam ſuam eſſe faciunt. Inueniſti enim(inquit) gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine.Confirmat hoc deus,quòd paulò ante gemebundus commemorauerat dei famulus,dicendo,Præſertim cùm dixeris,noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Sed quonam ex nomine deus nouit illum? Nunquid ex eo tantùm,quòd filia Pharaonis impoſuit illi,vocans eum Moyſen,dicens,quia de aqua tuli ipſum?Equidem ex iſto quoque nomine neſcire deus non poterat eum, quo & appellare ipſum de rubo dignatus eſt, iterato dicens,Moyſes Moyſes?Sed quid magnum eſt quempiam à deo taliter cognoſci,vel compellari ex nomine?Nempe ita Pharaonem regem Aegypti nominare nouit, compellans etiam illum in Propheta qui per ipſum præfiguratus eſt,Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti draco magne,Et ad eundem principem ſuperbiæ, & eieci te(inquit) L
ô Tyre.Quid ergo magnum eſt deum quempiam taliter ſcire ex nomine? At nunquid in regno eius huiuſmodi vocabulis indigebimus?Igitur cùm dicit teipſum noui ex nomine, ſubaudiendum eſt, dei, quod inuocatum eſt ſuper te.Ex hoc etenim nomine deo notus eſt omnis qui ſcriptus eſt in libro vitæ. Vnde in Apocalypſi de victore dicit, Et ſcribam ſuper eum nomen dei mei, & nomen ciuitatis dei mei nouæ Hieruſalem quæ deſcendit de cœlo à deo meo, & nomen meum nouum. Iſto ex nomine, & Moyſen,& omnem electum *deus agnoſcit* hominem.Sed vnum idẽmque nomen,cùm ſit, quaſi variis literis ſcribitur, vt in alio aurea, *in alio argentea*, *in alio* rurſus purpurea, ſiue candida ſcriptura laudetur, multa quippe ſunt dona nominis domini, neque vni cuncta tribuuntur.Quantum quiſque deum cognoſcit, tantùm in eo fulget nomen domini. Nomen quippe à notione dictum eſt. Et vnum itaque nomen domini eſt, quod ſuper nos ille ſcripſit, & multa ſunt nomina, de quibus idem nos agnoſcit. Hinc eſt quòd pluraliter dicit, In hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

*Exod.2.*

*Ezech.29.*

*Apoc.3.*

*Luc.10.*

HVGO DE SANCTO VICTORE. Et teipſum noui ex nomine. Magnum ſignum eſt dilectionis, quòd rex non negligens ſeruum ſuum, eius proximum nomen cognoſcit, & eo illum ad ſe vocat. Ita hic de deo M
& Moyſe intelligendum eſt,quòd dederat ei deus ſpecialem gratiam præ cæteris,ſicut proprium nomen ſpeciale proprietatem ſignificare habet. THOMAS SVPER EPISTOLAS PAVLI. Si quis diligit deum,& cum charitate ſcientiam habet,hic cognitus,id eſt,approbatus eſt ab eo. Nouit enim dominus qui ſunt eius,ſecunda ad Timotheum ſecũdo. CAIETANVS. Etiam verbum iſtud quod locutus eſt faciam. Ecce plena exauditio.Et ratio ſubditur,quia inueniſti gratiam in oculis meis.Vbi clarè patet,nõ propter Patriarchas, ſed propter Moyſen deum plenitudinem beneficij præſentiæ ſuæ cum populo conceſsiſſe. Et teipſum noui ex nomine. Non ſolùm gratioſus es apud me ad impetrandum pro populo, ſed etiam noui te notitia approbationis in nomine tuo, hoc eſt, in proprio merito tuo. Adinſtar principis loquitur deus poſt magnam gratiam conceſſam ſupplicanti pro aliis, ſubiungentis & nihilominus perſonam tuam magnipendam. AVCTOR CATENAE. Et verbum iſtud quod locutus es faciam,hoc eſt,rem hãc quam tu dixiſti.Quaſi dicat, Ego gradiar cum

*1.Cor.ca.8. lect.1.*



A cum populo hoc vt tu rogas.Et quod ſequitur,Noui te ex nomine, dicunt Hebræi verbum illud magnam præ ſe ferre diuinæ maieſtatis dignationem, id quod & ex Euangelico illo diſcitur verbo, ſenſu tamen oppoſito, Non noui vos,diſcedite à me operarij iniquitatis.Vt in ſumma, inuenire gratiam coram deo, ſit deo gratum & acceptum eſſe: Noſſe verò ex nomine, ſit deo curæ eſſe. Septuaginta habent, καὶ οἶδά σε παρὰ πάντας, hoc eſt, noui te præter omnes. Chaldaica, Et vocaui te ex nomine. Sed idem in ſenſu ſunt cum litera Latina. Exaudiui itaque (ait deus) preces tuas, & gloriam mei nominis propagabo per te & populum iſtum, vt non ſit angulus in toto mundo futurus,qui ignoraturus ſit,& ſanctitatis meę gloriam,& te mihi chariſsimum amicum fuiſſe,& fideliſsimum gẽtis tuæ patronum.Clarificabo nomen tuum ſuper omnes reges & principes,gratiam erga te meam ſancti pariter & prophani admirabuntur omnes in mundo vniuerſo,& collaudabunt.

GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Moyſes autem qui facie ad faciem deum videre dicitur, *Myſticè.*
B & eius faciem ad videndum poſtulare, quid rectiùs deſignat, quàm perfectionem electorum,qui iam ſpeculum *Cap.10.*
illius ſummæ lucis intuentur,ſed tamen ad ipſam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Iſta quidem cognitio lucis, electorum deſideria ſatiare non nouit, ſed excitare: illa verò & ſatiare, & excitare. Nam tam iucunda res eſt,vt ineffabiliter concupiſcatur:& tam plena,vt qui iam ſemper hanc in magno deſiderio viderunt, ſemper ineffabili plenitudine ſatientur.

*Qui ait,Oſtende mihi gloriam tuam.Reſpondit,Ego oſtendam omne bonum tibi,& uocabo in nomine domini coram te, & miſerebor cui uoluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Rurſúmque ait, Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit me homo & uiuet.Et iterum, Ecce(inquit) eſt locus apud me,& ſtabis ſupra petram.Cúmque tranſibit gloria mea,ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea* 4
C *donec tranſeam.Tollámque manum meam,& uidebis poſteriora mea,faciem autem meam uidere non poteris.*

AVCTOR CATENAE. Cùm iam toties bonam domini voluntatem ad ſe audiſſet Moyſes, non ta- 4
men ceſſat reſumere ſubinde eaſdem preces. Non eſt enim batologia in oratione verè fidelis pectoris, ideóque hæc quoque non ſunt vt vana cum nauſea relegenda à piis. CAIETANVS. Vel expertus Moyſes tam ingentem erga ſe diuinam gratiam, accenſus eſt ad ſupplicandum pro eleuatiore viſione diuinorum. *Qui ait,* ſubaudi Moyſes,*Oſtende mihi gloriam tuam.* HIERONYMVS IN MARCVM. Oblitus carnis ſuæ Moyſes, *Cap. vltim.*
poſtulat in vita iſta quod poſt illam ſperamus in futura. THOMAS SVPER ESAIAM. Hîc oportet *Cap.1.*
tria videre. Primò qualiter ſe habeat viſio ad prophetiam. Secundò de modis prophetalium viſionum.Tertiò de differentia propheticæ viſionis ad alias viſiones. Circa primum ſciendum eſt quòd prophetia poteſt habere duplicem interpretationem,ſecundum quod poteſt venire à phanos quod eſt apparitio,vel à for faris.Secũdum
D primam deriuationem dicitur prophetia habens apparitionem de his quæ procul ſunt. Et ſecundum hoc prophetia differt à viſione in modo,quia apparitio dicit relationem viſibilis ad videntem, ſed viſio è conuerſo.Iterum ſe habent ex additione,quia viſio eſt de quibuſcunque,ſed prophetia de his quæ procul ſunt. Dicuntur autem aliqua eſſe procul à cognitione noſtra dupliciter,ſimpliciter, & ſecundum quid.Simpliciter procul ſunt futura contingentia ad vtrũlibet,quorum non poteſt alicui determinata cognitio, nec in ſe nec in ſuis cauſis prouenire.Et de his prophetia propriè eſt ſecundum quid,quæ procul ſunt, quorum cognitio diffugit à cognoſcente ſicut quædam præterita & quædam præſentia, & de his non eſt prophetia ſimpliciter, ſed quo ad neſcientes: ſed ſecundum ſecundam deriuationem, dicitur Propheta quaſi procul fans. Et ſic prophetia addit ſupra viſionem,actum exterioris denunciationis,& viſio erit materialis reſpectu prophetiæ.Circa ſecundum,ſciendum eſt quòd modi prophetalium viſionum diſtinguuntur ſecundum ea in quibus accipitur ſcientia futuri contingentis. Illud autem eſt aut ſpecies facta in ſenſu, & dicitur viſio corporalis, quia ſenſus accipit ſpecies præſentibus
E corporibus,quorum ſunt.Aut eſt ſpecies recepta in imaginatione, & dicitur viſio ſpiritualis, quia primò manifeſtatur in ipſa actus & proprietas ſpiritualiter,quæ eſt cognoſcere rem abſtractam à materia. Aut eſt ſpecies exiſtens tantùm in intellectu, & dicitur viſio intellectualis. Et eſt ſciendum quòd prophetia ſaluatur in iſtis tribus,ſicut totum potentiale in ſuis partibus,cuius natura eſt,quòd ſecũdum perfectam ſuam virtutem eſt in vno, & in aliis eſt quædam participatio & quidam motus illius, ſicut eſt in anima quod eius tota virtus ſaluatur in anima rationali,& ſenſitiua non habet perfectam animæ virtutem, & adhuc minus anima vegetabilis. Propter quod dicit Gregorius quòd plantæ non viuunt per animam, ſed per vigorem. Similiter etiam & corporalis viſio & ſpiritualis vel imaginaria eſt aliquid prophetiæ, ſed non poſſunt dici veræ prophetiæ, niſi addatur viſio intellectualis,in qua eſt completa ratio prophetiæ, Danielis decimo, Intelligentia eius opus eſt in viſione, vnde antecedit,intellexit,quo ad ſermonem ſcilicet Danielis.Viſio autem primò & propriè dicitur de viſione corporali, & quia omnis noſtra cognitio eſt à ſenſu, inter quos viſus potior eſt, & ſubtilitate & vniuerſalitate, quia
F plures rerum differentias oſtendit, Ideo transfertur nomen viſuæ cognitionis ad alias cognitiones interiores. Circa tertium, ſciendum quòd non quælibet viſio intellectualis, eſt viſio Prophetalis. Eſt enim quædam viſio ad quam ſufficit lumen naturale intellectus,ſicut eſt contemplatio inuiſibilium per principia rationis. Et in hac contemplatione ponebant Philoſophi ſummam felicitatem hominis. Eſt iterum quædam contemplatio ad quam eleuatur homo per lumen fidei ſufficientis ſicut ſanctorum in via. Eſt etiam quædam beatorum in patria ad quam eleuatur intellectus per lumen gloriæ videns deum per eſſentiam, inquantum eſt obiectum beatitudinis. Et hoc plenè & perfectè non eſt niſi in patria. Sed quandoque ad ipſam raptim eleuatur aliquis etiam exiſtens in hac mortali vita,ſicut fuit in raptu Pauli,ſecunda Corinthiorum duodecimo,Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim ſiue in corpore, & cætera, vbi dicit gloſſa quòd vidit ſicut illi qui ſunt de tertia Hierarchia. Nulla autem iſtarum eſt viſio Prophetalis, quia ad ipſam nec lumen naturale, nec lumen fidei ſufficit, ſed eleuatur ad ipſam intellectus Prophetæ per lumen gratiæ gratis datæ, quod eſt donũ prophetiæ.Neque enim

attingit

attingit ad videndum deum prout est obiectum beatitudinis, sed prout est ratio eorum quæ pertinent ad dispo- G
sitionem hominum in mundo. Similiter non omnis visio corporalis vel imaginaria dicitur prophetica, sed illa tantùm quæ fit per speciem specialiter diuina virtute ad hoc ordinatam, vt fit in signum alicuius futuri, siue videns, siue alio modo intelligentia accipiat. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Fac videre me nunc honorem tuum. Dicit autem nunc, hoc est, in præsenti vita, ad differentiam speratæ in alia vita felicitatis.

AVCTOR CATENAE. Hebraica lectio est: הַרְאֵנִי נָא אֶת כְּבֹדֶךָ Harèni na eth chebodécha, Fac videre me nunc, seu obsecro, Vel ostende mihi quæso gloriam tuam. Est enim Chabod dictio, quæ honorem & gloriam significat. Sic Septuaginta & Chaldaica. Cupio (inquit Moyses) præ omnibus in mundo bonis & donis, vt videam oculis meis, & in vita mea præsenti, tuam gloriam maximam inter omnes homines propagari, desiderium gentium compleri vt promisisti, vtq; omnes homines ad agnitionem perueniant tui nominis & gloriæ, cùm sis omnium creator & dominus æquè vt noster. Sed tamen omnium maximè volo & obsecro, hunc quem H
tibi elegisti peculiarem populum, gratum fieri tibi & perseuerare, vt in eo & per eum summè glorificeris & confitearis, cùm benefeceris eis, & ipsi tibi tota fidei deuotione adhæserint. Vbi omnia tentat Moyses, quo populum domino iterum reconciliet. Postularat, vt dominus esset lux itineris, vt populum suum clementer aspiceret, nũc autem vt gloriam nominis sui ostendat, maximo cum affectu petit. Vel breuius & literæ conuenientius. Ostende mihi teipsum, sicut videris in gloria tua. Diximus literæ conuenientius, quia subiuncta domini verba hunc esse germanum sensum subindicant, cùm dicit, Non poteris videre faciem meam. Nec enim videbit me homo, & viuet. Ex benignissimis ergo domini verbis diuino amore suprà quàm dici possit accensus Moyses, & mirum immodum de diuina erga se pietate confidens, ausus est petere quod nulli vnquàm hominum (Paulo excepto) videre licuit, dei videlicet maiestatem in sua substantia sicuti est, & à beatis in cœlo videtur & fruitur, in hac mortali vita intueri. Sunt qui hæc Moysi verba ita interpretantur. Rogo vt reueles mihi maiestatem tuam, & ita reueles, vt possim eam extrinsecùs sentire & palpare, ac populo visibilem & palpabilem obtrudere. Nam quòd I
Israël paulò ante tam fœdè à verbo tuo defecerit, hinc adeò accidisse mihi videtur, quia hactenus non viderunt substantiam tuam externa & manifesta maiestate. Quare operæprecium facies, vt nobis ob oculos ponas maiestatem tuam, sicut reipsa est, quo Israëlitæ non audiant tantùm verbum tuum, sed etiam teipsum sensibiliter videant, ac maiestatem tuam manibus, vt ita dicam, palpent. Tametsi enim sæpenumero inculcem eis, quòd sit deus, quòd deo curæ simus, quòd deus præsto nobis adsit in omnibus afflictionibus, quòd seruaturus nos sit in omnibus aduersis, quòd ducturus nos sit incolumes ad terram patribus promissam, atque adeò, quòd quæ verba tuo mandato loquor, Dei verba sint, & affirmem hæc omnia confirmari & certificari per stupenda tua miracula, quæ partim in Aegypto, partim in mari rubro, partim in deserto edidisti, tamen tanta est cæcitas eorum, vt quia te non videant, ac palpent externo sensu, quemadmodum subditus regem suum, aut filius parentem suum videt, existiment vanissima esse, quæ de te prædicantur. Quare nisi fallor, nihil potes nec nobis nec nomini tuo vtilius facere, quàm si explices mihi maiestatem tuam externo sensu comprehensibilem, vt possim eam, quoties K
opus est, Israëlitis ostendere, ac impia loquentibus os obstruere. Quòd Moyses hoc loco agit, idem etiam egit suprà capite tertio: Si dixerint, inquiens, quod est nomen eius, quid dicam eis? His verbis inquirit Moyses manifestam ac carnalem reuelationem diuinæ maiestatis. Et est vulgaris hominum morbus, quòd cùm mentio dei fit, affectent deum ac maiestatem eius externo sensu comprehendere. *Respondit*, subaudi dominus, *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine domini coram te, & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* AVGVSTI-

*Quæst.154.* NVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Cùm dixisset dominus ad Moysen, Ostende mihi gloriam tuam, respondit ei dominus iuxta alia exemplaria, Ego transibo ante te in gloria mea, & vocabo nomine domini in conspectu tuo, & miserebor, cui misertus ero: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Cùm paulò antè dixisset ipse, Antecedam te, siue secundum aliam editionem, Facies mea præcedet te, & requiem tibi dabo. Quod Moyses sic videtur accepisse, antecedam te, tanquam non ei populo qui præsens in itinere futurus esset, & ideo ait, Si non tuipse simul veneris nobiscum, ne me educas hinc, & cætera. Deus au- L
tem neque hoc ei negauit, dicens, Et hoc tibi verbum quod dixisti faciam. Quomodo ergo cùm dixisset ei Moyses, Ostende mihi gloriam tuam, rursus tanquam præcessurus, & non cum eis simul futurus videtur dicere, Ego transibo ante te, siue transibit gloria mea ante te, nisi quia hoc aliud est? Ille quippe intelligitur loqui & dicere, Transibo ante te, de quo dicit Euangelium, Cùm venisset hora vt transiret Iesus de hoc mundo ad patrem, qui transitus etiam pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omnino prophetia est. Ipse enim ante omnes sanctos transiit ad patrem de hoc seculo, parare illis mansiones regni cœlorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum, quoniam transiturus ante omnes, primogenitus à mortuis factus est. Gratiam verò suam in eo ipso valde commendat, cùm dicit, Et vocabo in nomine domini in conspectu tuo, tanquam in conspectu populi Israël, cuius Moyses cùm hæc audiret, typum gerebat. In conspectu enim gentis ipsius vbique dispersæ, vocatur dominus Christus in omnibus gentibus. Vocabo autem dixit, non vocabor, actiuum verbum pro passiuo ponens, genere locutionis inusitato, in quo nimirum magnus sensus latet. Sic enim fortasse significare voluit, seip- M
sum hoc facere, id est, gratia sua fieri, vt vocetur dominus in omnibus gentibus. Quod verò addidit, Et miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Ibi planè expressiùs ostendit vocationem, qua nos vocauit in suum regnum & gloriam, non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Quoniam enim se gentes introducturum pollicebatur, dicens, Vocabo nomine domini in conspectu tuo, commen-

*Rom.13.* dauit se hoc misericorditer facere, sicut Apostolus dicit, Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem dei ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia glorificare deum. Hoc ergo prædictum est, Miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Quibus verbis prohibuit hominem velut de propriarum virtutum meritis gloriari, vt qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim ait, miserebor talibus vel talibus, sed cui misericors fuero, vt neminem præcedentibus bonis operibus suis, misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstraret. Etenim Christus pro impiis



A piis mortuus est. Sed vtrum hoc idem repetere voluerit, cùm addidit, Misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero, vel sicut alij interpretati sunt, cui misericors fuero, an aliquid interfit nescio. Quod enim Græca lingua duobus verbis dictum est ἐλεήσω & οἰκτειρήσω, quod vnum atque idem videtur significare, non potuit Latinus diuersis verbis dicere, sed diuersis modis eandem misericordiam repetiuit. Si autem diceretur, miserebor cui misereor, aut miserebor cui misertus ero, non satis commodè dici videretur, & tamen fortius ille ipse ibi sensus est, quod autem ipsius misericordiæ suæ firmitatem, deus ista repetitione mõstrauit, sicut Amen amen, sicut Fiat fiat, sicut repetitio somnij Pharaonis, pluráque similia, aut in vtrisque populis, id est, Gẽtibus & Hebræis, hoc modo deus prænunciauit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit, Sicut enim vos ali- *Rom.11.*
B quando non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate, sic & ipsi nunc qui non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiam consequantur. Cõclusit enim deus omnes in incredulitate, vt omnium misereatur. AMBROSIVS IN EPISTOLA AD DEMETRIADEM. *Epistol. lib.10. epistola 84*

Quis sine auxilio gratiæ fructum potest afferre iustitiæ? Aut quis audet dicere se à Christo non diuidi, qui Christum in se diffitetur operari? An fortè verendum est ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia per quæ propitiatur deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim spiritu dei iuuatur arbitrium non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserentis medici curata reualescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quærentem esse quæsitam. Quia impletur quotidie quod Esaias propheta prædixit, Quibus non est annunciatum de eo vi- *Esa.52.*
debunt, & qui non audierunt intelligent. Quomodo autem hoc fiat Ioannes Apostolus docet, dicens, Scimus *1.Ioan.5.*
quia ex deo sumus, & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum deum, & simus in vero filio eius. Quod vtique nunc eadem potentia dominus *Matth.28.*
C indesinenter operatur, qui ait, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Vt *Rom.9.*
ergo misericordiam dei quæramus, dei misericordia est qui ait, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero. Vnde mirè per Hieremiam idem dominus manifestat quòd dei gratiam nemo præueniat merito suo. Sed propter dilectionem qua deus diligit, etiam auersos ad misericordiam trahi. Dilectione (inquit) æterna dilexi te, propterea traxi te ad miserationem, quia ædificabo te, & ædificaberis virgo *Hiere.31.*
Israël. Cui sententiæ Ioannes quoque Apostolus cõgruit, dicens, Non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam *1.Ioan.4.*
ipse dilexit nos. Et infra, Nos ergo diligamus, quoniam deus prior dilexit nos. Paulus quoque Apostolus in ea- *2. Timot.1.*
dem est sententia, dicens in epistola ad Timotheum secunda, Collabora Euangelio secundum virtutem dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis ante tempora æterna. Ad Titum etiam scribens docet, Nullo bono hominis merito dei *Tit.2.*
gratiam præueniri. Eramus (inquit) & nos insipientes aliquando, increduli, errantes, seruientes desideriis & vo-
D luptatibus variis, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit abundè in nos per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest à propria hominis voluntate, siquidem nihil rectè faciet, nisi quòd volens egerit, sed vt ad id quòd æquum & vtile est, animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur. Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt possint videre quod non vident, nec tamen non ipsorum est visio quam medicina contulerit, ita in cordibus tardis & hebetibus per spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen nisi ipsarum erit quicquid fulgoris acceperint. Vnde dicit dominus, Ignem veni *Luc.12.*
mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Et idem iubet lucernæ nostræ sint semper ardentes, vt scilicet su-
E perno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere, ac si vigorem eius aliqua turbarit aduersitas, vnde cœpit inflammari, inde poscat igniri. Proinde quia manifestissimè & Prophetica, & Euangelica, & Apostolica doctrina, nec superbos nos vult esse, nec desides, cooperatores nos esse oportet gratiæ dei, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem vigilanter & sobriè subsequamur, nunquam cessantes ab actione gratiarum, quia inter secunda vitæ istius & aduersa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus inde alimur, si stamus, inde subsistimus, si recidimus, inde reparamur: Dicit enim spiritus per *Psal.36.*
Prophetam Dauid, A domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum suam. Non itaque frustra præcipitur vt boni simus, cùm dicitur, Declina à ma- *Hiere.32.*
lo, & fac bonum. Sed nec frustra per Hieremiam dicit dominus. Timorem meum dabo in cor eorum, & visita- *Rom.12.*
bo eos vt bonos eos faciam. Nec superflua erat præceptio Pauli Apostoli ad Romanos, dicentis, Noli vinci à ma- *2.Cor.13.*
lo, sed vince in bono malum: cùm Corinthiis dicat, Oramus autem ad deum, vt nihil *mali faciatis*. In omnibus
F enim monitis dei atque mãdatis, vna eadẽmque ratio est, & diuinæ gratiæ & humanæ obedientiæ. Nec ob aliud vnquam datur præceptum, nisi vt quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium, & literę paginarum quæ ad eruditionem audientium vel legentium deo seruiunt, non carent eius virtute cui seruiunt, & quando id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. CHRYSOSTOMVS IN *Cap.7. Homilia.12.*
EPISTOLAM AD HEBRAEOS. Hîc voluntas nostra est plurimas mutationes excipiens, & nunc quidem istud, nunc autem illud assumens. Et procliuis est ad malitiam, propterea oportet vndique cautelam exhibere nos, ne fortè obdormiscamus: Ecce enim (inquit) non obdormiet, neque obdormiscet, qui custodit Israël, & ne des commotionem pedibus tuis. Non dixit commouearis, sed tu ne des, in nostro arbitrio est dare, & nullo alio. Si enim voluerimus stare firmi, & immobiles, non commouebimur. Quid ergo? Nihil dei est? Omnia quidem dei sunt, sed non ita vt liberum arbitrium lædatur. Si igitur dei sunt (inquit) omnia, quid ergo nos culpamur? Propterea dixi vt liberum arbitrium nostrum non lædatur: In nostro itaque arbitrio est. Oportet nos quippe eli-

pe eligere primùm quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ ab ipso sunt introducit. Non antecedit nostras voluntates G
nisi per excitantem gratiam, ne lædatur liberum arbitrium, cùm autem nos elegerimus, multam tunc introduxit
*Rom.9.* auxiliationem. Et quomodo ergo Paulus inquit, Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est dei? Primùm
quidem non sicut propriam sententiam introduxit, sed veluti ex his quæ proposita erant, hoc collegit, & ex his
quæ ante præmiserat. Dicens enim, Scriptum est, Miserebor cui miserebor, & dicitur igitur, Neque volentis, ne-
que currentis, sed miserentis est dei. Dicis ergo mihi, quid adhuc queritur? Secūdum illud autem est dicendum.
Quia cuius est amplius, totum esse dixit. Nostrum enim eligere tantùm est & velle, dei autem efficere, & ad per-
fectionem perducere: quia ergo illius est amplius, eius dixit esse vniuersum, secundum consuetudinem homi-
num, sic quippe etiam nos facimus. Verbi gratia. Videmus domum bene ædificatam, & dicimus quia totum ar-
tificis est, & tamen non omne opus eius est, sed etiam operariorum, & qui materiam tribuit domui, & aliorum
plurimorum, veruntamen quoniam amplius esse contulit, illius vniuersum opus dicimus, sic etiam & hîc. Ite- H
rum in multitudine, vbi plurimi sunt, omnes esse dicimus, vbi autem pauci, nullum. Sic & Paulus dixit, Neque
volentis, neque currentis, sed miserentis est dei. Adstruit autem hîc duo quædam magna, vnum quidem ne in
superbiam erigamur, siue festines, inquit, non potest tuum esse effectum. Si enim desuper non adueniat adiumen-
tum, omnia in vano erunt. Veruntamen quicquid adeptus fueris eorum ad quæ festinas, manifestum quia cur-
rendo, & volendo adipisceris. Non ergo hoc dixit quoniam in vanum currimus. Sed quid? Quoniam in vanum
currimus, si nostrum esse vniuersum putauerimus, si non plurimam partem deo tribuerimus. Neque enim deus
totum suum esse voluit, ne videatur sine causa nos coronare, neque iterum nostrum, ne in superbiam incida-
mus. Si enim minimam partem habentes, alta sapimus, quid si totius nos operis nostri domini essemus? Multa
quippe deus vt ambitionem nostram recideret fecit. Et adhuc altissima illa manus quantis nos passionibus cir-
cundedit, vt nostram recidat arrogantiam, quantis circumuallauit bestiis? Etenim quando dicunt quidam, quid
hoc, aut cur hoc? contra quod deo placet ista loquuntur. In tanto te timore constituit, & neque sic humilia sapis I
sed si modicam prosperitatem arripias, ad ipsum cœlum pertingis alta sapiendo. Propterea etiam celeres muta-
tiones existunt, & ruinæ, & neque sic corripimur. Propterea mortes frequentes & immaturæ, nos autem veluti
immortales sapimus, vt nunquam morituri. Sic rapimus aliena, & sic ampliora cupimus, vt nunquam reddituri
rationem. Sic ædificamus, tanquam hîc perpetuò permansuri. Et neque dei verbum per singulos dies nobis inso-
nans, neque ipsæ res nos corripiunt. Non est dies, non est hora, in qua non videantur mortui frequenter efferri,
sed omnia sine causa. Duritiam enim nostram nihil mitigat, neque ex alienis calamitatibus meliores effici pos-
sumus, magis autem nolumus. Sed quando soli lugemus, tunc humiliamur. Et si item manum suam porrigat
deus, nos manum nostram erigimus. Nemo diuina sapit, nemo contemnit quæ in terra sunt, nemo ad cœlum
attendit, sed sicuti sues deorsum proni sunt, ad ventrem inclinati, in volutabris deuoluti, sic & plurimi homi-
num deterioribus volutabris se polluunt, & non sentiunt. Melius quippe est luto immundo pollui, quàm pecca-
tis. Qui enim illic polluitur, paruo tempore delauatur, & efficitur similis ei, qui illic non cecidit, qui verò in ba- K
rathrum ceciderit peccatorum, talem pollutionem accipit, quæ aquis non posset dilui, sed quæ multo tempore
opus habeat, & pœnitentia diligenti, & lachrymis, & luctu feruentiore, ampliorêque tempore, quàm in dilectis-
simis nostris solemus ostendere. INTERLINEARIS. Ego ostendam omne bonum tibi, id est, requiem
*Psal.16.* æternam dabo tibi, in qua est omne bonū in visione dei, sicut Psalmista ait, Satiabor cùm apparuerit gloria tua.
Et vocabo in nomine domini coram te, hoc est, ô plebs Iudaica per prædicatores & Apostolos meos in nomine
filij mei, cuius incarnationem prædicabunt, inuocabor. Et miserebor cui voluero, & cætera. Gratuita & sponta-
nea est omnibus dei misericordia, cùm enim miseretur, gratia est: cùm indurari permittit, iustum iudicium est,
quanuis occultum. RVPERTVS. Quia non frustra hoc maximè loco, cùm deum offendisset populus, tali
ordine de videnda gloria domini, Moyses postulasse creditur, Quod postulanti atque dicenti, Ostende mihi
gloriam tuam, respondit, Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine domini coram te, & misere-
bor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit, pro persona sua dicitur illi, & ad illud spectat quod su- L
pra dixerat hîc, Aut dimitte eis hāc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Ac si dicat, Ego
ostendam gloriam meam, ego ostendam omne bonum tibi, non cui vis, non pariter omni populo, pro quo petis,
sed tibi quem ego ex nomine noui, & vocabo in nomine domini coram te, vocabo (inquam) id est, ostendam
eandem gloriam in nomine domini in quo te noui, vocabo vtique coram te, vt videas manifestè, quod nunc
vides per speculum, & in ænigmate, & ex parte cognoscis, & miserebor cui voluero, & clemēs ero in quem mihi
placuerit, quia videlicet nulli quicquam debeo, quoniam omnium pater Adam in me peccauit, & proinde quic-
quid ostendero tibi, vel cuilibet alij, gratiæ est, non debiti. BERNARDVS DE GRATIA ET LIBE-
RO ARBITRIO. Gratia dei liberum nostrum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum, sanat, cùm im-
mutat affectum, roborat vt perducat ad actum, seruat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio o-
peratur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi dein-
ceps cooperetur. Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non sigilla- M
tim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed to-
tum singula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa, sed vt totum in illo, sic totum ex illa.
*Rom.9.* Credimus placere lectori quod à sensu Apostoli nusquam recedimus, & quaquauersum euagetur oratio, in ea-
dem penè ipsius verba frequenter recidimus. Quid enim nostra aliud sonant quàm illud, Ergo neque *volentis,*
*1.Cor.4.* neque currentis, sed miserentis est dei? Quod sanè non ideo dicit, quasi quis velle aut currere possit in vanum,
sed quòd is qui vult & currit, non in se, sed in eo à quo accipit & velle & currere, debeat gloriari. Denique ait,
Quid habes quod non accepisti? Crearis, sanaris, saluaris, quid horum tibi ex te homo? Quid horum *non im-*
*possibile libero arbitrio?* Nec creare qui non eras, nec iustificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resusci-
tare, vt cætera prætermittam bona, quæ aut sanandis necessaria sunt, aut saluandis reposita. Quòd dicimus de
*Rom.10.* primo, patet & vltimo. Sed & de medio nemo dubitat, nisi qui ignorans dei iustitiam, & suam volens cōstituere,

iustitiæ



A iustitiæ dei non est subiectus. Quid enim? Agnoscis creantis potentiam, saluantis gratiam, & sanantis ignoras
iustitiam? Sana me ait, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Iste iustitiam dei agno- *Hiere.17.*
scebat, à quo æquè sperabat tam saluari à peccato, quàm à miseria liberari. Et ideo laudem suam illum, non se
meritò statuebat. Propter hoc Dauid ingeminans, Non nobis (inquit) domine, non nobis, sed nomini tuo da glo- *Psal.113.*
riam, quod vtrāque à deo stolam, & iustitiæ scilicet expectaret & gloriæ. Quis est qui ignorat dei iustitiam? Qui
seipsum iustificat. Quis est qui seipsum iustificat? Qui merita sibi aliunde quàm à gratia præsumit. Cæterùm qui
fecit quod saluaret, etiam dat vnde saluet. Ipse (inquam) merita donat, qui fecit quibus donaret. Quid retribuam *Psal.115.*
(inquit) domino pro omnibus, non quæ tribuit, sed quæ retribuit mihi? Et quod est, & quod iustus est, à deo esse
confitetur, ne si vtrumlibet negaret, vtrumque perderet, amittendo vtique vnde iustus est, & sic damnādo quod
est. Sed si vel tertio loco inuenit quod vicissim rependeret? Calicem (ait) salutaris accipiam. Calix salutaris, san- *Ibidem.*
B guis est saluatoris. Ergo si deest tibi omnino de tuo quod vel secūdis dei donis retribuas, vnde tibi salutem præ-
sumis? Nomen domini (inquit) inuocabo, quod nimirum quicunque inuocauerit, saluus erit. Igitur qui rectè sa- *Rom.10.*
piunt triplicem confitentur operationem, non quidem liberi arbitrij, sed diuinæ gratiæ in ipso, siue de ipso. Pri-
ma creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primò nanque in Christo creati sumus in libertatem vo-
luntatis, secundò reformamur per Christum in spiritū libertatis, cum Christo deinde consummandi in statum
æternitatis. Siquidem quod non erat, in illo creari oportuit, quod erat per formam reformari deformem, mem-
bra non perfici nisi cùm capite. Quod vtique tunc complebitur, cùm omnes occurremus in virum perfectum in *Ephe.4.*
mensuram ætatis plenitudinis Christi, quando apparente Christo vita nostra, apparebimus & nos cum ipsa in *Colos.3.*
gloria. Cùm igitur consummatio fieri habeat de nobis, siue etiam in nobis, non autem à nobis, creatio verò facta
sit & sine nobis, sola quæ nobiscum quodammodo fit propter consensum voluntarium nostrum, in merita nobis
reputabitur reformatio. Ipsa sunt ieiunia nostra, vigiliæ, continentia, operáque misericordiæ, cæteráque virtu-
C tum exercitia, per quæ vtique constat interiorem hominem nostrum renouari de die in diem, dum & intentio
terrenis incuruata curis, de imis paulatim ad superna resurgit, & affectio circa carnis desideria languens, sensim
in amorem spiritus conualescit, & memoria veterum operum turpitudine sordens, nouis bonisque actibus can-
didata indies hilarescit. In his nempe tribus interior renouatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, purita-
te affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam sibi bene conscia memoria enitescit. Verùm hæc cùm
certum sit diuino in nobis actitari spiritu, dei sunt munera. Quia verò cum nostræ voluntatis assensu, nostra *Matth.10.*
sunt merita. Non enim vos estis, inquit, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et Apos- *2.Cor.13.*
tolus, An experimentum eius quæritis, inquit, qui in me loquitur Christus? Si ergo Christus aut spiritus sanctus
loquitur in Paulo, non etiam itidem operatur in ipso? Non enim loquor, ait, quæ per me non efficit deus. Quid *Rom.15.*
ergo? si non Pauli, sed dei loquentis in Paulo, vel operantis per Paulum, & verba sunt & opera, vbi iam Pauli *2.Timot.4.*
merita? Vbi est quod tam fidenter aiebat, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reli-
D quo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex? An in eo confidit for-
tè coronam esse repositam sibi, quòd per ipsum illa fiebant? Sed multa per malos siue angelos, siue homines fiunt
bona, nec tamen reputantur illis in merita. An quia potiùs & cum ipso, hoc est, cum eius bona voluntate fiebant?
Nam si inuitus, inquit, euangelizauero, dispensatio mihi credita est: si autem volens, gloria est mihi. Cæterùm si *1.Cor.9.*
vel ipsa voluntas, de qua omne meritum pendet, ab ipso Paulo non est, quo pacto eam quam sibi repositam præ-
sumit, coronam vocat iustitiæ? An quoniam iustè iam & ex debito requiritur quodcunque vel gratis promitti-
tur? Denique ait? Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare. Dei promissum suum *2. Timot.1.*
appellat depositum, & quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum quidem ex misericor-
dia, sed iam ex iustitia persoluendum. Est ergo quam Paulus expectat, corona iustitiæ, sed iustitiæ dei, non suæ.
Iustum quippe est vt reddat quod debet. Debet autem quod pollicitus est. Et hæc est iustitia de qua præsumit A-
postolus, prōmissio dei, ne si hanc contemnens, suam velit statuere, iustitiæ dei non sit subiectus, cuius tamen
E suæ iustitiæ ipsum deus voluit habere consortem, vt & coronæ faceret promeritorem. In eo enim sibi iustitiæ
consortem, & coronæ statuit promeritorem, cùm operum quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus
est coadiutorem. Porrò coadiutorem fecit, cùm fecit volentem, hoc est, suæ voluntati cōsentientem. Itaque vo-
luntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum. Si ergo à deo voluntas est, & meritum. Nec dubium quin à
deo sit & velle & perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor est meriti, qui voluntatem applicat operi, &
opus explicat voluntati. Alioquin si propriè appellentur ea quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt semi-
naria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa re-
gnandi. Denique quos iustificauit, non quos iustos inuenit, hos & magnificauit. HVGO DE SANCTO *Rom.8.*
VICTORE. Ostendam tibi omne bonum. Hoc erit in futuro in quo visio dei erit vita æterna. Et in præsen-
ti, Vocabo, vel secundum alia exemplaria, Vocabor in nomine domini, scilicet faciam me vocari deum ducem
vestrum ex miraculis quæ faciam. Et si quis causam quærat quare ego hoc faciam, non est alia causa, nisi quia
F volo, & hoc est, Miserebor cui voluero, & cętera. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EPISTO-
LAM AD ROMANOS. Ex his quæ in tempore fiunt, oritur difficultas, quare enim huic magis quàm illi *Quæst.238.*
deus conferat gratiam, solet quæri, cùm sint indifferentes, & neuter possit gratiam promereri, sine qua non potest
saluari. Videtur enim non esse mihi imputandum si non facio quòd sine gratia non possum facere, cùm gratia
non sit collata mihi sed magis illi, qui non confert mihi necessariam gratiam, cùm non possit sine detrimento
suo. Solutio. De gratia diuersi diuersa sentiunt, quidam dicebant deum non posse facere, nisi quod facit. Quod
non esse verum constat. Alij dicunt quòd quoddam seminarium virtutis (quod radicem charitatis vocant) in
isto est, ex quo aptus est vt gratia sibi collata vitam æternam promereatur, quod quia in illo non est, nec charita-
tem nec vitam æternam promereri potest. Sed quia hoc contra Ecclesiam est omnino prætermittatur. Alij dicūt
quòd deus suam gratiam omnibus communiter proponit, quam qui apprehendit saluabitur, qui non apprehen-
dit, damnabitur: velut si quis tibi in turre bonum cibum pręparauerit, & dicat ascende vt cibum capias, sed quia

tu sine

tu ſine ſcala vel aliquo huiuſmodi auxilio aſcendere non potes, idcirco dicunt alia gratia opus eſſe, vt ad illam G
ſuperiorem aſcendas. Item ad illam apprehendendam alia, & ad illam alia, & ſic vſque ad infinitum. Sed hi to-
tum gratiæ attribuunt, & nihil merito relinquunt. Sunt alij qui dicunt gratiam propoſitam etiam porrigendo
homini, vt ipſe eam apprehendat, ſine qua apprehenſa erigi non poteſt, veluti ſi cui exiſtenti in puteo funis de-
mittatur, ſine quo non poteſt à puteo exire, ſi verò manum ad funem porrigat & apprehendat, extrahitur, & ali-
quid ex homine eſt, licet meritum abſque gratia eſſe non poſsit. Sed quia hæc ſententia diuidit inter meritum &
gratiam, quod aliquid boni ſit ibi ex homine, ſaltem quod manum erigit, & funem apprehendit, quod quia ſine
gratia fieri nequit, hæc quoque ſententia cum prædicta eſt cauenda. Poteſt autem dici quòd gratia dei æquè bo-
no & malo, id eſt, prædeſtinato & reprobo proponitur, quam tamen vnuſquiſque non apprehendit, vel trahen-
tem ſequitur, immo ille cui gratiæ radius infunditur, oculos claudit, & ſic radium quo tangitur repellit, vnde &
ipſi meritò gratia ſubtrahitur, quia ipſe ſe ſubtrahit. Eſt enim in gratia quemadmodum in ſolis radio, qui ſe o- H
culo ingerit, quo oculus tactus viſum exercet. Eſt enim oculus talis naturæ, vt per illum viſus exerceatur, ſi ſolis
radio percutiatur, ſine quo viſio non eſt in oculo, niſi tamen talis naturæ eſſet etiam ſi tactus radio non vide-
ret, vt paries vel lapis non videt & ſi radio ſolis perfundatur: ſic anima habet potentiam promerendi naturali-
ter, quam tamen non poteſt exercere, niſi ſplendore gratiæ perfundatur. Cùm verò tangitur, mouetur, & mere-
tur, vnde totum eſt ex gratia, ſic tamen vt non excludatur meritum, veluti ſi puer qui nondum gradi poteſt ab
aliquo ducatur, & graditur quidem, quod tamen per ſe non poſſet, nec etiam alio ducente niſi haberet natura-
lem potentiam gradiendi, tamen totum ex ducente dicitur eſſe quod graditur, ſic ad hoc vt anima promerea-
tur duo exiguntur & gratia & naturalis potentia, tota tamen auctoritas promerendi ſolius eſt gratiæ, quia na-
*Lib.3.ca.63* turalis potentia nil ponit ſine gratia. THOMAS CONTRA GENTILES. Ego oſtendam omne bo-
num tibi. In illa felicitate quæ prouenit ex diuina viſione omne deſiderium humanum impletur, ſecundum il-
lud pſalmi, Qui replet in bonis deſiderium tuum. Et omne humanum ſtudium ibi ſuam conſummationem ac- I
cipit. Quod quidem patet diſcurrenti per ſingula. Eſt enim quoddam deſiderium hominis inquantum intelle-
ctualis eſt, de cognitione veritatis, quod quidem homines conſequuntur per ſtudium contemplatiuæ vitæ. Et
hoc quidem maximè in illa viſione cõſummabitur, quando per viſionem primæ veritatis omnia quę intellectus
naturaliter ſcire deſiderat, ei innoteſcent, vt ex ſupradictis apparet. Eſt etiam quoddam hominis deſiderium ſe-
cundum quod habet rationem qua inferiora diſponere poteſt, quod quidem conſequuntur homines per ſtu-
dium actiuę & ciuilis vitæ, quod deſiderium principaliter ad hoc eſt, vt tota hominis vita ſecundum rationem
diſponatur, quod eſt viuere ſecundum virtutem: cuiuſlibet enim virtuoſi finis in operando eſt propriæ virtutis
bonum, ſicut fortis vt fortiter agat. Hoc autem deſiderium tunc omnino complebitur, quando ratio in ſummo
vigore erit diuino lumine illuſtrata, ne à recto deficere poſsit. Conſequuntur etiam ciuilem vitam quædam bo-
na quibus homo indiget ad ciuiles operationes, ſicut honoris ſublimitas quam homines inordinatè appetentes
ſuperbi & ambitioſi fiunt. Ad ſummam autem honoris altitudinem per illam viſionem dei homines ſubliman- K
tur, inquantum deo quodammodo vniuntur (vt ſuprà oſtenſum eſt) Et propter hoc ſicut ipſe deus rex ſeculorum
eſt, ita & beati ei coniuncti reges dicuntur. Apocalypſis vigeſimo, Regnabunt cum Chriſto. Conſequitur etiam
ciuilem vitam aliud appetibile quod eſt famæ celebritas, per cuius inordinatum appetitum homines inanis glo-
riæ cupidi dicuntur. Beati autem per illam viſionem redduntur celebres, non ſecundum hominum qui decipi
& decipere poſſunt opinionem, ſed ſecundum veriſsimam cognitionem & dei & omnium beatorum, & ideo il-
la beatitudo in ſcriptura ſacra frequentiſsimè gloria nominatur, ſicut in Pſalmo dicitur, Exultabunt ſancti in
gloria. Eſt etiam & aliud in ciuili vita appetibile, ſcilicet diuitiæ, per cuius inordinatum appetitum & amorem
homines illiberales & iniuſti fiunt, in illa autem beatitudine eſt bonorum omnium ſufficientia, inquantum bea-
ti perfruuntur illo quod comprehendit bonorum omnium perfectionem. Propter quod dicitur Sapientiæ ſepti-
mo, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & in Pſalmo dicitur, Gloria & diuitiæ in domo eius. Eſt etiam
tertium hominis deſiderium, quod eſt ſibi & aliis animalibus commune, vt delectationibus perfruatur, quod L
homines maximè conſequuntur ſecundum vitam voluptuoſam, & per eius immoderantiam intemperati &
incõtinentes fiunt. In illa verò felicitate eſt delectatio perfectiſsima, tanto quidem perfectior ea quæ ſecundum
ſenſus eſt, qua & bruta animalia perfruuntur, quanto intellectus eſt altior ſenſu, tanto etiam illud bonum in quo
delectabimur, maius eſt omni ſenſibili bono, & magis intimum, & magis continuè delectans, quanto etiam illa
delectatio eſt magis pura ab illa permixtione contriſtantis aut ſolicitudinis alicuius moleſtantis, de qua dicitur
in Pſalmo, Inebriabuntur ab vberibus domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Eſt etiam naturale de-
ſiderium omnibus rebus commune, per quod conſeruationem ſui deſiderant ſecundum quod poſsibile eſt, per
cuius immoderantiam homines timidi redduntur, & nimis à laboribus ſibi parcẽtes, quod quidem deſiderium
tunc omnino complebitur, quando beati perfectam ſempiternitatem conſequentur ab omni nocumento ſecu-
ri, Secundum illud Eſaiæ quadrageſimo nono, & Apocalypſis vigeſimo primo, Non eſurient neque ſitient am-
plius, neque cadet ſuper illos ſol neque vllus æſtus. Sic igitur patet quòd per diuinam viſionem conſequuntur M
ſubſtantiæ intellectuales veram felicitatem, in qua omnino deſiderium quietatur, & in qua eſt plena ſufficientia
omnium bonorum quæ ſecundum Ariſtotelem ad felicitatem requiruntur. Vnde & Boetius dicit, quòd beati-
tudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus. Huius autem perfectæ & vltimæ felicitatis, in hac
vita nihil eſt adeò ſimile ſicut vita contemplantium veritatem, ſecundum quod eſt poſsibile in hac vita, & ideo
Philoſophi qui de illa felicitate vltima plenam notitiam habere non potuerunt, in contemplatione quæ eſt poſ-
ſibilis in hac vita, vltimam felicitatem hominis poſuerunt. Propter hoc etiam inter alias vias in ſcriptura diui-
na magis contemplatiua commendatur, dicente domino Lucæ decimo, Maria optimam partem elegit, ſcilicet
contemplationem veritatis, quæ non auferetur ab ea. Incipit enim contemplatio veritatis in hac vita, ſed in fu-
tura conſummatur. Actiua verò & ciuilis vita, huius vitæ terminos non tranſcendunt. IDEM IN EPI-
*Cap.9. Lect.3.* STOLAM AD ROMANOS. Miſerebor cui voluero, & clemẽs ero in quem mihi placuerit. Hæc auctoritas



A ritas huiuſmodi eſt ſecundum literam noſtram. Sed Apoſtolus illam induxit ſecundum literam Septuaginta, dicens, Moyſi enim dixit dominus, Miſerebor cui miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor. Vbi ſecundum ſuperficiem literæ omnia bona noſtra dei miſericordiæ adſcribũtur, ſecundum illud Eſaiæ ſexageſimo tertio, Miſerationum domini recordabor, laudem domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis. Et Threnorum tertio, Miſericordiæ domini quòd non ſumus conſumpti, multæ enim ſunt miſerationes eius. Exponitur autem hæc auctoritas in gloſſa dupliciter, & ſecundum hoc ex auctoritate hac dupliciter ſoluitur quæſtio & obiectio. Vno modo ſic, Miſerebor cui miſerebor, id eſt, illi qui eſt dignus miſericordia, & ad maiorem expreſsionem iterat, dicens, Miſericordiam præſtabo cui miſerebor, id eſt, cui dignum iudico miſereri, ſicut & in Pſalmo dicitur, Miſertus eſt dominus timentibus ſe. Et ſecundum hoc licet miſericorditer ſua impendat, tamen ab iniuſtitia excuſatur, quia dat quibus dandum eſt, & quia non dat cui dandum non eſt, ſecundum rectitudinem
B ſui iudicij. Sed miſereri cui dignum eſt, poteſt intelligi dupliciter, vno modo vt intelligatur aliquis dignus miſericordia propter opera præexiſtentia in hac vita, licet non in alia, vt poſuit Origenes, quod pertinet ad hæreſim Pelagianorum, qui poſuerunt gratiam dei hominibus ſecundum merita dari. Sed hoc ſtare non poteſt, quia ſicut ſupradictum eſt, ipſa etiam bona merita ſunt homini à deo, & ſunt prædeſtinationis effectus. Alio modo poteſt intelligi, vt aliquis dicatur dignus miſericordia, non propter aliqua merita præcedentia gratiam, ſed propter merita ſubſequentia, puta vt dicamus quòd deus dat alicui gratiam, & propoſuit eam ab æterno illi ſe daturum, quem præſciuit ea bene fore vſurum. Et ſecundum hoc intelligit gloſſa, quòd miſeretur cui miſerendum eſt, vnde dicit, Miſerebor cui miſertus ero, id eſt, illi miſerebor vocando, & gratiam apponendo, cui præſcius quòd miſericordiam daturus eſſem, ſciens illum conuertendum, & apud me permanſurum. Sed videtur quòd nec hoc conuenienter dici poſſet. Manifeſtum eſt enim, quòd nihil poteſt poni vt ratio prædeſtinationis, quod eſt prædeſtinationis effectus, etiam ſi accipiatur prout eſt in dei præſcientia, quia ratio prædeC ſtinationis præintelligitur prædeſtinationi. Effectus autem in ipſa includitur. Manifeſtum eſt autem, quòd omne dei beneficium quod homini confert ad ſalutem, eſt diuinæ prædeſtinationis effectus, diuinum autem beneficium non ſolùm extendit ſe ad infuſionem gratiæ qua homo iuſtificatur, ſed etiam ad gratiæ vſum, ſicut etiam in rebus naturalibus non ſolùm cauſat ipſas formas in rebus, ſed etiam ipſos motus & operationes formarum, eo quòd deus eſt principium omnis motus, cuius operatione ceſſante à mouendo, ex formis nullus motus vel operatio ſequitur. Sic autem ſe habet habitus gratiæ vel virtutis in anima ad vſum ipſius, ſicut ſe habet forma naturalis ad ſuam operationem. Et ideo dicitur Eſaiæ vigeſimoſexto, Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine. Probat autem hoc ſpeciali ratione Ariſtoteles de operibus voluntatis humanæ. Cùm enim non habeat potentiam ad oppoſita, puta ad ſedendum vel non ſedendum, Oportet quòd reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per conſilium, ex quo vnum oppoſitorum prælegit alteri. Sed cùm iterum homo habeat potentiam conſiliandi vel non conſiliandi, opportebit eſſe aliquid per quod re-
D ducatur in actum conſilij. Et cùm in hoc non ſit procedere in infinitum, opportet eſſe aliquod principium extrinſecum ſuperius homine quod ipſum moueat ad conſiliandum. Et hoc non eſt aliud quàm deus. Sic igitur ipſe vſus gratiæ eſt à deo, nec propter hoc ſuperfluit habitus gratiæ, ſicut nec ſuperfluunt formæ naturales quamuis deus in omnibus operetur, quia ſicut dicitur Sapientiæ octauo, Ipſe diſponit omnia ſuauiter, quia ſcilicet per ſuas formas omnia inclinantur quaſi ſponte in id ad quod ordinantur à deo. Sic igitur non poteſt eſſe quòd merita conſequentia gratiam, ſint ratio miſerendi aut prædeſtinandi: ſed ſola dei voluntas, ſecundum quam miſericorditer aliquos liberat. Manifeſtum eſt enim quòd iuſtitia diſtributiua locum habet in his quæ dantur ex debito, puta ſi aliqui meruerunt mercedem vt plus laborantibus maior merces donetur, non autem habet locum in his, quæ ſponte & miſericorditer aliquis dat. Si aliquis duos pauperes in via inueniens, & det vni quod poteſt, vel diſponit in eleemoſynam dare, non eſt iniquus, ſed miſericors. Similiter ſi aliquis duobus æquè ipſum offendentibus, vni dimittat offenſam & non alteri, eſt miſericors vni & iuſtus ad alterum, neuE tri verò iniquus. Cùm enim omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi naſcantur obnoxij, quos deus per ſuam gratiam liberat, ſola miſericordia liberat, & ſic quibuſdam eſt miſericors quos liberat, quibuſdam autem iuſtus quos non liberat, neutris autem iniquus. Et ideo Apoſtolus quæſtionem ſoluit per auctoritatem quæ omnia diuinæ miſericordiæ adſcribit. Sciendum eſt tamẽ, quòd dei miſericordia ſecundum tria attenditur. Primò quidem, ſecundum prædeſtinationem qua ab æterno propoſuit aliquos liberare, Pſalmus, Miſericordia eius ab æterno & in æternum. Secundò, ſecundum vocationem & iuſtificationem, quibus homines ſaluat ex tempore, ad Titum tertio, Secundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Tertiò, magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miſeria, Pſalmus, Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Et ideo miſerebor ſcilicet vocando & iuſtificando, cui miſerebor prædeſtinando, & miſericordiam præſtabo finaliter glorificando eum, cui miſerebor vocando & iuſtificando. Et hic ſenſus magis concordat cum noſtra litera, quæ dicit, miſerebor cui voluero, & clemens ero cui mihi placet. Vbi manifeſtè non meritis,
F ſed ſoli diuinæ voluntati adſcribitur diuina miſericordia. Deinde cùm dicit, Igitur non volẽtis, & cætera, concludit propoſitum ex præmiſſa auctoritate. Et poteſt hæc concluſio multipliciter intelligi, vno modo ſic, Igitur ipſa ſalus hominis non eſt volentis neque currentis, id eſt, non debetur alicui per aliquam eius voluntatem vel exteriorem operationem quæ dicitur curſus ſecundum illud primæ Corinthiorum nono, Sic currite vt comprehendatis: Sed eſt miſerentis dei, id eſt, procedit ex ſola dei miſericordia, vt maximè ſequitur ex auctoritate inducta Deuteronomij nono, Ne dicas in corde tuo, Propter iuſtitiam meam introduxit me dominus vt terram hãc poſsiderem. Poteſt autem & aliter intelligi, vt ſit ſenſus, Omnia procedũt ex dei miſericordia. Igitur non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currẽtis, ſcilicet currere: ſed vtrũque eſt miſerentis dei, ſecundũ illud primæ Corinthiorũ quintodecimo, Non autem ego, ſed gratia dei mecum. Et Ioãnis quintodecimo, Sine me nihil poteſtis facere. Sed ſi hoc ſolũ in hoc verbo intellexiſſet Apoſtolus, cùm etiã gratia ſine libero arbitrio hominis non velit neq; currat, potuiſſet è cõuerſo dicere, Nõ eſt miſerẽtis dei, ſed volẽtis & currẽtis, quod aures pię non ferũt.

Vnde plus aliquid est ex his verbis intelligendum, vt scilicet principalitas gratiæ dei attribuatur. Semper enim G actio magis attribuitur principali agenti quàm secundario, puta si dicamus quòd securis non facit arcam, sed artifex per securim. Voluntas autem hominis mouetur à deo ad bonum, vnde suprà octauo dictum est, Qui spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei. Et ideo hominis operatio interior non est homini principaliter, sed deo attribuenda, Ad Philippenses secundo, Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Sed si non est volentis velle, neque currentis currere, sed dei mouentis ad hoc hominem, Videtur quòd homo non sit dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrij. Et ideo dicendum est, quòd deus omnia mouet, sed diuersimodè, inquantum scilicet vnumquodque mouetur ab eo secundum modum naturæ suæ. Et sic homo mouetur à deo ad volendum & currendum per modum liberæ voluntatis. Sic ergo velle & currere est hominis vt liberè, non autem est hominis vt principaliter mouentis sed dei. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Ego faciam transire omne bonum meum supra faciem tuam. Tria promittuntur singillatim declaranda. H Primum est obiectum visibile, Omne bonum meum. Et est sermo de omni bono dei interno. Quod dico ad differentiam omnis dei boni externi, quale est bonum vniuersi, non promittit deus quòd faciet transire bonum quod est in ipso, vt testatur executio huius promissionis scripta in capitulo sequenti, dicendo & transiuit Iehoua. Omnia itaque bona quæ continentur in ipso deo (videlicet potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam, & id genus reliqua) promittit deus se facturum transire supra faciem Moysi. Secundum est faciam transire. Non dicit faciam manere, ad insinuandum quòd omne bonum suum monstrabit, non sic vt possit figi in illud intuitus videntis, sed per modum transeuntis, manifestè enim experimur in visu corporali, quòd si obiectum visibile proponitur non manens, sed motum motu transeuntis, non possumus in illud figere aciem visus, simili siquidem modo promittit deus monstrare omne bonum suum Moysi visione intellectuali. Tertium est, Supra faciem tuam. Non dicit faciei tuæ, sed supra faciem tuam, experimur enim quòd visu corporali quæ apparent supra nos, non videmus nisi secundum superficiem versus inferiora. Similiter enim promittit I monstrandum omne bonum suum supra faciem Moysi, hoc est, quòd videbuntur bona sua, quatenus referuntur ad hæc inferiora vt causæ, vt exemplaria, vt fines, & cætera, & non penetrabuntur secundum quòd sunt in seipsis. Collige prudens lector tres limitationes in hac promissione, promittit enim pro obiecto monstrando, non seipsum, sed omne bonum suum, pro modo verò monstrandi, non fixè sed transeundo, pro quasi situ, supra faciem, hoc est, vt monstretur non omnino, sed quatenus respicit inferiora. Verba siquidem dei sunt hæc, & propterea libranda exactè sunt. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ita legitur locus אֲנִי אַעֲבִיר כָּל טוּבִי עַל פָּנֶיךָ Ani ahabir col tubi hal panécha, Ego transire faciam omne bonum meum super, vel ante faciem tuam, vel in conspectu tuo. Vertunt alij, Ego efficiam vt coram te transeat omne bonum meum. Alij, Ego præterire faciam omnia bona mea ante faciem tuam. Et est sensus, Ostendam tibi aliqua vestigia bonorum meorum quæ sunt infinita, hoc est, tantùm ostendam tibi de bonis meis, quantum mens humana capere & cognoscere potest. Chaldaica, Ego transire faciam omnem gloriam meam super faciem tuam, habet. Quod audi quomodo exprimant Septuaginta, ἐγὼ παρελεύσομαι πρότερός σου τῇ δόξῃ μου, Ego præibo, seu præcedam prior te gloria mea. Quæ K omnia à Latinæ literæ sensu non discrepant. Et quod sequitur, Et vocabo in nomine domini coram te, Hebraicè legitur וְקָרָאתִי בְשֵׁם יְהוָה לְפָנֶיךָ Vecharáthi besem Iehoua lepanécha, Et inuocabo in nomine seu nomen domini coram te, id est, inuocabo nomen domini in præcedendo te, hoc est, cùm antegrediar, nomen meum ostendam, & inuocabitur abs te. Vertunt alij, Et vocabo in nomine domini coram te, sicut fecit Interpres, & est sensus, Cùm transiero, clamabo, Dominus magnus, quem tu videre non poteris. Alij, Et clamabo nominatim, Dominus est coram te, subaudi qui præterit. Sic intellexerunt & Septuaginta, καὶ καλέσω ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου, Et vocabo in nomine meo, dominus coram te. Chaldaica vt apud nos. Demum quod sequitur, Et miserebor cui voluero, & clemẽs ero in quẽ mihi placuerit, & apud Hebræos legitur וְחַנֹּתִי אֶת אֲשֶׁר אָחֹן, וְרִחַמְתִּי אֶת אֲשֶׁר אֲרַחֵם Vechannoti eth aser achon, verichamti eth aser arachem, Et miserebor quem siue cuius misere- L bor. Vel & parcam cui parcam, & clemens ero cui clemens ero, siue & visceribus commouebor super quem visceribus commouebor, aut & miserebor cui miserebor. Et Hebraismus est, sicut & illud, Quod scripsi scripsi, hoc est, scripsi quod volui. Ita & hîc miserebor & parcam cui voluero, & cui mihi placuerit, prout doctissimus reddidit Interpres. Vertunt alij, Et miserebor cui miserebor, & propitiabor cui propitiatus fuero. Et subaudiunt, cùm ego transgrediar, clamabo etiam hoc, Ego miserebor & cætera. Siue cùm præteribo, dicam coram te nominatim, Dominus est qui præterit, idque faciam pro misericordia mea qua vtor erga eos quibus mihi placet. Septuaginta quoque, καὶ ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω, Et miserebor cui misertus fuero, & clemens ero, cui clemens fuero. Ita & Chaldaica. Quæ vnum sunt cum litera nostra. Dicat ergo dominus, Tam inæstimabili gratia prosequar & glorificabo te & populum istum, vt maior æstimari non possit. Omne bonum meum quo donabo te & istum populum, oculis tuis videbis, & perspicies quæ daturus sum illis. Videbunt oculi tui salutare quod faciam genti isti, & quàm verus sim in promissis, reipsa intelliges & senties. Et gratias ages, & glorificabis nomen meum, cùm beneficia gratiæ & gloriæ in te & totam hanc gentem conferam, quam tamen non M omnes sunt suscepturi, non enim omnes fruentur beneficiis meis, quia non omnes credent, multi murmurabunt, & contemnent bonitatem, beneficia & portenta mea. Non enim omnes digni sunt, quia non omnes à me *electi*, ego autem quos elegi, seruabo & pascam, beatos reddam, & confirmabo in gratia & gloria. Quos verò ad *bonorum* meorum participationem non elegi, isti sua culpa qua sponte semper peccare volunt, & cõtemnere meas leges, & verbo non credere, isti misericordia mea indigni inuenietur, & eam non desiderabũt, nec precibus ac votis assequentur. Locus admodum difficilis, etiam Paulo admirabilis, tamen secundum dei sapientiam & bonitatem, nulli calumniæ obnoxius, dominus est enim, & is ipse iustus & clemẽs. Vbi autem hæc tanta Moyses viderit hîc promissa, facilè intelligemus, si cõsideremus quæ statim sequũtur, & insuper promissiones dei ad populum de terra hæreditatis quam ante mortem suam oculis carnalibus prospexit, non solùm vidẽs de longè totam terram Chanaan, domino mõstrante ad oculũ, sed etiam duabus & dimidiæ tribui sorte diuisit suas portiones non incer-



A incertior de imminente quoque aliarum tribuum partitione per Iosue prosequenda. Et vt id parum sit, non ignoramus gloriam & gratiam dei ad electos, Christum dominum à Moyse visum esse, clarificatum in monte Tabor, præsente etiam Helia Propheta, vbi regem regum, & salutem omnium electorum vidit facie ad faciem, & gauisus est, sicut & Abraham, in gloriam plebis Israëliticæ, qua nulla maior genti cuicunque contingere potest nec comparari. Id autem non ob alicuius merita, sed sola ac libera gratia dei, qua dispensat beneficia sua, fidem, gratiam & gloriam, cui, quando, & quantum sibi placet. Qualem autem gloriam post Christi prædicatum Euangelium Moyses viderit & videat, quàm glorioſum quoque nomen hæreditauerit in domino, & ad dei gloriam Moyses, quàm plenè impletum fuerit gaudium eius de gloria dei, quam iam nunc in monte Sinai tam ardenter desideratam petiit, verbis paucis explicari non potest, sed fidelibus considerandum relinquitur. Hoc notato, quòd omnia promissa dei, tam populo quàm Moysi facta, abundantissimè & gloriosissimè com-
B pleta sunt, & semper complentur in mysteriis Ecclesiæ Christi domini, qui scopus semper fuit omnium sanctorum, & totius scripturæ. Hic si Iudæis aliud videatur, quid ad nos? Ipsi viderint qua causa hæc videre non æquè possint atque nos, scripturis sacris credentes, & vnum illum verum deum colentes, & eundem quem Abraham & Moyses, sed non in spiritu & veritate. Sunt qui locum istum ita edisserant, Petis videre essentiam meam. In regno beatitudinis, tempore statuto manifestabo me tibi, & plenam felicitatem impertiar, imò meipsum superimpendam, qui summum sum atque perfectum bonum, & in quo est bonorum omnium aggregatio perfecta. In vita quoque hac omne tibi gratiæ & virtutis charisma donabo, quo per fidem atque sapientiam præfata bona cognoscere queas. Faciam me etiam deum ac ducem vestrum ex miraculis quæ in vestri fauorem operabor, ab omnibus nuncupari. Demum quos elegi, & in seruos prædestinaui, liberrimè saluos faciam, & vasa misericordiæ constituam, prout voluntatis meæ proposito visum fuerit & placuerit. *Alij* verò aliter, nempe ita, Quanuis tu Moyses preceris, quod homini ad consequendum in hoc seculo est impossibile,
C tamen vt aliqua ex parte te precum tuarum compotem faciam, non reuelabo quidem coram te incomprehensibilem maiestatis meæ essentiam, transire tamen faciam coram te omne bonum meum, reuelabo enim tibi omnem meam bonam voluntatem, qua erga homines afficior, & manifestabo tibi epitheta seu cognomina mea, ex quibus præcipuè intelliges, quam ego voluntatem, quam animum, quos affectus erga vos homines geram, quid item vobis de me, & animo meo polliceri debeatis. Et vt breuiter intelligas, quæ postea pluribus explicabo, effundam nunc summatim coram te omnem animi mei affectum. Is autem sic se habet. Faueo cui fauero, misereor cui misertus fuero, hoc est, ita affectus sum, vt non sim nisi ipsa misericordia & clementia, qua etiam complector quemcunque visum mihi fuerit. Salus enim hominis & si detur meritis operum suorum, tamen ex misericordia, ex gratia mea, quia ita volui & promisi prouenit. Quicunque igitur saluantur, mea misericordia & fauore saluantur. Eos autem saluo per misericordiam quos volo, vt salus volentis & currentis, sit dei miserentis & fauentis. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER *Vbi supra.*
D EXODVM. Deinde post hanc suæ misericordiæ commendationem, respondet dominus ad illud quod ei dictum fuerat, Ostende mihi gloriam tuam, vel quod suprà petiuerat Moyses, dicens, Ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te. *Non poteris* (inquit) *videre faciem meam, Non enim videbit me homo & viuet.* Ostendens huic vitæ quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, deum sicuti est, apparere non posse, id est, sicuti est videri in illa vita potest, vbi vt viuatur, huic vitæ moriendum est. IDEM IN QVAESTIONIBVS *Quæst. 71.*
EX NOVO TESTAMENTO. Sed quid est quòd Iacob appellatus est homo videns deum, & Moyses vidit deum facie ad faciem, nec non & Esaias, Vidi (ait) deum sabaoth oculis meis. Contra autem Ioannes Euangelista, Deum (inquit) nemo vidit vnquam. Hoc quantum videtur contrarium est, quantum ad fidem verò pertinet, deum omnino nemo vidit vnquam, neque patrem, neque filium. Quod enim visus dicitur, ad intelligentiam refertur, visus est enim velut in imagine. Veluti nos cùm imperatores nesciamus, videmus eos in figura, non in veritate. Ita & deus visus est, vt intelligeretur deus esse qui apparebat per rationem, non per
E substantiam, quia in natura sua deus videri non potest. Et vt verius propositæ quæstionis secreta pandamus, sensum Euangelistæ explicare nitamur. Ioannes enim occultum aliquid prodere voluit, quod sciuit ad salutarem doctrinam pertinere. Idcirco deum (inquit) nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Animaduertamus sensum Euangelistæ, vt enim verum esse, quia nemo vidit deum vnquam ostenderet, filium hoc narrasse docet, quem falli vtique impossibile est, quia in sinu patris est. Sinus autem patris quid est, nisi affectus in charitate veri patris per naturæ vnitatem in filium? Quamobrem nemo vidit deum nisi vnicus filius, hoc Ioannes Apostolus filium dei audiuit dicentem inter alia, Non quia patrem vidit quisquam nisi qui est à deo, hic vidit patrem. Vt ergo ad condemnationem proficeret Iudæorum qui Christum dei filium audire nolebant vel credere, ostendit Euangelista hunc esse Christum qui patribus apparuisset in deum, illum autem qui pater est, nunquam videri nisi à filio. Quando enim deum patrem negat visum, & deum apparuisse patribus profitetur, manifestare se vult dei filius, quia ipse semper in deum visus à patri- *Ioan. 5.*
F bus est. Vnde inter cætera dicit Iudæis de patre, Neque vocem eius audistis aliquando, neque figuram eius vidistis. Ecce non est contrarium, & visum & inuisum esse deum. AMBROSIVS IN LIBRO *Cap. 11.*
DE BONO MORTIS. Non enim videbit me homo & viuet. Rectè quidem. Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diutiùs è regione solem intenderit, cæcari solere perhibetur, Si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri, quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum creatoris æterni, corporis huius opertus exuuiis? Quis enim iustificatur in conspectu dei, cùm vnius quoque diei infans mundus à peccato esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari? Sed quia iusti hanc remunerationem habent vt videant faciem dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem, ab hinc induamus huiusmodi studiũ, vt appropinquet anima nostra deo, appropinquet oratio, adhæreat illi nostrum desiderium, non separemur ab eo. Et hic quidem positi meditando, legendo, quærendo, copulemur deo, cognoscamus eum vt possumus. Ex parte enim hîc cognoscimus quia hîc imperfecta, illic

1.Cor.13. perfecta omnia, hîc paruuli, illic robusti. Videmus (inquit) nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie G ad faciem. Tunc reuelata facie gloriam dei speculare licebit, quam nunc animæ corporis huius concretis visceribus inuolutæ, ex quibusdam carnis huius maculis & colluuionibus obumbratæ, syncerè videre non possunt. IDEM IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Nemo hominum videbit faciem meam & viuet. Quando dictum sit considera. Adhuc homo erat, ideo istud ei dicitur. Processu ei debebatur vt deus fieret, & ideo dictum est ei. De homine dixit, Desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam. Qui enim faciem meam videt, debet esse sine peccato. Sed quia homo sine peccato esse non potest, ideo vt in dei appellatione posset excrescere commonetur. Et quid de dei appellatione dicamus? Esto angelus, hoc est, diuini minister imperij, obsequere mandatis domini. Cùm fueris angelus, videbis faciem domini. Magnum est videre dei vultum. Lex tibi dicit, vt tertio te offeras in Hierusalem. Ipse

Matth.5. dominus Iesus ait, Beati mundo corde, ipsi enim deum videbunt. Aduertis quid à te exigatur vt videas deum, H cui vitæ proposita sit prærogatiua videndi deum. Emunda igitur cor tuum, vt quasi nouum creetur renouato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abiice, nihil sit quo tuus inquietur affectus. Simplex mens, pura synceritas sit. Talibus se dominus cùm volucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur.

GREGORIVS NAZIANZENVS IN TRACTATV DE FIDE. Filium dei ita visum à patribus approbamus, vt non totum in illo quod est deus videretur, sed vt dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis filium dei videre potuit, antequam conspicabilem materiam quæ ei complacuit, assumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est? Qui si Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, quòd scilicet postremis temporibus in homine venturus esset, ostendit. Iacob etiam alibi in angelo, alibi æquè videtur in homine. Qui ideo se in angelo demonstrauit, vt nuncium se magni consilij indicaret. In homine verò cum quo colluctatus fuisse describitur, vt imaginem futuræ collu&tationis, quam cum Israël habiturus erat, cùm secundum I hominem aduenisset, perspicuè indicaret. Sed vt deum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur, Israël, homo videns deum, nomen accipit. Vidi enim (inquit) deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et vtique figuram hominis viderat, quam deus dei filius induerat. Moysi in rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus, incredulis iudicium ostenderet, quia Christus credentibus salus est, non credentibus pœna, vt Apostolus dicit, Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Populum Israël in co-

2.Cor.2. lumna nubis per diem, & per noctem in columna ignis, quasi dux itineris præcedebat, vt baptismi gratiam per nubem, & donum sancti spiritus per ignem ostenderet. Vnde & Apostolus Paulus in nube patres baptizatos scribit, & spiritum sicut ignem esse, Apostolorum acta declarant. GREGORIVS NYSSENVS. Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viuet. Non quia causa mortis videntibus sit illa facies, nam quomodo vitæ facies, causa appropinquantibus mortis esse poterit? Verùm quoniam & si viuificat quidem deus natura, proprium tamen suum est, vt omnem cognitionem excedat. Iccirco qui eorum quæ K cognoscuntur deum esse opinatur, quasi deuiasset ab eo qui est, ad id quod esse putatur, vitam non habet. Nam qui verè est, is vera vita est, & hic cognitione non comprehenditur. Quare si hæc viuificans natura cognitionem omnem excedit, non est profectò vita id quod cognoscitur. Quod verò vita non est, id vitam præbere non potest. Sic igitur desiderium Moysi adimpletur, vt insatiabile permaneat, discit enim ex istis, quod deus natura interminabilis est, nullo termino comprehensus. Nam si aliquo termino concludi intelligatur, necesse est termino illi aliquid connectatur, omnino enim quod terminatur, ad aliud desinit, vt terrestrium terminus aër est, & aqua rerum aquaticarum. Quemadmodum igitur piscis aqua, & aues aëre circunclu duntur, & cùm sint in medio istorum elementorum, aquæ tamen quædam superficies ad piscem, & aëris ad volatile terminatur. Sic necesse est si deus termino concluditur, heterogenea quadam natura contineri. Est enim quod continet contento maius. At verò deus natura bonum esse conceditur, quod autem ad bonum comparatum heterogeneum est, non bonum sed malum esse comprehenditur, & est vt diximus, quod continet contento L maius. Quare si termino deus continetur, consequens erit superari vincíque à malo, cùm continentium vis ea quæ continentur exuperet. Id autem adeò absurdum est, vt nullus vnquam mentis compos sic esse opinatus sit. Est ergo interminabilis diuina natura, & interminabile comprehendi non potest. Quare qui diuinam pulchritudinem videre desiderat, & ad id tendit, in hoc cursu semper consistat. Et id est verè deum videre, vt nunquam id desiderium terminetur. Quare necesse est, vt cùm videamus, sicut nobis possibile est, maiore videndi desiderio exardescamus, & sic nullus vnquam terminus abscindet nobis iter huius, cùm neque ipsius boni terminus aliquis sit, nec satietas desiderij huius possit fieri. HIERONYMVS DAMASO, DE VERBIS ESAIAE, VIDI DOMINVM, ET CAETERA. Aiunt Iudæi Esaiam à maioribus suis idcirco interemptum, quia cùm Moyses posteriora dei viderit, hic dominum sabaoth oculis carnalibus vidisse se scribat, super hoc deo dicente, Nemo faciem meam videbit & viuet. Quos si interrogemus quomodo se deus in lege aliis Prophetis in visione & somno dicat ostendi, Moysi verò facie ad fa- M ciem colloqui, & quomodo stet illa sententia, Nemo faciem meam videbit & viuet, cùm facie ad faciem se ad Moysen locutum esse fateatur. Respondebunt vtique, iuxta possibilitatem humanam deum visum, non vt est, sed vt voluit se videri. Quibus & nos dicimus, eodem modo ab Esaia esse visum, restante summa vt Moyses deum aut viderit aut non viderit. Si vidit, vidit ergo & Esaias, qui vidisse se dicens, impiè est interfectus à vobis, quia deus videri potest. Si non vidit, interficite & Moysen cum Esaia, quia eiusdem mendacij reus est, dicens se vidisse eum, qui videri non potest. Quemcunque in expositione eius loci super Moysen habuerint intellectum, etiam nos ad Esaiæ temperabimus visionem. CHRYSOSTO-

Homil.4. MVS DE INCOMPREHENSIBILI DEI NATVRA. Nec principatus nec potestates in cœlestibus, nouerunt dei substantiam. Quis hæc dicit? non item Paulus, aut Ezechiel, atque Esaias, Sed vas aliud immaculatum & sanctum, ipse tonitrui filius, Charissimus ille Christo Ioannes, qui ad



A qui ad pectus recubuit domini, atque ab illo diuino fonte sacra sua flumina hausit. Quid hic dicit? Deum nullus vnquam vidit. Verè tonitrui filius dictus, qui vocem tam illustriorem, tam omni tuba clariorem reddidit, qui vt omnes contentiosi conturbarentur & obmutescant, facit diligentissimè. Sed scrupulum qui se obiiciat, videamus. Quid ait Ioannes? deum nullus vnquam vidit? Ergo minimè Prophetis credemus qui sese vidisse inquiunt, Esaias enim, Vidi dominum (inquit) sedentem super solium excelsum & eleuatum. Daniel, Vsquequo throni positi sunt, & antiquus dierum sedebat. Micheas, Vidi dominum deum Israël sedentem super solium suum. Alius rursus Propheta, Vidi dominum stantem super altare, & dixit mihi, Percute cardinem, & cætera. Denique multa huiuscemodi testimonia possunt colligi, quæ cùm ita sint, quamobrem Ioannes negat ita esse quenquam, qui deum viderit? Nullum vidisse deum Ioannes inquit, vt exquisitam illam comprehensionem &
B expressam cognitionem in nullo adhuc contigisse intelligas. Constat illa condescensum fuisse omnia, nec vidisse quempiam illorum synceram ipsam substantiam, eo quòd variè quisque viderit. Deus enim simplex omni concretione abiunctus, nulla forma aut figura effigiatus est. At verò illi omnes figuras viderunt varias, quod idem deus per alium item Prophetam insinuans ac suadens, neminem scilicet exquisitè ipsam suam vidisse substantiam, inquit, Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Tum ex his quæ deus Moysi denegat, cùm enim ille videre deum sensu oculorum concupisceret, is, Nemo videbit faciem meam & viuet, addidit. Liquidum itaque nobis hoc, & confessum habetur. Quamobrem non de natura humana solùm sic ait, deum vnquam nullus vidit, sed etiam de virtutibus superis. Proinde vnigenitum allegat eius dogmatis præceptorem & auctorem. Ne quis enim vnde id cõstet obiiceret, addidit, Vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse exposuit, testem prorsus locupletissimum, & magistrum egregiæ suæ opinionis allegat. Atqui si Moyses id idem vellet designare, porrò hic vacanter dixisset, Vnigenitus exposuit filius. Nam vel antequam Ioannes hæc tanquam ab vnigenito accepta referret, constaret ita esse verbis Prophetæ, qui ex deo acceperat. Verùm quod
C plus aliquid, quàm olim propositum fuisset, ipse nobis esset reuelaturus, videlicet ne virtutes quidem supernas posse deum videre, idcirco vnigenitum allegare magistrum voluit. Visum autem hoc loco pro cognitione positum arbitrare, haud enim pupillæ, & oculi, & genæ insunt in virtutibus illis supernis, sed quod visus in nobis est, idem in illis cognitio. Quapropter quotiens deum nullum vnquam vidisse audis, illud intellige, nullum esse qui deum nouerit, qui deum cognouerit, qui substantiam dei exquisita ratione perceperit. Quin etiam cùm de Seraphin audis oculos auertisse, pinnas visui obduxisse, itémque Cherubin hoc idem fecisse, noli oculos habere illos existimare, corpori enim hæc forma peculiaris est, sed his ipsis humanæ, ac pinguis Mineruæ vocabulis cognitionem illarum designari tibi à Propheta intellige. Cùm itaque dicat, deum quanuis condescendentem minimè ferre illas virtutes potuisse, nil aliud docet, nisi eius cognitionem expressam, amplam, integram non potuisse recipere, neque ausas esse intueri synceram illam, perfectissimámque substantiam, imò ne ad ipsum quidem eius condescensum satis aspirare. Hinc etiam Euangelista certior, neque humanæ naturæ interesse rem
D tantam scire, neque ipsis virtutibus superis deum esse comprehensibilem, ipsum à dextris eius sedentem, ac diligentissimè rem scientem, allegat huius opinionis auctorem. CYRILLVS SVPER IOANNEM Cap.22. LIBRO PRIMO. Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. Animaduerte rursus diuini Euangelistæ diuinum acumen. Non ignorauit nonnullos dicturos, Gloriam vnigeniti à patre nobis enarras, nec quicquam magnum atque sublime affers, sed quasi aliter videri gloria sua non posset, quoniam præstantior Ioanne atque Moyse fuit viris singularissimis (non enim negamus) quasi vnigeniti à patre gloriam eius appellasti. At non ita beatus Esaias: Vidi enim (inquit) dominum sedentem super solium Esa.6. excelsum & eleuatum, & plena domus à maiestate eius, & Seraphin stabant circa ipsum, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & velabant duabus faciem, duabus pedes, & duabus volabant, & exclamabant alter ad alterum & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus dominus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Ezechiel autem, Ecce (inquit) Ezech.1. vox facta est super firmamentum quod erat super caput eorum, & super firmamentum quod erat imminens ca-
E piti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni, & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper, & vidi quasi speciem electri à lumbis eius desuper, & à lumbis eius vsque ad deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus quum fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ domini. Quum talia igitur impietate atque imperitia dicturos aliquos non ignoraret, necessariò conatus eorum multo antè repressit, dicens, Deum nemo vidit vnquam, Ipse nanque (inquit) vnigenitus deus qui in sinu dei patris est, hoc nobis enarrauit. Ille ad Moysen clarè dixit, quia nemo videbit faciem suam, & viuet: ille quoque discipulos docuit, quia patrem nemo vidit Ioan.6. nisi qui ex patre est. Soli enim consubstantiali filio pater visibilis est, & nulli præter eum alij, visionem autem in his deo conuenientem semper intelligas, non tamen Prophetarum oratio falsa est, quum clamant visum à se fuisse dominum sabaoth. Non enim ipsum quod natura dei substantialiter est, vidisse contendunt, sed apertè quomodo viderunt exponunt, hæc dicentes. Est visio similitudinis gloriæ domini. A rebus ergo corporeis ænigF maticè, quasi figura diuinæ gloriæ formabatur, quæ similitudo quasi depicta in tabula symbolicæ diuinæ gloriæ præstantiam, vltra mentem & orationem hominis esse ostendebat. Optimè igitur sublimis Euangelista, quum se vidisse gloriam eius quasi vnigeniti à patre gloriã affirmauerit, à præstãtia, qua omnes Christus superauit, verè se dicere cõfirmat. Nam quẽadmodum per creaturarum pulchritudinem, creatoris virtutem cõspicimus, quum Sap.13. cœli absque voce gloriã dei enarrẽt, & opera manuum eius annũciet firmamentum, Sic ab operibus præstantior Psal.18. in gloria vnigenitus cæteris demonstratur. Sed aciem oculorum hominis tanquam deus effugiens, quia omnem superat creaturam, idcirco increatus, id est, deus esse & intelligitur & glorificatur. Hic sensus propositi textus meo iudicio est. IDEM LIBRO TERTIO SVPER IOANNEM. Et ideo cùm corporis oculis Cap.9. deitatis gloriam cernere requireremus, necessariò vnigenitus dei filius imbecillitatem nostrã assumpsit, humana Cap.37. carne indutus, & sic voluntatem patris nobis annũciauit. Omnia (inquit) quę audiui à patre meo nota feci vobis. GREGORIVS DECIMOOCTAVO MORALIVM. Quisquis sapientiam quæ deus

est, videt, huic vitæ funditùs moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit, quia nemo potest deum simul amplecti & seculum. Qui enim deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde adhuc ad Moysen dicitur, Non enim videbit me homo, & viuet. Ac si apertè diceretur, Nullus vnquam deum spiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit. Vnde Paulus quoque Apostolus qui adhuc dei inuisibilia (sicut ipse
*Gal.6.* testatur)ex parte cognouerat, iam huic mundo totum se mortuum esse perhibebat, dicens, Mihi mundus crucifixus est,& ego mundo. Sciendum verò est,quòd fuere nonnulli, qui deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minimè videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, & aliud natura, sed ipsa ei natura sua, claritas, ipsa claritas, natura est. Quia enim suis dilectoribus hæc dei sapientia se quan-
*Ioan.14.* doque ostenderet, ipse pollicetur, dicens, Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Ac si patenter dicat, Qui in vestra me cernitis, restat vt in mea me natura videatis. Hinc
*Matth.5.* rursus ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Hinc Paulus dicit, Nunc videmus per speculum in ænigmate,tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Sed quia de deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur, In quem desiderant angeli prospicere,
*1.Cor.13.* *Cap.38.* *1.Pet.1.* sunt nonnulli qui nequaquam deum videre vel angelos suspicantur, & tamen dictum per veritatis sententiam scimus, Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. Nunquid ergo aliud
*Matth.18.* veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia vtraque confertur, quia sibi nequaquam discordent agnoscitur. Deum quippe angeli & vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt, quia nunquam simul pœna & beatitudo
*Psal.16.* conueniunt. Rursum cùm eos dicimus dei visione satiari, quia & Psalmista ait, Satiabor dum manifestabitur gloria tua, considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi vtraque conueniant,dicat veritas,quia semper vident,dicat prædicator egregius, quia semper videre desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium,quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Videbimus igitur deum, ipsúmque erit præmium laboris nostri,vt post mortalitatis huius tenebras,accessa eius luce gaudeamus. INTERLINEARIS. Quod igitur ait dominus ad Moysen, Non poteris videre faciem meam, ipsam viam intellige diuinæ substantiæ, cuius ratio protinus subditur, Non enim videbit me homo per incircunscriptam essentiam, & viuet mortali car-
*Homil.1.de Natiui.domini. Cap.16. & 17.* ne. MAXIMVS EPISCOPVS TAVRINENSIS. Non poteris videre faciem meam, id est, non poteris carnalibus oculis meam, sicut est, inspicere deitatem. ALCVINVS LIBRO SECVNDO DE TRINITATE. Sicut immutabilis est omnino deus, ita & inuisibilis est in natura magnitudinis suæ, quanuis multoties legatur quòd apparuerit deus cuilibet in veteri testamento patrum, sed apparuit quibus voluerat per subiectam creaturam, in qua voluerat specie,& quomodo voluit, sed nullatenus à quolibet visus est in substantia diuinitatis suæ, quæ omnino inuisibilis & incommutabilis est. Quòd beatissimus & magnus Propheta Moyses intelligens ait deo, cum quo vt amicus ad amicum, facie ad faciem locutus esse dicitur. Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Si itaque eius naturam substantiámque conspiceret,nullatenus diceret,ostende mihi temetipsum. Ipsi ergo apparuit deus in ea specie qua voluerat, non ipse autem apparuit illi in natura propria,quam Moyses videre cupiebat manifestè. Nouerat vtique quod corporaliter videbat,quodcunque videbat, & veram visionem dei spiritualiter requirebat. Locutio quippe illa quæ fiebat in vocibus,sic modificabatur, tanquam esset amici loquentis ad amicum. Confirmat verò Euangelista, dei esse naturam omnimodis inuisibilem, vbi ait, Deum nemo vidit vnquam, quia plenitudinem diuinitatis quæ in deo est, nemo oculis vidit, nemo mente comprehendit. Nec etiam angelicæ naturæ comprehensibilis est deus, quia verè incomprehensibilis dicitur, sed secundum mensuram donationis dei, ita deum vel angeli vel animæ sanctorum intelligunt. Proinde quanuis vsque ad æqualitatem angelicam humana post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum deum glorificata consurgat, videre tamen eius essentiam plenè non valet, sed vnicuique sanctorum ad suæ sufficientiam beatitudinis, manifestabitur gloria eius. Quod verò omnia quæ patribus visa sunt, congruis temporibus vel locis secundum dispensationem dei, per angelicas essent administrationes, apertissimè eximius mundi doctor, qui in tertium raptus cœlum, audire meruit quædam arcana mysteriorum dei verba, ostendit, vbi ait, Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in admi-
*Heb.1.* nistrationem missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? volens intelligi, illa non omnia solùm per angelos facta, sed etiam propter nos facta, quæ in veteribus leguntur figurationibus, & paulò pòst. Si enim sermo per angelos dictus, factus est firmus, omnia quæ data sunt vel dicta populo priori, per angelos ministrata esse ostendit, nostræ verò salutis originem, & plenitudinem per ipsum dei filium mox in sequentibus eiusdem epistolæ verbis ministratam esse demonstrauit. Et beatus Stephanus protomartyr angelum Moysi lo-
*Act.7.* cutum esse in flamma ignis asseruit in disputatione quam habuit contra lapidatores suos, dum in eadem visione dicitur dominum apparuisse Moysi, apparuerunt verò angeli & locuti sunt in persona illius qui eos direxerat. Sed quæri potest, Cur scriptura non dicat, apparuit angelus, vel locutus est angelus cuilibet patrum? Quanuis quidem præco verba referat iudicis, non scribitur in gestis, præco dixit vel fecit, sed iudex dixit vel fecit. Quapropter probabili ratione videri potest, patribus nostris ante incarnationem Christi sub persona domini apparuisse vel locutos esse angelos. Nec illos etiam in sua apparuisse substantia credendum est, sed in subiecta creatura, quæ ab illis tempore opportuno assumpta est ad ministrationem officij sui. Sicut anima hominis inuisibilis est, ita etiam angelicam carnalibus oculis naturam inuisibilem esse certissimum est.

RVPER-



A RVPERTVS. Notanda hoc in loco diligenter gemina subdistinctio. Quædam enim loquitur dominus Moysi in personam Iudaici populi pro parte electorum, sicut suprà visum est, Ego ostendam omne bonum tibi,& cætera.Quædam verò pro parte reproborum cuiusmodi hoc quod facta subdistinctione rursum ait,Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet, id est, ac si dicat, In medio populi huius pro quo postulas, cuius proloquutor es, non sic ascendam, vt faciem meam videat, vt ostendam illi gloriam meam. Quare? Non enim videbit me homo & viuet. Ego autem idcirco ascendam, homo factus inter homines, vt in me reuiuiscat homo, qui in Adam mortuus est. Si igitur ascendero, non in homine deus absconditus, sed deus manifestus, crucis vtilitas impedietur, & homo non viuet, quia non erit redemptus. Veruntamen fidem habentibus opportunitas videndi non negabitur. GVERRICVS ABBAS IGNIA- *Ser. de pur. & ador.*
CENSIS. Sextus ornatus thalami Sion est intellectus, qui mentem hominis super hæc infima rapit,
B omnèsque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, Volènsque vltrà progredi,& propiùs accedere, audit à domino, Ne appropinques huc, non enim videbit me homo & viuet. Hic intellectus conuenit his qui à deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur, Beati mundo cor- *Matth.5.*
de, quoniam ipsi deum videbunt. Adorna igitur tabernaculum tuum Sion intellectu. BERNARDVS *Serm.31.*
SVPER CANTICA. Studiosis mentibus verbum sponsus frequenter apparet, & non sub vna specie. Quid ita? profectò quoniam nondum videtur sicuti est, Nempe illa visio stat, quia forma stat, quæ tunc videtur. Est enim, nec vllam capit ex eo quod est, fuit, vel erit mutationem. Tolle nempe fuit & erit, vnde iam transmutatio aut vicissitudinis obumbratio? At quicquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit, transitum sanè habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde verè est, quod nec à fuit præciditur, nec ab erit expungitur, sed solum atque inexpugnabile remanet ei est, & manet quod est. Nec fuit, sanè tollit illi esse ab æterno, nec erit, esse in
C æternum, ac per hoc sibi vendicat verum esse, id est, increabile, interminabile, inuariabile. Cùm igitur ipse qui sic est, imò qui non sic aut sic est, videtur sicuti est, stat vt dixi illa visio, quia nulla eam interpolat vicissitudo. Et tunc ille de Euangelio vnus omnibus qui sic vident, denarius redditur in vna specie quæ offertur. *Matth. 20.*
Nam & quod apparet vt inuariabile in se est, ita inuariabiliter intuentibus præsto est, & quibus apparet, nil videre desiderabilius volunt, nil possunt delectabilius. Quando ergo illa vel fastidiet auiditas, vel se subtrahet suauitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quòd si in æternum extenditur videndi copia, pariter & voluntas, quomodo non plena felicitas? Nil quippe aut deest iam semper videntibus, aut supereſt semper volentibus. At talis visio non est vitæ præsentis, sed in nouissimis reseruatur, his duntaxat qui dicere possunt,
Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et nunc quidem apparet qui- *1.Ioan.3.*
bus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non sanctus, non Propheta videre illum sicuti est potest, aut potuit in corpore hoc mortali, poterit autem in immortali qui dignus habebitur. Itaque videtur & hic,
D sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum (solem loquor istum quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat, verbi causa, aërem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenus posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cœlesti lumine simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis ob multam vtique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus, nullatenus serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsus puritate vigeret, videret omnino inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem, ita & solem iustitiæ illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat,illuminatus potest, tanquam iam in aliquo similis, sicuti est, omnino non potest, tanquam nondum perfectè similis. Propterea dicit, Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. *Psal.33.*
E Ita sanè, sed si quantum satis est,illuminamur, vt reuelata facie speculantes gloriam dei in eandem imaginem *2.Cor.3.*
transformemur de claritate in claritatem tanquam à domini spiritu. Ergo accedendum ad eum non irruendum, ne irreuerens scrutator maiestatis opprimatur à gloria. Nec locis sanè accedendũ, sed claritatibus, ipsisq; non corporeis, sed spiritalibus tanquam à domini spiritu. A domini planè, & non à nostro, quanuis in nostro. Qui itaque clarior, ille propinquior, esse autem clarissimum peruenisse est. Porrò iam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliqua dissimilitudine non confundi. Sed id tunc vt dixi. Interim verò tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radij deitatis monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum. Cùm autem de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, vt inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videndi commune. In promptu enim est iuxta Apostolum omni vtenti ratione, Inuisibi- *Prouer.25.* *Rom.1.*
F lia dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere. Alius proculdubio ille modus, quo quondam patribus crebra illa atque ambitiosa diuinæ præsentiæ familiaritas dignanter indulta est, quanquam nec ipse sicuti est, *Heb.1.*
sed sicut dignata est. Nec vno vtique modo, sed vt ait Apostolus, Multipariè multísque modis, cùm ipse in *Deut.6.*
se sit vnus, dicente ipso ad Israël, dominus deus tuus deus vnus est. Et hæc demonstratio non quidem communis, sed tamen foris facta est, nimirum exhibita per imagines extrinsecùs apparentes seu voces sonantes.

THOMAS SVPER IOB. Manifestum est quòd caro hominis secundum statum vitæ præ- *Cap.19. Lect.2.*
sentis corruptibilis est,corpus autem quod corrumpitur aggrauat animam, vt dicitur Sapientiæ nono, & ideo nullus in hac mortali carne viuens potest videre deum, Sed caro quam anima in resurrectione resumet, eadem quidem erit per substantiam,neque corruptionem habebit ex diuino munere,secũdum illud Apostoli prima ad Corinthios quintodecimo,Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.Et ideo illa caro huius cõditionis erit,quòd in nullo animã impediat,quin deũ possit videre,sed erit ei omnino subiecta, quod ignorãs Porphyri⁹

dixit quòd animæ ad hoc vt fiat beata, omne corpus fugiendum est, quasi anima sit deum visura non homo, & G
ad hoc excludendum ait sanctus Iob, quem visurus sum ego ipse, quasi dicat non solùm anima mea deum videbit,sed ego ipse qui ex anima & corpore subsisto,& vt ostendat quòd illius visionis etiam suo modo erit particeps corpus,subiungit, Et oculi mei conspecturi sunt, non quia oculi corporis diuinam essentiam sunt visuri,
1. par. q. 12. ar. 11. in cor. ad 1. & 2. sed quia oculi corporis videbunt deum hominem factum. Videbunt etiam gloriam dei in creaturam refulgentem secundum Augustinum in fine de Ciuitate dei. IDEM. Sciendum quòd ab homine puro deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. Cuius ratio est, quia modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscentis. Anima autem nostra quandiu in hac vita viuimus, habet esse in materia corporali. Vnde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quæ habent formam in materia, vel quæ per huiusmodi cognosci possunt. Manifestum est autem, quòd per naturas rerum materialium diuina essentia cognosci non potest. Ostensum est enim suprà, quòd cognitio dei per quamcunque similitudinem creatam, non est visio essentiæ ipsius. Vnde impossibile est animæ hominis secundum hanc vitam viuentis essentiam dei videre. H
Et huius signum est,quòd anima nostra quantò magis à corporalibus abstrahitur, tantò intelligibilium abstractorum fit capacior. Vnde in somniis & alienationibus à sensibus corporis,magis diuinæ reuelationes percipiuntur,& præuisiones futurorum. Quòd ergo anima eleuetur vsque ad supremum intelligibilium, quod est essentia diuina, esse non potest quandiu hac mortali vita vtitur. Quòd si in scripturis dicitur aliquis deum vidisse, id intelligitur,inquantum formatæ sunt figuræ vel sensibiles vel imaginariæ, secundum aliquam similitudinem aliquod diuinum repræsentantes. Quod ergo dicit Iacob, Vidi deum facie ad faciem, referendum est non ad ipsam diuinam essentiam, sed ad figuram in qua repræsentabatur deus. Et hoc ipsum ad quandam prophetiæ eminentiam pertinet, vt videatur persona dei loquentis, vel loquens deus licet imaginaria visione. Vel hoc dicit Iacob ad designandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis supra communem statum. Verum est tamen quòd sicut deus miraculosè aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam & supernaturaliter & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viuentium, sed non sensibus carnis vtentium, vsque ad visionem suæ essentiæ eleuauit, vt dicit Augustinus duodecimo super Genesim ad literam, & in libro de videndo deum, de Moyse, qui fuit magister Iudæorum, & Paulo qui fuit magister Gentium. I
Ca. 1. lect. 4 IDEM IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES. Non poteris videre faciem meam. Notandum quòd deus dicitur inuisibilis, quia excedit capacitatem visionis cuiuscunque intellectus creati, ita quòd nullus intellectus creatus naturali cognitione potest pertingere ad eius essentiam, Iob trigesimosexto, Ecce deus magnus vincens scientiam nostram,prima ad Timotheum vltimo,Lucem habitat inaccessibilem, & cætera. Videtur ergo à beatis ex gratia, non ex natura. Ratio huius assignatur à Dionysio, quia omnis cognitio terminatur ad existens,id est,ad aliquam naturam participantem esse. Deus autem est ipsum esse non participatum, ergo est
Cap. 12. lect. 2. incognitus. IDEM IN SECVNDAM AD CORINTHIOS. Demum sciendum, quòd diuinam essentiam nullus in hac vita positus,& hac mortali vita viuens, videre potest. Vnde dixit dominus Moysi, Non K
videbit me homo & viuet,id est,non videbit me homo, nisi totaliter separetur à corpore. Ita scilicet quòd anima eius non insit corpori vt forma, vel si ineat vt forma, tamen mens eius omnino in huiusmodi visione totaliter alienetur à sensibus. CAIETANVS. Rursúmque ait. Non est in Hebræo rursum, sed habetur, Et dixit, Hoc est, ad amplius manifestandum quid continetur sub promissionibus suis adiunxit, Non poteris videre faciem meam, vt intelligat Moyses quòd nec per modum transitus videnda est ab eo facies dei, hoc est, deus,sicuti est. Et ratio subiungitur ex parte conditionis humanæ, Non enim videbit me homo & viuet, Proculdubio vita corporali,qualis nunc agitur. Quod dicitur ad differentiam hominum beatorum post resurrectionem,tunc enim videbit deum homo,& viuet vita corporali,sed non vita animali,qualis agitur nunc,hoc est, vita quæ fouetur cibo & potu,tunc enim viuet homo nullo indigens alimento,non solùm immortalis,sed impassibilis. Nota qui temerè negas in libris Moysi mentionem fieri futuræ felicitatis, hæc verba diuina,non videbit me homo & viuet. Si nullus homo post hanc vitam visurus est deum,superfluè deus adiunxit,& viuet, Sat erat dicere,non L
videbit me homo,hoc enim sufficit ad reddẽdam rationem quare non poteris videre faciem meam. Adiungendo ergo,& viuet,insinuat,quòd adepta hominis vita,poterit homo videre ipsum,ac per hoc proculdubio secundum animam manens,sic enim omnia quadrant,& ratio perfecta redditur, quare Moyses viuens vita corporali ista,non poterit videre faciem dei,quia nullus homo potest hanc visionem assequi viuẽdo. AVCTOR CATENAE. Rursúmque ait. Hebraicè est וַיֹּאמֶר Vaiómer, Et ait,subaudi dominus. Sed hoc parum est. Non poteris videre faciem meam,id est,secundum aliquos,faciem similitudinis,quam tibi obiiciam, tãtùm abest, vt meram ipsam diuinitatem videas. Non enim videbit me homo & viuet. Hebraismus, Nemo viuẽs videbit me,non videbit, non assequetur diuinitatem meam quisquam quandiu viuet, nemo homo viuẽs hanc vitam temporariam & caducam,poterit assequi meam essentiam,quid sim ego. Alij exponunt, Non videbit me homo & viuet, hoc est, Non dabitur homini in hac vita corporea & sensitiua viuenti, vt plenè & perfectè deum in substãtia sua videat. Colliguntq; ex hoc loco Hebræi, Deum nulli mortalium apparere in sua essentia citra mortis discrimen, M
atq; hinc esse quod Manue dicebat Iudicũ capite tertiodecimo, Morte moriemur, quia vidimus dominũ. Sic Iacob pro magna gratia habuit, quòd vidisset deum facie ad faciẽ,& liberata esset anima eius. Alij sic locũ intelligunt, Non videbit me homo qui viuat in æternũ. Moyses enim vidit,& tamẽ mortuus est. Ait itaq; dominus dilecto suo Moysi, faciem meam mortalium nemo intueri valet: in mea propria substãtia & natura inuisibilis sum, aliena autem formã ac faciem, aliquãdo tãdem assumam, in qua videbor inter homines cõuersaturus, verus homo in benedicta humanitate Christi, primò in humilitate conspiciendus, tandem in maiestate mundum iudi-
Quæst. 154. caturus. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Item interposito articulo, dicente scriptura, *Et iterum*, scilicet ait dominus. Sequitur, *Ecce* (inquit) *est locus apud me*. Quis enim locus non penes deum est, qui nusquam est absens? Sed Ecclesiam significat, dicendo, Ecce locus penes me, tãquam templum suum commendans. *Et stabis* (inquit) *supra petram*, quia super hanc petram (ait dominus) ædificabo Ecclesiam meam,

*Cúmque*



A *Cúmque transíbit gloria mea*, Id est, statim vt transiet gloria mea, stabis supra petram, quia post transitum Christi, id est, post passionem & resurrectionem Christi, stetit populus fidelis supra petram. *Ponam te in foramine petræ*, Seu & ponam te in cauerna petræ, munimen firmissimum significat. Alij autem interpretati sunt, In spelunca petræ; sed Græcus habet ὀπῇ, hoc enim foramen, vel cauernam rectiùs interpretamur. *Et protegam manu mea donec transeã*, Siue vt habet alia litera, Et tegam manu mea super te, donec transeam. *Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Vel auferam manũ meam, & tunc videbis posteriora mea, facies autẽ mea non videbitur tibi. Cùm iam dixisset stabis supra petram, statim vt transiet gloria mea, vbi intelligitur post transitum suum promisisse super petram stabilitatem, quomodo accipiendum est quod ait, Ponam te in cauernam Petræ,& tegam manum meam super te, donec & cætera, quasi iam illo in petra constituto, tegat manum suam super eum,& deinde transeat, cùm esse in petra non posit, nisi post eius transitum? Sed recapitulatio intelligenda
B est rei prætermissæ, quali solet vti scriptura in multis locis. Postea quippe dixit, quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet, Tegam manum meam super te, donec transeam, & tunc videbis posteriora mea, nam facies mea non videbitur tibi, & stabis supra petram statim vt transiet gloria mea, & ponam te in cauerna petræ. Hoc enim factum est in eis, quos tunc significabat persona Moysi, id est, Israëlitis qui in dominum Iesum sicut Actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim vt transiet eius gloria. Nam posteaquàm resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum misso de cœlo spiritu sancto, cum linguis omnium Gentium loquerentur *Act. 2.*
Apostoli, compuncti sunt corde multi ex eis qui crucifixerant Christum, quem si cognouissent, nunquam crucifixissent: Cæcitas enim ex parte Israël facta est, sicut dictum fuerat, Tegam manum meam super te donec transeam. Vnde Psalmista dicit, Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, Diem appellans, quando *Psalm. 31.*
Christus diuina miracula faciebat: noctem, quando sicut homo moriebatur, quando & illi titubauerunt, qui in die crediderant. Hoc est ergo, cùm transiero, tunc videbis posteriora mea, Cùm transiero de hoc mundo ad pa-
C trem, posteriùs in me credituri sunt, quorum typum geris. Tunc enim cõpuncti corde dixerunt, Quid faciemus? *Act. 1.*
Et iussi sunt ab Apostolis agere pœnitentiam,& baptizari in nomine Iesu Christi, vt dimitterentur illis peccata eorum. Quod in Psalmo illo sequitur, cùm dictum esset, Die ac nocte grauata est super me manus tua, id est, vt cognoscerem. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Sequitur & iungit, Conuersus sum *1. Cor. 2.*
in ærumna mea dum configitur spina, id est, cùm essem corde compunctus. Deinde addidit, Peccatum meum cognoui,& facinus meum non operui, postquàm viderunt quanto scelere Christum crucifixerunt. Et quia receperunt consilium vt agerent pœnitentiam, & in baptismo remissionem acciperẽt peccatorum, Dixi (inquit) pronunciabo aduersus me delictum meum domino,& tu remisisti impietatem cordis mei. Hãc autem prophetiam potius fuisse, quam locutus est dominus ad Moysen, satis res ipsa indicat, quandoquidem de petra vel cauerna eius,& de manus eius superpositione, de visione posteriorum eius, nihil postea visibili opere subsecutum legitur.
IDEM LIBRO QVARTO DE SYMBOLO AD CATECHVMENOS. Quid igitur con *Cap. 3.*
D cessum sit fidelissimo famulo dei Moysi, ne tam magnum eius desiderium in omnibus frustraretur, debet nosse charitas vestra. Dictum est illi à domino, sicut eadem scriptura narrat, Vade, ascende super petram in Oreb,& sta ibi,& transiet claritas mea ante te, & posteriora mea videbis, facies autem mea non videbitur tibi. Ne fortè surrepat peruersus intellectus, aut hæreticus sensus, & putet quis deum esse corporeum, vigilet pia fides & catholica doctrina. Mysticis enim figuris loquitur scriptura diuina, seruans rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat veritate, quoniam nec hoc vacat à mysterio, quod in monte Oreb super petram iussus est ascẽdere Moy *Exod. 17.*
ses,& stare. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitienti, de qua dicit sanctus Dauid, Dirupit *Psalm. 77.*
petram,& fluxerunt aquæ. Apostolus autem exponens hoc ait, Patres nostri escam spiritalem manducauerunt, & *1. Cor. 10.*
eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus. Ipsa sunt illa posteriora dei, Christus dei. Hoc vidit Moyses prophetando, quod Paulus exponit dicendo. Cùm venit (inquit) plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere. Mulierem hîc ponit, consue- *Gal. 4.*
E tudinem seruans locutionis Hebraicæ, quę omnes fœminas mulieres appellat, Nam scriptum est, Seruate mulie- *Num. 31.*
res quæ nondum cognouerunt virum. Et de ipsa Eua dictum est, Formauit eam in mulierem, antequàm illam *Gen. 2.*
viro coniungeret, eam mulierem appellauit. IRENAEVS ADVERSVS HAERESES VALENTI- *L. 4. ca. 37.*
NI. Vnus deus qui verbo & sapientia fecit & aptauit omnia, hic est autem Demiurgus, qui & mundum hunc attribuit humano generi, qui secũdùm magnitudinem quidem ignotus est omnibus iis qui ab eo facti sunt. Nemo enim inuestigauit altitudinem eius, nec veterum, nec eorum qui nunc sunt. Secundum autem dilectionem cognoscitur semper, per eum per quem constituit omnia. Est autem hic verbum eius dominus noster Iesus Christus, qui in nouissimis temporibus homo, in hominibus factus est, vt finẽ coniungeret principio, id est, hominem deo. Et propterea Prophetæ ab eodem verbopropheticum accipientes charisma, prædicauerunt eius secundum carnem aduentum, per quem commixtio & communio dei & hominis secundum placitum patris facta est, ab initio prænunciante verbo dei, quoniam videbitur deus ab hominibus,& conuersabitur cum eis super terram,&
F colloqueretur,& adfuturus esset, id est, ab vniuerso suo plasmate, saluans illud, & parcibilis ab eo,& liberans nos de manibus omnium odientiũ nos, trãsgressionis spiritu,& faciẽs nos seruire sibi in sanctitate & iustitia omnes dies nostros, vti complexus homo spiritum dei, in gloriam cedat patris. Hæc propheticè significabant prophetæ, sed non quemadmodum quidam dicunt, inuisibili patre omnium existente alterum esse eum, qui à prophetis videretur. Hoc autẽ dicunt, qui in totum, quid sit prophetia nesciunt. Nam prophetia est prædicatio futurorum, id est, eorum quæ post erunt præsignificatio. Præsignificabant enim prophetæ, quoniam videbitur deus ab homi nibus, quemadmodum & dominus ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Sed secundum magni tudinem quidem eius, & mirabilem gloriam nemo videbit deum,& viuet, Incapibilis enim pater, secundum autem dilectionem & humanitatem, & quod omnia possit, etiam hoc concedit iis qui se diligunt, id est, videre deum, quod & prophetabant prophetæ. Quoniam quę impossibilia apud deum. Homo enim à se non videt deũ. Ille autem volens videtur ab hominibus, à quibus vult,& quemadmodũ vult. Potens est enim in omnibus deus,

visus

visus quidem tunc per spiritum prophetiæ, visus est autem & per filium adoptiuè, videbitur autem & in regno G
cœlorum paternaliter, spiritu quidem præparante hominem in filium dei, filio autem adducente ad patrem, patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ vnicuique euenit ex eo quòd videat deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem eius recipiunt: sic & qui vident deum, intra deum sunt, percipientes eius claritatem, viuificat autē eos claritas. Percipiunt ergo vitam qui vident deū, & propter hoc incapibilis, visibilem se & comprehensibilem & capacem hominibus præstat, vt viuificet percipientes & videntes se: quemadmodum enim magnitudo eius inuestigabilis est, sic & benignitas eius inenarrabilis, per quam visus vitam præstat iis, qui vident eum. Quoniam viuere sine vita impossibile est, subsistentia vitæ autem, de participatione euenit: participatio autē dei, est videre deū, & frui benignitate eius. Homines igitur videbūt deum & viuent, per visionem immortales facti, & pertingentes vsque in deum. Quod sicut prædixi per prophetas figuraliter manifestabatur, quoniam videbitur deus ab hominibus qui portant spiritū eius, & semper aduentum Chri- H
sti sustinent. Quemadmodum & in Deuteronomio Moyses ait, In die ista videbimus, quoniam loquetur deus ad hominem & viuet. Quidam enim eorum videbant spiritum propheticum, & operationes eius in omnia genera charismatum effusa: alij verò aduētum domini, & eam quæ est ab initio administrationem per quam perfecti, voluntatem patris, quæ est in cœlis, & quæ est in terris: alij verò & glorias paternas temporibus aptas, & ipsis qui videbant, & qui tunc audiebant, & omnibus qui deinceps audituri erant. Sic igitur manifestabatur deus, per omnia enim hæc deus pater ostenditur, spiritu quidem operante, filio verò administrante, patre verò comprobante, homine verò consummante ad salutem. Quemadmodū & per prophetam Oseæ ait, Ego (inquit) visiones multiplicaui, & in manibus prophetarum assimilatus sum. Apostolus autem idipsum expossuit, dicens, Diuisiones autem charismatum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt, idem dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Sed quoniam qui omnia in omnibus operatur deus est, qualis est, & quantus est, in- I
uisibilis & inenarrabilis est omnibus, quæ ab eo facta sunt, incognitus autem nequaquā: omnia enim per verbum eius discunt, qui est vnus deus pater qui continet omnia, & omnibus esse præstat, quemadmodum in Euangelio scriptum est, Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Enarrat ergo filius ab initio patris, quippe qui ab initio est cum patre, qui & visiones propheticas, & diuisiones charismatum, & ministeria sua, & patris glorificationem consequenter & compositè ostenderit humano generi apto tempore ad vtilitatem. Vbi est enim consequentia, illic & constantia: & vbi constantia, illic & pro tempore: & vbi pro tempore, illic & vtilitas: & propterea verbum dispensatum paternæ gratiæ factus est ad vtilitatem hominū, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens deum, deum autem exhibens hominem, & inuisibilitatem quidem patris custodiens, nequando homo fieret contemptor dei, & vt semper haberet ad quod proficeret, visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens deum, ne in totum deficiens homo cessaret esse. Gloria enim dei viuens homo, Vita autem hominis, visio dei. Si enim quæ est per conditionem K
ostensio dei, vitam præstat hominibus in terra viuentibus, multo magis ea quæ est per verbum manifestatio patris, vitam præstat iis, qui vident deum. Quoniam ergo spiritus dei, per prophetas futura significauit, præformans nos, & præaptans ad id, vt subditi deo simus, futurum autem erat, vt homo per sancti spiritus beneplacitū videret, necessariò oportebat eos per quos futura prædicabantur, videre deum, quem ipsi hominibus videndum intimabāt, vti non solū dicatur propheticè deus, & dei filius, & filius & pater, sed vt videatur omnibus membris sanctificatis & edoctis ea quæ sunt dei, vt præformaretur & premeditaretur homo applicari in eam gloriam, quę pòst reuelabitur iis qui diligunt deum. Non enim solùm sermone prophetabant prophetæ, sed & visione & conuersatione, & actibus quos faciebant, secundum id quod suggerebat spiritus. Secundum hanc igitur rationem inuisibilem videbant deum. Quemadmodum & Esaias ait, Regem dominum sabaoth vidi oculis meis, significans, quoniam videbit oculis deum homo, & vocem eius audiet. Secundum hanc igitur rationem, & filium dei hominem videbant conuersatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nōdum aderat, L
adesse dicentes, & impassibilem passibilem annunciantes, & eum qui tunc in cœlis, in limum mortis descendisse, dicentes. Et reliquas autem eius recapitulationis dispositiones, quasdam quidem per visiones videbant, quasdam per verbum annunciabant, quasdam verò per operationem typicè significabant, quæ quidem videnda erant visibiliter videntes, quæ verò audienda erant, sermone præconantes, quæ verò agēda erant operatione perficientes, vniuersa verò propheticè annunciantes. Propterea & Moyses transgressori quidem legis populo igneum deum esse dicebat, igneum à deo diem superduci minitans. His verò qui erga dominum timorem habebant, dominus deus dicebat, misericors, pius, & magnanimus, & magnæ miserationis, & verax, & iustitiam seruans, & misericordiam in milia, auferens iniustitias, & nequitias & peccata. Et verbum quidem loquebatur Moysi apparens in conspectu, quemadmodum si quis loquatur ad amicum suum. Moyses verò cupiuit manifestè videre eum, qui secum loquebatur, & dictum est ei, Sta in loco alto petrę, & manum meam contegam super te. Quando verò transierit claritas mea, tunc videbis quæ sunt posteriora mea, facies autem mea non videbitur tibi, nō enim M
videt homo faciem meam, & viuet, vtraque significans, quoniam & impossibile est homini videre deum, & quoniam per sapientiam dei in nouissimis temporibus videbit deum homo, in altitudine petræ, hoc est, in eo qui est secundum hominem eius aduentus, & propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo in altitudine montis, assistente etiam Helia, quemadmodum Euangelium retulit, restituēs in fine pristinam repromissionem. Non igitur manifestè ipsi faciem dei videbant prophetæ, sed dispositiones & mysteria quæ inciperet homo videre deum. Quemadmodum & Heliæ dicebatur, Exies cras, & stabis in conspectu domini, & ecce dominus trāsiet, & ecce spiritus magnus & fortis qui dissoluet montes, & conteret petras in conspectu domini, & nō in spiritu dominus, & post spiritum terræmotus, & non in terræmotu dominus, & post terræmotum ignis, & non in igne dominus, & post ignem vox auræ tenuis. Per hæc enim, & per prophetas valde indignans, propter transgressionem populi, & propter interfectionem prophetarum, docebantur mitiùs agere, ac secundum hominem aduentus domini



A mini significabatur futurus, post illam legem quæ data est per Moysen, mitis & tranquillus, in quo nec calamum quassatum confregit, nec linum fumigans extinxit. Ostendebatur autem & regni eius mitis & pacifica requietio. Post enim spiritum qui conterit montes, & post terræmotum, & post ignem, tranquilla & pacifica regni eius adueniūt tempora, in quibus cum omni tranquillitate spiritus dei viuificat, & auget hominem. Manifestiùs autem adhuc per Ezechielem factum est, quoniam ex parte dispositiones dei, sed non ipsum videbant prophtæ priores deum. Hîc enim dei cū vidisset visionē, & Cherubim & rotas eorum, & vniuersæ progressionis eius mysterium cùm retulisset, & similitudinem quasi figuram hominis, & illa quidem quæ erant super lumbos eius, quasi figuram electri, quæ autem deorsum, quasi visionem ignis & reliquam vniuersam thronorum visionem manifestans, ne quis putaret fortè eum in iis propriè vidisse deum, intulit, hæc visio similitudinis gloriæ domini. Igitur si neque Moyses vidit deum, nec Helias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt, quæ autem ab iis videban-
B tur erant similitudines claritatis domini, & prophetiæ futurorum, manifestum est quoniam pater quidem inuisibilis, de quo & dominus dixit, Deum nemo vidit vnquam. Verbum autem eius quemadmodum volebat ipse, & ad vtilitatem videntium claritatem monstrabat patris, & dispositiones exponebat. Quemadmodum & dominus dixit, Vnigenitus deus qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et ipse autem interpretatur patris verbum, vtpote diues & multus existens, non in vna figura, nec in vno charactere videbatur videntibus eum, sed secundū dispensationum eius causas siue efficaciam, sicut in Daniele scriptum est, Aliquando enim cum iis qui erant circa Ananiam, Azariam, Mizaelem, videbatur, assistens eis in fornace ignis & in camino, & liberans eos de igne, Et visio, inquit, quarti, similis filio dei. Aliquando autem lapis à monte abscissus sine manibus, & percutiens temporalia regna, & ventilans ea, & ipse replens vniuersam terram. Rursum hîc idem videbitur quasi filius hominis in nubibus cœli veniens, & appropinquans ad veterem dierum, & sumens ab eo vniuersam potestatē & gloriam, & regnum, Et potestas (inquit) eius potestas æterna, & regnum eius non interibit. Sed & Ioannes domini
C discipulus in Apocalypsi sacerdotalem & glorioſum regni eius videns aduentum: Conuersus sum, inquit, videre vocem quæ loquebatur mecum, & conuersus vidi septem candelabra aurea, & inter candelabra similem filio hominis, indutum podere, & adcinctū ad mammas zonam auream. Caput autem eius & capilli quemadmodū lana alba, quomodo nix, & oculi eius vt flamma ignis, & pedes eius similes chalcolibano, quemadmodum in camino succensus est. Vox eius quasi vox aquarum, & habet stellas septem in manu dextera sua, & de ore eius romphea ex vtraque parte acuta exibat, & facies eius quemadmodum sol fulgens in virtute sua. In iis enim aliquid à patre clarum eius significat, vt caput: aliquid verò sacerdotale, vt poderem, & propter hoc Moyses secundum typum vestiuit pontificem: aliquid verò ad finem, quemadmodum chalcolibonum in camino succensum, quod est fortitudo fidei, & perseuerabile orationum, propter adueniens in fine temporum succensionis incendium. Ioanne verò non sustinente visionem, Et cecidi enim (inquit) ad pedes eius quasi mortuus, vt fieret quod scri-
D ptum est, Nemo videt deum, & viuet, & viuificans eum verbum & admonens, quoniam ipse est in cuius pectore recumbebat ad cœnam, interrogans quis esset qui inciperet eum tradere, Et dicebat, Ego sum primus & nouissimus, & qui viuo, & fui mortuus, & ecce viuo in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferorum. Et post hæc in secunda visione eundem dominum videns, Vidi enim (inquit) in medio throni & quatuor animalium, & in medio presbyterorum agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septē, qui sunt septem spiritus dei, dimissi in vniuersam terram. Et rursus de eodem ipso agno ait, Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verus, & per iustitiam iudicat & pugnat, & oculi eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse, & circumamictus vestimentum aspersum sanguine, & vocatur nomen eius verbum dei, & exercitus cœli sequebatur eum in equis albis, vestiti byssinum album mundum, & de ore eius procedit romphea acuta, vt in ea percutiat gentes, & ipse pascet eos in virga ferrea, & ipse calcat lacum vini furoris iræ dei omnipotentis, & habet super vestitum, & super femur suum nomen scriptum, Rex regum & dominus dominantium. Sic semper verbum dei ve-
E lut lineamenta rerum futurarum habet, & velut species dispositionum patris hominibus ostendebat, docens nos quæ sunt dei. HILARIVS QVARTO DE TRINITATE. Vnigenito deo prædica, quòd absque eo deus non sit. Audi enim præter Moysen & Esaiam, tum idipsum quoque & Hieremiam docentem, cùm dicit, Hic deus noster est, & non deputabitur alter ad eum. Qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc super terram visus est, & inter homines conuersatus est. Dixerat enim iam superiùs, Et homo est, & quis cognoscet eum? Habes ergo deum in terra visum, & inter homines conuersatum, & requiro quomodo intelligendum existimes, deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius, qui est in sinu patris, cùm Hieremias deum prædicet, qui & visus in terris est, & inter homines conuersatus est? Pater certè non nisi filio visibilis est. Quis ergo iste est qui visus est, & conuersatus est inter homines? Deus certè noster est, & visibilis in homine, & contrectabilis deus. Et prophetam loquentem intellige, Non deputabitur alter ad eum. Si quæris quomodo, audi quæ sequuntur, ne per id non & patri proprium esse existimes, quod dictum
F est, Audi Israël, Dominus deus tuus vnus est. Hæc enim sibi cohærent. Non deputabitur alter ad eum, qui inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hoc super terram visus est, & inter homines conuersatus est. Vnus est enim mediator dei & hominum, deus & homo, & in legislatione, & in corporis assumptione mediator. Alius igitur ad eum non deputabitur. Vnus est enim hic in deum ex deo natus, per quem creata sunt omnia in cœlo & in terra, per quem tempora & secula facta sunt. Totum enim quicquid est, ex eius operatione subsistit. Hîc ergo vnus est disponens ad Abraham, loquens ad Moysen, testans ad Israël, manens in prophetis, per virginem natus ex spiritu sancto, aduersantes nobis inimicásque virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria corporis sui perimens. Ad hunc ergo non deputabitur alius. Soli enim hæc vnigenito deo propria sunt, & vnus hic in hanc peculiarem virtutum suarum beatitudinem natus ex deo est, non alter ad eum deus deputatur. Non enim ex alia substantia, sed ex deo deus est. Nihil in eo itaque nouum, nihil extraneum, ni-

hil

hil recens est. Cùm enim audit Israël, quòd sibi deus vnus sit, & filio dei deo non alter deus deputetur, vt deus G sit absolutè pater deus, & filius deus vnum sunt, non vnione personæ, sed substantiæ vnitate, quia filio dei deo deputari ad alterum deum non sinit propheta dicens, quòd deus vnus est. GREGORIVS NYSSENVS.

Ambigere profectò quispiam poterit, quomodo Moyses quem tot tantísque visionibus deum vidisse scriptura testatur, quo cum deus ita loquebatur, vt si quis amicum suum alloqueretur, orat nunc quasi nunquam vidisset, vt videat. Et quomodo diuina vox modò annuit oranti quod petit, & hanc quoque gratiam, sibi velle conferre non negat: modò in desperationem ducit, cùm asserat non esse hanc vitam hominum eius rei quam postulabat capacem, & ad hæc, quem locum esse apud se deus dicit, & quem in loco lapidem, & quod in lapide foramen, in quod iubet peruenire Moysen, deinde deum manum suam ad os foraminis illius positurum, & cùm transierit Moysen inuocatum à foramine, posteriora eius, qui vocauit inspecturum, hæc enim scriptura narrat, & sic asserit deum à Moyse perspectum, sicut diuina voce sibi fuerat promissum. Hæc omnia H si quis secundum literam solùm consideret, non obscurus duntaxat quærentibus sensus fiet, verùm etiam non rectas de eo generabit opiniones, sola enim figurata anterius, atque posterius habent, omnis figura corporis terminus est. Quare qui figuram deo attribuit, corpus ipsum consequenter putabit, corpus autem omne compositum est, compositum porrò diuersorum ac differentium concursu constituitur. Quicquid verò sic constitutum est, indissolubile non est, quódque dissoluitur, id corrumpitur: dissolutio enim, corruptio compositi est. Quas ob res si quis posterius dei secundum literam capiet, in hoc inconueniens consequenter deducetur. Nam antè & retro in figura certè est, figura in corpore, corpus natura dissolubile, dissolubile autem incorruptibile esse non potest. Sic qui omnino literæ seruit, rerum ipsarum consequentia corruptibilem esse deum opinari compellitur. Est autem deus incorruptibilis omnino atque immortalis. Non est ergo vbique sequenda litera. Quòd si hac in parte altiorem, quàm litera patitur, sensum quærere cogimur, quis alienum esse scriptura dicet, si ad spiritualem sensum totum reducimus? nam cùm necesse sit partes aliquas spiritaliter intelligere, I totum quoque necesse, vt & possit & debeat, sicuti partes intelligi, est enim totum ex partibus, quare partium naturam sapiat necesse est. Locus igitur apud deum, & lapis in loco, & in lapide quædam capacitas, quâ foramen appellauit, ingressúsque Moysi ad illud, impositio quoque manus dei in ore foraminis, & transgressio eius, & vocatio, ac denique posteriorum partium aspectatio, ad altius & conuenientius norma regulâque anagogica sic reducetur. Quemadmodum igitur grauia & rotunda corpora, si è cacuminibus montium lapsa deorsum fuerint, & si nullus postea impellat, ipsa tamen per se vehementiore impetu, si nihil impedimento sit, semper deferuntur, quousque ad planiciem descenderint. Sic anima cuius natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus, ardentior in dies fiet, velociúsque pertransit, ad sublimiora semper conscendens. Nam cùm nihil sibi sit impedimento, per seipsam ad naturam boni fertur. Attrahit enim ad se natura ipsius boni, omnes qui ad pulchritudinis eius radios, sanis possint oculis respicere, ita fit vt cœlestium desiderio semper ad maiora (vt Apostolus ait) consurgat, ac semper ad altiora peruolet. Nam cùm per ea quæ iam percepit, ad maiora K & perspicere & aspicere possit, maiore atq; maiore desiderio semper ardet, ac si indesinẽter sursum fertur, his quæ peracta sunt robustior facta, solùm enim virtutis actio nutrit laborem, virésque auget. Quapropter magnus ille Moyses, cùm semel per scalam in qua deus innixus erat, vt Iacob dicit, ascendere cœpisset, nunquam stetit, nunquam terminum motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascendebat, nec enim deficere vnquam potest altior gradus. Negauit falsam Aegyptiorum reginæ coniunctionem, qua filius eius putabatur. Hebræum vltus est, ad desertam & solitariam se transtulit vitam, quam humanæ perturbationes non vexant, pauit cicurium animalium gregem, vidit resplendentem lucem diuinam, abiecit calceos, vt faciliùs ad lucem accederet, in libertatem vendicauit suos, hostem vndis vidit submersum, lucida nube ductus est, sicco lapide sedauit sitim, à cœlo deduxit panem. Præterea extensione manuum alienigenam fudit, sonitum tubæ audiuit, caliginem subiit, ad penetralia diuini tabernaculi ingressus est, sacerdotij didicit mysteria, simulachrum destruxit, propitium deum reddidit, legem de Deorum prauitate dirutam restituit, gloria effulsit. Ac tot tantísque sublimationibus elatus adhuc ardet desiderio, adhuc tanquam famescens ac sitiens, tanquam eo carens, quo semper fruebatur, orat vt videat, non vt ipse capere potest, sed vt se habet qui desideratur. Vnde arbitror immenso desiderio atque ardenti erga deum ita fuisse affectum, quod visionibus sibi enituit, vt ferre non posset, quin ab iis quæ comprehendit ad occultiora compelleret, quocirca supremæ pulchritudinis amator, quod iam viderat, tanquam imaginem eius, quod non viderat credens, ipso frui primitiuo desiderabat. Id ergo vult audax in monte illa petitio, ne per specula & imagines, sed per veram & propriam faciem frui pulchritudine posset. Diuina verò vox per ea quæ negat, concedit quod petitur, pauculis verbis immensam sententiarũ profunditatem subaperiens. Annuit enim facturum se quod petebatur, finem autem atque cessationem huius desiderij futurum non promisit, nec enim ita quispiam deum videre potest, vt videndi desinat desiderium. Nam in hoc profectò deus videtur, vt nunquam desinas ad eum respicere. Sed quisnam est ille locus, qui apud deum esse intelligitur? Quis ille lapis? quæ est illa capacitas in lapide? quæ est illa manus dei, quæ hos lapides forami- M nis retinet? transitus verò dei quis est? aut posterius eius, quod Moyses videre permittitur? oportet enim profectò magnum quid vnumquodque istorum esse, & deo tonanti non indignum, ita vt omnium visione, quam ad hunc vsque diem Moyses viderat, maior hæc & sublimior credi possit. Quomodo igitur illorum verborum profunditatem intelligemus? auxilio scilicet illius, qui & Moysi, & omnibus qui eum amant, planam ad omne bonum viam solet præstare. Ecce (inquit) locus apud me. Quod sic intelligendum est, quod ab iis quæ mox diximus, non sit alienum. Locum igitur dicit non superficie circunfusum, nec quantite vlla descriptum (nec enim est in immenso mẽsura) sed ad infinitum atque interminabile loci nomine, qui circunscripta mensura terminatur, auditorem deducit. Hunc ergo sensum subostendere mihi videtur. Quoniam tibi Moyses ad anteriora pergendi semper ingens desiderium est, nec vllo huius cursus labore defatigaris, nec terminum huius assequendi boni constituis, sed semper inhias ad maiora, scias tantum esse apud me locum, vt nunquam terminum

eius



A eius cursu aut volatu aliquo queas inuenire. Hic autem cursus atque volatus, status quidam ex alia ratione. Si stam enim (inquit) te in lapide. Mirabile auditu quomodo vnum ac idem, est status, & motus est. Si quis ascendit, non stat: si stat, non ascendit. At hic ascendit, quia stat. Nam qui caducus ac instabilis cogitationibus est, non fixus in bono nec permanens, sed mobilis atque fluctuans, cogitationibus variis oppressus & conquassatus, is nunquam ad sublimitatem veræ vitæ ascendit, sicut qui colles conantur scandere sabulo, nam etsi proiectis in longum pedibus magna transire spacia videantur, semper tamen ad inferiora delapso sabulo deferuntur. Motus igitur fit, progressus autem nullus fit. At si quis vt Psalmista dicit, à fece profundi retractos pedes in hoc posuerit lapide, lapis autem Christus est, plenitudo virtutum omnium, quantò firmior ac nobilior vt Paulus consulit, in bono fuerit, tantò velociùs volat hac stabilitate quasi pennis eleuatus. Cùm igitur locum apud se ostendit, ad perpetuum cursum exhortatur. Cùm statum in lapide daturum se promittit, modum diuini B cursus illius Moysi subaperit. Capacitas verò aut foramen lapidis, verbis Apostoli expositum est, cùm domum non manufactam cœlestem spe iis reseruari, qui terrestre tabernaculum dissoluerunt asserat. Nam certè qui cursum perfecit, vt ipse dicit, in lato illo & capacissimo studio, quod diuina vox locum appellauit, qui videlicet fidem conseruauit, ac in lapide vti ænigmaticè dicitur, pedes suos firmauit, is corona iustitiæ, à manu eius qui hæc certamina nobis posuit coronabitur. Hæc autem gloria multis nuncupatur à scriptura nominibus. Vna enim & eadem res hîc quidem lapidis capacitas appellatur, in aliis autem paradisus, delitiæ, tabernaculum æternum, mansio apud patrem, patriarchæ sinus, regio viuentium, aqua requietis, Hierusalem superior, regnum cœlorum, Babylon vocationis, corona gratiarum, corona pulchritudinis, turris fortitudinis, supermensale gaudium, dei consensus, sedes iudicij, locus nominatissimus, occultum tabernaculum. Vna ergo illius gloriæ hæc quoque appellatio est, Moysi in lapidem ingressus. Nam quoniam Christus lapis est, vt Paulo placet, Omnem autem bonorum spem in Christo firmiter esse credimus, qui bonum aliquod adeptus est, is in C Christo est, qui omne bonum cõtinet, qui verò ad Christum peruenit, & à manu dei tectus est (manus autem dei quid aliud esse potest quàm creatrix rerum virtus?) ipse vnigenitus deus, per quem omnia facta sunt, qui & currentibus locus est, & via, vt ipse dicit, & lapis confirmatorum, & domus quiescentium, qui ad hunc (inquam) peruenit, is audiet vocantẽ, is in posterioribus vocantis constituetur vt scriptura monet, quod probè Dauid ille intellexit. Habitanti enim in auxilio excelsi dicit, In scapulis suis obumbrabit tibi, quod est post deũ esse constitutum. Nam scapulæ posteriora sunt. De se autẽ clamat, Adhæsit anima mea post te, & suscepit me dextera tua. Vides quomodo Psalmista cum historia consentit. Nam vt hîc dicitur eum à dextera suscipi, qui post deum adhęsit, sic ibi eum manus tegit, qui dei vocem expectat in lapide. Sed dominus quoque qui Moysi oracula dedit qui ad implendum legem suam venit, ænigma id enodans apertissimè, similiter ad discipulos ait, Si quis (inquit) vult post me venire, non dixit ante me. Hoc quoque ipsum cuidam de vita æterna cogitanti præcipit, dicens, Veni, & sequere me. Qui autem sequitur, non faciem, sed tergum aspicit. Docetur igitur Moyses desideD rans deum videre, quomodo potest deus videri. Sequi enim deum corde ac animo semper quocunque ducat, idipsum est deum videre. Etenim transitus ille dei, ducem esse deum sequentis significat, cùm non sit possibile viam ignoranti rectè ac tuto iter peragere, nisi post ducem rectè sequatur. Dux igitur præeundo sequenti viam monstrat, qui autem sequitur, tunc à recta via non aberrat, cùm semper ducis tergum respiciat. Nam qui ad latera se transfert, aut ducentis faciem cernere studet, non facit eam viam quam dux ostẽdit, ac ideo dicitur ei, Facies mea non videbitur tibi, hoc est, noli ad faciem ducentis dei occurrere, ne in oppositum cursus fiat. Nam si bono bonum contrarium non est, & qui ducentis faciem videt, ducenti oppositus est, cùm ducens bonus sit, ipse malus est, contrarium virtuti vitium, quare Moyses non ex oppositio conspicit deum, sed tergum eius respicit. Nam qui ex oppositio deum aspicit, non viuet, vt vox diuina testatur, Non videbit (inquit) homo faciem meam & viuet. Vides quantum est vt aliquis discat deum sequi. Nam post illos ascensus mirabiles, post glorioſas visiones, post inaudita miracula, vix iuxta finem vitæ hanc consecutus est gratiam, vt diE sceret deum sequi. Nihil enim amplius mali officere illi potest, qui post deum hoc modo constitutus est.

HIERONYMVS IN MATTHAEVM. Petra Christus est. Super hanc petram dominus fun- *Cap.8.*
dauit Ecclesiam. Ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen. Super huiusmodi petram non inueniuntur
serpentis vestigia. De hac & Propheta loquitur confidenter, Statuit supra petram pedes meos. Et in alio loco, *Psalm.39.*
Petra refugium leporibus siue herinaciis. Timidum enim animal in petræ cauernas se recipit, & cutis aspera & *Psalm.130.*
tota armata iaculis, tali se protectione tutatur. Vnde & Moysi dicitur eo tempore quo de Aegypto fugerat, & lepusculus domini erat, Sta in foramine petræ, & posteriora mea videbis. IDEM IN ECCLESIASTEN.
In consummatione mundi cũ refriguerit charitas multorũ, & imminutæ fuerint animę magistrorũ quæ possunt *Cap.12.*
cœlestẽ cibũ præbere credentibus, translatæ in cœlestia, tunc incipient hi qui ex parte in hoc mundo intuebantur
lumẽ sciẽtiæ, inuolui tenebris. Si enim Moysi dicitur, Ponam te in foramine petræ, & sic posteriora mea videbis,
qutãò magis vnaquęq; anima per foramẽ & quasdã tenebrosas cauernas aspicit veritatẽ? THEODORETVS.
F Moyses legislator cũ audisset deum dicentem, Non ascendam tecum, populus enim duræ ceruicis es, precatus est deum vt secum ambularet, neque alium pro se deum illis daret. Postquàm autem id quoque à bonitate diuina impetrauit, Diuino amore correptus, Diuinam naturam vt videret orauit. Cui dictum est, Non poteris videre faciem meam. Deum enim nemo vnquam vidit, Sed diuinas dispensationes atque operationes (sic enim posteriora dei intelligendum est) neque id tamen promiscuè & communiter omnibus datum est, sed iis qui super petram ab ipso deo collocati sunt, quæ profectò fidem illam solidam atque immotam declarant, cuius petræ foramen quid aliud quàm fidei oculum intelligere debemus, quo ea conspicimus quæ corporeis oculis nulla ratione contemplari possunt? Ecce (inquit) locus apud me. Diuinæ bonitatis locum vocat, per quem quum à nullo comprehendi ac capi queat, ab iis qui digni sunt, quodammodo capi ac contineri videtur. GREGO- *Cap.6.*
RIVS TRIGESIMOQVINTO MORALIVM. Est locus apud me, & cætera. Locus iste Ecclesia est, *Exod.12.*
de qua veritas conspicitur, & sacrificium accipitur, quæ sola pro errantibus fiducialiter intercedit, vnde de

agni

agni hostia præcipitur, In vna domo comedite, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna nanq; domo agnus co- G
meditur, quia in vna catholica Ecclesia vera hostia redemptoris immolatur. De cuius carnibus diuina lex efferri
foras prohibet, quia dari sanctũ canibus vetat. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur, vnde & mercedẽ
*Gen.7.* denarij, nõ nisi qui intra vineã laborauerant acceperunt. Sola est quæ intra se positos valida charitatis cõpage cu
stodit. Vnde & aqua diluuij arcam quidẽ ad sublimiora sustulit, omnes autẽ quos extra arcã inuenit extinxit. So
la est in qua superna mysteria veraciter contemplemur. Vnde & ad Moysen dominus dicit, Est locus apud me, &
stabis supra petrã & paulò pòst. Tollam manũ meã, & videbis posteriora mea. Quia enim ex sola catholica Ec-
clesia veritas conspicitur, apud se esse locũ dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moysi ponitur vt dei spe-
*Matth.16.* ciem contempletur. Quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua so-
*Cap.14.* liditate dominus dicit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. IDEM VIGESIMO QVINTO MORALIVM. Per locum igitur Ecclesia, per petram dominus, per Moysen verò multitudo plebis H
Israëliticæ figuratur, quæ domino in terra prædicante non credidit. Ipsa ergo in petra stetit, terga domini
transeuntis aspiciens, quia videlicet post passionem ascensionẽmque dominicam, intra sanctam Ecclesiam de-
ducta, fidem Christi percipere meruit, & cuius præsentiam non vidit, eius posteriora cognouit. SIXTVS
PAPA AD EPISCOPOS ORIENTALES. Ecclesia dei sine macula & ruga debet existere, & ideo
non oportet eam à quibusdam conculcari, aut maculari, quia scriptum est, Vna est columba mea, perfecta mea.
Hinc iterum dominus ad Moysen ait, Est locus penes me, & stabis supra petram. Quis est locus qui non sit do-
mini, dum cuncta in ipso per quem creata sunt continentur? Sed tamen locus apud eum, videlicet sanctæ Ec-
clesiæ vnitas est, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. INTER-
LINEARIS. Quia igitur ex sola catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se dicit dominus esse locum
de quo videatur. Cùm transierit gloria mea, id est, filius meus de hoc mundo ad patrem, gloria enim patris, est
filius sapiens. In foramine petræ ponam te, hoc est, in passione eiusdem solidabo te. Protegámque manu mea I
donec transeam, id est, velamen ponam super oculos tuos, ne mysterium incarnationis cognoscas. Et cùm tran-
siero, tollam manum meam, & videbis posteriora mea, ac si apertè dicat, Postquàm ad cœlos ascendero, aufe-
ram velamen à corde tuo, & incarnationem credes. Faciem autem meam videre non poteris, videlicet præsen-
tiam in carne meam non cognosces, suppositа scilicet cæcitate tua. EVCHERIVS DE FORMVLIS
SPIRITALIBVS. Sed & transire dicitur deus, cùm de cordibus quorundam hominum, in quibus ante per
fidem credebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, & ad alios transit, quemadmodũ
de Iudæis ad Gentes, de hæreticis ad Catholicos, seu de quibuslibet irreligiosis ad religiosos. RVPERTVS.
Ecce est locus apud me, & cætera. Hoc pro parte dictum est electorum, videlicet Petri cæterorúmque Apostо-
lorum, vel omnium qui ex eodem populo crediderunt, aut credituri sunt, quibus nihil obfuit, quòd faciem, id
est, præsentiam domini sicut erat, non viderunt, postquàm enim resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum, tunc
cognouerunt, & ita quodammodo posteriora eius viderunt. Dicat ergo, Est locus apud me, stabis supra petram. K
*Matth.16.* Quam videlicet supra petram stabat Petrus iam cùm diceret, Tu es Christus filius dei viui, & idcirco tale re-
sponsum accepit, Et ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Cúmque tran-
sibit gloria mea, id est, cùm transiero ex hoc mundo, glorificatus magna resurrectionis & ascensionis gloria, po-
nam te, id est, omnem Israëlitam, quicunque erit ex tua fide, quemcunque non excæcauerit fumus inuidiæ, po-
nam (inquam) in foramine petræ, id est, in fide passionis meæ, & protegam dextera mea, non enim rapiet quis-
quam de manu mea, donec transeam, vt prædictum est. Tollámque manum meam, id est, extollam potentiam
meam, & videbis posteriora mea, sicut iam dictum est, Faciem autem meam, id est, dum præsens in corpore
*2.2.q.171.* sum, maiestatem meam non poteris videre. THOMAS. Cúmque transibit gloria mea. Sicut Apostо-
*ar.2.in cor.* lus dicit ad Ephesios quinto, Omne quod manifestatur lumẽ est, quia videlicet sicut manifestatio corporalis vi-
sionis fit per lumen corporale, ita etiam manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet
ergo quòd manifestatio proportionetur lumini per quod fit, sicut effectus proportionatur suæ causæ. Cùm er- L
go prophetia pertineat ad cognitionem, quæ supra naturalem rationem existit (vt dictum est) consequens est,
quòd ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale, excedens lumen naturalis rationis. Vnde dici-
tur Micheæ septimo, Cùm sedero in tenebris, dominus lux mea est. Lumen autem dupliciter alicui inesse po-
test. Vno modo per modum formæ permanentis, sicut lumen corporale est in sole & in igne. Alio modo per
modum cuiusdam passionis siue impressionis transeuntis, sicut lumen est in aëre. Lumen autem propheticum
non inest intellectui prophetæ per modũ formæ permanentis, aliàs oporteret quòd semper prophetæ adesset fa-
cultas prophetandi, quod patet esse falsum. Dicit enim Gregorius super Ezechielẽ, Aliquãdo prophetiæ spiritus
deest prophetis, nec semper eorum mentibus præsto est, quatenus cũ hunc non habent, se hunc cognoscant ex do-
no habere cùm habent. Vnde Heliseus dixit de muliere Sunamite quarto Regum quarto, Anima eius in amari-
tudine est, & dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Et huius ratio est, quia lumen intellectuale in ali-
quo existens per modum formæ permanentis & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum M
principium illorum quæ per illud lumen manifestantur, sicut per lumen intellectus agentis præcipuè intellectus
cognoscit prima principia omnium illorum quæ naturaliter cognoscuntur. Principium autem eorum quæad
supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifestantur, est ipse deus, qui per essentiam à
prophetis non videtur. Videtur autem à beatis in patria, in quibus huiusmodi lumen inest, per modum cuius-
dam formæ permanentis & perfectæ, secundum illud Psalmi, In lumine tuo videbimus lumen. Relinquitur er-
go quòd lumen propheticum insit animæ prophetæ per modum cuiusdam passionis vel impressionis transeun-
tis. Et hoc significatur Exodi trigesimo tertio, Cúmque transibit gloria mea ponam te in foramine petræ, & cæ-
tera. Et tertij Regum decimonono dicitur ad Heliam, Egredere, & sta in monte coram domino, & ecce domi-
nus transiit, & cætera. Et inde est quòd sicut aër semper indiget noua illuminatione, ita etiam mens prophetæ
semper indiget noua reuelatione, sicut discipulus qui nondum est adeptus principia artis, indiget vt de singu-
lis instruatur



A lis instruatur. Vnde Esaiæ quinquagesimo dicitur, Mane erigat mihi aurem &, & audiam quasi magistrum.
Et hoc etiam ipse modus loquendi per prophetiam designat, secundum quod dicitur quòd locutus est domi-
nus ad talem vel talem prophetam, aut quòd factum est verbum domini, siue manus domini super eum. Habi-
tus autem est forma permanens. CAIETANVS. Et iterum, Iuxta Hebræum, Et dixit dominus. Ad-
iunctio ista nouum quid insinuat, & verè noua est manifestatio prędictorum ex noua similitudine continente o-
mnia antedicta, tam pollicita, quàm negata. Ecce est locus, & cætera. Iuxta Hebræum, Ecce locus mecũ, & sta-
bis super rupem, & erit transeunte honore meo, & ponam te in foramine rupis, & velabo vola mea super te, do-
nec transeam, & remouebo volam meam, & videbis posteriora mea, & facies mea non videbitur. Non promit-
titur res gerenda, sed parabola est. Cuius sensus est, quòd intelligibili quasi transitu dei coram intellectu Moysi
ipse Moyses stabit super rupem, hoc est, erecta & fixa mente eleuatus, sed tamen quasi abscondetur in concaui-
B tate rupis ab ipso deo, dum vniuersa capacitas mentis humanæ offuscatur in seipsa, & opprimendam se experi-
tur à tam excellenti obiecto. Quamuis enim excellens intelligibile non corrumpat intellectum, sed confortet il-
lum, est tamen illi improportionatum, & excedit capacitatem illius, & hoc est offuscare & opprimere illum. Et
quia huiusmodi improportio impediens nostrum intellectum ad videndum diuinum intelligibile, non est sup-
pleta relatiuè ad diuinam faciem, sed est suppleta relatiuè ad diuina quædam bona, vt respiciunt effectus, ideo
manus impediens visionem faciei, & ablata vt videantur posteriora, describitur, vt intelligamus negatum lu-
men maius significari per appositam manum, & infusum lumen minus, significari per remotionem manus. Et
in his comprehenduntur promissa & negata. Et dicta ac scripta sunt hęc etiam in metaphora, vt vel sic retineat
populus, quòd deus est inuisibilis, & quòd posteriora dũtaxat dei vidit Moyses, & audiẽdo hæc, & nõ intelligen
do, admirentur mysteria, & venerentur. AVCTOR CATENAE. Et iterum. Parui refert quòd in
Hebræo est וַיֹּאמֶר יְהוָה Vaiómer Iehoua, Et dixit dominus. Idem enim importat. Et protegam dextera siue vo-
C la mea, est enim כַּפִּי Chappi, quæ dictio significat manum, palmam, volam meam. Quæ idem dicunt cum litera
nostra. Eadem dictio est infra immediatè vbi dicitur, Tollámque manum meam. Faciem autem meam vi-
dere non poteris. Hebraicè est, וּפָנַי לֹא יֵרָאוּ Vphanai lo ierau, Facies autem mea non videbitur, Subaudi à te,
Vel vt dicunt alij, ab homine. Sic & Septuaginta. Chaldaica autem paulò diuersiùs, si non in sensu, in verbis
habet, inquiens, Ecce locus est paratus in conspectu meo, & stabis supra petram. Erítque cùm transierit gloria
mea, ponam te in cauerna petræ, & protegam te verbo meo, donec transeam. Et auferam verbum gloriæ meæ,
& videbis id quod est post me. Et quæ sunt coram me, non apparebunt. Quod autem hoc in loco dicitur est,
Quia petisti videre essentiam meam, manifestabo me, non in tabernaculo, sed in monte Sinai, neque id vul-
gari modo, sed magna maiestate, & stupendo miraculo. In locum igitur montis Sinai conscendito, & supra pe-
tram stabis ibi positam. Quod postquàm feceris, reuelabo me coram te magna maiestate, ac ne præ ea concidas,
ponam te in foramine petræ, vt firmus ac fixus constes. In hac apparitione non expectes me reuelaturum tibi
D faciem meam, hoc est, imperscrutabilem essentiam maiestatis meæ, sed ponam figuram quasi manus meæ su-
per te, & detinebo ac obuelabo oculos tuos, ne videas faciem meam. Commemorabo autem epitheta & co-
gnomina mea, quæ postquàm recitauero, & manum meam iterum abstulero, videbis posteriora seu tergum
meum, facies autem mea non videbitur, hoc est, cognosces me non ex facie, sed à tergo. Cognosces me non ex
propria forma seu essentia, sed ex epithetis seu cognominibus meis. Cognosces me nõ ex inuisibili & imperscru
tabili mea substantia, sed ex visibilibus & perscrutabilibus meis operibus seu effectibus. Facies enim dei hoc lo-
co significat imperscrutabilem dei essentiam ac maiestatem. Posteriora autem eius dicuntur manifesta & visibi-
lia opera dei. Vnde & vulgus cognitionem ab effectibus, vocat cognitionem à posteriori. Et Paulus dicit inui-
sibilia dei cognosci à creatione mundi per opera. Et Actorum quartodecimo, Deus non sine testimonio seipsum
reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Sed quo-
modo deus reuelet sese à posteriori seu à tergo, postea ipse copiosè significabit, cùm recitabit nomina seu epithe-
E ta sua coram Moyse, vt in sequenti capite audiemus. Quod igitur facies dei, non videtur, & posteriora videtur,
hoc indicare voluit, quòd ipsa diuina essentia conspici à nobis viatoribus non potest, diuinæ autem prouiden-
tiæ effectus in creaturis, qui sunt propriè viæ domini, quoniam effectus omnis sua causa est posterior, videri pos-
sunt. Spectrum itaque aliquod & simulachrum prędictę diuinę tũc quoque promisit dominus fideliſsimo seruo
suo stanti ad petram montis Horeb, non sine tamen Christi mysterio ostenso, ac intellecto. Transiuit quippe glo-
ria dei, & pertransiit Iudæos, non nisi à posteriori eis visa, quia à mortis, resurrectionis, & prædicationis tem-
pore resipuerunt, credentes in Christum quem præsentem abominati sunt, & occiderunt. Denique vltimus Is-
raël, post cæteras Gentes ad Christum conuersas saluabitur, postquàm plenitudo gentiũ intrauerit. Moyses quip-
pe in foramine petræ stat, domino prodeũte tutatus, & feliciter domino credens saluatus, populus autem Iudai-
cus in eadem petra scandalum patietur, & tempus visitationis non aduertet, sed offendet ad lapidem quem re-
probauit, tum primùm saluandus, cùm conspiciet Christum exaltatum in caput anguli, gentium & Iudæorum
vnicam Ecclesiam coniuncturum.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMQVARTVM, ARGVMENTVM. G

*Inſtaurantur tabulæ. Miſericordia dei. Prohibetur ſocietas Gentium & idololatria. Solennitas azymorum. Primogenita. Sabbatum. Feſtum trium hebdomadarum. Primitiæ. Ieiunium Moyſi. Faciem ſuam cornutam velat Moyſes.*

## CAPVT XXXIIII.

Lectio.1. AC deinceps præcide (ait) tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum. Et ſcribam ſuper eas uerba quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti. Eſto paratus mane, ut aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabíſque mecum ſuper uerticem montis. Nullus aſcendat tecum, nec uideatur quiſpiam per totum montem, boues quoque & oues non paſcantur è contra. H

Lectio.2.

RVPERTVS. Hîc quia gens preuaricatrix primam fidem irritam fecerat in conflatione vituli, & totum ædificiũ fœderis collapſum fuerat, penè ab alio rurſus principio inchoatur. *Ac deinceps præcide (ait) tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et dixit dominus ad Moyſen, Dola tibi duas tabulas inſtar priorum, & cætera. Manifeſtat per hoc deus reuocari pœnas adepti tabernaculi in medio eorũ, ex eo enim quòd tabulas decem præceptorum locandas in theca decernit, concomitanter vniuerſam tabernaculi fabricam quam decreuerat & monſtrauerat Moyſi in monte antequàm populus peccaret, decernit. Et dicit dola tibi, non mihi, ego enim non indigeo tua dolatione, ſicut nec tuis tabulis. Prima ſiquidem vice ego tabulas dedi, dolaui & ſcripſi, tanquam ex me operans, modò autem tuis precibus operaturus, volo vt doles tu tabulas, ego autem I ſcribam. AVCTOR CATENAE. Principium capituli huius Hebraicè eſt, וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל מֹשֶׁה Vaiómer Iehoua el Moſe, Et dixit dominus ad Moyſen. Ita habent Septuaginta, ita & Chaldaica. Sed & id innuit etiam Interpres cùm dixit, Ac deinceps, videlicet ait dominus ad Moyſen. Quódq; apud nos legitur, Præcide tibi, Hebraicè eſt פְּסָל לְךָ Peſal lecha, hoc eſt, Dola, ſeu præcide vel ſculpe tibi, Paſal enim hæc ſignificat. Septuaginta ſecundum ſignificatum ſicut Interpres ſecuti, λάξευσον σεαυτῷ, Præcide tibi ipſi, dixerunt: Chaldaica verò primum, videlicet, Dola tibi. Tabulæ igitur diuinæ legis bis paratæ ſunt, ſemel ab ipſo domino, quo autem id modo factum, vanum fuerit perquirere, cùm velle dei ſit fieri creaturis. Secundò à Moyſe nunc dolari præcipiuntur, ab ipſo domino inſcribendæ. *Eſto paratus mane, vt aſcendas ſtatim in montem Sinai, ſtabíſque mecum ſuper verticem montis.* CAIETANVS. Non dicit mane diei craſtinæ, ſed abſolutè mane, vt intelligamus quòd non eſt præceptum vt mane diei immediatè ſequentis eſſet paratus ad aſcendendum in montem (plus enim temporis exigebat dolatio lapidum) ſed vt præparatis tabulis, non quacunque hora, ſed matutina aſcenderet K in montem. Vnde in Hebræo ſubiungitur, Et aſcendes mane in montem Sinai, & ſtabis mihi ibi ſuper verticem montis. Sententia clara eſt, mandans etiam modum expectandi ipſum deum, ſtando. AVCTOR CATENAE. Quod nos legimus, Vt aſcendas ſtatim. Pro dictione ſtatim, Hebraicè eſt בַּבֹּקֶר Babóker, id eſt, mane. Et quod ſequitur, ſtabíſq; mecũ, ibi eſt לִי שָׁם Li ſam, id eſt, Mihi vel ibi illic, hoc eſt, propter me, vel expectans me, Sic & Septuaginta, καὶ στήσῃ μοι ἐκεῖ, Et ſtabis mihi ibi. Chaldaica quoq;, Stabis corã me ibi. Sed hæc minima ſunt. Debuit itaq; quammaximè exaltari Moyſes, per quẽ docendi erant reliqui populi. Stabíſq; mecũ (inquit) ibi, imò mihi, ad meũ ſcilicet obſequiũ, non tuũ. Sic lex quoq; Euãgelica à Chriſto diſcipulis primũ prædicata eſt in monte excelſo, Et de Sion mõte exibit lex, & cęt. *Nullus aſcendat tecũ, nec videatur quiſpiã per totũ montẽ, boues quoque & oues non paſcantur è contra.* CAIETANVS. Etiã è regione montis paſci animalia prohibet. Partẽ certã intelligo, quæ erat è regione montis ex illa parte qua aſcẽdebatur in montẽ, & hoc pro reuerentia diuinæ præſentiæ in ſigno viſibili illic. AVCTOR CATENAE. Boues quoq; & oues nõ paſcantur è cõtra. Quod Hebraicè dicitur, אֶל נוֹל הָהָר הַהוּא L El mul hahar hahu, E regione montis huius, vel illius. Sic & Chaldaica. Alij vertunt, In proſpectu montis huius. Quidã ad montem iſtum. Septuaginta, πλησίον τοῦ ὄρους ἐκείνου, Prope montẽ illũ. Sed hæc in ſenſu vnum ſunt cũ litera Latina. Reuerentiæ ergo & timoris nutriendi in populo gratia, talia præcipiũtur, quo lex domini cuſtodiatur diligentiùs, & vt ſacroſancta veneretur. Alioqui ouium & boum paſcua dominus nõ moratur. Sed apparitionem domini qualemcunque ſuſcipi voluit à tam ceruicoſo populo cum timore.

*Myſticè.* RABANVS. Sed & quod iubet dominus Moyſi vt ſit paratus mane ſtatim aſcẽdere in montẽ Sinai, quatenus ſtet cum domino ſuper verticem montis, ſpiritualiter innuit his qui populo dei præſunt, vt præparẽt corda ſua ad accipiendũ diuinã ſapientiã. Mane ergo paratus eſt aſcẽdere, qui diſcuſſis tenebris vitiorũ atq; carnalium deſideriorũ mentẽ ſuam eleuat ad intuenda cœleſtia, quatenus in fide catholica firmiter cõſiſtens, diuinę cõ templationis particeps exiſtat. Oues quoq; & boues prohibet, vt è cõtra non paſcantur, quia ſimplices quiq; atque terrenis operibus incubantes, ad ſpiritualiũ ac diuinorũ myſteriorum meditationẽ non ſufficiunt. AVCTOR M CATENAE. Nemo etiam capax diuini colloquij, niſi qui ſupra humanũ captũ diuino ſpiritu fuerit illuſtratus, ſecretum domini ad ſanctos ſuos, nõ percipit caro & ſanguis, vel animalis homo quæ dei ſunt, ſed pij & excelſi. Sed & quod tabulæ ſecundæ dolari à Moyſe præcipiuntur ab ipſo domino inſcribẽdę, non vacat myſterio. Lex enim dei ab ipſo hominis conditore inſcripta eſt cordibus & cõſcientiis hominũ, quam ratio quoq; naturalis dictat & docet, ea nempe quæ iubet Decalogus. Sunt autẽ quę inſcribuntur lapidibus verba domini, nõ humana, ideoq; ſummo ſtudio hominibus obſeruanda, non ſolũ Iſraëlitis, ſed & omnibus gentibus ex æquo, ſed ad verum intellectũ, non Iudaicum obſeruanda. Confregerat humana temeritas & præuaricatio intolerabilis tabulas diuinæ legis tunc, cũ omnis caro corruperat viã ſuã, etiã poſt diluuiũ impietate peruadẽte mundũ, & carnis propenſione regnante in perfidis, quas legis ſcriptæ durę ceruicis populo, quãlibet electo, renouari oportebat. Sed per Chriſtum dominum olim reformandas & explanandas, ad ſeriem fidei & charitatis in deum & proximum.

*Excidit*



A *EXcidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant, & de nocte conſurgens aſcendit in montem Si-* 2
*nai ſicut ei præceperat dominus, portans ſecum tabulas. Cúmque deſcendiſſet dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo inuocans nomen domini. Quo trãſeunte coram eo, ait, Dominator domine deus miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac uerax, qui cuſtodis miſericordiam in milia, qui aufers iniquitatem & ſcelera atque peccata, nullúſque apud te, per ſe innocens eſt. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Feſtinúſque Moyſes curuatus eſt pronus in terram, & adorans ait, Si inueni gratiam in conſpectu tuo domine, obſecro ut gradiaris nobiſcum, populus enim duræ ceruicis eſt, & ut auferas iniquitates noſtras atque peccata, nóſque poſideas.*

B CHRYSOSTOMVS DE ORANDO DEVM LIBRO SECVNDO. Qui vitam agũt in mari, in 2
ipſum profundũ ſeſe demittunt ac precioſos lapillos his qui verſantur in terra deferunt. Nos verò diuinarũ ſcripturarũ mare ſcrutantes, in ipſum ſpiritualis ſapiẽtiæ profundum, quantũ quidem in nobis eſt, decurramus, & legentibus afferamus theſaurũ bonum melius ornantẽ animas, quã ornant regum capita è gẽmis contextæ coronę. Nam harum quidẽ pulchritudo ſimul cum ipſa vita marceſcit. Cæterùm qui doctrina ſpiritus coronat animam, cùm hîc interim cum omni mentis ſecuritate vitæ tẽpus exigit, tum poſt huius vitæ finem cum fiducia accedit ad tribunal Chriſti, plenus virtute & ab omni vitio purus. Quẽ igitur theſaurum è profundo ſcripturarũ adducimus? Non ipſum profundum attingentes ſapientiæ, ſed eo vſq; deſcendentes, quouſq; cõcedit Chriſtus, qui homines inuitans ad orandum, & vtilitatẽ hinc proficiſcentem cõmendare volens animis noſtris, iudicem quendam inducit improbum ac ſæuum, qui pudorem omnem ex oculis abiecerat, quíque dei timorem ex anima propulerat. Atqui ſatis erat iuſti clementíſque iudicis perſonam propoſuiſſe, vt huius iuſtitia collata cum dei boni-
C tate, demonſtraret quantũ valeat deprecatio. Etenim ſi benignus ac manſuetus homo placidè recipit, qui ſupplices accedunt, quantò magis idem factũrus eſt deus, cuius tanta eſt erga mortalium genus benignitas, vt non ſolùm noſtram excedat intelligentiam, verùm etiam maior ſit quàm vt huius magnitudinem, angeli ipſius poſſint animo complecti. Itaque ſatis erat, vt dixi, iuſti iudicis perſonam inducere. Nunc autem iudicem propoſuit immitem, impium, & inhumanum, in cæteris quidem implacabilem, ad preces verò benignum ac manſuetum, videlicet vt intelligas, quòd omnis precatio ingenium etiam malum, facilè ad miſericordiam & clemẽtiam pertrahit. Quam igitur ob cauſam hoc fecit Chriſtus? Ne quis omnium ignoraret, quantam vim habeat deprecatio, atque idcirco poſtquam iudici omnium immaniſsimo adhibuiſſet viduam, eúmque præter naturam oſtendiſſet factum ex improbo humanum, ad patrem ſuum parabolam transfert, ad illum, inquam, bonum, manſuetum, mitem, humanum, miſericordia ſua vincentem peccata mortalium, condonantem errata plurima, tolerantem quotidie in ſe dicta conuicia, diſſimulantem honorem haberi dæmoniis, ſe contumeliis affici, filium ſuum
D innumeris inceſſi conuiciis, aliáque ferentem atrocia, dicenda pariter ac ſilenda, & tamen ſic conuiciis affectus adeò manſuetè tolerat. Quòd ſi viderit, eo quo decet tremore accedentes ſibi an non protinus miſerebitur? Miſerebitur profectò. Sic & populum ad impietatem prolapſum, orando ſeruauit Moyſes, orando meruit dei conſpectu frui, aliáque innumera bona conſecutus eſt, non alia re quàm orando. Nam & hoc deprecatio illi præſtitit vt vitam ageret adſimilem iis qui cœlum inhabitant. An autem quæ diximus vera ſint, lectio quæ in præſentiarum habetur in manibus abundè manifeſtabit. Ea igitur ſic inquit. *Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant, & de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut ei præceperat dominus, portans ſecum tabulas.* CAIETANVS. Surrexit Moyſes ea hora qua matutinus aſcenderet, ſicut præceperat ei dominus. AVCTOR CATENAE. Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant. Et de nocte conſurgens. Hebraica ſunt ſicut habet Chaldaica, Dolauítque duas tabulas lapideas ſicut priores, & ſurrexit Moyſes mane. Alij legunt, Sculpſit igitur duas tabulas lapideas inſtar priorum, & conſurgens Moyſes mane. Eſt enim paſal verbum, de quo ſuprà. Sed hæc à
E litera noſtra non deuiant. Nam quod illa nocte dicit ſurrexiſſe Moyſen, ſummum diluculum intellexit, quod Hebræi בַּבֹּקֶר Babócher dicunt. Portans ſecum tabulas. Succinctiùs vertit Hebraicum Interpres, ſententiam tamen retinens. Eſt enim ibi, וַיִּקַּח בְּיָדוֹ שְׁנֵי לֻחֹת אֲבָנִים Vaikkach biiado ſene luchoth abanim, Tulítque in manu ſua duas tabulas lapideas. Sic & Chaldaica. Moyſes ergo ſecundas aptauit tabulas, quia primas per zelum confregerat, & ſine mora montem iuſſus aſcendit, legem decem verborum à domino ſuſcepturus, quam populo proponat de fide in deum, & charitate in proximum, breuiter omnia perſtringentem. *Cúmque deſcendiſſet dominus per nubem, ſtetit Moyſes cum eo inuocans nomen domini.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et deſcendit dominus in nube, & ſtatuit ſe cum eo ibi, & vocauit in nomine domini. Significatur itaque ſecundum planum literæ ſenſum, quòd poſtquam Moyſes aſcendit ad cacumen montis, deſcendit deus in ſigno viſibili nubis, & quòd idem deus in illo ſigno viſibili non motus manſit ibidem cum Moyſe. Et ſcriptum eſt hoc, ne intelligeres quòd deus in illa nube apparuerit tranſeundo, ad excludendum enim hoc dicitur, quòd ſtatuit ſe
F ibi cum eo. Nec eſt dubium, quòd ſecundum planam literæ continuationem, ille qui deſcendit in nube, qui conſtituit ſe cum Moyſe ibi, ipſemet vocauit in nomine domini, exequẽdo quod promiſerat in præcedenti capitulo, dicens, & vocabo in nomine domini. Ibi ſcribitur promiſsio, hîc ſcribitur executio. AVCTOR CATENAE. Hebraica veritas ſic habet hoc in loco וַיֵּרֶד יְהוָה בֶּעָנָן וַיִּתְיַצַּב עִמּוֹ שָׁם וַיִּקְרָא בְּשֵׁם יְהוָה Vaiéred Iehoua behanan, vaithiazzeb himmo ſam, vaikra beſem Iehoua, Et deſcẽdit dominus in nube, & ſtetit cum eo ibi, & inuocauit in nomine domini. Sic & Septuaginta, Καὶ κατέβη κύριος ἐν νεφέλῃ, καὶ παρέστη αὐτῷ ἐκεῖ, καὶ ἐκάλεσε τῷ ὀνόματι κυρίου, hoc eſt, Et deſcendit dominus in nube, & aſſuit ei illic, & vocauit nomine domini. Chaldaica verò, Et reuelatus eſt dominus in nube, & ſtetit cum eo ibi, & inuocauit in nomine domini. Vertunt alij, Et deſcẽdit dominus per nubem, & ſtetit ibi coram eo, & commemorauit nomen domini, ſiue Et clamauit nominatim, Dominus eſt. Id eſt, Clamauit, dominus ad Moyſen, alta voce denunciauit ei hanc vocẽ, Dominus eſt, vt capite præcedẽti dixerat, Vocabo in nomine domini corã te, Sic nomen magnificum ſuum exprimẽs, hîc dicit, Dominus eſt.

Ex quibus omnibus habetur quòd dominus descendit in nube, dominus stetit cũ Moyse, & dominus inuocauit G nomen domini. Dominus autẽ hîc absq; dubio Angelus domini dicitur cuius voluntatẽ exequebatur ad omnia & promulgabat, Vel Christus dominus noster qui & dominus est & dicitur, & angelus testamenti promissus, solus mediator inter patrem & homines. Sed & secundum Hebraicam literam, omnia quæ sequũtur, Dei sunt verba non Moysi. Vt enim suprà dixerat, Clamabo nominatim, Dominus est, miserebor, & cætera: ita & hîc idem dicit, Deus misericors, quasi dicat, Ego sum dominus ille, & deus & misericors, quem tu rogasti pro populo, &c.

Sequitur igitur. *Quo transeunte corã eo ait, Dominator domine deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in milia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatẽ patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* HIERONYMVS IN LAMENTATIONES HIEREMIAE. Cap. 3. Qui semetipsum diligenter inspicit, & pro peccatis suis carnem macerare, & desideria mortificare nõ despicit, non solùm veniã delictorum, sed & supernum præmium à verò saluatore & clementissimo iudice spe- H rare debebit, qui omnes homines vult saluos facere, Misericors enim est, & miserator dominus, patiens & multũ misericors. CYRILLVS CONTRA IVLIANVM LIBRO NONO. Qualis nã locutus est dominus in nomine domini, & qualis trãsiit dominus à facie domini? nónne scilicet omnino credemus in filio apparuisse, & locutũ esse? Nũquid duo domini, ĩq; distincti, sicut intelligũtur duo homines? nam vna dominatio & deitas, vna patris & filij & spiritus sancti, nisi quòd vnumquodq; ex nominatis, in sua subsistentia intelligitur, qua per se demõstrat vbiq; sacra scriptura vnius naturæ propria & eximia & vnicuiq; perfectè agnata esse docet. Vnde & filius tanquã totam habẽs in seipso patris proprietatẽ naturalẽ, & ipse existẽs in patre cũ his quæ habet intelligitur, dicit manifestè ad illum, Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea. Et iterũ, Omnia quæ habet pater, mea sunt. Quũ igitur sit, & non alio modo, vbiq; sapientissimus Moyses designet filium, non dicat vltra. Qui multos filios nominat dei, atque hos non homines, sed angelos, vnigenitum verbum deum, vel filium dei, vel quomodocunque vocatur, non ad homines retulit? Sed ô sapiens, manifestè & sæpissimè cõmemorauit. Intelligís ne etiam ipse? mi- I
*Deut. 6.* nimè profectò. Quamuis scripseris, & rectè, Dominũ deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & quæ cum illis cõueniunt, non ad tollendum filium, sed magis ad subuertendos tuos deos dicta esse hæc intelligẽs, ausus es dicere. Qui multa talia etiã vbiq; dicit, Dominũ deum tuũ adorabis, & illi soli seruies? Quomodo igitur Iesus in Euã-
*Matth. vlt.* geliis traditur præcepisse, Euntes docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti? Quæres igitur & à nobis ipse, Quomodo igitur, dic mihi, quũ Moyses & Prophetæ confessi sint sanctã & substãtialem trinitatẽ, & tui sapientes rem non ignorarunt, tam graui & admonitionis experte incõsiderãtia laborare te nescis? Nam & ipsi principales posuerunt tres subsistẽtias, & illas quidem inter se discriminarunt, & alias inter illas minores esse fecerunt. Nesciuerũt enim purum de deo sermonẽ, veruntamen non omnino expertes fuisse videtur veritatis. IDEM LIBRO III. CONTRA IVLIANVM. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem. Oportebat & hoc discere eos qui semel recepti, vt sciãt quòd ignauia ipsis sit quàm damnosa. An non conueniet etiam propriis patribus in bonos filios talem habere senten- K
tiam? & quomodo hoc ambiguum? Reddit autẽ peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, non enim simpliciter dictum est, quia sequitur necessariò, Odientes se, Vnde etiam valde admirabitur quis irreprehensibilẽ mansuetudinem omnium domini. Nam cùm sint homines quidã ignaui, & ad peccandum propẽsi, hac ratione accersentes sibiipsis legislatoris seueritatem interdum eius patientia longanimiter fert primos, nec è
*Ezech. 18.* vestigio delictorum suppliciũ exigit, sed condonat ea & sequentibus, progreditúrq; vsque ad tertiam generationem. Eos autẽ qui ex illis progeniti sunt, si à patrũ lapsibus noluerint recedere, sed fiunt præfractiores ac deteriores, & ad ignauiam similiter spectant, tunc scilicet ac valde meritò vix & segniter vindicat. Bonus enim est se- L
cundum naturã, & mansuetudinis omnis principium ac genitor. Memores autem sumus & per vocẽ Ezechielis nos manifestè edoceri. Dicit enim, Anima peccãs ipsa morietur. Filius verò non feret vindictã patris sui, neq; pater feret vindictã filij, sed vnusquisq; in peccato suo quod peccauit morietur. Ista est sententia sancta iustè iudicantis dei, neq; ipse pugnat aduersus leges suas. Vnde piè intelligendum est, quòd peccata patrum filios in tertia & quarta generatione odientes ipsum, (hoc est, si neque primi, neq; secundi, neque tertij, & qui post illos sequuntur, perseuerant in voluntate impia, & ad peccandum dedita, hi enim sunt qui & deũ oderunt, eo quòd diuinis eius edictis se opponere audent) tam desperatos nimirum & suppliciorum lues subsequitur. RVPERTVS. Notandum quòd cùm tota sit intentio Moysi deprecari pro populi scelere, & misericordiam implorare, non tamen inter tot nomina laudis diuinæ, inter tot vocabula, misericordia siluit de iustitia vel veritate, dicendo misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, tandẽmque addendo, & verax. Itẽmque nominum ipsorum exponendo causas, cùm dixisset, Qui custodis misericordiam in milia, qui aufers iniquitatẽ, & scelera atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est, Quod totum miserationis & gloriæ est iustificantis, addidit, Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Quod proculdubiò iustitiæ &
*Ezech. 19.* veritatis est. Quomodo ergo (inquis) idem deus per Prophetam dicit, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij? Videlicet non portat filius iniquitatem patris, quandocunque nõ imitatur: M
redditur autem iniquitas patrum in filiis & nepotibus, quicunque patres iniquos imitantur. Verbi gratia, Nos omnes homines secundum carnem, Adæ filij sumus. Si ergo iniquitatem, id est, incredulitatem eius, qua serpenti magis quàm deo credidit imitamur, iniquitas eiusdem patris in nobis filiis iustè redditur. Si autem iniquitatem eiusdem veteris hominis fugientes, ad iustitiam noui hominis Iesu Christi filij dei confugimus, non
*Cap. 11. & 12.* vtique iniquitatem illius portabimus. GREGORIVS DECIMOSEXTO MORALIVM. Si ad hoc saluari quisque hîc munditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, proculdubiò erratur, quia si superna gratia nocentem non præuenit, nunquam profectò inueniet quem remuneret innocentem. Vnde veridici Moysi voce dicitur, Nullúsque apud te per se innocens est. Superna ergo pietas priùs agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio bonum quod iam appetimus, agat nobiscum, quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset

ex



A ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas vt innocẽtes faciat, præuenit, Paulus ait, Gratia autem dei sum id quod *1. Cor. 15.*
sum. Et quia eandẽ gratiam nostrum liberũ arbitrium sequitur adiungit, Et gratia eius in me vacua nõ fuit, sed abũdantiùs illis omnibus laboraui. Qui dum de se nihil esse cõspiceret, ait, Non autẽ ego. Et tamen quia se esse a- *Ibidem.*
liquid cum gratia inuenit, adiunxit, sed gratia dei mecum. Non enim diceret mecũ, si cũ præueniẽte gratia subsequens liberũ arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, Non ego. Vt verò se cũ gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, sed gratia dei mecum. Munditia itaq; manuum suarũ innocẽs saluabitur, quia qui hîc præuenitur dono vt innocẽs fiat, cũ ad iudicium ducitur, ex merito remuneratur. RABANVS. Nullus (ait) apud te per se innocens est. Quomodo apud deum quis per se innocens *Iob. 4.*
esse poterit, cũ scriptura dicat, Non est homo super terram qui faciat bonum & nõ peccet? Et alibi, Astra (inquit) nõ sunt munda in conspectu eius, & in angelis suis reperit prauitatẽ. Ac inde necessariò vnusquisq; ab illo repo
B scat mũdari, qui solus est sine macula, solúsq; habet immortalitatẽ, & lucem habitat inaccessibilẽ. Cui Psalmista *Psal. 50.*
dicit, Amplius laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo mũda me. Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum & in delictis peperit me mater mea. Et in libro Iob, Quis potest (inquit) mundum facere de immundo cõceptum semine, nónne tu qui solus es? CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et transiuit dominus super faciem eius. Ecce executio alterius polliciti. Duo enim promiserat, Alterum, ego faciam trãsire omne bonũ meum supra faciem tuam: Alterum, Et vocabo in nomine domini: vtriusq; executio hîc scribitur ordine retrogrado. Vbi prudens lector aduerte, quòd promittendo dicitur, Ego faciã transire omne bonum meum: exequendo autẽ dicitur, & trãsiuit dominus, vt intelligamus quòd deus quatenus in se habet omnia sua bona trãsiuit. Et ait scilicet deus, nõ Moyses dixit deo. Quòd si fluctuas, lege iuxta Hebræum capite quartodecimo libri Numeri, & clarè inuenies scriptum, quòd deus dixit subiuncta Moysi, & acquiesces veritati. Qui aufers iniquitatẽ, & scelera atq; peccata. Iuxta Hebræum, Eleuans iniquitatẽ, & scelus & peccatũ. Hebraicè condonare peccata, appellatur eleuare peccata,
C fortè quia homo per hoc eleuatur ab imo statu, qualis est status subiecti peccato. Sensus itaq; proculdubiò est, cõdonãs iniquitatẽ & scelus & peccatũ. Manifestat igitur se deus condonantẽ omne genus peccatorũ, omnia siquidem peccatorũ genera cõprehendũtur sub his tribus. Nã Hebraicè sic graduãtur, quod tertiũ sonat malum, primũ peius, secundũ autem pessimũ. Sub tertio siquidẽ continẽtur peccata per ignorantiã, infirmitatẽ vel passionem facta, sub primo autẽ peccata ex proposito studiosè patrata, sub secundo verò peccata ex malignitate vel contẽptu. Nec dicit quòd deus omnia hæc peccata omnibus cõdonet (hoc enim non esse verũ reproborum multitudo testatur) sed dicit quòd cõdonat omnia genera peccatorũ, ad explicandũ quòd nullum est peccati genus exẽptum à venia. Et nisi sæpe deus cõdonaret omnia, nõ diceret se condonãtem participio præsentis tẽporis, hinc enim insinuatur, quòd nullũ peccatum superat diuinã propitiationem, sed quodlibet peccati genus veniam apud illum iugiter inuenit. Nec aduersatur huic sentẽtiæ Euangelium dicens, quòd peccatum in spiritũ sanctum nec in hoc
D seculo nec in futuro remittetur, quoniam hîc est sermo de venia peccatorũ ex parte dei, ibi autẽ ex parte peccãtis indispositi, immò elongãtis se à ratione consequẽdæ veniæ. Propter huiusmodi enim elongationẽ dicitur, quòd regulariter non consequẽtur veniã, propter diuinam autem clementiã quòd nullum peccatum superat diuinam propitiationẽ, sed quodlibet peccati genus veniã apud illum cõtinuè inuenit. Qui reddis (inquit) iniquitatẽ patrum filiis, &c. Manifestat hîc se deus quatenus iustũ penes hoc quòd punit iniquitatẽ patrũ in filiis vsq; in quartã generationẽ. Si in singulis generationibus iniquitates patrum diligentiùs põderaremus, & cũ subsequutis in eorũ filiis pœnis cõferremus, diuina perpẽderetur iustitia, quæ ab ipso deo hîc reuelatur. Sed nos mortes reliquáq; mala filiorũ seu nepotum, naturæ aut infortunio attribuẽtes, diuinæ obliuiscimur iustitiæ, nec diuina ista reuelatione vtimur, in nostrum proculdubiò detrimẽtum, nam si hanc libraremus reuelationẽ diuinam, multi patres cohiberẽt se amore saltẽ filiorum à studiosè peccãdo, nõ enim in litera scribitur tertium genus peccati, quod ex passione, vel ignorãtia, vel humana fit infirmitate, sed scribitur primũ genus peccati, quum quis studiosè peccat, hoc enim peccati genus significatur dicẽdo, visitãs iniquitatẽ. Sed occurrũt duæ quæstiones circa hanc partẽ. Altera
E est, Nũquid deus præcipit cõtrarium eius quod ipse facit? nã ipse præcepit Deuteronomij XXIIII. quòd nõ occidãtur filij pro iniquitate patrum, & tamẽ hîc dicit se visitare iniquitatẽ patrum super filios etiã tertios & quartos. Solutio est, quòd nõ est cõtraria lex dei iustitiæ dei, sed ibi decernitur iudicium humanũ, hîc verò declaratur quid reseruatur iudicio diuino. Decernit deus, vt iudex homo non occidat filiũ pro peccato patris, reseruat sibi deus iudicium tale, quia ipse solus est qui dat esse patri & filio, qui dedit & cõseruat sua largitate esse vtriusq;, & nulli facit iniuriã occidẽdo quencunq;, & propterea etiã iustè iubet interfici paruulos lactãtes Chananæorũ. Altera est an reuocata est hęc sentẽtia per reuelationẽ factam Ezechieli, capite decimooctauo, vbi de diuino tractãs deus iudicio, dicit, Filius nõ portabit iniquitatẽ patris. Solutio est, ꝙ non est reuocata sentẽtia ista illic, quia hîc est sermo de pœna corporis, ibi autẽ de pœna animæ. AVCTOR CAT. Quo trãseunte corã eo ait, Dominator domine deus. Hebraicè legitur וַיַּעֲבֹר יְהוָה עַל פָּנָיו וַיִּקְרָא יְהוָה יְהוָה אֵל Vaiahabor Iehoua hal panaf vaikra, Iehoua Iehoua El, Et trãsiuit dominus ante faciẽ eius & clamauit, Siue ante eũ (subaudi dominus ipse) Domine do-
F minus deus, supple est, id est, cũ ipse dominus trãsiret coram Moyse, ipse dominus clamauit hęc verba. Et vide si quasi aliis verbis dicat, deus pater, Deus filius, de⁹ spiritus sanctus. Vertũt alij, Dominator dominus deus, Aliqui Dominus dominus fortis, Nã nomẽ dei אֵל El in fortẽ reddunt. Septuaginta, Ὁ παρῆλθε κύριος πρὸ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἐκάλεσε κύριος κύριος ὁ θεός, Et trãsiuit dñs ante faciẽ eius, & vocauit, Dominus domin⁹ deus. Chaldaica, Et trãsire fecit dominus maiestatẽ suã super faciẽ eius, & inuocauit, Domine domine deus. Kara nanq; verbũ, vocare, inuocare & clamare significat. Quæ quidẽ lectura, à Latini Interpretis lectione nõ dissentit, qui verba hęc à Moyse domino deo dicta fuisse asserit. Ex Hebræo autẽ verba sunt dei corã Moyse commemorãtis epitheta & cognomina sua, quib⁹ omne bonũ suũ, hoc est, omnis bona sua volũtas, & quę nobis de deo ad salutẽ nostrã cognitu necessaria sunt cognosci queãt, Vnde & Moyses in Numeris capite quartodecimo allegat hãc reuelationẽ, & admonet deũ suorũ epithetorũ, vt irã eius mitiget. Ait enim, Magnificetur fortitudo domini sicut iurasti, dicẽs, Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitates & scelera, nullúmq; innoxiũ derelinquẽs, qui visitas peccata

patrum in filios in tertiã & quartam generationẽ. Huc etiam reſpicit Pſalmus centeſimus ſecundus dicẽs, Notas G
fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël volũtates ſuas. Vbi autem hoc factum eſt? In monte Sinai, cùm dominus cõme-
moraret Moyſi epitheta ſua, dicẽs, Miſerator & miſericors dominus, lõganimis, & multũ miſericors, &c. Sed co-
gita pro defenſione doctiſsimi Interpretis num poſſemus dicere, verba hæc primùm à domino deo prolata eſſe,
tum ſecundò ab ipſo Moyſe, vt videlicet ſtatim cũ dominus de ſe hæc protuliſſet, Moyſes ſtatim ſermonẽ aſſum-
pſerit, & eiſdem verbis quibus edoctus fuerat, magnum domini nomen ſupplex inuocauerit? Vt ſic verè dicere
poſsimus, & verba dominum protuliſſe iuxta Hebraicam veritatẽ, & verè etiam Moyſen ipſa dixiſſe iuxta edi-
tionem noſtram. Quod ne durum alicui forſitan videatur, afferimus locũ in ſcripturis apertum, quem ita intel-
ligere neceſſariò cõpellimur. In parabola ſiquidem vineæ quando coloni filium patris familiàs eiecerũt extra vi-
neam, & interfecerunt, ait dominus Matthæi vigeſimoprimo. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet a-
gricolis illis? Aiunt illi, Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum tẽpo- H
ribus ſuis. Attamẽ & Marci duodecimo, & Lucæ vigeſimo hęc verba ab ipſo domino dicta fuiſſe cõſtat, ſic enim
eſt vtrobiq; Quid ergo faciet illis dominus vineæ. Veniet & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Eſt ergo
mendax ſcriptura? Abſit. Quid igitur? Dicendum, quòd dominus primũ interrogauit Iudeos quibus cũ loquebatur, Quid faciet dominus vineæ agricolis illis cũ venerit? At illi reſponderũt, Malos malè perdet, & cætera, quod
cùm dixiſſent, mox dominus ſermonem reaſſumpſit, inquiens, Veniet, & perdet colonos iſtos, & vineam locabit
aliis. Quaſi dicat dominus, Ex ore veſtro vos iudico, profectò ita erit, Veniet dominus vineæ, & perdet colonos
hos peſsimos, & vineam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Si quis melius aliquid
attulerit pro huius loci defenſione, cui mirũ in modum (vt vidiſti) Chaldaica quoque fauet editio, nos quoque
libenter ei acquieſcemus, tantùm ne doctiſsimus Interpres locum non fuiſſe aſſequutus aſſeratur. Quódque nos
dicimus patiens, Hebraicè eſt אֶרֶךְ אַפַּיִם Erech appaim, Longus naribus, vel ad furores, ſeu tardus ad iram, vel le-
ni animo, quod nil aliud eſt quã patiẽs, qui Græcè dicitur μακρόθυμος. Et multæ miſerationis ac verax, ſiue verus. I
Quod Hebraicè dicitur, וְרַב חֶסֶד וֶאֱמֶת Verab chéſed veemeth, Et multus in miſericordia & veritate, Vel, Et abũ-
dans pietate atque veritate, id eſt, verax in promiſsis meis. Vertunt alij, Immenſæ bonitatis ac veritatis ſiue fidei.
Chaldaica, Multa faciens bona & veritatem. Septuaginta, Vt apud nos. Qui cuſtodis miſericordiã in millia, He
braicè eſt נֹצֵר Nozer, Cuſtodiens, id eſt, qui cuſtodio, hoc eſt, cuius miſericordia nunquã exhauritur. Alij legunt,
Cuſtos miſericordiæ in milibus. Alij tenax bonitatis in mille. Quidam, Seruans miſericordiã milibus. Chaldai-
ca, Cuſtodiens bonitatem in mille generationes. Septuaginta, ὁ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, Et faciens miſericordiã
in millia, Quæ omnia vnum ſunt. Qui aufers iniquitatem, ſcelera atque peccata. Dictio נֹשֵׂא Noſe, Auferens red-
ditur, id eſt, qui aufero & condono iniquitates. Parum autẽ refert quòd apud Hebræos omnia hæc nomina ſunt
ſingularis numeri, videlicet iniquitatem, & ſcelus, atque peccatum. Qui tamen locus ita legitur in Chaldaica vt
apud nos, videlicet, Dimittens iniquitatem, & ſcelera & peccata. Deinde pro eo quòd nos habemus, Nullúſque
apud te innocens eſt (Quod ita intelligitur, vt propria auctoritate nullus abſque culpa exiſtat. Et ſi quis quandoq; K
aliquantiſper & ad horam iuſtus eſt, id ſolũ per te eſt, & gratiam tuam) Hebraicè eſt וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה Venakke lo ie-
nakke, Et innocens non faciet innocentem, vel non erit innocens, aut ſine piaculo. Vel poteſt reddi ſic, Et mun-
dãs non mũdabit. Et eſt ſenſus ſicut in litera noſtra. Vertunt alij, Quíque abſoluendo non abſoluit. In tertia per-
ſona de ſe loquitur, id eſt, Nocẽtem non pronuncio innocentem, ſed punio. Hebraiſmus. In quem ſenſum etiam
alij legunt, Et nocentem non faciens innocentem. Quidam reddunt, At impunita minimè dimittens. Vt poſtquã
dixiſſet, condonans iniquitatem, tranſgreſsionẽ & peccatum, ne quis interrogaret, Si ergo cõdonas, dimittis im-
punita. Abſit (inquã) ita condono, vt impunita minimè dimittã, ac ſi dicat, dum punio, condono, & ita cõdono,
vt punienda puniã. Alij legunt, Et innocentem iudicando non innocentẽ iudicabit. Quaſi dicat, Quantumlibet
quis innocẽs & iuſtus ſit, ſi ſecundum totam vitam ſuam, & iudicium meum rigoroſum diſcutiatur, & iniuſtus
inuenietur & nocens. Sunt & qui legant, Et mundãdo non mũdabit, hoc eſt, hominem ab iniquitate, quãuis par-
cat iniquitati, ſed paululũ puniet hominem vt eum corrigat, & ad bonam vitam reducat. Alij exponunt, Mũdat L
reſipiſcentes aut pœnitentiam agentes. At illos qui nolunt reſipiſcere, non mũdat. Poteſt etiam ſic legi, Nec quaſi
innocenti parcet, ſubauditúrque nocenti. Significat autem verbum naka, mũdum, ſeu innocẽtem eſſe, mundare
& parcere. Septuaginta, Ὁ δὲ ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, id eſt, Et reũ nõ purificabit. Chaldaica longa periodo alium infert
ſenſum videlicet, Parcens eis qui conuertuntur ad legem tuam, & non iuſtificans eos qui non conuertuntur. De-
mum quod apud nos eſt, Qui reddis iniquitatẽ patrum, &c. Hebraicè legitur פֹּקֵד עֲוֹן אָבֹת עַל בָּנִים וְעַל בְּנֵי בָנִים
עַל שִׁלֵּשִׁים וְעַל רִבֵּעִים Poked hauon aboth hal banim vehal bene banim hal ſilleſim vehal ribbehim, Viſitans ini-
quitates patrum ſuper filios & ſuper filios filiorũ, & ſuper tertios, & ſuper quartos, id eſt, Qui punio peccata ma-
iorum in poſteris, ſi pergant maioribus ſuis eſſe ſimiles. Vertunt alij, Viſitans iniquitatẽ patrum in filiis & nepo-
tibus, in tertiis & quartis. Quod eſt idẽ. Septuaginta verò, ἐπάγων, habẽt, id eſt, Inducens peccata patrum ſuper fi-
lios, &c. Chaldaica, Viſitãs peccata patrũ in filios & in filios filiorũ ſceleratorum, in generationẽ tertiam, & in
generationẽ quartam. Vbi vides dictionẽ, ſceleratorũ, optimè totam hãc clauſulã dilucidare. Eſt autẽ verbũ pakad M
Hebraicè, quod viſitare ſeu requirere ſignificat. Ex his tamen omnibus à ſentẽtia noſtræ editionis non receditur.
Imaginẽ igitur Moyſes gloriæ dei his aſſequutus, oratione ſua explicat nomen domini, triplici vocabulo docẽs
trinitatem perſonarum in diuinis, laudéſq; domini proſequens ſub vnius appellationis ſubſtantiæ. Quarum pri-
ma eſt vt dominũ commoneſaciat de viſceribus pietatis, quæ gerit ad fideles, non ſecus atq; mater fœtũ fouẽs in
vtero, & gallina pullos, hoc eſt, enim Rachum. Deinde totũ gratioſum & clementiſsimum in electos, omnia gra-
tis largiẽdo, quæ neceſſaria nouit charis filiis, nullis meritis prouocatus. Præterea longanimẽ appellat, & irã diffe
rentẽ in peccãtes, neq; ſecundũ malitias hominũ vindicando, ſed pręſtabilẽ ſuper peccata. Multæ quoq; beneficẽ-
tiæ qua indeſinẽter, etiã indignis benefacit, ſolẽ illis ſplẽdere permittẽs. Verax quoq; in promiſsis & minis, cuius
eſt immutabile conſiliũ, & ſancta ſemper, iuſtáq; voluntas. Qui probitatis piorum nunquã obliuiſcitur, ſupra cõ-
dignum ſanctos remunerat, ipſorum poſteris benedicit, & gratiam patrũ conſeruat ad filios, boni conſulit deli-





A cta ſanctorum, reconciliatur præuaricatoribus, & non ſtatim vleiſcitur quæcunque illorum peccata, quin & in
grauia crimina labi non ſinit, ſupponit manum, ne cadendo collidantur & conterãtur. Eſt tamen interim vltor
malorum omnium, nec quiſquam vllam coram deo iuſtitiam iactare valet, nec impunè delinquere. Improborũ
autẽ filios, paternorum ſcelerum hæredes, punit in tertiam & quartã generationẽ. Verùm non portabunt impio-
rum peccata filij emendati. Non eſt autem prætermittendum, quòd duodecim hîc vocibus ſeu epithetis Moyſes
dominũ deum appellat, ſiue deus ſeipſum nuncupat, quas duodecim dei eſſe proprietates Hebræi dicunt, quibus
omnis eius voluntas circa hominum ſalutẽ oſtenditur, ſicut iam fuerat Moyſi promiſſum. Prima & ſecũda pro-
prietas dei eſt, Dominator domine, ſuprema videlicet illa maieſtas eius, quæ bis repetitur ad eius innuendã ſem-
piternitatem. Tertia, Deus, & eſt El, id eſt fortis, conterens aduerſarias poteſtates. Quarta, Miſericors, præſeruans
ſcilicet à lapſu. Quinta, Clemens, erigens peccatorem. Sexta, Longanimis ſiue patiens, non illico cõdemnans im-
B piũ. Septima, Multæ miſerationis, ſiue abundans pietate ſuper iuſtũ & impiũ. Octaua, Verax, ſeu multæ veritatis,
implens promiſſa. Nona, Cuſtodiens miſericordiã in millia, liberalis & munificus benefactor. Decima, Auferens
iniquitatem, ſcelera atq; peccata, benignus in condonandis delictis. Vndecima, Nullúſque apud te per ſe innocẽs
eſt, ſuprema puritas & innocentia, Vel parcens volentibus conuerti, non parcẽs nolentibus. Duodecima, Reddẽs
vel viſitans iniquitatem patrum filiis, & cætera, iuſtiſsimè puniens in peccatis perſeuerantes. De his autẽ epithe-
tis ſiue proprietatibus qui plura noſſe cupierit, Hebræos doctores legat, qui eas ad ſatietatem vſque pertractant.
*Feſtinúſque Moyſes incuruatus eſt pronus in terram, & adorãs ait.* INTERLINEARIS. Nempe ſe terram & cinerẽ eſſe
intelligens. CAIETANVS. Magis quadrat tantæ mentis eleuatioris & efficaciæ orationis, vt Moyſes à
principio huius viſionis intelligibiliter caput flexerit, proſtraueritq; ſe, ſummum honorem exhibẽdo deo tranſ-
eunti, & ad hoc fortè inſinuandum Hebraicè dicitur, & inclinauit occiput, vt mentem ex integro humiliaſſe de-
ſcribatur. Eleuatus enim à ſenſuum vſu tunc erat Moyſes, vt ad tam excellentem eſſet diſpoſitus viſionem intel-
C ligibilem. AVCTOR CATENAE. Quinimmò non tãtùm verbis, ſed & cæremoniis, & corporis humili
geſtu ex deuotionis feruore, dominum interpellat fidelis prælatus, pro ſubiecto illi populo. Parum alioqui valet
demiſſum corpus cum elata mente & hypocriſi, quam dominus ignorare non poteſt. *Si inueni gratiam in conſpectu
tuo domine, obſecro vt gradiaris nobiſcum, populus enim duræ ceruicis eſt, & vt auferas iniquitates noſtras atque peccata, nóſque poſsideas.*
AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS. Iuxta alia exẽplaria habetur, Si inueni gratiã in cõſpectu tuo, *Locut. 127.*
ſimul ambulet dominus meus nobiſcũ, tanquã de alio dicat. Aſsiduæ ſunt hæ locutiones, ſed cũ dicitur ad deũ,
putatur patri dici de filio. Cùm autem talia dicerentur ad Pharaonem, & ad Ioſeph, & ad alios multis locis, ge-
nus locutionis intelligebatur. INTERLINEARIS. Peto (inquit) vt clemens & propitius ſis nobis, & pu-
niendo ac ignoſcendo, tam in proximum quàm in nos ipſos commiſſa, tanquam hæreditatem tuam poſsideas.
RVPERTVS. Cùm dicit vt gradiaris nobiſcum, &c. Fiducialiter fides Euangelica gaudet ſubintelligere, vt *Ioan. 1.*
verbum caro fiat, & habitet in nobis, & videamus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre. Nam ex Adam po-
D pulus duræ ceruicis eramus, idcirco medicamẽto humilitatis dei indiguimus. CAIETANVS. Nõ allegat
Moyſes pro impetranda gratia diuinæ præſentiæ inter eos, duram ceruicẽ populi quaſi rationem prouocãdi ad
exaudiendum, ſed tanquã rationem cogentem Moyſen ad ſic precandum, videlicet ex diuina gratia erga ipſum
Moyſen. Et eſt ſenſus, quòd ideo peto perſeuerãtiam præſentiæ tuæ inter nos in toto itinere, ex hoc ſcilicet, ſi in-
ueni gratiã in oculis tuis, quia populus iſte duræ ceruicis eſt, & peccabit, & merebitur vt priues eos præſentia tua.
Ac ſi apertiùs dixiſſet, Non obſtante quòd populus iſte duræ ceruicis ſit, & ſæpe te offendet ac irritabit, ſupplico
vt perſeueres eundo intra nos ob gratiam tuã qua me proſequeris. Nominat autem Moyſes in hac ſupplicatione
deum domine mi, teneritudinem affectus conduplicando, explicans repetito aduerbio obſecrandi, vt teneritu-
do comitem habeat reuerentiam. Et vt auferas (inquit) iniquitates noſtras atque peccata, nóſque poſsideas. Iuxta
Hebræum habetur, Et condonabis iniquitatem noſtram, & peccata noſtra, & hæreditabis nos. Primi & tertij ge-
neris peccatorum meminit, tacendo ſecundum quod eſt peſsimum, videbat enim Moyſes populum quamuis
E duræ ceruicis, non tamen ex contemptu dei pronum ad peccandum. Et addendo tertiam petitionem, dicit, Et
hæreditabis nos, hoc eſt, poſsidebis nos vt hæredes tuos in terrã promiſsionis. Ad magnum beneficij cumulum
ſpectat ſingulare hoc priuilegium, vt filij Iſraël quaſi hæreditario iure tanquam proprij dei hæredes introducan-
tur in terram promiſſam Patriarchis. Si tamen in ſecunda petitione intellexeris, quòd ideo iniquitates & pecca-
ta Moyſes dicit etiam ſua, qua iniquitatem peccatúmque Aaron tanquam etiam ſuum reputat, intercedendo
pro illo, non aberraſti, nam diuina reſponſio manifeſtat, quòd Moyſes ſupplicauerat non ſolùm pro populo, ſed
pro Aaron. AVCTOR CATENAE. Si inueni gratiam, addendum ex Hebræo, Nunc. Vt dicatur, Si nũc
inueni. Et dictio ſi, ſecundum aliquos, ponitur pro quia. Parum autem refert id quod apud nos legitur, Obſecro
vt gradiaris nobiſcum, in Hebræo haberi יֵלֵךְ נָא אֲדֹנָי בְּקִרְבֵּנוּ Iélech na adonai bekirbénu, Gradiatur ſiue ambu-
let obſecro dominus in medio noſtri. Vertunt alij, Eat quæſo dominus meus in medio noſtri. Alij, Vadat nunc
dominus per medium noſtri. Septuaginta etiam, *συμπορευθήτω ὁ κύριός μου μεθ' ἡμῶν*, Simul eat dominus meus
F nobiſcum. Chaldaica quoque in tertia perſona legit, Eat obſecro maieſtas domini inter nos. Nam Hebraiſmus
eſt, pro gradiaris nobiſcum tu, ſicut Interpres reddidit. Parimodo quod apud nos eſt, Vt auferas, nóſque poſsi-
deas, Hebraicè futura ſunt, וְסָלַחְתָּ וּנְחַלְתָּנוּ Veſalachta vnchaltánu, Et paries vel propitiaberis ſeu propitius fies
iniquitati noſtræ & peccato noſtro, & in hæreditatem accipies nos. Sic & apud Septuaginta, *καὶ ἀφελεῖς, ᾗ ἔσῃ
μεθ' σοῦ*, id eſt, Et auferes, & erimus tibi. Chaldaica quoque, Et dimittes delicta noſtra atque peccata, & poſsidebis nos. Quæ idem dicunt in ſententia cum litera noſtra, quæ & ipſa rectè reddita eſt. Nam נָחַל Nachal verbum,
& hæreditare ſignificat & poſsidere. Petit enim vt cùm Iſraël ſit populus incuruæ ceruicis, ita eum comple-
ctatur, vt ſuppliciis quidem erudiat eum, & à peccatis deterreat, nunquam autem penitùs abiiciat eum, ſed
agnoſcat ipſum tanquam propriam ſuam hæreditatem. Replicat igitur orationem Moyſes, ſicut & Chriſtus do-
minus noſter in monte Oliueti. Sic non ſufficit ſemel oraſſe, ſed ſine intermiſsione, & ſeriò orãdus eſt dominus.
Semper autem humilitatem reſipiat oratio, peccatorúmque confeſsio non omittatur.

*Mystice.* RABANVS. Spiritualiter autem. Quid est dominum descendere per nubem, nisi in velamento mysterio- G
*Psal.17.* rum se inuestigãdum præbere? Vnde Propheta dicit, Posuit tenebras latibulum suũ, Et in Iob, Nubes (ait) latibu-
*Iob.22.* lum eius, Vt secundum Apostolum, Nunc videamus per speculũ in ænigmate, Tunc autem, id est, tẽpore vniuer-
*1.Cor.13.* salis iudicij, quando fuerimus trãslati de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, reuelata facie glo-
riam domini contemplabimur. Interim ergo donec illucescat dies, & inclinẽtur vmbræ, iuxta exemplum Moysi,
simus cum eo, & inuocemus nomen domini, intentiùs deprecantes, quatenus per gratiam suam, & secundũ mul-
titudinem misericordiæ suæ, ad ea quæ intelligenda illuminare, ad ea quæ agenda sunt, nos adiuuare dignetur.
AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVMOCTAVVM. Ait sancta scriptura,
Stetit Moyses cum eo inuocans nomen domini. Moyses non trãsiuit viam, sed in via stetit, cui dictum fuerat,
*Ioan.14.* Tu autem hîc sta mecum. Stetit enim cum illo qui ait, Ego sum via & veritas & vita. Hanc qui viam transit la-
bitur. Moyses autem non lapsus est, sed pertransiuit à secularibus ad spiritalia, à temporalibus ad æterna. HIE- H
*Psal.81.* RONYMVS SVPER PSALMOS. Multa sunt schemata. Frequenter enim sedemus, interdum stamus,
interdum iacemus, interdum currimus, interdum ambulamus, ita & deus describitur pro varietate hominum,
& status ipsius diuersus inducitur. Si sancti sumus, & sumus similes Moysi, dicitur ad nos, Tu verò hîc sta me-
cum. Hoc enim dixit deus ad Moysen. Stabat enim Moyses super petram, propterea & dominus stabat illi. Si ve-
rò priùs sancti fuerimus, & postea peccatores, iam non nobis stat deus, sed ambulat, hoc est, mouetur de loco suo,
qui nobis antè steterat. Postquam nos moti fuerimus, & ipse nobiscum pariter mouetur. Denique & Adam quã-
diu in paradiso fuit, & mandatum seruauit, stabat ei deus. Postquam verò transgressus est, audiuit vocẽ dei am-
bulantis in paradiso. Vis scire quia ambulabat ei deus? Quid ei dixit? Adam vbi es? Qui antè stantem deum non
fugerat, postea ambulantem fugit. Diximus de stante, diximus de ambulante, dicamus de sedente. Quandocun-
*Gen.3.* que sedens inducitur deus, dupliciter inducitur: Aut quasi rex, aut quasi iudex. Si quasi rex, videtur sicut Esaias,
*Esa.6.* Vidi dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Ibi quasi rex regnans inducitur. Quando verò I
*Dan.7.* quasi iudex inducitur, throni positi sunt, & libri aperti sunt, vt in Daniele scriptum est. Quid dicitur? Throni po-
siti sunt, & libri aperti sunt. Hoc est, dominus quasi iudex sessurus, & omnium opera relecturus. Libri qui modò
complicati sunt, tunc aperientur. Omne quod facimus, quod loquimur, quod cogitamus, etiam de ocioso verbo
reddituri sumus rationem. Scriptum est in libris dei. Putat aliquis libros esse in cœlo vbi scribuntur peccata no-
stra? Ego libros puto conscientias nostras, quæ tunc aperientur, & videbit vnusquisque quod fecit. Nil occultum
quod non reuelabitur. Propterea throni positi sunt, & libri aperti sunt. Quanta scripta sunt in libro meo, & ne
fratri quidem meo, neque amico meo audeo confiteri. Sciunt Angeli quid fecerim, sciunt throni, sciunt Sera-
phim, scit pater & filius & spiritus sanctus. Diximus de deo quòd aliis stet, aliis ambulet, aliis verò sedeat, aut
quasi rex, aut quasi iudex, aliis verò dormit. Si quando nos derelinquit tentationibus, licet simus sancti, tamen re-
linquimur tentationibus vt probemur, eo tempore nobis dormit dominus. Denique quid dicit Psalmista, Exur-
ge, vt quid dormitas domine? Et Apostoli quando erant in naui, & nauis fluctibus tundebatur, dormiebat eis do- K
*Marc.4.* minus. Propterea enim nauis fluctibus tundebatur. Denique excitant eum & euigilant, & statim tempestas quie-
*Cap.5.* scit. IDEM IN EPISTOLAM AD GALATAS. Ait sanctus Apostolus, State, & nolite iterum iugo
seruitutis contineri. Et ex hoc ostenditur, quia non stet qui iugo inhæreat seruitutis. Et quia is qui à Christo li-
bertate donatus est, tandiu fuerit sub iugo quãdiu spiritum seruitutis habuerit in timore, & legis initia sit secu-
tus. Quòd autem ait, state, firmam & stabilem in Christo hortatur fidem, vt Ecclesiæ Galatiæ fixo in saluatore
*Psal.39.* permaneant pede. De quo & in alio loco iustus loquitur, Statuit super petram pedes meos, pro eo quod est, su-
*1.Cor.10.* per Christum, ne scilicet circunferantur omni vento doctrinæ, & in diuersa rapiantur. Vnde & ad stantes dici-
*Act.7.* tur, Et qui stat, videat ne cadat. Et in alio loco, State, viriliter agite, confortamini, vt stent cum eo quem Stepha-
nus à dextris patris stantem vidit in martyrio perseuerans, & qui locutus est ad Moysen, Tu verò sta mecum.

3 RESpondit dominus, ego inibo pactum uidentibus cunctis, signa faciam quæ nunquam sunt uisa super ter- L
ram, nec in ullis gentibus, ut cernat populus iste in cuius es medio, opus domini terribile quod facturus
sum. Obserua cuncta quæ hodie mandaui tibi. Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Amorræum, & Cha-
nanæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Heuæum, & Iebuzæum. Caue ne unquam cum habitatoribus ter-
ræ illius iungas amicitias, quæ tibi sint in ruinam, sed & aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succi-
de. Noli adorare deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, deus est æmulator. Ne ineas pactum cum homini-
bus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulachra eorum, uocet te quis-
piam ut comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint for-
nicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos. Deos conflatiles non facies tibi. M

3 CYRILLVS LIBRO DECIMOSEXTO IN LEVITICVM. Tanquam si sol respiciat segetem, & afferat fructus, quam vtique si non respexisset, infructuosa mansisset. Ita deus segetem cordis nostri respiciens, & radiis nos verbi sui illuminãs, auget nos & multiplicat, vt vltra iam non simus paruuli, sed magni efficiamur, sicut magnus factus est Isaac, & magnus factus est Moyses, & magnus Ioannes. Vis videre si respiciat dominus ad hominẽ, quãta sit salus? Petrus aliquãdo penè perierat, & ex cõsecratione Apostolici numeri (diabolo per os ancil-
*Luc.22.* læ põtificis inspirante) fuerat ereptus, Sed vbi respexit ad eum Iesus tantũ, vbi ad eũ placidi vultus ora conuertit, statim reuersus in semetipsum, & prolapsum de præcipitio reuocans pedem, fleuit (inquit) amarissimè: itaque ita respectus à deo, locũ suũ flendo recepit, quẽ negãdo perdiderat. Sed & hoc in loco ex respectu & cura ipsius domi-
ni ad preces Moysi, quæ, qualia & quãta populo Iudæorũ prouẽtura sint bona videamus. Ait ergo: *Respõdit dominus,*

*Ego*



A *ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam sunt visa super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste in cuius es medio, opus domini terribile quod facturus sum.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXO- *Quæst.156.*
DVM. Vel secundum alia exemplaria, Coram omni populo tuo faciam gloriosa. Nondum dignatur dice-
re, coram omni populo meo. An ita dixit, populo tuo, quomodo cuilibet homini eiusdem populi diceretur,
ex quo populo es? Quomodo ciuitati tuæ dicimus, non cui dominaris, vel quam constituisti, sed vnde ciuis
es. Sic enim & paulò pòst dicit, Omnis populus in quibus es. Alio modo quid dictũ est, nisi populus tuus? Quòd
autem non dixit, in quo es, consuetudo locutionis est. INTERLINEARIS. Quod dominus hîc se pro-
mittit facturum, nunquam est Iudæis datum ad literam. De die ergo iudicij accipiẽdum est, in quo facturus est
quæ nunquam visa fuerunt. RABANVS. Quid est quòd Moysi deprecanti pro salute populi sibi commis-
si, quatenus dominus gratiam suam illis cõcederet, eorúmque peccata atque delicta auferret, respõdit dominus
B Ego inibo pactum, videntibus cunctis signa faciam, quæ non sunt visa super terram, &c. Quæ sunt illa signa quæ
nunquam sunt visa super terram? An fortè signa illa ad nouum testamentum pertinent, incarnationis videlicet,
passionis ac resurrectionis domini? De quibus signis ad perfidũ regem qui noluit iussus à domino petere, Esaias *Esa.7.*
propheta ait, Audite ergo domus Dauid, Nũquid parũ est vos molestos esse hominibus, quia molesti estis & deo
meo? Propterea ipse dominus dabit vobis signum. Ecce virgo cõcipiet & pariet filiũ, & vocabis nomen eius Em-
manuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonũ. Tunc ergo verè cũ populo dei ini-
tum est pactũ, quando per Christi aduentũ in mundo prædicatum est Euangeliũ. RVPERTVS. Quæ ergo
sunt signa nunquam visa, vel quod est opus domini terribile, quod cernat populus præsidente Moyse, nisi quòd
deus homo factus est, quòd crucifixus, mortuus, & sepultus est, & resurrexit tertia die, prophetia Moysi eius testi-
monium astipulante? Nempe si respicias ad signa quæ in illo populo facta sunt, antequam veniret hic filius dei,
maiora visa sunt super terrã, maiora facta sunt signa in medio Aegypti, nec tam terribile opus domini vidit po-
C pulus ille, sub cunctis regibus suis, quàm fuit illud quod iam fecerat dominus in Pharaonem & in omnes seruos
eius. CAIETANVS. Respondit dominus, Ego inibo pactum videntibus cũctis. Iuxta Hebræum habetur,
Et dixit, Ecce ego feriens fœdus è regione totius populi tui. Non dicit cum quo feriet fœdus, sed tum ex eo quòd
dicit è regione omnis populi, tum ex eo quòd in calce cõcludit, Videbit omnis populus terribile quod ego faciã
tecum, intelligimus quòd de fœdere principatus & sacerdotij est sermo. Reuelat si quidem deus Moysi quòd fa-
ciet mirabilia ac terribilia ad seruandum ipsum Moysen in principem & Aaron in pontificẽ, quæ omnia subse-
quuta leguntur in libro Numeri sextodecimo & decimoseptimo. Hæc enim fuerunt facta è regione totius popu-
li, non solùm spectante populo, sed quasi pugnante contra Moysen & Aaron pro vsurpatis principatu & pontifi-
catu. Præuidebat enim deus has seditiones futuras, & propterea dicit Moysi supplicanti pro Aaron, Ecce ego fe-
riens fœdus, subaudi tecum, etiam pro Aaron. Et significãter dicit populi tui, quoniam seditio futura erat in po-
pulo, non quatenus erat populus dei, sed quatenus populus hominis. Verè autẽ fuerunt terribilia opera aduersus
D Dathan & Abiron & Chore, quæ fecit deus in fauorem Moysi, ad testificandũ quòd ipse misit eum Prophetã ad
ducẽ populi, & quòd ipsius dei auctoritate disponebat Moyses de sacerdotio. AVCTOR. CATENAE. He-
braica ita sonant hoc in loco וַיֹּאמֶר הִנֵּה אָנֹכִי כֹּרֵת בְּרִית נֶגֶד כָּל עַמֶּךָ Vaiómer hinne anochi coreth berith, neged
col hammecha, Et dixit, Ecce ego ferio pactum corã omni populo tuo. Septuaginta, ἰδοὺ ἐγὼ τίθημί σοι διαθήκην
ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ σου, Ecce ego pono tibi pactũ coram omni populo tuo. Chaldaica verò, Ecce inibo pactum,
sed quod sequitur, iungit sequenti clausulæ, videlicet corã omni populo tuo faciam mirabilia. Quod verò legi-
mus signa faciã, &c. Iuxta Hebræum habetur אֲשֶׁר לֹא נִבְרְאוּ בְכָל הָאָרֶץ וּבְכָל הַגּוֹיִם אֲעֲשֶׂה נִפְלְאֹתָ Eheseh niphlaot,
aser lo nibreu becol haáres vbcol hagoim, Faciam mirabilia quæ nunquam creata fuerũt in vniuersa terra, & in
omnibus populis, ita & Chaldaica. Demum quod dicitur, Vt cernat populus iste, &c. Hebraicè legitur sicut in
Chaldaica habetur, Et videbit omnis populus in cuius medio tu es, opus domini quia terribile est, quod ego
facio tecum. Septuaginta etiam in hunc sensum, præter, ἃ ἐγὼ ποιήσω σοι ἐκῇ, Quæ ego faciam tibi illic. Sed ea-
E dem est sententia, quæ etiam omnia nequaquam ab Interprete nostro discordant. Non solùm igitur precan-
tem Moysen exaudit dominus, sed multa insuper beneficia pollicetur, magna ac mirabilia in gratiam & pro-
fectum fidelis populi se facturum promittit. Nominat Israëlem populum Moysi, pro quo scilicet tantoperè so-
licitus sit, tam fideliter æmuletur, sicut & Paulus Ecclesias, cui etiam quasi donati sint, quia ad ipsius preces, non
suis meritis redempti ab exitio quod dura ceruice sua toties sibi asciuerant. Signa autem quæ facturus est do-
minus, licet ea significari possint hoc in loco quæ fecit in deserto, vt sunt eductio aquæ de petra, locutio asi-
næ Balaam, & similia, vel quæ sub ducatu Iosue contigerunt, transitus Iordanis, & murorum Iericho subuer-
sio, & statio solis, & reliqua. Et quod sequitur, Videbunt opus terribile quod faciam tecum, intelligant non-
nulli de cornuta facie Moysi, seu de seditione Chore & sociorum eius, Excellentiùs tamen incarnationis do-
minicæ mirabilissimum omnium accipimus mysterium. Ipse enim saluator noster, & in fœdus gentium vni-
cè datus, ipse in terris visus, & coram omni populo conuersatus, ipse in Iudæis signa fecit, quæ nemo alius fe-
F cit. *Obserua cuncta quæ hodie mandaui tibi.* CAIETANVS. Ab hoc loco dirigit deus sermonem ad po-
pulum. Ita quòd alloquitur Moysen in persona populi repetendo quæ altera vice (hoc est, in priore Moysi ieiu-
nio quadraginta dierum) dixerat, & hoc ad manifestandum, quòd quæ tunc ordinauerat, antequam popu-
lus peccaret, vult exequutioni mandari tanquam nouiter præcepta. Et quoniam superiùs hæc exposita sunt,
pertransibimus. AVCTOR CATENAE. Obserua cuncta quæ hodie mandaui tibi. Ita legitur
in Hebræo sicut in Chaldaica, Obserua tibi omnia quæ ego præcipio tibi hodie. Et Hebraismus est, custo-
di, siue caue, aut obserua tibi, pro obserua diligenter. Et conuenientiùs per præsens verbum redditur, Præ-
cipio tibi, quod Hebraicè est מְצַוְּךָ Mezauecha, & apud Septuaginta, συντέλλομαί σοι, nam posthac incipiet re-
censere dominus præcepta. *Ego ipse eiiciam ante faciem tuam Amorræum, Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque & & Heuæum & Iebusæum.* Promittit exterminium impiorum, quorum crimina iam iudicio diuino consum-
mata erant, in gratiam autem fidelium conterendi, quos in ipsorum locum plantare decreuerat, sicut ante

quadringentos annos Abrahæ promiſerat. Tacet autem Gergézæũ populum, qui tamen à Septuaginta non præ- G
termittitur, fortè quia ante ingreſſum filiorum Iſraël in terram promiſionis iam is de terra illa receſſerat. *Ca-*
*Quæſt.156. ue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ tibi ſint in ruinam.* AVGVSTINVS. Quid eſt quod dicitur ad Moyſen ſecundum alia exemplaria, Attende tibi, ne quando ponas teſtamentum his qui ſedent ſuper terram. Non enim habet Græcus, Nequãdo ponas, ſed nequando ponat. An fortè de populo ei dicere voluit, cuius ipſe ductor fuit? Sed non ipſe introduxit populum in eam terram, vbi prohibet poni teſtamentũ cum eis qui in illa habitabant. Mirum itaque locutionis genus eſt, & adhuc inexpertum, vel non animaduerſum, ſi tamen lo-
*Locut.128.* cutio eſt, ac non ſenſus aliquis. IDEM IN LOCVTIONIBVS. Nequando ponat teſtamentum his qui ſedent ſuper terram, Ac ſi diceret, ſedes habent, quod eſt habitant. AVCTOR CATENAE. Caue ne vnquam, &c. Litera hæc ita legitur in Hebræo ſicut eſt in Chaldaica, Caue tibi ne fortè ineas pactum cum habitatoribus terræ ad quam tu ingredieris, ne fortè ſit in ſcandalum in medio tui. Id eſt, ne tibi ſint cauſa ruinæ quum H
habitabunt tecum, fiet enim vt te inducant in idololatriam, vt poſtea declaratur. Et ita doctus etiam intellexit Latinus Interpres. Legunt alij, Caue tibi ne fortè percutias fœdus cum habitatore terræ ſuper quam tu venis, ne fortè ſit in offendiculum in medio tui. Quod tamen eſt idem. Septuaginta verò, μὴ ποτε διαθῇς διαθήκην τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς ἣν σὺ εἰσπορεύῃ ἐν αὐτῇ, μή ποτε γένηται πρόσκομμα ἐν ὑμῖν, Ne fortè diſponas pactum habitãtibus in terram in quam tu ingredieris in ea, ne fortè fiat offenſio in vobis. Quæ verba ad Moyſen dicuntur in perſona totius populi. Nam nec ipſe vnquam terram promiſionis eſt ingreſſus, nec vnquam fœdus cum illis gentibus iniiſſet, vtpote fidelis famulus domini in tota domo ſua. Diſcimus igitur hoc in loco cum impiis non eſſe fœdus ineundum, non contrahendas cum infidelibus amicitias, nequando vt facilè fit, ipſorum faſcino inficiamur, & ſcandalo præcipitemur. Nouit dominus conditiones fragilitatis humanæ, quàm procliue ſit ad deteriora inclinari, arripere exempla peiorum, faciliùs decipi iuſtos ab impiis, quàm improbos à melioribus emendari. Sic reipſa declarat dominus, quòd redierit cum Iſraëlitis in gratiam, & quòd velit eos introducere in terram I
Chanaam, quia repetit & explicat veteres quaſdam leges, vt ſignificet hoc vnum ſibi maximæ curæ eſſe, quo vera religio & legitima Reſpublica in Iſraël inſtitueretur. INTERLINEARIS. *Sed &* (nequis incipiat deos gentium colere, & vt nulla monimenta idololatriæ remaneant) *Aras* (inquit) *eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucóſque ſuccide.* AVCTOR CATENAE. Parum eſt quòd tam in Hebræo quàm in Chaldaica & Septuaginta tria verba hæc futuri ſunt temporis & numeri pluralis, videlicet deſtruetis, confringetis, ſuccidetis. Nam idem eſt ſenſus vbique. Abundãt autẽ apud Septuaginta, καὶ τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν αὐτῶν κατακαύσετε πυρί, Et ſculptilia deorum eorum comburetis igne. Abominationes illarum gentium ob oculos ponit, vt fidelis videat quantùm dominus idola deteſtetur. Expertus nimirum cor prauum hominis ab infantia deus, aſtúſque dæmoniorum ſuperſtitionibus illudentium, tam paternè admonet, & à periculo dehortatur. Vult ergo deſtrui aras, cõfringi ſtatuas, excindi lucos, ac omnem idololatriæ occaſionem amputari, ne facilè repullulaſcat. *Noli adorare deum alienum. Do-*
*Quæſt.158. minus zelotes nomen eius, deus eſt æmulator.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. K
Cùm præciperet deus loquens ad Moyſen, vt data terra in poteſtate, omnis idololatria euerteretur, nec adorarẽtur dij alieni, ait iuxta alia exemplaria, Dominus enim deus zelans nomen, deus zelotes eſt, id eſt, ipſum nomen quod dominus deus dicitur, Zelans eſt, quia deus zelator eſt. Quod nõ humanæ perturbationis vitio facit deus, ſemper atque omnimodo incommutabilis atque tranquillus, ſed hoc verbo indicat non impunè plebem ſuam per alienos deos fornicaturam. Ductum eſt enim verbum à tropo metaphora, à zelo maritali, quod caſtitatem cuſtodit vxoris, quod nobis prodeſt, non deo. Quis enim tali genere fornicationis deo nocuerit? ſed ſibi plurimum vt pereat. Quod deus prohibet terrore grauiſſimo, zelotem ſe appellãs. Cui dicitur in Pſalmo, Perdidiſti omnes
*Pſal.72.* qui fornicantur abs te, Mihi autem adhærere deo bonum eſt. CYRILLVS LIBRO TERTIO CONTRA IVLIANVM. Quòd ſcriptura vocat deum zelotem, offendatur nullus. Diuina enim & ineffabilis natura non eſt ſicut nos, ſeparata eſt autem in tantum, & eleuatur mentaliter, ſicut & incomparabiles ſunt excellẽtiæ ſermones. Affectiones enim quæ in ſingulis rebus, intelligũtur in nobis, ita vt inſint affectiones, laborat enim L
natura infirmitate, & propenſione ad delinquendum. In vniuerſorum autem deo ſignificantur illæ vocibus & verbis noſtris, neutiquam autem ſic intelliguntur. Caret enim affectionibus deus, ſed zelare dicitur, eo quòd nihil quod ſemel agnouit gloriam eius, in malas rapi velit inclinationes. Non enim fas eſt, imò prorſus nephariũ, vt per idololatriam paruifiat, & immundis ac prophanis dæmonibus cultus impendatur. Igitur ſi dicatur zela-
*Titum.2.* re, id fit ſecundum modum, quem nunc diximus, quandoquidem natura bonus eſt, & omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, boni autem fuerit, nihil facere quod non eſt ſecundum veritatem. At quòd nonnulli à veritate exciderunt, & diuinum lumen à mente ſua depulerunt, per imperitiam lapſi ſunt, vt ea quæ deteriora ſunt ſapiant, tenebríſque & inconſiderantia mentem ſuam adimpleant. Etenim eos qui fundati ſunt in hoc vt conſtantes & ſapientes inueniantur, omnino honor apud deum ſequitur, propenſos veri ad illicita, pœna ſententiæ ſequitur. Zelat igitur, ſiquidem aliquid licet humano more loqui moleſtè ferens, ſi quoſdam
*2.Cor.11.* ex ſuis viderit miſerè perditos. THOMAS IN EPISTOLAS PAVLI. Zelus non eſt aliud quàm qui- M
*Lect.1.* dam motus animi bonus vel malus tendentis in ſtatum proximi, & importat feruorem amoris. Et ideo conſueuit ſic diffiniri: Zelus eſt amor intenſus, non patiens conſortium in amato. Et ſiquidem non patiatur cõſortium in aliquo bono, puta vitij vel alicuius imperfectionis, ſed ſingulariter illud ſolus vult habere, tunc zelus eſt bonus, & æmulatio bona, qua dicitur primæ Corinthiorum duodecimo, Aemulamini charíſmata, &c. Ad Galatas quarto, Aemulamini bonum in bono, &c. Tertij Regum vigeſimonono, Zelo zelatus, &c. Pſalmus, Zelus domus tuæ, &c. Et hoc bono zelo nuncupatur etiam deus quandoque metaphoricè zelotes, & zelare dicitur, in quantùm non patitur ab homine alium aliquem pro vero deo adorari. Si verò non patiatur conſortium in aliqua excellentia, vel in aliqua proſperitate mundi, tunc zelus eſt malus & æmulatio. Hoc autem bono zelo ſeu æmulatione aliquando quis æmulatur alios pro ſe, ſicut vir zelatur pro vxore ſuo quam ſibi ſoli vult ſeruari. Aliquando verò zelatur aliquis pro alio, Sicut eunuchus zelatur vxorem domini ſui, vt cuſtodiat eam ſibi. Sicut Apoſtolus



A ſtolus populum ſuum quem videbat paratũ ad præcipitium, & cum ſponſo Chriſto velle proſtitui diabolo, æmulabatur, ne Chriſtus ſponſus verus in eis aliquod conſortium pateretur. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Quia non adorabis alium El. Ratio prohibiti fœderis cum illis gentibus redditur, vitatio idololatriæ. Et hîc habes nomen El, commune etiam deo non vero, ſed ſecundum opinionem, ſicut & nomen Elohim. Dominus zelotes nomen eius, deus eſt æmulator. Iuxta Hebræum habetur, quia Iehoua zelotes nomen eius, El zelotes ipſe. Ratio adiungitur comminando vltionem diuinam ſi adorauerint alium deum, quia ipſe fons eſſendi & in re & in nomine, zelotes eſt, hoc eſt, ad ſimilitudinem zelotypi non tolerat conſortem in cultu deitatis. Et verè quia natura diuina non poteſt habere parem, ac per hoc nomen eius nõ habet par, ideo & ipſe zelotes, & nomen eius zelotes dicitur, & cultus qui ei debetur, non debet alteri exhiberi, magnáque pœna dignum ſe reddit, qui diuinum cultum alteri exhibet, vtpote quãtum in ſe eſt, profitens alium parem deo. Et ſignificanter dicitur,
B El zelotes ipſe, vt intelligatur, quòd eſt fortis ad puniẽdum & propulſandum iniuriam. AVCTOR CATENAE. Noli adorare, &c. Hebraicè eſt כִּי לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה לְאֵל אַחֵר Chi lo tiſtachaue leel acher, Quoniam nõ adorabis deum alterum. Vertunt alij, Quia non incuruabis te deo alteri. Septuaginta, ὃυ γὰρ μὴ προσκυνήσετε θεῷ ἑτέρῳ, Non enim adorabitis deum alium. Chaldaica, Non enim adorabis idola populorum. Sed hæc literæ noſtræ ſenſum non variant, Dominus zelotes nomen eius. Addendũ ex Hebræo, Quia ſiue quoniam, vt ſit redditio rationis quare non debeant deos alienos adorare, & dicendum, Quoniam dominus zelotes nomen eius, deus æmulator ſiue zelotes eſt. Et Hebraiſmus eſt, pro, Dominus enim dicitur zelotypus, id eſt, nõ patitur vt ſecum alius deus colatur, ſolus pro deo amari & coli vult. Septuaginta, ὁ γὰρ κύριος ὁ θεὸς ζηλωτὸν ὄνομα, θεὸς ζηλωτής ἐστιν, Nam dominus deus zeloſum nomen, deus zelotes eſt. Dominus ergo honorem ſuum zelat, & alteri non fert tribui ſpem ſalutis & gratiæ, qui ſolus eſt & haberi vult fons & origo clementiæ & pietatis, propenſior ad iuuãdum, quàm omnis creatura ad deſiderandum. Nihil enim odit eorum quæ condidit, patrem & omnipotentem vocari ſe iubet,
C & ad illum cum fiducia in neceſſitatibus confugi vult. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum diis ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam, & comedas de immolatis.* THOMAS. Sciendum *2.2.q.10. ar.9.in cor. & ad 1.*
quòd communio alicuius perſonæ interdicitur fidelibus dupliciter. Vno modo in pœnam illius cui communio fidelium ſubtrahitur. Alio modo ad cautelam eorum quibus interdicitur, ne alij communicent. Et vtraque cauſa ex verbis Apoſtoli accipi poteſt primæ ad Corinthios quinto. Nam poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, ſubdit pro ratione, Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Et poſtea rationem ſubdit ex parte pœnæ per iudiciũ Eccleſiæ illatæ, cùm dicit, Nónne de his qui intus ſunt vos iudicatis? Primo ergo modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium qui nullo modo fidẽ Chriſtianam receperunt, ſcilicet Paganorum vel Iudæorum, quia non habet de eis iudicare ſpirituali iudicio, ſed temporali in caſu, cùm inter Chriſtianos commorantes aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniũtur. Sed iſto modo ſcilicet in pœnam interdicit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium qui à fide ſu-
D ſcepta deuiant, vel corrumpendo fidem ſicut hæretici, vel etiã totaliter à fide recedẽdo ſicut apoſtatæ. In vtroſque enim horum excommunicationis ſententiam profert Eccleſia. Sed quantum ad ſecundum modum videtur eſſe diſtinguendum ſecundum diuerſas conditiones perſonarum & negociorum & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione eorum cum infidelibus conuerſio infidelium magis ſperari poſſit, quàm fidelium à fide auerſio, non ſunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non ſuſceperunt, ſicilicet Paganis vel Iudæis, & maximè ſi neceſſitas vrgeat. Si autem ſint ſimplices & infirmi in fide, de quorum ſubuerſione probabiliter timeri poſſit, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent. Et ideo dominus Exodi trigeſimoquarto
præcipit Iudæis qui erant proni ad idololatriam, ne inirent fœdus cum illis gentibus quarum terram ingreſſuri erant. Timendum enim erat ne per continuam conuerſationem cum eis, alienarentur à fide, vt ibi manifeſtè di-
citur. IDEM. Sciẽdum etiam, quòd nomen caſtitatis dupliciter accipitur. Vno modo propriè, & ſic eſt ſpe- *Vbi ſuprà. q.151. ar.2.*
E cialis virtus, habens ſpecialem materiam, ſcilicet cõcupiſcentias delectabilium quæ ſunt in venereis. Alio modo *in cor.*
nomen caſtitatis accipitur metaphoricè. Sicut enim in corporis commixtione conſiſtit delectatio venereorum, circa quam propriè eſt caſtitas, & oppoſitum vitium ſcilicet luxuria: ita etiam in quadam ſpirituali coniunctione mentis ad res aliquas conſiſtit quædam delectatio contra quam eſt quædam ſpiritualis caſtitas metaphoricè dicta, vel etiam ſpiritualis fornicatio ſimiliter metaphoricè dicta. Si enim mens hominis delectetur in ſpirituali coniunctione ad id cui debet coniungi, ſcilicet ad deum, & abſtinet ſe ne delectabiliter aliis coniungatur contra debitum diuini ordinis, dicetur caſtitas ſpiritualis, ſecundum illud ſecundæ ad Corinthios vndecimo, Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Si autem delectabiliter contra debitum diuini ordinis coniungatur mens quibuſcunque aliis rebus, dicetur fornicatio ſpiritualis, ſecundum illud Hieremiæ tertio, Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. CAIETANVS. Ecce diuina prohibitio circa eſum immolatorum ſimulachris, & propterea mala moraliter erat durante ſtatu legis manducatio *immolatorum*, ſoluta au-
F tem lege (vt ad Corinthios Paulus ſcribit) non eſt mala moraliter, niſi propter *conſcientiam* vel ſcandalum. AVCTOR CATENAE. Hebraicè ſic legitur loc° פֶּן תִּכְרֹת בְּרִית לְיוֹשֵׁב הָאָרֶץ וְזָנוּ אַחַר אֱלֹהֵיהֶם וְזָבְחוּ לֵאלֹהֵיהֶם Pen tichroth berith leioſeb haárez, vezanu achare elohehem vezábchu lelohehem, Ne fortè ineas fœdus cum habitatore terræ, & fornicabuntur poſt deos eorum, & adorabunt deos eorum. Subaudi verbum præcedens, Caue (inquam) tibi. Vertunt alij, Ne fortè ſi inieris fœdus cum habitatore terræ, & illi fornicentur poſt deos ſuos, & ſacrificent diis ſuis. Alij, Ne fortè ſi fœdus ineas cum habitatore terræ, illi poſt deos ſuos ſcortantes, & diis ſuis ſacrificantes. Et pendet clauſula ab inferioribus. Septuaginta, μή ποτε θῇς διαθήκην τοῖς ἐγκαθημένοις ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐκπορνεύσωσιν ὀπίσω τῶν θεῶν αὐτῶν, καὶ θύσωσι τοῖς θεοῖς αὐτῶν, Ne fortè ponas pactũ habitãtibus in terra, & fornicentur poſt deos eorum, & ſacrificent diis eorum. Chaldaica, Ne fortè ineas pactum cum habitatoribus terræ. Et errabunt poſt idola ſua, & ſacrificabunt idolis ſuis. Quódque ſequitur, Vocet te quiſpiam, vt comedas de immolatis, Hebraicè habetur וְקָרָא לְךָ וְאָכַלְתָּ מִזִּבְחוֹ Vekara lecha veachalta mizibcho, Et vocabit te (ſubaudi quiſpiam

piam,& comedes de sacrificio seu victimis eius.Nam est familiare Hebræis,vt de populo,promiscuo loquantur G
numero.Idem plerunque fit in nominibus specierum animalium.Vertunt alij,Te quoque vocent, comedásque de sacrificio eorum.Septuaginta,καὶ καλέσωσί σε,καὶ φάγῃς ἀπὸ θυσιῶν αὐτῶν,Et vocent te,& comedes de sacrificiis eorum.Chaldaica.Et vocabunt te,vt comedas de sacrificiis eorum.Quæ omnia cum editione nostra eãdem penitùs sententiam faciunt.Non igitur tam fœdus & amicitiam prohibet dominus cum cæteris,quàm malum indesolitum sequi,ne ritibus idololatrarum contaminentur,& fornicationibus gentium cum diis suis alienentur à cultu veri dei,& veluti inescentur ipsorum sacrificiis,amoribus corrumpãtur,excidentes à fide,spe & charitate eius, cui soli hæc ipsa debentur.Et hac de causa reprehendebat eos Paulus qui comedebant idolothyta. Nec
1.2.q.105. *vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis,ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ,fornicari faciant & filios tuos in deos suos.* THOMAS.
ar.4. ad 6. Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci propter periculum seductionis ne inducerentur in idololatriam,& specialiter hoc prohibuit de illis gentibus quæ in vicino habitabant,de quibus erat magis probabi- H
le quòd suos ritus retinerent. Si qua verò idololatriæ cultum dimittere vellet, & ad legis cultum se transferre, poterat in matrimonium duci, sicut patet de Ruth quã duxit Booz in vxorem. Vnde ipsa dixit socrui suæ,Populus tuus populus meus, deus tuus deus meus, vt habetur Ruth primo. Et ideo captiua non aliter permittebatur in vxorem duci, nisi priùs rasa cæsarie,& circuncisis vnguibus,& deposita veste in qua capta est, & fleret patrem & matrem,per quæ significatur idololatriæ perpetua abiectio. AVCTOR CATENAE. Nec vxorẽ de filiabus eorum,&c.Non potuisset aptiùs reddi sententia ex Hebræo quàm sit reddita. Cuius verba sunt sicut Chaldaica habet,Et tollas de filiabus suis filiis tuis(subaudi vxores,sic enim loquuntur Hebræi)& errabunt filiæ suæ post idola sua,& errare facient filios tuos post idola sua.Recẽtiores autem verbum וְזָנוּ Vezanu,& dictionem אֱלֹהֵיהֶן Elohehen reddunt,Et fornicabuntur,Itêmque,Deos suos,& dicunt, Et accipias de filiabus eius filiis tuis, & fornicentur filiæ eius post deos ipsarum,siue suos,& fornicari faciãt filios tuos post deos earum, siue suos. Alij legunt, Ducas insuper filiis tuis illorum filias, quæ post deos suos scortantes, filios quoque tuos scortari faciant I
post deos suos.Nam idololatria,spiritualis est scortatio & fornicatio. Est enim sensus, ne filiæ gentilium huiusmodi in vxores acceptæ, inducant filios tuos ad cultum idolorum suorum, vt de Salomone tertio Regum vndecimo legimus. Quæ omnia vnum dicunt cum litera nostra. Septuaginta hîc sententiam istam fusioribus verbis interpretantur, inquiunt enim, Et accipias de filiabus eorum filiis tuis, & de filiabus tuis des filiis eorum, & fornicentur filiæ tuæ post deos eorum,& fornicari faciant filios tuos post deos eorum. Multa solicitudine annitendum ne quis incidat in improbam vxorem,vel perfidia irretitam,facilè enim post suos affectus adducit maritum,& ex societate consortis mores mutantur,idque facilè in peius.Quãquam & vir malus à sancta vxore sanctificari possit,& contra,sed non caret periculo cultus disparitas,cui & Paulus consultum voluit. *Deos conflatiles*
*Locut.* 129. *non facies tibi.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS. Vel deos fusiles. Locutio autem est à parte totum significans. Non enim quia fusiles tantummodo nominauit, fieri sculptiles, ductiles, fictilésque permisit, vel vllum genus simulachrorum, aut qualemcũque factitiorum deorum. AVCTOR CATENAE. Deos K
conflatiles nominat statuas quascunque eorum qui pro diis haberi cœperant, communi popularíque errore. Nequaquam eas admitti vel sustineri, & multo minus fieri à populo suo illo voluit deus tam ad idololatriã prono, ne deo vero debitus honor dæmonibus, animalibus, demum & insensibilibus, ac irrationabilibus rebus impenderetur.Nouit pius pater quid filio prosit,& dominus seruo, ideóque magna cum prouidentia omnia eis permaximè nocitura interdicit.

*Mysticè.* INTERLINEARIS. Spiritaliter autem per has gentes septem vitia designantur,cum quibus societatem iungere prohibemur.

4 *Solemnitatem Azymorum custodies. Septem diebus uesceris azymis sicut præcepi tibi in tempore mensis nouorũ.Mense enim uerni temporis egressus es de Aegypto.Omne quod aperit uuluam generis masculini,meum erit.De cunctis animantibus tam de bobus quàm de ouibus,meum erit.Primogenitum asini* L
*redimes oue.Sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes, nec apparebis in conspectu meo uacuus.Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere. Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & solennitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis domini dei Israël.Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos,nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparẽte in conspectu domini dei tui ter in anno.Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ,neque residebit mane de victimis solennitatis phasæ.Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo domini dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ.*

4 RABANVS. Hîc scriptura eadem repetit quæ in prioribus commendauit, hoc est, de tribus festiuitatibus M
præcipuis,& de primogenitorum oblatione,& de primitiis frugum,& quia in anterioribus iuxta sensum patrum exposita sunt,breuiùs hîc perstringentur. *Solennitatem*(inquit)*Azymorum custodies.Septem diebus vesceris azymis,sicut præcepi tibi tempore messis nouorum. Mense enim verni temporis egressus es de Aegypto.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum eadem dictio repetitur,quam Interpres modò nouorum,modò verni temporis transtulit,vtrobique enim significatur primitiuus mensis,qui secundũ veritatem est principium veris,vtpote iuxta ingressum solis in arietem. Et appellatur(vt prædictum est)primitiuus, quoniam tunc sunt primitiæ frugum & fructuum terræ. AVCTOR CATENAE. Dicitur nanque bis in Hebræo בְּחֹדֶשׁ הָאָבִיב Bechódes haabib, id est, in mẽse nouarum frugum Significat enim abab,virens seu nouas fruges adhuc virescentes.Vel culmum,quando scilicet è culmo primùm prodit spica, quod fieri solet mense Martio apud Palæstinos, vel principio Aprilis secundum alios. Aliqui hîc, loco,Mensis nouorum, & mense verni temporis,legunt vtrobique,Mensis. Et mense matureſcentis frugis,id est, decoctionis



A decoctionis frugum. Alij vertunt in mense primitiorum. Chaldaica, In mense nouarum frugum. Quoniam in mense nouarum frugũ egressus es de Aegypto.Septuaginta vt apud nos, videlicet, τοῦ μηνὸς τοῦ νέου,In mense nouorum.Sed omnia hæc vnum eundêmque sensum habent.Ne igitur otiosus populus cæremonias gentium magnifaciat & æmuletur, simul vt in dei sui laudibus occupetur, & futura mysteria saltem sub vmbra & velamine veneretur & suspiciat,proprias ei dominus indicit & multas celebritates,& gaudiorum occasiones sacras decernit, commemorationem scilicet celeberrimi beneficij, & iucundissimi exitus de seruitute Aegyptiaca, cuius non deberent,nec ipsi, nec filij in perpetuum obliuiscí, sed quotannis reminiscí cum gratiarum actione & gaudiis. *Omne quod aperit vuluam generis masculini,meum erit. De cunctis animantibus tam de bobus quã de ouibus,meum erit.* HIERONYMVS ADVERSVS HELVIDIVM. Definiuit hic sermo dei, quid sit primogenitum. Omne (inquit) quod aperit vuluam, meum erit. CYRILLVS IN IOANNEM LIBRO VNDECIMO. San- *Cap.25.*
B ctificari secundum legalem consuetudinem dicitur, quod vt sacrum deo ab hominibus offertur, quemadmodum & omne primogenitum vuluam aperiens in filiis Israël. Sanctifica enim (inquit)omne primogenitum, id est, tribue ac describe, tanquam sacrum. Non enim audiendus est, si quis dicet sanctificationem imponere pri- *Exod.13.*
mogenitis,Moysi iussum fuisse? Nulla enim creatura hoc facere potest, sed soli deo attribuitur.Vnde cùm se- *Num.11.*
niores sanctificare deus vellet, manifestè dixit ablaturum se de spiritu Moysi, & daturum electis de senioribus. *Prou.20.*
Participatione nanque spiritus sanctificare supremæ tantummodo naturæ opus est, hanc sanctificandi secundum legem significationem, perspicuam Salomon facit, dicens, Laqueus viro est citò suorum aliquid sanctificare. Sequitur enim pœnitentia plerunque post votum. Ita sanctificare, offerre quicquam deo secundum legis consuetudinem significat. AVCTOR CATENAE. Omne quod aperit vuluam meum erit. Sic enim legitur Hebraicè.Nam quod apud nos habetur, generis masculini, hoc loco non est in Hebraicis codicibus, sed à Septuaginta mutuauit Interpres, qui legunt, τὰ ἀρσενικὰ masculina, & ab his quæ immediatè sequuntur. Neque
C id absque ratione. Nam primogenita masculina non autem fœminina offerebantur domino, vt Lucæ secundo scribitur, Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. De cunctis animantibus tam de bobus quàm de ouibus,meum erit.Sensus optimè versus est.Hebraica verò litera ita sonat, וְכָל מִקְנְךָ תִּזָּכָר פֶּטֶר שׁוֹר וָשֶׂה Vecol miknecha tizzachar péter sor vaſe, Et omne pecus tuum si fuerit masculum, quod aperit (subaudi matricem) bos siue ouis. Id est, omnia primogenita tam boum quàm ouium, masculina tamen, mea erunt. Quod supra generatim dixerat, ne crederes de hominibus tantùm accipi debere, hæc nunc subiunxit. Alij quia verbum זָכַר zachar, Memorari etiam significat, & miknecha hoc in loco fœminini generis est,ita vertunt, Et omne pecus tuum erit memoratum (vt videlicet separentur masculi ab eo, nempe pecore fœmineo) aperiens bos siue agnus. In quem etiam sensum quidam legunt, Omne quod memorabitur inter primogenita boum & ouium, supple meum erit.Siue,Omne pecus tuum recensebitur, primogenitum tam in armento quàm in pecore. Alij, Et omne primogenitum pecus tuum masculum,meum est,siue ex armento sit,siue ex grege.Qui-
D dam, Atque omne pecus tuum masculinum adaperiens vuluam,tam in armento quàm in pecore.Demum nonnulli, Et omne pecus tuum quod masculum parit, primogenitum bouis & pecudis. Chaldaica, Et omnes masculos primogenitos in pecoribus tuis sanctificabis, primogenitum bouis & agni. Septuaginta, πᾶν διανοίγον μήτραν,ἐμοὶ τὰ ἀρσενικὰ,πρωτότοκον μόσχου καὶ πρωτότοκον προβάτου, Et omne adaperiens vuluam, mihi masculina, primogenitum vituli & ouis. Id est, omne adaperiens vuluam mihi erit, ex his quæ sunt masculina, siue ex hominibus siue ex animalibus. Quod idem Latina litera dicit. Sic amores & desideria ad omnia primitiua moderari docet ac præcipit dominus,vt & quid à domino de nouo receperimus, & à quo nobis omnia donentur semper cogitemus, omne enim datum desuper est, cui & transcribendum. Solet quoque diuinæ prouidentiæ ordo sæpe derogare eis rebus, quæ apud homines sunt probatissimæ, sic secundò geniti sæpe præelecti leguntur primogenitis, sic infirma dominus eligit vt fortia confundat. *Primogenitum asini redimes oue. Sin autem nec pretium pro eo dederis,occidetur.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta aliam literam,Pri- *Locut.131.*
E mitiuum subiugalis redimes oue. Et hoc à parte totum est, Neque enim si subiugale non sit iumentum quodlibet, cuius caro tanquam immunda respuitur, ideo non est redimendum, aut alio quàm oue redimendum. AVCTOR CATENAE. Pro eo quod nos dicimus, occidetur,Hebraicè legitur עֹרַפְתּוֹ heraphto, Exceruicabis illud. Significat enim haraph, deceruicare, ceruicem seu cerebrum cædere vel contringere. Vertunt alij, Ceruicem illi præcide siue truncabis. Alij, Deceruicabis ipsum. Chaldaica, Truncabis illi caput. Nescimus autem sicut & superiùs quid voluerint hoc in loco Septuaginta sentire,ἐὰν δὲ μὴ λυτρώσῃ τιμὴν δώσεις αὐτῷ,Si autem non redemeris,precium dabis eius. Nam idem videtur esse redimere & dare precium pro eo. *Primogenitum filio-*
*rum tuorum redimes, nec apparebis in conspectu meo vacuus.* IRENAEVS LIBRO QVARTO ADVERSVS *Cap.34.*
HAERESES VALENTINI. Per munus erga regem, & honos, & affectio ostenditur, quod in omni simplicitate & innocentia dominus volens nos offerre, prædicauit, dicens, Quum igitur offers munus tuum ad altare,& recordatus fueris,quoniam frater tuus habet aliquid aduersum te,dimitte munus tuũ ante altare,& vade
F primũ reconciliari fratri tuo, & tunc reuersus offer munus tuum. Offerre igitur oportet deo primitias eius creaturæ,sicut & Moyses ait,Non apparebis vacuus ante conspectum domini dei tui, vt in quibus gratus extitit homo,in iis gratus ei deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem. AVGVSTINVS IN QVAESTIO- *Quæst.159.*
NIBVS SVPER EXODVM. Quod ait, Non videberis in conspectu meo inanis, sicut indicant circunstãtia de quibus loquitur,in conspectu suo,dicit dominus in tabernaculo suo,hoc est autem,non ibi videberis inanis,nunquam intrabis sine aliquo munere.Quod spiritaliter intellectum,magnum sacramentum est.Verùm hęc dicebantur in vmbris significationum. AVCTOR CATENAE. Primogenitum filiorum tuorum,&c.In Hebræo legitur sicut in Chaldaica habetur,Et omne primogenitũ filiorũ tuorum redimes, & non apparebũt coram me vacui. Alij autem quod in Hebræo dicitur וְלֹא יֵרָאוּ פָנַי רֵיקָם Velo ierau phanai rekam, Et non videbuntur facies meæ vacuæ,vertunt.Et est Hebraismus,pro absque munere & oblatione non comparendum ante conspectum domini. Alij, Et non conspicientur coram me vacui. Sed hæc idem sunt in sententia cum litera nostra

ſtra. Siue ergo fideles, ſiue ſint primogeniti, non conſpicietur coram deo vacui, vel quòd ſemper aliquid gratia- G
rum reportaturi ſint à præſentia domini, ſeu ſecum ſemper munera allaturi ad dei cultum & ſacrificia. *Sex die-*
*Queſt.160.* *bus operaberis, in die ſeptimo ceſſabis arare & metere.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS. Cũ de ſabbato
præcepiſſet, quid eſt quod addidit, De ſatione & meſſe requieſces? Videtur enim dicere, tẽpore ſationis & meſsis.
An fortè ita obſeruandam requiẽ ſabbati præcepit, vt nec illa tempora habeãt excuſationem, quæ agricolis ſunt
valde neceſſaria propter victum atque vitam. Iuſſum eſt ergo, vt etiam tempore ſationis & meſsis quando mul-
tum vrget operatio, requieſcatur in ſabbato, ac ſuper hæc tempora, quæ opus plurimũ flagitant ſignificatum eſt,
omni tempore ſabbato debere ceſſari. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Die ſeptimo requieſces,
in aratione & in meſſe requieſces. Præcipitur quies die ſeptima abſolutè, & deinde in ſpecie tempore arandi, &
tempore meſsis, ne putaretur dies ſeptimus ad continuandam meſſem aut arationem exemptus à quiete. AV-
CTOR CATENAE. Arare & metere. Vitauit Interpres repetitionem verbi, quieſces ſeu ceſſabis, & totum H
contextum vnũm membrum fecit, ſenſumq; optimè aſſequutus eſt. In Hebræo autem ita legunt, בֶּחָרִישׁ וּבַקָּצִיר
תִּשְׁבֹּת Becharis vbakazir tisboth, In aratione autem & in meſſe ceſſabis, ſubaudi die ſabbati, id eſt, etiam ſi tẽ-
pore quo arandum eſt, & quo ſegetes demetendæ ſunt, volo diligenter obſeruari ſabbata mea, tametſi vos aliò
vocet priuata vtilitas, vel arandi, vel ſegetes demetendi. Reddunt alij, Tam ab agricultura quàm à meſſe quie-
ſces. Alij, Tam in ſemẽte quàm in meſſe ſabbatum ages. Chaldaica etiam ſimiliter, Sex diebus operaberis, in die
autem ſeptimo requieſces, In ſeminationis tempore & meſsis quieſces. Septuaginta etiam in hanc ſubſcribunt
ſententiam. Sabbatum igitur ſæpius inculcatur fidelibus, non ſolùm ad corporaliter quieſcendum, & non gra-
uandam familiam & iumenta, ſed multo magis ad legis audientiam, ad populi eruditionem, & ad teſtandum
fidem & religionem in creatorem cœli & terræ, & omnium creaturarum. *Solennitatem hebdomadarum facies tibi in*
*primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & ſolennitatem quãdo redeunte anni tempore cuncta conduntur.* CAIETANVS. Iuxta He
bræum habetur, Et feſtum collectionis reuolutionem anni. Quod ſuperiùs in capitulo vigeſimotertio dixerat fi- I
nem anni, modò appellat reuolutionem anni eadem ratione. AVCTOR CATENAE. Hebraica lectio
eſt וְחַג הָאָסִיף תְּקוּפַת הַשָּׁנָה Vechag haaſiph tecuphath haſana, Et ſolennitatem collectionis (ſubaudi fructuũ) in
reuolutione ſeu circuitu anni. Chaldaica, Et ſolennitatem quando egrediente anno fructus congregantur. Se-
ptuaginta, καὶ ἑορτὴν συναγωγῆς μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, hoc eſt, Et feſtum congregationis mediante anno. Quæ idem
ſunt cum Latina litera. Solennitas itaque hebdomadarum celebrabatur quinquageſima die poſt primam azy-
morum, proxima die poſt exactas ſeptem ſeptimanas. Hoc feſtum nobis dicitur Pentecoſte. Inſtitutum à Moyſe
in memoriam datæ legis in monte Sinai in tabulis lapideis, & inſtitutæ Eccleſiæ fidelium, & ſubarratæ ſponſæ
ſynagogæ, veluti annulo deſponſationis, qualiter non fecit omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit genti-
libus. Eodem feſto gratiarum actio deferebatur pro nouis fructibus, de quibus primitiæ tunc offerebantur do-
mino largitori. Solennitas autem collectæ in fine anni tertia celebranda iubetur, pro iam ſuſceptis omnibus ter-
ræ naſcentibus in horrea menſe ſeptimo qui reſpondet Septembri noſtro. Includebat autem hæc ſolennitas etiã K
feſtum tabernaculorum quod per dies ſeptem continuos ante celebrabatur. In hoc verò die feſto deſinebat prior
annus, & inchoabat nouus, iuxta ſupputationem antiquorum, licet ob exitum de Aegypto, ex tunc annus ſecũ-
dum ſolennitates legales nouus inciperet in menſe Niſan. Cui fortè alluſerunt Septuaginta dicentes, Et feſtum
congregationis mediante anno. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis domini dei*
*Iſrael.* INTERLINEARIS. In vere ſcilicet, æſtate, & autumno. HIERONYMVS IN ZACHA-
*Cap.1.* RIAM. Scriptum eſt quòd ter per annum apparere debeat omne generis maſculini coram domino deo no-
ſtro. Prima feſtiuitas eſt azymorum phaſe, quod apud nos Græco Latinóque ſermone Paſcha dicitur. Secunda
Pentecoſtes poſt ſeptem hedomadas, in qua panes propoſitionis de nouis primùm frugibus offeruntur. Tertia in
menſe ſeptimo, tubarum, propitiationis & tabernaculorum, id eſt, σκηνοπηγίας, cuius extrema dies egreſsionis ap-
pellatur & terminus. AVCTOR CATENAE. Tribus temporibus, Quod Hebraicè dicitur שָׁלֹשׁ פְּעָמִים L
Salos pehamim, Tribus vicibus. Sed idem eſt. In conſpectu omnipotentis domini dei Iſraël. In Hebræo eſt אֶת
פְּנֵי הָאָדוֹן יְהוִה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל Eth pene haadon Iehoua elohe Iſraël, In conſpectu dominationis domini dei Iſraël.
Alij vertunt, Ante conſpectum domini Iehoua dei Iſraël. Alij ante conſpectum dominatoris dei noſtri Iſraël.
Tria enim dei nomina ponuntur conſequenter. Chaldaica etiam ita, coram dominatore ſeculi domino deo Iſ-
raël. Septuaginta, ἐνώπιόν κυρίου τοῦ θεοῦ Ἰσραήλ, Coram domino deo Iſraël. Sed hoc leuiculum eſt. Satis manife-
ſtum eſt, non tam latam fuiſſe vel longam promiſsionis terram, quòd infrà quatuor menſes, vel ad ſummum
ſex, ter Hieroſolymam omne maſculinum proficiſci iubebatur. Denique patet cæremonialia iſta non iniuncta
fuiſſe niſi Iſraëli intra terram promiſsionis habitanti. Vnde & legem Moyſi non ſeruandam tunc, quando vnius
veri dei Iſraëlitarum cultus verus diſſeminandus erat in totam terram, id quod aliter futurum credi non pote-
rat, niſi in ſpiritu. Quod vt rumpantur Iudæorum ilia, fateri coguntur & meritò confundi, qui expectant ne-
ſcio quam Hieruſalem, & quale templum, in quo deus coli ab ipſis debeat, quaſi contrahi volentes omnipotentis
dei immenſam maieſtatem, in ſuam regiunculam & cancellos. *Cùm enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos* M
*tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcendente, & apparente in conſpectu domini dei tui ter in anno.* AVGVSTINVS IN
*Queſt.161.* QVAESTIONIBVS. Quod dixit iuxta alia exemplaria, Non concupiſcet quiſquam de terra tua, cùm a-
ſcendes videri in conſpectu dei tui per tria tempora anni, hoc vult intelligi, vt ſecurus quiſque aſcenderet, nec
de terra ſua ſolicitus eſſet, deo promittente cuſtodiam, quòd nemo inde aliquid cõcupiſceret propter illum qui
aſcendit, nec ſuam inde timeret abſentiam. Et hîc ſatis oſtendit quid ſuprà dixerit, Non apparebis in con-
ſpectu domini dei tui inanis, quia in illo loco dixit, vbi tabernaculum vel templum deus fuerat habitatu-
rus. INTERLINEARIS. Hoc ad literam nunquam contigit Iudæis, & ideo in futura vita complebi-
tur, quando nec viſibilis hoſtis, ne inuiſibilis ſanctis nocere poterit. CAIETANVS. Duo hinc habẽ-
tur. Alterum, quòd præceptum apparendi ter in anno, non obligabat tempore ſuſpecti belli. Alterum, quòd
non obligabat vſque ad dilatatos terminos terræ promiſſæ, quando ſecura vniuerſa regio futura erat, ita quòd
nullus



A nullus remanſiſſet concupiſcens terram Iſraël. Vbi enim vulgata editio habet, nullus inſidiabitur, Hebraica litera habet, Et non deſiderabit vir terram tuam, aſcendente te ter in anno ad apparẽdum coram Iehoua elohe tuo. Quandiu enim ſecura non erat regio, rationabile non erat vt omnes maſculi ter in anno relinquerent vrbes & oppida, regionẽmque circuncirca inermem. AVCTOR CATENAE. Senſum hoc in loco Interpres non verba ſequutus eſt quæ habent וְלֹא יַחְמֹד אִישׁ אֶת אַרְצֶךָ Velo iachmod is eth arzecha, Et non deſiderabit quiſquam terram tuam. Camad enim concupiſcere & deſiderare ſignificat. Chaldaica etiam, Neque concupiſcet homo. Similiter Septuaginta, οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδείς habent. Nota autem quòd totam hanc literam legere potes, ſicut habet Chaldaica, nempe, Eiiciam enim populos à facie tua, & dilatabo terminum tuum, neque concupiſcet homo terram tuam, cùm aſcenderis vt appareas coram domino deo tuo tribus temporibus in anno. Et eſt
B ſenſus vt in litera noſtra. Sunt & qui vertant, Quando eliminauero gentes à conſpectu tuo, & dilatauero ter-minum tuum, & nullus deſideraverit terram tuam, aſcendes, vt appareas coram domino deo tuo tribus vicibus per annum. Et tunc perinde eſt ac ſi dicat, Non antè aſcendes ter in anno ad adorandum in Hieruſalem, quàm aduerſarij populi de terra tua fuerint eiecti, vt non ſit qui terram tuam te aſcendente inuadere poſsit, atque ab aſcenſu perturbare. Quanquam ergo eiiciendi erant Chananæorum populi ſuis ſedibus, & vehementer opprimendi ac irritandi contra Iſraëlem, Non tamen tantoperè offenſi populo dei nocere permittuntur, quin tutò vniuerſus Iſraël audeat pro ſolennitatibus iſtis Hieroſolymam pergentes, deſerere ædes, vrbes & oppida, viris omnibus vacua ac plena vxoribus & prole, ſi quando ter in anno obedientes, ac fiduciam atteſtantes in deum ſuum, Hieroſolymam perrecturi eſſent annis ſingulis, & dominum deum ſuum adoraturi. Iubentur ergo fidere domino, & cæremonias eius obſeruare, lege ordinatas à domino, ad tempus correctionis & conſummationis. Vide igitur liberaliſsimam promiſsionem. Potuiſſent enim Iſraëlitæ legiſlatori obiicere, Quid tu exponis lege tua fines noſtros hoſtibus diripiendos? Si enim viris ter in anno proficiſcendum eſt ad locum ta-
C bernaculi, aut templi, finitimi hoſtes incurrent hac occaſione in vacuas domos & vrbes noſtras, ac cuncta, nemine reſiſtente, diripient. Aduerſus hunc metum munit eos dominus memorabili promiſsione. Nullus (inquit) hoſtis deſiderabit terram tuam, tantùm abeſt, vt incurrat & deuaſtet eam. Immittam enim tantum terrorem in gentes finitimas, vt vobis ad facienda ſacra proficiſcentibus, non aliter trepident, quàm ſi armati bellum contra ipſas moueretis. Hæc tamen promiſsio ita intelligenda eſt ſecundum quoſdam, quamuis aliis aliter videatur, non quòd licuerit Iſraëlitis planè ſecuris & ignauis eſſe, ac domi in tribus publicis feſtis nec cuſtodes, nec vigiles retinere, nec etiam ſuo tempore portas claudere, ac munire. In publica eius politia inter hoſtes conſtituta, nunquam eſt ſtertendum, & officium boni magiſtratus negligendum. Sed intelligenda eſt promiſsio, quod cùm fines regionis pro ſua legitima & publica ordinatione, cuſtodiis & vigiliis muniti fuerint, & maxima virorum pars ad locum tabernaculi ſeu templi in tribus feſtis iuxta legem proficiſcantur, non ita hoſtium incurſum timeant, vt mandato dei non obediant, & legem eius de conuentu ad ſacrum locum in
D tribus feſtis aut violent, aut abrogent. Si enim dominus dedit eis terram, expulſis indigenis mirabiliter, multo magis defendet fines eorum ab extraneis, cùm implent mandatum domini. Sic cùm Patriarcha Iacob aſcenderet ex vocatione dei ad Bethel, vt ibi habitaret, quanquam cum imbelli familia proficiſceretur, tamen finitimæ gentes non fuerunt auſæ perſequi recedentes, quia terror dei inuaſerat omnes per circuitum ciuitates, Geneſis trigeſimoquinto. Sic & Deuteronomij ſecundo proficiſcẽtibus è deſerto in terram Amorræorum promittitur, Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant ſub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant. Atque hoc reipſa impletum eſſe, ingenuè confitetur Rahab ierichuntina. Irruit inquiens, in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ, neque reſidebit mane de victimis ſolennitatis phaſe.* AVGVSTI- *Locut.132.*
NVS IN LOCVTIONIBVS. Alia litera, Non occides ſuper fermẽtum ſanguinem immolatorum meo- *Locut.133.*
rum. Locutio eſt vtique, occides ſanguinem, pro eo quod eſt, occidendo effundes. Et non dormiet vſque in *Pſal.43.*
E mane immolatio ſolennitatis Paſchæ. Dormiet dixit, pro manebit. Nam caro pecudis occiſæ & coctæ, quomodo dormiet? Quod ergo dicitur, Quare obdormis domine? hoc genere locutionis dicitur & intelligitur, quare ceſſas, id eſt, non vindicas? IDEM IN QVAESTIONIBVS. Quid eſt quod ait, Non occides ſuper *Queſt.162.*
fermentum ſanguinem immolatorum meorum? An illa hoc loco dicit immolata ſua, quæ per paſcha occi- *Queſt.163.*
duntur, & præcepit ne tunc ſit in domo fermentum, quoniam dies ſunt azymorum? Quid eſt etiam quod ait, & non dormiet in mane immolatio ſolennitatis paſchæ, niſi quòd ſuperiùs apertè præcepit, ne aliquid ex pecore quod immolatur carnium relinquatur in mane? Sed locutio fecit obſcuritatem, dormiet enim dixit pro manebit. CAIETANVS. Non ergo vniuerſaliter, ſed de ſacrificio duntaxat paſchali eſt ſermo. AV-
CTOR CATENAE. Non immolabis ſuper fermento ſanguinem hoſtiæ meæ ſiue ſacrificij mei. Eſt enim
וְזִבְחִי zibchi. Sic enim legunt & Septuaginta. Et de qua hoſtia ſeu ſacrificio intelligat dominus, aperit Chal-
daica, habens, Non immolabis ſuper fermento ſanguinem Phaſe mei. Et eſt ſenſus, Antequam immoles victi-
F mam paſchalem, remouebis omne fermentum & fermentatum de domo tua. Sequitur, Neque reſidebit mane de victimis ſolennitatis phaſe. Non diſcrepat in ſenſu ab Hebraico quod eſt, וְלֹא יָלִין לַבֹּקֶר זֶבַח חַג הַפָּסַח Velo ialin labóker zébach chag hapáſach, Et non remanebit, vel morabitur, ſiue pernoctabit (omnia enim hæc ſignificat verbum לין lun) vſque mane victima ſolennitatis phaſe, hoc eſt, totum agnum in nocte paſchæ comedetis, nec remanebit ex eo quicquam vſque in diem ſequentem. Vertunt alij, Nec pernoctabit vſque mane ſacrificium feſti paſchalis, ſiue mactatio ſolennitatis peſach. Fortè Chaldaica de omni victima vniuerſaliter intelligit quod non debeat in mane reſeruari, inquiens, Neque manebunt extra altare adipes victimæ ſolennitatis vſque mane. Iterum ergo phaſe domino celebrandum inculcatur fidelibus, vt nunquam tanti beneficij, redemptionis videlicet ex Aegypto, eos capiat obliuio. *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo domini dei tui. Non co-*
*ques hœdum in lacte matris ſuæ.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Ecce
dixit hoc vltimum iterum, quod quemadmodum intelligi poſsit ignoro. Magna tamen eſt de Chriſto prophe-
tia

tia, & si fieri ad literam posit, quantò magis si non potest? In sermonibus enim dei non sunt ad proprietatem G operum omnia reuocãda, sicut nec illud de petra & cauerna eius, & manus superpositione. Sed planè de fide narrationis hoc exigẽdum est, vt quæ dicit facta esse, verè facta sint, & quæ dicit dicta esse, verè dicta sint. Quod exigitur etiã à narratoribus Euangelij, cùm enim Christum narrent quædam dixisse quæ in parabolis dixit, tamen hæc eum dixisse non parabolica, sed historica narratio est. CAIETANVS. Primitias frugũ terræ tuæ, &c. Iuxta Hebræum habetur, Principium primitiarum terræ tuæ, facies venire domum domini dei tui. Sententia est clara, Non coques, Iuxta Hebræum, Non elixabis hœdum in lacte matris suæ. Declaratum est hoc superiùs. AVCTOR CATENAE. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo domini dei tui. Non variat in sensu ab Hebraico, quod huiusmodi legitur רֵאשִׁית בִּכּוּרֵי אַרְמָתְךָ תָּבִיא בֵּית יְהוָה אֱלֹהֶיךָ Resith bicure admáttecha tabi beth Iehoua elohécha, Principium primitiarum terræ tuæ adduces in domum domini dei tui. Hoc est, primitias illas primas offeres deo quas terra à te culta reddiderit. Vertunt alij, Primam maturitatem terræ tuæ inferes H in domum domini dei tui. Septuaginta, τὰ πρωτογενήματα ἱσοῖσεις, Primitias inferes. Chaldaica, Primitias terræ tuæ offeres in domum sanctuarij domini dei tui. In quibus omnibus vnus idémque sensus est. Sequitur, Nõ coques hœdum in lacte matris suæ, id est, (sicut superiùs quoque diximus) quandiu sugit lac, hoc est, ne offeras mihi hœdum postea coquendum ministerio sacerdotum, ne offeras (inquam) mihi dum lac matris sugit. Alij vertunt, Cum matre lactante, quasi dicat, satis tibi sit comedere hœdum, abstineas à matre, hoc enim præsefert crudelitatem quandam. Sic aliàs præcipit pullos auium cõprehendere in nido dimissa matre. Sed de hoc latiùs vide suprà capite vigesimotertio. Præcipitur ergo gratiarum actio pro beneficiis dei quæ nobis iussu dei & ordine terra profert, domino obediendo. Et non de nouissimis bonis, sed primis & optimis deum colere iubemur. Additur iterum, non coquendum hœdum in lacte matris, id est, abstinendum ab omni crudelitate, & alioqui delicatum cibum non condimentis operosioribus gulæ præparandum.

*Mystice. Heb.6.*

RVPERTVS. Primùm omnium hæc iteratio præceptorum carnalibus Iudæis de iustitia sua gloriãtibus, I æterna exprobratio est, vt non glorientur, sed eorum quoque omne os obstruatur, sicut superiùs iam dictum est. Apostolus autem, Intermittentes (inquit) inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, nõ rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad deum, & reliqua. Ergó ne Apostolica auctoritas huic legali contraria est, cùm fundamentum pœnitentiæ rursus iaciendum esse deneget, Hîc autem & præcisæ rursus tabulæ, & à principio repetita sit lex? Non vtique, Nam neque hîc fundamentum rursus iactum est.

*Exod.24.*

Fundamẽtum autem fœderis hoc est. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumẽnsque volumen fœderis, cùm legisset audiente populo, sumptum sanguinẽ respersit in populum, & ait, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Hoc si iteratò factum esset, rectè fundamentum rursum iactum esse dici posset. Quod quia factum non est, legali vtique consonat Apostolica auctoritas. Non enim pœnitentiam (vt male Nouatus intellexit) lapsis dandam esse negauit, sed fundamentum pœnitentiæ, id est, baptismũ in quo fundatur firmitas pœnitentiæ. Nam K cùm dixisset fundamẽtum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad dominum, addidit baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum. Non igitur dandum pœnitentiæ locum, sed baptisma negauit esse iterãdum. AVCTOR CATENAE. Solennitatem ergo (inquit) azymorum custodies, &c. Quid est quòd reiterando dominus præcepta à populo Israël obseruanda, à paschali solẽnitate incipit, nisi quia sine fide passionis & resurrectionis dei hominúmque mediatoris domini nostri Iesu Christi, quæ in illa solennitate repræsentabatur, iuxta illud Apostoli, Pascha nostrum immolatus est Christus, nulli hominum potest esse salus? Quòd autẽ omne quod aperit vuluam generis masculini de animantibus, & tam de bobus quàm de ouibus domino offerri præcipitur, id nobis indicat, quia opus bonum quodcunque, & quicunque humani cordis partus fœlix, si quando à fortibus, patientibus, simplicibus, & innocentibus edatur, non nostro arbitrio, sed dei gratiæ consecrandus sit. Fœminas autem, hoc est, imperfectiora, & fragiliora nostra, nobis ipsis appropriãda sciamus. GREGORIVS VIGESI-

*Cap.15.*

MOSEPTIMO MORALIVM. Primogenitum asini mutabis oue. Primogenita asini oue mutare est, im- L mundæ vitæ primordia in innocẽtiæ simplicitatem conuertere, vt postquam illa peccator egit, quæ vt immunda dominus respuit, ea iam agenda proferat, quæ dei sacrificio imponat. ISIDORVS. Quòd si precium pro eo non datur, occiditur, quia nimirum mens immunda, ac delictis obnoxia, si non fuerit in melius commutata, morte perpetua necabitur. AVCTOR CATENAE. Munda ergo animalia sibi tantùm offerri vult dominus. Stoliditatem asininam ac tarditatem, imò rigidam mentem, & ad opus bonum non nisi cogendam, abominatur dominus, simplicitatem, patientiam, beneficentiam, animum lædendi nescium, vili pabulo contentum, fœcundum & alacrem appreciatur. Primogenita quoque filiorum agno redimi iubentur, meritis nempe agni qui tollit peccata mundi, siue ouis quæ ad occisionem ducta est, & coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, domino consecrandi, qui est primitiæ omnium saluandorum. Non conspicientur autem fideles coram deo vacui, sed cum oblatione bonorum operum, vel insigni aliqua virtute, & fidei fructum afferente coram domino, ceu non vacuis lampadibus virgines apparituri. INTERLINEA- M

RIS. Sex (ait) diebus operaberis, in die septimo cessabis, quasi dicat toto tempore vitæ tuæ, quia homo nascitur ad laborem, militia est vita hominis super terram, cessabis autem in septimo, hoc est, in quiete animarum. AVCTOR CATENAE. Solennitas verò hebdomadarum in primitiis frugum messis triticeæ, nobis significauit spiritus sancti in Apostolorum pectora missionem, quando locuti sunt nouis linguis magnalia dei, & instituti sacra eruditione scripturæ, mysteriorúmque omnium & impressa eis fuit Euangelica doctrina, prædicanda per eos toto terrarum in orbe, vt non tam Iudæorum deus agnoscatur, credatur, colatur, & confiteatur, sed omnium fidelium & credentium verbo domini. Sed & recollectionis festum celebrare opus est, in quo perseuerantia bonorum operum exprimitur, de qua per dominum dicitur, Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hæc nempe virtutes omnes in horreum dominicæ charitatis congregat, quia sine ipsa nulla virtutum earundem, quamuis omnes ad supernæ vitæ brauium currant, coronatur



A ronatur. Verùm cum his omnibus ter in anno apparere in conspectu domini oportet, hoc est, in fide trinitatis sanctæ omnia bona nostra offerre. Nam nisi hanc quisque verè firmitérque crediderit saluus esse non poterit. INTERLINEARIS. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ tuæ, quia sacrificium purum, & sine omni corruptione malitiæ & nequitiæ esse debet, de quo etiam nihil in mane reseruandum nobis est, quoniam sic sacrificia nostra in præsenti debemus complere, ne in futuro iudicio incipiamus sacrificare cùm non erit tempus operandi, sed mercedem recipiendi. AVCTOR CATENAE. Sed & iterum pascha domino celebrandum hoc in loco mandatur fidelibus cum azyma synceritatis & veritatis, vt toti renouentur & reformentur fide vera ac deuotione in deum, nihil veteris fermenti hypocrisis & odij conseruando in pectore. INTERLINEARIS. Vt autem iugiter humilietur homo sub potenti manu domini, vt eum exaltet in die visitationis, & de seipso non præsumat, inanitérque se extollat supra se, addidit, Primitias frugum terræ tuæ B offeres in domo domini, hoc est, Principia omnium bonorum ascribe deo non tibi. RVPERTVS. Demum præcepta quæ hîc breuiter iterantur, sic terminantur vt ante, Non coques hœdum in lacte matris suæ. Quo dicto prohibemur de Christo secundum carnem sapere. Hœdum nanque Cherinthus in lacte matris suæ coquere voluit, qui Christum ex Maria initium sumpsisse dixit. At ille ante matrem, & ante auos matris, imò & *Ioan.1.* ante originem mundi deus erat, nam omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. AMBRO- *Cap.16.* SIVS DE INSTITVTIONE VIRGINIS. Inoperata est caro Christi, quam vt Maria virgo conciperet, inusitato quodam nouóque incarnationis mysterio, sine vlla virilis seminis admixtione diuinæ gratia dispositionis quod erat carnis assumpsit ex virgine, atque in illa nouissimi Adam, immaculati ho- *Exod.34.* minis membra formauit. Hominem audis, sed supra hominem intellige, quia scriptum est, Non coques agnum in lacte matris suæ. Et alibi legis, Et homo est, & quis cognoscet eum? Ergo non debes agnum illum in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, conditionis humanæ viribus æstimare, & maiestatem incompre- C hensibilis potestatis, degeneris cognitionis infirmitate concludere. Non enim illum perfectæ fidei cibum Iacob coxit in lacte, quo Isaac pater ita est delectatus, vt ei prærogatiuam omnem benedictionis Prophetica so- *Heb.5.* brietate conferret. Et ideo Apostolus scripsit, succum lactis tenuis cibum esse doctrinæ, dicens, Quia omnis qui alitur lacte, expers est verborum iustitiæ, paruulus enim est, perfectorum autem est solida esca.

*DIxítque dominus ad Moysen, scribe tibi uerba hæc, quibus & tecum & cum Israël pepigi fœdus. Fuit* 5
*ergo ibi cum domino Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes. Panem non comedit, & aquam*
*non bibit, & scripsit in tabulis uerba fœderis decem. Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, te-*
*nebat duas tabulas lapideas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis domi-*
D *ni. Videntes autem Aaron & filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. Vocatíque ab eo,*
*reuersi sunt, tam Aaron quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, uenerunt ad eum etiam*
*omnes filii Israël. Quibus præcepit cuncta quæ audierat à domino in monte Sinai. Impletíque sermonibus po-*
*suit uelamen super faciem suam. Quòd ingressus ad dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret,*
*& tunc loquebatur ad filios Israël omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui uidebant faciem egredientis Moysi*
*esse cornutam, sed operiebat rursus ille faciem suam, si quando loquebatur ad eos.*

AMBROSIVS EPISTOLARVM LIBRO TERTIO. Verum & summum bo- 5 *Epist.11.ad*
num deum optimum maximum, si illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his hau- *Irenæum.*
E serit affectionibus, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæstuat. Osculata enim verbum dei, *Psal.118.*
modum non capit nec expletur, dicens, Suauis es domine, & in iocunditate tua doce me iustificationes tuas.
Osculata dei verbum concupiscit super omnem decorem, diligit super omnem lætitiam, delectatur super
omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intendere, cupit attrahi vt sequi possit. Vnguentum (inquit) *Cap.1.*
exinanitum est nomen tuum, propterea te diligimus adolescentulæ, propterea certamus, sed comprehendere te non possumus. Attrahe nos, vt possimus currere, vt odore vnguentorum tuorum accipiamus virtutem sequendi. Festinat etiam interna mysteria videre, ipsam requiem verbi, ipsam boni illius summi habitationem, & lucem eius & claritatem. In illo sinu ac recessu primo festinat audire sermones eius, & cùm audierit, super omnem suauitatem accipit. Doceat te Propheta qui gustauit, & ait, Quàm dulcia faucibus meis verba tua, super mel & fauum ori meo. Quid enim aliud desideret anima quæ semel suauitatem verbi gustauerit, quæ semel claritatem eius viderit? Moyses in monte positus quadraginta diebus legem accipiens,
F cibum corporis non requirebat. Helias ad illam festinans requiem, rogabat vt acciperetur anima sua à se. *3.Reg.19.*
Petrus aspiciens & ipse in monte dominicæ resurrectionis gloriam, nolebat descendere, dicens, Domine bo- *Matth.17.*
num est nos hîc esse. Quanta igitur illa diuinæ substantiæ gloria, quanta verbi bona, in quæ concupiscunt & Angeli prospicere? Anima igitur quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimámque sibi familiaritatem cum eo esse debere intelligit, renunciat seculo, abducit se à vinculis carnis, exuit omnibus voluptatum istarum nexibus. Denique Stephanus Iesum videbat, & lapidari non formidabat, immò cum lapidare- *Act.7.*
tur, non pro se, sed pro illis à quibus perimebatur rogabat. Paulus quoque raptus vsque ad tertium cœlum *2.Cor.12.*
cum corpore esset, an sine corpore nesciebat. Raptus (inquam) in paradisum vsum proprij iam non sentiebat corporis, & audiens verba dei quomodo ad corporis infirmitates descenderet erubescebat. Itaque sciens quid vidisset in paradiso, vel quid audisset clamabat, dicens, Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. Volebat

enim

enim nos in figura esse istius mundi, non in possessione atque vsu, vt ita vtamur hoc mundo tanquam non vta- G
mur, tanquam prætereuntes, non tanquam residentes, ambulantes tanquam in imagine seculi non in cupidi-
tate, vt velocissima dispositione ipsam imaginem huius mundi transeamus. Denique ipse fide ambulans non
specie, peregrinabatur à corpore, sed aderat domino, & cùm esset in terris, non in terrenis, sed in cœlestibus
conuersabatur. Ergo anima nostra quæ deo vult appropinquare, eleuet se à corpore, semper illi summo adhæ-
reat, illi bono quod est diuinum, quod est semper, & quod erat ab initio, & quod erat apud deum, hoc est,
*Act.17.* dei verbum. Ipsum est illud diuinum in quo viuimus, & sumus, & mouemur, ipsum est quod erat à princi-
pio, ipsum est quod est. Dei enim filius Iesus Christus in nobis (inquit) est, in quo non fuit est & non, sed est in
*Exod.3.* illo, fuit. Ipse dixit Moysi, vt diceret, Qui est misit me. Cùm hoc igitur anima nostra sit, & sit (si fieri potest)
*Psal.118.* semper, vt nostrum possit quis dicere, Anima mea in manibus tuis semper. Erit autem, si non in carne sit,
sed in spiritu, Erit si se terrenis non misceat. Cùm enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corpo- H
ris, tunc ira & indignatione exæstuat, tunc mœstitia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tunc dolore af-
fligitur. Hæ sunt ægritudines animæ graues, quibus plerunque ad mortem cogitur, dum oculi eius cœcantur,
vt non videant veræ lumen gloriæ & diuitias æternæ hæreditatis. Quòd si eos ad deum semper intendat, ac-
cipiet à Christo fulgorem sapientiæ, vt illuminatum in agnitione dei habeat obtutum, vt videat illam spem no-
stræ vocationis, aspiciat illud quod est bonum & placitum & perfectum. Quod enim bonum complacitum
*Luc.6.* patri, quod complacitum, perfectum, sicut habes in Euangelio vbi dicit dominus, Diligite inimicos vestros,
vt imitemini patrem qui pluit super iustos & iniustos, quod est vtique bonitatis. Et postea concludit, dicens,
Estote perfecti sicut pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Charitas enim perfecta est, denique plenitudo
legis est. Quid autem tam bonum quàm charitas quæ malum non cogitat? Et ideo terras fugito, in quibus in-
uidia est, vbi ambitio, vbi contentio. Sed age iam hunc qui totis visceribus diligebat deum, sacra lectio pro-
loquatur. *Dixitque dominus ad Moysen, scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus.* AVGVSTINVS I
*Quæst.165.* IN QVAESTIONIBVS. Quod & antè dixerat quando tabulas accepit quas fregit, hoc etiam modò re-
petit, non recapitulando quod factum est, sed iterum factum esse commendans. Repetitio quippe legis quid
significet diximus. CAIETANVS. De decem præceptis esse sermonem testantur subiuncta (quamuis
sub aliis verbis) in Hebræo, videlicet quoniam super os verborum istorum pepigi tecum fœdus, & cum Israël.
Perspicuum est enim quòd fœdus dei ore proprio loquentis populo & Moysi, in illis decem præceptis consistit.
Nec mutat deus sententiam qua in principio huius capituli dixerat Moysi, dola tibi duas tabulas, & ego scri-
bam super eas, nam non mandat Moysi vt scribat decem præcepta super tabulas lapideas, sed simpliciter &
absolutè vt scribat, proculdubiò in volumine legis, ac si apertiùs dixisset, non sufficiet scriptura decem præ-
ceptorum in tabulis lapideis recondendis in theca sub propitiatorio, sed scribe eadem in volumine legis, vt
vsui sint lectioni omnium, & quando legetur lex, audiantur ab omnibus. AVCTOR CATE-
NAE. Quod in nostra litera habetur, Quibus tecum & cum Israël pepigi fœdus, Hebraicè legitur כִּי עַל פִּי K
הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה Chi hal pi hadebarim haélle, Quoniam secundum vel iuxta verba hæc, &c. Vnde sensum opti-
mè assequutus est Interpres. Vertunt alij, Quoniam iuxta tenorem vel rationem verborum istorum percus-
si seu sanciui fœdus, &c. Alij, Quia secundum verba ista. Septuaginta, ἐπὶ γὰρ τῶν λόγων τούτων τέθειμαί σοι
Διαθήκην, In sermonibus his posui tibi fœdus. Chaldaica, Quia per sermonem horum verborum pepigi tecum
fœdus, &c. Sed omnia hæc eundem habent sensum. Fœdus autem pepigit dominus deus non alia ratione
cum Israël, quàm vt verba ipsius audiant, & perficiant domini voluntatem, & cæremonientur illi soli, non
idolis, donec ipsa quoque idolòlatria mundo auferatur per eum, qui expectatio est omnium gentium, cuius
Euangelica doctrina de monte Sion exitura, velut aquæ inundantes orbem terræ repleat scientia domini, vt
humero vno adoretur ab omnibus gentibus, qui solus est benedictus in æternum & vltra. *Fuit ergo ibi cum do-*
*mino Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes. Panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis de-*
*Ser.1.* *cem.* CHRYSOSTOMVS DE IEIVNIO. Quid detulit Iudæis legem à monte? Ieiunium L
Moysi, quod quadraginta diebus fiebat: sed priusquam deferretur lex, visus est populus veritatem amisisse. Pri-
ma lex, Dominus deus vnus est: & mandatum suscepturi dicunt, Hi dij tui. Magna infirmitas. Nam & pro
deo viuo simulachrum vituli venerati sunt. Quod ergo huiusmodi pharmacon? Iterum ieiunat Moses, qui
non peccarat, & ignoscitur peccantibus peccatum. Veteris legis radix à ieiunio cœpit. Nam testamenti præ-
dicatio à ieiunio initium sumpsit. Baptizatus enim saluator propter nos, & profectus in eremum prius ieiu-
nauit, & tunc signa facere cœpit, non ipse ieiunio opus habens: nos autem docens pro virili ieiunij præ-
missionem. Si igitur vetus à ieiunio incipit, & noua ab eo fundamenta ponit, ne putemus malum esse ie-
iunium. BASILIVS IN SERMONE PRIMO DE IEIVNIO. Vetustum quidem
munus est ieiunium, nunquam senescens seu tabescens, sed continuò vigens florênsque. Putásne vetustatem
ieiunij ex lege sumere? Et lege antiquius est. Idq; , Si me parumper audieris, scies. Noli existimare diem pro-
pitiationis apud Israël septimi mensis die decima consecratum esse ieiunij principium. Historias paululum M
percurre, vetustum ipsius vestiga initium. Patrum thesaurus est. Quicquid vetustate excellit, venera-
bile est. Ieiunij caniciem diligenter venerare, homini primo coæuum est, in paradiso prius institutum.
Mandatum prius Adam accepit, De ligno scientiæ boni ac mali ne comedatis. Hoc autem, ne comedi-
te, ieiunij simul & abstinentiæ lex est. Si enim Eua à ligno abstinuisset, non profectò hoc nobis opus es-
*Matth.9.* set ieiunio. Valentes nanque medico non indigent, sed male habentes. Ob peccata saucij sumus, per pœ-
nitentiam verò sanamur. Pœnitentiam quoque citra ieiunium vana est. Terra nanque execrabilis sen-
tes ac tribulos tibi parit. Ad lugendum non in delitiis agitandum constitutus es, per ieiunium deo satisfa-
cias. Sed & in paradiso commoratio, ieiunij quædam est imago, non solùm quod Angelis homo in ra-
tione victus similis ob paucorum indigentiam existit. Sed quoniam quæcunque hominum industria postea
reperit



A reperit, nobis in paradiso permanentibus adinuenta nondum erant. Nondum vini potatio, nondum ani-
malium sacrificia, non denique erant, quæcunque nunc mentem inquinant humanam. Itaque quoniam non
ieiunauimus in paradiso, eiecti sumus. Ieiunemus ergo, vt ad ipsum reuertamur. Nónne vides Lazarum, quo-
modo per ieiunium in paradisum est ingressus? Noli Euæ inobedientiam imitari, ne rursus serpentem acci-
pias consiliarium carnis curæ cibum subiicientem. Neque corporis imbecillitatem, valetudinémque cause-
ris. Non enim mihi, sed omnia videnti hæc facis. Ieiunare non potes, dic quæso, grauare verò corpus es-
culentis plus æquo potes? At debilibus non ciborum luxum, sed abstinentiam ieiuniúmque medicos vidi
præcipientes. Quomodo tete excusas? Satur esse potes, abstinere parumper non potes? Quid facilius, quæ-
so, ventri, cibi tenuitate noctem tolerare, an ciborum copia oneratum iacere? imò ne iacere quidem, sed
magis crebrò huc illuc ob cœnæ grauitatem distentum ac molestatum verti ac torqueri? Nisi fortè dicas,
B gubernatores nauem commeantibus valde oneratam melius seruare, quàm leuem & expeditam. Nam mul-
titudine plenam & grauem paruus vndæ impulsus demergit. Ea verò quæ mediocrem retinet ponderum sar-
cinam, facilè fluctibus supernatat, cùm nil eam impediat, quin in sublimi versetur. Sic & hominum corpo-
ribus continua saturitate grauatis solet euenire. Facilè nanque per ægrotationes submerguntur. Firmiorem
verò & vegetiorem habitum leuis reddit cibus, & expectatum ex morbo incommodum, sicut tempestatem in-
surgentem effugit, & præsentem iam, iámque intentantem asperitatem, veluti turbinis cuiusdam impulsum
ab se reiicit: An ociosum esse laboriosius putas, quàm currere, & quiescere, quàm luctari, quandoquidem in de-
litiis esse magis quadrare dicis infirmis, quàm tenuiter viuere. Vitalis enim virtus, breuem ac tenuem victum
facilè quidem digerit, magísque nutrimentum præstat, multitudinem verò varietatémque ciborum suscipiens,
deinde ad concoctionem deducere non valens, varia morborum genera creat. Sed ad historiam de ieiunij ve-
tustate reuertamur. Sancti omnes, veluti hæreditatem quandam ex patribus acceptum ieiunium ita seruaue-
C runt, vt pater filio per manus traderet, vnde & ad nos vsque ista ieiunij possessio conseruata est. Non erat in
paradiso terrestri vinum, non animalium sacrificia, non carnium vsus, post diluuium, & vinum repertum
est, & dictum vt olera vescimini quibuslibet: posteaquam desiit perfectio, tunc admissæ sunt delitiæ. Noe
exemplum gerit sobrietatis qui vini vsum ignorauit. Nondum enim venerat in vitam mortalium, nec in vsu
& consuetudine habebatur. Cùm igitur neque vidisset antea, neque bibisset vinum Noe, ipsius nocumento læ-
sus imprudenter cecidit, Plantauit enim, inquit scriptura, Noe vineam, & bibit de fructu eius, & inebriatus
est, non quòd vini potator esset, quòd experientiam vini non habens, ignorauerat bibendi illius mensuram. Sic
itaque vini vsus post paradisum inuentus est. Ex quo sanè apparet, ieiunij & abstinentiæ decus antiquissimum
esse. Sed & Moysen per ieiunium nouimus in montem ascédisse. Neque enim aliter ausus esset verticem fumum
emittentem adire, atque in caligine versari, nisi ieiunio munitus. Per ieiunium mandata dei digito in tabu-
lis conscripta suscepit. Item supra montem, ieiunium legis latæ conciliator erat, inferiùs verò gula ad idolo-
D latriam populum deduxit ac contaminauit: Sedit (inquit) populus manducare & bibere, & surrexit ludere.
Quadraginta dierum laborem ac perseuerantiam, dei seruo continuò ieiunante ac orante, vna tantùm popu-
li ebrietas cassam irritámque reddidit. Quas enim tabulas dei digito conscriptas ieiunium accepit, has ebrie-
tas contudit. Propheta sanctissimo indignum existimante, vinolentum populum ex deo legem accipere oporte-
re. Vno enim temporis momento ob gulam, populus ille per maxima prodigia dei cultum edocta, in Aegyptia-
cam idololatriam turpissimè ruit. Ex quo si vtrumque simul conferas, videre licet, quomodo ieiunium ad deum
ducat, delitiæ verò salutem prodant. Redi ad priora. Quid Esau inquinauit seruúmque fratris reddidit? Nón-
ne cibus vnus, per quem primogenita vendidit? Samuelem verò nónne precatio cum ieiunio matri largita
est? Quid etiam fortissimum hominum Samsonem & indomitum reddidit, nónne ieiunium, per quod in ma-
tris ventre conceptus est? Ieiunium illum concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium virum ac fortem fecit, quod
sanè angelus matri præceperat, monens, quæcunque ex vite procederent ne attingeret, non vinum, non siceram
E biberet. Ieiunium Prophetas gignit, potentes confirmat atque roborat. Ieiunium legislatores sapientia refertos
facit. Animæ optima custodia, corpori cohabitatio secura, fortibus viris munimentum & arma, athletis & cer
tantibus exercitatio. Hoc præterea tentationem expellit, ad pietatem inungit, sobrietatem familiarem reddit,
modestiam generat, in bellis fortem reddit, in pace quiescere docet, Nazaræum sanctificat, sacerdotem con-
secrat. Neque enim fas sine ieiunio sacerdotem attingere sacra, non solùm in mystico nunc & vero dei cultu,
sed & in figurato ex lege introducto. Ipsum nanque ieiunium Heliam magnæ visionis spectatorem reddidit.
Quadraginta nanque dierum ieiunio animam purgans, in spelunca Horeb meruit (quantum fas est homini)
deum videre. Ieiunãs quoque viduæ filium incolumem reddidit, ac fortis potênsque per ieiunium contra mor-
tem apparuit. Ex eius item ore ieiuno vox exiens, cœlum populo peccanti tribus annis & sex mensibus clausit,
vt eorum cor durum, durámque ceruicem molliret, maluit seipsum quoque tali calamitate condemnare.
Quamobrem (inquit) viuit dominus, Si erit aqua super terram, nisi per os meum, induxítque per famem om-
F ni populo ieiunium, vt delitiarum ac remissæ vitæ vitium corrigeretur. Helisæo autem qualis erat vita? Quo-
modo apud Sunamitidem hospitio exceptus est? Quomodo item & ipse Prophetas excepit? Nónne agrestibus
holeribus & modica farina hospitalitatis beneficentiam adimpleuit? ita vt propter adiunctam holeribus colo-
cynthidem agrestem, de morte periclitaturi fuerint qui gustaturi erant, nisi per ieiunantis precationẽ vis veneni
extincta fuisset. In summa & vt breuiter dicam, ieiunium sanctos omnes deo proximos conciliatósq; reddidisse
inuenies. Est quædam natura corporis quam defecatam vocant, quæ in flamma constituta, in carbonem verti
videtur, inde verò erepta, quasi per aquam abluta & purgata, purior redditur. Talia erant trium puerorum
corpora, illorum apud Babylonem ex ieiunio visa. In magna nanque camini flamma, velut aurei natura exi-
stentes, ignis vim & nocumentum superarunt. Imò longè auro potentiores visi sunt. Non enim assum-
psit eos ignis, sed conseruauit incolumes, quamuis nihil flammam illam sustinuissent, quàm & bitumen &
pix & sarmenta, circumposita in cubitorum quadraginta nouem altitudinem excitabant; quæ & vicina

depaſcens multos circa Chaldæos aſtantes abſumebat. Talem igitur pyram pueri ieiuni ingredientes, ve- G
lut aërem leuiſsimum roſcidúmque calcantes, in tam vaſto igni reſpirabant, nec vnum ex capillis quidem amiſerunt, tantum eis præſtitit in ieiuniis educatos fuiſſe. Daniel autem vir deſideriorum, panem tribus hebdomadis minimè comedens, nec aquam bibens, etiam leones ieiunare docuit in lacum deſcendens. Velut enim ex lapide aut ferro vel alia duriore materia factus eſſet, dentes in eum minimè figere potuerunt leones. Ieiunium enim corpus illius inſtar ferri candentis in aqua tincti obduratum, & leonibus inuictum reddidit. Os enim contra ſanctum non aperuerunt. Ieiunium extinxit vim ignis, obturauit ora leonum. Ieiunium inſuper orationem in cœlum defert, velut ala quædam ei coniuncta, & ad ſuperiora tendens. Ieiunium domorum augmentum, ſanitatis mater, iuuentutis pædagogus, ornamentũ ſenioribus, iter facientibus optimum viaticum, cohabitantibus ſecurus contubernalis. In matrimonio inſidias vir non metuit vxorem videns ieiunantem, vxor item virum idem facientem animaduertens, zelotipa nunquam erit. Quis ob ieiunium propriam di- H
minuit domum? Fac periculum, numera hodie quæ ſunt intus, numera deinceps, nihil videbis ob abſtinentiam diminutum, nullum animal mortem timebit, nuſquam effundetur ſanguis, nullam aduerſus animalia mortis ſententiam emittet venter innocuus. Vacat coquorum gladius, menſa ſponte natis parata cibis ſatis erit. Sabbati lex data eſt Iudæis, Vt iumentum (inquit) tuum, vtq; puer tuus quieſcat. Ieiunium ſit quies à laboribus, quos ſerui aliíque operarij anno continuo tolerant. Parce tunc coquo. Da libertatem menſas præparare ſolito. Sine vacare pincernæ manum. Deſinat aliquantulum tot ciborum ſecundarúmque menſarum varietates ſtruens. Quieſcat aliquando & domus ipſa ab innumeris illis tumultuationibus & à fumo & nidore, denique à ſurſum deorſum curſitantibus, & ventri tanquam moroſo cuidam & imperioſo domino ſeruientibus. Omnino & vectigalium exactores ſubditis ſuis parum aliquando remiſsionis permittunt, det ergo & venter aliquas inducias. Quinque ſaltem dierum inducias, & vacationem tribuat. At improbus & inſatiabilis, continuò petens, & nunquam accepti gratiam habens, accipit hodie, cras oblitus erit. Quando enim expletus eſt, tunc de abſtinentia phi I
loſophatur, vbi inflatus eſt, nihil præceptorum & ſapientiæ reminiſcitur. Ieiunium vſuræ naturam non nouit. Ieiunantis menſa fœnus non ſapit. Ieiunantis filium orphanum debitum paternum, veluti ſerpens quidam deuorans, minimè attingit. Denique ieiunium lætitiæ quædam occaſio. Sicut enim ſitis dulcem ſubminiſtrat potum, ac fames dulcem omnino præparat menſam, ſic ciborum deguſtationem ieiunium ſuauiſsimam redit. Interpoſitum nanque, & deliciarum cõtinuationem intercidens & abſcindẽs, deſiderabilem ſuauemq; longè ciborum repetitionem, vt peregrinam ac reſtitutam reddet. Ex quo ſi volueris iucundam tibi menſam præparare, ſume ex ieiunio mutationem atq; interuallum. Tu verò ob copiam ſuperuacuam, affluenteſq; nimium delicias, veras gulæ delicias ac voluptatẽ amittis, dum nimium delicias ſectaris, voluptatem deliciarum perdis. Nihil enim tam deſiderabile, quàm voluptas interrupta, ac minimè continuata. Nam ea quorũ rarus eſt vſus, longè melius dulciuſq; ſapiunt. Sic & ille qui nos creauit, per viciſsitudinẽ rerum, eorum quæ dedit, gratiam nobis præſtantiorem tribuit. Nónne vides ſolem poſt noctem clariorem apparere? Et vigilantia poſt ſomnum dulcior, & ſanitas poſt morborũ experiẽtiam longè eſt clarior. Ita & menſa poſt ieiunium optatior eſt pariter, diuitibus lautêq; victitantibus, atque illis qui tenui & frugali menſa vtuntur. Time diuitis illius Euangelici exemplum. Illum nanq; vitæ delitiæ igni tradiderunt. Non enim ob iniuſtitiam, ſed ob mollem victum ardentis camini flammis perpetuò obruitur. Hunc itaque ignem vt extinguamus, aqua opus eſt. Nec tantùm ad futura conſequenda ieiunium facit, ſed etiam ad corporis ſalubritatem. Nam optima habitudo ad ſummum ex mollibus rebus deducta, faciliorem habet ad morbos occaſionem, cùm labefacta natura carnis pondus non diu ferat. Vide miſer ne aquã nunc faſtidiens, poſt hanc vitam, aquæ guttam (vt diues ille) deſideres. Nullus enim ex aqua factus eſt ebrius, nullius vnquam caput ex aqua grauatum, dolore affectum eſt. Nullus aquam potans alienis pedibus eſt vſus, neu pedes eius vllius vnquam ope indiguerunt. Nullius etiam manus aqua irrigatæ, auxilium expectauere. Superfluum enim quod digeſtioni reſiduum eſt & incoctum (quod delicatis neceſſariò euenit) morbos varios corporibus generat. At ieiunantis color venerandus, non impudenti rubore florens, ſed honeſto honorabilíque pallore or- L
natus. Oculus præterea mitis ac pius, inceſſus grauis, os venuſtum, ac prudentiam præ ſe ferens, minimè riſu immodeſto aut cachinno vtens, ſermonis parcitas, cordis puritas. Reminiſcere parumper ſanctorum, qui à ſeculis præteritis fuere, quibus dignus non erat mundus, qui in melotis & pellibus caprinis egeni, tribulati, & afflicti errauerunt. Illorum imitare veſtigia, ſi & illorum præmia cupis. Quid quæſo, Lazarum in Abraham ſinu collocauit, niſi ieiunium? Ioannis autem vita vnũ erat ieiunium, qui nec lectum habuit nec menſam, non terram aratro aptam, non bouem aratorem, non frumentũ, non piſtorem, non deniq; quicquid aliud in vita neceſſariũ, quamobrem nullus eo maior inter natos mulierum domini teſtimonio ſurrexit. Paulum quoq; inter alia multa, ieiunium quoque quod ipſe de tribulationibus ſuis gloriando commemorat in tertium cœlum euexit. In ſumma, dominus Ieſus qui carnem humanam noſtri cauſa aſſumpſit, per ieiunium diaboli inſidias conatúſq; euaſit, profectò nos inſtruere volens, vt ieiuniis & exercitationibus & paleſtris, noſmet ad certamina cum inimicis paratos reddamus, & vt aduerſario per abſtinentiam anſam omnem ad erectionem contra nos eripiamus. Cũ alio- M
qui ob diuinitatis ſublimitatẽ tentari nequaquã poſsit, vt homo voluit, ac in abſtinentia ſuſtinuit. Poſt reſurrectionem verò, cũ in cęlum eſſet aſcenſurus, cibo eſt vſus, vt verã corporis reuiuiſcentis naturã crediturus oſtẽderet. Tu verò ſi gulæ vacans corpus ſaginabis, mentẽ proculdubio tabefacies, nulla ſalutariũ ac vitaliũ doctrinarũ alimonia ſubminiſtrata, quarũ nullam habes rationem. An ignoras, vt quemadmodũ in pugna, alterius auxilium facit vt alter vincatur, ſic caro carni per ſaginam addita, ſpiritum expugnat. Spiritum verò qui iuuerit, carnem in ſeruitutem redigit. Hæc nanque inter ſe oppoſita ſunt. Si mentem itaque robuſtam ac valentem tibi eſſe volueris, carnem per ieiunium ſubiugabis. Hoc enim eſt quod Apoſtolus ait, Quantum exterior homo noſter corrumpitur, tantum interior renouatur de die in diem. Et rurſus, Quando infirmor tunc fortior ſum. Non cõtemnes corruptibiles haſce eſcas? Non deſiderabis regalẽ illam menſam, quam omnino pœnitentis vitæ ſobrietas ac ieiuniũ præparabit? An ignoras quemadmodũ per ſaturitatẽ & cibos immodicos, vermes tibi tortores præparas?

Quis



A Quis vnquam lautè viuens & in deliciis continuis conſtitutus, ſpiritualis gratiæ communionem vllam excepit? Moyſes iterum legem accepturus, iterum ieiunio opus habuit. Niniuitæ niſi vſque ad animalia ieiunaſſent, euerſionis & ruinæ minas nequaquam euaſiſſent. In deſerto autem quorum corpora ceciderunt? nónne illorum qui carnes appetiuere? Illi enim donec manna tantùm & aqua cõtenti fuere, Aegyptios vicere, mare pedibus tranſiere, in eorum tribubus nullus æger ac debilis fuit. Poſtquàm verò carnium ollas quibus in Aegypto nutriti fuerant recordati ſunt, ínque Aegyptum deſideriis ſuis reuerſi ſunt, terram promiſsionis minimè viderunt. Nónne igitur exemplum hoc formidas? non horres iniucundum hunc cibum, ne te à ſperatis bonis excludat? Sed ne ſapiens quidem Daniel viſiones vidiſſet, niſi ieiunio ſplendidiorem perſpicaciorémque animam reddidiſſet. Ex cibi nanque craſsicie, veluti vapores ardentes, more condenſæ nebulæ conſcendentes, innaſcentem ſancti ſpiritus ſplendorem omnino euertunt. Si verò angelorum cibus eſt aliquis, panis eſt, vt
B ait Propheta, Panem angelorum manducauit homo, non carnes, non vinum, non denique quæcunque iis qui ventri ſtudent, curari ſolent. Ieiunium contra dæmonum exercitum ſunt arma. Hoc enim genus nequaquam niſi per orationem & ieiunium diſcedit. Talia igitur ſunt ex ieiunio bona. Saturitas autem nequitiæ probríque initium eſt. Statim enim delicias, ebrietates, ſumptuoſáque ciborum condimenta, omne genus beſtialis laſciuiæ ſubſequitur, imò vnà concomitatur. Inde homines in equos poſt mulieres inſanientes degenerant propter œſtrum ex deliciis in animam inductum. Ab ipſis vinolentis natura ſexus peruertitur, atque commutatur, vt in mare fœminam, & in fœmina marem quærant. Ieiunium verò vel in matrimonio modeſtia vtitur & continentia, ac ab ipſis longè conceſsis abſtinent, & de communis ſententia conſilij, quãdóque ad tempus vacant, vt orationi dent operam. Ne tu puta ſolùm in ciborum abſtinentia ieiunij bonum eſſe: Verum nanque ieiunium, malorum eſt euitatio. Cùm ieiunas ſolue omnem impietatis colligationem, ne proximo triſtitiam inferas, æs alienum illi remitte, non fora litéſque per ieiunium exerceas. Carnes non edis?
C Fratrem nihilominus edis. Vino abſtines? At contumeliandi libidinem non cohibes. Veſperam ad cibum expectas? At totum nihilominus diem in foro & iudicio conſumis. Væh vobis ebrij, non vino tantùm: ira & indignatio, animæ quædam ebrietas eſt, excordem ac ſtolidam eam veluti vinum reddens. Eſt item triſtitia ebrietas, mentem ſubmergens. Timor ebrietas eſt, quando quæ timenda non ſunt timentur. A timore (inquit) inimici eripe animam meam. Denique affectus omnis ſeu perturbatio quæ mentem vexat, ac de ſtatu dimouet rationis, iure poterit ebrietas appellari. Cogita parumper iratum, videbis ob animi perturbationem ebrietate quadam captum, nec ſui ipſius dominum eſſe, ſe ſe ignorat, & præſentes, quemadmodum in pugna nocturna irruit in omnia atque offendit, incompoſita loquitur, effrenis eſt, iurgatur, cædit, minatur, iurat, clamat, vociferatur, rumpitur. Fuge iſtam ebrietatem. Sed & eam quæ vini eſt, ne admittas. Ne anteuertas aquæ potionem vinolentia. Ne per ebrietatem ad ieiunium venias. Non eſt acceſſus ad ieiunium per ebrietatem, neque enim per auaritiam ad iuſtitiam, neque per luxum ad modeſtiam ac pudicitiam, non denique per vitium
D ad virtutem aditus eſt. Alia porta ingrediendum. Ebrietas ad luxuriam deducit, parſimonia frugalitáſque ad ieiunium. Certaturus antè ſe ſe exercet. Ieiunium cœpturus antè ſe ad continentiam præparet. Noli legis auctorem decipiendo quinque dierum abſtinentiam per luxum compenſaturus, totidem dierum crapulam præſumere. Fruſtra nanque laboras, corpus quidem conterens, defectum verò haud corrigens. Tutum non eſt receptaculum, in dolium fractum aquas hauris. Vinum enim perfluit viam ſuam decurrens, peccatum verò remanet. Seruus fugit dominum verberantem, tu autem ſingulis diebus caput à vino tentari atque cædi ſuſtines. Vini igitur vſus optima menſura, quantum ſat eſt ad corporis ſanitatem. Si autem exceſſeris, cras graui capite ibis oſcitabundus, languidus, marcidus, vinum olens. Omnia tibi circumagi, omnia moueri videbuntur. Ebrietas ſomnum quidem inducit, mortis fratrem, vigilantiam verò ſimul affert ſomni ſimilem. An neſcis quis ſit quem recepturus es? qui nobis pollicetur, quòd ego & pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Cur igitur ebrietate præoccuparis, & domino viam præcludis? cur inimicum permittis tuas munitiones inuadere, téque de
E ſtatu deiicere? Ebrietas dominum non recipit, ſpiritum ſanctum expellit. Vt fumus apes abiicit, ſic ſpiritales gratias crapula reiicit. Ieiunium ciuitatis ornamentum, fori ſtabilitas, domorum pax, rei familiaris ſalus. Quòd ſi vis eius ornamentum inſpicere, compara diem hodiernam craſtinæ, & hanc aſpicies ciuitatem ex tumultu & turbine in altam quietem commutatam. HIERONYMVS IN ESAIAM. Fortitudo panis & forti- *Cap.3.*
tudo aquæ pro omni cibo & potu accipitur. Leginus quòd Moyſes fuerit in monte Sinai, & quadraginta diebus panem non comederit, & aquam non biberit. Illud quoque quod ad Adam dicitur, In ſudore vultus tui co- *Gen.3.*
medes panem tuum, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, ſimiliter audiendum. Nec non quod à *Matth.4.*
ſaluatore dicitur, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur per os dei.

IDEM IN EZECHIELEM. Numerus autem quadraginta ſemper afflictionis & pœnitentiæ eſt. Vn- *Cap.29.*
de & Moyſes & Helias & ipſe ſaluator quadraginta diebus ieiunauerunt & noctibus, & per quadraginta annos *3.Reg.9.&*
populus erat in ſolitudine, vt poſtea circunciſus in Galgalis, opprobrio & ignominia Aegypti liberetur. In cu- *Matth.4.*
F ius numeri ſacramento, & hîc idem propheta pro tribu Iuda quadraginta diebus dormit in dextro latere, & *Num.14.*
quadraginta annis populus ſeruiturus in Aegypto nunciatur, qui faciunt quadraginta decadas, ſiue quatuor
ἑκατοντάδας. Pluuiæ quoque diluuij quadraginta diebus inferunt orbi naufragium. Iuſtum enim erat, vt qui *Gen.7.*
per quatuor elementa mundi, quibus omnia conſtare dicuntur, dum ea diligit & fouet, deum offenderat, in
ipſo numero puniretur. IDEM IN IONAM. Porrò quadragenarius numerus conuenit pecca- *Cap.3.*
toribus, & ieiunio, & orationi, & ſacco & lachrymis, & perſeuerantiæ deprecandi, ob quod & Moyſes quadraginta diebus ieiunauit in monte Sina, & Helias fugiens Iezabel, & dei deſuper ira pendente, quadragin- *3.Reg.34.*
ta dies ieiunaſſe deſcribitur. Ipſe quoque dominus verus Iona miſſus ad prædicationem mundi, ieiunauit quadraginta dies, & hæreditatem nobis ieiunij derelinquens, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero noſtras animas præparat. IDEM LIBRO SECVNDO ADVERSVS IOVINIANVM. Sed vide quòd nec ſecunda conſcriptio tabularum abſque ieiunio potuit impetrari: quod ebrietas perdiderat, inedia

reperit. Ex quo oſtenditur, poſſe nos per ieiunium redire in paradiſum, vnde per ſaturitatem fueramus reiecti. G

*Vbi ſuprà.* AVGVSTINVS. Quòd ait, Panem non manducauit, & aquam non bibit, intelligitur ieiunauit, à parte totum, id eſt, nomine panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum ſignificante ſcriptura. Et ſcripſit in tabulis teſtamenti decem verba. De Moyſe dictum eſt quòd ipſe ſcripſerit, cui etiam deus paulò antè dixerat, Scribe tibi verba hæc. Cùm verò primùm legem accepit, cuius tabulas abiecit & fregit, nec ipſe excidiſſe dictus eſt tabulas lapideas, nec ei dictum eſt vt ſcriberet, ſicut ei modò dicitur, nec eas ipſe ſcripſiſſe narratur, ſicut modò narrat ſcriptura, & dicit, Scripſit in tabulis teſtamenti decem verba, ſed tunc dictum eſt, Et dedit Moyſi ſtatim vt ceſſauit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas teſtimonij, tabulas lapideas ſcriptas digito dei. Deinde paulò pòſt, Conuerſus (inquit) Moyſes deſcendit de monte, & duæ tabulæ teſtimonij in manu eius, tabulæ lapideæ ſcriptæ ex vtraque parte earum, hinc atque hinc erant ſcriptæ, & tabulæ opus dei erant, & ſcriptura, ſcriptura dei, & ſculpta in tabulis. INTERLINEARIS. Panem non comedit, corporalem ſcilicet, nam non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore dei. MAXIMVS EPISCOPVS TAVRINENSIS. Aduertite fratres chariſsimi quanta nobis ſpiritualis vitæ documenta ſuccreſcant, quámque magnificis ad propoſitum ſanctitatis prouocemur exemplis, quod quadragenis referuntur diebus beatus Moyſes & dei filius ieiunaſſe. Illud ſanè perſpicite, quia quantum diſtat ſeruus à domino, tantum neceſſe eſt eorum diſtare ieiunium. Moyſes enim veteris editor legis eſt, Chriſtus noui conditor teſtamenti. Ieiunat Moyſes vt præceptis legalibus vnius populi eruditat diſciplinam. Chriſtus ieiunat, vt vniuerſas totius mundi redimat gentes. Ieiunat Moyſes vt præſentis vitæ mandata ſuſcipiat, ieiunat & Chriſtus vt æternæ ſalutis ſacramenta conſtituat. Ieiunat Moyſes vt deum videret, ieiunat & Ieſus vt vnum ſe eſſe cum deo dum diabolum triumphat, oſtenderet. Moyſes poſt ieiunium ſcriptas digito dei tabulas populo præuaricante confregit. Chriſtus ſuo ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecrauit. Quid illud eſt autem quòd cùm vterque quadragenos ieiunauerit dies, non I vterque poſt ieiunium eſuriſſe perhibetur? Moyſes vtique non eſuriuit, vt in homine fragili operata diuinitas probaretur. Eſuriuit dei filius, vt aſſumptionem carnis noſtræ fragilem ſuſcepiſſe hominem reuelaret. Quod non eſurit Moyſes, cœleſtis eſt poſsibilitatis exemplum, quòd eſurit Chriſtus, noſtræ redemptionis eſt ſacramentum. Huiuſmodi dominus peregit in ſua carne myſterium, vt ſicut deus eſſe diuinis virtutibus creditur, ita & homo eſſe infirmitatibus dinoſcatur humanis. Et hinc eſt quòd Chriſtus vt homo eſurit, & eſurientes paſcit vt deus. Hinc quòd fatigatur itinere, & claudis virtutem tribuit ambulandi. Hinc quòd oculos ſuos laxat in lachrymis, & mirabiliter cæcis reformat aſpectum. Hinc quòd appropiante morte triſtatur, & mortuum Lazarum ſuſcitat de ſepulchro. Hæc omnia fratres conditor ac redemptor vt deus & homo agit, non quia talis illi naſcendi neceſsitas fuit, ſed quia tale in cœlo & in terris voluit regnare myſterium. GREGORIVS IN PRIMVM REGVM. Legis & prophetiæ & Euangelij ſub quadragenario numero nobis ieiunia commendantur. Nam Moyſes vt legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numero ieiunauit. Helias vt K Iezabel manus euaderet, quadraginta diebus in huius cibi fortitudine ad Horeb dei montem peruenit. Dominus ac redemptor noſter Ieſus Chriſtus per quadraginta dies in eremo ieiunans, nullum omnimodo cibum ſumpſit. CAIETANVS. Ecce ſecundum ieiunium Moyſi quadraginta diebus & quadraginta noctibus in continua mentis eleuatione perſeuerantis, deo illum conſeruante. Et ſcripſit in tabulis verba fœderis decem. Iuxta Hebræum explanatur, Et ſcripſit ſuper tabulas verba fœderis, decem verba. Ecce clarè aperitur, quòd decem illa præcepta ſunt verba fœderis inter deum & populum. Nec ſubintelligitur Moyſes, ſed dominus cum quo erat Moyſes, eſt enim ſenſus, & dominus ſcripſit ſuper tabulas. Hunc autem eſſe literalem ſenſum, teſtatur non ſolùm promiſsio in principio huius capituli ſcripta (dicente deo, dola tibi duas tabulas, & ſcribam ſuper tabulas) ſed etiam ipſe Moyſes Deuteronomij decimo clarè referens quòd deus ſcripſit ſuper iſtas ſecundas tabulas, & propterea nullus relinquitur quæſtioni locus de ſcriptore harum tabularum. AVCTOR CATENAE. Fuit ergo ibi cum domino Moyſes. Dictionem Moyſes, cùm non ſit in Hebræo canone, neceſſariò tamen ſubintellectam, Interpres Latinus appoſuit. Panem non comedit & aquam non bibit. Tabulas L legis non Moyſes nunc inſcribere dicitur, ſed dominus. Quod vt clarè ſcias, nec ſcrupulus tibi aliquis remaneat, lege Deuteronomij caput decimum qui loci huius gloſſema eſt, & ſi non rarò Moyſi tribuitur quòd opus domini ſcitur. Verba fœderis decem. More ſuo Interpres verborum fugit repetitionem. Sic enim eſt in Hebræo, Scripſitq; ſuper tabulas vel in tabulis verba fœderis, decem verba, eſt enim עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים Aſèreth hadebarim. Per quæ duo verba declarat quid velit intelligi per verba fœderis, nempe decem verba, decem præcepta, hoc eſt, ipſum decalogum. Decem autem verba ſunt, Vel ſi concupiſcentiæ prohibitio ad vxorem alterius, & rerum proximi reliquarum habeantur pro vno, & dei cultus & idolorum prohibitio duo habeantur, vel ſi hæc duo poſtrema pro vno, & concupiſcentiæ pro duobus reputentur. *Cúmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis domini.* INTERLINEARIS. Quibuſdam videlicet ſplendoris radiis illuſtrata, quos humanus viſus ferre non poterat, M eo, quia cum domino tandiu locutus fuerat. AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Quod ne quis non putet corporaliter id fieri potuiſſe, cognoſcat. Etenim vſu ſolis quòd multis etiam pallore confectis totius corporis figura mutatur, & ignis vapore calefactis, ſpecies vultus rutilans offunditur. Oriente die rubent terræ croceo colore perfuſæ, imaginem de beneficio mutuatæ. Gemmarum quoque monilia coruſcantia transfunduntur finitimis, quòd ipſa radiauerint, & miraris ſi Moyſi vultus diuinæ infectus ſit claritate præſentiæ? Miraris ſi refulgente dei gratia iuſti vaporetur ingenium?

*Cap.6.* HIERONYMVS IN AMOS. In exodo iuxta Hebraicum & Aquilæ editionem legimus, Et Moyſes neſciebat, quia cornuta erat ſpecies vultus eius, qui verè dicere poterat, In te inimicos meos cornu ventilo. CAIETANVS. Eædem tabulæ appellantur etiam tabulæ teſtimonij ſeu teſtificationis, ratione ſiquidem verborum appellantur tabulæ fœderis, quia in illis conſiſtit fœdus inter deũ & populum, ratione verò



A verò officij appellantur tabulæ teſtificationis ſeu teſtimonij, quia ad officium teſtificandi fœdus inter deum & populum erant. Et ignorabat, & cætera. Iuxta Hebræum habetur, quòd cornificauit cutis faciei ſuæ in locutione ſua cum ipſo. Emiſsio radiorum appellatur metaphoricè cornificatio, eo quòd tanquam emiſsio cornuum ſit emiſsio radiorum. Nihil ergo cornuum ad literam ſignificatur, ſed quòd pellis faciei Moyſi non ſolùm lucida erat, ſed etiam ſplendoris radios emittebat. Et ratio redditur gratia diuini colloquij. Et ſic intellige ſequentia. AVCTOR CATENAE. Cúmque deſcenderet, & cætera. Vt noueris Interpretem virum doctum multos fugiſſe Hebraiſmos conſultò, & puriſsimum tantùm ſenſum aſſequutum, vide quomodo legatur locus iſte in Hebræo, nam ita eſt ſicut in Chaldaica, videlicet, Et factum eſt cũ deſcendiſſet Moyſes de monte Sinai, duæ tabulæ teſtimonij erant in manibus Moyſi, cùm deſcendiſſet de monte. Ad quid enim bis, cùm deſcendiſſet de monte poſitum eſt, niſi & Hebraica phraſi? quam tamen quo ad ſententiam integram, licet trun-

B catã quo ad verba, reddidit Interpres. Idipſum in decies ſexcentis locis verſionis ſuæ inuenies. Sequitur, Et ignorabat ꝙ cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis domini. Duę ſunt hoc in loco opiniones, quæ nobis recitandæ ſunt, & vtraq; virorũ eruditiſsimorũ, & Hebraici idiomatis perquàm peritorum. Primi dicunt (vt propriis eorum vtamur verbis) quòd vox ambigua fecit in editione noſtra errorem, quamuis ſit etiam diſcrimen inter nomen cornu, & id quod ſignificat radians. Nam cornu vocatur קֶרֶן kèren per duplex cegol, at radians קָרַן karan cum camez & patach. Igitur inquiunt hi, non habetur in contextu Hebraico faciem Moyſi fuiſſe cornutam, ſed radiantem, quod ex verbis ipſis apertiſsimè intelligitur, quæ in hunc habent modum, וּמֹשֶׁה לֹא יָדַע כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו בְּדַבְּרוֹ אִתּוֹ VMoſe lo iadaha chi karan hor panaf bedabbero itto, Et Moyſes nõ ſciebat ꝙ radiãs eſſet ſiue ſplenderet, aut ſplenduiſſet ſiue radios iacularetur cutis faciei ſuæ cùm loqueretur cum eo. Non ſcribitur igitur faciem fuiſſe cornutam, ſed cutem radiantem. Ex hoc ergo poteſt emendari praua vulgi cõſuetudo, qui duobus cornibus pingunt Moyſen. Non enim cornua è fronte egrediebantur, ſed & frons & naſus & os & mentum radia

C bant. Conſonat Chaldaica quoq; editio habens, Moyſes autem neſciebat quòd multiplicatus eſſet ſplẽdor gloriæ vultus ſui cùm loqueretur cum eo. Sed & Septuaginta bene hunc locum verterunt, καὶ μωϋσῆς οὐκ ἤδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, hoc eſt, Et Moyſes non ſciebat quòd glorificatus fuerat aſpectus cutis faciei ſuæ. Rident itaque nos & execrantur Iudæi, quoties Moyſen in noſtris templis cornuta facie depictum aſpiciunt, quaſi nos eum diabolũ quendam, vt ipſi ſtultè interpretantur, eſſe putemus. Ex hoc autem editionis Septuaginta loco cognoſcitur, antiquam illam editionem qua ante Hieronymũ vtebatur Eccleſia, fuiſſe ipſorum Septuaginta. Nam & Apoſtolus multis verbis alludit ad editionem LXX. vt manifeſtè patet. 2. Cor. 3. & in officio transfigurationis ſaluatoris canitur, Glorificata eſt facies Moyſi, quòd ex editione Septuaginta ſumptũ eſt, qua Latini vtebantur, vnde & antiphonas ſumebant. Et hæc eſt priorum opinio quæ noſtram editionem aliquãtiſper taxare videtur, vt vnam pro alia poſuerit dictionem. Verùm alij Interpretem defendentes, eúmque & prudentem & doctum aſſerentes, dicunt verum eſſe dictionem kèren cornu ſignificare, ſed ab eadem verbum karan deſcende-

D re, quòd ſignificat cornutum eſſe. Vnde locum hunc ita vertunt, Et Moyſes neſciebat quòd in modum cornuum radiaret cutis faciei ſuæ, dum ipſe loqueretur cum eo. Et ita Interpretem exponunt, dum dicit hîc & paulò infra, quòd cornuta eſſet faciei ſuæ cutis. Non (inquam) quòd in facie cornua haberet, nam ita ſentire fatuitas eſſet, ſed quòd radij ſplendoris clari ac fulgidi ex facie eius prodeuntes in modum cornuum micuerint, ſicut & radij à ſole deriuati, ſpeciem cornu præ ſe ferunt. Id etiam ex lucerna apud te accenſa facilè deprehendere potes. Rutilans enim ex ea flamma in modum cornu ſe ſe exerit. Vnde & Rabbi Salomon radios illos, cornua magnificentiæ appellat. Verum eſt autem quòd tota facies Moyſi ſic rutilauit & micuit, vt Iſraëlitæ non potuerint intendere in eam. Et hæc ſecunda eſt opinio, quæ (vt ingenuè fateamur) nobis magis placet, & à doctis Hebræis, comprobatur, nec eruditum Interpretem alicuius calumniatur inſcitiæ, neque à Septuaginta Interpretum ſeu Chaldaicæ lectionis ſententia ne latum quidem (vt videtur) vnguem diſcordat. Hoc fuit autem ſtupendum miraculum, quòd deus in facie Moyſi edidit, vt eius & decalogi auctoritatem commendaret. Vn-

E de & Paulus ex hoc loco argumentatur de auctoritate & gloria miniſterij Euangelij. Id verò ex longa conuerſatione, collocutione & communione cum deo aſſequutus eſt ſanctus eius famulus, ex quibus illius mẽtantis fuit illuminationibus claritatibúſque repleta, vt in eius vultu redũdarẽt. Sed dicet aliquis, cùm etiam antea tot diebus fuerit cum deo conuerſatus, & cum eo in monte locutus, cur etiam tunc rediens non fuerit tam ſplendidus? Reſponderi poteſt, quòd quia interim multò magis in ſpiritualibus donis atq; diuina cõtemplatione profecerit, & iam deum in forma tam glorioſa conſpexerit, ac dominus ſuper faciẽ ſuam poſuerit dexteram ſuam, ideo clarior factus ſit, *Videntes autẽ Aaron & filij Iſrael cornutã Moyſi faciem timuerunt propè accedere.* AMBROSIVS IN PSALMVM CENTESIMVM DECIMVM OCTAVVM. Illuminat dominus ſanctos ſuos, & lucet in corde iuſtorum. Ita quòd cùm ſapientem videris, cognoſce quia deſcendit ſuper eum dei gloria, illuminauit eius mẽtem ſapientiæ fulgore, cogitationiſque diuinæ. Illuminauit autem etiam corporaliter faciem Moyſi, & transfigurata eſt gloria vultus eius, quem videntes Iudæi trepidauerunt, & ideo factum eſt vt Moyſes velamen pone- 2.Cor.3.

F ret ſuper faciem ſuam, ne in eam filij Iſraël intenderent, & ſuperturbarentur. THOMAS IN EPISTOLAS PAVLI. 2.Cor.3.l.2 Videntes autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, & cætera. Vbi litera noſtra habet quòd Moyſes habebat faciem cornutam, alia litera habet faciem ſplendidam, quod meliùs dicitur. Non enim intelligendum eſt eum habuiſſe cornua ad literam ſicut quidam eum pingunt, ſed dicitur cornuta propter radios qui videbantur eſſe quaſi quædam cornua. AVCTOR CATENAE. Videntes autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, timuerunt propè accedere. Sententia rectè reddita eſt. Hebraica autẽ ſunt prout in Chaldaica, Vidítque Aaron & omnes filij Iſraël Moyſen, & ecce multiplicatus erat ſplendor gloriæ vultus eius, timuerúntque accedere ad eum. Verùm quia ſunt eadem verba quæ ſuprà, videlicet וַיִּרְאוּ אַהֲרֹן וְכָל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת מֹשֶׁה וְהִנֵּה קָרַן עוֹר פָּנָיו Vehinne karan hor panaf, vertunt nonnulli hæc verba, Et ecce ſplendentem, vel fulgentem, ſiue radiantem cutem faciei eius. Alij, Et ecce radios eiaculabatur ſiue reſplendebat cutis faciei eius. Quidam, Et ecce radiabat in modum cornu cutis faciei eius. Septuaginta, καὶ ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, Et erat glo-

 rificatus

rificatus aſpectus cutis faciei eius. Vide autem proximè ſuperiorem clauſulã pro clariori loci intelligentia. Stupentes itaque ob tam nouum & inſolitum miraculum, & quoniam viſus eorum reuerberabatur claritate vultus Moyſi & radiorum illorum, non auſi ſunt appropinquare ei tam Aaron quàm filij Iſraël. *Vocatíque ab eo reuerſi ſunt tam Aaron quàm principes ſynagogæ, & poſtquàm locutus eſt, venerunt ad eum etiam omnes filij Iſrael.* CAIETANVS.

Significatur quòd non ſingillatim, ſed ſimul omnes primates cum Aaron acceſſerunt ad Moyſen & locutus eſt ad eos. Et poſtea etiam ſic venerunt ad eum omnes filij Iſraël. Deſcripta autem reuerſio Aaron & principum, manifeſtat quòd tanta fuerat reuerentia, vt non ſolùm deſtiterint ab appropinquatione, ſed nec ſubſtiterint, ſed retroceſſerint. AVCTOR CATENAE. Vocatíque ab eo reuerſi ſunt, & cætera. Non diſcrepat ab Hebraico & Chaldaica vbi legitur, Et vocauit eos Moyſes, & reuerſi ſunt ad eum Aaron & omnes principes congregationis, & locutus eſt Moyſes cum eis, & poſtea acceſſerunt omnes filij Iſraël. Nam hi omnes abierant territi ſplendore qui apparebat in facie Moyſi. *Quibus præcepit cuncta quæ audierat à domino in monte Sinai. Impletíſque ſermonibus poſuit* H *velamen ſuper faciem ſuam. Quod ingreſſus ad dominum & loquens cum eo, auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia*
*Cap.1.* *quæ ſibi fuerant imperata.* HIERONYMVS IN ECCLESIASTEN. Legimus in Exodo glorificatum vul
*2.Cor.3.* tum Moyſi in tantum, vt filij Iſraël in eum aſpicere non poſſent. Quam gloriam Paulus Apoſtolus ad cõparationem Euangelicæ gloriæ, dicit eſſe non gloriam. Nam nec glorificatum eſt (inquit) quod glorificatum fuit in hac parte propter excellentem gloriam. CAIETANVS. In Hebræo habetur, Et finiuit Moyſes loqui cum eis. Et hîc eſt punctus vltimus narrationis progreſſus totius, videlicet quòd deſcendenti Moyſi occurrerunt Aaron & Primates, & veriti ſplendorem faciei retroceſſerunt, ſed vocati à Moyſe ſimul acceſſerunt, & quòd Moyſes locutus eſt illis, & quòd poſt ſermonem ad illos, omnes filij Iſraël venerunt ad Moyſen, & Moyſes dixit illis omnia quæ præceperat illi deus, ita quòd ad finem vſque omnia dixit. Hoc ſiquidem progreſſu narrato, ſubiungitur narratio modi quo Moyſes durante ſplendore faciei eius loquebatur hominibus, narrãdo quòd diuerſimodè loquebatur hominibus & deo, Nam alloquendo deum erat diſcooperta facies eius, homines autem alloquebatur facie I velata, ne radij ſplendoris impedirent intuitus hominum verſus ipſum. Hic eſt ſenſus literæ ſupradictæ. AVCTOR CATENAE. Quem etiã clariùs ex Chaldaica percipies ſic habente etiã iuxta Hebraicum, & præcepit eis omnia quę locutus eſt dominus cum eo in monte Sinai. Cumq; conſummaſſet Moyſes loqui cũ eis, poſuit ſuper faciẽ ſuã velamen (hoc eſt) dum loqueretur cũ eis ſemper habebat velamen. Et cũ ingrediebatur Moyſes in conſpectu domini vt loqueretur cũ eo, auferebat velamen donec exiret, & egrediebatur & loquebatur cum filiis Iſraël quod præceptum erat. Hæc eſt litera, & eſt ſenſus: Conſummauit Moyſes loqui ad populum quæcunque eis dominus promulganda promiſerat, ſemper interim obtectam habens faciem ſuam præ ſplendore vultus quem intueri non poterant. Interim autem dominum allocuturus deponebat velamen, facie ad faciem aſpiciendo & colloquẽdo cum domino. Sunt qui hunc eundem intellectum ſequentes, literam hanc illuſtriorem reddant, ita vertentes Hebraica illa וּבְכֹל מֹשֶׁה מְדַבֵּר אִתָּם Vaichal Moſe middaber ittem, Et cùm pergeret Moyſes loqui cum eis. Et tunc conuenienter ſubditur, Poſuit velamen ſuper faciem ſuam. Et quod ſequitur, Quòd K ingreſſus, aliqui legunt, Qui ingreſſus, volentes quòd referat Moyſen. Et ita legit etiam Complutẽſis editio. Non deſunt tamen ex Hebræis qui purum literæ contextum ſequentes, dicant, quòd tunc tantùm ponebat velamen ſuper faciem Moyſes, quando finiſſet loqui ad populum, vt videlicet in duobus caſibus amoueret velamen, & diſcooperirẽt faciem, cùm loqueretur ad filios Iſraël, quo cum maiori loqueretur auctoritate, & quando cum deo loquebatur, quòd indignum eſſet loqui cum rege facie cooperta. Verùm prior intellectus videtur verior, & Apoſtolico ſenſui conueniẽtior. *Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat rurſus ille faciem ſuam, ſiquando loquebatur ad eos.* CAIETANVS. Clarè manifeſtat viciſſitudines apponendi & remouendi velamen, quandiu viſa eſt facies eius quaſi cornificando ſplendens. Quanto autem tempore huiuſmodi ſplendor durauit, ſcriptum non eſt. AVCTOR CATENAE. Hebraica litera huiuſmodi eſt וְרָאוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת פְּנֵי מֹשֶׁה כִּי קָרַן עוֹר פְּנֵי מֹשֶׁה וְהֵשִׁיב מֹשֶׁה אֶת הַמַּסְוֶה עַל פָּנָיו עַד בֹּאוֹ לְדַבֵּר אִתּוֹ Verau bene Iſraël eth pene Moſe, chi karan hor pene Moſe, vehesib Moſe eth hamaſue hal panaf, had boo ledabber itto, Et vide- L runt ſeu videbántque filij Iſraël faciem Moyſi quando ſplendens ſiue fulgida vel radians in modum cornu, aut radios eiacularetur cutis faciei Moyſi, & reducebat ſeu reponebat Moyſes velamen ſuper faciem ſuam, donec veniret ad loquendum cum eo, id eſt, donec ingrederetur tabernaculum, vt cum deo loqueretur. Septuaginta, ὅτι δεδόξασται, Quòd glorificata erat. Chaldaica, Videbántque filij Iſraël aſpectum vultus Moyſi, quia vultus erat ſplendor gloriæ vultus Moyſi. Et reducebat Moyſes velamen ſuper faciem ſuam, donec ingrederetur ad loquendum cum eo. Hoc autem dicit, Vbi agnouit Moyſes faciem ſuam ſplendore maximo afferre metum Iſraëlitis, cœpit velare faciem verba faciens ad eos: velamen autem obductum faciei deponebat, cùm erat tabernaculum ingreſſurus, ſecunda Corinthiorum tertio. Repetit igitur idipſum quod ſuprà dixerat, ad commendationem & inquiſitionem myſterij.

*Myſticè.* RVPERTVS. Fractis tabulis prioribus, aliæ ad inſtar priorum præciſæ ſunt, & in eis eadem verba deſcribuntur, quia fractis propter incredulitatem carnalibus Iudæis, alterius populi tabulæ cordis carnales electæ M ſunt de cunctis Gentibus, & eis præcepta traduntur. Notandum quippe, quia ſic dixit, & ſic diſtinxit deus, Quibus & tecum, & cum Iſraël pepigi fœdus. Et tecum (inquit) & cum Iſraël, id eſt, cum iſto populo, & cum illo qui pòſt venturus eſt. Nam carnales quidem cærimonias mutat, imò & abiicit ſpiritualis lex, nec de illis curat iuſtitia, quæ ex fide Ieſu Chriſti eſt, ſed decem verba legis immutari non licet, & obſeruari tam à nouis quàm à veteribus poſtulat, ſancta, iuſta & bona fœderis lex. Vnde aliàs opere dei, aliàs digito dei ſcripta eſſe memorãtur, & hoc dicto æterna vel immutabilia fore ſignantur. AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SV-
*Ibidem.* PER EXODVM. Sed magna hîc nobis oritur quæſtio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyſes deo vtique præſciente fracturus, non hominis opus eſſe dicantur, ſed dei, nec ab homine ſcriptæ, ſed ſcriptæ digito dei. Poſteriores verò tabulæ tandiu manſuræ ac in tabernaculo & templo dei futuræ, iubente quidem deo, tam ab homine exciſæ ſint, quàm ab homine ſcriptæ? An fortè in illis prioribus gratia dei ſignificabatur, nõ hominis opus,

qua



A qua gratia indigni facti ſunt, reuertentes corde in Aegyptum, & facientes idolum, vnde illo beneficio priuati ſunt, & propterea Moyſes tabulas fregit, iſtis verò tabulis poſterioribus ſignificati ſunt qui de ſuis operibus gloriantur? Vnde dicit Apoſtolus, ignorantes dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ dei non ſunt *Rom.10.* ſubiecti, & ideo tabulæ humano opere exculptæ, & humano opere conſcriptæ datæ ſunt, quæ cum ipſis manerent ad eos ſignificandos de ſuis operibus gloriaturos, non de digito dei, hoc eſt, de ſpiritu dei. Certè ergo repetitio legis nouum teſtamentum ſignificat, illud autem vetus ſignificabat, vnde confractum & abolitum eſt, maximè quoniam cùm ſecundò lex datur, nullo terrore datur, ſicut illa in tanto ſtrepitu ignium, nubium & tubarum, vnde tremefactus populus dixit, Non loquatur deus ad nos, ne moriamur, vnde ſignificatur timor eſſe in veteri teſtamento, in nouo dilectio. Quomodo igitur hîc ſoluitur quæſtio, quare illæ opus dei, iſtæ opus hominis? Et illæ conſcriptæ digito dei, iſtæ ſcriptæ ab homine? An fortè ideo magis in illis prioribus vetus
B ſignificatum eſt teſtamentum, quia deus ibi præcipit, ſed homo non fecit? Lex enim poſita eſt in veteri teſtamento, quæ conuinceret tranſgreſſores, quæ ſubintrauit vt abundaret delictum. Non enim implebatur timore, quæ non impletur niſi charitate. Et ideo dicitur opus dei, quia deus legem conſtituit, deus conſcripſit, nullum opus hominis, quia homo deo non obtemperauit, & eum potiùs reum lex fecit. In ſecundis autem tabulis homo per adiutorium dei tabulas fecit atque conſcripſit, quia noui teſtamenti charitas legem fecit. Vnde dicit do- *Matth.5.* minus, Non veni legem ſoluere, ſed adimplere. Dicit autem Apoſtolus, Plenitudo legis charitas, & fides quæ *Rom.13.* per dilectionem operatur. Factum eſt itaque homini facile in nouo teſtamento quod in vetere difficile fuit, habenti fidem, quæ per dilectionem operatur, atque illo digito dei, hoc eſt, ſpiritu dei intus eam in corde ſcribẽte, non foris in lapide. Vnde dicit Apoſtolus, Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, quoniam *2.Cor.3.* charitas dei qua veraciter impletur præceptum, diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hoc eſt ergo, Prima data eſt lex, vbi ſignificatur vetus teſtamentum, quod eſt opus tantummodo dei, &
C conſcriptio digitorum dei, Quod Apoſtolus dicit, Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & iuſtum *Rom.7.* & bonum. Lex ergo ſancta & bona, dei opus eſt, vbi homo nihil agit, quia non obtemperat, ſed reatu potiùs premitur, lege minante atque damnante. Peccatum enim (inquit) vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem. Beatus autem homo eſt, cùm hoc mandatum ſanctum & iuſtum & bonum facit, hoc etiam opus eius, ſed per gratiam dei. ISIDORVS. Quid autem ſibi vult quòd Moyſes quadraginta diebus ieiunauerit? Cuius actionis quædam figura eſt, in huius numeri conſideratione. Quadragenario enim numero & Moyſes & Helias, & ipſe dominus ieiunauerunt. Præcipitur enim nobis ex lege, & ex prophetis, & ipſo Euangelio, quod teſtimonium habet à lege & prophetis. Vnde etiam in monte inter vtramque perſonam medius ſaluator effulſit, vt ab omnibus mundi illecebris auiditatem noſtram tanquam ieiunio temperantiæ refrenemus, quandiu perfectio Decalogi legis per quatuor eiuſdem mundi partes, id eſt, toto orbe prædicatur, vt decem quater ducta, quadragenarium numerum ſignent. Sequitur, Cúmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat
D duas tabulas lapideas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis domini.

ORIGENES SVPER EXODVM. Lectio hæc nos ad intelligẽtiæ inquiſitionẽ, vel incitat, vel repel- *Hom.12.* lit. Incitat mentes ſtudioſas & liberas, deſides & occupatas repellit. Scriptum eſt enim, Quia vidit Aaron & omnes filij Iſraël Moyſen, & erat glorificata facies eius, & color vultus eius, & timuerunt accedere ad illum. Et poſt pauca, Ponebat (inquit) Moyſes velamen ſuper faciem ſuam. Cùm autem introiret in conſpectu domini vt loqueretur illi, deponebat velamen. Hæc autem Apoſtolus diſſerens magnifico illo ſenſu quo in cæteris vtitur de quo dixit, Nos autem ſenſum Chriſti habemus, ait, Quòd ſi miniſterium mortis in literis formatum in lapidibus, fuit ad gloriam, ita vt non poſſent intẽdere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ aboletur, quomodo non magis miniſterium ſpiritus erit in gloria? Et iterum paulò pòſt dicit, Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem vultus eius. Obtuſi ſunt enim ſenſus eorum vſque in hodiernum diem. Cùm enim legitur Moyſes, velamen eſt poſitum ſuper cor eo-
E rum. Quis non admiretur myſteriorum magnitudinem? quis non pertimeſcat velamen obtuſi cordis? Glorificata eſt facies Moyſi, ſed non poterant intendere in faciem vultus eius filij Iſraël, non poterat intendere populus ſynagogæ. Si quis autem conuerſationem & vitam poteſt habere eminentiorem quàm reliquum vulgus, iſte poteſt intueri gloriam vultus eius. Et nunc enim ſicut dixit Apoſtolus, Velamen eſt poſitum in lectione veteris teſtamenti, & nunc Moyſes glorificato vultu loquitur, ſed gloriã quæ eſt in vultu eius non poſſumus intueri. Idcirco autem non poſſumus, quia adhuc populus ſumus, & nihil ſtudij, nihil meriti pluſquàm reliqua plebs habemus. Verùm quia dicit ſanctus Apoſtolus, Idipſum autem velamen in lectione veteris teſtamenti manet, amputaret nobis omnem intelligentiæ ſpem tanti & talis Apoſtoli prolata ſententia, niſi addidiſſet, Cùm autem quis conuerſus fuerit ad dominum, auferetur velamen. Igitur cauſam auferendi velaminis, conuerſionem noſtram eſſe dicit ad dominum. Ex quo colligenda ſunt nobis iudicia, quòd donec legentes ſcripturas diuinas latet nos intellectus, donec obſcura ſunt nobis & clauſa quæ ſcripta ſunt, nondum conuerſi ad dominum ſumus. Si enim
F cõuerſi eſſemus ad dominũ, ſine dubio auferretur velamen: ſed & hoc ipſum conuerti ad dominum, qualeſit videamus. Et vt euidentiùs ſcire poſsimus quid ſit cõuerſus, dicendum nobis priùs eſt quid ſit auerſus. Omnis qui cùm recitãtur verba legis, communibus fabulis occupatur, auerſus eſt. Omnis qui cũ legitur Moyſes, de negociis ſeculi, de pecunia, de lucris ſollicitudinẽ gerit, auerſus eſt. Omnis qui poſſeſsionũ curis ſtringitur, & diuitiarũ cupiditate diſtenditur, qui gloriæ ſeculi & mũdi honoribus ſtudet, auerſus eſt. Sed & qui ab his quidẽ videtur alienus, aſsiſtit autẽ & audit verba legis, & vultu atq; oculis intẽtus, corde tamẽ & cogitationibus euagatur, auerſus eſt. Quid ergo eſt cõuerti? Si his omnibus terga vertamus, & ſtudio, actibus, mente, ſollicitudine, verbo dei operã demus, & in lege eius die ac nocte meditemur, omiſsis omnibus deo vacemus, exerceamur in teſtimoniis eius, hoc eſt, cõuerſum eſſe ad dominũ. Tu ergo ſi volueris filium tuũ ſcire literas quas liberales vocant, ſcire grammaticam, vel rhetoricam diſciplinã, nũquid nõ ab omnibus eum vacuum & liberum reddis? Nunquid non omiſsis cæteris, huic vni ſtudio dare operam facis? Pędagogos, magiſtros, libros, impenſas, nihil prorſus deeſſe facis,

quoadusque perfectum propositi studij opus reportet. Quis nostrum ita se ad diuinæ legis studia conuertit? Quis G nostrum ita operam dedit? Quis tanto studio ac labore diuinâque quærit studia, quanto quæsiuit humana? Et quid conquerimur, si quod non didicimus ignoramus? Aliqui vestrum vt recitari audierint quæ leguntur, statim discedunt. Nulla ex his quæ lecta sunt inquisitio ad inuicem, nulla collatio, nusquam memoria mandati illius, quo te diuina lex commonet. Interroga patres tuos & dicent tibi, presbyteros tuos & annunciabunt tibi. Alij ne hoc ipsum quidem patienter expectant, vsque quo lectiones in Ecclesia recitetur. Alij verò nec si recitantur, sciũt, sed in remotioribus dominicæ domus locis secularibus fabulis occupantur. De quibus ego ausus sum dicere, quia cùm legitur Moyses, iam non velamen super cor eorum, sed paries quidam & murus est positus. Si enim ille qui adest, qui audit & intentus est, & quæ audit retractat & discutit, & quæ assequi non potest, percunctatur & discit, vix potest ad libertatem scientię peruenire, ille qui abscondit aures suas ne audiat, & terga in faciem legentis obuertit, quomodo dicendus est velamen habere superpositum cordi, ad quem ne ip- H sum quidem velamen literæ, quo sensus velatur, qui est sonus vocis accessit? Euidens igitur figura est, quomodo glorioſa efficitur facies Moysi, habent enim gloriam ea quæ loquitur, sed hæc tegitur, & occultatur, & est omnis gloria eius intrinsecùs. Illud quoque intuere quale sit, quòd in lege vultus quidem Moysi, glorificatus refertur, licet velamine contegatur: manus autem eius intra sinum missa, leprosa facta memoratur sicut nix. In in quo mihi videtur forma totius legis plenissimè designari. In vultu enim eius, sermo legis: in manu, opera designantur. Quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcirco manus Moysi leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura: facies verò eius glorificata est, sed velamine tegitur, quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam. Vnde & Propheta dicit, Nisi audieritis occulta, plorabit anima vestra: Et Dauid dicit, Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. In lege ergo Moyses solam faciem habet glorificatam, neque manus eius habent gloriam, immò potiùs & contumeliam, sed neque pedibus denique soluere iubetur calceamentum suum, sic nulla erat gloria in I pedibus eius, licet & hoc fieret non sine alicuius forma mysterij: Nouissima nanque pars hominis pedes sunt. Ostendebatur ergo quòd in nouissimis temporibus soluëret Moyses calciamentum suum, vt acciperet alius spõsam, & illa vocaretur domus discalceati vsque in hodiernum diem. Nihil ergo aliud in lege gloriosum habet Moyses nisi solam faciem, in Euangeliis autem totus glorificatur ex integro. Audi enim quid dicatur in Euangeliis. Cùm ascendisset Iesus in montem excelsum, assumens secum Petrum & Ioannem & Iacobum, transformatus est ibi coram ipsis, & ecce apparuerunt (inquit) Moyses & Helias in gloria colloquentes cum eo. Hîc non refertur quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria, colloquens cum Iesu, & ibi ei completur illa promissio, quam accepit in monte Sina, cùm dictum est ei, Posteriora mea videbis. Vidit ergo posteriora eius. Vidit enim quæ in posterioribus & nouissimis diebus facta sunt, & gauisus est. Sicut enim Abraham concupiuit videre diem domini, vidit & gauisus est: ita & Moyses concupiuit videre diem domini, & vidit & gauisus est: & necessariò gauisus est, quia iam non solùm vultu glorificatus descendit de monte, sed totus K glorificatus ascendit in montem. Gauisus est sine dubio Moyses, quòd eum de quo dixerat, Prophetam vobis suscitabit dominus deus vester ex fratribus vestris, sicut meipsum audietis per omnia, nunc adesse cernebat, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem, Hîc est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Moyses dudum dixit, illum audietis, nunc pater dicit, Hic est filius meus, ipsum audite, & præsentem de quo dicit, ostendit. Gaudere etiam mihi pro hoc videtur Moyses, quia & ipse quodammodo nunc deponit velamen conuersus ad dominum, cùm euidenter quæ prædixit, implétur, vel cùm tempus aduenit vt per spiritum sanctum quæ obtexerat reuelentur. Retractandus tamen est sancti Apostoli sensus, & considerandum quid ei visum sit, cùm dixisset, Si autem conuersus quis fuerit ad dominum, auferetur velamen, vt adderet, Dominus autem spiritus est, per quod quasi interpretari videtur, quid est dominus. Quis enim nescit quòd dominus spiritus est? Sed nunquid in hoc loco de domini vel natura, vel substantia tractabatur, vt diceret quia dominus spiritus est? Videamus ergo ne non solũ cùm Moyses legitur, sed & cũ Pau- L lus legitur, velamen sit positum super cor nostrum. Et manifestè, si negligenter audimus, si nihil studij ad eruditionem & intelligentiam conferimus, non solũ legis & prophetarum scriptura, sed & Apostolorũ & Euangeliorũ grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor, ne per nimiam negligentiam & stoliditatem cordis, non solùm velata sint nobis diuina volumina, sed & signata, vt si detur in manus hominis nescientis literas liber legendus, dicat, quia nescio literas. Si detur in manus hominis scientis literas, dicat quia signatus est. Vnde ostenditur non solũ studium nobis adhibendum esse ad discendas literas sacras, verùm ad supplicandum domino, & diebus ac noctibus obsecrandum, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipse accipiens librum signatum dignetur aperire. Ipse est enim qui scripturas adaperiens, accendit corda discipulorum, ita vt dicant, Nonne cor nostrum erat ardens intra nos, cùm aperiret nobis scripturas? Ipse ergo etiam nũc nobis aperire dignetur, quid est quod Apostolo suo inspirauit vt diceret, Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi libertas. Ego quidem quantum pro paruitate intelligentiæ nostræ sentire possum, puto quòd verbum dei pro eo quòd auditoribus in- M tereſt (vt sæpe iam diximus) nunc via, nunc veritas, nunc vita, nunc resurrectio nominatur: nunc autẽ caro, nunc verò spiritus dicitur. Quamuis enim verè ex virgine substantiam carnis acceperit, in qua & crucem pertulit, & resurrectionem initiauit, tamen est vbi Apostolus dicit, Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Quia ergo & nunc sermo eius ad subtiliorem & spiritalem intelligentiam prouocat auditores, & vult eos nihil carnale in lege sentire, dicit vt qui vult auferri velamen de corde suo, conuertatur ad dominum. Non quasi ad carnem dominum, est enim & hoc, quia verbum caro factum est, sed quasi ad spiritum dominum. Si enim quasi ad spiritum dominum conuertatur, de carnalibus ad spiritualia veniet, & ad libertatem de seruitute transibit. Vbi enim spiritus domini, ibi & libertas. Et vt adhuc euidentius fiat quod dicitur, vtamur & aliis Apostoli sensibus. Ad quosdam dicit quos senserat incapaces, Quia nihil me iudicaui aliud scire inter vos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Istis talibus non dicebat



A bat, dominus spiritus est, nec dicebat eis quia Christus dei sapientia est. Non enim poterant agnoscere Christum secundum hoc quòd sapientia dei est, sed secundum hoc quòd crucifixus est. Illi autem quibus dicebat, Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius seculi, neque principum huius mundi, qui destruuntur, sed loquimur dei sapientiam in mysterio absconditam, non indigebant vt verbum dei secundum hoc susciperent, quòd caro factum est, sed secundum hoc, quòd sapientia in mysterio abscondita est. Sic ergo & in hoc loco iis qui de carnali ad spiritualem intelligentiam prouocantur, dicitur, dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini, ibi & libertas. Vt autem ostenderet, quia ipse iam peruenit ad scientiæ libertatem, & exutus est de velaminis seruitute, addit his, & dicit, Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes. Si ergo & nos dominum deprecemur, vt velamen de corde nostro dignetur auferre, capere possumus intelligentiam spiritalem, si tamen conuertamur ad dominum, & libertatem scientiæ requiramus. Sed quomodo in-
B uenire possumus libertatem, qui seruimus seculo, qui seruimus pecuniæ, qui seruimus desideriis carnis? Ego meipsum corripio, meipsum iudico, ego meas culpas arguo, viderint qui audiunt, quid de semetipsis sentiant. Ego iterum dico, quòd donec alicui horum deseruio, non sum conuersus ad dominum, nec vllam consecutus sum libertatem, donec talia me negocia & sollicitudines stringunt. Illius cuius constringor, negocij & sollicitudinis seruus sum. Scio enim scriptum esse quia vnusquisque à quo vincitur, huic & seruus addicitur, etiam si me amor pecuniæ non superet, etiam si possessionum & diuitiarum cura non stringit: laudis tamen cupidus sum, & gloriam sector humanam, si de hominum vultibus & sermonibus pendeo, quid de me ille sentiat, quomodo ille me habeat, ne illi displiceam, si illi placeam, donec requiro ista, seruus horum sum. Sed volebam ex hoc saltem satis agere, si possim liber fieri, si possim de iugo huius seruitutis absolui, & peruenire ad libertatem, secundum Apostoli commonitionem, dicentis, In libertate vocati estis, nolite fieri serui hominum. Sed quis mihi dabit hanc manumissionem? quis me ab hac seruitute turpissima liberabit, nisi ille qui dixit, Si vos filius liberauerit,
C verè liberi eritis? Etenim scio quia seruus non potest libertate donari nisi fideliter seruiens, nisi dominum diligens. Et ideo etiam nos fideliter seruiamus, & ex toto corde & ex toto animo, & ex tota virtute diligamus dominum deum nostrũ, vt mereamur libertate donari à Christo Iesu filio eius domino nostro. AMBROSIVS. *vbi supra.*
In hoc facto magnum illud mysterium declarabatur, quòd illud velamen quod in facie Moysi corporaliter ponebatur, in cordibus Iudæorum mysticè poneretur, eo quòd veram legis claritatem videre non possent. Vultus enim Moysi, fulgor est legis, fulgor autem legis non in litera, sed in intellectu est spiritali. Itaque quandiu vixit Moyses, & alloquebatur Iudæorum populum, velamen habebat in facie sua. Mortuo autem Moyse, Iesus Naue iam non per velamen, sed facie reuelata, & presbyteros alloquebatur & populum, & nemo trepidabat, cùm vtique & ipsi dixerit deus, quòd cum ipso ita esset futurus, vt fuit cum Moyse, & eum similiter illuminaret, gestorum vtique non vultus gloria, hoc significante spiritu sancto, quòd venturus esset Iesus verus. Ad quem si quis conuerteretur, & eum vellet audire de corde suo velamen auferret, & reuelata facie verum saluatorem videret.
D Ergo deus omnipotens pater qui in Moysi facie excæcauit populum Iudæorum, non duritia sed præscientia, nec malitia sed æquitate atque iustitia. Ipsi enim sibi velamen posuerunt, qui legem intelligere noluerunt. Lex enim spiritalis est, sicut dixit Hebræus. Is vtique secundum illud quod dat vnicuique nostrum, in quo non tribuentis, sed diligentis est culpa, iste (inquam) dominus illuminauit cor populi nationum in facie Christi Iesu per eius aduentum. Quod euidenter Apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus. Quoniam deus, qui dixit *2.Cor.4.*
de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis dei in facie Christi Iesu. Ideo ergo dicit Dauid ad dominum Iesum, Vultum tuum illumina super seruum tuum. Faciem Christi videre cupiebat, vt mens eius illuminari posset. Et secundum incarnationem potest accipi. Multi enim Prophetæ & iusti videre voluerunt, vt ipse dominus declarauit. Quod autem negatum Moysi fuerat, non quærebat vt corporaliter dei vultum in corpore videret, si tamen & Moyses tam sapiens & eruditus hoc potuerit simpliciter magis quàm in mysterio postulare, humanum tamen est desideria supra nos extendere. Nec immeri-
E tò faciem eius aduenientis ex virgine quærebat videre, vt illuminaretur in corde, sicut illuminabantur etiam illi qui dicebant, Nonne cor nostrum ardebat in nobis, cùm aperiret nobis scripturas? Quòd si quis ad deum pa- *Luc.24.*
trem dictum vult videri, potest accipi vultus patris filius. Qui enim videt filium, videt & patrem. Illuminat tamen vultus dei secundum quod oculi eius super iustos habentur AVGVSTINVS LIBRO SECVNDO CONTRA ADVERSARIVM LEGIS ET PROPHETARVM. Quod dictum est de ministro ve- *Cap.7.*
teris testamenti Moyse, quòd non poterant intendere filij Israël in faciem eius propter gloriam vultus eius, si- *Exod.34.*
gnum erat quia in lege Christum intellecturi non erant: Et ideo velamen inter faciem Moysi & ipsos positum *2.Cor.3.*
erat, vt non intenderent sicut scriptum est, filij Israël vsque in finem: Finis autem legis quis est? Ad hoc non ego, *Rom.10.*
sed Apostolus ipse respondeat: Finis enim legis, inquit, Christus ad iustitiam omni credenti: Finis perficiens, non interficiens. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia quæcunque aliquo fiunt officio. Nam inter officium & finem hoc distat, quòd officium est in eis quæ facere debemus: finis, propter quem facimus. Quia itaque illa
F omnia propter Christum fiebant, quem filij Israël in eis quæ faciebant non intelligebant: hoc significabat velamen, quòd eos vsque in finem non sinebat intendere, id est, vsque ad faciem Moysi, quæ significabat Christum. Sed ideo dictum est quòd euacuetur hæc gloria, quia omnes vmbræ significantes euacuantur, cùm res quæ significatur aduenerit. Quemadmodum enim scientia quæ nunc est euacuabitur, sicut idem dicit Apostolus, cùm *1.Cor.13.*
venerit illa quam dicit facie ad faciem: sic & ista quæ in vmbris tradita erant Iudæis in veteri testamento, necesse fuit euacuari reuelatione testamenti noui. GREGORIVS VIGESIMOOCTAVO MORALIVM. Hoc iam sancta Ecclesia per spiritum agnoscit, quòd synagoga priùs per literam intelligere omnino *Cap.23.*
non valuit. Vnde & Moyses cùm populo loqueretur, faciem velabat, vt videlicet designaret, quòd ille Iudæorum populus legis verba cognosceret, sed eiusdem claritatem legis omnimodo non videret. Vnde rectè per Pau- *2.Cor.3.*
lum dicitur, Vsque in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. IDEM IN PRIMVM REGVM. Et si per magnam internę visitationis gratiam, pastoris anima ad superna sustol- *Cap.3.*

litur

litur, paruulis tamen non ad modum ſubtilitatis ſuæ, ſed pro eorum viribus imponere præcepta conuerſationis G
debet. Vnde & Moyſes à monte in immenſo vultus ſui ſplendore regrediens, faciem velauit, vt in eum populus
*par.3.cap.5* intendere viſum potuiſſet. IDEM IN PASTORALI. Sciendum nanque eſt prædicatori, vt auditoris
ſui animum vltra vires non trahat, ne (vt ita dicam) dum pluſquam valet tenditur, mentis corda rumpatur. Al-
*Luc.7.* ta etenim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc nanque per ſemetipſam veri-
tas dicit, Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det
illi in tempore tritici menſuram? Per menſuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cùm anguſto cordi
*1.Cor.3.* incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait, Non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi
carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Hinc Moyſes à ſecreto dei exiens,
coruſcantem coram populo faciem velat, quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per
eum diuina voce præcipitur vt is qui ciſternam foderit, ſi operire neglexerit, corruente in ea boue vel aſino, pre- H
cium reddat. Quia ad alta ſcientiæ fluenta perueniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contegit,
pœnæ reus addicitur, ſi per verba eius in ſcandalum, ſiue munda, ſiue immunda mens capiatur. Hinc ad beatum
*Iob.38.* Iob dicitur, Quis dedit gallo intelligentiam? Prædicator etenim ſanctus dum caliginoſo hoc clamat in tempo-
re, quaſi gallus cantat in nocte, dum dicit, Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Et rurſum, Euigilate iuſti, & noli-
te peccare. Gallus autem profundioribus horis noctis altos edere cantus ſolet. Cùm verò matutinum iam tem-
pus in proximo eſt, minutas ac tenues voces format, quia nimirum qui rectè prædicat, obſcuris adhuc cordibus
aperta clamat, nihil de occultis myſteriis indicat, vt tunc ſubtiliora quæque de cœleſtibus audiant, cùm luci ve-
ritatis appropinquant. IDEM IN PRIMVM REGVM. Sed & aliter, In duobus diebus prædicator a- I
gnoſcitur, in tertio habet quod etiam hi qui nouerant, non cognoſcant. Primus nanque dies auditoribus perti-
net, ſecundus ſodalibus, tertius eſt prædicationis. Primum nanque diem paſtor habuit, quando prælatis ſuis di-
ſcipulus obediuit: Quaſi enim in magna luce cernitur, qui in virtute obedientiæ deuotus eſt. Secundum diem
habuit, quando meliorum coadiutor eſſe iam cœpit. Iſta quippe claritas magnæ conuerſationis, in electorum
*Matth.5.* exemplo maximum diem facit. Hanc diem dominus inſinuans, ait, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt
videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Tertius verò dies inſilientis ſpiritus eſt,
& prophetiæ. In tertio quippe die paſtor aſpicitur, quando ſublimitatem dignitatis ſuæ adæquat ſplendore con-
uerſationis, quando cœleſti virtute indutus, ea vita, eáque doctrina ſubditis lucet, vt videri ab eis poſsit, diſcuti,
& iudicari non poſsit. Talis quidem erat Moyſes, quando lucidiſsimo vultu à monte deſcendit, cuius ſubditi
*2.Cor.6.* fulgorem videbant, ſed in fulgentem claritatem intendere viſum non poterant. Talis erat qui gloriabatur, di-
*Act.2.* cens, Nos autem reuelata facie gloriam dei ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, tanquam à do-
mini ſpiritu. Tales (inquit) erant, quos ſpiritus ſanctus repleuerat. Vnde & qui in Hieruſalem conuenerant, ad-
mirantes, dicunt, Nónne iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? Interrogabant quippe vt ſcirent quod audiebant, &
ſcire non poterant. Qui autem nouerant Saul, de re quæ ei accidit, admirantes interrogant, quia eos aliquan- K
do in humiliori ordine ſanctæ Eccleſiæ humiles, & deſpectos cernimus, quos dum ſanctus ſpiritus ad ordinem
prędicationis aſſumit, gratiarum ſuarum ſplendoribus induit, & in eiſdem ſplendoribus mirabiles oſtendit. Sed
bene ſanctorum virtutes admiramur, cùm eas bonitati conditoris adſcribimus. Quare & Moyſes confitens do-
*Exod.15.* mino ait, Quis ſimilis tibi in diis domine, quis ſimilis tibi glorioſus in ſanctis, mirabilis in maieſtate, faciens
*Pſal.67.* prodigia? Hinc Pſalmiſta dicit, Mirabilis deus in ſanctis ſuis, ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ.

THEODORETVS. Velamen Moyſi quid ſibi velit, ſatis dilucidè Apoſtolus explanat cùm ait, Vſque in
hodiernam diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum, quod in Chriſto eua-
cuatur. Sed vſque in hodiernum diem cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cùm autem
cõuerſi fuerint ad dominum, auferetur velamen. Quemadmodum enim tunc diuina gloria facies Moyſi com-
pleta eſt, fulgórque ille acies oculorum præſtringebat vt contra obtueri non poſſent: eadem ratione Iudæi dum
literę legis intendunt, non gloriam, ſed velamen intuentur. Ij verò qui ſpiritus ſancti gratia ad deum accedunt, L
à velamine illo liberi fiunt, gloriámque illam qua Moyſes tunc perfuſus eſt, contemplari merentur. Id quod &
beatus Paulus hiſce verbis declarauit, Nos verò omnes reuelata facie gloriam domini ſpeculantes, in eandem
imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu. Quemadmodum enim perlu-
cida ſpecula in ſe intuentium figuras facilè exprimunt, ſimiliter corda pura atque ſyncera gloriam dei facilè
excipiunt. Ob id & dominus ait, Beati mundo corde, quoniam ipſi deum videbunt. Ac quemadmodum Iudas
cùm diabolũ in ſeipſo ſuſcepiſſet, illius nequitiam in ſeipſo formauit: eadem ratione qui diuina gratia ad deum
accedit, fulgoribus illis qui inde refulgent, illuſtratur. Ac quemadmodum qui in tenebris commoratur, tenebri-
coſus fit, qui verò ad ſolem lucémque reſidet, ſoli lucíque ſimilis effici ſolet: ita qui & deo aſsidet, diuinæ quo-
dammodo naturæ particeps euadere conſueuit. ISIDORVS. Quod ergo deſcendente denuo Moyſe cum
tabulis, facies eius glorificata videtur, ſed tamen velamine tegitur, hoc ſignificabat, vt oſtenderet eandem legem
myſtico eſſe velamine coopertam, tectámque infidelibus & occultam. Sermo quippe legis habet ſcientiæ glo- M
riam, ſed ſecretam. Habet & cornua duum teſtamentorum, quibus contra dogmata falſitatis incedit armata.
Cùm enim Moyſes legitur, velamen eſt poſitum ſuper cor eorum, & manifeſtè dum legis & Prophetarum ſcri-
pturam per nimiam ſtoliditatem cordis carnaliter accipiunt infideles, illis tota facies Moyſi quodam velamine
tegitur, ita vt non poſsint loquentis legis gloriam ſuſtinere. Sed ſi conuerſi fuerint ad dominum, auferetur vela-
men, occidens litera morietur, viuificans ſpiritus ſuſcitabitur. Dominus enim ſpiritus eſt, & lex ſpiritualis eſt.
Vnde & Dauid orabat in pſalmo, Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. RVPERTVS.

**Cúmque deſcenderet (inquit) Moyſes de mõte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cor-
nuta eſſet facies eius ex conſortio ſermonis dei. Videns autem Aaron & filij Iſraël cornutam Moyſi faciem, ti-
muerunt propè accedere. Cornuta, id eſt, ſplendida ſiue radioſa facies Moyſi, cum ſecundarum tabularum ſcri-
ptura, quid miraculo ſuo præſignauerit, hodie palàm totus orbis agnouit. Vbi enim tabulæ ſecundę, id eſt, Chri-**

ſtiani



A ſtiani populi corda præceptorum dei ſcripturam ſuſceperunt, & cœpit ab eis lex ſpiritualiter intelligi, tantum
ſplendorem facies, id eſt, ſenſus Moyſi emiſit, quantum ferre non valentes, fugiunt ad latebras filij Iſraël, id eſt,
carnales Iudæi. Impletis (inquit) ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam. Quod ingreſſus ad dominum,
& loquens cum eo, auferebat, donec exiret. Et tunc loquebatur ad filios Iſraël omnia quæ ſibi fuerant imperata.
Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat rurſus ille faciem ſuam, ſi quando loque-
batur ad eos. Hoc expoſitione noſtra non indiget. Dicit enim Apoſtolus, Et non ſicut Moyſes ponebat velamen
ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius, quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. *2.Cor.3.*
Vſque in hodiernum diem, idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum, quoniam in
Chriſto euacuatur. Sed vſque in hodiernum diem cùm legitur Moyſes velamen eſt poſitum ſuper cor eorum.
Cùm autem cõuerſi fuerint ad dominum, auferetur velamen. Igitur quòd poſuit Moyſes velamen ſuper faciem
B ſuam, quòd ingreſſus ad dominum & loquens cum eo, illud auferebat, ſi quando autem loquebatur ad filios Iſ-
raël, operiebat rurſus faciem ſuam, eius rei præſagium fuit, quam totus nunc orbis agnoſcit. Quia videlicet dum
loquitur Moyſes ad Chriſtum, id eſt, ad euangelicam Eccleſiam in qua Chriſtus eſt, tollit velamen ſuum, & aper-
tam oſtẽdit faciem. Tollit enim literam occidentem, & ſpiritum promit viuificantem. Vbi autem legitur in ſy-
nagogis Iudæorum, operit vultum ſuum, id eſt, ſpiritualem legis ſenſum. Illi enim propter aureum blaſphemia-
rum ſuarum vitulum oculos perdiderunt, & claritatem veritatis ſuſtinere non poſſunt. Nam in his qui pereunt
(inquit Apoſtolus) opertum eſt Euangelium, in quibus deus huius ſeculi, ſapientium excæcauit mentes infide-
lium vt non fulgeat illuminatio Euangelij Chriſti, qui eſt imago dei. AVCTOR CATENAE. Moyſi
igitur facies ordinatione, doctrina, myſteriis legis ſplendet ac radiat, glorioſè quidem fidelibus & dignis, ſed
non Iudæis cæcis. Eam enim intueri non poſſunt, qui lumen legis, & ipſiſsimum omnium Prophetarum ſcopum
Chriſtum dominum ideo ignorant, quia abominantur, & amplecti recuſant, reiecti à domino, donec reſipiſcãt.
C Ignorabat autem Moyſes propriam gloriam, ſancti enim non agnoſcunt excellentiam ſuam, ſed humiles ſunt
in conſcientiis ſuis, nec facilè credunt de ſe magnifica, domino acceptare referunt bona quæ ſe habere ſentiunt, vt
non in ſe, ſed in domino glorientur. Ex colloquio dei per ſcripturas ſacras cum homine, illuſtratur vultus &
conſcientia piorum, vt iuſtè iudicent de diuinis & humanis. Vocatis autem filiis Iſraël per Moyſen & reuerſis
illis expoſita ſunt domini præcepta, quia conuerſis Iſraëlitis poſt excæcationem, reddetur intelligentia legis.
Surditate nanque depulſa, & humiliata ceruice, populus ille audiet & intelliget Moyſen, & in ſpiritu ac circun-
ciſo corde reconciliabuntur domino, ipſius veritatem cum bonitate agnoſcent, poſtquam errores ſuos & inui-
diam depoſuerint, & ſpiritum ſcripturæ aſpicient, qui nunc non niſi temporalia ſomniant, & expectant impe-
ria mundi, diuitias & gloriam.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMQVINTVM, ARGVMENTVM.

D

*Præcipitur ſabbatum, Primitiæ & donaria exiguntur. Deuota promptitudo populi offerentis.
Beſeleel & Ooliab artifices commendantur à Moyſe.*

## CAPVT XXXV.

E IGitur congregata omni turba filiorum Iſraël, dixit ad eos, Hæc ſunt quæ iuſſit dominus fieri. *Lectio 1.*
*Sex diebus facietis opus, ſeptimus dies erit uobis ſanctus, ſabbatum & requies domini. Qui fecerit opus in eo, occidetur. Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis ueſtris per diem ſabbati. Et ait Moyſes ad omnem cateruam filiorum Iſraël, Iſte eſt ſermo quem præcepit dominus, dicens, Separate apud uos primitias domino. Omnis uoluntarius & prono animo offerat eas domino, aurum & argentum, æs, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum & byſſum, pilos caprarum, pelléſque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna Sethim, & oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum & thymiama ſuauiſſimum, lapides onychinos & gemmas ad ornatum ſuperhumeralis & rationalis. Quiſquis ueſtrum eſt ſapiens, ueniat, & faciat quod dominus imperauit, tabernaculum ſcilicet, & tectum eius, atque operimentum, annullos & tabulata cum uectibus, paxillos & baſes, arcam & uectes, propitiatorium & uelum quod ante illud oppanditur, menſam cum uectibus & uaſis & propoſitionis panibus, candelabrum ad luminaria ſuſtentanda, uaſa illius & lucernas & oleum ad nutrimenta ignium, altare thymiamatis, & uectes, & oleum unctionis & thymiama ex aromatibus, tentorium ad*
F *oſtium tabernaculi, altare holocauſti & craticulam eius æneam cum uectibus & uaſis ſuis, labrum & baſim eius, cortinas atrij cum columnis & baſibus, tentorium in foribus ueſtibuli, paxillos tabernaculi & atrij cum funiculis ſuis, ueſtimenta quorum uſus eſt in miniſterio ſanctuarij, ueſtes Aaron pontificis ac filiorum eius, ut ſacerdotio fungantur mihi.*

AVCTOR CATENAE. Poſt exactam vindictam contra incredulos, & reconciliatum domino popu- *Lectio 1.*
lum, & recuperatum fœdus de obſeruatione mandatorum domini, ac denuo reſtitutis & reſcriptis tabulis deca-
logi, conſequenter reſumit Moyſes inſtitutum de cultu domini inſtituendo, quod illi nuper rebus adhuc ſaluis
in monte oſtenderat, & præceperat extruendum ſanctuarium. Et congregato ad id toto populo filiorum Iſraël,
docet eos de voluntate domini, primùm quidem de ſabbato religioſè celebrando, & ſanctificando, tanquam

princi-

principale in lege mandatum, pertinens ad fidei fomentum & charitatis, mortis pœnam indicens transgressoribus. Ait ergo. *Igitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos.* CAIETANVS. Parui refert quòd iuxta Hebræum habetur, Et adunauit Moyses totam synagogam filiorum Israël. Narrato modo quo Moyses loquebatur populo, narratur consequenter sermo habitus non cum vniuerso populo quẽadmodum locutus fuerat deus, sed cum deputatis ab vniuerso populo. Synagoga enim filiorum Israël appellatur congregatio electorum à populo, impossibile enim erat audiri Moysen à tanta multitudine. *Hæc sunt quæ iussit dominus fieri.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. *Quæst.157.* Alia litera habet, Hæc verba quæ dixit dominus facere ea. Ambiguè autem positum est, vtrum ea facere ipse dominus, an illi, sed vtique manifestum est quòd illi, iussit quippe ille quæ fierent, sed fortè ideo sic positum est, vt ex vtroque accipiatur, quia & dominus facit, cùm facientes adiuuat, secundum illud Apostoli, *Philip.2.* In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. AVCTOR CATENAE. H In Hebræo autem sic legitur, אֵלֶּה הַדְּבָרִים אֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה לַעֲשֹׂת אֹתָם Elle hadebarim aser ziua Iehoua lahasoth otham. Hæc verba, quæ præcepit dominus vt faciatis ea. Sic & Chaldaica. Septuaginta ὗτοι οἱ λόγοι, οὓς εἶπε κύριος ποιῆσαι αὐτούς, Hi sermones, quos dixit dominus facere eos. Sed hæc idem in sensu cum litera nostra. *Sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum & requies domini. Qui fecerit opus in eo, occidetur.* CAIETANVS. Propositurus cærimonialia, inchoat à sabbatis, quia hoc erat præcipuum præceptum inter cærimonialia. Rationes autem subiunctæ, fuerunt in calce capituli trigesimi primi expositæ. AVCTOR CATENAE. Septimus dies erit vobis sanctus, vel vt alij reddũt dictionem קֹדֶשׁ kódes, sanctitas, aut sanctum, siue sanctificatio. Sabbatum & requies domini. Hebraicè legitur שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן לַיהוָה Sabbath sabbathon laihoua, Sabbatum cessationis domino, id est, dies septimus vobis sanctus erit & solennis, in quo in honorem dei ab operibus cessabitis. Vertũt alij, Sabbatum quietis domini. Quasi dicat, hunc diem celebrabitis in memoriam quòd dominus die septimo à creatione mũdi quieuerit. Septuaginta, ἀνάπαυσις τῷ κυρίῳ, Requies domino. Chaldaica, In die autem septimo erit vobis requies sabbati sancti coram domino. Sed & hæc idem cum Latina editione. Qui fecerit opus in eo, occidetur. Siue omnis qui fecerit in eo opus, morietur, id est, sententia iudicum condemnabitur. *Non succendetis ignem in habitaculis vestris per diem sabbati.* CAIETANVS. Non est hæc prohibitio noua, quia ad literam non prohibetur accensio ignis absolutè, sed relatiuè ad coquendum, & alia seruilia officia, alioquin prohibita fuisset accensio candelę in die septimo, quod est ridiculum. Hoc itaque singulare explicatur in die septimo, quod nec coquere necessaria alimenta liceat, dicendo, non accendetis ignem, coquere enim alimenta licitum erat aliis festiuis diebus, & hoc mandatum iam promulgatum fuerat superiùs capite sextodecimo. AVCTOR CATENAE. Non succendetis ignem, & cætera. Abundat apud Septuaginta hic, ἐγὼ κύριος. Ego dominus, non enim est ex textu Hebraico. Is est autem secundum aliquos huius loci sensus, Sabbato nullum accendendum ignem fuisse vnde lucrum aliquod sperari posset, vt ex fornace, in qua lateres vel ollæ, aut calx decoquuntur, aut etiam si succenderetur fornax ad coquendos panes. Vnde & Septuaginta non legũt, Non succendetis ignem, sed οὐ κάυσεται, Non ardebit. Alij verò absolutè dictum intelligunt, vt & ea quæ non sine molestia coqui possunt, & ad ignem esculenta parari necesse est, disponi debent in profesto sabbati, qui propterea dies præparationis dicebatur, sic vt ne ignis quidem succendi permittatur in sabbato, quòd non modica occupatione & tractu temporis tales cibi cocti præparantur fomento ignis, ad impedimẽtum quietis orationis, & auditionis verbi dei. Cùm aliàs tamen liceret etiam secundum istos, ignem habere die sabbati ad calefaciendum & illuminandum. Quicquid igitur necessaria studia spiritualia impedire potest, & gratum deo otium, id sabbato intermitti mandatur, Quod vnico exemplo ignis non accendendi significatur, non vt nimium superstitiosi Iudæi intelligunt hypocritico suo spiritu, qui vt ad literam hoc præceptum seruare videantur, conductitiis Christianis vtuntur sabbato, vt illis ignem foueant, non aduertentes, sacerdotibus licuisse ignem instruere pro iugi sacrificio die sabbati.

*Et ait Moyses ad omnem cœtum filiorum Israel, Iste est sermo quem præcepit dominus, dicens, Separate apud vos primitias domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas domino, aurum & argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, pellésque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna Sethim, & oleum ad luminaria cõcinnanda, & vt conficiatur vnguẽtum & thymiama suauissimum, lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis* THEODORETVS. Et ligna Sethim, & lapides pretiosos, aurum atque argẽtum Hebræos ex Aegypto portasse, verisimile mihi fit. Nam & dominus iussit vt mulier peteret à vicina sua vasa aurea atque argentea, quare & vniuersorum deus primitias omnia illa vocauit, hoc est, hostium exuuias. CAIETANVS. Loco primitiarum, iuxta Hebræum est, Eleuationem Iehoua. Ab actu eleuandi coram deo res quæ deo offeruntur, appellatur oblatio quæ fit deo, eleuatio deo seu dei. Omnis voluntarius & prono animo, & cætera. Cerne ordinem. Primo proponit oblationem diuinam, deinde quales exigit offerentes, videlicet spontaneos ex intimo corde, deinde explicat res offerendas, aurum & argentum, & quæ sequuntur. AVCTOR CATENAE. Separate apud vos primitias domino. Parui refert quòd Hebraicè legitur קְחוּ מֵאִתְּכֶם תְּרוּמָה לַיהוָה kechu meittechem teruma laihoua, Tollite ex vobis oblationem domino, seu primitias coram domino. Sic habet & Chaldaica. Hoc est, accipite de his quę apud vos sunt de facultatibus vestris quas offeratis domino. Vertunt alij, Tollite à vobis munus leuationis domino. Septuaginta, λάβετε παρ' ὑμῶν αὐτῶν ἀφαίρεμα κυρίῳ, Capeà vobis ipsis separationem domino. Sed hæc non discrepant à nostra editione. Quid autem propriè significet teruma, & alia omnia quæ hîc sequuntur vocabula, vide fusiùs in superioribus huius libri, vbi copiosè posita sunt, ne toties eadem repetantur. Quod autem Latinus Interpres dixit, Voluntarius & prono animo, Hebraicè legitur נְדִיב לִבּוֹ Nedib libbo, hoc est, voluntario corde, seu cuius spontaneum est cor, & idem significat. Quódque coccum bis tinctum, Hebraicè תּוֹלַעַת שָׁנִי tholáhath sani legitur, quæ vtraque dictio coccinum significat, ac si dicatur coccinum coccinum. Chaldaica habet coccinum semel tantùm. Septuaginta, κόκκινον δίπλοῦν διανενησμένον, hoc est, coccinum duplum filatum. Illud etiam quod apud nos est, & byssum, & Hebraicè scribitur שֵׁשׁ ses, apud Septuaginta, καὶ βύσσον κεκλωσμένην est, id est, & byssum retortam vel netam. Et ianthinas. In Hebræo ita legitur וְעֹרֹת תְּחָשִׁים Vehoroth techasim, Et pelles taxorum, aut

taxonum,



A taxonum, siue melium, vel ianthinas, licet Septuaginta & Chaldaica & multi Latini codices, hyacinthinas habeant. Deinde quod in nostra editione est, Et oleum ad luminaria concinnanda, & vt conficiatur vnguentum & thymiama suauissimum, ita Hebraicè legitur וְשֶׁמֶן לַמָּאוֹר וּבְשָׂמִים לְשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְלִקְטֹרֶת הַסַּמִּים Veseḗmen lamaor vbsamim leseḗmen hamischa veliktóreth hasammim, Et oleum pro, seu ad luminare, & aromata seu odoramenta ad oleum vnctionis, & in thymiama aromatum, seu pro incenso aromatico, Aut, & Aromata ad suffitum, siue, Et suffimentum aromaticum. Chaldaica, Et oleum ad luminaria, aromata in vnguentum vnctionis, & in thymiama aromatum. Septuaginta, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν, καὶ θυμίαμα εἰς τὸ ἔλαιον τῆς κρίσεως καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τοῦ θυμιάματος. Et oleum ad illuminationem, & thymiama ad oleum vnctionis, & ad compositionem thymiamatis. Quæ omnia si rectè consideres, à communi nostra lectione non deuiant. Demum quod apud nos est, Et gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis, ibi est, וְאַבְנֵי מִלֻּאִים לָאֵפוֹד וְלַחֹשֶׁן Veabne milluim laephod

B velachósen, Et lapides repletionum, seu plenitudinum, pro superhumerali & pectorali. Lapides autem repletionum vocat eos, qui palis aureis includi solent. Vnde aliqui reddunt, Et lapides qui includantur in Ephod & in pectorali. Quod proculdubio ad ornatum magnum fiebat illorum vestimentorum. Vnde rectè ad sensum prospiciens Interpres vertit, Gemmas ad ornatum. Chaldaica, Et lapides vt impleant cælaturas quæ sunt in superhumerali & in rationali. Septuaginta, καὶ λίθους εἰς τὴν γλυφήν, εἰς τὴν ἐπωμίδα, καὶ εἰς τὸ λογεῖον, Et lapides in sculpturam ad superhumerale & in rationale. Quæ omnia idem dicunt. Igitur quæ superiùs capite vigesimoquinto de ædificio sanctuarij à Moyse curando reuelabantur à domino, hæc nunc populo promulgantur, vt domino obediant, de suis spontaneis donariis offerendo materiam, pro tabernaculo & vasis præparandis necessariam. Vult autem deus hilarem datorem, & eum solum diligit, nec amat obsequium inuoluntariè delatum. Pretiosa quæque exigit à populo, occasionem superbiendi & lasciuiendi adimens fidelibus, qui cultum dei præferre debent omni mammonæ. Quid autem hæc omnia fuerint, in superioribus ostensum est. *Quisquis vestrum est sapiens,*

C *veniat & faciat quod dominus imperauit, tabernaculum scilicet & tectum eius, atque operimentum, annulos & tabulata cum vectibus, paxillos & bases, arcam & vectes, propitiatorium & velum quod ante illud oppanditur, mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus, candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas & oleum ad nutrimenta ignium, altare thymiamatis, & vectes, & oleum vnctionis & thymiama ex aromatibus, tentorium ad ostium tabernaculi, altare holocausti, & craticulam eius æneam cum vectibus & vasis suis, labrum & basim eius, cortinas atrij cum columnis & basibus, tentorium in foribus vestibuli, paxillos tabernaculi & atrij cum funiculis suis, vestimenta quorum vsus est in ministerio sanctuarij, vestes Aaron pontificis ac filiorum eius, vt sacerdotio fungantur mihi.* CAIETANVS. Proponit in genere opificium egens sapiente artifice, cùm dicit, Quisquis vestrum, & cætera. Tabernaculum scilicet, & tectum eius. Iuxta Hebræum habetur, Tabernaculum, tentorium eius, & operimentum eius, annulos & tabulata cum vectibus, columnas & bases. Fac punctum post dictionem tabernaculum, nam primò proponit ipsum tabernaculum, & deinde sigillatim septem eius quasi partes, singulis adiungendo pronomen eius, inchoando à tentorio, sed Interpres omisit pronomina. Vnde quasi appositiuè legendum est, taberna-

D culum, tentorium eius, & cætera. Et nomine tabernaculi (vt superiùs capite vigesimosexto patet) significatur vniuersitas cortinarum ex byssо, hyacintho, purpura, & cætera: nomine verò tentorij, vniuersitas cortinarum ex lana caprina: nomine verò operimenti, vniuersitas pellium ad tegendum tectum tabernaculi. Arcam & vectes eius & cætera, tentorium ad ostium tabernaculi. Interpres bis vtitur tentorij nomine, ad significandum velum loco valuarum. Et paxillos atrij cum funiculis suis. Non est perspicuum an significentur funiculi, quorum nulla est facta mentio superiùs narrãdo ordinationem diuinam. Parui tamen refert legere in specie funiculos, vel in genere, & reliqua eius, scilicet atrij, nam & funiculis opus erat ad retrahendum cortinas atrij. Vestimenta quorum vsus est in ministerio sanctuarij. Dictio interpretata vestimenta, tam hîc quàm in subiunctis vestibus Aaron, &

E vestibus filiorum eius, propriè significat pannos, & propterea de pannis necessariis ad inuoluendum ea quæ erãt in sanctuario congruè intelligitur, hi enim panni explicabuntur inferius, cùm de transferendo tabernaculo erit sermo. AVCTOR CATENAE. Quisquis vestrum sapiẽs est, quod in Hebræo dicitur חַכַם לֵב Chacham leb, Sapiens siue sapienti corde, id est, Quisquis est industrius. Chaldaica, Omnesque sapientes corde. Septuaginta, καὶ πᾶς ὁ σοφὸς τῇ διανοίᾳ, Et omnis sapiens mẽte. Parum autem refert quod dicitur apud nos, Veniat & faciat, in Hebraico haberi יָבֹאוּ וְיַעֲשׂוּ iabóu veiasu, hoc est, veniant & faciant. Nam apud Hebræos dictio col, vtriusque est numeri. Deinde ait, Tabernaculum scilicet, & tectum eius, atque operimentum, quæ Hebraicè ita habentur הַמִּשְׁכָּן אֶת אָהֳלוֹ וְאֶת מִכְסֵהוּ Hamischan eth aholo veeth michsehu, Tabernaculum & tentorium eius, & operimentum eius, scilicet tabernaculi, & ita habet Chaldaica. Secundum autem Hebræos מִשְׁכָּן Mischan sunt inferiores cortinæ quæ intra tabernaculum videri poterant, sed אֹהֶל óhel erant cortinæ quæ ex pilis caprinis contextæ erant, & erant veluti tectum tabernaculi, vnde aptè Interpres Latinus dixit, Et tectum eius. Et Septuaginta, τὰ παραγύματα, id est, propũgnacula. At Michse, hoc est, operimentum, erant pelles arietum rubricatæ, quæ supremum erant tegumentum. Postea ait, Annulos & tabulata cum vectibus, paxillos & bases. In Hebræo autem habetur loco anulorum אֶת קְרָסָיו Eth kerasaf. Et fibulas, vel vncinos, siue circulos eius. Et propriè keras est fibu-

F la, cuius caput est curuum, & solùm inuenitur in numero plurali. Deinde loco paxillorum Hebraicè legitur עַמֻּדָיו hammudaf, id est, columnas eius, & Hebraica per omnia Chaldaicæ conueniunt, quæ habet, Fibulas eius, & tabulas eius, & vectes eius, columnas eius, & bases eius. Septuaginta, καὶ τοὺς στύλους, Et columnas. Arcam & vectes, propitiatorium, hoc est, tegumentum, vel cœlum arcæ, quod Hebraicè dicitur כַּפֹּרֶת Cappóreth. Vbi autem nos, panes propositionis habemus, in Hebræo scribitur, לֶחֶם הַפָּנִים Léchem happanim, quod aliqui verterunt, Panem facierum. Chaldaica & Septuaginta, Panem seu panes propositionis legunt. De quibus multa in superioribus dicta sunt. Candelabrum ad luminaria sustentanda. Rectè & hîc locum reddidit Interpres, clariorem enim fecit sentẽtiam, cùm in Hebræo legatur וְאֶת מְנֹרַת הַמָּאוֹר Veeth menorath hamaor, Et candelabrum luminaris, id est, in quo erant luminaria. Chaldaica, Et candelabrum illuminationis. Septuaginta, καὶ τὴν λυχνίαν τοῦ φωτός, Et cãdelabrum luminis. Sequitur, Et oleum ad nutrimenta ignium. Sensum retinuit, cùm verba sint, וְאֶת שֶׁמֶן הַמָּאוֹר Veeth semen hamaor, Et oleum ad luminare

siue

siue luminarium, siue cum oleo luminaris, id est, quo luminaria ipsa fouebantur. Septuaginta, καὶ τὸ ἔλαιον τοῦ φω- G
τός, Et oleum luminis. Chaldaica, Et oleum ad illuminandum. Tentorium ad ostium tabernaculi. Et hoc rectè redditum est. Nam Hebraicè est וְאֵת מָסַךְ הַפֶּתַח לְפֶתַח הַמִּשְׁכָּן Veeth masach hapéthach lephétach hamiscan, Et velum siue aulæum ostij pro ostio tabernaculi, Aut velum quoque ostij ad ingressum tabernaculi. Septuaginta, καὶ τὸ ἐπίσπαστρον τῆς θύρας τῆς σκηνῆς, Et velum portæ tabernaculi. Chaldaica, Et tentorium ostij ad portam tabernaculi. Sequitur, Tentorium in foribus vestibuli. Velum intelligit quod in foribus atrij oppandebatur. Nam Hebraicè est, וְאֵת מָסַךְ שַׁעַר הֶחָצֵר Veeth masach sahar hechazer, Et velum siue aulæum portæ ipsius atrij. Sic & Septuaginta, siue, Et velum in porta atrij. Chaldaica, Et tentorium portæ atrij. Vbi etiam nos habemus paxillos tabernaculi atrij, Hebraicè habetur אֶת יִתְדֹת הַמִּשְׁכָּן וְאֶת יִתְדֹת הֶחָצֵר Eth ithdoth hamiscan veeth ithdoth hechazer, Et paxillos tabernaculi, & paxillos atrij. Sic habent & Chaldaica & Septuaginta. Vertunt alij clauos tabernaculi, & clauos atrij. Et quidem dictio יָתֵד Iathed, tam paxillum quàm clauum significat. Quod autem in H
nostra editione est, Vestimenta quorum vsus est in ministerio sanctuarii, Hebraicè legitur אֶת בִּגְדֵי הַשָּׂרָד לְשָׁרֵת בַּקֹּדֶשׁ Eth bigde hasarad lesareth bakódes, Et vestimenta vel vestes ministerii ad ministrandum, siue vt ministrent in sanctuario. Sic habet & Chaldaica. Alii legunt, in sancto vel in sanctificatione. Per hæc autem vestimenta, ea significantur indumenta, in quibus candelabrum & altare incensi atque arcæ inuoluebantur, cùm castra transferebantur. Id quod fortè dictio illa הַמְשָׂרֵד Hasarad manifestè innuit. Nam sarad (à quo serad ministerium deriuatur) remanere seu relinqui significat. Ex quo prudenter quidam hîc vertunt, Et vestimenta quibus quæ supersunt inuoluuntur, ad ministerium in sanctuario. Sequitur, Vestes Aaron, Addendum ex Hebræo, sanctas, vt dicatur, Vestésque sanctas Aaron. Vt sacerdotio fungantur mihi, Quod vnico verbo Hebraicè exprimitur, לְכַהֵן lechahen, Ad ministrandum, seu (vt habet Chaldaica) Vt ministrēt. Alij sicut Interpres Latinus legunt, Vt sacerdotio fungantur. Post quæ abundant apud Septuaginta verba multa, videlicet, καὶ τὸ ἔλαιον τοῦ χρίσμα- I
τος, καὶ τὸ θυμίαμα τῆς συνθέσεως, Et oleum vnctionis, & thymiama compositionis, Quæ in Hebræo canone non habentur. Tabernaculum igitur suum deus pretiosis voluit & pulchris rebus statui, & ornari vsque ad miraculum, quo rudi & curioso populo augustiùs & honoratiùs haberetur, quo minus Gētilium superstitionum stulto ornatu & pompa caperetur, quóue huiusmodi sensibilibus ad inuisibilia manuduceretur, & futura incarnationis mysteria sub his velaminibus edoceretur. Naturalissimis coloribus imbui velamina dominus deus voluit, vt vniuersi orbis decorem repræsentarent. Simúlque adesse gemmas præcepit, ad diligentiùs inuestigandū rerum naturalium vires, omnipotentiæ & sapientiæ dei effectus admirabiles. Sicut autem quod hîc tabernaculum dicitur cortina proximè asseribus applicanda, & tectum seu tentorium secunda cortina capillacea de pellibus caprarum priori superposita, ac operimentum duplex tectum in superioribus, sic tabulata sunt asseres quadraginta octo, secundum literam, vel quinquaginta, deaurati cum quindecim vectibus ad tres plagas. Columnæ autem sunt gestantes vtrumque velum ad ingressum tabernaculi, & distinguentes sanctum à sancto sanctorum, bases verò sub tabulis & columnis. Deinde vasa sacra populo paranda & ædificanda exponit Moyses, omnium sanctiK
simam arcam testimonij & fœderis auream, & quibus portetur vectes, propitiatorium super eam cum Cherubim, velúmque interius quod arcæ oppanditur ne videatur, & mensam propositionis auream, cum vectibus pro duodecim panibus proponendis ad aquilonem sancti, candelabrum item aureum cum lucernis, supellectili, ac oleo. De quibus omnibus dictum est, vt replicare non sit opus. Altare incensi & holocausti alterum, cum suffitu & oleo vnctionis, lauacro, & basi sua. Atrij deinde cortinas proponit cum columnis & basibus, addito velo pro introitu ad atrium, quod tentorium nominatur, cum paxillis & funibus, & omnibus sacerdotalibus indumentis. Omnia vt à domino acceperat facienda, nunc populo curanda proponit.

*Mystice. Quæst.172.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS. Posteaquam Moyses de monte descendit, opera commendantur tabernaculi construendi, & vestis sacerdotalis, de quibus faciendis antequam aliud præciperet, locutus est ad populum de sabbati obseruatione. Vbi non immeritò mouet, cùm decem verba legis accepit in taL
bulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit, quare de sabbato solo, posteaquam descendit populum admonuit? Si enim propterea decem præcepta legis superfluum fuit, vt populus iterum audierit, cur & hoc non fuit superfluum, vt de sabbato audiret, cùm & hoc in eisdem decem præceptis legatur? An & hoc simile est velamento, quo faciem obtexit, quia splendorem vultus eius filii Israël non poterant intueri? Nam ex decem præceptis hoc solùm populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est, alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo testamento obseruanda minimè dubitamus. Illud autem vnum de sabbato vsqueadeo figurata diei septimi obseruatione apud Israëlitas velatum fuit, & in mysterio præceptum, & quodam sacramento figurabatur, vt hodie à nobis non obseruetur, sed solùm quod significabat intueamur. In illa autem requie vbi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratię dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem
*Rom.5.* operatur, timor autem tormentum habet, & in tormento quæ requies? Vnde timor non est in charitate, charitas autem diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, ideo sabbatum requies sancta domino dicitur, dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, vt sint M
humana, aut cum peccato, aut cum timore, non cum dilectione, & ideo seruilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Sequitur autem, Separate apud vos primitias domino. Omnis voluntarius, &
*Homil.9.* cætera. ORIGENES SVPER EXODVM. Si quis dignè intelligat, vel ex Aegypto Hebræorum profectionem, vel transitum maris rubri, sed & omnem hanc viam, quæ agitur per desertum, & metationes singulas quásque castrorum, si horum ita extiterit capax, vt etiam legem dei suscipiat scriptam, non atramento, sed spiritu dei viui. Si quis (inquam) ad hæc ita per ordinem profectuum perfectè veniat, vt singula quæque implens, in spiritu assecutus sit, & ea quæ in his indicantur augmenta virtutum, ille poterit consequenter etiam ad visionem & intelligentiam tabernaculi peruenire. De quo tabernaculo multis quidem in locis memorant scripturæ diuinæ, & indicare quædam videntur, quorum vix capax possit esse humanus auditus, præcipuè tamen Apostolus Paulus de intelligentia tabernaculi quædam nobis prodit, scientiæ excelsioris indicia. Sed nescio quo pacto fragi-



A fragilitatem fortassis intuens auditorum, claudit quodammodo ipsa quæ pandit. Dicit namque ad Hebræos scribens, Tabernaculum enim factum est primum, in quo erat candelabrum, & propositio panum quod dicebatur sancta sanctorum. Post secundum autem velamen, tabernaculum quod dicitur sanctum, habens aureum altare incensi, & arcam testamenti & intra eam duas tabulas, & manna, & virgam Aaron, quæ frondauerat. Sed iis addidit, de quibus non est modò dicendum per singula. Quod ergo ait, De quibus non est modò dicēdum, quidam ad illud tempus referunt, quo Hebræis scribebat epistolam. Aliis verò videtur, quòd pro mysteriorum magnitudine omne tempus præsentis vitæ ad hæc explananda idoneum neget. Verùm non vsquequaque tristes nos relinquit Apostolus, sed vt sibi moris est, aperit pauca de multis, vt clausum sit quidem negligentibus, inueniatur autem à pulsantibus, & quærentibus aperiatur. Repetit ergo rursum de tabernaculo, & dicit, Non enim in
B sancta manufacta ingressus est Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui dei per velamen, id est, per carnem suam. Qui ergo velamen interioris tabernaculi carnem Christi interpretatus est, sancta autem ipsum cœlum vel cœlos, dominum verò Christum pontificem, eúmque dicit introisse semel in sancta æterna redemptione inuenta, ex his paucis sermonibus si quis intelligere nouit Pauli sensum, potest aduertere quantum nobis intelligentiæ pelagus patefecerit. Sed qui satis amant literam legis Moysi, spiritum verò eius refugiunt, suspectum habent Apostolum Paulum, interpretationes huiusmodi proferentem. Videamus ergo si non etiam veterum sanctorum aliqui opinionem tabernaculi longè aliam quàm isti nunc existimant, habuere. Dauid nanque eximius Prophetarum quàm magnificè de tabernaculo sentit, ausculta. Dum dicitur (inquit) mihi per singulos dies vbi est deus tuus. Hæc memoratus sum, & effudi in me animam meam, quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum dei. Et iterum quartodecimo Psalmo dicit, Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & cætera. Quis ergo est iste locus tabernaculi admirabilis, ex quo peruenitur vsque ad domum dei, cuius
C quia memor factus est, effusa est in ipso anima eius, & velut quodā intolerabili desiderio resolutus est, quia istud tabernaculum quod ex pellibus & cortinis, atque operimentis cilicinis, aliísque nostri vsus materiis constabat, Propheta desiderans effunderetur animo, ac tota mente corrueret? Vel certè quomodo verum erit de isto dici tabernaculo, quod non habitet in eo nisi innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, cùm regnorum prodat historia habitasse in tabernaculo dei sacerdotes pessimos, filios pestilētiæ, & ipsam quoque arcam testamenti ab Allophylis captam, apud impios & prophanos fuisse detentam? Ex quibus omnibus constat, longè alio sensu Prophetam sentire de tabernaculo hoc in quo dicit, quòd non habitet in eo nisi innocens manibus & mundo corde, & qui non accepit in vanum animam suam, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Talem ergo oportet esse huius habitatorem tabernaculi, quod fixit dominus & non homo. Sed veniamus etiam ad Euangelia, si quid in ipsis dici de tabernaculis inuenimus, vt per sententiam domini indubitatum possit esse quod quærimus. Inuenimus ergo ipsum saluatorem
D Iesum Christum tabernaculum non vnum, sed plura memorantem, & non temporalia, sed æterna, cùm dicit, Facite vobis amicos de iniquo mammona, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Audisti pronunciantem dominum æterna esse tabernacula, audi nunc & Apostolum dicentem, Tabernaculum nostrum quod de cœlo est, & superindui cupientes. Nondum tibi ex his omnibus iter aperitur, quod derelicta terra, sequens Propheticum & Apostolicum sensum, & (quod omnium maximum est) sequēs verbum Christi, tota mente, & toto sensu ascendas in cœlum, atque ibi æterni tabernaculi magnificentiam quæras, cuius figura per Moysen adumbratur in terris? Denique sic ad eum etiam dominus dicit, Vide (inquit) omnia facito secundum figuram, quæ tibi ostensa est in monte. Verùm humana mens, & nostra præcipuè, qui nos minimos aut etiam nullos
E in diuina sapientia nouimus, eousque fortassis possit accedere, vt sentiat quidem hæc, quæ diuinis voluminibus inferuntur, non de terrenis, sed de cœlestibus dici, & formas esse non præsentium, sed futurorum bonorum, non corporalium, sed spiritualium rerum, quomodo autem horum narratio aptari possit cœlestibus & æternis, nec nostræ mensuræ est dicere, nec vestræ (vt opinor) capacitatis audire. Pauca tamen si nos orantibus vobis dominus illuminare dignetur, quæ ad Ecclesiæ ædificationem pertineant, aperire tentabimus. Iubetur ergo vniuersus populus, vnusquisque pro viribus conferens facere tabernaculum, vt quodammodo omnes simul vnum sint tabernaculum. Collatio verò ipsa non fit necessitate, sed sponte. Ait enim dominus ad Moysen, vt vnusquisque sicut visum fuerit cordi eius, aurum, argentum, lapides pretiosos, æs, tum præterea byssum, coccum, hyacinthum & purpuram, pelles etiam arietum rubras, & pelles hyacinthinas, sed & ligna imputribilia, pilos quoque caprarum ad constructionem tabernaculi offerat. Mulieres quoque sapientes in arte textrina requiruntur, & fabri qui aurum, vel argentum, vel æs, lapides etiam aptare nouerint, aurum & ligna formare. Tum deinde mensuræ traduntur atriorum. Quæ atria extenta tentoriis, columnis erecta, seris stabilita, & funibus distenta firmantur. Fiūt
F præterea quædam velaminibus distincta, quæ appellantur sancta, & alia nihilominus secundo dirempta velamine, quæ dicuntur sancta sanctorum. Collocatur intrinsecùs arca testamenti, supra quam Cherubim extensis alis, sèque inuicem contingentibus statuuntur, ibique ex auro velut basis eis quædam collocatur, ac sedes, quod appellatur propitiatorium, sed & altare aureum incensi. Tum præterea in exteriori loco candelabrum ponitur aureum in parte austri, vt respiciat ad aquilonem. In parte verò aquilonis mensa collocatur, & propositio panum super eam, necnon & altare holocaustorum iuxta velamē interius ponitur. Sed quid ego de his reuoluo per singula? Vix ad hæc tantùm enarranda sufficimus, vix nobis ipsa rerum materialium forma adduci ante oculos potest, & quomodo quis latentia in his mysteria expedire sufficiet? Veruntamen causa pro qua fieri deberet tabernaculum in superioribus inuenitur prædicta, dicente domino ad Moysen, Facietis (inquit) mihi sanctificationem, & inde videbor vobis. Vult ergo deus vt faciamus ei sanctificationem. Promittit enim quia si fecerimus ei sanctificationem, possit à nobis videri. Vnde & Apostolus ad Hebræos dicit, Pacem sequimini, & sanctificationem, sine qua nemo videbit deum. Hæc ergo est sanctificatio, quam iubet dominus fieri, quam & Apostolus in virginibus esse vult, vt sint sanctæ corpore & spiritu, sciens sine dubio, quòd qui fecerit domino sanctificationem

cationem per cordis ſui & corporis puritatem, ipſe videbit deum. Faciamus ergo & nos ſanctificationem do- G
mino,& omnes vnam,& vnuſquiſque per ſingulos vnam, vt omnes ſanctificationem Eccleſiam faciamus, quæ
eſt ſancta,non habens maculam aut rugam,hoc modo,ſi columnas habeat doctores & miniſtros ſuos,de quibus
dicit Apoſtolus:Petrus,Iacobus,& Ioannes,qui videbantur columnæ eſſe,dextras dederunt mihi & Barnabæ ſo-
cietatis. In tabernaculo ergo hoc columnæ ſeris interiectis iunguntur, dum Eccleſiæ doctores datis ſibi dextris
ſociamur. Sed columnæ iſtæ inargentatæ ſint, & baſes earum inargentatæ. Binæ autem baſes columnis ſingulis
deputentur. Vna quæ caput dicitur,& ſuperponitur. Alia quæ verè baſis appellatur,& columnæ velut fundamen-
tum ſubiicitur. Inargentatæ ergo ſunt columnæ idcirco,quia qui verbum dei prædicant, accipiant per ſpiritum
eloquia domini, quæ ſunt eloquia caſta, argentum igne probatum. Iſti autem prædicationis ſuæ baſes habent
Prophetas. Super fundamentum enim Apoſtolorum & Prophetarum collocantur,quorum teſtimoniis vtentes,
fidem Chriſti confirmant. Caput autem columnarum eſt ille(vt opinor)de quo dicit Apoſtolus, quia caput viri H
Chriſtus eſt. Seras verò columnarum,ſocietatis Apoſtolicæ datas ſibi inuicem dextras ſuprà iam diximus. Ten-
toria quæ anſulis aſſuta, & circulis ſuſpenſa, atque innexa funibus, admodum cortinarum viginti & octo in
longum, atque in latum quatuor cubitis diſtenduntur, habeatur reliqua credentium plebs, quæ hæret & pendet
in funibus fidei. Funis enim triplex non rumpitur, quæ eſt trinitatis fides, ex qua dependet, & per quam ſuſtine-
tur omnis Eccleſia. Viginti autem & octo cubitorum quod in longum diſtenditur, & in latum quatuor, atrij
vnius menſura, puto quòd inſerta lex Euangeliis deſignetur. Septenarius nanque numerus legem ſignificare ſo-
let,pro multis ſeptimi numeri ſacramentis. Si conſociatur ad quatuor, quater ſeptem conſequenter vigintiocto
numerum faciunt. Decem verò hæc atria fiunt, vt integrum perfectionis numerum teneant, & legis decalogum
ſignent. Iam verò cocci,& hyacinthi,byſsi,& purpuræ ſpecie,multa ac diuerſa opera explicant. Inde tentoria,in-
de velum exterius & interius, inde tota ſacerdotalis & pontificalis veſtis auro & gemmis expenditur adiunctis.
Sed ne diutiùs per ſingularum demoremur ſpecies virtutum, poſſumus breuiter dicere, illa ſignificari per hæc, I
quibus ornaretur Eccleſia. Fides enim auro conferri poteſt, ſermo prædicationis eius, argento & lapidibus pre-
cioſis,æs patientiæ,lignis imputribilibus ſcientia,quæ per lignum venit,aut incorruptio caſtitatis,quę nunquam
veteraſcit. Byſſo virginitas,cocco confeſsionis gloria,purpuræ charitatis fulgor, hyacintho ſpes regni cœlorum.
Iſtæ ſunt interim materiæ,ex quibus omne tabernaculum conſtruatur,induantur ſacerdotes,ornetur & pontifex.
Quorum indumenta quæ ſint, vel qualia, in alio loco pronunciat Propheta, & dicit, Sacerdotes tui induantur
iuſtitiam. Sunt ergo omnia iſta indumenta iuſtitiæ,Et iterum Paulus Apoſtolus dicit,Induite vos viſcera miſe-
ricordiæ. Sunt ergo indumenta miſericordię. Sed & alia nihilominus Apoſtolus indumenta nobiliora deſignat,
cùm dicit,Induite vos dominum Ieſum Chriſtum,& carnis curam ne feceritis ad concupiſcentias. Iſta ſunt er-
go indumenta,quibus ornatur Eccleſia. Poteſt autem & vnuſquiſque noſtrum etiam in ſemetipſo conſtruere ta-
bernaculum deo. Si enim(vt quidam ante nos quoque dixerunt) tabernaculum hoc totius mundi tenet figuram,
mundi autem etiam ſinguli quique habere imaginem poſſunt, cur non & tabernaculi vnuſquiſque in ſemeti- K
ſo formam poſsit explere? Has ergo debet columnas ſibi aptare virtutum,columnas argenteas,id eſt, patiętiam
rationabilem. Poteſt enim eſſe quidem in homine quę videatur patiętia,ſed quæ rationabilis non ſit. Nam & qui
non ſentit iniuriam,& propterea non redit, patiens videtur, ſed non eſt rationabilis iſta patientia. Iſte ergo ha-
bet quidem columnas,ſed non ſunt argentatæ. Qui verò propter verbum dei patitur & fortiter fert, iſte colum-
nis argenteis decoratus & munitus,poteſt in ſe & atria diſtendere,cùm dilatauerit cor ſuum ſecundum Apoſto-
li vocem dicentis ad Corinthios,Dilatamini & vos. Poteſt & ſeris munire,cùm ſe vnanimitate dilectionis ad-
ſtrinxerit. Poteſt ſuper argenteas baſes ſtare,cùm ſuper ſtabilitatem verbi dei, verbi Prophetici & Apoſtolici col-
locatur. Poteſt habere in columna deauratum caput, ſi caput aureum ſit ei fides Chriſti. Omnis nanque viri ca-
put Chriſtus eſt. Decem verò atria poteſt in ſemetipſo diſtendere,cùm non in vno tantùm verbo legis dilatatur,
neque duobus, aut tribus, ſed in toto decalogo legis ſpiritalis intelligentiæ dilatare amplitudinem poteſt, aut
fructum ſpiritus,gaudium, pacem,patientiam,benignitatem,bonitatem,modeſtiam,fidem,continentiam,adie- L
cta,quæ eſt mater omnium,charitate protulerit. Habeat adhuc iſta in ſe anima quæ non dederit ſomnum oculis
ſuis,palpebris ſuis dormitationem,nec requiem temporibus ſuis,donec inueniat locum domino,tabernaculum
deo Iacob, habeat (inquam) in ſe defixum & altare, in quo orationum hoſtias & miſericordiæ victimas offerat
deo,in quo continentiæ cultro ſuperbiam quaſi taurum immolet, iracundiam quaſi arietem iugulet. Luxuriam
omnémque libidinem tanquam hircos, & hœdos litet. Sciat tamen ex his etiam ſacerdotibus ſuperare dextrum
brachium,& pectuſculum, & maxillas, id eſt, opera bona, & opera dextra. Nam ſiniſtrum nihil reſeruet. Pectu-
ſculum quoque integrum,quod eſt cor rectum,& mens deo ſacrata,& maxillas ad verbum dei loquędum. Sciat
ſibi in ſanctis etiam candelabrum luminis collocandum,vt ſint ei lucernæ ſemper ardentes, & lumbi ſuccincti,
& ipſe tanquam ſeruus, qui expectat dominum ſuum redire de nuptiis. De his enim lucernis & dominus dice-
bat,Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Sed iſtud candelabrum lucernarum in auſtro collocet,vt ad aquilonem
reſpiciat. Accenſo etenim lumine,id eſt,vigilanti corde reſpicere ſemper debet ad aquilonem, & obſeruare eum M
qui ab aquilone eſt,ſicut & Propheta videre ſe dicit ſuccenſum lebetem,vel ollam,& faciem eius à facie aquilo-
nis. Ab aquilone enim accenduntur mala vniuerſæ terræ. Vigilans ergo, & ſollicitus & ardens intueatur ſemper
aſtutias diaboli,& ſemper aſpiciat vnde ſit ventura tentatio,vnde hoſtis irruat,vnde inimicus obrepat. Dicit e-
nim & Apoſtolus Petrus, Quia aduerſarius veſter diabolus, ſicut leo rugiens, circuit quærens quem tranſuoret.
Menſa quoque propoſitionis habens duodecim panes in parte collocetur aquilonis,reſpiciēs ad auſtrum. Panes
iſti,Apoſtolicus ei tam numero quàm virtute ſit ſermo, quo indeſinenter vtimur quotidie. Nāque hos ante do-
minum iubetur apponere. Rurſum reſpiciat ad auſtrum,vnde dominus venit. Dominus enim ex Themā veniet
ſicut ſcriptum eſt,quòd eſt de auſtro. Habeat in penetralibus pectoris ſui etiam altare incenſi,vt ipſe dicat,Quia
Chriſti bonus odor ſumus. Habeat & arcam teſtamenti, in qua ſint tabulæ legis, vt in lege dei meditetur die ac
nocte,& memoria eius arca & bibliotheca efficiatur librorum dei,quia & Propheta beatos dicit eos qui memo-
ria te-



A ria tenent mādata eius,vt faciant ea. Sit intra ipſum vrna mānæ repoſita, intellectus verbi dei ſubtilis & dulcis.
Sit & virga Aaron intra eum,doctrina ſacerdotalis, & florida ſeueritas diſciplinæ. Supra omnem verò gloriā ſit
ei pontificalis ornatus. Poteſt enim intra ſe agere pōtificatum pars illa quæ in eo eſt precioſiſsima omnium,quod
quidā principale cordis appellāt,alij rationabilē ſenſum,aut intellectualē ſubſtātiā,vel quocunque modo appel-
lari poteſt in nobis portio noſtri illa, per quā capaces eſſe poſsimus dei. Iſta ergo pars in nobis velut quidam pon
tifex exornetur indumētis,& monilibus pretioſis,ac podere byſsino. Induměti hoc genus eſt, quod vſque ad pe-
des deducitur,totum cōtegens corpus. In quo deſignatur,vt primò omnium totus ſit caſtitate veſtitus. Accipiat
poſtmodū & humerale gēmatū,in quo fulgor operū collocatur,vt vidētes homines opera veſtra bona, magnifi-
cēt patrē veſtrū qui in cœlis eſt. Accipiat & logiū,quod rationale dici poteſt,pectori ſuperpoſitū, quaterno lapidū
ordine diſtinctū. Sed & aurea lamina in frōte reſplēdeat,quod Petalū appellatur,in quibus vtriſq; veritas, & ma-
B nifeſtatio dicitur collocata. Ego in his quæ in pectore locari dicūtur,ſermonem Euangelicū ſentio, qui quadru-
plicato ordine veritatē fidei nobis & manifeſtationē trinitatis exponit,cūcta referens ad caput,ad vnius ſcilicet
dei naturā. In his eſt ergo omnis veritas,& omnis manifeſtatio veritatis. Igitur ſi rectè vis pōtificatū gerere deo,
Euāgelicus ſermo,& trinitatis fides ſemper tibi habeatur in pectore. Cui cōuenit etiā Apoſtolicus ſermo tā vir-
tute,quàm numero,tātùm vt nomē dei ſemper habeatur in capite,& ad vnū deū cuncta referātur. Habeat etiā in
interioribus pōtifex partibus operiměta ſua,habeat pudēda cōtecta,vt corpore & ſpiritu ſanctus ſit,& cogitatio-
nibus,& operibus purus ſit. Habeat etiā per induměti circuitū tintinnabula,vt ingrediēs(inquit)ſancta,det ſoni-
tum,& non intret cum ſilētio. Et hæc tintinnabula quæ ſemper perſonare debēt, in extremo veſtiměti ſunt poſi-
ta,idcirco credo,vt de extremis tēporibus,& fine mūdi nunquā ſileas,ſed inde ſemper ſones,inde diſputes,& lo-
quaris,ſecundū eum qui dixit,Memor eſto nouiſsimorū tuorū,& non peccabis. Ad hūc ergo modū homo noſter
interior deo pōtifex adornetur,vt introire poſsit,non ſolùm in ſancta,ſed in ſancta ſanctorū,vt poſsit adire pro-
C pitiatoriū,vbi ſunt Cherubim,& inde appareat ei deus,ſancta poſſunt eſſe ea, quæ in præſenti ſeculo habere ſan-
cta cōuerſatio poteſt. Sancta verò ſanctorū,in quę ſemel tantūmodo intratur,ad cœlum eſſe tranſitū puto,vbi eſt
propitiatoriū,& Cherubim,vbi & mūdis corde apparere poterit deus. Vel quia dominus dicit,Ecce regnum dei
intra vos eſt. Hæc interim quātum ad preſens in trāſcurſu occurrere ſenſibus noſtris potuit,quantūcumque mo-
derari auribus potuimus auditorū,de tabernaculo dicta ſint, Et vnuſquiſque noſtrum ſtudeat facere intra ſe ta-
bernaculū deo. Non enim fruſtra de patribus refertur,quia in tabernaculis habitauerunt. Ego ſic intelligo Abra-
ham habitaſſe in tabernaculis,& Iſaac,& Iacob. Cōſtruxerūt nāque iſti intra ſe tabernaculū deo,qui ſe tātis ac ta-
libus virtutū ſplēdoribus adornauerūt. Refulgebat nanque in eis inſigne regiū purpura, propter quod dicebatur
ad Abrahā à filiis Heth, A deo rex in nobis tu es. Splēdebat & coccus,propterea enim ad iugulandū duxit deo vni-
cū,& propterea dextrā illius angelus tenuit. Splendebat hyacinthus,cùm cœlū ſemper intuēs, cœli dominū ſe-
quebatur,ſed & in cæteris ſimiliter ornabatur. Ego ſic intelligo & diē feſtū tabernaculorū,qui mādatur in lege,vt
D exeat populus certa die anni,& in tabernaculis habitet,habēs ramos palmarū,& frōdes ſalicis,ac populi,& ramos
arboris frōdoſæ. Palma victoriæ ſignum eſt illius belli,quod inter ſe caro & ſpiritus gerit. Arbor autem populus,
& ſalix,tam virtute quàm nomine,virgulta ſunt caſtitatis. Quæ ſi integrè conſerues, habere potes & nemoroſæ
& frondentis arboris ramos, quæ eſt æterna & beata vita; cùm te dominus in loco viridi collocauerit ſuper a-
quam refectionis per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum.

2 Egreſſaq; omnis multitudo filiorum Iſraël de conſpectu Moyſi,obtulerūt mēte promptiſsima atq; deuota
primitias domino,ad faciendum opus tabernaculi teſtimonii. Quicquid ad cultum & ad ueſtes ſanctas ne-
ceſſariū erat,uiri cum mulieribus præbuerunt,armillas & inaures, annulos & dextralia. Omne uas au-
reum in donaria domini ſeparatum eſt. Si quis habebat aurum,hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum,
E byſſum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas & iāthinas, argenti æriſque metalla obtulerunt domino, li-
gnáque Sethim in uarios uſus. Sed & mulieres doctæ quæ neuerant dederunt,hyacinthum,purpuram & uermicu-
lum ac byſſum,& pilos caprarum,ſponte propria cuncta tribuentes. Principes uerò obtulerunt lapides onychinos
& gemmas ad ſuperhumerale & rationale, aromatáque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparan-
dum unguentum ac thymiama odoris ſuauiſsimi componendum. Omnes uiri & mulieres mente deuota obtulerunt
donaria,ut fierēt opera quæ iuſſerat dominus per manū Moyſi. Cūcti filii Iſraël uolūtaria domino dedicauerunt.

2 CAIETANVS. Narratis faciendis,narratur executio oblationis,manifeſtata priùs qualitate offerētium.
Inquit ergo, *Egreſſaq; omnis multitudo filiorum Iſrael de cōſpectu Moyſi,obtulerūt mente prōptiſsima atque deuota primitias domino,ad faciendū opus tabernaculi teſtimonij.* INTERLINEARIS. Quia nó vult deus coacta ſeruitia,& amore ſeruitur
ei,nō timore, & mēte non corpore, ideo filij Iſraël prōptiſsima atque deuota mēte primitias domino obtulerūt.
F AVCTOR CATENAE. Non autem de omnibus hoc dicitur,ſed Hebraica ſic habēt וַיָּבִיאוּ כָּל אִישׁ אֲשֶׁר נְשָׂאוֹ לִבּוֹ וְכֹל אֲשֶׁר נְדָבָה רוּחוֹ אֹתָן Vaiabou col is aſer neſao libbo, vecol aſer nadba rucho otho, Et venerūt ſeu ve-
nit omnis vir, ſeu vnuſquiſque, quē ſeu qui, incitauit ſeu eleuauit cor ſuum,& omnis quem promptū ſeu volūta-
rium fecit ſpiritus eius, vel cuius ſpōtaneus erat ſpiritus ſecū. Sicut etiā Septuaginta, καὶ ἤνεγκεν ἕκας ὃν ἔφερεν ἀυτῶν ἡ καρδία, καὶ ὅις ἐδόξε τῇ ψυχῇ ἀυτῶν, Et adduxit vnuſquiſque quæ tulit eorum cor,& quibus viſum eſt animę
eorum,ſeu & quæ viſa ſunt animę eorum. Et eſt ſenſus, Venerunt omnes homines qui erant præditi animo libe-
rali ac prono ad dandum. Vertūt alij, Et venit quiſque quem cor ſuum ferebat, Et quicunque ſpiritu fuit prom-
pto ac voluntario. Chaldaica, Et venerūt omnes viri qui ex corde ſuo ſe obtulerunt, & omnis qui habuit ſpiri-
tum perfectum. Quod autem in noſtra editione pro venerunt,obtulerunt dictum eſt, fuit, quia verbum בּוֹא bo,
& offerre & venire ſignificat. Nam verbum וַיָּבִיאוּ Hebiu, quòd ſtatim ſequitur, obtulerunt ſignificat. Inter-
pres autem ſuccinctiùs more ſuo exprimere voluit, quod multis verbis in Hebræo ſcriptum erat. Primitias

domino,siue oblationem,vel cõtributionem.Est enim dictio תְּרוּמַת Terumath,de qua plura in superioribus habentur. *Quicquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat,viri cum mulieribus præbuerunt,armillas & inaures,annulos & dextralia.* CAIETANVS. Ex intimo ergo corde eleuatus,& ex proprio spiritu spontaneus redditus, ad diuina describitur quilibet offerens.Viri cum mulieribus præbuerũt,& cætera. Desunt quatuor dictiones. Legendũ est, Et viri cum mulieribus omnis spontaneus corde obtulerunt,& cætera.Memento quòd masculinum cõcipit fœmininum de vtrisque enim dicitur,omnis spõtaneus corde. AVCTOR CATENAE. Principium huius clausulæ in Hebræo superioribus copulatur, & sic habetur וּלְכָל עֲבֹדָתוֹ וּלְבִגְדֵי חַקֹּדֶשׁ Vlcol habodatho vlbigde hakódes,Et ad omne opus,ministerium,seu cultum eius,& ad vestes sanctas.Vt dicat,ad faciendũ opus testimonij,& ad omnem cultum eius,& ad vestes sanctas.Legunt alij,Pro omni ministerio eius, atque pro vestibus sanctis.Ita habet & Chaldaica.Septuaginta autem & ipsi in eadem sunt sententia, habentes, καὶ εἰς πάντα τὰ κάτεργα αὐτῆς, καὶ εἰς πάσας τὰς στολὰς τοῦ ἁγίου,Et ad omnia accessoria eius,& ad omnes vestes sanctuarij.Sed hoc parum est.Sequitur,Viri cum mulieribus præbuerunt,armillas & inaures,annulos & dextralia. Hebraica sic habent hoc in loco, וַיָּבֹאוּ הָאֲנָשִׁים עַל הַנָּשִׁים כֹּל נְדִיב לֵב הֵבִיאוּ חָח וָנֶזֶם וְטַבַּעַת וְכוּמָז Vaiabóu haanasim hal hanasim,col nedib leb hebíu chach vanezem vetabbahath vechumaz.Et venerunt viri cum mulieribus , omnis spontaneus corde, obtulerunt armillam & inaurem & annulum & dextrale . Quæ omnia singularia sunt pro plurali. Reddunt alij, Venerunt itaque tam viri quàm mulieres,quicunque prompti erant corde,& obtulerunt inaurem,ornamentum narium,annulum & ornamentum brachiorum.Alij,Et venerunt tam viri quàm mulieres, quicunque prompto erant corde,& obtulerunt fibulas & inaures,annulos & murenulas. Et fibulas intelligunt armillas, hoc est, ornamenta brachiorum.Inaures ornamenta aurium.Murenulas autem,ornamenta seu typum pudibũdorum muliebrium.Quãquam haud facilè persuaderi possumus, illius pudibundi typi aut ornamẽti vsum solennem aut vsitatum fuisse in populo dei castissimè erudito.Alij, Et venerũt viri cum mulieribus, quicunque voluntario erãt corde,& obtulerunt fibulas,& inaures,annulos,& ornamenta.Chaldaica,Obtuleruntq; viri cum mulieribus omnes ex corde voluntario,obtulerunt armillas & inaures, annulos & dextralia. Eadem ferè apud Septuaginta exprimitur sententia,apud quos tamen loco armillarũ,inuenies σφραγίδας,id est,sigilla,& abundant,καὶ ἐμπλόκια, hoc est,& torques.Sed hæc omnia à Latina editione non variant,quæ Hebraismum euitauit, & nihil de sentẽtia omisit.Sunt itaque armillæ brachiorum ab armo dictæ, inaures aurium, annuli digitorum, dextralia manuum ornamẽta. *Omne vas aureũ in donaria domini separatũ est.* INTERLINEARIS. Ab vsibus scilicet terrenis. CAIETANVS. Hæc sola verba,Omne vas aureum,habentur in Hebræo,& non subiungitur.In donaria domini separatum est. AVCTOR CATENAE. Et verum quidem est quòd ita iuxta Hebraicũ legitur כֹּל כְּלִי זָהָב Col cheli zahab,Omne vas aureum,Et iũgitur superiori sententiæ,obtulerũt armillas & inaures, annulos & dextralia,omne vas aureum,siue vt alij vertũt,Quę iocalia,siue instrumenta omnia erãt aurea,vt intelligeres omnia quæ prædixerat, à viris & mulieribus oblata fuisse aurea.Verùm Septuaginta & Chaldaica, hîc subaudiũt copulam,&,leguntq;,Et omne vas aureum,vt sit sensus,Non solùm obtulerũt quę suprà recensita sunt,sed & vltra illa quęcunque habuerũt vasa aurea.Quos sequutus Interpres,vertit,Omne vas aureũ in donaria domini separatum est,nam quicquid offerebatur,à cõmuni vsu separabatur,& domini cultui applicabatur. *Si quis habebat aurũ,hyacinthum & purpurã,coccumq; bis tinctum,byssum & pilos caprarũ,pelles arietum rubricatas & ianthinas,argenti æriscq; metalla, obtulerũt domino,lignaq; Sethim in varios vsus.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta alia exẽplaria habetur,Omnis offerẽs demptionem,argẽtum & æs attulerũt,demptionem domino,tanquã diceret,Omnis qui attulit,attulit illud atq; illud,inter cætera quæ dicebat, & argentũ & æs cõmemorãs. Demptionẽ sanè interpretati sunt Latini,quòd Græcus habet ἀφαίρεμα. Appellata est autem dẽptio, eo quòd sibi demeret, qui domino offerret. CAIETANVS. Si quis habebat aurũ.Iuxta Hebræum habetur,Et omnis vir qui eleuauit eleuationem auri.Insinuat,quòd illa enumerata priùs, oblata fuerũt à mulieribus,adiũgit nunc aurũ oblatum,à viris. AVCTOR CATENAE. Si quis habebat aurũ.Hebraica litera habet וְכָל אִישׁ אֲשֶׁר הֵנִיף תְּנוּפַת זָהָב לַיהוָה Vecol is aser heniph tenuphath zahab laihoua,Et omnis vir qui eleuauit eleuationẽ auri domino,siue & omnis qui subleuãdam attulit auri oblationẽ domino.Et hũc habet sensum,Qui volũtario erãt corde, attulerunt iocalia aurea,& eleuabãt ea corã domino,atque ventilabãt in sublimi,qui ritus quidã erat offerẽdi, sicut & alius ritus erat leuandi sursum & deorsum aliquot vicibus . Primus Hebraicè vocatur תְּנוּפָה tenupha, secundus תְּרוּמָה Et hęc in textu clarè reddi nõ possunt,nisi multa vtamur paraphrasi.Chaldaica & omnis vir qui separauit primitias auri coram domino.Septuaginta,καὶ πάντες ὅσοι ἤνεγκαν ἀφαίρεμα χρυσίου κυρίῳ, Et omnes qui obtulerũt segregationẽ auri domino.Deinde sequitur apud Hebręũ וְכָל אִישׁ אֲשֶׁר נִמְצָא אִתּוֹ תְּכֵלֶת Vecol is aser nimza itto techéleth,Et omnis vir apud quem inueniebatur hyacinthus,siue cum quo inuẽtus est hyacinthus,& cætera quæ sequũtur,de quibus pluries in superioribus dictũ est.Chaldaica,Omnisq; apud quem inuẽtus est hyacinthus. Septuaginta,καὶ πᾶς ᾧ εὑρέθη παρ᾽ αὐτῷ ὑάκινθος, Et omnis cui inuentũ est apud eum hyacinthus & Græcismus est.Sed Interpres Latinus succinctius locutus est.Vbi autẽ apud nos est,pelles arietũ rubricatas, & ianthinas, in Hebræo additur הֵבִיאוּ hebiu,id est,obtulerũt.Deinde vbi nos legimus, Argẽti æriscq; metalla obtulerũt domino,ita est in Hebraico כָּל מֵרִים תְּרוּמַת כֶּסֶף וּנְחֹשֶׁת הֵבִיאוּ אֶת תְּרוּמַת יְהוָה Col merim terúmath chésseph vnchóseth hebiu eth terumath Iehoua,Omnis eleuãs eleuationẽ seu oblationẽ argẽti & æris, obtulerũt leuationẽ seu oblationẽ domino.Chaldaica,Omnis qui separauit primitias argenti & æris,obtulerunt primitias corã domino.Septuaginta,καὶ πᾶς ὁ ἀφαιρῶν τὸ ἀφαίρεμα ἀργύριον καὶ χαλκὸν ἤνεγκαν τὰ ἀφαιρέματα τῷ κυρίῳ,Et omnis separans separationẽ,argentum & æs obtulerũt separationes domino.Sed more suo Interpres sensum non verba trãstulit. Demũ quod apud nos est, lignaq; Sethim in varios vsus, sic est in Hebræo: וְכָל אֲשֶׁר נִמְצָא אִתּוֹ עֲצֵי שִׁטִּים לְכָל מְלֶאכֶת הָעֲבֹדָה הֵבִיאוּ Vecol aser nimza itto haze sittim lecol melècheth hahaboda hebiu,Et omnis apud quẽ,seu cũ quo inuẽta sunt ligna sittim,ad omne opus ministerij obtulerunt. Ita & Chaldaica,hoc est,quicũque habebãt ligna Sethim, obtulerunt ea pro vniuerso opere ministerij,& (vt vertit Interpres) in varios vsus ad constructionem ipsius tabernaculi.Septuaginta verò,καὶ παρ᾽ οἷς ἐφρέθη ξύλα ἄσηπτα εἰς πάντα τὰ ἔργα τῆς κατασκευῆς, ἤνεγκαν,Et apud quos inuenta sunt

*Quæst.168.*



A sunt ligna imputribilia in omnia opera fabricationis,obtulerunt.Sed cuncta hæc idem sunt in sententia cum litera nostra . In quibus omnibus obedientia deuota ac prompta populi describitur ad donaria offerenda ad impensas tabernaculi,& artificum opera diligentes: gaudebant enim sua effundere in ornatum & cultum tabernaculi domini dei sui. Non parcebant ornatui mulierum , quem reseruauerant primùm . Non enim verisimile est omnes diuitias suas exhibuisse ad vitulum,sicut nec nunc omnia proferunt,sed sufficientia & ad opus abundantia,donata sponte,quibus spoliauerant Aegyptum,eis rebus nunc quoque tabernaculum ornant , sic domino iubente. *Sed & mulieres doctæ quæ neuerant dederunt hyacinthum,purpuram & vermiculum,ac byssum,& pilos caprarum,sponte propria cuncta tribuentes.* AVGVSTINVS IN LOCVTIONIBVS. Iuxta aliam literam , Et omnis mulier sa- *Locut.142.*
piens mente manibus nere , quasi nere posset non manibus , & sapiens nere . Elegans atque inusitata locutio est. Deinde omnis mulier attulerunt,More superiorum plurali concluditur singularis,quia omnis mulier attulit v-
B sitatiùs diceretur.Et omnes mulieres quibus visum est sensu suo,in sapientia nerunt pilos caprinos.Notandum, sapientiam in his artibus sæpe appellare scripturam, id est, sophiam. CAIETANVS. Sed & mulieres doctæ dederunt quæ neuerant. Iuxta Hebræum habetur, Et omnis mulier sapiens corde manibus suis neuerunt, & attulerũt netam hyacinthum,& purpuram,& vermiculum,& byssum.Et post enumerata neta quatuor generum, subiungitur,Et omnes mulieres quarum eleuauit cor earum ipsas in scientia,neuerunt lanam caprinam.Et hinc apparet quòd suprà diximus, non ignobiles fuisse cortinas è capris, sed ex vocato vulgariter symballoto. AVCTOR CATENAE. Sed & mulieres doctæ, & cætera. Hebraica litera sic habet וְכָל אִשָּׁה חַכְמַת לֵב בְּיָדֶיהָ טָווּ וַיָּבִיאוּ מַטְוֶה Vecol issa chacmath leb biiadéha tauu, vaiabíu matue, Et omnis mulier sapiens corde , manibus suis neuerunt, & attulerunt netum siue filatum. Alij legunt, Omnes quoque mulieres, quæ sapienti erant corde, manibus suis nebant, & attulerunt quod nendo operatæ fuerant. Sapientes vel sapienti corde vocant peritas, id est,quæ optimè nere nouerãt.Chaldaica,Omnísque mulier sapiens corde,manibus suis nebat, & adducebat hya-
C cinthum & purpuram & coccinum & byssum quæ neuerant.Septuaginta,καὶ πᾶσα γυνὴ σοφὴ τῇ διανοίᾳ ταῖς χερσὶν ἠθεμ ἤνεγκαμ νενησμένα,Et omnis mulier sapiens corde,siue docta ingenio manibus ad filandum, obtulerunt filata.Sed & hoc idem cum litera nostra.Hyacinthum,purpuram,ac vermiculum.Qui est idem cum cocco bis tincto, & à Chaldaica & Septuaginta coccinum appellatur . Quod autem apud nos est, Et pilos caprarum , spontę propria cuncta tribuẽtes, apud Hebraicam literam huiusmodi est וְכָל הַנָּשִׁים אֲשֶׁר נָשָׂא לִבָּן אֹתָנָה בְּחָכְמָה טָווּ אֶת הָעִזִּים Vecol hanasim aser nasa libban othána bechachma , tauu eth habizim , Et omnes mulieres, quibus eleuatum est cor in sapientia,seu quarum cor eleuauit eas in sapientia,filauerũt capras, siue caprarum pilos. Hebraismus est, Quarum cor eleuauerunt eas in sapientia , pro mulieres peritæ artis nendi . Legunt alij , Sed & omnes mulieres quas excitauit vel incitabat cor ipsarum sapienter vel industriè neuerunt pilos caprinos.Chaldaica, Et
D omnes mulieres quæ volebant,cum sapientia cordis earum nebant filos caprarum. Septuaginta, καὶ πᾶσαι αἱγυναῖκες, ἅις ἐδόξε τῇ διανοίᾳ αὐτῶμ ἐμ σοφίᾳ, ἔνησαμ τὰς τρίχας τὰς αἰγείας,Et omnes mulieres quibus visum est in mente earum,in sapientia neuerunt pilos caprinos.Quæ etsi aliquantulum à nostra litera variare videantur,considerato tamen diligenter quod Interpres plura membra in vnum coaptauit ac redegit,in sententia nequaquam discrepant. *Principes verò obtulerunt lapides onychinos,& gemmas ad superhumerale & rationale. Aromatáque & oleum ad luminaria concinnãda,& ad præparãdum vnguẽtum,ac thymiama odoris suauissimi cõponendum.* AVGVSTINVS IN LOCVTIO- *Locut.144.*
NIBVS. Iuxta Septuaginta,Et compositiones, & oleum vnctionis, & compositionem incensi. Non compositiones aliquas extra debemus intelligere,sed cùm dictum esset, & compositiones, per coniunctionem copulationem,non aliud adiunxit,sed quod dixerat exposuit,vt sciremus quas cõpositiones.Et oleum vnctionis, & compositionem incensi . Compositionem autem vocat , quia ex multis confecta sunt. AVCTOR CATENAE. Et quod apud nos legitur,Et gemmas ad superhumerale & rationale,& subauditur ornandum, Hebraicè adiunctum est הַמִּלֻּאִים Hamilluim, id est, plenitudinum seu adimpletionum, vel vt habet Chaldaica, Ad implendas cælaturas quæ erant in superhumerali & rationali. Et vt iam dictum est , significat gemmas pretiosas quæ palis
E aureis includi solent,quibus ornaretur vtrũque.Pro eo autem quod nostra editio vertit dictionem שֹׁהַם Sóham onychinos,prout etiam habet & Chaldaica,Septuaginta λίθους τῆς σμαραγδίτιδος,posuerunt,hoc est, lapides smaragdi. Deinde quod sequitur , Aromatáque & oleum, & cætera, ita legitur in Hebræo וְאֶת הַבֹּשֶׂם וְאֶת הַשָּׁמֶן לְמָאוֹר וְלִשֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה וְלִקְטֹרֶת הַסַּמִּים Veeth habósem veeth hasamen lemaor , vlsemen hamischa velicktoreth hasammim.Et aroma vel aromata, & oleum pro luminari , & pro oleo vnctionis , & pro incenso siue thymiamate aut suffito aromatico vel aromatum.Vertunt alij,Odoramenta quoque,& oleum pro luminari, & pro oleo vnctionis,& aromata ad suffitum.Chaldaica,Et aromata & oleum ad luminaria,& ad oleum vnctionis,& ad thymiama aromatum . Quæ omnia idem sunt penitùs cum Latina litera. *Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria,vt fierent opera quæ iusserat dominus per manum Moysi.Cuncti fi'ij Israel voluntaria domino dedicauerũt.* RABANVS. Non vtique contra Apostolum ex tristitia aut ex necessitate,sed alacri corde ac pia deuotione,quia hilarem datorem *2.2.q.89.*
diligit deus. THOMAS. Sacrificia propriè dicuntur,quãdo circa res deo oblatas aliquid fit,sicut quòd ani- *ar.3.ad.3.*
F malia occidebantur & comburebãtur,quòd panis frangitur,& comeditur,& benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat.Nam sacrificium dicitur ex hoc,quòd homo facit aliquid sacrum.Oblatio autem directè dicitur,cùm deo aliquid offertur,etiã si nihil circa ipsum fiat, sicut dicũtur offerri denarij vel panes in altari, circa quos nihil fit. Vnde omne sacrificium est oblatio,sed non cõuertitur.Primitiæ autem oblationes sunt,quia deo offerebãtur,vt legitur Deuteronomij vigesimo nono.Non autem sunt sacrificia,quia nihil sacrum circa eas fiebat.Decimæ autem propriè loquẽdo non sunt sacrificia,neque oblationes,quia non immediatè deo, sed ministris diuini cultus exhibẽtur. CAIETANVS. Omnes viri & mulieres.Non sic absolutè scribitur in Hebręo,sed cum limitatione,quos spontaneos reddidit cor eorum,ipsos ad afferendum donaria, vt fierent opera quæ iusserat dominus per manum Moysi.Et quod sequitur,Cuncti filij Israël,in Hebręo habetur,Attulerunt filij Israël voluntaria domino. AVCTOR CATENAE. Omnes viri, & cætera. Iuxta Hebraicum ita habetur כָּל אִישׁ וְאִשָּׁה אֲשֶׁר נָדַב לִבָּם אֹתָם לְהָבִיא לְכָל הַמְּלָאכָה Col is veissa aser nadab libbam otham lehabi lecol hamelacha,

Omnis vir & mulier quorum ſpontaneum cor ſecum, ſiue quos ſpontaneos fecerat cor ipſorum ad offerendum G
ad omne opus. Legunt alij, Omnis vir & mulier quorum cor erat liberale vt offerrent aliquid pro cuncto opere.
Alij, Omnis vir aut mulier, qui ſpontaneum vel voluntarium habuerunt cor offerendi pro cuncto opere. Chaldaica, Omnis vir & mulier qui voluerunt ex corde ſuo, vt offerrent ad omne opus quod præceperat, & cætera.
Quæ omnia nec à Latina ſententia diſcrepant, ſi dictionem omnes, pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis
generum appoſitam eſſe intellexeris, videlicet vt ſit ſenſus, quòd quicunque ex omnibus viris & mulieribus ob-
tulerunt, id ſpontaneo corde, & prompta mente fecerunt. Septuaginta paululum variant, καὶ πᾶς ἀνὴρ καὶ γυνὴ ὧν ἤνεγκεν ἡ διάνοια αὐτῶν, εἰσελθόντες ποιῆσαι πάντα τὰ ἔργα, Et omnis vir & mulier quorum tulit mens eorum ingredientes facere omnia opera, & cætera. Subauditur, ſponte obtulerunt. Deinde quod dicitur, Cuncti filij Iſraël
voluntaria domino dedicauerunt, ita in Hebræo habetur הֵבִיאוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל נְדָבָה לַיהוָה Hebiu bene Iſraël neda-
ba laihoua, Obtulerunt ſeu afferebant filij Iſraël donum voluntarium, ſeu oblationem ſpontaneam domino, id H
eſt, quod ſponte & libero ac prompto animo dederunt. Et eſt Hebiu verbum ſuperioris clauſulæ, videlicet omnis vir & mulier, quæ cuncta in vnum collegit Interpres, vt ſuccinctiùs more ſuo verteret. Chaldaica, Obtulerunt filij Iſraël voluntariè coram domino. Septuaginta, ἤνεγκαμ ἀφαίρεμα οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ κυρίῳ, Obtulerunt ſegregationẽ filij Iſraël domino. Ergo omnis vir & mulier (de quibus ſcilicet dixerat ſuprà) intelligũtur filij Iſraël. Mulierum igitur quoque operas dominus non aſpernatur ad conſummationem decoris. Minima quoque opuſcula & donaria dominus ſuſcipit ad exornãdum tabernaculum ſuum, vbi qui non poſſunt aurum, argentum & gemmas, ſaltem pilos caprarum & ligna afferunt, vt tabernaculi ornamenta pulchra varietate reſplendeant.

*Myſticè. Homil. 13.* ORIGENES. Iam quidem & priùs de tabernaculo pro viribus dixeramus, verùm quoniam ſæpe in Exodi libro repetitur ipſa deſcriptio, dicitur enim & cùm dominus præcepit Moyſi qualiter fieri debebat, & iterum cùm Moyſes præcepit populo vt offerat conſtruendo operi materias, & cùm offertur, ſicut hæc lectio continet, quæ nobis modò recitata eſt, ſed & poſtmodum enumerantur ſingula, cùm per Beſeleel & cæteros ſapiẽtes viros I
fabricantur, & iterum cùm ad conſpectum Moyſi deferuntur, & rurſum cùm præcepto domini dedicantur. Fit præterea & in aliis, vel libris vel locis horum commemoratio, & frequenter repetitur, vtpote quòd neceſſariò commonetur. Nunc ergo recitatus eſt nobis ille ſermo, vbi filij Iſraël prompta mente donaria in opus tabernaculi contulerunt. Cùm conſidero meipſum primum, & diſcutio, piget ad hæc aperiẽda manum mittere. Vereor enim ne fortè etiam ſi dominus reuelare dignetur alicui, ſicut fortè dignatur (de me enim non ſum auſus dicere) vereor inquam, & valde dubito ſi inueniam auditores, & cùm ita ſit, ne fortè ab eo qui explanare conabitur, requirantur dominicæ margaritæ, vbi, vel quomodo, vel ante quos mittantur. Verùm quoniam magnoperè expectatis vt aliqua ex his quæ lecta ſunt diſſerantur, & præcepit mihi dominus meus, dicens, Oportebat te dare pecuniam meam ad menſam, & ego veniẽs, cum vſuris vtique exegiſſem eam, ipſum rogabo, vt verbum meum ſuam pecuniam facere dignetur, vti non meam pecuniam, non meum aurum vobis, ſed ipſius fœnerem, ipſius vobis verbo, & ipſius ſenſu loquar, & ad auditus veſtri hæc deferam menſam. Vos iam videritis ſuſcipientes do- K
minicam pecuniam, quomodo vſuras eius venienti domino præparetis. Vſuræ autem ſunt verbi dei, habere in vſu vitæ & actuum ea quæ præcepit ſermo dei. Si ergo audientes verbum, vtimini eo, & agitis ſecundum ea quæ auditis, & ſecundum hæc viuitis, vſuras domino præparatis, & poteſt fieri vt vnuſquiſque veſtrum de quinque talentis faciat decem, & audiat à domino, Euge ſerue bone & fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates. Tantùm illud videte, ne quis veſtrum acceptam pecuniam, aut in ſudario colliget, aut diffodiat in terram, quia huiuſmodi hominis in aduentu domini quis ſit exitus, bene noſtis. Tentabimus igitur pauca de multis, imò pauciora de paucis, quippe quibus & noſter ſermo librandus ſit, & veſter auditus. Primò igitur omnium videamus quid eſt quod ſuprà dixit Moyſes ad filios Iſraël, Sumite à vobiſipſis redemptionem domino, & nunc quòd omnis multitudo filiorum Iſraël, obtulit mente promptiſsima atque deuota primitias domino. Non vult dominus vt aliquid offeras ſibi quod extra te eſt, à nobiſipſis ſumenda, & initia offerenda ſunt domino, prout vnuſquiſque concepit corde. Aurum iubetur & argentum deferri, æs & cæteræ materiæ, & deferuntur, quomo- L
hoc poſſum ego de meipſo offerre? Nunquid intra me aurum naſcitur aut argentum, & cætera quæ iubentur? Nónne hoc vnuſquiſque de promptuariis, & de ſcriniis ſuis profert? Quid eſt ergo quod dixit Moyſes, Offerte à vobis ipſis, & vnuſquiſque ſicut concepit corde? Et iterum, Omne vas aureum in donaria domini ſeparatum eſt. Si quis habebat aurum, hyacinthum & cætera, obtulerunt domino. Illud quidem aurum & argentum, cæteræq; materiæ vnde tabernaculum conſtructum eſt, conſtat de ſcriniis & promptuariis vniuſcuiuſque prolatum. Spiritalis autem lex aurum requirit ad tabernaculum, quod intra nos eſt, & argentum quod intra nos eſt, & omnes reliquas materias illas depoſcit, quas & intra nos habere poſſumus, & proferre de nobis. Dicit enim ſcriptura, quia propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, quia ſi confeſſus fueris in ore tuo dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Si ergo credideris in corde tuo, cor tuum & ſenſus tuus aurum eſt. Obtuliſti igitur aurum ad tabernaculum, id eſt, fidem cordis tui. Si verò confeſſus fueris, ſermonem obtuliſti, ſermonem confeſsionis argentum. Idcirco ergo dixit Moyſes, qui eſt lex ſpiri- M
talis, ſumite à vobis ipſis. Hæc à teipſo ſumis, hæc intra te ſunt, hæc etiam ſi nudus ſis, habere potes. Sed & quod addidit, vnuſquiſque ſicut concepit corde, huc reſpicit. Non enim poteris aliquid de ſenſu tuo offerre deo, vel de verbo tuo, niſi priùs quæ ſcripta ſunt corde conceperis, niſi intentus fueris, & diligenter audieris, non poteſt aurum tuum probatum eſſe, nec argentum: requiritur enim vt probatum ſit. Audi ſcripturam dicentem, Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne probatum, purgatum ſeptuplum. Si ergo quæ ſcripta ſunt corde cõceperis, erit aurum tuum, id eſt, ſenſus tuus probus, & argentum tuum, qui eſt ſermo tuus, probatum. Quid etiam de ære dicemus? Opus eſt & ære ad tabernaculi cõſtructionem. Videtur quidem æs pro fortitudine ſuſcipi, & loco poni poſſe fortitudinis & cõſtantiæ, ſed ne quis dicat, hoc diuinare magis eſt, quã explanare, vbi quod dicitur, non de ſcripturarum auctoritate munitur, puto ergo æs accipi poſſe pro voce. Aliud eſt enim ſermo, aliud vox. Sermo dicitur loquela rationi ſubnixa. Vox verò eſt (verbi cauſa) ſi Latinè, ſi Græcè dicatur, ſi elenatiùs, ſi preſsiùs.

Sed hæc



A Sed hæc neceſſariò vt de ſcripturis probemus exigitis. Audi quid dicit Apoſtolus, Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æramentum ſonans, vt cymbalum tinniens. Ita ergo loqui linguis, & interpretari ex alia in aliam linguam, eris oblatio eſt. Neceſſe eſt enim omnia habere tabernaculum dei, & nihil deeſſe in domo domini. Eſt igitur (vt diximus) æris oblatio vox. Vox autem eſt quæ alterius ſenſum in alteram linguam vertit. Sermo verò eſt, qui ſenſum proprium profert. Omnia ergo offerantur deo, & ſenſus, & ſermo, & vox. Quid de cęteris dicemus? Multa ſunt enim, & ſingula diſcutere opus eſt ingens. Verùm quid proderit vt noſtro quidem ingenti labore dicantur, ab occupatis verò auditoribus, & vix vnius horæ puncto verbo dei aſsiſtentibus, ſpernantur & pereant? Niſi enim dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Veruntamen nos (vt ſuprà dictum eſt) tradimus ad menſam pecuniam domini, videat enim vnuſquiſque auditorum, quomodo ſuſcipiat quæ traduntur. Vnuſquiſque autem (inquit) noſtrum, ſicut
B corde concepit, offerat initia domino. Quod dixit initia, quæro quæ ſint initia auri, vel quæ primitiæ argenti? Quomodo autem de cocco & purpura & byſſo videntur conferri primitiæ? Aut quomodo ſicut corde concepit, & mente prompta & deuota quis offert? Hoc iam ſingulos noſtrum pulſat, videamus ſimul & quomodo corde concepimus. Quanti modò hîc præſentes ſumus, & ſermo dei tractatur? ſunt qui concipiunt corde quæ lecta ſunt: ſunt qui omnino non concipiunt quæ dicuntur, ſed eſt mens eorum & cor, aut in negociis, aut in actibus ſeculi, aut ſupputationibus lucri, & præcipuè mulieres, quomodo putas corde concipiunt, quæ tantum garriunt, quæ tantum fabulis obſtrepunt, vt non ſinant eſſe ſilentium? Iam quid de mente earum, quid de corde diſcutiam, ſi de infantibus ſuis, aut de lana cogitent, aut de neceſſariis domus? Vereor magis ne ſequantur illas, de quibus dicit Apoſtolus, Quæ diſcunt circumire domos, non ſolùm verboſæ, ſed & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Quomodo ergo iſtæ tales corde concipiunt? Non concipit corde quis, niſi vacet corde, niſi ſit mente liber & totus intentus, niſi corde vigilet, non poteſt corde concipere, & offerre dona deo. Quod ſi hactenus ne-
C gleximus, ex hoc ſaltem attentiores ſimus, & ſollicitè intendamus, vt poſsimus mente concipere, ac vltroneè offerre. Iuſtum eſt enim, vt in tabernaculo domini inueniatur vnuſquiſque habere quod ei offerat. Quam glorioſum tibi eſt, ſi dicatur in tabernaculo domini, Aurum iſtud (verbi cauſa) quo arca teſtamenti obtegitur, illius eſt, argentum ex quo baſes & columnæ ſunt, illius eſt, æs de quo annuli & candelabrum, & nonnullæ columnarum baſes factæ ſunt, illius eſt, ſed & lapides iſti humeralis & logij, illius ſunt, purpura qua ornatur pontifex, illius eſt, & coccus illius eſt, & cætera quæque per ſingula? Et rurſum quàm indecorum, quàm miſerum erit, ſi dominus veniens requirere ædificium tabernaculi, nihil muneris tui inueniat in eo, nihil à te cognoſcat oblatum? Sic indeuotus, ſic infidelis vixiſti, vt nihil memoriæ tuæ in tabernaculo dei eſſe geſtieris? Sicut enim princeps huius mundi venit ad vnumquemque noſtrum, & quærit ſi quid de ſuis actibus inueniat in nobis, & ſiquidem inuenerit, ſibi nos vendicat, ita & è contrario, ſi veniens dominus inueniat aliquid tuum in tabernaculo ſuo, ſibi te defendit, & ſuum te dicit. Domine Ieſu præſta mihi, vt aliquid munimenti habere merear in tabernaculo
D tuo. Ego optarem (ſi fieri poſſet) eſſe aliquid meum in illo auro, ex quo propitiatorium fabricatur, vel ex quo arca contegitur, vel ex quo candelabrum fit luminis & lucernæ. Aut ſi aurum non habeo, aut argentum, ſaltem aliquid inueniar offerre quod proficiat in columnas vel in baſes earum. Aut certè vel æris aliquid habere merear in tabernaculo, vnde circuli fiant, & cætera quæ ſermo diuinus deſcribit. Vtinam mihi eſſet poſsibile vnum eſſe ex principibus, & offerre gemmas ad ornamentum pontificis, humeralis, & logij. Sed quia hęc ſupra me ſunt, certè vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo dei, tantùm ne in omnibus ieiunus & infœcundus inueniar. Vnuſquiſque ergo ſicut concepit corde, mente prompta & deuota offerat. Videte ſi concipitis, videte ſi tenetis, ne fortè effluant quæ dicuntur & pereant. Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis. Noſtis qui diuinis myſteriis intereſſe conſueſtis, quomodo cùm ſuſcipitis corpus domini, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & re-
E ctè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quod ſi circa corpus eius conſeruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini, quomodo putatis minoris eſſe piaculi verbum dei neglexiſſe, quàm corpus eius? Initia ergo iubentur offerre & offerunt, hoc eſt, primitias, qui offert quod primum eſt, neceſſariò habeat ipſe quod reliquum eſt. Vide quantum nos oportet abundare auro, quantum argento, ac reliquis omnibus quæ iubentur offerri, vt & domino offeramus, & nobis ſuperſit. Primo enim omnium debet ſenſus meus intelligere deum, & ipſi offerre primitias intellectus ſui, vt cùm deum bene intellexerit, reliqua conſequenter agnoſcat. Hoc etiam ſermo faciat, hoc & omnia quæ in nobis ſunt, agant. Sed videamus & cætera. Hyacinthum, & purpuram, & coccum duplicatum, & byſſum tortam. Quatuor iſta ſunt, ex quibus conficiuntur, vel pontificis indumenta, vel cætera quæ ad ſacrum parantur ornatum. De his dixerunt quidam ante nos, & ſicut non decet aliena furari, ita conueniens puto, benedictis alterius non abuti fatentem. Iſta ergo (vt & prioribus viſum eſt) quatuor elementorum ex quibus & mundus conſtat & corpus humanum, tenent figuram, id eſt, aëris, ignis, aquæ, & terræ. Hya-
F cinthus ergo ad aërem refertur, hoc enim ipſe indicat color, ſicut & coccus ad ignem. Purpura aquæ tenet figuram, quaſi quæ de aquis accipiat fucum. Byſſus terræ, quia oritur ex terra. Habemus ergo & nos hæc omnia in nobis, & quia ex his primitias domino iubemur offerre, ideo dixit, Sumite ex vobiſipſis, & offerte primitias domino. Verùm illud conſiderandum puto, quòd cùm de cæteris ſimpliciter dixit Moyſes, tantùm de cocco addidit duplicatum, & byſſum tortam. Requiritur ergo, cur alias quidem materias, ex quibus & cætera indicantur elementa, ſimpliciter dixerit, coccum quo ignis deſignatur, ſolum poſuerit duplicatum? Difficilia hæc ad intelligendum, & ad proferendum multùm difficiliora. Veruntamen prout dominus dederit, tentabimus explanare. Oportet enim & dici aliqua, & aliquãta ſeruari. Videamus ergo qua ratione coccum dixerit duplicatum. Color iſte (vt diximus) ignis indicat elemẽtum. Ignis autem duplicem habet virtutem, vnam qua illuminat, aliam qua incẽdit. Hæc eſt hiſtorię ratio. Veniamus & ad intellectũ alium. Et iam ignis ipſe duplex eſt. Eſt ignis quidam in hoc ſeculo, eſt & in futuro. Dominus Ieſus dixit, Ignem veni mittere in terram. Ignis iſte illuminat. Item rurſus dominus dicet in futuro operariis iniquitatis, Ite in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo, &

angelis eius. Ille ignis incendit. Veruntamen iſte ignis, quem venit mittere Ieſus, illuminat quidem hominem G
omnem venientem in hunc mundum, habet tamen aliquid & quod incendat, ſicut confitentur illi qui dicunt, Nónne cor noſtrum ardens erat intra nos, cùm adaperiret nobis ſcripturas? Simul ergo & incendebat & illuminabat, adaperiens ſcripturas. Neſcio autem ſi & ille ignis in futuro ſeculo qui incendit, habeat aliquid & quod illuminet. Eſt ergo (vt oſtendimus) natura ignis duplex, & ideo offertur coccus duplicatus. Quomodo ergo nos offerre poſſumus ignem iſtum duplicatum ad ædificium tabernaculi, videamus. Si doctor es, extruis tabernaculum, ædificans Eccleſiam dei, dicit ergo & ad te deus, quod & ad Hieremiam dixit, Ecce dedi verba mea in os tuum, id eſt, ignem. Si ergo docens & ædificans Eccleſiam dei, increpes tantummodo, & arguas & caſtiges, & peccata populi exprobres, nihil autem conſolationis proferas de ſcripturis diuinis, obſcurum nihil explanes, nihil ſcientiæ profundioris attingas, nec aliquid intelligentiæ ſacratioris aperias, obtuliſti quidem coccum, ſed non duplicatum. Ignis enim tuus incendit tantummodo, & non illuminat. Et rurſum, ſi docens myſteria legis aperias, ſecretorum arcana diſcutias, peccantem verò non arguas, negligentem non corripias, ſeueritatem diſciplinæ non teneas, obtuliſti quidem coccum, ſed non duplicatum. Ignis enim tuus tantùm illuminat, non accendit. Qui ergo rectè offert, & rectè diuidit, coccum offert duplicatum, vt cùm ſcientiæ lumine igniculum ſeueritatis admiſceat. Quid autem ſibi velit & byſſus torta videamus. Et huic enim dedit aliquid additamenti præ cæteris elementis. Byſſum diximus terræ habere formam, quod eſt caro noſtra. Carnem ergo non vult offerri deo fluitantem luxu, & delitiis reſolutam, ſed torqueri iubet eam & conſtringi. Quis ergo eſt qui torqueat carnem ſuam? Ille nimirum qui dicit, Macero corpus meum, & in ſeruitutem ſubiicio, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Sic ergo eſt offerre & byſſum tortam, carnem abſtinentia, vigiliis, & meditationum labore conficere. Offeruntur & pili caprarum. Hoc genus pecudis in lege pro peccato iubetur offerri. Pilus verò ſpecies eſt emortua, exanguis & inanimis. Hanc qui offert, oſtendit in ſe ſenſum peccati iam mortuum, nec in membris ſuis vltra viuere aut regnare peccatum. Pelles quoque offeruntur arietum. Arietem etiam ante nos I
quidam pro furore poſuerunt. Et quia pellis mortui animalis indicium eſt, oſtendit furorem in ſe mortuum, qui deo offert arietum pelles. Additur autem ad hæc, viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & cætera, ſiue iuxta alia exemplaria, Et viri acceperunt à mulieribus ſuis omnes quibus viſus eſt ſenſus, & attulerunt gemmas, & inaures, & anulos, & diſcriminalia, & dextralia. Vides & hîc quomodo illi afferunt dona deo, qui corde vident, qui intellectum corde concipiunt, qui mentem intentam & deditam habent ad verbum dei? Iſti ergo afferunt munera, & afferunt etiam à mulieribus ſuis, inaures (inquit) & gemmas, & dextralia. Mulieres ſecundum allegoricam rationem ſæpe iam diximus quòd caro accipitur, & vir rationabilis ſenſus. Bonæ ſunt ergo iſtæ mulieres quæ obediunt viris ſuis. Bona caro quę iam ſpiritui non repugnat, ſed obtemperat & conſentit, & ideo ſi duobus vel tribus in vobis conuenerit, ex quacũque re petieritis, fiet vobis dicit dominus. Offerũt ergo à mulieribus ſuis inaures. Vides quomodo domino offertur auditus? Sed & dextralia domino offeruntur, Opera dextra, & opera bona quæ per carnem geruntur. Hæc domino offerat rationabilis ſenſus, ſed & diſcriminalia offeruntur. Offert K
diſcriminalia, qui bene ſcit diſcernere quid agendum ſit, quid vitandum, quid deo placeat, quídue diſpliceat, quid iuſtum ſit, quid iniuſtum. Iſta ſunt diſcriminalia quæ domino offeruntur. Hæ ergo mulieres inaures domino offerunt, quia ſunt mulieres ſapientes. Venerunt enim (inquit) mulieres ſapientes, & fecerunt quæcunque neceſſaria erant ad indumenta pontificis. Ille verò mulieres quæ inaures ſuas obtulerunt vt fieret vitulus, inſipentes erant, quæ à veritate quidem auerterunt auditum, ad fabulas autem impietatémque ſe conuerterunt, & ideo obtulerunt inaures ſuas, vt fieret caput vituli. Sed & in Iudicum libro aliud nihilominus idolum inuenimus ex mulierum inauribus factum. Iſtæ ergo beatæ mulieres, beata iſta caro, quæ domino offert inaures ſuas, & dextralia ſua, & anulos ſuos, & omnia opera manuum ſuarum, quæ in mandatis domini agit. Additur poſt hæc, quia & apud quem inuenta ſunt ligna imputribilia, obtulit deo. Si quis diligit Chriſtum dominum in incorruptione, lignum imputribile offert domino. Beatus ergo apud quem inuenitur, vel ſenſus incorruptus, vel corpus incorruptum, & hoc offert deo. Vnde & bene valde dixit, Apud quem inuenta ſunt ligna imputribilia. Non enim L
apud omnes inueniuntur ligna imputribilia. De auro non dixit, neque de argento, apud quem inuẽtum eſt. Poteſt enim apud omnes inueniri ſenſus & ſermo. Sed nec de quatuor coloribus hoc dixit. Omnium nanque eſt, ex quatuor conſtare ſecundum corpus elementis. Ligna autem imputribilia, id eſt, incorruptionis & virginitatis gratia apud rarum quemque inueniri poteſt, ſicut & dominus dicit, Non omnes capiunt verbũ iſtud, ſed quibus datum eſt. Sed & principes (inquit) obtulerunt dona ſua. Quæ ſunt iſta dona quæ principes offerũt? Gemmas (inquit) obtulerunt, & iuxta aliam literam lapides ſmaragdos, & lapides repletionis, & lapides adhumerales. Lapides repletionis dicuntur, qui ponuntur in logio, hoc eſt, in pectore pontificis collocãtur, ſcripti per nomina tribuum filiorum Iſraël. Hoc quod dicitur logion, id eſt, rationale, qui eſt pannus exiguus ex auro & gemmis, coloribúſque variis, & ſuperhumerali contra pectus pontificis annectebatur, formam habet ſenſus rationalis qui in nobis eſt. In hoc poſiti dicuntur lapides repletionis, qui tamen cohærent & connexi ſunt ad lapides humerales, atque ex his cõtinentur adſtricti. Humeralis ornatus indicium eſt actuum bonorum. Actus ergo cum ratione, & M
ratio cum actibus ſociatur, vt ſit cõſonantia in vtroque. Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Sit ergo in nobis ſermo de actibus pẽdens, & ſermonem actus exornent. Hic enim pontificis refertur ornatus. Sed ad hæc explenda principes requiruntur. Iſte ornatus eorum eſt, qui in tantum profecerunt, vt præeſſe populis mereantur. Offerunt etiam oleum principes ad vſus duplices, profuturum lucernis & chriſmati. Debet enim lucerna eorum qui populis præſunt, non abſcondi, aut ſub modio poni, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sed & incenſi compoſitionem principes offerunt quæ componatur per Moyſen in odore ſuauitatis domino, vt & ipſi dicant, quia Chriſti bonus odor ſumus. ISIDORVS. Offeruntur igitur vno ſtudio, & tamen diuerſa donaria ad conſtructionem tabernaculi, iuxta quod ſcriptum eſt, Au-
Cap. 10. rum, argentum, æs, lapides pretioſos, tum præterea byſſum, coccum, hyacinthum, & cætera. Collatio verò ipſa non fit neceſsitate ſed ſponte, quia fides ſpontanea eſt. GREGORIVS TRIGESIMO MORALIVM.

Quod



A Quod verò quicquid in tabernaculi ornatum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, hoc ſignificat, quòd in explendo cultu ſanctæ Eccleſiæ, & fortium facta ſublimia, & infirmorum opera extrema numerantur. Quid autem per armillas quæ lacertos aſtringunt, niſi præpoſitorum validè laborantium opera demonſtrantur? Et quid per inaures, niſi ſubditorum obedientia exprimitur? Quid per anulos niſi ſignaculum ſecretorum? Plerumque enim magiſtri ſignant, quod ab auditoribus capi non poſſe conſiderant. Et quid per dextralia, niſi primæ operationis ornamenta memorantur? Quid per vas aureum in donaria domini ſeparatum, niſi diuinitatis intelligentia accipitur? quæ tanto ab inferiorum amore diſiungitur, quanto ad ſola quæ æterna ſunt amanda ſubleuatur. Quid per hyacinthum, niſi ſpes cœleſtium? Quid per purpuram, niſi cruor ac
B tolerantia paſsionum amore regni perpetui exhibita? Et quid per bis tinctum coccum niſi charitas demonſtratur, quæ pro perfectione bis tingitur, quia dei & proximi dilectione decoratur? Quid per byſſum niſi immaculata carnis incorruptio? Et quid per pilos caprarum, ex quibus ciliciorum aſperitas texitur, niſi dura pœnitentium afflictio deſignatur? Dum igitur alij per armillas & anulos fortè magiſterium exercent, alij per inaures & dextralia deuotam obedientiam rectámque operationem exhibent, alij per ſeparatum vas aureum, præclaram ſubtiliorémque dei intelligentiam tenent, alij per hyacinthum, purpuram & coccum audita cœleſtia ſperare, credere, amare non deſinunt, etiam quæ adhuc ſubtiliori intellectu minimè cognoſcunt, alij per byſſum incorruptionem carnis offerunt, alij per caprarum pilos deplorant aſperè quod libenter commiſerunt. Ecce ex tanta diuerſitate operum vnum conficitur tabernaculum, ſicut ex diuerſo puluere, vna compingitur terræ gleba infuſione ſancti ſpiritus irrigata. ISIDORVS. Iam porrò ligna Sethim imputribilia, omnes ſancti intelliguntur, mente & corpore incorrupti, nec cum ſeculo pereuntes, ſemper manentes æterni. Lapides quoque pretioſi, Confeſſores, Apoſtoli, ſacerdotes, omnéſque iuſti, Quos etiam lapides viuos beatus Petrus Apoſtolus dicit, Vt 1. Pet. 2.
ſitis (inquit) lapides viui, coædificati in templum dei. Hæc igitur omnia offeruntur in tabernaculum dei, vt nul-
C lus deſperet ſalutem. Offert ſuper hæc & alius aurum, ſenſum, alius argentum, eloquium, alius vocem æris. Sícque fiunt multa in tabernaculo dei, menſa ſcilicet & candelabrum, altare, columnæ, baſes, tabulæ, cathedræ & fulcra, thuribula, phialæ, mortariola, emunctoria, paxilli, tentoria, quibus diuerſitatibus tota illa tabernaculi, id eſt, Eccleſiæ pulchritudo diſtinguitur. Nam tabernaculum Eccleſia eſt, in qua menſa, id eſt, vnitas fidei, vel certè ſcriptura ſacra, qua vniuerſi fideles ſpirituali cibo paſcuntur. Candelabrum quoque cum ſeptem lucernis, Chriſtus cum ſeptem Eccleſiis. Emunctorium quoque eius, hoc eſt, geminum teſtamentum. Et columnæ, doctores ſancti, firmitate fidei ſolidati. Nec non & baſes, id eſt, Prophetæ ſuo fundamine ſtructuram geſtantes Eccleſiæ. Ibi etiam & tabulæ Apoſtoli prædicationis latitudine dilatati. Ibi tentoria, Præpoſiti videlicet & prædicatores, qui exteriùs laborant contra huius ſeculi turbines. Sunt ibi & cathedræ, id eſt, diſtributiones hominum. Sunt & paxilli, hoc eſt, principes Eccleſiæ, quibus appendent omnia genera populorum. Scyphi quoque doctrinæ eloquia ſiue ſenſus. Necnon & thuribula, virtutes ſcilicet operum bonorum, vel orationes ſanctorum, quibus odor
D ſuauitatis aſcendit ad dominum. Phialæ quoque Apoſtoli & doctores pleni vitalibus aquis. Ibi lilia virginitatis candor. Siue mortariola, laborum paſsionúmque tolerantiæ, quibus mortificantur membra pœnitentium. Et hæ quidem ſpecies diſpenſationéſque donorum ſunt diuiſæ per ſpiritum ſanctum fidelibus, vt in ſingulis diſtributionibus perfectum Chriſti tabernaculum conſtruatur, in quibus habitat deus in medio eorum. Oleum verò quod de arboribus oliuarum offertur, eandem gratiam ſpiritus ſancti oſtendit, habentem in ſe pacem & miſericordiam per ſaluatoris aduentũ, vnde in cordibus noſtris lumen veritatis accenditur. RABANVS. Quod igitur principes obtulerunt lapides onychinos & gemmas ad ſuperhumerale, & rationale, aromatáque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum ac thymiama odoris ſuauiſsimi componendum, ſignificat Apoſtolos, apoſtolicoſq; viros, ſacerdotes, ac doctores fidelium, mirifica virtutũ opera ſermone atque exemplis, decorem miniſterij ſacerdotalis decenter præparare, quatenus per eorum ſtudium atque impenſam in ſancta Eccleſia fulgeat lumen ſcientiæ, atque exemplum boni operis, ſermo luculentus ad inſtruendos auditoE res, ac bona fama ſanctæ conuerſationis, ad commendandam ſanctæ religionis gratiam his, qui in domo dei honeſtè conuerſantur, vt eorum exemplo diſcant eorum ſubiecti, domino ſpontanea cordis, oris atque operis vota perſoluere, vnde & ſequitur, Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, & cætera. Item, Cuncti filii Iſraël voluntaria domino dedicauerunt.

*Dixítque Moyſes ad filios Iſraël, Ecce uocauit dominus ex nomine Beſeleel filium Huri filij Hur de tribu* 3
*Iuda, impleuítque eum ſpiritu dei, ſapientia & intelligentia & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento & ære, ſculpendíſque lapidibus, & opere carpẽtario. Quicquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eius. Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan, ambos eruditt*
*ſapientia, ut faciant opera abietarij, polymitarij ac plumarii, de hyacintho ac purpura coccóque bis tincto, & byſ-*
F *ſo, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.*

AVCTOR CATENAE. Poſtquam in ſuperioribus narrauit de oblationibus factis à filiis Iſraël pro ædificatione tabernaculi, hîc ſubinde tractat de artificibus, vnde & ait. *Dixítque Moyſes ad filios Iſrael, Ecce vocauit dominus ex nomine Beſeleel filium Huri filij Hur de tribu Iuda.* CAIETANVS. Parui refert quòd in Hebræo habetur, Videte, vocauit dominus, & cætera. Ne oriatur contentio inter artifices, manifeſtat Moyſes diuinam electionem monẽdo eos, videte, quia dominus nominauit Beſeleel caput artificum. AVCTOR CATENAE. Ecce vocauit, ſiue videte. Eſt enim in Hebræo רְאוּ Reu. Sed in idem quo ad ſenſum recidit. Ex nomine Beſeleel, ſiue nominatim. Vocauit autem (inquit) ex nomine, id eſt, delegit, ſiue ſelegit. *Impleuítque eum ſpiritu dei, ſapientia & intelligentia & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento & ære, ſculpendíſque lapidibus, & opere carpentario.* AMBROSIVS. IN PSALMVM CXVIII. Non eſt difficile doceri quo-

3 a iiij modo

*Coloſſ.1.* modo vnum verbum multa ſint, & multa verba vnum verbum ſit, cùm dixerit Apoſtolus, Quia ipſe eſt imago G dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo creata ſunt omnia in cœleſtibus & in terra, ſiue viſibilia ſiue inuiſibilia, ſiue ſedes ſiue dominationes, ſiue principatus ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt. Vnum eſt igitur verbum quod operatur in ſingulis, & cum in ſingulis operatur, operatur omnia & in omnibus. Hoc verbum vnicum apud patrem ſe diffudit in plurima, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Itaque ſi videas ſingula omnium quæ creata ſunt in ipſo, videbis in ſingulis vnum verbum eſſe omnium, cuius pro captu noſtro participes ſumus. In me verbum eſt humanum, in alio verbum cœleſte, verbum angelorum, plerique ſunt qui habent verbum dominationum & poteſtatum. Verbum eſt iuſtitiæ, verbum caſtitatis, verbum prudentiæ, verbum pietatis, verbum etiam virtutis. Sic vnum verbum multa ſunt, & multa verba vnum ſunt. Nec verò arduum iſtud æſtimari, cùm legerimus, Quia omnia poteſt ſpiritus ſapientiæ. Itaque ſicut alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, & alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alij gratia cura- H tionum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij ſpiritus cognitionis, alij ſpiritus conſilij plenioris, alij ſpiritus fortitudinis, alij pietatis ſpiritus, & in omnibus vnus atque idem ſpiritus eſt, diuidens ſingulis prout vult. Ita eſt ſpiritus Prophetarum, eſt ſpiritus Apoſtolorũ, eſt etiam artificum ſpiritus, ſicut & Beſeleel & Ooliab, quos impleuit dominus ſpiritu diuino ſapientiæ & ſcientiæ, & omnis artis, vt facerent amictum & tabernaculum, atque altare ſecundum ſenſum, quem dedit his deus, ſed etiam cæteris ſapientibus intelligere & facere omnia opera ſecundum omnia quæ deus imperabat. Itaque fecerunt quæ non didicerant nec viderant, ſecundum ea quæ his ſpiritus dei demonſtrabat. Et pleriſque videtur alius Apoſtolorum ſpiritus, alius Prophetarum, & diuerſus in ſingulis, ſed non eſt diuerſus, ſed vnus eſt ſpiritus, diuidens genera diuerſa virtutum. Vnde non dubium videri debet, ſi aliis verbum Apoſtolicum, aliis Propheticum aliis Euangelicum, aliis verbum operatorium eſt datum, & vnum eſt verbum diuidẽs ſe ſingulis pro noſtra poſsibilitate, vel pro ſua volũtaria largitate. AVGVSTI-

*Locut. 146.* NVS IN LOCVTIONIBVS. Iuxta alia exemplaria legitur, Facere aurum & argẽtum & æs, pro eo quod I eſt facere ex auro & argento & ære. Non enim aurum faciebãt, ſed ex auro. Tale eſt etiam quod paulò pòſt dixit,

*Quæſt.169.* & operari ligna, hoc eſt, ex lignis. IDEM IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Narrante Moyſe commemoratum eſt quòd ei dixit deus de Beſeleel eiſdem verbis ac totidem, quòd eum impleuerit ſpiritu diuino ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ ad tabernaculi opera facienda, quæ pertinent ad artes opificum. Vnde quid nobis videretur iam diximus. Sanè nouo more hîc iuxta aliam literã ars architectonica perhibetur, opificum ex auro & argento & quocunque metallo, cùm illa dici ſoleat architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum. GRAECVS. Sapientia Beſeleelis, donum à deo fuit, quo affabrè architectum ſeſe gereret. Eſt enim & ſapientia mulieris textricis apud Iob, & agricolæ. Hæc autem omnia dona dei ſunt ad humani generis vtilitatem. BASILIVS. Propterea væ homini illi, qui ſapientiæ prudentiæq; ſuæ cauſam deo auctori non adſcribit. CAIETANVS. Quia in Hebræo eſt, Et impleuit eum ſpiritu Elohim. Deo quatenus eſt diſtributor donorum, attribui poteſt huiuſmodi impletio, ego tamen intelligo hoc in loco nomine Elohim non ſigni K ficari deum, ſed iudicem. Ita quod ad literam ſignificatur, quòd deus impleuit eum ſpiritu iudicis in ſapientia, in intelligentia & in ſcientia & in omni opere, & ad cogitandum cogitationes, ad faciendum in auro, & cętera. Eminentia ſiquidem Beſeleel manifeſtatur in hoc, quod impletus eſt ſpiritu iudicis relatiuè ad alios artifices, vt intelligatur conſtitutus eorum princeps cuius officium eſt iudicare. AVCTOR CATENAE. Impleuitque eum ſpiritu dei. Hebraiſmus eſt, impleuit dominus ſpiritu dei, pro, impleuit dominus ſpiritu ſuo. Antecedẽs pro relatiuo. Et omni ſcientia. In Hebræo eſt, וּבְכָל מְלָאכָה Vbcol melacha, Et omni opere, vel omni arte, ſeu artificio. Quaſi dicat, reddidit eum abſolutiſsimum in omni arte. Chaldaica, Et ſcientia in omni opere. Sed & nihil aliud Latinus Interpres intellexit, cùm dixit, Et omni doctrina. Quod etiam apud nos legitur, Ad excogitãdum, Hebraicè additum eſt מַחְשֶׁבֶת Machaſaboth, vt dicatur, Ad excogitandum cogitationes, id eſt, ad excogitandas adinuentiones. Vertunt alij, Qui ingenioſa excogitat opera. Alij, Qui polymitarius eſt artifex. Sed idem eſt in- L tellectus. Quódque nos legimus, Et faciendum opus in auro & argento & ære, Septuaginta habent, πάντα ἐργα τεκτονῆμ κατὰ πάντα τὰ ἔργα τῆς ἐγχιτεκτονίας ποιῆμ τὸ χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον καὶ τὸν χαλκόν, Omnia fabricandi ſecundum omnia opera architecturæ, facere aurum & argentum & æs. Et Græciſmus eſt, ſed eadem ſententia. Deinde quod ſequitur, Sculpendíſque lapidibus, Hebraicè idem dicitur ſub aliis tamen verbis, videlicet וּבַחֲרֹשֶׁת אֶבֶן לְמַלֹּאת Vbacharóſeth êben lemalloth, Et in artificio ſiue fabrefactione lapidis adimpletionum, ſiue ad implendum. Artem autem lapidis vocat artem gemmariam. Ad replendum, ſcilicet palas lapillis. Vertunt alij, In artificio gemmarum, vt illas includant. Alij, Deinde artifex gemmarius, qui gemmas includit. Nonnulli, Et in arte gemmaria ad complendum. Chaldaica, Et in arte gemmaria, vt gemmis cælaturas impleat. Septuaginta, καὶ λιθοξῆσαι τὸν λίθον, Et ſculpere lapidem. Sed horum omnium vnus idémque ſenſus eſt. Demum quod ſequitur, Et opere carpentario, Hebraicè eſt, וּבַחֲרֹשֶׁת עֵץ לַעֲשׂוֹת בְּכָל מְלָאכֶת מַחֲשָׁבֶת Vbacharóſeth hez lahaſoth becol melécheth machaſábeth, Et in artificio ligni ad operandum ſiue faciendum in omni opere cogitationis. Opus cogitationum dicitur, opus plenum arte, in quo opus eſt ingenio acri. Vertunt alij, Et in artificio ligni, vt faciat M vel fabrefaciat quodcunque opus ingenioſum. Alij, Et in arte lignaria ad faciendum in omni opere cogitationis. Chaldaica, Et in omni opere fabri lignarij, vt faciat in omni opere artificis. Septuaginta, καὶ κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, καὶ ποιῆμ ἐμ παντὶ ἔργῳ σοφίας, Et elaborare ligna, & facere in omni opere ſapientiæ. Quæ omnia à ſenſu literæ noſtræ nequaquam diſcrepant. *Quicquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eius.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum vna eſt ſententia cum ſuperioribus continuata, quæ ſic legitur. Et officio ligni ad faciendum in opere cogitationis, nec plus habetur, Nec dicitur in omni opere cogitabili ſeu cogitationis, ad quod verificandum ſufficit ſcire facere omnia opera excogitata. AVCTOR CATENAE. Quicquid fabrè adinueniri poteſt. Hæc verba tam ſecundum Hebræum quàm Chaldaicam & Septuaginta ſuperiori clauſulæ coaptantur, vt ſit ſenſus, quòd dominus impleuit Beſeleel omni ſcientia operandi in arte lignaria quicquid fabrè inueniri poteſt. Et quod ſequitur, Dedit in corde eius. In Hebræo eſt וְלְהוֹרֹת נָתַן בְּלִבּוֹ Vlhoroth nathan belibbo





A belibbo, Et ad oſtendendum vel ad docendum dedit, vel poſuit in corde eius, id eſt, conceſsit ei ſpiritum & ingenium, vt alios docere poſsit quid fabre facere debeant. Alij vertunt, Deditque in corde eius vt inſtruere poſſit, hoc eſt, reddidit Beſeleel facilem & pronum ad docendum alios. Quod dicitur propter vulgares artifices, qui non niſi difficulter ſuam artem aliis communicant. Chaldaica, Et vt doceat dedit in corde eius. Septuaginta, καὶ προεβίβασεν γε ἐν ὡκεμ ἐμ τῇ διανοίᾳ αὐτῶ, Et inſtruere dedit in mente ei. Quorum omnium idem eſt ſenſus.

*Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan, ambos erudiuit ſapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho & purpura coccóque biſtincto, & byſſo, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.* AVGVSTINVS IN LOCV- *Locut. 146.*
TIONIBVS. Iuxta alia exemplaria legitur, Facere omnia opera ſancti textilia, & varia texere cocco & byſſo, facere omne opus architectonicum varietatis. Ecce in rebus textilibus architectonicum opus appellat, mirũ niſi propterea, quia tabernaculo fiebant quod ædificio ſimile fuit, & tanquam domus erigebatur. Quid autem B dicat opera ſancti, non euidenter apparet, vtrum ſancti ſacerdotis, quoniam & de ſtola vel de ſtolis eius hęc dicuntur, an ſancti dei in cuius cultu hæc fiebant, an opera ſancti, ſicut dicebatur ſanctum, & ſanctum ſanctorũ.

RVPERTVS. Cùm ſcripturæ huius auctoritate dicentis, quia vocauit eos dominus ex nomine, & ambos erudiuit ſapientia, quis dubitet has vel omnes eiuſmodi artes eſſe dei dona? Proinde in quocunque habentur homine artes tam vtiles ac licitæ, diligendæ ſunt, admonendi periti artifices, vt tanquam dei talentum in lucrum expendant, quia non ipſorum facultas propria, ſed creatoris omnia tribuentis commiſſum eſt, & ab eis quibus tribuit, ipſe exacturus eſt. CAIETANVS. Iuxta Hebræum ſic habet hæc litera, Ipſum & Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan, Subaudi quod præmiſſum eſt, Ad docendum dedit in corde. Excellentia Ooliab ſignificatur in hoc, quod adiungitur Beſeleel comes ad officium docendi alios artifices. Scito autem quòd quatuor artis genera commemorantur, nam in calce ſubiungitur, Et textoris. Et hîc nominatur tertiò acupictor, ſecundò polymitarius, primo autem nomen eſt valde genericum, quod alij interpretantur fabrum, alij opificem, C alij magiſtrum, alij induſtrium. AVCTOR CATENAE. Hebraica veritas ſic habet hoc in loco, רְאֵה וְאָהֳלִיאָב בֶּן אֲחִיסָמָךְ לְמַטֵּה דָן Hu veaholiab ben Achiſamach lemattе Dan, Ipſe ſeu ipſum & Ooliab filium Achi ſamech de tribu Dan, ſcilicet conceſsit dominus vt poſsint alios docere, dependet enim à clauſula ſuperiori. Sic & Chaldaica ad verbum, & Septuaginta quoque ab hac lectione nõ diſcrepant. Siue ergo legas, ipſe, intellige, Et poſuit deus in corde eius vt ipſe & Ooliab, inſtruant alios, ſiue legas ipſum (vtroque enim modo legere potes) Sic conſtrue, Dedit dominus in corde eius, ipſum Beſeleel & Ooliab docere poſſe alios. Deinde quod ſequitur, Ambos erudiuit ſapientia, in Hebręo legitur מִלֵּא אֹתָם חָכְמַת לֵב Mille otham chachmat leb, Impleuit eos ſapiẽtia cordis. Sic & Chaldaica. Sapientiam autem cordis vocat peritiam artis, & induſtriam ſiue ingenioſitatẽ. Septuaginta, καὶ ἐνέπλησεν αὐτοὺς σοφίας καὶ συνέσεως καὶ διανοίας, Et impleuit eos ſapiẽtia & intellectu & mẽte. Quæ ſunt idem cũ litera noſtra in virtute. Quod nos habemus, Vt faciant opera abietarij, polymitarij & plumarij, Hebraicè ſic habetur, לַעֲשׂוֹת כָּל מְלֹאכֶת חֹרֵשׁ וְחֹשֵׁב וְרֹקֵם Lahaſoth col mélecheth charas vechoſeb verochem, Ad D faciendum omne opus fabrile & polymitarium, ac plumarium, per quæ quidem nomina, omne opificij genus intelligitur. Vertunt alij, Vt facere poſsint omne opus fabrile, & ingenioſum atque acupictoris, ſiue polymitum & phrygium, Vel & phrygionicum, & acupictorium. Chaldaica vt faciant in omni opere carpentarij, & artificis & polymitarij. Septuaginta, συνιένατ ποιῆσαι πάντα τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου, τὰ ὑφαντὰ τὰ ποικιλτά, Sciendi facere omnia opera ſanctuarij, textoria variegata. Sed hæc à ſenſu literæ noſtræ non deuiant. Demum quod nos habemus, Et texant omnia, ac noua quæque reperiãt, Hebraicè habetur, וְאֹרֵג עֹשֵׂי כָל מְלָאכָה וְחֹשְׁבֵי מַחֲשָׁבֹת Veoreg, hoſe col melacha vechósbe machaſaboth, Et texentis, & iungitur ſuperiori clauſulæ, vt faciant in hyacintho & purpura & coccino, & byſſo, & in omni opere textoris, Facientes omne opus, & artificioſum inuentum. Vertunt alij, Atq; textura, & faciant omne artificiũ & ingenioſas adinuentiones. Eſt enim Rochem propriè qui opus aliquod facit per acum, ſed Chóſeb qui ingenioſum opus facit per texturam. Alij reddunt, Et texentis, facientium omne opus excogitantium cogitationes nouas, id eſt, reddidit eos peritos lignarios, phrygiones, acupictores, vel plumaE rios, & textores. Breuiter ita peritos, vt quoduis opus excogitare poſſent & facere. Nonnulli, textorióque opere, factores omnium operum, & polymiti ingenioſi. Demum quidam, & textorio, Facientes omne opus, & cogitantes cogitationes. Quæ in ſenſu à Latina editione non diſcrepant. Chaldaica variat aliquantulum, inquiens, Et in omni opere textorio, & doceant artifices. Iuxta igitur præceptum domini vocantur ad opus aggregiendum Beſeleel & Ooliab artifices, ad id per dominum illuſtrati. Noluit autem ſolum omnia profequi, ſed aſciuit multos, non dubium auxiliarios, ſed hos duos architectos ſtatuit, & operis directores, vt & æmulationum ſubtraheretur occaſio, & vt otioſi non eſſent tam mulieres quàm viri.

RVPERTVS. Sed & myſticè Beſeleel qui interpretatur vmbra dei, nomine ſuo ſignificat ipſum opus ta- *Myſticè.*
bernaculi, quod fecit vmbram, id eſt, exemplar eſſe tabernaculi cœleſtis. Ooliab quoque interpretatur protectio mea pater, quo nomine ſignificat, quia dei vel tabernaculi eius adiutoribus, protectio ipſius pro mercede ſperanda eſt. RABANVS. Vel aliter, Per iſtos tabernaculi typici artifices exprimuntur veri tabernaF culi ſpirituales opifices. Nam & nomina eorum, horum officia deſignant. Beſeleel quippe in vmbra dei interpretatur, Hur ignis, Huri lux mea, Iudas confeſsio, Ooliab protectio mea pater, Achiſamech fratrem meum roborans, & Dan, iudicium vel iudicans in Latina lingua reſonat. Igitur doctores ſancti qui prædicatione ſua ſpirituale ædificium domus dei fabricant, bene vmbra dei nuncupari poſſunt, qui in diuina defenſione confidunt. Ex quorum perſona Pſalmiſta dicit, In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Ipſi ignis aut lumen ritè nominantur, qui zelo ſpirituali accenſi, lumen fidei ac ſcientiæ ſpiritualis auditoribus ſuis impendunt, atque confeſsionis catholicæ normam oſtendunt. Hi quoque protectionem dei patris habentes, in iudicio & iuſtitia, fratres ſuos quatenus in fide catholica & bonis operibus perſeuerent, exhortando corroborant. Nec non & illud piè conſiderandum eſt, quia non ſolùm ille qui de tribu regali ortus eſt, quin etiam iſte, qui de ancilla natus eſt, ad magiſterium operis dei eligitur. Beſeleel nanque ex tribu Iuda qui de Lia libera natus eſt, proceſsit, & Ooliab de tribu Dan, qui fuit filius Balæ ancillæ Rachel progenitus eſt, Spiritualiter nobis in-

Act.10. nuens, quia non solùm nobiles, sed etiam ignobiles, quantum ad seculi dignitatem pertinet, ad regimen Eccle- G
siæ eliguntur, quia iuxta Petri vocem, Non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet deum,
& operatur iustitiam, acceptus est illi. Non enim deus nobilitatem carnis, sed nobilitatem animi pensat, & so-
lummodo recta fide & bonis operibus apud deum discernitur ab illis. Præterea in ipsa electione artificum po-
test secundum mysterium accipi, quòd non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus doctores Ecclesiæ suæ do-
minus esse voluit. Vnde in libro Numerorum, vbi filij Israël castrametati sunt circa tabernaculum, Iudas ab
oriente castrametatus est, & Dan ab aquilone. In oriente ergo dominus primùm ex Iudæis primitiuam Eccle-
siam constituit, postea de vocatione gentium, hoc est, ex paganis qui de regno illius qui ad Aquilonem solium
suum constituere legitur, ad ipsum confugerunt, gratiæ suæ expertes esse noluit, sed dignitatem Ecclesiasticam
percipere, & ad corporis sui vnitatem pertinere decreuit.

H

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMSEXTVM, ARGVMENTVM.

*Oblatis plus æquo donariis fabricatur tabernaculum iuxta omnes partes suas, cortinas, saga, opertoria, tabulata, vectes, velum & tentorium.*

## CAPVT XXXVI.

Lectio.1. *FEcit ergo Beseleel & Ooliab & omnis uir sapiens quibus dedit dominus sapientiam & intellectum, ut scirẽt fabrè operari quæ in usus sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit dominus. Cúmque uocasset eos Moyses, & ommem eruditum uirum cui dederat dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradidit eis uniuersa I*
*donaria filiorum Isr̃aël. Qui cùm instarent operi quotidie, mane uota populus offerebat.*
*Vnde artifices uenire cõpulsi, dixerunt Moysi, Plus offert populus quàm necessarium est.*
*Iussit ergo Moyses præconis uoce cãtari, Nec uir nec mulier quicquã ultrà offerat in opere*
*sanctuarii. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eo quòd oblata sufficerent, & superabundarent.*

Lectio.1. AVCTOR CATENAE. Structura totius sanctuarij primũ à domino Moysi committitur per singulas partes, ex quibus & quomodo instituenda capite vigesimosexto, vt visum est. Deinde voluntas domini de ea populo proponitur, Capite trigesimoquinto, vt iam lectum est. Hoc præsenti in loco prosequutio operis ad longum describitur. Primò quantum ad tabernaculum attinet extruendum, deinde quæ intra illud fieri oportebat, capite sequenti, consequenter de atrio singula facta ad præceptum domini narrantur capite trigesimooctauo. K
Tãdem de sacerdotalibus vestibus, quomodo omnes paratæ fuerint, explicatur capite trigesimonono. Quæ omnia satis intelliguntur ex prædictis præter pauciss ima quę annotanda de superfluo venient. Videamus ergo quid dicat de constructione tabernaculi sanctus domini propheta. *Fecit ergo* (inquit) *Beseleel & Ooliab & omnis vir sapiens, quibus dedit dominus sapientiam & intellectum, vt scirent fabrè operari, quæ in vsus sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit dominus.* CAIETANVS. Prosequutio est, manifestans artifices nominatos adhibitis aliis artificibus eruditis, feciſse vniuersum opus mandatum à domino. AVCTOR CATENAE. Fecit ergo Beseleel & Ooliab & omnis vir sapiens. Addendum ex Hebræo, corde, id est, ingeniosus. Legitur enim ibi חֲכַם לֵב Chacham leb. Sic & Chaldaica. Septuaginta, σοφὸς τῇ διανοίᾳ, Sapiens mente, Quod est idem. Vt scirent fabrè operari quę in vsus sanctuarij necessaria sunt, & idem est sensus in Hebraico iuxta tamen alia verba לָדַעַת לַעֲשֹׂת אֵת כָּל מְלֶאכֶת עֲבֹדַת הַקֹּדֶשׁ לְכֹל ladáhath laasoth eth col melecheth hobodath hakódes, lecol, Vt scirent facere omne opus, vel omnia opera ministerij sanctificationis, secundum omnia quæ præceperat, & cætera, hoc est, fecit (in- L
quam) prorsus vt præceperat dominus. Alij vertunt, Vt scirent facere omne opus pro cultu sanctuarij, atque omnia, & cætera. Septuaginta, συνιέναι ποιεῖν πάντα, τὰ ἔργα τὰ κατὰ τὰ ἅγια καθήκοντα, κατὰ πάντα, Intelligendi facere omnia opera quæ ad sanctuarium pertinentia, secundum omnia, & cætera. Chaldaica, Vt facerent omne opus ministerij sanctuarij, iuxta omnia quæ præcepit dominus. Non igitur tantùm duo architecti operi incumbunt, sed omnis vir sapiens, imò & mulieres suis quibusque studiis magnoperè rebus perficiendis insistunt, torquendo, filando, nendo, fundendo, deaurando, acupingendo, fabricando, ligna inscindendo, atque dolando, gemmas auro inserendo, & cætera, prout quisque valebat, sponte porrigebat partes suas. *Cúmque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradidit eis vniuersa do-*
Quæst.170. *naria filiorum Israel.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Iuxta alia exemplaria, & omnes qui sponte vellent ire ad opera, vt consummarent ea, & acceperunt à Moyse omnes demptum æs. In notitiam tantùm Moyses pertulit quæ dominus opera fieri præcepit, tabernaculum scilicet, cum o- M
mnibus quæ in eo essent, & vestes sacerdotales. Commemorauit autem quosdam, quibus dixit spiritum diuinitùs datum, quod illa efficere possent, & tamen multi intelligũtur sponte ad eadem opera veniſse, quibus nec imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt à domino dicta Moysi. Non ergo illi soli hoc munus diuinitùs habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed fortasse præcipuè atque excellentiùs. Laudandus est autem in his omnibus, non attractus ad opus seruiliter animus, sed liberaliter & sponte deuotus. CAIETANVS. Quoniam executio in his capitulis scripta, declarata, quo ad opera est superiùs capitulis vigesimoquinto & sequentibus vsque ad trigesimum primum, ideo ad scripta ibidem recurre prudens lector, ne eadem repetamus. AVCTOR CATENAE. Et quoniam Latinus Interpres succinctè loquitur, & expositoris potiùs quàm Interpretis officio fungitur, Chaldaica editio est afferenda, Hebraicę consona, quæ ita habet, Vocauítque Moyses Beseleel & Ooliab, & omnem virũ sapientem corde, in cuius corde dedit dominus sapientiam



A tiam, & omnem qui sponte se obtulit ad faciendum opus. Et tulerunt de conspectu Moysi omnes primitias quas obtulerunt filij Israël ad opus ministerij sanctuarij, vt facerent illud. Huic & Septuaginta lectio concordat. Sapientem verò corde virum, vt & priùs dictum, ingeniosos quosque vocat artifices. Quãquam Hebraica, כֹּל אֲשֶׁר נְשָׂאוֹ לִבּוֹ לְקָרְבָה אֶל הַמְּלָאכָה לַעֲשֹׂת אֹתָהּ Col aser nesao libbo lekarba el hamelacha lahasoth otha, Aliqui vertant, Atque omnem quem excitauerat cor suum vt accederet ad hoc opus ad perficiẽdum illud. Quod est idem-met quod ait Latina litera. Alij, Atque omnem qui sponte sua ad hoc ferebatur, vt accederet ad opus hoc perficiendum. Nonnulli, omnem quem eleuauit cor eius ad appropinquandum operi ad faciendum illud. Quod verò dicitur, Tulerunt de conspectu Moysi, siue acceperunt à conspectu Moysi, omnes primitias, siue omnem oblationem, more Hebraico dictum est, pro à Moyse. Vocatis igitur (inquit) ad se Moyses sapientioribus artificibus, diuidit singulis collectam pro suo opere materiam, vt non quisque quod vellet, sed quod iubeatur perfi-
B ciat, iuxta à deo sibi donatam gratiam laborandi. *Qui cum instarent operi quotidie, mane vota populus offerebat.* Vota vocat spontaneas oblationes. Vt cœpimus pro tædio Lectori euitando, sola erimus Chaldaica editione contenti, nisi vbi & ea ab Hebraico aliquantulum dissenserit, ait ergo illa, Ipsi quoque offerebant ei munera voluntaria mane mane. Mane mane dicit, id est, singulis diebus. Legunt alij, Et ipsi attulerunt ad eum, nempe Moysen, oblationem spontaneam vel voluntaria dona singulo mane. Est enim in Hebræo dictio נְדָבָה Nedaba. Septuaginta, καὶ αὐτοὶ προσεδέχοντο ἔτι, τὰ προσφερόμενα παρὰ τῶν φερόντων πρωΐ πρωΐ, Et ipsi recipiebant (subaudi artifices) adhuc oblata à ferentibus mane mane. Artifices ergo sedulò curant, & iniũcta perficiunt, populus autem offert sine mora, quasi certatim diuino huic operi insistentes. *Vnde artifices venire compulsi dixerunt Moysi, plus offert populus quàm necessarium est.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Notandum quòd illi qui sapientes appellantur, effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, vt cùm ipsi susciperent omnia Quæst.171.
quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur, viderunt plus offerri quàm erat
C necesse, & dixerunt Moysi, atque ille per præconem vltrà populum offerre prohibuit. Poterant autem si vellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit. AVCTOR CATENAE. Chaldaica litera ita habet, Venerúntque omnes sapientes qui faciebant omne opus sanctuarij, vnusquisq; ab opere suo quod ipsi faciebant, & locuti sunt ad Moysen, dicentes, plus offert populus quàm necessarium est ad opus ministerij quod præcepit dominus vt facerent illud. Vide hîc quàm paucis verbis bene doctus Interpres nostet sensum integrum reddiderit ex Hebraico. Verùm pro his verbis quæ & nostra litera, & Chaldaica habet, plus offert populus quàm necessariũ est ad opus ministerij, vertunt quidam quod Hebraicè legitur מַרְבִּים הָעָם לְהָבִיא מִדֵּי הָעֲבֹדָה לְמְלָאכָה Marbim haham lehabi mide hahaboda lamelacha, Multiplicant populus offerendo vel ad offerendum quàm sufficientia, siue vltra sufficientiam, vel præ abundantia ministerij ad opus, id est, plus offert quàm sufficiat operi, Quod non est aliud, quàm quod Interpres & Chaldaica dixerunt. Laudatur igitur deuotio populi, multo plura offerre parati quàm necesse sit. Nihil enim tam placet quàm cerimonialis splendor in cultu religionis,
D vt nullatenus, seu vix sine talibus rudis populus diu posse conseruari videatur. Sunt enim cęremoniæ pædagogus ad vlteriorẽ cultũ, qui fide, spe & charitate deo exhibetur, quicquid dicant neoterici heretici. *Iussit ergo Moyses præconis voce cantari, Nec vir nec mulier quicquam offerat vltrà in opere sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eo quòd oblata sufficerent, & superabundarẽt.* Chaldaica, Præcepítque Moyses, & transire fecerunt prẽconẽ per castra, dicentem, Vir & mulier non faciant vltrà opus ad primitias sanctuarij. Cessauítque populus à muneribus offerendis, & quod factum erat sufficiebat ad omne opus quod faciendum erat, & superabundabat. Ita illa. Vbi autem dicitur, Et transire fecerunt præconem per castra, in Hebræo est קוֹל Kol, id est, Vocem, & Hebraismus est, pro diuulgauerunt. Loco cuius est apud Septuaginta, καὶ ἐκήρυξεν ἐν τῇ παρεμβολῇ, Et prædicauit in castris. Et pro eo quod dicitur, Et quod factum erat, & in Hebræo est וְהַמְּלָאכָה הָיְתָה דַיָּם Vehamelacha háitha daiam, Vertunt docti, Nam supellectilis illa fuit sufficiens, siue, Nam satis erat materiæ, vel, Et substantia erat eis sufficiens, Quod nõ est aliud, quàm eo quod oblata sufficerent, sicut vertit Interpres. Magna ergo virtus Moysi iubentis præconis voce
E cessari ab oblationibus, sed non insistebatur priuato commodo, & Moyses fidelior erat, quàm vt gratis populum exhauriri facultatibus annuisset.

ORIGENES. Posteaquam obtulit populus, vocauit Moyses omnem sapientem ad fabricandum, & architectum, vt componerentur & fabricarentur singula quæque quæ scripta sunt, sed & mulieres (inquit) sapientes vocauit, vt facerent quæ conuenirent in tabernaculo domini. Vides ergo omnia quæ fiunt, à sapientibus fieri, & mulieres sapientes vocantur, & viri sapientes? Omnia enim opera domini in sapientia fiunt. Venit ergo vnusquisque sapiens sensu, & facit opera domini. Non sufficit nobis si offeramus tantùm, sed opus est vt cum sapientia eà quæ in nobis sunt operemur, sciamus miscere aurum cum byssо, & coccum duplicare, vel miscere cum purpura. Quid enim tibi prodest si habeas hæc, & vti his nescias, neque agnoscas quomodo vnumquodque in suo tempore, & in suo loco aptare debeas & proferre? Et ideo danda nobis est opera, vt sapientes simus, & hæc quæ audimus de scripturis sanctis, proferre in tempore, & aptare possimus & componere, atque ex his ador- *Mystice.*
F nare tabernaculum deo Iacob. AVCTOR CATENAE. Quod etiam omnes sapientes & scientes fabrè operari, in tabernaculi ædificatione sedulò laborant, & populus tam promptè offert donaria figura est, quod sic ad profectum Ecclesiæ inuigilare & conari debent, quicunque aliquam vel minimam gratiam se consequutos à domino sentiunt, siue vnum talẽtum acceperint, siue decem. Rarus est, qui non insigni aliqua gratia præter alios donatus inuenitur, qua proximum & Ecclesiam iuuare possit, & ministrare Christo.

2 *FEceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de byssо retorta &*
*hyacintho & purpura coccoque bis tincto opere uario, & arte polymita. Quarũ una habebat in longitu-*
*dine uiginticto cubitos, & in latitudine quatuor. Vna mensura erat omnium cortinarum. Coniunxitque*
*cortinas quinque alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit, Fecit & ansas hyacinthinas in ora cor-*
*tinæ*

*tinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter, ut contra se inuicem uenirent ansæ, & mutuò iungerentur. Vnde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret unum tabernaculum. Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi. Vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor. Vnius mensuræ erant omnia saga. Quorum quinque iunxit seorsum, & sex alia separatim. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, & quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi inuicem iungerentur, & fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis, aliudque desuper uelamentum de pellibus ianthinis.*

2 AVCTOR CATENAE. Tractaturus de singulis tabernaculi instrumentis, quo ordine, & quomodo fabricatum sit, ab ipso primo operimento aurei tabernaculi incipit, quod & Miscan dicitur, ac propriè tabernaculum nuncupatur. *Fecerúntque* (inquit) *omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de byssò retorta & hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, opere vario, & arte polymita. Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor. Vna mensura erat omnium cortinarum.* Fecerúntque omnes sapientes corde ad explendum opus tabernaculi cortinas decem de byssо retorta, id est, ingenioſi artifices inter eos qui vacabant operi perficiendo, constituxerunt tabernaculum ex cortinis decem de byssо retorta, & cætera. Voces Hebreæ שֵׁשׁ מָשְׁזָר Ses maszar, Linum duplicatum significant, vel (vt alij volunt) septuplicatum, si Latinè dici posset. Quod autem apud nos est, opere vario, & arte polymita, Hebraicè legitur, כְּרֻבִים מַעֲשֵׂה חֹשֵׁב עָשָׂה אֹתָם Cherubim mahase choseb hasa otham, Cum figuris Cherubim opere artificis fecit eas. Ita & Chaldaica. Vertunt alij, Cherubinos opere phrygionico fecit eas, id est, sparsit eas imaginibus alatis repræsentantibus Cherubim. Quidã, Cherubim fecit in eis opere polymito. Vnde & Septuaginta, χερουβὶμ ἐργασίᾳ ὑφαντῇ ἐποίησεν αὐτάς, Cherubim opere textorij fecit illas. Alij, Pictas opere subtili fecit eas, reddiderunt. Quæ omnia idem ferè in sensu significant, quod & litera nostra habet. Continebant igitur omnes istæ partiales cortinæ pariter iunctæ, iuxta ædificij latitudinem & parietum altitudinem, viginti octo cubitorum latitudinem, ex vtraque parte protensæ vsque ad bases, si asseres octo occidentales, singulos latitudinis cubitos habuerunt, vt videtur, & contrarium probari non potest, & rationi consonum est, vt totum tectum sit tabernaculum. Quòd si cubitus & semis latitudo fuit asseribus istis octo singulis, tunc pro latitudine totius tabernaculi duodecim cubitorum, opertorium illud deficiet vtrinque duobus cubitis supra bases, quod ipsum nonnihil deformitatis ducere videbitur. Idem verò operimentum iuxta aliud latus quadraginta cubitorum cùm sit, conteget triginta cubitorum totam longitudinem tabernaculi, & decem resiuis dependebit vsque ad bases occidentales. *Coniunxítque cortinas quinque alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit. Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter, vt contra se inuicem venirent ansæ, & mutuò iungerentur. Vnde & quinquaginta fudit circulos aureos qui morderent cortinarum ansas, & fieret vnum tabernaculum.* Chaldaica variat aliquantulum in verbis, non tamen in sensu, habet enim, Coniunxítque quinque cortinas vnam cum alia, & quinque cortinas alias coniunxit vnam cum alia. Fecítque ansas ex hyacintho in ora cortinæ vnius in latere quo iungenda erat, & sic fecit in ora cortinæ alterius in latere quo iungenda erat. Quinquaginta ansas fecit in cortina vna, & quinquaginta ansas fecit in latere cortinæ alterius quo iungenda erat. Erant enim ansæ vna è regione alterius. Fecítque quinquaginta fibulas aureas, & cõiunxit cortinas vnam cum alia fibulis, & factum est tabernaculum vnum. Vbi vt vides, Latinus Interpres succinctiùs locutus est, multas vitans repetitiones, quæ Hebraico idiomati propriè sunt. Dum autem vnum dicit factum tabernaculum, capit tabernaculum pro tentorio infimo ex decem coniunctis cortinis confecto, quod propriè tabernaculum dici iam præmonuimus. Coniunctio itaque cortinarum decem pulchrè describitur facta ansulis & fibulis, iuxta decorem & exigentiam operis, vt omnia faberrimè connecterentur, & resolui possent facilè, dum instaret profectio. *Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi. Vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor. Vnius mensuræ erant omnia saga. Quorum quinque iunxit seorsum, & sex alia separatim. Fecítque ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur, & fibulas æneas quinquaginta quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus sagis fieret.*

Sic habet hoc in loco Chaldaica, nequaquam ab Hebræo discrepans. Fecítque cortinas de pilis caprarum ad extendendum super tabernaculum, vndecim cortinas fecit. Longitudo cortinæ vnius triginta cubitorum erat, & quatuor cubitorum erat latitudo vnius cortinæ. Vnius mensuræ erant vndecim cortinæ. Et coniunxit quinque cortinas seorsum, & sex cortinas seorsum. Fecítque ansas quinquaginta in ora cortinæ in latere quo iungenda erat, & quinquaginta ansas fecit in ora cortinæ alterius in loco quo iungenda erat. Fecítque fibulas æneas quinquaginta, vt coniungeretur tabernaculum vt esset vnum. Hæc illa. A qua in sententia non deuiat Latinus Interpres. Fibulas autem æneas, vncinos intellige, sicut ansas, ansulas vel laqueolos. Et nota quòd scribitur fere vbique, fecit in singulari, cùm tamen plures artifices operi incumberent. Sed refertur verbum fecit ad Moysen, veluti ad Architectum, iuxta cuius constructionem sapientes omnia fecerunt. De sagis igitur vndecim, & ex eis composita tota magnitudine, dèque plicatura duorum cubitorum in fronte tabernaculi, supra columnas veli, superiùs dictum est capite vigesimo sexto. *Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis, aliúdque desuper velamentum de pellibus Ianthinis.* Fecit & opertorium tabernaculi, vel tabernaculo siue tentorio, hoc est, operimentum illis vndecim sagis cilicinis. Complectitur autem hic versus duo opertoria grossioris materiæ contra inclementiam aëris & pluuias, quæ incertum est si quantitate æquauerint duas reliquas cortinas. Sciendum tamen, dictionem Hebraicam תְּחָשִׁים Techasim, quam Chaldaica & Septuaginta hyacinthinas transtulerunt, ab aliis, taxorum siue tasorum, ab aliis, de pellibus melium verti, de qua etiam suprà satis.

GREGORIVS



A GREGORIVS NYSSENVS. Quod autẽ qualéque sit tabernaculum illud absque manu fabricatum, quod quasi exemplar in monte Moysi proponitur, vt ad illud respiciens, manu præparet, efficiátque hominibus tantum miraculum? Vide nanque (inquit) vt omnia facias secundum similitudinem, quæ tibi monstrata est in monte. Columnæ aureæ basi argentea inhærentes, aliæ rursus columnæ, quarum capita & bases ex ære, quod verò intra extrema erat, ex argento erat, quibus omnibus quasi subiectum ex ligno erat incorruptibili, circumcirca verò per superficiem splendor prædictæ materiei circunfundebatur, & arca similiter purissimo auro fulgens, quod autem aurum hoc sustinebat, ipsum quoque lignum erat incorruptibile. Candelabrum deinceps basi quidem vnicum, in septem autem ramos in cacumine diuisum, septem lucernas per ramos sustinebat. Huius candelabri materia purissimum erat aurum, non concauum, neque ligno sustentatum, sed solidum. Iuxta hæc propiciatorium erat, & altare, & quæ dicuntur Cherubim, quorum B alis arca adumbrabatur. Hæc omnia ex auro erant solido, nihil aliud in seipsis habentia. Præter hæc erant coria purpureo colore pertincta, cortinæ mira varietate distinctæ, ac inaudito contextæ artificio, diuersis coloribus alio alium suscipientibus ad pulchritudinem cortinarum, quibus in duo diuidebatur tabernaculum, in partem scilicet visibilem, in quam aditum sacerdotes habebant, & in partem secretiorem atque abditam: nomen autem priori parti sancta erat, occultæ verò parti atque reconditæ, sancta sanctorum. Sed quis omnia exquisita poterit ratione spiritualiter intelligere, quæ in illo tabernaculo fuerint diuinitùs fabricata? Quis hæc quorum sunt imagines ac imitationes exponit? Quisnam quam vtilitatem videntes hinc consequantur, quíd ve lucrentur ex materiali immaterialium figura explicabit? Rectius certè est exquisitissimam atque altissimam horum rationem ab illis petere, qui gratia spiritus profunda dei queant perquirere, si quis nunc talis est, vt spiritu mysteria, loquatur, sicut ait Apostolus. Quod autem à nobis coniectione quadam hæc ad propositum accommodantibus dicitur, id iudicio legentium totum relinquimus, nec reclamabimus si reiecerint, nec C lætabimur, si susceperint. Dicimus ergo nonnihil ex Paulo, qui mysterium breuiter tetigit, adiuti, quòd in figura prædoctus fuit Moyses tabernaculum, quo vniuersa continentur, id verò Christus dei virtus & dei sapientia, quæ quidem sapientia dei non manu facta, sed increata cùm sit, secundum naturam suam creaturam susscepit, quando secundum nos carne oportuit tabernaculum hoc fabricari. Item idem alio atque alio modo factum, & non factum est, natura in quantũ ante secula fuit, increatum est: in quantum corporalem hanc concretionem susscepit, creatum factúmque est. Nec obscurum est, quod dicimus, iis qui fidei nostræ mysterium complectuntur, vnum enim est ex omnibus tabernaculum, quod & ante secula fuit, & in nouissimis temporibus factum est. Id temporaliter ita fieri non indigebat, quomodo enim quod ante omnia erat tempora, factione indigebit temporali? Verùm propter nos, qui prauis consiliis id corrumpimus, quod etiam secundum nos voluit fieri, vt extra ipsum quod est, ad seipsum scilicet nos reduceret. Tabernaculum igitur ipse vnigenitus deus est, qui vniuersa in seipso continet, qui ex nobis etiam sibi tabernaculum fabricatus est. Nemo autem ex zelatoribus Christi con- D turbetur, si tantam rem tabernaculum appellamus, quasi quicquam detrahatur diuinæ naturæ propter vocabuli vilitatem, nec enim vnquam dignum illa natura verbum inuenietur. Nam quæ ab hominibus proferuntur, æqualiter à significanda illa natura omnia distant. Sed cætera, quæ de deo dicuntur, piè ad ostentandam diuinam quandam virtutem capiuntur, vt medicus, pastor, protector, panis, virtus, via, ianua, mansio, aqua, lapis, fons, aliáque huiusmodi, sic consentanea quadam significatione tabernaculum quoque dicimus. Virtus enim, quæ omnia continet, in qua vniuersa deitatis plenitudo inhabitat, cùm commune id omnium tectum sit, cúmque vniuersa in ipso contineat, non iniuria tabernaculum nuncupatur. Oportet autem vt tabernaculi visio, Mystico tabernaculo sic conueniat, vt singula ipsius ad aliquid non indignum mysterio nos deducant. Ac quoniam diuinus Apostolus visionem ipse quoque totius tabernaculi consecutus, cùm in cœlestibus adytis per spiritum sibi mysteria paradisi reuelata sint, Cortinam inferioris tabernaculi carnem Christi esse ait, non erit alienum ad hanc Apostolicam vnius partis expositionem respicientes, totam de tabernaculo E nostram sententiam explicare. Fiet autem nobis per ipsius Apostoli verba in intelligentiam ænigmatum tabernaculi facilior aditus, ait enim de vnigenito, quem nomine tabernaculi nuncupari diximus, Quia in eo creata sunt omnia, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue potestates, siue principatus, siue dominationes siue virtutes. Quòd si corium his etiam inest colore purpureo, & pili intexti, non tamen speculationis huius series perturbabitur. Nam oculus ille propheticus, in altissimarum hac rerum visione, salutarem quoque domini passionem tanquam è specula prospexit, quam ex vtroque dictorum significatam fuisse non ambigo. Rubedo enim sanguinem, pili autem mortem ostendunt. Nam cùm in corpore pilus absque sensu sit, non iniuria mortis symbolum dicitur. ISIDORVS. Iam adest nobis figura tabernaculi quod iubente domino Moyses fabricare iubetur. Tabernaculum hoc per allegoriam Ecclesia est in huius vitæ eremo constituta, de quo Psalmista ait, Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum. Variis igitur speciebus instruitur tabernaculum, partim pretiosis, partim vilioribus, per quod demonstratur alios sanctos, alios esse peccatores in F Ecclesia. Fideles autem omnes, & intra corpus Ecclesiæ constitutos. Tentoria verò quæ ansulis astuta, & circulis suspensa, atque innexa funibus ad modum cortinarum, viginti & octo in longum, atque in latum quatuor cubitis distenduntur, reliqua credentium plebs intelliguntur, quæ hæret & pendet in funibus fidei. Funis enim triplex non rumpitur, quæ est Trinitatis fides, ex qua dependet, & per quam sustinetur omnis Ecclesia. Quod autem viginti & octo cubitorum in longum, & in latum quatuor cortinæ vnius mensuræ distenduntur, lex Euangelij designatur. Septenarius nanque numerus legem significare solet, pro multis septiformis numeri sacramentis, qui consociatur ad quatuor Euangelia. Quater septem, viginti & octo numerum faciunt. Decem autem cortinæ fiunt, vt integrum perfectionis numerum teneant, & legis decalogum signent. Quæ tamen quinquagenis aureis circulis sibimet connectuntur, quia omnes fideles per donum sancti spiritus fidei & charitatis vinculo sociantur. Quinquagenarius enim numerus, ad spiritum pertinet sanctum. Vnde & quinquagesima die post pascha, descendit de cœlo paracletus. Consequenter verò vndecim vel cilicina fieri præcipiuntur

*Mysticè.*

præcipiuntur. In cilicio quippe peccatum oſtenditur propter hœdos ad ſiniſtram poſitos. Quoniam ergo ſu- G
perius in decem cortinis ſancti perfectionem legis tenentes imaginati ſunt, rurſus vndenario Ciliciorum numero, quoniam tranſgreditur denarium, tranſgreſſores legis, hoc eſt, peccatores in Eccleſia intelliguntur. Sed tamen & ipſa ſaga cilicina quinquagenis anſulis copulantur propter pœnitentiæ ſignum & ſpem remiſſionis per indulgentiam peccatorum. Vnde & quinquageſimus Pſalmus veniæ & remiſsionis eſt.

GREGORIVS NYSSENVS. Sed in hunc etiam ſenſum corium purpureum & ſaga ex pilis, ad ornatum tabernaculi pertinentia, accommodatè intelligentur, ſi pro corio mortificatio pronæ ad peccandum carnis, pro ſagis ſtrictior viuendi norma, & quaſi durior intelligitur, his enim maximè Eccleſiæ tabernaculum exornatur. Coria enim cùm nullam in ſe viuendi virtutẽ à natura retineant, colore rubedinis florere videntur, quod oſtendit floridam ſpiritus gratiam non habitare in homine, niſi primò peccati vim in ſeipſo mortificauerit. Si verò pudorem etiam modeſtum coloris rubedine ſignificari quiſpiam contendat, non certè relu- H
ctabor. Pilorum autem intricatio aſperam tactui texturam efficiens, aſperam & paſsionum omnium abſtinentiam atque continentiam ſuboſtendit. Quæ omnia maximè ita ſe habere confirmat eorum vita, qui continua viuunt virginitate. ISIDORVS. Poſſunt eadem tentoria cilicina quibus tabernaculum tegeretur, vt pluuias & ventos & turbines tolerarent, groſſas hominum mentes accipi, qui aliquando in Eccleſia occulto dei iudicio quamuis duri ſint præferuntur. Vnde & bene ſequenter pelles arietum ibi ſubiecit, vt per arietes duces præpoſitóſque Eccleſiarum oſtenderet, nam qui deſeruire curis temporalibus non timent, oportet vt tentationum ventos & pluuias de huius mundi contrarietatibus portent, vt hi qui intra Eccleſiam ſpiritualiter quaſi byſſus & hyacinthus & purpura fulgent, ſecuri interiùs reſplendeant, dum præpoſiti & rectores eorum contra procellas & turbines ſeculi foris laborant.

3 *FEcit & tabulas tabernaculi de lignis Sethim ſtantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ* I
*vnius, & unum ac ſemis cubitum latitudo retinebat. Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, ut altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabulis tabernaculi. E quibus uiginti ad plagam meridianam erant contra auſtrum, cum quadraginta baſibus argenteis. Duæ baſes ſub una tabula ponebantur ex utraque angulorum parte, ubi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur. Ad plagam quoque tabernaculi quæ reſpicit ad aquilonem, fecit uiginti tabulas cum quadraginta baſibus argenteis, duas baſes per ſingulas tabulas. Contra occidentem uerò, id eſt, ad eam partem tabernaculi quæ mare reſpicit, fecit ſex tabulas, & duas alias per ſingulos angulos tabernaculi retro, quæ iunctæ erant à deorſum uſque ſurſum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos, ut octo eſſent* K
*ſimul tabulæ, & haberent baſes argenteas ſedecim, binas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis. Fecit & uectes de lignis Sethim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, & quinque alios ad alterius lateris tabulas coaptandas, & extra hos quinque alios uectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. Fecit quoque uectem alium qui per medias tabulas ab angulo uſque ad angulum peruenire t. Ipſa autem tabulata deauranit fuſis baſibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos uectes induci poſſent, quos & ipſos laminis aureis operuit.*

3 AVCTOR CATENAE. Chaldaica. Fecítque tabulas tabernaculi de lignis Sethim ſtantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ, & cubiti & dimidij erat latitudo tabulæ vnius. Duos cardines fecit in vnaquaque tabula, & duabus incaſtraturis erant cõiunctæ vna cum alia. Sic fecit in omnibus tabulis taberna- L
culi. Et fecit tabulas tabernaculi viginti ad latus meridianum, & quadraginta baſes argẽteas fecit ſub viginti tabulis: duæ baſes ſub vna tabula in duobus cardinibus eius, & duæ baſes ſub tabula alia in duobus cardinibus eius. Et in latere ſecundo tabernaculi ad plagam ſeptentrionalem fecit viginti tabulas, & quadraginta baſes de argento: duæ baſes erant ſub tabula vna, & duæ baſes ſub alia tabula. Et in poſteriori parte occidentali tabernaculi fecit ſex tabulas, & duas tabulas fecit in angulis tabularum extremis. Et erant coniunctæ ab inferiori parte, ſimúlque erant coniunctæ in capite ſuo in annulo vno, ſic fecit in duobus angulis. Fuerúntque octo tabulæ, & baſes earum argenteæ. Sedecim baſes erant, binæ baſes ſub vnaquaque tabula. Et fecit quinque vectes de lignis Sethim ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi, & quinque vectes fecit ad continendas tabulas alterius lateris tabernaculi, & quinque vectes fecit ad continendas tabulas partis poſterioris tabernaculi ad occidentem. Et fecit vectem medium, vt mitteretur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum. Tabulásque cooperuit auro, & annulos earum fecit ex auro, vt eſſent loca vectibus, vectes quoque coo- M
peruit auro. Hæc illa, à qua in ſubſtantia non diſcrepat Latina litera. Cùm autem totum hoc caput & ſequens ſit repetitio eorum quæ antedicta ſunt in capitulo vigeſimo ſexto, & vigeſimo ſeptimo, vt nec voces variæ ſint, neque res, nec ſuper eo à doctoribus aliquid ſcribatur, & nos etiam hìc nihil habemus quod annotari poſsit, niſi quòd in præmiſsis verbis deſcribitur verum illud ligneum tabernaculum ex aſſeribus de lignis Sethim fabricatum, modo qui ſuprà habitus eſt, cuius exemplar Moyſi in monte monſtratum eſt, cùm annulis & vectibus omnia pariter deaurata erant. Inſiſtebant autem tabulæ baſibus argenteis terræ infixis. Fortaſſe veriſimile videbitur tabernaculum illud in ſummis ſolennitatibus totum aureum viſum eſſe, diſcoopertum aulæis, in aliis minoribus, nunc vna, nunc ambabus cortinis tectum, reliquis diebus tectum adhuc diligentiùs.

*Myſticè.* GREGORIVS NYSSENVS Tabulæ, ſiue ſecundum alia exemplaria, columnæ argento atque



A atque auro refulgentes & vectes, ac annuli, cæteráque omnia, quæ ad ſuſtinendum contegendúmque tabernaculum deſcribuntur, ſi quis ad ſuperius tabernaculum reſpicit, angelorum eſt multitudo in tabernaculo ipſa conſpecta, qua corporea hæc, ſecundum dei voluntatem ſuſtinentur atque reguntur. In illo enim tabernaculo veri vectes noſtri & habitant, & ſunt, qui ad miniſterium mittuntur, propter futuros ſalutis hæredes, qui ſicuti quidam annuli in animos ſaluandorum immittuntur, ad ſublimitatem virtutis ad terram deiectos eleuantes. ISIDORVS. Sed & aliter. Cùm tabernaculum in Eccleſiæ typum factum ſit, interim & tabulas deauratas erexit Moyſes, & baſes earum fudit argenteas. Quid enim per tabulas, niſi doctores & Apoſtoli, extenſa in mundum prædicatione dilatati? Quid per baſes argenteas, niſi Prophetæ ſignantur, qui ſuperimpoſitas tabulas ipſi firmi & fuſiles ſuſtinent, quia Apoſtolorum & Doctorum vita, dum eorum prædicatione inſtruitur, eorum auctoritate ſolidatur? Vnde & coniunctæ binæ baſes ſingulis tabulis ſupponuntur,
B quia dum prophetæ ſancti in verbis ſuis de mediatoris incarnatione concordant, ſubſequentes prædicatores Eccleſiæ indubitanter ædificant. Et cũ in ſemetipſis non diſcrepant, illos in ſe robuſtiùs figunt. Quod autem argenteas ait baſes & tabulas deauratas, oſtendit præcepta Apoſtolorum longè clariora eſſe quàm Prophetarum.

*FEcit & uelum de hyacintho, & purpura, uermiculo ac byſſo retorta, opere polymitario, uarium at-* 4
*que diſtinctum, & quatuor columnas de lignis Sethim, quas cum capitibus deauranit, fuſis baſibus earum argenteis. Fecit & tentorium in introitu tabernaculi, ex hyacintho, purpura, uermiculo, byſſóque retorta, opere plumarij, & columnas quinque cum capitibus ſuis, quas operuit auro, baſesque earum fudit æneas.*

C CAIETANVS. Quod in noſtra editione dicitur de ſecundis columnis quòd operuit eas auro, in 4
Hebræo habetur, operuit tantummodo ſummitates earum, & radios ſeu filos cingentes eas auro, per quod ſignificatur, quòd columnæ ligneæ fabrefactæ erant tanquam ſi eſſent ſculptæ per lineam helicam, ita quòd linea illa à ſummo vſque ad imum erat operta auro. Quod autem in fine & baſibus æneis ſubiungitur, quas & operuit auro, non eſt in Hebræo. AVCTOR CATENAE. Litera hæc ita legitur Hebraicè & Chaldaicè, Fecítque velum de hyacintho & purpura & coccino & byſſo retorta, opere artificis fecit illud cum figuris Cherubim. Et fecit ei quatuor columnas de lignis Sethim, & cooperuit eas auro, & capita earum erant ex auro, & effudit eis quatuor baſes de argento. Fecítque tentorium in oſtio tabernaculi, de hyacintho & purpura & coccino & byſſo retorta opere polymitarij, & columnæ eius quinque cum capitibus ſuis, & cooperuit capita earum & cælaturas earum auro, baſéſque earum fecit quinque ex ære. Hæc illa. Sicut autem pluries ſuperiùs dictum eſt, vbi in noſtra editione eſt, opere polymitario varium atque diſtinctum, habetur in Hebræo, מַעֲשֵׂה
D חֹשֵׁב עֲשֵׂה אֹתָהּ כְּרֻבִים Mahaſe choſeb haſa otha Cherubim, Opere ingenioſo fecit illud cum picturis. Vel opere acupictoris fecit illud cum Cherubim. Alij legunt, Opere phrygionico ſparſit velum illud imaginibus repræſentantibus Cherubim. Alij, Cherubim fecit in ipſis opere polymito. Septuaginta ἔργον ὑφαντὸν ἐποίησεν αὐτὸ χερουβίμ. Opus textile fecit illud Cherubim. Quæ omnia eundem ſenſum habent. Deinde quod apud nos eſt de ſecundis columnis in introitu tabernaculi quas operuit auro, in Hebræo, ſic legitur וְצִפָּה רָאשֵׁיהֶם וְחִשֻּׁקֵיהֶם
וְהָבָ֔ Vezippa raſehem vachaſúkehem zahab, Operuítque capita earum, & fila eas cingentia, ſiue ambitus earum auro. Fila ſiue ambitus vocat cælaturas quibus columnæ cingebantur, ſicut etiam legit Chaldaica. In Septuaginta etiam non habetur niſi deauratio capitum. Vnde cùm legis in Latina litera, Quas operuit auro, expone in ſummitatibus & cælaturis, ita vt reliqua pars columnarum intelligatur purè lignea. Quod autem in fine apud nos eſt, Baſéſque earum fudit æneas, Addendum ex Hebræo quinque, Vt dicatur, Baſéſque earum quinque fudit æneas. Quod verò ſequitur in quibuſdam Latinis codicibus, Quas & operuit auro, nec in He-
E bræo, nec in Chaldaica, nec in Septuaginta, ſed nec in antiquioribus quidem Latinis exemplaribus ſcriptum reperitur. Duo igitur vela hìc facta deſcribuntur, primum quod dirimebat ſanctum à ſancto ſanctorum, & quatuor tantùm columnis ſuſpendebatur: alterum, quod ex quinque columnis pendebat pro oſtio tabernaculi fœderis.

ISIDORVS. Ipſum tabernaculum cum in typo Eccleſiæ vt dictum eſt, fieret, columnas eius quatuor fun *Myſticè.*
dari argenteas dominus iubet. Columnæ iſtæ, quatuor Euangeliſtæ ſunt, ſanctæ firmitate fidei ſolidati. Argenteæ autem dicuntur, propter diuini eloquij claritatem. Harum columnarum baſes Prophetæ ſunt, qui ſuo geſtamine ſtructuram portant Eccleſię. Super fundamentum enim Prophetarum Euangeliſtæ Eccleſiam collocant, Eorúmque auctoritate Euangelicam fidem confirmant. Caput autem columnarum aureum, ille eſt de quo dicit Apoſtolus, quia caput viri Chriſtus eſt. Quod verò in medio tabernaculi velum extenditur, & exterior pars ab interiore ſeparatur, illud ſignificat, quòd nunc populis Eccleſiæ ea quæ promiſſa ſunt, velut oppanſa quouſ-
F que adueniant, videre non liceat. Sic enim & Apoſtolus ait, Nunc videmus per ſpeculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quandiu igitur in hoc mundo ſumus, tanquam per ſpeculum veritatem videmus, poſiti quaſi in ſancta, nondum peruenientes ad ſancta ſanctorum. Sancta enim poſſunt eſſe ea quæ in præſenti ſeculo habere ſancta conuerſatio poteſt. Sancta verò ſanctorum, in quæ ſemel tantummodo intratur, ad cœlum eſſe tranſitum, Vbi eſt propitiatorium & Cherubim, Vbi & mundis corde apparere poterit deus. In qua tamen conuerſatione conſtituti, non ſine adiutorio ſpiritus ſancti conſiſtimus. Habemus ergo ex ſpiritus ſancti fonte ſeptem lucernas, quæ illuminent populum Eccleſiæ, id eſt, ſeptemplicem domini gratiam miſſa in vniuerſo orbe terrarum, quæ populos Eccleſiæ, fulgore ſpiritus ſancti diuerſa chariſmatum claritate illuſtrat. Poteſt quippe hoc oppanſum velum, quod partem tabernaculi interioris occultabat, ne proſpicerentur illuc repoſita, tempus illud ſignificare, quod fuit ſub lege, quia quæ lex & Prophetæ cecinerunt, occulta erant, & interiecto velamine videri non poterant. Sed poſteaquàm Chriſto adueniente, tempore paſsionis velum illud à ſummo vſque deorſum dirumpitur

dirumpitur, omnia illa quæ antea erant occulta, per domini paſsionem ad noſtram fidem ſunt reuelata, dicente Apoſtolo, Nobis autem reuelauit deus per ſpiritum ſuum, qui ſpiritus omnia ſcrutatur, & ea quæ ſunt alta dei. GREGORIVS NYSSENVS. Quoniam igitur ſæpius à Paulo Eccleſia Chriſtus appellatur, Chriſtus autem ſuperius tabernaculum eſt, non eſt alienum, ſi quis Eccleſiam ſuam inferius eſſe tabernaculum arbitretur, in quo columnæ ſunt myſteriorum Eccleſiæ miniſtri, quos hoc ipſo nomine nonnunquam appellamus, miniſtros autem, Apoſtolos, Prophetas, doctores: Nec enim ſolùm Petrus & Ioannes & Iacobus columnæ Eccleſiæ ſunt, nec Ioannes Baptiſta tantùm ardens erat lychnus, ſed omnes quibus Eccleſia ſuſtentatur, qui ſuis operibus luminaria facti ſunt, hi columnæ & lychni nuncupantur. Vos eſtis lux mundi, veritas Apoſtolis ait, ac rurſum alios diuus Apoſtolus, quaſi columnas hortatur, cùm dicit, Firmi eſtote atque immobiles. At verò Timotheum columnam pulcherrimam fabricatus eſt, cùm ipſum firmitatem veritatis, ſuæ vocis doctrina effecerit. Quæ verò intus tabernaculum erant, & oppanſo velo celabantur, ſancta ſanctorum nominabantur, ad quæ multitudo peruenire non poterat, hæc rerum veritatem ſignificant. Veritatem hanc myſterij noſtri, dico rem ſanctam, & ſanctam ſanctorum, & multis incomprehenſibilem. Hæc veritas in adytis tabernaculi conſtituta, abſque curioſitate aliqua intelligi, ac recipi debet. Credendum enim eſt ita eſſe, vt Eccleſia prædicat, non tamen oculis omnium cerni poſſe, ſed in mentis ipſius penetralibus indubitabilem veritatem permanere.

AVCTOR CATENAE. Verùm quoniam quædam erant tempore illo circa Chriſti myſteria ignota populo, quæ ſacerdotibus erant nota, licet non tam plenè vt in nouo poſtea teſtamento, ideo velum aliud fabricatur, quod in ingreſſu tabernaculi quinque columnis appenditi tium expanditur.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMSEPTIMVM, ARGVMENTVM.

*Formantur Arca, Propitiatorium, Menſa, Candelabrum, Lucernæ, Altare thymiamatis, ipſumq; thymiama.*

## CAPVT XXXVII.

Lectio. 1.

*FEcit autem Beſeleel & arcam de lignis Sethim, habentem duos & ſemis cubitos in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in latitudine. Altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidij. Veſtiuitque eam auro puriſſimo intus ac foris. Et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius. Duos annulos in latere uno, & duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis Sethim, quos ueſtiuit auro, & quos miſit in annulos qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.*

Lectio. 1. AVCTOR CATENAE. Executio operis in hoc capitulo deſcribitur quo ad ea quæ erant intra tabernaculum, & primò eorum quæ intra ſancta ſanctorum, in quibus præcipua erat arca, De qua ait, *Fecit autem Beſeleel & arcam de lignis Sethim, habentem duos & ſemis cubitos in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in latitudine. Altitudo quoque vnius cubiti fuit & dimidij. Veſtiuitque eam auro puriſſimo intus ac foris.* Fabrica arcæ deſcripta eſt ſuprà capitulo vigeſimoquinto quomodo eam dominus fieri decreuerit, hîc autem quomodo eandem Beſeleel architectus confecerit. Repetitio quidem eiuſdem rei & hiſtoriæ, apud cæteros auctores vitio datur, apud Hebræos eſt de more, & vſus totius ſacræ ſcripturæ, vbi non ſolùm docetur quid credendum ſit & agendum, ſed idipſum inſuper repetitis vicibus inculcatur, quandoquidem ignauia & ſomnolentia ſenſus humani in diuinis rebus, hoc ipſum neceſſariò exigit. Quòd ſi ſecularium literarum amatores in hac ſacra ſcriptura reprehendere & calumniari velint, quare non idipſum in Poëtarum omnium parente & maximo Homero ſuo faciunt? Quare illius idiotiſmos tantoperè laudant, & otioſiſsimas repetitiones vſque ad cœlum euehunt? Huius autem omnium vetuſtiſsimæ ſcripturæ & ſacroſanctæ morem vtilem & eruditum ſubſannant, & illud in ea reprehendunt, quod in ſuis laudant? *Et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius. Duos annulos in latere vno, & duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis Sethim, quos veſtiuit auro, & quos miſit in annulos qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.* Chaldaica in eundem ſenſum legit. Fecítque illi circulum aureum per circuitum. Et fudit ei quatuor annulos aureos ſuper quatuor angulos eius, duo annuli in latere vno, & duo annuli in latere altero. Et fecit vectes de lignis Sethim, & cooperuit eos auro, & induxit vectes per annulos qui erant in lateribus arcæ. Quod autem apud nos eſt, Et fecit illi coronam per circuitum, Hebraicè eſt זֵר Zer, quod circulum aut limbum ſiue labium ſignificat, & eſt ambitus, arcæ decoris gratia adhibitus, quem Septuaginta, κυμάτιον σφιπτὸν, id eſt, Vndulam vertibilem appellarunt. Coronamentum igitur aureum ad quatuor latera inæqualia impoſitum, ad decus & ornamentum erat. Vectibus autem annulis aureis inſertis geſtanda erat arca à ſacerdotibus, quoties demigrandum eſſet, qui tamen nunquã eximebantur ab annulis, vt ad omne momentum parata eſſet baiulatio.

Myſticè. ISIDORVS. Iam nunc arcam teſtamenti dei inſpiciamus, in qua erant repoſitæ tabulæ legis. Per hanc itaque arcam quam de lignis imputribilibus Moyſes fabricauit, Eccleſia Chriſti ſignificatur, ædificata ex omnibus ſanctis mente & corpore incorruptis, habentibus etiam interius duas tabulas teſtamenti, id eſt, obſeruántiam legis & Euangelij. Intus autem ac foris inauratur arca. Sic & Eccleſia quaſi aurum radiare debet, tam interius vitæ ſplendore, quàm exterius doctrinæ & ſapientiæ claritate. Corona autem aurea per circuitum



A cuitum, & quatuor circuli aurei, qui per quatuor angulos iubentur adiungi, hoc ſignificant, quia in eo quod Eccleſia per quatuor mundi partes dilatata tenditur, proculdubio quatuor ſanctis Euangelij libris accincta prædicatur, quam tamen intra vnius coronæ ambitum, id eſt, intra eiuſdem fidei vnitatem concludit. Vectes quoque de lignis Sethim fiunt, qui eiſdem ad portandum circulis inſeruntur, quia fortes perſeuerantéſque doctores, veluti imputribilia ligna quærendi ſunt, qui inſtructioni ſacrorum voluminum ſemper inhærentes, ſanctæ Eccleſiæ vnitatem denuncient, & quaſi intromiſſi circulis, arcam portent. Qui auro quoque iubentur operiri, vt cum ſermone aliis inſonant, ipſi etiam vitæ ſplendore fulgeſcant. In hac teſtamenti arca fuit vrna aurea, tabulæ quoque, & virga Aaron. Arca hæc (vt prædictum eſt) Eccleſia eſt, habens duas tabulas lapideas, id eſt, duplicis teſtamenti perpetuam firmitatem. Vrnam quoque auream, hoc eſt, carnem Chriſti puram atque ſynceram, quæ reconditum in ſe manna perpetuæ diuinitatis conſeruat, & angelici illius panis perennem cœleſtémque
B gerit dulcedinem, necnon etiam virgam Aaron, id eſt, eiuſdem ſummi veríque pontificis noſtri Ieſu Chriſti ſalutare vexillum, immortalis memoriæ ſemper viriditate frondentem.

*FEcit & propitiatorium, id eſt, oraculum, de auro mundiſſimo, duorum cubitorum & dimidij in longitudine & cubiti ac ſemis in latitudine. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex utraque parte propitiatorij. Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub, alterum in ſummitate partis alterius. Duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus propitiatorij, extendentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuò & illud reſpicientes.* 2

C AVCTOR CATENAE. Alterum quod erat intra ſancta ſanctorum, propitiatorium erat cum ſuis Cherubim, de quo modò tractat, inquiens, *Fecit & propitiatorium, id eſt, oraculum, de auro mundiſſimo, duorum cubitorum & dimidij in longitudine, & cubiti ac ſemis in latitudine.* Duo verba illa, Id eſt, oraculum, addidit de ſuo Interpretes, cùm in Hebræo non inueniantur. Septuaginta autem, τὸ ἱλαστήριον ἐπίθεμα, dixerunt, id eſt, fecit & propitiatorium ſuperpoſitionem, nempe innuere volentes quòd propitiatorium erat ſuper arcam poſitum. Alij dictionem כַּפֹּרֶת Cappóreth, Tegumentum vel cœlum verterunt. Propitiatorium igitur hîc deſcribitur, quod tabula quædam fuiſſe videtur pro operculo arcæ, æqualis eidem arcæ iuxta longitudinem & latitudinem, cuius tantùm ſpiſsitudo tacetur, & altitudo ſupra arcam. *Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex vtraque parte propitiatorij. Cherub vnum in ſummitate vnius partis, & Cherub alterum in ſummitate partis alterius. Duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus propitiatorij, extendentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuò & illud reſpicientes.* Chaldaica litera ſic habet, Fecítque duos Cherubim, de auro ductili fecit eos ex duobus lateribus propitiatorij: Cherub vnum in latere vno hinc,
D & Cherub alterum in latere altero illinc. Ex propitiatorio fecit Cherubim ex duobus lateribus eius. Et erant Cherubim extendentes alas ſuas ſurſum, tegentes alis ſuis ſuper propitiatorium, & facies vniuſcuiuſque eorum erat è regione alterius, contra propitiatorium erant Cherubim. Hæc illa. Quæ etſi ad verbum magis referat Hebraicum quàm Latina litera, ab ea tamen in ſenſu non diſcrepat. Studuit enim in his repetitionibus breuitati Latinus Interpres, nil tamen de rei ſubſtantia dimittens. Quod autem in noſtra editione & Chaldaica legitur, Duos etiam Cherubim ex auro ductili, in Hebræo eſt dictio מִקְשָׁה Miksa, quam aliqui, ſolidos reddiderunt: Et (vt aliàs dictum eſt) Miksa propriè ductile ſignificat, metallum ſcilicet percuſſum malleo, & induratum vel complanatum. Quod etiam apud nos habetur. In ſummitate vnius, & in ſummitate partis alterius, Hebraicè poſita eſt dictio קָצָה kaza, quæ extremitatem, finem & ſummitatem ſignificat, & recentiores magis extremitatem hîc, quàm ſummitatem vertunt. Septuaginta, κλίτος latus ſiue angulum dixerunt. Sed & quod dicitur in Latina litera, Duos Cherubim, in Hebræo eſt, מִן הַכַּפֹּרֶת עָשָׂה אֶת הַכְּרוּבִים Min hacappóreth haſa eth hacherubim, De ipſo propitiatorio, vel tegumento, ſiue
E cœlo, fecit ipſos Cherubim, hoc eſt, ex eadem materia qua factum erat propitiatorium, fecit & Cherubim. Alij noſtrum Interpretem imitati, ſic legunt locum, Cherub vnum ab extremo hinc, & Cherub alterum ab extremo inde à propitiatorio, fecit Cherubim à duabus extremitatibus eius. Vt ſit ſenſus, quòd duos Cherubim fecit in duabus extremitatibus propitiatorij, vnum ab extremitate vna, ab altera alterum. Cherubim ergo (inquit) duorum facies alatæ erant, indicantes naturam intellectualem angelicam omnipotenti deo miniſtrantem, ſubitò præſentem rebus & hominibus ad mandatum domini, & ad diſpenſationem ordinis iudiciorum dei. Quod verò duo fuerint, id exigebat ratio duarum extremitatum. Quaternario enim iuxta angulos numero intra diuina locus non dabatur. Alij volunt imagines fuiſſe duorum iuuenum, alas habentium, ſicut in templo Salomonis.

Myſticè. ISIDORVS. Iam porrò propitiatorium ſuper arcam teſtamenti poſitum, id eſt, ipſe Chriſtus inſi-
F nuatur, qui inter deum & homines medius propitiator interuenit, de quo dicit Apoſtolus, Quem propoſuit deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Hoc propitiatorium arcæ ſuperponitur, ſicut & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, cuius à dextris & à ſiniſtris duo Cherubim conſiſtunt, quod eſt plenitudo ſcientiæ, id eſt, dilectio dei & proximi, per quam dominus oſtenditur. Nemo enim poteſt peruenire ad dominum, niſi per charitatem. Plenitudo enim legis dilectio. Alij eadem duo Cherubim, duo intelligunt teſtamenta, quæ propitiatorium dei, id eſt, Chriſti ſacramentum obumbrant, teſtante Propheta, In medio duum animalium cognoſceris. Hi verſis vultibus ſe reſpiciunt, dum in ſpirituali ſenſu vertuntur. Tunc enim alterutrum in meliùs ſibi concordant & in omnibus rectiùs conſonant. Siquidem ex vtroque latere oraculum vel propitiatorium tegunt, quia vetus & nouum inſtrumentum, tam Chriſti ſacramenta, quàm Eccleſiæ myſteria ſub ænigmatum figuris operiunt. GREGORIVS NYSSENVS. Hunc altiorem eſſe ſenſum ſcripturæ in hoc loco, inde patet, quòd Cherubim illa materialia ſuis alis tegebant myſteria, quæ in arca erant, vt

litera dicit. Nam id nomen iis Angelis attribuitur, vt Esaias & Ezechiel aiunt, qui circa diuinam maiestatem inspiciuntur. Arca verò fœderis, alis ipsorum Cherubim contecta, hîc illud dicitur, quod apud Esaiam facie signatur. Nam vt arca hîc, ita ibi facies cherubicis alis contegi affirmatur. Vnum igitur ab vtrisque significari non dubitamus. Videtur autem mihi incomprehensibile huius speculationis, quæ de ineffabilibus est, ænigmaticè significari. G

3 FEcit & *mensam de lignis Sethim, in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem, circundeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum, ipsíque labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eandem alteram coronam auream. Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singu-* H *los pedes mensæ contra coronam, missíque in eos uectes, ut posset mensa portari. Ipsos quoque uectes fecit de lignis Sethim, & circundedit eos auro, & uasa ad diuersos usus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.*

3 AVCTOR CATENAE. Chaldaica litera Hebraicæ veritati conueniens, hoc ipsum habet, quæ huiusmodi est, Fecítque mensam de lignis Sethim, duorum cubitorum longitudo eius, & cubiti vnius latitudo eius, & cubiti, & dimidij altitudo eius. Et operuit eam auro mundissimo, Fecítque ei circulum aureum per gyrum, & fecit ei coronam interrasilem altam pugillo per circuitum, & fecit circulum aureum ipsi coronæ interrasili per gyrum. Et fudit ei quatuor annulos aureos, & posuit annulos super quatuor angulos eius, qui erant ad quatuor pedes eius. Contra coronam interrasilem fuerunt annuli, vt per eos mitterentur vectes, vt portaretur mensa. Fecítque vectes de lignis Sethim, & operuit eos auro, vt in eis portaretur mensa. Et fecit vasa quæ erant super mensa, acetabula eius, & phialas, & thuribula, & cyathos, in quibus offerenda erant libamina, de auro mundissimo fecit ea. Et hæc quidem illa. Dum ergo apud nos legitur, Circundedítque eam auro mundissimo, pro cooperuit accipe. Est enim verbum וַיִּצֻף Vaizaph, à צָפָה Zapha, quod operire significat. Quod etiam dicitur, Et fecit illi labium aureum per gyrum. Dictionem זֵר zer, vertunt alij coronam. Pro eo etiam quod legimus coronam interrasilem, vertunt clausuram palmarem siue palmi, hoc est, ambitum qui latitudinem habuit quatuor coniunctorum digitorum. Vt enim apud Latinos duplex est palmi mensura, vna minor, quæ quatuor transuersales continet digitos, & alia maior, quæ duodecim habet transuersales digitos, hoc est, integram manus distensionem, sic apud Hebræos טֹפַח tóphach est mensura quatuor digitorum, & זֶרֶת zéreth est maxima extensio, quam quis cum digitis facere potest, & illa mensura continet ter palmum minorem, de quo hîc habetur sermo. Et quod sequitur, Et super eandem alteram coronam auream. Hebraica, וַיַּעַשׂ זֵר זָהָב לְמִסְגֶּרֶתוֹ סָבִיב K Vaiáhas zer zahab lemisgarto sabib, Et fecit limbum aureum ipsi clausuræ (hoc est) super ipsam clausuram, in circuitu, ab aliquibus vertuntur. Ab aliis, Et coronam fecit auream super ipsam clausuram per circuitum. A nonnullis, Limbo autem addidit per ambitum coronam auream. Quæ omnia idem in sensu sunt cum Latina editione. Et à Septuaginta ita vertuntur, καὶ ἐποίησεν αὐτῇ σχεπὸν κυμάτιον χρυσοῦν κύκλῳ, καὶ ἐποίησεν αὐτῇ στεφάνην παλαιστοῦ κύκλῳ, καὶ ἐποίησε σχεπὸν κυμάτιον κύκλῳ τῇ στεφάνῃ, Et fecit ei vertibilem vndam auream in circuitu, & fecit ei coronam pugilli in circuitu, & fecit vertibilem vndulam in circuitu coronæ. Sequitur, Contra coronam, misítque in eos vectes, vt posit mensa portari. Ipsa Hebraica sunt huiusmodi, לְעֻמַּת הַמִּסְגֶּרֶת הָיוּ הַבַּדִּים לָשֵׂאת אֶת הַשֻּׁלְחָן Lehummath hamisgéreth haiu hatabbahoth, battim labaddim laseth eth hasulchan, E regione coronæ interrasilis, siue clausuræ palmaris, Vel sub limbo erant circuli illi, domus vectibus, vel in quos mittebantur vectes, vel loculi, scilicet pro vectibus ad L gestandum mensam. Vertunt alij, Contra clausurã erant annuli, loca vectibus ad portandam mensam. Septuaginta, ὑπὸ τὸν στεφάνην. Et hîc est punctus, & iunguntur hæc verba superiori clausulæ sicut est apud Latinam literam. Vt dicatur, Et imposuit quatuor annulos super quatuor partes pedum eius sub vertibili corona. Deinde legunt, ἦσαν οἱ δακτύλιοι εἰς δήκας τοῖς ἀναφορεῦσιν, ὥστε αἴρειν τὴν τράπεζαν, Erant annuli in repositoria vectibus ad portandam mensam. Sed hæc Latinæ editionis sensum non immutant. Quod autem sequitur, Et circundedit eos auro, & hîc pro cooperuit expone, est enim idem verbum quod suprà. Quo in loco Interpres sermonis repetitionem fugiens, consultò dimisit hæc verba quæ Hebraicè habentur, לָשֵׂאת אֶת הַשֻּׁלְחָן Laseth eth hasulchan, Ad ferendam mensam. Vt sit sensus, Fecit hos vectes coopertos auro, vt eis mensa portaretur. Deinde cùm dicitur, Et vasa ad diuersos vsus mensæ, Rectè sensus ex verbis est redditus, nam Hebraicè ita legitur, וַיַּעַשׂ אֶת הַכֵּלִים אֲשֶׁר עַל הַשֻּׁלְחָן Vaiáhas eth hachelim aser hal hasulchan, Et fecit vasa quæ super mensam, Et subauditur, Erant ponenda, videlicet ad vsus mensæ. Nempe acetabula, phialas, & cyathos, &c. Nomina horum vasorum vide capite vigesimoquinto huius libri, ne toties eadem repe- M tantur. Demum vbi dicitur, In quibus offerenda sunt libamina, Idem est in Hebræo, vbi legitur אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֶן Aser iussach bahen, Quibus libandum est in eis. Hebraismus, pro, In quibus libandum est. Alij vertunt, Quibus libaretur, siue libabatur. Septuaginta libabit, supple Aaron. Nonnulli in alium sensum reddunt videlicet, Quibus tegentur, Et subaudiunt panes propositionis, qui his instrumentis cooperiendi erant in mensa. Sunt & qui ad conficiendum ac coquendum eosdem panes hæc instrumenta referant, & dicant, Quibus purgantur, quibúsque funditur. Expeditis igitur his quæ erant intra sancta sanctorum, ponit modò ea facta quæ intra tabernaculum, quod dicebatur sanctum. Et primùm quidem, Mensa aurea cum coronamento suo ac vectibus, descripta est capite vigesimoquinto eisdem præcisè verbis, quibus hoc loco. Excepto tantùm illo, vt quod ibidem scribitur, Et facies, & teges, & pones, & erunt, & operies, &c. Hîc dicitur, & fecit, & texit, & posuit, & deaurauit, &c. Idq; non solùm de mensa, sed de reliquis omnibus quæ sequuntur, ne quis putet Moysen



A sen & populum tam rebellem, multa quidem suscepisse mandata dei, sed nihil paruisse.

ISIDORVS. Postea verò mensa, pacis & fidei Ecclesiæ gestabat typum, in qua pascimur alimentis scri- *Mystice.*
pturarum, ad cuius vnitatem ex toto orbe vocibus Apostolicis dei populus congregatur, Salomone dicente, Sapientia ædificauit sibi domum, parauit suam mensam, miscuit vinum in cratere, & reliqua, dicés, Venite, & edite de meis panibus. GREGORIVS VIGESIMO LIBRO MORALIVM. Iubente autem domino nõ *Cap. 1. & 2.*
solùm phialæ ad mensam tabernaculi, sed etiam cyathi præparantur. Quid enim per phialas, nisi larga prædicatio, quid verò per cyathos nisi minima & tenuis de deo locutio designatur? In mensa igitur domini & phialæ præparantur & cyathi, quia videlicet in doctrina sacri eloquij non solùm exhibenda sunt magna & arcana, quæ deebriant, sed etiam parua & subtilia quæ quasi per gustum notitiam præstant. Debet enim subtiliter is qui docet perspicere, ne plus studeat quàm ab audiente capiatur, prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientium
B semetipsum contrahendo descendere, nedum paruis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.

4 IEcit & *candelabrum ductile de auro mundissimo. De cuius uecte calami, cyphi, sphærulæq; ac lilia pro-* 4
*cedebant, sex in utroque latere. Tres calami ex parte una, & tres ex altera. Tres cyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia, & tres cyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul & lilia. Aequum erat opus sex calamorum qui procedebant de stipite candelabri. In ipso autem uecte erant quatuor cyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos & lilia & sphærulæ sub duobus calamis per loca*
C *tria, quæ simul sex fiunt calami, procedentes de uecte uno. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erant, uniuersa ductila ex auro purissimo. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & uasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus uasis suis.*

4 AVCTOR CATENAE. Chaldaica, Fecítque candelabrum de auro mundissimo, ductile fecit illud, ha- 4
stile & calamum eius, cyphi eius, sphærulæ & lilia eius ex ipso erant. Et sex calami egrediebantur de lateribus eius, tres calami ex latere vno candelabri, & tres calami ex latere altero. Tres cyphi figurati erant in calamo vno, sphærula & lilium, Sic fecit in sex calamis qui egrediebantur de candelabro. Et in candelabro erant quatuor cyphi figurati, sphærulæ eius & lilia, sphærulaque sub duobus calamis eius, & spherula sub duobus calamis eius, & sphærula sub duobus calamis eius: sic fecit in sex calamis qui egrediebantur ex eo. Sphærulæ eius & calami eius ex ipso erant, omnia simul ductilia ex auro mundissimo. Fecítque septem lucernas eius, & forcipes eius, & thuribula eius ex auro mundissimo, ex talento auri mundissimi fecit illud, & omnia vasa eius. Sic
D illa. A qua Latina editio in substantialibus non deuiat. Vbi autem apud nos est, De cuius vecte, Hebraicè est וְיֵרְכָהּ וְקָנָהּ Ierecha vekana, Hastile eius, & calamus eius, siue truncus eius, & hastile eius, Aut basis eius, & stipes eius, Vel scapus eius & calami eius. Septuaginta, ὁ καυλὸς αὐτῆς καὶ οἱ καλαμίσκοι, Hastile eius, & calami eius. Procedebant. Hebraicè est מִמֶּנָּה הָיוּ Mimmẽna haiu, Ex ipso erant. Sic & Septuaginta. Quorum verborum duplex sensus esse potest, Alter, quòd ex eadem massa auri confecta erant hastile, calami, cyphi, sphærulæ & lilia ipsius candelabri: Alter verò, qui est apud Latinum Interpretem, quod candelabrum vnum erat integrum ac solidum, & ex eius trunco mira arte hæc omnia exibant & procedebant, videlicet calami, cyphi, sphærulæ, lilia seu flores. De quibus omnibus vide quæ dicta sunt suprà vigesimoquinto capite. Sequitur, Tres calami ex parte vna, & tres ex altera. Breuiùs se expedit Interpres quàm sint Hebraica, שְׁלֹשָׁה קְנֵי מְנֹרָה מִצִּדָּהּ הָאֶחָד Selosa kene menora mizidda haechad, Tres calami candelabri ex latere eius vno. Et sic replicatur in sequenti clausula, Et tres calami candelabri in latere eius secundo, seu altero. Sed sensus est idem. Tres cy-
E phi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæq; simul & lilia. Idem habetur ex Hebraico שְׁלֹשָׁה גְבִעִים מְשֻׁקָּדִים בַּקָּנֶה הָאֶחָד כָּפְתֹר וָפָרַח Selosa gebihim mésukkadim bakane haechad caphtor vaphérach, Tres cyphi seu calices in modum seu formam amygdali in calamo singulo vel vno, cum sphærula & flore. Alij vertunt, Tres scyphi amygdalati in calamo vno, & sphærula & flos. Et sic etiam in sequenti clausula repetitur. Septuaginta Latinæ editioni quasi conueniunt, quæ omnia tandem vnum & idem dicunt. Aequum erat opus sex calamorum qui procedebant de stipite candelabri. Hebraicè בֵּן לְשִׁשֶּׁת הַקָּנִים הַיֹּצְאִים מִן הַמְּנֹרָה Chen lesésseth hakanim haiozim min hamenora, Sic (subaudi fecit) sex calamis qui egrediebantur, vel egredientibus de candelabro. Ita & Septuaginta. Quod est idem cum eo quod habet Latina editio. In ipso autem vecte, hoc est, hastili. Hebraicè est בַּמְּנֹרָה Bamenora, In ipso candelabro. Sphærulæq; per singulos & lilia. Verba, *per singulos*, addidit Interpres pro clariori loci elucidatione. Procedentes de vecte vno. Quod Hebraicè dicitur, מִמֶּנָּה Mimenna, Ex eo. Quo in loco aduertendum Interpretem multa verba Hebraica in vnum compilasse, & sensum
F eorum integrum reddidisse, prout vidisti in Chaldaica. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erant. Hoc quomodo intelligatur, vide suprà in hac eadem annotatione. Et vasa vbi ea quæ emuncta sunt extinguantur, id est, reponantur ad extinguendum. Significat enim מַחְתָּה Machta, & prædictum vas, & illud etiam quo portatur ignis, thuribulum scilicet. Hæc autem omnia & plura his vide suprà capite vigesimoquinto, quæ ideo omittuntur, ne bono lectori tædio sint. Candelabrum igitur nunc fecisse commemoratur eadem materia & forma, quibus præcipiebatur Moysi in monte faciendum. Vectis autem candelabri intelligitur hastile medium super fundamento vel pedibus consistens, & lucernam suam gestans, vnde procedebant tres ex vtraque parte calami ornati formis cyphorum, sphærularum ac liliorum. Aequum erat opus, id est, erectis in eandem altitudinem calamis, cum hastili, & lucernas gestantibus, veluti extentis sex brachiis.

ISIDORVS. Candelabrum autẽ istud septem ramorum, spiritus sancti gerebat imaginem, qui septiformi *Mystice.*

gratia illustrat Ecclesiam omnem, in vnitate fidei consistentem. Alij idem candelabrum Christum intelligunt G
gestantem septem Ecclesias, in quibus septiformis spiritus sancti splendor emicat. Huic candelabro fiunt emunctoria, quæ in Esaia forcipes nuncupantur. Et hæc quidam duo testamenta interpretati sunt, quibus peccata purgantur, quæq; inter se sancti spiritus vnione sociãtur. Extra velum autem testimonij quod oppansum est, candelabrum ardere præcipitur, quia sine vllo veteris testamenti velamine spiritus sancti iam veritas fulget. GREGORIVS NYSSENVS. Cũ igitur de lychnis, id est lucernis, audis, quòd septempartito ex vna basi ac radice candelabri sustentabantur, vt lux abundanter vndique perluceret, iure multiformes spiritus fulgores in hoc tabernaculo perfulgere intelliges, septempartito enim spiritus radios etiam Esaias partitus est.

5 *FEcit & altare thymiamatis de lignis Sethim, per quadrum singulos habẽs cubitos, & in altitudine duos, H*
*è cuius angulis procedebant cornua, uestiuitque illud auro purissimo, cum craticula ac parietibus & cornibus. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos anulos aureos sub corona per singula latera, ut*
*mittãtur in eos uectes, & possit altare portari. Ipsos autẽ uectes fecit de lignis Sethim, & operuit laminis aureis.*

5 AVCTOR CATENAE. Chaldaica, Fecitque altare incensi aromatum de lignis Sethim. Lógitudo eius erat cubiti vnius, & latitudo eius cubiti vnius, quadrangulum erat, & duorum cubitorum erat altitudo eius, ex ipso fuerunt cornua eius. Operuítque illud auro mundissimo, tectum eius, & parietes eius per gyrum, & cornua eius. Et fecit circulum aureum per circuitum eius in duobus angulis eius super duo latera eius, vt per eos inducerentur vectes, vt portaretur in eis. Fecitque vectes de lignis Sethim, & operuit eos auro. Ita habet Chaldaica, verbis aliquantisper, licet non sensu, à nostra editione distans. Vbi verò apud nos est, E cuius angulis procedebãt cornua, In Hebræo est, וּמִמֶּנּוּ הָיוּ קַרְנֹתָיו Miménnu haiu karnothaf, Ex eo vel ipso erant cornua eius, id est, ex eadem materia qua & altare. Quod etiam nos cum craticula habemus, Hebraicè est עַגּוֹ gaggo, Et tectum eius, gag enim I
propriè tectum siue solarium significat. Videtur autem craticulam à Septuaginta mutuatse Interpres, nam & ipsi πλὼ ἐχάραξ, hoc est, craticulam habent. Sed hæc sensum non mutant. Sequitur, Ac parietibus. Addendum ex Hebræo, In circuitu, propter dictionem סָבִיב Sabib. Fecitque ei coronam auream per gyrum, vel limbum aureum. Vtroque enim modo reddi potest זֵר זָהָב Zer zahab, Per singula latera, vt mittantur in eos vectes, &c. Compilauit Hebraica Interpres, & sensum tantum expressit. Et verba quidem ipsa iuxta fontem sunt, vt legisti in Chaldaica. Altare ergo incensi modicum comparatione, inter candelabrum & mensam stabat non longè ab interiori velo, in tabernaculo Moysi, sicut & in templo Salomonis. Craticulam autem pro tecto accipe, nam hæc ara (vt dictum est) habuit tectum cum coronamento aureo per gyrum, gestabatúrque vectibus, si quando emigrandum indicebatur à domino.

*Mysticè.* GREGORIVS NYSSENVS. Altare verò & thuribulum cùm audio, adorationẽ intelligo, quam huic tabernaculo, id est, filio dei, cœlestes virtutes afferunt. Non enim solùm inferorum atque terrestrium, sed cœlestium quoque linguam ait Apostolus, laudem atque gloriam, vt rerum omnium principio reddere. Id enim gratum est ipsi sacrificium, labiorum fructus, vt ait Apostolus, & odor orationis. K

6 *COmposuit & oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiamata de aromatibus mundissimis opere*
*pigmentarii.*

6 AVCTOR CATENAE. Chaldaica litera, Et fecit oleum sanctæ vnctionis, & thymiama aromatum mundissimum opere aromatarij. Quod est idem cum litera nostra. Oleum sanctificationis fiebat ad inungendum primum tabernaculum, & omnia vasa eius, deinde etiam summum sacerdotem, & filios minori sacerdotio adaptandos. Vnde & successu temporum reges quoque vngebantur de nouo creati, vel suscepti in imperium. Thymiama autem illud, incensum intelligitur, quod intra tabernaculum quotidie incendebatur super aram incensi mane & vesperi à sacerdote, dum lucernas super candelabrum vel extingueret vel accenderet, quo L
& summus pontifex vtebatur semel in anno, propitiationis die ingrediens solenniter sancta sanctorum, quibus fas non erat vti in prophanis vsibus quibuscunque.

*Mysticè.* ISIDORVS. Porrò vnguentum quo perungitur tabernaculum, Chrisma est, quo vngitur fidelis populus, in quibus diuinitas tanquam in tabernaculo inhabitat. Potest quidem intelligi per hoc vnguentum etiam virtus sanctorum, siue odor iustitiæ longè latéque diffusus, de quo dicit Apostolus, Deo autem gratias, qui triumphat per nos in Christo Iesu, & odorem iustitiæ suæ manifestauit per nos. Incensum autem est, quod ex quatuor odoratissimis generibus in maximam subtilitatem comminutis, quæ sunt stacte, onyx, galbanum & thus componitur. Hæc in forma orationum fidelium constituta esse, beati Ioannis Apocalypsis ostendit. Et illi quidem viginti quatuor seniores prociderunt ante agnum, habentes vnusquisque citharas & phialas aureas plenas incẽso, quæ sunt orationes sanctorum. Quanquam & speciem quatuor elementorum, horum quatuor odorum naturæ significare videãtur, vt thus quod perlucidum est, aëri cõparetur, stacte verò aquis, galbanus & onyx terræ atque igni, M
vt per hæc omnium quæ in cœlo & infra cœlum, & in terra, & in aquis sunt, placitum deo incensum, sit huius creaturæ laudis oratio.

IN CAPVT



A IN CAPVT EXODI TRIGESIMVM OCTAVVM, ARGVMENTVM.

*Formatur altare holocausti cum labio æneo, & atrio, oblatáque donaria designantur.*

CAPVT. XXXVIII.

B *FEcit & altare holocausti de lignis Sethim, quinque cubitorum per quadrũ, & trium in alti-* *Lectio pri-*
*tudine, cuius cornua de angulis procedebant, operuítque illud laminis æneis. Et in usus eius* *ma.*
*parauit ex ære uasa diuersa, Lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, & ignium receptacula. Craticulámque eius in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam,*
*fusis quatuor æneis annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos uectes ad*
*portandum. Quos & ipsos fecit de lignis Sethim, & operuit laminis æneis, induxítque in*
*circulos qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cauum*
*ex tabulatis, & intus uacuum.*

AVCTOR CATENAE. Nunc peruenitur ad extructionem eorum quæ extra tabernaculum circunstare *Lect. 1.*
oportebat, quorum primum altare erat holocaustorum sub diuo ante fores tabernaculi, inter secundum velum & primum, quod atriorum erat. Et quia in aliquibus paucis variat Hebræum, ponetur Chaldaica litera illi concordans, quæ est huiusmodi, Fecítque altare holocausti de lignis Sethim, quinque cubitorum erat longitudo
C eius, & quinque cubitorum latitudo eius, quadrãgulum erat, & trium cubitorum altitudo eius. Fecítque cornua eius super quatuor angulos eius, ex ipso erant cornua eius. Et cooperuit illud ære. Et fecit omnia vasa altaris, lebetes, & batilla, & acetabula, & fuscinulas, & thuribula, omnia vasa eius fecit ex ære. Fecítque ei craticulam opere retis ex ære, sub circulo eius deorsum vsque ad dimidium eius. Et fudit ei, quatuor annulos in quatuor angulis craticulæ æneæ, vt per eos inducerentur vectes de lignis Sethim, & operuit eos ære. Et induxit vectes per annulos in lateribus altaris, vt portaretur cum eis, cócauum ex tabulis fecit illud. Hæc illa. Quæ Latinæ literæ sensum in nullo variat. Quod igitur est in nostra litera, Per quadrum, intellige longitudinis & latitudinis ipsius, quasi dicat, quinque cubitorum latitudo erit, & quinque longitudo altaris, vt ex vtraque parte æquale sit, & quadrangulum faciat. Quod etiam apud nos habetur, Cuius cornua de angulis procedebant, & in Hebræo, & Chaldaica est, Ex ipso erant cornua, intelligitur ex eadem materia qua & altare, confecta, nempe de lignis Sethim. Lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos, & ignium receptacula. Hebraica verba horum omnium vasorum dili-
D genter exposita, vide suprà hoc eodem libro, in principio vigesimi septimi capitis, ideóque nunc ab eorum recitatione supersedebimus. Et subter eam in altaris medio arulam. Hebraica sunt, תַּחַת כַּרְכֻּבּוֹ מִלְמַטָּה עַד חֲצִיוֹ Tâchath carcubbo milemátta had chezio. Quæ & sicut vertit Chaldaica, Et, sub circuitu eius ab imo vsque ad dimidium eius, subaudi altitudinis altaris, Vel subter ambitum eius deorsum, siue infernè vsque ad medium eius, verti potest. Et est sensus, quòd ara huic à parte inferiori subtus gyrum eius, cribrum fecit æneum, quod vsque ad dimidium altaris pertingebat. Volunt autem aliqui ideo hanc craticulam factam, ne pedibus altare fœdaretur. Qui in lateribus altaris eminebant. Addendum esset ex Hebraicis verbis, לָשֵׂאת אֹתוֹ בָּהֶם Laseth otho bahem, Ad portandum illud in eis. Sed Interpres putauit sufficisse quòd semel suprà dixerat. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cauum ex tabulatis & intus vacuum. Latiùs exponit quod paucioribus verbis habetur in Hebræo, videlicet, נְבוּב לֻחֹת עָשָׂה אֹתוֹ Nebub luchoth hasa otho, Cauum siue cum vacuo intra tabulas fecit illud. Vel, Ex asseribus cauam eam fecit, subaudi aram. Aut sicut vertit Chaldaica, cui & Septuaginta conue-
E niunt. Et sensus est, qui in litera nostra habetur. Alij legunt, Vacuum tabularum, hoc est, sine tabulis, facies illud. Ex quo alia sententia prorsus infertur. Sed de omnibus etiam his fusiùs vide quod in superioribus scriptum est. Quomodo itaque fabricandum esset altare hoc, dominus Moysi dixerat in monte, vt suprà vigesimoseptimo capite. Hîc tantùm narratur quomodo perfectum sit cum suo cribro, cornibus, & vasis variis ad combustionem sacrificiorum necessariis. Annulos autem octo habebat hæc ara, quatuor intra concauitatem æneos, in angulis circa medium altitudinis fixos, quibus tenebatur craticula, quæ & cribrum dicitur, cui ligna incendenda imponebantur, ac deinde carnes holocaustorum decidentibus cineribus ac fauillis atque carbonibus per craticulam. Alij quatuor annuli aurei, extra, in superficie conuexa aræ, duobus altrinsecus lateribus affixi erant, qui Hebraico more domus dicuntur vectium immittendorum, si quando transferenda esset ara.

ISIDORVS. Altare autem istud corpus Christi significabat, siue omnes sanctos, in quibus ardet sem- *Mysticè.*
F per diuinus ignis, & semper consumitur caro. GREGORIVS NYSSENVS. Fecit & altare holocausti de lignis Sethim. Hoc in altari & sacrificium laudis, & thus orationis in mane ac vesperum adhiberi semper videmus. Hoc sic intelligere Dauid ille nos inducit, qui incensum orationis in odorem suauitatis dirigit, & manuum extensionem sacrificium esse asserit vespertinum.

*FEcit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.*

GRAECVS. Mos Aegyptiorum fuit, ac præsertim mulierum, sacris rebus interesse, lineis vestibus sese induere, speculum etiam sinistra, sistrum verò dextera manu tenere. Hæc igitur specula ex Aegypto deportauerunt, quæ & in luteris formam fabricata sunt. CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Et fecit concham æream, & basim eius æream in speculis conuenientium, quæ conuenerunt ad portam

tentorij adunationis. Dictio interpretata conueniẽtium, participium est deductum ab exercitu, sicut & verbum G
conuenerunt. Et quia fœminini generis est, significat mulieres ad instar exercitus (si dici liceret) exercituãtes, quæ exercituauerunt portam tabernaculi. Concursus siquidem mulierum ad portam tabernaculi describitur ad instar exercitus, ad insinuãdum vel multitudinem speculorum æreorum quibus incrustata est concha tota, & propterea dicitur facta ex ære in speculis, vel qualitatem conchæ, ab occursu tot mulierum spectantiũ seipsas in illa. Dictio enim interpretata speculis, significat visiones, ac si dictum fuisset in visionibus conueniẽtium. Ac si apertiùs diceretur, fecit concham æreã talem, quòd in illa videbant seipsas exercitus mulierum, ita quòd non significatur concha incrustata speculis æreis, sed ipsum æs conchæ tam tersum ac politum, vt esset in quo sisterent ad seipsas videndum mulieres, ad instar exercitus conuenientes ad portam tabernaculi. Et hunc secundum sensum crediderim literalem, si verum est quòd dictio illa visiones significet, vt audio. AVCTOR CATENAE.
Hebraica litera huiusmodi est hoc in loco וַיַּעַשׂ אֶת הַכִּיּוֹר נְחֹשֶׁת וְאֶת כַּנּוֹ נְחֹשֶׁת בְּמַרְאֹת הַצֹּבְאֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ פֶּתַח H
אֹהֶל מוֹעֵד Vaiáhas eth haciior nechóseth veeth cano nechóseth, bemaroth hazóboth aser zábu péthach óhel mohed, Et fecit labrum seu concham æneam, & basim eius æneam de speculis conuenientium, seu militantium, vel excubantium, seu exercentium, quæ conueniebant, seu militabant, vel excubabãt, seu sese exercebant ad ostiũ tabernaculi testimonij, vel conuentus, siue Ecclesiæ. Aut ad ostium tentorij constitutionis. Pro quo sciendum צָבָא zaba verbum hic positum, militare, exercitum ducere, ad bellum procedere, & excubare significare. Dicunt ergo nonnulli ex speculis mulierum quæ veniebant, vt orarent in ostio tabernaculi, confectam fuisse concham illam. Vocãtur proinde specula illa ex quibus conflatum est lauacrum illud æneum, specula mulierum, quod hæ peculiariter pro capitum suorum compositione iis vti solebãt, sicut & Esaiæ tertio luxus ille filiabus Sion improperatur. Mulieres verò quæ à se seculi vanitatem reiecerant, & soli deo placere studebãt, portabãt huiusmodi specula, & in ministerium domini offerebant, & per singulos dies certo tempore veniebãt ad tabernaculum adoraturæ. Et quia turmatim sicut castra militum in exercitu militantium veniebãt mulieres deuotæ, ideo hoc verbo I
vsa est scriptura. Et hunc sensum clarè prosequitur Chaldaica hoc in loco, ita habens, Et fecit labrum ex ære, & basim eius ex ære de speculis mulierũ quæ veniebãt vt orarent in ostio tabernaculi fœderis. Alij exponunt iuxta communem modum, bεth per in, vel cùm. Vt sit sensus, Labrum illud eatenus collimatũ fuisse cùm æneum esset, vt lauantes se, aspicere quoque potuerint velut in speculo, vbi maculam contraxissent ibidem abluendam, vel quòd verè appositа fuerint in circuitu labij specula ad idem, ex ære illustrato confecta & apparata. Inquit enim Rabbi Abraham morem fuisse Iudæarum omnium, suam decorare faciem, & aptare tiaram singulo mane ad specula ænea, aut in vitreis suam faciem respicere. Hoc autem æs vel specula contulerunt in hunc vsum deuotæ aliquæ mulieres, quæ non in atrio, multò minus in sanctuario ministrabant, sed extra atrium suo loco, quæ per eas fieri poterant operando veluti insigniter deuotas, & cultui diuino dedicatas, strenuè aduigilando exercebãtur. Nec enim dicitur in ostio in Hebræo, sed ad ostiũ, hoc est, pro ostio & foribus, vt fieri scilicet decebat. Et tentorium illud, intelligitur ambitus cortinarum pro atrio, in quo ad ortum solum ostium erat velo viginti cubi- K
torum oppanso, vbi mulieres illæ præstolabantur fortasis officia commoda mulierum pro asportanda aqua, quæ ibi excipiebatur à Leuitis intra atrium, in quod ne viris quidem ingressus patebat, multò minus fœminis, quantumlibet deuotis. Septuaginta fortè in hunc sensum conueniunt, habentes, ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν,
Luc.2. ἃι ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς, De speculis ieiunantium quæ ieiunauerunt apud ostia tabernaculi. Nam & de Anna prophetissa filia Phanuel legitur muliere vidua, quòd non discedebat de tẽplo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Potest etiam hic νηστεύειν pro vigilare poni, nam & ieiunare & vigilare mulieres poterãt ad ostium tabernaculi. Dicitur enim de filiis Heli sacerdotis, quòd dormiebant cum mulieribus quæ obseruabãt ad ostium tabernaculi. Concha igitur ænea, fusorium vel lauacrum erat capacissimum aquæ, vnde lauabantur ministri, vt suprà capite trigesimo. Hoc autem loco non scribitur nec alibi forma huius lutri. Erat autem cum basi sua æneus, tantæ magnitudinis & ponderis vt portari potuerit.

Mysticè. GREGORIVS NYSSENVS. Vrnas verò spiritales, id est, vasa ad lauandum, quis ambiget eos esse, qui L
per sacramentalem aquam, peccatorum sordes auferunt? Talis vrna erat Ioannes lauans in Iordane ad pœnitentiam homines. Talis erat Petrus, tria milia hominum simul ad baptismi lauacrum deducens. Philippus quoque
Hom.17. vrna eunuchi Candacis fuit. Quid multa? Omnibus qui ad baptismi donum veniunt, ij vrnæ ac lotoria sunt, qui ministerio suo gratiam præbent. GREGORIVS IN HOMILIIS. Dicẽdum & aliter. Labrum æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lauari debeant, & sancta sanctorum ingredi, quia lex dei priùs nos lauari per compunctionem præcipit, vt nostra immunditia ad penetrandum secretorum dei munditiam non sit indigna. Quod bene labrum de speculis mulierum perhibet factum, quæ ad tabernaculi ostium indesinenter excubabãt. Specula quippe mulierum sunt præcepta dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, Et quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt, quia dum præceptis dominicis solerter intendunt, in eis procul dubiò vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat agnoscunt. Quæ quãdiu in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequa- M
quam possunt. Sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiam cùm infirmitate adhuc carnis grauantur, amore tamen continuò ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit, quia lex dei, lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt, intuenda nobis cœlestia præcepta præbet. Quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus. Videntes autem maculas, in pœnitentiæ dolore compungimur. Compuncti verò, quasi in labro de speculis mulierum lauamur. Tunc ergo de nobis verè compungimur, si studiosè patrum præcedentium facta pensamus, vt ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra vita sordescat. Tunc verè compungimur, cùm præcepta domini studiosè perscrutamur, & per hæc proficere ipsi contemnimus, per quæ iam profeciſſe nouimus quod veneramur.





A *FEcit & atriũ, in cuius australi plaga erant tẽtoria de byſſo retorta cubitorũ centũ. Colũnæ æneæ uiginti* 3
*cum basibus suis, Capita columnarum & tota operis cælatura argentea. Aequè ad septentrionalẽ plagã*
*tentoria, colũnæ baseſq; & capita columnarũ, eiusdẽ mensuræ & operis ac metalli erãt. In ea uerò pla-*
*ga quæ ad occidentẽ reſpicit, fuerũt tentoria cubitorũ quinquaginta, colũnæ decẽ cum basibus suis æneæ, & capita columnarũ, & tota operis cælatura argentea. Porrò cõtra orientẽ quinquaginta cubitorũ parauit tẽtoria, è quibus quindecim cubitos colũnarum triũ cum basibus suis, unũ tenebat latus & in parte altera quia inter utramq; introitũ tabernaculi fecit, quindecim æquè cubitorũ erant tentoria, columnæq; tres, & baſes totidẽ. Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat. Baſes colũnarum fuere æneæ, Capita autẽ earum cũ cunctis cælaturis suis argẽtea.*
B *Sed & ipſas colũnas atrii ueſtiuit argẽto, & in introitu eius opere plumario fecit tentoriũ ex hyacintho, purpura, uermiculo ac byſſo retorta, quod habebat uiginti cubitos in longitudine, altitudo uerò quinque cubitorũ erat, iuxta mensurã quam cuncta atrii tentoria babebãt. Colũnæ autem in ingreſſu fuerunt quatuor cum basibus æneis, capitáque earum & cælaturæ argenteæ. Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.*

STRABVS. Paxilli secundum literam erant in summitate columnarum fixi, quibus funes religabantur, 3
qui cortinas à terra subleuabant, firmati superioribus quibusdam ansulis, inferiùs verò religati ad prædictos paxillos cortinas extendebant, ne rugam contraherent. AVCTOR CATENAE. Chaldaica litera ita hoc loco habet. Fecítque atrium, in cuius australi plaga erant cortinæ de byſſo retorta centum cubitorum. Columnæ earum erant viginti, & baſes earum viginti ex ære, capita columnarum & cælaturæ erant ex argento.
C Et in plaga septentrionali erant cortinæ centum cubitorum, columnæ earum viginti, & baſes earum viginti, ex ære, capita columnarum & cælaturæ earum erant de argento. Et in plaga occidentali fuerunt cortinæ quinquaginta cubitorum, columnæ earum decem, & baſes earum decem, Capita columnarum & cælaturæ earum ex argento. Et in plaga orientali erat ſpacium quinquaginta cubitorum, quindecim cubitorum cortinæ erant in vno latere, columnæ earum tres, & baſes earum tres, & in latere ſecundo oſtij atrij hinc & inde, erant cortinæ quindecim cubitorum, columnæ erant tres, & baſes earum tres. Omnes cortinæ atrij per circuitum erant de byſſo retorta, & baſes columnarum erant ex ære, capita columnarum & cælaturæ earum fuerunt de argento, & cooperuit argento capita earum. Illæ quoque omnes columnæ atrii cælatæ erant argento, & tentorium oſtii atrii fecit opere polymitarii, ex hyacintho & purpura & coccino & byſſo retorta, viginti cubitorum erat latitudo eius, & altitudo eius ſicut latitudo eius, quinque cubitorum erat, iuxta altitudinem cubitorum atrii, & columnæ eius quatuor, & baſes earum quatuor ex ære. Vncini earum erant ex argento, & operuit ca-
D pita earum & cælaturas earum argento. Omnéſque paxilli tabernaculi & atrii per circuitum erant ex ære. Hæc illa. Paucula autem quædam ſunt in Latina litera, quæ pro clariori intelligentia admonenda cenſemus. Et primùm illud eſt, vbi dicitur, In cuius auſtrali plaga erant tentoria. Quæ cortinas intelligere debes, ſicut omnes editiones transferunt, Hebraicè קְלָעִי Kalhe dictas. *Et ſic accipiendum in tota hac lectione inferiùs.* Sequitur, Columnæ æneæ viginti. Adde earum, vt dicatur, Columnæ earum, &c. Eſt enim עַמּוּדֵיהֶם Hammudehem. Sed hoc ſubintelligitur. Quòd autem dicitur, Capita columnarum, in Hebræo habetur וָוֵי Vaue. Dicunt autem Hebræi יָ vau eſſe clauum prominentem qui literæ vau habet figuram, & in quo aliquid ſuſpendi poteſt, qualis eſt vncinus, qui caput habet retortum, & ab aliquibus paxillus dicitur. In ſingulis autem columnis atrii dicunt nonnulli fuiſſe infixos iuxta cælaturas columnas cingentes vncinos quoſdam, in quos ſuſpendebantur pecudes offerendæ, poſtquam excoriatæ erant, & hos hîc vocari וָוֵי clauos ſeu vncinos, qui memorantur columnis infixi. Alii volunt (& noſtro iudicio decentiùs) pro columnarum capitibus hoc in loco
E poni, ſed de hoc ſatis dictum in ſuperioribus. Et tota operis cælatura argentea. Hebraicè eſt וְחִשְׁקֵיהֶם Vachaſúkehem, Et cælaturæ earum, ſiue fila eas cingentia, ſubaudi columnas, ſiue cincturæ earum ex argento, ſed & hoc idem cum litera noſtra. Aequè ad ſeptentrionalem plagam tentoria. Tam noſtra editio, quàm Chaldaica, hîc Hebraica ſuppleuit, vbi legitur tantùm, Et ad plagam aquilonis centum cubitorum columnæ & cætera, nam noſtra addidit tentoria, Chaldaica, Erant cortinæ, vbi Septuaginta habent, ἑκατὸν ἐφ' ἑκατὸν, id eſt, centum ad cẽtum. Quod ſic intelligitur. Et in ſeptentrionali plaga ad centum cubitorum longitudinem, erant cortinæ centum cubitorum. Columnæ baſeſq;. Vtrobique ex Hebræo addendum eſſet, viginti, vt diceret, Columnæ earũ viginti, & baſes earum viginti. Sed cũ Interpres in fine huius mẽbri epilogando dicat, eiusdẽ menſuræ & operis ac metalli, refert ſe ad ea quæ dixit de auſtrali plaga. Capita colũnarũ. Intellige hîc cũ cælaturis earũ, ſeu *filis eas cingentibus.* Nam in Hebræo repetitur dictio וְחִשְׁקֵיהֶם Vachaſúkehem. Nec omittendũ quòd *vbicunq; hoc in loco* apud nos legitur, capita columnarũ & tota operis cælatura argentea, à Septuaginta *verti*, καὶ οἱ κρίκοι ἀυτῶν καὶ αἱ
F φαλίδες ἀυτῶν ἀργυραῖ, Et fibulæ earũ & forcipes earum argẽteæ. Columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ. Propria Hebraica ſunt עַמּוּדֵיהֶם עֲשָׂרָה וַאֲדָנֵיהֶם עֲשָׂרָה Hammudehem haſara, veadnehem haſara, Columnæ earũ decem & baſes earũ decem. Sed Interpres ſuccinctè loquitur in his capitulis, & breuioribus quàm poteſt verbis ſenſum intentum reddit. Vnde prudenter etiam hoc loco de ſuo addidit, æneæ. E quibus quindecim cubitos columnarũ trium cum baſibus ſuis vnum tenebat locum, &c. Senſus eſt, Erant cortinæ quindecim cubitorum ex vno latere introitus, cum columnis tribus, & baſibus tribus, & ex alio ſimiliter latere in medio introitum atrii fecit. Sed & Hebraica ſunt hoc in loco eademmet prorſus quæ habet Chaldaica. Sic & in eo quod ſequitur, Et in parte altera, quia inter vtraque, &c. Hebraica litera eſt prout habet Chaldaica, Cuncta atrii tentoria (adde per circuitũ) eſt enim in Hebræo dictio סָבִיב Sabib) byſſus retorta, texuerat. Verbum texuerat, appoſitũ eſt ab Interprete. Et eſt ſenſus, Omnes cortinæ quæ circumcirca atrium, erãt confectæ ex retorta byſſo. Sed & ipſas columnas atrii veſtiuit argento, hoc eſt, capita ipſarum columnarum, nõ totas columnas. Sic enim ſunt Hebraica וְצִפּוּי רָאשֵׁיהֶם כֶּסֶף Ve-

zippui raſchem cáſeph, Et operimentum capitellorum ſeu capitum earum erat argenteum, ſiue, & tecta fuerunt G
capita earum argento, aut, capita verò earum obducta erant argento. Idem eſt ſenſus apud Septuaginta & Chaldaicam. Sequitur poſt hæc in Hebræo, וְהֵם מְחֻשָּׁקִים כֻּלָּם כֶּסֶף עַמּוּדֵי הֶחָצֵר Vehem mechuſſakim chêſeph col hammude héchazer, Et ipſæ cinctæ argento omnes columnæ atrij. Vel, Et cingebantur circulis ſiue cingulis argenteis omnes columnæ atrij. Quæ fortè ideo dimiſit Interpres, quoniam ſuprà dixerat, capita autem earum cũ cunctis cælaturis ſuis argentea. Et in introitu eius, opere plumario fecit tentorium, id eſt, velum, ſiue aulæum, quod Hebraicè dicitur מָסָךְ Maſach. Sequitur, Altitudo verò quinque cubitorum erat. Addendum hîc ex Hebræo, Cũ latitudine, Eſt enim בְּרֹחַב Beróchab, Vt dicatur, Altitudo verò eius cum latitudine, Vel ſicut latitudo quinque cubitorum. Vel vt alij legunt, Et in altitudine, ſiue, Ac longitudine quinque cubitos, ſubaudi habebat velum ipſum in oſtio atrij. Quod verò ſequitur, Iuxta menſuram quam cuncta atrij tentoria habebant, hoc eſt, & hoc velum fecit ad menſuram aliarum cortinarum atrij, Iuxta Hebræum ita legitur, לְעֻמַּת קְלָעֵי הֶחָצֵר Lehummath H
kalhe hechazer, E regione cortinarum, ſiue contra tentoria atrij, Et eſt ſenſus, quòd hoc velum ſtabat ex aduerſo aliarum cortinarum atrij, nam aliæ erant ab aquilone, aliæ à meridie, aliæ ab occidente, hoc ab oriente expãſum erat. Vertunt alij, Secundum propoſitionem tapetium, ſiue cortinarum atrij. Et eſt ſenſus ſecundum literam noſtram, quòd altitudo & latitudo huius veli, erat quinque cubitorum, obſeruata proportione & menſura ad alias cortinas. Cui intellectui & Septuaginta & Chaldaica etiam ſubſcribunt. Columnæ autem in ingreſſu fuerunt quatuor. Verba in ingreſſu, pro clariori intellectu addidit Interpres. Et cælaturę earum argenteæ. Hîc addendum ex Hebræo, Et operimentum capitum earum, Vt dicatur, Capita ſiue capitella earũ ex argento, & operimentum capitum ſeu capitellorum earum, & cælaturæ ſiue cincturæ earum ex argento. Sunt enim eadem verba in Hebræo, quæ paulò ante poſita ſunt. Sed Interpres Septuaginta ſequutus, ſufficere arbitratus eſt, quod dixerat capita earum. Paxillos quoque (addendum omnes) Eſt enim וְכָל הַיְתֵדֹת Vechol haithedoth, vt dici debeat, Omnêſq; paxillos ſiue clauos, tabernaculi & atrij per gyrum fecit æneos. Et hi erant quibus retinebantur in terra cortinæ I
ne facilè à vento raperentur. Atrij ergo totius, ſecundum longum, latum, cortinas, columnas, baſes, capitella & velum pro oſtio, ſtructura hîc perfecta deſcribitur, ſicut ſuprà capite vigeſimoſeptimo perficienda à deo Moyſi mandabatur, vbi ſi quid te hîc moratur, lector, fortaſsis inuenies.

GREGORIVS NYSSENVS. Atria verò quæ inter ſe complicata in circulum connectuntur, pacem, concordiam & charitatem credentium eſſe, non abſurdè quiſpiam dixerit. Sic enim Dauid hunc locum expoſuiſſe videtur, cùm dicat, Qui ponis terminos tuos pacem. *Myſticè.* STRABVS. Funes autem quibus cortinæ ſuſtẽtantur, ſanctam ſcripturã ſignificant, de qua Salomon ait, Funiculus triplex difficilè rumpitur, Quia ſancta ſcriptura, hiſtoria, moralitate, & allegoria conſtans, nullis hæreticorum dogmatibus poteſt dirumpi. Paxilli in modum linguæ facti, linguas doctorum ſignificant, qui ſcripturam exponunt. Cortinas etiam à terra ſubleuant & extendunt, quia ſubiectos docent ſequi & imitari cœleſtia, nullámque mali operis vel fraudis rugam contrahere.

K
HAec ſunt inſtrumẽta tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi, in cæremoniis
4 Leuitarum per manum Ithamar filii Aaron ſacerdotis, quæ Beſeleel filius Huri filii Hur de tribu Iuda domino per Moyſen iubente compleuerat, iuncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamech de tribu Dan, qui & ipſe artifex lignorum egregius fuit & polymitarius atque plumarius, ex hyacintho, purpura, uermiculo, & byſſo.

4 CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Iſta numerata tabernaculi teſtimonij, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi, miniſterio Leuitarum per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis, quæ Beſeleel filius Huri filij Hur de tribu Iuda, domino per Moyſen iubente compleuerat, &c. Tanquam rubrica ſubiunctarum ſummarum auri, argenti & æris præponitur. Deſcribitur autem quòd ſupputatio fuit facta iuſſu Moyſi miniſterio Leui- L
tarum, præſidente illis Ithamar filio Aaron, facientibus autem opera Beſeleel & Ooliab, vt percipiamus quòd ordinatè & fideliter contractatæ ſunt res oblatæ pro tabernaculo diuino, ad hoc enim meminit Moyſes perſonarum quarum curæ commiſſæ ſunt res. Et Ithamar quidem ac Leuitis tanquam ratiocinia ſcribentibus, Beſeleel verò & Ooliab principalibus artificibus, vt ex iſtorum omnium relatione, ſubiunctarum ſummarum notitia habita fuerit. AVCTOR CATENAE. Chaldaica editio habet, Hæ ſunt numerationes tabernaculi teſtimonij, quæ enumeratæ ſunt iuxta præceptum Moyſi per miniſterium Leuitarũ per manum Ithamar filij Aaron ſacerdotis. Beſeleel enim filius Huri filij Hur de tribu Iuda, fecit omnia quæ præcepit dominus ad Moyſen. Et cũ eo Ooliab filius Achiſamech de tribu Dan, faber lignarius & artifex, & polymitarius in hyacintho, & purpura, & coccino, & byſſo. Hæc illa, quæ idem dicit in ſententia cum litera noſtra. Leuicula tamen quædam hîc annotare placet, pro faciliori ipſius lectionis intelligentia. Illúdque primùm, quòd pro eo quod apud nos eſt, Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi in cæremoniis Leuitarum per manum Ithamar filii Aaron ſacerdotis, in Hebraica veritate ita legi אֵלֶּה פְקוּדֵי הַמִּשְׁכָּן מִשְׁכַּן הָעֵדֻת אֲשֶׁר פֻּקַּד עַל M
פִּי מֹשֶׁה עֲבֹדַת הַלְוִיִּם בְּיַד אִיתָמָר בֶּן אַהֲרֹן הַכֹּהֵן Elle pekude hamiſcan miſcan haheduth, aſer pukkad hal pi Moſe, habodath haluiim biiad Ithamar ben Aaron hacohen, Hæ ſunt numerationes, vel iſti ſunt numeri, aut, Hęc ſunt numerata, ſeu computũ tabernaculi, tabernaculi (inquam) teſtimonii, quæ enumerata ſunt iuxta præceptũ Moyſi miniſterio ſiue in miniſterium Leuitarum per manum Ithamar filii Aaron ſacerdotis. Pakad enim, cenſere, numerare, computare, necnon & præcipere ſignificat. Hîc autem ponitur nomen & verbum ab eo deriuatum. Et eſt ſenſus, Omnia quæ ſupradicta ſunt, hucuſque confecta vaſa tabernaculi teſtimonii, deſeruitura miniſterio Leuitarum, enumerata ſunt ex mandato Moyſi per Ithamar filium Aaron iuniorem. In eundem etiam ſenſum vertunt alii, Hæc eſt ſumma rerum tabernaculi, tabernaculi (inquam) teſtimonii, vt numerata ſiue ratione ſubducta eſt iuxta præceptum Moyſi, pro miniſterio ſiue miniſterium Leuitarum, per manum ſiue in manu Ithamar filii Aaron ſacerdotis. Et quod dicitur pro miniſterio, perinde eſt ac ſi diceret, vt eſſent miniſteriũ Leuitarum, id eſt,

vt ea



A vt ea curarent Leuitæ. Officium enim Leuitarum erat transferendi tabernaculi, quando locum mutabant Iſraëlitæ. Et quòd dicitur, per manum ſiue in manu Ithamar, Hebraiſmus eſt, pro opera Ithamar. Quæ omnia eundem ſenſum habent cum litera noſtra. Nõ ſolùm autem enumerationes verti poteſt, ſed etiam commiſsiones & præcepta, quæ dominus circa erigendum ſanctuarium Moyſi fecerat, quod dicitur tabernaculum vel manſio teſtimonij, quando decreuit miniſterium cæremoniale ſibi exhibendum, non à toto populo, vel omnibus tribubus, ſed à Leuitis ad hoc deligendis à domino, officio & commiſsione Ithamar filij Aaron. Ille enim præeſſe debebat tabernaculi reſolutioni, & compoſitioni onerum & tranſlationi, ſiquando caſtra ſoluenda eſſent, & tranſmigrãdum de loco. Nam quod apud nos dicitur in cærimoniis Leuitarum, Hebraicè eſt עֲבֹדַת habodath. Habduth autem eſt ſeruitus, opus, cultus, miniſterium. Rectè ergo, & in cæremoniis, ſiue per miniſterium Leuitarum tranſferri potuit. Septuaginta paululum hîc variant, legentes, καὶ αὕτη ἡ σύνταξις τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, καὶ συνετάγη μωϋ-
B σῆ, τὼ λειτουργίαν εἶναι τῶν λευιτῶν διὰ ἰθάμαρ τοῦ υἱοῦ ἀαρὼν τοῦ ἱερέως, Et hæc eſt conſtructio tabernaculi teſtimonij, ſicut præceptum fuit Moyſi, miniſterium eſſe Leuitarum per Ithamar filium Aaron ſacerdotis. Sequitur, Iuncto ſibi ſocio. Quod idem eſt cum eo quod dicitur in Hebræo, וְאִתּוֹ Veitto, Et cum eo. Reliqua autem quæ ſequuntur, toties repetita ſunt, vt pudeat in eis amplius immorari.

*OMne aurum quod expenſum eſt in opere ſanctuarii, & quod oblatum eſt in donariis, uiginti & nouem* 5
*talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta ſiclorum, ad menſuram ſanctuarii. Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum à uiginti annis & ſuprà, de ſexcẽtis tribus millibus & quingentis quinquaginta armatorum. Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ ſunt baſes ſanctuarii, & introitus ubi uelum pendet. Centum baſes factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis.*
C *De mille autem ſeptingentis & ſeptuaginta quinque ſiclis, fecit capita columnarum, quas & ipſas ueſtiuit argẽto. Aeris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia & quadringenti ſuprà ſicli, ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi teſtimonii, & altare æneum cum craticula ſua, omniáque uaſa quæ ad uſum eius pertinent, & baſes atrii tam in circuitu quàm in ingreſſu eius, & paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.*

AVCTOR CATENAE. Reconciliatus deo populus, mira promptitudine & hilaritate donaria obtulit 5
ad conſtructionem tabernaculi domini. Operatur enim magna dei amor (vt per quendam ſanctorum dicitur) ſi adeſt: ſi autem non adeſt, nec operatur quidem. Vt igitur noſcas quàm deuotus fuerit deo populus, ſummã ponit Moyſes auri, argenti & æris quod in domini donaria oblatum eſt, inquiens, *Omne aurum quod expenſum eſt in*
D *opere ſanctuarij, & quod oblatum eſt in donariis, viginti & nouem talentorum fuit, & ſeptingẽtorum triginta ſiclorum ad menſuram ſanctuarij.* Hic ſenſus verborum ab Interprete eſt redditus, ſed ipſa Hebraica paululum variant, quæ ſunt huiuſmodi כָּל הַזָּהָב הֶעָשׂוּי לַמְלָאכָה בְּכָל מְלֶאכֶת הַקֹּדֶשׁ Col hazahab hebaſui lamelacha becol melechet hakódes, Omne aurum factum ad opus in omni opere ſanctificationis, ſeu ſanctuarii, Et eſt Hebraiſmus, aurum factum ad opus in omni opere, pro, aurum omne quod expenſum ſeu inſumptum eſt in omni opere ſanctuarii. Talis loquendi modus eſt & in Chaldaica & in Septuaginta. Sequitur, Et quod oblatum eſt in donariis. Pro quo in Hebræo eſt וַיְהִי זְהַב הַתְּנוּפָה Vaihi zehab hatenupha, Fuit autem aurum ſponte oblatum, ſubaudi hoc quod inſumptum fuit. Hoc enim ſignificat aurum Tenupha. Hæc autem debent legi per parentheſim. Alii legunt, Fuit aurum oblationis, ſeu ad ventilandum oblatum. Ad menſuram ſanctuarii. Quod Hebraicè dicitur, בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Beſékel hakódes, ſecundum vel iuxta ſiclum ſanctuarii, aut ſanctificationis, ſiue ſanctum, vt legunt Septuaginta, Id eſt, ad numerum ſiue pondus ſiclorum quibus vtebantur in ſanctuario. Nam aliàs dictum, differentiam fuiſſe inter ſiclum
E communem & ſiclum ſanctuarii. Chaldaica, In pondere ſanctuarii. Quæ omnia à Latinæ literæ ſenſu non deniant. Quod nos habemus viginti & nouem talenta, Rabi Salomon dicit centenarios, quorum quilibet ſecundum eum conſtat ſexaginta minis, hoc eſt, libris vſualibus. Eſt autem mina ſanctuarii duplo maior communi. Quo fit, vt centenarius vel talentum, ſecundum illum, contineret centum viginti minas, & mina viginti quinque ſiclos. Summa ergo centenarii continebat tria millia ſiclos. Vt autem omnia bene noueris, dicunt talentum habere ſexaginta libras in pondere. Libram ſeu minam habere quindecim, vel ſecundum alios vigintiquinque ſiclos. Siclum verò habere quatuor denarios. Denarium ſex obolos. Obolũ ſedecim grana hordeacea. *Oblatum*
*eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum à viginti annis & ſuprà, de ſexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta armatorum.*
CAIETANVS. Valde manca eſt litera iſta, nam in Hebræo poſt explicatam ſummam auri, ſubiũgitur ſumma argenti, dicendo, Et argentum numeratorum ſynagogæ centũ talenta, & mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli in ſiclo ſanctuarii. Ad differentiam argenti aliter oblati, dicitur argentum numeratorum ſynagogæ, quia de argento duntaxat eſt ſermo quod oblatum fuerat numerando populum, à numeratis videlicet viris à
F viginti annis & ſuprà. Et hinc habetur prima numeratio populi executioni mandata iuxta præceptum ſuperiùs ſcriptum, facta eodem anno quo egreſſus eſt populus de Aegypto iuxta montem Sinai ante conditum tabernaculum diuinum. Deinde ſequitur, Partitio ad caput, dimidium ſicli in ſiclo ſanctuarij, omni tranſeunti ſuper numeratos à filio viginti annorum & ſuprà, ſexcentis millibus & tribus millibus & quingentis & quinquaginta. Perpende quòd præter mulieres & viros infra vigeſimum annum, & vt creditur, præter viros emeritæ militiæ ſecundum ætatem, tantus erat numerus virorum à viginti anno & ſuprà. Nec oportet immorari ad declarandum partitionem ſeu diſtributionem hanc, quoniam ex ſuperiùs ſcriptis cùm ordinata fuit numeratio populi, patet. Quòd autem dicitur in ſiclo ſanctuarii, ad differentiam ſicli communis, ſeu non exactè menſurati dicitur. AVCTOR CATENAE. Oblatum eſt autem. Deeſt hoc loco manifeſtè in noſtris codicibus longa periodus, quæ ita habetur in Hebræo: וְכֶסֶף פְּקוּדֵי הָעֲדָה מְאַת כִּכַּר וְאֶלֶף וּשְׁבַע מֵאוֹת וַחֲמִשָּׁה וְשִׁבְעִים שָׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ
בֶּקַע לַגֻּלְגֹּלֶת מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Vecheſeph pekude haheda meath cicar veeleph vsbaha meoth vachamiſſa

missa vesibhim sékel besékel hakódes. Bèkaha lagulgóleth machazith hasèkel besékel hakódes, Et argentũ numeratorum synagogæ, vel cõgregationis, vel quòd ex censu cœtus, centũ talenta, & mille, & septingenti, & quinque, & septuaginta sicli, secundum siclum, vel iuxta pondus sicli sanctuarij, vel sanctificationis. Semisis capiti, vel dimidium pondus pro vnoquoque capite, aut drachma per singula capita, hoc est, dimidium sicli secundum vel iuxta siclum sanctuarij vel sanctificationis. Vel singula capita obtulerunt, dimidium sicli iuxta pondus sanctuarij. Quasi dicat, Argentum eorum qui ex congregatione in numerum venerunt, hoc est, argentum datum à recensitis qui iam attigerãt vicesimum annum, offerendo dimidium, sicli pro vnoquoque, ascendit ad prædictã summam. In hunc sensum & Chaldaica, Hebraicæ literæ conueniens, Argentum autem (inquiens) numeratorum congregationis fuit centum talentorum, & mille, & septingentorum, & septuaginta, & quinque siclorum, in põdere sanctuarij. Vnum pondus oblatum est per singula capita, quod est dimidium sicli in põdere sanctuarij. Qui etiam census non deest apud Septuaginta. Sed & quòd de dimidio sicli per vnumquodque caput oblato, dictũ est, non est ab illis dimissum, Δραχμὴ μία τῆ κεφαλῆ δ' ἥμισυ τοῦ σίκλου, Drachma vna vnicuique capiti, dimidium sicli. Sequitur deinde præsens hæc litera, oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis & suprà. Vbi in Hebræo habetur לְכָל הָעֹבֵר עַל הַפְּקֻדִים מִבֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמַעְלָה Lecol háhober hal hapekudim miben hesrim sana vamáhela, Omni transeunti, vel pro omni transeunte, vel qui transibat in numerum, aut ad numeratos à filio viginti annorum & suprà. Et dependet à superioribus, videlicet quod argẽtum hoc fuit oblatum pro omnibus recensitis, incipiendo tamen à constitutis in vigesimo anno & suprà duntaxat. Et est sensus literæ nostræ, cui etiam Chaldaica subscribit, habens, Quod oblatum est ab omnibus qui transierunt ad numeros à viginti annis & suprà. De sexcentis tribus millibus, vel pro, siue à, vel in, sexcentis tribus millibus (Est enim לְשֵׁשׁ Leses, qui in numerum transibãt cum aliis quingentis quinquaginta, quorum quilibet dimidium sicli offerebat, vnde tantum argenti pondus consurgebat. Demum in nostra editione dictio, Armatorum, abundat. Nam neque in Hebræo est, neque apud Chaldaicam, siue Septuaginta. Potuit autem fortè eam addere Interpres, quia in superioribus dictum fuit quòd armati ascenderunt filij Israël de Aegypto. Nõ igitur refertur numeratio populi ad aurum, sed ad argentum, soluente quolibet numerando Israëlita dimidium siclum. Si igitur adnumeres argenti summam numero virorum, inuenies correspondentiam. Vnus enim centenarius siue talentum, valet tria millia siclos, centum ergo centenarij faciunt trecenta millia siclorum integrorum, & ideo sexcenta millia dimidium. Item mille septingẽti septuaginta quinque integri sicli, conferũt tria millia quingentos quinquaginta dimidios, vnde resultat numerus sexcentorum trium millium & quingentorum quinquaginta. *Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases sanctuarij, & introitus vbi velum pendet. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talẽtis per bases singulas supputatis.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum, Et fuit centum talenta argenti ad fundendum bases sanctuarij, & bases veli, centum bases centum talentis, talentum basi. Manifestatur quid de argento isto effectum fuerit, & primùm quod de centum talentis factæ sunt centum bases argenteæ, nonaginta videlicet sex bases sub tabulis quadraginta octo, & quatuor bases sub quatuor columnis veli separantis sanctum à sancto sanctorum. Et ex æqualitate cuiuslibet basis descripta, dicendo talentum basi, innuitur quòd rationabilius iudicauimus, scilicet quòd bases sub tabulis erant rotundæ, & plana superficie terram tangentes, Sicut bases columnarum, & ad hoc fortè insinuandum, paris argenti singulæ declarantur. AVCTOR CATENAE. Fuerúntq; præterea, &c. Dictio præterea abundat, nisi velis dicere quod dictionem hanc posuit prudenter Interpres, vt totã clausulam superiorem dimissam recuperet. Chaldaica editio ita legit hunc locum. Fuerúntque centum talenta argenti, ex quo conflatæ sunt bases sanctuarij, & bases tentorii, centum talenta pro centum basibus, talentum pro base. Et est idem sensus qui apud nos. Idem etiam dicitur à Septuaginta, nisi quòd pro basibus, vertũt κεφαλίδας, Capita, Quas tamen bases intelligere debes, quæ Hebraicè אַדְנֵי Adne dicuntur. Quadraginta itaque bases erant sub tabulis ad austrum totidẽ ad aquilonem, sedecim ad occasum, sub quatuor columnis in ingressu atrii quatuor quoque bases argenteæ, vnde centenarius numerus conflatur basium tabernaculi in circuitu. *De mille autem septingentis & septuaginta quinque siclis fecit capita columnarum, quas & ipsas vestiuit argento.* CAIETANVS. Iuxta Hebræum habetur, Fecit vncinos columnis, & vestiuit capita earum, & cinxit ipsas. Hæc tria ex reliquo argento cõfecta dicuntur, quæ omnia superiùs declarata fuerunt, nam nihil hîc additur, nisi quòd capita columnarum vestita sunt argento, hoc enim recitãdo diuinam ordinationem, tacitum fuit. AVCTOR CATENAE. De mille autem septingentis & septuaginta quinque siclis fecit capita columnarum. Deest in Hebræo dictio siclis, & in emendatioribus antiquis Latinis codicibus etiam. Sed tamen necessariò requiri videtur, & tam Chaldaica quàm Septuaginta illam habent. Quæ etiam pro capita columnarum, legunt vncinos columnarum. Qua stante lectione, Capita columnarum non fuissent argentea totaliter, sed vncini & ornatus quidam inargentati in summitatibus. Est enim in Hebræo dictio וָיִם Vauim, de qua suprà toties mẽtio facta. Et profectò ita intelligẽda est Latina litera, dum dicit, Et fecit capita columnarum, scilicet quòd ea tantùm ornauit argento. Nam in Hebræo sequitur, וְצִפָּה רָאשֵׁיהֶם וְחִשַּׁק אֹתָם Vezippa raschem vechissach otham, Et texit capita ipsarum, & cinxit eas. Alii vertunt, Et operuit siue abduxit capita vel capitella earũ, & fecit cincturas earum vel pro eis. Alii, Quarum capitella texit, & cinxit cælaturis. Et hi exponunt, Texit auro, scilicet capita columnarum, & cinxit cælaturis argenteis. Quem sensum sequũtur & Septuaginta, καὶ κατεχρύσωσε τὰς κεφαλίδας αὐτῶν, καὶ κατεκόσμησεν αὐτούς, Et deaurauit capita eorũ, & ornauit eos. Et intellige columnas, quæ apud Græcos masculini sunt generis. Chaldaica verò, Et operuit capita earum, & fecit cælaturas earum. Et ita etiam intellige literam nostram cùm dicit, Et ipsas vestiuit argento, hoc est, ligaturas, & cælaturas in ipsis columnis fecit argenteas. Nam quòd capita columnarum, & ipsæ etiã totæ non fuerint argenteæ, illud vel maximè indicio est, quòd in singulis basibus expensum est talentum vnum: quomodo ergo pro capitellis & corpore columnarum fabricandis suffecissent mille septingenti & septuaginta quinque sicli, qui omnes talentum & aliquid vltra duntaxat faciunt? Restat ergo vt intelligamus de his siclis confectos fuisse vncinos, cooperta capitella columnarum, & extructas cælaturas earum. *Aeris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti suprà sicli, ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonij, & altare æneum*



*æneum cum craticula sua, omniáque vasa quæ ad vsum eius pertinent, & bases atrij tam in circuitu quàm in ingressu eius, & paxilli tabernaculi atque atrij per gyrum.* CAIETANVS. Aeris quoque oblata sunt talenta septuaginta. Hîc debet fieri punctus, & cum coniunctione copulatiua subiungi, & duo millia & quadringenti sicli, &c. Errore siquidem scriptorum legitur septuaginta duo millia. Lustra prudens lector vniuersa facta ex ære, & perpendes nullam columnam fuisse æneam, sed omnes (vt suprà diximus) ligneas. AVCTOR CATENAE. Hoc igitur modo distinguenda oratio est, dicendúmque talenta septuaginta, & duo millia quadringenti sicli, aliter maximus esset error, sic enim habet veritas Hebraica וְנְחֹשֶׁת הַתְּנוּפָה שִׁבְעִים כִּכָּר וְאַלְפַּיִם וְאַרְבַּע מֵאוֹת שָׁקֶל Vnchóseth hatenupha sibhim ciccar, vealpáim vearbaha meoth sákel, Aes quoque oblationis fuit septuaginta talentorum, & duo millia & quadringentorum siclorum, ita habet & Chaldaica. Sed Septuaginta, Καὶ ὁ χαλκὸς τοῦ ἀφαιρέματος τριακόσια ἑξηκονταδύο τάλαντα, καὶ δισχίλιοι καὶ πεντακόσιοι σίκλοι, Et æs separationis trecenta septuaginta talenta, & duo mille & quadringenti sicli. Abundat autem apud eos dictio trecẽta, qui error non rarus etiam apud Septuaginta in numeris, non ex eorum (vt creditur) defectu, sed scriptorum. Sequitur, Cum craticula sua. Optimè reddidit Hebraismum qui est, וְאֶת מִכְבַּר הַנְּחֹשֶׁת אֲשֶׁר לוֹ Veeth michbar hanechóseth aser lo, Et craticulam æneam quæ erat ei, Vel cribrum æneũ quod ei. Omniáq; vasa quæ ad vsum eius pertinẽt, idem est quod Hebraica, Chaldaica, & Septuaginta dicunt, Et omnia vasa altaris. Aereæ ergo erãt omnes bases atrij & columnarum in ingressu atrij fusæ ex talentis hîc enumeratis, cum altari holocaustorum intra atrium & vasis eius, necnon paxillis atrij, & tabernaculi. Summa autem tam argenti quàm æris superiùs omissa fuerat, quæ hîc suppletur.

## IN CAPVT EXODI TRIGESIMVMNONVM, ARGVMENTVM.

*Pontificalia sacerdotaliáque omnia conficiuntur ornamenta, totúmque iniunctum opus perficitur, ac Moysi benedicendum affertur.*

## CAPVT. XXXIX.

*Lectio prima.*

DE hyacintho verò & purpura, vermiculo ac byssо, fecit vestes quibus indueretur Aaron, quãdo ministrabat in sanctis, sicut præcepit dominus Moysi. Fecit igitur & superhumerale de auro, hyacintho & purpura coccóque bis tincto, & byssо retorta, opere polymitario. Inciditq; bracteas aureas, & extenuauit in fila, ut possent torqueri cũ priorũ colorũ subtegmine, duásque oras sibi inuicẽ copulatas in utroq; latere summitatũ, & baltheũ ex eisdem coloribus, sicut præceperat dominus Moysi. Tarauit & duos lapides onychinos astrictos & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israël. Posúitque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israël, sicut præceperat dominus Moysi.

*Lect. 1.*

AVCTOR CATENAE. In hoc etiam capite omnia vocabula & res repetuntur, quæ antea commemorata sunt. Sed habet hoc Hebraicus sermo, vt iteret eadem ipsa plerunque, cuius rationem alibi etiam annotauimus. CAIETANVS. Recurre igitur ad suprà scripta, seruata differentia, quod ibi mãdatur, facies, hîc verò scribitur executio, fecerũt. Ait igitur, *De hyacintho verò & purpura, vermiculo ac byssо fecit vestes quibus indueretur Aaron quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit dominus Moysi.* AVCTOR CATENAE. Hebraica propria sunt sicut Chaldaica editio legit, De hyacintho autem & purpura & coccino, fecerunt vestes ministerij ad ministrandum in sanctuario, fecerúntq; vestes sanctas Aaron, sicut præcepit dominus Moysi. Abundat ergo in codicibus nostris, ac byssо, Nam nec in Hebræo, nec in Chaldaica, nec in Septuaginta habetur, sed Interpres illam huc ex capite vigesimooctauo huius libri inuexit. Nam vbi dominus mandat Moysi fieri superhumerale, inter cæteras materias ex quibus confici debet, numerat etiam byssum. Dictionem etiam לְשֵׁרֵת lesareth, vertunt aliqui, Quæ inseruirẽt. Sed idem sensus est tamẽ omnibus, qui & in Latina litera. Collata igitur ac comportata materia sacerdotalium vestium hîc replicatur ad aliud institutum, suprà enim præcipiebatur opus, hîc fieri vsque ad cõplementum describitur. *Fecit igitur & superhumerale de auro, hyacintho & purpura coccóque bis tincto, & byssо retorta, opere polymitario.* Chaldaica & Hebraicum, Fecitq; superhumerale ex auro, & hyacintho, & purpura, & coccino, & byssо retorta. Vbi vides abundare apud nos etiam hoc loco opere polymitario. Sed prudens & doctus Interpres, has duas dictiones etiã sumpsit ex codẽ vigesimooctauo capite huius libri, vbi hæ duæ dictiones expresse ponuntur. Vnde locus iste suppletur per illum. Nominatiuus autem qui subintelligitur ante verbum, Fecit, est Beseleel. Superhumerale verò, vestis erat veluti militaris sine manicis, pectus ipsum à collo, & tergum à scapulis, vltra cingulum nõnihil operiens, iuncturas habens ex lateribus & in humeris, firmiter corpori adhærens. Rabi Salomon putat Ephod figurã habuisse tunicæ mulebris, quæ duobus labiis, vel vt ipse dicit, duobus locis heret *in humeris* mulieris, angusta quidem in pectore, vt pote quæ tergum & pectus cinxit, sed quæ deorsum ad talos vsque descendit. *Incidúque bracteas aureas, & extenuauit in fila, vt possint torqueri cum priorum colorum subtegmine.* Chaldaica, Extenderúntque bracteas aureas, & inciderunt fila, vt facerent in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & in medio coccini, & in medio byssi opere artificis. Hîc Interpres more suo concisiùs locutus est, repetitiones Hebraicas deuitans, & tamen nihil de sententia omittens. Quod igitur dicitur, Extenderunt bracteas aureas, & inciderũt, siue incidit (est enim קְצִיץ Kizez, singularis numeri) fila, &c. Est sensus, quòd Beseleel & Ooliab, produxerunt & extenuauerunt laminas aureas, ac ita subtiles reddiderunt, vt ex eis fila inciderint, quæ cũ hyacintho, purpura, cocco & lino opere phrygionis texebãtur. Fila igitur hyacinthini coloris & purpurei, cùm aurea fila contorquentur & filantur, pulchrè coloribus intra aurum adlucẽtibus. *Duásque oras sibi inuicem copulatas in vtroque latere summitatum.* Chaldaica, Humerulos fecerunt ei coniunctos, in duobus lateribus eius iungebantur. Alij, Oras fecerunt copulãtes se, siue vt copularentur in duabus extremitatibus, verterunt. Est enim dictio כָּתֵף catheph, quam quidã pro humero, & pro his quæ humero adhærent, alij pro

latere

latere exponũt,eo quòd locus coniunctionis nõ fuerit in humeris,ſed in lateribus. Confirmabãtur igitur margi- G
nes & limbi ex lateribus & collo,vt ſine ruptura ora pariter colligerentur. *Et baltheũ ex eiſdẽ coloribus, ſicut præceperat dominus Moyſi.* CAIETANVS. Hìc balthei nomẽ pro artificio ſumitur. AVCTOR CATENAE. Multa hoc in loco verba Hebraica in vnã compaginat ſententiã Interpres,& paucis ſeſe expedit.Hebręum autẽ ita habet,ſicut Chaldaica.Et baltheus ornameti ſui qui erat iuxta illud,ex ipſo erat iuxta opus eius,ex auro hyacintho & purpura & byſſo retorta,ſicut præcepit dominus Moyſi.Vt ſit ſenſus,Quod cingulũ ipſius ſuperhumeralis,ex eadem erat materia & ſimilis texturę cũ eo,ſicut præceperat dominus.Alij quod Hebraicè dicitur וְחֵשֶׁב אֲפָדָתוֹ אֲשֶׁר עָלָיו Vechéſeb aphuddatho aſer halaf,Artificiũ quoq; cinctuꝛæ eius quòd erat ſuper ipſum, prudentiſsimè verterunt. Alij,Textura polymita limbi eius quæ erat ſupernè in eo. Et hi nõ intelligunt cingulũ, ſed lorum & labiũ circũcirca ipſius humeralis.Nõnulli,Et baltheus ſuperhumeralis eius qui erat ſuper illud. Et aduerte quòd in Hebræo eſt, וְתוֹלַעַת שָׁנִי Vetholáhath ſani,Et cocco bis tincto,ſeu cocco vermiculi,quod in Chaldaica deſideratur,non ta H
men deficit apud Septuaginta.Cingulo igitur elegantiſsimi operis & coloris ſtringebãtur omnia,tunica ſcilicet interior,ſuperhumerale,& pectorale,de quibus alìàs. *Parauit & duos lapides onychinos aſtrictos & incluſos auro,& inſculpios arte gẽmaria nominibus filiorũ Iſrael,poſuitq; eos in lateribus ſuperhumeralis in monimentũ filiorũ Iſrael, ſicut præceperat dominus Moyſi.* Chaldaica.Fecerúntq; duos lapides onychinos incluſos in cęlaturis aureis,ſcriptos diſtinctè quaſi ſculptura annuli per nomina filiorũ Iſraël.Et poſuit eos in humerulis ſuperhumeralis in lapides memoriales filiis Iſraël,ſicut præceperat dominus Moyſi.Alij,Fecerũt quoq; lapides onychinos circũdatos aureis incluſoriis, & ſculptos ſculpturis ſigilli pro nominibus filiorũ Iſraël,Vel,circundatos palis aut ſpintribus aureis,cęlatos cęlatura ſigilli,cum nominibus filiorũ Iſraël,Et poſuit eos in oris ſuperhumeralis Ephod,lapides in memoriã filiis Iſraël,vel pro memoriali filiorũ Iſraël,ſiue,Vt eſſent lapides monumẽti pro filiis Iſraël,quemadmodũ præceperat dominus Moyſi. Quæ omnia idẽ dicũt,nec à literę noſtrę ſenſu deuiãt.Aduerte tamẽ,quòd vbi ſcriptura plurali numero loquitur his in locis, Et fecerũt,& impleuerunt,& cętera huiuſmodi,refertur ad Beſeleel,Ooliab & reliquos artifices, qui I
pleni ſpiritu dei,operabãtur.Vbi verò ſingulari,Et poſuit,& fecit,& ſimilia,ad ſolũ Beſeleel,qui caput omniũ artificũ erat & magiſter,cui etiã omnes ex ordinatione diuina obediebant. Aduerte deinde,quòd hìc in quibuſdã codicibus Latinis,ante illa verba,Poſuítque eos in lateribus ſuperhumeralis,& cętera,erat hæc integra clauſula, Sex nomina in lapide vno,& ſex in altero,iuxta ordinẽ natiuitatis eorũ.Quæ & ipſa verba cũ non extẽt apud Hebraicum, vel Chaldaicã, ſiue Septuaginta, licet deſumpta videri poſſent ex dicto capitulo vigeſimooctauo,vbi illa ſpecificè habẽtur,nec in pleriſq; emẽdatioribus Latinis libris,vel docta Cõplutẽſi editione ſint,etiã nos omittenda duximus.Duæ(inquit)iuſtæ magnitudinis gẽmæ,auro inſertæ affixis annulis & catenulis ante & retro geſtabãtur in humeris, cælaturas continentes & inſcripturas duodecim nominũ tribuũ Iſraël, memoriale Patriarcharũ filiis & poſteris.Opus igitur ingenioſum fuit in ſummitate Ephod,ſub axillis ſcilicet portãtis,& illi cõiunctæ erant à tergo humerales illæ fimbriæ,vna in dextera,& altera in ſiniſtra,à ſe inuicem tantum diſtantes,quantum humeri à tergo deferẽtis à ſe diſtabant, quorum extremitates per humeros ductæ, in pectore ſacerdotis iterum contingebant ſuperiorem partem Ephod,habentes infixos lapides onychinos & incluſoria aurea. K

*Myſticè.* ISIDORVS. Iam nunc induméta pontificis quæ ſint,quídq; potiùs ſignificẽt,demonſtrandũ eſt.Aaron autem ſacerdotẽ illum ſignificat, ad quẽ dicitur, Tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinẽ Melchiſedech.Veſtis eiuſdẽ ſacerdotis,Eccleſia eſt,de qua dicit Apoſtolus,Vt exhiberet ſibi gloriosam Eccleſiã,non habentẽ maculam aut rugã.Quatuor colores ex quibus veſtis eius contexitur,meritorũ eſt diuerſitas,quæ intra ſanctã Eccleſiam in Chriſti corpore rutilat.Superhumerale verò palliũ,ſaluatoris inſinuat poteſtatẽ & regnum,ſicut ſcriptũ eſt,principatus eius ſuper humeros eius.Duo quoq; lapides onychini,ſeu ſmaragdini vt Septuaginta trãſtulerunt,in ſuperhumerali à dextra & lęua poſiti,duo ſunt populi,gentilis dexter,& Iudæus qui fuit aliquando ſiniſter, habẽtes in ſe ſculpta nomina duodecim Patriarcharũ,id eſt,ad imitamentum vitæ exẽpla ſanctorum Apoſtolorum.Alij eoſdẽ duos lapides,duo teſtaméta dixerunt,ſiue literã & ſpiritum, in quibus tenentur legis vniuerſa myſteria,in dextera ſpiritus,in lęua litera.Quòd etiã in vtroq; humero pontifex velamine ſuperhumeralis aſtringitur,id in- L
dicat,vt domini ſacerdos contra aduerſa & proſpera,virtutum ſemper ornamento muniatur. Et quòd ſuperhumerale ex auro & hyacintho,& purpura,& bis tincto cocco,& torta fieri byſſo pręcipitur,quanta ſacerdos clarescere virtutũ diuerſitate debeat demonſtratur.In ſacerdotis quippe habitu aurũ fulget,dum intellectu ſapientiæ emicat.Cui hyacinthus qui aëreo colore reſplendet adiungitur,ſcilicet vt omne quod tractat,ad amorẽ cœleſtiũ ſurgat.Huic admiſcetur regalis purpura,vt ſuggeſtiones vitiorũ, veluti ex poteſtate regia cõprimat.Coccus quoq; bis tinctus huic ſuperhumerali adiũgitur, vt ante interni iudicis oculos omnia virtutũ bona ex charitate decorẽtur,quia dum charitas in dilectione dei & proximi pendet,quaſi ex duplici tinctũ refulget.Cui bis tincto cocco torta byſſus adiungitur,de terra enim byſſus nitenti ſpecie oritur,per quod cãdens decor & munditia corporalis caſtitatis deſignatur,quæ videlicet torta pulchritudini ſuperhumeralis innectitur,quia tunc caſtimonia ad perfectũ munditiæ candore ducitur,cũ per abſtinentiã caro affligitur. Siquidẽ & baltheo præcingitur, per quod renũ incẽtiua,& luxurię libidinũ reſtringãtur. GREGORIVS NYSSENVS. Cũ tabernaculi viſione ab omni M
ſorde mundatus oculus ille mẽtis Moſaicę altiùs eleuatus eſſet,rursúſq; ad cacumẽ alterius ſpeculationis aſcendiſſet, ſacerdotalẽ perdidicit conficiendũ veſtitum,in quo eſt tunica,& pectorale,quod variis ac diuerſis lapidũ fulgoribus reſplendebat,& thiara cum lamina ſuper eam, feminaliáq;,& poma,& ſupra hæc omnia rationale,ac eius iudicium,& quæ in vtriſq; inſpicitur veritas,& horũ vtrinque connectiua ſuperhumeralia, Patriarcharum inſculpta nominibus.Quorum omniũ nomina multitudine ipſa oſtẽdunt, non ſenſualia quædã ſignificari, quibus enim corporis veſtibus hęc nomina,iudiciũ,rationale,veritas,cõueniunt? Quare patet,nõ huius ſenſibilis amictus gratia hiſtoriã eſſe deſcriptam,ſed vt alius quidã ornatus animæ virtuoſis operibus oſtendatur. Nã quid ſibi aliud voluerunt hęc nomina tria illis à Moyſe impoſita,iudiciũ,rationale,veritas? aut cui vnquam corporali veſti hæc indita fuerunt? nulli profectò,nec enim cõueniunt,ſed nomina ipſa quid præfigurauerint aperiũt,& laborẽ expoſitionis diminuunt.Duo igitur tegumẽta ſuperimponuntur induméto illi talari vſq; pectus & renes

ab



A ab humeris deſcendẽti,duabus portis in vtroq; humero ad inuicẽ cõiuncta.Portæ autẽ ſunt lapides,Patriarcharũ nomina ſex vnuſquiſq; cælata ferentes.Horum tegminũ magna varietate colorum textura erat cõfecta, hyacinthus purpura cõnexebatur,& cocci rubedo byſſo iungebatur,& his omnibus aurea fila erãt inſperſa,ita vt ex multicolore hac tinctura,vnus quidã cõmixtus ſplẽdor ex tegminibus refulgeret.Ex quibus diſcere poſſumus, quòd induméta ſuperiora,quæ cordis ſunt ornamenta,multis variiſq; conſtãt virtutibus.Hyacinthus enim ex purpura cõplicatur,nam viuendi puritas,atq; mundicies naturæ regno cõiungitur.Natura enim quodammodo ipſa ducę,vnà cum pudoris rubore laudabilis viuendi naſcitur ratio.Aurum autẽ his tinctuꝛæ floribus refulgens,reſeruatum huic vitæ theſaurum ſuboſtendit.Patriarcharum quoque nomina lapidibus inſculpta, non parum nobis ad virtutis ornatũ conferunt.Præteritorũ enim virorum,qui optimè vixerunt, exẽplis vita noſtra corroboratur.

B *FEcit & rationale opere polymito iuxta opus ſuperhumeralis,ex auro,hyacintho,purpura,coccóq; bis tinc* 2
*to,& byſſo retorta,quadrangulũ duplex menſuræ palmi,& poſuit in eo gemmarũ ordines quatuor.In primo uerſu erat ſardius,topacius,ſmaragdus.In ſecundo carbunculus,ſapphyrus, iaſpis.In tertio ligurius,achates,& amethyſtus.In quarto chryſolitus,onychinus,berillus, circundati & incluſi auro per ordines ſuos. Ipſíq; lapides duodecim ſculpti erãt nominibus duodecim tribuũ Iſraël, ſinguli per nomina ſingulorũ. Fecerunt in rationali & catenulas ſibi inuicem cohærẽtes de auro puriſsimo, & duos uncinos,totidémq; annulos aureos.Forrò annulos poſuerũt in utroq; latere rationalis, è quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inſeruerũt uncinis qui in ſuperhumeralis angulis eminebãt.Hæc & ante & retro ita cõueniebãt ſibi,ut ſuperhumerale & rationale mutuò nectẽrentur,ſtricta ad baltheum,& annulis fortiùs copulata,quos iungebat uitta hyacinthina,ne laxa fluerent, &*

C *à ſe inuicem mouerentur, ſicut præcepit dominus Moyſi.*

AVCTOR CATENAE. *Fecit & rationale opere polymito,*& cętera,vſque ad *ſinguli per nomina ſingulorum.*Quia va- 2
riant in verbis licet non in ſenſu Hebraica,ideo vt cœptum eſt,ponetur Chaldaica litera.Fecítq; rationale opere artificis iuxta opus ſuperhumeralis,ex auro,hyacintho & purpura,& coccino,& byſſo retorta,quadratũ erat, duplicatum fecerũt rationale.Palmi vnius erat lõgitudo eius,& latitudo eius palmi vnius,duplicatum erat.Et impleuerunt in eo quatuor ordines lapidis precioſi.In primo ordine erat ſardius,topatius,& carbunculus. Et in ſecundo ordine ſmaragdus,ſapphyrus, & iaſpis.In tertio autem ordine ligurius, achates,& amethyſtus. In quarto autẽ ordine chryſolitus,onychinus,& berillus, incluſi ſtrictíque auro fuerunt in impletionibus ſuis. Ipſi autẽ lapides duodecim erant,iuxta nomina filiorum Iſraël,ſcripti ſcriptura diſtincta quaſi ſculptura annuli, ſinguli lapides per nomina ſingulorum per duodecim tribus. Hæc illa. Rationale igitur ſeu pectorale, quod chózen Hebræis,λόγιον Græcis dicitur,erat quadrata lacinia palmaria multicoloriis filis acupictorio opere cõtortis & netis
D fortiter,& duplicata,in quatuor ordinibus gẽmæ ternæ inſertæ auro concludebantur,ſingulis nominibus inſcriptis ſingulis lapidibus precioſis,opera ſculptoris. Omnia hæc etiã ſuperiùs deſcripta ſunt cum ſequẽtibus.Quod verò ait,Menſuræ palmi,intellige maioris,quãta ſcilicet eſt intercapedo extremorũ digitorum quãdo à ſe inuicẽ diſtenduntur,& menſurã illam habuit tã exterior quàm interior duplicati pectoralis pars.Sequitur, *Fecerúntque in rationali catenulas ſibi inuicem cohærentes*, & cætera,vſque in finẽ.Chaldaica autem editio ita habet, Fecerúntq; in rationali catenulas ſibi inuicẽ cohærentes opere fimbriæ ex auro mundiſsimo.Et fecerunt duos vncinos aureos,& poſuerunt duos annulos in duobus lateribus rationalis,poſuerúntq; duas fimbrias aureas in duobus annulis qui erant in lateribus rationalis. Et duas fimbrias quæ erant in duobus lateribus eius, poſuerunt in duobus vncinis, poſuerúntq; eas in humerulis ſuperhumeralis,contra faciẽ eius.Fecerúntq; duos annulos aureos, & poſuerũt eos in duobus humerulis ſuperhumeralis inferiùs contra faciẽ eius è regione iunctuꝛæ eius ſupra baltheum ſuperhumeralis. Et coniunxerunt rationale ex annulis ſuis ad annulos ſuperhumeralis vitta hyacinthina, vt eſſet ſuper
E baltheum ſuperhumeralis, vt non recederet rationale à ſuperhumerali,ſicut præceperat dominus Moyſi.Sic illa. Quæ idem dicit in ſenſu cum litera noſtra,quæ ſummatim duntaxat perſtringit ea quæ verbis lõgioribus in Hebræo habentur.Omnia autẽ quæ hìc ponuntur vocabula,videbis & ſuprà in capite vigeſimooctauo,ideo pro eorum intelligentia pleniori illuc recurre.Quod autẽ dicitur,Et fecerunt duos vncinos aureos,expone,Iam autem fecerant duos vncinos aureos.Qui ſcilicet cõiuncti erant palis lapidum onychinorum ſuperhumeralis.Et quod dicit, Cõtra faciem eius,ſiue,E regione faciei eius,ſignificat in parte eius anteriori.Igitur catenulæ aureæ iungebant rationale cum onychinis lapidibus ſuperhumeralis,duobus vncinis vel annulis, & vitta vel baltheo copulabantur ad dorſi catenulas & annulos,ne laxa defluerent & dimouerentur,ſed fortiter omnia figerentur.

*Myſticè.* ISIDORVS. Rationale verò pectori ſuperpoſitum,quaterno lapidũ ordine diſtinctum,ſermonem figurat Euangelicum,qui quadruplicato ordine veritatẽ nobis fidei, & doctrinam trinitatis exponit, *cui cõuenit in gẽ*
F *mis apoſtolicus ſermo,tam virtute,quàm numero.* Hoc rationale duplex eſt, *quia Euangelicæ doctrinæ ſcientia* aperta eſt & abſcondita,ſimplex eſt & myſtica.Item idẽ ſacerdos, Chriſtus *non incõgruè* interpretatur in membris ſuis,& maximè in pontifice,qui moratur in ſanctis, & offert victimas pro populo, carnem immaculati agni ſacro ore conficiens.Porrò quod in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligãtibus imprimitur,ſignificat,vt ſacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ poſsideant, ſed ratio ſola conſtringat. Quod etiam rationali vigilanter adiungitur,vt duodecim Patriarcharũ nomina deſcribãtur,id indicat, vt adſcriptos ſanctos patres ſemper in pectore ferre debeat,quorũ exempla imitari nõ ceſſet. GREGORIVS NYSSENVS. Supradicto ornatui alius rurſum deſuper ornatus coniungitur. Scuta enim aurea ex vtriſq; tegminibus dependẽt, hæc ſuſtinẽt fabricatum quidem ex auro,figura quadratum,duodecim lapidibus reſplendens,ordine quodã diſpoſitis.Quatuor autem ordines erant,quorum vnuſquiſque trinitatem lapidum continebat. Lapides autem ita erãt varij,vt nullius ad alterum eſſet ſimilitudo,proprio enim ſinguli ſplendore fulgebant. Sed figura quidẽ ornamenti hæc. Spiritalis verò ſenſus,ſcutorum quidem, quæ ab humeris depẽdebant, armatos nos eſſe adhortatur aduerſus tyrannum

rannum & hostem nostrum. Virtus enim, vt à Paulo dictum est, fide ac bona cõstat conscientia: quibus ita esse ad- G
uersus inimicorum tela munitos oportet, vt his iustitiæ armis, dextris atque sinistris, inuulnerabiles maneamus. Quadratus autem ille ornatus, qui vtrinque à scutis dependebat, in quo nomina patriarcharum qui tribubus cognomina dederunt, impressa lapidibus, fuerunt cordis tegmenta. Quare diligenter nos docet, omnibus patriarcharum virtutibus animũ eius esse exornatũ, qui duobus his scutis aduersarij tela repulerit. Quadrata verò figura stabilitatem virtutis ostẽdit. Nam hęc figura æqualiter vndique angulis & conuexis nixa lateribus, non facilè de loco mouetur. At verò catenulæ quibus ornamenta hæc ad brachia connectuntur, præcipere mihi videntur, oportere in altiore vita praxim speculationi cõiungere. Cor enim speculationis loco poni videtur, brachia verò operationis. THEODORETVS. Primùm superhumerale siue Ephod cõfectum est, in quo ab vtroque humero duo lapides pretiosi inserti erãt, quibus duodecim tribuum nomina inscribebãtur. Deinde rationale, quod rationis particeps cor operiebat. Id autem duodecim lapides vario colore distinctos cõtinebat, quibus cum bel- H
lum ingrueret, declarabatur, Victorẽsne an victi è bello discessuri essent. Idcirco rationali erat & declaratio & veritas. Illud autem maximè cognitione dignũ est, quòd sapientissimus Deus per symbola quædam crassiorem illum populum erudiuit: nos verò per rationale, earũ rerum quæ sub intelligentiã cadũt, contẽplationẽ intelligimus, per superhumerale, virtutis ipsius exercitationem. Tum etiam ipsius rationalis atque superhumeralis cõiunctionẽ, ad fidei bonorumq; operũ indiuiduam copulationẽ referimus. Quódque superhumerale rationali imponeretur, nihil aliud sibi velle quàm bona opera contẽplationi substruẽda esse, & quasi pro fundamẽto collocãda.

3 *IEcerúntque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, & capitium in superiori parte cõtra medium, orámque per gyrum capitii textilem, deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, uermiculo ac byssо retorta, & tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum, tintinnabulum autem aureum & malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex,* I
*quando ministerio fungebatur, sicut præcepit dominus Moysi.*

3 THEODORETVS. Sacerdotibus suis dominus omnigenum circumposuit ornatũ, qui vulgus plebemq; ipsa habitus varietate percelleret, ipsos verò sacerdotes doceret, quanta illos animum suum pulchritudine exornare, & virtutum ornamentis cõdecorare teneãtur. Vnde sequitur, *Fecerunt q; tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,* & cætera vsque in finem lectionis. AVCTOR CATENAE. Chaldaica editio. Fecerunt q; pallium superhumeralis opere textoris totum hyacinthinũ. Et os pallij in medio eius, sicut os loricæ. Ora erat per circuitum oris eius vt non rũperetur. Fecerunt q; in inferiori parte pallij malogranata ex hyacintho & purpura & coccino retorto. Fecerũtq; tintinnabula de auro mũdissimo, & posuerũt tintinnabula in medio malorum granatorum in inferiori parte pallij per circuitũ in medio malorum granatorũ. Tintinnabulum & malũ granatũ, in inferiori parte pallij per circuitũ, ad ministrãdum, sicut præceperat dominus Moysi. Hæc illa, quæ eadẽ est cum He- K
braica litera, nec in sensu à nostra discrepat. Parum est autem, quòd vbi in principio dicitur, Fecerũtq; tunicam, Hebraicè est וַיַּעַשׂ Vaiáhas, Et fecit, subauditur Beseleel. Pallium autẽ superhumeralis vocat, quod supponebatur ipsi superhumerali. Et quod dicit ad ministrandũ, expone in pallio quo vteretur in ministrãdo, siue vt Latina litera ait, Quãdo ministerio fungebatur. Cætera omnia planissima sunt. Tertium ergo indumẽtum quod sub humerali induẽdum, vnde & pallium superhumeralis dicitur, hyacinthinũ erat, lõgum & latum, supernè habẽs capitiũ forte, ne scinderetur ad collũ, cum multo splẽdore & elegãtia collum exornãs, infernè verò iuxta talos fimbria contexta per totum variis cõloribus, cui inhærebant & impendebãt malogranatorum effigies cum tintinnabulis alternis appensę, & in incessu resonantia, si pontifex tabernaculum exisset vel intrasset.

*Mysticè.* ISIDORVS. Tunica autem ista talaris à capite vsque ad plantas demissa, Ecclesia Christi est, vsque ad finem tẽporum permansura. Hæc vestis fit tota hyacinthina. Hyacinthus enim aëreo colore resplendet, scilicet vt omnis Ecclesia quæ sursum sunt sapiat, & tota ad amorẽ cœlestiũ surgat. Mala autẽ punica in inferioribus posita, eiusdẽ Ecclesiæ vnitatẽ declarãt. Nã sicut in malo punico, vno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctę Ecclesię populos vnitas fidei cõtegit, quos intus diuersitas meritorũ tenet. Tintinnabula verò inter mala granata cõsonãtia, Prophetæ intelligũtur & doctores sancti, in medio Ecclesiæ collocati, quorum lingua doctrinæ sciẽtiam resonãs, tãgit vtrasq; partes, id est, Legis & Euãgelij. Hæc autẽ tintinnabula in extremo vestimẽto sunt posita idcirco, vt de fine mũdi, & de vita futura disputãtes, nũquã fileãt. Tabernaculũ autem sacerdos ingrediẽs, in tunica tintinnabulis ambitur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris iudiciũ ex silẽtio offendat. Mala quoq; punica tintinnabulis cõiungũtur, vt per eius doctrinã fidei vnitas designetur. GREGORIVS NYSSENVS. Hyacintho est talaris vestis tincta, qua qui hũc locum ante nos speculati sunt, aëra significari affirmãt. Ego autẽ vtrũ habeat ad aëreum colorẽ flos hyacinthinus affinitatem an non, nolo cõtendere. Rationẽ verò hãc non reiicio, nõ enim parũ ad virtutẽ cõducere videtur: hortatur enim hoc ænigmate omnẽ, qui dei sacerdotiũ assumere studet, seipsum ac corpus suum deo offerre hostiã, non eneca- M
tum, aut cæsum (viuum enim hoc sacrificiũ, rationalisq; cultus hic est) nec pingui quodã ac carnoso huius vitæ amictu, sed tenue, sicut telam araneę mũda viuẽdi ratione cõfectũ, vt viuẽdi tenuitate lene, atq; aëreũ factũ, sursum posse ferri videatur. Hoc enim modo cum nouissimã tubã illã audiemus, omni onere liberati, leues ad iubentis vocẽ exiliemus: nec põdere vllo ad terrã deprimemur, sed cum domino per aëra sublimes feremur. Quin ergo, vt Psalmista dicit, quasi telã araneę animã suam liquefecit. Is etiã illã vestẽ seipsum induit, quæ à capite ad pedes vsque circũfunditur: nec enim mancam, aut truncã esse virtutẽ, sed integrã, atq; per omnes numeros perfectã lex vult. Aurea verò tintinnabula, bonorũ operũ splendor sunt, malis punicis intercapta. Duo enim hæc sunt studia, quibus virtus tota cõflatur, recta in deũ fides, & probata in hac vita cõsciẽtia. Hæc mala punica & tintinnabula indumẽto Timothei Paulus ille innexuit, cùm dicat oportere vt habeat fidẽ & probã cõsciẽtiã. Fides igitur sacerdotis, veluti tintinnabulũ clarè atq; sonorè in sanctæ trinitatis prædicatione exclamet. Vita verò naturam pu-



A ram punicorũ imitetur pomorum, quorũ circũfusa exteriùs quasi testa, incomestibilis, duraq; est, quod autẽ intus recõditum est, & visu ex varietate coloris, atque collocationis ordine iocũdum est, & gustu iocũdius, non parua dulcedine sensum afficiẽs. Philosophica quoq; & Christiana viuẽdi ratio dura exteriùs, atque aspera sensui est, intus sæpiùs optimarũ pulcherrimarumq; rerũ plena, tẽpore suo cùm matura fuerit, cumq; agricola noster poma punica huius vitæ aperiet, dulcissimã suorũ fructuum præstabit fragrãtiam. Apostolus etiã dicit, nullã disciplinam in præsenti vita videri lætitiam afferre, sed tristitiã, & id est quod per exteriora pomi punici figuratur. Post hæc autẽ fructum pacificũ reddit, & id est dulcedo interior, ac pulchritudo. Hanc vestẽ cossymbotã etiam iubet esse, vt à nobis quoque ipsis aliquid vlterius ad virtutis incremẽtum adinuenire conemur, quo indumẽtum ornatius fiat, sicuti Paulus faciebat, qui ornatissimos indies cossymbos virtuti addebat. Nam cùm lex permittat altari ministrãtes, ex altari: & Euãgelij nũcios, ex Euãgelio viuere: ille sine hac ad vitæ necessitatẽ mercede Euan- B
geliũ prædicauit, nudus, famescẽs, sitiens. Hi ergo illi sunt ornatissimi cossymbi, qui vestẽ secundũ peccata contextã, si additi sunt, reddũt ornatiorẽ. THEODORETVS. Tunicã talarẽ fieri iussit dominus, illíque tintinnabula aurea & corymbos in modũ punici mali appendere, vt quum sacerdos magnus in adyta introiret, sonum exaudiret, cum tremore ac reuerentia munere suo fungeretur, illíque legislatoris in mentẽ veniret, quare & tunica ipsa aërij coloris fuit, hyacinthinus enim erat, vt hoc colore conspecto, mentem in cœlestia subleuaret.

4 *IEcerúntque & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis eius, & mitras cum coronulis suis ex byssо,* 4
*feminalia quoque linea byssina, cingulum uerò de byssо retorta, hyacintho, purpura ac uermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præceperat dominus* Moysi. *Fecerunt & laminam sacræ uenerationis de auro purissimo, scripserúntque in ea opere gemmario, Sanctum domini, & strinxerunt eam cum mitra uitta hyacinthi-* C
*na, sicut præceperat dominus* Moysi.

4 AVCTOR CAT. Narratis tribus indumentis quę soli põtifici summo cõueniebãt, vnico cõtextu narrat 4
aliorũ cõfectionẽ, quę tã ipsi q̃ minoribus sacerdotibus cõmunia erãt. Ait igitur, *Fecerũt & tunicas byssinas opere textili*, &c. vsq; ad *sicut præceperat dominus Moysi.* Chaldaica editio sic habet, Fecerũq; tunicã ex byssо opere textoris Aarõ & filiis eius. Et tiarã ex byssо, & pileos in decorẽ ex byssо. Et femoralia ex byssо retorta, baltheũ quoq; ex byssо retorta, & hyacintho, & purpura, & coccino, opere polymitarij, sicut præcepit dominus Moysi. Hęc illa. Quod apud nos est, Et mitras cũ coronulis, & in Chaldaica legitur, Et pileos in decorem, & apud Septuaginta, καὶ τὴν μίτραν ἐκ βύσσου, Et mitrã ex byssо, in Hebræo est וְאֶת פְּאֵרֵי הַמִּגְבָּעֹת Veeth paare hamigbahoth, Et ornamẽta galerorũ, id est, elegãtes galeros. Vertũt alij, Et mitras decoras. Alij, Et pileos galerorũ. Nõnulli, Et pileolos decoros. Quæ omnia idẽ dicunt ferè. Vbi verò dicitur in nostra editione, Ac vermiculo bis tincto, & rectè dicitur, quia ita legitur etiã in Hebręo, aduerte in pluribus codicibus Latinis p errorẽ impressorũ esse scriptũ, pro bistincto, distinctũ. Et
D idẽ est vermiculus, quod & coccus. Quartũ igitur indumẽtũ factũ erat succinctorių cõmune etiã aliis sacerdotibus, cũ tunicis, mitris ac pileis byssinis & baltheis. Sequitur, *Fecerũt & laminã sacræ venerationis*, &c. vsq; in finẽ. Chaldaica, Et fecerũt laminã coronã sanctitatis ex auro mũdissimo, & scripserũt sup eam scriptura distincta, Sanctũ domino. Et posuerũt in ea vittã hyacinthinã, vt poneretur super mitrã, sicut præceperat dominus Moysi. Quod apud nos est, Scripserũtq; ĩ ea opere gẽmario, Hebraicè est מִכְתַּב פִּתּוּחֵי חוֹתָם Michtab pittũche chothã, Scriptura sculpturarũ sigilli, id est, sculptura elegãtissima affabrè facta. Vertũt alij, Scripturã cęlaturã annuli, quod Septuaginta dixerũt, Literas impressas sigilli. Et est sensus, quòd insculpserũt in lamina illa aurea literas, sicut solẽt literæ in annulis insculpi. Et hoc idẽ in sentẽtia dicũt Latina & Chaldaica litera. Nã nil aliud est dicere, opere gemmario, nisi quòd literæ insculptę sunt in lamina, sicut gẽmarij insculpere solẽt in tigillis. Sequitur, Sanctũ domini, vel, sanctitas domino, est enim קֹדֶשׁ לַיהוָה kódes láihoua, hoc est, sanctitas decet dominum, quasi dicat, Procul este prophani, sanctè coelndus est dominus. Quod autem sequitur apud nos, Et strinxerunt eam cum mitra,
E & cætera, sensum ex Hebraico vertit Interpres, nam verba ipsa sunt sicut in Chaldaica. Et est sensus, quòd inseruerunt in lamina, hoc est, super laminam, filum hyacinthinum, vt collocarent eam super mitram, id est, paulò supra frontem. Aurea ergo lamina in sola pontificis fronte alligata mitræ per vittam erat, inscripta nomine domini dei omnipotentis, sacratissimo & ineffabili יְהוָה, quod nominabatur Sanctum domini.

*Mysticè.* ISIDORVS. Poderẽ autẽ istã sacerdotalẽ lineam, incarnationẽ Christi spiritaliter accipimus, quę de terra est, & significatur in pedibus, linũ enim de terra oritur. Cidarim super caput eius, & aureã laminã, splẽdore diuinitatis intelligimus, vt vnus atq; idẽ secũdũ hominẽ podere, secundũ deũ cidari ornatus esse videatur. Feminalia verò illa quæ induũt, castitatẽ corporis Christi, & integritatẽ ostẽdũt. Cingulũ verò illud quo sacerdotale pectus astringitur, chorus sanctorũ, qui cõcordię figura, vnitate fidei Christũ amplectitur. GREGORIVS NYS-
SENVS. Vel caput diademate coronatũ, reseruatã virtutis coronã significat, quã is exornat, qui aurea lamina ineffabilibus erat notis cælatus. Ita induto, vestitoq; sacerdoti nullũ calciamẽtũ imponitur, ne tardior ad curren-
F dũ sit, aut vix mobilis, pelles secũ attrahẽs animaliũ mortuorũ. Nã (vt iã diximus) impedimẽto calcei fuerãt Moysi, cùm ad ardentẽ rubũ accederet. Quòd si in primo statim aditu reprobãtur, multo magis à sacerdotis pede reiiciũtur. HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Volumus scire quæ sit corona decoris etiã in capite Hie *Cap.16.*
rusalẽ? Reuoluamus Exodũ in quo scriptũ est, Et fecit laminã aureã, & scripsit in ea literas deformatas sigillo sanctificationis domini, & posuit super Aaron. Signum dominicæ sanctificationis nomẽ est omnipotẽtis dei: quod quatuor literis Hebraicis scribitur, & apud eos vocatur ineffabile, dũ nomẽ eius nõ potest dici. Cuius maiestatem *Act.17.*
etiã gẽtilitas nõ ignorat, & Athenienſiũ testatur ara, ignoto deo. Vnde & Apostolus: Quẽ vos, inquit, ignotũ colitis, hũc nos annũciamus vobis. Istã puto coronã esse, de qua & Psalmista dicit: Signatũ est super nos lumẽ vultus *Psal.4.*
tui domine. Et Apostolus loquebatur: Cursum cõsummaui, fidẽ seruaui, de cętero reposita est mihi corona iusti- *2.Tim.4.*
tię, quã reddet mihi iustus iudex. Et in alio loco ad credẽtes: Gaudiũ meũ, & corona mea. Gloria enim patrũ, filij. *Philip.4.*
Et in Salomone scribitur: Corona gloriæ senectus, eorũ videlicet, qui destruxerũt ea quę paruulorum sunt, & post *Prouer. 17.*
ætatem

1.Ioan.2. 2.Cor.13. ætatē perfecti viri, venerunt ad senectutē, & ad patrum nomina. Quibus scribit Ioannes post pueros & iuuenes, G qui possunt dicere: Quādo eram paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autē factus sum vir, destruxi ea quæ paruuli sunt. THEODORETVS. Cidaris quæ cœlū referebat, capiti sacerdotis imponebatur. Tænia quoq; frontē velabat, quā Septuaginta mitrā vocant. Hæc verò laminā aureā in medio habuit, quæ ineffabile dei nomē inscriptū habebat, quod Hebræi tetragrāmaton vocant. Vt autē reuerentiam illos Deus doceret, rem hāc ænigmate quodam declarauit: Inscribes illud, inquit, Sanctificatio domini.

5 *PErfectū est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonii. Fecerunt́q; filii Israël cūcta quæ præceperat dominus* Moysi, *& obtulerūt tabernaculū & tectū & uniuersam supellectilē, annulos, tabulas, uectes, columnas ac bases, opertoriū de pellibus arietū rubricatis, & aliud operimentū de ianthinis pellibus, uelū, arcam, uectes, propitiatoriū, mensam cū uasis suis & propositionis panibus, cādelabrū, lucernas & utensilia earū cū* H *oleo, altare aureū, & unguētum & thymiama ex aromatibus, & tentoriū in introitu tabernaculi, altare æneum, retiaculum, uectes & uasa eius omnia, labrū cum basi sua, tentoria atrii & columnas cum basibus suis, tentorium in introitu atrii, funiculósque illius & paxillos. Nihil ex uasis defuit, quæ in ministeriū tabernaculi, & in tectū fœderis iussa sunt fieri. Vestes quoq; quibus sacerdotes utūtur in sanctuario, Aaron scilicet, & filii eius, & obtulerunt filii Israël, sicut præceperat dominus. Quæ postquàm* Moyses *cuncta uidit completa, benedixit eis.*

5 THEODORETVS. Cur deus tabernaculū fieri iusserit, ipse declarat, ait enim: Facientq; mihi sanctuariū, & habitabo in medio eorū. Iuxta omnē similitudinē tabernaculi quod ostendā tibi, & omnium vasorum in cultum eius. Nam quia in monte lex data erat, & vix fieri potuit quin nonnulli ob id deum circunscriptum esse existimarent, tabernaculum fieri iussit, vt inde ipse deus apparēs, populū in pietate ac religione erudiret. Quemadmo- I dum enim post acceptā terram promissionis templum sibi ab illis construi mandauit, atq; in eo sibi ministrari legem constituit, vt ne dæmonum cultui operā darent, ita iter facientibus, & desertum pertrāseūtibus, Tabernaculum ædificare præcepit, vt ibi precationes ac rem diuinam facerent. Idq; in eorum vsum atque vtilitatē. Nam quia dum magnus ille Moyses per plures dies in mōte moraretur, dixerunt ad Aaronem, Fac nobis deos qui nos præcedant, & cum imaginem vituli feciſſent, dixerunt, Hi sunt dij tui Israël qui te eduxerunt de terra Aegypti, propterea tabernaculum hoc fieri iussit. De huius itaque cōsummatione nunc pertractans, ait sacra lectio, *Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonij.* CAIETANVS. Aduerte prudens lector, quòd tam hîc quā sæpè alibi scriptura distinguit tentoriū à tabernaculo diuino, ad insinuandū vtrūq; cōcurrisse, videlicet tentoriū & tabernaculū. Et tabernaculū quidē appellat iuxta superiùs descripta illud lineū operimentū, cōtextū vt suprà descriptum est, tentoriū autē operimenta desuper appolita ex pilis caprarū, & pellibus, & cæt. Posset nihilominus intelli gi, quòd supra totū ædificiū tabernaculi extendebatur tentoriū protegens tabernaculū à pluuia, tegmen enim ex K pellibus non sufficiebat ad hoc, & frequēs in Hebræo repetitio tentorij adiūcti tabernaculo, innuit hunc sensum esse cōplectendum ad literam. AVCTOR CATENAE. Chaldaica, Perfectumq; est omne opus tabernaculi fœderis. Quod apud nos est, Tabernaculi & tecti testimonij, in Hebræo est, מִשְׁכַּן אֹהֶל מוֹעֵד Miscan óhel mohed, Tabernaculi tētorij testimonij, id est, tabernaculi quod alio nomine vocatē tentoriū testimonij, siue cōuentus. Per appositionē enim tabernaculū dicitur tentoriū cōuentus, siue testimonij. Vertūt alij, Habitaculi & tabernaculi cōgregationis, siue Ecclesiæ. Vbi dictio, Et, pro id est, accipitur. Septuaginta, ἔργον τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, Opus tabernaculi testimonij. Sed hæc omnia vnū sensum habēt. Hactenus (inquit) cōsummata sunt omnia ad diuinū cultū à domino ordinatū pertinentia, quæ illi gratissima fuerunt, quia iuxta suum institutū erāt cōparata. Vnde sequitur, *Fecerunt́q; filij Israel cuncta quæ præceperat dominus Moysi, & obtulerunt tabernaculum & tectū & vniuersam supellectilem, annulos, tabulas, uectes, columnas ac bases.* Chaldaica, Fecerunt́q; filij Israël iuxta omnia quæ præceperat dominus Moysi, ita fecerunt. Adduxerúntq; tabernaculū ad Moysen, & omnia vasa eiusdē tabernaculi, fibulas eius, tabulas eius, uectes L eius, & columnas eius, & bases eius. Hæc illa, quæ in sensu à litera nostra nō discrepat. Quod autem apud nos est, Et tectū, & vniuersam supellectilē, annulos, Hebraicè legitur אֶת הָאֹהֶל וְאֶת כָּל כֵּלָיו קְרָסָיו Eth haóhel veeth col chelaf kerasaf, Tentoriū & cuncta vasa eius, fibulas siue vncinos eius. Hæc per expositionē dicūtur, exponit enim quid per tabernaculū intelligat, nēpe & cæt. Sed hæc sensum nō variāt. Operas igit́ suas singuli artifices attulerūt ad Moysen, quę ex ordine recēsentur. Tabernaculi nomine intelligas primā & nobiliorē cortinā, proximā tabulis vel asseribus aureis impēdentē. Tectū siue tentoriū dicit́ huic superpositū aulæū aliud de pilis caprarū, pretiosum & elegās, deinde deauratæ tabulæ pro corpore tabernaculi statuēdi. *Opertoriū de pellibus arietū rubricatis, & aliud operimentū de ianthinis pellibus, velū.* Chaldaica, Et opertoriū de pellibus arietū rubricatis, & opertoriū de pellibus hyacinthinis, velū quoq; quod extenditur. Est enim in Hebræo, וְאֵת פָּרֹכֶת הַמָּסָךְ Veeth parócheth hamasach, Et velum cooperimēti, siue tentorij. Septuaginta, καὶ τὸ καταπέτασμα, Et velū: significatur itaq; his verbis duo fuisse opertoria, præter prædictas duas cortinas magnas, vnū de pellibus arietū rubricatis confectū, aliud de pellibus taxorū, M qui & ianthini dicuntur à Græcis, incertū autē nobis quid fuerit. Velū autē intelligitur oppāsum sancto sanctorū. Aliud enim aulæū pro ostio tabernaculi, quod tentoriū hîc nominatur. *Arcam, uectes, propiciatoriū, mensam cū uasis suis,* Et cætera vsq; in finē. CAIETANVS. Narrata cōfectione rerum omniū, narratur quòd portauerūt res omnes ad Moysen, & iterū numerātur in litera, ad insinuandū solēnitatē lationis, vt intelligeremus quòd ordinata processione cū magna celebritate tulerunt res distinctè ad Moysen, & Moyses benedixit illis. AVCTOR CAT. Chaldaica, Arcā testimonij & vectes eius, & panē propositionis, cādelabrū mūdissimū, & lucernas quę ordinātur, & oía vasa eiº, & oleū ad illuminādū altare aureū, & oleū vnctionis, thymiama aromatū. Tentoriūq; quod erat in ostio tabernaculi, altare æneū, & retiaculū eiº æneū, vectes eiº, & oía vasa eiº. Labrū & basim eius, cortinas atrij cū colūnis suis, & cū basibus suis: velū quoq; ad ostiū atrij, funiculos eius, & paxillos eiº, & oía vasa ministerij tabernaculi fœderis: vestes quoq; ministerij ad ministrādum in sanctuario, vestes sanctas Aaron sacerdotis, & vestes filiorum



A filiorū eius vt ministrēt, iuxta omnia quę præcepit dominus Moysi, ita fecerūt filij Israël omne opus. Viditq; Moyses omne opus, & ecce fecerant illud, sicut præceperat dominus, ita fecerūt, benedixitq; eis Moyses. Et ita quidem Chaldaica, quæ idē dicit in sentētia cū litera nostra, quæ breuissima est, & sublatis multis verbis, more suo intentum sensum exprimit. Vbi autē nos habemus, Arcā, subaudi testimonij, nā Hebraicè est הַעֵדֻת Haheduth. Itē, Cādelabrum. Adde ex Hebræo, Purū siue mundissimū, vt habet Chaldaica. Est enim ibi הַטְּהֹרָה Hatehora. Lucernas, Hebraicè est נֵרֹתָיהָ נֵרוֹת הַמַּעֲרָכָה Nerothéha neroth hamaharacha, Lucernas eiº, lucernas ordinationis, siue dispositionis. Quas hoc modo vocat, q̄ quotidie aptabantur mane & vesperi. Sequitur, Cū oleo. Addendū, luminaris: Est enim Hebraicè הַמָּאוֹר Hamaor. Dicitur autē oleū luminaris, quod infundebatur lucernis. Quod verò dicit́, Et vnguentū, intellige oleū vnctionis, id est, ad vngendū tabernaculum & sacerdotes. Vt sit sensus, adduxerūt ad Moysen materias illas, ex quibus cōfici debebat oleū, quo supradicta inungerentur. Et tentoriū siue velum in in- B troitu tabernaculi. Est enim מָסָךְ Masach, Retiaculum. Hebraicè additur אֲשֶׁר לוֹ Aser lo, Quod ei. Ac si dicat, Et cribrū æneum eiusdē altaris. Tentoria atrij, id est cortinas, quæ Hebraicè dicuntur קַלְעֵי kalhe, Tentoriū, hoc est velum, in introitu atrij, Est enim eadē dictio מָסָךְ Masach. Sed omnia hæc minima sunt, quę tamen pro elucidatione literæ, non pro eo quòd sint cōtraria adnotauimus. Nihil ex vasis defuit, & cętera. Sensus est optimè redditus, Sed verba Hebraica sunt prout habet Chaldaica. Cætera omnia quæ sequuntur iuxta Hebraicum ad verbum sunt vt in Chaldaica. Vnum tamē aduerte, quòd vestes ministerij ad ministrandum in sanctuario, vocātur vestes quibus vtebantur in trāsferendo tabernaculo, hoc est, quibus inuoluebantur vasa tabernaculi, dum transmigrarent. Nam vt in Chaldaica apertè vides, distinguuntur hæ vestes à vestibus Aaron & filiorū, quibus vtebātur dum seruirēt in officio sacerdotū. De Arca testimonij eiusq; propitiatorio illi imminēte, de mēsa panū propositionis, & candelabris cū vasis ad ea pertinētibus, ac lucernis septē, & oleo cū aris duabus, & atrij cortinis ac basibus, velis, funibus & clauis, cū vestimentis sacris sacerdotalibus ac Leuiticis, quòmodo præcepta, confecta, insti- C tuta & ordinata, satis iam dictum est.

THEODORETVS. Tabernaculū sanè vniuersi à deo creati imaginē gessit. Quēadmodum enim posteaq̄ opifex deus cœlum ac terrā creauit, firmamentū in medio collocauit, & superiora ab inferioribus distinxit, eadē ratione vnū quidē fieri tabernaculū iussit, triginta cubitorū longitudine, decem autē latitudine, in medio tamen velum interposuit, atq; in duas partes ita diuisit. Et partē quæ ianuā spectabat, sancta vocauit: eam verò quæ intra velum erat, sancta sanctorū nominauit: Et vt Dauid propheta canit, Cœlū cœli domino, terram autē dedit filiis hominū: similiter ad exteriorē veli partem sacerdotibus aditus patebat, interiora verò adyta erant, ad quæ semel tamen quotannis pōtifex ingrediebatur. Erantq; ibi Cherubinorū imagines, quæ virtutū cœlestiū & corpore vacantiū figurā habebāt. In horū medio Arca iacebat, quæ tabulas legis in se habebat, & vrnā Mannæ, & virgā Aaron quæ floruerat. Super propitiatoriū collocatū erat, quod Cherubinorū alis inumbrabatur. In hoc vniuersorū deus se se videndū præbebat. Nam quia diuina natura neq; videri, neq; forma vestiri potest, donorū suorum signa D ac monimenta intus seruari mādauit. Nam & tabulæ legislationē declarabāt, sacerdotiū verò virga, Manna cibū in deserto, panemq; illum nō manu factū: Propitiatoriū verò Prophetiæ signum erat, inde enim prædictiones fiebant. Ac quēadmodum ex magnitudine & pulchritudine rerum creatarum Deum ipse omniū genitor pro portione cōtemplari potest, ita & per hæc magnorū donorū largitor cognoscebatur: tabernaculi itaq; interiora, cœlestiū figurā tenebāt, quare & sancta sanctorū dicebantur. Atq; hæc ita se se habere testis est diuinus ille Apostolus, cum ait, Neq; enim in manu facta sancta introiuit Christus exemplaria verorū, sed in ipsum cœlum, vt nunc appareat vultui Dei pro nobis. Et rursus cùm de diuina spe dissereret, hæc quoq; subiunxit: Quam velut ancorā habemus firmam atque securam, & ingredientē vsq; ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiit Iesus, secundum ordinē Melchisedech Pontifex factus in æternū. Exteriora verò terrestrium figurā gerebant, quapropter & sacerdotibus cōtinenter peruia erāt. Hæc autē habebāt, candelabrū ad australē partē collocatū, septē lucernis ornatū, quæ numerū dierum hebdomadis declarabāt. Mensam præterea aureā, quæ Boream spectabat, super E quam duodecim panes proponi mādauit, & phialas aureas plenas thuris & salis. In medio autē cādelabri ac mensæ aureū altare, in quo thura adolebātur iacebat, quę sanè omnia ænigmata erāt frugū, quę è terra in vsum hominum gignuntur. Sed ante tabernaculū, extra æneum erat altare ad sacrificandū super illud. Id autē declarabat sua peruacanea hæc esse, neq; omnium Deo placere. Vnde & sacrificia illa perficere cōcesit ob illorum nimiā animi inconstantiā atq; imbecillitatē. Cæterùm extra tabernaculū rem diuinā fieri iussit, vt ostenderet interioribus hęc minimè necessaria esse, Nos autē ministerium quòd ad interiora pertinet, planè explemus. Thymiama nanque & lucernarum lumen Deo offerimus, mysticum quoq; sanctæ mensæ sacrificium. Porrò quòd triginta cubitorum fuerit longitudo tabernaculi, & decem latitudo, facilè colligi potest. Viginti nanque tabulas australes, totidemq; Aquilonalis pars habebat. Tabulas nanque columnas Septuaginta Interpretes vocant. Cū autem vnaquęq; tabula vnius ac dimidij cubiti esset, fine dubio viginti tabulæ triginta cubitos faciebant. *Similiter* pars quę ad occa- *Mysticè.* sum solis pertinebat, sex tabulas eiusdē mensuræ habebat, duas item in *ipsis angulis*, ex quibus duodecim cubiti F conficiuntur, quorum decem interiorē latitudinem implebant, alij duo vtriusque lateris quod vtrinq; erat, conIunctionem excipiebant. Tum etiā ab ortu solis ianuam fieri iussit, vt & ipse oriens sol quandā veluti adorationē vestibulo offerret, statim radios suos inde emittens, vt hi qui vnum deū colere atq; adorare iussi erāt, ad tabernaculum conuersi post se solem haberent, neq; hunc, sed vniuersorum effectorē adorarent. Tabulato itaq; tabernaculum simile erat, quum tabulas inter se compactas haberet. Habebant verò & bases argenteas, & capitella similiter, quæ intus & extra inauratæ erant. Tectum verò habuit ex variis texturis atque coloribus cōfectū. Hic enim purpureus, hic roseus, ille coccinus, ille hyacinthinus erat, byssus verò albi coloris erat, quę omnia quatuor elemēta referebāt. Hyacinthus quippe aëri assimulatur, roseus siue coccinº igni, purpureus mari, illud enim purpurā cōchyle nutrit, ex quo purpureus color cōficitur, byssus verò terrā repręsentabat, ex qua ortū habet. Pelles insuper ex pilis cōpositas habuit, quæ imponebātur. Saga quoq; pellicea ac varia quibus à pluuia atq; incēdio defendebatur.

HIERONYMVS IN EZECHIELEM. Ait dominus per prophetā ad Hierusalē, Et indui te variis. Ista *Cap.16.*

*Gen.37.* *Psalm.44.* *Ephes.4.* sunt varia vestimẽta quibus indutus est Ioseph, nec potuerunt eum fratres vẽdere, nisi priùs eum tunicæ varietate G nudassent. Et de sponsa dicitur in quadragesimo quarto psalmo: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Hoc est vestimẽtũ, de quo & Apostolus loquitur: Induite nouũ hominẽ, qui renouatur in cognitionẽ iuxta imaginẽ creatoris. Volumus scire quę sint varia vestimenta? Idem nos Apostolus doceat, credentibus scribens: Induimini ergo visceribus misericordię, bonitatis, humilitatis, mãsuetudinis, patientiæ. Quid hæc varietate pulchrius, de qua & Iob loquebatur: Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam? Et pontifex semel in anno quando pro populo adolebat incensum, ingrediens in sancta sanctorũ, variis vestibus vtebatur. Certè si diuitiæ, varietatem vestium & non sanctitas faceret, diuersitásque virtutum, Pharao & Nabuchodonosor hæc vestimenta habuisse scriberentur, & non Ioseph, qui sub peregrino & pastorali patre, vestes discolores & regias habere non poterat.

*Exod.39.* *Heb.9.*

## IN CAPVT EXODI QVADRAGESIMVM, ARGVMENTVM. H

*Erigitur tabernaculum, consecratur, ac dei maiestate repletur.*

## CAPVT XL.

*Lectio.1.*

*LOcutúsque est dominus ad Moysen, dicẽs, Mense primo, die prima mẽsis, eriges tabernaculũ testimonij, & pones in eo arcam, demittésq; ante illam uelũ, & illata mensa pones super eam quæ ritè præcepta sunt. Cãdelabrũ stabit cũ lucernis suis, & altare aureũ, in quo adoletur incensum corã arca testimonij. Tentoriũ in introitu tabernaculi testimonij pones, & ante illud altare holocausti, labrum inter altare & tabernaculũ, quod implebis aqua. Circundabísque atrium tentoriis & ingressum eius. Et assumpto unctionis oleo, unges tabernaculum cum uasis suis, ut sanctificentur altare holocausti, & omnia uasa eius, labrũ cũ basi sua. Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorũ. Applicabísque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis uestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium proficiat sempiternum. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat dominus.* I

*Lectio.1.* AVCTOR CATENAE. Descripta hucusq; tabernaculi & vasorum eius constructione, hîc eius erectio ponitur. Et quia nihil sine domini speciali mãdato agebant, præmittitur eius præceptũ. Ait ergo: *Locutúsque est dominus ad Moysen, dicens, Mense primo, die prima mensis, eriges tabernaculũ testimonij.* THEODORETVS. Mẽse primo, prima die mensis, deus tabernaculũ erigi iussit, propterea q̃ eodẽ tempore vniuersitatẽ rerum opifex condidit. Apparẽte enim vere nouo & prata florẽt, & segetes vndare, & arbores fructũ producere solẽt, ob id sub hoc tẽpus Israëlis populũ ab ægyptiaca seruitute redemit, & angelus Gabriel beatę virgini felicissimũ nuntiũ tulit, hoc tẽpore Deus noster pro humano genere pati voluit. STRABVS. Primus anni mẽsis ipse est Nisan, qui & Aprilis, in quo Iudæi pascha celebrabant, & tabernaculũ erectum est. CAIETANVS. Locutúsq; est dominus, & cętera. Nomen est tetragrãmaton tam hîc quàm in omnibus istis capitulis, vt etiã tempus erectionis tabernaculi, & vsus illius diceretur à deo. AVCTOR CAT. Mense primo, id est, prima die mẽsis Nisan. Ascẽdit enim Moyses altera vice montẽ Sinai, vigesima nona die mensis Ab, & descendit iterũ de monte decima die mensis Tisri, quæ fuit dies propitiationis: fuitq; per totũ mensem Elul, & per decẽ dies mensis Tisri in monte, quadraginta scilicet diebus ac noctibus. Et mox vt descendit, pręcepit vt insisterent operi tabernaculi perficiendo, cõsummaueruntq; vniuersum opus ab Autumno vsq; ad principiũ mẽsis Paschalis, qui iam erat secundus annus, incipiẽs scilicet ab egressu de Aegypto. Quod autẽ dicitur apud nos, Tabernaculũ testimonij, in Hebræo sunt duæ dictiones idẽ significantes, videlicet מִשְׁכַּן אֹהֶל Miscan óhel, quas tamen aliqui vertunt, Tabernaculũ, tentoriũ. Et hoc per appositionem dictũ esse volũt, Tabernaculũ, quod alio nomine dicitur Tentoriũ cõuentus, seu fœderis, vel testimonij. Sed Chaldaica & Septuaginta legunt prout in litera nostra. Annus igitur quo tabernaculũ erectum est, inferiùs dicetur secundus esse egressionis de Aegypto, non enim primus dici potest, cùm in principio eius exierint, mirum quomodo dimidio anno cuncta perfici in solitudine commodè potuerint. Hic verò dies prima primi mensis dedicatur erectioni tabernaculi à domino, qui & Nisan dicitur, partim cum Martio, partim cum Aprili nostro concurrens. *Et pones in eo arcam, demittésque ante illam velum.* Deest testimonij. Est enim Hebraicè אֲרוֹן הָעֵדוּת Aaron haheduth, & Græcè, τὴν κιβωτὸν τοῦ μαρτυρίου, & Chaldaicè, Arcam testimonij. Demittésque ante illam velum. Concinnè admodum Interpres hîc sensum magis quàm Hebraica verba posuit, quæ sunt, וְכָסִיתָ עַל הָאָרֹן אֶת הַפָּרֹכֶת Vesacotha hal haaron eth haparócheth, Et cooperies super arcã velamine: hoc est, teges eã velo ipso. Sic & Chaldaica, sic & Septuaginta. Nam velum non super arcã ponitur, sed prætenditur arcæ ne videri possit ab introeuntibus tabernaculũ, distinguitq; sanctũ à sancto sanctorũ. Operire ergo, est citra arcã suspẽdi velum ex quatuor colũnis. Suo igitur loco reponi iubẽtur singula, quorũ primũ & maximũ est arca dei, continens fœdus dei Israël cũ peculiari suo populo, decalogum scilicet. Non enim intelligendum est omnes quinque libros Moysi arcæ inclusos per Moysen, sed tantùm duas tabulas digito dei inscriptas, vel ad mandatum domini à Moyse reformatas. *Et illata mensa pones super eam quæ ritè præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, & altare aureum, in quo adoletur incensum coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi testimonij pones.* Hebraicè est וְהֵבֵאתָ אֶת הַשֻּׁלְחָן וְעָרַכְתָּ אֶת עֶרְכּוֹ Vehebẽtha eth hasulchan veharachta eth herco, Et inferes seu induces mẽsam, & ordinabis ordinationẽ siue ordinem eius. Sic & Chaldaica. Et est sensus vt in litera nostra, nempe vt ponat super eam panes propositionis. Vndè & Septuaginta, καὶ εἰσοίσεις τὴν τράπεζαν, καὶ προθήσεις τὴν πρόθεσιν αὐτῆς, Et inferes mensam, & apponES propositionem eius. Alij vertunt, Et ordinabis eam iuxta dispositionem suã, hoc est, aptabis & quo ad situ & quo K L M





A quo ad in ea contenta prout aliàs mandaui tibi. Et quod sequitur, Candelabrũ stabit cum lucernis suis, Hebraicè habetur, וְהֵבֵאתָ אֶת הַמְּנֹרָה וְהַעֲלִיתָ אֶת נֵרֹתֶיהָ Vehebetha eth hamenora vehahaletha eth nerothéha, Et introduces vel induces candelabrum, & incendes lucernas eius. Ita & Chaldaica. Septuaginta autem, καὶ ἐπιθήσεις τοὺς λύχνους αὐτῆς habent, Et impones lucernas eius. Tentoriũ in introitu tabernaculi. Iam sæpius dictũ, accipi pro velo. Est enim מָסָךְ Masach. Citra velũ in aquilonari parte sancti ponitur mensa aurea, cũ duodecim panibus ordinatè impositis secundum præceptum dei. Candelabrum aureum cum lucernis septẽ ad australem plagã è regione mensæ. Aureum autẽ altare quod dicitur incensi vel thymiamatis, mediũ ponendũ iubetur. Non sic corã arca testimonij intelligitur, quòd intra sanctum sanctorum statuatur, intra velum scilicet, sed extra in tabernaculo citra velum. Deinde de alio velo secundo dicitur, quòd appẽdendum sit pro introitu tabernaculi. *Et ante illud altare holocausti. Labrũ inter altare & tabernaculũ, quod implebis aqua.* Parùm latiùs dicitur in Hebræo, וְנָתַתָּה אֶת מִזְבַּח הָעֹלָה B לִפְנֵי פֶּתַח מִשְׁכַּן אֹהֶל מוֹעֵד Venáthatta eth mizbach hahola liphne pêthach miscan óhel mohed, Et pones altare holocausti ante ostium tabernaculi fœderis. Idem & Chaldaica, & Septuaginta, excepto quòd loco ante, dixerũt πρὸς, hoc est, iuxta ostium. Quod implebis aqua. Hoc Hebraicè dicitur, וְנָתַתָּ שָׁם מַיִם Venathatta sam mâim, Et pones ibi aquam. Sic Chaldaica & Septuaginta. Sed idem est sensus. Ante igitur ostium tabernaculi altare maius sub diuo ponitur, inter velum istud proximũ, secundum scilicet, & tertium quod ad ingressum est atrij. Ibi enim in atrio sacerdotum hæc ara ænea & holocaustorum poni iubetur, sic tamen distans à tabernaculo, hoc est, secundo velo, vt interponi possit concha vel labrum æneum, aqua implendum pro lauacro. *Circundabísq; atrium tentoriis, & ingressum eius.* Idẽ sensus in Hebræo sub aliis verbis, וְשַׂמְתָּ אֶת הֶחָצֵר סָבִיב וְנָתַתָּ אֵת מָסַךְ שַׁעַר הֶחָצֵר Vesamta eth hechazer sabib, venathatta eth masach sahar hechazer, Et pones atrium per circuitum, & pones seu expandes tentorium seu aulæum ostij atrij, seu ad portã atrij. Sic Chaldaica, sic & Septuaginta. Ordine pulchro hæc omnia prædicta includuntur atrio per tentoria ex colũnis pendentia. Speciale autẽ tentoriũ, quod & exterius velum, vel C tertium pro foribus appẽdebat atrij ad ingressum. *Et assumpto unctionis oleo, unges tabernaculũ cũ uasis suis, ut sanctificẽtur, altare holocausti & omnia uasa eius, labrum cũ basi sua. Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum.* CAIETANVS.

Interpres omnia simul ponit, nam in Hebræo post sanctificandũ tabernaculum cum vasis suis, subditur, Et erit sanctum. Et unges altare holocausti & omnia vasa eius, & sanctificabis altare, & erit altare sanctum sanctorum. Deinde subditur, Et unges concham & basim eius, & sanctificabis ipsam. In quibus verbis triplex sanctitatis gradus inter hæc manifestatur, nam concha unctione sanctificatur, sed de ea non dicitur, & erit sanctum, tabernaculum verò unctione, & sanctificatur, & erit altare autem holocaustorum unctione, & sanctificatur, & erit sanctum sanctorum, utpote sanctificans alia. AVCTOR CATENAE. Chaldaica editio cui in omnibus consonant Hebraica, ita habet hoc in loco, Tollésque oleum unctionis, & unges tabernaculum, & omnia quæ in eo sunt, & sanctificabis illud, & omnia vasa eius, & erit sanctum, & unges altare holocausti, & omnia vasa eius, sanctificabísque altare, & erit altare sanctum sanctorum. Et unges labrum & basim eius, & sanctificabis il- D lud. Hæc illa, Quæ diffusior est in verbis quàm Latina litera, sed sensus non variatur. Quod verò dicitur, Et erit altare sanctum sanctorum vertunt nonnulli, sanctitas sanctitatum, & perinde est ac si dicat, sacrosanctũ erit. Consecratio igitur tabernaculi fit ex oleo unctionis sacro, quo aliquibus tantũ in locis non totum ungebatur tabernaculum à Moyse. Ara etiã similiter inungebatur, quę hîc sanctum sanctorum dicitur, quia sanctificat oblata & offerentes mysterio attactus sui. Labrum quoq; vel aquarum concha ac lauacrum in unctione sacratur, decebat enim purum esse & sanctũ quod aliis puritatem largiretur. Hoc est autem sanctificari illud, diuino cultui applicari, vt prophanis non cõmaculetur usibus. *Applicabísque Aaron & filios eius ad ostium tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sacris uestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotiũ sempiternũ proficiat. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat dominus.* CAIETANVS. Sententia clara est, quòd deus manifestè statuit Aaron & filios eius secundũ carnalem successionẽ perpetua generatione fore sacerdotes, & hoc post peccatũ Aaron, tum ad cõmendationẽ diuinæ gratiæ, tũ ad tollendã humanã ambiguitatẽ, an Moyses affectu fraterno, an deus ipse dederit sacerdotiũ Aaron, præ- E cipuè post tantũ idololatrię crimẽ. AVCTOR CATENAE. Volés Interpres breuitati studere, multa hoc in loco verba sine tamẽ sentẽtiæ iactura dimisit quæ ex Chaldaica lectione videri poterũt, sic enim apud illã & in Hebræo legitur, Applicabísque Aaron & filios eius ad ostium tabernaculi fœderis, & lauabis eos aquis. Et indues Aaron vestibus sanctis, & unges eum, sanctificabísque illum vt ministret corã me. Filios quoque eius applicabis & indues eos tunicis, & unges eos sicut unxisti patrem eorum, & ministrabunt coram me, & vt sit eis unctio sua in sacerdotium sempiternum in generationibus suis. Fecitque Moyses iuxta omnia quæ præceperat ei dominus, ita fecit. Ita & Septuaginta per omnia. Nam quòd Interpres dixit, Et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat, quanquam sapientioribus sententia aperta sit, propter imperitiores tamen adhibenda sunt Hebraica ipsa, quæ sic habent, וְהָיְתָה לָהֶם מָשְׁחָתָם לִכְהֻנַּת עוֹלָם לְדֹרֹתָם Vehaitha lihioth lahem maschatam lichunath holam ledorotham, hoc est, Et erit seu futurum est, vt sit eis unctio eorum in sacerdotium perpetuum vel sempiternum in generationibus suis. Sic etiam Septuaginta, καὶ ἔσται, ὥστε εἶναι αὐτοῖς χρίσμα ἱερατείας εἰς τὸν F ἀῶνα, εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν, Et erit vt sit illis unctio sacerdotij in æternum in generationes eorum, hoc est, quàm diu viuent. Nam quod vltimo loco dicitur, Fecitque Moyses iuxta omnia quæ præceperat ei dominus, ita fecit, locutio est, plenum enim esset etiam si nõ adderetur, ita fecit. Post omnia igitur à Moyse sacra unctione dicata deo, tunc summus pontifex consecrari mandatur vt iussus erat, cum suis filiis sacerdotali officio successuris, interim tamen inferiori gradu à summo & vnico sacerdote. Primùm autem aquis lauari, vt mundi essent qui alios purificandi officium susciperent: Deinde Aaron pontificalibus indui vestibus sacris, præmisso tamen priùs sacrificio vituli, duorúmque arietum, de quibus superius dictum est: Subinde filios quoque vestimentis sacerdotalibus consecrari præcipitur in sacerdotes minoris ordinis, sacra unctione eos inungendo, simúlque ius sacerdotale concedendo, ad viuendum de altari, si seruirent domino legitimè. Sempiternum autem sacerdotium Aaron & filiorum decernitur, si in fœdere permansissent, sicut & vsque hodie veris Israëlitis & fidelibus manet spirituale sacerdotium, vt sint gens sancta, populus acquisitionis in Christi pretioso sanguine, sine fine, qui

est æterna expiatio delictorum omnium,& oblatio immaculatæ ac dignissimæ hostiæ perfectæ expiationis. G

*Mystice.* STRABVS. Allegoricè autem primus mensis signat initium gratiæ,quando tabernaculũ dei,id est, Ecclesia erecta est,cũ Christus scilicet crucifixus,de latere suo produxit mysteria sanguinis & aquæ, quib⁹ Ecclesia dedicatur & cõsecratur.Et notandũ, quòd hîc primus mensis secundi anni fuit, primus enim annus sub lege fuit,

*Psalm.64.* secũdus annus sub gratia Euãgelij,cui dominus benedixit,Vnde benedices coronæ anni benignitatis tuæ.Annus enim benignitatis fuit, quo salus humani generis per humanitatẽ Christi apparuit,hoc ergo anno tabernaculum dei erectũ est,id est,Ecclesia fundata & exaltata. RABANVS. Quod igitur primo mẽse anni secũdi,primo die mensis erigitur tabernaculũ,quid significat,nisi cõstructionẽ Ecclesiæ per aduentũ Christi? Primũ ergo annũ,om ne tempus legis ante incarnationẽ saluatoris domini nostri accipe,vt secundus annus ab aduẽtu mediatoris dei & hominum,vsque ad consummationem seculi intelligatur.Quasi ergo primo mense,prima die mensis taberna culum erigitur, cùm in initio gratiæ per redemptorem nostrum omnis Ecclesiæ ornatus cõstruitur,ac decor no- H uæ Hierusalem,sponsæ videlicet cœlestis regis qui de cœlo descendit,qualis sit fidelibus animabus tonante euan gelio,demonstratur.Pòst autem,hoc est in resurrectione viuorum & mortuorum, iam manifestabitur specie qui nunc latet in ænigmate. Et sicut in primo anno congregatis impensis,eiusdem structuræ præparatus sumptus futuro operi subsituendus erat,ita electorum omnium qui fuerunt ab initio mundi, vsque ad aduentum domini sermo vel opus, ad structuram sanctæ Ecclesiæ per ipsum saluatorem ædificandæ conueniens, per scriptores veteris testamenti colligitur,vt doctores Euãgelij sumptus habeant priscæ legis,in attestatione Euangelij ad consummandam fidẽ credentiũ. STRABVS. Tabernaculum autem cũ vasis suis vnctionis oleo cõsecratur,quia sancta Ecclesia quicquid agit cũ virtutibus suis, debet dedicare & cõsecrare gratiæ spiritus sancti: oleum quippe vnctionis,spirituali gratiæ comparatur,qua omniũ virtutum opera domino cõsecrentur. Applicabísque Aaron, & cætera.Fores tabernaculi,id est,sanctæ ecclesiæ sunt apostoli,per quos debet aula cœli ingredi:ad hos applicãdi sunt Aaron & filij eius,id est,omnis cœtus sanctorũ, & maximè præpositorum, vt eos imitentur, & eorũ vestigia I sequantur. THEODORETVS. Vel tabernaculum quod erigitur, Christi domini nostri corpus significat. In vna die,per quã seculum instans intelligimus.In noua luna,hoc est,in aduẽtu domini,per quẽ omnia noua facta sunt,ac vetera quæque transierunt.Mense primo,hoc est,sub nouum ver,quãdo annus pulcherrimus est,quãdo spiritualis hyemis tristitiam spiritus sancti gratia mitigat atq; relaxat. CYRILLVS LIBRO QVAR-

*Cap.28.* TO SVPER IOANNEM. Quod autem tabernaculum in figura Christi priscis tributum fuerit,optimè cognoscimus,si attentiùs quæ ad Moysen diuinitùs verba dicuntur examinabimus,nec digressio nobis timenda est: non enim oportet exactam in scripturis diligentiam accusantes formidare, sed scripturę verba primò ponamus. Loquutus (inquit) dominus ad Moysen, dicens: Mense primo, in neomenia mensis, vno die eriges tabernaculum. Quamobrem vniuersi dominus in vno die, nec in pluribus,& in neomenia, non cuiusuis mensis, sed primi, tabernaculum erigere Moysi iussit? Omnia enim hæc non absque causa dicuntur, quum nihil temerè dictum in scriptura inueniatur.Dicimus igitur tabernaculũ illud,quod tunc erigebatur,sanctissimum Christi cor K

*Coloss.2.* pus,&(vt ita dicã)totius carnis eius soliditatẽ,in qua plenitudo deitatis corporaliter habitauit,significasse. Vno verò igitur die,vt per hunc diem tempus intelligas in quo carnem assumpsit. Neomenia verò nihil aliud denotat,quàm saluatoris aduentũ,quo renouamur,quo transactis iam priscis omnia noua facta videmus.Nouũ enim verè tempus *in Christo nobis* apparuit,antiquitatẽ cultu iam terminans,& in nouam vitam euangelica doctrina reformans,& peccatis inueteratos in iuuentam iustitiæ redigens, & corruptionis vires destruens, ac incorru-

*2.Cor.5.* ptibilitatis fulgore omnes, qui ad eum concurrunt, mirum in modum exornans: noua enim creatura efficitur, quisquis in Christo est,vt scribitur,Mense autem primo tabernaculum erectum est,quando mitigata hyemis sæuitia,verni temporis pulchritudo resplẽdet: quando solis radij & clariùs fulgent,& temperãtiùs calefaciũt,quãdo floribus terra decoratur,& virescentibus herbis prata vestiũtur,quæ omnia spiritaliter intelligẽda sunt. Hyemis enim tẽpestas,id est,attrocissima diaboli tyrannis,& vires eius,tempore Christi ceciderũt. Sol autẽ nobis ful-

*Malach.4.* gentior Christus ipse apparuit,de quo deus pater dicit:Et orietur vobis sol iustitiæ, delictorum frigiditate corruptos,spiritus ardore ad iustitiã reficiens.Flores autẽ & virescentes herbas, meritò sanctos dicemus, feruenti erga deum pietate varios virtutis fructus edentes. Et qui olim regnãte peccato, vt in hyeme nullũ producẽtes fructũ versabamur,fidei fructũ,spirituum largitori quasi bono agricolæ afferimus.Hoc ipsum quasi ex persona Christi

*Esa.32.* prophetarum quidã nos docuit:Ipse qui loquor adsum, inquit,vt ver super montes. Quid enim in montibus ver efficiat,& nos tetigimus,& omnes intelligunt.In vno igitur die tabernaculum (quod Christi figura erat) erigere Moyses iussus fuit,vt intelligas semel Christũ præsenti hoc tẽpore mortuũ fuisse,nec amplius moriturũ. Nam semel homo factus, semélque mortuus,semel etiam surrexit.Sequitur enim post mortem resurrectio, quæ corporis rursum cũ anima coniunctio est.Neomenia verò,quia nouum in Christo seculum est, quia noua creatura in eo: Primus autem mẽsis,à morte ad vitam,ab interitu ad incorruptionem,à sterilitate ad virtutis fertilem vsum,humanæ naturæ reditum atque transgressionem denotabat.Alio deinde modo Christum nobis figurauit, dicens: Et pones in eo arcam testimonij,& teges eam velo.In superioribus totus nobis Christus integritate tabernaculi M notabatur.Aedes enim dei est sanctissimũ Christi corp⁹,in quo propter nos habitare voluit.In his verò per arcã quæ in tabernaculo erat,idẽ rursus nobis quasi per partes ostenditur.Cõstituta enim fuit ex lignis quæ putredinẽ

*Exod.25.* non patiũtur,vt incorruptibile corpus Christi esse perdiscas.Auro etiã puro intra & extra fuit deaurata,quia pre-

*Coloss.2.* ciosa regaliaq; omnia in ipso sunt:non solũ quæ deitati,verùm etiã quę humanitati eius attribuũtur.In omnibus enim primus est(ait Paulus)& aurũ honoris atq; pręstãtię loco super omnes accipitur.Hoc modo cõstituta deauratáq; arca,diuinã legẽ in ea repositã cõtinebat.Quę quoniã verbũ dei est nõ subsistens,sed mandatũ, dei verbum subsistenti carni coniunctũ significabat:velo autẽ tabernaculũ tegitur,quia in carne Deus latebat,& quasi velami ne corporis tectus ignorabatur.Vnde multi deitatis potestatem,quæ in ipso miraculis fulgebat,percipere propter

*Ioan.6.* carnẽ nolentes,modò criminabantur,quia deũ se faceret,quum esset homo: modò sine rubore clamabãt, Nónne hic est filius Ioseph,cuius noscim⁹ patrẽ & matrẽ?quomodo nũc dicit,qui de cœlo descẽdi?Eo igitur velo quo tabernaculum



A bernaculũ tegebatur,nõ cognitũ iri à pluribus Iudæorũ Iesum denotabatur.Præcedebat autẽ populũ suũ in deserto, quia ipsius dei locum tenebat,qui populũ suum(vt Psalmista quoq; testatur)solus ducebat:Deus quum egrẽ- *Psalm.67.*
dereris in conspectu populi tui, quum pertransires in deserto, terra mota est: etenim cœli distillauerunt. Vides Christi figuram fuisse arcam. Quum enim arca præcederet, deus præesse sisse apertè dicitur, quod inde liquidiùs demonstratur.Nam quum per Moysen deus in montem Seir,ad expugnandum Amorrhæum Iudæos ascendere *Num.14.*
iuberet: tunc illi timore perculsi,nec dei virtutem,sed vires suas considerantes sedebãt in radicibus montis plorantes,vt scribitur.Moyses autẽ irritatus,nõ deducturũ se illos in repromissionis terram minitabatur. Ita cõmoti raptis armis absq; iussu ductoris ascendebant,deus verò per Moysen sibi futurum euentũ cecinit:Non ascẽdatis,ne cadatis in conspectu hostiũ vestrorum,non sum enim vobiscũ.At illi ex inobedientia non attendẽtes,ascẽ debant,arca verò non ascendit cũ eis,sed stetit fixa in castris.Audisti dicentẽ,nõ sum vobiscũ,vides non cõscen-

B disse cũ illis arcam:Nõne igitur clarè hîc intelligis,dicentis dei locũ eam tenuisse?Per Hierico etiã sacerdotũ ma *Iosue.6.*
nu circunducta, nõ machinis nec arietibus, aut vineis,sed tubarũ clangore alta deiecit mœnia. Ipse nanq; Christus per sanctos viros modò vbiq; circunductos,non armis aut machinis, sed buccinarũ clangore, sed euãgelica Apostolicaq; doctrina,vniuersas diaboli vires euertit,cũ omniũ penè gentiũ cõsensus fide dominũ suũ susciṕiat. Quod & in glorificationibus in Ecclesia publicè fieri videmus,põtificali buccina respõsionẽ populi pręcedẽte.Põtificis enim vocẽ quasi buccinã quandã intelligimus, & hoc pacto aduersarios fundimus atq; fugamus.Nõ enim corporea sunt arma nostra(vt ait Paul⁹)sed spiritalia,& diuinę virtutis plena.Quod autẽ per sanctos viros circũ- *2.Cor.10.*
uehatur Christus,tum Habacuc propheta docet, dicẽs:Qui ascẽdis super equos tuos,& quadrigæ tuæ saluatio.Tũ *Nabacuc.3*
maximè ipse saluator de Paulo ad Ananiã dicẽs:Vade,quoniã vas electionis est mihi iste,vt portet nomẽ meũ co *Act.9.*
rã omnibus gẽtibus.Ad hęc,allata(inquit)mẽsa pones super eã,quę ritè præcepta sunt:cãdelabrũ stabit cũ lucernis *Exod.40.*
suis.Quibus ambobus Christus significatur:Christus enim mẽsa est in qua panes depositi sunt,quibus omnes par-

C ticipatione corporis sui ad vitã ęternã aluntur.Ego enim ait,sum panis qui descẽdi de cęlo,& vitã ęternã do mũ *Ioan.6.*
do:Si quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternũ.Et panis quẽ ego dabo,caro mea est, quã ego dabo pro mũ di vita.Mẽsę igitur propositio,id est,panes,sanctissimũ Christi corpus(quo ad vitã æternã omnes alũtur)prorsus significat.Verũ quoniã Dauid cũ suis quũ esurirent,propositionis panes comedisse scribũtur,videamus quid hac *1.Reg.22.*
ex re mysticũ notabatur.Nõ licebat de panibus ppositionis nisi sacerdoti comedere:quod tamẽ Dauid & sui,quãuis ex tribu sacerdotali nõ essent,esurientes fecerũt.Figurabatur igitur hinc gentiũ fides, & Hebræorũ ex parte. Iudæis enim & viris sacris propter maiores suos & legẽ Christus debebatur:sed multitudo gentiũ,quãuis prophana Idolorũ cultu fuisset,cucurrit tamen ad panẽ vitæ,Dauid etiã rege præsente,ac locũ eorũ per figurã tenente,qui ex Israël ad salutẽ venerũt,quos Esaias appellat reliquias.Multi enim etiã ex Iudęis Christo crediderũt. Candelabrũ *Esa.10.*
etiã vniuersum terrarũ orbem illuminans,Christus est.Ego(inquit)sum lux mũdi septẽ verò lucernæ in candela- *Ioan.8.*
bro sunt,quia multis ac variis modis per gratias sancti spiritus,credentiũ animas Christus illuminat:quę omnia

D ex auro fiunt purissimo,quia nihil(vt diximus)preciosius Christo.Solidũ verò hastile fit,quoniã nihil cõcauum, nihil leue in Christo est.Lilia etiã fiunt propter sanctificationis odorem.Ego(inquit)sum flos prati,& lilium val- *Cant.1.*
lis.Duos autẽ ramos in candelabro videri Zacharias propheta dicit: vt duorũ intelligas populorũ Deum miser- *Zach.14.*
tum fuisse,quos & filios appellauit.Vnde clarè patet Christũ candelabro figuratũ fuisse,qui obedientia & fide Iudęorum,gentiumq; populos assistere sibi fecit.Multifariã deinceps Christũ scriptura significauit,dicens:Et pones *Exod.40.*
altare aureũ,in quo adoleatur incensum coram arca testimonij. Tentoriũ in introitu tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti:& circumpones tabernaculũ,& sanctificabis omnia. Cõsidera quàm diligenter vtrisq; altaribus Christus nobis describitur. Coram enim arca aureũ altare,in quo incensum adolebatur positũ erat, & in introitu tabernaculi tentoriũ extendebatur,ne quid de interioribus vulgò cerneretur,holocausti verò altare iux ta portas tabernaculi extra tentorium cõstitutũ erat. Ita per altare quidẽ incensi, vt suauitatis odor ascendisse ad deum patrẽ intelligitur:per holocausti verò altare,vt hostia pro nobis ad cædẽ acta. Celabatur verò primũ,quia

E occulta atq; recondita est gloria Christi.Alterum autem vulgò patebat,quia mors eius omnibus patet.Sed coram etiam arca altare aureum erat constitutum,vt in conspectu dei patris miram admodũ atque preciosam filij gloriam esse ænigmaticè suboštenderet,iuxta illud:Nullus cognoscit filiũ nisi pater.In introitu verò tabernaculi al- *Matth.11.*
tare holocausti stabat,quod mortẽ Christi quã pro omnibus tulit, significabat,vt diximus: vt intelligamus nul- *Ioan.10.*
lo nos posse modo ad deum patrẽ accedere,nisi per sacrificiũ Christi.Ego(inquit)sum porta,& nemo ad patrẽ ac- *Ioan.14.*
cedit,nisi per me.Tendebatur autem tabernaculũ omniaq; cõtinebat,vt vnum omnia non multa esse videretur. Vnus enim quamuis multifariam in nobis intelligatur, Christus est tabernaculũ quidem,propter carnis tegmentum,Arca verò legem habens recõditam, vt dei patris verbum. Mensa,vt cibus & vita.Candelabrum,vt lux spiritalis.Altare incensi,vt odor suauitatis in sanctificatione. Altare holocausti, vt hostia pro totius mundi vita ad crucem acta.Omnia verò hæc sanctificantur:quia quocunque modo Christũ intelligas, totus sanctus est. Tabernaculo igitur præcedente Hebræi sequebantur,stante castrametabantur: vt nos discamus *nullum* alium datum

F nobis esse ducem ad salutem,quàm verbum dei hominem factum. Et hoc modo conemur sua seruantes præcepta, vitam æternam consequi, quod illi non fecerunt, qui doctrinam Christi spernentes, retro abierunt, & non ambulabant cum eo. Petrus autem, & omnes duodecim rectè vt sancti videbant, non posse aliũde se vitam acquirere,quàm à Christo,ideo illi firmiter inhærebant. IDEM. Sed & in alio rei vmbra Christũ significabat. *Vbi suprà: Cap.40.*
Moyses enim qui figura Christi erat,quum sanctificari potiùs homo à locis sanctis soleat, cõtra ipse tabernaculũ vngens oleo sanctificabat:quia non figuræ,sed veritatis gratia hæc fiebant, quod & in Prophetis, aspicere licet. Alius enim fornicanti mulieri, vel nolens cohabitare iubebatur, alius nudus ambulare, alius super dexterum la tus non paruo dierum numero iacere: quæ omnia non propter seipsa,sed propter ea quæ significabantur fiebant. *Osea.1.*
Ita igitur etiam Moyses,quamuis à tabernaculo ipse sanctificandus erat, sanctificare tamen illud videbatur, vt *Esa.20.*
Christum intelligas,à quo templum suum sanctificatum est.Conuersatur autem carne cum Iudæis, & in carne il *Ezech.42.*
los alloquitur,vt olim in propiciatorio deus.

2 IGitur *mense primo anni secundi, in prima die mensis collocatum est tabernaculum. Erexitque illud* G
*Moyses, & posuit tabulas ac bases & uectes, statuitque columnas, & expandit tectum super taber-*
*naculum, imposito desuper operimento, sicut dominus imperauerat. Posuit & testimonium in arca, subdi-*
*tis infra uectibus, & oraculum desuper. Cumque intulisset arcam in tabernaculum testimonij, appendit ante eam*
*uelum, ut expleret domini iussionem. Posuit & mensam in tabernaculum testimonij ad plagam septentriona-*
*lem extra uelum, ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat dominus Moysi. Posuit & candelabrũ*
*in tabernaculo testimonij è regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis iuxta præceptum domi-*
*ni. Posuit & altare aureum sub tecto testimonii contra uelum, & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut ius-*
*serat dominus Moysi. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonii, & altare holocausti in uestibulo testi-* H
*monii, offerens in eo holocaustum & sacrificia, ut dominus imperauerat. Labrum quoque statuit inter tabernacu-*
*lum testimonii & altare, implens illud aqua. Laueruntque in eo Moyses & Aaron ac filii eius manus suas ac pe-*
*des, cũ ingrederentur tectum fœderis, & accederẽt ad altare, sicut præceperat dominus Moysi. Erexit & atrium*
*per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu eius tentorio.*

2 AVCTOR CATENAE. Fidelis fuit domini famulus Moyses iuxta dictum Apostoli in omni domo eius, Proptereaque ab illius præceptis ne latum quidem (vt dicitur) vnguem deuiauit. Quæcunque igitur superiùs mandauit dominus, is nunc festinanter exequitur, domino enim sine mora obediendum in omnibus. Ait itaque: *Igitur mense primo anni secundi, in prima die mensis collocatum est tabernaculum. Erexitque illud Moyses, & posuit tabu-*
*las ac bases & uectes, statuitque columnas.* CAIETANVS. Clarè patet, quòd adhuc non completo primo anno I
à die egressus ex Aegypto, erectum est tabernaculum, nam ex Aegypto egressi sunt quintadecima die primi mensis. AVCTOR CATENAE. Et nos quoque huius essemus sententiæ, nisi Septuaginta Interpretes aliter nos dicere compellerent, qui ita habent, ἐν τῷ μηνὶ τῷ πρώτῳ τῷ δευτέρῳ ἔτει ἐκπορευομένων αὐτῶν ἐξ αἰγύπτου νεμηνίᾳ, In mense primo, secundo anno egressorum eorum ex Aegypto prima die mensis. Quæ verba licet non sint in Hebræo nec in Chaldaica editione, satis tamen nobis indicant, à quo sit secundus iste annus, & illius primus mensis computandus nempe ab exitu filiorum Israël de terra Aegypti. Est autem Chaldaica lectio hoc in loco, Hebreæ non dissimilis, nempe, Factúmque est in mense primo in anno secundo, prima die mensis erectum est tabernaculum. Erexítque Moyses tabernaculum, & posuit bases eius, & imposuit tabulas eius, & posuit vectes eius, & erexit columnas eius. Latinus autem Interpres more suo paucis verbis sententiam hanc collegit, solitos Hebraismos deuitans. Clarè igitur hîc dicitur secundi anni primo mense erectum tabernaculum. Sigillatim autem elegantissima serie describitur ordo erectionis, primò bases argenteas infigendo æ- K
quali serie in terram, duas sub assere vno, incastraturis nitentes, deinde vectibus quindecim immissis per aureos anulos, ad minus ducentos quadraginta. Columnas erexit intra tabernaculum, & ad ostium pro primo & secundo velo. *Et expandit tectum super tabernaculum impositio desuper operimento, sicut dominus imperauerat.* AVGVSTI-
*Quæst.173.* NVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Cùm scriptura narret quomodo Moyses cõstituerit tabernaculum, Extendit (inquit) tectum siue aulæa super tabernaculum, non vtique desuper tectum, sed cingens columnas, quia de columnis dixerat, quòd statuerit tabernaculum. AVCTOR CATENAE. Chaldaica. Et expandit tentorium super tabernaculum, & posuit coopertorium tabernaculi super illud desuper, sicut præceperat dominus Moysi. Tectum tabernaculi dicitur cortina de pilis caprarum, Ohel dicta, super hãc autem aliæ duæ impositæ sunt ex pellibus arietum & taxorũ, Miscan dictæ, duplex operimentũ pro munimento & conseruatione decoris ab inclementia aëris. *Posuit & testimonium in arca, subditis infrà uectibus, & oraculum desuper. Cúmque*
*intulisset arcam in tabernaculum testimonij, appendit ante eam uelum, vt expleret domini iussionem.* CAIETANVS. Iuxta He- L
braeum habetur, Et tulit & dedit testificationem thecæ. De tabulis lapideis est sermo, illas enim testificationẽ appellat. Et dicit quòd Moyses accepit eas ex loco vbi recondiderat illas, & locauit illas in theca. Et statim subditur, Et posuit vectes super thecam. Præceptum siquidem diuinum erat, vt vectes thecæ essent semper in anulis, qui erant in superiori parte laterum thecæ, & propterea dicitur, super thecam. Et oraculum desuper. Iuxta Hebræum habetur, Et dedit propitiatorium supra thecam desuper. Superiùs exposita sunt hæc. Et aduerte prudens lector, quòd nec in confectione, nec in oblatione rerum facta est mentio propitiatorij, sed modò in collocatione rerum fit mentio illius, ad insinuandum quòd non omnia explicitè scripta sunt in huiusmodi supputationibus, vt per hoc intelligamus multa fuisse facta, quæ nõ sunt scripta. In cuius signum nec etiam in ista collocatione fit mentio Cherubinorum sustentantium propitiatorium, sed dicendo quòd dedit propitiatoriũ supra arcam desuper, implicitè insinuauit, quòd dedit illud Cherubinis, alioquin in aëre fuisset suspensum, cùm non solùm esset supra arcam, sed desuper. AVCTOR CATENAE. Chaldaica tulítque & posuit testimo- M
nium in arca, & posuit in arca vectes, & posuit propitiatorium super arcam desuper, & intulit arcã in tabernaculum, & posuit velum extentum, vt protegeret super arcam testimonij, sicut præceperat dominus Moysi. Hæc illa, quæ in sententia conuenit cum litera nostra. Quod autem dicitur, Posuit testimoniũ in arca, intellige duas tabulas legis quæ erant testimoniũ fœderis inter deũ & populũ. Et quod dicitur subditis infrà vectibus, siue iuxta Hebræum, Et posuit in arca vectes, perinde est ac si diceret, Traduxit vectes per annulos arcæ. Deniq; quod dicitur, Appendit ante eam velum, De velo quod oppandebatur arcę loquitur. Erecto igitur modo prædicto tabernaculo, arcam posuit Moyses suo loco, id est, in sancto sanctorum, necnon testimonium tabularum legis in ea posuit, & immissis annulis aureis vectibus de lignis Sethim deauratis subtus coronamentum arcæ, quibus portetur. Et desuper oraculum vel propitiatorium cum Cherubim posuit. Quibus exactis oppandebat velum primum, quo obtegebatur arca obtutibus omnium hominum. *Posuit & mensam in tabernaculum testimonij ad plagam*
*septentrionalem*



A *septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat dominus Moysi. Posuit & candelabrum in tabernaculo testi-*
*monij è regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis iuxta præceptum domini. Posuit & altare aureum sub tecto testimonij con-*
*tra velum, & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut iusserat dominus Moysi.* CAIETANVS. Hinc clarè apparet, quòd altare thymiamatis erat extra sanctum sanctorum, inter candelabrum & mensam propositionis, directè contra velum, & (vt superiùs patet) directè contra arcam & propitiatorium, quod est esse in medio, respiciendo ad occidens. AVCTOR CATENAE. Chaldaica editio ita legit, Posuítque mensam in tabernaculo fœderis in latere tabernaculi ad aquilonem extra velum, & ordinauit super ea ordines panum coram domino, sicut præceperat dominus Moysi. Posuítque candelabrum in tabernaculo fœderis è regione mensæ in latere australi tabernaculi. Et incendit lucernas coram domino, sicut præceperat dominus Moysi. Et posuit altare aureum in tabernaculo fœderis coram velo. Et adoleuit super eo incensum aromatum, sicut præceperat dominus Moysi. Hęc
B Chaldaica, cuius sensus idem cum Latina litera. Cùm dicit extra velum, illud intelligit quod distinguebat in duas partes tabernaculum. Et cùm dicit iuxta Hebræum, Et incendit seu accendit lucernas coram domino, vt præceperat dominus Moysi, Hebraismus est, prout ipse præceperat, antecedens pro relatiuo. Apparet igitur Moysen præstantissimum vatem propensissima deuotione præstitisse omnia quæ domino mandante perficienda susceperat, & valde opus illud populo commendare voluisse, in perpetuam rei gestæ memoriam, quia tot iam vicibus non piguit iterare quæ alius longè paucioribus absoluisset. Sed ita illusit spiritus sanctus vanitati humani iudicij, quòd facilè nauseam concipit de rebus diuinis, & de omnibus quæ non placent, longè elegantiora comminiscitur apud semetipsum, quæ sibi abundè pulchra videtur. Non ergo stat pietas vera in artificioso eloquio, non Ciceronianam Moysi linguam adhibuit, sed balbam & impeditiorem. Vulgo scribens, vulgari eloquio, filóque plebeio texit historiam, & iam à piis omnibus à tot annorum millibus non floccipẽditur, sed vt sacrosancta hystoria veneratur. Iterum igitur de situ mensæ aureæ quem locum susceperit, explicat toties replicatum, de
C candelabro, de altari incensi, quod & tunc primùm exhibito sacrosancto incenso initiauit. *Posuit & tentorium in*
*introitu tabernaculi testimonij.* Id est, obtendit ostio tabernaculi velum, siue aulæum iam omnibus intra tabernaculum constitutis & exactis, velum appendit ad ostium, & clausit vulgi aspectibus, quod illa sacrosancta mysteria admirari melius potest quàm aspicere. *Et altare holocausti in uestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum & sacrificia, vt*
*dominus imperauerat. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij & altare, implens illud aqua. Laueruntque in eo Moyses & Aa-*
*ron ac filij eius manus suas ac pedes, cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat dominus Moysi.* CAIE-
TANVS. Quod dicitur, offerens holocaustũ & sacrificia, iuxta Hebræũ habetur, Et munus. Sonat autẽ apud Hebræos oblationẽ ex flore farinæ. Nec significatur præterita ablutio, sed futura: nec significaẽ ϕ in ipsa cõcha fieret ablutio, sed ϕ de ipsa, hoc est, ϕ de ipsa fluebat aqua abluens manº & pedes. AVCTOR CAT. Chaldaica, Et altare holocausti posuit in ostio tabernaculi fœderis, & obtulit super eo holocaustũ & munus, sicut præceperat dominus Moysi. Posuítque labrũ inter tabernaculũ fœderis, & inter altare, & posuit ibi aquã ad lauandũ.
D Laueruntque ex eo Moyses & Aaron & filij eius manus suas & pedes suos, cùm ingrederentur tabernaculum fœderis, & cùm accederent ad altare lauabantur, sicut præceperat dominus Moysi. Ita Chaldaica, quæ idem in effectu dicit cum litera nostra. Dictio autem מִנְחָה Mincha, quam Latinus Interpres sacrificia vertit, Septuaginta θυσίαμ, & Chaldaica, Munus, aiunt Hebræi oblationem esse, quæ fiebat de liquidis atque farina similaginea, conspersa oleo. Quod autem dicitur, lauerúntque ex eo, intellige ex eius aqua. Ante igitur ostium proximè quidem cõstituitur lauacrum ablutionis, sed primò altare holocausti depositum & fundatum scribitur hîc, vt alibi semper. Vtriusque vsum paucis designat, vt ibi holocausta domino offerãtur, & ab omni impuritate se sciant oportere esse remotissimos, ne quis vnquam præsumat ingredi tectum sanctuarij illotis manibus & pedibus, etiam si oblationi holocaustomatum operam nauasset. *Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu eius ten-*
*torio.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Manifestat altare holocau- *Vbi suprà.*
stomatum ad ostium tabernaculi forinsecus fuisse, vt atrio totum ambiretur, & altare esset infra atrium, inter
E portam atrij, & ostium tabernaculi. CAIETANVS. Sic autem erat intra ambitum atrij, vt cortina loco valuarum atrij non posset lædi ab igne altaris. AVCTOR CATENAE. Erexítque atrium per circuitum tabernaculi & altaris, & posuit velum in ostio atrij. Sed est idem cum litera nostra. Atrium tandem erexit Moyses, & extendit per gyrum, oppanso ad eius introitum altero velamine.

STRABVS. Vectis non solùm parietes nectit, sed & columnas introitus confirmat ne corruant, aut à re- *Mysticè.*
cto statu deflectant: quia dominus & vtrumque populum in vna fide dilectionis sociauit: & eorum doctores vt in fide & amore & prædicatione perseuerent confortat. Nec mirum si & per capita ipsa: & per vectes capita ipsa continentes, Christus accipitur: quia cuiusque electi regendo caput est. Vnde caput viri Christus est. Et quia non solùm singulos ad quærenda cœlestia erigit, sed etiam omnes continet, & ne à recto statu deflecti: nec abinuicem discordando possint separari, vinculo pacis confirmat. Cui simile est quòd dominus dicitur & agnus & pastor & ostium, cùm pastor agnum pascat, & ambo per ostium intrent, cùm propriè sit verbum in principio, horum verò
F nullum sit propriè, sed figuraliter. Pastor, quia ducit ad pascua vitæ: *ostium, quia non nisi per illum peruenitur*
ad patrem: Agnus, quia ab Aegypto saluat. Sic & hîc per capita figuratur propter regnum quo singulis præest: & per vectem ob generalem prouidentiam, quia omnes confirmat. BEDA. Sic anima pro diuersis actionibus diuersa nomina sortitur: dum viuificat corpus, anima nominatur: dum vult, animus est: dum scit, mens est: dum recolit, memoria est: dum iudicat, ratio est: dum spirat, spiritus est: dum sentit, sensus est. AVCTOR CATENAE. Velamina tria quorum vnum ante sancta sanctorum, & aliud ante ostium tabernaculi, tertiumq; quod pro atrij ingressu oppanduntur, altiori id nobis indicant intelligentia, secreta diuina non passim omnibus, sed diuinis tantùm aperienda esse, piis scilicet & fidelibus, nam si ante porcos proiici illa contigerit, calcabuntur & contemnentur. Sed nec se intromitti debere rebus diuinis tractandis, nisi vocatos & ad hoc institutos accepta gratia spiritus sancti per impositionem manuum presbyterij. Discimus autem ex lotione sacerdotum ante ingressum tabernaculi, quam puro corde, oculo, mente & intentione nobis sint sancta tractanda, sine fastu gloriæ

cuiuscunque,simpliciter,candidè,bona fide,non intuitu quæstus vel honoris, tantùm ad ædificationem proximi,& ad gloriam dei,etiam si interim vani vana loquantur & garriant.Dominus autem est,qui pium huiusmodi pectus & donat & conseruat. G

*POstquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria domini impleuit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis,nube operiente omnia, & maiestate domini coruscãte,quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israël per turmas suas,si pendebat desuper,manebant in eodem loco.Nubes quippe domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte,uidentibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.*

H

3 AVCTOR CATENAE. Verè misericors & miserator dominus iuxta Psalmistę dictum, & misericordia eius super omnia opera eius.Vides hîc quanta benignitate,quantáque charitate populo Iudaico condescendat,vt etiam sensibili signo præsentiam suam adesse ostendat,seque illi propitium ac placatum manifestet, modò in præceptis suis ambulet,& mandata eius non derelinquat.Ait igitur, *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria domini impleuit illud.Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate domini coruscante,quia cuncta nubes operuerat.* AVGVSTINVS IN QVAESTIONIBVS SVPER EXODVM. Notanda est res mirabilis, quòd nube descendente & implente tabernaculum, quæ tamen gloria domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum, qui in monte Sina quando legem primitùs accepit, intrauit in nubem vbi erat deus.Proculdubio ergo aliam personam tunc figurabat,aliam nunc.Et tunc eorum qui participes fiunt intimæ veritatis dei,nũc autem Iudæorum,quibus gloria domini,quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tanquam nubes opponitur, non eam intelligentibus, & ideo non intrauit in tabernaculum testimonij. Et hoc credendum est semel factum, mox vt constitutum est tabernaculum, significationis huius causa, vel alicuius alterius.Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculũ,vt illuc Moyses intrare non posset,quandoquidem non remouebatur,nisi cùm eis hoc signũ dabatur,diffiungendi,hoc est,castra mouendi ex eo loco vbi erant, & accedendi quò nubes ducebat per diem, & flamma per noctem. Quæ duo vicissim etiam super tabernaculum manebãt,vbi castra posuissent,nubes per diem,flamma per noctem. HIERONYMVS IN EPISTOLAM AD GALATAS. Quantas habeat diffinitiones & significantias gloria, & philosophorum innumerabiles libri,& Ciceronis duo volumina, quæ de gloria scripsit, indicio sunt. Ne autem penitùs verbum gloriæ prætermittamus intactum,suas philosophis ineptias relinquentes,de scripturis aliqua retractemus. Opinionem vulgi, & laudem hominum fauore quæsitam, gloriæ nomen sonat, vbi dicitur: Omnia autem faciunt, vt ab hominibus glorificentur.Et alibi:Quomodo potestis credere,gloriam ab inuicem quærẽtes? Porrò in bonam partem in eodem loco, Et gloriam ab eo qui solus est, non quærentes. Ex quo intelligimus idem verbum, nunc virtutem significare,nunc vitium.Si ab hominibus quæro gloriam,vitium est:si à deo virtus est, qui & ad veram nos gloriam cohortatur,dicens:Eos autem qui me glorificant, glorificabo. Significat & aliud in scripturis diuinis gloria,cùm augustius aliquid, & diuinius hominum se præbet obtutibus.Visa est in tabernaculo gloria domini,& in templo quod à Salomone constructum est,gloria erat:& in facie Moysi,quando nesciebat quod glorificatus esset vultus eius, de qua vultus gloria, puto & Apostolum dicere: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini contemplantes,in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam sicut à dei spiritu. Et ipse saluator, splendor gloriæ & figura substantiæ dei dictus est.Vidit & Stephanus gloriam dei, & Iesum stantem à dextris eius. Vt autem & nobis fingendorum nominum licentiam præsumamus, rebus quippe nouis (vt ait quidam) noua fingenda sunt nomina, quia hîc dictum est: Non efficiamur inanis vel vacuæ gloriæ cupidi, nos eos asseramus plenæ gloriæ esse cupidos,qui gloriam dei desiderant,& laudem virtute condignam,& aspectum diuinius aliquid ostendentem.Vnde & in plerisque,nostri maiestatem pro gloria transtulerũt. Iamdudum cupio in verba prorumpere, sed teneor timore dicendi. Dicam tamen, nec tacebo passionem meam, passionem penè communem,non de diuitiis,non de potentia,non de pulchritudine & corporum venustate:hæc enim manifestè inter carnis opera nominantur.Eleemosyna si ob laudem fiat,inanis est gloria, longa oratio, pallor ex ieiunio sequens.Non mea sunt verba,sed saluatoris in Euangelio pertonãtis. Ipsa quoque castitas in matrimonio, viduitate,virginibus,sæpe plausum quærit humanum:& quod dudum timeo dicere, sed dicendum est, martyrium ipsum, si deo fiat vt admirationi & laudi habeamur à fratribus, frustra sanguis effusus est. Loquatur Apostolus,loquatur electionis vas:Si tradidero corpus meum vt glorier,charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.Ille qui dixerat: Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio,deus scit,raptum vsque ad tertium cœlum.Et post modicum:Raptus in paradisum, audiuit arcana verba,quæ non licet homini loqui.Illi,inquam,qui plus omnibus laborauit, ne magnitudo reuelationum extolleret eum,datus est stimulus carnis eius,angelus Satanæ, qui eum colaphizaret, vt non extolleretur. Et certè ter dominum rogauit vt discederet ab eo, sed dictum est ei: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.Quid tam dei opus,quàm scripturas legere,in Ecclesia prædicare,sacerdotium cupere, ante altare domini ministrare? Sed & hæc nisi aliquis omni diligentia custodierit cor suum, de cupiditate laudis oriuntur. Videas plerosque(quòd etiam Tullius ait)libros suos de contemnenda gloria inscribere, & causa gloriæ, proprij nominis titulos prænotare.Interpretamur scripturas,sæpe vertimus stylum,quæ digna lectione sunt, scribimus, & nisi Christi causa fiant, sed memoriæ in posteros, & famæ in populos, totus labor irritus fiet, & erimus quasi tympanum sonans,& cymbalum concrepans. Videas plerosque de scripturis inter se contendere, & athleticum scomma dei facere sermonem,inuicem prouocant:& si victi fuerint,inuident:inanis quippe gloriæ cupidi sunt. Scio in Latinis codicibus in eo testimonio quod suprà posuimus,Si tradidero corpus meum vt glorier,ardeam habere pro glorier, sed ob similitudinẽ verbi,qua apud Græcos ardeam & glorier,id est, καυθήσομαι & καυχήσωμαι, vna

*Quæst.eadẽ*

*Cap.5.*

*Matth.23. Ioan.5.*

*3.Reg.8. Exod.40. 2.Cor.3.*

*Act.7.*

*Luc.7.et 20*

*2.Cor.12.*

I

K

M



A vna literæ parte distinguitur,apud nostros error inoleuit. Sed & apud ipsos Græcos ipsa exemplaria sunt diuersa. CAIETANVS. Postquam autem omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & cætera. Ecce diuinæ præsentiæ signum, ecce promissio diuinæ præsentiæ inter eos executioni mandata. Et tunc quidem abundantiùs,nam duplex signum sensibile scribitur, nubes supra tentorium tegens illud, gloria autem (hoc est,splendida lux)intus non in vna parte, sed vniuersum tabernaculum impleuit, ita quòd totum splendebat.Et propterea nec Moyses poterat licitè ingredi tabernaculum,magnæ siquidem temeritatis fuisset attentare ingressum loci occupati à diuina præsentia. Postea autem perseuerauit diuina præsentia in vno duntaxat signo, videlicet in nube supra tabernaculum,die quidem in forma nubis, nocte autem in forma ignis. Et quia vt inferiùs describetur, tabernaculum locabatur in medio populi, ideo etiam ad literam verificatur diuina præsentia in signo sensibili continua in medio populi. AVCTOR CATENAE. Chaldaica litera sic legit hoc in
B loco etiam iuxta Hebraicum, Et perfecit Moyses omne opus. Et operuit nubes tabernaculum fœderis, & gloria domini impleuit tabernaculum. Et non poterat Moyses ingredi tabernaculum fœderis, eo quòd manebat super illud nubes,& gloria domini impleuerat tabernaculum, Idem tamen est sensus cum litera nostra. *Si quando nubes tabernaculum deserebat,proficiscebantur filij Israel per turmas: si pendebat desuper, manebant in eodem loco.* CAIETANVS.

Iuxta Hebræum,non desertio,sed ascensus nubis describitur:ita quòd in ascensu nubis à supra tabernaculum, profecturi erant filij Israël in omnibus profectionibus suis, & in non ascensu nubis, non mouebantur vsque quo esset ascensus nubis.Sic enim Hebraica sonat litera,manifestans aliud miraculũ diuini ducatus, videlicet quòd sensibili signo ascensus & non ascensus, manifestabat deus tanquam eorum dux, quando debebant proficisci, & quando quiescere. AVCTOR CATENAE. Siquando nubes tabernaculum deserebat. Quanquam notum sit quid innuatur, Hebraica tamen sunt huiusmodi וְהֶעָלוֹת הֶעָנָן מֵעַל הַמִּשְׁכָּן Vbhehaloth hehanan mehal hamiscan,Et cùm eleuabatur nubes desuper tabernaculum,ita & Chaldaica.Sic ergo Latinam literam intellige,
C quando dicit quòd nubes deserebat tabernaculum,id est,eleuabatur super ipsum,& præibat. Sic etiam vertunt. Septuaginta,ἡνίκα δ' ἂν ἀνέβη ἡ νεφέλη ἀπὸ τῆς σκηνῆς,Quãdo autem ascendebat nubes à tabernaculo.Quod autem sequitur mox,Proficiscebantur filij Israël per turmas suas.loco, per turmas suas, Hebraicè est בְּכֹל מַסְּעֵיהֶם Becol mashehem,In omnibus profectionibus suis, id est, per omnes profectiones suas, & quoties proficiscebantur. Est enim dictio מַסָּע Massaha profectio, à verbo נָסַע Nasaha descendens, quod est proficisci. Chaldaica, Per omnes mansiones suas.Septuaginta longè aliter exponunt,σὺν τῇ ἀποστρίφῃ αὐτῶν,Cum sarcina sua.Sequitur,Si pendebat desuper, manebant in eodem loco. Hebraicè legitur hoc modo וְאִם לֹא יֵעָלֶה הֶעָנָן וְלֹא יִסְעוּ עַד יוֹם הֵעָלֹתוֹ Veim lo iehale hehanam, velo ishau had iom hehalotho, Et si non eleuabatur nubes, non proficiscebantur vsque in diem qua eleuabatur.Sic & Chaldaica,sic & Septuaginta, est enim apud eos,ἐὰν δὲ μὴ ἀνέβη ἡ νεφέλη, Si autem non ascendebat nubes, & cætera. Quanquam etiam is sensus possit ex Latino Interprete elici. Vertunt alij, Quando autem nubes non recedebat,non proficiscebantur, vsque ad diem qua recedebat. Sed & hoc idem est cum supe-
D rioribus. *Nubes quippe domini incubabat per diem tabernaculo,& ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.* CAIETANVS. Iuxta Hebreũ habetur,Oculis omnis domus Israël in omnibus profectionibus eorum. Perseuerantia describitur nubis in die & ignis in nocte, extensa ad omnes profectiones eorum. Perseuerauit ergo quousque venerunt ad terram promissionis, diuina præsentia in medio eorum. AVCTOR CATENAE. Et ignis in nocte.Nubes per diem se ostẽdebat,at de nocte Hebraicè dicitur וְאֵשׁ תִּהְיֶה לַיְלָה בּוֹ Vees tihie laila bo,Et ignis erat nocte in ipsa, vt scilicet ex nube appareret ignis.Sic quoque Septuaginta, καὶ πῦρ ἦν ἐπ' αὐτῆς νυκτός,Et ignis erat in ipsa,noctu.Eadem itaque nubes quæ interdiu sese ostendebat,noctu in ignis speciem vertebatur,& illucebat Hebræis. Non ergo erat alia nubes, quod & de columna dicendum. Nec aliter quàm supradicto sensu intelligendum quòd Chaldaica habet, Et ignis erat in eo per noctem, quasi referens ad tabernaculum,non ad nubem,quòd ignis erat in eo,nam intelligetur quòd in nube existente super tabernaculum, ignis erat. Parui autem refert quòd apud nos est, Videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas, He-
E braicè haberi: לְעֵינֵי כָּל בֵּית יִשְׂרָאֵל בְּכֹל מַסְּעֵיהֶם Lehene col beth Israël becol mashehem,In oculis omnis domus Israël in omnibus profectionibus siue mãsionibus suis.Sic & Chaldaica.Est enim idem sensus, quem & Septuaginta sub his verbis expresserunt,ἐναντίον παντὸς Ἰσραήλ,coram omni Israël.

STRABVS. Spiritali autem sensu Moyses hoc in loco(vt dictum est)sicut in aliis pluribus, figuram tenet Iudaici populi. Moyses ergo nube obstante, in tabernaculum non poterat intrare: quia Iudaicus populus nunquam sacramenta scripturæ valuit penetrare. Nubes enim domini per diem incubabat tabernaculo: & ignis in nocte. Hoc loco ignis diuinorum mysteriorum scientiam significat. Scriptura enim sancta sanctis, & ignorantiam suam fatentibus,lumen est:Iniquis verò,& scientiam iactantibus, nubes, quia excæcat eos. ORDINARIA. In tabernaculo autem domini erant tabulæ, quarum annulis erant infixi vectes de lignis Sethim, quibus possent leuari & portari de mansione ad mansionem,quæ omnia mysteriis plena sunt: per tabernaculum intelligimus Ecclesiam præsentem,in qua sunt tabulæ,scilicet sancti humilitate pleni: quibus quinque vectes sunt
F affixi,id est,spiritualis notitia quinque librorum Moysi, per quam se & alios sustollãt ad claritatem æternę beatitudinis.Per vectes ergo(vt diximus) quinque libros Moysi intelligimus: qui sunt Genesis, Exodus, Leuiticus, liber Numerorum,& Deuteronomium: in quibus continetur principium mundi, & medium, & consummatio. In Genesi describitur creatio, in Exodo recreatio, in Leuitico sacramentorum Ecclesiæ administratio, in libro Numerorum Euangelica prædotatio, in Deuteronomio vltima benedictio, vnde & in benedictionibus terminatur.Est itaque in Genesi ordo creationis:in Exodo mysterium recreationis: in Leuitico sanctitas Ecclesiasticæ administrationis: in libro Numerorum consolatio Euangelicæ prædicationis: in Deuteronomio consummatio æternæ benedictionis. Inter hos autem quinque libros Moysi excellit Exodus, quem nunc ad manus habemus. In eo enim & quæ filiis Israël in figura contingebant: & mysteria plenè continentur Christi & Ecclesiæ. Hîc tamen primùm de exitu actuali carnalium filiorum Israël de historiali Aegypto agitur: in quo significatur spiritualis exitus spiritualium Israëlitarum de vera Aegypto, scilicet de tenebris vitiorum. Agitur etiam de transitu

*Mystice.*

maris

maris rubri,& ſubmerſione Pharaonis & exercitus eius:& de liberatione populi dei, in quo figuratur baptiſmus G
ſanguine Chriſti conſecratus: in quo diaboli vitia ſubmerguntur, & animæ fidelium liberantur. Agitur etiam
de pugna Iſraëlitarum cum Amalech,in quo victoria Chriſti & ſuorum, & confuſio diaboli figuratur.Tandem
catalogo manſionum deſcripto,agitur de lege data in monte Sina:in quo nobis innuitur,vt à terrenis ſubleuati,
diſcamus ſubiici cœleſtibus diſciplinis. Agitur item de conſtructione tabernaculi & vaſorum eius: de veſtibus
ſacerdotum & vnctione,in quo intelligitur præſens Eccleſia: & diuerſæ perſonæ fidelium diuerſis officiis depu-
tatæ, ſicut vaſa diuerſis vſibus deputata erant vel officiis, & ſacramentorum & orationum ſacratarum ſuauiſſi-
ma odoramenta.Ecce ergo quomodo quod iuxta ordinem hiſtoriæ congruit,iuxta allegoriam quoque non in-
congruè factum eſt.Nam poſtquam dixit de carnali generatione, qua per peccatũ primi hominis naſcimur filij
diaboli,congruebat vt ſubderet de regeneratione ſpirituali,qua per iuſtificationem ſecũdi hominis,id eſt,Chri-
*In oratione quaſe excuſat cur tandiu etc.* ſti, renaſcimur filij dei. GREGORIVS NAZIANZENVS. Porrò Moyſes tabernaculum compegit H
terrenum, quod exemplar erat cœleſtis, ad quod omnes offerebant, id quod eis præconis voce mandatum erat,
quidam verò vouebant,& hic quidem aurum, iſte verò argentum at alius lapides precioſos, in clamidem, quæ-
dam biſſum tenuiſsimum,nonnullæ coccum bis tinctum,alij purpuram, quidam pelles arietum rubricatas, ali-
quæ pilos caprarum ad vſum tabernaculi,munus inter cætera viliſsimum.Omnes verò quod vnicuique ſiue vi-
ro,ſeu fœminæ obtingebat,omnes ſanè offerebant,& nihil erat inutile,etiam quod pauperrimi inferebant. Qua-
propter & nos ita in hoc venerando Eccleſiæ huius tabernaculo faciamus, quam dominus & non homo cõſtru-
xit,quæ diuerſis virtutis ædificata eſt pulchritudinibus.Et hic quidem paruum,alius verò magnum quid,omnes
autem pariter inferamus,in opus perfectũ,in habitaculum Chriſti,in tẽplum ſanctum,cõſtruentes, & cum archi-
tectura ſpiritus ſingula diſponentes.Cæterùm nequaquam tantùm inferemus quãtum accepimus, etiam ſi intu-
lerimus omnia: quandoquidem eſſe noſtrũ ex deo eſt, ac etiam vt habeamus illud quod inferimus. Hoc autem
pulcherrimum eſt & piiſsimũ,quòd deus nequaquã ex dignitate dãtis,ſed virtute & qualitate fructificãtis men- I
ſurat donum.Ne igitur expecta vt bonus fias,ſed iam fieri incipias,nec timeas ne indignus videaris,niſi omnino
indignus haberi velis.Hoc igitur inferas,ac re ipſa præſtes,illud verò animi ſuppleat promptitudo.Interim verò
rogato,vt tibi propter tenuitatẽ parcatur.Ne cõſpiciaris,inquit,corã me vacuus.Nemo ſit ocioſus aut nõ fructi-
fer,nemo anima ſterili & infœcũda.Vnuſquiſque ex domeſticis,& iis quæ habet,fructificet deo. Peccator pœni-
tentiã,qui bene currit,perſeuerantiã,iuuenis cõtinentiã,ſenex prudentiã,diues diſtributionẽ, pauper gratiarũ a-
ctionem,potens alacritatẽ,exactor humanitatẽ:ſacerdotes induãtur iuſtitia,ſeu(vt rectiùs dicam)induamur, ne
diſpergamus pecora cãpi,nec corrũpamus pro quibus bonus paſtor animã ſuam poſuit,qui oues ſuas cognoſcit,
& ab iis cognoſcitur,& propriis vocat nominibus,illáſque ad caulam ducit,& rurſus ex illa educit,nẽpe ab infi-
delitate ad fidẽ, & à vita hac ad requiem futurã. Timeamus ne à nobis ſecũdum cõminationes iudiciũ incipiat,
& ne accipiamus è manu domini peccata duplicia, ſi nos haud ingrediamur, ac inſuper eos qui ingredi valent
prohibeamus.Vos oues nolite paſcere paſtores,neque ſuper terminos eorũ eleuemini.Satis enim vobis eſt,ſi rectè K
paſcimini. Nolite iudicare iudices, nec legẽ feratis legiſlatoribus, deus enim nequaquam deus eſt ſeditionis &
confuſionis,ſed ordinis & pacis.Nemo igitur caput ſit,qui vix manus aut pes eſſe poſsit,ſiue mẽbrum aliud cor-
poris honorabilius.Sed vnuſquiſque fratres,in eo ordine in quo vocatus eſt permaneat, licet dignior etiam exi-
ſtat,in illoq; magis præſentẽ amet claritatẽ, quàm vt eam quam nõ accepit quærat. Nemo qui ſine periculo ſub-
eſſe poteſt,imperare deſideret,nec ſubiectionis lex ſoluatur, qua tam terreſtria quàm cœleſtia ſunt colligata, neq;
dominationẽ multiplicẽ ſine dominatione faciamus vos qui in ſermonibus verſamini,nolite nimium cõfidere
ſermonibus,nec in ſermonibus ſapere ſuperflua.Nec deſideretis in omnibus vincere male,nam quædam ſunt in
quibus vinci eſt melius.Date ſermoni ſermonem,facite illũ armaturã iuſtitiæ,non doctrinã mortis.Vos milites
veſtro cõtenti ſitis ſtipẽdio,& nihil præter id quod vobis eſt cõſtitutum exigatis: hoc vos nobiſcũ iubet Ioannes,
magnus veritatis præco,præcurſor,vox verbi.Cæterũ quidnam cibum voco, regium nẽpe cõmeatum, & quæ ſe-
cũdũ legem dignitatibus debẽtur dona. At ſuperuacuũ cuiuſnam eſt?Ego quidẽ maledicere obmitto: vos autem L
rectè noui,intelligitis quid dicere velim,Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt,& dei deo,huic tributũ, huic timorem,
vos qui reipublicę curã geritis:timorẽ autem quum dico,auaritiã prohibeo.Quid igitur magni(dicetis forſitan)
lucrabimur?id quod omnium eſt maximũ,& ſi multis per me mediatorem,nẽpe ſpem optimã,& ea quæ in ciui-
tate ſuperna ſunt præcipua,non in hac parua,& inter ciuitates minima, cui nec dominari alicuius eſt momenti,
vt modeſtè loquar, honorans illam quòd nos nutriuit. Quapropter vbi cuncta admodum ſunt veneranda,&
ſplendida,ibi primi fieri velimus.Vendicemus nobis ſplendorem qui ibi eſt,in ſinu Abrahę potiùs quàm in hac
ærumnis plena requieſcamus.Iudicium iudicemus iuſtum,pauperis & inopis miſereamur,ſimul & viduæ ac or-
phani.Liberemus occidendos,vel vt modeſtiùs loquar,ne occidamus ipſi:non deſpiciamus nobis ſupplicantes,
à menſa vſque ad animas: non negligamus male affectum, aut in portis noſtris vulneratum, non exultemus ob
aduerſitates aliorum,non abominemur conſeruum noſtrum, non fiamus amici & fratres partis ditioris, ne do-
leamus in flamma, & vaſto hiatu diſtemus à ſanctis, ne rogare cogamur, vt Lazarus mendicus ſummo digito M
linguam noſtram refrigeret,non tamen id aſſequamur.Fiamus boni,miſericordes,compatientes, domini boni-
tatem imitemur, qui ſolem ſuum bonis & malis exoriri ſinit, ac omnes pariter pluuia ſua nutrit. Ne aliorũ pau-
pertate diteſcere quæramus, nec adeò à diuina exorbitemus æquitate: neque diuitias noſtras ex aliorum colli-
gamus lachrymis, à quibus tanquam rubigine & erugine conſumamur, ſeu(vt ſcriptura loquitur) quas rurſus e-
uomemus. Quòd ſi inſatiabiliores ſumus quàm decet, aut plus etiam iuſto poſsidemus, impertiamur aliquid
parui inde,vt inde diteſcamus.Hęc igitur præcepta ad omnes pariter pertinent,& non ſolùm ad eos qui tantùm
verſantur in publicis. Siquidem communibus ægritudinibus, communia etiam conueniunt medicamenta.
Quæ omnia ſufficienter adimplebimus, adiuuante nos domini noſtri Ieſu Chriſti gratia, qui cum patre ſimul
& ſpiritu ſancto viuit & regnat deus in ſecula ſeculorum.Amen.

*Finis Catenæ in Exodum Aloiſio Lippomano Epiſcopo Metonenſi coadiutoréque Veronenſi authore.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

## ORDO CHARTARVM.

1. a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t v x y z.
2. a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t v x y z.
3. a b c.

Omnes ſunt quaterniones præter 3. c. ternionem.

*PARISIIS,*

EXCVDEBAT CAROLA GVILLARD,
ANNO SALVTIS HVMANAE
M. D. L.